# PATROLOGIÆ
## CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

**OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,**

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

*QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANNO 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT:*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**Bibliothecæ Cleri universæ,**

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEM ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR; UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM, 326 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT, SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEBUS PATROLOGIÆ NONDUM EXCUSIS APPLICANTUR.

*PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS XCV.*

VENERABILIS BEDA. PAULUS WINFRIDUS DIACONUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MOENIA PARISINA.

1861

Digitized by Google

Digitized by Google

# VENERABILIS BEDÆ,

ANGLO-SAXONIS PRESBYTERI,

# OPERA OMNIA,

EX TRIBUS PRÆCIPUIS EDITIONIBUS INTER SE COLLATIS,

NEMPE

COLONIENSI, DUABUSQUE IN ANGLIA, STUDIO DOCTISSIMORUM VIRORUM SMITH ET GILES,

NON SINE INGENTI LITTERATORUM PLAUSU IN LUCEM VULGATIS,

NOVISSIME AD PRÆLUM REVOCATA, MELIORI ORDINE DIGESTA, VARIIS MONUMENTIS AUCTA, ET, QUOD MAXIMUM EST, INNUMERIS, QUIBUS SCATEBANT, MENDIS DILIGENTER EXPURGATA :

ACCEDUNT

# PAULI WINFRIDI DIACONI

**SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT UNIVERSA,**

EX VARIIS, HISQUE OPTIMIS, FONTIBUS COLLECTA, RECENSITA, EMENDATA, ATQUE IN UNUM CORPUS, QUOD NEMO HACTENUS PRÆSTITIT, COADUNATA :

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,**

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

BEDÆ TOMUS SEXTUS ET ULTIMUS.
PAULI WINFRIDI TOMUS UNICUS.

VENEUNT 6 VOL. 42 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

Digitized by Google

# ELENCHUS

## AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO XCV CONTINENTUR.

### VENERABILIS BEDA.

PARS QUARTA. — OPERA HISTORICA.


Petri Fr. Chiffletii Dissertatio de auctore *Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum.* col. 9
Monitum ejusdem. 17
De eadem Historia Smith Monitum. 17
Regi Ceolulpho Præfatio Bedæ. 21
Historia Ecclesiastica. 23
Chronologica continuata, auctore anonymo. 289
Appendix ad omnia Venerabilis Bedæ Opera, complectens elucidationes ad omnia illa Opera, præsertim in Historiam ecclesiasticam. 291


### PAULUS WINFRIDUS DIACONUS.


Notitia historica ex fabricio. 413


PARS PRIMA. — OPERA HISTORICA.


Ad Pauli Diaconi Longobardicam Historiam Muratorii Prolegomena. 419
Horatii Blanci Romani Monitum. 421
Longobardorum regum Catalogus. 427
De Gestis Longobardorum. 433
Vita sancti Gregorii Magni *(in hoc volumine memorata, edita autem hujusce* Patrol. *t. LXXXV, coll.* 42-62). 673
Libellus de ordine et gestis Episcoporum Metensium, qui sibi ab ipso prædicationis exordio in Metensi civitate successerunt. 673
*Dissertation sur l'origine apostolique de l'Eglise de Metz, par M. Chaussier.* 673
*Catalogue des Evêques de Metz, par le même.* 723
Passio sancti Cypriani. 725
Sancti Arnolfi episcopi Vita et Miracula. 731
Historia Miscella, ab incerto auctore consarcinata, complectens Eutropii Historiam, quam Paulus Diaconus, multis addidis, a Valentiniani imperio usque ad tempora Justiniani deduxit, et Landulphus Sagax, seu quisquam alius, continuavit usque ad annum Christi 816. 739
Muratorii Præfatio in Historiam Miscellam. 739


PARS SECUNDA. — OPERA ASCETICA.


Homiliarus, seu præstantissimorum Ecclesiæ Patrum Sermones sive Conciones ad populum, a Paulo Diacono jussu Caroli Magni in unum collecti. 1159
Homiliæ de tempore. 1159
Homiliæ de Sanctis. 1457
Homiliæ in Commune Sanctorum. 1536
Homiliæ alteræ ipsius Pauli Diaconi. 1566
Expositio Prologi Regulæ sancti Benedicti. 1581


PARS TERTIA. — EPISTOLÆ ET CARMINA.


I. — Epistolæ. 1583
II. — Carmina. 1591
Appendix ad Opera Pauli Diaconi, complectens Pauli Problemata de ænigmatibus ex tomis canonicis, et Sexti Pompei Festi de verborum Significatione fragmentum. 1603

Index rerum. 1743


Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

Digitized by Google

# BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI

ANGLO-SAXONIS

# OPERA HISTORICA

SIVE

OMNIUM EJUS OPERUM PARS QUARTA.

## SECTIO TERTIA. — HISTORIA ECCLESIASTICA.

# PETRI FRANCISCI CHIFFLETII

## DISSERTATIO PRÆLIMINARIS

### DE AUCTORE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ GENTIS ANGLORUM.

### CAPUT PRIMUM.

DE SANCTI BEDÆ PRESBYTERI ÆTATE, ADEOQUE VERO EJUS OBITUS, VEROQUE ANNO.

Non ingrata (opinor) accidet erudito lectori hujus quæstionis tractatio, cum in ea explicanda, ab octingentis fere annis ad hanc usque diem laboratum esse cognoverit, et adhuc litem esse sub judice. Solem Occidentis Bedam scite appellavit cardinalis Bellarminus, ut vere dici possit, solis hujus luce nihil esse clarius, occasu nihil obscurius. Scribit ipse de se Beda ad finem Historiæ suæ Anglicanæ, quam concludit in anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo trigesimo primo, se tunc egisse annum ætatis nonum supra quinquagesimum; unde habetur natum esse illum anno Christi sexcentesimo septuagesimo secundo. Sed de ejus ætate, deque anno ac die obitus tanta est opinionum diversitas, ut mirum sit in tam illustri argumento, inter Anglos, Italos, Germanos, Gallos, omniumque gentium scriptores convenire hactenus non potuisse. Ejus obitum anno ipso 731 quo Historiæ suæ finem imposuit, ascribunt Hermannus Contractus, Chronicon Augiense, Annales sancti Nazarii, Anonymus Floriacensis, Hepidannus, Sigebertus, et Conradus abbas Urspergensis, ut de cæteris taceam. Hos vero omnes redarguit ipse Beda (cujus obitum in mensem Maium vulgo referunt), cum ad finem Historiæ suæ meminit Tacuini eodem anno 731, die mensis Junii decima, in Doroverneusem archiepiscopum consecrati. Willelmus Malmesburiensis, et Matthæus Westmonasteriensis Bedam obiisse scribunt anno 734, die Ascensionis Dominicæ, VII Kalendas Junii. Sic et Continuator Historiæ Anglicanæ post Bedam, lib. I, cap. 6 et 8, quem anonymum proferens Commelinus in Editione Heidelbergensi anni 1587 Scriptorum Britanniæ, visus est a Willelmo Malmesburiensi distinguere, cum tamen ex illo totus constet, exceptis libri tertii postremis tribus capitibus, quamvis totum illum non contineat; unde merito a Balæo in Catalogo scriptorum Angliæ est prætermissus. Sed hic dies huic anno non congruit, ut est evidens ex computi regulis. Michael Alfordus, in Annalibus Anglo-Saxonicis, Bedæ obitum eodem Christi anno 734 ascribit, sed in alium quemdam diem refert, quod non satis explicat. Simeon Dunelmensis, anno 735, die Ascensionis, VII Kalendis Junii; cui adhæ-

A sit in editione Heidelbergensi auctor recapitulationis chronicæ ad calcem Historiæ a Beda conscriptæ: quibus lapis offensionis fuisse videtur quod vere anno illo dies Ascensionis incurrit in diem Maii 26, hoc est, VII Kalendas Junii. Sed non præviderunt isti alia suæ sententiæ incommoda, de quibus constabit ex infra dicendis. Lambertus Scafnaburgensis in annum rejecit 756. Et denique (ne hic omnes colligam) fluctuavit Baronius in ista chronologia; nam in Martyrologio, ad diem Maii 27, Bedæ vitam definivit annis XCIV; porro in Annalibus, anno Christi 721, numero 19, pervenisse eum censuit ad annum ætatis centesimum quintum, Christi septingentesimum septuagesimum sextum. Rationes ejus infra expendam.

Mihi omnium instar est epistola Cuthberti ad Cuthwinum de transitu Bedæ, quam quidem ediderunt Surius et Baronius, sed longe emendatiorem Simeon Dunelmensis, libro I Historiæ Dunelmensis, cap. 15. Ex hac epistola oculati testis concludo B emigrasse e vita Bedam presbyterum anno Christi 762, ætatis suæ nonagesimo, die mensis Maii 26, feria quarta, ad vesperam, in pervigilio Ascensionis Dominicæ, adeoque ipsa die ecclesiastica Ascensionis, a primis vesperis inchoata, non autem ipso die Ascensionis naturali a media nocte deducto.

Clara sunt ista ex ipsis verbis citatæ epistolæ Cuthberti, ubi diserte ait illum beatam animam exhalasse quarta feria ad vesperam, septimo Kalendas Junii, sive die mensis Maii 26. Accurate. Fuit enim anno Christi 762, Pascha 18 Aprilis, Ascensio Maii 27. Quod ergo præmiserat Cuthbertus, vitam duxisse illum usque ad diem Ascensionis Dominicæ, exclusive intelligendus est, vel accipiendus de die Ascensionis (ut dixi) ecclesiastico, qui a primis vesperis, adeoque a feria quarta exeunte incipiebat. Huic porro assertioni ex Cuthberti epistola depromptæ jungenda sunt veterum testimonia de Bedæ ætate nonagenaria. Etenim annis Christi 751 et 773 fuit æque Pascha 18 Aprilis, idemque festorum mobilium, adeoque Ascensionis C cursus. Sed anno 751 erat Beda annorum LXXIX; anno vero Christi 773, si adhuc in vivis fuisset Beda, attigisset annum ætatis centesimum primum. Nobis ergo incumbit probare obiisse Bedam nonagenarium, ut ejus ex hac vita transitum in anno potius 762 quam in duobus aliis constituamus.

Expresse id asseritur in epitaphio Bedæ, quod refert Wion in Ligno vitæ, libro V, cap. 104, scilicet



248752

Digitized by Google

admonens inditum fuisse illud sancti Bedæ sacris reliquiis, ex quo e Girvo, ubi primum sepultus fuerat, translatæ sunt in civitatem Dunelmensem, et eadem theca cum S. Cuthberti corpore tunc adhuc incorrupto inclusæ ab Elfredo presbytero : quod factum anno Christi circiter millesimo colligitur ex Simeone Dunelmensi, lib. I Hist. Dunelmensis, cap. 14, et lib. III, cap. 7, et ex Richardo priore, lib. II de episcopis Hagustaldensibus, cap. 1. Est vero epitaphium hujusmodi, quod ad nostra usque tempora legebatur in ejus sarcophago, teste Possevino in Apparatu, referturque in Editione Antuerpiensi Historiæ gentis Anglorum anni 1550, et in Coloniensi anni 1601.

Beda Dei famulus, monachorum nobile sidus,
Finibus e terræ profuit Ecclesiæ.
Solers iste Patrum scrutando per omnia sensum,
Eloquio viguit, plurima composuit.
Annos in hac vita ter duxit vitæ triginta,
Presbyter officio, utilis ingenio.
Junii septenis viduatus carne Kalendis
Angligena angelicam commeruit patriam.

Aliud epitaphium quatuor duntaxat hexametrorum versuum, Bedæ primo tumulo inscriptum refert, et pudendum prorsus, tantique viri mausoleo indignum merito notat Continuator anonymus Historiæ Anglicanæ, lib. I, cap. 8.

Hanc ipsam Bedæ ætatem nonagenariam confirmant Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardi Martyrologium, anno 1521 editis, ad VII Kalendas Junii, cujus natalem eodem die, vel, secundum alios, sequenti, celebrari monent. Nataque videtur sacrorum Fastorum ea diversitas ex hora obitus sancti Bedæ, quæ fuit feria quarta ad vesperam, adeoque 26 Maii, uti ex Cuthberto retulimus; sepultura vero, quam depositionem vulgo appellant, incidit in feriam quintam, quæ fuit dies ipsamet Ascensionis Christi, et Maii mensis 27. Unde factum ut in Necrologiis suprema Bedæ dies, modo 26, modo 27 Maii adnotaretur, priore calculo ad animæ egressum, posterioreque ad sepulturæ officium exacto. Sic ergo Carthusiani Colonienses septimo Kalendas Junii : « Eodem die (vel secundum alios, sequenti) in Anglia, depositio Venerabilis Bedæ presbyteri et confessoris, doctoris præcipui; qui, ut ipse de seipso refert, cum esset annorum septem in monasterio traditus, inter observantiam disciplinæ regularis, et quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habuit. Tandem plenus dierum et sanctitatis, nonagenarius obiit die quo petierat, hoc est, die Ascensionis Domini. Illo enim die, illibato sensu et hilari vultu, cum cantasset antiphonam, *O Rex gloriæ*, etc., emisit spiritum. »

His accedit auctor Vitæ beati Alcuini, Bedæ quondam discipuli, ubi hæc legimus : « Deo amabilis Beda presbyter, die quo voluit, et petiit, eo scilicet quo Rex gloriæ Christus, triumphator super omnes ascendit cœlos, ab Incarnatione Domini 731, septimo Kal. Junii, a sancti obitu vero Gregorii 127 anno consummatus, ad Dominum migravit nonagenarius, sicut quorumdam affirmatio est. Nam nono decimo ætatis suæ anno levita, trigesimo vero sacerdos efficitur. A quo tempore, qui ante per triginta annos didicerat Ecclesiæ profutura, usque quinquagesimo nono, cum sudore non inerti, dignis memoria libris inserere proprio stylo studuit. Per alios autem triginta annos, ferunt ea quæ scripserat correxisse, discipulos quoque non mediocriter omnium liberalium artium studiis erudiisse. » Scribebat hic auctor ante octingentos abhinc annos, « ex iis quæ Sigulfo institutore suo, Alcuini porro fidelissimo discipulo referente cognoverat. » Sic plane ut in Editis, legi in Codice ms. sanctæ Mariæ Rhemensis, ne quis hic a typographo mendum suspicetur. Nec tamen vacat hic locus suspicione erroris ab antiquo librario inculcati : quomodo enim scribitur Beda obiisse anno A Christi 731 nonagenarius, qui anno eodem testatur fuisse se annorum non amplius quinquaginta novem? aut quomodo scriptos a se libros, et anno 731 a se primum editos, per triginta annos correxit, si ad annum ætatis nonagesimum non pervenit? Denique quomodo dici potest obiisse Beda anno 731, die Ascensionis Dominicæ, et septimo Kalendas Junii, cum ex veteris computi regulis certissimum sit illo anno 731 Ascensionem Domini non VII Kalendas Junii, sed VI Idus Maii evenisse? Corruptus ergo est hic locus, non auctoris allucinatione, sed librarii vitio, et pro 731, scripsit auctor absque dubio 762, quo anno Beda triginta annis a prima librorum suorum editione transactis nonagenarius fuit. Unde et pro anno ab obitu sancti Gregorii papæ 127 reponendus est annus 159, quia magnus Gregorius anno 604, indictione 7, die mensis Martii duodecima, ad superos evolarat.

Hanc porro epocham de ætate Bedæ præclare con- B firmant quatuor epistolæ inter epistolas sancti Bonifacii, quondam a Nicolao Serario seorsim editas, quæ in recentiores Bibliothecæ Patrum Editiones postmodum translatæ sunt, ad numeros 89, 95, 111, et 150.

Inter has prima est ordine temporis, ad numerum 111, quæ est Lulli archiepiscopi Moguntini ad Cuthbertum abbatem, qua mittit ad eum pallam holosericam, petens ab eo libros « beatæ memoriæ Bedæ, de Ædificatione templi, vel in Cantica canticorum, sive epigrammatum heroico metro sive elegiaco compositorum (si fieri potest) omnes; sin autem, de Ædificatione templi libros tres. Fortassis difficilis petitio; sed nihil arbitror esse difficile veræ charitati. »

In secunda ordine temporis, quæ est numero 89, significat Cuthbertus abbas se accepisse a Lullo pallam holosericam ad reliquias beatæ memoriæ Bedæ ab eo destinatam, mittitque ad eum ex Bedæ scriptis libellos duos de viro Dei Cuthberto (fuerat C hic Lindisfarnensis episcopus) metro et prosa compositos, excusans plura se mittere non potuisse propter hiemis asperitatem, qua scriptorum manus hebetatæ torpuerant, ac promittens, quæcunque de Bedæ opusculis ipsi deessent, se ad illum quamprimum ea parare licuisset, transmissurum. Ejus hæc sunt verba : « Gratanter quidem munuscula tuæ charitatis suscepi, et eo gratantius quo te hæc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est, holosericam ad reliquias beatæ memoriæ Bedæ magistri nostri, ob recordationem et illius venerationem destinasti. Et rectum quidem mihi videtur ut tota gens Anglorum in omnibus provinciis, ubicunque reperti sunt, gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum, præditum diversis donis, tamque ad exercenda dona studiosum, similiterque in bonis moribus viventem Deus illis in sua natione donavit, quia per experimentum, ad pedes ejus nutritus hoc quod narro didici, etc. Nunc vero, quia rogasti aliquid de D opusculis beati Patris, cum meis pueris, juxta vires, quod potui tuæ dilectioni præparavi : libellos de viro Dei Cuthberto metro et prosa compositos, tuæ voluntati direxi; et si plus potuissem, libenter voluissem, quia præsentia præteritæ hiemis multum horribiliter insulam nostræ gentis in frigore et gelu, et ventorum et imbrium procellis diu lateque depressit; ideoque scriptoris manus, ne in plurimorum librorum numerum perveniret, retardata est, etc. De opusculis vero beatæ recordationis Bedæ quæ adhuc descripta non habes, promitto, me, si vixerimus, tuæ voluntati adjuvaturum. »

In tertia epistola, quæ est numero 95, memor promissi Cuthbertus abbas mittit ad Lullum Bedæ librum de Ædificio templi. In quarta epistola petit auctor quicunque est, reliqua de opusculis Bedæ, quem etiam nuper e vivis abiisse significat; sic enim ait : « Interea rogamus ut reliqua de opusculis sagacissimi investigatoris Scripturarum Bedan monachi,

Digitized by Google

quem nuper in domo Dei, vice candelæ Ecclesiæ scientia Scripturarum fulsisse audivimus, conscripta nobis transmittere dignemini. » Hæc est epistola numero 150, quæ ex tomo IX Annalium Baronii in Serarii Collectionem traducta est, et Bonifacio Moguntino archiepiscopo male ascripta, cum vere sit Lulli ejus successoris, quod gemina ratione sic ostendo. Prior petitur ex tribus epistolis supra memoratis. Per primam petierat Lullus a Cuthberto omnia Bedæ opuscula, e quibus cum pauca obtinuisset, quorum mentio in epistolis Cuthberti 89 et 95 supererat, ut reliqua quæ sibi deerant postularet. Hoc vero facit epistola illa 150. Altera ratio est, quod constet Bedam Bonifacio fuisse superstitem. Etenim Bonifacius glorioso martyrio vitam sibi in cœlum stravit anno Christi 755, secundum Serarii accuratos calculos. Porro Lullus post Bonifacium jam episcopus misit pallam holosericam ad cohonestandas Bedæ recens exstincti reliquias. Ejusdem ergo Lulli est epistola illa ad Cuthbertum abbatem, quæ est in collectione centesima quinquagesima, in qua Bedæ nuper in Ecclesia lucentis, adeoque tunc vita jam perfuncti, mentionem facit.

Cum igitur ex his liquido appareat Bedam in vivis fuisse ultra annum Christi 755, examussim ætas ejus nonagenaria, quam ex ejus epitaphio aliisque argumentis astruximus, obitum ejus defigit in anno 762, qui fuit Lulli post Bonifacium sedentis septimus. Lullus ad annum ætatis pervenit 87, episcopatus post Bonifacium 32.

Mirum certe est ab Alfordo, in Annalibus suis, referri has epistolas de obitu Bedæ ad annum 734, nec attendisse illum ad Bonifacii et Lulli chronologiam, quam ex Nicolai Serarii Moguntia potuerat habere perspectam. Nec minus mirum est in anno obitus Bedæ tam longe aberratum esse a Willelmo Malmesburiensi, aliisque eum secutis Anglicanarum rerum scriptoribus; cujus rei rationem ipse attingit Malmesburiensis, cum ait, lib. I Reg., cap. 3: Sepultam cum Beda omnem pene gestorum notitiam, usque ad sua tempora.

Addit Alfordus, in Annalibus Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ, ad annum 734: « Quod scimus et lugemus verum esse; nam primus post Bedam, in rerum gestarum narratione ipse omnino merito censetur Malmesburiensis. » Porro obitum Willelmi Malmesburiensis refert Balæus in annum Christi 1142. Scribere cœperit triginta ante annis: ex hac hypothesi fluxerint ab obitu Bedæ ad Malmesburiensis librorum editionem anni fere trecenti et quinquaginta. Tanto intervallo sopita apud Anglos temporum scientia, quid mirum si in somniorum quædam phantasmata evigilarit, et a vero ipsomet Bedæ obitu triginta fere annis aberraverit? Id evenisse certis argumentis demonstravimus.

Nunc restat ut doctissimi Baronii objectioni sub initium propositæ satisfaciam. Is anno Christi 731, numero 19, asserit, aut pervenisse Bedam ad annum ætatis suæ centesimum quintum, aut illius non esse epistolam ad Wicrhedam presbyterum, de æquinoctio juxta Anatolium, quam tamen ipse ad finem Historiæ Anglicanæ scriptis suis annumerare videtur, quia scilicet in ea epistola exemplum profert de Paschate anni quo scribebat, Christi 776, et sequentis 777, quorum annorum epactas, regulares, concurrentes, lunas quartas decimas primi mensis, earumque ferias, Dominicas denique paschales accurate designat, prout in Bedæ cyclo decemnovennali tertio decimo continentur. Tum hæc prudenter subjicit: « Quod si hæc de longa Bedæ ætate non placent, ut nova et hactenus inaudita, tunc incumbit labor his qui negant non esse Bedæ citatam nuper epistolam, falsoque recenseri inter ipsius scripta monstrare, et nos veriora promenti haud inviti acquiescemus, parati semper sequi firmiora tradentem. »

Ad hæc ego, agnoscere me, ut verum et germanum Bedæ opus, epistolam illam de æquinoctio juxta

A Anatolium, quæ incipit: « Libenter accepi litteras tuæ benignitatis; » finit autem in his verbis: « Ante æquinoctium fuisse confirmet; » appendicem vero illam quæ incipit: « Primo anno circuli decemnovennalis, » et annorum 776 et 777 mentionem facit, tanquam spuriam rejicio. Illam Bedæ epistolam de æquinoctio, vidi in Codice veteri Bibliothecæ Genevensis, vulgata longe emendatiorem, quam proxime sequebatur, ex libro de Ratione temporum caput 29, de concordia maris et lunæ. Aberat enim citata appendix tanquam ad propositum nihil pertinens, quam videre est tanquam in proprio loco, in libro de Argumentis lunæ, tomo primo inter Opera Bedæ. Unde apparet non esse illam Bedæ, sed auctoris incerti qui scribebat anno 776, adeoque annis quatuordecim post obitum ipsius Bedæ. Quod vero in eodem tractatu de argumentis lunæ laudatur Ulpericus, id a recentiore manu glossema esse ne dubita. Longe enim post annum Christi 776 vivit Ulpericus, sive
B Helpericus, cujus Computi vidimus in manuscriptis duas Editiones, priorem anni 903, posteriorem anni 930; his enim annis scribere se profitetur eo capite, cui titulus est: *Qualiter inveniantur anni ab Incarnatione Domini.* Unde et redarguas Josiam Simlerum, qui in suo Gesneri Bibliothecæ Breviario Ulpericum claruisse dicit anno Domini 1069. Quod vero addit fuisse illum sancti Galli monachum, vix probari nobis potest, cum ex ejus Computi præfatione colligi videatur, fuisse ipsum potius Autissiodorensem. Quia tamen in ea præfatione instabilitatis se ipse accusat, ac per plura monasteria vagatum se esse significat, negare non ausim quin inter sancti Galli monachos etiam aliquando versatus sit. Hujus præfationis velut probationes hic subjicio epistolam Cuthberti de obitu sancti Bedæ, hujus epistolam de æquinoctio juxta Anatolium ex Codice Genevensi multis locis meliorem redditam, et Computi Helperici præfationem ad Asprum, quem Patrem sanctissimum nuncupat, fortasse monasterii sancti Germani Autissiodorensis
C abbatem, aut coabbatem, et alteram præfationem cum epilogo.

Addam pro corollario, loco fabulæ quæ circumfertur de titulo Venerabilis angelica manu descripto in epitaphii ejus versu:

Hac sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa,

hujus nomenclaturæ ipsammet originem, ex Gabrielis Bucelini Menologio Benedictino ad sextum Kalendas Junii: « Scriptorum ejus, inquit, tanta fuit auctoritas, ut ex ordinatione episcoporum Britanniæ in Ecclesiis publice legerentur. Cumque in lectionibus homiliarum ejus nomen, ex more, auctoris Venerabilis Bedæ presbyteri præfigerent, aliter eum dum viveret prædicare non præsumentes, obtinuit in hodiernam usque diem mos, ut qui a principio, dum viveret, non sanctus, sed Venerabilis nuncupabatur, ob ipsam tam illustris nomenclaturæ rationem, Venerabilis deinceps perpetuo diceretur. »

D Restat ut de sancti Bedæ sepultura, tumulis, ac reliquiis, quæ a me hinc inde observata sunt, hunc in locum conjiciam. Monui supra sepultum primo ejus corpus in Girvo, unde evolans felix anima intraverat in gaudium Domini sui, æræ Christianæ anno 762. Inde translatum fuisse post annos circiter CCXXXVIII in sacram ædem Dunelmensem, cum sancti Cuthberti corpore tum adhuc incorrupto. Lego deinde apud Helinandum Frigidi montis monachum, libro XLVIII Chronicorum, clericos Laudunenses, igne consumpta ecclesia sua, ut ad eam reparandam aliquid subsidii colligerent, supplicationem decrevisse per Galliam et Angliam, in qua nonnullas sanctæ Mariæ Laudunensis reliquias miraculis inclytas circumferebant. « Hi de Saresberia, inquit, venerunt ad abbatiam sanctimonialium quæ dicitur Wiltonia (vix ad tria milliaria, ut addit Albericus hæc referens in Chronico, ad annum 1115), ubi ostensa est eis sepultura Venerabilis Bedæ presbyteri, juxta quem

Digitized by Google

sepulta est mulier illa versificatrix inclyta. Ibi jacebat quidam longo jam tempore febricitans, ad sepulcrum Venerabilis Bedæ presbyteri, quia plures ibi consueverant sanari. » His addit de suo Albericus : « Hic oritur quæstio utrum requirendum sit quid sit veritas de sepultura Venerabilis Bedæ; vel si utrumque stare potest, et quod hic dicitur, et quod in legenda translationis beati Cuthberti de corpore Venerabilis Bedæ scribitur. Sed dicunt quidam quod fuerunt duo Bedæ, primus qui fecit homilias, et ipse de Wiltonia, juxta quem sepulta est mulier versificatrix inclyta. » In Monastico Anglicano, tomo I, parte I, pag. 4. lego quod in ecclesia Glastoniensi « requiescunt ossa Venerabilis Bedæ sagacissimi doctoris. » At Volaterranus, libro XIV, in Anthropologia : « Depositum, inquit, Bedæ Genuæ visitur. »

Tertium Bedam duobus aliis priorem indicat Beda ipse Venerabilis in Vita sancti Cuthberti apud Surium et Henschenium, 20 Martii, cap. 57 : « Non audebam, inquit, interrogare (sanctum Cuthbertum) quæ essent tentationes de quibus dixerat; tantum rogavi ut ministros susciperet. Annuit ille, et quosdam nostrum secum retinuit, in quibus erat major Beda presbyter, qui ministerio ejus familiariter semper adesse consueverat, idemque donationum acceptionumque ejus conscius erat indubius : quem ob id maxime secum manere voluit, ut si cujuslibet acceptis muneribus digna recompensatione non respondisset, admonitione recoleret, et priusquam obiret, sua cuique restitueret. » De majore hoc seu seniore Beda libens acceperim quod de ejus sepulcro refert Helinandus, et quod ait Hermannus, et alii plerique, obiisse illum anno 431. Sic Beda minor majori illi totis uno et quadraginta annis fuerit superstes, quippe mortuus, ut ostendimus, anno Christi 762, die Maii mensis 26. Hos duos Bedas Girvenses, majorem et minorem, qui non distinxerunt, in varios prochronismos incurrisse necesse est.

## CAPUT II.

### DE TRANSITU BEDÆ, ET EJUS CONVERSATIONE.

*Epistola Cuthberti ejus discipuli, et oculati testis, ad Cuthwinum condiscipulum* (a).

Dilectissimo in Christo Collectori Cuthwino, Cuthbertus condiscipulus in Deo æternam salutem.

Munusculum quod misisti multum libenter accepi, multumque gratanter litteras tuæ devotæ eruditionis legi : in quibus (quod maxime desiderabam) missas, videlicet, et orationes sacrosanctas pro Deo dilecto Patre ac nostro magistro Beda a vobis diligenter celebrari reperi. Unde delectat magis pro ejus charitate, quantum fruor ingenio, paucis sermonibus dicere quo ordine migrarit e sæculo, cum etiam hoc te desiderasse et poposcisse intellexi. Gravatus quidem est infirmitate maxima creberrimi anhelitus, sine dolore tamen, ante diem Resurrectionis Dominicæ, id est, fere duabus hebdomadibus; et sic postea lætus et gaudens, gratiasque agens omnipotenti Deo omni die et nocte, imo horis omnibus, usque ad diem Ascensionis Dominicæ, id est, septima Kal. Junii, vitam ducebat, et nobis suis discipulis quotidie lectiones dabat; et quidquid reliquum erat diei, in psalmorum decantatione occupabat; totam quoque noctem in lætitia et gratiarum actione pervigil ducebat, nisi tantum modicus somnus impediret. Evigilans autem statim consueta repetivit, et expansis manibus Deo gratias agere non est oblitus. Vere fateor quia neminem alium unquam oculis meis vidi, nec auribus audivi, tam diligentes gratias Deo vivo referre. O vere beatus vir! Canebat sententiam beati Pauli apostoli : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* X); et multa alia de

A sancta Scriptura, in quibus nos a somno animæ exsurgere, præcogitando horam ultimam, admonebat. Et in nostra quoque lingua, hoc est, Anglica, ut erat doctus in nostris carminibus, nonnulla dixit. Nam et tunc hoc Anglico carmine componens, multum compunctus aiebat (Sequuntur apud Simeonem quatuor circiter versus Anglica lingua et Anglico charactere descripti), quod ita Latine sonat : *Ante necessarium exitum prudentior quam opus fuerit, nemo existit; ad cogitandum, videlicet, antequam hinc proficiscatur anima, quid boni vel mali egerit, qualiter post exitum judicanda fuerit.* Cantabat etiam antiphonas secundum nostram consuetudinem, et suam, quarum una est : *O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. Alleluia.* Et cum venisset ad illud verbum, *Ne derelinquas nos orphanos*, prorupit in lacrymas, et multum flevit; et post horam

B cœpit repetere quæ inchoaverat; et sic per totum diem faciebat. Et nos hæc audientes, luximus cum illo; altera vice legimus, altera ploravimus; imo semper cum fletu legimus. In tali lætitia quinquagesimales dies usque ad diem præfatum deduximus; et ille multum gaudebat, Deoque gratias agebat, quia sic meruisset infirmari. Referebat et sæpe dicebat : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII); et multa alia de sancta Scriptura. Sententiam quoque sancti Ambrosii : « Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus (Paulinus, in Vita S. Ambrosii). » In istis autem diebus duo opuscula multum memoria digna (exceptis lectionibus quas accepimus ab eo, et cantu psalmorum) facere studebat. Evangelium, scilicet, sancti Joannis, usque ad eum locum in quo dicitur : *Sed hæc quid inter tantos?* in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiæ convertit, et de libris Rotarum Isidori episcopi excerptiones

C quasdam, dicens : « Nolo ut discipuli mei mendacium legant, et in hoc post obitum meum sine fructu laborent. » Cum venisset autem tertia feria ante Ascensionem Domini, cœpit vehementius ægrotare in anhelitu, et modicus tumor in pedibus ejus apparuit. Totum autem illum diem docebat, et hilariter dictabat, et nonnunquam inter alia dixit : « Discite cum festinatione; nescio quandiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus. » Nobis autem videbatur quod suum obitum bene sciret. Et sic noctem in gratiarum actione pervigil duxit. Et mane illucescente, id est, quarta feria, præcepit diligenter scribi quæ cœperamus. Et hoc facto usque ad tertiam horam, ambulavimus deinde cum reliquiis sanctorum, ut consuetudo illius diei postulat. Unus vero erat ex nobis cum illo, qui dixit illi : « Adhuc, magister dilectissime, capitulum unum deest; videturne tibi difficile, plus te interrogari? » At ille : « Facile est, inquit, accipe tuum calamum, et tempera, et festinanter scribe. » Quod ille fecit. Nona

D autem hora dixit mihi : « Quædam pretiosa in mea capsella habeo; id est, piperem, oraria, et incensa; sed curre velociter, et presbyteros nostri monasterii adduc ad me, ut et ego munuscula, qualia Deus donavit, illis distribuam. Divites autem in hoc sæculo, aurum, argentum, et alia quæque pretiosa dare student; ego autem cum multa charitate et gaudio fratribus meis dabo quod Deus dederat. » Et allocutus est unumquemque, monens et obsecrans pro eo missas et orationes diligenter facere, quod illi libenter se facturos spoponderunt. Lugebant autem et flebant omnes, maxime quod dixerat quia amplius faciem suam in hoc sæculo non essent visuri. Gaudebant autem quia dixit : « Tempus est ut revertar ad eum qui me fecit, qui me creavit, qui me ex ni-

(a) Ex Historia Ecclesiæ Dunelmensis, Simeone Dunelmensi monacho auctore, lib. I, cap. 15. Nos tamen pauca quædam vel supplevimus, vel emendavimus ex epistolæ hujus editione jam olim vulgata cum Operibus Bedæ, et apud Surium, et Baronium, in Annalibus.

Digitized by Google

bilo formavit. Multum tempus vixi, bene mihi pius Judex vitam meam prævidit. Tempus resolutionis meæ instat, quia cupio dissolvi et esse cum Christo. » Sic et alia multa utilitatis causa ad nostram ædificationem locutus, in lætitia diem usque ad vesperum duxit. Et præfatus puer nomine Wilberch dixit : « Adhuc una sententia, magister dilecte, non est descripta. » At ille : « Scribe, inquit, cito. » Post modicum dixit puer : « Modo sententia descripta est. » At ille : « Bene, inquit, veritatem dixisti, consummatum est. Accipe meum caput in manus tuas, quia multum me delectat sedere ex adverso, loco sancto meo in quo orare solebam, ut ego sedens possim invocare Patrem meum. » Et sic in pavimento suæ casulæ, decantans *Gloria Patri*, *et Filio*, *et* A *Spiritui sancto*, cum Spiritum sanctum nominasset, spiritum e corpore exhalavit ultimum, ac sic regna migravit ad cœlestia. Omnes autem qui viderunt beati Patris obitum, nunquam se vidisse ullum alium in tam magna devotione atque tranquillitate vitam finisse dicebant, quia (sicut audisti) quousque anima ejus in corpore fuit, *Gloria Patri* et alia quædam ad gloriam Dei cecinit, et expansis manibus Deo vivo et vero gratias agere non cessabat. Scito autem, frater charissime, quod multa narrare possem de eo; sed brevitatem sermonis ineruditio linguæ facit. Attamen cogito, Deo adjuvante, ex tempore plenius de eo scribere quæ oculis vidi et auribus audivi.

# IN BEDÆ HISTORIAM ECCLESIASTICAM

## CHIFFLETII MONITUM.

Ante omnia monendus es, mi lector, de hujus operis de gestis Anglorum, quod præ manibus est, variis Editionibus. Antiquissimam, adeoque primam, quam quidem noverimus, nemo (opinor) desideraverit, qui Joannem Gravium Editioni suæ Antuerpiensi anni 1550 sic præloquentem viderit : « Damus en tibi, amice lector, venerabilis Bedæ Ecclesiasticam Anglorum Historiam, semel duntaxat, quod sciam, ante annos quinquaginta procusam ; sed adeo depravate, ut difficile judicare possis, præstiteritne prorsus non fuisse typis mandatam, quam hoc modo in hominum manus devenisse. Mentior, si non in uno hujus operis ternione supra mille et quinquaginta errata deprehenderim ; et plus negotii fortasse nobis in restituendo, quam auctori in condendo fuerit. » Notari hic putamus Editionem Argentinensem anni 1514, cujus exemplar superest in Bibliotheca reipublicæ Augustanæ ; quam Editionem quia ipsi non vidimus, Gravii relatu nosse sit modo satis. Sed potuerat Gravius in hoc Bedæ opere expurgando juvari Editione Parisiensi anni 1544, per Franciscum Jametium, qui primus collecta Bedæ opera tribus tomis in vulgus emisit. Hactenus ergo Anglicana Bedæ Historia triplici in statu lucem aspexit. Primum sola, Argentorati 1514, Antuerpiæ 1550, in parvo folio, Coloniæ 1601, in-16, et Cantabrigiæ Anglosaxonica, in-folio, 1644, cum versione Anglicana Alfredi regis. Secundo prodiit cum vetustioribus aliquot rerum Britannicarum Scriptoribus, Heidelbergæ, typis Commelini, in-folio, 1587, cujus ipsius Editionis plurima exemplaria Renatus Potelerius, Lugdunensis typographus, mutata prima pagina, eodem anno 1587, Lugduni a se procusa esse mentitus est, suoque ipsius nomine venum exposuit : quare, hujus anni Editionem Lugdunensem ab Heidelbergensi diversam frustra recensueris. Tertio denique prodiit Anglicana Bedæ Historia, cum aliis ejus operibus, Parisiis, per Jametium, tomis tribus, anno 1544. Ibi- B dem anno 1554, tomis octo; Basileæ item tomis octo, per Joannem Hervagium, 1563, et denique Coloniæ totidem tomis, per Antonium Hierat, 1612. Ex his omnibus Heidelbergensis Editio anni 1587, et Cantabrigiensis anni 1644, cæteris accuratiores sunt ; nec tamen plane illimes, ut apparebit ex subjectis notis. Nostram hanc profitemur omnium absolutissimam, et emendatissimam, ope manuscriptorum aliquot Codicum, inter quos principem locum obtinet codex sancti Maximini Trevirensis, optimæ notæ, et vetustissimus ; ex quo præsertim sperare audeo me præclarum hoc opus, haud exiguo Gallicæ pariter et Anglicanæ Historiæ emolumento atque ornamento, ad ipsius auctoris mentem primævo suo nitori restituisse.

De ratione scribendi moneo, ubique retinuisse me ex Codice Trevirensi bonæ notæ, ac pervetusto, antiquariam pingendi formam, quia ex Bedæ ipsius mente atque ingenio profectam esse non dubitavi, C nempe in vocibus, Gaius, reverentissimus, inluminare, Brittania, adsertio, adtestatio, adicere, Nordanhymbrorum, adlati, conlisæ, inlisæ, adsistere, inlusus, inruptio, adlaturus, conlocarunt, adceleranti, Scotti, conroderet, conlapsus, inlatus, adsumpto, adsertiones, adplicavit, adsentatio, adpropinquare, intellegunt, intellegentia, adplicuit, adfligunt, adgregatis, inlicita, adsensum, adsedit, adflictiones, adsurgere, inlustravit, exspectatis, suppositis, idolatria, supplantatio, inlecebris, exsolvamus, adquirere, Doruvernensis, neglegentia, utillimus, exsecretur, proicere, contemtus, redemtus, aquilonalis, Hrofensis, Agilberctus, Cuthberctus, et similia multa ; quæ non ideo ex illo sancti Maximini Trevirensis manuscripto Codice expressimus, ut ea in usus communes inveheremus ; sed ne a mente aberraremus doctissimi Bedæ, cujus hanc fuisse scribendi formam non possumus dubitare.

# DE EADEM HISTORIA SMITH MONITUM.

Damus en, lector, tibi Historiam ecclesiasticam jam olim sæpissime variis in locis procusam. Antiquissima atque prima omnium impressio facta est in inclyta civitate Argentinensi anno millesimo quingentesimo. Hoc vero opus tunc non prodiit solum, sed una cum scholastica Historia Petri Trecensis, alias Comestoris, et ecclesiastica Historia Eusebii per Rufinum cum additione Rufini. Editionem istam patri meo suppeditavit vir clarissimus Joannes Batteley archidiaconus Cantuariensis. Erroribus typo- D graphicis scatet, crassis vero eis, adeoque nullius periculi ; de cætero a Codice satis antiquo facta esse videtur. Convenit enim cum optimis Mss. in propriis nominibus, capitulis, multisque variis lectionibus. Secundo prodiit una cum supradictis historiis in imperiali oppido Hagenaw anno millesimo quingentesimo sexto, accurante Henrico Gran inibi incola ; qui tamen priorem Editionem auctoritate alicujus ms. Codicis emendasse aut castigasse non videtur, sed solummodo istam verbatim de novo procudisse.

Digitized by Google

Hujus impressionis mihi copiam fecit ex bibliotheca collegii Christi Cantabrigiæ vir celeberrimus atque antiquitatum omne genus peritissimus Thomas Bakerus, S. T. B., quem ob præcipuam ejus erga me benevolentiam atque honoris causa nomino. Postea hæc ipsa Baedæ historia typis mandata est anno 1550 Antverpiæ, Lovanii 1566, Heidelbergæ et Lugduni 1587, Coloniæ 1601; inter cætera etiam ejusdem auctoris opera Parisiis per Jametium anno 1544, ibidem quoque anno 1554, Basileæ item per Joannem Hervagium 1563, denique Coloniæ per Antonium Hierat 1612. His vero omnibus castigatior Editio opera et studio Abrahami Wheloci Cantabrigiæ anno 1644 Latine et Saxonice prodiit. Latinum autem textum vir doctissimus ad fidem trium Codicum mss. edidit, et commentationibus longioribus tam historicis quam ecclesiasticis illustravit. Opus sane omni laude dignum, sed nec omnibus numeris absolutum, imo nec paucis nec levibus vitiis laborans. Prodiit tandem Latine anno 1681. Parisiis auctor noster emendatior studio Petri Francisci Chiffletii societatis Jesu presbyteri, imo, si ipsi eruditissimo Editori credas, emendatissima, ope manuscriptorum aliquot Codicum, inter quos principem locum obtinet Codex sancti Maximini Trevirensis, optimæ notæ et vetustissimus, ut evidentissime probat Chiffletius ex scribendi ratione perantiqua, quam Codex ille retinuit. Nec tamen hæc impressio penitus illimis, ut abunde constabit alicui ad imam nostræ Editionis paginam oculum vertenti, ubi Chiffletii sphalmata præcipue notantur.

Itaque viris doctrina conspicuis visum est non utilem modo, sed et ferme necessariam esse novam Baedæ Editionem. Id ergo oneris sibi primum imposuit vir cl. Thomas Galæus, S. T. P., non ita pridem decanus Eboracensis, qui quamplurimos alios historicos tum Brittanicos tum Anglicanos publici juris faciendo de patria sua olim fuerat optime meritus. Postquam vero multos mss. Codices contulisset, nonnullasque notas atque commentationes collegisset, aliis, credo, negotiis implicitus, onus detrectavit, idque suscipere meo patri persuasit, quocum vir idem celeberrimus pro singulari sua humanitate varias lectiones et doctissimas observationes communicavit. Tandem igitur pater id laboris subiit, et ut Editionem suam priorum mendis ac vitiis expurgaret, in mss. Codicibus exquirendis et comparandis multum desudavit, et vel sua vel amicorum industria omnes, quos in Britannicis bibliothecis invenire potuit, accurate contulit. Hinc infinita variarum lectionum mole obrutus, necessarium duxit ut rationem aliquam excogitaret, qua tam gravi onere se levare posset. Et quidem observans multos Codices esse inferioris et ætatis et notæ, et quo nuperiores fuerint, eo et lectionum et errorum pleniores, recognoscens quoque hos ex antiquioribus fuisse descriptos, lectiones illico recentiorum Codicum prorsus nihili habuit, et in conferendos aliquot antiquissimos maxime incubuit.

Codex ms. omnium vetustissimus non ita pridem erat penes egregium illum litterarum fautorem Joannem Morum episcopum nuper Eliensem, hodieque in bibliotheca regia Cantabrigiæ asservatur, antiquioribus litteris Anglo-Saxonicis exaratus circa annum 737 post nostri auctoris obitum secundum, ut patet ex quibusdam notulis chronologicis ad calcem libri positis, quæ in hunc annum concurrunt. His autem verbis scribuntur.

« Anno DXLVII Ida regnare cœpit a quo regalis Nordanhymbrorum prosapia originem tenet et XII A annos in regno permansit. Post hunc Glappa I annum, Adda VIII, Aedilric IV, Theodric VII, Fridmuald VI, Hussa VII, Aedilfrid XXIV, Aeduini XVII, Osuald IX, Osuiu XXVIII, Ecgfrid XV, Aldfrid XX, Osred XI, Coinred I, Osric XI, Ceoluulf VIII.

« Baptizavit Paulinus ante an. CXI.

« Eclipsis ante an. LXXIII.

« Penda moritur ante an. LXXIX.

« Pugna Ecgfridi ante an. LXIII.

« Aelfuini ante an. LVIII.

« Monasterium et Uiuraemonda ante an. LXIV.

« Cometæ visæ ante an. VIII.

« Eodem an. Pater Ecgberct transivit ad Christum.

« Angli in Brittania ante an. CCXCII. »

Hisce pene omnibus in annum 737 concurrentibus, cl. Wanleio (a) in Mss. Anglo-Saxonicis versatissimo verisimile videtur hunc ipsum Codicem eodem anno, Ceoluulfo adhuc regnante, seu saltem ante Eadberchti B inaugurationem, duobus quoque annis post Baedæ obitum, in Wiremuthensi monasterio fuisse scriptum. Adde quod manus hujusce Codicis bene convenit cum exemplari Pastoralis Gregorii Magni papæ, quod Willibaldus diaconus scripsit, hoc est, inter an. 731, quo diaconatum suscepit, et an. 740, in quo creatus fuit presbyter. Convenit quoque cum aliis indubitatæ vetustatis et libris et diplomatibus, præcipue cum illa Valdharii Lundoniensis antistitis epistola ad Berctualdum archiepiscopum, quam in appendice, num. 24 excudimus. Probabile est Codicem post paucos ab ejus scriptione annos in Galliam fuisse asportatum; crebræ enim habentur distinctiones, emendationes, etc., ab homine Gallo exaratæ, qui ægre manum Anglo-Saxonicam legebat; et hæ quidem adnotationes in manu Gallica passim occurrentes circa initium libri nongentis fere abhinc annis scriptæ videntur. Denique ad calcem quoque hoc scribitur: « Item ex Decretis papæ Gregorii Junioris C qui nunc Romanam catholicam regit matrem Ecclesiam. » Hic autem Gregorius videtur intelligi tertius, qui Gregorio secundo in pontificatu successit anno 731, et mortuus est anno 741. In Gallia conservatus fuit hic Codex satis diligenter usque ad conclusionem fœderis initi inter Gulielmum Magnæ Britanniæ regem et Ludovicum regem Christianissimum apud Ryswickum; cum vir quidam doctissimus eum cum multis aliis Codicibus rarissimis tam Græcis quam Latinis publica auctione emerit, et eos omnes admodum reverendo domino possessori vendiderit. Hoc autem κειμήλιον antiquitate veneranda, auctoritate maxima, fide optima atque certissima, ex ipso Baedæ autographo, in ipso monasterio ubi Baeda Historiam composuit, ut videtur, descriptum, patri meo episcopus ille philobiblus utendum præbuit. Quod quidem bis summa cura cum Chiffletiana Editione collatum ad verbum a nobis imprimitur. Patri enim religio fuit de Codicis tam admirandæ vetustatis fide, nisi ubi librarium falso scripsisse aperte D deprehenditur, vel aliquantulum decedere. Neque immerito; duobus enim Codicibus, qui Saxonicis litteris exarantur, et in Cottoniana bibliotheca asservantur (*Tiberius*, C. 2, A. 14), et tertio quoque in bibliotheca regia ante Normannicam conquisitionem, ut videtur, scripto, cum eo una comparatis, in propriis nominibus, antiqua voces compositas scribendi methodo, et in omnibus fere adeo conveniunt; et in lectionibus adeo nugatoriis, iisque paucis, differunt, ut nulla ratio omnino esset, cur textus ex Moriano Codice optime constitutus vel tantillum mutaretur.

(a) Vide ejus Catalogum librorum Septentrionalium, p. 288.

Digitized by Google

# Bedæ præfatio.

(Smith Hist. eccles. Anglic.)

## GLORIOSISSIMO REGI [a] CEOLULPHO

### BAEDA FAMULUS CHRISTI ET PRESBYTER.

Historiam gentis Anglorum ecclesiasticam quam nuper edideram, libentissime tibi desideranti, rex, et prius ad legendum ac probandum transmisi, et nunc ad transcribendum ac plenius ex tempore meditandum retransmitto; satisque studium tuæ sinceritatis amplector, quo non solum audiendis Scripturæ [b] sanctæ verbis aurem sedulus accommodas, verum etiam noscendis priorum gestis sive dictis et maxime nostræ gentis virorum illustrium, curam vigilanter impendis. Sive enim historia de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor sollicitus instigatur; seu mala commemoret de pravis, nihilominus religiosus ac pius auditor sive lector devitando quod noxium est ac perversum, ipse sollertius ad exsequenda ea quæ bona ac Deo digna esse cognoverit accenditur. Quod ipsum tu quoque vigilantissime deprehendens, Historiam memoratam in notitiam tibi simulque eis quibus te regendis divina præfecit auctoritas, ob generalis curam salutis latius [c] propalari desideras. Ut autem in his quæ scripsi, vel tibi [*Al. add.* magnanime rex] vel cæteris auditoribus sive lectoribus hujus Historiæ occasionem dubitandi subtraham, quibus hæc maxime auctoribus didicerim breviter intimare curabo.

Auctor ante omnes atque adjutor opusculi hujus [d] Albinus abba reverentissimus [*Al.*, abbas reverendissimus] vir per omnia doctissimus extitit; qui in Ecclesia Cantuariorum a beatæ memoriæ Theodoro archiepiscopo et Hadriano abbate viris venerabilibus atque eruditissimis [e] institutus, diligenter omnia quæ in ipsa Cantuariorum provincia vel etiam in contiguis eidem [*Al.*, ejusdem] regionibus a discipulis beati papæ Gregorii gesta fuere, vel monimentis literarum vel seniorum traditione cognoverat: et [*Al. om.* et] ea mihi de his quæ memoria digna videbantur, per religiosum Lundoniensis Ecclesiæ [f] presbyterum Nothelmum, sive literis mandata sive ipsius Nothelmi viva voce referenda, transmisit. Qui videlicet Nothelmus postea Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorii papæ simul et aliorum pontificum epistolas, perscrutato ejusdem sanctæ Ecclesiæ Romanæ scrinio permissu [g] ejus qui nunc ipsi Ecclesiæ præest Gregorii pontificis, invenit, reversusque nobis nostræ Historiæ inserendas, cum concilio præfati Albini reverentissimi Patris adtulit. A principio itaque voluminis hujus usque ad tempus quo gens Anglorum fidem Christi percepit, ex priorum maxime scriptis hinc inde collectis ea quæ promeremus [*Al.* promemus] didicimus. Exinde autem usque ad tempora præsentia, quæ in Ecclesia Cantuariorum per discipulos beati papæ Gregorii sive successores eorum vel sub quibus regibus gesta sint, memorati abbatis Albini industria Nothelmo, ut diximus, perferente cognovimus. Qui etiam [h] provinciæ Orientalium simul et Occidentalium [i] Saxonum nec non et Orientalium Anglorum atque Nordanhymbrorum, a quibus præsulibus vel quorum tempore regum gratiam Evangelii perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderunt. Denique hortatu præcipue ipsius Albini ut hoc opus adgredi auderem provocatus sum. Sed et Dani-

[a] *Ceoluulfo*. Nordanhymbrorum, scil., regi, de quo vide Hist., v, 24. Alius autem fuit ejusdem nominis rex Occid. Saxonum, a. D. 527; alius Merciorum a. 819.

[b] *Sanctæ*. Codd. vulg., *sacræ*, decepti abbreviatura Mss.

[c] *Propalari*. Codd. vulg., *propagari*, corrigentes scilicet auctorem.

[d] *Albinus*. Scriptores summi nominis, Baronius, Contius, imo et Lelandus ipse, confundunt hunc Albinum cum Flacco Albino, alias Alcuino, cum tamen ille, integro fere sæculo inferior, discipulus Ecgbereti archiepiscopi Ebor., obiit abbas Turon. a. 804; hic autem discipulus Theodori archiepiscopi, et Hadriani abbatis Cantuar. obiit ipse abbas Cantuar a. 732. Ad hunc Albinum Beda de auxilii accepti beneficio epistolam scripsit, quam vide suo lo[illegible].

[e] *Institutus, diligenter*. Chiffl., *institutus diligentor*. Sic posuit comma post *diligenter*, commodius, ut ipsi videbatur, ad sensum, sed contra stylum auctoris.

[f] *Presbyterum*. Auctor Historiæ de Antiq. Britt. Eccl. appellat Nothelmum Lundoniensis Ecclesiæ episcopum, levi quidem lapsu, sed cum inde malevolis quibusdam occasio censuræ data fuerit, et Wheloco etiam erroris monitum hic esto Nothelmum Lundoniensis Ecclesiæ presbyterum tantum fuisse, Cantuariensis autem episcopum, a. 735, ultra Bedanæ Historiæ terminum.

[g] *Ejus qui nunc... Gregorii*. Plerique hic Gregorium Secundum intelligunt, cujus zelus in Germanis ad fidem convertendis, et custodia bibliothecæ pontificiæ ante ipsum pontificatum auctoribus argumento fuerunt, ut epistolas perscrutandi licentia Nothelmo concessa, ab illo pontifice peteretur. Sed temporis ratio nullatenus admittit. Obiit enim Gregorius Secundus 17 Januarii, a. 731, eique in pontificatu successit Gregorius tertius 22 Februarii ejusdem anni. Beda autem decimæ diei Junii sequentis meminit ad consecrationem Tatuvini, Hist. v, 24. Præfationem igitur hanc Ceoluulfo non nisi post librum absolutum transmittens, imo post recognitum retransmittens, clausulam hanc tempore Gregorii tertii scripsit, eumque hic pontificem designat.

[h] *Provinciæ*. De provinciarum Saxonicarum limitibus, vide appendicem, n. 2.

[i] *Saxonum*. Vulgg. *Saxonum* post *Orientalium* ponunt.

Digitized by Google

bel [*Al.*, Daniel quoque] reverentissimus Occidentalium Saxonum episcopus qui nunc usque superest, nonnulla mihi de Historia ecclesiastica provinciæ ipsius simul et proxima illi Australium Saxonum nec non et Vectæ insulæ, literis mandata declaravit. Qualiter vero per ministerium Ceddi et [a] Ceadda religiosorum Christi sacerdotum, vel provincia Merciorum ad fidem Christi quam non noverat, pervenerit, vel provincia Orientalium Saxonum fidem quam olim exsufflaverat, recuperaverit, qualis etiam ipsorum Patrum vita vel obitus extiterit, diligenter a fratribus monasterii quod ab ipsis conditum Læstingaeu cognominatur, agnovimus. Porro in provincia Orientalium Anglorum quæ fuerint gesta ecclesiastica, partim ex scriptis vel traditione priorum, partim reverentissimi abbatis Esi relatione comperimus. At vero in provincia Lindissi quæ sint gesta erga fidem Christi, quæve successio sacerdotalis extiterit, vel literis reverentissimi Antistitis Cyniberecti, vel aliorum fidelium virorum viva voce didicimus. Quæ autem in Nordanhymbrorum provincia ex quo tempore fidem Christi perceperunt usque ad præsens per diversas regiones in Ecclesia sint acta, non uno quolibet auctore, sed fideli innumerorum testium qui hæc scire vel meminisse poterant adsertione cognovi, A exceptis his quæ per meipsum nosse poteram. Inter quæ notandum, quod ea quæ de sanctissimo Patre et antistite Cudbercto vel in hoc volumine vel in libello Gestorum ipsius conscripsi, partim ex eis quæ de illo prius a fratribus Ecclesiæ Lindisfarnensis scripta reperi adsumpsi simpliciter fidem Historiæ quam legebam accommodans, partim vero ea quæ certissima fidelium virorum adtestatione per [b] me ipse cognoscere potui sollerter adjicere curavi. Lectoremque suppliciter obsecro, ut si qua in his quæ scripsimus aliter quam se veritas habet posita repererit, non hoc nobis imputet qui, quod [*Al.*, quæ] vera lex historiæ est, simpliciter ea quæ fama vulgante collegimus ad instructionem posteritatis literis mandare studuimus.

B [c] Præterea omnes ad quos hæc eadem Historia pervenire poterit nostræ nationis legentes sive audientes suppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus et mentis et corporis apud supernam [d] clementiam sæpius intervenire meminerint; et in suis quique provinciis hanc mihi suæ remunerationis vicem rependant, ut qui de singulis provinciis sive locis sublimioribus quæ memoratu digna atque incolis grata credideram diligenter adnotare curavi, apud omnes fructum piæ intercessionis inveniam.

[a] *Ceadda.* Al., *Ceaddæ;* sed de nostra lectione vid. hist. IV, 2, 3.

[b] *Me ipse.* Al., *me ipsum.* Sed de nostra correctione vid. Bedam in peroratione Hist. V, 25.

[c] *Præterea omnes.* Diu mirabar unde tot Codices hanc clausulam ponerent in fine Historiæ contra optima Exemplaria. Sed accedens tandem ad Ms. Cottonianum 1, inveni hiatum hoc loco relictum, et clausulam in obscuro ad finem libri insertam. Habuit C scriba præ oculis Exemplar primævum cui contradicere non ausus est, sed fuerunt forte alia quibus etiam tunc temporis morem gerebat. Suspenso igitur judicio clausulam ad præsens reposuit, ubi neglecta dehinc jacens, omnibus qui hunc Ms. sequioribus sæculis exscripserunt, errandi occasionem dedit.

[d] *Clementiam*, Chiffl. solus, *patriam.*

# BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI

## ANGLO-SAXONIS

# HISTORIA ECCLESIASTICA.

(Smith Historica ecclesiastica Anglicana.)

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT PRIMUM.

*De situ Brittaniæ vel Hiberniæ, et priscis earum incolis.*

[a] Brittania Oceani insula, cui quondam Albion nomen fuit, inter Septentrionem et Occidentem locata est, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, maximis Europæ partibus multo intervallo adversa. Quæ per milia passuum octingenta in Boream longa, latitudinis habet milia ducenta, exceptis duntaxat prolixioribus D diversorum promontoriorum tractibus, quibus efficitur ut circuitus ejus [b] quadragies octies septuaginta quinque milia compleat. Habet a Meridie Galliam Belgicam, cujus proximum litus transmeantibus aperit civitas quæ dicitur [c] Rutubi portus, a gente Anglorum nunc corrupte Reptacaestir vocata, interposito mari a [d] Gessoriaco [e] Morinorum gentis litore proximo, trajectu milium quinquaginta, sive, ut [f] quidam scripsere, [g] stadiorum quadrigentorum quin-

[a] *Brittania.* Hanc descriptionem excerpsit Beda e variis auctoribus; præcipue vero e Plinio, Solino, Orosio, et Gilda.

[b] *Quadragies octies.* Tria milia sexingenta miliaria.

[c] *Rutubi portus.* Anton. Itin. Ritupæ; Inscriptio Amerbach. et Scholiast. Juvenalis Battelii, Riputia; Angli Bedæ tempore, Reptacaestir; Nennius Ms. Dunelm. et aliis, Ruoichyn, hodie Richborough.

[d] *Gessoriaco.* Quod nunc Bononia. Tabb. Peut.

[e] *Morinorum.* Gens Galliæ a Neoporto ad Estapulas porrecta, adjuncto forte Pago Pontivo.

[f] *Quidam scripsere.* Dio Cassius scilicet, et Antoninus.

[g] *Stad.* CCCCL. Mille passus quinquaginta sex.

Digitized by Google

quaginta. A tergo autem, unde Oceano infinito patet, Orcadas insulas habet.

Opima [*Al.*, optima] frugibus atque arboribus insula, et alendis apta pecoribus ac jumentis; vineas etiam quibusdam in locis germinans: sed et avium ferax terra marique generis diversi. Fluviis quoque multum piscosis, ac fontibus præclara copiosis, et quidem præcipue issicio abundat et anguilla. Capiuntur autem sæpissime et vituli marini et delphines, necnon et ballenæ: exceptis variorum generibus conchyliorum; in quibus sunt et musculæ, quibus inclusam sæpe margaritam, omnis quidem coloris optimam inveniunt, id est, et rubicundi, et purpurei, et jacintini et prasini, sed maxime candidi. Sunt et cochleæ satis superque abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur, cujus rubor pulcherrimus nullo unquam solis ardore, nulla valet pluviarum injuria pallescere; sed quo vetustior est, eo solet esse venustior. Habet fontes salinarum, habet et fontes calidos, et ex eis fluvios balnearum calidarum omni ætati et sexui per distincta loca juxta suum cuique modum accommodos. Aqua enim (ut [a] sanctus Basilius dicit) fervidam qualitatem recipit, cum per certa quædam metalla transcurrit, et fit non solum calida, sed et ardens. Quæ etiam venis metallorum, æris, ferri, et plumbi et argenti fœcunda, gignit et lapidem gagatem plurimum optimumque: est autem nigrogemmeus et ardens igni admotus, incensus serpentes fugat, adtritu calefactus adplicita detinet æque ut succinum. Erat et civitatibus quondam [b] viginti et octo nobilissimis insignita, præter castella innumera, quæ et ipsa muris, turribus, portis, ac seris erant instructa firmissimis.

Et quia prope sub ipso Septentrionali vertice mundi jacet, lucidas æstate noctes habet; ita ut medio sæpe tempore noctis in quæstionem veniat intuentibus, utrum crepusculum adhuc permaneat vespertinum, an jam advenerit matutinum, utpote nocturno sole non longe sub terris ad Orientem Boreales per plagas redeunte: unde etiam plurimæ longitudinis habet dies æstate, sicut et noctes contra in bruma, sole nimirum tunc Lybicas in partes secedente, id est, horarum decem et octo: plurimæ item brevitatis noctes æstate et dies habet in bruma, hoc est, sex solummodo æquinoctialium horarum: cum in Armenia, Macedonia, Italia, cæterisque ejusdem lineæ regionibus longissima dies sive nox quindecim, brevissima novem compleat horas.

Hæc in præsenti, juxta numerum librorum quibus A lex divina scripta est, quinque gentium linguis, unam eamdemque summæ veritatis et veræ sublimitatis scientiam scrutatur et confitetur, Anglorum, videlicet, Brittonum, Scottorum, Pictorum et Latinorum, quæ meditatione Scripturarum cæteris omnibus est facta communis. In primis autem hæc insula Brittones solum a quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de [c] tractu Armoricano, ut fertur, Brittaniam advecti, Australes sibi partes illius vindicarunt.

Et cum plurimam insulæ partem, incipientes ab Austro, possedissent, contigit gentem Pictorum de [d] Scythia, ut perhibent, longis navibus non multis Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum, extra fines omnes Brittaniæ Hiberniam pervenisse, B ejusque Septentrionales oras intrasse, atque inventa ibi gente Scottorum, sibi quoque in partibus illius sedes petisse, nec inpetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omnium post Brittaniam maxima, ad Occidentem quidem Brittaniæ sita; sed sicut contra Aquilonem ea brevior, ita in Meridiem se trans illius fines plurimum protendens, usque contra Hispaniæ Septentrionalia, quamvis magno æquore interjacente pervenit. Ad hanc ergo usque pervenientes navigio Picti, ut diximus, petierunt in ea sibi quoque sedes et habitationem donari. Respondebant Scotti, quia non ambos eos caperet insula, sed possumus, inquiunt, salubre vobis dare consilium quid agere valeatis. Novimus insulam aliam esse non procul a C nostra, contra ortum solis, quam sæpe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valetis: vel si qui restiterit, nobis auxiliariis utimini. Itaque petentes Brittaniam Picti, habitare per Septentrionales insulæ partes cœperunt, nam Austrina [*Al.*, Austrinas] Brittones occupaverant. Cumque uxores Picti non habentes peterent a Scottis, ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res perveniret in dubium, magis de feminea regum prosapia, quam de masculina regem sibi eligerent: quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum.

[e] Procedente autem tempore Brittania post [*Al.*, præter] Brittones et Pictos, tertiam Scottorum nationem in Pictorum parte recepit; qui duce Reuda de Hibernia progressi, vel amicitia vel ferro sibimet D inter eos sedes quas hactenus habent, vindicarunt: a quo videlicet duce usque hodie [f] Dalreudini vocantur, nam lingua eorum daal partem significat. Hibernia autem et latitudine sui status, et salubri-

[a] *S. Basilius*. Hexamer. Hom. IV. Ἤδη δὲ καὶ θερμοτέρας ἐκ μετάλλων ποιότητος κατὰ τὴν διέξοδον προσλαβοῦσα, ἐκ τῆς αὐτῆς τοῦ κινοῦντος αἰτίας ζέουσα γίνεται, ὡς τὰ πολλά, καὶ πυρώδης.

[b] *Viginti et octo civitatibus*. De his vide append. n. 3.

[c] *Tractu Armoricano*. Brittania minore, quæ Armore, id est, Ad mare Brittaniæ insulæ ex adverso jacet.

[d] *Scythia*. Pro concesso habetur Bedam hic Scythiam velle Citeriorem quæ hodie Scandia dicitur, Sueviam, Daniam et Norwegiam complectens. Quo sensu et mare, patriæ Hengisti et Brittaniæ interjacens Scythica vallis appellatur Nennio.

[e] *Procedente tempore*. Quando Scotti primum in Brittaniam venerint incertum est; Beda tamen eorum introitum ante Romanorum tempora ponere videtur.

[f] *Dalreudini*. Nomen ex ipsa Hibernia allatum, ubi Dalrieda, hodie Rout, Scotiæ modernæ proxime adjacet. Portio regis Edæ, quem Beda contracte Reudam appellat, sequiores historici Reutherum. Hujus populi sedes in Scotia his regionibus extendebatur, Cantiera, Knapdalia, Lorna, Argathelia, et Braidalbin, una cum insulis adjacentibus.

Digitized by Google

tate, ac serenitate aerum multum Brittaniæ præstat, ita ut raro ibi nix plusquam triduana remaneat: nemo propter hiemem aut fœna secet æstate, aut stabula fabricet jumentis : nullum ibi reptile videri soleat, nullus vivere serpens valeat : nam sæpe illo de Brittania adlati serpentes, mox ut proximante terris navigio, odore aeris illius adtacti fuerint, intereunt : quin potius omnia pene quæ de eadem insula sunt contra venenum valent. Denique vidimus, quibusdam a serpente percussis, rasa folia codicum qui de Hibernia fuerant, et ipsam rasuram aquæ immissam ac potui datam, talibus protinus totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumsisse ac sedasse tumorem. Dives lactis ac mellis insula, nec vinearum expers, piscium volucrumque, sed et cervorum caprearumque venatu insignis. Hæc autem proprie patria Scottorum est : ab hac egressi, ut diximus, tertiam in Brittania Brittonibus et Pictis gentem addiderunt. Est autem sinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Brittonum a Pictis secernebat, qui ab Occidente in terras longo spatio erumpit, ubi est civitas Brittonum munitissima usque hodie quæ vocatur [a] Alcluith : ad cujus videlicet sinus partem Septemtrionalem Scotti, quos diximus, advenientes, sibi locum patriæ fecerunt.

## CAPUT II.

*Ut Brittaniam primus Romanorum Gaius Julius adierit.*

Verum eadem Brittania Romanis usque ad Gaium Julium Cæsarem inaccessa atque incognita fuit : qui anno ab Urbe condita sexcentesimo nonagesimo [b] tertio, ante vero Incarnationis Dominicæ tempus anno [c] sexagesimo, functus gradu consulatus cum [d] Lucio Bibulo, dum contra Germanorum Gallorumque gentes qui Rheno tantum flumine dirimebantur, bellum gereret, venit ad Morinos, unde in Brittaniam proximus et brevissimus transitus est, et navibus onerariis atque actuariis circiter octoginta præparatis, in Brittaniam transvehitur, ubi acerba primum pu-

A gna fatigatus, deinde adversa tempestate correptus, plurimam classis partem, et non parvum numerum militum, equitum vero pene omnem disperdidit. Regressus in Galliam, [e] legiones in Hiberna [*Al.*, Hiberna] dimisit, ac sexcentas naves utriusque commodi fieri imperavit : quibus iterum in Brittaniam primo vere transvectus, dum ipse in hostem cum [*Al. add.* ingenti] exercitu pergit, naves in anchoris stantes, tempestate correptæ, vel conlisæ inter se, vel arenis inlisæ ac dissolutæ sunt : ex quibus quadraginta perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Cæsaris equitatus primo congressu a Brittanis victus, ibique [f] Labienus tribunus occisus est : secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Brittanos in fugam vertit : inde ad flumen Tamesin

B [*Al.*, Tamensim] [g] profectus. In hujus ulteriore ripa Cassobellauno duce, immensa hostium multitudo consederat, ripamque fluminis ac pene totum sub aqua vadum acutissimis [h] sudibus præstruxerat: quarum vestigia sudium ibidem usque hodie visuntur, et videtur inspectantibus quod singulæ earum ad modum humani femoris grossæ, et circumfusæ plumbo immobiliter erant in profundum fluminis infixæ [*Al. add.* hæreant] : quod ubi a Romanis deprehensum ac vitatum est, barbari legionum impetum non ferentes, silvis sese obdidere [*Al.*, abdidere], unde crebris irruptionibus Romanos graviter ac sæpe lacerabant. Interea Trinovantum firmissima civitas cum [i] Androgio duce datis quadraginta obsidibus Cæsari sese dedit [*Al.*, dedidit] : quod exem-

C plum secutæ urbes aliæ complures in fœdus Romanorum venerunt. Iisdem demonstrantibus, Cæsar [j] oppidum Cassobellauni inter duas paludes situm, obtentu insuper silvarum munitum, omnibusque rebus confertissimum, tandem gravi pugna [*Al.*, bello] cepit. Exin Cæsar a [k] Brittania reversus in Galliam, postquam legiones in Hiberna misit, repentinis bellorum tumultibus undique circumventus et conflictatus est.

[a] *Alcluith.* Brittanodunum, hodie corrupte Dunbarton, arx ad Cluidam fluvium, paulo post Bedæ tempora, i. e. a. 756. Eadbercto Regi Nordanhymb. et Oengo regi Pictorum dedita, Hovenden. A. 869, per Dacos funditus deleta. Brompton.

Cap. II. Totum hoc caput ex Orosio, vi, 9.

[b] *Tertio*. De hoc anno notandum quod non respiciat in reditum J. Cæsaris in Brittaniam, sed consulatum ejus cum Bibulo.

[c] *Sexagesimo*. Hoc unum Beda Orosio addidit, annum nempe Incarnationis ad annum Urbis conditæ.

[d] *Lucio*. Bibulus patrem habuit et filium Lucios, ipse vero Marcus fuit.

[e] *Legiones*. Al., *legiones tres, vel* xii; al., *sex, vel* xii.

[f] *Labienus*. Q. Laberius Durus, Cæs., B. G., l. v. Labienus enim a Cæsare in Galliis relictus, multis ibi rebus gestis, postea ad Pompeium defecit, et non nisi in prælio Mundensi periit. Laberii autem fatum Cantiani sibi vendicant, et tumuli etiam locum ostendunt ad fl. Stour juxta Chilham. Lelandus, ex Vet. Chron., tradit Labienum, id est, Laberium, occisum juxta Chestonwood prope Rhoffam.

[g] *Profectus*. Al.: *profectus est, quem uno tantum loco vadis transmeabilem ferunt.*

[h] *Sudibus*. A quibus vadum Cowy stakes juxta Latum Cambdeno appellatur. Quod vero Orosius tradit fluvium, uno tantum loco transmeabilem, in eo erratum esse constat, cum auctores indigenæ tot

D vada Cæsari conjecturis suis subpeditaverint, Brentfordiam, Kingstonam, Chertseiam, Welingfordiam. Quare nec reperitur hæc clausula in Mss. Bedæ. Sed vide Alfredi regis Paraphr. Sax. ad hunc locum Orosii.

[i] *Androgio*. Mandubratio Cæs., B. G., lib. v. Mandu in multis vocibus reperitur, veromandui, Cartismandua, Manduessedum, Maudubii; et forte Androgio corruptum a Maudubrogio quod utrique nomini proxime accedit.

[j] *Oppidum Cassobellauni.* Verolamium fuisse putatur, hodie S. Albans. In ea regione Cassii, quorum Cæsar meminit, et a quibus forte Cassobellaunus nomen accepit, sedes suas habuerunt. Quas fabulas huic Cassobellauno et Androgio assuerint nostrates historici, vide si lubet Galf. Mon. et Math. Westm.

[k] *Brittania*. Al., Brittanis pro Brittanniis, ex abbreviatione primorum codicum.

Digitized by Google

## CAPUT III.

*Ut eamdem secundus Romanorum Claudius adiens, Orcadas etiam insulas Romano adjecerit imperio. Sed et Vespasianus ab eo missus, Vectam quoque insulam Romanis subdiderit.*

Anno autem ab Urbe condita septingentesimo nonagesimo [a] octavo Claudius imperator, ab Augusto quartus, cupiens utilem [*Al. add.* se] reipublicæ ostentare principem, bellum ubique et victoriam undecunque quæsivit. Itaque expeditionem in Brittaniam movit, quæ excitata in tumultum propter non redhibitos [*Al.*, redditos] [b] transfugas videbatur. Transvectus in insulam est, quam neque ante Julium Cæsarem, [c] neque post eum quisquam adire ausus fuerat, ibique sine ullo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam insulæ partem in deditionem recepit. [d] Orcadas etiam insulas ultra Brittaniam in Oceano positas Romano adjecit imperio, ac sexto quam profectus erat mense Romam rediit, filioque suo Brittanici nomen imposuit. Hoc autem bellum quarto imperii sui anno complevit, qui est annus ab Incarnatione Domini quadragesimus sextus, [e] quo etiam anno fames gravissima per Syriam facta est, quæ in Actibus apostolorum per prophetam Agabum prædicta esse memoratur. Ab eodem Claudio Vespasianus, qui post Neronem imperavit, in Brittaniam missus, etiam Vectam insulam Brittaniæ proximam a Meridie, Romanorum ditioni subjugavit; quæ ha- A bet ab Oriente in Occasum [f] triginta circiter milia passuum, ab Austro in Boream duodecim, in Orientalibus suis partibus mari sex milium, in Occidentalibus trium a meridiano Brittaniæ litore distans. Succedens autem Claudio in imperium Nero, nihil omnino in re militari ausus est. Unde inter alia Romani regni detrimenta innumera Brittaniam pene amisit; nam [g] duo sub eo nobilissima oppida illic capta atque subversa sunt.

## CAPUT IV.

*Ut Lucius Brittanorum rex missis ad Eleutherum papam litteris Christianum se fieri petierit.*

Anno ab Incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto Marcus Antoninus Verus, decimus quartus ab Augusto, regnum cum Aurelio Commodo B fratre suscepit: [h] quorum temporibus cum Eleutherus [*Al.*, Eleutherius] vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Brittaniarum [*Al.*, Britannorum] rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur: et mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Brittani usque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quieta in pace servabant.

## CAPUT V.

*Ut Severus receptam Brittaniæ partem vallo a cætera distinxerit.*

Anno ab Incarnatione Domini centesimo [i] octoge-

CAP. III. Hoc etiam caput Orosio debetur.

[a] *Octavo* Par., *nono*; Antw. et Col. Edd., *septimo*. Chiffletius causam agens Ms. sui Treve- C rensis, pro nono anno strenue certat, aliosque carpit quod octavum vel septimum exhibeant, cum tamen certum sit alterutrum chronologiæ propius accedere, quam nonum. Claudii expeditionem Beda ad quartum imperii ejus annum ponit, et ad annum Christi 46; jam vero hos annos ad annum U. C. aptantes, necesse est ut in annum 797, vel 798, incidamus. Occisus enim est Caius 24 die Jan. a. U. C. 794, qui a. D. 42 respondet. Quartus igitur Claudii successoris annus aliquam partem anni U. C. 797 habet, maximam vero 798, qui anno D. 46 convenit, et quem omnes veteres Bedæ Manuscripti clare exhibent.

[b] *Transfugas.* Suetonius nominat Adminium, Caligula, 44, Dio Bericum, lib. LX; ubi totam Claudianæ expeditionis historiam fuse prosequitur.

[c] *Neque post eum quisquam.* Augustus a. U. C. 727 contra Britannos in Galliam venit, sed ab oratoribus eorum pacatus, rediit. Proximo anno arma in eosdem meditantem motus Cantabrici impedierunt. Tiberius D Roma pedem fere nunquam extulit. Caius Oceanum tantum invisit, et spolia ridicula reducens triumphum frustra quæsivit.

[d] *Orcadas.* Hoc nullo modo concedit Tacitus laurum hanc Agricolæ suo propriam volens; sub cujus auspiciis imperante demum Domitiano, Romanam classem incognitas ad id tempus Orcadas insulas invenisse ait, et domuisse. Sed cum bellum Britannicum temporibus Claudii, duce A. Plautio et victore per VII annos continuos gestum fuerit, non impossibile est quod hic de Orcadibus a Claudio receptis ex Eusebio et Eutropio asseritur.

[e] *Quo anno fames.* Annalium conditores famem hanc Claudii anno 2 affigunt. Orosius tamen et Beda Eusebium sequuntur.

[f] *Triginta m. p.* Cambdenus viginti tantum numerat.

[g] *Duo oppida.* Camalodunum et Verolamium, armis reginæ Boadiciæ. Suetonius tamen Paulinus provinciam restituit. TACIT.

[h] *Quorum temporibus.* Usque ad hæc verba Beda sumit exordium hujus capitis ex Orosio; non tamen Orosio imputatam velim difficultatem quæ videtur esse in annis Marci et Commodi impp. et Eleutheri pontificis. Annus enim Urbis C. 911, quem Orosius assignat juncto fratrum imperio, respondet anno Christi 161, in quo nihil est difficultatis in epistola Lucii regis ad Eleutherum, imo ipse est annus in quo Eusebius et Beda in Chronicis de fratrum initio consentiunt, sicut notavi ad locum. Sed Beda hic in Historia, explicans Orosii æram Urbis per æram Incarnationis, ad a. 911 affigit a 156, et tamen epistolam Lucii in eadem tempora admitti postulat. Quibus rationibus id fecerit incertum est, nec est quod in eis explicandis nimium hæreamus. Sufficiat observare quod sicut Beda hic communem, imo et suam ipsius chronologiam in annis Marci et Commodi anticipat, ita et eamdem in annis Eleutheri anticipare intelligendus est; sicut Marci et Commodi initium ponit in a. 156, et eorum finem in a. 167, sic etiam D Eleutheri pontificatum in annis parallelis statutum voluit, ita ut ultimus fratrum annus cum primo pontificis semper conveniat. Hoc quidem Bedam voluisse patet ex recapitulatione in hujus Historiæ fine, ubi Eleutherum præsulem factum dicit a. 167. Quamcunque igitur rationem admittamus, eadem erit Bedæ in utroque libro intentio, nempe finem impp. cum initio pontificis componere. Cui nihil necesse est Commodum filium hic introducere, sicut multi fecerunt, satis enim est temporis in fratrum imperio quo possit, ut quidem debuit peragi hoc regis cum Eleuthero commercium.

Quod ad Lucii regnum, gesta, obitum, quorum Beda non meminit, ea iis relinquo qui tradita de Lucio collegerunt.

[i] *Octogesimo nono.* Euseb., *monogesimo tertio*; sed pergit Beda in eodem computo quem capite præcedente secutus est. Unde colligo variationem non fuisse scribarum, sed auctoris.

Digitized by Google

simo nono, Severus genere Afer Tripolitanus, ab oppido Lepti, decimus septimus ab Augusto imperium adeptus, [a] decem et septem [*Al.*, octo] annis tenuit. Hic natura sævus, multis semper bellis lacessitus, fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime rexit. Victor ergo civilium bellorum quæ ei gravissima occurrerant, in Brittanias defectu pene omnium sociorum trahitur, ubi magnis gravibusque præliis sæpe gestis, receptam partem insulæ a cæteris indomitis gentibus, non muro, ut quidam æstimant, sed vallo distinguendam putavit. [b] Murus etenim de lapidibus, vallum vero quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur fit de cespitibus, quibus circumcisis, e terra velut murus extruitur altus supra terram, ita ut in ante sit fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam firmissimumque vallum crebris insuper turribus communitum, a mari ad mare duxit : Ibique apud Eboracum oppidum morbo obiit. Reliquit [*Al.*, relinquens] duos filios, Bassianum et Getam : quorum Geta hostis publicus judicatus interiit; Bassianus [*All. add.* vero] Antonini cognomine adsumpto, regno potitus est.

## CAPUT VI.

*De imperio Diocletiani, et ut Christianos persecutus sit.*

Anno Incarnationis Dominicæ ducentesimo octogesimo sexto, Diocletianus tricesimus tertius ab Augusto imperator ab exercitu electus, annis viginti fuit, Maximianumque cognomento Herculium socium creavit imperii. Quorum tempore Carausius quidam, genere quidem infimus, sed consilio et manu promptus, cum ab observanda Oceani litora quæ tunc Franci et Saxones infestabant, positus, plus in perniciem quam in provectum reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis, sed sibi soli vindicando; accendens [*Al.*, accedens] suspicionem, quia ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici [*Al.*, artificii] negligentia permitteret. Quamobrem a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit ac Brittanias occupavit; quibus sibi per septem annos fortissime vindicatis ac retentis, tandem fraude Alecti socii sui interfectus est. Alectus [*Al. add.* vero] postea ereptam Carausio insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio [*Al.*, prætorii] oppressit, Brittaniamque post decem annos recepit.

Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente, vastari Ecclesias, affligi interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperunt [CCCIV] : quæ persecutio omnibus fere ante actis diuturnior atque immanior fuit; nam [c] per decem annos, incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Brittaniam tum plurima [*Al.*, complurima] confessionis Deo devotæ gloria sublimavit.

## CAPUT VII.

*Passio sancti Albani et sociorum ejus, qui eodem* [Al., *eo*] *tempore pro Domino sanguinem fuderunt.*

Siquidem [d] in ea passus est sanctus Albanus [CCCV], de quo presbyter Fortunatus in Laude virginum, cum beatorum martyrum qui de toto orbe ad Dominum venirent [*Al.*, venerunt] mentionem faceret, ait :

[e] Albanum egregium fecunda Britania profert.

[f] Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cum perfidorum principum mandata adversum Christianos sævirent, clericum quemdam persecutores fugientem hospitio recepit : quem dum orationibus continuis ac vigiliis die [*Al.*, diu] noctuque studere conspiceret, subito divina gratia respectus exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus ejus exhortationibus paulatim edoctus, relictis idolatriæ tenebris Christianus integro ex corde factus est. Cumque præfatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, pervenit ad aures nefandi principis confessorem Christi cui necdum fuerat locus martyrii deputatus, penes Albanum latere. Unde statim jussit milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tugurium martyris pervenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo, ipsius habitu, id est, [g] caracalla qua vestiebatur indutus, militibus exhibuit, atque ad judicem vinctus perductus est.

Contigit autem judicem ea hora qua ad eum Albanus adducebatur, aris adsistere ac dæmonibus hostias

---

[a] *Decem et septem annis.* Euseb. et plurimi chronologorum, *octo;* sed fatendum est quod Bedæ Mss., tum in Chronico tum in Historia habent *septem.* Eorum auctoritatem ibi agnovi, hic sequor. Imperavit autem Severus, secundum exactam calculationem, a. XVII, m. VII, d. III.

[b] *Murus de lapidibus, vallum de cespitibus.* Excepta hac distinctione nihil additum est Orosio in hoc capite. An recte tamen murum a vallo distinguat Beda valde apud criticos dubitatum est. In auctoribus qui hoc ipsum opus Severi memoriæ tradiderunt, voces illæ promiscuæ usurpantur, sed de re nihil certi est quod Bedæ suppositionem evertat. De quo plenius in cap. 12 hujus libri ipse se explicat.

CAP. VI. Hoc etiam caput totum Orosii est.

[c] *Per decem annos.* Nempe a decimo nono anno Diocletiani qui Eusebio est annus Christi 304, ad annum Constantini M. sextum qui est illi 313, quo anno expleto cessavit persecutio. Et intra hos annos includitur hujus et sequentis capitis historia. Vide append., n. 4. Respice etiam Bedæ Chronicon ad Diocletianum.

[d] *In ea.* In primo, ut videtur, vel secundo anno persecutionis prædictæ, antequam Diocletianus et Maximianus purpuram deposuerunt.

[e] *Albanum egregium.* Fortunatus, VIII, 4.

[f] *Qui videlicet Albanus.* Martyrium hujus sancti Gildas paucis absolvit, Beda ejus historiam fuse prosequitur ex Actis martyrum, quorum primus auctor ignoratur. Capgravius, seu potius Joannes Tinmuth, plura tradidit, sed Ecclesia sequens Anglicana Bedæ narrationem solam adoptavit, eam novem lectionibus distributam in publica officia transferens. Vide etiam Biblioth. Cott., Julius D., VII, 29; Tiberius D., III; Faustina B., IV, 1.

[g] *Caracalla.* Vestis sacerdotalis. Vide Paraphrasin Saxonicam ad locum. De hac veste in monasterio Eliensi post multa sæcula reperta vide Thomam Walsingham, p. 103, a. D. 1315.

Digitized by Google

offerre. Cumque vidisset Albanum, mox ira succensus nimia quod se ille ultro pro hospite quem susceperat militibus offerre ac discrimini dare præsumpsisset, ad simulacra dæmonum quibus adsistebat eum jussit pertrahi : Quia rebellem, inquiens, ac sacrilegum celare quam militibus reddere maluisti, ut contemptor divum meritam blasphemiæ suæ pœnam lueret, quæcumque illi debebantur supplicia tu solvere habes, si a cultu nostræ religionis discedere tentas. At sanctus Albanus qui se ultro persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas principis metuit; sed accinctus armis militiæ spiritalis, palam jussis illius parere nolle pronunciabat. Tum judex : Cujus, inquit, familiæ vel generis es? Albanus respondit : Quid ad te pertinet [*Al.*, refert] qua sim stirpe genitus? sed si veritatem religionis audire desideras, Christianum jam me esse, Christianisque officiis vacare cognosce. Ait judex : Nomen tuum quæro, quod sine mora mihi insinua. Et ille : Albanus, inquit, a parentibus vocor, et Deum verum ac vivum qui universa creavit adoro semper et colo. Tum judex repletus iracundia dixit : Si vis perennis vitæ felicitate perfrui, diis magnis sacrificare ne differas. Albanus respondit : Sacrificia hæc quæ a vobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari subjectis possunt, nec supplicantium sibi desideria vel vota complere. Quinimmo quicumque his sacrificia simulacris obtulerit, æternas inferni pœnas pro mercede recipiet. His auditis judex nimio furore commotus, cædi sanctum Dei confessorem a tortoribus præcepit, autumans se verberibus, quam verbis non poterat, cordis ejus emollire [*Al.*, emoliri] constantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, immo gaudenter ferebat. At ubi judex tormentis illum superari vel a cultu Christianæ religionis revocari non posse persensit, capite eum plecti jussit.

Cumque ad mortem duceretur, pervenit ad flumen quod muro et harena ubi feriendus erat, meatu rapidissimo dividebatur : viditque ibi non parvam hominum multitudinem utriusque sexus, conditionis diversæ, et ætatis, quæ sine dubio, divinitatis instinctu ad obsequium beatissimi confessoris ac martyris vocabatur, et ita fluminis ipsius occupabat pontem ut intra vesperam transire vix posset. Denique cunctis pene egressis, judex sine obsequio in civitate substiterat. Igitur sanctus Albanus cui ardens inerat devotio mentis ad martyrium ocius pervenire, accessit ad torrentem, et dirigens ad cœlum oculos, illico siccato alveo, vidit undam suis cessisse ac viam dedisse vestigiis. Quod cum inter alios etiam ipse carnifex

A qui eum percussurus erat, vidisset, festinavit ei ubi ad [a] locum destinatum morti venerat occurrere : divino nimirum admonitus instinctu, projectoque ense quem strictum tenuerat, pedibus ejus advolvitur, multum desiderans ut cum martyre vel pro martyre quem percutere jubebatur, ipse potius mereretur percuti. Dum ergo is ex persecutore factus esset collega veritatis et fidei, ac jacente ferro esset inter carnifices justa cunctatio, montem cum turbis reverentissimus Dei confessor ascendit : qui opportune lætus, gratia [b] decentissima, quingentis fere passibus ab harena situs est, variis herbarum floribus depictus, immo usquequaque vestitus, in quo nihil repente arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longe lateque deductum in modum æquoris natura

B complanat, dignum videlicet eum, pro insita sibi specie venustatis, jam olim reddens qui beati martyris cruore dicaretur. In hujus ergo vertice sanctus Albanus dari sibi a Deo aquam rogavit, statimque incluso meatu ante pedes ejus fons perennis exortus est, ut omnes agnoscerent etiam torrentem martyri obsequium detulisse : neque enim fieri poterat ut in arduo montis cacumine martyr aquam quam in fluvio non reliquerat, peteret, si hoc opportunum esse non videret. Qui videlicet fluvius ministerio persoluto, devotione completa officii testimonium relinquens, reversus est ad naturam. Decollatus itaque martyr fortissimus ibidem accepit coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se. Sed ille qui piis cervicibus impias intulit manus gaudere su-

C per mortuum non est permissus : namque oculi ejus in terram una cum beati martyris capite deciderunt. Decollatus est ibi tum etiam miles ille, qui antea superno nutu correptus sanctum Dei confessorem ferire recusavit : de quo nimirum constat, quia etsi fonte baptismatis non est ablutus, sui tamen est sanguinis lavacro mundatus ac regni cœlestis dignus factus est ingressu. Tum judex tanta miraculorum cœlestium novitate perculsus, cessari mox a persecutione præcepit, honorem referre incipiens cædi sanctorum, per quam eos opinabatur prius a Christianæ fidei posse devotione cessare. Passus est autem beatus Albanus die decimo Kalendarum Juliarum, juxta civitatem Verolamium, quæ nunc a gente

D Anglorum [c] Verlamacaestir sive Vaetlingacaestir appellatur, [d] ubi postea redeunte temporum Christianorum serenitate ecclesia est mirandi operis, atque ejus martyrio condigna exstructa. In quo videlicet loco usque ad hanc diem curatio infirmorum et frequentium operatio virtutum celebrari non desinit.

Passi sunt [e] ea tempestate [f] Aaron et Julius

[a] *Locum destinatum*. Olim Holmhurst ut vulgo legitur, sed ut in optimo Exemplari Johannis Tinmuth, in Bibliotheca Lambethana, *Holynhirst*.

[b] *Decentissima*. Chiffl. solus, *decentissimus*.

[c] *Verlamacaestir sive Vaetlingacaestir*. Priore nomine ab alveo Verlame qui veteri urbi ad Orientem, posteriore a via Romana Vaetlingstreet quæ ad Occidentem fuit.

[d] *Ubi postea ecclesia*. Ecclesiam hanc Brittanicam bellis Saxonicis dirutam rex Offa restituit circa a. 793. Et hanc iterum a Danis vastatam renovarunt fideles sub Gaufrido abbate a. 1229.

[e] *Ea tempestate*. Hæc usque ad finem capitis e Gilda sunt, sect. 8.

[f] *Aaron et Julius*. Horum uterque in urbe Legionum ecclesiam insignem habuit suo nomine decoratam. Tres enim egregiæ antiquis temporibus fuerunt ecclesiæ, una Julii martyris, virgineo Deo dicatarum

Digitized by Google

[a] legionum urbis cives, aliique utriusque sexus diversis in locis[b] perplures, qui diversis cruciatibus torti et inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ civitatis gaudia perfecto agone miserunt.

## CAPUT VIII.

*Ut, hac cessante persecutione, Ecclesia in Brittaniis aliquantulam* [Al., *aliquantulum*] *usque ad tempora Arrianæ vesaniæ pacem habuerit.*

At ubi turbo persecutionis quievit [CCCXIII], progressi in publicum fideles Christi qui se tempore discriminis silvis ac desertis abditisve speluncis occulerant [*Al.*, occultaverant], renovant ecclesias ad solum usque destructas, basilicas sanctorum martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atque ore conficiunt : mansitque hæc in Ecclesiis Christi quæ erant in Brittania pax usque ad tempora Arrianæ vesaniæ, quæ corrupto orbe toto, [c] hanc etiam insulam extra orbem tam longe remotam veneno sui infecit erroris : et hac quasi via pestilentiæ trans Oceanum patefacta, non mora omnis se lues hæreseos cujusque, insulæ novi semper aliquid audire gaudenti et nihil certi firmiter obtinenti infudit.

His temporibus Constantinus qui vivente Diocletiano Galliam Hispaniamque regebat [CCCCVII], vir summæ mansuetudinis et civilitatis in Brittania morte [*Al.*, mortem] obiit. Hic Constantinum filium ex concubina Helena [d] creatum imperatorem Galliarum reliquit. Scribit autem Eutropius, quod Constantinus [e] in Brittania creatus imperator, patri in regnum successerit : cujus temporibus Arriana hæresis exorta et in Nicæna synodo detecta atque damnata, nihilominus exitiabile perfidiæ suæ virus, ut diximus, non solum orbis totius, sed et insularum Ecclesiis aspersit.

A

## CAPUT IX.

*Ut, regnante Gratiano, Maximus in Brittania imperator creatus, cum magno exercitu* [Al. add. *in*] *Galliam redierit.*

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo septuagesimo septimo Gratianus quadragesimus ab Augusto, post mortem Valentis sex annis imperium tenuit; quamvis jamdudum antea cum Patruo Valente, et cum Valentiniano fratre regnaret : qui cum adflictum et pene conlapsum reipublicæ statum videret, Theodosium [f] Hispanum virum, restituendæ reipublicæ necessitate apud Syrmium purpura induit, Orientisque et Thraciæ simul præfecit imperio. Qua tempestate Maximus, [g] vir quidem strenuus et probus, atque Augusto dignus nisi contra sacramenti
B fidem per tyrannidem emersisset, in Brittania [h] invitus propemodum ab exercitu imperator creatus in Galliam transiit. [i] Ibi [*Al.*, ubi] Gratianum Augustum subita incursione perterritum atque in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit, fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens, a Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam imperio restitutus est : clauso videlicet [j] intra muros Aquileiæ, [*Al. add.* et] capto atque occiso ab eis Maximo tyranno.

## CAPUT X.

*Ut, Arcadio regnante, Pelagius Britto* [Al., *Brito*, *Breito*, *Bruto*] *contra gratiam Dei superba bella susceperit.*

C Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo nonagesimo quarto [*Al.*, septimo] Arcadius filius Theodosii cum fratre Honorio, quadragesimus tertius ab Augusto regnum suscipiens, tenuit annos tredecim. [k] Cujus temporibus Pelagius [l] Britto contra auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ longe lateque dispersit, utens cooperatore [m] Juliano de Campania,

choro venustata, altera vero beati Aaron socii ejusdem nomine fundata, et canonicorum ordine præclaro nobilitata, tertia vero metropolitana sede Cambriæ totius insignita. GIRALD. CAMB., Itin. I, 5.

[a] *Legionum urbis.* Hanc Stapletonus in sua Bedæ Interpretatione *Leicestriam* appellavit. Interpretes Cambdeni *Excestriam.*

[b] *Perplures.* Martyrologia vetusta, inter quos Bedæ, agunt de Socratis et Stephani sanctorum martyrum memoria in Brittania, et scriptores eos huic persecutioni attribuunt, XV Kal. Oct. Notkerus, ad X Kal. Julii, numerat DCCCLXXXIX. Nauclerus innumeros dicit.

CAP. VIII. Prima pars hujus capitis usque ad *obtinenti infudit* Gildæ est, reliqua Orosii, licet Beda Eutropium solum citet.

[c] *Hanc etiam insulam*, et infra *insularum Ecclesiis.* Applicatur hic generalis status Ecclesiæ istius sæculi ad Brittaniam nostram; alias autem e testimoniis Constantini, Athanasii, Hilarii, etc., abunde patet episcopos Brittaniæ fidei orthodoxæ semper adhæsisse.

[d] *Creatum.* Chiffl. solus *procreatum.*

[e] *In Brittania creatus imperator.* Eutropius, lib. X. Laudandus est hoc loco Paraphrastes regius qui antecessoris sui Constantini natalitia huic insulæ suæ vendicat in interpretatione Saxonica. Et merito factum, sed id non testatur Eutropius, creatum imperatorem dicens, non natum filium.

[f] *Hispanum virum.* Chiffl. solus, *virum Hispanum.*

[g] *Vir probus.* Longe aliam de Maximo ideam dedit nobis pro more suo satyrico Gildas, sed Beda hic alios auctores Orosium et Prosperum sequitur.

[h] *Invitus propemodum.* Hoc Maximus ipse sancto Martino professus est, ut Sulpitius Severus, in Vita Martini, sub finem.

[i] *Ibi Gratianum.* Gratianus Parisiis Merobaudis magistri militum proditione superatus effugiens, Lugduni captus atque occisus est. PROSPER, ad an.
D 385. Sed vide Greg. Tur., I, 38, 43, et Socrat., Hist. Eccl. V, 11.

[j] *Intra muros Aquileiæ.* OROS., VII, 35. Tertio ab Aquileia lapide. PROSPER, ad a. 389.

[k] *Cujus temporibus.* Hæresis Pelagiana originem ducit a temporibus Arcadii, sed diffusa est præcipue temporibus Honorii et Theodosii minoris, vide Prosper., ad a. 414. Seriem annorum digessit ex professo Garnerius, ad Marium Mercatorem, a pag. 127.

[l] *Britto.* Ut ab illo distingueretur qui Pelagius Tarentinus dicitur. AUG., epist. ad Paulin. 106. Atque etiam ut a Pelagio quovis Gallo, Scottove commentitio distinguatur.

[m] *Juliano de Campania.* In præfatione Bedæ ad Cantica Editiones vulgares hunc Julianum Celanensem de Campania vocant. In Petri Diac. l. de Incarnat., *Edanensem*, sed in Prosperi Chronico recte Eclanensis dicitur. Est autem Eclanum urbs Hirpi-

Digitized by Google

quem dudum [a] amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat: quibus sanctus Augustinus sicut et cæteri Patres orthodoxi multis sententiarum catholicarum millibus responderunt, nec eorum tamen dementiam corrigere valebant: sed quod gravius est correpta eorum vesania magis augescere contradicendo quam favendo veritati voluit [b] emundari: quod pulchre [c] versibus heroicis Prosper [d] rhetor insinuat, cum ait:

Contra Augustinum narratur serpere quidam
 Scriptor, quem dudum livor adurit edax.
Quis caput obscuris contectum utcunque cavernis
 Tollere, humo miserum propulit anguiculum?
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
 Aut hic Campano gramine corda [e] tumet.

## CAPUT XI.

*Ut, regnante Honorio, Gratianus et Constantinus in Brittania tyranni creati; et mox prior in Brittania, secundus in Gallia, sint interempti.*

Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo septimo, tenente imperium Honorio Augusto filio Theodosii [f] minore, loco ab Augusto quadragesimo quarto, [g] ante biennium Romanæ inruptionis quæ per Alaricum regem Gothorum facta est, cum gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ protritis Francis, transito Hreno, totas per Gallias sævirent, apud Brittanias [h] Gratianus municeps tyrannus creatur et occiditur. Hujus loco Constantinus ex infima militia, propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur: qui continuo ut invasit imperium in Gallias transiit; ibi sæpe a barbaris incertis fœderibus inlusus detrimento magis reipublicæ fuit: unde mox jubente Honorio Constantius comes in Galliam cum exercitu profectus, apud Arelatem civitatem eum clausit, cepit, occidit: Constantemque filium ejus quem ex monacho Cæsarem fecerat, Gerontius comes suus apud Viennam interfecit.

Fracta est autem Roma a Gothis anno millesimo sexagesimo quarto suæ conditionis [CCCCIX], ex quo tempore Romani in Brittania [i] regnare cessarunt, post annos ferme quadringentos septuaginta ex quo Gaius Julius Cæsar eandem insulam adiit. Habitabant autem intra vallum quod Severum trans insulam fecisse commemoravimus, ad plagam Meridianam, quod civitates, farus [*Al.* fana fores], pontes, et stratæ ibidem factæ usque hodie testantur: cæterum ulteriores Brittaniæ partes, vel eas etiam quæ ultra Brittaniam sunt insulas [j] jure dominandi possidebant.

## CAPUT XII.

*Ut Brittones a Scottis vastati Pictisque, Romanorum auxilia quæsierint, qui secundo venientes, murum trans insulam fecerint; sed hoc confestim a præfatis hostibus interrupto* [Al., *hi interrupti*], *majore sint calamitate depressi.*

Exin Brittania [*Al.* Brittania omni] in parte Brittonum, omni armato milite, militaribus copiis universis, tota floridæ juventutis alacritate, spoliata quæ tyrannorum temeritate abducta nusquam ultra domum rediit, prædæ tantum patuit, utpote omnis bellici usus prorsus ignara: denique subito duabus gentibus transmarinis vehementer sævis, Scottorum a Circio, Pictorum ab Aquilone, multos stupet gemitque per annos. Transmarinas [k] autem dicimus has gentes, non quod extra Brittaniam essent positæ; sed quia a parte Brittonum erant remotæ, duobus sinibus maris [*Al.* finibus mari] interjacentibus, quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longe lateque inrumpit, quamvis ad se invicem pertingere non possint. Orientalis habet in [l] medio sui urbem Giudi [*Al.*,

norum in confinibus Campaniæ et Apuliæ, utrique provinciæ pro variis imperii divisionibus deputata. Eclano destructo, sedes Frequentum, vulgo Fregento, translatum fuit. HOLSTENIUS, in Cluverii Italiam.

[a] *Amissi episcopatus.* Hæc sunt verba Prosperi ad a. 440. Julianum porro et Florum, una cum Orontio et Fabio et aliis ejusdem sectæ, episcopatibus suis exuit Cœlestinus papa.

[b] *Emundari.* Vulg. omnes, *emendari*, excepto Mori Ms.

[c] *Versibus heroicis.* Carmine, scilicet, in Obtrectatorem Augustini, Cœlestium, ut videtur, quem allusione poetica Æquorei Britanni, id est, Pelagius, et Campanum gramen, id est, Julianus, livore impleverunt.

[d] *Rhetor.* Vossius, Hist. Lat., II, conjicit legi hic debere Rhegiensis, supponens Prosperum episcopum Rhegiensem fuisse, cum tamen ille nusquam episcopus fuit.

[e] *Tumet.* Al., *huic tument.*

[f] *Minore.* Mss. omnes; *Minoris*, non excepto Mori; quidam Edd., *majoris;* alii, *junioris.* Mirum quam infelici concordia omnes Mss. habent *Minoris.* Chiffletius merito profitetur reponere se ex vero, et ex Bedæ ipsius mente *Minore.* Major enim, inquit, Theodosii filius fuit Arcadius. Res quidem ipsa loquitur, sicut et Beda etiam ipse in Chronico ad a. 4377. « Honorius, inquit, cum Theodosio minore fratris sui filio annis XV. »

[g] *Ante Biennium.* Ab his verbis usque ad *apud Viennam interfecit*, exscribitur Orosius, VII, 40, 42.

[h] *Gratianus.* De hoc, illisque imperatoribus et comitabus hujus capitis vide Zosimum VI; Sozomen., IX, ab 11 ad 17; Olympiodorum, apud Photium, Cod. 80.

[i] *Regnare cessarunt.* Hoc verum respectu prioris auctoritatis, sed alias Romanum imperium in Brittania movit iterum lacertos sub Honorio, et aliquandiu sub Valentiniano etiam tertio.

[j] *Jure dominandi.* Romani hujus dominii successio heu, quantis utrinque vulneribus constitit! donec nostris tandem temporibus felici incolarum unione sub augustissima monarchia, tota imperii æmulatio in generalem obedientiam cessit.

CAP. XIII. De hoc capite, exceptis descriptionibus sinuum et Muri a Beda insertis, vide Gildam, a sectione 11 ad 17.

[k] *Transmarinas autem.* Quiquid sit de testimoniis classicis, ex hac descriptione non possum dubitare quin, secundum Bedam, Scotti simul cum Pictis tunc temporis et a multis retro annis, fixas habitationes ad Septentrionalia Fretorum, infra insulam Britanniam proprie dictam, habuerint.

[l] *Medio sui.* Nescio quo infortunio scriptores, inter quos Buchananus ipse, Giudi urbem quæsiverint in medio isthmi ad fluvium Caron, imo et versus Occidentem, ut alii ad Cairpentaloch, cum revera situm habuit in medio maris vel sinus Orientalis, in insula Inshkeith vel Insucolme, sicut Occidentalis ex adverso habet supra se, ad dextram, Alcluith, sive Dunbritton.

Digitized by Google

Guidi]. Occidentalis supra se, hoc est, ad dexteram sui habet urbem Alcluith, quod lingua eorum significat petram Cluith; est enim juxta fluvium nominis illius.

Ob harum ergo infestationem gentium, Brittones [a] legatos Romam cum epistolis mittentes [CCCCXIV], lacrymosis precibus auxilia flagitabant, [b] subjectionemque continuam dummodo hostis imminens longius arceretur, promittebant. Quibus mox legio destinatur armata, quæ [c] ubi in insulam advecta et congressa est cum hostibus, magnam eorum multitudinem sternens, cæteros sociorum finibus expulit: eosque interim a dirissima depressione liberatos hortata est instruere inter duo maria trans insulam murum qui arcendis hostibus posset esse præsidio: sicque domum cum triumpho magno reversa est. At insulani murum quem jussi fuerant, non tam lapidibus quam cespitibus construentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta vel sinus de quibus diximus maris, per millia passuum plurima: ut ubi aquarum munitio deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostium inruptione defenderent: cujus operis ibidem facti, id est, valli latissimi et altissimi usque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme milium spatio a monasterio [d] Aebercurnig ad Occidentem, in loco qui sermone Pictorum [e] Peanfahel, lingua autem Anglorum Penneltun appellatur; et tendens contra Occidentem terminatur juxta urbem Alcluith.

Verum priores inimici ut Romanum militem abisse conspexerant, mox advecti navibus inrumpunt terminos, cæduntque omnia, et quasi maturam segetem obvia quæque metunt, calcant, transeunt: unde rursum mittuntur Romam legati [CCCCXVI], flebili voce auxilium implorantes, ne penitus misera patria deleretur, ne nomen Romanæ provinciæ quod apud eos tam diu claruerat, exterarum gentium improbitate obrutum vilesceret. Rursum mittitur legio, quæ inopinata tempore autumni adveniens magnas hostium strages dedit, eosque qui evadere poterant omnes trans maria fugavit, qui prius anniversarias prædas transmaria [*Al. add.*, milite] nullo obsistente cogere solebant. Tum Romani denunciavere Brittonibus, non se ultra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari: ipsos potius monent arma corripere et certandi cum ho-

A stibus studium subire, qui non aliam ob causam quam si ipsi inertia solverentur eis possent esse fortiores. Quin etiam, quod et hoc sociis quos dereliquere cogebantur aliquid commodi adlaturum putabant, murum a mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant, ubi et Severus quondam vallum fecerat, firmo de lapide conlocarunt: quem videlicet murum hactenus [*Al.*, vidimus hactenus] famosum atque conspicuum, sumptu publico privatoque, adjuncta secum Brittanorum [*Al.*, Romanorum] manu construebant, octo pedes latum et duodecim altum, recta ab Oriente in Occasum linea, ut usque hodie intuentibus clarum est: quo mox condito dant fortia segni populo monita, præbent instituendorum [*Al.*, in-
B struendorum] exemplaria armorum. Sed et in litore Oceani ad Meridiem quo naves eorum habebantur, quia et inde Barbarorum inruptio timebatur, turres per intervalla ad prospectum maris collocant, et valedicunt sociis tanquam ultra non reversuri. Quibus ad sua remeantibus, cognita Scotti Pictique reditus denegatione, redeunt confestim ipsi, et solito confidentiores facti omnem Aquilonalem [*Al.*, Aquilonarem] extremamque insulæ partem pro indigenis ad murum usque capessunt. Statuitur ad hæc in edito acies segnis, ubi trementi corde stupida die [*Al.*, diu] noctuque marcebat. At contra non cessant uncinata hostium tela: ignavi propugnatores miserrime de muris tracti solo adlidebantur. Quid plura? relictis civitatibus ac muro, fugiunt [*Al. add.*
C disperguntur.] Insequitur hostis, adcelerantur strages cunctis crudeliores prioribus. Sicut enim agni a feris, ita miseri cives discerpuntur ab hostibus: unde a mansionibus ac possessiunculis suis ejecti, imminens sibi famis periculum latrocinio ac rapacitate mutua temperabant, augentes externas domesticis motibus clades, donec omnis regio totius cibi sustentaculo, excepto venandi solatio, vacuaretur.

## CAPUT XIII.

*Ut, regnante Theodosio minore, cujus tempore Palladius ad Scottos in Christum credentes missus est, Brittones ab Aetio consule auxilium flagitantes non impetraverint.*

Anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo vigesimo tertio, Theodosius Junior post Honorium
D quadragesimus quintus ab Augusto regnum suscipiens [f] viginti et sex annos tenuit; cujus anno imperii [g] octavo Palladius ad Scottos in Christum

[a] *Legatos*. De legationibus respice quæ dicta sunt in Chronico ad Honorium. Et quæ ulterius dicenda sunt de legationibus et muro ad hoc caput in append., n. 5.

[b] *Subjectionemque*. Chiffl. solus, *subjectionem eorum*.

[c] *Ubi in insulam*. Mss. vett., *ubi insulam*.

[d] *Aebercurnig*. Hujus loci nomen adhuc restat ad ostium fluvii Caron, monasterii autem nihil. Sedes erat Trumuini episcopi Pictorum, de quo Beda, IV, 12, 26.

[e] *Peanfahel*. Angl. Penneltun, a sono Vindovalam diceres. Nennius Scottice Cenail vocat, cap. 19, sicut etiam hodie levi variatione Kenneil dicitur.

[f] *Viginti et sex annos tenuit*. Nempe ab obitu Honorii. Sic in Trev. et in Cantabrigiensi, recte. Falso enim in Editis legitur *viginti et septem annos*. Quippe obiit Honorius anno Christi 423, 15 Augusti, ut observat Theophanes; Theodosius autem anno 450, V Kal. Augusti. Quare dici non potest quod imperarit Theodosius Junior post Honorium annis XXVII, qui ex præmissis ne vigesimum quidem sextum imperii annum totum implevit.

[g] *Octavo*. Baronius, ad a. 429, VII, dicit ex Prospero corrigendum esse Bedam, dum ait anno octavo imperii Theodosii Junioris missum esse Palladium a Cœlestino Rom. pont., nam pontificatus ipsius Cœlestini ab eo tempore post annos octo contigit, nempe Decimo sexto ejusdem Theodosii. Error Baronii quem supra notavi ad Chronicon in annis Honorii, hic

Digitized by Google

[a] credentes a pontifice Romanæ Ecclesiæ Cælestino primus mittitur episcopus [CCCCXXX]. Anno autem regni ejus vigesimo tertio, Aetius [*Al.*, Boetius] vir inlustris, qui et patricius fuit, tertio cum Symmacho gessit consulatum. Ad hanc pauperculæ Brittonum reliquiæ mittunt epistolam [CCCCXLV], cujus hoc principium est : « Aetio ter consuli gemitus Brittanorum ; » et [b] in processu epistolæ, ita suas calamitates explicant : « Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros; inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur. » Neque hæc tamen agentes quicquam ab illo auxilii impetrare quiverunt, utpote qui gravissimis eo tempore bellis cum Bledla [*Al.*, Bledda, Bleda] et Attila regibus Hunnorum erat occupatus. Et quamvis anno ante hunc proximo Bledla Attilæ fratris sui sit interemptus insidiis, Attila tamen ipse adeo intolerabilis reipublicæ remansit hostis, ut totam pene Europam excisis invasisque civitatibus atque castellis conroderet. Quin et iisdem temporibus [c] fames Constantinopolim invasit : nec mora pestis secuta est; sed et plurimi ejusdem urbis muri cum quinquaginta septem turribus corruerunt; multis quoque civitatibus conlapsis fames et aerum pestifer odor plura [*Al.*, plurima] hominum milia jumentorumque delevit.

## CAPUT XIV.

*Ut Brittones fame famosa coacti* [*Al.*, fame coacti], *Barbaros suis e finibus pepulerint; nec mora, frugum* [d] *copia, luxuria, pestilentia, et exterminium gentis secutum sit.*

Interea Brittones fames sua [*Al.*, fames illa, fames] præfata magis magisque adficiens [CCCCXLVI], ac famam suæ malitiæ posteris diuturnam relinquens, multos eorum coegit victas infestis prædonibus dare manus, alios vero nunquam, quin potius confidentes in divinum ubi humanum cessabat auxilium, de ipsis montibus, speluncis ac saltibus continue rebellabant : et tum primum inimicis qui per multos annos prædas in terra agebant, strages dare cœperunt. Revertuntur ergo impudentes [*Al.*, imprudentes] grassatores [e] Hiberni domus [*Al.*, domum], post non longum tempus reversuri; Picti in extrema parte insulæ tunc primum et deinceps quieverunt, prædas tamen nonnunquam exinde et contritiones de Brittonum gente agere non cessarunt. Cessante autem vastatione hostili, tantis frugum copiis insula quantas [*Al.*, quantis] nulla retro ætas meminit, affluere cœpit : cum quibus et luxuria crescere, et hanc continuo omnium lues scelerum comitari adceleravit, crudelitas præcipue, et odium veritatis amorque mendacii, ita ut si quis eorum mitior, et veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Brittaniæ subversorem, omnium odia telaque sine respectu contorquerentur. Et non solum hæc sæculares viri, sed etiam ipse grex Domini ejusque pastores egerunt; ebrietati, animositati, litigio, contentioni, invidiæ, cæterisque hujusmodi facinoribus sua colla, abjecto levi jugo Christi, subdentes. Interea subito corruptæ mentis homines acerba pestis corripuit, quæ in brevi tantam ejus multitudinem stravit ut ne sepeliendis quidem mortuis vivi sufficerent : sed ne morte quidem suorum nec timore mortis, hi qui supererant a morte animæ qua peccando sternebantur, revocari poterant : unde non multo post acrior gentem peccatricem ultio diri sceleris secuta est. Initum namque est consilium quid agendum, ubi quærendum esset præsidium ad evitandas vel repellendas tam feras tamque creberrimas gentium Aquilonalium [*Al.*, Aquilonariarum] inruptiones : placuitque omnibus cum suo rege Vurtigerno ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent : quod Domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra inprobos malum, sicut evidentius rerum exitus probavit.

## CAPUT XV.

*Ut invitata* [*Al.*, add. *in*] *Brittaniam gens Anglorum, primo quidem adversarios longius ejecerit* [*Al.*, *abire compulerit*]; *sed non multo post juncto cum his fœdere, in socios arma verterit.*

Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo nono [*Al.*, quadringentesimo nono], Marcianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annis tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege præfato, in Brittaniam tribus longis navibus advehitur, et in [f] Orientali parte insulæ jubente eodem rege locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscipit. Inito ergo certamine cum hostibus qui ab Aquilone ad aciem [g] venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi

etiam recurrit in annis Theodosii. Annos enim quibus Theodosius regnavit ante Honorii obitum, Beda Honorio merito adnumerat. Ac proinde non ex Prospero Beda, sed ex Beda Baronius corrigendus est.

[a] *Credentes... primus.* Verba hæc sunt antiquissimorum Bedæ Mss., nec ullam mutationis admittunt suspicionem, sicut nec dubium aliquod quin Scoti ubicunque fuerint, Christianam fidem cum Palladius mitteretur, ex parte saltem receperint, vide etiam Chronicon, ad n. 4403.

[b] *In processu epistolæ.* Polydorus Virgilius, nescio unde acceptam epistolam dedit integram, sed sine ulla Mss. auctoritate.

[c] *Fames.* Hæc sunt verba Marcellini Comitis ad coss. Ætium III et Symachum, indict. 14, et ad coss. Ardaburem et Callepium, indict. 15, quæ Beda e Gildæ satyra Brittonibus applicat capite sequenti.

[d] *Copia, luxuria, pestilentia.* Chiffl. solus, *copia, pestilentia.*

[e] *Hiberni.* Notanda certe est hoc loco appellationis proprietas. Hibernos vocat Scottos qui cum Albionensibus fœderati identidem ex Hibernia in Brittones revertebantur, sed eos qui cum Pictis in extrema parte insulæ remanebant, sub Pictis includit, licet illi etiam contritiones agere non cessabant.

[f] *Orientali.* Ethelwerdus et Annales Saxonici, ad a. 449, dicunt Hengistum et Horsam advectos in locum quem vulgo Hypwinesfleot nominant quique hodie Ebsfleete esse putatur in Thanato insula, quam ideo illis a rege in locum manendi concessam tradit Nennius, cap. 28, et ab eo W. Malm.

[g] *Venerant.* Ad Stanfordiam usque venisse, ibique primum certamen fuisse, et primum locum habitationis Saxonibus inter Brittones ibi donatum legimus. HEN. HUNT., lib. II.



Digitized by Google

domi nuntiatum est, simul et insulæ fertilitas, ac segnitia Brittonum : mittitur confestim illo classis prolixior armatorum ferens [a] manum fortiorem, quæ præmissæ adjuncta cohorti invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenerunt, donantibus Brittanis, locum habitationis inter eos, ea conditione ut hi pro patriæ pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, Jutis [*Al.*, Vitis]. De [b] Jutarum [*Al.*, Vitarum] origine sunt Cantuarii et Victuarii [*Al.*, vectuarii], hoc est, ea gens quæ Vectam tenet insulam, et ea quæ usque hodie in provincia Occidentalium Saxonum Jutarum natio nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam. De Saxonibus, id est, ea regione quæ nunc [c] antiquorum Saxonum cognominatur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porro de [d] Anglis, hoc est, de illa patria quæ Angulus dicitur et ab eo tempore usque hodie manere desertus inter provincias Jutarum et Saxonum perhibetur, [e] Orientales Angli, Mediterranei Angli, Merci, tota Nordanhymbrorum progenies, id est, illarum gentium quæ ad Boream Humbri fluminis inhabitant cæterique Anglorum populi sunt orti. Duces fuisse perhibentur eorum primi duo fratres Hengist et Horsa [*Al.*, Hengistus et Horsus]; e quibus Horsa postea occisus in bello a Brittonibus, hactenus in Orientalibus Cantiæ partibus [f] monumentum habet suo nomine insigne. Erant autem filii Victgilsi, cujus pater Vitta, cujus pater Vecta [*Al.*, filii Victgilsi cujus pater Vecta], cujus pater Voden, de cujus stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit. Non mora, ergo confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis, grandescere populus cœpit advenarum, ita ut ipsis quoque qui eos advocaverant indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis quos longius jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt. Et primum quidem annonas sibi eos affluentius ministrare cogunt, quærentesque occasionem divortii, protestantur, nisi profusior sibi alimentorum copia daretur, se cuncta insulæ loca rupto fœdere vastaturos. Neque aliquanto [*Al.*, aliquando] segnius minas A effectibus prosequuntur : siquidem, ut breviter dicam, accensus manibus paganorum ignis, justas de sceleribus populi, Dei ultiones expetiit, non illius impar qui quondam a Chaldæis succensus Hierosolymorum mœnia, immo [*Al.*, imo et] ædificia cuncta consumpsit. Sic enim et hic agente impio victore, immo disponente justo Judice, proximas quasque civitates agrosque depopulans, ab Orientali mari usque ad Occidentale, nullo prohibente, suum continuavit incendium, totamque prope insulæ pereuntis superficiem obtexit. Ruebant ædificia publica simul et privata, passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis, sine ullo respectu honoris ferro pariter et flammis absumebantur, nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Itaque B nonnulli de miserandis reliquiis, in montibus comprehensi acervatim [*Al.*, catervatim] jugulabantur : alii fame confecti procedentes manus hostibus dabant, pro accipiendis alimentorum subsidiis æternum subituri servitium, si tamen non continuo trucidarentur : alii transmarinas regiones dolentes petebant : alii perstantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, silvis, vel rupibus arduis suspecta semper mente agebant.

## CAPUT XVI.

*Ut Brittones primam de gente Anglorum victoriam, duce Ambrosio Romano homine, sumpserint.*

At ubi hostilis exercitus, exterminatis dispersisque insulæ indigenis, domum reversus est, cœperunt C et illi paulatim vires animosque resumere, emergentes de latibulis quibus abditi fuerant, et unanimo [*Al*, unanimi] consensu auxilium cæleste precantes ne usque ad internecionem usquequaque delerentur. Utebantur eo tempore duce [g] Ambrosio Aureliano viro modesto [CCCCLXVI], qui solus forte Romanæ gentis præfatæ tempestati superfuerat, occisis in eadem parentibus regium nomen et insigne ferentibus. Hoc ergo duce vires capessunt Brittones, et victores provocantes ad prælium, victoriam ipsi, Deo favente, suscipiunt. Et ex eo tempore [h] nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum obsessionis [i] Badonici montis [CCCCXCII], quando non minimas eisdem hostibus strages dabant, [j] quadragesimo

[a] *Manum fortiorem.* Quinque millia, cyulis octodecim delata.

[b] *Jutarum.* In his antiqua Getarum et Gothorum nomina, contra omnes librariorum, qui Vitas volunt, conatus ; adhuc supersunt, sicut et eorum patria in Jutia seu Jutlandia notissima Danici regni provincia.

[c] *Antiquorum Saxonum.* Temporibus Bedæ Ealdsexe in cervice Cimbricæ Chersonesi, Holsatiam proprie dictam, Dithmarsiam, Stormariam, et Wagriam complectens.

[d] *Anglis.* Anglia vetus, hodie etiam Anglen, sita est inter Saxones et Giotos habens oppidum capitale quod sermone Saxonico Sleswik nuncupatur, secundum vero Danos Haithaby. ETHELWERD., l. 1.

[e] *Orientales.* Chifll. solus, *Orientales Angli, Mercii.*

[f] *Monumentum.* Locus prælii in campo Æglesthrep, monumentum in vico Horsted.

CAP. XVI. Vide Gildam., sect. 25 et 26.

[g] *Ambrosio.* Hunc Ambrosium Beda in Chronico D ponit sub Zenone, unde quidam observantes imperium Romanum tunc temporis de successione laborare, Ambrosium in purpuram elevatum fuisse tradiderunt. Quæ autem de illo et parentibus ejus, gestisque legimus quibus Regnum impletur XXXII annorum, ea omnia vel fabulosa vel incerta saltem judico ; liber de Victoria Aurelii Ambrosii quem GALF. MON., II, 1, meminit, vel penitus periit vel nunquam visus est.

[h] *Nunc cives, nunc hostes.* De variis eorum temporum præliis vide Chron. Sax., ab a. 455 ad a 597, ex una parte, et Nenninm, a cap. 35 ex altera, ubi brevi habes intuitu quidquid alii utrinque diversimode reliquerunt.

[i] *Badonici montis.* Polydorus Virgilius hunc locum ponit ad Blacamore in agro Ebor., contra omnium fidem, qui in Urbe Bathonia, vel Bannesdown consentiunt.

[j] *Quadragesimo circiter et quarto.* Verba Gildæ

Digitized by Google

circiter et quarto anno adventus eorum in Brittaniam. Sed hæc [a] postmodum.

## CAPUT XVII.

*Ut Germanus episcopus cum Lupo Brittaniam navigans, et primo maris, et postmodum Pelagianorum tempestatem divina virtute sedaverit.*

[b] Ante paucos sane adventus eorum annos hæresis Pelagiana per [c] Agricolam inlata, Severiani episcopi filium, fidem Brittaniarum fœda peste commaculaverat. Verum Brittani cum neque suscipere dogma perversum gratiam Christi blasphemando ullatenus vellent, [d] neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent, inveniunt salubre consilium, ut a Gallicanis antistitibus auxilium belli spiritalis inquirant. Quam ob causam collecta [e] magna synodo quærebatur in commune, qui illic [*Al.*, illuc] ad succurrendum fidei mitti deberent : atque omnium judicio electi sunt [*Al.*, eligebantur] apostolici sacerdotes Germanus [f] Autissiodorensis, et Lupus [g] Trecasenæ [*Al.*, Trecassinæ] civitatis episcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cælestis Brittanias [*Al.*, Brittaniam] venirent. Qui cum prompta devotione preces et jussa sanctæ Ecclesiæ suscepissent, intrant Oceanum; et usque ad medium itineris quo a Gallico sinu Brittanias usque tenditur, secundis flatibus navis tuta volabat. Tum subito occurrit pergentibus inimica [*Al.*, occurrit inimica] vis dæmonum, qui tantos talesque viros ad recuperandam tendere [*Al.*, pertendere] populorum [*Al.*, populis] salutem inviderent : concitant procellas, cælum diemque nubium nocte subducunt; C ventorum furores vela non sustinent; cedebant ministeria victa nautarum; ferebatur navigium oratione, non viribus : et casu dux ipse vel pontifex fractus corpore, lassitudine ac sopore resolutus est. Tum vero quasi repugnatore cessante, tempestas excitata convaluit, et jam navigium superfusis fluctibus mergebatur. Tum beatus Lupus, omnesque turbati excitant seniorem elementis furentibus opponendum; qui periculi immanitate constantior Christum invocat, et adsumpto in nomine sanctæ [*Al.*, sanctissimæ] Trinitatis levi aquæ spargine [*Al.*, aspergine] fluctus sævientes opprimit, collegam commonet, hortatur universos, oratio uno ore et clamore profunditur : adest Divinitas, fugantur inimici, tranquillitas serena subsequitur, venti e contrario ad itineris ministeria revertuntur, decursisque brevi spatiis pelagi, optati littoris quiete potiuntur. B Ibi conveniens ex diversis partibus multitudo excepit sacerdotes, quos venturos etiam vaticinatio adversa prædixerat. Nunciabant enim sinistri spiritus quod timebant, qui imperio sacerdotum dum ab obsessis corporibus detruduntur, et tempestatis ordinem et pericula quæ intulerant fatebantur, victosque se eorum meritis et imperio non negabant.

Interea Brittaniarum insulam apostolici sacerdotes raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt : divinusque [*Al. add.* et] per eos sermo, quotidie non solum in ecclesiis, verum etiam per trivia, per rura prædicabatur; ita ut passim et fideles catholici firmarentur, et depravati viam correctionis agnoscerent. Erat illis apostolorum instar, et gloria et auctoritas per conscientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis. Itaque regionis universitas in eorum sententiam prompta transierat. Latebant abditi

sunt : *Quique quadragesimus quartus, ut novi, orditur*; al., *oritur, annus mense jam primo*; al., *uno, emenso qui et meæ nativitatis est.* Quibus perpensis annorum numerus a Gilda editus tempus potius scribendi quam Saxonum adventum spectare videatur. Scripsisse, scilicet, Gildam anno a pugna Badonica 44, anno ipsi imprimis notabili, cui et nativitas fuit. Hæc si vera est interpretatio aliam nobis dabit hujus temporis chronologiam. Vid. Usser., ad a. 520.

[a] *Postmodum.* Vide cap. 22.

CAP. XVII. Capita quinque sequentia ad 22, desumpta a Constantio presbytero Lugdunensi qui Vitam sancti Germani scripsit. Vide Surium, ad 31 Julii, et Ms. in Biblioth. Cotton.

[b] *Ante paucos.* Quot annos ante adventum Saxonum sanctus Germanus in Brittaniam venerit Beda non dicit. Prosper adventum ejus ponit ad a. 429, eique alterum consectaneum addit ad a. 432, nempe adventum Palladii in Scotiam. Utrumque Beda in Historia notat, Palladii ad a. 430 vel 431, ipsissimis Prosperi verbis, cap. 13, Germani in hoc loco, verbis etiam Prosperi quoad occasionem adventus, in reliquis Constantii, utpote auctoris coævi, summæque famæ, et sancti Vitam ex professo scribentis. Sed tanta est differentia hujus calculi Prosperiani a temporibus quæ Constantius assignat, et in quibus Beda eum sequitur, ut difficile sit resolutu cui adhærendum. Ante paucos annos indefinitum est, et posset extendi ad Prosperi numeros in sancti Germani annis includendos, nisi Cælestinus interesset, cujus tempora ab hoc calculo nimium distant.

[c] *Agricolam Severiani.* Qui fuerint Agricola et Severianus parum constat, quod autem Agricola non fuerit Leporius, et quod Severianus non fuit Sulpitius Severus, ab omnibus fere contra Baleum conclusum est.

[d] *Neque... sufficerent.* Hæresis Pelagiana, licet ab auctore Brittone derivata, in remotis tamen regionibus propagata fuit, patriamque reliquit felici erroris ignorantia involutam.

[e] *Magna synodo.* Prosper ait quod adactione Palladii diaconi papa Cœlestinus Germanum vice sua misit, ut, deturbatis hæreticis, Brittanos ad catholicam fidem dirigat. Et hoc iterum Prosper ipse confirmat in opere contra Collatorem, cap. 41, quod opus a temporis injuriis immunius fuit quam Chronicon: certum tamen est nec Bedam nec Constantium Cælestini meminisse in missione sancti Germani. Jacobus ergo Sirmondus concilium hoc, quod incerti loci vocat, in suam temporum Seriem inserens, non ponit cum Prospero a. 429, sed cum Sigeberto a. 446. Addens inter alia : « Quod cum in vulgari Prosperi Chronico Cælestini papæ temporibus a. 429 affixa est Germani legatio, insiti ut apparet mendi suspicione non caret, ab iis fortasse qui cum Palladium in eas oras a Cælestino missum legissent, Germanum itidem ab eodem in Brittaniam destinatum credidere, quod neque a Beda, neque a Constantio, vel Errico, neque ab ullo scriptore antiquo est proditum. » Sirmondi Notæ posthumæ, t. III Labb., p. 1508.

[f] *Autissiodorensis. De Auxerre.* Præter Constantium prosa, Herricus Autissiodorensis monachus versu sancti Germani Vitam sex libris scripsit, imo et ejus etiam miraculis duobus.

[g] *Trecasenæ. De Troyes* in Campania Gallicana. Lupi Vitam vide apud Surium, ad 29 Julii.

Digitized by Google

sinistræ persuasionis auctores, et more maligni spiritus, gemebant perire sibi populos evadentes, ad extremum diuturna meditatione concepta præsumunt inire conflictum. Procedunt conspicui divitiis, veste fulgentes, circumdati adsentatione multorum: discrimenque certaminis subire maluerunt, quam in populo quem subverterant pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur se ipsi silentio damnavisse. [a] Illic plane inmensa multitudo, etiam cum conjugibus ac liberis excita [*Al.*, excitata] convenerat, aderat populus [b] expectator, et futurus judex, adstabant partes dispari conditione dissimiles; hinc divina fides, inde humana præsumptio; hinc pietas, inde superbia; inde Pelagius auctor, hinc Christus. Primo in loco beatissimi sacerdotes [*Al. add.* Germanus atque Lupus] præbuerunt adversariis copiam disputandi, quæ sola nuditate verborum, diu inaniter et aures occupavit et tempora: deinde antistites venerandi, torrentes eloquii sui cum apostolicis et evangelicis imbribus [c] profuderunt: miscebatur sermo proprius cum divino, et adsertiones [d] molestissimas lectionum testimonia sequebantur: convincitur vanitas, perfidia confutatur; ita ut ad singulas verborum objectiones errare se, dum respondere nequiit [*Al.*, nequivit], fateretur: populus arbiter vix manus continet, judicium tamen clamore testatur.

## CAPUT XVIII.

*Ut idem filiam tribuni cæcam inluminaverit, ac deinde ad sanctum Albanum perveniens, reliquias ibidem et ipsius acceperit, et beatorum apostolorum, sive aliorum martyrum posuerit.*

Tum subito quidam tribunitiæ potestatis cum conjuge procedit in medium, filiam decem annorum cæcam curandam sacerdotibus offerens, quam illi adversariis offerri præceperunt: sed hi conscientia puniente deterriti, jungunt cum parentibus preces, et curationem parvulæ a sacerdotibus deprecantur: qui inclinatos animo adversarios intuentes, orationem breviter fundunt: ac deinde Germanus plenus Spiritu sancto, invocat Trinitatem; nec mora, adhærentem lateri suo capsulam cum sanctorum reliquiis collo avulsam manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis adplicavit, quos statim evacuatos tenebris lumen veritatis implevit. Exultant parentes, miraculum populus contremiscit: post quam diem ita ex animis omnium suasio iniqua deleta est, ut sacerdotum doctrinam sitientibus desideriis sectarentur.

Compressa itaque perversitate damnabili, ejusque auctoribus confutatis, atque animis omnium fidei pu-
A ritate compositis, sacerdotes beatum Albanum martyrem, acturi [*Al.*, auctori] Deo per ipsum gratias [*Al. add.* acturi] petierunt, ubi Germanus omnium apostolorum, diversorumque martyrum secum reliquias habens, facta oratione, jussit revelli [e] sepulcrum, pretiosa ibidem munera conditurus; arbitrans opportunum ut membra sanctorum ex diversis regionibus collecta, quos [f] pares meritis receperat cælum, sepulcri quoque unius teneret hospitium. Quibus depositis honorifice, atque sociatis, de loco ipso, ubi beati martyris effusus erat sanguis, massam pulveris [g] secum portaturus abstulit, in qua apparebat, cruore servato, rubuisse [h] martyrum cædem, persecutore pallente. Quibus ita gestis, innumera hominum eodem die ad Dominum turba conversa
B est.

## CAPUT XIX.

*Ut iidem causa infirmitatis ibidem detentus, et incendia domorum orando restinxerit; et ipse per visionem a suo sit languore curatus.*

Unde dum redeunt, insidiator inimicus, casualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapsus occasione contrivit, ignorans merita illius, sicut Job beatissimi, afflictione corporis propaganda: et dum aliquandiu uno in loco infirmitatis necessitate teneretur, in vicina qua manebat casula exarsit incendium: quod consumptis domibus quæ illic palustri harundine tegebantur, ad eum [*Al.*, illud] habitaculum in quo idem jacebat, flabris stimulantibus ferebatur. Concursus omnium ad antistitem convolavit, ut
C elatus [*Al.*, elatis] manibus periculum quod imminebat evaderet: quibus increpatis, moveri se, fidei præsumptione non passus est. At multitudo omnis desperatione perterrita, obviam currit incendio. Sed ut Dei potentia manifestior appareret, quidquid custodire tentaverat turba, consumitur; quod vero jacens et infirmus defenderat, reserato [*Al.*, reservato] hospitio sancti viri, expavescens flamma transilivit, ultra citraque desæviens, et inter globos flammantis incendii, incolume tabernaculum quod habitator inclusus servabat, emicuit. Exultat turba miraculo, et victam se divinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis vulgus sine numero; hi animas curare cupientes, hi corpora. Referri nequeunt quæ Christus operabatur in famulo,
D qui virtutes faciebat infirmus: et cum debilitati suæ nihil remedii pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niveis vestibus vidit sibi adesse personam, quæ manu extensa jacentem videretur adtollere, eumque consistere firmis vestigiis imperabat: post

[a] *Illic.* H. Boethius hunc Conventum Londini habitum dicit, lib. VIII. Florilegus synodum appellat et Verolamii factam a. 446. Quidam scriptores conventum hunc Brittanicum cum synodo Gallicana confundunt.

[b] *Expectator.* Al., *et spectator futurus et... expectatur.* Omnes lectiones Codd. vett. a se habent.

[c] *Profuderunt.* Locus quo sanctus Germanus ad populum concionatus est, sacello in ejus nomine consecrato insignitus, adhuc ostenditur.

[d] *Molestissimas.* Chifll. solus, *modestissimas*; Constantius, *violentissimas*, cui *molestissimas* sensu accedit.

[e] *Sepulcrum... munera conditurus.* Horum revelationem, et sæculi super eis repertis devotionem, vide Florileg., ad a. 794.

[f] *Pares.* Chifll. solus, *paribus.*

[g] *Secum portaturus.* Infra muros Autissiodori basilicam his reliquiis condendis exædificans sancti Albani nomine dedicavit. Ericus, lib. I de Miraculis sancti Albani. De aliis autem sancti reliquiis, a monachis Moguntiæ, Ottoniæ, et Coloniæ Agrippinæ vendicatis, legant illi quibus ejusmodi lites cordi sunt.

[h] *Martyrum.* Boni Codd., sed non optimi, *martyris.*

Digitized by Google

quam horam ita fugatis doloribus recepit pristinam sanitatem ut die reddito itineris laborem subiret intrepidus.

## CAPUT XX.

*Ut iidem episcopi Brittonibus in pugna auxilium cœleste tulerint, sicque domum reversi sint.*

Interea [a] Saxones, Pictique bellum adversum Brittones junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat: et cum trepidi partes suas pene impares judicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt: qui promissum maturantes adventum, tantum paventibus fiduciæ contulerunt, ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum, in tantum ut cotidianis prædicationibus instituti, certatim populi ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit, et ecclesia ad diem Resurrectionis dominicæ frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo, et conterrito [*Al.*, contrito, contempto] armorum [*Al.*, armatorum] præsidio, divinitatis exspectatur auxilium. Institutio vel forma castitatis [*Al.*, castrorum] hostibus nunciatur, qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, adsumpta alacritate festinant; quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumque emensa solemnitate paschali, recens de lavacro pars major exercitus arma capere [*Al.*, caperet], et bellum parare temtaret [*Al.*, *add.* et], Germanus [b] ducem se prælii profitetur [*Al.*, profiteretur], eligit expeditos, circumjecta percurrit, et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam mediis montibus intuetur. Quo in loco novum componit exercitum, ipse dux agminis. Et jam aderat ferox hostium multitudo, quam adpropinquare intuebantur in insidiis constituti. Tum subito Germanus signifer universos admonet, et prædicat ut voci suæ uno clamore respondeant; securisque hostibus qui se insperatos adesse confiderent, [c] Alleluiam [*Al.*, A alleluia] tertio repetitam [*Al.*, repetitum] sacerdotes exclamant. Sequitur una vox omnium, et elatum [*Al.*, elevatum] clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant: hostile agmen terrore prosternitur, ut [*Al. add.* ruisse] super se non solum rupes circumdatas, sed etiam ipsam cæli machinam contremiscunt, trepidationique injectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur: passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini: plures etiam timore præcipites, flumen quod [*Al.*, mensi erant] transierant devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, et victoriæ concessæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et cælestis palmæ gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant pontifices hostibus fusis sine B sanguine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus.

Composita itaque insula securitate multiplici, superatisque hostibus vel invisibilibus vel carne conspicuis, reditum moliuntur pontifices. Quibus tranquillam navigationem, et merita propria et intercessio beati martyris Albani paraverunt, quietosque eos suorum desideriis felix carina [d] restituit.

## CAPUT XXI.

*Ut renascentibus virgultis Pelagianæ pestis Germanus cum Severo Brittaniam reversus, prius claudo juveni incessum, deinde et populo Dei, condemnatis sive emendatis hæreticis, gressum recuperarit fidei.*

[e] Nec multo [*Al. add.* post] interposito tempore, nuntiatur ex eadem insula, Pelagianam perversitatem C iterato paucis auctoribus dilatari: rursusque ad beatissimum virum preces sacerdotum omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur [*Al.*, tueretur]. Quorum petitioni festinus obtemperat. Namque adjuncto sibi Severo totius sanctitatis viro, qui erat discipulus beatissimi Patris Lupi Trecassenorum episcopi, et tunc Treviris ordinatus episcopus gentibus primæ Germaniæ verbum [*Al. add.* Dei] prædicabat, mare conscendit, et consentientibus elementis tranquillo navigio Brittanias petiit.

Interea sinistri spiritus pervolantes [*Al.*, provolantes] totam insulam, Germanum venire invitis va-

[a] *Saxones.* Quod Saxones in Brittania fuerint in primo sancti Germani adventu, eruditis haud parum negotii dedit. Quidam *Saxones* hic pro *Scottis* poni volunt errore librorum Constantii et Bedæ; alii errorem quærunt in Prosperi Chronico, qui e Beda et Constantio corrigi debeat; alii vero Saxones aiunt tunc temporis advenisse non ad fixam habitationem, sed expeditione tantum militari ex fœdere cum Pictis inito. Harum solutionum prima ex omnibus Mss. refutatur, secundam Prosperi ipsius explicatio contra Collatorem convellit. Ultima suas quidem habet difficultates, sed rationes etiam suas quæ maxima ex parte æquilibrium tollant.

[b] *Ducem.* Ne quis incongruum putet quod Germanus exercitum ducat, noverit illum antequam episcopus esset ducatum et regimen temporale Autissiodorensis territorii administrasse. De quo auctor Vitæ ejus ait: « Deseritur mundi militia, cælestis assumitur. »

[c] *Alleluia.* Sanctus Gregorius, in Job. xxvii, 6, hæc habet verba: « Ecce lingua Brittaniæ quæ nil aliud noverat quam barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus Ebræum cœpit Alleluia resonare. » Hoc Beda ad Anglorum conversionem retulit, ii, 1, et post eum J. Diaconus, in Vita Gregorii, non D observato quod liber ille scriptus erat ante Anglorum conversionem, ac proinde hæc verba Gregorii prælium hujus capitis, ejusque Alleluia respexerunt, præsertim cum id ut jamdudum factum prædicet.

[d] *Restituit.* Remansit. Codd. vulgg.: *Remansit in insula genus utrumque* [al., *gens utraque*] *hostes et cives, Angli et Brittones, quorum Angli pro regno, Brittones pro vita certabant.* Hæc clausula quæ in variis lectionibus sequitur nullam habet veterum Mss. auctoritatem; docet tamen quis fuerit sensus illius temporis cum hæc verba addebantur, id est, quod in primo sancti Germani adventu Saxones in Brittania remanebant pro imperio decertantes.

[e] *Nec multo.* Hæc etiam verba calculum Prosperi turbant. Nam si primus Germani adventus fuit a. 429, vel multum temporis ad secundum adventum interponi oportet, vel plures annos in secundo fluxisse quam rebus et historiæ Germani convenire possint, prout infra patet.

Digitized by Google

ticinationibus nunciabant; in tantum ut Elafius quidam regionis illius primus, ut in occursu [*Al.*, occursum] sanctorum sine ulla manifesti nuncii relatione properaret, exhibens secum filium quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat. Erat enim arescentibus nervis contracto poplite, cui per siccitatem cruris usus vestigii negabatur. Hunc Elafium provincia tota subsequitur : veniunt sacerdotes, occurrit inscia multitudo, confestim benedictio, et sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscunt populum in ea qua reliquerat [*Al.*, reliquerant] credulitate durantem : intelligunt culpam esse paucorum, inquirunt auctores, inventosque condemnant. Cum subito Elafius pedibus advolvitur sacerdotum, offerens filium, cujus necessitatem ipsa debilitas etiam sine precibus adlegabat : fit communis omnium dolor, præcipue sacerdotum, qui conceptam misericordiam ad divinam clementiam contulerunt : statimque adolescentem beatus Germanus sedere compulit, adtrectat poplitem debilitate curvatum, et per tota infirmitatis spatia medicabilis dextera percurrit, salubremque tactum sanitas festina subsequitur, ariditas succum, nervi officia receperunt, et in conspectu omnium filio incolumitas, patri filius restituitur. Implentur populi stupore miraculi, et in pectoribus omnium fides catholica inculcata firmatur. Prædicatio deinde ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur, omniumque sententia pravitatis auctores qui erant expulsi insula, sacerdotibus adducuntur ad Mediterranea deferendi, ut et regio absolutione et illi emendatione fruerentur. Factumque est ut in illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret.

Itaque, compositis omnibus, beati sacerdotes ea qua venerant prosperitate redierunt. Porro Germanus [a] post hæc ad Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit, ibique a Valentiniano, et Placidia matre ipsius summa reverentia susceptus, migravit ad Christum. Cujus corpus honorifico agmine comitantibus virtutum operibus, suam defertur ad urbem. Nec multo post Valentinianus ab Aetii A patricii quem occiderat satellitibus interimitur, anno imperii Marciani sexto, cum quo simul Hesperium concidit regnum.

## CAPUT XXII.

*Ut Brittones, quiescentibus ad tempus exteris, civilibus sese bellis contriverint, simul et majoribus flagitiis submerserint.*

Interea Brittania [*Al.*, Brittaniæ] cessatum quidem est parumper ab externis, sed non a civilibus bellis. Manebant exterminia civitatum ab hoste dirutarum ac desertarum, pugnabant contra invicem qui hostem evaserant cives. Attamen recente adhuc memoria calamitatis et cladis inflictæ servabant utcumque reges, sacerdotes, privati, et optimates suum quique ordinem. At illis decedentibus, cum successisset B ætas tempestatis illius nescia, et præsentis solum serenitatis statum experta, ita cuncta veritatis ac justitiæ moderamina concussa ac subversa sunt, ut earum non dicam vestigium, sed ne memoria quidem, præter [*Al.*, præterquam] in paucis, et valde paucis ulla appareret. Qui inter alia inenarrabilium scelerum facta, quæ historicus eorum Gildus [*Al.*, Gildas] flebili sermone describit, et hoc addebant [*Al.*, addebat], ut nunquam genti Saxonum sive Anglorum secum Brittaniam incolenti, verbum fidei prædicando committerent. Sed non tamen divina pietas plebem suam, quam præscivit, deseruit, quin multo digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, destinavit.

## CAPUT XXIII.

C *Ut sanctus papa Gregorius Augustinum cum monachis ad prædicandum genti Anglorum mittens, epistola quoque illos exhortatoria ne a laborando cessarent, confortaverit.*

Siquidem anno ab Incarnatione Domini quingentesimo octogesimo secundo, Mauricius ab Augusto quinquagesimus quartus imperium suscipiens, viginti et uno [*Al.*, uno et viginti] annis tenuit. Cujus anno regni decimo [DXCII] Gregorius, vir doctrina et actione præcipuus, pontificatum Romanæ et apostolicæ sedis sortitus, rexit annos tredecim menses sex, et dies decem ; qui divino admonitus instinctu anno

[a] *Post hæc.* Constantius auctor est Germanum ex Brittania reversum, alterum mox iter iniisse Arelatum, quo tempore Galliarum prætorio præfectus est auxiliaris. Qui, ut inquit Sirmondus, præfecturam gessit anno 449, et proximis. Continuo sanctus Germanus Ravennam perrexit, ad placandum Aetium Armoricanis infensum, quod defecissent, cujus criminis causa miseri Alemannis puniendi, atque ulciscendi dedebantur. Dum Ravennæ esset venit mors ejus, et supellectilis distributio, in qua obiter notandum, Placidiæ matris imperatoris sorti obtigisse capsulam reliquiarum, in eaque pulveris annon aliquid sanguinei Verolamio ablati ? Ex toto patet Germanum rediisse secunda vice e Brittania sub ultimis tantum vitæ suæ annis, et, si Bedæ et Constantii chronologia abjiciatur, postquam maximum diutini episcopatus spatium in Brittania transegisset. Quod tamen legentibus Nennium et historicos nostrates, persuasum foret, nisi tot absurda de sancto Germano, ejusque conversatione in Brittania tradidissent. Denique, duo sunt calculi de magni hujus viri legationibus Brittanicis, alter Prosperi ab a. 429 ad 435, alter Constantii et Bedæ ab a. 446 ad a. 453, seu circiter. Uterque suos habet nodos quibus extricandis parem hactenus inveni neminem.

CAP. XXII. De his vide Gildam, sect. 26. Ibi ille multa paucis conclusit, et historicæ operis parti D finem imposuit. Exinde procedit ad reges et sacerdotes populumque ejus temporis increpandos. Ut non necesse quidem fuerit Bedæ ulteriora crimina, Evangelii nempe detentionem, illis imputare. Sed nec tamen id fecisse Bedam crediderim quod Historicus esset Saxonicus, ut quidam volunt, nam historicus Brittonum Gildas genti suæ in eo non pepercit. Facile Brittones excusatos velim quod Saxonibus inimicis Evangelium non prædicarent, sed eum neglectum non Beda solus notavit, Gregorius papa id quæritur, non solum de Brittonibus, sed etiam de Gallis. Liber Gildæ est de Excidio Brittaniæ, satis hodie notus. Gildas auctor fere ignoratur, nimia, scilicet, distinctione obrutus. Hinc tot cognomina, Albanius, Sapiens, Badonicus, Historicus, cum revera unus est idemque Gildas, cujus ætatem habes supra, cap. 16, Historiam per magnam hucusque hujus Bedæ operis partem.

Digitized by Google

**decimo quarto ejusdem principis, adventus vero Anglorum in Britanniam anno circiter centesimo quinquagesimo, misit servum Dei Augustinum, et alios [a] plures cum eo monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cum jussis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus adgredi cœpissent, jamque [b] aliquantulum [*Al.*, aliquantum] itineris confecissent, perculsi timore inerti, redire domum potius, quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cujus ne linguam quidem nossent, adire cogitabant, et hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora, Augustinum, quem eis episcopum ordinandum si ab Anglis susciperentur disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatu obtineret ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens [c] litteras, in opus eos verbi, divino confisos auxilio, proficisci suadet. Quarum videlicet litterarum ista est forma:**

**Gregorius servus servorum Dei, servis Domini nostri.**

**« Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi filii, oportet ut opus bonum quod, auxiliante Domino, cœpistis, impleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia, omnique fervore, quæ inchoastis, Deo auctore, peragite: scientes quod laborem magnum major æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino [d] præposito vestro, quem et abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quidquid a vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, et vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat; quatenus etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare, scilicet, volo. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii. [e] Data die decima Kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno decimo quarto, post consulatum ejusdem domini nostri anno decimo tertio, indictione decima quarta. »**

## CAPUT XXIV.

*Ut Arelatensi episcopo* [Al., *archiepiscopo*] *epistolam pro eorum susceptione miserit.*

**Misit etiam tunc isdem venerandus pontifex ad [f] Etherium Arelatensem episcopum [DCXVI], ut Augustinum Brittaniam pergentem benigne susciperet, litteras, quarum iste est textus:**

**« Reverentissimo et sanctissimo fratri Etherio coepiscopo, Gregorius servus servorum Dei.**

**« Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam caritatem religiosi viri nullius commendatione indigeant; quia tamen aptum scribendi se tempus ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus: insinuantes, latores præsentium Augustinum servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei, illic [*Al.*, illuc] nos pro utilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse: quem necesse est ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvare, et sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam, ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare. Scientes quod, ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solaciandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presbyterum, communem filium, quem ad gubernationem patrimonioli [*Al.*, patrimoniali] Ecclesiæ nostræ transmisimus, caritati vestræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data die decima Kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno decimo quarto, post consulatum ejusdem domini nostri anno decimo tertio, indictione decima quarta. »**

[a] *Plures.* Vide cap. infra 25.

[b] *Aliquantulum.* Ex epistolis Gregorii ad Stephanum abbatem Lerinensem, et Protasium episcopum Aquensem, et Arigium patricium, colligitur consedisse socios Augustini in Provincia, non longe ab insula Lerinensi.

[c] *Litteras.* Collectionem litterarum quas Gregorius de hac missione scripsit, una cum serie itineris hujus Brittanici, vid. append., n. 6.

[d] *Præposito.* Monasterii sancti Andreæ quod Gregorius Romæ fundavit, et e quo monachi ad hoc ministerium extracti sunt.

[e] *Data.* Frustra hic Baronius Bedam carpit in annis Mauritii, tum mendoso utens Ms., tum in principio imperii Mauritiani supputando deceptus. Loco enim anni post consulatum ejusdem 13 quem genuini Codices Bedæ exhibent, ille ex Codice quodam corrupto legit 14. Deinde annum Mauricii decimum quartum ipse undecimum statuit, primos Mauricii annos tardius consignans, vel potius omittens.

[f] *Etherium Arelatensem.* Pro concesso habetur errorem hic esse, Etherium poni pro Virgilio, cum Etherius tunc temporis Lugdunensis episcopus fuit. Sed an in eo consistat error valde dubitandum est. Primo enim epistola quæ in Beda est ad Etherium Arelatensem, non invenitur eo titulo in Gregorii Registro. Deinde habetur in Registro alia epistola ad Virgilium Arelatensem, ejusdem quidem tenoris, sed alterius formæ. Exinde colligo erratum potius esse in epistola, quam in nomine. Augustino abeunte Gregorius plures epistolas scripsit eodem die, earum originales in scrinio apostolico simul jacentes Nothelmus transcripsit, et quidni potuit unam pro alia sumere, et illam quæ ad Etherium Lugdunensem scripta fuit, loco ejus quæ ad Virgilium Arelatensem, nominibus et titulis lapsu transpositis ad Bedam afferre. SMITH. — *Ad Etherium Arelatensem.* Imo ad Ætherium Lugd., ut scite asserit Sirmondus, t. I Conc. Gall., in not. ad p. 420. Præfuit Ætherius Lugd. ex a. 589 ad 602, ut colligitur ex Actis concil. et ex Rom. Pont. epist. Hæc porro epist. Greg. M. data est x Kal. Aug., indict. 14, adeoque a. 596. Cui geminam habes l. VI Regist., epist. 52, inscriptam: *Palladio episcopo de Sanctonis, Pelagio de Turonis, et Sereno de Massilia, episcopis Galliarum a paribus* (Vid. *Patrol.* tom. LXXXVII, col. 836). Unde apparet fuisse illam commendatitiam circularem. In hunc errorem de Ætherii sede inductus videtur Beda a Nothelmo presbytero a quo hanc et alias epistolas Angliam spectantes de Romanæ Ecclesiæ scrinio acceptas et ad se delatas fuisse Beda ipse profitetur in præfatione suæ Historiæ ad Ceolvulfum regem. CUIFFL.

Digitized by Google

## CAPUT XXV.

*Ut veniens Brittaniam Augustinus, primo in insula Tanato, regi Cantuariorum prædicaret; et sic accepta ab eo licentia, Cantiam prædicaturus intraverit.*

Roboratus ergo confirmatione beati Patris Gregorii Augustinus cum famulis Christi qui erant cum eo, rediit in opus verbi, pervenitque Brittaniam [DXCVII]. Erat eo tempore rex Ædilberctus in Cantia potentissimus, qui ad confinium usque Humbræ [*Al.*, Humbri] fluminis maximi quo Meridiani et Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Est autem ad Orientalem Cantiæ plagam Tanatos insula non modica, id est, magnitudinis juxta consuetudinem æstimationis Anglorum, [a] familiarum sexcentarum, quam a continenti terra secernit fluvius Vantsumu, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, et duobus tantum in locis est transmeabilis: utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo adplicuit servus Domini Augustinus, et socii ejus viri ut ferunt ferme quadraginta. Acceperunt autem, præcipiente beato papa Gregorio, de gente Francorum interpretes, et mittens ad Ædilberctum, mandavit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus, æterna in cælis gaudia, et regnum sine fine cum Deo vivo et vero futurum, sine ulla dubietate [*Al.*, dubitatione] promitteret. Qui, hæc audiens, manere illos in ea quam adierant insula, et eis necessaria ministrari donec videret quid eis faceret, jussit. Nam et antea fama ad eum Christianæ religionis pervenerat, utpote qui et uxorem habebat Christianam de gente Francorum regia, vocabulo [b] Berta [*Al.*, nomine Bertam]; quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suæ cum episcopo quem ei adjutorem fidei dederant, nomine [c] Liudhardo, inviolatum [*Al.*, inviolatam] servare licentiam haberet.

Post dies ergo [*Al. add.* aliquot] venit ad insulam rex, et residens sub divo, jussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat enim ne in aliquam domum ad se introirent, vetere usus augurio, ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmonica [*Al.*, dæmoniaca], sed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, lætaniasque canentes, pro sua simul et eorum propter quos et ad quos venerant salute æterna, Domino supplicabant. Cumque ad jussionem regis residentes, verbum ei vitæ, una cum omnibus qui aderant ejus comitibus prædicarent, respondit

A ille dicens: « Pulchra sunt quidem verba et promissa quæ adfertis; sed quia nova sunt, et incerta, non his possum adsensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente servavi. Verum quia de longe huc peregrini venistis, et ut ego mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera et optima credebatis, nobis quoque communicare desiderastis; nolumus molesti esse vobis: quin potius benigno vos hospitio recipere, et quæ victui sunt vestro necessaria, ministrare curamus: nec prohibemus quin omnes quos potestis fidei vestræ religionis prædicando societis. » [d] Dedit ergo eis mansionem in civitate Doruvernensi, quæ imperii sui totius erat metropolis, eisque, ut promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem quia adpropinquantes civitati, more suo cum cruce sancta, et imagine magni regis Domini nostri Jesu Christi, hanc lætaniam consona voce modularentur: *Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus et ira tua a civitate ista, et de domo sancta tua, quoniam peccavimus. Alleluia.*

B

## CAPUT XXVI.

*Ut idem in Cantia primitivæ Ecclesiæ et doctrinam sit imitatus et vitam, atque in urbe regis sedem episcopatus acceperit.*

At ubi datam sibi mansionem intraverant, cœperunt apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitari [DXCVII] orationibus, videlicet, assiduis, vigiliis, ac jejuniis serviendo, verbum vitæ quibus poterant prædicando, cuncta hujus mundi velut aliena spernendo, ea tantum quæ victui necessaria videbantur, ab eis quos docebant, accipiendo, secundum ea quæ docebant ipsi per omnia vivendo, et paratum ad patiendum adversa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea quam prædicabant veritate, animum habendo. Quid mora? Crediderunt nonnulli, et baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cælestis. Erat autem prope ipsam civitatem ad Orientem Ecclesia in honorem [e] sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Brittaniam incolerent, in qua regina, quam Christianam fuisse prædiximus, orare consueverat. In hac ergo et ipsi primo convenire, psallere, orare, missas facere, prædicare et baptizare cœperunt; donec rege ad fidem converso, majorem prædicandi per omnia, et ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent.

C

D

At ubi ipse etiam inter alios delectatus vita mundissima sanctorum, et promissis eorum suavissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum osten-

[a] *Familiarum.* Hidarum sive carrucatarum. Portio terræ est centum circiter acrarum cujus cultura familiæ alendæ sufficiat.

[b] *Berta.* Fuit Chariberti Francorum regis filia, et Clotarii primi neptis.

[c] *Liudhardo.* Episcopo Sylvanectensi in Gallia, ut tradit Thomas Sprott auctor Historiæ monast. sancti Augustini Cant., et ex eo Gulielmus Thorn, in suo Chronico, cap. 2, licet nulla ejus mentio sit apud San Marthanos in episcopis Sylvanectensibus. De eo vide Henschenium, ad diem 24 Februarii.

[d] *Dedit eis mansionem.* In ea urbis parte quæ Stablegate dicta est, ut W. Thorn tradit.

[e] *Sancti Martini.* In hac Ecclesia episcopus postea positus qui archiepiscopo in publicis regis et Ecclesiæ negotiis occupato suppetias daret, ad confirmationes, ordinationes, aliaque ministeria sibi demandata, donec Lanfranci temporibus episcopo moriente neminem surrogari placuit, et sic ibi cessavit episcopi et nomen et officium.

Digitized by Google

tione firmaverant, credens [a] baptizatus est, cœpere plures ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei et conversioni ita congratulatus esse rex perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum; sed tantummodo credentes arctiori dilectione, quasi concives sibi regni cælestis, amplecteretur. Didicerat enim a doctoribus auctoribusque suæ salutis, servitium Christi voluntarium, non coactitium esse debere. Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis eorum gradui congruum, in [b] Doruverni [*Al.*, Dorovernia] metropoli sua donaret, simul et necessarias in diversis [c] speciebus possessiones conferret.

## CAPUT XXVII.

*Ut idem episcopus factus, Gregorio papæ, quæ sint Britanniæ gesta mandarit, et* [Al. add. *de*] *simul necessariis ejus responsa petens acceperit.*

[d] Interea vir Domini Augustinus venit [e] Arelas, et ab archiepiscopo ejusdem civitatis Ætherio, juxta quod jussa sancti Patris Gregorii acceperant, archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est [DXCVII], reversusque Brittaniam, misit continuo Romam Laurentium presbyterum, et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse, ac se episcopum factum esse referrent [DXCVIII]: simul et de eis quæ necessariæ videbantur quæstionibus, ejus consulta flagitans. Nec mora, congrua quæsitui responsa recepit; quæ etiam huic Historiæ nostræ commodum duximus indere.

I. *Interrogatio beati* [Al. om. *beati*] *Augustini episcopi Cantuariorum Ecclesiæ.* De episcopis, qualiter cum suis clericis conversentur, vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt altario [*Al.*, altari]; quantæ debeant fieri portiones, et qualiter episcopus agere in Ecclesia debeat.

*Respondit Gregorius papa* [Al., *responsio Gregorii papæ*] *urbis Romæ.* Sacra Scriptura testatur, quam te bene nosse dubium non est, et specialiter beati Pauli

A ad Timotheum Epistolæ, in quibus eum erudire studuit qualiter in domo Dei conversari debuisset. [f] Mos autem sedis apostolicæ est, ordinatis episcopis præcepta tradere, ut in omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones; una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem, atque susceptionem; alia clero; tertia pauperibus; quarta ecclesiis reparandis. Sed [g] quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum fieri [*Al.*, vivere] non debet a clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper adhuc ad fidem adducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris; in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.

B [h] Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere. Quia et de hisdem patribus [*Al.*, partibus] de quibus præfati sumus, novimus scriptum quod *dividebatur singulis prout cuique opus erat* (*Act.* IV, 35). De eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus inlicitis et cor et linguam et corpus Deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, et adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum? Cum omne quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est, Domino omnium magistro docente :
C *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41).

II. *Interrogatio Augustini.* Cum una sit fides, sunt [*Al.*, cur sunt, cur cum sunt] Ecclesiarum diversæ consuetudines, et altera consuetudo missarum in sancta Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum tenetur?

*Respondit Gregorius papa.* Novit fraternitas tua [*Dist.* 3.] Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam. Sed mihi placet [*Al. add.* ut],

[a] *Baptizatus.* Hoc factum die Pentecostes ut fert Traditio. Et quidem a. 597, antequam Augustinus in Gallias ordinandus transiret, id enim et narratio et res ipsa requirit.

[b] *Doruverni.* Ipse Ædilberctus Regulbium demigravit, ibique novum sibi palatium condidit.

[c] *Speciebus.* Possessiones ab Ædilbercto donatas vide Mon. Angl. I, de Mon. Cantuar. Ubi nota etiam obiter quod in quibusdam harum donationum chartis errores nonnulli in typos irrepserunt, quos e Ms. Aul. Trin. Cantab. corrigere liceat.

[d] *Interea.* Sunt qui Augustinum negant iterum transfretasse, et ordinatum volunt in primo per Gallias transitu. Hoc autem non solum contra Bedam est, sed contra rei ipsius rationem. Quis enim putet Augustinum factum episcopum antequam sciret habiturum se populum cui præesset; deinde si ordinandus foret antequam Brittaniam intraret, cur non Romæ potius a Gregorio ipso, quam Arelate ab Etherio. Recte igitur a Beda dictum est Augustinum e reliquis designatum qui ordinaretur si ab Anglis susciperentur, cap. 23. Atque hoc comperto, tunc et non antea de ordinatione cogitat. Quod autem hic urgetur a brevitate temporis inter Augustini ordinationem, et celebrem baptismum cujus Gregorius meminit in epistola ad Eulogium Alexandrinum, nihil habet momenti. Satis enim est temporis in brevissimo calculo ad utrumque opus peragendum. Quis dubitet episcopum ad populum suum quam citissime reversurum, populum ad episcopum reversum quam citissime confluxurum? Et exinde quidem concludo Gregorium recepisse nuntium hujus baptismi Anglorum, et episcopatus Augustini quod Eulogio trans-
D misit, hoc ipso tempore per Laurentium et Petrum hic expresse ab Augustino missos continuo postquam reversus est.

[e] *Arelas.* Rationem ordinationis ab episcopo Arelatensi potius quam ab alio, habes partim in hoc ipso capite responsione 7. Ecclesia Arelatensis habuit ab antiquo singulares præeminentias, et cum ab aliis invaderetur, precibus et argumentis sibi non defuit. De quo vide Quesnellum, ad Leonis I opp.

[f] *Mos.... est.* GRATIAN., caus. XII, q. 2, c. 30.

[g] *Quia tua fraternitas.* GRAT., caus. XII, q. 8, c. 8.

[h] *Si qui vero.* Editio Paris. a. 1518 apud Spelman. inserit hoc loco aliam interrogationem: « Opto doceri an clerici continere non valentes possint contrahere. Et si contraxerint, an debeant ad sæculum redire. » Cui pars responsionis primæ in Beda, ab his verbis *Si qui vero*, etc., applicatur. GRATIAN., parte I, dist. 32. Item XII, q. 1.

Digitized by Google

sive in Romana, sive in Galliarum, seu in qualibet A Ecclesia, aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi infasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

III. *Interrogatio Augustini.* Obsecro quid pati debeat, si quis aliquid de Ecclesia furtu [*Al.*, furto] abstulerit?

*Respondit Gregorius.* Hoc tua fraternitas (*Grat.*, *caus.* XII, *q.* 2, *c.* 11) ex persona furis pensare potest, qualiter valeat corrigi. B Sunt enim quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant; et sunt alii qui hac in re ex inopia delinquunt: unde necesse est ut quidam damnis, quidam vero verberibus; et quidam districtius [*Al.* strictius], quidam autem levius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur, ex caritate agendum est, et non ex furore: quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt, et tamen ipsos quos doloribus affligunt habere heredes quærunt; et quæ possident ipsis servant quos irati insequi videntur. Hæc ergo caritas in mente tenenda est, et ipsa modum correptionis dictat [*Al.*, dictet], C ita ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat. Addes [*Al.*, addis, addas] etiam, quomodo ea quæ furtu de Ecclesiis abstulerint reddere debeant. Sed absit ut Ecclesia cum augmento recipiat quod de terrenis rebus videtur amittere, et lucra de vanis [a] quærere.

IV. *Interrogatio Augustini.* Si debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ?

*Respondit Gregorius.* Hoc fieri modis omnibus licet: nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur quod huic capitulo contradicere videatur.

V. *Interrogatio Augustini.* Usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari? [b] et novercis et cognatis si liceat copulari conjugio?

*Respondit Gregorius.* Quædam terrena lex (*Grat.*, XXXV, *q.* 2, *c.* 20) in Romana republica permittit, ut sive frater et soror, seu duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut jam [c] tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat: nam secunda quam prædiximus, a se omni modo debet abstinere. Cum noverca autem miscere [*Al.*, misceri] grave est facinus, quia et in lege scriptum est: *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Levit.* XVIII, 7). Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24), qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelavit. Cum cognata quoque miscere prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Johannes Baptista capite truncatus est, et sancto martyrio consummatus, cui non est dictum ut Christum negaret, et [*Al. add.* tamen] pro Christi confessione occisus est; sed quia isdem Dominus noster Jesus Christus dixerat: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6); quia pro veritate Johannes occisus est, videlicet et pro Christo sanguinem fudit. [d] Quia vero sunt multi in Anglorum gente qui, dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt ut se abstineant, et grave hoc esse peccatum cognoscant. Tremendum Dei judicium timeant, ne pro carnali dilectione [*Al.*, delectatione] tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re, sacri corporis ac sanguinis Domini communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videantur, in quibus se per ignorantiam ante lavacrum baptismatis adstrinxerunt. In hoc enim tempore sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atque ita portat et dissimulat, ut sæpe malum quod adversatur portando et dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt, ne tale aliquid audeant perpetrare. Si qui autem perpetraverint, corporis et sanguinis Domini communione privandi sunt: quia sicut in his qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare.

VI. *Interrogatio Augustini.* Si longinquitas itineris magna interjacet, ut episcopi non facile valeant convenire, an debeat sine aliorum episcoporum præ- D sentia episcopus ordinari?

*Respondit Gregorius.* Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris (*Vid. l.* III, 28; IV, 2), ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes. Nam quando de Gallis episcopi veniunt [*Al.*, veniant], qui in ordinatione episcopi testes adsistant? Sed fraternitatem tuam ita volumus episcopos ordinare (*Grat.*, *dist.* LXXX, *c.* 6),

[a] *Quærere.* Chiffl. solus: *Quærere; sed propriis acceptis rebus, ampliora non requirat Ecclesia.*

[b] *Et novercis...* Ed. Par. 1518, apud Spelman., non habet hæc de novercis et cognatis; sed de eis aliam interrogationem facit post *sanguinem fudit.*

[c] *Tertia.* Vide epist. Felicis et Gregorii, Regist. l. XII, epist. 10; append. n. 6.

[d] *Quia vero sunt.* Editio Paris. a. 1518 inserit hic septimam interrogationem: « Declarari posco an si turpiter conjunctis sit indicenda separatio, et sacræ communionis deneganda oblatio? » Cui pars responsionis quintæ in Beda, ab his verbis: *Qui vero sunt multi*, etc., applicatur.

Digitized by Google

ut ipsi sibi episcopi longo intervallo minime disjungantur; quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione episcopi, pastores quoque alii quorum præsentia valde est utilis, facile debeant convenire. Cum igitur auctore Deo ita fuerint episcopi in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine adgregatis tribus vel quatuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus ut sapienter et mature disponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præcesserunt, in subsequentis quoque copulæ gaudio misceantur. Cur non ergo et in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in provectu [*Al.*, profectu] ordinati episcopi gaudeant, vel pro ejus custodia omnipotenti Deo preces pariter fundant.

VII. *Interrogatio Augustini.* Qualiter debemus cum Galliarum Brittaniarumque episcopis agere?

*Respondit Gregorius.* In Galliarum episcopis [*Al.*, episcopos] nullam tibi auctoritatem tribuimus (*Grat.*, xxv, *q.* 2, *c.* 3): quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat ut fraternitas tua ad Galliarum provinciam transeat, cum eodem Arelatense episcopo debet agere, qualiter, si qua sunt in episcopis vitia, corrigantur. Qui si forte in disciplinæ vigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus (*Lib.* xi, *indict.* 4, *epist.* 68), ut cum tuæ sanctitatis præsentia in Galliis, et ipse tota mente subveniat, et quæ sunt Creatoris nostri jussioni contraria, ab episcoporum moribus compescat. Ipse autem extra auctoritatem propriam [*Al.*, ex auctoritate propria] episcopos Galliarum judicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque opera eorum imitationi monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studia reforma: quia scriptum est in lege: *Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere et manducare* (*Deut.* xxiii, 25; *Grat.*, vi, *q.* 3). Falcem enim judicii mittere non potes in ea segete quæ alteri videtur esse commissa; sed per affectum boni operis, frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in Ecclesiæ corpore monendo et persuadendo quasi mandendo converte. Quidquid vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatense episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc, quod antiqua Patrum institutio invenit [*Al. add.* effectum]. Brittaniarum vero omnes episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate [a] corrigantur.

VIII. *Interrogatio Augustini.* Si prægnans mulier debeat baptizari? aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare? aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere? aut post quantum temporis huic vir suus possit in carnis copulatione conjungi? aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam intrare ei liceat, aut sacræ communionis sacramenta percipere? aut vir suæ conjugi permistus, priusquam lavetur aqua, si ecclesiam possit intrare? vel etiam ad mysterium communionis sacræ accedere? Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet haberi [*Al.*, habere] comperta.

*Respondit Gregorius.* Hoc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam, cui jam et responsum reddidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere et sentire potuisti, credo quia mea apud te volueris responsione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non sit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fecunditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem quam acceperant recto Dei judicio perdiderunt. Quia itaque isdem omnipotens Deus humanum genus pro culpa sua funditus exstinguere noluit, et immortalitatem homini pro peccato suo abstulit; et tamen pro benignitate suæ pietatis, fecunditatem ei sobolis reservavit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotentis Dei dono servatum est, qua ratione poterit a sacri baptismatis gratia prohibere? In illo quippe mysterio, in quo omnis culpa funditus exstinguitur, valde stultum est, si donum gratiæ contradicere posse videatur. Cum vero enixa fuerit mulier (*Grat.*, *dist.* v, *c.* 1), post quot dies debeat ecclesiam intrare, Testamenti veteris [b] præceptione didicisti (*Levit.* xi), ut pro masculo diebus triginta tribus, pro femina autem diebus sexaginta sex debeat abstinere.

[a] *Corrigantur.* Editio Paris. quam novam Spelmannus vocat, id est, anni, ut videtur, 1545, inserit hic Obsecrationem Augustini. Obsecro ut reliquiæ sancti Sixti martyris nobis transmittantur. *Concessio Gregorii.* Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam sancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur quia si corpus quod a populo cujusdam martyris esse creditur, nullis illis miraculis coruscat, et neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur, ita reliquiæ quas petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, et incertum venerari. Occasio hujus obsecrationis fuisse dicitur, quod Augustinus invenisset in Cantio traditionem de Sixto quodam cujus reliquiæ a Brittanis olim colebantur. Hanc ille falsam merito suspicatus, veras, quas putavit, reliquias petiit. Sed de hac obsecratione vel responsione Beda nihil habet. Additiones has dedit Spelmannus sine ullo Ms., eas Benedictini Editores Gregorii epist. 64 Lib. xi, indict. 4, ex fide quorumdam Mss. Gregorianorum, typis reddiderunt, easdem igitur, ne quid lector desideret, textui Bedæ genuino supposui.

[b] *Præceptione.* Codd. vulgg.: *Præcepto manifestum est, quod ita habet: « Mulier si suscepto semine pepererit masculum, triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ; omne sanctum non tanget; non ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem feminam pepererit, sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. »*

Digitized by Google

Quod tamen sciendum est quia in mysterio accipitur. Nam si hora eadem qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur: voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est; nam in prolis prolatione gemitus. Unde et ipsi primæ matri omnium [a] dicitur: *In doloribus paries* (*Gen.* III, 6). Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus. Baptizare autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, si mortis periculo urgetur, vel ipsam [*Al.*, ipsa] hora eadem qua gignit [*Al.*, genuit], vel hoc quod gignitur, eadem qua natum est, nullo modo prohibetur: quia sancti mysterii gratia sicut viventibus atque discernentibus, cum magna discretione providenda est; ita his quibus mors imminet, sine ulla dilatione proferenda; ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interveniente paululum mora inveniri non valeat qui redimatur.

Ad ejus vero [*Al.*, ergo] concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque qui gignitur, ablactatur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres, filios quos gignunt, nutrire [*Al.*, quos gignunt filios, alere] contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri: quippe quia et sine partus causa, cum insuetis [*Al.*, consuetis suis] menstruis detinentur, viris suis misceri prohibentur; ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat (*Levit.* X). Quæ tamen mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet; quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari: et per [*Al.*, pro] hoc quod invita patitur, justum non est ut ingressu ecclesiæ privetur. Novimus namque quod mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim sua infirmitas recessit (*Luc.* VIII). Si ergo in fluxu sanguinis posita, laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere, cur quæ menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini ecclesiam intrare? Sed dicis: Illam infirmitas compulit; has vero de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende autem, frater carissime, quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, est digno Dei judicio post culpam ordinatum. Esurire namque, sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturæ est. Et quid est aliud, contra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamentum quidem [*Al.*, quoddam] contra ægritudines explorare? Feminæ itaque et menstruus sui A sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumsit [*Al.*, præsumpsit] quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sanctæ autem communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, et ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est; quia sæpe sine culpa agitur quod venit ex culpa: unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa [*Al.*, comedimus, ex culpa autem] primi hominis factum est ut esuriamus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non ali- B qua culpa est, videlicet quæ [*Al.*, quia] naturaliter accedit [*Al.*, accidit]. Sed tamen quod natura ipsa ita vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo se ipsa qualis per judicium facta sit, humana natura cognoscat. Et homo qui culpam sponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ cum semetipsis considerent, et si in menstrua consuetudine ad sacramentum dominici corporis et sanguinis accedere non præsumant, de sua recta consideratione laudandæ sunt; dum vero percipiendo [*Al.*, percipiendi] ex religiosæ vitæ consuetudine, ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ, sicut prædiximus, non sunt. Sicut enim in Testamento Veteri exteriora opera observantur, ita in Testamento Novo, non tam C quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione adtenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut inmunda manducare prohibeat; in Evangelio tamen Dominus dicit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quæ exeunt de ore, illa sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 11). Atque paulo post subjecit exponens: *Ex corde exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV, 19). Ubi ubertim indicatum est, quia illud ab omnipotente Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Unde Paulus quoque apostolus dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum* (*Tit.* I, 15). Atque mox ejusdem causam coinquinationis adnuntians subjungit: Coinquinata sunt enim et mens D eorum et conscientia. Si ergo ei cibus immundus non est cui mens immunda non fuerit: cur quod munda mente mulier ex natura patitur, et in immunditiam reputetur?

Vir autem cum propria conjuge dormiens (*Grat.*, *de pœnit. dist.* VII, *q.* 4, *c.* 7), nisi lotus aqua, intrare ecclesiam non debet; sed neque lotus intrare statim debet. Lex autem veteri populo præcepit, ut mixtus vir mulieri, et lavari aqua debeat, et ante solis occasum ecclesiam non intrare: quod tamen intellegi spiritaliter potest. Quia mulieri vir miscetur, quando inlicitæ concupiscentiæ animus in cogitatio-

[a] *Dicitur.* Vulgg., Dei præceptum transgressæ dictum est: « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos, etc. »

Digitized by Google

ne per delectationem conjungitur; quia nisi prius ignis concupiscentiæ a mente deferveat, dignum se congregationi fratrum æstimare non debet, qui se gravari per nequitiam pravæ voluntatis videt. Quamvis de hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant, atque alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu Ecclesiæ paululum reverenter abstinere. Nec hæc dicentes, culpam deputamus esse conjugium; sed quia ipsa [*Al.*, ista] licita admixtio conjugis sine voluntate [*Al.*, voluptate] carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est; quia voluntas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio, sive fornicatione, sed de legitimo conjugio natus fuerat qui dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Qui enim in iniquitatibus conceptum se noverat, a delicto se natum gemebat: quia portat [*Al. add.* arbor] in ramo humorem vitii, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non [*Al.*, tamen non] admixtionem conjugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt etenim multa quæ licita probantur esse ac [*Al.*, licita ac] legitima, et tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur; sicut sæpe irascendo culpas insequimur, et tranquillitatem in nobis animi perturbamus: et cum rectum sit quod agitur, non est tamen adprobabile quod in eo animus perturbatur. Contra vitia quippe delinquentium iratus fuerat qui dicebat: *Turbatus est præ ira* [Al., *a furore*] *oculus meus* (*Psal.* VI, 8). Quia enim non valet nisi tranquilla mens in contemplationis se lucem suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat: quia dum male acta deorsum insequitur, confundi atque turbari a summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium, et tamen molesta, qua [*Al.*, quia] turbatum se aliquem reatum incurrisse æstimabat [*Al.*, æstimat]. Oportet itaque legitimam carnis copulam [*Al.*, legitima copula], ut causa prolis sit, non voluptatis; et carnis commixtio, creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis vero suam conjugem [*Al.*, sua conjuge] non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto sive de ingressu ecclesiæ, seu [*Al.*, sive] de sumendo dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est judicio relinquendus; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor ortandi [*Al.*, ortandæ, optandæ, oriendæ, procreandæ] sobolis, sed voluntas dominatur in opere commixtionis: habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, et tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus apostolus [*Al. add.* Corinthiis scribens] diceret: *Qui se continere non potest, habeat uxorem suam*, statim subjungere curavit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*,

A *non secundum imperium* (*I Cor.* VII, 9). Non enim indulgetur quod licet, quia justum est. Quod igitur indulgere dixit, culpam esse demonstravit. Vigilanti vero mente pensandum est, quod in Sina monte Dominus ad populum locuturus, prius eumdem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illuc ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent mulieribus mixti non essent; quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? Hinc etiam [*Al.*, etenim] ad David de pueris suis per sacerdotem dicitur, ut si a mulieribus mundi essent, panes propositionis B acciperent, quos omnino non acciperent, nisi prius mundos eos David a mulieribus fateretur? Tunc autem vir qui post admixtionem conjugis lotus aqua fuerit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam sententiam, etiam ecclesiam licuerit intrare.

IX. *Interrogatio Augustini.* Si post inlusionem quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat; vel, si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare?

*Respondit Gregorius.* Hunc quidem Testamentum veteris legis (*Grat. dist.* VI, *c.* 1), sicut in superiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, et nisi lotum aqua, usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritalis intellegens, C sub eodem intellectu accipiet quo præfati sumus: quia quasi per somnium inluditur qui tentatur immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur; sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat: et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem inlusione valde necessaria discretio, quæ subtiliter pensari debeat, ex qua re accidat menti dormientis: aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate et infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit ita. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc inlusio non est timenda; quia hanc animum nescientem [*Al.*, animus nesciens] pertulisse magis dolendum [*Al.*, dolendus] est, quam fecisse. D Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel missarum solemnia celebrandi: cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium [*Al.*, mysterium] valeant, inlusio pro crapula factá, a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet: si tamen dormientis mentem turpi imaginatione [*Al.*, suggestione] non concusserit. Nam sunt quibus ita

Digitized by Google

plerumque inlusio nascitur, ut eorum animus, etiam in somno corporis positus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, ipsa mens rea, non tamen vel suo judicio libera, cum se, etsi dormienti corpore, nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis, meminit in ingluviem cecidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur inlusio dormientis, patet animo reatus suus: videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestione, an delectatione, vel, quod majus est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum; videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia et primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam vero velut spiritus consensit: et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem atque delectationem, inter delectationem et consensum, judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est; cum vero delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci: si autem etiam ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati initium est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat: nec tamen anima eidem delectationi consentiat. Et cum caro delectare [*Al.*, delectari] sine animo nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, ne [*Al.*, nec] consentiat; et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer [*Al. om.* vehementer] ingemiscat. Unde et ille cælestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Si autem captivus erat, minime pugnabat; sed et pugnabat: [a] quapropter et captivus erat, et pugnabat igitur [*Al.*, et pugnabat. Repugnabat igitur] legi mentis, cui lex quæ membris est, repugnabat. Si autem pugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, captivus et liber; liber ex justitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat [b] invitus.

## CAPUT XXVIII.

*Ut papa Gregorius epistolam Arelatensi episcopo, pro adjuvando in opere Dei Augustino, miserit.*

Hucusque responsiones beati papæ Gregorii ad consulta reverentissimi antistitis Augustini. Epistolam vero [c] quam se Arelatensi episcopo fecisse commemorat, ad Virgilium [d] Etherii successorem dederat [BCI]: cujus hæc forma est:

« Reverentissimo et sanctissimo fratri Virgilio coepiscopo, Gregorius servus servorum Dei.

Quantus sit affectus venientibus sponte fratribus impendendus, ex eo quod plerumque solent caritatis causa invitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra, sicut decet, affectuose dulciterque suscipiat, ut et ipsum consolationis suæ bono refoveat [*Al.*, honore foveat] et alios, qualiter fraterna caritas colenda sit, doceat. Et quoniam sæpius evenit, ut hi qui longe sunt positi, prius ab aliis quæ sunt emendanda, cognoscant: si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotum vel aliorum culpas intulerit, una cum eo residentes subtili cuncta investigatione perquirite, et ita vos in ea quæ Deum offendunt, et ad iracundiam provocant, districtos ac solicitos exhibete, ut ad aliorum emendatio-

[a] *Quapropter et captivus erat.* Facile hic est sensum videre, sed difficile ad verba Codicum reducere. Quisque sibi in conjecturis indulsit. Quidam habent *Captivus non erat. . . . . lege mentis.* Chifl. post *pugnabat*, periodo facta, ponit *Repugnabat igitur.* Ego verba Codicum veterum, Mori et duorum Cotton. textui insero, quia hic ad amussim concordant; placeant alii sibi in lectione supponenda.

[b] *Invitus.* Has quæstiones una cum responsionibus Editores opp. Gregorii solent ponere in Registro epistolarum illius papæ, lib. XI, indict. 4, epist. 64. Et habet quidem scriptum hoc naturam epistolæ decretalis, Beda tamen epistolam non vocat, sed libellum (*Vide* II, 1), cum ordinariam epistolæ molem excedat, et plurima simul majoris momenti argumenta tractet. Quocunque tamen nomine appelletur, conservationem ejus Bedæ debemus; nam eo ipso quo apparuit sæculo, a. 740, Bonifacius Moguntinus de eo tanquam de dubitato vel deperdito ad Nothelmum archiep. Cantuar. sic scribit: « Obsecro ut illius epistolæ qua continentur, ut dicunt, interrogationes Augustini pontificis, ac prædicatoris primi Anglorum, et responsiones sancti Gregorii papæ, exemplar mihi dirigere curetis, quod in tertia generatione propinquitates fidelibus licet matrimonia copulare; et ut scrupulosa diligentia investigare studeatis, si illa conscriptio supradicta Patris nostri Gregorii esse comprobetur annon, quia in scrinio Romanæ Ecclesiæ, ut affirmant scriniarii, cum cæteris Exemplaribus supradicti pontificis quæsita non inveniebatur. » Quid Nothelmus rescripserit non constat; sed ab initio hanc fuisse epistolam in Beda, præter Ms. Mori quod Bonifacii scriptione antiquius est, ipsa ad Nothelmum missio ostendit, et continua sequentium sæculorum testimonia, non solum in libris Bedæ, sed aliorum auctorum qui de rebus ibi tractatis scripserunt, atque hanc epistolam ut summæ auctoritatis laudaverunt. Ad cumulum probationum accedunt successorum Gregorii, et Ecclesiæ totius confirmationes in juris canonici Corpore, quibus hæc rescripta Gregorii in legum ecclesiasticarum formam transierunt, quarum in notis infra textum suis locis citationes posuimus.

[c] *Quam commemorat.* Nempe capite præcedenti, in septima responsione: Quomodo cum episcopis Galliæ et Brittonum agat.

[d] *Etherii successorem.* Nisi Greg. Turon. alium Virgilio prædecessorem ab aliis receptum dedisset, facile vellem suspensum retinere de Beda judicium in Etherio suo Arelatensi. Non enim obiter tantum, aut semel, de Etherio solo loquitur, sed per seriem historiæ suæ, et successionis Arelatensis. Non erat illi ignotus Virgilius, et quidni aliquid fuerit in horum episcoporum chronologia quod obscuris illis temporibus periit?

Digitized by Google

nem et vindicta culpabilem feriat, et innocentem falsa opinio non affligat. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data die decima Kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno decimo nono, [a] post consulatum ejusdem domini nostri anno decimo octavo, indictione quarta. »

## CAPUT XXIX.

*Ut idem Augustino pallium, et epistolam, et plures verbi ministros miserit.*

Præterea idem papa Gregorius Augustino episcopo, quia suggesserat ei multam quidem ibi esse messem, sed operarios paucos, misit cum præfatis legatariis suis plures cooperatores, ac verbi ministros [DCI] : in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus ; et per eos generaliter universa [b] quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, et vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, et sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam apostolorum ac martyrum reliquias, nec non et Codices plurimos. Misit etiam literas in quibus significat se ei pallium direxisse, simul et insinuat qualiter episcopos in Brittania constituere debuisset ; quarum litterarum iste est textus :

« Reverentissimo et sanctissimo fratri Augustino coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.

« Cum certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reservari ; nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, ut in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, et te laborante perducta est, usum tibi pallii in ea ad sola missarum sollemnia agenda concedimus : ita ut per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ subjaceant ditioni, quatenus Lundoniensis civitatis episcopus semper in posterum a synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta et apostolica, cui Deo auctore deservio, sede percipiat. Ad Eburacam vero civitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare ; ita duntaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, et metropolitani honore perfruatur ; quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino favente [*Al.*, faciente] disponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere ; post obitum vero tuum ita episcopis quos ordinaverit præsit, ut Lun-

A doniensis episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter [c] Lundoniæ et Eburacæ [*Al.*, Londoniensis et Eboracensis] civitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus : communi autem consilio et concordi actione quæque sunt pro Christi zelo agenda ; disponant unanimiter, recte sentiant, et ea quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua vero fraternitas non solum eos episcopos quos ordinaverit, neque hos tantummodo qui per Eburacæ episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Brittaniæ sacerdotes habeat Deo Domino nostro Jesu Christo auctore subjectos ; quatenus ex lingua et vita tuæ sanctitatis, et recte credendi et bene vivendi formam [*Al.*, normam] percipiant, atque officium

B suum fide ac moribus exsequentes, ad cælestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data die decima Kalendarum Juliarum, imperante Domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno decimo nono, post consulatum ejusdem domini, anno decimo octavo, indictione quarta. »

## CAPUT XXX.

*Exemplar epistolæ quam Mellito abbati Brittaniam pergenti misit* [Al., *miserit*].

Abeuntibus autem præfatis legatariis, misit post eos beatus Pater Gregorius litteras memoratu dignas [DCI], in quibus aperte quam studiose erga salvationem nostræ gentis invigilaverit, ostendit, ita scribens :

« Dilectissimo filio Mellito abbati Gregorius servus

C servorum Dei.

« Post discessum congregationis nostræ quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nihil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum ergo Deus omnipotens vos ad reverentissimum virum fratrem [*Al.*, . . . . tissimum fratrem] nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei, quid diu [d] mecum de causa Anglorum cogitans tractavi : videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant ; sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur ; aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur : quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu dæmonum in obsequio [*Al.*, obsequia] veri Dei debeant commu-

D tari ; ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua sollemnitas immutari : ut die dedicationis,

[a] *Post consulatum.* Mori Ms., *PC.*, quam abbreviationem quidam Mss. reddiderunt *pontificatus.*

[b] *Quæ ad cultum.* De his liber Cantuariensis Aulæ Trin. Cantab. specialim tractat, cujus de libris Apographum dedit Wanleus in suo Catalogo Mss., pag. 172. Hoc denuo recensitum vide in Append., n. 7.

[c] *Lundoniæ et Eburacæ.* Quas lites hæ litteræ inter sedes Cantuariæ, Eburacæ, Lundoniæ, et sancti Andreæ in Scotia sequioribus sæculis protulerint, satis in Historiis narratum est. Vide Will. Malmesb. Hovedenum, Eadmerum, T. Stubbs, etc. De Eburacæ finitimis quædam in appendice apposui, n. 8.

[d] *Mecum cogitans.* Scripserat Gregorius ad regem Ædilberctum ut idolorum cultus exsequeretur, fanorum ædificia everteret, sed veritus ne nimio ibi abreptus zelo fuerit, Mellitum cum aliis mandatis in ipso itinere insecutus est. Epistolam ad Ædilberctum habes infra, cap. 32, nam hæc epistola ad Mellitum plane extra suum ordinem posita est, sicut et aliæ.

Digitized by Google

vel natalitii [*Al.*, natalitiis] sanctorum martyrum quo- A rum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent; nec diabolo jam animalia immolent, et [*Al.*, sed] ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscidere [*Al.* abscindere] impossibile esse non dubium est, quia et is qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus non autem saltibus elevatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit; sed tamen eis sacrificiorum usus quæ diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in suo B sacrificio animalia immolare præciperet; quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: ut etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueverant, vero tamen Deo hæc et non idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, ut ipse in præsenti illic positus perpendat qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili. Data die decima quinta Kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno decimo nono, post consulatum ejusdem domini anno decimo octavo, indictione quarta. »

## CAPUT XXXI.

*Ut Augustinum per litteras, ne de virtutibus suis glorietur, hortatus sit.* C

Quo in tempore misit etiam Augustino epistolam super miraculis quæ per eum facta esse cognoverat, in qua eum, ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his verbis hortatur:

« Scio, frater carissime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in [a] gentem quam eligi voluit, magna miracula ostendit: unde necesse est ut de eodem dono cælesti et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se elevet, et unde foras [*Al.*, foris] in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debe- D mus quia discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes, dum cælesti Magistro dicerent: *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt;* protinus audierunt: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* In privata enim et temporali lætitia mentem posuerant qui [b] de miraculis gaudebant; sed de privato ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur quibus dicitur: *In hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Non enim omnes electi miracula faciunt; sed tamen eorum nomina omnium in cælo tenentur adscripta. Veritatis etenim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque, frater carissime, ut inter ea quæ operante Domino exterius facis, semper te interius subtiliter judices, ac subtiliter intelligas, et temetipsum quis sis, et quanta sit in eadem gente gratia, pro cujus conversione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et si quando te Creatori nostro seu per linguam, sive per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quidquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi, sed illis deputes [*Al. add.* eis] donata, pro quorum tibi salute collata sunt. »

## CAPUT XXXII.

*Ut Ædilbercto regi litteras et dona miserit.*

Misit [*Al. add.* et] idem beatus papa Gregorius eodem tempore etiam regi Ædilbercto epistolam [DCI], simul et dona in diversis speciebus perplura [*Al.* perpulcra]: temporalibus quoque honoribus regem glorificare satagens, cui gloriæ cælestis suo labore et industria notitiam provenisse gaudebat. Exemplar autem præfatæ epistolæ hoc est:

« Domino gloriosissimo atque præcellentissimo filio Ædilbercto regi Anglorum, Gregorius episcopus.

« Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognovimus: cui vestra gloria idcirco est præposita, ut per bona quæ vobis concessa sunt, etiam subjectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose fili, eam quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extendere [c] festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia everte, subditorum mores et [*Al.*, ex] magna vitæ munditia, exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, et boni operis exempla monstrando ædifica: ut illum retributorem invenias in cælo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cujus vos honorem quæritis et servatis in gentibus.

« Sic etenim Constantinus quondam piissimus imperator, Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subjectis populis tota ad eum [*Al.*, Deum] mente convertit.

[a] *Gentem.* Vulgg. plurimi et vett., *gente*, sed Mori Ms. et Chiffl., *gentem*.

[b] *De miraculis.* Hæc pars tantum est epistolæ, principio et fine omissis, de quibus vide appendicem, inter epistolas Brittanicas. Ex integra epistola perlecta nullus dubito quin responsio fuerit ad nuntium Augustini, cap. 27, quo certior factus est de ejus consecratione et miraculis de quibus ad Eulogium Alexandrinum scripsit.

[c] *Festina .... zelum.* Hujus quantum pœnituit Gregorium vide supra, in epistola ad Mellitum.

Digitized by Google

Unde factum est ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione prædecessores suos, quanto et in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, regibus ac populis sibimet subjectis festinet infundere, et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, et quanto in subjectis suis etiam aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat.

« Reverendissimus frater noster Augustinus episcopus, in monasterii regula edoctus [*Al.*, doctus], sacræ Scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos ammonet, audite, devote peragite, studiose in memoria reservate: quia si vos eum in eo quod pro omnipotente Domino loquitur, auditis, isdem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudit [*Al.*, exaudiet]. Si enim, quod absit, verba ejus postponitis, quando [*Al.*, quomodo] eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei stringite, atque adnisum [*Al.*, ad nisum] illius virtute quam vobis divinitas tribuit, adjuvate [*Al.*, adjuvante], ut regni sui vos ipse faciat esse participes, cujus vos fidem in regno vestro recipi faciatis [*Al.*, facitis] et custodiri.

« Præterea scire vestram gloriam volumus, quia sicut in Scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi jam [a] terminus juxta est, et sanctorum regnum venturum est, quod nullo unquam poterit fine terminari. Adpropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ antea non fuerunt: videlicet immutationes aeris, terroresque de cælo, et contra ordinationem [*Al.*, ordinem] temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræ motus per loca; quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque, si qua ex his evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis; quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse soliciti, de mortis hora suspecti, et venturo judici in bonis actibus inveniamur esse præparati. Hæc nunc, gloriose Fili, paucis locutus sum, ut cum Christiana fides in regno vestro excreverit, nostra quoque apud vos locutio latior excrescat, et tanto plus loqui libeat, quanto se in mente nostra gaudia de gentis vestræ perfecta conversione multiplicant.

« Parva autem exenia transmisi, quæ vobis parva non erunt, cum a vobis ex beati Petri apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram, et hic per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cælestis vos patriæ congregatione recipiat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, domine fili. Data die decima Kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno decimo nono, post consulatum ejusdem anno decimo octavo, indictione quarta. »

## CAPUT XXXIII.

*Ut Augustinus Ecclesiam Salvatoris instauraverit, et monasterium beati Petri apostoli fecerit; et de primo ejus abbate Petro.*

At Augustinus, ubi in regia civitate sedem episcopalem, ut prædiximus, accepit, recuperavit in ea, regio fultus adminiculo, Ecclesiam quam inibi antiquo [*Al.*, antiquorum] Romanorum fidelium opere factam fuisse didicerat, et eam [b] in nomine sancti Salvatoris Dei et Domini nostri Jesu Christi sacravit [DXCVIII], atque ibidem sibi habitationem statuit, et cunctis successoribus suis. Fecit autem et [c] monasterium non longe ab ipsa civitate ad Orientem, in quo, ejus hortatu, Ædilberct ecclesiam beatorum apostolorum [d] Petri et Pauli a fundamentis construxit, ac diversis donis [e] ditavit [*Al.*, dotavit], in qua et ipsius Augustini, et omnium episcoporum Doruvernensium, simul et regum Cantiæ [f] poni corpora possent. Quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed [g] successor ejus Laurentius consecravit. [h] Primus autem ejusdem monasterii abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus Galliam missus, [i] demersus...

[a] *Terminus juxta.* Ne mireris Gregorium hæc de mundi termino subabrupte inferre. Ille enim, præsagio ducto a variis quæ tunc orbem invaserant calamitatibus, opinionem imbiberat terminum mundi sæculo illi imminere. Unde non solum in hac epistola ad regem, sed in aliis ejus scriptis hortatur passim aliquid ex hoc principio petitum.

[b] *In nomine.* Sæpius mutato nomine, antiquum hodie Christi, sancti Salvatoris obtinet.

[c] *Monasterium.* Liber ms. A. T. C. aliique meminerunt fani antiqui, et ecclesiæ sancti Pancratii, ratione etiam nominis reddita unde Augustinus illi sancto ecclesiam dedicaverit. Sed de eis nihil in Beda, imo nec in chartis Ædilbercti.

[d] *Petri et Pauli.* Huic apostolorum nomini a temporibus Dunstani nomen Augustini additum, quod veterem appellationem in communi usu absorpsit.

[e] *Ditavit.* Tres donationum chartas habemus in mon. Aug., ubi supra notavi, quartam in ms. A. T. C. quam posui in append., n. 9. De quarum chartarum auctoritate antiqua lis est. Et fuit monachorum, et præcipue Cantuarensium in chartis cudendis licentia ut etiam verarum fidem suspectam redderet. Vide quæ Papebrochius, in Propyl., t. II April., et Mabillon., de Re diplom., utrinque de his rebus congesserunt. Sed præter chartas regis, habuerunt etiam monachi bullam Augustini, licet de ejus veritate semper dubitatum est, et ms. A. T. C. ipsa sua Apologia id abunde probavit.

[f] *Poni corpora.* Legibus illius sæculi illicita fuisse dicitur intra civitates sepultura. Regum autem et episcoporum Doruv. corpora in mon. hoc Petri et Pauli ponebantur donec Cuthberctus archiep. sepulturæ licentiam in mon. Christi obtinuit, ubi et ipse sepultus est anno 758.

[g] *Successor.* Certe non diu abest Augustini mors.

[h] *Primus abbas.* Succedunt Johannes, Rufinianus, Gratiosus, Petronius, Nathanael, qui cum Augustino, aut postea cum Mellito et Justo in Angliam venerunt.

[i] *Demersus.* Martyrologium Anglicanum et Ferrarius Petri natalem ponunt VIII Id. Jan., Benedictinum



Digitized by Google

mersus est in sinu maris qui vocatur [a] Amfleat, et ab incolis loci ignobili traditus sepulturæ : sed omnipotens Deus ut qualis meriti vir fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulcrum ejus lux cœlestis apparuit, donec animadvertentes [b] vicini, qui videbant sanctum fuisse virum qui ibi esset sepultus, et investigantes unde vel quis esset, abstulerunt corpus, et in Bononia civitate juxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt.

## CAPUT XXXIV.

*Ut Ædilfrid rex Nordanhymbrorum, Scottorum gentes prælio conterens, ab Anglorum finibus expulerit.*

Illis temporibus regno Nordanhymbrorum præfuit rex fortissimus et gloriæ cupidissimus Ædilfrid, qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem vastavit Brittonum; ita ut Sauli quondam regi Israeliticæ gentis comparandus videretur, excepto dumtaxat hoc, quod divinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis vel subjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud quod benedicens filium patriarcha in personam [*Al.*, persona] Saulis dicebat aptari : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Unde motus ejus profectibus Ædan [*Chiff.*, Edam] rex Scottorum qui Brittaniam inhabitant, venit contra eum cum immenso ac forti exercitu; sed cum paucis aufugit victus. Siquidem in loco celeberrimo qui dicitur [c] Degsastan, id est, Degsa lapis, omnis pene ejus est cæsus exercitus. In qua etiam pugna Theodbald [*Al.*, Theobaldus] frater Ædilfridi, cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est. Quod videlicet bellum Ædilfrid anno ab incarnatione Domini sexcentesimo tertio, regni autem sui, quod viginti et quatuor annis tenuit, anno undecimo, perfecit : porro Focatis anno, qui tum Romani regni apicem tenebat, primo. [d] Neque ex eo tempore quisquam regum Scottorum in Brittania adversus gentem Anglorum usque ad hanc diem in prælium venire audebat.

et Molanus III Kal. Jan. Forte hic translationis, ille obitus dies fuerit.

[a] *Amfleat.* Vulgo *Ambleteau.*

[b] *Vicini.* Pietas hæc Fumertio comiti tribuitur a Malebrane in Morinis, lib. III, cap. 4. Requiescit Petrus celebriter Bononiæ in ecclesia Canonicorum. Vide Gotselinum, de Translatione sancti August., II, 28.

[c] *Degsastan.* Hic locus, Bedæ sæculo tam celebris, hodie ignotus est. Plura sunt in ea regione oppida nomine ad hanc pugnam probabili appellata. Editor Annal. Sax. eam ponit ad Dalston, juxta Carliol., episcopus Carliol. ad Dawston juxta Jedbrough.

[d] *Neque... quisquam.* Fordonus, III, 31, ait Eugenium Aidani filium successisse anno 106, et « regiones Saxonum, aliquandoque Pictorum gravibus irruptionibus infestasse. » Sed hoc contra Bedam, qui Scottorum quietem testatur usque ad ann. 731, quo et ipse vixit. Vide v, 24.

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De obitu beati papæ Gregorii.*

His temporibus, id est, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo [a] quinto, beatus papa Gregorius, postquam sedem Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ tredecim annos, menses sex, et dies [b] decem gloriosissime rexit, defunctus est, atque ad æternam regni cœlestis sedem translatus. De quo nos convenit, quia nostram, id est, Anglorum gentem de potestate Satanæ ad fidem Christi sua industria convertit, latiorem in nostra Historia ecclesiastica facere sermonem, quem recte nostrum appellare possumus et debemus apostolum. Quia cum primum in toto orbe pontificatum gereret, et conversis jam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam, Christi fecit Ecclesiam, ita ut apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem : quia etsi aliis non est apostolus, sed tamen nobis est; nam signaculum apostolatus ejus nos sumus in Domino. Erat autem natione Romanus, a patre Gordiano, genus a proavis non solum nobile, sed et religiosum ducens. Denique [*Al.*, deinde] [c] Felix ejusdem apostolicæ sedis quondam episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo et Ecclesia, ejus fuit [d] atavus.

Sed et ipse nobilitatem religionis non minore quam parentes et cognati virtute devotionis exercuit. [e] Nobilitatem vero illam quam ad sæculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis divina gratia largiente convertit. Nam

[a] *Quinto.* Indictione octava, vide Chron. ad *Phocam.* Ita et Paulus diaconus lib. IV Hist. Lombard., Bedam secutus. Joannes diaconus et plerique alii an. 604 ponunt, indict. 7. Mortuus est initio Martii qui secundum Julianum calculum in an. 605 intrat. Florentius Vigorn., et Math. Westm., et Chron. mss. A. T. C. consentiunt in an. 605, obitum S. Gregorii ponentes IV Id. Martii, feria sexta.

[b] *Decem.* Numeratis scilicet diebus consecrationis atque obitus.

[c] *Felix.* J. diaconus *Quartum* scribit, sicut et Martyrologium Rom. ante Baronii emendationem qui *Tertium* vult, sed invalidis tantum argumentis.

[d] *Atavus.* Non necessarium est hoc stricte accipi pro patre abavi, et avo proavi, sed hac voce unus ex majoribus, non habita ratione gradus aut consanguinitatis intelligi potest.

[e] *Nobilitatem vero illam.* Abhinc omnia fere Bedæ verba transcripsit Paulus diaconus in Vita Greg., ut et paucis mutatis Joannes, licet dicat se scrinii papalis auctoritatem, papa largiente, pene in cunctis secutum.

Digitized by Google

mutatus repente habitu sæculari, monasterium petiit, A in quo tanta perfectionis gratia cœpit conversari, ut, [a] sicut ipse postea flendo solebat attestari, animo illius labentia cuncta subter essent, ut rebus omnibus quæ volvuntur, emineret, ut nulla nisi cœlestia cogitare soleret, ut etiam retentus corpore, ipsa jam carnis claustra contemplatione transiret, ut mortem quoque quæ pene cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ et laboris sui præmium, amaret. Hoc [*Al.*, Hæc] autem ipse de se, non profectum jactando virtutum, sed deflendo potius defectum quem sibi per curam pastoralem incurrisse videbatur, referre consueverat. Denique tempore quodam secreto, cum diacono suo Petro colloquens, enumeratis animi sui virtutibus priscis, mox dolendo subjunxit : « [b] At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulcram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque se pro descensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amisi : dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc gravius quod porto. Hæc quidem sanctus vir ex magnæ [*Al.*, magna] humilitatis intentione dicebat : sed nos credere decet, nihil eum monachicæ perfectionis perdidisse occasione curæ pastoralis, imo potiorem tunc sumpsisse profectum de labore conversionis multorum, quam de propriæ [*Al.*, propria] quondam quiete conversationis habuerat : maxime quia et pontificali functus officio [c] domum suam monasterium facere curavit; et dum primo de monasterio abstractus, ad ministerium altaris ordinatus, atque Constantinopolim [d] apocrisiarius [*Al.*, apocrisarius] ab apostolica sede directus est, non tamen in terreno conversatus palatio propositum vitæ cœlestis intermisit. Nam quosdam fratrum ex monasterio suo, qui eum gratia germanæ caritatis ad regiam urbem secuti sunt, in tutamentum cœpit observantiæ regularis habere; videlicet ut eorum semper exemplo, sicut ipse scribit, ad orationis placidum litus, quasi anchoræ fune restringeretur, cum incessabili causarum sæcularium impulsu fluctuaret, concussamque sæculi actibus mentem inter eos quotidie per studiosæ lectionis roboraret alloquium. Horum ergo consortio non solum a terrenis est munitus incursibus, verum etiam ad cœlestis vitæ exercitia magis magisque succensus.

Nam hortati sunt eum, ut librum beati Job magnis involutum obscuritatibus, mystica interpretatione discuteret : neque negare potuit opus quod sibi fraternus amor multis utile futurum imponebat. Sed eumdem librum, quomodo juxta litteram intelligendus, qualiter ad Christi et Ecclesiæ sacramenta referendus, quo sensu unicuique fidelium sit aptandus, per triginta et quinque libros expositionis miranda ratione perdocuit. Quod videlicet opus in regia quidem urbe apocrisiarius inchoavit, Romæ autem jam pontifex factus explevit [*Al.*, implevit]. Qui cum esset regia in urbe positus, nascentem ibi novam hæresim de statu nostræ resurrectionis, cum ipso ex quo orta est, initio, juvante se gratia catholicæ veritatis, attrivit. Siquidem Eutychius, ejusdem urbis episcopus dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aereque subtilius esse futurum : quod ille audiens, et ratione veritatis, et exemplo dominicæ resurrectionis probavit hoc do- B gma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium. Catholica etenim fides habet, quod corpus nostrum [*Al. add.* in] illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ : juxta exemplum dominici corporis, de quo a mortuis suscitato, dicit ipse discipulis : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). In cujus assertione fidei venerabilis Pater Gregorius in tantum contra nascentem hæresim novam laborare contendit, tanta hanc instantia, [e] juvante etiam piissimo imperatore Tiberio Constantino, comminuit, ut nullus exinde sit inventus qui ejus resuscitator existeret. Alium quoque librum compo- C suit egregium, qui vocatur *Pastoralis*, in quo manifesta luce patefecit, quales ad Ecclesiæ regimen adsumi, qualiter ipsi rectores vivere, qua discretione singulas quasque audientium instruere personas, et quanta consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed et omelias [*Al.*, homilias] Evangelii numero quadraginta composuit, quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor fecit, in quibus rogatu Petri diaconi sui, virtutes sanctorum quos in Italia clariores nosse vel audire poterat, ad exemplum vivendi posteris collegit : ut sicut in libris Expositionum suarum quibus sit virtutibus insudandum, edocuit, ita etiam descriptis sanctorum miraculis, quæ virtutum earumdem sit claritas ostenderet. Primam quo- D que et ultimam Ezechielis prophetæ partem, quæ videbantur obscuriores, per homilias viginti et duas, quantum lucis intus habeant demonstravit. Excepto libello Responsionum, quem ad interrogationes sancti Augustini primi Anglorum gentis episcopi scripsit, ut et supra docuimus, totum ipsum libellum his inserentes historiis; [f] libello quoque synodico,

[a] *Sicut ipse ... cum suo Petro.* In prologo Dialogorum. Et similia scribit in præfat. Moralium ad Leandrum, et in lib. I, epist. 4, 5, 6, etc.

[b] *At nunc.* Al., *At nunc infelix animus meus*, etc.

[c] *Domum suam.* Sub honore S. Andr. ap. juxta basilicam SS. Joannis et Pauli ad Clivum Scauri in Cœlio monte.

[d] *Apocrisiarius.* Responsalis, negotiorum curator. A papa Pelagio secundo apud Tiberium Constantinum Aug. Duo tunc erant quæ præcipue Rom. Ecclesiam totamque vexabant Italiam, schisma scilicet ob Tria Capitula, et bellum Longobardicum.

[e] *Juvante.* Vide Chronicon, N. 4556.

[f] *Libello synodico.* Ad reliquos patriarchas pro more Ecclesiæ scripto. Hunc libellum vide apud J. Diacon. in Vita Greg., lib. II, sect. 3. Plura ejusmodi exempla ab aliis pontificibus, habes in Libro Diurn. Rom. pont., p. 26, etc.

Digitized by Google

[a] quem cum episcopis Italiæ de necessariis Ecclesiæ causis utillimum composuit, et familiaribus ad quosdam literis. Quod eo magis mirum est, tot enim ac tanta condere volumina potuisse, quod omni pene juventutis suæ tempore, ut verbis ipsius loquar, crebris viscerum doloribus cruciabatur, horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassescebat, lentis quidem [*Al.*, quoque], sed tamen continuis febribus anhelabat. Verum inter hæc, dum sollicitus pensaret quia Scriptura teste : Omnis filius qui recipitur, flagellatur; quo malis præsentibus durius deprimebatur, eo de æterna certius præsumptione respirabat.

Hæc quidem de immortali ejus sint dicta ingenio, quod nec tanto corporis potuit dolore restingui [*Al.*, restringi]. Nam alii quidem pontifices construendis ornandisque auro vel argento ecclesiis operam dabant : hic autem totus erga animarum lucra vacabat.

Quidquid pecuniæ habuerat, sedulus hoc dispergere ac dare pauperibus curabat, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi, et cornu ejus exaltaretur in gloria ; ita ut illud beati Job veraciter dicere posset : *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam* (*Job.* XXIX, 11, 17). Et paulo post : *Si negavi*, inquit, *quod volebant pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum* (*Job.* XXXI, 17, 18).

Ad cujus pietatis et justitiæ opus pertinet etiam hoc, quod nostram gentem per prædicatores quos huc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participem : cujus fidei et saluti congaudens, quamque digna laude commendans, [b] ipse dixit in Expositione beati Job : « Ecce lingua Brittaniæ, quæ nil aliud noverat quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræum cœpit *Alleluia* sonare [*Al.*, resonare]. Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus servit Oceanus, ejusque barbaros motus quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant, et qui catervas pugnantium infidelis [*Al.*, infideles] nequaquam metueret, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis [*Al.*, præceptis] cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrænatur, ut prave agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam [*Al.*, gloriam] venire concupiscat. Quibus verbis beatus Gregorius hoc quoque declarat, quia sanctus Augustinus et socii ejus, non sola prædicatione verborum, sed etiam cælestium ostensione signorum, gentem Anglorum ad agnitionem veritatis perducebant.

Fecit inter alia beatus papa Gregorius, ut in ecclesiis sanctorum [*Al.*, beatorum] apostolorum Petri et Pauli [c] super corpora eorum missæ celebrarentur. Sed et in ipsa missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena [d] superadjecit : « Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari [e]. »

Rexit autem Ecclesiam temporibus imperatorum [*Al.*, *om.* imperatorum] Mauricii et Focatis. Secundo autem ejusdem Focatis anno transiens ex hac vita migravit ad veram quæ in cælis est vitam. Sepultus vero est corpore in ecclesia beati Petri apostoli, ante secretarium, die quarto Iduum Martiarum, quandoque in ipso cum cæteris sanctæ Ecclesiæ pastoribus resurrecturus in gloria : scriptumque in tumba ipsius epitaphium hujusmodi :

Suscipe, terra, tuo corpus de corpore sumptum,
  Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit, leti nil jura nocebunt,
  Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro,
  Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
  Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu, quidquid sermone docebat,
  Esset ut exemplum, mystica verba loquens.
Ad Christum Anglos convertit [f] pietate magistra,
  Adquirens fidei [g] agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
  Ut Domino offer es plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus lætare triumphis :
  Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

[h] Nec silentio prætereunda opinio quæ de beato Gregorio, traditione majorum ad nos usque perlata est : qua videlicet ex causa admonitus, tam sedulam erga salutem nostræ gentis curam gesserit. Dicunt, quia die quadam cum advenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent conlata, multique ad emendum confluxissent, et ipsum Gregorium inter alios advenisse, ac vidisse inter alia [i] pueros venales positos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogavit, ut aiunt, de qua regione vel terra

[a] *Quem cum episc.* Ms. Mori, quem episcopis; al., *coepiscopis*.

[b] *Ipse dixit in Expositione Job*. Lib. XXVII, cap. 8.

[c] *Super corpora*. Acquisitis numerosissimis olivetis, *etc.* J. diacon., I, sect. 20.

[d] *Superadjecit*. J. Diaconus, lib. II, § 17. Gelasius papa antiquum Missale recognovit, Gregorius Gelasianum, unde ortus liber Sacramentorum in quo hæc verba ad canonem apposuit.

[e] Al. add., *Per Christum Dominum nostrum*.

[f] *Ad Christ. Angl. conv.* Al., *Anglos ad Christum vertit*.

[g] *Fidei*. Ed. J. Diac., *fideique*.

[h] *Nec silentio*. Ms. Barlow hic orditur cap. 2.

[i] *Pueros*. Consuetudo etiamnum multis in locis Belgii observata pueros in S. Gregorii festo scholas ad discendum alphabetum primum intrare, et S. Greg. habetur ibi patronus addiscentium litteras.

Digitized by Google

essent adlati. Dictumque [*Al. om.* que] est quod de Brittania insula, cujus incolæ talis essent aspectus. Rursus interrogavit utrum iidem insulani, Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictumque est quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: « Heu, proh dolor! inquit, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque gratia frontispicii mentem ab interna gratia vacuam gestat! » Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille [*Al. om.* At ille]: « Bene, inquit; nam et [a] angelicam habent faciem, et tales angelorum in cælis decet esse coheredes. Quod habet nomen ipsa provincia de qua isti sunt adlati? » Responsum est, quod *Deiri* vocarentur iidem provinciales. At ille: « Bene, inquit, Deiri, de ira eruti, et ad misericordiam Christi vocati. Rex provinciæ illius quomodo appellatur [*Al.*, vocatur]? » Responsum est, quod *Aella* [*Al.*, Ealle, Aelle, Alle, Ealle] diceretur. At ille adludens ad nomen ait: « *Alleluia*, laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari. » Accedensque ad [b] pontificem Romanæ et apostolicæ sedis, nondum enim erat ipse pontifex factus, rogavit ut genti Anglorum in Brittaniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum converteretur, mitteret; seipsum paratum esse in hoc opus Domino cooperante perficiendum, si tamen apostolico papæ hoc ut fieret, placeret. Quod dum perficere non posset, quia etsi pontifex concedere illi quod petierat voluit, non tamen cives Romani, ut tam longe ab Urbe recederet [*Al.*, secederet] potuere permittere; mox ut ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum: alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem ut fructificaret, suis exhortationibus ac [c] precibus adjuvans. Hæc juxta opinionem quam ab antiquis accepimus, Historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere opportunum [*Al.*, optimum] duximus.

## CAPUT II.

*Ut Augustinus Brittonum episcopos pro pace catholica, etiam miraculo cælesti coram eis facto, monuerit; quæve illos spernentes ultio secuta sit.*

[DCIII.] [d] Interea Augustinus adjutorio usus Ædilbercti regis, convocavit ad suum colloquium [e] episcopos sive doctores proximæ Brittonum provinciæ, in loco qui usque hodie lingua Anglorum [f] *Augustinaes ac*, id est, robur Augustini, in confinio Huicciorum [*Al.*, Huictiorum, Uuicti, Vect.], et Occidentalium Saxonum, appellatur: cœpitque eis fraterna admonitione suadere, ut pace catholica secum habita, communem evangelizandi gentibus pro Domino laborem susciperent. Non enim [g] Paschæ Dominicum diem suo tempore, sed a quarta decima usque ad vicesimam lunam observabant: quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur. Sed et alia plurima unitati ecclesiasticæ [*Al.*, Ecclesiæ] contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum ejus assensum præbere voluissent, sed suas potius traditiones universis, quæ per orbem sibi in Christo concordant, Ecclesiis præferrent, sanctus Pater Augustinus hunc laboriosi atque longi certaminis finem fecit, ut diceret: « Obsecremus Deum, qui habitare facit [*Al.*, fecit] unanimes in domo Patris sui, ut ipse nobis insinuare cælestibus signis dignetur, quæ sequenda traditio, quibus sit viis ad ingressum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, et per cujus preces fuerit curatus, hujus fides et operatio Deo devota atque omnibus sequenda credatur. » Quod cum adversarii inviti licet concederent, allatus est quidam de genere Anglorum, oculorum luce privatus; qui cum oblatus Brittonum sacerdotibus, nil curationis vel sanationis horum ministerio perciperet; tandem Augustinus justa necessitate compulsus, flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, deprecans ut visum cæco, quem amiserat, restitueret, et per illuminationem unius hominis corporalem, in plurimorum corde [*Al.*, cordibus] fidelium spiritalis gratiam lucis [*Al.*, gratiæ lucem] accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augustinus. Tum Brittones confitentur quidem intellexisse se veram esse viam justitiæ quam prædicaret Augustinus: sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus. Unde postulabant ut secundo [*Al.*, secunda] synodus pluribus advenientibus fieret.

Quod cum esset statutum, venerunt, ut perhibent, [h] septem Brittonum episcopi et plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio,

[a] *Angelicam.* Huic traditioni fidem aliquam addit quod cum ipse Gregorius ad Anglos convertendos iter ingressus esset, revocatus fuit accessu Locustæ, cujus nomen suggessit *Loco standum* esse. Atque hoc serio a J. Diacono scribitur. Vide lib. I, § 24.

[b] *Pontificem.* Paulus Diaconus hunc Pelagium vult, Joannes Diaconus Benedictum Pelagii prædecessorem.

[c] *Precibus.* Imo et nummis, nam de patrimoniolo, cujus collectioni Candidum præfecit lib. I, cap. 24, in ep. ad Ætherium, ex aliis epistolis patet, magnam partem insumptam in pueris ethnicorum emendis ut ad Christum educarentur.

[d] *Interea.* Annum hujus synodi Beda non exhibet. Ran. Cestr. ponit an. 599, Spelman. an. 601, Sigebert an. 602, Flor. Wigorn. an. 603. Et quidem cum Beda locum ei assignet post prælium Degsastan, quod fuit an. 603, ego ante illum saltem annum hanc synodum ponere non possum.

[e] *Episcopos sive Doctores.* Vide n. 14, *Doctori atque antistiti suo sedem episcopatus donavit.*

[f] *Augustinaes ac.* Villam plerique hic quærunt, *Ausrick*, Spelman; *Ossentree*, Hammond; *Ake*, al. *Rock*, Tomkins, cujus de hac re epistolas duas vide C. C. C. Oxon. inter Fulmanni Collectiones, vol. II. Sed videtur hoc colloquium habitum non in villa quavis, sed sub dio, ad insignem aliquam quercum. Sicut moris erat majoribus nostris convenire, non ex superstitione, sed ad liberiorem populi concursum.

[g] *Paschæ.* De hac controversia vide append. n. IX.

[h] *Septem.* Ad hunc numerum episcoporum non desunt auctores in sedibus aptandis. *Lhandaf*, sive *Tav*, quæ et *Morganensis* est a comitatu; *S. Asaph*, sive *Lhan-Elwi*; *S. Paterni*, com. Cardigan, postea

Digitized by Google

quod vocatur lingua Anglorum [a] *Bancornaburg*, cui A tempore illo Dinoot [*Al.*, Dinooth] abbas præfuisse narratur, qui ad præfatum iteri concilium, venerunt primo ad quemdam virum sanctum ac prudentem, qui apud eos anachoreticam ducere vitam solebat, consulentes, an ad prædicationem Augustini suas deserere traditiones deberent. Qui respondebat: « Si homo Dei est, sequimini illum. » Dixerunt: « Et unde hoc possumus probare? » At ille: « Dominus, inquit, ait: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Si ergo Augustinus ille mitis est et humilis corde, credibile est quia jugum Christi et ipse portet, et vobis [*Al.*, nobis] portandum offerat: sin autem immitis ac superbus est, constat quia non est de Deo, neque nobis ejus sermo curandus [*Al. add.* est]. » Qui rur- B sus aiebant: « Et unde vel hoc dinoscere valemus? Procurate, inquit, ut ipse prior cum suis ad locum synodi adveniat, et si vobis adpropinquantibus adsurrexerit, scientes quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite: sin autem vos spreverit, nec coram vobis adsurgere voluerit, cum sitis numero plures, et ipse spernatur a vobis. » Fecerunt ut dixerat. Factumque est ut venientibus illis sederet Augustinus in sella. Quod illi videntes, mox in iram conversi sunt, eumque notantes superbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem eis: Quia in multis quidem nostræ consuetudini, immo universalis Ecclesiæ contraria geritis: et tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha C suo tempore celebretis; ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ compleatis; ut genti Anglorum una nobiscum verbum Domini prædicetis: cætera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. [b] At illi nil horum se facturos, neque illum pro archiepiscopo habituros esse respondebant: conferentes ad invicem, Quia si modo nobis adsurgere noluit, quanto magis si ei subdi cœperimus, jam nos pro nihilo contemnet.

Quibus vir Domini Augustinus fertur minitans prædixisse, quia si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi; et si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, ut prædixerat, divino agente judicio patratum est.

Siquidem post hæc ipse de quo diximus, rex Anglorum fortissimus Aedilfrid, collecto grandi exercitu, ad civitatem Legionum, quæ a gente Anglorum *Legacestir*, a Brittonibus autem rectius [c] *Carlegion* appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit [DCXIII]. Cumque bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, seorsum in tutiore loco consistere, sciscitabatur qui essent hi, quidve acturi illo convenissent. Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor, in quo [d] tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto jejunio triduano, cum aliis orandi causa convenerant, habentes defensorem nomine Brocmailum, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum causam adventus cum intellexisset rex Aedilfrid, ait: « Ergo si adversum nos ad Deum suum clamant, profecto et ipsi quamvis arma non ferant, contra nos pugnant qui adversis nos imprecationibus persequuntur. Itaque in hos primum arma verti jubet, et sic ceteras nefandæ militiæ copias non sine magno exercitus sui damno delevit. Exstinctos in ea pugna ferunt, de his qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, et solum quinquaginta fuga esse lapsos. Brocmail ad primum hostium adventum cum suis terga vertens, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum est præsagium sancti pontificis Augustini, [e] quamvis ipso jam multo ante tempore ad cælestia regna sublato, ut etiam temporalis interitus ultione [*Al.*, ultionem] sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreverant.

in sede *Menevensi* inclusa; *Bangor*; *Cestre*; *Hen*, sive *Here-ford*; *Wiccior*, sive *Wigorn*. His addi possent S. *Kebii*, et *Guentonia*, vetustissima loca, si citra Sa- D brinam vagari nolumus. Imo in tot catalogis cur non videmus matrem omnium *Caerlegionem*, quæ postea *Meneviam* secessit? Hujus sedis episcopus non adfuisse dicitur synodo Augustinianæ, cavens scilicet juri suo metropolitico. Et justa quidem ratio illa absentiæ esset, sed justa etiam præsentiæ. Nihil igitur de hac re Beda, nec inde aliquid observandum puto, nisi quod historici sequentium temporum septem episcopos præter metropolitanum statuere voluerunt.

[a] *Bancorn burg*. Ad Devam fluvium non procul a Cestria, vulgo *Bangor is-y-Coed*, id est subter Sylvam, ut distinguatur a Bangor ad Menai vel Menea fretum, ubi sedes episcopalis est. Monasterii Bancornensis ampla memorat Gul. Malmesb. in sua ætate vestigia, quæ ferme evanuerunt. Suspicor tamen haud minimam eorum partem veteris Bonii fuisse, e nummis Romanis ibi erutis.

[b] *At illi*. De hac responsione vide append. n. 10.

[c] *Carlegion*. Super Devam, vulgo Westchester. Urbem enim cognominem quæ super Iscam jacet, Brittones metropolitanam habebant, procul ad Austrum positam.

[d] *Tantus numerus*. Notandum est etiam aliud fuisse monasterium Bancor in Ultonia Hiberniæ juxta sinum Petræ Fergusianæ, vulgo Cnocfergus, quod tam numero monachorum quam aliis circumstantiis describitur a S. Bernardo in Vita S. Malachiæ, modo adeo parili, ut alterum alterius archetypum fuisse manifestum sit.

[e] *Quamvis ipso jam multo ante tempore ad cælestia regna sublato*. Hæc clausula non reperitur in Paraphrasi Saxonica; unde colligunt multi, interpolationem esse post tempora regis Alfredi, ad tollendam labem cædis monachorum Banchorensium quæ Augustino, si in vivis fuisset, imputari posset. De aliis argumentis videantur qui utrinque de hac re scri-

Digitized by Google

## CAPUT III.

*Ut idem Mellitum ac Justum episcopos fecerit; et de obitu ejus.*

Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto Augustinus, Brittaniarum archiepiscopus, ordinavit duos episcopos, Mellitum videlicet et Justum : Mellitum quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Tamense fluvio dirimuntur a Cantia [*Al.*, Cantio], et ipsi Orientali mari contigui, quorum metropolis Lundonia civitas est, super ripam præfati fluminis posita, et ipsa multorum emporium [*Al.*, emptorium] populorum terra marique venientium : in qua videlicet gente tunc temporis Saberct nepos Aedilbercti ex sorore Ricula regnabat, quamvis sub potestate positus ejusdem Aedilbercti, qui omnibus, ut supra dictum est, usque ad terminum Humbræ [*Al.*, Humbri] fluminis, Anglorum gentibus imperabat. Ubi vero et hæc provincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit rex Aedilberct in civitate Lundonia ecclesiam sancti Pauli apostoli, in qua locum sedis episcopalis et ipse et successores ejus haberent. Justum vero in ipsa Cantia Augustinus episcopum ordinavit in civitate Durubrevi [*Al.*, Doroverni], quam gens Anglorum a primario quondam illius qui dicebatur [a] *Hrof*, *Hrofæscæstrae* cognominat. Distat autem a Doruverni millibus passuum ferme viginti quatuor ad occidentem, in qua rex Aedilberct ecclesiam beati [b] Andreæ apostoli fecit, qui etiam episcopis utriusque hujus ecclesiæ dona multa, sicut et Doruvernensis [*Al.*, Doroverniensis], obtulit : sed et territoria ac posses-

A siones in usum eorum qui erant cum episcopis, adjecit.

[c] Defunctus est autem Deo dilectus Pater Augustinus [DCV], et positum corpus ejus foras, juxta ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli, cujus supra meminimus, quia ea necdum fuerat perfecta, nec [d] dedicata. Mox vero ut dedicata est, intro inlatum, et in [*Al.*, inlatum in] porticu illius aquilonali decenter [e] sepultum est : in qua etiam sequentium archiepiscoporum omnium sunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id est, Theodori et Berctualdi, quorum corpora [*Al.*, *om.* corpora] in ipsa ecclesia posita sunt, eo quod prædicta [f] porticus plura capere nequivit. Habet hæc in medio pene sui, altare in honore beati papæ Grego-
B rii dedicatum, in quo per omne sabbatum, a presbytero loci illius [g] Agendæ eorum solemniter celebrantur. Scriptum vero est in tumba ejusdem Augustini epitaphium hujusmodi :

HIC REQUIESCIT DOMNUS AUGUSTINUS

DORUVERNENSIS ARCHIEPISCOPUS PRIMUS,

*Qui olim huc a beato Gregorio Romanæ urbis pontifice directus, et a Deo operatione miraculorum suffultus, Aedilberctum regem, ac gentem illius ab idolorum cultu ad Christi fidem perduxit, et completis in pace diebus officii sui, defunctus est septimo Kalendas Junias, eodem rege regnante.*

## CAPUT IV.

*Ut Laurentius cum coepiscopis suis Scottos unitatem sanctæ Ecclesiæ, et maxime in Pascha observando sequi monuerit, et ut Mellitus Romam ve-*
C *nerit.*

Successit [*Al.*, *add.* autem] Augustino in episco-

possere; quod ad lectionem autem, et possum et debeo profiteri, quod in omnibus quos evolvi codicibus Latinis, nunquam ullum inveni cui hæc clausula non adesset, idque sine ulla mendi aut fraudis suspicione. Idem etiam Whelocum de tribus quos ille habuit mss. video testantem in epistola ad Dn. Simm. Dewes, dat. 26 Jan. 1639, quæ habetur in Amplissimo Thesauro Hon. domini Roberti comitis Oxon. Ibi porro Augustini minis non sine culpa aliqua notatis, quæstioni de cæde monachorum respondet, « Se nescire : sed ex omissione Saxonica nihil arguendum esse. Quia moris est Paraphrasti in qualibet fere linea tollere, et subinde addere. » Ita ille.

[a] *Hrof*. Harpsfeldius ad hoc nomen ait, « Quæ adhuc familia, aut ejusdem saltem nominis, apud Cantianos residet, p. 67. In Ant. Itinerario nomen loci est *Durobrovis*. Chartæ antiquæ in textu Hrof-
D fensi ante 600 annos scriptæ habent *Hrofbrevi*, *civitas Roibi*. In Tabb. Peut. stationum militarium *Rotibis*.

[b] *S. Andreæ*. Respectu habito ad monasterium e quo Augustinus et socii ad prædicandum missi sunt.

[c] *Defunctus est*. Annum Augustini emortualem Beda non notat. Inde orta est varietas opinionum, quas omnes recensere non opus est, cum Beda eas in angustum reduxerit. Nam an. 604 Augustinus ordinavit Mellitum et Justum episcopos (II, 3). An. octavo Phocatis, indictione 13, qui est an. 610, Mellitus detulit literas Roma a papa Bonifacio ad archiepiscopum Laurentium. Intra hunc igitur terminum necesse est fuisse annum quo Augustinus vivus et mortuus est. Mabillonius, e tabella Cantuar. Mon. Aug., I, p. 24, calculat ad an. 607, addens legendam Eliensem, qua illa ecclesia ab Augustino fundata traditur an. 607. Sed hoc adeo fabulosum apparet, ut etiam Cantuariensi traditioni injuriam fa-

ciat. Chronologia vero cœnobii S. Augustini, quæ apud x scriptores subjicitur Chronico G. Thorn sine nomine auctoris, sed quæ ex collatione apparet habuisse auctorem T. Helmham, si modo ejus fuerit ms A. T. C.; illa, inquam, Chronologia exhibet obitum Gregorii et Augustini, eodem anno, illius quidem IV Idus Martii feria sexta, hujus vero VII Kal. Junii feria quarta; annus autem est 605. Whartonus duos characteres profert pro an. 604, sed unus, nempe ille de Gregorio, quem Whartonus certissimum vult, est directe contra Bedam, qui Gregorii mortem ponit an. 605; alter est ex errore calculi in Chronico W. Thorni, x Script., p. 1765, ubi Augustini obitum ponit feria tertia, licet Chronologia supradicta e qua Thorn computum suum habuit, clare exhibet feriam quartam, tam in editione x Scriptorum, p. 2229,
D quam in ms. A. T. C. Concludo igitur Augustinum obiisse an. 605, VII Kal. Junii feria quarta.

[d] *Dedicata*. An. DCVIII.

[e] *Sepultum*. Eodem anno.

[f] *Porticus*. Hæc porticus erat in veteri ecclesia ubi nunc est capella B. Virginis. THORN.

[g] *Agendæ*. Sic et in concilio Cloveshoviensi an. 747. « Septimo decimo constitutum est præcepto ut dies natalitius beati papæ Gregorii, et dies quoque depositionis, qui est VII Kal. Junii, S. Augustini archiep. atque confessoris, qui genti Anglorum missus a præfato papa et Patre nostro Gregorio scientiam fidei, baptismi sacramentum, et cœlestis patriæ notitiam primus adtulit, ab omnibus, sicut decet, honorifice venerantur : ita ut uterque dies ab ecclesiasticis et monasterialibus feriatus habeatur, nomenque ejusdem beati Patris et doctoris nostri Augustini in Litaniæ decantatione, post S. Gregorii vocationem semper dicatur. » SPELM., Conc. tom. I, p. 250.

Digitized by Google

patum Laurentius [DCV], quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam pastore destitutus, vacillare inciperet. In quo et exemplum sequebatur primi pastoris Ecclesiæ, hoc est, beatissimi apostolorum principis Petri, qui fundata Romæ Ecclesia Christi Clementem sibi adjutorem evangelizandi, simul et successorem consecrasse perhibetur. Laurentius archiepiscopi [*Al.*, archiepiscopatus] gradu potitus strenuissime fundamenta Ecclesiæ, quæ nobiliter jacta vidit, augmentare [*Al.*, augmentari], atque ad profectum [*Al.*, perfectum] debiti culminis, et crebra voce sanctæ exhortationis, et continuis piæ operationis exemplis provehere curavit. Denique non solum novæ quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed et veterum Brittaniæ incolarum, necnon et Scottorum qui Hiberniam insulam Brittaniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scottorum in præfata ipsorum patria, quomodo et Brittonum in ipsa Brittania vitam ac professionem minus ecclesiasticam in multis esse cognovit, maxime quod Paschæ sollemnitatem non suo tempore celebrarent, sed, ut supra docuimus, a decima quarta luna usque ad vicesimam dominicæ resurrectionis diem observandum esse putarent; scripsit cum coepiscopis suis, exhortatoriam ad eos epistolam: obsecrans eos et contestans unitatem pacis et catholicæ observationis cum ea quæ toto orbe diffusa est Ecclesia Christi, tenere; cujus videlicet epistolæ principium hoc est:

[DCIX.] « Dominis carissimis fratribus episcopis, vel abbatibus per universam Scottiam, Laurentius, Mellitus et Justus, episcopi, servi servorum Dei.

« Dum nos sedes apostolica, more suo sicut in universo orbe terrarum, in his Occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Brittania nuncupatur, contigit introisse antequam cognosceremus: credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam Brittones quam Scottos venerati sumus; sed cognoscentes Brittones, Scottos meliores putavimus. Scottos vero per [a] Da-

A ganum episcopum in hanc, quam superius memoravimus, insulam, et [b] Columbanum abbatem in Gallis venientem, nihil discrepare a Brittonibus in eorum conversatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio quo vescebamur, sumere voluit. » Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis, etiam Brittonum sacerdotibus literas suo gradui condignas, quibus eos in unitate catholica confirmare satagit [*Al.*, sategit]. [c] Sed quantum hæc agendo profecerit, adhuc præsentia tempora declarant.

His temporibus venit Mellitus, Lundoniæ episcopus, Romam, [d] de necessariis Ecclesiæ Anglorum [*Al.*, *add.* causis] cum apostolico papa Bonifacio tra-
B ctaturus. [e] Et cum idem papa reverentissimus cogeret synodum episcoporum Italiæ [*Al.*, in Italia], de vita monachorum et quiete ordinaturus, et ipse Mellitus inter eos adsedit anno octavo imperii Focatis principis, indictione decima tertia, tertia [*Al.*, quarta] die Kalendarum Martiarum [DCX]: ut quæque [*Al.*, quæcunque] erant regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac Brittaniam rediens, secum Anglorum Ecclesiis mandanda [*Al.*, mandata] atque servanda deferret, una cum epistolis quas idem pontifex Deo dilecto archiepiscopo Laurentio, et clero universo, similiter et Aedilbercto regi atque genti Anglorum direxit. Hic est Bonifacius, quartus a beato Gregorio Romanæ urbis episcopo [*Al.*, episcopus], qui impetravit a Focate prin-
C cipe, donari Ecclesiæ Christi templum Romæ quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quasi simulacrum esset omnium deorum: in quo ipse, eliminata omni spurcitia, fecit ecclesiam sanctæ Dei genetricis, atque omnium martyrum Christi; ut exclusa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum memoriam haberet.

## CAPUT V.

*Ut defunctis Aedilbercto et Sabercto regibus, successores eorum idolatriam resuscitarint, ob quod et Mellitus ac Justus a Brittania discesserint.*

[f] Anno ab incarnatione dominica sexcentesimo

[a] *Daganum* Is e monasterio Banchor Hibernico, episcopus Scotorum legatus est, ut perhibent, ad conferendum cum Laurentio de rebus inter Ecclesias controversis. Eumdem arbitror, dum abbas tantum esset, regulam S. Molvæ vel Lugidi Gregorio papæ obtulisse, nam levia sunt quæ objiciuntur. Scripsit etiam, ut Baleus auctor est, ad Brittanorum Ecclesias librum unum, quem si quis vidisset, plura et certiora de Dagano haberemus.

[b] *Columbanum.* Hæc præjudicia Columbanus non solum per Brittanias, sed etiam in Galliis retinuit. Imo et discipuli ejus tonsuram aliosque ritus Hibernicos mordicus tenebant. Eustasius successor in mon. Luxoviensi, factum defendit, sed conscius scandali tollendum postea laboravit, et regulas SS. Benedicti et Columbani ad unitatem reducere conatus est. Nota Vitam Columbani editam esse Basil. et Colon. inter Opp. Bedæ tom. III, licet Jonas monachus Bobiensis seipsum in præfatione auctorem profiteatur.

[c] *Sed quantum.* Nescio unde hoc interpretantur quidam in prosperam partem.

[d] *De necessariis.* Quæ fuerint illa necessaria Beda
D non dicit. Supplet hunc defectum Baronius e legenda S. Edwardi, de qua vide G Malmsb. de Pont. II sub initium, et Mellitum profectum vult ad consulendum de validitate consecrationis ecclesiæ Westmonasteriensis per manus Petri apostoli, in quo paucis, ut puto, satisfacit.

[e] *Et cum idem.* Fortuitus prorsus videtur Melliti adventus quoad hanc synodum. Vita etiam quiesque monachorum de quibus cogebatur synodus non magis tangebat Anglicanam, quam aliam Ecclesiam. Sed cum ibi interesset Mellitus, suffragium dedit, et decreta domum retulit, una cum litteris ad Laurentium et Aedilberctum. Decretum synodi et litteras ad Aedilberctum vide in append., n. 11.

[f] *Anno ab I. D.* DCXVI. Sic habet Tr., pro quo mendose in edit. DCXIII, mutata, ut sæpe fit, in binarium quinarii nota. Annum 616 habet recapitulatio ad finem Hist. Timide Alfredus rex in Versione Saxonica, *circa* 616. CHIFFL.

Digitized by Google

ᵃdecimo sexto, qui est annus vicesimus primus ex quo A Augustinus [*Al. add.* episcopus] cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est, Aedilberct rex Cantuariorum, post regnum temporale, quod quinquaginta et ᵇ sex annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis regni gaudia subiit : qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum, cunctis australibus eorum provinciis quæ Humbræ fluvio et contiguis ei terminis sequestrantur a borealibus, imperavit; sed primus omnium cœli regna conscendit. Nam primus imperium hujusmodi Aelli rex Australium Saxonum; secundus Caelin rex Occidentalium Saxonum, qui lingua eorum Ceaulin vocabatur; tertius, ut dixi, Aedilberct rex Cantuariorum; quartus Reduald rex Orientalium Anglorum, qui etiam vivente Aedilbercto eidem suæ genti ducatum præbebat, obtinuit; B quintus Aeduin rex Nordanhymbrorum gentis, id est, ejus quæ ad borealem Humbræ fluminis plagam inhabitat, majore potentia cunctis qui Brittaniam incolunt, Anglorum pariter et Brittonum populis præfuit, præter Cantuariis [*Al.*, Cantuarios] tantum; nec non et Mevanias Brittonum insulas, quæ inter Hiberniam et Brittaniam sitæ sunt, Anglorum subjecit imperio; sextus Osuald et ipse Nordanhymbrorum rex Christianissimus, hisdem finibus regnum tenuit; septimus Osuiu [*Al.*, Oswi, Oswiu] frater ejus, æqualibus pene terminis regnum nonnullo tempore coercens, Pictorum quoque atque Scottorum gentes, quæ septemtrionales Brittaniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit. Sed hæc postmodum. Defunctus vero est rex Aedilberct die ᶜ vi- C gesima quarta mensis Februarii, post viginti et unum annos acceptæ fidei, atque in porticu sancti Martini, intra ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli sepultus, ubi et Berctae condita est.

Qui inter cætera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam ᵈ decreta illi judiciorum, juxta exempla Romanorum, cum consilio sapientium constituit; quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur et observantur ab ea : in quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiæ, vel episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret : volens scilicet tuitionem eis, quos et quorum doctrinam susceperat, præstare.

Erat autem idem Aedilberct filius Irminrici [*Al.*, Hirminrici], cujus pater Octa, cujus pater Oeric [*Al.*, Orric], cognomento Oisc, a quo reges Cantuariorum solent ᵉ Oiscingas cognominare. Cujus pater Hengist, qui cum filio suo Oisc invitatus a Vurtigerno [*Al.*, Vurtigerio] Brittaniam primus intravit, ut ᶠ supra retulimus.

At vero post mortem Aedilbercti, cum filius ejus Eadbald regni gubernacula suscepisset, magno tenellis ibi adhuc Ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum fidem Christi recipere noluerat, sed et fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditam Apostolus testatur, ita ut ᵍ uxorem patris haberet. Quo utroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum revertendi, his qui sub imperio sui parentis, vel favore vel timore regio, fidei et castimoniæ jura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido regi castigando et [*Al.*, vel] corrigendo defuere : nam crebra mentis vesania et spiritus immundi invasione premebatur.

Auxit autem procellam hujusce [*Al.*, hujusmodi] perturbationis, etiam mors Sabercti regis Orientalium Saxonum, qui ubi regna perennia petens, tres suos filios, qui pagani perduraverant, regni temporalis heredes reliquit, cœperunt illi mox idolatriæ, quam vivente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam servire, subjectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque viderent pontificem celebratis in ecclesia missarum solemniis, Eucharistiam populo dare, dicebant, ut vulgo fertur, ad eum barbara inflati stultitia : « Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro ʰ Saba [*Al.*, Saeba], sic namque eum appellare consuerant, dabas, et populo adhuc dare in ecclesia non desistis? » Quibus ille respondebat : « Si vultis ablui fonte illo salutari quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes : sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. » At illi : « Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus. » Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam fieri posse ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicaret [*Al.*, communicet], ad ultimum furore commoti, aiebant : « Si non vis adsentire [*Al.*, adsentiri] nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris jam in nostra provincia demorari. » Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire jusserunt. D

[DCXVII.] Qui expulsus inde, venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio et Justo coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset ut omnes patriam redeuntes, libera

ᵃ *Decimo sexto.* Al., *tertio*, *septimo*, a similitudine numeralium VI, III, VII, in Codicibus antiquis.

ᵇ *Sex.* Al., *tribus*, eodem quo supra errore.

ᶜ *Vigesima quarta.* Al., *vigesima septima*, eodem quo supra errore.

ᵈ *Decreta.* Restant adhuc hæc decreta in celeberrimo textu Roffensi, quem Ernulfus episcopus reliquit. Eorum exordium Spelmannus edidit Conc. I, pag. 127. Reliqua Hickesius in suo Thesauro Diss. Epist. pag. 89. Novam editionem molitus est Elstobius, sed morte præreptus præclarum opus relinquere coactus est imperfectum.

ᵉ *Oiscingas.* Patronymicum Saxonicum, ut *Geuissing*, *Wodening*, *Aetheling*, etc.

ᶠ *Supra.* I, 15.

ᵍ *Uxorem patris.* Post mortem Berctæ aliam duxerat Ædilberctus, quam historici ob incestum nullo dignantur nomine.

ʰ *Saba.* Saxonibus antiquis nomina abbreviare ac contrahere non insolitum fuit, sic Cuthulfum et Cuthwinum in Cutham, Ceolricum in Ceolam, Sabertum in Sabam, etc.

Digitized by Google

ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo [*Al.*, primi] Mellitus ac Justus, atque ad partes Galliæ successere, ibi rerum finem exspectare disponentes. Sed non multo [*Al. add.* post] tempore qui præconem a se veritatis expulerant [*Al.*, depulerant], dæmonicis cultibus impune serviebant. Nam egressi contra gentem Geuissorum in prælium, omnes pariter cum sua militia corruerunt, nec, licet auctoribus perditis, excitatum ad scelera vulgus potuit recorrigi [*Al.* corrigi], atque ad simplicitatem fidei et caritatis quæ est in Christo, revocari.

## CAPUT VI.

*Ut correptus ab apostolo Petro Laurentius Æodbaldum Regem ad Christum converterit, qui mox Mellitum et Justum ad prædicandum revocaverit.*

Cum vero et [*Al. om.* et] Laurentius Mellitum Justumque secuturus ac Brittaniam esset relicturus [DCXVII], jussit ipse sibi nocte in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli de quā frequenter jam diximus, stratum parari, in quo cum post multas preces ac lacrymas ad Dominum [*Al.* Deum] pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, et multo illum tempore secretæ noctis flagellis [a] artioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione, quare gregem quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. « An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus et inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? » His beati Petri flagellis simul et exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regem, et retecto [*Al.* rejecto] vestimento quantis esset verberibus laceratus ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere: ut audivit quia suæ causa salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, extimuit multum; atque anathematizato omni idolatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus quantum valuit, in omnibus consulere ac favere curavit. Misit etiam Galliam, et revocavit Mellitum ac Justum, eosque ad suas Ecclesias libere instituendas [*Al.* restituendas; *al.*, instruendas] redire præcepit: qui post annum ex quo abierunt, reversi sunt [DCXVIII]; et Justus quidem ad civitatem Hrofi, cui præfuerat, rediit, Mellitum vero Lundonienses episcopum recipere A noluerunt, idolatris magis pontificibus servire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipsius regni potestas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis antistitem suæ posset Ecclesiæ reddere. Veruntamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conversus est, divinis se studuit mancipare præceptis. Denique et in monasterio beatissimi apostolorum principis, ecclesiam sanctæ Dei genitricis fecit, quam consecravit archiepiscopus Mellitus.

## CAPUT VII.

*Ut Mellitus episcopus flammas ardentis suæ civitatis orando restinxerit.*

Hoc enim regnante rege [DCXIX] beatus archiepiscopus Laurentius regnum [b] cæleste conscendit, atque B in ecclesia et monasterio sancti apostoli Petri juxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die quarto Nonarum Februariarum: post quem [*Al.*, postquam] Mellitus, qui erat Lundoniæ episcopus, sedem Doruvernensis Ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit: Justus autem adhuc superstes Hrofensem regebat Ecclesiam, qui cum magna Ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria a pontifice Romanæ et apostolicæ sedis Bonifacio, qui post Deusdedit Ecclesiæ præfuit, anno incarnationis dominicæ sexcentesimo decimo nono [*Al.*, octavo]. Erat autem Mellitus corporis quidem infirmitate, id est podagra, gravatus, sed mentis gressibus sanis [*Al.*, sanus], alacriter terrena quæque transiliens, atque ad cælestia semper amanda, C petenda et quærenda pervolans. Erat carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior.

Denique ut unum virtutis ejus, unde cætera intelligi possint, testimonium referam; tempore quodam civitas Doruvernensis per culpam incuriæ igni [*Al.* igne] correpta, crebrescentibus cœpit flammis consumi: quibus cum nullo aquarum injectu posset aliquis obsistere, jamque civitatis esset pars vastata non minima, atque ad episcopium furens se flamma dilataret, confidens episcopus in divinum, ubi humanum deerat, auxilium, jussit se obviam sævientibus, et huc illucque volantibus ignium globis efferri. Erat autem eo loci ubi flammarum impetus maxime incumbebat, martyrium beatorum quatuor Coronatorum. Ibi perlatus obsequentium manibus episcopus, cœpit D orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiverat. Nec mora, ventus qui a meridie flans, urbi [*Al.*, ubi] incendia sparserat, contra meridiem reflexus, primo vim sui furoris a læsione locorum quæ contra erant, abstraxit, ac mox funditus quiescendo, flammis pariter sopitis atque extinctis compescuit. Et quia vir Dei igne divinæ caritatis fortiter ardebat, quia [*Al.*, qui]

[a] *Artioribus.* Sic mss. vet.; al., *acrioribus.*

[b] *Cæleste conscendit.* Idem Gotselinus qui Augustini Vitam et translationem scripsit, scripsit et Laurentii, Melliti et aliorum. Fuit ille Gotselinus, ut obiter dicam, monachus Bertinianus, qui in Angliam a S. Anselmo Cantuar. evocatus. Ramesiæ primum, deinde Durberniæ consedit. Hujus auctoris et operis meminit W. Malm. de Pont. Quod scripsit de Laurentio non exstat, Molanus autem vidit et Capgravius abbreviavit. Dicitur Laurentius non solum litteras scripsisse, sed iter etiam in Scotiam suscepisse, et synodum in insula Mannia tenuisse ad pacem Ecclesiarum stabiliendam, et multa miracula undequaque perpetrasse, de quibus nihil in Beda. Memoria ejus in Martyrologiis celebratur 2 Febr.

Digitized by Google

tempestates potestatum aeriarum a sua suorumque læsione crebris orationibus vel exhortationibus repellere consueverat, merito ventis flammisque mundialibus prævalere, et ne sibi suisque nocerent, obtinere poterat.

Et hic ergo postquam annis quinque rexit Ecclesiam, Aeodbaldo regnante migravit ad cælos, sepultusque est cum patribus suis in sæpedicto monasterio et ecclesia beatissimi apostolorum principis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quarto, die octavo Kalendarum Maiarum [*Al.*, Martiarum].

## CAPUT VIII.

*Ut Bonifacius papa Justo successori ejus pallium et epistolam miserit.*

[DCXXIV.] Cui statim successit in pontificatum Justus, qui erat Hrofensis Ecclesiæ episcopus. Illi autem Ecclesiæ Romanum pro se consecravit episcopum, data sibi ordinandi episcopos auctoritate a pontifice Bonifacio, quem successorem fuisse Deusdedit supra meminimus; cujus auctoritatis ista est forma :

« Dilectissimo fratri Justo, Bonifacius. Quam devote, quamque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra fraternitas, non solum epistolæ a vobis directæ tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicavit. Nec enim omnipotens Deus, aut sui nominis sacramentum, aut vestri fructum laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus Evangelii fideliter repromisit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [*Al.*, mundi] (*Matth.* XXVIII, 20). Quod specialiter injuncto vobis ministerio ejus clementia demonstravit, aperiens corda gentium [*Al.*, gentilium] ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium. Magno enim præmio [a] fatigiorum vestrorum delectabilem cursum, bonitatis suæ suffragiis illustravit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimæ negotiationis officiis uberem fructum impendens, ei, quod signare possetis multiplicatis generationibus præparavit. Hocque etiam illa vobis repensatione collatum est, qua [*Al.*, qui] injuncto ministerio jugiter persistentes, laudabili patientia redemptionem gentis illius exspectastis [*Al.*, exspectatis], et vestris ut proficerent meritis, eorum est salvatio propinata; dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth* XXIV, 13). Salvati ergo estis spe patientiæ, et tolerantiæ virtute, ut infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiam Salvatoris. Susceptis namque apicibus filii nostri [b] Adulvaldi regis, reperimus quanta sacri eloquii eruditione, ejus animum ad veræ conversionis et indubitatæ fidei credulitatem A fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cælestis certam adsumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, immo quoque vicinarum, vestræ prædicationis ministerio credimus subsequendam : quatenus, sicut scriptum est, consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum Domino tribuatur. Et vere per omnem terram exisse sonum eorum, et in fines orbis terræ verba ipsorum, universalis gentium confessio suscepto Christianæ sacramento fidei protestetur [*Al.*, protestatur].

« Pallium præterea per latorem præsentium fraternitati tuæ, benignitatis studiis invitati direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis celebrandis mysteriis utendi licentiam imperavimus : concedentes B etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente opportunitate, Domini præveniente misericordia celebrare : ita ut Christi Evangelium plurimorum adnunciatione, in omnibus gentibus quæ necdum conversæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas, hoc quod sedis apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate servare. Intendens cujus rei similitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis bajulandum susceperis. Talemque te Domini implorata clementia exhibendum stude, ut indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum, ante tribunal summi et venturi Judicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater. »

## CAPUT IX.

C *De imperio regis Aeduini, et ut veniens ad evangelizandum ei Paulinus, primo filiam ejus cum aliis fidei Christianæ sacramentis imbuerit.*

Quo tempore etiam gens Nordanhymbrorum, hoc est, ea natio Anglorum quæ ad aquilonalem Humbrae fluminis plagam habitabat, cum rege suo Aeduino, verbum fidei prædicante Paulino, cujus supra meminimus, suscepit [DCXXV]. Cui videlicet regi in auspicium suscipiendæ fidei et regni cælestis, potestas etiam terreni creverat imperii : ita ut, quod nemo Anglorum ante eum [*Al. add.* fecit], omnes Brittaniæ fines, qua vel ipsorum vel Brittonum provinciæ habitant [*Al.*, habitabantur], sub ditione acceperit. Quin et [c] Mevanias insulas, sicut et supra docuimus, imperio subjugavit Anglorum : quarum prior quæ ad D austrum est et situ amplior, et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentarum sexaginta familiarum mensuram, juxta æstimationem Anglorum; secunda trecentarum et ultra spatium tenet.

Huic autem genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus rex ejus, cognatione junctus est regibus Cantuariorum, accepta in conjugem Aedilbergae filia Aedilbercti regis, quæ alio nomine Tatae [*Al.*

[a] *Fatigiorum vestrorum*. Sic Tr. Fatigia dixit Beda fatigationes in laboribus pro animarum lucro susceptis : quam nos vocem, licet peregrinam retinuimus, pro ea quæ est in Vulgatis, *fastigiorum vestrorum*. In ms. S. Germani de Pratis lego *fatigationum vestrorum*. CHIFFL.

[b] *Adulvaldi*. (*Al.*, *Adelvaldi*, *Edilvaldi*, *Aethelvaldi*, *Eadbaldi*.) Idem est cum Eodbaldo præcedentis capitis, filio et successore Aedilbercti, quem nomine Auduvaldi papa sæpius vocat.

[c] *Mevanias*. Cambdenus dicit legi debere *Menavias*, et forte non male, sed verum est tamen, quod ipse fatetur, *Mevanias* in Codicibus legi, sic enim vetustissimi se habent mss. Non opus est dicere priorem insulam hodie *Anglesey*, secundam *Man* appellari.

Digitized by Google

Tate] vocabatur. Hujus consortium cum primo ipse missis procis a fratre ejus Aeodbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret [*Al.*, petierat] : responsum est, non esse licitum Christianam virginem pagano in conjugem dari, ne fides et sacramenta cælestis regis consortio profanarentur regis qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ cum Aeduino verba nuncii referrent, promisit se nil omnimodis contrarium Christianæ fidei quam virgo colebat, esse facturum : quin potius permissurum ut fidem cultumque suæ religionis cum omnibus qui secum venissent, viris sive feminis, sacerdotibus seu ministris more Christiano servaret. Neque abnegavit se etiam eandem subiturum esse religionem ; si tamen examinata a prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inveniri.

Itaque promittitur virgo, atque Aeduino mittitur, et juxta quod dispositum fuerat, ordinatur episcopus vir Deo dilectus Paulinus qui cum illa veniret, eamque et comites ejus, ne paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione et sacramentorum cælestium celebratione confirmaret.

Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo archiepiscopo, sub die duodecima Kalendarum Augustarum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quinto : et sic cum præfata virgine ad regem Aeduinum quasi comes copulæ carnalis advenit. Sed ipse potius toto animo intendens, ut gentem quam adibat, ad agnitionem veritatis advocans, juxta vocem Apostoli, uni viro sponso [*Al. om.* sponso] virginem castam exhiberet Christo. Cumque in provinciam venisset, laboravit multum, ut et eos qui secum venerant, ne a fide deficerent [*Al.*, discederent], Domino adjuvante, contineret, et aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam prædicando converteret. Sed sicut Apostolus ait, quamvis multo tempore illo laborante in verbo, deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio Evangelii gloriæ Christi.

Anno autem sequente venit in provinciam quidam sicarius, vocabulo Eumer [*Al.*, Eumerus], missus a rege Occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmo, sperans se regem Aeduinum regno simul et vita privaturum : qui habebat sicam bicipitem toxicatam ; ut si ferri vulnus minus ad mortem regis sufficeret, peste juvaretur veneni. Pervenit autem ad regem primo die Paschæ, juxta amnem [a] Deruventionem [*Al.*, Doruventionem], ubi tunc erat [b] villa regalis, intravitque quasi nuncium domini sui referens : et cum simulatam legationem ore astuto volveret, exsurrexit repente, et evaginata sub veste sica, impetum fecit in regem. Quod cum videret Lilla minister regi [*Al.*, regis] amicissimus, non habens scutum ad A manum quo regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictum pungentis : sed tanta vi hostis ferrum infixit, ut per corpus militis occisi etiam regem vulneraret. Qui cum mox undique gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Frodheri [*Al.*, Fordheri], sica nefanda peremit.

Eadem autem nocte sacrosancta Dominici Paschæ pepererat regina filiam regi, cui nomen Eanfled. Cumque idem rex, præsente Paulino episcopo, gratias ageret diis suis pro nata sibi filia, e contra episcopus gratias cœpit agere Domino Christo, regique adstruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, ut regina sospes et absque dolore gravi sobolem procrearet. Cujus verbis delectatus rex, promisit B se abrenunciatis idolis Christo serviturum, si vitam sibi et victoriam donaret pugnanti adversus regem, a quo homicida ille, qui eum vulneraverat, missus est : et in pignus promissionis implendæ, eandem filiam suam [*Al. om.* suam] Christo consecrandam Paulino episcopo adsignavit ; quæ baptizata est die sancto Pentecostes, prima de gente Nordanhymbrorum, cum [c] undecim [*Al.*, duodecim] aliis de familia ejus.

Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto, rex, collecto exercitu, venit adversus gentem [*Al.*, regem] Occidentalium Saxonum, ac bello inito, universos quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, non statim et inconsulte sacra- C menta fidei Christianæ percipere voluit : quamvis nec idolis ultra servivit, ex quo se Christo serviturum esse promiserat. Verum primo diligentius ex [*Al. add.* eo] tempore, et ab ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, et cum suis primatibus quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et ipse cum esset vir natura sagacissimus, sæpe diu solus residens, ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum conloquens, quid sibi esset faciendum, quæ religio servanda tractabat.

## CAPUT X.

*Ut papa Bonifacius eumdem regem missis literis sit hortatus ad fidem.*

D [DCXXV.] [d] Quo tempore exhortatorias ad fidem literas a pontifice sedis apostolicæ Bonifacio accepit, quarum ista est forma :

[e] *Exemplar epistolæ beatissimi et apostolici papæ urbis Romanæ* [Al., *Romæ*] *Ecclesiæ Bonifacii, directæ viro glorioso Aeduino regi Anglorum.*

« Viro glorioso Aeduino regi Anglorum, Bonifacius episcopus servus servorum Dei.

« Licet summæ divinitatis potentia humanæ locu-

[a] *Deruventionem.* Derwent.
[b] *Villa regalis.* Aldby.
[c] *Undecim.* Math. Westm. *triginta* dicit. Codices Bedæ editi, excepto A. 1, habent *duodecim*, sed quam male vide Paraphrasin Saxonicam ms. C. C. C., quæ sic locum exprimit, *cum undecim aliis feminis e familia reginæ, et infans fuit duodecima.*

[d] *Quo tempore.* Licet Beda ponat has Bonifacii litteras post acta prioris capitis quibus annum assignat 626, necesse tamen est datas fuisse eas an. 625. In illo enim anno Bonifacius obiit 22 Octobris. *Quo tempore* igitur hic, idem est Bedæ quod *interea* alibi.
[e] *Exemplar epistolæ*, etc., om. ed. Cantab. et Lugdun., et quædam mss.

Digitized by Google

tionis officiis explanari non valeat, quippe quæ sui magnitudine ita invisibili atque investigabili æternitate consistit, ut hæc [*Al.*, eam] nulla ingenii sagacitas, quanta sit, comprehendere dissererequе sufficiat: quia tamen ejus humanitas ad insinuationem sui reseratis cordis januis, quæ de semetipsa profertur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit; ad annunciandum vobis plenitudinem fidei Christianæ, sacerdotalem curavimus sollicitudinem prorogare [*Al.*, prærogare], ut perinde Christi Evangelium, quod Salvator noster omnibus præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inserentes, salutis vestræ remedia [*Al.*, remedio] propinentur. Supernæ igitur majestatis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit et creavit, cælum videlicet et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, dispositis ordinibus quibus subsisteret, coæterni Verbi sui consilio, et sancti Spiritus unitate dispensans, hominem ad imaginem et similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eique tantam præmii prærogativam indulsit, ut eum cunctis præponeret, atque servato termino [*Al.*, tempore] præceptionis, æternitatis subsistentia præmuniret. Hunc ergo Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quod est individua Trinitas, ab ortu solis usque ad occasum, humanum genus, quippe ut creatorem omnium atque factorem suum, salutifera confessione fide veneratur et colit: cui etiam summitates imperii rerumque potestates submissæ sunt, quia ejus dispositione omnium prælatio regnorum conceditur. Ejus ergo bonitatis misericordia totius creaturæ suæ [a] dilatandi subdi etiam in extremitate terræ positarum gentium corda frigida, sancti Spiritus fervore in sui quoque agnitione mirabiliter est dignata succendere.

« Quæ enim in gloriosi filii nostri Andubaldi regis, gentibusque ei subpositis illustratione, clementia Redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conjicimus cognovisse. Ejus ergo mirabile donum, et in vobis certa spe, cælesti [*Al.*, spei cælestis] longanimitate conferri confidimus. Cum profecto gloriosam conjugem vestram, quæ vestri corporis pars esse dignoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnovimus. Unde præsenti stylo gloriosos [*Al.*, gloriosius] vos adhortandos cum omni affectu intimæ caritatis curavimus; quatenus abominatis idolis, eorumque cultu, spretisque fanorum fatuitatibus, et auguriorum deceptabilibus blandimentis, credatis in Deum Patrem omnipotentem, ejusque Filium Jesum Christum, et Spiritum sanctum, ut [*Al.*, et] credentes, a diabolicæ captivitatis nexibus, sanctæ et individuæ Trinitatis cooperante potentia absoluti, æternæ vitæ possitis esse participes.

« Quanta autem reatitudinis culpa teneantur obstricti hi qui idolatriarum perniciosissimam superstitionem [*Al.*, suppositionem] colentes amplectuntur, A eorum quos colunt, exempla perditionis insinuant; unde de eis per Psalmistam dicitur: *Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit* (*Psalm.* xcv, 5). Et iterum: *Oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt: similes ergo efficiuntur* his qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis (*Psalm.* cxiii, 5-8). Quomodo enim juvandi quemlibet possunt habere virtutem hi, qui ex corruptibili materia inferiorum etiam, subpositorumque tibi manibus construuntur? quibus videlicet artificium humanum adcommodans eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti? qui nisi a te moti fuerint, ambulare B non poterunt; sed tanquam lapis in uno loco positus, ita constructi [*Al.*, constricti], nihilque intelligentiæ habentes, ipsaque insensibilitate obruti, nullam neque lædendi neque juvandi facultatem adepti sunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus vos ipsi imaginem corporis tradidistis, colentes sequimini, judicio discreto reperire non possumus.

« Unde oportet vos, suscepto signo sanctæ crucis, per quod humanum genus redemptum est, execrandam diabolicæ versutiæ subplantationem, qui divinæ bonitatis operibus invidus æmulusque consistit, a cordibus vestris abjicere, injectisque manibus hos, quos eatenus materiæ compage vobis deos fabricastis, confringendos diminuendosque summopere procurate [*Al.*, procurare]. Ipsa enim eorum disso- C lutio corruptioque, quæ nunquam viventem spiritum habuit, nec sensibilitatem a suis factoribus potuit quolibet modo suscipere, vobis patenter insinuet quam nihil erat quod eatenus colebatis: dum profecto meliores vos qui spiritum viventem a Domino percepistis, eorum constructioni [*Al.*, constructione] nihilominus existatis: quippe quos Deus omnipotens exprimi hominis quem plasmavit cognatione, deductis [*Al.*, deductus; *al.*, deductos] per sæcula innumerabilibus propaginibus pullulare constituit. Accedite ergo ad agnitionem ejus qui vos creavit, qui in vobis vitæ insufflavit spiritum, qui pro vestra redemptione Filium suum unigenitum misit, ut vos ab originali peccato eriperet, et ereptos de potestate D nequitiæ diabolicæ pravitatis [*Al. om.* pravitatis], cælestibus præmiis muneraret.

« Suscipite [*Al. add.* ergo] verba prædicatorum, et Evangelium Dei quod vobis adnunciant: quatenus credentes, sicut sæpius dictum est, in Deum Patrem omnipotentem et in Jesum Christum ejus Filium, et [*Al. add.* in] Spiritum sanctum, et inseparabilem Trinitatem; fugatis dæmoniorum sensibus, expulsaque a vobis sollicitatione venenosi et deceptibilis hostis, per aquam et Spiritum sanctum renati, ei cui credideritis, in splendore gloriæ sempiternæ cohabitare, ejus [b] opitulante munificentia, valeatis

[a] *Dilatandi subdi.* Al., *dilatandi gratia, subdi*; al., *dilatandi gratia, subdendique*; al., *dilatandæ subsidio*; al., *dilatandæ subsidii*; al., *dilatandæ subsidiis.*

[b] *Opitulante munificentia,* etc. Al., *opitulatione et munificentia*; al., *opitulante munificentia*; al., *opitulatione munificentiæ.*

Digitized by Google

« Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus; id est, camisiam cum ornatura in [a] auro una, et [b] lena anciriana una: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum. »

## CAPUT XI.

*Ut conjugem ipsius, per epistolam, salutis illius sedulam agere curam monuerit.*

[DCXXV.] Ad conjugem quoque illius Aedilbergam hujusmodi [*Al.*, ejusmodi] litteras idem pontifex misit.

*Exemplar epistolæ beatissimi et apostolici Bonifacii papæ urbis Romæ, directæ Aedilbergæ reginæ Aeduini regis.*

« Dominæ gloriosæ filiæ Aedilbergæ reginæ, Bonifacius episcopus servus servorum Dei.

« Redemptoris nostri benignitas humano generi quod pretiosi sanguinis sui effusione a vinculis diabolicæ captivitatis eripuit, multæ providentiæ [*Al.*, multa providentia] quibus salvaretur propinavit remedia; quatenus sui nominis agnitionem diverso modo gentibus innotescens, Creatorem suum suscepto Christianæ fidei agnoscerent sacramento. Quod equidem in vestræ gloriæ sensibus cælesti conlatum munere mystica regenerationis vestræ purgatio [*Al.*, regeneratio vestræ purgationis] patenter innuit. Magno ergo largitatis dominicæ beneficio mens nostra gaudio exultavit, quod scintillam orthodoxæ religionis in vestri dignatus est [c] confessione succendere. Ex qua re non solum gloriosi conjugis vestri, imo totius gentis subpositæ vobis intelligentiam in amore sui facile inflammaret.

« Didicimus namque referentibus his, qui ad nos gloriosi filii nostri Audubaldi regis laudabilem conversionem nunciantes pervenerunt, quod etiam vestra gloria Christianæ fidei suscepto mirabili sacramento piis et Deo placitis [*Al.*, placidis] jugiter operibus eniteseat, ab idolorum etiam cultu, seu fanorum auguriorumque inlecebris se diligenter abstineat, et ita in amore Redemptoris sui immutilata [*Al.*, immutata] devotione persistens invigilet, ut ad dilatandam Christianam fidem incessabiliter non desistat operam commodare: cumque de glorioso conjuge vestro paterna caritas sollicite perquisisset, cognovimus [*Al.*, *om.* cognovimus] quod eatenus abominandis idolis serviens, ad suscipiendam vocem prædicatorum suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est, ab eo quod pars corporis vestri ab agnitione summæ et individuæ Trinitatis remansit extranea. Unde paternis officiis vestræ gloriosæ Christianitati nostram commonitionem nec [*Al.*, non] distulimus conferendam [*Al.*, conferre]; adhortantes, quatenus divinæ inspirationis imbuta subsidiis, importune et opportune agendum non differas, ut et ipse Salvatoris nostri Domini Jesu Christi cooperante potentia

A Christianorum numero copuletur; ut perinde intemerato societatis fœdere jura teneas maritalis consortii. Scriptum namque est: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Quomodo ergo [*Al.*, *om.* ergo] unitas vobis conjunctionis inesse dici poterit, si a vestræ fidei splendore interpositis detestabilis erroris tenebris ille remanserit alienus.

« Unde orationi continuæ [*Al.*, continuo] insistens, a longanimitate cælestis clementiæ illuminationis ipsius beneficia impetrare non desinas: ut videlicet quos copulatio carnalis affectus unum quodammodo corpus exhibuisse monstratur, hos quoque unitas fidei etiam post hujus vitæ transitum in perpetua societate conservet. Insiste ergo, gloriosa filia, et summis conatibus duritiam cordis ipsius religiosa
B divinorum præceptorum insinuatione mollire summopere dematura: infundens sensibus ejus, quantum sit præclarum quod credendo suscepisti mysterium, quantumve sit admirabile quod renata præmium consequi meruisti. Frigiditatem cordis ipsius sancti Spiritus adnunciatione succende; quatenus amoto torpore perniciosissimi cultus, divinæ fidei calor ejus intelligentiam tuarum adhortationum [*Al.*, exhortationum] frequentatione succendat, ut profecto sacræ Scripturæ testimonium per te expletum indubitanter perclareat [*Al.*, præclareat]: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem* (*I Cor.* VII, 14). Ad hoc enim misericordiam dominicæ pietatis consecuta es ut fructum fidei creditorumque tibi beneficiorum Redemptori tuo multiplicem resignares.
C Quod equidem suffragante præsidio benignitatis ipsius, ut explere valeas, assiduis non desistimus precibus postulare.

« His ergo præmissis, paternæ vobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, ut nos reperta portitoris occasione, de his quæ per vos superna potentia mirabiliter in conversatione [*Al.*, conversione] conjugis vestri, summissæque vobis gentis, dignatus fuerit operari prosperis quantocius nunciis relevetis [*Al.*, reveletis] quatenus sollicitudo nostra, quæ de vestri vestrorumque omnium animæ salute optabilia desideranter exspectat, vobis nunciantibus relevetur [*Al.*, reveletur], illustrationemque divinæ propitiationis in vobis diffusam opulentius agnoscentes, hilari confessione largitori omnium bonorum Deo et
D beato Petro apostolorum principi uberes merito gratias exsolvamus.

« Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus; id est speculum argenteum, et pectinem eboreum [*Al.*, eburneum] inauratum: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum. »

## CAPUT XII.

*Ut Aeduini per visionem quondam sibi exuli ostensam, sit ad credendum provocatus.*

[DCXXVI.] Hæc quidem memoratus papa Bonifa-

[a] *Auro una.* Al., *auro unam et lænam ancyrianam unam.*

[b] *Lena Anciriana.* Sacerdoti capa esset, militi est pallium, ab *Ancyra* allatum.

[c] *Confessione* ms. Mori solus: reliqui, *conversione.*

Digitized by Google

cius de salute regis Aeduini ac gentis ipsius, literis A agebat. Sed et oraculum cæleste quod illi quondam exulanti apud Redualdum regem Anglorum pietas divina revelare dignata est, non minimum ad suscipienda vel intelligenda doctrinæ monita salutaris sensum juvit illius. Cum ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatem animi regalis, ad humilitatem viæ salutaris, et suscipiendum mysterium vivificæ crucis inclinari, ac pro salute illius, simul et gentis cui præerat, et verbo exhortationis apud homines, et apud divinam pietatem verbo deprecationis ageret; tandem, ut verisimile videtur, didicit in spiritu, ut quod vel quale esset oraculum regi quondam cælitus ostensum. Nec exinde distulit quin continuo regem ammoneret explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, B si temporis illius ærumnis exemptus, ad regni fastigia perveniret.

Erat autem oraculum hujusmodi : Cum [a] persequente illum Aedilfrido, qui ante eum regnavit, per diversa occultus loca vel regna, multo annorum tempore profugus vagaretur ; tandem venit ad [*Al. add.* regem] Redualdum, obsecrans ut vitam suam a tanti persecutoris insidiis tutando servaret : qui libenter eum excipiens, promisit se quæ petebatur [*Al.*, petebat], esse facturum. At postquam Aedilfrid in hac eum provincia apparuisse, et apud regem illius familiariter cum sociis habitare cognovit, misit nuncios, qui Redualdo pecuniam multam pro nece ejus offerrent : neque aliquid profecit. Misit secundo, C misit tertio, et copiosiora [*Al. add.* auri et] argenti dona offerens, et bellum insuper illi si contemneretur, indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, cessit deprecanti, ut sive occidere se Aeduinum, seu legatariis tradere promisit. Quod ubi fidissimus quidam amicus illius animadvertit, intravit cubiculum quo dormire disponebat; erat enim prima hora noctis, et evocatum foras, quid erga eum agere rex promisisset, edocuit et insuper adjecit : Si ergo vis, hac ipsa hora educam te de hac provincia, et ea in loca introducam, ubi nunquam te vel Redualdus vel Aedilfridus invenire valeant. Qui ait : « Gratias quidem ago benevolentiæ tuæ ; non tamen hoc facere possum quod suggeris, ut pactum quod cum tanto rege inii, ipse primus irritum D faciam, cum ille mihi nil mali fecerit, nil adhuc inimicitiarum intulerit. Quin potius, si moriturus sum, ille me magis quam ignobilior quisquam me morti tradat. Quo enim nunc fugiam, qui per omnes Brittaniæ provincias, tot annorum temporumque curriculis vagabundus, hostium vitabam insidias ? » Abeunte igitur amico remansit Aeduin solus foris, residensque mœstus ante palatium, multis cœpit cogitationum æstibus affici, quid ageret, quove pedem verteret nescius.

Cumque diu tacitis mentis angoribus et cæco carperetur igni, vidit subito intempestæ noctis silentio adpropinquantem sibi hominem vultus habitusque incogniti : quem videns, ut ignotum et inopinatum, non parum expavit. At ille accedens salutavit eum, et interrogavit, quare illa hora, cæteris quiescentibus et alto sopore pressis, solus ipse mœstus in lapide pervigil sederet. At ille vicissim sciscitabatur quid ad eum pertineret, utrum ipse intus an foris noctem transigeret. Qui respondens ait : « Ne me æstimes tuæ mœstitiæ et insomniorum, et forinsecæ et solitariæ sessionis causam nescire : scio enim certissime qui es, et quare mœres, et quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi quid mercis [*Al.*, mercedis] dare velis ei, si qui sit, qui his te mœroribus absolvat, et Redualdo suadeat, ut nec ipse tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hostibus perimendum tradat. » Qui cum se omnia quæ posset, huic tali pro mercede beneficii daturum esse responderet, adjecit ille : « Quid si etiam regem te futurum exstinctis hostibus in veritate promittat, ita ut non solum omnes tuos progenitores, sed et omnes qui ante te reges in gente Anglorum fuerant, potestate transcendas ? » At Aeduin constantior interrogando factus, non dubitavit promittere, quin ei qui tanta sibi beneficia donaret, dignis ipse gratiarum actionibus responderet. Tum ille tertio : « Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliaque dona veraciter adventura prædixerit, etiam consilium tibi tuæ salutis ac vitæ melius atque utilius quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit, ostendere potuerit, num ei obtemperare, et monita ejus salutaria suscipere consentis ? » Nec distulit Aeduin quin continuo polliceretur in omnibus se secuturum doctrinam illius, qui se tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad regni apicem proveheret. Quo accepto responso, confestim is qui loquebatur cum eo, imposuit dexteram suam capiti ejus, dicens : « Cum hoc ergo tibi signum [*Al. om.* signum] advenerit, memento hujus temporis, ac loquelæ nostræ, et ea quæ nunc promittis adimplere ne differas. » Et his dictis, ut ferunt, repente disparuit, ut intelligeret non hominem esse qui sibi apparuisset, sed spiritum.

Et cum regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, gavisus quidem de collata sibi [*Al.*, pia et benigna] consolatione, sed multum sollicitus ac mente sedula cogitans quis esset ille, vel unde veniret [*Al.*, venisset] qui hæc sibi loqueretur, venit ad eum præfatus amicus illius, lætoque vultu salutans eum : « Surge, inquit, intra, et sopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra simul et animum com-

[a] *Persequente illum Aedilfrido.* Fuit Aeduin filius et hæres Aellae Deirorum regis ; moriente patre Trimulus relictus, ab Aedilfrido Bernicorum rege qui Aceam filiam Aellæ duxit uxorem, tum regno tum patria exclusus, et apud Redualdum potentissimum Orient. Sax. regem profugus. Notatum hic esto hunc Aellam Aeduini patrem fuisse regem ad cujus nomen Gregorius alludit in capite primo. Nam absurde Codex A. T. C., pag. 14, traditionem illam torquet ad Aellam regem Occid. Saxon., patrem Cissæ.

Digitized by Google

pone, quia mutatum [*Al.*, immutatum] est cor regis, nec tibi aliquid mali facere, sed fidem potius pollicitam servare disponit: postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, reginæ in secreto revelavit, revocavit eum illa ab intentione, ammonens quia nulla ratione conveniat tanto regi amicum suum optimum in necessitate positum auro vendere, immo fidem suam, quæ omnibus ornamentis pretiosior est, amore pecuniæ perdere.» Quid plura? Fecit rex ut dictum est: nec solum exulem nunciis hostilibus [*Al.*, hostibus] non tradidit, sed etiam eum ut in regnum perveniret, adjuvit. Nam mox redeuntibus domum nunciis, exercitum ad debellandum Aedilfridum collegit copiosum, eumque sibi occurrentem cum exercitu multum impari, non enim dederat illi spatium quo totum suum congregaret atque adunaret exercitum, occidit in finibus gentis Merciorum ad [a] orientalem plagam amnis qui vocatur Idlae: in quo certamine et filius Redualdi, vocabulo Raegenheri, occisus est: ac sic Aeduinus juxta oraculum quod acceperat, non tantum regis sibi infesti insidias vitavit, verum etiam eidem perempto in regni gloriam successit.

Cum ergo prædicante verbum Dei Paulino Rex credere differret, et per aliquod tempus, ut diximus, horis competentibus solitarius sederet, quid agendum sibi esset [*Al. add.* et], quæ religio sequenda sedulus secum ipse scrutari consuesset, ingrediens ad eum quadam die vir Dei, imposuit dexteram capiti ejus, et an hoc signum agnosceret requisivit. Qui cum tremens ad pedes ejus procidere vellet, levavit eum, et quasi familiari voce affatus: «Ecce, inquit, hostium manus quos timuisti, Domino donante, evasisti; ecce, regnum quod desiderasti, ipso largiente percepisti. Memento ut tertium quod promisisti, facere ne differas, suscipiendo fidem ejus, et præcepta servando, qui te et a temporalibus adversis eripiens, temporalis regni honore sublimavit; et si deinceps voluntati ejus, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam a perpetuis malorum tormentis te liberans, æterni secum regni in cælis faciet esse participem.»

## CAPUT XIII.

*Quale consilium idem cum Primatibus suis de percipienda fide Christi habuerit; et ut Pontifex ejus suas aras profanaverit.*

Quibus auditis, rex suscipere quidem se fidem quam docebat, et velle et debere respondebat. Verum adhuc cum amicis principibus [*Al.*, principatibus; *al.*, principalibus], et consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, ut si et illi eadem cum illo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Et annuente Paulino, fecit ut dixerat. Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur singillatim ab omnibus, qualis sibi doctrina hæc eatenus inaudita, et novus divinitatis qui prædicabatur cultus videretur.

Cui primus pontificum ipsius Coifi [*Al.*, Coefi; *al.* Cyfi] continuo respondit: «Tu, vide, rex, quale sit hoc quod nobis modo prædicatur: ego autem [*Al. om.* autem] tibi verissime quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet, nihil utilitatis religio illa [*Al.*, habet religio] quam hucusque tenuimus: nullus enim tuorum studiosius quam ego culturæ deorum nostrorum se subdidit; et nihilominus multi sunt qui ampliora a te beneficia quam ego, et majores accipiunt dignitates, magisque prosperantur in omnibus quæ agenda vel adquirenda disponunt. Si autem dii aliquid valerent, me potius juvare vellent, qui illis impensius servire curavi. Unde restat, ut si ea quæ nunc nobis nova prædicantur, meliora esse et fortiora, habita examinatione, perspexeris, absque ullo cunctamine suscipere illa festinemus.

Cujus suasioni verbisque prudentibus alius optimatum regis tribuens assensum, continuo subdidit: «Talis, inquiens, mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris, ad comparationem ejus quod nobis incertum est temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio et calido effecto cœnaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluviarum vel nivium, adveniensque unus passerum domum citius pervolaverit [*Al.*, pervolavit], qui cum per unum ostium ingrediens, mox per aliud exierit. Ipso quidem tempore quo intus est, hiemis tempestate non tangitur, sed tamen parvissimo [*Al.*, minimo] spatio serenitatis ad momentum excurso, mox de hieme in hiemem regrediens, tuis oculis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet; quid autem sequatur, quidve præcesserit, prorsus ignoramus. Unde si hæc nova doctrina certius aliquid attulit [*Al.*, attulerit], merito esse sequenda videtur.» His similia et cæteri majores natu ac regis consiliarii divinitus admoniti prosequebantur.

Adjecit autem Coifi, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo quem prædicabat, verbum facientem. Quod cum jubente rege faceret, exclamavit, auditis ejus sermonibus, dicens: «Jam olim intellexeram nihil esse quod colebamus: quia videlicet quanto studiosius in eo cultu veritatem quærebam, tanto minus inveniebam. Nunc autem aperte profiteor, quia in hac prædicatione veritas claret illa, quæ nobis vitæ, salutis et beatitudinis æternæ dona valet tribuere. Unde suggero, rex, ut templa et altaria quæ sine fructu utilitatis sacravimus, ocius anathemati et igni contradamus [*Al.*, tradamus].» Quid plura? præbuit palam adsensum evangelizanti [*Al.*, evangelizandi] beato Paulino rex, et abrenunciata idololatria, fidem se Christi suscipere confessus est. Cumque a præfato pontifice sacrorum suorum quæreret, quis aras et fana idolorum cum septis quibus erant circumdata, primus profanare deberet; ille respondit: «Ego. Quis enim ea quæ per stulti-

[a] *Ad Orientalem plagam.* Prope *Idleton.*

Digitized by Google

tiam colui, nunc ad exemplum omnium aptius quam ipse per sapientiam mihi a Deo vero donatam destruam? » Statimque abjecta superstitione vanitatis, rogavit sibi regem arma dare et equum emissarium, quem ascendens, ad idola destruenda veniret [*Al.*, venit]. Non enim licuerat pontificem sacrorum vel arma ferre, vel præter [*Al.*, præterquam] in equa equitare. Accinctus ergo gladio accepit lanceam in manu, et ascendens emissarium regis, pergebat ad idola. Quod aspiciens vulgus, æstimabat eum insanire. Nec distulit ille, mox ut propiabat [*Al.*, appropiabat; *al.*, appropinquabat] ad fanum, profanare illud, injecta in eo lancea quam tenebat: multumque gavisus de agnitione veri Dei cultus, jussit sociis destruere ac succendere fanum cum omnibus septis suis. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum non longe ab Eburaco ad orientem, ultra amnem Dorwentionem, et vocatur hodie [a] *Godmunddingaham*, ubi pontifex ipse inspirante Deo vero polluit ac destruxit eas quas ipse sacraverat aras.

## CAPUT XIV.

*Ut idem Aeduini cum sua gente fidelis sit factus; et ubi Paulinus baptizaverit.*

Igitur accepit rex Aeduini cum cunctis gentis suæ nobilibus, ac plebe perplurima fidem et lavacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui undecimo, qui est annus dominicæ Incarnationis sexcentesimus vicesimus septimus, ab adventu vero Anglorum in Brittaniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eburaci die sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilium, in ecclesia sancti Petri apostoli, quam ibidem ipse de ligno cum catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam civitate ipse doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatus donavit. Mox autem ut baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, majorem ipso in loco et augustiorem de lapide fabricare basilicam, in cujus medio ipsum quod prius fecerat, oratorium includeretur. Præparatis ergo fundamentis in gyro prioris oratorii per quadrum cœpit ædificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, rex ipse impia nece occisus opus idem successori suo Osualdo [b] perficiendum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore sex annis continuis, id est, ad finem usque imperii regis illius, verbum Dei, annuente ac favente ipso, in ea provincia prædicabat: credebantque et baptizabantur quotquot erant præordinati ad vitam æternam: in quibus erant Osfrid et Eadfrid filii regis Aeduini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quoenburga filia Cearli regis Merciorum.

Baptizati sunt tempore sequente et alii liberi ejus de Aedilberga regina progeniti, Aedilhun, et Aedilthryd filia [*Al.*, filiæ], et alter filius Vuscfrea quorum primi albati adhuc rapti sunt de hac vita, et Eburaci in ecclesia sepulti. Baptizatus est et Yffi filius Osfridi, sed et alii nobiles ac regii [*Al.*, et egregii] viri non pauci. Tantus autem fertur tunc fuisse fervor fidei ac desiderium lavacri salutaris gente Nordanhymbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in villam regiam [*Al. om.* regiam] quæ vocatur [c] Adgefrin [*Al.*, Adgebrin], triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi et baptizandi officio deditus moraretur: quibus diebus cunctis a mane usque ad vesperam nil aliud ageret quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluvio [d] Gleni, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium regum deserta, et alia pro illa est facta in loco qui vocatur [e] Maelmin [*Al.*, Melmun; *al.*, Malmin; *al.*, Melmin]. Hæc quidem in provincia Berniciorum; sed et in provincia Deirorum, ubi sæpius manere cum rege solebat, baptizabat in fluvio [f] Sualua [*Al.*, Sualica; *al.*, Suala], qui [g] vicum Cataractam præterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant ædificari. Attamen in [h] Campodono, ubi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum pagani a quibus Aeduini rex occisus, cum tota eadem villa succenderunt: pro qua reges posteriores fecere sibi villam in regione quæ vocatur [i] Loidis. Evasit autem ignem al-

[a] *Godmunddingaham*. Hodie etiam nomen retinet Godmundham, id est, Deorum Septum. Locus celebris non solum Saxonicis, sed etiam Romanis, imo Brittannicis idololatriis. Juxta situm est Delgovitium, quod Cambdenus deducit a Brittanico Delgwe, quod apud illum deorum statuas denotat, hodie *Wigton*, id est, idolorum oppidum.

[b] *Perficiendum*. Perfectum ab Osualdo rege, succensum est an. 1069. Restitutum a Thoma I archiep., conflagravit an. 1137. Tandem tempore Edwardi I regis, sub Joanne thesaurario, et Romano, Meltono, et Thoresbeio archiepiscopis, ad hodiernam amplitudinem erectum est. SIM. DUN. STUBS.

[c] *Augefrin*. Hodie, *Yeverin* in *Glendale*.

[d] *Gleni*. Bowent.

[e] *Maelmin*. Millfield.

[f] *Sualua*. Huic baptismo Paulini parilem tradiderunt de Augustino scriptores ejus miraculorum. Et certe quod magnum fidelium numerum usque ad decem millia baptizaverit Augustinus, auctoritatem habemus Gregorii papæ in epistola supradicta ad Eulogium Alexandrinum; quod autem id fecerit in fl. Sualua juxta vicum Cataractam, id videtur erratum esse confundentis Augustinum cum Paulino. Nam si Augustinus baptizaverit in fl. Sualua, non verisimile erit fuisse in Sualua ad Cataractam, sed in Sualua ad ostia Medwagæ. Sed tribuunt Augustino scriptores iter boreale consilio multum diverso, hinc ad elevandos ejus labores, auctoritatem et miracula; illinc ad affigendum illi monachorum Bangorensium cædem; pari utrinque, ut videtur, veritatis specie.

[g] *Vicum Cataractam*. Edd., exc. A. 1 et C. 1, *vicum juxta Cataractam*. Ms. C. 1 *Cataractum* habet.

[h] *Campodono*. Nominis similitudo situm hujus loci videtur affigere ad Cambodunum, quod auctores interpretantur Almonbury, corrupte ab Albanbury, quia hæc basilica a Paulino consecrata in memoriam S. Albani dedicata fuit. Non indignum tamen notatu est, quod Paraphrasis Saxonica vertit Campodono, *Donafelda*, unde Galeus infert, fuisse forte *Tanfield*, quod quidem jacet juxta Rippon, propius fluvio Sualuæ, ubi Paulinus baptizavit.

[i] *Regione Loidis*. Non in ipso oppido, sed in villa de Osmunthorp quæ juxta jacet, et regem conditorem in nomine ostendit. Vide III, 24.



Digitized by Google

tare, quia lapideum erat : et servatur adhuc in monasterio reverentissimi abbatis et presbyteri Thryduulfi [*Al.*, Tridulfi], quod est in silva [a] Elmete.

## CAPUT XV.

*Ut provincia Orientalium Anglorum fidem Christi susceperit.*

[DCXXVII.] [b] Tantum autem devotionis Aeduini erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum [c] Earpualdo [*Al.*, Carpualdo; *al.*, Erpualdo; *al.*, Eorpualdo] filio Redualdi persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et sacramenta Christi cum sua provincia suscipere. Et quidem pater ejus Reduald jamdudum in Cantia sacramentis Christianæ fidei imbutus est, sed frustra : nam rediens domum, ab uxore sua et quibusdam perversis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei depravatus habuit posteriora pejora prioribus; ita ut in morem antiquorum Samaritanorum et Christo servire videretur, et diis quibus antea serviebat, atque in eodem fano et altare haberet ad sacrificium Christi, et arulam ad victimas dæmoniorum. Quod videlicet fanum rex ejusdem provinciæ Alduulf [*Al.*, Aldorlf], qui nostra ætate fuit, usque ad suum tempus perdurasse, et se in pueritia vidisse testabatur.

Erat autem præfatus rex Reduald natu nobilis quamlibet actu ignobilis, filius Tytili, cujus pater fuit Vuffa, a quo reges Orientalium Anglorum Vuffingas appellant. Verum Eorpuald non multo postquam fidem accepit tempore, occisus est a viro gentili, nomine Ricbercto [*Al.*, Richberto]; et exinde tribus annis provincia in errore versata est, donec C accepit regnum frater ejusdem Eorpualdi Sigberct [DCXXXI], vir per omnia Christianissimus atque doctissimus, qui vivente adhuc fratre cum exsularet in Galliis, fidei sacramentis imbutus est, quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam suam provinciam facere curavit. Cujus studiis gloriosissime favit Felix A episcopus, qui de Burgundiorum [*Al.*, Burgundionum] partibus, ubi ortus et ordinatus est, cum venisset ad Honorium archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum. Nec vota ipsius in cassum ceciderе; quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritalis cultor invenit. Siquidem totam illam provinciam juxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem et opera justitiæ, ac perpetuæ felicitatis dona perduxit, accepitque sedem episcopatus in civitate [d] Domnoc [*Al.*, Dumnoc; *al.*, Dummoc] : et cum decem ac septem [*Al.*, septemdecim] annos eidem provinciæ pontificali regimine præesset [*Al.*, præfuisset], ibidem in pace vitam finivit.

B

## CAPUT XVI.

*Ut Paulinus in provincia Lindissi prædicaverit; et de qualitate regni Aeduini.*

[DCXXVIII.] Prædicabat autem Paulinus verbum etiam provinciæ Lindissi, quæ est prima ad meridianam Humbræ fluminis ripam, pertingens usque ad mare, præfectumque Lindocolinæ civitatis, cui nomen erat [e] Blaecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum. In qua videlicet civitate et ecclesiam operis egregii de lapide fecit : cujus tecto vel longa incuria, vel hostili manu dejecto, parietes hactenus stare videntur, et omnibus annis aliqua sanitatum miracula in eodem loco solent ad utilitatem eorum qui fideliter quærunt ostendi. In qua [f] ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium pro eo consecravit episcopum, ut in sequentibus suo loco dicemus.

De hujus fide provinciæ narravit mihi presbyter et abbas quidam vir veracissimus de monasterio [g] Peartaneu [*Al.*, Partanei; *al.*, Peartanig; *al.*, Peortaneu], vocabulo Deda, retulisse sibi quendam

[a] *Elmete.* Hujus silvæ magnitudinem dedit antiqua Schedula Saxonica, quæ in multis mss. habetur, et a Galeo edita est Hist. Script. t. I, secundum quam Elmedsætna continet sexcentas hidas. Ab ea denominatur villa de Berwick, ubi murorum rudera ansam præbuerunt conjiciendi villam Bedæ regiam eo loci positam fuisse. Licet Beda nihil dicit de villa regia in silva Elmete, sed de monasterio tantum Thryduulfi; quod in nupera Cambdeni editione huic etiam oppido assignatur, sed certam aliquam de eo notitiam nemo huc usque invenit. In territorio Elmete non solum Bervicum, sed et alia circumvicina continentur. Robertus de Graystanes Angl. Sacr. I, pag. 739, dicit Robertum de Stichili ep. Dunelm. confirmatum fuisse a Godefrido Ebor. apud Scirburnam in Elmete. De hujus autem regionis antiquitatibus vide librum Thoresbei nuperrime editum.

[b] *Tantum autem*, etc. Al., *tantam autem, ut fertur, devotionem.*

[c] *Earpualdo persuaderet.* Earpualdi conversionem Fl. Wigorn., M. Westm. et Chron. Sax. ponunt anno 632, initium regni Sigbercti anno 636. Sed huic calculo series Historiæ in Beda videtur adversari. Earpualdo enim statim post conversionem occiso, et Sigbercto, post tres annos usurpationis Richercti, in regnum succedente, Felix episcopus ad eum missus est ab Honorio Cantuar. Post 17 annos, ab eodem Honorio Thomas Felici successor datus est; et post 5 annos, ab eodem Honorio Berctgils sive Bonifacius Thomæ supponitur, et sic perducimur ad annum 653, quo Honorius obiit. Jam vero recollectis his 22 annis, id est, 17 Felicis et 5 Thomæ, initium Sigbercti incidit in annum 631, et conversio et cædes Eorpualdi cum Ricbercti tyrannia, in annum 627.

[d] *Domnoc.* Hodie *Dunwich*, jam mari obruta. Sedes divisa primo cum Helmaham, deinde illuc translata, postea Thetfordiæ posita, denique Nordovici.

[e] *Blaecca.* Hujus nomen Beda referre contentus est, alii prosapiam etiam a Wodeno ad Eauferthum deductam tradiderunt, et præfecturam Castri Thongi ejus fidei ab Hengisto commissam, una cum D universis agri Lincolniensis copiis, non alio, quod novi, fundamento, præter generalem Fl. Wigorn. conclusionem de Lindisfarorum prosapia.

[f] *Ecclesia.* Conjectura est stetisse hanc ecclesiam, ubi hodie S. Pauli est, eamque olim S. Paulini fuisse. Nominum similitudo facilem hic fidem conciliavit.

[g] *Peartaneu.* De hujus monasterii fundatione nihil restat apud auctores : Loci situs non procul a Bardney, in cujus dotatione absorptæ videntur vicinæ pietatis reliquiæ. Walterus de Gaunt in charta de restauratione cœnobii Bardneiensis concedit decimam de toto dominio suo in Parteney. In prædicta vero Parteney ecclesiam cum pertinentiis suis, hospitale S. Mariæ Magdalenæ... una cum *visu franciplegii* in Parteney. Mon. Ang. I, p. 143. Vide Bedam III, 11.

Digitized by Google

seniorem baptizatum se fuisse die media a Paulino A episcopo, præsente rege Aeduino, et multam populi turbam in fluvio Treenta juxta civitatem quæ lingua Anglorum [a] Tiouulfingacaestir [*Al.*, Tuiif-Tuisf-Tulf-Uulfingcaestir] vocatur : qui etiam effigiem ejusdem Paulini referre esset solitus, quod esset vir [*Al. om.* vir] longæ staturæ paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco pertenui, venerabilis simul et terribilis aspectu. Habuit autem secum in ministerio et Jacobum diaconum, virum utique industrium ac nobilem in Christo et Ecclesia, qui ad nostra usque tempora permansit.

Tanta autem eo tempore pax in Brittania, quaquaversum imperium regis Aeduini pervenerat, fuisse perhibetur, ut, sicut usque hodie in proverbio dicitur, etiam si mulier una cum recens nato parvulo vellet totam perambulare insulam a mari ad mare, nullo se lædente valeret. Tantum [*Al. add.* quoque] rex idem [*Al. om.* idem] utilitati suæ gentis consuluit, ut plerisque in locis ubi fontes lucidos juxta publicos viarum transitus construxit, ibi ob refrigerium viantium, erectis stipitibus æreos [b] caucos suspendi juberet, neque hos quisquam, nisi ad usum necessarium, contingere præ magnitudine vel timoris ejus auderet, vel amoris vellet. Tantum vero in regno excellentiæ habuit, ut non solum in pugna ante illum vexilla gestarentur, sed et tempore pacis equitantem inter civitates sive villas aut provincias suas cum ministris, semper antecedere signifer consuesset : necnon et incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani [c] *Tufam*, Angli vero appellant *Tuuf*, ante eum ferri solebat.

## CAPUT XVII.

*Ut idem* [Al., *Aeduinus*] *ab Honorio papa exhortatorias literas acceperit, qui etiam Paulino pallium miserit.*

Quo tempore præsulatum sedis apostolicæ Honorius Bonifacii successor habebat, [d] qui ubi gentem Nordanhymbrorum cum suo rege ad fidem confessionemque Christi, Paulino evangelizante conversam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit et regi Aeduino literas exhortatorias, paterna illum caritate accendens, ut in fide veritatis quam acceperant [*Al.*, acceperat], persistere semper ac proficere curarent [*Al.*, curaret]. Quarum videlicet literarum iste est ordo :

[DCXXXIV.] « Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Aeduino regi Anglorum, Honorius episcopus servus servorum Dei, salutem.

« Ita Christianitatis vestræ integritas circa sui Conditoris cultum, fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo adnunciata, vestri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos reges esse cognoscitis, dum Regem et Creatorem vestrum orthodoxa prædicatione edocti, Deum venerando creditis, eique, quod humana valet conditio, mentis vestræ sinceram devotionem exsolvitis. Quid enim Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi ut in bonis actibus persistentes, ipsumque auB ctorem humani generis confitentes, eum colere, eique vota nostra reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fili, paterna vos caritate qua convenit, exhortamur, ut hoc quod vos divina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, sollicita intentione et adsiduis orationibus servare omnimodo festinetis ; ut qui vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos, ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, et cœlestis patriæ vobis præparet mansionem. Prædicatoris igitur vestri domini mei apostolicæ memoriæ Gregorii frequenter lectione occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote ; quatenus ejus oratio, et regnum vestrum populumque augeat, et C vos omnipotenti Deo inreprehensibiles repræsentet. Ea vero quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo adtribuere ulla sine dilatione prævidemus [*Al.*, prævidimus] ; et duo pallia utrorumque [*Al.*, utrique] metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino direximus, ut dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit arcessitus [*Al.*, accersitus], in loco ipsius alter [*Al.*, alterum] episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ charitatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatiis quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devo-

[a] *Tiouulfingacaestir.* In hujus loci situ parum certi est. Memoriam tamen baptismi Southwella sibi vindicat, et pietas regum, et possessiones episcoporum Ebor. Paulini successorum, et collegiata sacerdotum ecclesia inibi instituta privatæ ejus loci historiæ fidem consecrarunt.

[b] *Caucos.* M. Westm. habet, *per calamos æreos conduxit*, male : nam Beda expresse dicit, caucos *suspendi juberet*. Vasa ad bibendi usum posita. De his Treb. Pollio : *Item in caucos et scyphos pondo undecim*. Aedilberctus rex Cantiæ ep. ad S. Bonifacium Mog. : *Caucum argenteum intus deauratum pensantem libras tres*.

[c] *Tufam. Muta signa sunt, Aquilæ, Dracones, Vexilla, Flammulæ, Tufæ, Pinnæ.* Vegetius, lib. III, cap. 5. Genus vexilli apud Romanos ex confertis plumarum globis. Sic apud nostrates etiam ad tempora Richardi II. Charta Gervasii de Clifton militis concedit et confirmat Roberto de Bevercotes *une* D *Tuffe de plume.* Quidam Tufam per crucem et globum describunt, et crucem in Cantiam reportatam capite 20, Aeduini Tufam fuisse volunt.

[d] *Qui ubi.* Hæc epistola ad Aedwinum nullam temporis notam habet appositam, sed ex adjecta epistola capitis sequentis ad Honorium Cant., patet scriptas fuisse ambas anno 634, licet Aedwinus tunc mortuus esset ; sed ejus obitus papæ aures nondum attigerat. Quod autem tot anni effluxerint a conversione Aedwini anno 627, usque ad ejus notitiam papæ transmissam, vel saltem ad papæ cum palliis responsum, id tribui potest, vel tardis fidei in magna parte Nordanhymbrani regni progressibus de quo vide II, 12, 15, et III, 2 ; vel difficultati enatæ de mutua consecratione metropolitanorum, quæ moram in hoc negotium injicere possent ; quin nec necesse fuit pallia immediate a consecratione mitti ; imo neque ulla Laurentio vel Melito Justi decessoribus pallia missa in Beda legimus.

Digitized by Google

tioni vestræ nostrum concursum, et juxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. »

## CAPUT XVIII.

*Ut Honorius, qui Justo in episcopatum Dorovernensis Ecclesiæ successit, ab eodem papa* [Al. om. *eodem papa*] *Honorio pallium et literas acceperit.*

ª Hæc inter Justus archiepiscopus ad cælestia regna sublevatus [*Al.*, sublatus est] quarto Iduum Novembrium die [DCXXX], et Honorius pro illo est in præsulatum effectus [*Al.*, electus]: qui ordinandus venit ad Paulinum, et occurrente sibi illo in Lindocolino quintus ab Augustino Doruvernensis Ecclesiæ consecratus est antistes [DCXXXI]. Cui etiam præfatus papa Honorius misit pallium et literas, in quibus decernit [*Al.*, decrevit] hoc ipsum, quod in epistola ad Aeduinum regem missa decreverat: scilicet ut cum Doruvernensis vel Eburacensis antistes de hac vita transierit, is qui superest consors ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi, in loco ejus qui transierat, sacerdotem; ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa terrarum et maris spatia pro ordinando archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum literarum in nostra hac Historia ponere commodum duximus.

[DCXXXIV.] « Dilectissimo fratri Honorio, Honorius.

« Inter plurima quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affatus [*Al.*, effectus] unianimam dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat. Pro quibus majestati ejus gratias indesinenter exsolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione Evangelii laborantem [*Al.*, elaborantem] et fructificantem, sectantemque magistri et capitis sui [*Al.*, vestri] sancti Gregorii regulam, perpeti [*Al.*, perpetua] stabilitate confirmet, et ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per vos

A suscitet incrementa; ut fide et opere, in timore Dei et caritate, vestra adquisitio decessorumque vestrorum quæ per domini Gregorii exordia pullulat, convalescendo amplius extendatur; ut ipsa vos dominici eloquii promissa in futuro respiciant, vosque vox ista ad æternam festivitatem evocet: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Et iterum: *Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Et nos equidem, fratres carissimi, hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro Ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impertire. Et tam juxta vestram petitionem, quam

B filiorum nostrorum regum vobis per præsentem nostram præceptionem [*Al.*, præsenti nostra præceptione] vice beati Petri apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad se jusserit gratia vocari [*Al.*, evocari], is qui superstes fuerit alterum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere; quia ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt, ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis

C obtentum quoquo modo provenire [*Al.*, pervenire]; sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater. Data die tertio Iduum Junii, imperantibus dominis nostris Augustis, ᵇ Heraclio anno vicesimo quarto, post consulatum ejusdem anno vicesimo tertio; atque Constantino filio ipsius anno vicesimo tertio, et consulatus ejus anno tertio; sed et Heraclio felicissimo Cæsare item filio ejus anno tertio, indictione ᶜ septima, id est, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto. »

ª *Hæc inter.* Annum obitus Justi Beda non dedit, et hinc illæ tenebræ huic historiæ parti offusæ. Plurimi volunt Justum tres tantum annos sedisse et obiisse anno 627, et tunc vel Honorium successisse, vel sedem vacasse. Alii Justo plures annos tribuunt usque ad annum 632, 633, etc. De sede autem vacante nihil in Beda, nec de Justi obitu ante temporis periodum infra harum litterarum conspectum; sed necesse fuit Honorium consecrari Lincolniæ, ante annum 633, priusquam Paulinus ab Eboracensi provincia secederet; nec tamen post annum 631, ut spatium daretur viginti duobus annis Felicis et Thomæ ante obitum Honorii, quem certum est obiisse anno 653; de quo vide notam supra ad cap. 15. Justi igitur obitum ego posui an. 630, Honorii consecrationem an. 631, pallium an. 634.

ᵇ *Heraclio anno* XXIV, etc. Corruptus erat et mutilatus hic locus in omnibus editionibus, in quibus siglæ P. C. perperam redduntur, *proconsulatus*, cum aliud nihil sonent quam *post consulatum;* et omittuntur hæc verba, *atque Constantio filio ipsius anno* XXIII, unde totius subscriptionis turbatur sensus. Heraclius imperare cœpit V Octobris, indic. 14, anno Christi Dionysiano 610, sed anno 602 divinæ incar-

D nationis, secundum Theophanem, qui annos incarnationis octonario minuere solet, uti Georgius Syncellus et alii fere Græci. Idem Heraclius anno Christi 611 consulatum auspicatus est. — Heraclio ex Eudocia conjuge Augusta natus est Heraclius junior, dictus novus Constantinus, die tertia mensis Maii, indictione 15, Christi 612. Hic anno VII Heraclii parentis, Christi 617, die 1 Januarii, indictione 5, consul renuntiatus est. Heraclius, novi Constantini filius, magni Heraclii nepos, nascitur et baptizatur tertio Novembris, indictione 5, anno Heraclii Magni XX, Christi Dionysiano 631. Quare anno 634, tertio Idus Junii, in cursu erat annus tertius Heraclii pueri Cæsaris: unde restat difficultas ex illis verbis, et consulatus ejus anno III ad Constantinum spectantibus. Posito enim Constantini consulatus exordio ad annum 617, uti ex Theophane retulimus, consequenter anno 634 in cursu erat consulatus Constantini annus XVII. Legendum ergo videtur, et consulatus ejus anno XVII, nisi forte novum ei consulatus exordium fuit, quando illi natus est Heraclius filius, quod a Græcorum nemine adnotatum reperio. CHIFFL.

ᶜ *Septima.* Hic ad marginem Baronius ponit sexta, ut calculum accommodet ad annum 633, quem vel in

Digitized by Google

## CAPUT XIX.

*Ut primo idem Honorius, et post Johannes litteras genti Scotorum pro Pascha [Al., Paschæ observatione] simul et pro Pelagiana hæresi miserit.*

[DCXXXIV.] Misit idem papa [*Al. om.* papa] Honorius [*Al. add.* Romanæ sedis pontifex] litteras etiam genti Scottorum, quos in observatione sancti Paschæ errare [*Al.*, errasse] compererat, juxta quod supra docuimus: sollerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis quæ per orbem erant Christi Ecclesiis æstimarent; neve contra Paschales computos, et decreta synodalium totius orbis pontificum, aliud Pascha celebrarent.

[DCXL.] Sed et Johannes qui successori ejusdem Honorii Severino successit, cum adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem errore corrigendo litteras eis magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, evidenter adstruens, quia dominicum Paschæ diem a quinta decima luna usque ad vicesimam primam, quod in Nicæna synodo probatum est, oportet inquiri. Necnon et pro Pelagiana hæresi, quam apud eos reviviscere didicerat, cavenda ac repellenda, in eadem illos epistola admonere curavit; cujus epistolæ principium hoc est:

« Dilectissimis et sanctissimis [a] Tomiano [*Al.*, Thomiano], Columbano, Cromano [*Al.*, Chromano], Dinnao [*Al.*, Dimnano], et Baithano episcopis; Cromano [*Al.*, Chromanno], Ernianoque [*Al.*, Hermiano], Laistrano, Scellano, et Segeno [*Al.*, Segiano] presbyteris; Sarano, cæterisque doctoribus seu abbatibus Scottis, Hilarus archipresbyter, et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, Johannes diaconus, et in Dei nomine electus: item Johannes primicerius, et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, et Johannes servus Dei, consiliarius ejusdem apostolicæ sedis.

« Scripta quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Severinum papam adduxerunt, et eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam provinciæ vestræ contra orthodoxam fidem, [b] novam ex veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et quarta decima luna cum Hebræis celebrare nitentes. » Quo epistolæ principio manifeste declaratur, et nuperrime temporibus illis A hanc apud eos hæresim exortam, et non totam eorum gentem, sed quosdam in eis hac fuisse implicitos.

Exposita autem ratione Paschalis observantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt: « Et hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit: quod omnino hortamur ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet; quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur: et hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen et impium, B dicentium posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, et non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemiæ stultiloquium est, dicere esse hominem sine peccato; quod omnino non potest, nisi unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus qui sine peccato est conceptus et partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes testimonium prævaricationis Adæ, etiam sine actuali peccato existentes, portare noscuntur, secundum Prophetam dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea* (*Psalm.* L, 7). »

## CAPUT XX.

*Ut occiso Aeduino Paulinus Cantiam rediens, Hrofensis Ecclesiæ præsulatum susceperit.*

C At vero Aeduini cum decem et septem annis genti Anglorum simul et Brittonum gloriosissime præesset, e quibus sex etiam ipse, ut diximus, Christi regno militavit, rebellavit adversus eum [c] Caedualla rex Brittonum, auxilium præbente illi Penda viro strenuissimo de regio genere Merciorum, qui et ipse eo tempore, gentis ejusdem regno annis viginti et duobus varia sorte præfuit: et conserto gravi prælio in campo qui vocatur [d] Haethfelth, occisus est Aeduini die [e] quarta Iduum Octobris, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio, cum esset annorum quadraginta et [f] octo: ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello, ante illum unus filius ejus [g] Osfrid juvenis bellicosus cecidit, alter Eadfrid necessitate cogente D ad Pendam regem transfugit, et ab eo postmodum regnante Osualdo, contra fidem jurisjurandi peremptus est.

Quo tempore maxima est facta strages in Ecclesia

mss. suo invenit, vel inveniendum putavit. In dando tempore hujus epistolæ laborarunt Chiffletius et alii, quisque suos corrigens mss., infeliciter omnes. Nam Codices ipsi veteres in uno et vero consentiunt.

[a] *Tomiano*, etc. Fuit Tomianus archiepiscopus Armachensis, Dinnaus episcopus Connorensis, Baithanus Clonmacnoisensis; Cromanus abbas Roscreensis; Segenus Iiensis. Reliquorum sedes titulosve non invenio.

[b] *Novam ex veteri.* Vetus hæresis fuit Pascha cum Hebræis *semper* celebrare; Nova *aliquando* tantum, iis scilicet annis, quibus Paschæ dies in quartam decimam lunam incidit. Vide append. n. 9.

[c] *Caedualla.* Vide omnino quomodo omnia hæc bella narrat Galf. mon. in sua Hist. reg. Britt., lib. XII per totum.

[d] *Haethfelth.* Saltus in Eburacensi comitatu inter Donam fluvium et Exholme insulam.

[e] *Quarta Iduum Octob.* Sanctis enim ille adnumeratur, eique ecclesiæ dedicatæ. Ejus tamen memoria celebratur in Martyrologio Anglicano ad quartum diem Decembris.

[f] *Octo.* Edit., *septem*, sicut et Interp. Sax., sed contra mss.

[g] *Osfrid.* Cum Godboldo rege Orcadum qui ad auxilium ejus venerat. RAD. DICET., p. 784.

Digitized by Google

vel gente Nordanhymbrorum, maxime quod unus ex ducibus a quibus acta est, paganus, alter quia barbarus erat pagano sævior. Siquidem Peada cum omni Merciorum gente idolis deditus, et Christiani erat nominis ignarus : at vero Caedualla, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut ne sexui quidem muliebri, vel innocuæ parvulorum parceret ætati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Brittaniæ finibus erasurum se esse deliberans. Sed nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris. Quippe cum usque hodie moris sit Brittonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare [a] quam paganis. Adlatum est autem [b] caput Aeduini regis Eburacum, et inlatum postea in ecclesiam beati apostoli Petri, quam ipse cœpit, sed successor ejus Osualdus perfecit, ut supra docuimus, positum est in porticu sancti papæ Gregorii, a cujus ipse discipulus verbum vitæ susceperat.

Turbatis itaque rebus Nordanhymbrorum hujus articulo cladis, cum nil alicubi præsidii nisi in fuga esse videretur, Paulinus adsumpta secum regina Aedilberge quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eadbaldo multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Basso, milite regis Aeduini fortissimo, habens secum Eanfledam [*Al.*, Eanfredam] filiam, et Vuscfrean filium Aeduini, necnon et Yffi [*Al.*, Iffi] filium Osfridi filii ejus, quos postea mater metu Eadbaldi et Osualdi regum, misit in Galliam nutriendos regi [c] Daegberecto [*Al.*, Dagbercto] qui erat amicus illius, ibique ambo in infantia defuncti, et juxta honorem vel regiis pueris, vel innocentibus Christi congruum, in ecclesia sepulti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Aeduini regis perplura, in quibus et crucem magnam auream, et calicem aureum consecratum ad ministerium altaris, quæ hactenus in ecclesia Cantiæ conservata monstrantur.

Quo in tempore, Hrofensis Ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus præsul illius ad Honorium papam a Justo archiepiscopo legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris : ac per hoc curam illius præfatus Paulinus, invitatione Honorii antistitis et Eadbaldi regis suscepit ac tenuit, usquedum et ipse suo tempore ad cælestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit. In qua Ecclesia moriens, pallium quoque, quod a Romano papa acceperat, reliquit.

Reliquerat autem in Ecclesia sua Eburacensi Jacobum diaconum, virum utique ecclesiasticum et sanctum, qui multo exhinc tempore in Ecclesia manens, magnas antiquo hosti prædas, docendo et baptizando eripuit : cujus [d] nomine vicus in quo maxime solebat habitare, juxta Cataractam, usque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia, et crescente numero fidelium, etiam magister [e] ecclesiasticæ cantionis juxta morem Romanorum seu Cantuariorum multis cœpit existere : et ipse senex ac plenus dierum, juxta Scripturas, Patrum viam secutus est.

[a] *Quam paganis.* Vide supra in hujus libri capite IV.

[b] *Caput.* Corpus autem ejus in ecclesia Pharensi tumulatum.

[c] *Daegberecto.* Clotarii filio et Chilperici nepoti, cujus frater Charibertus genuerat Berctam Aedilbergæ matrem. Ipsa ad villam Liming, a rege fratre datam, monasterium condidit, ubi velum, prima Anglorum, sumpsit, vitamque finivit. Memoria ejus in Anglicano Martyrologio celebratur 10 Sept.

[d] *Cujus nomine vicus.* Hodie Akeburg.

[e] *Ecclesiasticæ cantionis.* De hac vide append. n. 12.

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Ut primi successores Aeduini regis, et fidem suæ gentis prodiderunt* [Al., *perdiderunt*], *et regnum porro Osualdus Christianissimus rex utrumque restauravit.*

At interfecto in pugna Aeduino, suscepit pro illo regnum Derorum, de qua provincia ille generis prosapiam et primordia regni habuerat, filius patrui ejus Aelfrici, vocabulo Osric, qui ad prædicationem Paulini, fidei erat sacramentis imbutus [DCXXXIII]. Porro regnum Berniciorum, nam [a] in has duas provincias gens Nordanhymbrorum antiquitus divisa erat, suscepit filius Aedilfridi qui de illa provincia generis et regni originem duxerat, nomine Eanfrid. Siquidem tempore toto quo regnavit Aeduini, filii præfati regis Aedilfridi qui ante illum regnaverat, cum magna nobilium juventute apud Scottos sive Pictos exulabant, ibique ad doctrinam Scottorum catechizati et baptismatis sunt gratia recreati. Qui ut mortuo rege

[a] *In has duas provincias.* In Deiram quæ ab Humbra incipiens, ad Tesam fluvium terminabatur, et in Berniciam quæ a Tesa usque ad Twedam protendebatur. Unde etiam quidam reges Nordhymbrorum regnabant super solos Deiros, sicut Aelle; quidam super solos Bernicios, sicut Adda filius ejusdem Aelle; quidam super utrosque sicut Aeduinus filius ejusdem Aellæ, et sanctus Osualdus, et post eum frater ejus Osuiu. A tempore cujus Osuiu utraque regio sub uno regno remansit. Ita Ric. Hag., x Scr., p. 286. Harum tamen provinciarum terminos longe aliter dederunt quidam. Deiros ad Tuedam, Bernicios ad fretum Edinburgicum extendentes; et Bernicios quidem ad Fretum inveniamus, Deiros vero non ultra Tesam fluvium.

Digitized by Google

inimico, patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum, quem ᵃ diximus, Eanfrid regnum Berniciorum. Qui uterque rex ut terreni regni insulas sortitus est, sacramenta regni cælestis quibus initiatus erat, anathematizando prodidit [*Al.*, perdidit], ac se priscis idolatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit.

Nec mora, utrumque rex Brittonum Ceadualla impia manu, sed justa ultione peremit [DCXXXIV]. Et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se [b] in oppido [*Al.*, oppidi] Municipio temerarie obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum cum suo exercitu delevit. Dein cum anno integro provincias Nordanhymbrorum non ut rex victor possideret sed quasi tyrannus sæviens disperderet, ac tragica cæde dilaceraret, tandem Eanfridum inconsulte ad se cum duodecim lectis [*Al.*, electis] militibus, postulandæ pacis gratia venientem simili sorte damnavit. Infaustus ille annus et omnibus bonis exosus usque hodie permanet, tam propter apostasiam regum Anglorum qua se fidei sacramentis exuerant, quam propter vesanam Brittonici [*Al.*, Brittanici] regis tyrannidem. Unde cunctis placuit regum tempora computantibus, ut ablata de medio regum perfidorum memoria, idem annus sequentis regis, id est, Osualdi, viri Deo dilecti, regno adsignaretur : quo, post occisionem fratris Eanfridi, superveniente cum parvo exercitu, sed fide Christi munito, infandus Brittonum dux cum immensis illis copiis quibus nihil resistere posse jactabat, interemptus est; in loco qui lingua Anglorum [c] Deniseburna, id est, Rivus [*Al.*, oriens] Denisi vocatur.

## CAPUT II.

*Ut de ligno Crucis quod idem rex contra Barbaros pugnaturus erexerat, inter innumera sanitatum miracula, quidam a dolentis* [Al., *adolescens*] *brachii sit languore curatus.*

Ostenditur autem usque hodie et in magna veneratione habetur locus ille, ubi venturus ad hanc pugnam Osuald [d] signum sanctæ crucis erexit [DCXXXV], ac flexis genibus Dominum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. Denique fertur quia facta citato opere cruce, ac fovea præparata in qua statui deberet, ipse fide fervens hanc arripuerit, ac foveæ imposuerit, atque D

A utraque manu erectam tenuerit, donec adgesto a militibus pulvere, terræ figeretur. Et hoc facto, elata in altum voce cuncto exercitui proclamaverit : « Flectamus omnes genua, et Dominum omnipotentem vivum ac verum in commune [*Al.*, communi] deprecemur, ut nos ab hoste superbo ac feroce sua miseratione defendat : scit enim ipse quia juxta pro salute gentis nostræ bella suscepimus. » Fecerunt omnes ut jusserat; sic incipiente diluculo in hostem progressi, juxta meritum suæ fidei, victoria potiti sunt. In cujus loco orationis innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratæ, ad indicium, videlicet, ac memoriam fidei regis. Nam et usque hodie multi de ipso ligno sacrosanctæ crucis astulas [*Al.*, hastulas] excidere solent, quas cum in aquas miserint eisque B languentes homines aut pecudes potaverint sive asperserint, mox sanitati restituuntur.

Vocatur locus ille lingua Anglorum [e] Hefenfelth [*Al.*, Heofenfeld], quod dici potest Latine Cælestis campus, quod certo utique præsagio futurorum antiquitus nomen accepit : significans nimirum quod ibidem cæleste erigendum trophæum, cælestis inchoanda victoria, cælestia usque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus [*Al. add.* ille] juxta murum illum, ad Aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos Barbarorum impetus, totam a mari ad mare præcinxere Brittaniam, ut supra docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo jam tempore fecerant fratres Hagustaldensis ecclesiæ quæ non C longe abest, advenientes omni anno pridie quam postea idem rex Osuald occisus est, vigilias pro salute animæ ejus facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimam pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam crescente bona consuetudine, nuper [f] ibidem ecclesia constructa [*Al. add.* atque dedicata], sacratiorem et cunctis [*Al.*, omnibus] honorabiliorem locum omnibus [*Al. om.* omnibus] fecere. Nec immerito, quia nullum, ut comperimus, fidei Christianæ signum, nulla ecclesia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ crucis vexillum novus militiæ ductor, dictante fidei devotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret.

[a] *Diximus.* Vulgg. : *diximus, Osricus regnum Deirorum, secundus vero Eanfrid Berniciorum. Uterque*, etc.

[b] *In oppido Municipio.* Non *oppidi*, ut scriptores absurde textum Bedæ corruperunt : sed *oppido municipio*; oppido quod pro municipio habetur, vel Municipium appellatur : sicut etiam Paraphrasis Saxon. recte vertit. Horum unum tantum in hac provincia novimus, et quidni illud fuerit, nempe Eburacum, quod Aurelius Victor in sua Cæsarum Historia, expresse Municipium appellat? Poterat quidem vox *Municipium*, ut pote in sequioribus sæculis latiore sensu sumi, sed expressio Bedæ in hoc loco peculiarem quamdam designationem involvit, regni, scilicet, Deirensis urbem primariam, quæ etiam revera municipium ab antiquo fuerat.

[c] *Deniseburna.* Audax forte nimium qui negaverit hunc esse hodiernum Dilston. Nihil tamen ibi reperitur quod illi opinioni faveat nisi nominis quædam similitudo, eaque non ex Beda, sed ex mala ejus lectione. Nam loci situs, et Historiæ narratio ad Occidentem magis Borealem tendunt. Vide append., n. 13.

[d] *Signum sanctæ crucis.* Restant in archivis Dunelm. plurimæ chartæ cum antiquo sancti Cuthberti sigillo annexo. In quo exhibetur caput sancti Oswaldi ex una parte, et crux ejus ex altera. Vide impressum in Append. n. 13.

[e] *Hefenfelth.* Neque hunc locum puto hodiernum Halton, vel, ut legendum volunt, Halidun, sed magis ad Aquilonem a muro Romano.

[f] *Ibidem ecclesia.* Restat adhuc ad Occidentem Aquilonalem ab Axeloduno ecclesia sancti Oswaldi. Sed de his plura in Append., n. 13.

Digitized by Google

Nec ab re est unum e pluribus quæ ad hanc crucem patrata sunt, virtutis miraculum enarrare. Quidam de fratribus Hagustaldensis [*Al.*, Augustald] ecclesiæ, nomine Bothelm, qui nunc usque superest, ante paucos annos dum incautius forte noctu in glacie incederet, repente corruens brachium contrivit, ac gravissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari; ita ut ne ad os quidem adducere ipsum brachium ullatenus dolore arcente valeret. Qui cum die quadam mane audiret unum de fratribus ad locum ejusdem sanctæ crucis ascendere disposuisse, rogavit ut aliquam sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret, credere se dicens quia per hoc, donante Domino, salutem posset consequi. Fecit ille ut rogatus est, et reversus ad vesperam, sedentibus jam ad mensam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri musco quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam non haberet ad manum ubi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum sibi. Et dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore, cum evigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adjacere, admotaque manu requirere quid [*Al. add.* cœpit] esset, ita sanum brachium manumque reperit, ac si nihil unquam tanti languoris habuisset [*Al.*, habuissent].

## CAPUT III.

*Ut idem rex postulans de gente Scottorum antistitem, acceperit Aedanum, eidemque in insula Lindisfarnensi sedem episcopatus donaverit.*

Idem ergo Osuald, mox ubi regnum suscepit, desiderans totam cui præesse cœpit gentem fidei Christianæ gratia imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis Barbaris jam ceperat, misit ad majores natu Scottorum, inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta, cum his qui secum erant militibus, consecutus erat; petens ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum, dominicæ fidei et dona disceret, et susciperet sacramenta [DCXXXV]. Neque aliquanto tardius quod petiit impetravit: accepit namque pontificem Aedanum [*Al.*, Aidanum] summæ mansuetudinis et pietatis ac moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamvis non plene secundum scientiam. Namque diem Paschæ dominicum more suæ gentis, cujus sæpius mentionem fecimus, a quarta decima luna usque ad vicesimam observare solebat. Hoc etenim ordine Septentrionalis Scottorum provincia, et omnis natio Pictorum illo adhuc tempore Pascha dominicum celebrabat, æstimans se in hac observatione sancti ac laude digni Patris Anatolii scripta secutam (*Vide infra*, c. 25, *et Bed. Chron.*, n. 4230). Quod [*Al. add.*, quidem] an verum sit, peritus quisque facillime cognoscit. Porro gentes Scottorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, jamdudum ad admonitionem apostolicæ sedis antistitis, Pascha canonico ritu observare didicerunt (*Vid.* II, 19).

Venienti [*Al.*, veniente] igitur ad se episcopo, rex locum sedis episcopalis in [a] insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus accedente ac recedente reumate bis quotidie instar insulæ maris circumluitur undis, bis renudato littore contiguus terræ redditur; atque ejus admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auscultans, Ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter ædificare ac dilatare curavit. Ubi pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut evangelizante antistite qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret cælestis: quia nimirum tam longo exilii sui tempore linguam Scottorum jam plene didicerat. Exin [*Al.*, exinde] cœpere plures per dies de Scottorum regione venire Brittaniam atque illis Anglorum provinciis quibus regnavit rex Osuald, magna devotione verbum [*Al. add.* Dei] fidei prædicare, et credentibus gratiam baptismi, quicumque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Construebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones, et territoria ad instituenda monasteria, imbuebantur præceptoribus Scottis parvuli Anglorum, una cum majoribus studiis et observatione disciplinæ regularis.

Nam monachi erant, maxime qui ad prædicandum venerant. Monachus ipse episcopus Aedan, utpote de [b] insula quæ vocatur Hii, destinatus [*Al.*, Hy, destinatus]: cujus monasterium in cunctis pene Septentrionalium Scottorum, et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat: quæ videlicet insula ad jus quidem Brittaniæ pertinet, non magno ab ea freto

[a] *Insula Lindisfarn.* « A fluvio Lindis excurrente in mare: qui duorum pedum habens latitudinem, non nisi cum recesserit mare videri potest. Continet autem hæc insula octo miliaria per ambitum. Nunc vocatur insula Sacra, quia SS. Aedanus, Finanus, Tuda et Cuthberctus, cum aliis ejusdem Ecclesiæ præsulibus ibidem corpore requieverunt; posteaque plures monachi, diversique sæculares per Danos sunt martyrisati et sepulti. » SIM. DUN., p. 68, 69. Hujus insulæ territoria vide ibidem.

[b] *Insula Hii.* « Est ea longa duo millia passuum, supra mille lata. Ibi duo monasteria sunt fundata, unum Nigrorum monachorum, aliud sanctarum monialium ordinis sancti Augustini rochetam deferentium; et ibi Refugium. Monasterium vero monachorum usque ad tempus R. Malcolmi viri sanctæ Margaretæ fuit locus sepulturæ, et sedes regalis quasi omnium regum Scottiæ et Pictiniæ. » FORD., Scotichr., II, 1. « In cœnobio veteri divi Columbæ, insularum episcopi sedem statuerunt, vetere domicilio quod erat in Eubonia, id est, Mannia, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas sepulcretum sive cœmeterium commune omnium nobilium familiarum quæ in Occidentalibus insulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres, modicis intervallis distantes, tribus impositis domunculis in Orientem versis. In occidentali cujusque parte lapis inscriptus quorum tumuli sint indicat. In medio est TUMULUS REGUM SCOTTIÆ. In dextro REGUM HIBERNIÆ. In sinistra parte REGUM NORVEGIÆ. In reliquo cœmeterio seorsum, claræ insulanorum familiæ habent sua conditoria. Circa eam sex proximæ insulæ, exiguæ nec tamen infecundæ, ab antiquis regibus, et insulanorum regulis cœnobio Columbæ donatæ fuerunt. » BUCHAN.

Digitized by Google

discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Brittaniæ plagas incolunt, jamdudum monachis Scottorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperint.

## CAPUT IV.

*Quando gens Pictorum fidem Christi perceperit* [Al., *susceperit*].

Siquidem anno Incarnationis dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto, quo tempore gubernaculum Romani imperii post Justinianum Justinus [*Cod. Mori*, Justinianus] minor accepit, venit de Hibernia presbyter et abbas habitu et vita monachi insignis, nomine Columba [*Al.*, Columbanus, Columban] Brittaniam, prædicaturus verbum Dei provinciis Septentrionalium Pictorum, hoc est, eis quæ arduis atque horrentibus [a] montium jugis, ab Australibus eorum sunt regionibus sequestratæ. Namque ipsi Australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore, ut perhibent, relicto errore idolatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia episcopo reverentissimo et sanctissimo viro, de natione Brittonum [CCCXCIV], qui erat [b] Romæ regulariter fidem et mysteria veritatis edoctus; cujus sedem episcopalem, sancti Martini episcopi nomine et ecclesia insignem, ubi ipse etiam corpore una cum pluribus sanctis requiescit, jam nunc [*Al. om.* nunc] Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Beruiciorum pertinens, vulgo vocatur [c] Ad candidam casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Brittonibus more fecerit.

Venit autem Brittaniam Columba, regnante Pictis [d] Bridio filio Meilochon, rege potentissimo, nono anno regni ejus, gentemque illam verbo et exemplo ad fidem Christi convertit: unde et præfatam insulam ab eis in possessionem monasterii faciendi accepit. Neque enim magna est, sed quasi [e] familiarum quinque, juxta æstimationem Anglorum: quam successores ejus usque hodie tenent, ubi et ipse sepultus est [DXCVII], cum esset annorum septuaginta septem, post annos circiter triginta et duos ex quo ipse Brittaniam prædicaturus adiit. Fecerat autem, priusquam Brittaniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod a copia roborum [f] Dearmach lingua Scottorum, hoc est, Campus roborum, cognominatur. Ex quo utroque monasterio plurima [*Al.*, perplurima] exinde monasteria per discipulos ejus et in Brittania et in Hibernia propagata sunt: in quibus omnibus idem monasterium insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum teneret [*Al.*, tenet].

Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia, et [g] ipsi etiam episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi doctoris illius, qui non episcopus, sed presbyter extitit et monachus: de cujus vita et verbis nonnulla a discipulis ejus feruntur scripta haberi. Verum qualiscumque fuerit ipse, nos hoc de illo certum tenemus, quia reliquit successores magna continentia ac divino amore regularique institutione insignes: in tempore quidem summæ festivitatis dubios circulos sequentes, utpote quibus longe ultra orbem positis nemo synodalia paschalis observantiæ decreta porrexerat; tantum ea quæ in propheticis, evangelicis et apostolicis litteris discere poterant pietatis et castitatis opera diligenter observantes. Permansit autem hujusmodi observantia paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, usque ad annum dominicæ Incarnationis septingentesimum decimum quintum [*Al.*, sextum], per annos centum quinquaginta.

At tunc veniente ad eos reverentissimo et sanctissimo Patre et sacerdote Ecgbercto, de natione Anglorum, qui in Hibernia diutius exulaverat pro Christo, eratque et doctissimus in Scripturis et longæ vitæ perfectione eximius, correcti sunt per eum et ad verum canonicumque Paschæ diem translati, quem tamen et antea non semper in luna quarta decima cum Judæis, ut quidam rebantur, sed in die quidem [*Al.*, quadam] Dominica, alia tamen quam

[a] *Montium Jugis.* Monte Grampio. Cujus jugum altissimum hodie Drum albin, Dorsum Albionis, appellatur.

[b] *Romæ.* Dicitur Ninia Romam adiisse tempore Damasi papæ, an. 370; ordinatum Brittonibus fuisse a Siricio an. 394; in reditu sanctum Martinum salutasse, virum regulari disciplina celeberrimum, sed non avunculum, ut Hect. Boethius tradit. Hac occasione Ecclesiam suam sancto Martino dedicavit. Ut et moris fuit illis temporibus.

[c] *Ad Candidam Casam.* Whitherne in Gallovidia. Ubi Ninia obiit, an. 432. Quo etiam anno sanctus Patricius Hiberniam intravit, sicut Palladius anno præcedente Scotiam. Codex ms. Thoresbei ad hunc locum Bedæ habet notam sequentem litteris majoribus scriptam in corpore textus: *Ubi Ordo Premonstratensis habet sedem et electionem episcopalem.*

[d] *Bridio.* Hic a Cruthneo primo Pictorum monarcha tricesimus quartus numeratur in Scotichronico. Successerunt, Garnard qui fundavit ecclesiam collegiatam de Abernethy; Constantinus qui fundavit ecclesiam Dunkeld. Ab hoc octavus Drunsken, in quo Pictorum regnandi defecit potestas.

[e] *Familiarum.* Unus cod., *millia num*, male.

[f] *Dearmach.* Adamnanus in Vita sancti Columbæ, lib. I, cap. 3, dicit Columbam in mediterranea Hiberniæ parte monasterium quod Scottice dicitur Dairmach fundasse. Illud idem est cum Augustiniano cœnobio quod hodie Durrogh, et Durmach dicimus in comitatu Regis, et male a quibusdam cum cœnobio Armachano confunditur.

[g] *Ipsi etiam episcopi.* Sed non quoad auctoritatem spiritualem. Vide Adamnani Vitam sancti Columbæ. I, 26: « Alio in tempore quidam de Numinensium provincia proselytus ad sanctum venit, qui se in quantum potuit humiliter gessit, quod nullus sciret quod episcopus esset; sed tamen hoc sanctum non potuit latere. Nam alia die Dominica, a sancto jussus Christi corpus ex more conficere, sanctum advocat, ut simul quasi duo presbyteri dominicum panem frangerent. Sanctus proinde ad altarium accedens, repente intuitus faciem ejus, sic eum compellat: Benedicat te Christus, frater, hunc solus episcopus episcopali ritu frange panem. Nunc scimus quod sis episcopus. Quare huc usque te occultare conatus es, ut tibi a nobis debita non redderetur veneratio? Quo audito sancti verbo humilis peregrinus valde stupefactus Christum in sancto veneratus est, et qui erant præsentes nimis admirati glorificaverunt Deum. » Apud Canis., tom. V, pars. II, p. 5?9.

Digitized by Google

decebat hebdomada celebrabant. Sciebant enim, ut Christiani, resurrectionem dominicam quæ prima Sabbati facta est prima Sabbati semper esse celebrandam: sed ut barbari et rustici, quando eadem prima Sabbati quæ nunc Dominica dies cognominatur [*Al.*, nuncupatur] veniret minime didicerant. Verum quia gratia caritatis fervere non omiserunt [*Al.*, omiserant], et hujus quoque rei notitiam ad perfectum percipere meruerunt, juxta promissum Apostoli dicentis: *Et* [Al., om. *et*] *si quid aliter sapitis, et hoc quoque vobis Deus revelabit* [Al., *revelavit*]. De quo plenius in sequentibus suo loco dicendum est.

## CAPUT V.

### *De vita Aedani episcopi.*

Ab hac ergo insula, ab horum collegio monachorum, ad provinciam Anglorum instituendam in Christo, missus est Aedan, [a] accepto gradu episcopatus [DCXXXV]. Quo tempore eidem monasterio [b] Segeni abbas et presbyter præfuit. Unde inter alia vivendi documenta, saluberrimum abstinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit: cujus doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam vivebat cum suis, ipse docebat. Nihil enim hujus mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ sibi a regibus vel divitibus sæculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent erogare gaudebat. Discurrere per cuncta et urbana et rustica loca, non equorum dorso, sed pedum incessu vectus, nisi si major forte necessitas compulisset, solebat: quatenus ubicumque aliquos vel divites vel pauperes incedens aspexisset, confestim ad hos divertens, vel ad fidei suscipiendæ sacramentum si infideles essent, invitaret; vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynas operumque bonorum executionem, et verbis excitaret et factis.

In tantum autem vita illius a nostri temporis segnitia distabat, ut omnes qui cum eo incedebant, sive attonsi, seu laici, meditari deberent, id est, aut legendis [c] Scripturis, aut psalmis discendis [*Al.*, dicendis] operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, et omnium qui cum eo erant, ubicumque locorum devenissent. Et si forte evenisset, quod tamen raro evenit, ut ad regis convivium vocaretur, intrabat cum uno clerico, aut duobus; et ubi paululum reficiebatur, adceleravit [*Al.*, accelerabat] ocius ad legendum cum suis, sive ad orandum egredi. Cujus

A exemplis informati tempore illo religiosi quique viri ac feminæ, consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione quinquagesimæ paschalis, quarta et sexta Sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare. Nunquam divitibus honoris sive timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat; sed aspera illos invectione corrigebat. Nullam potentibus sæculi pecuniam, excepta solummodo esca si quos hospitio suscepisset, umquam dare solebat, sed ea potius quæ sibi a divitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in usus pauperum, ut diximus, dispergebat, vel ad redemptionem eorum qui injuste fuerant venditi, dispensabat. Denique multos quos pretio dato redemerat, redemptos postmodum suos discipulos fecit, atque ad sacerdotalem usque gradum erudiendo atque instituendo provexit. B

Ferunt autem quia cum de provincia Scottorum rex Osuald postulasset antistitem, qui sibi suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit [d] primo alius austerioris animi vir, qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans nihil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit patriam, atque in conventu seniorum retulerit, quia nil prodesse docendo genti ad quam missus erat, potuisset, eo quod essent homines indomabiles, et duræ ac barbaræ mentis. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio quid esset agendum, habere cœperunt; desiderantes quidem genti quam petebantur, saluti [*Al.*, petebant salutem] esse, sed de non recepto quem miserant prædicatore dolentes. Tunc ait Aedan, nam et C ipse concilio intererat, ad eum de quo agebatur sacerdotem: « Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, et non eis juxta apostolicam disciplinam [*Al.*, doctrinam] primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora et ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent. » Quo audito, omnium qui consedebant ad ipsum ora et oculi conversi [*Al.*, oculos convertentes], diligenter quid diceret discutiebant, et ipsum esse dignum episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos et indoctos mitti debere decernunt, qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur [*Al.*, probabatur] imbutus; sicque illum ordinantes, ad prædicandum miserunt. D Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum et cæteris virtutibus ornatus apparuit.

[a] *Accepto gradu episcopatus*. Quis hic non videt Hyensium de episcopatu sententiam? Gradus eis fuit, et accipiendus ad missionem, nec aliter secundum eos mitti Aedanus potuit.

[b] *Segeni*. Quartus hic abbas a sancto Columba fuit. Secundus Baithanus, tertius Virgnous, vel Fergnaus. Hic est Segenus ad quem inter alios Johannes papa electus litteras misit, II, 19; ad quem etiam Cummianus scripsit in epistolarum Hibernicarum Sylloge, uterque de pascha.

[c] *Scripturis*. Non defuerunt alii libri, si H. Boethio fides, quibus legendis operam darent. Arcam enim libris refertam Fergusius R. a Roma direpta detulit, et in Hebrides secum deportatam, in Iona insula locavit, simul cum suæ gentis egregie gestis in Codices redactis. Hinc longa exspectatio de perditis T. Livii Decadibus. Atque his fidem dedit Hector non generali tantum assertione, sed personali testimonio suorum ipsius oculorum, quibus aliquam chartarum partem vidit, earumque descriptionem confecit, circumstantiis adeo minutis explicatam, ut nisi concussa auctoris probitate, narrationis veritatem in dubium revocare piaculum sit. Vide Boeth., lib. VII.

[d] *Primo alius*. Ejus nomen Cormannus, apud Hect. Boethium, lib. IX.

Digitized by Google

## CAPUT VI.

*De religione ac pietate miranda Osualdi regis.*

Hujus igitur [*Al.*, reverentissimi] antistitis doctrina rex Osuald cum ea cui præerat gente Anglorum institutus [DCXXXV-DCXLII], non solum incognita progenitoribus suis regna cælorum sperare didicit; sed et regna terrarum plusquam ulli majorum suorum, ab eodem uno Domino [*Al.*, omnipotenti Deo] qui fecit cælum et terram, consecutus est. Denique omnes nationes et provincias Brittaniæ, quæ in quatuor linguas, id est, Brittonum, Pictorum, Scottorum et Anglorum divisæ sunt, in ditione accepit.

Quo regni culmine sublimatus, nihilominus, quod mirum dictu est, pauperibus et peregrinis semper humilis, benignus et largus fuit. Denique fertur quia tempore quodam cum die sancto Paschæ cum præfato episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, et jamjamque [*Al.*, refertus, jamque] essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subito ministrum ipsius cui suscipiendorum inopum erat cura delegata, et indicasse regi quia multitudo pauperum undecumque adveniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a rege: qui mox dapes sibimet adpositas deferri pauperibus, sed [*Al. om.* sed] et discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso pontifex qui adsidebat delectatus tali facto pietatis, adprehendit dextram ejus, et ait: « Nunquam inveterascat hæc manus. » Quod et ita juxta votum benedictionis ejus provenit. Nam cum interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cætero essent corpore resectæ, contigit ut hactenus incorruptæ perdurent. Denique [a] in urbe regia, quæ a regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo in ecclesia sancti Petri [b] servantur, ac digno a cunctis honore venerantur.

Hujus industria regis, Deirorum et Berniciorum provinciæ, quæ eatenus ab invicem discordabant, in A unam sunt pacem, et velut unum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Aeduini regis ex sorore [c] Acha, dignumque fuit, ut tantus prædecessor talem haberet de sua consanguinitate et religionis heredem et regni.

## CAPUT VII.

*Ut provincia Occidentalium Saxonum verbum Dei, prædicante Birino, susceperit; et de successoribus ejus Agilbercto et Leutherio.*

[d] Eo tempore [DCXXXIV] gens Occidentalium Saxonum qui antiquitus [e] Gevissæ vocabantur, regnante Cynigilso [*Al.* Cynigislo] fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Birino episcopo, qui [*Al.*, ipse autem Birinus] cum consilio papæ Honorii venerat B Brittaniam; promittens quidem se illo præsente in intimis ultra Anglorum partibus quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Unde et jussu ejusdem pontificis, per Asterium Genuensem episcopum in episcopatus consecratus est gradum. Sed Brittaniam perveniens, ac primum Gevissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est ibi potius verbum prædicare, quam ultra [*Al.*, ultro] progrediens, eos quibus prædicare deberet, inquirere.

Itaque evangelizante illo in præfata provincia [DCXXXV] cum rex ipse catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victoriosissimum regem Nordanhymbrorum Osualdum adfuisse, eumque de lavacro ex-C euntem suscepisse, ac pulcherrimo prorsus et Deo digno consortio, cujus erat filiam accepturus in conjugem, ipsum prius secunda generatione Deo dicatum sibi accepit in filium. Donaverunt autem [f] ambo reges eidem episcopo civitatem quæ vocatur [g] Dorcic [*Al.*, Dorcinca, Dorkecaester], ad faciendum ibi sedem episcopalem; ubi factis dedicatisque ecclesiis, multisque ad Dominum pio ejus labore populis advocatis, migravit ad Dominum, sepultusque est in eadem civitate, et post annos multos, Haedde episco-

[a] *In urbe Regia.* Bebbanburgh, hodie Bamburgh; locus ab Ida rege Nordanhymb. conditus dicitur Sax. Chr.

[b] *Servantur.* Sim. Dun., pag. 2, ait: « Quæ etiam ad nostram usque ætatem, utriusque meritum, regis, scilicet, atque pontificis, gratia suæ incorruptionis ostendit. Sicut nostræ, hoc est Dunelmensis Ecclesiæ monachus Suardebrandus qui nuper, episcopatum Wilhelmo administrante, defunctus est, sæpius se vidisse attestatus est. » Walter. de Wittlesey scribit brachium allatum ad monasterium Petri de Burgo per Winegotum de Bebeberch. Ingulfus, ad an. 1018, meminit prioris qui tempore Danicarum cladium aufugit a Petriburgo cum nonnullis fratribus, assumpto secum brachio sancti Oswaldi R. ad insulam de Heli. Ostensum tamen est in Petriburgo post multos annos R. Stephano, Alexandro ep. Lincoln, etc.

[c] *Acha.* Quæ præter Anfridum et Osualdum alios quinque filios, Osuinum, Ostafum, Florilego Osam dictum, Osuidum, Oslacum et Offam, unamque filiam nomine Aebbam abbatissam de Coldingham R. Aedilfrido peperit. FL. WIGORN.

[d] *Eo tempore.* Tacente Beda de anno adventus Birini, variant hic, ut semper, auctores. Ego Chronicon Saxonicum præcipue secutus sum, non solum quod ubivis alios post Bedam historicos auctoritate superet, sed præcipue quod in rebus Occid. Saxon. peculiarem fidem mereatur, cum ab incola illius regni, ut notat Wartonus, scripta fuerit.

D [e] *Gevissæ.* Saxonicum est pro Occidentalium. Sic Visigothi, præposita tantum Saxonica expletiva *Ge.*

[f] *Ambo Reges.* Osualdus enim habuit per utrumque regnum superius dominium, sicut dicit Beda capite præcedente. Ita Aedilberctus et Saberctus reges in Paulino templo consenserunt; II, 3.

[g] *Dorcic.* Dorchester in agro Oxoniensi ad Tamesis confluentes; altera enim est ejusdem nominis pagi Dorsetensis villa. Nota etiam quod hæc regio licet postea ad Mercios transiret, tunc tamen Occid. Saxonum regibus paruit. Fuit Occid. Sax. primo unus episcopus, nempe ille in Dorcic; mox duo, unus in Wintonia, alter in Sciraburnia. His duobus, tempore R. Edwardi tres additi, Wellensis, Cridiensis, Cornubiensis, nec multo post sextus in Ramesburia. W. MALM., de Pont. III. Mansit hic sedes episcopalis ad Gulielmi primi tempora, quando a Remigio episcopo Lincolniam translata est.

Digitized by Google

patum agente, [a] translatus inde in Ventam civitatem, atque in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli positus est.

Defuncto autem et rege, successit in regnum filius ejus Coinualch [DCXLIII], qui et fidem ac sacramenta regni cælestis suscipere renuit, et non multo post etiam regni terrestris potentiam perdidit. Repudiata enim sorore Pendan regis Merciorum quam duxerat, aliam accepit uxorem: ideoque bello petitus, ac regno privatus ab illo, secessit ad regem Orientalium Anglorum, cui nomen erat Anna: apud quem triennio exulans fidem cognovit ac suscepit veritatis [*Al.*, veritatem]. Nam et ipse apud quem exulabat rex erat vir bonus, et bona ac sancta sobole felix, ut in sequentibus docebimus.

Cum vero restitutus esset in regnum Coinualch, venit in provinciam de Hibernia pontifex quidam, nomine Agilberctus [DCL] natione quidem Gallus, sed tunc legendarum gratia Scripturarum in Hibernia non parvo tempore demoratus, conjunxitque se regi, sponte ministerium prædicandi adsumens: cujus eruditionem atque industriam videns rex, rogavit eum, accepta ibi sede episcopali, suæ genti manere pontificem. Qui precibus ejus adnuens, multis annis eidem genti sacerdotali jure præfuit. Tandem rex, qui Saxonum tantum linguam noverat, pertæsus barbaræ loquelæ, subintroduxit in provinciam alium suæ linguæ episcopum vocabulo Uini [DCLXIV], et ipsum in Gallia ordinatum; dividensque in duas parochias provinciam, huic in civitate Venta, quæ a gente Saxonum Uintancaestir appellatur, sedem episcopalem [*Al.* episcopatus] tribuit: unde offensus graviter Agilberctus, quod hoc ipso inconsulto ageret rex, [b] rediit Galliam, et accepto episcopatu Parisiacæ civitatis, ibidem senex ac plenus dierum obiit. Non multis autem annis post abscessum ejus a Brittania transactis, pulsus est [c] Uini [*Al.*, et Uini] ab eodem rege de episcopatu [DCLXVI]; qui secedens ad regem Merciorum, vocabulo Uulfheri, emit pretio ab eodem sedem Lundoniæ civitatis, ejusque episcopus usque ad vitæ suæ terminum mansit. Sicque provincia Occidentalium Saxonum tempore non pauco absque præsule fuit.

Quo etiam tempore rex præfatus ipsius gentis, gravissimis regni sui damnis sæpissime ab hostibus adflictus, tandem ad memoriam reduxit, quod eum A pridem [*Al.*, quem pridem] perfidia regno pulerit [*Al.*, depulerit], fides [*Al.*, fide] agnita Christi in regnum revocaverit: intellexitque quod etiam tunc destituta [*Al.*, etiam quod destituta tunc etiam] pontifice provincia, recte pariter divino fuerit destituta præsidio. Misit ergo legatarios in Galliam ad Agilberctum, summissa illum satisfactione deprecans ad episcopatum suæ gentis redire. At ille se excusans, et eo venire non posse contestans quia episcopatu propriæ civitatis ac parochiæ teneretur adstrictus, ne tamen obnixe petenti nil ferret auxilii, misit pro se illo presbyterum Leutherium, nepotem suum, qui ei, si vellet, ordinaretur episcopus; dicens quod ipse eum dignum esse episcopatu judicaret. Quo honorifice a populo et a rege suscepto, rogaverunt Theo- B dorum, tunc archiepiscopum Doruvernensis Ecclesiæ, ipsum sibi antistitem consecrari: qui consecratus in ipsa civitate [DCLXX], multis annis episcopatum Gevissorum, ex synodica sanctione, solus sedulo moderamine gessit (*Vid.* IV, 12).

## CAPUT VIII.

*Ut rex Cantuariorum Earconberct idola destrui præceperit; et de filia ejus Earcongota, et propinqua Aedilbergæ, sacratis Deo virginibus.*

Anno dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo, Eadbald rex Cantuariorum transiens ex hac vita, Earconbercto filio regni gubernacula reliquit: quæ ille suscepta viginti quatuor annis et aliquot mensibus nobilissime tenuit. Hic primus regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac C destrui, simul et jejunium Quadraginta dierum observari principali auctoritate præcepit. Quæ ne facile a quopiam posset contemni, in transgressores dignas et competentes punitiones proposuit. Cujus filia Earcongota, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, serviens [*Al.*, semper, indesinenter semper serviens] Domino in monasterio quod in regione Francorum constructum est ab abbatissa nobilissima, vocabulo [d] Fara, in loco qui dicitur [e] In Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Brittania monachicæ [*Al.*, monasticæ] conversationis gratia, Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant; sed et filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cælesti copulandas mittebant; maxime in D Brige et in [f] Cale, et in [g] Andilegum monasterio:

[a] *Translatus*. Hedde fuit monachus et abbas de Streaneshalch, de cujus successione in episcopatu vide IV, 12. Is sedem transtulit de Dorcacestria, una cum corpore sancti Birini ad Wintoniam, an. 683, pontificatus sui decimo, nisi male numerent Annales breves Winton. Ang. Sacr. I, 193. Ex hac translatione infinitæ postea lites ortæ inter monachos Winton., et canonicos Dorcic. sub annum 1224. Celebratur memoria sancti Birini 3 Dec.

[b] *Rediit*. Agilbercti reditum in Galliam non pono ante an. 664, quod eo anno synodo Pharensi interfuit; III, 25.

[c] *Uini... emit*. Unde post mortem in serie episcoporum Londinensium non meruit recenseri. M. WESTM., an. 666.

[d] *Fara*. Quæ Burgundofara dicitur, id est, nobili fara, seu familia apud Burgundos genita. De hujus virtutibus librum scripsit Jonas monachus Bobiensis, insertum editionibus operum Bedæ t. III, et a Surio et Mabillonio denuo editum.

[e] *In Brige*. Tractus Briegius, Sylva Brigensis, a qua Sylva, provincia hodie *Brie* nomen accepit. In hac regione Fara cœnobium virginum condidit Eboriacense, quod a fundatrice *Faremoustier* adhuc dicitur.

[f] *Cale*. *Chelles* in pago Parisiaco, quasi centum stadiis a Lutetia. Villa quondam regia, ad Matronam fluvium, in quo loco Bathildis cœnobium sanctimonialium virginum construxit.

[g] *Andilegum*. Prolixam de hujus loci situ notam dedit Chiffletius, et, quod mirum est, relicto vero, quem præ oculis habuit situ, falsum a longe quæsivit. Hadrianus enim Valesius, in Notitia Galliarum, verbo *Andeliacum* vulgo *Andelys-sur-Seine*, monasterium Andilegum de quo loquitur Beda, nobis quasi

Digitized by Google

inter quas erat Saethryd, filia uxoris Annæ regis Orientalium Anglorum, cujus supra meminimus, et filia naturalis ejusdem regis Aedilberg : quæ utraque cum esset peregrina, præ merito virtutum, ejusdem monasterii Brigensis est abbatissa constituta. Cujus regis filia major Sexbur uxor Earconbereti regis A Cantuariorum, habuit filiam Earcongotam, de qua sumus dicturi.

Hujus autem virginis Deo dicatæ [*Al.*, dedicatæ], multa quidem ab incolis loci illius solent opera virtutum et signa miraculorum usque hodie narrari. Verum nos de transitu tantum illius quo cælestia

digito monstravit. Refert enim ex Codice regio hæc verba de sancta Clotilde regina Francorum dicta : « Fecit et aliud monasterium super fluvium Sequanæ in loco qui dicitur Andeleius, non longe a muris civitatis Rotomagensis in nomine Dei genitricis. » Distat Rotomago VII fere leucas, inquit Valesius, sed Mabillon. IV tantum milliaria ; et ante aliquot annos ex cella seu prioratu veteri, Benedictinarum abbatia evasit. Annus mortis tam sanctæ Faræ, quam Earcongotæ ignotus. SMITH. — *In Andilegum monasterio.* Oppido mirum est, neutra in Gallia Christiana, inter Francorum regni abbatias ullam fieri mentionem nobilissimi hujus Parthenonis, in quod supra mille abhinc annos, uti et in Brige, et in Cale, et Brittania insula dicandas Deo virgines, Beda ipso teste, constat fuisse transmissas. Hoc nobis quasi digito monstrare visus est Hadrianus Valesius, vir doctus, in Notitia Galliarum, verbo Andeliacum ; ubi refert de sancta Chlotilde regina, ex Codice regio : « Fecit et aliud monasterium super fluvium Sequanæ, in loco qui dicitur Andeleius, non longe a muris civitatis Rotomagensis, in nomine Dei Genitricis. » Distat a Rotomago septem fere leucis ; estque ipsum Andelagum monasterium, cujus mentio in Chronico Fontanellensi, tomo III Spicilegii Dacheriani, pag. 243. Sed quomodo dici potest hoc monasterium non longe a muris Rotomagensibus positum, si ab illis distat septem fere leucis ? De Bedæ Andilego succurrit aliud ; quod nempe in Alsatia positum sit, et a sancta Salaberga ædificari cœptum sit, et postmodum a Richarda imperatrice perfectum atque ampliatum. Hermannus Contractus, in Chronico, ad annum 887 : « Richarda imperatrix, adulterii cum Luitwardo, Vercellensi episcopo, qui apud eam et imperatorem familiariter in palatio vigebat, ab imperatore et aliis incusata, divino judicio ab omni se virorum commistione integram, et eatenus virginem esse comprobavit, quamvis jam duodecim annis in conjugio imperatoris apparuerit. Moxque ab eo separata, in Andelahense cœnobium virginum a se constructum secessit, ibique sedula in divino servitio virgo regina permansit. » Inter schedas Patris Stephani Voyrin, ad hunc Hermanni locum hæc reperi adnotata : Divinum quod vocat judicium, fuit ab igne non violari. Nam ipsa in candida veste pyram ardentem ingressa lædi non potuit. Mira illa vestis ab incendio intacta servatur in Stivagensi cœnobio Præmonstratensium in Lotharingia, quod illa habuit ab imperatore Carolo, longe antequam a Præmonstratensibus possideretur ; et conjunxit Andelacensi, ut constat ex litteris, tum ipsius, tum Lucii Tertii pontificis : in quibus clare dicitur Carolum superstitem fuisse uxori suæ ; quod tamen Hermanno historico non satis congruit. Sic habent litteræ Lucii anno 1181 datæ : « Locum Stivagii, in quo fundata est abbatia, quæ ex institutione Caroli quondam Romanorum imperatoris, post decessum Rechardis suæ conjugis, quæ eumdem locum in propriam possessionem tenuerat, Andelacensi monasterio, quod eadem imperatrix a fundamentis construxerat, et præsente jam dicto imperatore, Romanæ Ecclesiæ delegaverat, firmitate perenni dignoscitur subjacere. » Litteræ Rechardis ipsius, datæ Kalendis Maii, anno 880, de bonis abbatiæ Stivagiensis, exstant Stivagii. Hæc annotabat Voyrinus, vir angelicæ morum innocentiæ et pietatis, pertinacis studii, ingenii præstantis, multa conscribendis libris de publico meriturus, nisi vita excessisset in flore ætatis. Gaspar Bruschius, in Chronologia monasteriorum Germaniæ : « Andlow, inquit, antiquitus Andelaha, ab ejusdem nominis fluvio, vel Helionis cœnobium, in pago Helisatia, sancto Fabiano, et Felicitati sacrum, canonissarum celebri loco natarum opulentum collegium ad montana Vosagi situm, fundatum, ac pro duodecim canonissis, totidemque canonicis liberalissime dotatum est anno Christi 880, aut (ut alii volunt) 888, a sancta Richarde, Scotorum regis filia, Caroli Crassi Romanorum imperatoris conjuge ; quæ per divortium a marito B segregata, ibi vixit, mortua, et honorifico tumulo post summam aram in sublime collocato sepulta est. » Ex Bruschio Stephanus Vitus Richardim Hibernam fuisse contendit, nempe Scotia majore ortam. Hujus meminit Molanus, in Additionibus ad Usuardum, 18 Septembris. Wion eadem die, libro III Ligni vitæ, et lib. IV, cap. 3, inter sanctas imperatrices Occidentis. Vitam ejus scripsit Raderus in Bavaria sancta ; et de illa quoque, ac de ejus monasterio, Joannes Ruyr, in Antiquitatibus Vosagi, parte III, lib. I, cap. 10. Quod tamen aiunt hi omnes, fundatum a Richarde hoc monasterium, non sic accipias, quod illa sacram hanc domum prima erexerit ; sed quod jam olim fundatam, ac postea neglectam et semidirutam restituerit, locupletaverit, et ædificiis proventibusque auxerit, ad piarum ac nobilium virginum commodam stationem. Primo autem fundatum fuerat, ut opinor, a sancta Salaberga, in cujus Vitæ hæc auctor ipsi suppar : « Quid plura ? Auctore Deo omnem spem suam post Deum beato viro (Walberto Luxoviensi C abbati) committens, viro converso, prolibusque Deo sacratis, religionis veste accepta, inito cum beato Walberto consilio, conniventia existente mariti, cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ urbis, in hæreditate vel successione paterna conatur exstruere ; quod propriis reditibus prædiorum suorum, ex successione hæreditatis paternæ Christum faciendo hæredem, nobiliter ditavit. » Et post pauca : « Qui locus licet Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans a Luxovio monasterio paulo minus millibus quadraginta ; ibique adunatis centum, seu amplius, tam ex nobilium liberis, quam ex proprio officio puellis, Christo Domino dicavit. Sed cum pars maxima fabricæ monasterii constructa esset, cœpit famula Christi, præsago utpote Spiritu Dei repleta, cum viro Dei trutinare animo, non esse in eodem loco puellarum cœnobium tutum, nihilque stabilitatis habere, vel munitionis locum. Nam licet barbaries procul abesset, regum D tamen limitibus hinc inde admistis, periculi indicium futuris temporibus erat : quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper civile bellum inter reges Francorum Theodericum, et Dagobertum, circa illos fines est actum ; ibique vicina quæque depopulata, agri, villæ, ædes, et ipsa (quod gravius est) sanctorum corpora igne sunt cremata. » Suburbium intellige diœcesim seu territorium, ut passim legere est in antiquis. Est autem Andilegum in superiore Alsatia, qui Burgundiæ et Austrasiæ veterum regnorum fines erant ; unde et modo in eorum uno, modo in altero computabatur : et aberat Luxovio quadraginta fere milliaribus, hoc est, leucis horariis admodum tredecim. Non poterat melius designari monasterium quod Salaberga centum puellis de consilio Walberti Luxoviensis abbatis paraverat, quas deinde Laudunum transduxit. Sed Andilegi parietinas ducentis post annis (ut censeo) instauravit Richardis heroina, imo et in melius reparavit. CHIFFL.

Digitized by Google

regna petiit, aliquid breviter dicere sufficiat. Imminente ergo die suæ vocationis, cœpit circuire [*Al.*, circum ire] in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earumque vel maxime, quæ vel ætate provectæ [*Al.* provecta], vel probitate erant morum insigniores: quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proxime suum, quem revelatione didicerat, non celavit esse futurum: quam videlicet revelationem hujusmodi esse perhibebat: Vidisse se albatorum catervam hominum idem monasterium intrare; hosque a se interrogatos quid quærerent, aut quid ibi vellent, respondisse quod ob hoc illo fuerint destinati, ut aureum illud numisma quod eo de Cantia venerat, secum adsumerent. Ipsa autem nocte, in cujus ultima parte, id est, incipiente aurora, præsentis mundi tenebras transiens, supernam migravit ad lucem, multi de fratribus ejusdem monasterii, qui aliis erant in ædibus, jam manifeste se concentus angelorum psallentium audisse referebant, sed et [*Al.*, referebant. Et] sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis; unde mox egressi dignoscere quid esset, viderunt lucem cælitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ cælestis gaudia ducebat [*Al.*, deducebat]. Addunt et alia, quæ ipsa nocte in monasterio eodem divinitus fuerint ostensa miracula: sed hæc nos ad alia tendentes suis narrare permittimus. Sepultum est autem corpus venerabile virginis et sponsæ Christi, in ecclesia beati protomartyris Stephani: placuitque post diem tertium ut lapis quo monumentum tegebatur amoveretur, et altius ipso in loco reponeretur: quod dum fieret, tantæ fragrantia suavitatis [*Al.*, flagrantiæ suavitas] ab imis ebullivit, ut cunctis qui adstabant fratribus ac sororibus quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta.

Sed et matertera ejus, de qua diximus, Aedilberg, et ipsa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia conservavit: quæ cujus esset virtutis, magis post mortem claruit. Cum enim esset abbatissa, cœpit facere in monasterio suo ecclesiam in honorem omnium apostolorum, in qua suum corpus sepeliri cupiebat. Sed cum opus idem ad medium ferme esset perductum, illa ne hoc perficeret, morte prærepta est, et in ipso ecclesiæ loco ubi desiderabat, condita. Post cujus mortem fratribus alia magis curantibus, intermissum est hoc ædificium annis septem, quibus completis, statuerunt ob nimietatem laboris, hujus structuram ecclesiæ funditus relinquere; ossa vero abbatissæ illo de loco elevata in aliam ecclesiam, quæ esset perfecta ac A dedicata transferre. Et aperientes sepulcrum ejus, ita intemeratum corpus invenere, ut a corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune: et ita denuo lotum, atque aliis vestibus indutum, transtulerunt illud in ecclesiam beati Stephani martyris; cujus, videlicet, natalis ibi solet in magna gloria celebrari die Nonarum Juliarum.

## CAPUT IX.

*Ut in loco in quo occisus est rex Osuald, crebra sanitatum miracula facta; utque ibi primo jumentum cujusdam viantis, ac deinde puella paralytica sit curata.*

Regnavit autem Osuald Christianissimus rex Nordanhymbrorum novem annis, adnumerato etiam illo anno, quem et feralis impietas regis Brittonum, et B apostasia demens regum Anglorum detestabilem fecerat. Siquidem, ut supra (*Cap.* I) docuimus, unanimo omnium consensu firmatum est, ut nomen et memoria apostatarum de catalogo regum Christianorum prorsus aboleri deberet, neque aliquis regno eorum annus adnotari. Quo completo annorum curriculo, occisus est commisso gravi prælio, ab eadem pagana gente paganoque rege Merciorum, a quo et prædecessor ejus Aeduini peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum nuncupatur [a] Maserfelth, anno ætatis suæ trigesimo octavo, [b] die quinto mensis Augusti [DCXLII].

Cujus quanta fides in Deum, quæ devotio mentis fuerit, etiam post mortem, virtutum miraculis claruit. Namque in loco ubi pro patria dimicans a paC ganis interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum et hominum et pecorum celebrari non desinunt. Unde contigit ut pulverem ipsum ubi corpus ejus in terram corruit, multi auferentes, et in aquam mittentes, suis per hæc [*Al.*, hoc] infirmis multum commodi adferrent. Qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata exinde terra fossam ad mensuram staturæ virilis reddiderit. Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper dum viveret infirmis et pauperibus consulere, eleemosynas dare, opem ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de pulvere loci illius facta virtutum miracula narrantur: sed nos duo tantum quæ a majoribus audivimus, referre satis duximus.

Non multo post interfectionem ejus exacto temD pore, contigit ut quidam equo sedens iter juxta locum ageret illum; cujus equus subito lassescere, consistere, caput in terram declinare, spumas ex ore demittere, et augescente dolore nimio, in terram cœpit ruere. Desiluit [*Al.*, desilivit] eques, et stramine substrato cœpit exspectare horam, qua aut

[a] *Maserfelth.* Duo comitatus hunc locum sibi clamant. Lancastria juxta Winwicum nomen loci Maserfelth exhibuit, et inscriptionem in ecclesia Winwici ab antiquo conservatam, non omisso argumento quod in Nordanhymbrorum regno situm habeat, ubi Penda Osualdum aggressus est. Salopia vero suam etiam habet Maserfeldam, hodie Oswestre sive Oswaldstre, qui Brittanice Crux Osualdi dicitur, atque in eo comitatu pugna um quia nempe Osualdus eum a Penda nuper devicto ceperat. Ab hac sententia stat auctor Vitæ sancti Osualdi apud Capgravium, auctoritatem ejus confirmante Cambdeno. Est autem Oswestre ab urbe Salopiæ septem fere milliaribus versus Walliam, a Fossa R. Offæ milliario non plane dimidio. In quo quidem campo ecclesia quæ Candida ecclesia dicitur in sancti Oswaldi honore fundatur. Mon. Ang. I, p. 33.

[b] *Quinto Augusti.* Quo etiam die memoria ejus in Martyrologio celebratur. Vide IV, 14.

Digitized by Google

melioratum reciperet jumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum diu gravi dolore vexatum, cum diversas in partes se torqueret, repente volutando devenit in illud loci ubi rex memorabilis occubuit. Nec mora, quiescente dolore cessabat ab insanis membrorum motibus, et consueto equorum more, quasi post lassitudinem in diversum latus vicissim sese volvere, statimque exsurgens quasi sanum [*Al.*, sanus] per omnia, vireeta [*Al.*, vireta] herbarum avidius carpere cœpit.

Quo ille viso, ut vir sagacis ingenii, intellexit aliquid miræ sanctitatis huic loco quo equus est curatus, inesse; et posito ibi signo, non multo post ascendit equum, atque ad hospitium quo proposuerat, accessit: quo dum adveniret, invenit puellam ibi, neptem patris-familias, longo paralysis morbo gravatam: et cum familiares domus illius, de acerba puellæ infirmitate ipso præsente quererentur, cœpit dicere ille de loco ubi caballus suus esset curatus. Quid multa? imponentes eam carro, duxerunt ad locum [*Al. add.* illum], ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormivit parumper; et ubi evigilavit, sanatam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua, ipsa lavit faciem, crines composuit, caput linteo cooperuit, et cum his qui se adduxerant, sana pedibus incedendo reversa est.

## CAPUT X.

*Ut pulvis loci illius contra ignem valuerit.*

Eodem [*Al.*, eo] tempore [DCXLIII] venit alius quidam de natione Brittonum, ut ferunt, iter faciens juxta ipsum locum in quo præfata erat pugna completa; et vidit unius loci spatium cætero campo viridius ac venustius: cœpitque sagaci animo conjicere quod nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quia ibidem sanctior cætero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de pulvere terræ illius secum inligans in linteo, cogitans quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem pulvis proficeret; et pergens itinere suo pervenit ad vicum quemdam vespere, intravitque in domum in qua vicani [*Al.*, vicini] cœnantes epulabantur: et susceptus a dominis domus, resedit et ipse cum eis ad convivium, adpendens linteolum cum pulvere quem adtulerat, in una posta [*Al.*, uno poste] parietis. Cumque diutius epulis atque ebrietati vacarent, accenso grandi igne in medio, contigit volantibus in altum scintillis, culmen domus, quod erat virgis contextum ac fœno tectum subitaneis flammis impleri. Quod cum repente convivæ terrore confusi conspicerent [*Al.*, respicerent], fugerunt foras nil [*Al.*, nihil] ardenti domui, jamjamque perituræ prodesse valentes. Consumpta ergo domo flammis, posta solummodo in qua [*Al.*, postis in quo] pulvis ille inclusus pendebat, tuta ab ignibus et intacta remansit. Qua visa virtute, mirati sunt valde; et perquirentes subtilius, invenerunt quia de illo loco adsumptus erat pulvis ubi regis Osualdi sanguis fuerat [*Al.*, erat] effusus. Quibus patefactis ac diffamatis longe lateque miraculis, multi per dies locum [*Al.*, multi locum] frequentare illum, et sanitatum ibi gratiam capere sibi suisque cœperunt.

## CAPUT XI.

*Ut super reliquias ejus lux cœlestis tota nocte steterit, et ut per eas sint dæmoniaci curati.*

Inter quæ nequaquam silentio prætereundum reor, quid virtutis ac miraculi cœlestis fuerit ostensum, cum ossa ejus inventa, atque ad ecclesiam in qua nunc servantur, translata sunt [DCXLIII]. Factum est autem hoc per industriam reginæ Merciorum Osthrydae, quæ erat filia fratris ejus, id est Osuiu [*Al.*, ejus Osuiu] qui post illum regni apicem tenebat, ut in sequentibus dicemus.

Est monasterium nobile in provincia Lindissi, nomine * Beardaneu, quod eadem regina cum viro suo Aedilredo multum diligebat, venerabatur, excolebat, in quo desiderabat honoranda patrui sui ossa recondere: cumque venisset carrum in quo eadem ossa ducebantur, incumbente vespera, in monasterium præfatum, noluerunt ea qui erant in monasterio libenter excipere: quia etsi sanctum eum noverant, tamen quia de alia provincia ortus fuerat, et super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequebantur. Unde factum est ut ipsa nocte reliquiæ adlatæ foris permanerent, tentorio tantum [*Al.*, tamen] majore supra carrum in quo inerant, extenso. Sed miraculi cœlestis ostensio, quam reverenter eæ suscipiendæ [*Al.*, ea suscipienda] a cunctis fidelibus essent, patefecit. Nam tota ea [*Al.*, ipsa] nocte columna lucis a carro illo ad cœlum usque porrecta, omnibus pene ejusdem Lindissæ provinciæ locis conspicua stabat. Unde mane facto fratres monasterii illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, ut apud se eædem sanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Lota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc præparaverant, atque in ecclesia juxta honorem congruum posuerunt: et ut regia viri sancti persona memoriam haberet æternam, vexillum ejus super tumbam auro et purpura compositum adposuerunt, ipsamque aquam in qua laverunt [*Al.*, laverant] ossa, in angulo sacrarii fuderunt. Ex quo tempore factum est, ut ipsa terra quæ lavacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones, gratiæ salutaris haberet effectum.

Denique tempore sequente, cum præfata regina in eodem monasterio moraretur, venit ad salutandam eam abbatissa quædam venerabilis, quæ usque hodie superest, vocabulo Aedilhild, soror virorum sanctorum Aedilvini et Aldevini, quorum prior episcopus in Lindissi provincia, secundus erat abbas

* *Beardaneu.* Bardney. Prima hujus monasterii fundatio incerta, deletis adeo per Danos ejus munimentis. Ab antiquo tamen ad tantam magnitudinem emicuit, ut CCC monachos semel habuerit, et eorum abbas Lindesiæ Dominus fuisse dicatur. Ejus restauratio debetur Waltero de Gaunt, an. 1115. Mon. Ang., I, p. 142.

in monasterio quod vocatur Peartaneu (*Vid. lib.* II, 16), a quo non longe et illa monasterium habebat. Cum ergo veniens illo, loqueretur cum regina, atque inter alia, sermone de Osualdo exorto, diceret quod et ipsa lucem nocte illa supra reliquias ejus ad cælum usque altam vidisset, adjecit regina quia de pulvere pavimenti in quo aqua lavacri illius effusa est, multi jam sanati essent infirmi. At illa petiit sibi portionem pulveris salutiferi dari; et accipiens, inligatam [*Al.*, illigatum] panno condidit in capsella, et rediit. Transacto autem tempore aliquanto, cum esset in suo monasterio, venit illic quidam hospes, qui solebat nocturnis sæpius horis repente ad immundo spiritu gravissime vexari: qui cum benigne susceptus post cœnam in lecto membra posuisset, subito a diabolo arreptus, clamare [*Al.*, inclamare], dentibus frendere, spumare, et diversis motibus cœpit membra torquere. Cumque a nullo vel teneri vel ligari potuisset, cucurrit minister, et pulsans ad ostium, nunciavit abbatissæ. At illa aperiens januam monasterii, exivit ipsa cum una sanctimonialium feminarum ad locum virorum; et evocans presbyterum, rogavit secum venire ad patientem. Ubi cum venientes viderent multos adfuisse qui vexatum tenere et motus ejus insanos comprimere conati, nequaquam valebant, dicebat presbyter exorcismos [*Al.*, exorcismum], et quæque [*Al.*, quæcunque] poterat pro sedando miseri furore agebat. Sed nec ipse, quamvis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem abbatissæ pulvis ille præfatus, statimque jussit ire ministram, et capsellam in qua erat, adducere. Et cum illa adferens quæ jussa est, intraret atrium domus, in cujus interioribus dæmoniosus torquebatur, conticuit ille subito, et quasi in somnum laxatus deposuit caput, membra in quietem omnia composuit.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant,

quem res exitum haberet solliciti exspectantes. Et post aliquantum horæ spatium, resedit qui vexabatur, et graviter suspirans: « Modo, inquit, sanum sapio, recepi enim sensum animi mei. » At illi sedulo sciscitabantur quomodo hoc contigisset. Qui ait: « Mox ut virgo hæc cum capsella quam portabat, adpropinquavit atrio domus hujus, discessere omnes qui me premebant spiritus maligni, et me relicto nusquam comparuerunt. » Tunc dedit ei abbatissa portiunculam de pulvere illo [*Al.*, toto]; et sic data oratione a presbytero illo, noctem quietissimam duxit: neque aliquid ex eo tempore nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoste pertulit.

A

## CAPUT XII.

*Ut ad tumbam ejus sit puerulus e* [Al., *a*] *febre curatus.*

Sequente dehinc tempore [DCLXIII] fuit in eodem monasterio puerulus quidam longo febrium incommodo graviter vexatus; qui cum die quodam sollicitus horam accessionis exspectaret, ingressus ad eum quidam de fratribus: « Vis, inquit, minate, doceam te quomodo cureris ab hujus molestia [*Al.*, hujus modi] languoris? Surge [*Al. add.* inquit], ingredere ecclesiam, et accedens ad sepulcrum Osualdi, ibi reside, et quietus manens adhære tumbæ. Vide ne exeas inde, nec de loco movearis, donec hora recessionis febrium transierit. Tunc ipse intrabo, et educam te inde. » Fecit ut ille suaserat, sedentemque

B ad tumbam sancti, infirmitas tangere nequaquam præsumpsit; quin [*Al.*, quoniam] in tantum timens aufugit, ut nec secunda die, nec tertia, neque umquam exinde eum auderet contingere. Quod ita esse gestum qui referebat mihi frater inde adveniens adjecit, quod eo adhuc tempore quo mecum loquebatur, superesset in eodem monasterio jam juvenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculum sanitatis. Nec mirandum preces regis illius jam cum Domino regnantis, multum valere apud eum qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare ac deprecari solebat.

Denique ferunt quia a tempore matutinæ laudis sæpius ad diem usque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi, sive gratias agendi

C Domino semper ubicunque sedens, supinas super genua sua manus habere solitus sit. Vulgatum est autem, et in consuetudinem proverbii versum, quod etiam inter verba orationis vitam finierit. Nam cum armis et hostibus circumseptus, jamjamque videret se esse perimendum, oravit [*Al. add.* ad Dominum] pro animabus exercitus sui. Unde dicunt in proverbio: « Deus miserere animabus, dixit Osuald cadens in terram. »

[a] Ossa igitur illius translata et condita sunt in monasterio quo [*Al.* quod] diximus: porro [b] caput, et manus cum brachiis a corpore præcisas, jussit rex qui occiderat, in stipitibus suspendi. Quo post annum veniens cum exercitu successor regni ejus Osuiu [*Al.*, Osuin], abstulit ea, et caput quidem in

D cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ: in regia vero civitate manus cum brachiis condidit (*Vid., supra, cap.* 6).

## CAPUT XIII.

*Ut in Hibernia sit quidam per reliquias ejus a mortis articulo revocatus.*

Nec solum inclyti fama viri Brittaniæ fines lustravit universos, sed etiam trans Oceanum longe radios

[a] *Ossa.* Tempore Danicarum irruptionum an. 910, ossa sancti Osualdi a Berdeneia ad Glocestriam translata dicuntur, curante Aedilredo Merciorum rege. SIM. DUN. BROMPT. Infinita vero sunt loca non solum in Anglia, sed in Belgio etiam, et Hibernia, quæ reliquias sancti Osualdi vendicant, ut plures legendæ earum disquisitioni non sufficerent.

[b] *Caput.* Ab omnibus, ut puto, concessum est caput sancti Osualdi postea repositum in loculo cum corpore sancti Cuthberti, et cum eo tandem Dunelmiam delatum et inter Brachia ejus inventum. Vide W. Malm., de Pontif., lib. III, in Edmundo et Ranulpho episcopis Dunelm.

Digitized by Google

salutiferæ lucis spargens, Germaniæ simul et Hiber- A niæ partes attigit [DCLXXIX]. Denique reverentissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Fresonum gentis archiepiscopum [*Al.*, episcopum] Vilbrordum cum suo antistite Vilfrido moraretur, crebro eum audierit de mirandis quæ ad reliquias ejusdem reverentissimi regis in illâ provincia gesta fuerint, narrare.

Sed et in Hibernia cum presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumorem sanctitatis illius [*Al.*, ejus] in ea quoque insula longe lateque jam percrebuisse ferebat : e quibus unum quod inter alia retulit miraculum, præsenti nostræ Historiæ inserendum credidimus.

« Tempore, inquit, mortalitatis quæ Brittaniam Hiberniamque lata strage vastavit, percussus est B ejusdem clade pestis inter alios scholasticus quidam de gente Scottorum, doctus quidem vir studio litterarum ; sed erga curam perpetuæ suæ salvationis nihil omnino studii et industriæ gerens : qui cum se morti proximum videret, timere cœpit et pavere, ne mox mortuus, ob merita scelerum ad inferni claustra raperetur, clamavitque me, cum essem in vicino [*Al.*, vicinia] positus, et inter ægra tremens suspiria, flebili voce talia mecum querebatur : Vides, inquit, quia jamjamque [*Al.*, jam] crescente corporis molestia ad articulum subeundæ mortis compellor : nec dubito me post mortem corporis statim ad perpetuam animæ mortem rapiendum, ac infernalibus subdendum esse tormentis : qui tempore non pauco C inter studia divinæ lectionis, vitiorum potius implicamentis quam divinis solebam servire mandatis. Inest autem animo, si mihi pietas superna aliqua vivendi spatia donaverit, vitiosos mores corrigere, atque ad imperium divinæ voluntatis totam ex integro mentem vitamque transferre. Verum novi non hoc esse meriti mei, ut inducias vivendi vel accipiam vel me accepturum esse confidam, nisi forte misero mihi et indigno venia [*Al.*, veniam], per auxilium eorum qui illi fideliter servierunt, propitiari dignatus fuerit. Audivimus autem, et fama celeberrima [*Al.*, fama est creberrima], quia fuerit in gente vestra rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Osuald, cujus excellentia fidei et virtutis, etiam post mortem, virtutum frequentium operatione claruerit : precorque, si D aliquid reliquiarum illius penes te [*Al. add.* depositum] habes, adferas mihi, si forte mihi Dominus per ejus meritum misereri voluerit. At ergo respondi : Habeo quidem de ligno, in quo caput ejus occisi a paganis infixum est ; et, si firmo corde credideris, potest divina pietas per tanti meritum [*Al.*, merita] viri, et hujus vitæ spatia longiora concedere, et ingressu te vitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille [*Al.*, illi], integram se in hoc habere fidem respondebat.

« Tunc benedixi aquam, et astulam roboris præfati immittens obtuli ægro potandum. Nec mora, melius habere cœpit, et convalescens ab infirmitate, multo deinceps tempore vixit : totoque ad Deum corde et opere conversus, omnibus ubicumque perveniebat, clementiam pii Conditoris et fidelis ejus famuli gloriam prædicabat. »

## CAPUT XIV.

*Ut, defuncto Paulino, Ithamar pro eo Hrofensis Ecclesiæ præsulatum susceperit ; et de humilitate mirabili regis Osuini, qui ab Osuiu crudeli cæde peremptus est.*

Translato ergo ad cælestia regna Osualdo, suscepit regni terrestris sedem pro eo [a] frater ejus Osuiu [DCXLII], juvenis triginta circiter annorum, et per annos viginti octo laboriosissime tenuit. Impugnatus videlicet [*Al. add.* a pagano rege Penda] et ab ea quæ fratrem ejus occiderat pagana gente Merciorum, et a filio quoque suo Alchfrido, necnon et a fratruo, id est, fratris sui qui ante eum regnavit filio Oidilvaldo [*Al.*, Adilvaldo].

Cujus anno secundo, hoc est, ab Incarnatione dominica anno sexcentesimo quadragesimo quarto, reverentissimus Pater Paulinus, quondam quidem Eburacensis [*Al.*, quondam Eboracensis], sed tunc Hrofensis episcopus civitatis, transivit ad Dominum sexto Iduum Octobrium die : qui [b] decem et novem annos, menses duos, dies viginti unum episcopatum tenuit ; [c] sepultusque est in secretario [*Al.*, sacrario] beati apostoli Andreæ, quod rex Aedilberct a fundamentis in eadem Hrofi civitate construxit. In cujus locum Honorius archiepiscopus ordinavit Ithamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione antecessoribus suis æquandum.

Habuit autem Osuiu primis regni sui temporibus consortem regiæ dignitatis, vocabulo Osuini, de stirpe regis Aeduini, hoc est, filium Osrici, de quo supra retulimus, virum eximiæ pietatis et religionis : qui provinciæ Derorum [*Al.*, Dierorum] in maxima omnium rerum affluentia, et ipse amabilis omnibus præfuit [DCLI]. Sed nec cum eo ille qui ceteram Transhumbranæ gentis partem ab Aquilone, id est Berniciorum provinciam regebat, habere pacem potuit ; quin potius, ingravescentibus causis dissensionum, miserrima hunc cæde peremit. Siquidem congregato contra invicem exercitu, cum videret se Osuini cum illo qui plures habebat auxiliarios, non posse bello confligere, ratus est, utilius tunc demissa

[a] *Frater ejus.* Nescio unde quidam scripserunt Osuium fuisse Aedilfridi filium nothum, contra omnem historicorum fide dignorum auctoritatem.

[b] *Decem et novem annos.* Temere Whartonus, Ang. Sacr. t. I, p. 329, Bedam hic corrigendum putat, substituendo undecim annos pro decem et novem : non animadverso quod præter undecim annos quibus Ecclesiæ Hrofensi præfuit, ab a. 633 ad a. 644, effluxerant octo anni quibus Eburacæ sedit ab a. 625, ad mortem Aeduini R. a. 633. Beda enim non dicit XIX annos quibus sedi præfuit, ut Whartonus male legit, sed quibus episcopatum tenuit.

[c] *Sepultus.* Tempore Gundulfi episcopi Lanfrancus archiep. veterem ecclesiam beati Andreæ funditus destruxit, novamque basilicam condidit, et ossa sancti Paulini de terra levata, in scrinio honorifice collocavit. Factum id quarto Iduum Januarii : quo die in Ecclesia Hrofensi annua ejus memoria stata solemnitate celebratur.



Digitized by Google

intentione bellandi, servare se ad tempora meliora. Remisit ergo exercitum quem congregaverat, ac singulos domum redire præcepit, a loco qui vocatur [a] Vilfaraesdun, id est, Mons Vilfari, et est a vico Cataractone decem ferme millibus passuum contra solstitialem occasum secretus : divertitque ipse cum uno tantum milite sibi [*Al.*, suo] fidelissimo, nomine Tondheri [*Al.*, Condheri], celandus in domo comitis Hunvaldi, quem etiam ipsum sibi amicissimum autumabat. Sed, heu, proh dolor! longe aliter erat : nam ab eodem comite proditum eum Osuiu [*Al.*, Osuin], cum præfato ipsius milite per præfectum suum Aedilninum detestanda omnibus morte interfecit. Quod factum est die [b] decima tertia [*Al.*, quarta decima] Kalendarum Septembrium, anno regni ejus nono, in loco qui dicitur [c] Ingetlingum; ubi postmodum, castigandi hujus facinoris gratia, monasterium constructum est : in quo pro utriusque regis, et occisi videlicet, et ejus qui occidere jussit, animæ redemptione cotidie Domino preces offerri deberent.

Erat autem rex Osuini et aspectu venustus, et statura sublimis, et affatu jucundus, et moribus civilis, et manu omnibus, id est [*Al.*, *om.* id est], nobilibus simul atque ignobilibus largus : unde contigit ut ob regiam ejus et animi, et vultus, et meritorum dignitatem ab omnibus diligeretur, et undique ad ejus ministerium de cunctis prope provinciis viri etiam nobilissimi concurrerent. Cujus inter cæteras virtutis et modestiæ [*Al.*, virtutes et modestiam], et, ut ita dicam, specialis benedictionis glorias, etiam maxima fuisse fertur humilitas, ut uno probare sat erit exemplo.

Donaverat equum optimum antistiti Aidano, in quo ille quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset. Cui cum parvo interjecto tempore pauper quidam occurreret eleemosynam petens, desiliens ille præcepit, equum, ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari : erat enim multum misericors, et cultor pauperum, ac velut pater mise- A rorum. Hoc cum regi esset relatum, dicebat episcopo, cum forte ingressuri essent ad prandium : « Quid voluisti, domine antistes, equum regium, quem te conveniebat proprium [*Al. om.* proprium] habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos viliores plurimos, vel alias species quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi? » Cui statim episcopus : « Quid loqueris, inquit, rex? Numquid [*Al.*, num] tibi carior est ille filius equæ, quam ille filius Dei? » Quibus dictis, intrabant ad prandendum. Et episcopus quidem residebat in suo loco. Porro rex, venerat enim [*Al. om.* enim] de venatu [*Al. add.* et], cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris : et repente inter calefaciendum B recordans verbum quod dixerat illi antistes, discinxit se gladio suo, et dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, « Quia nunquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. » Quod videns episcopus, multum pertimuit, ac statim exsurgens levavit eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumque rex, jubente ac postulante episcopo, lætitiam reciperet, cœpit e contra episcopus tristis usque ad lacrymarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus lingua sua patria, quem rex et domestici ejus non noverant, quare lacrymaretur C interrogasset : « Scio, inquit, quia non multo tempore victurus est rex : nunquam enim ante hæc [*Al.*, antehac] vidi humilem [*Al.*, tam humilem, humiliorem] regem. Unde [*Al. om.* unde] animadverto illum citius ex hac vita rapiendum : non enim digna est hæc gens talem habere rectorem. » Nec multo post, dira antistitis præsagia tristi regis funere, de quo supra diximus, impleta sunt.

Sed et ipse antistes Aedan non plus quam duodecimo post occisionem regis quem amabat die, id est, [d] pridie Kalendarum Septembrium, de sæculo

[a] *Uilfaraesdun*. Hunc locum quamvis accurate satis a Beda descriptum invenire non possum. Conjecturam misit vir doctus Ellerton fuisse; cujus quidem nominis plures sunt loci in ea regione, omnes tamen cataractæ propiores quam ut ad situm a Beda datum accommodentur. Chronicon ms. Dunelm. Wolfrethdon vocat, sed nihil inde colligendum est, neque enim datur ibi locus ejus nominis, neque, si daretur, ab antiqua lectione recedendum esset ex nuperiorum Mss. auctoritate.

[b] *Decima tertia*. Unde ad hunc diem in margine Martyrologii Dunelm. : « In Brittaniis natalitiæ sancti Osuini regis et martyris. » Male Math. Paris., decimo.

[c] *Ingetlingum*. Hodie *Gilling* prope *Richmont*. Monasterii ibidem nulla restant vestigia. Sed conditum fuit ab Eanfleda Osuiu uxore et Osuini propinqua, eique præpositus abbas Trumhere Osuini consanguineus, de quo vide, postea, III, 21, 24. Sancti Osuini corpus ad Tinemutham delatum jacuit donec revolutionibus temporum oblivioni daretur. Tandem a. 1065, tempore Thostii comitis, et Aegiluini præsulis Dunelm., non sine revelatione a rege ipso sarcopha- D gum lapideum inventum est in oratorio beatæ Mariæ virg. transactis a sepultura ejus annis 415, et ossa in scrinio cum magno honore collocata. Historiam vide in ms. Vita sancti Osuini., Bibl. Cott., Julius, a. 10, et apud Math. Westm., a. 1110. Richardus abbas sancti Albani transtulit Osuini reliquias ab antiquo oratorio in novum feretrum. IDEM, Florileg. Interea tamen monachi Girvenses ossa sancti Osuini ad se in Girvum transferentes, postquam Waltheof comes Northymbriæ eis ecclesiam sanctæ Mariæ et Osuini dedisset, secum non parvo tempore habuerunt, et postmodum ad priorem locum retulerunt. Liber Benefactorum Dunelm., Bibl. Cott., Domitian., a. 7. Idemque testantur Ecclesiæ Dunelm. Monumenta.

[d] *Pridie Kal.* Ad hunc diem in margine Martyrologii Dunelm. : « In Brittania, sancti Aidani primi Lindisfarn. episcopi. Eodem die Commemoratio sanctarum reliquiarum ejusdem Ecclesiæ. » Harum reliquiarum indicem vide in append., n. 14. Non indignum notatu quod ab hoc die initium fuit sancto Cuthberto propositi monachalis, super visione habita de sancti Aidani obitu. Vide Bedæ Vitam sancti Cuthberti, cap. 4.

Digitized by Google

ablatus, perpetua laborum suorum a Domino præmia receepit [DCLI].

## CAPUT XV.

*Ut episcopus Aidan nautis et tempestatem futuram prædixerit, et oleum sanctum quo hanc sedarent, dederit.*

Qui cujus meriti fuerit, etiam miraculorum signis internus arbiter edocuit [DCXLIII-DCLI], e quibus tria memoriæ causa ponere satis sit. Presbyter quidam nomine [a] Utta [*Al.*, Witta], multæ gravitatis ac veritatis vir, et ob id omnibus, etiam ipsis [*Al. om.*, ipsis] principibus sæculi honorabilis, cum mitteretur Cantiam ob adducendam inde conjugem regi Osuio, filiam videlicet Aeduini regis Eanfledam (*Vid. lib.* II, *c.* 9, 20), quæ occiso patre illuc fuerat adducta: qui terrestri quidem itinere illo venire, sed navigio cum B virgine redire disponebat, accessit ad episcopum Aidanum, obsecrans eum, pro se suisque qui tantum iter erant adgressuri, Domino supplicare. Qui benedicens illos, ac Domino commendans, dedit etiam oleum sanctificatum: « Scio, inquiens, quia ubi navem ascenderitis, tempestas vobis et ventus contrarius superveniet: sed tu memento ut hoc oleum quod tibi do, mittas in mare; et statim quiescentibus ventis, serenitas maris vos læta prosequetur, ac cupito itinere domum remittet. » Quæ cuncta ut prædixerat antistes, ex ordine completa sunt: et quidem inprimis furentibus undis pelagi, tentabant nautæ anchoris in mare missis navem retinere, neque hoc agentes, aliquid proficiebant: cumque verrentibus [*Al.*, mergentibus, ferventibus, furentibus] C undique et implere incipientibus navem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, jamjamque adesse viderent, tandem presbyter reminiscens verba antistitis, adsumpta ampulla, misit de oleo in pontum, et statim, ut prædictum erat, suo quievit a fervore. Sicque factum est, ut vir Dei et [*Al. om.*, et] per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram, et per virtutem ejusdem spiritus, hanc exortam, quamvis corporaliter absens, sopiverit. Cujus ordinem miraculi non quilibet dubius relator, sed fidelissimus [*Al.*, fidissimus] mihi nostræ Ecclesiæ presbyter, Cynimund vocabulo, narravit, qui se hoc ab ipso Utta [*Al.*, Witta] presbytero, in quo et per quem completum est, audisse perhibebat.

## CAPUT XVI.

*Ut idem admotum ab hostibus urbi regiæ ignem orando amoverit.*

Aliud ejusdem Patris memorabile miraculum ferunt multi qui nosse potuerunt [DCXLII-DCLV]. Nam [*Al. add.*, cum] tempore episcopatus ejus, hostilis Merciorum exercitus, Penda duce, Nordanhymbro- A rum regiones impia clade longe lateque devastans, pervenit ad urbem usque regiam, quæ ex Bebbæ quondam reginæ vocabulo cognominatur, eamque [*Al.*, cum, quam] quia neque armis, neque obsidione capere poterat, flammis absumere conatus est: discissisque viculis quos [*Al.*, vinculis quæ] in vicinia urbis invenit, advexit [*Al.*, adduxit] illo plurimam congeriem trabium, tignorum, parietum, virgeorum [*Al.*, virgearum], et tecti fenei [*Al. add.*, aliarumque rerum], et his urbem in magna altitudine circumdedit, a parte quæ [*Al.*, qua] terræ est contigua: et dum ventum opportunum cerneret, inlato igne comburere urbem nisus est. Quo tempore reverentissimus antistes Aidan in insula Farne, quæ duobus ferme [*Al.*, fere] millibus passuum ab urbe procul abest, morabatur. Illo enim sæpius secretæ [*Al.* secrete] orationis et silentii causa secedere consuerat. Denique usque hodie locum sedis illius solitariæ in eadem insula solent ostendere. Qui cum ventis ferentibus [*Al.*, furentibus] globos ignis, ac fumum supra muros urbis [*Al.*, ignis] exaltari conspiceret, fertur elevatis ad cælum oculis manibusque, cum lacrymis dixisse: « Vide, Domine, quanta mala facit Penda. » Quo dicto, statim mutati ab urbe venti, in eos qui accenderant, flammarum incendia retorserunt, ita ut aliquot læsi, omnes territi, impugnare ultra urbem cessarent quam divinitus juvari [*Al.*, servari] cognoverant.

## CAPUT XVII.

*Ut [b] apposita ecclesiæ cui idem accumbens obierat, ardente cætera domo, flammis absumi nequiverit; et de interna vita ejus* [Al., *illius*].

Hunc cum dies mortis egredi e corpore cogeret [DCLII], completis annis episcopatus sui sexdecim [*Al.*, septemdecim], erat in villa regia, non longe ab urbe de qua præfati sumus. In hac enim habens ecclesiam et cubiculum, sæpius ibidem diverti ac manere, atque inde ad prædicandum circumquaque exire consueverat: quod ipsum et in aliis villis regis facere solebat, utpote nil propriæ possessionis, excepta ecclesia sua et adjacentibus agellis habens. Tetenderunt ergo ei ægrotanti tentorium ad Occidentalem ecclesiæ partem, ita ut ipsum tentorium parieti hæreret ecclesiæ. Unde factum est, ut adclinis [*Al.*, adclivis] destinæ quæ extrinsecus ecclesiæ D pro munimine erat adposita, spiritum vitæ exhalaret ultimum. Obiit autem septimo decimo episcopatus sui anno, pridie Kalendarum Septembrium. Cujus corpus mox inde translatum ad insulam Lindisfarnensium, atque in cœmeterio fratrum sepultum est. At interjecto tempore aliquanto, cum fabricata esset ibi basilica major, atque in honorem beatissimi

[a] *Utta*. Presbyter illustris, abbasque monasterii quod vocatur ad Capræ Caput. Vide, infra, III, 21.

[b] *Apposita.... Destina...* « Appositam sive destinam celebrat Beda trabem ligneam, qua, ut fulcro sacra ædes ex lignis fabrefacta, a parte Occidentis sustinebatur. Attamen Beda haud paulo antiquior Vitruvius, lib. V de Architectura, cap. 12, ubi agit de portubus et structuris in aqua faciendis, destinas appellat, sic enim habent mss. Codices a Philandro laudati vincula seu catenas, quibus arcæ ligneæ cæmentis confectæ, et in aquis devolvendæ constringebantur, unde destinæ vincula dictæ in antiquis Glossariis. Duos istos vocis hujus intellectus sic colligo. Est destina id quo aliud quidlibet coercetur vel cohibetur, sive districtum, ne diffluat; sive suffultum, ne corruat. » CHIFFLET.

Digitized by Google

apostolorum principis dedicata, illo ossa ejus translata, atque ad dexteram altaris juxta venerationem tanto pontifice dignam condita sunt.

Successit vero ei in episcopatum Finan [DCLII], et ipse illo ab Hii Scottorum insula ac [a] monasterio destinatus, ac tempore non pauco in episcopatu permansit. Contigit autem post aliquot annos, ut Penda Merciorum rex cum hostili exercitu hæc in loca perveniens, cum cuncta quæ poterat ferro flammaque perderet, vicus quoque ille in quo antistes obiit, una cum ecclesia memorata flammis absumeretur. Sed mirum in modum sola [*Al. om.* sola] illa destina cui incumbens obiit, ab ignibus circum cuncta vorantibus, absumi non potuit. Quo clarescente miraculo, mox ibidem ecclesia restaurata, et hæc eadem destina in munimentum est parietis, ut ante fuerat, forinsecus adposita. Rursumque peracto tempore aliquanto, evenit per culpam incuriæ, vicum eundem, et ipsam pariter ecclesiam ignibus consumi. Sed ne tunc quidem eandem tangere flamma destinam valebat: et cum magno utique miraculo ipsa ejus foramina ingrediens, quibus ædificio erat adfixa, perederet [*Al.*, perderet], ipsam tamen lædere nullatenus sinebatur. Unde tertio ædificata ibi ecclesia, destinam illam non ut antea deforis in fulcimentum domus adposuerunt; sed intro ipsam ecclesiam in memoriam miraculi posuerunt, ubi intrantes genu flectere, ac misericordiæ cœlesti supplicare deberent. Constatque multos ex eo tempore gratiam sanitatis in eodem loco consecutos: quin etiam astulis [*Al.*, assulis, hastulis] ex ipsa destina excisis et in aquam missis, plures sibi suisque languorum remedia conquisiere.

Scripsi autem [*Al. om.* autem] hæc de persona et operibus viri præfati; nequaquam in eo laudans vel eligens hoc, quod de observatione Paschæ minus perfecte sapiebat: immo hoc multum detestans, sicut in libro quem de Temporibus composui, manifestissime probavi, sed quasi verax historicus, simpliciter ea quæ de illo sive per illum sunt gesta, describens, et quæ laude sunt digna in ejus actibus laudans, atque ad utilitatem legentium memoriæ commendans: studium, videlicet, pacis et caritatis, continentiæ et humilitatis; animum iræ et avaritiæ victorem, superbiæ simul et vanæ gloriæ contemptorem; industriam faciendi simul et docendi mandata cœlestia, sollertiam lectionis et vigiliarum, auctoritatem sacerdote dignam, redarguendi superbos ac potentes, pariter et infirmos consolandi, ac pauperes recreandi vel defendendi clementiam. Qui, ut breviter multa comprehendam, quantum ab eis qui illum novere didicimus, nil ex omnibus quæ in evangelicis, vel apostolicis sive propheticis literis facienda cognoverat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus operibus explere curabat. Hæc in præfato antistite multum complector et amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quod autem Pascha non suo tempore observabat, vel canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate ne agnitum sequeretur devictus, non adprobo, nec laudo. In quo tamen hoc adprobo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur, et prædicabat, quam quod nos, id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in cœlos mediatoris Dei et hominum Hominis Jesu Christi. Unde et hanc non, ut quidam falso opinantur, quarta decima luna in qualibet feria cum Judæis, sed die Dominica semper agebat, a luna quarta decima usque ad vicesimam; propter fidem videlicet dominicæ resurrectionis quam una Sabbati factam, propterque [*Al. om.* que] spem nostræ resurrectionis quam eadem una Sabbati quæ nunc Dominica dies dicitur veraciter futuram cum sancta Ecclesia credebat.

## CAPUT XVIII.

*De vita vel morte religiosi regis Sigbercti.*

His temporibus [DCXXX] regno [b] Orientalium Anglorum (*Vid. lib.* II, *c.* 15, *not.*), post Earpualdum Redualdi successorem, Sigberct frater ejus præfuit, homo [c] bonus ac religiosus: qui dudum in Gallia, dum [d] inimicitias Redualdi fugiens exularet, lavacrum baptismi percepit, et patriam reversus, ubi regno potitus est, mox ea quæ in Galliis bene disposita vidit imitari cupiens, instituit [e] scholam in qua pueri literis erudirentur: juvante se episcopo Felice quem de Cantia acceperat, eisque pædagogos ac magistros juxta morem Cantuariorum præbente.

Tantumque rex ille cœlestis regni amator factus est, ut ad ultimum relictis regni negotiis [DCXXXIV], et cognato suo Ecgrice [*Al.*, Ecgrico] commendatis, qui et antea partem ejusdem regni tenebat, intraret [f] monasterium quod sibi fecerat, atque accepta tonsura pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gentem Merciorum duce rege Penda adversus Orientales Anglos in bellum procedere, qui dum se inferiores in bello hostibus conspicerent, rogaverunt Sigber-

[a] *Monasterio destinatus.* Satis est horum verborum positio ad confutandum absurdum eorum errorem qui Hii insulam nomine Hiidestinatus appellarunt.

[b] *Orientalium Anglorum.* Finita conversionis Nordanhymbrorum historia sub regibus Aeduino, Osualdo, Osuio et Osuino a II, 15, ad hoc usque caput, resumit jam Beda quod restabat de conversione Orient. Anglorum.

[c] *Bonus.* In II, 15, doctissimus dicitur, utpote qui in Gallia doctorum conversatione familiariter usus erat, et mutuas cum Desiderio Cadurcensi episc. litteras scripsit, quæ, secundum Pitsæum, apud Helvetios in monast. sancti Galli exstare dicuntur.

[d] *Inimicitias.* Fuit enim Sigberct frater tantum uterinus Earpualdi, et per invidiam a Vitrico rege in exsilium actus.

[e] *Scholam.* Plures hic ponunt scholas historici W. Malm., Flor., Hunt, per loca, opportunis locis. Sed Beda de una tantum loquitur, in qua cœpta fuit scholarum institutio, et in qua eminentior apparuit. De his vide pauca in append, n. 15

[f] *Monasterium.* In Bedrichsuurde hodie Saint-Edmundsbury. THOM. ELIENS., in Vita sanctæ Aedildritæ.

Digitized by Google

eum ad confirmandum militem secum venire in A prælium. Illo nolente ac contradicente, invitum [*Al. add.* de] monasterio eruentes duxerunt in certamen, sperantes minus animos militum trepidare, minus præsente duce quondam strenuissimo et eximio posse fugam meditari. Sed ipse professionis suæ non immemor, dum optimo esset vallatus exercitu, nonnisi virgam tantum habere in manu voluit: occisusque est una cum rege Ecgrice, et cunctus eorum, insistentibus paganis, cæsus sive dispersus exercitus.

Successor autem regni eorum factus est Anna [ICXXXV], filius Eni, [a] de regio genere, vir optimus, atque [b] optimæ genitor sobolis [*Al.*, optimi genitoris soboles], de quibus in sequentibus suo tempore dicendum est : [c] qui et ipse postea ab eodem pagano Merciorum duce, a quo et prædecessor ejus, [d] occisus est [DCLIV].

## CAPUT XIX.

*Ut Furseus apud Orientales Anglos monasterium fecerit; et de visionibus vel sanctitate ejus, cui etiam caro post mortem incorrupta testimonium perhibuerit.*

Verum [e] dum adhuc Sigberct regni infulas [*Al.*, insulas] teneret, supervenit de Hibernia vir sanctus, nomine Furseus [ICXXXIII], verbo et actibus clarus, sed egregiis insignis virtutibus, cupiens pro Domino, ubicumque sibi opportunum inveniret, peregrinam ducere vitam. Qui cum ad provinciam Orientalium pervenisset Anglorum, susceptus est honorifice a rege præfato : et solitum sibi opus evangelizandi exsequens, multos et exemplo virtutis et incitamento sermonis, vel incredulos ad Christum convertit, vel jam [*Al.*, etiam] credentes amplius in fide atque amore Christi confirmavit.

Ubi quadam infirmitate corporis arreptus, angelica meruit visione perfrui, in qua admonitus est cœpto verbi ministerio sedulus insistere, vigiliisque consuetis et orationibus indefessus incumbere; eo quod certus sibi exitus [*Al. add.* esset], sed incerta ejusdem exitus esset hora futura, dicente Domino : Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Qua visione confirmatus, curavit locum monasterii, quem a præfato rege Sigbercto acceperat, velocissime construere, ac regularibus instituere disciplinis. Erat autem monasterium silvanum [*Al.*, silvarum], et maris vicinitate amœnum, constructum in castro quodam, quod lingua Anglorum [f] Cnobheresburg, id est, urbs Cnobheri vocatur; quod deinde rex provinciæ illius Anna, ac nobiles quique augustioribus ædificiis ac donariis adornarunt. Erat autem vir iste de nobilissimo genere Scottorum, sed longe animo quam carne nobilior. Ab ipso tempore pueritiæ suæ curam non modicam lectionibus sacris simul et monasticis exhibebat disciplinis, et, quod maxime sanctos decet, cuncta quæ agenda didicerat, sollicitus agere curabat.

Quid multa? Procedente tempore et ipse sibi mo- B nasterium in quo liberius cælestibus studiis vacaret, construxit : ubi correptus infirmitate, sicut libellus de Vita ejus conscriptus sufficienter edocet, raptus est e corpore : et a vespera usque ad galli cantum corpore exutus, angelicorum agminum et aspectus intueri, et laudes beatas meruit audire. Referre autem erat solitus, quod aperte eos inter alia resonare audiret : *Ibunt sancti de virtute in virtutem.* Et iterum : *Videbitur Deus deorum in Sion.* Qui reductus in corpore, et die tertia rursum eductus vidit non solum majora beatorum gaudia, sed et maxima malignorum spirituum certamina, qui crebris accusationibus improbi, iter illi cæleste intercludere contendebant; nec tamen, protegentibus eum angelis, quicquam proficiebant : de quibus omnibus si quis plenius scire C vult, id est, quanta fraudis sollertia dæmones et actus ejus et verba superflua, et ipsas etiam cogitationes, quasi in libro descriptas, replicaverint; quæ ab angelis sanctis, quæ a [*Al.*, sanctisque ac] viris justis sibi inter angelos apparentibus læta vel tristia cognoverit, legat ipsum, de quo dixi, [g] libellum Vitæ ejus, et multum ex illo, ut reor, profectus spiritalis accipiet.

In quibus tamen unum est, quod et nos in hac historia ponere multis commodum duximus. Cum ergo in altum esset elatus [*Al.*, elevatus], jussus est ab angelis qui eum ducebant, respicere in mundum. At

[a] *De Regio genere.* Fuit Eni frater Redualdi. Ell. Uic. Chronologia.

[b] *Optimæ sobolis.* Vide hujus libri caput 7. Nota etiam sobosi ibi recitatæ additam fuisse Uithbergam quæ monasterii Heliensis sanctimonialis erat, et quæ, secundum Thomam Eliensem, post interfectionem patris, apud Dyracham solitarie vixit. Filiabus Annæ addendi sunt etiam duo filii Alduulfus et Jurminus. Idem.

[c] *Qui et ipse.* In horum regum successione auctores qui ponunt Earpualdi conversionem, a. 632 et Sigbercti accessum a. 636. Ecgrici etiam, et Annæ tempora pro suo modulo postponunt. Nihil hic absolute certum est ; ego Bedæ rationes, ut maximæ auctoritatis, quoad potui, secutus sum.

[d] *Occisus est.* Annæ cædes secundum historicos incidit in a. 654. Thomas Eliensis, loco citato, n. 7, addit annum regni ejus 19. Inde colligere possumus horum regum tempora secundum Bedæ methodum. Sigberctus venit a. 630. Egricus circa a. 633. Utrique occisi a. 635. Sepultus est Anna rex apud Bildeburge, ubi et Jurmanus filius, postea ad Bedrichswordam translatus.

[e] *Dum adhuc.* Qui Sigbercti regnum ordiuntur a. D 636. Fursei introitum ponunt a. 637, citius certe quam par est. Nam Furseus non venit in ipso regni Sigberctini initio, sed tantum dum adhuc regni infulas teneret, nec deposuit rex infulas nuperrime acceptas, sed ad ultimum tantum relictis regni negotiis. Quare medium Fursei adventui annum elegi.

[f] *Cnobheresberg.* Hodie *Burghcastle* in agro Suffolciensi ad Ostia Gariensis fl.

[g] *Libellum vitæ ejus.* Sancti Fursei res gestas antiqui auctores tres, duobus quisque libris, altero vitæ, altero miraculorum descripserunt. Primus scriptor anonymus non multo post Furseum vixit, siquidem Beda toties ipsum laudat, ac nonnunquam de verbo sequitur. Secundi auctoris itidem anonymi ætas non facile distingui potest. Tertius Arnulfus abbas Latiniacensis, qui vertente sæculo XI utriusque anonymi geminam lucubrationem in duos, Vitæ, scilicet, et Miraculorum, libros redegit, locisque aliquot interpolavit. Mabillon., Act. Ben. t. II, p. 299.

Digitized by Google

ille oculos in inferiora deflectens, vidit quasi vallem A tenebrosam subtus se in imo positam. Vidit et quatuor ignes in aere, non multo ab invicem spatio distantes. Et interrogans angelos, qui essent hi ignes, audivit hos esse ignes qui mundum succendentes essent consumpturi. Unum mendacii, cum hoc quod in baptismo abrenunciare nos Satanæ et omnibus operibus ejus promisimus, minime implemus : alterum cupiditatis, cum mundi divitias amori cælestium præponimus : tertium dissensionis, cum animos proximorum, etiam in supervacuis rebus offendere non formidamus : quartum impietatis, cum infirmiores spoliare, et eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Crescentes vero paulatim ignes usque ad invicem sese extenderunt, atque in immensam adunati sunt flammam. Cumque adpropinquassent, pertimes- B cens ille dicit angelo : « Domine, ecce ignis mihi appropinquat. At ille : Quod non incendisti, inquit, non ardebit in [*Al. om.* in] te : nam etsi [*Al.*, et] terribilis iste ac grandis esse rogus videtur, tamen juxta merita operum singulos examinat ; quia uniuscujusque cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita solutus corpore ardebit per debitam pœnam. » Tunc vidit unum de tribus angelis, qui sibi in tota utraque visione ductores adfuerunt, præcedentem ignes flammæ [*Al.*, ignis flammam] dividere, et duos ab utroque latere circumvolantes, ab ignium se periculo defendere. Vidit autem et dæmones per ignem volantes, incendia bellorum contra justos struere. Sequuntur adversus ipsum accusationes malignorum, C defensiones spirituum bonorum, copiosior cælestium agminum visio ; sed et virorum de sua natione sanctorum [*Al.*, Scottorum], quos olim sacerdotii gradu non ignobiliter potitos, fama jam vulgante, compererat ; a quibus non pauca, quæ vel ipsi, vel omnibus qui audire vellent, multum salubria essent, audivit. Qui cum verba finissent, et cum angelicis spiritibus ipsi quoque ad cælos redirent, remanserunt cum beato Furseo tres angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cumque præfato igni maximo adpropiarent [*Al.*, adpropiaret], divisit quidem angelus, sicut prius, ignem flammæ. Sed vir Dei ubi ad patefactam usque inter flammas januam pervenit, arripientes immundi spiritus unum de eis, D quos in ignibus torrebant, jactaverunt in eum, et contingentes humerum maxillamque ejus incenderunt : cognovitque hominem, et quia vestimentum ejus morientis acceperit, ad [*Al.*, in] memoriam reduxit. Quem angelus sanctus statim adprehendens, in ignem rejecit. Dicebatque hostis malignus : « Nolite repellere quem ante suscepistis : nam sicut bona ejus peccatoris suscepistis, ita et de pœnis ejus participes esse debetis. » Contradicens angelus : « Non, inquit, [*Al. add.* hoc] propter avaritiam, sed propter salvandam ejus animam suscepit : » cessavitque ignis. Et conversus ad eum angelus : « Quod incendisti, inquit, hoc arsit in te. Si enim hujus viri in peccatis suis mortui pecuniam non accepisses, nec pœna ejus in te arderet. » Et plura locutus, quid erga salutem eorum qui ad mortem [*Al. om.* ad mortem] pœniterent, esset agendum, salubri sermone docuit. Qui postmodum in corpore restitutus, omni vitæ suæ tempore signum incendii quod in anima pertulit, visibile cunctis in humero maxillaque portavit : mirumque in modum quod anima in occulto passa sit, caro palam [*Al. add.* omnibus] præmonstrabat. Curabat autem semper, sicut et antea facere consuerat, omnibus opus virtutum et exemplis ostendere et prædicare sermonibus. Ordinem autem visionum suarum, illis solummodo qui propter desiderium compunctionis interrogabant, exponere volebat. Superest adhuc frater quidam senior monasterii nostri qui narrare solet, dixisse sibi quemdam multum veracem ac religiosum hominem, quod ipsum Furseum viderit in provincia Orientalium Anglorum, illasque visiones ex ipsius ore audierit : adjiciens quia tempus hiemis fuerit acerrimum, et glacie constrictum, cum sedens in tenui veste [*Al.*, iste] vir (*Al. add.* Dei], ita inter dicendum propter multitudinem [*Al.*, magnitudinem] memorati timoris vel suavitatis, quasi in media æstatis caumate sudaverit.

Cum ergo, ut ad superiora redeamus, multis annis in Scotia verbum Dei omnibus adnuncians, tumultus inruentium turbarum non facile ferret, relictis omnibus quæ habere videbatur, ab ipsa quoque insula patria discessit : et paucis cum fratribus per Brittones in provinciam Anglorum devenit, ibique prædicans verbum, ut diximus, monasterium nobile construxit. Quibus rite gestis, cupiens se ab omnibus sæculi hujus, et ipsius quoque monasterii negotiis alienare, reliquit monasterii [*Al.*, monasterium], et animarum curam fratri suo [a] Fullano, et presbyteris Gobbano [*Al.*, Gabbano, Galbano, Golbano] et Dicullo, et ipse ab omnibus mundi rebus liber, in anachoretica conversatione [*Al.*, anachoretam conversus] vitam finire disposuit. Habuit alterum [*Al. om.* alterum] fratrem, vocabulo [b] Ultanum, qui de monasterii probatione diuturna, ad heremiticam pervenerat [*Al.*, perveniret] vitam. Hunc ergo solus petens, annum totum cum eo in continentia et orationibus, in quotidianis manuum vixit laboribus.

Dein turbatam incursione gentilium provinciam videns, et monasteriis quoque periculum imminere prævidens, dimissis ordinate omnibus, navigavit Galliam, ibique a rege Francorum Hlodvio [*Al.*,

[a] *Fullano*. Hic, mortuo Furseo, in Brabantiam cum fratre Ultano profectus, Fossense monasterium condidit, ejusque cura Ultano relicta in Nivialensi Parthenone, sanctæ Gertrudis virginis contubernalis aliquandiu vixit. Demum aliquando ad Fossense mon. (hodie Cameracensis diœcesis oppido proximum, fratris visendi gratia tendens, in silva seu villa Sonesia a nefario homine, cum tribus sociis interemptus est pr. Kal. Nov. circa a. 656, sepelitur in Fossensi monasterio.

[b] *Ultanum*. Ille post annos aliquot monasterio Peronæ ubi frater suus sepultus jacebat, abbas præfectus est. Obiit circa a. 680. Colitur in Martyrolog. Bened., aliisque Kal. Maii. Distinguendus ab Ultano monacho Lindisf., qui vi Id. Aug. memoratur.

Digitized by Google

Chlodoveo], vel patricio Ercunualdo honorifice susceptus, monasterium construxit in loco [a] Latiniaco nominato, ac non multo post infirmitate correptus, diem clausit ultimum (*Circa an.* 650). Cujus corpus idem Ercunualdus [*Al.*, Erchenaldus] patricius accipiens, servavit in porticu quadam ecclesiæ, quam in villa sua, cui nomen est [*Al.*, erat] [b] Perrona, faciebat, donec ipsa ecclesia dedicaretur. Quod dum [*Al.*, cum] post dies [c] viginti septem [*Al.*, sex] esset factum, et corpus ipsum de porticu ablatum, prope [*Al.* propter] altare esset recondendum, inventum est ita inlesum ac si eadem hora de hac luce fuisset egressus. Sed et post annos quatuor, constructa domuncula cultiore receptui corporis ejusdem, ad Orientem altaris adhuc sine macula corruptionis inventum, ibidem digno cum honore translatum est; ubi merita illius multis sæpe constat, Deo operante, claruisse virtutibus. Hæc de [*Al.*, Hæc et de visionibus, et de] [d] corporis ejus incorruptione breviter attigimus, ut quanta esset viri sublimitas legentibus notius existeret. Quæ cuncta in libello ejus sufficientius, sed [*Al. om.* sed] et de aliis commilitonibus ipsius, quisque [*Al.*, quisquis] legerit inveniet.

## CAPUT XX.

*Ut, defuncto Honorio, pontificatu sit functus Deusdedit; et qui* [Al. add. *et*] *in tempore illo Orientalium Anglorum, qui Hrofensis Ecclesiæ fuerint antistites.*

Interea [e] defuncto Felice Orientalium Anglorum episcopo [DCXLVII] post decem et septem annos accepti episcopatus (*Vid. lib.* II, *c.* 15, *not.*), Honorius loco ejus ordinavit Thomam diaconum ejus de provincia Gyrviorum: et hoc [*Al. om.* hoc] post quinque annos sui episcopatus de hac vita subtracto, Bercigilsum, cognomine Bonifacium, de provincia Cantuariorum, loco ejus substituit [DCLII]. Et ipse quoque Honorius, postquam metas sui cursus implevit, ex hac luce migravit anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kalendarum Octobrium: et cessante episcopatu per annum et sex menses, electus est archiepiscopus ca-

A thedræ Doruvernensis sextus Deusdedit de gente Occidentalium Saxonum: quem ordinaturus venit illuc Ithamar [DCLV], antistes Ecclesiæ Horfensis [*Al.*, antistes Hrof.]. Ordinatus est autem die septimo Kalendarum Aprilium, et rexit Ecclesiam annos novem, menses septem [*Al.*, quatuor], et duos dies; et ipse, defuncto Ithamar, consecravit pro eo Damianum qui de genere Australium Saxonum erat oriundus [DCLXIV].

## CAPUT XXI

*Ut provincia Mediterraneorum Anglorum sub rege Peada Christiana sit facta.*

His temporibus Middilangli, id est, Mediterranei Angli, sub principe Peada [*Al.*, Penda] filio Pendan regis, fidem et sacramenta veritatis perceperunt

B [DCLIII]; qui cum esset juvenis optimus, ac regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius; venitque ad regem Nordanhymbrorum Osuiu, postulans filiam ejus Alchfledam sibi conjugem dari. Neque aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma, cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, et promissione regni cælestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiamsi virginem non acciperet: persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio regis Osuiu, nomine Alchfrido, qui erat cognatus et amicus ejus, habens sororem ipsius [*Al.*, ejus] conjugem, vocabulo Cyniburgam, filiam Pendan regis.

C Baptizatus est ergo a Finano episcopo, cum omnibus qui secum venerant comitibus ac militibus eorumque famulis universis, in vico regis inlustri qui vocatur [f] Ad murum. Et acceptis quatuor presbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius, et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant autem presbyteri Cedd [*Al.*, Cedda], et Adda, et Betti, et Diuma, quorum ultimus natione Scottus, cæteri fuere de Anglis. Adda autem erat frater Uttan, presbyteri inlustris, et abbatis monasterii quod vocatur [g] Ad Capræ [*Al.*, Ca-

[a] *Latiniacum.* Vulgo *Lagny*, in pago Briegio positum, ad ripam fl. Matronæ, sex supra Lutetiam Parisiorum milliaribus Gallicis. Monasterium ibi construi cœptum est, Erchinoaldo palatii præfecto prædium et subsidia conferente, sub principatu Chlodovei r. Dagoberti filii, a. circa 644, rectoremque habuit Furseum ad annum vitæ ipsius supremum, quo Furseus substituto Emiliano seu Eminiano Brittaniam repetens, in Pontivensi vico Maceriis dicto mortem obiit.

[b] *Perrona.* Hodie *Peronne*, castrum sive palatium antiquis ad Suminam fl. distingui debet a Perona villa super Savum fl. ubi nunc castrum Cameracesium, et abbatia sancti Andreæ Ord. sancti Bened.

[c] *Viginti septem.* Variæ leguntur Fursei celebritates, quarum unam, scilicet, sepulturam, Beda incertam reddidisse incusatur. Ille enim dicit sepultum post XXVII dies a positione corporis in porticum, cum Anonymus vitæ ejus auctor XXX asserat. Sed utri potius credendum, non tanti est ambigere.

[d] *Corporis ejus.* Reliquiæ sancti Fursei asservantur Perronæ in ecclesia collegiata nomini ejus dicata, præter os capitis quod Latiniaci ponitur.

[e] *Defuncto.* Felix cum defungeretur sepultus est in

Domnoc sede sua, inde translatus ad Seham, hodie Soham, quæ est villa juxta stagnum quod volentibus ire in Heli quondam periculosum navibus, nunc facta via per palustre arundinetum, transitur pedibus. Sunt

D ibi adhuc indicia ecclesiæ a Danis dirutæ et incensæ, quæ ibi habitatores pariter exustos ruinis operuit suis. Corpus vero sancti multo post quæsitum et repertum, in Rameseiense Cœnobio humatum est. W. Malm., de Pont. II. Ejus memoria celebratur die 8 Martii.

[f] *Ad murum.* Vulgo Walton. Sed ejus loci situs convenire non potest cum distantia quam Beda assignat a mari. Non procul autem a Novocastro est Waubottle, cujus et ipsum nomen ædificium ad murum exhibet. Eo igitur loci vicum regium quo Peada baptizatus fuit statuendum censeo, duodecim circa mille passus a mari situm.

[g] *Ad Capræ Caput.* Hodie Gateshead. Ubi nulla remanent antiqui monasterii Uttani vestigia. Recentioris quidem pulcherrimam videmus capellam, vix adhuc ruinis succumbentem. Traditio est cellam fuisse sanctimonialium Novocastrensium, licet ejus historiam apud auctores vix inveneris.

Digitized by Google

preæ] caput, cujus supra meminimus. Venientes ergo in provinciam memorati sacerdotes cum principe, prædicabant verbum, et libenter auditi sunt, multique quotidie et nobilium et infirmorum [*Al.*, infimorum], abrenunciata sorde idolatriæ, fidei sunt fonte abluti.

Nec prohibuit Penda rex quin etiam in sua, hoc est, Merciorum natione, verbum, si qui vellent audire, prædicaretur. Quin potius odio habebat, et despiciebat eos, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos esse eos et miseros qui Deo suo in quem crederent obedire contemnerent. Cœpta sunt hæc biennio ante mortem Pendan regis. Ipso autem occiso [DCLVI], cum Osuiu Rex Christianus regnum ejus acciperet, ut in sequentibus dicemus (*Vid., infra, cap.* 24), factus est Diuma unus ex præfatis quatuor sacerdotibus episcopus Mediterraneorum Anglorum simul et Merciorum, ordinatus a Finano episcopo. Paucitas enim sacerdotum cogebat unum antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco sub tempore non paucam Domino plebem adquisisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos [DCLVIII], in regione quæ vocatur [a] Infeppingum [*Al.*, Infebbingum]: suscepit pro illo episcopatum Ceollach, et ipse de natione Scottorum, qui non multo post, relicto episcopatu, reversus est ad insulam Hii, ubi plurimorum caput et arcem Scotti habuere cœnobiorum: succedente illi in episcopatum Trumheri viro religioso, et monachica vita instituto [DCLIX], natione quidem Anglo, sed a Scottis ordinato episcopo; quod temporibus Vulfheri regis de quo in sequentibus dicemus, factum est.

## CAPUT XXII.

*Ut Orientales Saxones fidem quam dudum abjecerant, sub rege Sigbercto, prædicante Ceddo, receperint.*

Eo tempore [DCLIII] etiam Orientales Saxones fidem quam olim, expulso Mellito antistite, abjecerant (*Vid. lib.* II, *c.* 5), instantia regis Osuiu receperunt. Erat enim rex ejusdem gentis Sigberct, qui post Sigberctum cognomento [b] Parvum regnavit, amicus ejusdem Osuiu regis, qui cum frequenter ad eum in provinciam Nordanhymbrorum veniret, solebat eum hortari ad intelligendum deos esse non posse qui hominum manibus facti essent; dei creandi materiam lignum vel lapidem esse non posse, quorum recisuræ vel igni absumerentur, vel in vasa quælibet humani usus formarentur, vel certe despectui habita foras projicerentur, et pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potius intelligendum majestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, æternum, qui cælum et terram et humanum genus creasset, regeret, et judicaturus esset orbem in æquitate; cujus sedes æterna non in vili et caduco metallo, sed in cælis esset credenda: meritoque [*Al.*, æterna.... meritoque] intelligendum, quia omnes qui voluntatem ejus a quo creati sunt discerent et facerent, æterna ab illo præmia essent percepturi. Hæc et hujusmodi multa cum rex Osuiu regi Sigbercto amicabili et quasi fraterno consilio sæpe inculcaret, tandem juvante amicorum consensu credidit, et facto cum suis consilio, cum exhortatione, faventibus cunctis et adnuentibus fidei, baptizatus est cum eis a Finano episcopo in villa regia cujus supra meminimus (*Cap. immediate præced.*), quæ cognominatur Ad murum. Est enim juxta murum, quo olim Romani Britanniam insulam præcinxere, duodecim millibus passuum a mari Orientali secreta.

Igitur rex Sigberct æterni regni jam civis effectus, temporalis sui regni sedem repetiit [*Al.*, petiit], postulans ab Osuiu rege ut aliquos sibi doctores daret, qui gentem suam ad fidem Christi converterent ac fonte salutari abluerent. At ille mittens ad provinciam Mediterraneorum Anglorum, clamavit ad se virum Dei Cedd, et dato illi socio altero quodam presbytero, misit prædicare verbum genti Orientalium Saxonum. Ubi cum omnia perambulantes multam Domino Ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac pervenire ad ecclesiam Lindisfaronensem, propter conloquium Finani episcopi; qui ubi prosperatum ei opus Evangelii comperit, fecit eum Episcopum in gentem [*Al.*, gente] Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis: qui accepto gradu episcopatus, rediit ad provinciam, et majore auctoritate cœptum opus explens, fecit per loca ecclesias, presbyteros et diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei et ministerio baptizandi adjuvarent, maxime in civitate quæ lingua Saxonum [c] Ythancaestir appellatur. Sed et in illa quæ [d] Tilaburg cognominatur: quorum prior locus est in ripa [e] Pentae amnis, secundus in ripa Tamensis: in quibus, collecto examine famulorum Christi, disciplinam vitæ regularis, in quantum rudes adhuc capere poterant, custodire docuit.

[a] *Infeppingum*. Quænam sit hæc regio inexploratum est. In Merciorum confinio est Reppington, sono ad regulas etymologicas non prorsus congruo, nec multum abhorrente. Ab eo tota centuria nomen habet, in eo plures Merciorum reges vixerunt, in eo sepulti sunt, quidni et episcopus; cum ibi non solum habitacula magnatibus, sed monasterium etiam divinis officiis olim conditum fuerit. Propius ad nomen accedit Heppingham, cujus in cartuario tertio Dunelm peculiaris mentio facta est.

[b] *Parvum*. Regum Orien. Saxon. hæc est successio. Erchenuini; Sledda; Seberct; Sexred; Seward; Sigeberct fratres; Sigberct Parvus; Sigberct Bonus qui est proselyta hujus capitis.

[c] *Ythancaestir*. Quæ Romanis Othona dicta, nunc Fanum sancti Petri ad aggerem, extremo Dengiensis centuriæ promontorio impositum. Anglice, S. Peter's on the Wall.

[d] *Tilaburg*, *Tilbury*, ubi Cambdenus Ceddæ sedem ponens vapulat, non tamen puto Cambdenum velle sedem stricte episcopalem, ea enim Londini fuerit, sed mansionem majorem ad commodum populi accessum collocatam, sicut et in altera parte diœceseos aliam Ythancestriæ habuit.

[e] *Pentæ Freshwell.*, e cujus fontibus unus genuinum Pante nomen retinet, licet hodie et amnis et civitas absorpti sint.

Digitized by Google

Cumque tempore non pauco in præfata provincia, gaudente rege, congaudente universo populo, vitæ cœlestis institutio quotidianum sumeret augmentum, contigit ipsum regem instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici [DCLX]. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarunt; qui cum interrogarentur quare hoc facerent [*Al.*, cur hoc fecerint], nil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse et inimicos regi, quod ille nimium [*Al.*, nimirum] suis parcere soleret inimicis, et factas ab eis injurias mox obsecrantibus placida mente demitteret. Talis erat culpa regis pro qua occideretur, quod evangelica præcepta devoto corde servaret: in qua tamen ejus morte innoxia, juxta prædictum viri Dei, vera est ejus culpa punita. Habuerat enim unus ex his qui eum occiderunt comitibus, inlicitum conjugium, quod cum episcopus prohibere et corrigere non posset, excommunicavit eum, atque omnibus qui se audire vellent præcepit ne domum ejus intrarent neque de cibis illius acciperent. Contempsit autem [*Al. add.* hoc] rex præceptum, et rogatus a comite, intravit epulaturus domum ejus: qui cum abiisset, obviavit ei antistes. At rex intuens eum, mox tremefactus desiluit [*Al. add.* de] equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus postulans. Nam et episcopus pariter desiluit: sederat enim et ipse in equo. Iratus autem tetigit regem jacentem virga quam tenebat manu, et pontificali auctoritate protestatus [*Al.*, protestans]: « Dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditi et damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. » Sed credendum est quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum ejus auxerit: quia [*Al.*, quæ] nimirum ob causam pietatis, quia propter observantiam mandatorum Christi contigit.

Successit autem Sigbercto in regnum Suidhelm, filius Sexbaldi [DCLX], qui baptizatus est ab ipso Cedde in provincia Orientalium Anglorum, in vico regio qui dicitur [a] Rendlaesham, id est, Mansio Rendili; suscepitque eum ascendentem de fonte sancto Aedilvald rex ipsius gentis Orientalium Anglorum, frater Anna [*Al.*, Annæ] regis eorumdem.

## CAPUT XXIII.

*Ut idem episcopus Cedd locum monasterii construendi ab Oidilvaldo rege accipiens, orationibus ac jejuniis Domino consecraverit; et de obitu ipsius.*

Solebat autem idem vir Domini, cum apud Orientales Saxones episcopatus officio fungeretur, sæpius etiam [b] suam, id est, Nordanhymbrorum provinciam exhortandi gratia revisere: quem cum Oidilvald filius Osualdi regis [DCLIII—DCLXIV], qui in Deirorum partibus [c] regnum habebat, virum sanctum et sapientem, probumque moribus videret, postulavit eum possessionem terræ aliquam a se ad construendum monasterium accipere, in quo ipse rex et frequentius ad deprecandum Dominum verbumque audiendum advenire, et defunctus sepeliri deberet. Nam et seipsum fideliter credidit multum juvari eorum orationibus quotidianis, qui illo in loco Domino servirent. Habuerat autem idem rex secum fratrem germanum ejusdem episcopi, vocabulo Caelin, virum æque Deo devotum, qui ipsi ac familiæ ipsius verbum et sacramenta fidei, erat enim presbyter, ministrare solebat, per cujus notitiam maxime ad diligendum noscendumque episcopum pervenit. Favens ergo votis regis antistes, elegit sibi locum monasterii construendi in montibus arduis ac remotis; in quibus latronum magis latibula ac lustra ferarum, quam habitacula fuisse videbantur hominum: ut, juxta prophetiam Isaiæ, in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriretur viror calami et junci, id est, fructus bonorum operum ibi nascerentur, ubi prius vel bestiæ commorari, vel homines bestialiter vivere consueverant.

Studens autem vir Domini acceptum monasterii locum primo precibus ac jejuniis a pristina flagitiorum sorde purgare, et sic in eo monasterii fundamenta jacere, postulavit a rege, ut sibi totum Quadragesimæ tempus quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis causa demorandi concederet. Quibus diebus cunctis, excepta Dominica, jejunium ad vesperam usque [*Al. om.* usque] juxta morem protelans, ne [*Al.*, nec] tunc quidem nisi panis permodicum, et unum ovum gallinaceum cum parvo lacte aqua mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, a quibus normam disciplinæ regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel ecclesiam, prius orationibus ac jejuniis Domino consecrent. Cumque decem dies Quadragesimæ restarent, venit qui clamaret eum ad regem. At ille, ne opus religiosum negotiorum regalium causa intermitteretur, petiit presbyterum suum Cynibillum, qui etiam frater germanus erat ipsius, pia cœpta complere. Cui cum ille libenter adquiesceret, expleto studio jejuniorum et orationis, fecit ibi monasterium, quod nunc [d] Laestingaeu vocatur, et religiosis moribus, juxta ritus [*Al.*, ritum] Lindisfarnensium ubi educatus erat, instituit.

[a] *Rendlaesham.* Viculus agri Suffolc. ad Deben fl.

[b] *Suam.* Duplex officii provincia ambiguam Ceddæ etiam patriam reddidit; quidam in agro Eburacensi, quidam Londoniæ natum voluerunt, sed cum Beda hic Ceddæ provinciam data opera declaret, Suam inquiens, id est Nordanhymbrorum, parum videtur dubii cujus regionis indigena fuerit.

[c] *Regnum habebat.* M. West. in suo regum Nordh. Catalogo hujus Oidilualdi non meminit, prævalescente Osuiu regis imperio adeo fere exstincta est minoris potestas; fuisse tamen regem et sanguinis propinquitas, et monasterii fundatio sub titulo regio satis probant: unde illi et nomen et jus regis merito a Beda tribuitur.

[d] *Laestingaeu.* Hujus monasterii non minus quam conditoris patria diu quæsita fuit; Alfordus eam in agro Eburacensi primum, deinde in Orient. Saxon., tandem in Nordanhymbrorum provincia invenit, revera nullibi. Sed jam non amplius dubitatur quin Lestinghamiæ fuerit, non procul a Streanaeshalch. Dugdalius locum in suum monasticon inseruit, sed in eo nihil additum huic Bedæ capiti.

Digitized by Google

Qui cum annis multis et in præfata provincia episcopatum administraret, et hujus quoque monasterii statutis [a] propositis [*Al.*, præpositis] curam gereret, casu contigit ut ad ipsum monasterium tempore mortalitatis adveniens, factus ibidem infirmitate corporis, obiret [DCLXIV]: qui primo quidem foris sepultus est; tempore autem procedente, in eodem [*Al. om.* eodem] monasterio ecclesia est in honorem beatæ Dei Genitricis de lapide facta, et in illa corpus ipsius ad dexteram altaris [b] reconditum.

Dedit autem episcopus regendum post se monasterium fratri suo Ceadda, qui postea episcopus factus est, ut in sequentibus dicemus. Quatuor siquidem hi quos diximus, germani fratres, Cedd et Cynibill [*Al.*, Cenibil] et Caelin et Ceadda, quod raro invenitur, omnes sacerdotes Domini fuere præclari, et duo ex eis etiam summi sacerdotii gradu functi sunt. Cum ergo episcopum defunctum ac sepultum in provincia Nordanhymbrorum audirent [*Al.*, audissent] fratres qui in monasterio ejus erant in provincia Orientalium Saxonum, venerunt illo de suo monasterio homines circiter triginta, cupientes ad corpus sui Patris, aut vivere si sic Deo placeret, aut morientes ibi sepeliri: qui libenter a suis fratribus et commilitonibus suscepti, omnes ibidem superveniente præfatæ pestilentiæ clade defuncti sunt, excepto uno puerulo, quem orationibus patris sui a morte constat esse servatum. Nam cum multo post hæc tempore viveret, et Scripturis legendis operam daret, tandem didicit se aqua baptismatis non esse regeneratum, et mox fonte lavacri salutaris ablutus, etiam postmodum ad ordinem presbyterii promotus est, multisque in Ecclesia utilis fuit: de quo dubitandum non crediderim, quin intercessionibus, ut dixi, sui patris, ad cujus corpus dilectionis ipsius gratia venerat, sit ab articulo mortis retentus, ut et ipse sic mortem evaderet æternam, et aliis quoque fratribus ministerium vitæ ac salutis docendo exhiberet.

## CAPUT XXIV.

*Ut provincia Merciorum, occiso rege Penda, fidem Christi susceperit: et Osuiu, pro adepta victoria, possessiones et territoria ad construenda monasteria dederit.*

Illis temporibus [DCLV] rex Osuiu cum acerbas atque intolerabiles pateretur irruptiones sæpe dicti regis Merciorum, qui fratrem ejus occiderat, ad ultimum necessitate cogente promisit se ei innumera et majora quam credi potest ornamenta regia vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodo ille domum rediret, et provincias regni ejus usque ad internecionem vastare desineret. Cumque rex perfidus nullatenus precibus illius assensum præberet,

A qui totam ejus gentem a parvo usque ad magnum delere atque exterminare decreverat, respexit ille ad divinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica posset eripi: votoque se obligans: « Si paganus, inquit, nescit accipere nostra donaria, offeramus ei qui novit, Domino Deo nostro. » Vovit ergo quia si victor existeret, filiam suam Domino sacra virginitate dicandam [*Al.*, sacrandam] offerret; simul et duodecim possessiones prædiorum ad construenda monasteria donaret: et sic cum paucissimo exercitu se certamini dedit. Denique fertur quia tricies majorem pagani habuerint exercitum; siquidem ipsi triginta legiones ducibus nobilissimis instructas in bello habuere, quibus Osuiu rex cum Alchfrido filio, perparvum, ut dixi, habens exercitum, sed B Christo duce confisus, occurrit. Nam alius filius ejus Ecgfrid eo tempore in provincia Merciorum apud reginam [c] Cynuise obses tenebatur. Filius autem Osualdi regis Oidilvald, qui eis auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum, eisdemque contra patriam et patruum suum pugnaturis [*Al.*, pugnaturus] ductor exstiterat, quamvis ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco exspectabat. Inito ergo certamine fugati sunt et cæsi pagani. Duces regii triginta qui [*Al.*, triginta, qui] ad auxilium venerant pene omnes interfecti: in quibus Aedilheri frater Annæ regis Orientalium Anglorum qui post eum regnavit, auctor ipse belli, perditis militibus sive auxiliis interemptus: et quia prope fluvium C [d] Uinuaed pugnatum est, qui tunc præ inundantia pluviarum late alveum suum immo omnes ripas suas transierat, contigit ut multo plures aqua fugientes, quam bellantes perderet ensis.

Tunc rex Osuiu, juxta quod Domino voverat, pro collata sibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam suam Aelfledam quæ vix dum unius anni ætatem impleverat, perpetua ei virginitate consecrandam: donatis insuper duodecim possessiunculis terrarum, in quibus ablato studio militiæ terrestris, ad exercendam militiam cælestem, supplicandumque pro pace gentis ejus æterna, devotioni sedulæ [*Al.*, devotione sedule] monachorum locus facultasque suppeteret. E quibus videlicet possessiunculis, sex in provincia Deirorum, sex in Berni-D ciorum dedit. Singulæ vero possessiones, decem erant familiarum, id est, simul omnes centum viginti. Intravit autem præfata regis Osuiu [*Al.*, præfata Osuii] filia Deo dedicanda monasterium quod nuncupatur [e] Heruteu, id est, insula cervi, cui tunc Hild abbatissa præfuit (*Vid. l.* III, 25; IV, 23): quæ post biennium comparata possessione decem

[a] *Propositis.* Ita Mss. vett. non quasi statuta proposuerit, sed quod statuerit præpositos, unde Saxon. Paraphras. vertit, posuisse illum Propositum et Aldermannos.

[b] *Reconditum.* Memoria ejus celebratur septimo die Januarii.

[c] *Cynuise.* Ex hac uxore habuit Penda quinque filios Peadan, Uolfherum, Aedildredum, Merovaldum, et Mercelmum, præter nothum filium nomine Osuardum, filiasque duas Ciniburgam, et Cynisuitham. Aliam quoque ejus filiam, nomine Uilburgam, Friduoldo Subregulo, monasterii Certeseiensis fundatori nuptam, memorant Radulphus de Diceto, et Vitæ sanctæ Osithæ scriptor.

[d] *Uinuaed fl.* Hodie Broad Are, qui villam Loidis alluit.

[e] *Heruteu.* Hodie Hartlepole in agro Dunelmensi.

Digitized by Google

familiarum in loco qui dicitur [a] Streanaeshalch, ibi monasterium construxit; in quo memorata regis filia, primo discipula vitæ regularis, deinde etiam magistra exstitit, donec completo undesexaginta annorum numero, ad complexum et nuptias Sponsi cœlestis virgo beata intraret. In quo monasterio et ipsa, et pater ejus Osuiu, et mater ejus Aeanfled, et pater matris ejus Aeduini, et multi alii nobiles in ecclesia sancti apostoli Petri sepulti sunt. Hoc autem bellum rex Osuiu in regione Loidis (*Vid. l.* II, 14), tertio decimo regni sui anno, decimo septimo die Kalendarum Decembrium cum magna utriusque populi utilitate confecit. Nam et suam gentem ab hostili paganorum depopulatione liberavit, et ipsam gentem Merciorum finitimarumque provinciarum, desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam convertit.

Primus autem in provincia Merciorum, simul et Lindisfarorum ac Mediterraneorum Anglorum, factus est episcopus Diuma, ut supra diximus (*Vid. l.* III, *c.* 21), qui apud Mediterraneos Anglos defunctus [*Al. add.* est] ac sepultus est [DCLVI] : secundus Cellach, qui relicto episcopatus officio vivens ad Scottiam rediit, uterque de genere Scottorum : tertius Trumheri, de natione quidem Anglorum, sed edoctus [*Al.*, doctus] et ordinatus a Scottis, qui erat abbas in monasterio quod dicitur Ingetlingum. Ipse est locus in quo occisus est rex Osuini, ut supra meminimus (*Vid. l.* III, *c.* 14). Nam regina Aeanfled propinqua illius, ob castigationem necis ejus injustæ, postulavit a rege Osuio [*Al.*, Osuiu], ut donaret ibi locum monasterium construendi [*Al.*, monasterio construendo] præfato Dei famulo Trumheri, quia propinquus et ipse erat regis occisi : in quo videlicet monasterio orationes assiduæ pro utriusque regis, id est, et occisi, et ejus qui occidere jussit, salute æterna fierent. Idem autem rex Osuiu tribus annis post occisionem Pendan regis, Merciorum genti, necnon et cæteris Australium provinciarum populis præfuit : qui etiam gentem Pictorum maxima ex parte regno Anglorum subjecit.

Quo tempore donavit præfato Peada [*Al.*, Penda], filio regis Pendan, eo quod esset cognatus suus, regnum Australium Merciorum, qui sunt, ut dicunt, familiarum quinque millium, discreti fluvio Treanta ab Aquilonalibus Mercis [*Al.*, Aquilonaribus Merciis], quorum terra est familiarum septem millium. Sed idem Peada proximo vere multum nefarie peremptus est, proditione, ut dicunt, [b] conjugis suæ, in ipso tempore festi paschalis [DCLVIII]. Completis autem tribus annis post interfectionem Pendan regis, rebellarunt adversus regem Osuiu duces gentis Merciorum Immin, et Eafha [*Al.*, Eafba, Eabba, Eaba], et Eadberct., levato in regem Wlfhere, filio ejusdem Peadan adolescente, quem occultum servaverant, et ejectis principibus regis non proprii, fines suos for- A titer simul et libertatem receperunt : sicque cum suo rege liberi, Christo vero regi pro sempiterno in cœlis regno servire gaudebant. Præfuit autem rex idem genti Merciorum annis decem et septem, habuitque primum episcopum Trumheri, de quo supra diximus (*Cap.* 21), secundum Jaruman, tertium Ceaddan, quartum Uynfridum. Omnes hi per ordinem sibimet succedentes sub rege Uulfhere, gentis Merciorum episcopatu sunt functi.

## CAPUT XXV.

*Ut quæstio sit mota de tempore Paschæ, adversus eos qui de Scottia venerant.*

Interea Aidano episcopo de hac vita sublato, Finan pro illo gradum episcopatus, a Scottis ordinatus ac missus acceperat [DCLII] : qui in insula Lindisfarnensi B fecit ecclesiam episcopali sedi congruam; quam tamen more Scottorum, non de lapide, sed de robore secto totam composuit, atque harundine texit, quam tempore sequenti reverentissimus archiepiscopus Theodorus in honore beati apostoli Petri dedicavit. Sed episcopus loci ipsius [*Al.*, illius] Eadberct ablata harundine, plumbi laminis eam totam, hoc est, et tectum et ipsos quoque parietes ejus cooperire curavit.

His temporibus quæstio facta est frequens et magna, de observatione Paschæ (*Vid. append.*, *n.* 9), confirmantibus eis qui de Cantia, vel de Galliis advenerant, quod Scotti Dominicum Paschæ diem contra universalis Ecclesiæ morem celebrarent. Erat in his acerrimus veri Paschæ defensor, nomine Ronan C [*Al.*, Senan], natione quidem Scottus, sed in Galliæ vel Italiæ partibus regulam ecclesiasticæ veritatis edoctus; qui cum Finano confligens, multos quidem correxit, vel ad sollertiorem veritatis inquisitionem accendit : nequaquam tamen Finanum emendare potuit; quin potius, quod esset homo ferocis animi, acerbiorem castigando, et apertum veritatis adversarium reddidit. Observabat autem Jacob diaconus quondam, ut supra docuimus, venerabilis archiepiscopi Paulini, verum et catholicum Pascha, cum omnibus quos ad correctiorem [*Al.*, correptiorem] viam erudire poterat. Observabat et regina Eanfled cum suis, juxta quod in Cantia fieri viderat, habens secum de Cantia presbyterum catholicæ observationis, nomine Romanum : D unde nonnunquam contigisse fertur illis temporibus, ut bis in anno uno Pascha celebraretur. Et cum rex Pascha dominicum solutis jejuniis faceret, tunc regina cum suis persistens adhuc in jejunio diem Palmarum celebraret. Hæc autem dissonantia paschalis observantiæ vivente Aedano patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etsi Pascha contra morem eorum qui ipsum miserant facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis et dilectionis, juxta morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exsequi curavit : unde ab omnibus etiam his qui de Pascha aliter sentiebant, me-

[a] *Streanaeshalch Whitby*, agri Eboracensis portus.

[b] *Conjugis*. Alchfledæ filiæ naturalis Osuiu regis. Licet sint qui affirment Peadam non ab uxore, quæ Christiana fuit, sed malis paganæ matris artibus sublatum fuisse.

rito diligebatur: nec solum a mediocribus, verum ab A ipsis quoque episcopis, Honorio Cantuariorum, et Felice Orientalium Anglorum, venerationi habitus est.

Defuncto autem Finano qui post illum fuit, cum Colmanus in episcopatum succederet [DCLXII], et ipse missus a Scottia, gravior de observatione Paschæ necnon et de aliis ecclesiasticæ vitæ disciplinis controversia nata est: [a] unde movit hæc quæstio sensus et corda multorum, timentium ne forte accepto Christianitatis vocabulo, in vacuum currerent, aut cucurrissent. Pervenit et ad ipsas principum aures, Osuiu, videlicet, regis, et filii ejus Alchfridi; qui nimirum Osuiu a Scottis edoctus ac baptizatus, illorum etiam lingua optime imbutus, nihil melius quam quod illi docuissent autumabat. Porro Alchfrid magistrum habens eruditionis Christianæ Uilfridum virum doctissimum: nam et Romam prius propter doctrinam ecclesiasticam adierat, et apud Dalfinum archiepiscopum Galliarum Lugduni multum temporis egerat, a quo etiam tonsuræ ecclesiasticæ coronam susceperat, hujus doctrinam omnibus Scottorum traditionibus jure præferendam sciebat: unde ei etiam donaverat monasterium quadraginta familiarum in loco qui dicitur Inbrypum; quem videlicet locum paulo ante eis qui Scottos sequebantur in possessionem monasterii dederat. Sed quia illi postmodum data sibi optione, magis loco cedere quam suam mutare consuetudinem volebant, dedit eum illi qui dignam loco et doctrinam haberet, et vitam. Venerat eo tempore Agilberctus, Occidentalium Saxonum episcopus, cujus supra meminimus, amicus Alchfridi regis, et Uilfridi abbatis, ad provinciam Nordanhymbrorum, et apud eos aliquandiu demorabatur; qui etiam Uilfridum, rogatu Alchfridi, in præfato suo monasterio presbyterum fecit. Habebat autem secum ipse presbyterum nomine Agathonem. Mota ergo ibi quæstione de Pascha, vel tonsura (*Vid. append.*, n. 9), vel aliis rebus ecclesiasticis, dispositum est ut in monasterio quod dicitur Strenaeshalch, quod interpretatur Sinus fari, cui tunc Hild abbatissa Deo devota femina præfuit, synodus fieri et hæc quæstio terminari deberet. Veneruntque illo reges ambo, pater scilicet et filius; episcopi, Colman cum clericis suis de Scottia, Agilberctus cum Agathone et Uilfrido presbyteris. Jacobus et Romanus in horum parte erant: Hild abbatissa cum suis in parte Scottorum, in qua erat etiam venerabilis episcopus Cedd, jamdudum ordinatus a Scottis, ut supra docuimus, qui et interpres in eo concilio vigilantissimus utriusque partis exstitit.

Primusque rex Osuiu præmissa præfatione, quod oporteret eos qui una Deo servirent, unam vivendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione Sacramentorum cælestium, qui unum omnes in cælis regnum exspectarent; inquirendum potius quæ esset verior traditio, et hanc ab omnibus communiter esse sequendam: jussit primo dicere episcopum suum Colmanum, qui esset ritus, et unde originem ducens ille quem ipse sequeretur. Tunc Colmanus: « Pascha, inquit, hoc quod agere soleo, a majoribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt, quod omnes Patres nostri, viri Deo dilecti, eodem modo celebrasse noscuntur [*Al.*, cognoscuntur]. Quod ne cui contemnendum et reprobandum esse videatur, ipsum est quod beatus evangelista Johannes discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat Ecclesiis, celebrasse legitur. » Quo hæc et his similia dicente, jussit rex et Agilberctum proferre in medium morem suæ observationis, unde initium haberet, vel qua hunc auctoritate sequeretur. Respondit Agilberctus: « Loquatur, obsecro, vice mea discipulus meus Uilfrid presbyter, quia unum ambo sapimus B cum cæteris qui hic adsident ecclesiasticæ traditionis cultoribus; et ille melius ac manifestius ipsa lingua Anglorum, quam ego per interpretem, potest explanare quæ sentimus. » Tunc Uilfrid, jubente rege ut diceret, ita exorsus est: « Pascha quod facimus, inquit, vidimus Romæ ubi beati apostoli Petrus et Paulus vixere, docuere, passi sunt et sepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransivimus, ab omnibus agi conspeximus: hoc Africam, Asiam, Ægyptum, Græciam, et omnem orbem, quacumque Christi Ecclesia diffusa est, per diversas nationes et linguas, uno ac non diverso temporis ordine gerere [*Al.*, geri] comperimus: præter hos tantum, et obstinationis eorum complices, Pictos dico et Brittones, cum quibus de duabus ultimis Oceani insulis, et his non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant. » Cui C hæc dicenti respondit Colmanus: « Mirum quare stultum appellare velitis laborem nostrum, in quo tanti apostoli qui super pectus Domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur; cum ipsum sapientissime vixisse omnis mundus noverit. » At Uilfridus: « Absit, inquit, ut Johannem stultitiæ reprehendamus, cum scita legis Mosaicæ juxta literam servaret, judaizante adhuc in multis Ecclesia, nec subito valentibus apostolis omnem legis observantiam quæ a Deo instituta est, abdicare. Quomodo simulacra quæ a dæmonibus inventa sunt, repudiare omnes qui ad fidem veniunt, necesse est: videlicet ne scandalum facerent eis qui inter gentes erant Judæis. Hinc est enim quod Paulus Timotheum circumcidit, quod hostias in templo immolavit, quod cum Aquila et Pri- D scilla caput Corinthi totondit: ad nihil videlicet utile, nisi ad scandalum vitandum Judæorum. Hinc quod eidem Paulo Jacobus ait: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt? et omnes hi æmulatores sunt legis. Nec tamen hodie clarescente per mundum Evangelio necesse est, immo nec licitum fidelibus vel circumcidi, vel hostias Deo victimarum offerre carnalium. Itaque Johannes secundum legis consuetudinem quarta decima die mensis primi ad vesperam, incipiebat celebrationem festi Paschalis, nil curans hæc Sabbato, an alia qualibet feria proveniret. At vero Petrus cum Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima Sabbati resurrexit a mortuis,

[a] Vulgg. omnes, excepto Mori, *unde merito movit.*

Digitized by Google

se mundo spem resurrectionis contulit, ita Pascha faciendum intellexit, ut secundum consuetudinem ac præcepta legis, quartam decimam lunam primi mensis, æque sicut Johannes Orientem ad vesperam semper exspectaret: et hac exorta, si Dominica dies, quæ tunc prima Sabbati vocabatur, erat mane ventura, in ipsa vespera Pascha Dominicum celebrare incipiebat, quomodo et nos [Al., nos omnes] hodie facere solemus. Sin autem Dominica non proximo mane post lunam quartam decimam, sed sexta decima, aut septima decima, aut alia qualibet luna, usque ad vicesimam primam esset ventura, exspectabat eam, et præcedente Sabbato, vespere, sacrosancta Paschæ sollemnia inchoabat; sicque fiebat, ut Dominica Paschæ dies nonnisi a quinta decima luna usque ad vicesimam primam servaretur. Neque hæc evangelica et apostolica traditio legem solvit, sed potius adimplet, in qua observandum Pascha a quarta decima luna primi mensis ad vesperam, usque ad vicesimam primam lunam ejusdem mensis ad vesperam præceptum est: in quam observantiam imitandam, omnes beati Johannis successores in Asia post obitum ejus, et omnis per orbem Ecclesia conversa est. Et hoc esse verum Pascha, hoc solum fidelibus celebrandum, Nicæno concilio non statutum noviter, sed confirmatum est, ut ecclesiastica docet Historia. Unde constat vos, Colmane, neque Johannis, ut autumatis, exempla sectari, neque Petri, cujus traditioni scientes contradicitis, neque legi, neque Evangelio in observatione vestri Paschæ congruere. Johannes enim ad legis Mosaicæ decreta tempus paschale custodiens, nil de prima Sabbati curabat; quod vos non facitis, qui nonnisi prima Sabbati Pascha celebratis. Petrus a quinta decima luna usque ad vicesimam primam diem Paschæ Dominicum celebrabat; quod vos non facitis, qui a quarta decima usque ad vicesimam lunam diem Dominicum Paschæ observatis; ita ut tertia decima luna ad vesperam sæpius pascha incipiatis, cujus neque lex ullam fecit mentionem, neque auctor ac dator Evangelii Dominus in ea, sed in quarta decima vel vetus Pascha manducavit ad vesperam, vel novi testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis, Ecclesiæ celebranda tradidit. Item [Al., itemque], lunam vicesimam primam, quam lex maxime celebrandam commendavit, a celebratione vestri Paschæ funditus eliminatis: sicque, ut dixi, in celebratione summæ festivitatis, neque Johanni, neque Petro, neque Legi, neque Evangelio concordatis. »

His contra Colmanus: « Numquid, ait, Anatolius vir sanctus, et in præfata Historia ecclesiastica multum laudatus, legi vel Evangelio contraria sapuit, qui a quarta decima usque ad vicesimam Pascha celebrandum scripsit? Numquid reverentissimum Patrem nostrum Columbam [Al., Columban], et successores ejus viros Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, divinis paginis contraria sapuisse, vel egisse credendum est? cum plurimi fuerint in eis, quorum sanctitati cælestia signa, et virtutum

A quæ fecerunt miracula, testimonium præbuerunt: quos ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores et disciplinam sequi non desisto. »

At Uilfridus: « Constat, inquit, Anatolium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum; sed quid vobis cum illo, cum nec ejus decreta servetis? Ille enim in Pascha suo regulam utique veritatis sequens, circulum decem et novem [Al., novemdecim] annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum et a tota Christi Ecclesia custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Pascha dominico quartam decimam lunam computavit, ut hanc eadem ipsa die more Ægyptiorum quintam decimam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic item vicesimam die [Al., idem.... diem] Dominico Paschæ
B adnotavit, ut hanc declinata eadem die esse vicesimam primam crederet. Cujus regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquoties [Al., aliquotiens] Pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertia decima luna facitis. De Patre autem vestro Columba et sequacibus ejus, quorum sanctitatem vos imitari, et regulam ac præcepta cælestibus signis confirmata sequi perhibetis, possem [Al., possum] respondere; quia multis in judicio dicentibus Domino, quod in nomine ejus prophetaverint, et dæmonia ejecerint, et virtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus quia nunquam eos noverit. Sed absit ut de patribus vestris hoc dicam: quia justius multo est de incognitis bonum credere,
C quam malum. Unde et illos Dei famulos, ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse reor talem Paschæ observantiam, quandiu nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris decreta quæ sequerentur, ostenderet: quos utique credo, si qui tunc ad eos catholicus calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, quomodo ea quæ noverant ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem et socii tui, si audita decreta sedis apostolicæ, immo universalis Ecclesiæ, et hæc litteris sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubitatione [Al., dubietate] peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, numquid universali quæ per orbem est Ecclesiæ, Christi, eorum [Al., horum] est
D paucitas uno de angulo extremæ insulæ præferenda? Et si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, immo et noster si Christi erat, numquid [Al., num] præferri potuit beatissimo apostolorum principi, cui Dominus ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum?* »

Hæc perorante Uilfrido, dixit rex: « Verene, Colmane, hæc illi Petro dicta sunt a Domino? » Qui ait: « Vere, rex. » At ille: « Habetis, inquit, vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum? » At ait ille: « Nihil. » Rursum [Al. add. autem) rex: « Si utrique vestrum, inquit, in hoc sine ulla controversia consentiunt, quod hæc prin-

Digitized by Google

cipaliter [*Al.*, principaliter hæc] Petro dicta, et ei claves regni cælorum sint datæ a Domino? » Responderunt: Etiam, utique. » At ille ita conclusit: « Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille cui ego contradicere nolo; sed in quantum novi vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis; ne forte me adveniente ad fores regni cælorum, non sit qui reseret [*Al.*, reserat], averse [*Al.* adverso] illo qui claves tenere probatur. »

Hæc dicente rege [*Al. add.* elevatis in cælum manibus], faverunt adsidentes quique sive adstantes, majores una cum mediocribus; et abdicata minus perfecta institutione, ad ea quæ meliora cognoverant, sese transferre festinabant.

## CAPUT XXVI.

*Ut Colman victus domum redierit; et Tuda pro illo episcopatu sit functus; qualisque illis doctoribus fuerit habitus Ecclesiæ.*

Finitoque conflictu, ac soluta concione, Agilberctus domum rediit. Colman videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam, adsumptis his qui se sequi voluerunt, id est, qui Pascha catholicum, et tonsuram coronæ, nam et de hoc quæstio non minima erat, recipere nolebant, in Scottiam regressus est, tractaturus cum suis quid de his facere deberet. Cedd, relictis Scottorum vestigiis, ad suam sedem rediit, utpote agnita observatione catholici Paschæ. Facta est autem hæc quæstio anno dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto, qui fuit annus Osuiu regis vicesimus secundus; episcopatus autem Scottorum, quem gesserunt in provincia Anglorum, annus tricesimus. Siquidem Aidan decem et septem annis, Finan decem, Colman tribus episcopatum tenuere.

Reverso autem [*Al. add.* in] patriam Colmano, suscepit pro illo pontificatum [*Al.* episcopatum] Nordanhymbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scottos Austrinos eruditus atque ordinatus episcopus, habens juxta morem provinciæ illius coronam tonsuræ ecclesiasticæ, et catholicam temporis paschalis regulam observans: vir quidem bonus ac religiosus, sed permodico tempore Ecclesiam regens. Venerat autem [*Al.*, enim] de Scottia, tenente adhuc pontificatum Colmano, et diligenter ea quæ ad fidem et veritatem pertinent, et verbo cunctos docebat et opere. Porro fratribus, qui in Lindisfarnensi Ecclesia, Scottis abeuntibus, remanere maluerunt, [a] præpositus est abbatis jure vir reverentissimus ac mansuetissimus Eata, qui erat abbas in monasterio quod dicitur [*Al.*, vocatur] [b] Mailros: A quod aiunt Colmanum abiturum [*Al.*, abeuntem] petiisse et impetrasse a rege Osuiu, eo quod esset idem Eata unus de duodecim pueris Aidani, quos primo episcopatus sui tempore de natione Anglorum erudiendos in Christo accepit. Multum namque eumdem episcopum Colmanum rex pro insita illi prudentia diligebat. Ipse est Eata, qui [c] non multo post eidem Ecclesiæ Lindisfarnensi episcopus factus est. Abiens autem domum Colman adsumpsit secum [d] partem ossium reverentissimi Patris Aidani; partem vero in ecclesia cui præerat, reliquit, et in secretario ejus condi præcepit.

Quantæ autem parsimoniæ, cujus [*Al.*, cujusque] continentiæ fuerit, ipse cum prædecessoribus suis testabatur etiam locus ille quem regebant [*Al.*, regebat], B ubi abeuntibus eis, excepta ecclesia, paucissimæ domus repertæ sunt, hoc est, illæ solummodo, sine quibus conversatio civilis esse nullatenus poterat. Nil pecuniarum absque pecoribus habebant. Si quid enim pecuniæ a divitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Nam neque ad susceptionem potentium sæculi, vel pecunias colligi, vel domus prævideri [*Al.* providere] necesse fuit, qui nunquam ad ecclesiam nisi orationis tantum, [et audiendi verbi [*Al.*, verbum] Dei causa veniebant. Rex ipse, cum opportunitas exegisset, cum quinque tantum aut sex ministris [*Al. om.* ministris] veniebat, et expleta in ecclesia oratione discedebat. Quod si forte eos ibi refici contingeret, simplici tantum et quotidiano fratrum cibo contenti, nil ultra quærebant. Tota enim fuit tunc C solicitudo doctoribus illis, Deo serviendi, non sæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris. Unde et in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus; ita ut ubicumque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Etiam [*Al.*, et jam] si in itinere pergens inveniretur, adcurrebant, et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant; verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Sed et diebus Dominicis ad ecclesiam, sive ad monasteria certatim, non reficiendi corporis, sed audiendi sermonis Dei gratia confluebant: et si quis sacerdotum in vicum forte deveniret, mox congregati in unum vicani, verbum D vitæ ab illo expetere curabant. Nam neque alia ipsis sacerdotibus aut clericis vicos adeundi, quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, et, ut breviter dicam, animas curandi causa fuit: qui in tantum erant ab omni avaritiæ peste castigati, ut nemo territoria ac possessiones ad construenda monasteria,

[a] *Præpositus est abbatis jure.* Quæ ab origine instituta est a Colmanno regiminis forma in ecclesia Lindisf. eadem in Dunelmensi etiam quæ successit hodienum retenta est, ut hujus ecclesiæ præpositus, licet prior tantum nomine, re tamen et dignitate sit abbas.

[b] *Mailros.* Hoc monasterium interius in confinio Scottiæ positum immerito confunditur cum Lindisfarnensi a Gul. Lambardo. Collect. Vespas., a. 5.

[c] *Non multo post.* Cum Eata 14 annis ecclesiæ Lindisf. abbatis loco præfuisset, septem annis eidem, auctoritate episcopi præfuit, ab anno 678, quo consecrari meruit, ad annum 685 ineuntem quo Guthbertum successorem accepit. Colitur Eata 26 Octobris.

[d] *Partem ossium.* Ex hac distributione reliquiarum Aedani satis patet quo jure Glastonienses apud se conditum tradunt. Non tamen prorsus sine fundamento hoc sibi attribuunt. Codex enim Ms. J. Wessington prioris Dunelm, dicit quod quædam ossa Aedani episcopi Edmundus rex Glastoniam advexit cum esset in expeditione Aquilonali (*Pag.* 38).

Digitized by Google

nisi a potentibus [*Al.*, potestatibus] sæculi coactus, acciperet [*Al.*, coacti acciperent] (vid. supra, cap. 25). Quæ consuetudo per omnia aliquanto post hæc tempore in Ecclesiis Nordanhymbrorum servata est. Sed de his satis dictum.

## CAPUT XXVII.

*Ut Ecgberct, vir sanctus de natione Anglorum, monachicam in Hibernia vitam duxerit.*

Eodem anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto, facta erat [*Al.*, est] eclipsis solis [a] die tertio mensis Maii, hora circiter decima diei: quo etiam anno subita pestilentiæ lues, depopulatis prius Australibus Brittaniæ plagis, Nordanhymbrorum quoque provinciam corripiens, atque acerba clade diutius longe lateque desæviens, magnam hominum multitudinem stravit. Qua plaga præfatus Domini sacerdos Tuda raptus est de mundo, et in monasterio quod dicitur [b] Paegnalaech, honorifice sepultus. Hæc autem plaga Hiberniam quoque insulam pari clade premebat. Erant ibidem eo tempore multi nobilium simul et mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani et Colmani episcoporum, relicta insula [*Al. om.* insula] patria, vel divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia illo secesserant. Et quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaverunt, alii magis circumeundo per cellas magistrorum, lectioni operam dare gaudebant: quos omnes Scotti libentissime suscipientes victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, et magisterium gratuitum præbere curabant.

Erant inter hos duo juvenes magnæ indolis, de nobilibus Anglorum, Aedilhun et Ecgberct, quorum prior frater fuit Aediluini, viri æque Deo dilecti, qui et ipse ævo sequente Hiberniam gratia legendi adiit, et bene instructus patriam rediit, atque episcopus in provincia Lindissi factus, [c] multo Ecclesiam tempore nobilissime rexit. Hi ergo cum essent in monasterio quod lingua Scottorum [d] Rathmelsigi appellatur, et omnes socii ipsorum vel mortalitate de sæculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo morbo ejusdem mortalitatis, et gravissime afflicti; e quibus Ecgbert, sicut mihi referebat quidam veracissimus et venerandæ canitiei presbyter qui se hæc ab ipso audisse perhibebat, cum se æstimasset esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo quo infirmi quiescebant, et residens solus in loco opportuno, cœpit sedulus cogitare de actibus suis, et compunctus memoria peccatorum suorum faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias quas in pueritia sive infantia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. Vovit etiam votum, quia adeo peregrinus vivere vellet, ut nunquam in insulam in qua natus est, id est, Brittaniam, rediret; quia præter sollemnem canonici temporis psalmodiam, si non valetudo corporis obsisteret, quotidie Psalterium totum in memoriam divinæ laudis decantaret; et quia [*Al.*, decantaret, quod] in omni septimana diem cum nocte jejunus transiret. Cumque finitis lacrymis, precibus et votis, domum rediret, invenit sodalem dormientem: et ipse quoque lectulum conscendens, cœpit in quietem membra laxare. Et cum paululum quiesceret, expergefactus sodalis respexit eum, et ait: « O frater Ecgberote, o quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam æternam intraremus. Verumtamen scito quia quæ postulasti, accipies. » Didicerat enim per visionem, et quid petiisset, et quia petita impetrasset. Quid multa? Ipse Aedilhun proxima nocte defunctus est: at vero Ecgberct decussa molestia ægritudinis convaluit, ac multo postea [*Al.*, post] tempore vivens, acceptumque sacerdotii gradum condignis ornans actibus, post

[a] *Die tertio mensis Maii.* Hujus eclipsis sæpius meminit Beda, semel in libro de temporibus, iterum in Chronico proprie dicto, n. 4622, utrobique ad v Nonas Maias, quod tertio mensis diei respondet. Hoc tamen astronomis non parvum negotium facessit; utpote regulis artis prorsus incongruum. Gerbardus Mercator, qui eclipsim hanc a Beda visam, et tertio illo die Maii observatam fuisse sibi persuasit, auctoritati ejus adeo innixus est, ut exinde tanquam a fundamento novæ hypotheseos structuram efformare non sit veritus. Sed Historiam Bedæ ecclesiasticam inspicientibus, v, 25, clarum erit eclipsin hanc novem annis nativitatem ejus præcessisse. Cum igitur ab aliis accepisset eclipsin initio mensis Maii factam, et ex sua arte cognovisset non nisi novilunii tempore evenire potuisse, Neomeniæ diem ex cycli decennovenalis Dionysiani abaco indagandum esse censuit, ex quo cum aureum anni illius numerum xix die Maii 3 primam lunam indicare deprehenderit, non alio quam illo solis illam defectionem factam esse conclusit. Nondum enim satis perspectum fuerat quam esset fallax cyclica illa Neomenias eruendi ratio: cujus errorem suo tempore per ipsa phænomena toto orbi patefactum fuisse Marianus Scottus declaravit, de a. 1082 quo idem ipse xix cycli annus decurrebat, ita scribens: Prima paschalis luna iv Non. Aprilis toto orbi apparuit, cum ii Non. Aprilis esse deberet, ad quem scilicet aureus numerus xix in vulgatis Kalendariis cernebatur appositus. Usser. Br. Eccl. Ant. p. 491.

[b] *Paegnalaech.* Wagbele Chr. Saxon., p. 40, ad a. 664. Wemalet H. Hunt. lib. iii, p. 191. Ejusdem loci variæ lectiones, ex erronea acceptione litterarum Saxonicarum, monasterium autem ipsum ubi fuerit parum constat. Proxime sonat Pincanheale, hodie Finchale duobus a Dunelmo milliaribus ad Vedram fl. Certæ quidem ejus Antiquitates ultra sanctum Godricum non assurgunt, qui vixit tempore Henrici R. I. et Hugonis de Puteaco epis. fundatoris; fuisse tamen antea temporibus Saxonibus locum celebrem ipsa concilia ibi octavo sæculo convocata, nec enim alibi fuisse dignoscitur, satis declarant. Donec alia igitur sepultura Tudam potiore jure vendicet, liceat nobis tanti viri reliquiis perfrui.

[c] *Multo tempore.* Ab a. 679 ad a. 701. Fuit Aediluini episcopus secundus Sidnacestriæ. Primus Eadhaedus fuit, de quo capite sequente.

[d] *Rathmelsigi.* Rath in lingua Scottorum vicum vel castrum denotat. Mellis et Mellifontis eadem fuit ecclesia; licet is locus qui Mellis nomen hodie retinet tribus passuum millibus a Mellifonte sit remotus: nomine, ut videtur, utrique dato a sancto Mel episcopo beati Patricii discipulo, et sororis ipsius Darerchæ filio; de quo videndus in Patricii Vita Jocelinus, cap. 50, 102 et 186.

Digitized by Google

multa virtutum bona [*Al.*, dona], ut ipse desiderabat, nuper, id est anno dominicæ Incarnationis septingentesimo vicesimo nono, cum esset ipse annorum nonaginta, migravit ad regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis et justitiæ perfectione. Unde et genti suæ, et illis in quibus exulabat nationibus Scottorum sive Pictorum, [*Al. add.* et] exemplo vivendi; et instantia docendi, et auctoritate corripiendi, et pietate largiendi de his quæ a divitibus acceperat, multum profuit. Addidit autem votis quæ diximus, ut semper in Quadragesima non plus quam semel in die reficeret, non aliud quam panem ac lac tenuissimum, et hoc cum mensura gustaret: quod videlicet lac pridie novum in [*Al. om.* in] phiala ponere solebat, et [*Al.*, ut] post noctem ablata superficie crassiore, ipse residuum cum modico, ut diximus, pane bibebat. Cujus modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante natale [*Al.*, natalem] Domini, totidem quoque post peracta sollemnia Pentecostes, hoc est, Quinquagesimæ, semper observare curabat.

## CAPUT XXVIII.

*Ut defuncto Tuda, Uilfrid in Gallia,* [Al. add. *et*] *Ceadda apud Occidentales Saxones, in* [Al. om. *in*] *provincia Nordanhymbrorum sint ordinati episcopi.*

Interea rex [a] Alchfrid misit Uilfridum presbyterum ad regem Galliarum, qui eum sibi suisque consecrari faceret episcopum [DCCLXIV]. At ille misit eum ordinandum ad Agilberctum, de quo supra diximus, qui, relicta Brittania, Parisiacæ civitatis factus erat episcopus; et consecratus est magno cum honore ab ipso, convenientibus plurimis episcopis in vico regio qui vocatur [b] in Compendio. Quo adhuc in transmarinis partibus propter [*Al.*, post] ordinationem demorante, imitatus industriam filii rex Osuiu [*Al.*, regis Osui], misit Cantiam virum sanctum, modestum moribus, Scripturarum lectione sufficienter instructum, et ea quæ in Scripturis agenda didicerat, operibus sollerter exequentem, qui Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur episcopus. Erat autem presbyter vocabulo Ceadda, frater reverentissimi antistitis Ceddi, cujus sæpius meminimus (*Supra, cap.* 21, 22, 23, 26), et abbas monasterii illius quod vocatur Læstingaeu. Misitque rex cum eo presbyterum suum vocabulo Eadhaedum (*Vid. l.* IV, *c.* 12), qui postea regnante Ecgfrido, Hrypensis Ecclesiæ præsul factus est. Verum illi Cantiam pervenientes, invenerunt archiepiscopum Deusdedit jam migrasse de sæculo, et necdum alium pro eo constitutum fuisse pontificem. Unde diverterunt ad provinciam Occidentalium Saxonum, ubi erat Uini episcopus: et ab illo est vir præfatus consecratus antistes, adsumtis in societatem ordinationis duobus de Brittonum gente episcopis, qui Dominicum Paschæ diem, ut sæpius dictum est, secus morem canonicum a quarta decima usque ad vicesimam lunam celebrant. Non enim erat tunc ullus, [c] excepto illo Uine, in tota Brittania canonice ordinatus episcopus. Consecratus ergo in episcopum Ceadda, mox cœpit ecclesiasticæ veritati et castitati curam impendere; humilitati, continentiæ, lectioni operam dare; oppida, rura, casas, vicos, castella propter evangelizandum, non equitando, sed apostolorum more pedibus incedendo peragrare. Erat enim de discipulis [*Al.*, discipulus] Aidani, eisdemque actibus ac moribus juxta exemplum ejus, ac fratris sui Ceddi, suos instituere curavit auditores. Veniens quoque Brittaniam Uilfrid jam episcopus factus, et ipse perplura catholicæ observationis moderamina Ecclesiis Anglorum sua doctrina contulit. Unde factum est, ut, crescente per dies institutione catholica, Scotti omnes qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut suam redirent ad patriam.

## CAPUT XXIX.

*Ut Uighardus presbyter ordinandus in archiepiscopum, Romam de Brittania sit missus: quem remissa mox scripta papæ apostolici* [Al. om. *apostolici*], *ibidem obiisse narraverint.*

His temporibus [DCLXVII] reges Anglorum nobilissimi, Osuiu provinciæ Nordanhymbrorum, et Ecgberct Cantuariorum, habito inter se consilio, quid de statu Ecclesiæ Anglorum esset agendum, intellexerat enim veraciter Osuiu, quamvis educatus a Scottis, quia Romana esset catholica et apostolica Ecclesia, adsumpserunt cum electione et consensu sanctæ Ecclesiæ gentis Anglorum, virum bonum, et aptum episcopatu presbyterum nomine Uighardum, de clero Deusdedit episcopi [*Al.*, archiepiscopi], et hunc antistitem ordinandum Romam miserunt: quatenus accepto ipse gradu archiepiscopatus, catholicos per omnem Brittaniam Ecclesiis Anglorum ordinare posset antistites.

Verum Uighardus Romam perveniens, priusquam consecrari in episcopatum [*Al.*, episcopum] posset, morte præreptus est, et hujusmodi literæ regi Osuiu Brittaniam remissæ sunt:

« Domino excellenti [*Al.*, excellentissimo] filio Osuio regi Saxonum, Vitalianus episcopus, servus servorum Dei.

« Desiderabiles literas excellentiæ vestræ suscepimus: quas relegentes, cognovimus ejus piissimam devotionem, ferventissimumque amorem, quem habet propter beatam vitam; et quia dextera Domini protegente ad veram et apostolicam fidem sit conversus, sperans ut sicut in sua gente regnat, ita et cum [*Al.*, in] Christo in futuro conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissimum, et Dei cultorem promeruit habere regem: quia non solum ipse Dei cultor extitit [*Al.*, existit], sed etiam omnes subjectos

[a] *Alchfrid.* Cui pater Osuius provinciam Derorum sub se regendam dederat.

[b] *In Compendio. Compiègne,* villa regia in Suessionibus ad Axonæ et Isaræ Confluentem. In qua regnante apud Francos Pipino synodus est habita, et Carolus Calvus monasterium in honore beatæ Mariæ virginis exstruxit quod nunc Sancti Cornelii appellatur.

[c] *Excepto illo Uine.* Nempe erat Uine in Galliis ordinatus. Vide hujus libri caput septimum.

Digitized by Google

suos meditatur die ac nocte ad fidem catholicam atque apostolicam pro suæ animæ redemptione converti. Quis enim audiens hæc suavia, non lætetur? Quis non exultet et gaudeat in his piis operibus? Quia et gens vestra Christo omnipotenti Deo credidit, secundum divinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Isaia: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Et iterum: *Audite insulæ, et attendite populi de longe.* Et post paululum: *Parum, inquit, est ut mihi sis servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et rursum: *Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt.* Et post pusillum: *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas, et diceres his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris: Revelamini.* Et rursum: *Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi; et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes* [Al., *sedentem*] *in tenebris.* Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius est, non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetatum [*Al.*, prophetarum] gentibus, quod sint credituræ in Christo omnium conditore. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, utpote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter principis apostolorum, sive in Pascha celebrandum, sive in omnibus quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus et Paulus, qui ut duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie inlustrat credentium. »

[a] Et post nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum [*Al. om.* totum] uno vero Pascha loquitur.

« Hominem denique, inquit, docibilem, et in omnibus ornatum antistitem, secundum vestrorum scriptorum tenorem, minime valuimus nunc reperire pro longinquitate itineris. Profecto enim dum hujusmodi apta repertaque persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, ut ipse et viva voce, et per divina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum divino nutu eradicet. Munuscula a vestra celsitudine beato principi apostolorum directa, pro æterna ejus memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro ejus incolumitate jugiter Deum deprecamur cum Christi clero.

A Itaque qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina apostolorum, pro quo valde sumus contristati cum [*Al.*, cur] hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum literarum vestris missis, beneficia sanctorum [*Al. add.* martyrum], hoc est, reliquias beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum martyrum Laurentii, Joannis et Pauli, et Gregorii atque Pancratii eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas. Nam et conjugi vestræ, nostræ spiritali filiæ, direximus per præfatos gerulos crucem clavem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum apostolorum Petri et Pauli: de cujus pio studio cognoscentes, tantum cuncta sedes apostolica una nobiscum lætatur, quantum ejus pia

B opera coram Deo fragrant [*Al.*, flagrant] et vernant. Festinet igitur, quæsumus, vestra celsitudo, ut optamus, totam suam insulam Deo Christo dicare. Profecto enim habet protectorem, humani generis redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui ei cuncta prospera impertiet, ut novum Christi populum coacervet, catholicam ibi et apostolicam constituens fidem. Scriptum est enim: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Nimirum enim quærit, et impetravit, et ei omnes suæ insulæ, ut optamus, subdentur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, divinam precamur jugiter clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, ut cum Christo in futuro

C regnetis sæculo. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. »

Quis sane pro Uighardo repertus ac dedicatus sit antistes, libro sequente opportunius dicetur.

## CAPUT XXX.

*Ut Orientales Saxones tempore mortalitatis ad idololatriam reversi, sed per instantiam Jarumanni episcopi mox sint ab errore correcti.*

Eodem tempore [DCLXV] provincia Orientalium Saxonum post Suidhelmum, de quo supra diximus [*Supra*, c. 22], præfuere reges [b] Sigheri et Sebbi, quamvis ipsi regi Merciorum Uulfhere subjecti. Quæ videlicet provincia cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sigheri cum sua parte populi, relictis

D Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conversus est. Nam et ipse rex, et plurimi de plebe sive optimatibus, diligentes hanc vitam, et futuram non quærentes, sive etiam non esse credentes, cœpe-

[a] *Et post nonnulla de celebrando.* Quæstio de Pascha toties recurrit, ut Beda in litteris papalibus, etc., quæ de ea scripta sint repetere abstinuerit tum in litteris Honorii papæ ad clerum Hibernicum, an. 639, II, 19, tum in litteris Laurentii Cant., ad eosdem, II, 4. Idem facit in his litteris Vitaliani papæ. De quo Usserius, in notis ad ep. Hib. Syll. n. 9, p. 126, observat hunc defectum ex antiquissimis Whitbiensis cœnobii schedis aliquo modo suppleri posse; in quibus præfixo titulo Vitalini, haud dubie Vitaliani, papæ urbis Romæ, subjectum reperit: « Nunquam enim celebrare debemus sanctum Pascha nisi secundum apostolicam et catholicam fidem, ut in toto orbe celebratur a Christiana plebe, id est, secundum apostolicam regulam CCCXVIII sanctorum Patrum, et computum sanctorum Cyrilli et Dionysii. Nam in toto terrarum orbe sic Christi una columba, hoc est Ecclesia immaculata sanctum Paschæ Resurrectionis diem celebrat. Nam Victoris regulam Paschæ sedes apostolica non approbavit, ideo nec sequitur dispositionem ejus pro Pascha. »

[b] *Sigheri et Sebbi.* Ille Filius Sigbercti cognomento Parvi, hic Seuuardi, qui, fide Christiana turpiter prodita, ab Occ. Sax. rege Occisus est. Male Harpsfeldius hunc Aedilredi filium vocat.



Digitized by Google

runt fana quæ derelicta erant, restaurare, et adorare simulacra : quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius ejus, et coheres regni ejusdem Sebbi, magna fidem perceptam cum suis omnibus devotione servavit, [*Al. add.* et] magna, ut in sequentibus dicemus, vitam fidelem felicitate complevit. Quod ubi rex Uulfheri comperit, fidem videlicet provinciæ ex parte profanatam, misit ad corrigendum errorem, revocandamque ad fidem veritatis provinciam Jaruman episcopum, qui successor erat Trumheri : qui multa agens sollertia,

A juxta quod mihi presbyter qui comes itineris illi et cooperator verbi extiterat, referebat, erat enim religiosus et bonus vir, longe lateque omnia pervagatus, et populum et regem præfatum ad viam justitiæ reduxit : adeo ut relictis, sive destructis fanis arisque quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola vivere cupientes. Quibus ita gestis, et ipsi sacerdotes, doctoresque eorum domum rediere lætantes.

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Ut defuncto Deusdedit, Uighard* [a] *ad suscipiendum episcopatum, Romam sit missus : sed illo ibidem defuncto, Theodorus archiepiscopus ordinatus, et cum Hadriano abbate sit Brittaniam missus.*

Anno memorato præfatæ eclipsis et mox subsequentis pestilentiæ, quo et Colmam episcopus unanima catholicorum intentione superatus ad suos reversus est, [b] Deusdedit sextus Ecclesiæ Doruvernensis episcopus obiit pridie Iduum Juliarum [DCLXIV]; sed et Ercomberct rex Cantuariorum eodem mense ac die defunctus, Ecgbercto filio sedem regni reliquit, quam ille susceptam per novem annos tenuit. Tunc cessante [c] non pauco tempore episcopatu, missus est Romam ab ipso simul et a rege Nordanhymbrorum Osuio, ut [d] præcedente libro paucis diximus, Uighard, presbyter, vir in Ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum, petentibus hunc Ecclesiæ Anglorum archiepiscopum ordinari : missis pariter apostolico papæ donariis, et aureis atque argenteis vasis non paucis. Qui ubi Romam pervenit, cujus [*Al.* cui] sedi apostolicæ tempore illo Vitalianus præerat, postquam itineris sui causam præfato papæ apostolico patefecit, non multo post et ipse et omnes pene qui cum eo advenerant socii, pestilentia superveniente deleti sunt.

At apostolicus papa habito de his consilio, quæsivit sedulus quem Ecclesiis Anglorum archiepiscopum mitteret. Erat autem in monasterio [e] Hiridano (*Al.* Niridano) quod est non longe a Neapoli Campaniæ, abbas Hadrianus, vir natione Afer, sacris literis diligenter imbutus, monasterialibus simul et Ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter et Latinæ linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum papa jussit episcopatu accepto Brittaniam venire. Qui indignum se tanto gradui respondens, ostendere se posse dixit alium, cujus magis ad suscipiendum episcopatum

B et eruditio conveniret, et ætas. Cumque monachum quemdam de vicino virginum monasterio, nomine Andream, pontifici offerret, hic ab omnibus qui [*Al. add.* eum] novere, dignus episcopatu judicatus est. Verum pondus corporeæ infirmitatis, ne episcopus fieri posset, obstitit. Et rursum Hadrianus ad suscipiendum episcopatum actus est : qui petens [*Al.*, petiit] inducias, si forte alium, qui episcopus ordinaretur ex tempore posset evenire.

Erat ipso tempore Romæ monachus Hadriano notus, nomine Theodorus, natus [*Al. add.* ex] Tharso Ciliciæ, vir et sæculari et divina literatura, et Græce instructus et Latine, probus moribus, et ætate venerandus, id est, annos habens ætatis sexaginta et sex [*Al.*, XLVI]. C Hunc offerens Hadrianus pontifici, ut episcopus ordinaretur obtinuit : his tamen conditionibus interpositis, ut ipse eum perduceret Brittaniam, eo quod [f] jam bis partes Galliarum diversis ex causis adiisset; et ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum : et ut ei doctrinæ cooperator existens, diligenter adtenderet ne quid ille contrarium veritati fidei, Græcorum more, in Ecclesiam cui præesset, introduceret. Qui subdiaconus ordinatus, quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium sancti apostoli [g] Pauli. Qui ordinatus est a Vitaliano papa anno dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die D septima Kalendarum Aprilium, Dominica. Et ita una [*Al. om.* una] cum Hadriano, sexto Kalendas Junias Brittaniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, et deinde per terram Arhelas [*Al.*, Arelatem], tradidissent Johanni archiepiscopo civitatis pervenissent et illius scripta commendatitia Vitaliani pontificis, retenti sunt ab eo, quousque Ebrinus major domus

[a] *Ad suscip. episc.* Al., *episcopum; al.*, suscipiendam episcopiam.

[b] *Deusdedit.* Codex A. T. D., p. 25 b, dicit nomen illi primitus fuisse *Fritonas*.

[c] *Non pauco tempore.* Ab an. 664, pridie Iduum Juliarum, ad an. 668 die septima Kalendarum Aprilium. Whartonus autem numerat a 28 Julii.

[d] *Præcedente.* Cap. 29.

[e] *Hiridano.* Ita Codex Mori, sed Codices primævæ auctoritatis in hac voce differunt. Alii enim habent Niridano, et quidem recte. Locus est juxta montem Cassinum.

[f] *Jam bis variis ex causis adiisset.* Atque hinc major suspicio de Hadriano quam de Theodoro fuit vide infra.

[g] *Pauli.* Vide append. de tonsura, n. 9.

Digitized by Google

regiæ copiam pergendi quoquo vellent, tribuit eis. Qua accepta Theodorus profectus est ad Agilberctum Parisiorum episcopum, de quo [a] superius diximus, et ab eo benigne susceptus, et multo tempore habitus est. Hadrianus [*Al. add.* vero] perrexit primum ad Emme Senonum, et postea ad Faronem Meldorum episcopos, et bene sub [*Al.* cum] eis diutius fuit : coegerat enim eos imminens hiems ut ubicumque potuissent quieti manerent. Quod cum nuncii certi narrassent regi Ecgberto, esse [*Al.*, adesse] scilicet episcopum quem petierant a Romano antistite, in regno Francorum, misit illo continuo Raedfridum [*Al.*, Regetfridum] præfectum suum, ad adducendum eum : quo cum venisset, adsumpsit Theodorum cum Ebrini [*Al.*, Ebroini] licentia, et perduxit eum ad portum cui nomen est [b] Quentavic, ubi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est : et cum convalescere cœpisset, navigavit Brittaniam. Hadrianum autem Ebrinus retinuit, quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem imperatoris [c] ad Brittaniæ reges adversus regnum, cujus tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum nihil tale illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absolvit eum, et post Theodorum ire permisit. Qui statim ut ad illum venit, dedit monasterium beati Petri apostoli, ubi archiepiscopi Cantiæ sepeliri, ut [d] præfatus sum, solent. Præceperat enim Theodoro abeunti Domnus apostolicus, ut in diœcesi sua provideret, et daret ei locum in quo cum suis apte degere potuisset.

## CAPUT II.

*Ut Theodoro cuncta peragrante, Anglorum Ecclesiæ cum catholica veritate, literarum quoque sanctarum cœperint studiis imbui ; et ut Putta pro Damiano Hrofensis Ecclesiæ sit factus antistes.*

Pervenit autem Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno, sub die sexto Kalendarum Juniarum, dominica [DCLXIX] et fecit in ea annos viginti et unum, menses tres, dies viginti sex. Moxque peragrata [e] insula tota, quaquaversum Anglorum gentes morabantur, nam et libentissime ad omnibus suscipiebatur atque audiebatur, rectum vivendi ordinem, ritum Paschæ celebrandi canonicum, per omnia comitante et cooperante Hadriano, disseminabat. Isque primus erat in archiepiscopis [*Al.*, archiepiscopus, *om.* in] cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et quia literis sacris simul et sæcularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant : ita ut etiam metricæ artis, astronomiæ [*Al.*, astronomicæ] et Arithmeticæ [f] Ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam [g] Græcamque linguam æque ut propriam in qua nati sunt, norunt. Neque unquam prorsus ex quo Brittaniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora; dum et fortissimos Christianosque habentes reges cunctis barbaris nationibus essent terrori, et omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent, et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros qui docerent.

Sed et sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias discere cœperunt : primusque, excepto Jacobo de quo [h] supra diximus, cantandi magister Nordanhymbrorum Ecclesiis, Aeddi cognomento Stephanus fuit, invitatus de Cantia a reverentissimo viro Uilfrido, qui primus inter episcopos qui de Anglorum gente essent, catholicum vivendi morem ecclesiis Anglorum tradere didicit.

Itaque Theodorus perlustrans universa, ordinabat locis opportunis episcopos, et ea quæ minus perfecta reperit, his quoque juvantibus corrigebat. In quibus et Ceadda episcopum cum argueret [i] non fuisse rite consecratum ; respondens ipse voce humillima : « Si me, inquit, nosti episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo : quippe qui neque me umquam hoc esse dignum arbitrabar ; sed obedientiæ causa jussus subire hoc, quamvis indignus, consensi. At ille audiens humilitatem responsionis ejus, dixit, non eum episcopatum dimittere debere; sed ipse ordinationem ejus denuo catholica ratione consummavit. Eo autem tempore quo defuncto Deusdedit, Doruvernensis Ecclesiæ episcopus quærebatur, ordinabatur, mittebatur, Uilfridus quoque de Brittania Galliam ordinandus est missus : et quoniam ante Theodorum rediit, ipse etiam in Cantia presbyteros et diaconos, usquedum archiepiscopus ad sedem suam perveniret, ordinabat. At ipse ve-

[a] *Superius.* II, 25, 26, 28.

[b] *Quentavic.* Vicus Galliæ in pago Pontivo ad Quentam fl. In eo situm fuit mon. S. Jodoci, cujus et nomen retinet, *Saint-Josse-sur-Mer.* BALUZ. Sed vulgo *Estaples* dicitur.

[c] *Imperatoris.* Constantini Pogonati, qui jam recens ad imperium accesserat, et turbatis Francorum rebus nova inferre detrimenta poterat. Præsertim cum hoc ipso anno mortuo Clotario III Ebrinus Theodericum ejus fratrem contra Childericum in regnum elevaverat. Quæ ei postea acciderunt, satis demonstrant non vanas fuisse quas undique concepit suspiciones.

[d] *Præfatus* I, 33, II, 3.

[e] *Insula tota.* Acceperat enim a papa Vitaliano bullam privilegii qua episcopus Cantuar. super totam Ecclesiam Anglicanam auctoritatem haberet. Notandum tamen hoc non primum illi hoc peculiare datum, sicut a quibusdam putatur, sed commune cum suis prædecessoribus vel vere concessum, vel saltem allegatum fuisse. Vide Malm. de Pont. I.

[f] *Ecclesiasticæ.* Non vulgaris tantum arithmeticæ, sed ejus quæ tractat calculos ad Ecclesiæ usum directos, quam artem Beda tradit in libris de Ratione Temporum.

[g] *Græcamque.* Vide append. n. 15.

[h] *Supra.* II, 16, 20. III, 25.

[i] *Non fuisse rite.* Duo in Ceaddæ ordinatione Theodorus erroris arguebat. Primum, quod ordinatus est ad sedem quæ Uilfridi electione jam plena fuit. Secundum, quod in ordinatione ejus, episcopi in Uini societatem pro ministerio assumpti, ex iis erant qui Britannicum Paschæ morem sequebantur ; vide III, 28.

Digitized by Google

niens mox in civitate Hrofi, ubi defuncto Damiano A episcopatus jam diu cessaverat, ordinavit virum magis ecclesiasticis disciplinis institutum et vitæ simplicitate contentum, quam in sæculi rebus strenuum, cui nomen erat Putta; maxime autem modulandi in ecclesia more Romanorum, quem a discipulis beati papæ Gregorii didicerat, peritum.

## CAPUT III.

*Ut Ceadda, de quo supra dictum est, provinciæ Merciorum sit episcopus datus; et de vita et de obitu et sepultura ejus.*

Eo tempore [DCLXIX] provinciæ Merciorum rex Uulfheri præfuit, qui cum [a] mortuo Jarumanno, sibi quoque [*Al.*, quique] suisque a Theodoro episcopum dari peteret, non eis novum voluit ordinare episcopum; sed postulavit a rege Osuio, ut illis episcopus B Ceadda daretur, qui tunc in monasterio suo, quod est in Laestingaeu, quietam vitam agebat, Uilfrido administrante episcopatum Eboracensis Ecclesiæ, necnon et omnium Nordanhymbrorum, sed et Pictorum, quousque rex Osuiu imperium protendere poterat. Et quia moris erat eidem reverentissimo antistiti, opus Evangelii magis [b] ambulando per loca, quam equitando perficere; jussit eum Theodorus ubicumque longius iter instaret, equitare, multumque renitentem, studio et amore pii laboris, ipse eum manu sua levavit in equum; quia nimirum sanctum esse virum comperit, atque equo vehi quo esset necesse, compulit. Susceptum itaque episcopatum gentis Merciorum simul et Lindisfarorum [*Al.*, Lindisfarnorum] Ceadda, juxta exempla Patrum antiquo- C rum, in magna vitæ perfectione administrare curavit: cui etiam rex Uulfheri donavit terram quinquaginta familiarum, ad construendum monasterium in loco qui dicitur Ad [c] Baruae, id est, Ad nemus, in provincia Lindissi, in quo usque hodie instituta ab ipso regularis vitæ vestigia permanent.

[d] Habuit autem sedem episcopalem in loco qui vocatur Lyccidfelth, in quo et [e] defunctus ac sepultus est: ubi usque hodie sequentium quoque provinciæ illius episcoporum sedes est. Fecerat vero sibi [f] mansionem non longe ab ecclesia remotiorem; in qua secretius cum paucis, id est, septem sive octo fratribus, quoties a labore et ministerio verbi vacabat, orare ac legere solebat. Qui cum in illa provincia duobus annis ac dimidio Ecclesiam gloriosissime re- D xisset, adfuit superno dispensante judicio, tempus, de quo loquitur Ecclesiastes: *Quia tempus mittendi lapides, et tempus colligendi*. Supervenit namque clades divinitus missa, quæ per mortem carnis, vivos Ecclesiæ lapides de terrenis sedibus ad ædificium cæleste transferret. Cumque plurimis de Ecclesia ejusdem reverentissimi antistitis de carne subtractis, veniret hora ipsius ut transiret ex hoc mundo ad Dominum; contigit die quadam ut in præfata mansione forte ipse cum uno tantum fratre, cui vocabulum erat [g] Ouini, commoraretur, cæteris ejus sociis pro causa opportuna ad ecclesiam reversis. Erat autem idem Ouini monachus magni meriti, et pura intentione supernæ retributionis mundum derelinquens, dignusque per omnia, cui Dominus specialiter sua revelaret arcana, dignus cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum regina [h] Aedilthryde de provincia Orientalium Anglorum, eratque primus ministrorum, et princeps domus ejus. Qui cum crescente fidei fervore sæculo abrenunciare disponeret, non hoc segniter fecit; sed adeo se mundi rebus exuit, ut relictis omnibus quæ habebat, simplici tantum habitu indutus, et securim atque asciam in manu ferens, veniret ad monasterium ejusdem reverentissimi Patris, quod vocatur Laestingaeu. Non enim ad otium, ut quidam, sed ad laborem se monasterium intrare signabat. Quod ipsum etiam facto monstravit: nam quo minus sufficiebat meditationi Scripturarum, eo amplius operi manuum studium impendebat. Denique cum episcopo in præfata mansione pro suæ reverentia devotionis inter fratres habitus, cum illi intus lectioni vacabant, ipse foris quæ opus esse videbantur, operabatur. Qui cum die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam sociis, ut dicere cœperam, et episcopus solus in oratorio loci, lectioni vel orationi operam daret, audivit repente, ut postea referebat, vocem suavissimam cantantium atque lætantium, de cælo ad terras usque descendere: quam videlicet vocem ab euroaustro, id est, ab alto brumalis exortus [*Al.*, exortam], primo se audisse dicebat, ac deinde paulatim eam sibi adpropiare, donec ad tectum usque oratorii in quo erat episcopus, perveniret: quod ingressa, totum implevit atque in gyro circumdedit. At ille dum sollicitus in ea quæ audiebat, animum intenderet, audivit denuo, transacto quasi dimidiæ horæ spatio, ascendere de tecto ejusdem oratorii idem lætitiæ canticum, et ipsa qua venerat via, ad cælos usque cum

[a] *Mortuo.* Jarumanni obitus quam opportunum dedit Ceaddæ recessum ad conservandam Ecclesiæ unitatem.

[b] *Ambulando.* Vide supra III, 28.

[c] *Ad Baruae.* Evanuit hujus loci notitia, nescio tamen an ad *Barton* super Humbram poni non possit.

[d] *Habuit sedem.* Ante Ceaddam habuit Lyccidfelth episcopos, Diumam an. 656, Ceollach an. 658, Trumhere an. 659, Jarumanum an. 662. Vide lib. III, 21. Jarumanno successit hic Ceadda an. 669. Cum in synodo 1075, episcopatus in celebriora loca transferrentur, Petrus episcopus sedem suam ad Cestriam movit, Robertus ejus successor Coventriam. Paulo post Rogerus Lichfeldiam retulit, condita ibidem an. 1143 magnifica ecclesia in honore B. Mariæ Virginis et S. Ceaddæ. Dirutam bellis civilibus nitori plusquam pristino restituit episcopus Hackotus. Fuit hæc sedes in archiepiscopatum evecta sub Offa Merciorum rege, Mercis et Orientalibus Anglis in provinciam datis a papa Hadriano, sed statim sub Leone successore pristina auctoritas ad Cantuariam rediit.

[e] *Defunctus.* Ejus memoria celebratur die 2 Martii.

[f] *Mansionem.* Vide append. n. 16.

[g] *Ouini.* In Martyrologio Benedictino, v Non. Martias fit commemoratio B. Ouini monachi, qui fuit major familias S. Aedilthridis, cum ad regem Egfridum sponsa accederet. Idem ejus exemplum secutus est cum religionem intraret.

[h] *Aedilthude.* Ejus historiam vide hujus libri cap. 19.

Digitized by Google

ineffabili dulcedine reverti. Qui cum aliquantulum horæ quasi adtonitus maneret, et quid hæc essent [*Al.*, hoc esset] sollerti animo scrutaretur, aperuit episcopus fenestram oratorii, et sonitum manu faciens, ut sæpe consueverat [*Al.*, consuevit], si quis foris esset, ad se intrare præcepit. Introivit ille concitus, cui dixit antistes : « Vade cito ad ecclesiam, et hos septem fratres huc venire facito; tu quoque simul adesto. » Qui cum venissent, primo admonuit eos ut virtutem dilectionis et pacis, ad invicem et ad omnes fideles servarent : instituta quoque disciplinæ regularis, quæ vel ab ipso didicissent et in ipso vidissent, vel in Patrum præcedentium factis sive dictis invenissent, indefessa instantia sequerentur. Deinde subjunxit diem sui obitus jam proxime instare. « Namque hospes, inquit, ille amabilis, qui fratres nostros visitare solebat, ad me quoque hodie venire, meque de sæculo evocare dignatus est. Propter quod revertentes ad ecclesiam, dicite fratribus ut et meum exitum Domino precibus commendent, et suum quoque exitum, cujus hora incerta est, vigiliis, orationibus, bonis operibus prævenire meminerint. » Cumque hæc et hujusmodi plura loqueretur, atque illi percepta ejus benedictione, jam multum tristes exissent, rediit ipse solus qui carmen cæleste audierat, et prosternens se in terram : « Obsecro, inquit, Pater, licet [*Al.*, liceine] aliquid interrogare? Interroga, inquit, quod vis. At ille : Obsecro, inquit, ut dicas quod erat canticum illud lætantium quod audivi, venientium de cælis super oratorium hoc, et post tempus redeuntium ad cælos? Respondit ille : Si vocem carminis audisti, et cælestes supervenire cœtus cognovisti, præcipio tibi in nomine Domini, ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Revera autem angelorum fuere spiritus, qui me ad cælestia quæ semper amabam ac desiderabam, præmia vocare venerunt, et post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. » Quod quidem ita ut dictum [*Al.*, prædictum] ei erat, opere completum est. Nam confestim languore corporis tactus est, et hoc per dies ingravescente, septimo, ut promissum ei fuerat, die postquam obitum suum dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus, ut credi fas est, angelis comitibus æterna gaudia petivit. Non autem mirum si diem mortis, vel potius diem Domini lætus aspexit, quem semper usquedum veniret, sollicitus exspectare curavit.

Namque inter plura continentiæ, humilitatis, doctrinæ, orationum [*Al.*, orationis], voluntariæ paupertatis, et cæterarum virtutum merita, in tantum erat timori Domini subditus, in tantum novissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, ut sicut mihi frater quidam de eis qui me in Scripturis [*Al.*, *om.* illius] erudiebant et erat in monasterio ac magisterio illius [*Al.*, *add.* divinis] educatus, vocabulo Trumberct, referre solebat, si forte legente eo vel aliud quid agente, repente flatus venti major adsurgeret, continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, jam clauso codice procideret in faciem, atque obnixius orationi incumberet. At si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam corusci ac tonitrua terras et aera terrerent; tunc veniens ad ecclesiam sollicitus orationibus ac psalmis, donec serenitas aeris rediret, fixa mente vacaret. Cumque interrogaretur a suis, quare hoc faceret, respondebat : « Non legistis, quia intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam [*Al.*, sonitus]. Misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. Movet enim aera Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de cælo intonat, ut terrigenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri judicii revocet, ut superbiam eorum dissipet; et conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando [*Al.*, cum] ipse cælis ac terris ardentibus, venturus est in nubibus potestate magna et majestate ad judicandos vivos et mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni ejus cælesti, debito cum timore et amore respondere; ut quoties aere commoto, manum quasi ad feriendum minitans exerit, nec adhuc tamen percutit, mox imploremus ejus misericordiam, et discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, solliciti ne unquam percuti mereamur, agamus. »

Convenit autem revelationi et relationi præfati fratris de obitu hujus antistitis etiam sermo reverentissimi Patris Ecgbercti, de quo [a] supra diximus, qui dudum cum eodem Ceadda adolescente, et ipse adolescens in Hibernia monachicam in orationibus et continentia, et meditatione divinarum Scripturarum vitam sedulus agebat. Sed illo postmodum patriam reverso, ipse peregrinus pro Domino usque ad finem vitæ permansit. Cum ergo veniret ad eum longo post tempore, gratia visitationis, de Brittania vir sanctissimus et continentissimus, vocabulo Hygbald, qui erat abbas in provincia Lindissi, et ut sanctos decebat, de vita priorum Patrum sermonem facerent, atque hanc æmulari gauderent, intervenit mentio reverentissimi antistitis Ceadda; dixitque Ecgbert : « Scio hominem in hac insula adhuc in carne manentem, qui cum vir ille de mundo transiret, vidit animam Ceddi fratris ipsius cum agmine angelorum descendere [*Al.*, descendentium; *Al.*, descendere] de cælo, et adsumta secum anima ejus, ad cælestia regna redire. » Quod utrum de se an de alio aliquo diceret, nobis manet incertum, [b] dum tamen hoc quod tantus vir dixit quia verum sit esse non possit incertum.

Obiit autem Ceadda sexto die Nonarum Martiarum, et sepultus est primo quidem juxta ecclesiam sanctæ Mariæ; sed postmodum constructa ibidem ecclesia beatissimi apostolorum principis Petri, in eandem

[a] *Supra*. III, 27.

[b] *Dum tamen*, etc., usque ad *incertum* deest A. I. et Chifll.

Digitized by Google

sunt ejus ossa translata. In quo utroque loco, ad indicium virtutis illius, solent crebra sanitatum miracula operari. Denique nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando discurreret, devenit ibi vespere, nescientibus, sive non curantibus loci custodibus, et ibi tota nocte requiescens, mane sanato sensu egressus, mirantibus et gaudentibus cunctis, quid ibi sanitatis [*Al.*, quod sanitatem] Domino largiente consequeretur, ostendit. Est autem locus idem sepulcri tumba lignea in modum domunculi facta coopertus, habente [*Al.*, habens] foramen in pariete, per quod solent hi qui causa devotionis illo adveniunt, manum suam immittere, ac partem pulveris inde adsumere: quam cum in aquas miserint atque has infirmantibus jumentis sive hominibus gustandas dederint, mox infirmitatis ablata molestia, [*Al. add.* ad] cupitæ sospitatis gaudia redibunt [*Al.*, redeunt].

In cujus locum ordinavit Theodorus Uynfridum, virum bonum ac modestum, qui, sicut prædecessores ejus, provinciis Merciorum et Mediterraneorum Anglorum et Lindisfarorum episcopatus officio præesset: in quibus cunctis Uulfheri, qui adhuc supererat, sceptrum regni tenebat. Erat autem Uynfrid de clero ejus cui ipse successerat, antistitis, et diaconatus officio sub eo non pauco tempore fungebatur.

## CAPUT IV.

*Ut Colman episcopus, relicta Brittania, duo monasteria in Scottia, unum Scottis; alterum Anglis, quos secum adduxerat, fecerit.*

Interea Colmanus, qui de Scottia erat episcopus, relinquens Brittaniam [DCLXVII], tulit secum omnes quos in Lindisfarnensium insula congregaverat Scottos: sed et de gente Anglorum viros circiter triginta, qui utrique monachicæ conversationis erant studiis imbuti. Et relictis in Ecclesia sua fratribus aliquot, primo venit ad insulam Hii, unde erat ad prædicandum verbum [*Al.*, *add.* Dei] Anglorum genti destinatus. Deinde secessit ad insulam quandam parvam, quæ ad occidentalem plagam ab Hibernia procul secreta, sermone Scottico [a] Inisboufinde, id est, *insula vitulæ albæ*, nuncupatur. In hanc ergo perveniens, construxit monasterium, et monachos inibi, quos de utraque natione collectos adduxerat, collocavit. Qui cum invicem concordare non possent, eo D quod Scotti tempore æstatis quo fruges erant colligendæ, relicto monasterio per nota sibi loca dispersi vagarentur; at vero hieme succedente redirent, et A his quæ Angli præparaverant, communiter uti desiderarent [*Al.*, desiderabant]: quæsivit Colmanus huic dissensioni remedium, et circumiens omnia, prope vel longe, invenit locum in Hibernia insula, aptum monasterio construendo, qui lingua Scottorum [b] Mageo nominatur; emitque partem ejus non grandem, ad construendum ibi monasterium, a comite ad cujus possessionem pertinebat: ea conditione addita, ut pro ipso etiam qui eis locum commodaret, consistentes ibi monachi Domino preces offerrent. Et constructo statim monasterio, juvante etiam comite ac vicinis omnibus, Anglos ibidem locavit [*Al.*, collocavit], relictis in præfata insula Scottis. Quod videlicet monasterium usque hodie ab Anglis tenetur incolis. Ipsum namque est quod nunc grande de B modico effectum, Muigeo [*Al.*, Maigeo; *al.*, Injugeo] consuete vocatur, et conversis jamdudum ad meliora institutis omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de provincia Anglorum ibidem collecti ad exemplum venerabilium Patrum sub regula et abbate canonico, in magna continentia et sinceritate proprio labore manuum vivant [*Al.*, vivunt].

## CAPUT V.

*De morte Osuiu et Ecgbercti regum; et de synodo facta ad locum Heruttforda, cui præsidebat archiepiscopus Theodorus.*

Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus, ex quo Brittanniam venit Theodorus, Osuiu rex Nordanhymbrorum, C pressus est infirmitate, qua et mortuus est anno ætatis suæ quinquagesimo octavo, qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ et apostolicæ institutionis, ut si ab infirmitate salvaretur, etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret, Uilfridumque episcopum ducem sibi itineris fieri, promissa non parva pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus die decima quinta Kalendarum Martiarum, Ecgfridum filium regni heredem reliquit: cujus anno regni tertio Theodorus cogit [*Al.*, coegit] concilium episcoporum, una cum eis qui canonica Patrum statuta et diligerent et nossent, [c] magistris Ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ unitati pacis ecclesiasticæ congruerent, eo quo pontificem decebat D animo, cœpit observanda docere. Cujus synodicæ actionis hujusmodi textus est:

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, regnante in perpetuum, ac gubernante

[a] *Inisboufinde*. Ad hanc insulam, quæ adhuc suum nomen retinet, Colmanus recessit an. 667, sicut Usserius citat Ultonienses Annales, ad an. 667: « navigatio Columbani episcopi cum reliquiis sanctorum ad insulam Vaccæ Albæ, in qua fundavit ecclesiam. » Et ad an. 675: « Ejusdem Columbani episcopi insulæ Vaccæ Albæ pausa, » sive vitæ terminus. Ubi Columbani nomine, inquit Usserius, Colmanum Lindisfarnensem episcopum designari non est dubium, quem et domum abeuntem assumpsisse secum partem ossium reverentissimi Patris Aedani, Beda quoque commemorat. In hac insula S. Riochus, longe ante Colmani tempora, S. Patricii e Darercha sorore nepos, episcopalem sedem fixisse dicitur.

[b] *Mayeo, Muigeo*. Vulgo Maio. Sedes episcopalis in proximo ad Inisboufindem continente collocata, et Tuamensi archiepiscopatui hodie annexa, cum an. 1559 Eugenius Mac Brenoan postremus Magonensis dictus fuerit episcopus. Quo in loco, uti Bedæ ætate grande Anglorum fuisse monasterium audivimus, ita etiam S. Cormaci et Adamnani tempore, *Centum Saxonicorum sanctorum* fuisse habitaculum libri *Ballimorensis collector confirmat*. USSER. Pr. p. 499.

[c] *Magistris* Vide append. n. 17.

Digitized by Google

suam Ecclesiam eodem Domino nostro Jesu Christo, A placuit convenire nos, juxta morem canonum venerabilium, tractaturos de necessariis Ecclesiæ negotiis. Convenimus autem die vigesima quarta mensis Septembris, indictione [a] prima, in loco qui dicitur Herutford [*Al.*, Herudford]. Ego quidem Theodorus, quamvis indignus, ab apostolica sede destinatus Doruvernensis Ecclesiæ episcopus; et consacerdos ac frater noster reverentissimus Bisi Orientalium Anglorum episcopus : quibus etiam frater et consacerdos noster Uilfrid Nordanhymbrorum gentis episcopus per proprios legatarios adfuit. Adfuerunt et fratres ac consacerdotes nostri, Putta episcopus Castelli Cantuariorum quod dicitur Hrofescæstir, Leutherius episcopus Occidentalium Saxonum, Uynfrid episcopus provinciæ Merciorum. Cumque in unum B convenientes juxta ordinem quique suum resedissemus : Rogo, inquam, dilectissimi fratres, propter timorem et amorem Redemptoris nostri, ut in commune omnes pro nostra fide tractemus ; ut quæque decreta ac definita sunt a sanctis et probabilibus Patribus, incorrupte ab omnibus nobis serventur. Hæc et alia quamplura quæ ad caritatem pertinebant, unitatemque Ecclesiæ conservandam, prosecutus sum. Cumque explessem prælocutionem, interrogavi unumquemque eorum per ordinem, si consentirent, ea quæ a Patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes dixerunt : Optime omnibus placet, quæque definierunt sanctorum canones Patrum, C nos quoque omnes alacri animo libentissime servare. Quibus statim protuli eundem [b] librum canonum, et ex eodem libro decem capitula quæ per loca notaveram, quia maxime nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi, et ut hæc diligentius ab omnibus susciperentur, rogavi. »

*Capitulum primum.* Ut sanctum diem Paschæ in commune omnes servemus Dominica post quartam decimam lunam mensis primi.

*Secundum.* Ut nullus episcoporum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.

*Tertium.* Ut quæque monasteria Deo consecrata sunt, nulli episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abstrahere.

*Quartum.* Ut [c] ipsi monachi [*Al.*, episcopi] non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per demissionem [*Al.*, permissione] proprii abbatis; sed in ea permaneant obedientia quam [*Al. add.* rem] tempore suæ conversionis [*Al.*, conversationis] promiserunt.

*Quintum.* Ut nullus clericorum relinquens proprium episcopum, passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis litteris sui præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus [*Al. add.* est et] noluerit invitatus redire, et susceptor et is qui susceptus est excommunicationi subjacebit.

*Sextum.* Ut episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato; nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu episcopi in cujus parochia esse cognoscitur, agere.

*Septimum.* Ut bis in anno synodus congregetur; sed quia diversæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, ut Kalendis Augustis in loco qui appellatur [d] Clofeshoch, semel in anno congregemur [*Al.*, congregetur].

*Octavum.* Ut nullus episcoporum se præferat alteri per ambitionem ; sed omnes agnoscant tempus et ordinem congregationis suæ [*Al.*, consecrationis].

*Nonum capitulum* in commune tractatum est. Ut plures episcopi, crescente numero fidelium, augerentur ; sed de hac re ad præsens siluimus.

*Decimum capitulum* [*Al. om.* capitulum] pro conjugiis. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium. Nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam, nisi, ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa, relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur ; sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.

« His itaque capitulis in commune tractatis ac definitis, ut nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur

[a] *Primo.* Colligit hinc Whartonus annum hujus synodi fuisse potius 672 quam 673. Sed hoc contra Bedæ ipsius calculum in Recapitulatione chronica, et seriem ipsam indictionum.

[b] *Librum Canonum.* Non puto hunc fuisse librum aliquem peculiarem a Theodoro compositum, sed Collectionem canonum Ecclesiæ in concilio Chalcedonensi approbatam, et a Dionysio Exiguo non diu antea in Latinum sermonem traductam, et in Ecclesiam Occidentalem receptam. Theodorus enim rogato fratrum consensu, non ad novellas aliquas constitutiones a se formatas, sed ad ea quæ a Patribus canonice sunt antiquitus decreta, protulit *eundem librum canonum*, nulla alterius mentione facta et ex *eodem libro decem capitula, quæ per loca notaverat.* Tantum abluit a libro novo canonum componendo, ut antiquos e libro Canones vix excripserit quidem.

[c] *Ipsi.* Mira fuit hic Editorum, ignorantia dicam an oscitantia? qui legerunt episcopi, unde absurdissimam dederunt eruditis controversiam, ac si in hac etiam Ecclesia, sicut in Hiiensi traditur, episcopi abbatibus obedientiam debeant.

[d] *Clofeshoch.* Vulgo *Cliff.*, juxta *Hrofes caestir.* Somnerus tamen in Dictionario suo Saxonico, ad vocem *Abbington*, aliam profert opinionem quæ ob- D servatu non indigna videatur. Notaverat Cambdenus illius loci nomen olim *Skeoresham* fuisse, et ibi sedem regiam positam, ibi cum de arduis regni tractaretur negotiis, concursum populi factum. Inde Somnero visum est vero non absimile, loci nomen mendose scriptum *Sheofesham* pro *Cleofesham*, unumque et eumdem fuisse utriusque nominis loci situm. Et situs quidem loci, plus quam sonus huic opinioni favere videatur, fuit enim non solum in ipso insulæ meditullio, sed in ea provincia qua Aedilbaldus, qui concilio Clofeshoch princeps sedebat, et ad cujus regnum a Cantiano canones aptati sunt, imperium tenuit. Imo habita sunt concilia ejus loci quæ restant, eis temporibus quibus reges Merciorum superius provinciarum dominium exercebant, dum reges Cantiæ in humillimum statum, licet a summa insolentia, redacti sunt. Sed in his nihil ultra conjecturam, et illam certe valde fluctuantem.

Digitized by Google

contentionis scandalum aut alia pro aliis divulgarentur, placuit ut quæque definita sunt unusquisque nostrum manus propriæ subscriptione confirmaret. Quam sententiam definitionis nostræ Titillo [*Al.*, titulo] notario scribendam dictavi. Actum in mense et indictione supra scripta [*Al.*, supra scriptis]. Quisquis igitur contra hanc sententiam, juxta decreta canonum, nostra etiam consensione, ac subscriptione manus nostræ confirmatam, quoquo modo venire eamque infringere tentaverit [*Al.*, tentavit], noverit se ab omni officio sacerdotali et nostra societate separatum. Divina nos gratia in unitate sanctæ suæ Ecclesiæ viventes, custodiat incolumes. »

Facta est autem hæc synodus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo tertio, quo anno rex Cantuariorum Ecgberct mense Julio obierat, succedente in regnum fratre Hlothere, quod ipse annos undecim et menses septem tenuit. [a] Bisi autem episcopus Orientalium Anglorum, qui in præfato synodo fuisse perhibetur, ipse erat successor Bonifacii, cujus supra meminimus, vir multæ sanctitatis et religionis. Nam Bonifacio post decem et septem episcopatus sui annos defuncto, episcopus ipse [*Al. om.*, ipse] pro eo, Theodoro ordinante, factus est. Quo adhuc superstite, sed gravissima infirmitate ab administrando episcopatu prohibito, duo sunt pro illo, Aecci, et Baduvini, electi et consecrati episcopi: ex quo usque hodie provincia illa duos habere solet episcopos.

## CAPUT VI.

*Ut deposito Uynfrido, Saexuulf episcopatum* [Al., *episcopia*] *ejus acceperit, et* [b] *Earconuald Orientalibus Saxonibus sit episcopus datus.*

Non multo post hæc elapso tempore [DCLXXIV], offensus a Uinfrido Merciorum episcopo per meritum [c] cujusdam inobedientiæ Theodorus archiepiscopus, deposuit eum de episcopatu post annos accepti episcopatus non multos; et in loco ejus ordinavit episcopum Sexuulfum, qui erat [d] constructor et abbas monasterii quod dicitur [e] Medeshamstedi, in regione Gyrviorum. Depositus vero Uinfrid rediit ad monasterium suum quod dicitur Ad Baruæ, ibique in optima vitam conversatione finivit.

Tunc etiam Orientalibus Saxonibus, quibus eo tempore præfuerunt Sebbi et Sigheri, quorum supra meminimus, Earconvaldum constituit episcopum in civitate Lundonia: cujus videlicet viri in episcopatu, et ante episcopatum vita et conversatio fertur fuisse sanctissima, sicut etiam nunc cælestium signa virtutum indicio sunt. Etenim usque hodie feretrum ejus caballarium, quo infirmus vehi solebat, servatum a discipulis ejus, multos febricitantes vel alio quolibet incommodo fessos sanare non desistit. Non solum autem subpositi eidem feretro vel adpositi curantur ægroti, sed et astulæ de illo abscissæ atque ad infirmos adlatæ, citam illis solent adferre medelam.

Hic sane priusquam episcopus factus esset, duo præclara monasteria, unum sibi, alterum sorori suæ Aedilbergæ construxerat, quod utrumque regularibus disciplinis optime instituerat. Sibi quidem in regione Sudergeona, juxta fluvium Tamensem, in loco qui vocatur [f] Cerotaesei, id est, Ceroti insula; sorori autem in orientali [*Al.*, Orientalium] Saxonum provincia, in loco qui nuncupatur [g] In Berecingum, in quo ipsa Deo devotarum mater ac nutrix posset existere feminarum. Quæ suscepto monasterii regimine, condignam se in omnibus episcopo fratre, et

[a] *Bisi*. Hic successit Bonifacio an. 670, eique coadjutores dati Aecca ad Domnoc, Beaduini ad Helmham, post concilii celebrationem, an. 673.

[b] *Earconuald* deest Ed. C. I., male.

[c] *Cujusdam inobedientiæ*. Quænam fuit illa Uinfridi inobedientia Beda non dicit. Verum si quis ejusce temporis res gestas ac consilia perpendat, non alia ratione factum inveniet quam quod sedem suam in plures dividendam non concederet. Licet enim Theodorus in concilio de augendo numero episcopatuum ad præsens siluerit, fixum tamen id animo habuisse, tum capitulum nonum de eo propositum, tum Ecclesiæ necessitas satis demonstrant. A Uinfrido igitur refragante vix effugi potuit archiepiscopi censura quin eum sede turbaret, quam in commune detrimentum solus occupare voluit. Factum hoc secundum Florentium an. 675.

[d] *Constructor*. Munificentia scilicet Peadæ, Uulfheri, et Aediltheredi fratrum regum Merciæ, et Kyneburgæ et Kynesuithæ sororum. Fuit autem Sexuulfus Merciorum episcopus ab an. 675 ad an. 691, cum antea abbas fuisset monasterii Medhamsted ab an. 664, quo, secundum Uulferi chartam, fundatum est.

[e] *Medeshamstedi*. Nomen hoc vulgo desumptum a fonte voraginoso in medio Neui fluvii, qui hodie evanuit: sed revera a virentibus pratis quibus fluvius ibi cingitur, et a quibus *Locus habitationis in pratis* dicitur. A monasterio S. Petro dicato, et privilegiis Vaticanis imbuto, burgus S. Petri appellatus est, et in eo sedes episcopalis saluberrimo concilio posita. Ecclesia episcopo digna, post Danorum incendia, et rebellium furorem restat adhuc insigne antiquitatis monumentum. In claustri monasterialis fenestris pingebatur legenda martyrii Uulfhadi et Rufini filiorum R. Uulfheri a patre ipso occisorum, cujus sceleris pœnitentia excitatus monasterium condidit. Narrationem fuse Dugdalius posuit Mon. Angl. II, p. 119. Sed de hoc nihil in Beda.

[f] *Cerotaesei*. Hodie *Chertesey*. Confluxu rivulorum in Thamesim situm habet insularem, sed insula non est. Hoc monasterium Earconualdus per adminiculum Frithuoldi, qui Uulfherio subregulus fuit, opulentia rerum et monachis implevit. Splenduit ibi religio usque ad Danos, qui, ut cætera, locum illum pessumdedere, ecclesia succensa, una cum monachis et abbate. At vero rex Eadgarus illud refecit, veteribus undique chartis conquisitis, quarum testimonio prædia revocaret ad locum, quæ quidam ex magnatibus seu vi, seu vetustatis auctoritate occuparant ad jus suum. W. Malm. Pont. II, p. 134.

[g] *In Berecingum*. Hodie *Berking*. In latere Londoniæ ad octo milliaria situm. Ibi Earconualdi soror Aedilberga habuit cohærentes sibi sanctitatis et potestatis socias Hildelidam proximo loco successorem, ad quam exstat emissus beatissimi Aldhelmi de Virginum Laude Codex, de qua vide infra capite 10. Uulfildam quæ paucis annis Eadgari regis tempora prævenit. Quarum orationibus, locus ille nunquam omnino destructus, etiam tempore Normannorum, ut pleraque alia, numero sanctimonialium et ædium pulchritudine ad supremum evectus. Idem W. Malm. ibidem. Ædilberga autem alia fuit Occ. Sax regina, Inæ uxor, quæ post Hildelitham monasterio Berecingensi præfuit et sanctis adnumerata est.

Digitized by Google

ipsa recte vivendo et subjectis regulariter et pie consulendo præbuit; ut etiam cœlestia indicio fuere miracula.

## CAPUT VII.

*Ut in monasterio Bericinensi, ubi corpora sanctimonialium feminarum poni deberent, cœlesti sit luce monstratum.*

[DCLXXVI] In hoc etenim monasterio plura virtutum sunt signa patrata, quæ et ad memoriam ædificationemque sequentium, ab his qui novere, descripta habentur a multis: e quibus et nos aliqua Historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere curavimus. Cum tempestas sæpe dictæ cladis late cuncta depopulans, etiam partem monasterii hujus illam qua viri tenebantur, invasisset, et passim quotidie raperentur ad Dominum; sollicita mater congregationis, qua hora etiam eam monasterii partem, qua ancillarum Dei caterva a virorum erat secreta contubernio, eadem plaga tangeret, crebrius in conventu sororum perquirere cœpit quo loci [Al., loco] in monasterio corpora sua poni et cimiterium fieri vellent, cum eas eodem quo cæteros exterminio raptari e mundo contingeret. Cumque nihil certi responsi, tametsi sæpius inquirens, a sororibus accepisset, accepit ipsa cum omnibus certissimum supernæ provisionis [Al., promissionis] responsum. Cum enim nocte quadam expletis matutinæ laudis psalmodiis, egressæ de oratorio famulæ Christi, ad sepulcra fratrum, qui eas ex hac luce præcesserant, solitas Domino laudes decantarent, ecce subito lux emissa cœlitus veluti linteum magnum venit super omnes, tantoque eas stupore perculit, ut etiam canticum quod canebant tremefactæ intermitterent. Ipse autem splendor emissæ lucis, in cujus comparatione sol meridianus videri posset obscurus, non multo post illo elevatus de loco, in meridianam monasterii partem, hoc est, ad occidentem oratorii secessit, ibique aliquandiu remoratus et ea loca operiens, sic videntibus cunctis ad cœli se alta subduxit; ut nulli esset dubium, quin ipsa lux quæ animas famularum Christi esset ductura vel susceptura in cœlis, etiam corporibus earum locum in quo requietura, et diem resurrectionis essent exspectatura, monstraret. Cujus radius lucis tantus exstitit [Al. erat], ut quidam de fratribus senior qui [Al. add. in] ipsa hora in oratorio eorum cum alio juniore positus fuerat, referret mane, quod [Al., quod mane] ingressi per rimas ostiorum vel fenestrarum radii lucis, omnem diurni luminis viderentur superare fulgorem.

## CAPUT VIII.

*Ut in eodem monasterio puerulus moriens, virginem quæ se erat secutura, clamaverit* [Al., *vocaverit*]; *utque alia de corpore egressura, jam particulam futuræ lucis aspexerit.*

[DCLXXVI] Erat in eodem monasterio puer trium circiter, non amplius, annorum, Aesica nomine, qui propter infantilem adhuc ætatem in virginum Deo dedicatarum solebat cella nutriri, ibique meditari. Hic præfata pestilentia tactus, ubi ad extrema per- A venit, clamavit tertio [Al., ter] unam de consecratis Christo virginibus, proprio eam nomine quasi præsentem alloquens, Eadgyd, Eadgyd, Eadgyd; et sic terminans temporalem vitam, intravit æternam. At virgo illa quam moriens vocabat, mox in loco quo erat, eadem adtacta infirmitate, ipso quo vocata [Al., vocitata] est die de hac luce subtracta, et illum qui se vocavit ad regnum cæleste secuta est.

Item quædam ex eisdem ancillis Dei cum præfato tacta morbo, atque ad extrema esset perducta, cœpit subito circa mediam noctem clamare his quæ [Al., qui] sibi ministrabant, petens ut lucernam quæ inibi accensa erat, extinguerent: quod cum frequenti [Al., sequenti] voce repeteret, nec tamen ei aliquis obtemperaret, ad extremum intulit: « Scio B quod me hæc insana mente loqui arbitramini: sed jam nunc non ita esse cognoscite: nam vere dico vobis, quod domum hanc tanta luce impletam esse perspicio, ut vestra illa lucerna mihi omnimodis esse videatur obscura. » Et cum ne adhuc quidem talia loquenti quisquam responderet, vel adsensum præberet, iterum dixit: « Accendite ergo lucernam illam, quamdiu vultis; attamen scitote quia non est mea: nam mea lux [Al., mea lux: nam], incipiente aurora, mihi adventura est. » Cœpitque narrare qui apparuerit sibi quidam vir Dei [Al. om. Dei] qui eodem anno fuerat defunctus, dicens quod adveniente diluculo perennem esset exitura ad lucem. Cujus veritas visionis cita [Al., ita] circa exortum diei C puellæ morte probata est.

## CAPUT IX.

*Quæ sint ostensa cœlitus signa cum et ipsa mater congregationis illius e mundo transiret.*

Cum autem et ipsa mater pia Deo devotæ congregationis Aedilburga esset rapienda de mundo, apparuit visio miranda cuidam de sororibus, cui nomen erat Torctgyd, quæ multis jam annis in eodem monasterio commorata, et ipsa semper in omni humilitate ac sinceritate Deo servire satagebat, et adjutrix disciplinæ regularis eidem matri existere, minores docendo vel castigando curabat. Cujus ut virtus juxta Apostolum in infirmitate perficeretur, tacta est repente gravissimo corporis morbo, et per annos novem pia Redemptoris nostri provisione multum fatigata: D videlicet ut quicquid in ea vitii sordidantis inter virtutes per ignorantiam vel incuriam resedisset, totum hoc caminus diutinæ tribulationis excoqueret. Hæc ergo [Al., autem] quadam nocte incipiente crepusculo, egressa de cubiculo quo manebat, vidit manifeste quasi corpus hominis, quod esset sole clarius, sindone involutum in sublime ferri, elatum videlicet de domo in qua sorores pausare solebant. Cumque diligentius intueretur quo trahente levaretur sursum hæc quam contemplabatur species corporis gloriosi, vidit quod quasi funibus auro clarioribus in superna tolleretur, donec cœlis patentibus introducta, amplius ab illa videri non potuit. Nec dubium remansit cogitanti de visione, quin aliquis de illa congregatione citius esset moriturus, cujus anima per bona quæ

Digitized by Google

fecisset opera, quasi per funes aureos levanda esset ad cælos : quod revera ita contigit. Nam non multis interpositis diebus, Deo dilecta mater congregationis ipsius, ergastulo carnis educta est; cujus talem fuisse constat vitam, ut nemo qui eam noverit, dubitare debeat quin ei exeunti de hac vita cœlestis patriæ patuerit ingressus.

In eodem quoque monasterio quædam erat femina sanctimonialis, et ad sæculi hujus dignitatem nobilis et in amore futuri sæculi nobilior : quæ ita multis jam annis omni corporis fuerat officio destituta, ut ne unum quidem movere ipsa membrum valeret. Hæc ubi corpus abbatissæ venerabilis in ecclesiam delatum, donec sepulturæ daretur, cognovit, postulavit se illo afferri, et in modum orantium ad illud acclinari. Quod dum fieret, quasi viventem allocuta, rogavit, ut apud misericordiam pii conditoris impetraret se a tantis tamque diutinis cruciatibus absolvi. Nec multo tardius exaudita est : nam post dies duodecim, et ipsa educta ex carne, temporales afflictiones [*Al.*, temporalem afflictionem] æterna mercede mutavit.

Cum vero præfata Christi famula Torctgyd tres adhuc annos post obitum dominæ in hac vita teneretur, in tantum ea quam prædiximus infirmitate decocta est, ut vix ossibus hæreret, et ad ultimum, cum tempus jam resolutionis ejus instaret, non solum membrorum cæterorum, sed et linguæ motu caruit. Quod dum tribus diebus et totidem noctibus ageretur, subito visione spiritali recreata, os et oculos aperuit; aspectansque [*Al.*, aspiciensque] in cælum, sic ad eam quam intuebatur visionem, cœpit loqui : « Gratus mihi est multum adventus tuus, et bene venisti. » Et hoc dicto, parumper reticuit, quasi responsum ejus quem videbat, et cui loquebatur, exspectans. Rursumque quasi leviter indignata subjunxit : « Nequaquam hoc læta ferre queo. » Rursumque modicum silens, tertio dixit : « Si nullatenus hodie fieri potest, obsecro ne sit longum spatium in medio [*Al.* medio et]. » Dixit; et sicut antea, parum silens, ita sermonem conclusit : « Si omnimodis ita definitum est, neque hanc sententiam licet immutari, obsecro ne amplius quam hæc solummodo proxima nox intersit. » Quibus dictis, interrogata a circumsedentibus, cum quo loqueretur : « Cum carissima, inquit, mea matre Aedilberge. » Ex quo intellexere quod ipsa ei tempus suæ transmigrationis in proximum nunciare venisset. Nam et ita ut rogabat, transacta una die ac nocte, soluta carnis simul et infirmitatis vinculis, ad æternæ gaudia salutis intravit.

## CAPUT X.

*Ut ad cymiterium ejusdem monasterii orans cæca lumen* [Al, *lucem*] *receperit.*

Successit autem Aedilburgi in officio abbatissæ devota Deo famula, nomine Hildilid, multisque annis, id est, usque ad ultimam senectutem eidem
A monasterio strenuissime, in observantia disciplinæ regularis, et in earum quæ ad communes usus pertinent rerum providentia præfuit. Cui cum propter angustiam loci in quo monasterium constructum est, placuisset ut ossa famulorum famularumque Christi quæ ibidem fuerant tumulata, tollerentur, et transferrentur omnia in ecclesiam beatæ Dei Genitricis, unoque conderentur in loco : quoties ibi claritas luminis cœlestis, quanta sæpe fragrantia mirandi apparuerit odoris, quæ alia sint signa ostensa, in ipso libro de quo hæc excerpsimus, quisque legerit, inveniet.

Sane nullatenus prætereundum arbitror miraculum sanitatis, quod ad ipsum cymiterium Deo dicatæ congregationis factum idem libellus refert. Erat quippe
B in proximo comes quidam, cujus uxor ingruente oculis caligine subita, tantum per dies eadem molestia crebrescente gravata est, ut ne minimam quidem lucis alicujus posset particulam videre. Cui dum aliquandiu cæcitatis hujus nocte clausa maneret, repente venit in mentem, quia si ad monasterium [*Al. add.* esset] delata virginum sanctimonialium, ad reliquias sanctorum peteret, perditam posset recipere [*Al.*, accipere] lucem. Nec distulit quin continuo, quod mente conceperat, expleret. Perducta namque a puellis suis ad [*Al.*, in] monasterium, quia in proximo erat, ubi fidem suæ sanationis integram se habere professa est, introducta est ad [*Al.*, in] cymiterium : et cum ibidem diutius flexis genibus oraret, nihilo tardius meruit exaudiri. Nam exurgens
C ab oratione, priusquam exiret de loco, petitæ lucis gratiam recepit : et quæ famularum manibus adducta fuerat, ipsa libero pedum incessu domum læta reversa est; quasi ad hoc solummodo lucem amitteret temporalem, ut quanta sanctos Christi lux in cœlis, quæ gratia virtutis possideret, sua sanatione demonstraret.

## CAPUT XI.

*Ut rex ejusdem provinciæ Sebbi, in monachica vitam conversatione finierit.*

Eo tempore [DCXCIV] præerat regno Orientalium Saxonum, ut idem etiam libellus docet, vir multum Deo devotus, nomine Sebbi, cujus [a] supra meminimus. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, piis eleemosynarum fructibus plurimum intentus;
D vitam privatam et monachicam cunctis regni divitiis et honoribus præferens, quam et olim jam, si non obstinatus conjugis animus divortium negaret, relicto regno subiisset. Unde [*Al. add.* et] multis visum et [*Al.*, ut] sæpe dictum est, quia talis animi virum, episcopum magis quam regem ordinari deceret. Cumque annos triginta in regno miles regni [*Al. om.* regni] cœlestis exegisset, correptus est corporis infirmitate permaxima, qua et mortuus est : ammonuitque conjugem, ut vel tunc divino se servitio pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo servire non possent. Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad antistitem Lundoniæ

[a] *Supra.* Vide III, 30.

Digitized by Google

civitatis, vocabulo [a] Ualdheri, qui Erconualdo successerat; et per ejus benedictionem, habitum religionis quem diu desiderabat [*Al.*, desiderarat], accepit. Attulit autem eidem et summam pecuniæ non parvam, pauperibus erogandam, nil [*Al.*, nihil] omnimodis sibi reservans; sed pauper spiritu magis propter regnum cælorum manere desiderans.

Qui cum ingravescente præfata ægritudine, diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit homo animi regalis, ne ad mortem veniens tanto adfectus dolore, aliquid indignum suæ personæ, vel ore proferret vel aliorum motu gereret membrorum. Unde accito ad se præfato urbis Lundoniæ in qua tunc ipse manebat, episcopo, rogavit ne plures eo moriente quam ipse episcopus et duo sui ministri adessent. Quod dum [*Al.*, cum] episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post idem vir Dei, dum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ sollicitudinis auferret, insuper et qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet. Vidit enim, ut post ipse referebat, tres ad se venisse viros claro indutos habitu; quorum unus residens ante lectulum ejus, stantibus his qui secum advenerant [*Al.*, advenerunt] comitibus, et interrogantibus de statu ejus quem languentem visitare venerant [*Al.*, venerunt], dixit quod anima ejus, et sine ullo dolore, et cum magno lucis splendore esset egressura de corpore: sed et tertium exinde diem quo esset moriturus insinuavit. Quod ita utrumque ut ex visione didicit completum est. Nam die dehinc tertio completa hora nona, subito quasi leviter obdormiens, sine ullo sensu doloris emisit spiritum.

Cujus corpori tumulando præparaverant sarcofagum lapideum: sed cum huic corpus imponere cœpissent, invenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcofago. Dolantes ergo lapidem in quantum valebant, addiderunt longitudini sarcofagi quasi duorum mensuram digitorum. Sed nec sic quidem corpus capiebat. Unde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut aliud [*Al.*, alium] quærere loculum, aut ipsum corpus, si possent, in genibus inflectendo breviare, donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, et non nisi cælitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit. Nam subito adstante episcopo, et filio regis

A ejusdem ac monachi [*Al.*, monacho] Sighardo, qui post illum cum fratre Suefredo regnavit, et turba hominum non modica, inventum est sarcofagum illud congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeo ut a parte capitis etiam cervical posset interponi; a parte vero pedum, mensura quatuor digitorum in sarcofago corpus excederet. Conditus est autem in ecclesia beati [b] doctoris gentium, cujus edoctus monitis cælestia sperare didicerat.

## CAPUT XII.

*Ut episcopatum Occidentalium Saxonum pro Leutherio Haeddi, episcopatum Hrofensis Ecclesiæ pro Putta Cuichelm, et pro ipso Gefmund acceperit: et qui tunc Nordanhymbrorum fuerint episcopi.*

[c] Quartus Occidentalium Saxonum antistes Leutherius fuit. B Siquidem primus Birinus, secundus Agilberctus, tertius exstitit Uini. Cumque mortuus esset Coinvalch, quo regnante idem Leutherius episcopus factus est, acceperunt [d] subreguli regnum gentis, et divisum inter se tenuerunt annis circiter decem: ipsisque regnantibus defunctus est ille, et episcopatu functus est Haeddi pro eo: consecratus [*Al. add.* est] a Theodoro in civitate Lundonia. Cujus episcopatus tempore devictis atque amotis subregulis, Caedualla suscepit imperium: et cum duobus annis hoc tenuisset, tandem superni regni amore compunctus reliquit, eodem adhuc præsule Ecclesiam gubernante; ac Romam abiens, ibi vitam finivit, ut in sequentibus latius dicendum est.

Anno autem Dominicæ incarnationis sexcentesimo C septuagesimo [e] sexto, cum Aedilred rex Merciorum, adducto maligno exercitu, Cantiam vastaret, et ecclesias ac monasteria sine respectu pietatis [*Al.*, amoris] vel divini timoris fœdaret, civitatem quoque Hrosi, in qua erat Putta episcopus, quamvis eo tempore absens, communi clade absumpsit. Quod ille ubi comperit, ecclesiam videlicet suam rebus ablatis omnibus depopulatam, divertit ad Sexuulfum Merciorum antistitem, et accepta ab eo possessione ecclesiæ cujusdam et agelli non grandis, ibidem in pace vitam finivit, nil omnino de restaurando episcopatu suo agens: quia sicut supra diximus, magis in ecclesiasticis quam in mundanis rebus erat industrius; sed in illa solum ecclesia Deo serviens, ubicumque rogabatur, ad docenda Ecclesiæ [*Al.*, ecclesiastica] D

[a] *Ualdheri.* Annus obitus Earconualdi incertus, clarum tamen est fuisse ante regem Saebbae Recessum, tempore scilicet Ualdheri, qui successisse videtur an. 694, licet Savilius in Fastis ponat an. 697, etiam postquam fixisset Recessum Saebbae an. 694, quod impossibile est. Earconualdi corpus frustra renitentibus Berecingo et Cherteseia, in ecclesia sua S. Pauli sepultum, reliquiæ ejus in scrinium elevatæ, et cultui solemniter positæ an. 1148. M. West. Earconualdi dies obitus in Martyrologio consignatur ad 30 Aprilis, translationis ad 14 Novembris.

[b] *Doctoris gentium.* Sepulcrum regis Sebbae ibi visum fuisse traditur usque ad magnam ecclesiæ conflagrationem an. 16 6.

[c] *Quartus.* Tempora epp. Occ. Sax. usque ad Leutherium an. 670, vide III, 7. Illi successit hic Haeddi an. 676.

[d] *Subreguli.* Coinvalch sine prole exstincto circa an. 674, successit in provinciæ administratione uxor Sexburga per unum annum, nec cessit imperio, ut W. Malm. ait, nisi *vita destituente*; M. Westm. vero scribit, *Indignantibus regni magnatibus* et nolentibus sub sexu femineo militare, a regno expulsam. Atque huic quidem notioni favet regni in subregulos distributio. Notandum tamen quod eodem tempore quo illi regnasse perhibentur, regum nomina Aescuini et Kentuini annales ad Caeduallam implent, dum nullius e subregulis mentio facta est. Alia autem Occ. Sax. regina fuit regis Earconbercti uxor III, 8, IV, 19.

[e] *Sexto.* Fefellit hic Baronium Editio Opp. Bedæ Coloniensis, qui loco Sexti Septimum legit, contra mss. et Editiones meliores. Causam invasionis reddunt scriptores insolentem quandam Hlotarii regis Cantiæ responsionem; qua autem de re fuerit non traditur.

Digitized by Google

carmina divertens. Pro quo Theodorus in civitate Hrofi Cuichelmum consecravit episcopum. Sed illo post non multum temporis, præ inopia rerum, ab episcopatu decedente, atque ad alia loca secedente, Gebmundum pro eo substituit antistitem.

Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo[a] octavo, qui est annus imperii regis Ecgfridi octavus, apparuit mense Augusto stella quæ dicitur cometa; et tribus mensibus permanens, matutinis horis oriebatur, excelsam radiantis flammæ quasi columnam præferens. Quo etiam anno orta inter ipsum regem Ecgfridum, et reverentissimum antistitem Uilfridum dissensione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus, et duo in locum ejus substituti episcopi, qui Nordanhymbrorum genti præessent: Bosa videlicet, qui Deirorum, et Eata, qui Berniciorum provinciam gubernaret: hic in civitate Eburaci, ille in Hagustaldensi, sive in Lindisfarnensi Ecclesia cathedram habens episcopalem, ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum adsciti. Cum quibus et Eadhaed in provincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Ecgfrid, superato in bello et fugato Uulfhere, obtinuerat, ordinatur episcopus. Et hunc primum eadem provincia proprium accepit præsulem, secundum Aediluini, tertium Eadgarum, quartum Cyniberctum, quem in præsenti habet. Habebat enim ante Eadhaedum, antistitem Sexuulfum, qui etiam Merciorum et Mediterraneorum Anglorum simul episcopus fuit: unde et expulsus de Lindissi, in illarum provinciarum regimine permansit. Ordinati sunt autem [b] Eadhaed, Bosa, et Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro: qui etiam post tres abscessionis Uilfridi annos, horum numero duos addidit antistites [DCLXXXI], Tunberctum ad Ecclesiam Hagustaldensem, remanente Eata ad Lindisfarnensem, et Trumuini ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta. Eadhaedum de Lindissi reversum, eo quod Aedilred provinciam recepisset, Hrypensi Ecclesiæ præfecit.

## CAPUT XIII.

*Ut Uilfrid episcopus provinciam Australium Saxonum ad Christum converteris.*

Pulsus est autem ab episcopatu suo Uilfrid, et multa diu loca pervagatus, Romam adiit, Brittaniam rediit; [c] et si propter [d] inimicitias memorati regis in patria [*Al.*, patriam] sive parochia sua recipi non potuit, non tamen ab evangelizandi potuit ministerio cohiberi: siquidem divertens ad provinciam Australium Saxonum, quæ post Cantuarios ad austrum et ad occidentem usque ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum septem millium, et eo adhuc tempore paganis cultibus serviebat; huic verbum fidei et lavacrum salutis ministrabat [DCLXXVIII]. Erat autem rex gentis ipsius [*Al.*, illius] Aedilualch, non multo ante baptizatus in provincia Merciorum, præsente ac suggerente rege Uulfhere, a quo etiam egressus de fonte, loco filii susceptus est: in cujus signum adoptionis, duas illi provincias donavit, Vectam videlicet insulam, et [e] Meanvarorum provinciam in gente Occidentalium Saxonum. Itaque episcopus, concedente, imo multum gaudente rege, primos provinciæ duces ac milites sacrosancto fonte abluebat, verum presbyteri Eappa, et Padda, et Burghelm, et Oiddi [*Al.*, Burghelin, Oiddia], cæteram plebem, vel tunc, vel tempore sequente baptizabant. Porro regina nomine Eabae [*Al.*, Eahae] in sua, id est, Huicciorum provincia, fuerat baptizata. Erat autem filia Eanfridi, fratris Eanheri, qui ambo cum suo populo Christiani fuere. Cæterum tota provincia Australium Saxonum divini nominis et fidei erat ignara.

Erat autem ibi monachus quidam de natione Scottorum, vocabulo Dicul, habens monasteriolum [*Al.*, monasterium] permodicum in loco qui vocatur [f] Bosanhamm, silvis et mari circumdatum, et in eo fratres quinque sive sex, in humili et paupere vita Domino famulantes. Sed provincialium nullus eorum vel vitam æmulari, vel prædicationem curabat audire.

Evangelizans autem genti episcopus Uilfrid, non solum eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verum et a clade infanda [*Al.*, nefanda] temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis ante adventum ejus in provinciam, nulla illis in locis pluvia ceciderat, unde et fames acerbissima plebem invadens impia nece prostravit. Denique ferunt [*Al.*, fertur] quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inedia macerati procederent ad præcipitium ali-

[a] *Octavo*. Antiquus scribendi modus lectores minus exercitatos in errorem induxit, ut septimum nonumque pro octavo legerint.

[b] *Eadhaed*. Hic cum reliquis episcopis Lindisfarorum proprie dictis, sedem habuit in Sidnacestria prope Gainsbrough, per novem successiones usque ad Brihtredum. De Eadhaedo vide supra III, 28.

[c] *Et si propter*, etc. In Ed.: *Quæ tamen illo abeunte propter acerbam hostium oppressionem proprium episcopum habere nequiverit.*

[d] *Inimicitias*. Harum causa assignatur præjudiciis ab Ermenburga contra Uilfridum conceptis. Aedilthryde prima Ecgfridi regis uxore quæ Uilfrido patrocinium præbuit in monasterium secedente, Ermenburga quæ in thoro regis successit summum hunc illi favorem in odium et invidiam vertit. Hoc certe volunt ejus historiæ scriptores an recte vide append. n. 18.

[e] *Meanvarorum*. Permanet adhuc hujus provinciæ memoria in comitatu Hantensi, centuriis *Meansbrough*, *Eastmean*, *Westmean*, et *Meansbridge*.

[f] *Bosenham et Selaesex*. Ex his monasteriis quæ adhuc situm suum et nomen retinent, surrexit Cissancaestir, hodie *Chichester*, cum sedes episcopales ab ignobilibus et incommodioribus locis ad urbes transferrentur. Ecclesia paulo post condita a Radulpho episcopo, et post subitam conflagrationem ab eodem recondita cum auxilio et munificentia Henrici primi regis, pulchram spectantibus faciem exhibet. Nomen loci a Cissa Aellae filio qui primus ibi Saxonum regnum fundavit, regulis etymologicis non male convenit, sed si verum est quod antiquarii volunt, Brittones ibi positam habuisse suam Caerscei, actum erit de Cissa, altiorque apparebit Cicestriæ origo.

Digitized by Google

quod sive ripam maris, et junctis misere manibus, pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi deciderent. Verum ipso die, quo baptisma fidei gens suscepit illa [*Al. add.* illo], descendit pluvia serena sed [*Al.*, et] copiosa, refloruit terra, rediit [*Al.*, rediitque] viridantibus arvis annus lætus et frugifer. Sicque abjecta prisca superstitione, exsufflata idolatria, cor omnium et caro omnium exsultaverunt in Deum vivum: intelligentes, eum qui verus est Deus, et interioribus se bonis, et exterioribus cœlesti gratia ditasse. Nam et antistes cum venisset in provinciam, tantamque ibi famis pœnam videret, docuit eos piscando victum quærere. Namque mare et flumina eorum piscibus abundabant; sed piscandi peritia genti nulla nisi ad anguillas tantum inerat. Collectis ergo undecumque retibus anguillaribus, homines antistitis miserunt in mare, et divina se juvante gratia mox cepere pisces diversi generis trecentos: quibus trifariam divisis, centum pauperibus dederunt, centum his a quibus retia acceperant, centum in suos usus habebant. Quo beneficio multum antistes cor omnium in suum convertit amorem, et libentius eo prædicante cœlestia sperare cœperunt, cujus ministerio temporalia bona sumpserunt.

Quo tempore rex Aedilualch donavit reverentissimo antistiti Uilfrido terram octoginta septem familiarum, ubi suos homines qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo Selaeseu [*Al.*, Ileleseu], quod dicitur Latine *Insula vituli marini*. Est enim locus ille undique mari circumdatus præter ab occidente, unde habet ingressum amplitudinis quasi jactus fundæ: qualis locus a Latinis peninsula, a Græcis solet chersonesos vocari. Hunc ergo locum cum accepisset episcopus Uilfrid, fundavit ibi monasterium, ac regulari vita instituit, maxime ex his quos secum adduxerat fratribus: quod usque hodie successores ejus tenere noscuntur. Nam ipse illis in partibus annos quinque, id est, usque ad mortem Ecgfridi regis, merito omnibus honorabilis, officium episcopatus et verbo exercebat et opere. Et quoniam illi rex cum præfata [*Al.*, præfati] loci possessione, omnes qui [*Al.* quæ] ibidem erant, facultates cum agris et hominibus donavit, omnes fide Christi institutos, unda baptismatis abluit; inter quos, servos et ancillas ducentos quinquaginta: quos omnes ut [*Al.*, non solum] baptizando a servitute dæmonica salvavit, [*Al. add.* sed] etiam libertate donando humanæ jugo servitutis absolvit.

## [a] CAPUT XIV.

*Ut intercessione Osualdi regis, pestifera mortalitas sit sublata.*

In quo tunc monasterio nonnulla cœlestis gratiæ
A dona specialiter [*Al.*, spiritualiter] ostensa fuisse perhibentur [*Al.*, perhibent]; utpote ubi nuper expulsa diaboli tyrannide Christus jam regnare cœperat: e quibus unum quod mihi reverentissimus [*Al.*, reverendissimus ac religiosissimus] antistes Acca sæpius referre, et a fidelissimis ejusdem monasterii fratribus sibi relatum asserere solebat, memoriæ mandare commodum duximus. Eodem ferme tempore quo ipsa provincia nomen Christi susceperat, multas Brittaniæ provincias mortalitas sæva corripiebat, quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo religiosissimus Christi sacerdos, vocabulo Eappa, præfuit, nutu divinæ dispensationis attingeret; multique sive de his qui cum antistite illo venerant, sive de illis qui de eadem provincia Saxonum nuper ad
B fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur; visum est fratribus triduanum jejunium agere, et divinam suppliciter [*Al.*, jugiter] obsecrare clementiam, ut misericordiam sibi dignaretur impendere, et [*Al. om.* et] sive periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos e mundo a perpetua animæ damnatione servaret.

Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus [*Al.*, parvulus] quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo jacebat. Cum ergo secunda memorati jejunii ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum, hora ferme secunda diei, in loco in quo æger jacebat, solum in-
C veniri: cui divina dispositione [*Al.*, dispensatione] subito beatissimi apostolorum principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque devotione sacramenta fidei quæ susceperat servans. Salutantes ergo illum verbis piissimis apostoli dicebant: « Noli timere, fili, mortem pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad cœlestia sumus regna perducturi. Sed primum exspectare habes donec missæ celebrentur, ac viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul et morte absolutus ad æterna in cœlis gaudia subleveris. Clama ergo ad te presbyterum Eappan, et dicito illi quia Dominus exaudivit preces vestras, et devotionem ac jejunia propitius aspexit: neque aliquis de hoc monasterio, sive [*Al. add.* de]
D adjacentibus ei possessiunculis hac clade ultra moriturus est; sed omnes qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi a languore, pristina sunt sospitate [*Al.*, pristinam sospitatem] recuperandi, præter te solum qui hodierna es die liberandus a morte, et ad visionem Domini Christi cui fideliter servisti, perducendus in cœlum: quod divina vobis misericordia per intercessionem religiosi ac Deo

[a] CAPUT XIV. Magna hic est differentia mss. in numerandis capitulis. Nec hic titulus nec proxime sequens est in indice capitulorum Codicis Mori, etiamsi caput 14 sit in ipso Codice, quod et de Codice Cottoniano II notandum est, sed in Codice Cottoniano I deest hoc caput 14 de Osualdo, et notatur in margine manu valde antiqua: *Hic deest folium*. Exinde etiam sequiores mss. vel argumenta capitum 14 et 15, vel caput ipsum 14 omittunt, prout ab hoc vel illo veteri Codice transcripti fuerint. Sed cum argumenta et dispositio capitum bene conveniant subjecto in vulgaribus mss., unusque e veteribus mss. folium deesse fateatur, et recepti ordinis mutatio confusionem aliquam lectoribus pariat, ego in antiquorum Codicum dissonantia vulgarem dispositionem secutus sum.

Digitized by Google

dilecti regis Osualdi, qui quondam genti Nordanhymbrorum et regni temporalis auctoritate et Christianæ pietatis quæ ad regnum perenne ducit devotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter exstinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia adsumptus in cælum et electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus in quibus defunctorum est adnotata depositio, et invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de sæculo. Celebrent ergo missas per cuncta monasterii oratoria hujus, sive pro [*Al.*, per] gratiarum actione [*Al.*, actionem] exauditæ suæ deprecationis, sive etiam in memoriam præfati regis Osualdi, qui quondam ipsorum genti præerat. Ideoque pro eis quasi pro suæ gentis advenis supplex orabat ad Dominum: et cunctis convenientibus ad ecclesiam fratribus communicent omnes sacrificiis cælestibus, et ita soluto jejunio corpus quoque suis reficiant alimentis. »

Quæ cum omnia vocato ad se presbytero puer verba narrasset, interrogavit eum sollicitus quales essent habitu vel specie viri qui sibi apparuissent. Respondit: « Præclari omnino habitus et vultus erant, lætissimi ac pulcherrimi, quales nunquam ante videram, neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Unus quidem attonsus erat ut clericus, alius barbam habebat prolixam: dicebantque quod unus eorum Petrus, alius vocaretur Paulus: et ipsi essent ministri Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad tuitionem nostri monasterii missi ab ipso de cælis. » Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisivit [*Al.*, quæsivit] in annali suo, et invenit eadem ipsa die Osualdum regem fuisse peremptum: vocatisque fratribus, parari prandium, missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit: simul et infirmanti puero, de eodem sacrificio dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.

Quibus ita gestis, non multo post, eadem ipsa die puer defunctus est, suaque morte probavit vera fuisse verba quæ ab apostolis Christi audierat. Sed et hoc ejus verbis testimonium perhibuit, quod nemo præter ipsum tempore illo ex eodem est monasterio raptus de mundo; ex qua nimirum visione multi qui hæc audire potuerunt, ad exorandam in adversis divinam clementiam, et ad salutaria jejuniorum remedia subeunda sunt mirabiliter accensi: et [a] ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed et in plerisque locis aliis, cœpit annuatim ejusdem regis ac militis Christi natalitius dies missarum celebratione venerari.

## [b] CAPUT XV.

*Ut Caedualla rex, interfecto rege Geuissorum Aedilualch, provinciam illam sæva cæde ac depopulatione attriverit.*

Interea superveniens cum exercitu Caedualla, juvenis strenuissimus [c] de regio genere Geuissorum, cum exularet a patria sua, interfecit regem Aedilualch, ac provinciam illam sæva cæde ac depopulatione attrivit [DCLXXXV]; sed mox expulsus est a [d] ducibus regis, Berchtuno et [e] Andhuno, qui deinceps regnum provinciæ tenuerunt: quorum prior, postea ab eodem Caedualla, cum esset rex Geuissorum, occisus est, et provincia graviore [*Al. add.* est] servitio subacta [DCLXXXVI]. Sed et Ini qui [*Al.*, is qui] post Caeduallam regnavit, simili provinciam illam adflictione plurimo annorum tempore mancipavit. Quare factum est ut toto illo tempore episcopum proprium habere nequiret [*Al.*, nequiverit]; sed revocato domum Uilfrido primo suo antistite, ipsi episcopo Geuissorum, id est, Occidentalium Saxonum qui essent [f] in Venta civitate, subjacerent.

## [g] CAPUT XVI.

*Ut Vecta insula Christianos incolas susceperit, cujus regii duo pueri statim post acceptum baptisma sint interempti.*

Postquam ergo Caedualla regno potitus est Geuissorum [DCLXXXVI], cepit et insulam Vectam, quæ eatenus [*Al.*, hactenus] erat tota idolatriæ dedita; tragica [*Al.*, stragica] cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ provinciæ homines pro his substituere contendit, voto se obligans, quamvis necdum [*Al.*, nondum] regeneratus, ut ferunt [*Al.*, ut fertur], in Christo, quia si cepisset insulam, quartam partem ejus,

[a] *Ex eo tempore.* Non prorsus immerito docti viri, observantes hoc caput deesse in multis etiam veteribus mss., ejusque scopum in sancti Osualdi cultum adeo prone collimare, adsutum igitur Bedæ judicarunt. Sed cum caput ipsum sit in Codicibus Mori et Cotton. II, et Cottonianus alter folium sibi deesse prædicet, addito quod hujus generis narrationes Bedæ non sint absimiles, non operæ pretium duxi severam nimis hic exercere censuram. Certum est multam populi devotionem ad S. Osualdum directam, sicut hymni solemnes in ejus festa compositi adhuc testantur. Vide append. n. 19.

[b] CAPUT XV. De positione hujus capitis in antiquis mss. vide notam ad caput superius.

[c] *De Regio genere.* Fuit hic Caedualla Cynberctl filius, Ceaddæ nepos, Cuthæ sive Cuthuini pronepos, Ceaulini magni abnepos. Tres enim filios habuit Cuthuinus, Ceaddam Caeduallæ avum, Cutham Inæ proavum, et Cynibaldum Osualdi Clitonis avum.

[d] *Ducibus.* Cantio cum veterano exercitu redeuntibus.

[e] *Andhuno.* Florentius *Aedilhunum* vocat.

[f] *In Venta.* Ibi tunc temporis fuit Haedda episcopus. De quo Theodorus in suis Decretis: « Nolumus, imo nobis non convenit, ipso fratre nostro sanctissimo Haedda superstite, qui Ecclesiam Uentanam tam insigniter nobilitavit, auctoritate summi pontificis Agathonis transferendo corpus beatissimi Birini Occidentalium Saxonum apostoli a Villa Dorcacaestrensi ubi reconditum erat, una cum sede in Uentanam civitatem, cujus etiam labore ac studio, apostolicoque mandato, ex tunc primo confirmata est in ipsa civitate sedes episcopalis dignitatis, Parochiam suam in aliquo lædere diminuendo. » De Caedualla vide plura IV, 12, et V, 7. SMITH. *In Venta.* Sic Trev. Cod. cum edit. Anglosaxonica, pro eo quod habent cæteri vulgati omnes, *inventi in civitate.* CHIFFL.

[g] CAPUT XVI. In indice capitum Codicis Mori hic est titulus capitis 14, licet in ipso Codice præponantur duo superiora capita sub numero 14, et hoc caput de Vecta sit tantum continuatio numeri 14. Quod et de Codice itidem Cottoniano II notandum est. Vide supra ad caput 14.

Digitized by Google

simul et prædæ, Domino daret. Quod ita solvit, ut hanc Uilfrido episcopo, qui tunc forte de gente sua superveniens aderat, utendam pro Domino offerret. Est autem mensura ejusdem insulæ, juxta æstimationem Anglorum, mille ducentarum familiarum. Unde data est episcopo possessio terræ trecentarum familiarum. At ipse partem quam accepit, commendavit cuidam de clericis suis, cui nomen Bernuini, et erat filius sororis ejus, dans illi presbyterum nomine Hiddila, qui omnibus qui salvari vellent, verbum ac lavacrum vitæ ministraret.

Ubi silentio prætereundum non esse reor, quod in primitias [*Al.*, primitia] eorum qui de eadem insula credendo salvati sunt, duo regii pueri, fratres videlicet Arualdi regis insulæ, speciali sunt Dei gratia coronati: siquidem imminentibus insulæ hostibus, fuga lapsi sunt de insula, et in proximam Jutorum [*Al.*, Vitorum] provinciam translati: ubi cum delati essent in locum qui vocatur [a] *Ad lapidem*, occulendos se a facie regis victoris credidissent, proditi sunt, atque occidi jussi. Quod cum audisset abbas quidam et presbyter, vocabulo Cyniberct, habens non longe ab inde monasterium in loco qui vocatur [b] Hreutford, id est, *Vadum harundinis*, venit ad regem, qui tunc eisdem [*Al.* iisdem] in partibus occultus curabatur a vulneribus quæ ei inflicta fuerant præliante in insula Vecta: postulavitque ab eo, ut si necesse esset pueros interfici, prius eos liceret fidei Christianæ sacramentis imbui. Concessit rex, et ipse instructos verbo veritatis, ac fonte salvatoris [*Al.*, salutari] ablutos, de ingressu regni æterni certos reddidit. Moxque illi, instante carnifice, mortem læti subiere temporalem per quam se ad vitam animæ perpetuam non dubitabant esse transituros. Hoc ergo ordine, postquam omnes Brittaniarum provinciæ fidem Christi susceperant, suscepit et insula Vecta, in qua tamen ob ærumnam æternæ subjectionis, nemo gradum ministerii ac sedis episcopalis ante Danihelem, qui nunc Occidentalium Saxonum [*Al. add.* et Geuissorum] est episcopus, accepit.

Sita est autem hæc insula contra medium Australium Saxonum et Geuissorum, interposito pelago latitudinis trium millium quod vocatur [c] Solvente: in quo videlicet pelago bini æstus Oceani qui circum Brittaniam ex infinito Oceano septentrionali erumpunt, sibimet invicem quotidie compugnantes occurrunt, ultra ostium fluminis [d] Homelea, quod per terras Jutorum, quæ ad regionem Geuissorum pertinent, A præfatum pelagus intrat; finitoque conflictu, in Oceanum refusi, unde venerant, redeunt.

## CAPUT XVII.

*De synodo facta in campo Haethfelda* [Al., *Hetfeld*], *præsidente archiepiscopo Theodoro.*

His temporibus [DCLXXX] [e] audiens Theodorus fidem Ecclesiæ Constantinopoli per hæresim Eutychetis multum esse turbatam, et Ecclesias Anglorum quibus præerat ab hujusmodi labe immunes perdurare desiderans, collecto venerabilium sacerdotum doctorumque plurimorum cœtu, cujus essent fidei singuli sedulus inquirebat, omniumque unanimem in fide catholica reperit consensum: et hunc synodalibus literis ad instructionem memoriamque sequentium B commendare curavit, quarum videlicet literarum istud exordium est:

« In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris, imperantibus dominis piissimis nostris Ecgfrido rege Hymbronensium, anno decimo regni ejus, sub die quintadecima Kalendas Octobres, indictione octava; et Aedilredo rege Mercinensium, anno sexto regni ejus; et Alduulfo [*Al.*, Aduulfo] rege Estranglorum [*Al.*, Estanglorum], anno decimo septimo regni ejus; et Hlothario rege Cantuariorum, regni ejus anno septimo: præsidente Theodoro, gratia Dei archiepiscopo Brittaniæ insulæ, et civitatis Doruvernis; una cum eo sedentibus cæteris episcopis Brittaniæ insulæ viris venerabilibus, præpositis sacrosanctis Evangeliis, C in loco qui Saxonico vocabulo Haethfelth [*Al.*, Hetfeild] nominatur, pariter tractantes, fidem rectam et orthodoxam exposuimus; sicut Dominus noster Jesus Christus [*Al. om.* Christus] incarnatus tradidit discipulis suis, qui præsentialiter viderunt et audierunt sermones ejus, atque sanctorum Patrum tradidit symbolum, et generaliter omnes sancti et universales synodi, et omnis probabilium catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. Hos itaque sequentes nos pie atque orthodoxe, juxta divinitus inspiratam doctrinam eorum professi credimus consonanter, et confitemur secundum sanctos Patres, proprie et veraciter Patrem et Filium et Spiritum sanctum Trinitatem in unitate consubstantialem, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis vel personis con- D substantialibus, æqualis gloriæ et honoris. » *Et post multa hujusmodi quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hæc quoque sancta synodus suis literis addit*

[a] *Ad Lapidem.* Inter Uentam et Hantonam viculus est *Stoneham*, qui nomine suo hunc locum vindicat.

[b] *Hreutford.* Hodie *Redbridge*, ponte ibidem loco vadi constructo. In Kalendario Dunelm. Wilhelmus prior de Redeforda memoriam habuit II Kal. Apriles.

[c] *Solvente.* Wormius in Musæo suo, pag. 4, reliquias hujus nominis observavit in creta, seu terra saponaria e promontoriis hujus freti eruta, quæ ab Anglis *solet erd* appellari consuevit.

[d] *Homelea.* Vulgo *Hamble.*

[e] *Audiens.* Dum synodus generalis sexta Constantinopoli sederet contra hæresin Eutychetis et Monothelitarum, Agatho papa unam Romæ habuit ad declarandam Occidentalis Ecclesiæ fidem, et metropolitani in suis quique provinciis per Italiam, Galliasque convocatis episcopis, suffragia sua Constantinopolim mittenda detulerunt. Hoc igitur Theodorus ex parte Anglicanæ Ecclesiæ hoc loco præstat. Hoc etiam Uilfridus cum Romæ esset in causa appellationis coram in synodo, omnium Brittanicarum Ecclesiarum nomine, ex mera et certa sua scientia præstitit. Vide v, 20. Aliæ assignantur causæ hujus synodi, confirmatio fundationis monasterii Medeshamsted, et bullæ papalis de eadem promulgatio, de quibus Uilfridus Romam missus a Uulfheri rege Merciorum, sed de his nihil in Beda, nec quidquam ibi declaratum præter fidei symbola. Sed seriem historiæ Uilfridi vide simul positam append. n. 19.

Digitized by Google

[Al., *addidit*]: « [a] Suscepimus [*Al.*, suscipimus] sanctas et universales quinque synodos beatorum et [*Al. om.* et] Deo acceptabilium Patrum; id est, qui in Nicæa congregati fuerunt trecentorum [*Al.*, trecenti] decem et octo, contra Arium impiissimum et ejusdem dogmata; et in Constantinopoli centum quinquaginta, contra vesaniam Macedonii et Eudoxii et eorum dogmata; et in Epheso primo ducentorum, contra nequissimum Nestorium et ejusdem dogmata; et in Chalcedone sexcentorum [*Al.*, ducentorum] et triginta, contra Eutychen [*Al.*, Eutychetem] et Nestorium, et eorum dogmata; et iterum in Constantinopoli, quinto congregati sunt concilio, in tempore Justiniani minoris, contra Theodorum [*Al.*, Theodoretum], et Theodoreti et Ibæ epistolas et eorum dogmata contra Cyrillum. » *Et paulo post:* « Et synodum quæ facta est in urbe Roma, in tempore [b] Martini papæ beatissimi, indictione octava, imperante Constantino piissimo anno nono. Suscepimus et glorificamus Dominum nostrum Jesum, sicut [*Al. add.* et] isti glorificaverunt; nihil addentes vel subtrahentes: et anathematizamus corde et ore quos anathematizarunt; et quos susceperunt, suscepimus: glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium ejus unigenitum ex Patre generatum ante sæcula, et Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut prædicaverunt hi quos memoravimus supra, sancti apostoli, et prophetæ, et doctores. Et nos omnes subscripsimus [*Al.*, subscribimus], qui cum Theodoro archiepiscopo fidem catholicam exposuimus. »

## CAPUT XVIII.

*De Johanne cantatore sedis apostolicæ, qui propter docendum Britanniam venerit* [Al., *venerat*].

Intererat huic synodo, pariterque catholicæ fidei [c] decreta firmabat vir venerabilis Johannes archicantator [*Al.*, archicantor] ecclesiæ sancti apostoli [*Al. om.* apostoli] Petri, et abbas monasterii beati Martini, qui nuper venerat a Roma per jussionem papæ Agathonis; duce reverentissimo abbate Biscopo [*Al.*, Bisi episcopo], cognomine Benedicto, cujus supra meminimus [*Al. om.* cuj. sup. mem.]. Cum enim idem Benedictus construxisset monasterium Brittaniæ, in honorem beatissimi [*Al. om.* beatissimi] apostolorum principis, juxta ostium fluminis Uiuri, venit Romam cum cooperatore ac socio ejusdem operis Ceolfrido, qui post ipsum ejusdem monasterii abbas fuit, quod et ante sæpius facere consueverat, atque honorifice a beatæ memoriæ papa Agathone susceptus est [DCLXXVIII]: petiitque, et accepit ab eo in munimentum libertatis monasterii [*Al. om.* monasterii] quod fecerat, epistolam privilegii ex auctoritate apostolica firmatam; juxta quod Ecgfridum regem voluisse, ac licentiam dedisse

A noverat, quo concedente et possessionem terræ largiente, ipsum monasterium fecerat.

Accepit et præfatum Johannem abbatem Brittaniam perducendum; quatenus in monasterio suo [d] cursum canendi annuum [*Al.*, per annum], sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret: egitque abba [*Al.*, abbas] Johannes ut jussionem acceperat pontificis, et ordinem videlicet, ritumque canendi ac legendi viva voce præfati monasterii cantores edocendo, et ea quæ totius anni circulus in celebratione [*Al.*, celebrationem] dierum festorum poscebat, etiam literis mandando: quæ hactenus in eodem monasterio servata, et a multis jam sunt circumquaque transcripta. Non solum autem idem Johannes ipsius monasterii fratres docebat, verum
B de omnibus pene ejusdem provinciæ monasteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant. Sed et ipsum per loca in quibus doceret, multi invitare curabant.

Ipse autem excepto cantandi vel legendi munere, et aliud in mandatis ab apostolico papa acceperat, ut cujus esset fidei Anglorum Ecclesia, diligenter edisceret, Romamque rediens referret. Nam et synodum beati papæ Martini, centum quinque episcoporum consensu non multo ante Romæ celebratam, contra eos maxime qui unam in Christo operationem et voluntatem prædicabant, secum veniens attulit; atque in præfato religiosissimi abbatis Benedicti monasterio transcribendam commodavit. Tales namque
C eo tempore, fidem Constantinopolitanæ Ecclesiæ multum conturbaverunt; sed Domino donante proditi jam tunc et victi sunt. Unde volens Agatho papa, sicut in aliis provinciis, ita etiam in Brittania qualis esset status Ecclesiæ, quam ab hæreticorum contagiis castus, ediscere; hoc negotium reverentissimo abbati Johanni Brittaniam destinato injunxit. Quamobrem collecta pro hoc in Brittania synodo quam diximus, inventa est in omnibus fides inviolata catholica: datumque illi exemplar ejus Romam perferendum.

Verum ille patriam revertens, non multo postquam Oceanum transiit, arreptus infirmitate, ac defunctus est [DCLXXXI]: corpusque ejus ab amicis propter amorem sancti Martini cujus monasterio
D præerat, Turonis delatum, atque honorifice sepultum est. Nam et benigne Ecclesiæ illius hospitio, cum Brittaniam iret, exceptus est: rogatusque multum a fratribus, ut Romam revertens, illo itinere veniret, atque ad eam diverteret Ecclesiam. Denique ibidem adjutores itineris et injuncti operis accepit: qui etsi in itinere defunctus est, nihilominus exemplum catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab apostolico papa omnibusque qui audiere vel legere, gratantissime susceptum.

[a] *Suscepimus.* In majorem cautelam suscipiuntur omnes synodi generales contra omnes hæreses, sicut moris fuit. Hujusmodi confessionum formas ab episcopis in suo accessu factas vide Libro Diurno Rom. pont., a pag. 26 ad 52.

[b] *Martini.* Additur hæc synodus quia directe celebrata est contra eos qui unam in Christo operationem et voluntatem prædicabant. Vide caput proximo sequens.

[c] *Decreta firmabat.* Vide append., n. 17.

[d] *Cursum canendi.* Vide append., n. 12.

Digitized by Google

## CAPUT XIX.

*Ut Aedilthryd regina virgo perpetua permanserit, cujus nec corpus in monumento corrumpi potuerit.*

Accepit autem rex Ecgfrid conjugem nomine Aedilthrydam [DCLX], filiam Anna regis Orientalium Anglorum, cujus sæpius mentionem fecimus, viri bene religiosi, ac per omnia mente et opere egregii: quam et alter ante illum vir habuerat uxorem, princeps videlicet Australium Gyruiorum, vocabulo Tondberct. Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est regi præfato: cujus consortio cum duodecim annis uteretur, perpetua tamen mansit virginitatis integritate gloriosa; sicut mihimet sciscitanti cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium, beatæ memoriæ Uilfrid episcopus referebat, dicens se testem integritatis [*Al.*, B virginitatis] ejus esse certissimum: adeo ut Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginæ posset persuadere ejus uti connubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est nostra etiam ætate fieri potuisse, quod ævo præcedente aliquoties factum fideles historiæ narrant: donante uno eodemque Domino, qui se nobiscum usque in finem sæculi manere pollicetur. Nam etiam signum divini miraculi, quo ejusdem feminæ sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est quia [*Al.*, quod] a viri contactu incorrupta duraverit.

Quæ multum diu regem postulans ut sæculi curas relinquere, atque in monasterio, tantum vero regi Christo servire permitteretur; ubi vix aliquando C impetravit, intravit monasterium [a] Aebbæ abbatissæ, quæ erat amita regis Ecgfridi, positum in loco quem [b] Coludi urbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitus a præfato antistite Uilfrido [DCLXXI]. Post annum vero ipsa facta est abbatissa in regione quæ vocatur [c] Elge; ubi constructo monasterio virginum Deo devotarum perplurium mater virgo, et exemplis vitæ cælestis esse cœpit et monitis [DCLXXII].

A De qua ferunt, quia ex quo monasterium petiit, nunquam lineis, sed solum laneis vestimentis uti voluerit: raroque in calidis balneis, præter imminentibus sollemniis majoribus, verbi gratia Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, lavari voluerit; et tunc novissima omnium, lotis prius suo suarumque ministrarum obsequio cæteris quæ ibi essent famulis [*Al.*, famulabus] Christi. Raro [*Al. add.*, etiam] præter majora sollemnia, vel arctiorem necessitatem, plus quam semel per diem manducavit: semper, si non infirmitas gravior prohibuisset, ex tempore matutinæ synaxeos, usque ad ortum diei, in ecclesia precibus intenta persliterit. Sunt etiam qui dicant quia per prophetiæ spiritum, et pestilentiam qua ipsa esset moritura, prædixerit, et numerum quoque eorum, qui de suo monasterio hac [*Al.*, hoc] essent de mundo rapiendi, palam cunctis præsentibus intimaverit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum [DCLXXIX], post annos septem ex quo abbatissæ gradum susceperat: et æque ut ipsa jusserat, non alibi quam in medio eorum, juxta ordinem quo transierat; ligneo in locello sepulta.

Cui successit in ministerium abbatissæ soror ejus Sexburg [DCXCV], quam habuerat in conjugem Earconberct rex Cantuariorum. Et cum sedecim annis esset sepulta, placuit eidem [*Al. add.* sorori] abbatissæ levari ossa ejus, et in locello novo posita in ecclesiam transferri; jussitque quosdam fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent: qui, ascensa navi, ipsa enim regio Elge undique est aquis ac paludibus circumdata, neque lapides majores habet, venerunt ad civitatulam [*Al.*, civitatem] quandam desolatam, non procul inde sitam, quæ lingua Anglorum [d] Grantacaestir vocatur: et mox invenerunt juxta muros civitatis locellum de marmore albo pulcherrime factum, operculo quoque similis lapidis aptissime tectum. Unde intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, gratias agentes retulerunt ad monasterium.

[a] *Aebbæ.* Fuit Aebba virgo regio Nordanhymbrorum sanguine prognata, Aedilfridi filia, Osuiu et Osualdi soror, Ecgfridi amita. Primam habuit mansionem super Deruentum fluvium in vico hodie suo nomine insignito, vulgo *Ebchester*. Postea Coldinghamiam, quæ Bedæ Coludi urbs dicitur, transmigravit. Alia fuit ejusdem nominis et monasterii abbatissa an. 870 quæ, naribus labioque abscissis, furorem Danicum evasit, et reliquas sorores ad suum exemplum induxit. Bedæ autem Aebba vixit tempore S. Cudbercti, eique familiaris fuit, vide Bedam in Vita S. Cudbercti, cap. 10; obiit an. 684, habetque memoriam in Martyrologio Anglicano die Augusti 25.

[b] *Coludi urbem.* Hodie vicus in Mæatis seu Merchia Scotiæ, ubi probabile est situm fuisse Ptolemæi *Colanam*. Quod autem recentiores a Colideis deducant, id plane Bedæ in mentem non venit. Non enim erant Colidei sed Celdei, locisque nomina dederunt non a cultu quem inibi exercebant, sed a cellis quas incoluerunt. Hunc locum propter reverentiam Dei et S. Cudbercti Eadgarus rex Scotiæ dedit monasterio Dunelm. ad sustentationem ejusdem monasterii: sed processu temporis placuit priori et fratribus ibidem ecclesiam erigere, et monachos ejusdem monasterii locare. Codex ms. Wessington, pag. 38. Chartas aliquot hujus mansionis originales vide append., n. 20.

[c] *Elge.* Illa enim Aedilthrydis patria fuit, ibi fratrem habuit Alduulfum Or. Ang. regem, sororesque summa pietatis fama, de quibus vide III, 8. Historici tamen aliam hic tradunt mutati cœnobii occasionem, quod Ecgfridus nempe, libertatis a conjugio concessæ pœnitens, monasterio Coludano vim inferre conatus est. Et longa hic narratur legenda D itineris non magis periculis quam miraculis pleni, ut maritum effugeret; de quibus vide Historiam Eliensis Ecclesiæ Biblioth. Cotton. Nero A. 15, editam in Monastico I, p. 87. In hoc loco *Aedilthryde* in sanctorum canonem nomine S. *Audry* recipi meruit, et locum in Martyrologio Romano habuit die Junii 23. Dies translationis in Martyrologio Anglicano pro festo habita est die Octobris 17. De Aedilthryde vide plura Wil. Malm. de pont. IV, p. 273, 293. T. Walsingham in Ric. I, p. 358. Ecclesia Eliensis ab Aedilthryda constructa an. 673, combusta a paganis an. 870 Post aliquot annos quodammodo resarcita clericis accessit ad an. 970, Aediluoldus Ep. Uinton monachis replevit anno eodem; Henricus primus sedem episcopalem instituit an. 1108.

[d] *Grantacaestir.* In pejore statu est hodie *Grantchester* juxta Cantabrigiam.



Digitized by Google

Cumque corpus sacræ virginis ac sponsæ Christi aperto sepulcro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inventum est ac si eodem die fuisset defuncta, sive humo condita; sicut et præfatus antistes Uilfrid, et multi alii qui novere, testantur. Sed certiori notitia medicus Cynifrid, qui et morienti illi, et elevatæ de tumulo adfuit: qui [*Al. om.* qui] referre erat solitus quod illa infirmata habuerit tumorem maximum sub maxilla. « Jusseruntque me, inquit, incidere tumorem illum, ut efflueret noxius humor qui inerat: quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto levius habere; ita ut multi putarent quia [*Al.*, quod] sanari posset a languore. Tertia autem die prioribus adgravata doloribus, et rapta confestim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua salute ac vita mutavit. Cumque post tot [*Al.*, tam multos] annos elevanda essent ossa de sepulcro, et extento desuper papilione, omnis congregatio, hinc fratrum, inde sororum, psallens circumstaret; ipsa autem abbatissa intus cum paucis ossa elatura et dilutura [*Al.*, elevatura et delatura] intrasset, repente audivimus abbatissam intus voce clara proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multo post clamaverunt me, intus [*Al.*, undique] reserato ostio papilionis: vidique elevatum de tumulo, et positum in lectulo corpus sacræ Deo virginis quasi dormientis simile. Sed et discooperto vultus indumento, monstraverunt mihi etiam vulnus incisuræ quod feceram, curatum; ita ut mirum in modum pro aperto et hiante vulnere cum quo sepulta erat, tenuissima tunc cicatricis vestigia parerent [*Al.*, apparerent]. » Sed et linteamina omnia quibus involutum erat corpus integra apparuerunt, et ita nova, ut ipso die viderentur castis ejus membris esse circumdata. Ferunt autem quia cum præfato tumore ac dolore maxillæ sive colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac solita dicere: « Scio certissime quia merito in collo pondus languoris porto, in quo juvenculam me memini supervacua monilium pondera portare: et credo quod ideo me superna pietas dolore colli voluit gravari, ut sic absolvar reatu supervacuæ levitatis; dum mihi nunc pro auro et margaritis, de collo rubor tumoris, ardorque promineat. » Contigit autem tactu indumentorum eorumdem, et dæmonia ab obsessis effugata [*Al.*, fugata] corporibus, et infirmitates alias aliquoties esse curatas. Sed et loculum in quo primo sepulta est, nonnullis oculos dolentibus saluti fuisse perhibent; qui cum suum caput eidem loculo apponentes orassent, mox doloris sive caliginis incommodum ab oculis amoverent. Laverunt igitur virgines [*Al.* virginis] corpus, et novis indutum vestibus intulerunt in ecclesiam, atque in eo quod adlatum erat, sarcophago posuerunt, ubi usque hodie in magna veneratione habetur. Mirum vero in modum ita aptum corpori virginis sarcophagum inventum est, ac si ei specialiter præparatum fuisset: et locus quoque capitis

A seorsum fabrefactus, ad mensuram capitis illius aptissime figuratus apparuit.

Est autem Elge in provincia Orientalium Anglorum regio familiarum circiter sexcentarum, in similitudinem insulæ, vel paludibus, ut diximus, circumdata, vel aquis: unde et a copia anguillarum quæ in iisdem paludibus capiuntur, nomen accepit; ubi monasterium habere desideravit memorata Christi famula, quoniam de provincia eorumdem Orientalium Anglorum ipsa, ut præfati sumus, carnis originem duxerat.

## CAPUT XX.

### Hymnus de Illa.

Videtur opportunum huic Historiæ, etiam hymnum virginitatis inserere, quem ante annos plurimos in laudem ac præconium ejusdem reginæ ac [a] sponsæ Christi elegiaco metro composuimus, et imitari morem sacræ Scripturæ, cujus Historiæ carmina plurima indita: et hæc metro ac versibus constat esse composita.

Alma Deus [*Al.*, Dei] Trinitas, quæ [*Al.* qui] sæcula cuncta gubernas,
  Adnue jam cœptis, alma Deus Trinitas.
Bella Maro resonet, nos pacis dona canamus:
  Munera nos Christi, bella Maro resonet.
Carmina casta mihi, fœdæ non raptus Helenæ,
  Luxus erit lubricis, carmina casta mihi.
Dona superna loquar, miseræ non prælia Trojæ,
  Terra quibus gaudet: dona superna loquar.
En Deus altus adit venerandæ Virginis alvum:
C  Liberet ut homines, en Deus altus adit.
Femina Virgo parit mundi devota parentem,
  Porta Maria Dei, femina Virgo parit.
Gaudet amica cohors de Virgine matre Tonantis:
  Virginitate micans gaudet amica cohors.
Hujus honor genuit casto de germine plures,
  Virgineos flores hujus honor genuit.
Ignibus usta feris virgo non cessat Agatha,
  Eulalia et perfert ignibus usta feris.
Casta feras superat mentis pro culmine Tecla,
  Euphemia sacra casta feras superat.
Læta ridet gladios ferro robustior Agnes,
  Cæcilia infestos læta ridet gladios.
Multus in orbe viget per sobria corda triumphus,
  Sobrietatis amor multus in orbe viget.
D Nostra quoque egregia jam tempora virgo beavit:
  Aedilthryda nitet nostra quoque egregia.
Orta patre eximio, regali et stemmate clara:
  Nobilior domino est, orta patre eximio.
Percipit inde decus reginæ, et sceptra sub astris,
  Plus super astra manens, percipit inde decus.
Quid petis, alma, virum, sponso jam dedita summo?
  Sponsus adest Christus, quid petis, alma, virum?
Regis ut ætherei matrem jam credo sequaris
  Tu quoque sis mater regis ut ætherei.
Sponsa dicata Deo bis sex regnaverat annis,
  Inque monasterio est sponsa dicata Deo.

[a] *Sponsæ Christi.* Al. add.: *Et ideo veraciter regina quia sponsa Christi*

Digitized by Google

Tota sacrata polo celsis ubi floruit actis,
Reddidit atque animam tota sacrata polo.
Virginis alma caro est tumulata bis octo Novembres,
Nec putet in tumulo virginis alma caro.
Christe, tui est operis, quia vestis et ipsa sepulcro
Inviolata nitet : Christe, tui est operis.
Hydros et ater abit sacræ pro vestis honore,
Morbi diffugiunt, hydros et ater abit.
Zelus in hoste furit quondam qui vicerat Evam :
Virgo triumphat ovans, zelus in hoste furit.
Aspice, nupta Deo, quæ sit tibi gloria terris :
Quæ maneat cælis, aspice, nupta Deo.
Munera læta capis festivis fulgida tædis,
Ecce venit sponsus, munera læta capis.
Et nova dulcisono modularis carmina plectro
Sponsa hymno exultas et nova dulcisono.
Nullus ab Altithroni comitatu segregat agni,
Quam affectu tulerat nullus ab Altithroni.

## CAPUT XXI.

*Ut Theodorus episcopus inter Ecgfridum et Aedilredum reges pacem fecerit.*

Anno regni Ecgfridi nono [DCLXXIX], conserto gravi prælio inter ipsum et Aedilredum regem Merciorum juxta fluvium [a] Treanta, [b] occisus est Aelfuini frater regis Ecgfridi, juvenis circiter decem et octo annorum, utrique provinciæ multum amabilis. Nam et [c] sororem ejus quæ dicebatur Osthryd, rex Aedilred habebat uxorem. Cumque materies belli acrioris et inimicitiæ longioris inter reges populosque feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus antistes, divino functus [*Al.*, fretus] auxilio, salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus exstinguit incendium : adeo ut, pacatis alterutrum regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo multa [*Al.*, mulcta] pecuniæ regi ultori daretur. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna durarunt.

## CAPUT XXII.

*Ut vincula cujusdam captivi, cum pro eo missæ cantarentur, soluta sint.*

In præfato autem prælio quo occisus est rex Aelfuini, memorabile quoddam factum esse constat,
A quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios, de militia ejus juvenis, vocabulo Imma, qui cum die illo et nocte sequenti inter cadavera occisorum similis mortuo jaceret, tandem recepto spiritu revixit, ac residens sua vulnera, prout potuit ipse alligavit : dein modicum requietus levavit se, et cœpit abire sicubi amicos qui sui curam agerent, posset invenire. Quod dum faceret, inventus est, et captus a viris hostilis exercitus, et ad dominum ipsorum, comitem videlicet Aedilredi regis, adductus : a quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse confiteri ; rusticum se potius et pauperem, atque uxoreo vinculo conligatum fuisse respondit ; et propter victum militibus adferendum in
B expeditionem se cum suis [*Al.*, sui] similibus venisse testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit ; et ubi sanescere [*Al.*, sanari] cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit. Nec tamen vinciri potuit ; nam mox ut abiere qui vinxerant, eadem ejus sunt vincula soluta.

Habebat enim germanum fratrem cui nomen erat Tunna, presbyterum et abbatem monasterii in civitate quæ hactenus ab ejus nomine [d] Tunnacaestir cognominatur : qui cum eum in pugna peremptum audiret, venit quærere si forte corpus ejus invenire posset, inventumque alium illi per omnia simillimum, putavit ipsum esse : quem ad monasterium suum deferens, honorifice sepelivit, et pro absolutione animæ ejus sæpius missas facere curavit. Quarum cele-
C bratione factum est quod dixi, ut nullus eum posset vincire, quin continuo solveretur. Interea comes qui eum tenebat, mirari et interrogare cœpit quare ligari non posset, an forte [e] literas solutorias de qualibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit nihil se talium artium nosse ; « Sed habeo fratrem, inquit, presbyrum in mea provincia, et scio quia ille me interfectum putans, pro me missas crebras [*Al.*, celebrare] facit : et si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones ejus solveretur a pœnis. » Dumque aliquanto tempore apud comitem teneretur, animadverterunt qui eum diligentius considerabant, ex

[a] *Treanta.* Si hoc prælium consertum est ad austrum Treantæ fluvii, probabile est locum habuisse *Aeduinstow*, quem accolæ ab Aeduino ibi interfecto deducunt ; et huic opinioni favent Malmsburiensis Codices editi, in quibus hujus regii juvenis nomen *Aeduinus* dicitur. Certum tamen est Aeduinum in agro Eboracensi juxta Haethfaelth occisum, ac Malmsburiensis Aeduinum procedere ex errore vel preli vel scriptorum. Cujus generis innumera habent illius auctoris editiones. Non obstante igitur hujus oppidi nomine, incertus adhuc restat hujus prælii locus.

[b] *Occisus est.* Aelfuini cædem prædixerat Uilfridus cum a rege Ecgfrido Eboraco pulsum subsannatores qui propter regem erant, in risum crepantes deridebant. Contigit enim ut, anno revoluto, eodem die quo episcopus præjudicium in Eboraco passus fuerat, cadaver regii adolescentis illatum urbi longum indiceret justitium.

[c] *Sororem.* Ex hac affinitate factum est, ut Uilfridus episcopatu pulsus, in regno Merciorum manere non permissus, sed apud Fresones in abscessu, et Australes Saxones in reditu refugium quæsivit.

[d] *Tunnacaestir.* Si Bedæ *Tunnacaestir* sit hodiernum
D *Tinmouth*, alia apparet nominis origo, quam abbatis Tunnæ ad locum relatio, situs scilicet monasterii ad ostia Tini fluvii. Sed Beda non dicit Tinmotham a Tunna dictam, sed Tunnacaestriam, quæ non alia ratione a lectoribus Tinmuthæ ponitur, quam quod illam sono proximam inveniunt, nec alium locum habent quem ei substituant. De monasterio Tinmuthensi vide notam ad Ingetlingum III, 14. Porro quo loci Tunnacaestir fuerit incertum restat. Quod autem fuerit abbas Tunna e Bedæ historia manifestum est. Ille enim Bedæ fere coævo ignotus esse non potuit.

[e] *Literæ solutoriæ.* Qualia fuerunt apud antiquos Ἐφέσια γράμματα, id est, incantationes quædam obscuræ quas et Cræsum in rogo dixisse ferunt. Et Olympiæ Milesio et Ephesio luctantibus, aiunt Milesium luctari non potuisse, quod alter Ephesias talo pedis alligasset. Ea autem re comperta litterisque illis solutis, Ephesium tricies prostratum fuisse tradunt. » SUIDAS.

Digitized by Google

vultu et habitu et sermonibus ejus, quia non erat de A paupere vulgo, ut dixerat, sed de nobilibus. Tunc secreto advocans eum comes, interrogavit eum intentius unde esset, promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi quis fuisset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se regis fuisse manifestans, respondit: « Et ego per singula tua responsa cognoveram quia rusticus non eras, et nunc dignus quidem es morte, quia [*Al.*, quod] omnes fratres et cognati mei in illa sunt pugna interempti; nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi prævaricer. »

Ut ergo convaluit, vendidit eum Lundoniam Freso [*Al.*, Fresoni; *al.*, Frisoni] cuidam; sed nec ab illo cum illuc duceretur ullatenus potuit alligari. Verum cum alia atque alia vinculorum ei genera hostes imponerent [*Al. add.* dissoluta sunt]; B cumque vidisset qui emerat vinculis eum non potuisse cohiberi, donavit ei facultatem sese redimendi si posset. A [*Al. om.* A] tertia autem hora quando missæ fieri solebant, sæpissime vincula solvebantur. At ille dato jurejurando ut rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad regem Hlotheri, qui erat filius sororis Aedilthrydæ reginæ de qua supra dictum est, quia [*Al.*, qui] et ipse quondam ejusdem reginæ minister fuerat: petiitque et accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo domino pro se, ut promiserat, misit.

Qui post hæc patriam reversus atque ad suum fratrem perveniens, replicavit ex ordine cuncta quæ sibi adversa, quæve in adversis solatia provenissent: C cognovitque, referente illo, illis maxime temporibus sua fuisse vincula soluta quibus pro se missarum fuerant celebrata sollemnia. Sed et alia quæ periclitanti ei commoda contigissent et prospera, per intercessionem fraternam et oblationem hostiæ salutaris cælitus sibi fuisse donata intellexit. Multique hæc a præfato viro audientes accensi sunt in fide ac devotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis, pro ereptione suorum qui de sæculo migraverant: intellexerunt enim quia [*Al.*, quod] sacrificium salutare ad redemptionem valeret et animæ et corporis sempiternam.

Hanc mihi historiam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro in quo facta est audiere, narrarunt: unde eam quia liquido comperi, indubitanter Historiæ nostræ Ecclesiasticæ inserendam credidi.

## CAPUT XXIII.

*De vita et* [Al. om. *vita et*] *obitu Hilde abbatissæ.*

Anno post hunc sequente, hoc est, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo, religiosissima [*Al.*, religiosa] Christi famula Hild, abbatissa monasterii quod dicitur Streaneshalch, ut [a] supra retulimus, post multa quæ fecit in terris opera cælestia, ad percipienda præmia vitæ cælestis de terris ablata transivit die quinta decima Kalendarum Decembrium, cum esset annorum sexaginta sex: quibus æqua portione [*Al.*, partitione] divisis, triginta tres primos in sæculari habitu nobilissime conversata complevit, et totidem sequentes nobilius in monachica vita Domino consecravit. Nam et nobilis natu erat, hoc est, filia nepotis Aeduini regis, vocabulo Hererici: cum quo etiam rege, ad prædicationem beatæ memoriæ Paulini, primi Nordanhymbrorum episcopi, fidem et sacramenta Christi suscepit, atque hæc usquedum ad ejus visionem pervenire meruit, intemerata servavit.

Quæ cum, relicto habitu sæculari, illi soli servire decrevisset, secessit ad provinciam Orientalium Anglorum [DCXLVIII]: erat namque propinqua regis illius, desiderans exinde, si quo modo posset, derelicta patria et omnibus quæcumque habuerat, in Galliam pervenire, atque in monasterio Cale peregrinam pro Domino vitam ducere, quo facilius perpetuam in cælis patriam posset mereri. Nam et in eodem monasterio soror ipsius [b] Heresuid, mater Alduulfi regis Orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam exspectabat æternam: cujus æmulata exemplum, et ipsa proposito peregrinandi annum totum [c] in præfata provincia retenta est: deinde ab Aedano episcopo in [*Al. om.* in] patriam revocata, accepit locum unius familiæ ad [d] septentrionalem plagam Uiuri fluminis, ubi æquo anno uno monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat.

Post hæc facta est abbatissa in monasterio quod vocatur [e] Heruteu [DCL]; quod videlicet monasterium factum erat non multo ante a religiosa Christi fa-

[a] *Supra.* III, 24, 25.

[b] *Heresuid.* Asserit hic Beda Heresuidam Hildæ sororem in monasterio Calensi seclusam vixisse, unde multa proferunt auctores argumenta quibus Bedam erroris insimulent, in eo præcipue quod cum Hilda propositum religionis intrandæ cum sorore Heresuida in monasterio Calensi sumpserit anno 648, monasterium Calense constructum non fuit a Baldhilda fundatrice. Sed adeo incerta sunt tempora fundationis Calensis monasterii, ut difficile sit affirmare auctorem qui non procul ab illis temporibus vixit hallucinatum, præsertim in historia tam celebri, cujus sanctimoniales Anglicanæ tanta pars fuerunt.

[c] *In præfata provincia.* Orientalium sc. Anglorum, sicut Beda hoc ipso in loco expresse affirmat: quare fœdus est eorum error, qui Hildam in monasterium Calense ad sororem Heresuidam transiisse exinde colligunt. Nam id quidem in proposito habuit, sed in præfata provincia retenta, ab Aidano episcopo revocata est.

D [d] *Septentrionalem.* Interiit, ut videtur, hic locus, nisi per eum intelligamus ecclesiam S. Hildæ cujus certa initia sunt sequiorum temporum, et quæ in Australi Tinæ fluminis potius quam septentrionali Uiuri plaga sita est. Non impossibile tamen est, quod sicut monasterium Gyruiense cum Uiremuthensi coaluit, non obstante parallela loci distantia, ita ecclesia hæc, licet ad Tinam posita, a Uiuro nomen accipiat: nusquam enim invenire potui monasterium a septentrionali plaga Uiuri, nisi illud quod Benedictus Biscop fundavit.

[e] *Heruteu.* Hodie *Hertlepool*, maris fluxu tantum non insula. Quod reliquum est ibi monasterii, non primæ est institutionis, sed ordinis Fratrum Minorum. Ecclesia parochialis Hertensis, una cum multis aliis in ea regione possessionibus, accessit ad monachos de Gisburn in agro Eboracensi donatione domini Brucæi fundatoris.

Digitized by Google

mula [a] Heiu, quæ prima feminarum fertur in provincia Nordanhymbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aedano episcopo, suscepisse. Sed illa post non multum tempus facti monasterii, secessit ad civitatem Calcariam quæ a gente Anglorum [b] Kaelcacaestir [*Al.*, Kalcacestir] appellatur, ibique sibi mansionem instituit. Prælata autem regimini monasterii illius famula Christi Hild, mox hoc regulari vita per omnia, prout a doctis viris discere poterat, ordinare curabat : nam et episcopus Aidan, et quique noverant eam religiosi, pro insita ei sapientia et amore divini famulatus, sedulo eam visitare, obnixe amare, diligenter erudire solebant.

Cum ergo aliquot annos huic monasterio, regularis vitæ institutioni multum intenta præesset [DCLVIII], contigit eam suscipere etiam construendum sive ordinandum monasterium in loco qui vocatur [c] Streaneshalch, quod opus sibi injunctum non segniter implevit. Nam eisdem quibus prius monasterium, etiam hoc disciplinis vitæ regularis instituit : et quidem multam inibi quoque [*Al.*, multum videretur esse] justitiæ, pietatis, et castimoniæ, cæterarumque virtutum, sed maxime pacis et caritatis custodiam docuit : ita ut in exemplum primitivæ Ecclesiæ nullus ibi dives, nullus esset egens, omnibus essent omnia communia, cum nihil cujusquam esse videretur proprium. Tantæ autem erat ipsa prudentiæ, ut non solum mediocres quique in necessitatibus suis, sed etiam reges ac principes nonnunquam ab ea quærerent consilium, et inveni ent. Tantum lectioni divinarum Scripturarum suos vacare subditos, tantum operibus justitiæ se exercere faciebat, ut facillime viderentur ibidem qui ecclesiasticum gradum, hoc est, altaris officium apte subirent plurimi posse reperiri.

Denique quinque ex eodem monasterio postea episcopos vidimus, et hos omnes singularis meriti ac sanctitatis viros, quorum hæc sunt nomina, Bosa, Aetla, [d] Oftfor, Johannes et Uilfrid. De primo supra diximus, quod Eboraci fuerit consecratus antistes : de secundo breviter intimandum, quod in episcopatum Dorciccaestræ [*Al.*, Dorcacaestræ] fuerit ordinatus : de ultimis infra dicendum est, quod eorum primus Hagustaldensis [*Al.*, Augustald], secundus Eboracensis Ecclesiæ sit ordinatus episcopus. De medio nunc dicamus, quia cum in utroque Hildæ abbatissæ monasterio lectioni et observationi Scripturarum operam dedisset, tandem perfectiora desiderans, venit Cantiam ad archiepiscopum beatæ recordationis Theodorum : ubi postquam aliquandiu lectionibus sacris vacavit, etiam Romam adire curavit, quod eo tempore magnæ virtutis æstimabatur : et inde cum rediens Brittaniam adiisset, divertit ad provinciam Huicciorum [*Al.*, Huictiorum] cui tunc rex Osric præfuit; ibique verbum fidei prædicans, simul et exemplum vivendi sese videntibus atque audientibus exhibens, multo tempore mansit. Quo tempore antistes provinciæ illius, vocabulo Bosel, tanta erat corporis infirmitate depressus, ut officium episcopatus per se implere non posset : propter quod omnium judicio præfatus vir in episcopatum pro eo electus, ac jubente Aedilredo rege, per Vilfridum beatæ memoriæ antistitem qui tunc temporis mediterraneorum Anglorum episcopatum gerebat, ordinatus est [DCXCI] : pro eo quod archiepiscopus Theodorus jam defunctus erat, et necdum alius pro eo ordinatus episcopus. In quam videlicet provinciam [*Al.*, in qua prov.] paulo ante, hoc est, ante præfatum virum Dei Boselum, vir strenuissimus et doctissimus, atque excellentis ingenii, vocabulo [e] *Tatfrid*, de ejusdem abbatissæ monasterio electus est antistes [DCLXXX] : sed priusquam ordinari posset, morte immatura præreptus est.

Non solum vero præfata Christi ancilla et abbatissa Hild, quam omnes qui noverant ob insigne pietatis et gratiæ matrem vocare consueverant, in suo monasterio vitæ exemplo præsentibus exstitit : sed etiam [*Al. add.* in] plurimis longe manentibus, ad quos felix industriæ ac virtutis ejus rumor pervenit, occasionem salutis et correctionis ministravit. Oportebat namque impleri somnium quod mater ejus Bregusuid in infantia ejus vidit : quæ cum vir ejus [f] Hereric exularet sub rege Brittonum Cerdice, ubi et veneno periit, vidit per somnium, quasi subito subla-

[a] *Heiu.* Lelandus aliique hanc Begam volunt, eique mansionem struunt primam in Copelandia, vulgo S. Bees, secundam ad septentrionalem plagam Uiuri fluminis, tertiam ad Heruteu, quartam ad Calcariam, ultimam ad Hacanos, ubi obiit. Hanc opinionem inveniemus nullo, nisi nominis similitudine, fundamento innixam. Monasterium enim in Copelandia non a S. Bega positum fuit, sed in ejus honorem tempore Henrici primi. Et Heiu, quæ locum habuit ad septentrionalem plagam Uiuri, plane alia fuit ab ea quæ apud Hacanos obiisse dicitur, ut in hujus capitis sequela manifestum est.

[b] *Kaelcacaestir.* Cambdeno *Tadcaster*, Dodsworthio et Galæo *Newton Kyme*; ms. Ingleby, *Abberforth*.

[c] *Streaneshalch.* Occasionem hujus translationis vide III, 24.

[d] *Oftfor.* In Monastico I, p. 121, ex Registro Uigorn. in Bibl. Cotton. Tiberius a. 13, fol. 10 *a*. edita est charta venerandæ antiquitatis concessa ab Ecguine Oftfori successore, in qua testatur ex altera ejus parte regem Aethilredum donasse Oftforo monasterium Fledanburg. Ita charta tantum secundaria, idque ex apographo est, edita reg's vero ipsius primaria quæ in anteriori parte ponitur, vel in Registro non fuit, vel ab exscriptoribus omissa est. Utramque chartam inter multas alias summa humanitate mihi impertivit honorabilis admodum dominus Somers non ex Registro, sed ab ipso autographo, quod suam antiquitatem prima facie ostendit, eamque optime conservatam. Monumentum est quantivis pretii et tanto possessore dignum. Vide append. n. 21.

[e] *Tatfrid.* Primus episcopus Uuigorn. designatus fuit Tatfrid anno 680; illo ante consecrationem defuncto, successit Bosel ad an. 691; in ejus infirmi locum successit Oftfor; huic obeunti an. 692 successit Ecguine, cujus chartam de Fledanburg habes in append. ad not. priorem.

[f] *Hereric.* Aeduino exsuli nati sunt de Quoenburga filia Creodæ (Beda, Cearli), regis Merciorum, duo filii Osfrithus et Eadfrithus, cujus filius exstitit Hereticus, qui de Beorsuitha (Beda, Bregusuid) genuit S. Hildam abbatissam constructricem monasterii quod vocatur Streaneshalch, ac S. Hereswitham Eastanglorum reginam. FLORENT. Genealog.

Digitized by Google

tum eum quæsierit cum omni diligentia, nullumque ejus uspiam vestigium apparuerit. Verum cum sollertissime illum quæsisset, extemplo se reperire sub veste sua monile pretiosissimum : quod dum attentius consideraret, tanti fulgore luminis refulgere videbatur, ut omnes Brittaniæ fines illius gratia splendoris impleret. Quod nimirum somnium veraciter in filia ejus de qua loquimur, expletum [*Al.*, impletum] est : cujus vita non sibi solummodo, sed multis bene vivere volentibus exempla operum lucis præbuit.

Verum illa cum multis annis huic monasterio præesset, placuit pio provisori salutis nostræ, sanctam ejus animam longa etiam [*Al. add.* in] infirmitate carnis examinari [DCLXXIV], ut, juxta exemplum Apostoli, virtus ejus in infirmitate perficeretur. Percussa etenim febribus, acri cœpit ardore fatigari; et per sex continuos annos eadem molestia laborare non cessabat : in quo toto tempore nunquam ipsa vel conditori suo gratias agere, vel commissum sibi gregem et publice et privatim docere prætermittebat. Nam suo prædocta exemplo, monebat omnes, et in salute accepta corporis Domino obtemperanter serviendum, et in adversis rerum sive infirmitatibus membrorum fideliter Domino esse gratias semper agendas. Septimo ergo suæ infirmitatis anno, converso ad interanea dolore, [a] ad diem pervenit ultimum, et circa galli cantum, percepto viatico sacrosanctæ communionis, cum accersitis ancillis Christi quæ erant in eodem monasterio, de servanda eas invicem, immo cum omnibus pace evangelica admoneret; inter verba exhortationis læta mortem vidit, immo, ut verbis Domini loquar, de morte transivit ad vitam.

Qua videlicet nocte Dominus omnipotens obitum ipsius in alio longius posito monasterio quod ipsa eodem anno construxerat et appellatur [b] Hacanos, manifesta visione revelare dignatus est. Erat in ipso monasterio quædam sanctimonialis femina, nomine Begu, quæ triginta et amplius annos dedicata Domino virginitate, in monachica conversatione serviebat. Hæc tunc in dormitorio sororum pausans, audivit subito in aere notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant, cum quis eorum de sæculo fuisset evocatus : apertisque, ut sibi videbatur, oculis aspexit, detecto domus culmine, fusam desuper lucem omnia replevisse : cui videlicet luci dum [*Al.*, cum] sollicita intenderet, vidit animam præfatæ Dei famulæ in ipsa luce comitantibus ac ducentibus angelis ad cælum ferri. Cumque somno excussa videret cæteras pausantes circa se sorores, intellexit vel in somnio vel in visione mentis ostensum sibi esse quod viderat. Statimque exsurgens nimio timore perterrita cucurrit

A ad virginem quæ tunc monasterio abbatissæ vice præfuit, cui nomen erat Frigyd, fletuque ac lacrymis multum perfusa, ac suspiria longa trahens nunciavit, matrem illarum omnium Hild abbatissam jam migrasse de sæculo, et se aspectante cum luce immensa ducibus angelis ad æternæ limina lucis et supernorum consortia civium ascendisse. Quod cum illa audisset, suscitavit cunctas sorores, et in ecclesiam convocatas, orationibus ac psalmis pro anima matris operam dare monuit. Quod cum residuo noctis tempore diligenter agerent, venerunt primo diluculo fratres qui ejus obitum nunciarent, a loco ubi defuncta est. At illæ respondentes dixerunt se prius eadem cognovisse : et cum exponerent per ordinem quomodo hæc vel quando didicissent, inventum est, B eadem hora transitum ejus illis ostensum esse per visionem, qua illam referebant exisse de mundo. Pulchraque rerum concordia procuratum est divinitus, ut cum illi exitum ejus de hac vita viderent, tunc isti introitum ejus in perpetuam animarum vitam cognoscerent. Distant autem inter se monasteria hæc tredecim ferme millibus passuum.

Ferunt autem quod eadem nocte, in ipso quoque monasterio ubi præfata Dei famula obiit, cuidam virginum Deo devotarum quæ illam immenso amore diligebat, obitus illius in visione apparuerit, quæ animam ejus cum angelis ad cælum ire conspexerit, atque hoc ipsa qua factum est hora, his quæ secum erant famulis [*Al.*, famulabus] Christi manifeste narraverit, easque ad orandum pro anima ejus, etiam C priusquam cætera congregatio ejus obitum cognovisset, excitaverit. Quod ita fuisse factum mox congregationi mane facto innotuit. Erat enim hæc, ipsa hora cum aliis nonnullis Christi ancillis in extremis monasterii locis seorsum posita, ubi nuper venientes ad conversationem [*Al.*, conversionem] feminæ solebant probari, donec regulariter institutæ in societatem congregationis susciperentur.

## CAPUT XXIV.

*Quod in monasterio ejus fuerit* [c] *frater cui donum canendi sit divinitus concessum.*

In hujus monasterio abbatissæ fuit frater quidam divina gratia specialiter insignis, quia [*Al.*, qui] carmina religioni et pietati apta facere solebat; ita ut D quicquid ex divinis litteris per interpretes disceret, hoc ipse post pusillum verbis poeticis maxima suavitate et compunctione compositis, in sua, id est, Anglorum lingua proferret. Cujus carminibus multorum sæpe animi ad contemptum sæculi, et [*Al. add.* ad] appetitum sunt vitæ cælestis accensi. Et quidem et alii post illum in gente Anglorum religiosa poemata facere tentabant; sed nullus eum [*Al.*, ei] æquiparare potuit. Namque ipse non ab hominibus, neque per hominem institutus canendi artem didicit;

[a] *Ad diem pervenit ultimum.* Obiit S. Hilda die 15 Kal. Decembr. Flor. Uuigorn. an. 680. Ossa Hildæ abbatissæ Glastoniam advexit Eadmundus rex, dum esset in expeditione aquilonali. Ms. Wessington, p. 30.

[b] *Hacanos.* Locus in *Whitby Strand*, 13 milliaria a Whitby, 3 a Scardoburgo.

[c] *Frater cui*, etc. Al. : *Fratri cuidam canendi donum divinitus sit concessum.*

Digitized by Google

sed divinitus adjutus gratis canendi donum accepit. Unde nihil unquam frivoli et supervacui poematis facere potuit; sed ea tantummodo quæ ad religionem pertinent, religiosam ejus linguam decebant. Siquidem in habitu sæculari usque ad tempora provectioris ætatis constitutus nil carminum aliquando didicerat. Unde nonnunquam in convivio, cum esset lætitiæ causa ut omnes per ordinem cantare deberent, ille ubi adpropinquare sibi citharam cernebat, surgebat a media cœna et egressus ad suam domum repedabat.

Quod dum tempore quodam faceret, et relicta domo convivii egressus esset ad stabula jumentorum quorum ei custodia nocte illa erat delegata, ibique hora [*Al. add.* jam] competenti membra dedisset sopori, adstitit ei quidam per somnium, eumque salutans, ac suo appellans nomine: « [a] Caedmon, inquit, canta mihi aliquid. » At ille respondens, « Nescio, inquit, cantare; nam et ideo de convivio egressus huc secessi, quia cantare non poteram. » Rursum ille qui cum eo loquebatur, « Attamen, ait, mihi cantare habes. » « Quid, inquit, debeo cantare? » At ille, « Canta, inquit, principium creaturarum. » Quo accepto responso, statim ipse cœpit cantare in laudem Dei conditoris versus, quos nunquam audierat, quorum iste est sensus: « Nunc laudare debemus auctorem regni cælestis, potentiam creatoris, et consilium illius facta Patris gloriæ. Quomodo ille cum sit æternus Deus, omnium miraculorum auctor exstitit, qui primo filiis hominum cælum pro culmine tecti, dehinc terram custos humani generis omnipotens creavit. » Hic est sensus, non autem ordo ipse verborum quæ dormiens ille canebat; neque enim possunt carmina, quamvis optime composita, ex alia in aliam linguam ad verbum sine detrimento sui decoris ac dignitatis transferri. Exsurgens autem a somno, cuncta quæ dormiens cantaverat, memoriter retinuit, et eis mox plura in eumdem modum verba Deo digni carminis adjunxit.

Veniensque mane ad villicum qui sibi præerat, quid doni percepisset indicavit, atque ad abbatissam perductus, jussus est, multis doctioribus viris præsentibus, indicare somnium et dicere carmen, ut universorum judicio quid vel unde esset quod referebat, probaretur. Visumque est omnibus, cælestem ei a Domino concessam esse gratiam. Exponebantque illi quemdam sacræ historiæ sive doctrinæ sermonem, præcipientes ei, si posset, hunc in modulationem carminis transferre. At ille suscepto ne-

A gotio abiit, et mane rediens, optimo carmine quod jubebatur, compositum reddidit. Unde mox abbatissa amplexata gratiam Dei in viro, sæcularem illum habitum relinquere, et monachicum suscipere [*Al.*, recipere] propositum docuit, susceptumque in monasterium cum omnibus suis fratrum coborti adsociavit, jussitque illum seriem sacræ historiæ doceri. At ipse cuncta quæ audiendo discere poterat, rememorando secum et quasi mundum animal, ruminando, in carmen dulcissimum convertebat; suaviusque resonando, doctores suos vicissim auditores sui [*Al.*, suos] faciebat. Canebat autem de creatione mundi, et origine humani generis, et tota Genesis historia, de egressu Israel ex [*Al.*, de] Aegypto et ingressu in terram repromissionis, de aliis plurimis sacræ Scri-
B pturæ historiis, de incarnatione dominica [*Al.*, Domini ac] passione, resurrectione, et ascensione in cælum, de Spiritus sancti adventu, et apostolorum doctrina. Item de terrore futuri judicii, et horrore pœnæ gehennalis, ac dulcedine regni cælestis multa carmina faciebat; sed et alia perplura de beneficiis et judiciis divinis, in quibus cunctis homines ab amore scelerum abstrahere, ad dilectionem vero et sollertiam bonæ actionis excitare curabat. Erat enim vir multum religiosus, et regularibus disciplinis humiliter subditus; adversum vero illos qui aliter facere volebant, zelo magni fervoris accensus: unde et pulchro vitam suam fine conclusit.

Nam propinquante hora sui decessus [*Al.*, discessus], quatuordecim diebus, præveniente corporea
C infirmitate, pressus est [DCLXXX]; adeo tamen moderate, ut et loqui toto eo tempore posset et ingredi. Erat autem in proximo [*Al.*, proxima] casa, in qua infirmiores et qui prope morituri esse videbantur, induci solebant. Rogavit ergo ministrum suum vespere incumbente, nocte qua de sæculo erat exiturus, ut in ea sibi locum quiescendi præpararet: qui miratus cur hoc rogaret, qui nequaquam adhuc moriturus esse videbatur, fecit tamen quod dixerat. Cumque ibidem positi vicissim aliqua gaudente animo, una cum eis qui ibidem ante inerant, loquerentur ac jocarentur, et jam mediæ noctis tempus esset transcensum, interrogavit [*Al. add.* omnes], si Eucharistiam intus haberent. Respondebant.
D «Quid opus est Eucharistia? neque enim mori adhuc habes qui tam hilariter nobiscum velut sospes loqueris. » Rursus ille: « Et tamen, ait, afferte mihi Eucharistiam. » Qua accepta [b] in manu, interrogavit, si omnes placidum erga se animum, et

[a] *Caedmon*. Caedmonem obiisse circa annum 680 plerique conjiciunt, aut paulo serius. De ejus sanctorumque aliorum reliquiis sic agit Malmesb., l. III de Gestis pontif., p. 154 b Ed. Lond. « Inventa sunt noviter (id est, ante initium sæculi XII), et in eminentiam elata, sanctorum corpora, Trumuini ep., Osuii regis, et Aelfledæ filiæ ejus, quæ eidem monasterio post Hildam præfuit: nec non et illius monachi quem divino munere scientiam Cantus accepisse Beda refert. Cujus non fuisse apud Deum populare meritum, miracula modo multa, ut ferunt, superne demissa prætendunt indicium. » Consignatus est hujus sancti natalis in Martyrologio Anglicano die 11 Feb., licet Hugo Menardus die 10 Feb. retulerit. Recensent eum Balæus cent. I, et Pitsæus ætate 7 inter illustres Angliæ scriptores: sed in hoc ambo hallucinantur, quod « dormiendo divina pronuntiasse carmina tradant, quæ vigilantes quidam ex ejus ore scriptitabant. » Id enim vero Beda non scribit.

[b] *In manu*. De hoc ritu Eucharistiæ accipiendæ, manu a viris, linteamine mundo a feminis, agit Baron. in Annot. ad Martyr. 15 Aug. lit. c, ostenditque in Occidente æque ac Oriente diu in usu fuisse etiam cessante persecutione.

Digitized by Google

sine querela controversiæ ac rancoris haberent. Respondebant omnes placidissimam se mentem ad illum, et ab omni ira remotam habere : eumque vicissim rogabant [*Al. add.* an] placidam erga ipsos mentem habere [*Al.*, haberet]. Qui confestim respondit : « Placidam ego mentem, filioli, erga omnes Dei famulos gero. » Sicque se cælesti muniens viatico, vitæ alterius ingressui paravit; et interrogavit, quam prope esset hora qua fratres ad dicendas Domino laudes nocturnas excitari deberent. Respondebant, « Non longe est. » At ille : « Bene ergo, exspectemus horam illam. » Et signans se signo sanctæ crucis, reclinavit caput ad cervical, modicumque obdormiens, ita cum silentio vitam finivit. Sicque factum est ut quomodo simplici ac pura mente tranquillaque devotione Domino servierat, ita etiam tranquilla morte [*Al.*, mente] mundum relinquens ad ejus visionem veniret, illaque lingua quæ tot salutaria verba in laudem Conditoris composuerat, ultima quoque [*Al.*, quæque] verba in laudem ipsius, signando sese, et spiritum suum in manus ejus commendando clauderet : qui etiam præscius sui obitus exstitisse, ex his quæ narravimus, videtur.

## CAPUT XXV.

*Qualis visio cuidam viro Dei apparuerit, priusquam monasterium Coludanæ urbis esset incendio consumptum.*

His temporibus [DCLXXIX] monasterium virginum quod Coludi urbem cognominant, cujus et supra meminimus, per culpam incuriæ flammis absumptum est. Quod tamen a malitia inhabitantium in eo, et præcipue illorum qui majores esse videbantur contigisse, omnes qui novere facillime potuerunt advertere. Sed non defuit puniendis admonitio divinæ pietatis qua correcti, per jejunia, fletus et preces iram a se, instar Ninivitarum, justi Judicis averterent.

Erat namque in eodem monasterio vir de genere Scottorum, [a] Adamnanus vocabulo, ducens vitam in continentia et [*Al.*, vel] orationibus multum Deo devotam, ita ut nihil unquam cibi vel potus, excepta [*Al.*, exceptis] die Dominica et quinta Sabbati perciperet; sæpe autem noctes integras pervigil in oratione transigeret. Quæ quidem illi districtio vitæ arctioris, primo ex necessitate emendandæ suæ pravitatis obvenerat. Sed procedente tempore necessitatem in consuetudinem verterat.

Siquidem in adolescentia sua sceleris aliquid commiserat, quod commissum, ubi ad cor suum rediit, gravissime exhorruit, et se pro illo puniendum a A districto Judice timebat. Accedens ergo ad sacerdotem a quo sibi sperabat iter salutis posse demonstrari, confessus est reatum suum, petiitque ut consilium sibi daret quo posset fugere a ventura [*Al. add.* Dei] ira. Qui audito ejus commisso dixit : « Grande vulnus grandioris curam medelæ desiderat : et ideo jejuniis, psalmis et orationibus, quantum vales, insiste, quo præoccupando faciem Domini in confessione propitium eum invenire merearis. » At ille quem nimius reæ conscientiæ tenebat dolor, et internis peccatorum vinculis quibus gravabatur, ocius desiderabat absolvi : « Adolescentior sum, inquit, ætate, et vegetus corpore : quidquid mihi imposueris agendum, dummodo salvus fiam in die Domini, totum facile feram, etiamsi totam noctem B stando in precibus peragere, si integram septimanam jubeas abstinendo transigere. » Qui dixit : « Multum est ut tota septimana absque alimento corporis perdures; sed biduanum vel triduanum sat est observare jejunium. Hoc facito, donec post modicum tempus rediens ad te, quid facere debeas, et quamdiu pœnitentiæ insistere tibi plenius ostendam. » Quibus dictis, et descripta illi mensura pœnitendi, abiit sacerdos, et ingruente causa subita, secessit [*Al. add.* in] Hiberniam unde originem duxerat [*Al.*, traxerat], neque ultra ad eum juxta suum condictum rediit. At ipse memor præcepti ejus simul et promissi sui, totum se lacrymis pœnitentiæ, vigiliis sanctis, et continentiæ mancipavit; ita ut quinta solum Sabbati et Dominica, sicut prædixi, C reficeret [*Al.*, reficeretur], cæteris septimanæ diebus jejunus permaneret. Cumque sacerdotem suum Hiberniam secessisse ibique defunctum esse audisset, semper ex eo tempore juxta condictum ejus memoratum, continentiæ modum observabat; et quod causa divini timoris semel ob reatum compunctus cœperat, jam causa divini amoris delectatus præmiis indefessus agebat.

Quod dum multo tempore sedulus exsequeretur, contigit eum die quadam de monasterio illo longius egressum, comitante secum uno de fratribus, peracto itinere redire : qui cum monasterio propinquarent et ædificia illius sublimiter erecta aspicerent, solutus est in lacrymis vir Dei, et tristitiam cordis vultu indice prodebat. Quod intuens comes, quare faceret D inquisivit. At ille : « Cuncta, inquit, hæc quæ cernis ædificia publica vel privata, in proximo est ut ignis absumens in cinerem convertat. » Quod ille audiens, mox ut intraverunt monasterium, matri congregationis, vocabulo Aebbæ, curavit indicare. At illa me-

[a] *Adamnanus*. In Coludiensi mon. Adamnanus presbyter vixit, cujus sanctitatem Beda prædicat IV, 25. Ejus natalem in Catalogo SS. Hiberniæ, hoc die retulit Henricus Fitzsimon qui Adamnanum vocat; at non recte abbatem facit, et forte cum Hiiensi abbate confudit. Eumdem hoc die habet Joannes Wilsonus in priore Editione Martyrologii Anglicani : ast in posteriori ejusdem Martyrologii Editione ad XVI Martii, haud scimus qua causa, revocavit. Utrobique præfectum vocat Colud. mon.; non recte, nam et viris et feminis una Aebba præerat. David Camerarius eum refert ad XXVII Jan. : « Hoc, inquit, eodem die S. Adamnanus abb. Coludius, de quo vide Westmonast. ad an. 701. » At neque abbas fuit hic; et Westm. de altero agit Adamnano. Monachum fuisse asserunt, Hugo Menardus lib. II Observat., ad XXIX Aug., et Leflæus lib. IV de Gestis Scottorum. De eo quoque fuse agit Nicolaus Harpsfeld., sec. 7, Capgr. in Vita S. Aebbæ; Trithemius lib. III de Viris illustrib. ord. S. Benedicti, cap. 124.

Digitized by Google

rito turbata de tali præsagio vocavit ad se virum, et A diligentius ab eo rem, vel unde hoc ipse nosset, inquirebat. Qui ait: « Nuper occupatus noctu vigiliis et psalmis, vidi adstantem mihi subito quemdam incogniti vultus: cujus præsentia cum essem exterritus, dixit mihi ne timerem; et quasi familiari me voce alloquens, Bene facis, inquit, qui tempore isto nocturno [*Al.*, nocturnæ] quietis non somno indulgere, sed vigiliis et orationibus insistere maluisti [*Al.*, valuisti]. At ego, Novi, inquam [*Al.*, inquit], multum mihi esse necesse vigiliis salutaribus insistere, et pro meis erratibus sedulo Dominum deprecari. Qui adjiciens, Verum, inquit, dicis, quia et tibi [*Al.*, quia ibi] et multis opus est peccata sua bonis operibus redimere, et cum cessant a laboribus rerum B temporalium, tunc pro appetitu æternorum bonorum liberius laborare; sed hoc tamen paucissimi faciunt. Siquidem modo totum hoc monasterium ex ordine perlustrans singulorum casas ac lectos [*Al.*, lectulos] inspexi, et neminem ex omnibus præter te erga sanitatem animæ suæ occupatum reperi: sed omnes prorsus et viri et feminæ aut somno torpent inerti, aut ad peccata vigilant. Nam et domunculæ quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum, et cæterarum sunt illecebrarum cubilia conversæ. Virgines quoque Deo dicatæ, contempta reverentia suæ professionis, quotiescumque vacant, texendis subtilioribus indumentis operam dant quibus aut seipsas ad vicem sponsarum in periculum sui status adornent, C aut externorum sibi virorum amicitiam comparent. Unde merito loco huic et habitatoribus ejus gravis de cælo vindicta flammis sævientibus præparata est. » Dixit autem abbatissa: « Et quare non citius hoc compertum mihi revelare voluisti? » Qui respondit: « Timui propter reverentiam tuam, ne forte nimium conturbareris; et tamen hanc consolationem habeas, quod in diebus tuis hæc plaga non superveniet. » Qua divulgata visione, aliquantulum loci accolæ paucis diebus timere, et seipsos intermissis facinoribus castigare cœperunt. Verum post obitum ipsius abbatissæ redierunt ad pristinas sordes, immo sceleratiora fecerunt. Et cum dicerent, Pax et securitas, extemplo præfatæ ultionis sunt pœna multati.

Quæ mihi cuncta sic esse facta reverentissimus D meus compresbyter Aedgils referebat, qui tunc in illo monasterio degebat. Postea autem discedentibus inde ob desolationem plurimis incolarum, in nostro monasterio plurimo tempore conversatus ibidemque defunctus est. Hæc ideo nostræ Historiæ inserenda credidimus, ut admoneremus lectorem operum Domini, quam terribilis [*Al. add.* sit] in consiliis super filios hominum; ne forte nos tempore aliquo carnis illecebris servientes minusque Dei judicium formidantes, repentina ejus ira corripiat, et vel temporalibus damnis juste sæviens affligat, vel ad perpetuam perditionem districtius examinans tollat.

## CAPUT XXVI.

*De morte Ecgfridi et Hlotheri regum.*

Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo quarto, Ecgfrid rex Nordanhymbrorum misso [a] Hiberniam cum exercitu duce Bercto, vastavit misere gentem innoxiam et nationi Anglorum semper amicissimam; ita ut ne ecclesiis quidem, aut monasteriis manus parceret hostilis. At Insulani, et quantum valuere, armis arma repellebant, et invocantes divinæ auxilium pietatis, cælitus se vindicari continuis diu imprecationibus [*Al.*, precationibus] postulabant. Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum est tamen quod hi qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocius Domino vindice pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo idem rex, cum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multum prohibentibus amicis et maxime beatæ memoriæ [b] Cudbercto qui nuper fuerat ordinatus episcopus, introductus est, simulantibus fugam hostibus, in angustias inaccessorum montium, et cum maxima parte copiarum quas secum adduxerat, exstinctus anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quinto decimo, die XIII Kalendarum Juniarum. Et quidem, ut dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret; sed quoniam [*Al.*, quomodo] anno præcedente noluerat audire reverentissimum Patrem Ecgberctum, ne [c] Scottiam [d] nil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos qui ipsum ab interitu revocare cupiebant, audiret.

Ex quo tempore spes cœpit et virtus regni Anglorum fluere, ac retro sublapsa referri. Nam et Picti terram possessionis suæ quam tenuerunt Angli et Scotti qui erant in Brittania, [*Al. add.* est] Brittonum quoque pars nonnulla, libertatem receperunt, quam

[a] *Hiberniam*. Annales Hibernici memorant præcisum tempus et locum quo Ecgfridi exercitus Hiberniam intravit; vide Ogygia, p. 230.

[b] *Cudbercto*. Vide Vitam S. Cudbercti, cap. 24 et 27.

[c] *Scottiam*. Quoniam mentio hic facta est de Scottia, historici Scottiæ modernæ prælium quod Beda ponit in priore anno in Hibernia factum, æque ac posterioris quo Ecgfrid occisus est, ad se trahunt, et rem omnem suis circumstantiis decoratam in Gallovidia ponunt. Vid. H. Boetg. et Buchan. in Eugenio quinto. Et fuit proculdubio hæc fatalis Ecgfrido pugna in Scottia Albionensi: Sim. Dunelm., p. 5, 7, non solum regionem, sed ipsum locum pugnæ fixit, « exstinctum dicens regem apud Nechtanesmere, *quod est stagnum* Nectani, ejusque corpus in Hii in*sula columbæ sepultum.* » Sed quod Hiberniam proprie dictam non invasit, id sine nimia in Bedam vi affirmari non potest. Imo clarum est Scottiam ipsam, a qua ut nil se lædente invadenda Ecgberctus regem dissuadet, eamdem esse cum Hibernia, quam Beda supra descripsit ut « gentem nationi Anglorum semper amicissimam. » Hoc pro sua ingenuitate confessus est D. Jacobus Dalrymple in suis de Historia Scottica Collectionibus, p. 34. Utinam non insinuasset Bedam minus ingenuum non solum contra naturalem hominis indolem, sed contra ipsius historiæ scopum, ut conferenti I, 34, apparebit.

[d] *Nil se lædentem*. Merito usus est Ecgberctus hoc argumento, quia adeo expertus fuerat gentem Hibernicam non solum *innoxiam*, sed *semper amicissimam*. Vide III, 27.

Digitized by Google

et hactenus habent per annos circiter quadraginta sex; ubi inter plurimos gentis [*Al.*, plurimas gentes] Anglorum vel interemptos gladio, vel servitio addictos, vel de terra Pictorum fuga lapsos, etiam reverentissimus vir Dei Trumuini qui in eos episcopatum acceperat, recessit cum suis qui erant in monasterio [a] Aebbercurnig, posito quidem in regione Anglorum, sed in vicinia freti quod Anglorum terras Pictorumque disterminat; eosque ubicumque poterat, amicis per monasteria commendans, ipse in sæpedicto famulorum famularumque Dei monasterio quod vocatur Streanaeshalch, locum mansionis elegit; ibique cum paucis suorum in monachica districtione vitam non sibi [*Al. om.* sibi] solummodo, sed et multis utilem plurimo annorum tempore duxit: ubi etiam defunctus, in ecclesia beati Petri apostoli, juxta honorem et vita et gradu [*Al.*, gratia] ejus condignum [b] conditus est. Præerat quidem tunc eidem monasterio regia virgo Aelbfled una cum matre Eanflede quarum [c] supra fecimus mentionem. Sed, adveniente illuc episcopo, maximum regendi auxilium simul et suæ vitæ solatium devota Deo doctrix invenit. Successit autem Ecgfrido in regnum [d] Alfrid, vir in Scripturis doctissimus, qui frater ejus et filius Osuiu regis esse dicebatur: destructumque regni statum, quamvis intra fines angustiores, nobiliter recuperavit.

Quo videlicet anno, qui est ab incarnatione dominica sexcentesimus octogesimus quintus, Hlotheri Cantuariorum rex, cum post Ecgberctum fratrem suum qui novem annis regnaverat, ipse duodecim annis regnasset, mortuus erat octavo Idus Februarias [*Al.*, Februarii]. Vulneratus namque est in pugna Australium Saxonum, quos contra eum Edric filius Ecgbercti adgregarat, et inter medendum defunctus. Ac post eum idem Edric anno uno ac dimidio regnavit: quo defuncto regnum illud [e] per aliquod temporis spatium reges dubii vel externi disperdiderunt; donec legitimus rex Uictred, id est, filius Ecgbercti, confortatus in regno, religione simul et industria gentem suam ab extranea invasione liberaret.

## CAPUT XXVII.

*Ut vir Domini Cudberct* [Al. *Cudberctus*] *sit episcopus factus: utque in monachica adhuc vita positus vixerit vel docuerit.*

Ipso etiam anno quo finem vitæ accepit rex Ecgfrid, episcopum, ut diximus, fecerat ordinari Lindisfarnensium Ecclesiæ, virum sanctum et venerabilem Cudberctum qui in insula permodica quæ appellatur [f] Farne, et ab eadem ecclesia novem ferme millibus passuum in Oceano procul abest, vitam solitariam per annos plures in magna corporis et mentis continentia duxerat. Qui quidem a prima ætate pueritiæ, studio religiosæ vitæ semper ardebat; sed ab ineunte adolescentia monachicum et nomen adsumpsit et habitum. Intravit autem [*Al.*, enim] primo monasterium [g] Mailros, quod in ripa Tuidi fluminis positum, tunc abbas Eata, vir omnium mansuetissimus ac simplicissimus regebat: qui postea episcopus Hagustaldensis, sive Lindisfarnensis Ecclesiæ factus est, ut supra memoravimus: cui tempore illo præpositus Boisil magnarum virtutum et prophetici spiritus sacerdos fuit. Hujus discipulatui Cudberct humiliter subditus, et scientiam ab eo [*Al. add.* sanctarum] Scripturarum et bonorum operum sumpsit exempla.

Qui postquam migravit ad Dominum Cudberct eidem monasterio factus [*Al. om.* factus] præpositus, plures et auctoritate magistri, et exemplo suæ actionis regularem instituebat ad vitam. Nec solum ipsi monasterio regularis vitæ monita simul et exempla præbebat, sed et vulgus circumpositum longe lateque a vita stultæ consuetudinis ad cælestium gaudiorum convertere curabat amorem. Nam et multi fidem quam habebant, iniquis profanabant operibus: et aliqui etiam tempore mortalitatis, neglectis fidei sacramentis quibus erant imbuti, ad erratica idolatriæ medicamina concurrebant; quasi missam a Deo conditore plagam, per incantationes, vel fylacteria, vel alia quælibet dæmoniacæ [*Al.*, dæmonicæ] artis arcana cohibere valerent. Ad utrorumque ergo corrigendum errorem crebro ipse de monasterio egressus, aliquoties equo sedens, sed sæpius pedes [*Al.*, pedibus] incedens, circumpositas veniebat ad villas, et viam veritatis prædicabat errantibus; quod ipsum

[a] *Aebbercurnig.* Vide notam ad hunc locum I, 12.

[b] *Conditus est.* De Trumuini reliquiis vide G. Malms., supra, in nota ad Caedmonem, IV, 24

[c] *Supra.* III, 15, 24.

[d] *Alfrid.* Is, quia nothus, quamvis Ecgfrido senior, sub regno fratris seu vi seu indignatione in Hiberniam secessit: nec impossibile est tutelam ei ab Hibernis concessam, ansam al qualem belli Hibernici Ecgfrido præbuisse. Hic apud Driffeld in orientali parte agri Eboracensis sepultus est, ibique monumentum ejus hodie ostenditur.

[e] *Per aliquod temporis spatium.* Ea occasione Caedualla cum fratre Mollone, quantis potuit conatibus, provinciam invasit impune se decessurum arbitratus, sed non ita ut sperabat imparatos aut animi vacuos provinciales offendit; siquidem post multa incommoda accepta Caeduallam in terga vertunt, fratreque Mollone in tugurium quoddam compulso, domunculam ipsam succendunt; non tamen Caedualla destitit quin dolorem suum crebris accolarum dispendiis sarciret, reique ultionem in successorem suam transfunderet, qui 30000 auri marcis solutis pacem concessit. Vide Chr. Sax. ad an. 686, 687, 694, collat. cum Malms. I., I, 2.

[f] *Farne.* Locus ab ipsis Aedani temporibus recessui et meditationi dicatus, vide III, 16. Ibi postea vixit frater Bartholomæus, scripsitque librum Meditationum Farnensium qui in bibliotheca Dunelm. adhuc conservatur.

[g] *Mailros.* Situm illud fuit in valle Scottiæ hodiernæ, a Berwico ultimo Angliæ oppido 20 millibus passuum dissitum. Deletum antiquum monasterium restituit S. David Scottorum rex, Malcolmi Pii et Margaretæ Sanctæ filius, et Cisterciensi ordini cum pluribus aliis attribuit. Monast. tom. II, p. 1057. Facta est abbatia S. Mariæ de Mailros feria secunda Paschæ, et Richardus primus abbas Mailros constitutus an. 1136. Chron. de Mailros, p. 165. Seriem novendecim abbatum ad an. 1268 habes p. 226.

Digitized by Google

etiam Boisil suo tempore facere consueverat. Erat A quippe moris eo tempore populis Anglorum, ut venieute in villam clerico vel presbytero, cuncti ad ejus imperium verbum audituri confluerent; libenter ea quæ dicerentur, audirent; libentius ea quæ audire et intelligere poterant, operando sequerentur. Porro Cudbercto tanta erat dicendi peritia, tantus amor persuadendi quæ cœperat [*Al.*, docuerat], tale vultus angelici lumen, ut nullus præsentium latebras ei sui cordis celare præsumeret; omnes palam quæ gesserant, confitendo proferrent, quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putabant [*Al.*, putarent]; et confessa dignis, ut imperabat, pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat autem ea maxime loca peragrare, [*Al. add.* et] illis prædicare in viculis, qui in arduis asperisque montibus procul positi, aliis hor- B rori erant ad visendum, et paupertate pariter ac rusticitate sua doctorum arcebant accessum. Quos tamen ille pio libenter mancipatus labori tanta [*Al.*, tantum] doctrinæ sollertis excolebat industria, ut de monasterio egressus sæpe ebdomade [*Al.*, hebdomada] integra, aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam mense pleno domum non rediret; sed demoratus in montanis, plebem rusticam verbo prædicationis simul et opere virtutis ad cælestia vocaret.

Cum ergo venerabilis Domini famulus multos in Mailrosensi monasterio degens annos, magnis virtutum signis efulgeret [*Al.*, effulgeret], transtulit eum reverentissimus abbas ipsius Eata ad insulam Lindisfarnensium, ut ibi quoque fratribus custodiam disciplinæ regularis et auctoritate præpositi intimaret, C et propria actione præmonstraret. Nam et ipsum locum tunc idem reverentissimus Pater abbatis jure regebat. Siquidem a temporibus ibidem antiquis et episcopus cum clero, et abbas solebat manere cum monachis; qui tamen et ipsi ad curam episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aedan qui primus ejus loci episcopus fuit, cum monachis illuc et ipse monachus adveniens, monachicam in eo conversationem instituit: quomodo et prius beatus Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reverentissimo papa Gregorio, quod et [a] supra posuimus. « Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis; in Ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta est, hanc debet conver- D sationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris; in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. »

## CAPUT XXVIII.

*Ut idem in vita anachoretica et fontem ac arente* [Al., *saxosa*] *terra orando produxerit, et segetem de labore manuum ultra tempus serendi* [Al., *reddendi*] *acceperit.*

Exin Cudberct crescentibus meritis religiosæ intentionis, ad anachoreticæ quoque contemplationis, quæ diximus, silentia secreta pervenit [DCLXXVI]. Verum quia de vita illius et virtutibus ante annos plures sufficienter et versibus heroicis, et simplici oratione conscripsimus, hoc tantum in præsenti commemorare satis sit, quod aditurus insulam protestatus est fratribus, dicens: « Si mihi divina gratia in loco illo donaverit, ut de opere manuum mearum vivere queam, libens ibi morabor; sin alias, ad vos citissime Deo volente revertar. » Erat autem locus et aquæ prorsus et frugis et arboris inops, sed et spirituum malignorum frequentia humanæ habitationi minus accommodus: sed ad votum viri Dei habitabilis per omnia factus est, siquidem ad adventum ejus spiritus recessere [*Al.*, recesserunt] maligni. Cum autem ipse sibi ibidem expulsis hostibus mansionem angustam circumvallante aggere, et domos in ea necessarias, juvante fratrum manu, id est, oratorium, et habitaculum commune construxisset, jussit fratres in ejusdem habitaculi pavimento foveam facere: erat autem tellus durissima et saxosa, cui nulla omnino spes [*Al.*, species] venæ fontanæ videretur inesse. Quod dum facerent, ad fidem et preces famuli Dei, alio die aqua plena inventa est, quæ usque ad hanc diem, sufficientem cunctis illo advenientibus gratiæ suæ cælestis copiam ministrat [*Al.*, subministrat]. Sed et ferramenta sibi ruralis cum frumento adferri rogavit, quod dum præparata [*Al.*, præfata] terra tempore congruo seminaret, nil omnino, non dico spicarum, sed ne herbæ quidem ex eo germinare usque ad æstatis tempora contigit. Unde visitantibus se ex more fratribus, hordeum jussit adferri, si forte vel natura soli illius, vel voluntas esse superni largitoris, ut illius frugis ibi potius seges oriretur. Quod dum sibi adlatum, ultra omne tempus serendi, ultra omnem spem fructificandi, eodem in agro sereret, mox copiosa seges exorta desideratam proprii laboris viro Dei refectionem præbebat.

Cum ergo multis ibidem annis Deo solitarius serviret [DCLXXXIV], tanta autem erat altitudo aggeris quo mansio ejus erat vallata, ut cælum tantum ex ea, cujus introitum sitiebat, aspicere posset, contigit ut congregata synodo non parva sub præsentia regis Ecgfridi juxta fluvium Alne [*Al.*, Alnæ], in loco qui dicitur [b] Adtuifyrdi, quod significat, *ad duplex vadum*, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiscopus præsidebat, uno animo omniumque [*Al.*, unanimo

[a] *Supra.* Vide responsionem Gregorii ad primam interrogationem Augustini, I, 27.

[b] *Adtuifyrdi.* Quicquid Beda hic narrat de synodo Twyford plane, ut mihi quidem videtur, demonstrat synodum fuisse ad Twyford Northumbriæ, et vere ecclesiasticum, sub præsentia quidem Ecgfridi Northumbriæ regis, sed præsidente Theodoro archiepiscopo Doruvern. Et ne quis miretur quod Theodorus tam longe a sede sua functiones exerceat, videat IV, 2, cum nota annexa e G. Malms. Pont. I. Quod autem plures sint in aliis Angliæ partibus Tuifordæ, Beda expresse hanc distinguit a situ ad fluvium Alne. Et si legenda S. Cuthbercti hanc Tuifordam ponat juxta fluvium Slu, id nullius est contra Bedam auctoritatis, nec aliquid probat nisi errorem preli, quo S ponitur pro A, et u pro n.

Digitized by Google

omnium] consensu ad episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis eligeretur. Qui cum multis legatariis ac literis ad se præmissis, nequaquam suo monasterio posset erui; tandem rex ipse præfatus, una cum sanctissimo antistite Trumuine, nec non [*Al. om.* nec non] et aliis religiosis ac potentibus viris insulam navigavit. Conveniunt et de ipsa insula Lindisfarnensi in hoc ipsum multi de fratribus, genuflectunt omnes, adjurant per Dominum, lacrimas fundunt, obsecrant; donec ipsum quoque lacrimis plenum dulcibus extrahunt latebris, atque ad [*Al.*, in] synodum pertrahunt. Quo dum perveniret, quamvis multum renitens, unanima cunctorum voluntate superatur, atque ad suscipiendum episcopatus officium collum submittere compellitur: eo maxime victus sermone, quod famulus Domini Boisil, cum ei [*Al. om.* ei] mente prophetica cuncta quæ eum essent superventura patefaceret, antistitem quoque eum futurum esse [a] prædixerat. Nec tamen statim ordinatio decreta, sed peracta hieme quæ imminebat, in ipsa sollemnitate Paschali completa est [b] Eburaci sub præsentia præfati [*Al. om.* præfati] regis Ecgfridi, convenientibus ad consecrationem ejus septem episcopis in quibus beatæ memoriæ Theodorus primatum tenebat. Electus est autem primo in episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ pro [c] Tunbercto qui ab episcopatu [*Al.*, episcopis] fuerat depositus: sed quoniam ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ in qua conversatus fuerat, dilexit præfici; placuit ut Eata reverso ad sedem Ecclesiæ Hagustaldensis cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cudberct Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet.

Qui susceptum episcopatus gradum ad imitationem beatorum apostolorum virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi plebem et orationibus protegebat adsiduis, et admonitionibus saluberrimis ad cœlestia vocabat. Et, quod maxime doctores juvare solet, ea quæ agenda docebat, ipse prius agendo præmonstrabat. Erat quippe ante omnia divinæ caritatis igne fervidus, patientiæ virtute modestus, orationum devotioni sollertissime intentus, affabilis omnibus qui ad se consolationis gratia veniebant; hoc ipsum quoque orationis loco ducens, si infirmis fratribus opem suæ exhortationis tribueret; sciens quia qui dixit, *Diliges Dominum Deum tuum*; dixit et, *Diliges proximum* [Al. add. *tuum sicut teipsum*]. Erat [*Al. add.* et] abstinentiæ castigatione insignis, erat gratia compunctionis semper ad cœlestia suspensus. Denique cum sacrificium Deo victimæ salutaris offerret, non elevata in altum voce, sed profusis ex imo pectore lacrymis, Domino sua vota commendabat.

[d] Duobus autem annis in episcopatu peractis, repetiit insulam ac monasterium suum [DCLXXXVII], divino admonitus oraculo quia dies sibi mortis vel vitæ magis illius quæ sola vita dicenda est, jam adpropiaret introitus: sicut ipse quoque tempore eodem nonnullis, sed verbis obscurioribus, quæ tamen postmodum manifeste intelligerentur, solita sibi simplicitate pandebat; quibusdam autem hoc idem etiam manifeste revelabat.

## CAPUT XXIX.

*Ut idem jam episcopus obitum suum proxime futurum Herebercto anachoretæ prædixerit.*

Erat enim [*Al. add.* quidam] presbyter vitæ [*Al. add.* et morum probitate] venerabilis, nomine Hereberct [*Al.*, Heriberct], jamdudum viro Dei spiritalis amicitiæ fœdere copulatus; qui in insula stagni illius pergrandis de quo Deruentionis fluvii primordia erumpunt, vitam ducens solitariam, annis singulis eum visitare et monita ab eo perpetuæ salutis audire solebat. Hic cum audiret eum ad civitatem [e] Lugubaliam [*Al.*, Leguraliam] devenisse, venit ex more, cupiens salutaribus ejus exhortationibus ad superna desideria magis magisque accendi. Qui dum sese alterutrum cœlestis vitæ poculis debriarent, dixit inter alia antistes: « Memento, frater Herebercte, ut modo quidquid opus habes, me interroges, mecumque loquaris: postquam enim ab invicem digressi fuerimus, non ultra nos in hoc sæculo carnis obtutibus invicem aspiciemus. Certus sum namque quod tempus meæ resolutionis instat, et velox est depositio tabernaculi mei. » Qui hæc audiens provolutus est ejus vestigiis, et fusis cum gemitu lacrymis, « Obsecro, inquit, per Dominum, ne me deseras, sed tui memor sis fidissimi sodalis, rogesque supernam pietatem, ut cui simul in terris servivimus, ad ejus videndam gratiam simul transeamus ad cælos. Nosti enim quia ad tui oris imperium semper vivere studui, et quicquid ignorantia vel fragilitate deliqui, æque ad tuæ voluntatis examen mox emendare curavi. » Incubuit precibus antistes, statimque edo-

[a] *Prædixerat.* Vide Bedæ Vitam S. Cuthbercti, cap. 8.

[b] *Eburaci.* « Rex Ecgfridus et Theodorus archiepiscopus dederunt S. Cudbercto in civitate Eburaca totam terram a muro ecclesiæ S. Petri usque magnam partem versus occidentem, et a muro ipsius ecclesiæ usque murum civitatis versus austrum. » SIM. DUNELM. I, 9.

[c] *Tunbercto.* De eo vide IV, 12. Causa hujus depositionis ignoratur, sed ipsa depositio præsentiam Theodori arguit, sub cujus auspiciis ecclesiastica disciplina tunc temporis vigebat.

[d] *Duobus.* In mss. Mori, etc., hic incipit caput 27, eique apponitur in indice titulus sequentis capitis; sed ob rationes redditas in notis ad caput 14 non mutatur Chiffletii ordo vel numerus.

[e] *Lugubaliam.* Rex Ecgfridus præsente Theodoro archiepiscopo una cum terra prædicta apud Eboracum dedit. « S. Cudbercto Villam Crecam et tria in circuitu ipsius Villæ milliaria, ut haberet Eboracum iens vel rediens, mansionem ubi quiescere posset: ubi monachorum habitationem instituit. Et quia illa terra minus sufficiens erat, Lugubaliam, quæ Luel vocatur, in circuitu quindecim milliaria habentem in augmentum suscepit: ubi etiam sanctimonialium congregatione stabilita, reginam dato habitu religionis consecravit, et in profectum divinæ servitutis scholas instituit. Aliæ quoque terrarum possessiones ei donatæ sunt, quas hic longum est, et non necessarium ponere: scriptæ sunt in cartulis ecclesiæ. Sim. Dun., I, 9. Harum donationum chartam e registris Dunelm. exscriptam, cum subscriptis Theodori et septem episcoporum nominibus, vide append. n. 22

ctus in spiritu impetrasse se [*Al. om.* se] quod petebat a Domino: « Surge, inquit, frater mi, et noli plorare, sed gaudio gaude quia quod rogavimus, superna nobis clementia donavit. »

Cujus promissi et prophetiæ veritatem sequens rerum astruxit eventus, quia et digredientes ab invicem non se ultra corporaliter viderunt, sed uno eodemque die, hoc est, tertia decima Kalendarum Aprilium, egredientes e corpore, spiritus eorum mox beata invicem visione conjuncti sunt, atque angelico ministerio pariter ad regnum cæleste translati. Sed [a] Hereberct divina prius infirmitate decoquitur; illa, ut credibile est, dispensatione dominicæ pietatis, ut si quid minus haberet meriti a beato Cudbercto, suppleret hoc castigans longæ ægritudinis dolor: quatenus æquatus gratia suo intercessori, sicut uno eodemque tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam una atque indissimili sede perpetuæ beatitudinis meruisset recipi.

Obiit autem Pater reverentissimus in insula Farne, multum deprecatus fratres ut ibi quoque sepeliretur, ubi non parvo tempore pro Domino militarat. Attamen tandem eorum precibus victus assensum dedit, ut ad insulam Lindisfarnensium relatus, in ecclesia deponeretur. Quod dum factum esset, episcopatum Ecclesiæ illius anno uno servabat venerabilis antistes Uilfrid, donec eligeretur qui pro Cudbercto antistes ordinari deberet

Ordinatus est autem [*Al., om.* autem] post hæc Eadberct [DCLXXXVIII], vir scientia divinarum [*Al. om.* divinarum] Scripturarum simul et præceptorum cælestium observantia, ac maxime eleemosynarum operatione insignis; ita ut, juxta legem, omnibus annis decimam non solum quadrupedum, verum etiam frugum omnium atque pomorum, necnon et vestimentorum partem pauperibus daret.

## CAPUT XXX.

*Ut corpus illius, post undecim annos sepulturæ, sit corruptionis immune repertum; nec multo post successor episcopatus ejus de mundo transierit.*

[DCXCVIII] Volens autem latius demonstrare divina dispensatio, quanta in gloria vir Domini Cudberct post mortem viveret, cujus ante mortem vita sublimis crebris etiam miraculorum patebat indiciis, transactis sepulturæ ejus annis undecim, immisit in animo [*Al.*, animos] fratrum ut tollerent ossa illius, quæ [*Al.*, qui] more mortuorum consumpto jam et in pulverem redacto corpore reliquo [*Al.*, corpore, reliqua], sicca invenienda putabant: atque in novo recondita loculo, in eodem quidem loco, sed supra pavimentum dignæ venerationis gratia locarent. Quod dum sibi placuisse Eadbercto antistiti suo referrent, adnuit consilio eorum, jussitque ut die depositionis ejus hoc facere meminissent. Fecerunt autem ita: et aperientes sepulcrum, invenerunt

A corpus totum quasi adhuc viveret, integrum, et flexilibus [*Al.*, flexibilibus] artuum compagibus multo dormienti quam mortuo similius; sed et vestimenta omnia quibus indutum erat, non solum intemerata, verum etiam prisca novitate et claritudine [*Al.*, claritate] miranda parebant [*Al.*, apparebant]. Quod ubi videre fratres, nimio mox timore perculsi, festinaverunt referre antistiti quæ invenerant, qui tum forte in remotiore ab ecclesia loco refluis undique pelagi fluctibus cincto, solitarius manebat. In hoc etenim semper Quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante dominicum natale dies in magna continentiæ, orationis et lacrymarum devotione transigere solebat: in quo etiam venerabilis prædecessor ejus Cudberct priusquam insulam Farne peteret,
B aliquandiu secretus [*Al.*, secretius] Domino militabat.

Adtulerunt autem ei et partem indumentorum quæ corpus sanctum ambierant, quæ cum ille et munera gratanter acciperet et miracula libenter audiret, nam et ipsa indumenta quasi patris adhuc corpori circumdata miro deosculabatur affectu, « Nova, inquit, indumenta corpori pro his quæ tulistis, circumdate, et sic reponite in arca quam parastis. Scio autem certissime quia non diu vacuus remanebit locus ille, qui tanta miraculi cælestis gratia sacratus est; et quam beatus est cui in eo facultatem quiescendi Dominus totius beatitudinis auctor atque largitor præstare dignabitur. » Hæc et hujusmodi plura ubi multis cum lacrymis et magna com-
C punctione antistes lingua etiam tremente complevit, fecerunt fratres ut jusserat, et involutum novo amictu corpus novaque in theca reconditum, supra pavimentum sanctuarii posuerunt. Nec mora, Deo dilectus antistes Eadberct morbo correptus est acerbo, ac per dies crescente multumque ingravescente ardore languoris, non multo post, id est, pridie Nonas Maias etiam ipse migravit ad Dominum: cujus [*Al. add.* etiam] corpus in sepulcro benedicti Patris Cudbercti ponentes, adposuerunt desuper arcam in qua incorrupta ejusdem Patris membra locaverant: in quo etiam loco signa sanitatum aliquoties facta, meritis amborum testimonium ferunt, e quibus aliqua in libro Vitæ illius olim memoriæ mandavimus. Sed
D et in hac Historia quædam quæ [*Al.*, unum quod] nos nuper audisse contigit, superadjicere commodum duximus.

## CAPUT XXXI.

*Ut quidam ad tumbam ejus sit a paralysi sanatus* [Al., *curatus*].

Erat in eodem monasterio frater quidam, nomine Badudegn, tempore non pauco hospitum ministerio deserviens, qui nunc usque superest, testimonium habens ab universis fratribus cunctisque supervenientibus hospitibus [*Al. om.* c. sup. hosp.] quod vir

---

[a] *Hereberct.* Vide Bedæ Vitam S. Cudbercti, cap. 28. In insula stagni Deruentionis fl. juxta Keswick, in qua Hereberct mansionem vitæ solitariæ posuit, constructa est postea ecclesia in honorem sancti illius anachoretæ, et devotio in locum indulgentiis episcopalibus communita. Vide append. n. 23.

Digitized by Google

esset multæ pietatis ac religionis, injunctoque sibi officio supernæ tantum mercedis gratia subditus. Hic cum quadam die lenas sive saga quibus in hospitale utebatur, in mari lavasset, rediens domum repentina medio itinere molestia [*Al. add.* corporali] tactus est, ita ut corruens in terram et aliquandiu pronus jacens, vix tandem resurgeret; resurgens autem sensit dimidiam corporis sui partem a capite usque ad pedes paralysis languore depressam : et maximo cum labore baculo innitens domum pervenit. Crescebat morbus paulatim, et nocte superveniente gravior effectus est, ita ut, die redeunte, vix ipse per se exsurgere aut incedere valeret. Quo affectus incommodo, concepit utillimum [*Al.*, utile] mente consilium, ut ad ecclesiam quoquo modo posset perveniens, intraret ad tumbam reverentissimi Patris Cudbercti, ibique genibus flexis supplex supernam pietatem rogaret, ut vel ab hujuscemodi languore, si hoc sibi utile esset, liberaretur; vel si se tali molestia diutius castigari divina providente gratia oporteret, patienter dolorem ac placida mente sustineret inlatum. Fecit igitur ut animo disposuerat, et imbecilles artus baculo sustentans intravit ecclesiam; ac prosternens se ad corpus viri Dei pia intentione, per ejus auxilium Dominum sibi propitium fieri precabatur : atque inter preces velut in soporem solutus sensit, ut ipse postea referre erat solitus quasi magnam latamque manum caput sibi in parte qua dolebat, tetigisse, eodemque tactu totam illam quæ languore pressa fuerat corporis sui partem, paulatim fugiente dolore, ac sanitate subsequente, ad pedes usque pertransisse [*Al.*, subsequente pertransisse]. Quo facto, mox evigilans sanissimus surrexit, ac pro sua sanitate Domino gratias denuo referens, quid erga se actum esset fratribus indicavit : cunctisque congaudentibus ad ministerium quod solicitus exhibere solebat, quasi flagello probante castigatior rediit.

Sed et indumenta, quibus Deo dicatum corpus Cudbercti, vel vivum antea, vel postea defunctum vestierant, etiam ipsa a gratia curandi non vacarunt, sicut in volumine Vitæ et virtutum ejus quisque legerit, inveniet.

## CAPUT XXXII.

*Ut alter ad reliquias ejus nuper fuerit ab oculi languore curatus.*

Nec silentio prætereundum quod ante triennium A per reliquias ejus factum [DCCXXVIII], nuper mihi per ipsum in quo factum est, fratrem innotuit. Est autem factum in monasterio quod juxta amnem [a] Dacore constructum ab eo cognomen accepit, cui tunc vir religiosus [b] Suidberct abbatis jure præfuit. Erat in eo quidam adolescens cui tumor deformis palpebram oculi fœdaverat, qui cum per dies crescens oculo interitum minaretur, curabant medici hunc adpositis pigmentorum fomentis emollire, nec valebant. Quidam abscidendum esse dicebant [*Al.*, docebant]; alii hoc fieri metu majoris periculi vetabant. Cumque tempore non pauco frater præfatus tali incommodo laboraret, neque imminens oculo exitium humana manus curare valeret, quin [*Al. add.* potius] per dies augesceret, contigit eum subito di- B vinæ pietatis gratia per sanctissimi Patris Cudbercti reliquias sanari. Nam quando fratres sui corpus ipsius post multos sepulturæ annos incorruptum reperierunt [*Al.*, repererant], tulerunt partem de capillis quam more reliquiarum rogantibus amicis dare, vel ostendere in signum miraculi possent.

Harum particulam reliquiarum eo tempore habebat penes se quidam de presbyteris ejusdem monasterii, nomine Thruidred, qui nunc ipsius monasterii abbas est. Qui cum die quadam ingressus ecclesiam, aperuisset thecam reliquiarum, ut portionem earum roganti amico præstaret, contigit et ipsum adolescentem cui oculus languebat, in eadem ecclesia tunc adesse. Cumque presbyter portionem quantam voluit, C amico dedisset, residuum dedit adolescenti, ut suo in loco reponeret. At ille salubri instinctu admonitus, cum accepisset capillos sancti capitis, adposuit palpebræ languenti, et aliquandiu tumorem illum infestum horum adpositione comprimere ac mollire curabat. Quo facto, reliquias, ut jussus erat, sua in theca recondidit, credens suum oculum capillis viri Dei quibus adtactus [*Al.*, adlatus] erat, ocius esse sanandum. Neque [*Al.*, *add.* enim] eum sua fides fefellit. Erat enim, ut referre erat solitus, tunc hora circiter secunda [*Al.*, horam.... secundam] diei. Sed cum alia, quæque dies illa exigebat, cogitaret et faceret, imminente hora ipsius diei sexta, repente contingens oculum, ita sanum cum palpebra invenit, ac si nil un- D quam in eo deformitatis ac tumoris apparuisset.

[a] *Dacore.* Amnis cadens in fl. Aymot qui paulo superius erumpit e lacu Ululswalter et comitatus Westm. meriæ et Cumbriæ dividit. Adhuc traditio est de antiquo mon. ad hujus amnis ripas posito, a quo etiam amne viculus ipse nomen retinet.

[b] *Suidberct.* Non temere confundendus hic Suidbercl cum Suidberclo episcopo Verdensi, de quo Beda fuse infra v, 12.

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Ut [a] Oidiluald* [Al., *Oidilvaldus*] *successor Cudbercti in anachoretica vita, laborantibus in mari fratribus, tempestatem orando sedaverit.*

[DCLXXXVII.] Successit autem viro Domini Cudbercto, in exercenda vita solitaria quam in insula Farne ante episcopatus sui tempora gerebat, vir venerabilis Oidiluald, qui multis annis in monasterio quod dicitur Inhrypum, acceptum presbyteratus officium condignis gradu ipse [*Al.*, ipso] consecrabat actibus. Cujus ut meritum vel vita qualis fuerit, certius clarescat, unum ejus narro miraculum quod mihi unus e fratribus propter quos et in quibus patratum est, ipse narravit: videlicet Gudfrid, venerabilis Christi famulus et presbyter, qui etiam postea fratribus ejusdem Ecclesiæ Lindisfarnensis in qua educatus est, abbatis jure præfuit. « Veni, inquit, cum duobus fratribus aliis ad insulam Farne, loqui desiderans cum reverentissimo Patre Oidilualdo : cumque allocutione ejus refecti et benedictione petita domum rediremus, ecce subito, positis nobis in medio mari, interrupta est serenitas qua vehebamur, et tanta ingruit tamque fera tempestatis hiems [*Al.*, tempestas hiemis], ut neque velo neque remigio quicquam proficere, neque aliud quam mortem sperare valeremus. Cumque diu multum cum vento pelagoque frustra certantes tandem post terga respiceremus, si forte vel ipsam de qua egressi eramus, insulam aliquo conamine repetere possemus, invenimus nos undiqueversum pari tempestate præclusos, nullamque spem nobis [*Al. om.* nobis] in nobis restare salutis. Ubi autem longius visum levavimus, vidimus in ipsa insula Farne, egressum de latibulis suis amantissimum Deo Patrem Oidilualdum iter nostrum inspicere. Audito etenim fragore procellarum ac ferventis Oceani, exierat videre quid nobis accideret : cumque nos in labore ac desperatione positos cerneret, flectebat genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi pro nostra vita et salute precaturus [*Al.*, deprecaturus]. Et cum orationem compleret, simul tumida æquora placavit; adeo ut cessante per omnia sævitia tempestatis, secundi nos venti ad terram usque per plana maris terga comitarentur. Cumque evadentes ad terram, naviculam quoque nostram ab undis exportaremus, mox eadem quæ nostri gratia modicum siluerat, tempestas rediit, et toto illo die multum [*Al. om.* multum] furere non cessavit ; ut palam daretur intelligi, quia modica illa quæ provenerat intercapedo quietis ad viri Dei preces nostræ evasionis gratia cælitus donata est [*Al.*, esset]. »

Mansit autem [*Al.*, itaque] idem vir Dei in insula Farne duodecim annis ibidemque defunctus [*Al. add.* est] ; sed in insula Lindisfarnensi juxta præfatorum corpora episcoporum, in ecclesia beati [*Al.*, sancti] apostoli Petri sepultus est. Gesta vero sunt hæc temporibus Aldfridi [*Al.* Adfridi] regis [DCXCIX], qui post fratrem suum Ecgfridum genti Nordanhymbrorum decem et novem [*Al.*, octo] annis præfuit.

## CAPUT II

*Ut episcopus Johannes mutum et scabiosum* [Al. *om. et scabiosum*] *benedicendo curaverit.*

Cujus [*Al.*, Hujus] regni principio defuncto Eata episcopo [DCLXXXV], Johannes, vir sanctus, Hagustaldensis Ecclesiæ præsulatum suscepit : de quo plura virtutum miracula qui eum familiariter noverunt, dicere solent, et maxime vir reverentissimus ac veracissimus [b] Bercthun, diaconus quondam ejus, nunc autem abbas monasterii quod vocatur Inderauuda, id est, *in silva Derorum* : e quibus aliqua memoriæ tradere commodum duximus. Est [*Al. add.* autem] [c] mansio quædam secretior, nemore raro e vallo circumdata, non longe ab Hagustaldensi ecclesia, id est, unius ferme milliarii et dimidii spatio interfluente Tino amne separata, habens cœmeterium sancti Michaelis archangeli, in qua vir Dei sæpius ubi opportunitas adridebat temporis, et maxime in Quadragesima, manere cum paucis, atque orationibus ac lectioni quietus operam dare consueverat. Cumque tempore quodam, incipiente Quadragesima, ibidem mansurus adveniret, jussit suis quærere pauperem aliquem majore infirmitate vel inopia gravatum, quem secum habere illis diebus ad faciendam eleemosynam possent [*Al.*, posset] : sic enim semper facere solebat.

Erat autem in villa non longe posita quidam adolescens mutus, episcopo notus, nam sæpius ante illum percipiendæ eleemosynæ gratia venire consueverat, qui ne unum quidem sermonem unquam profari [*Al.* proferre] poterat ; sed et scabiem tantam ac furfures habebat in capite, ut nil unquam capillorum ei in superiore parte capitis nasci valeret, tantum in circuitu horridi crines stare videbantur. Hunc

[a] *Oidiluald.* In solitaria vita successit S. Cudbercto an. 697, et 12 annis transactis defunctus est anno 699, meritusque est locum in Martyrol. ad 23 Martii, et in tabulis Benedictinis 8 Idus Martii. Vide de hoc Vitæ pros. S. Cudbercti cap. ult., et cap. 45 Vitæ metricæ.

[b] *Berthun.* Diu diaconus S. Joannis episcopi, postea in monasterio Inderauuda abbas ab eodem S. Joanne constitutus, in decrepita ætate circa A. D. secundum Capgr. 749, secundum Lelandi Collect. 733 defunctus Idibus Maii, et in suo monasterio sepultus. Processu temporis ejus reliquiæ translatæ, et juxta feretrum S. Joannis ad altare suum in ecclesia Beverlaci reconditæ. In Martyrologio nomen ejus scribitur inter sanctos ad 15 Maii.

[c] *Mansio.* Hæc mansio cum oratorio et cœmeterio posita fuit in monte ripæ Tini amnis imminente, qui Anglice *Erneshow*, Latine *mons Aquilæ* dicitur, et ad Septentrionem sita. Vide de eo plura Richard. Pr. Hagust. x Script., p. 291.

Digitized by Google

ergo adduci præcipit episcopus, et ei in conseptis ejusdem mansionis parvum tugurium fieri in quo manens quotidianam ab eis [*Al.*, eo] stipem acciperet. Cumque una Quadragesimæ esset impleta septimana, sequente Dominica jussit ad se intrare pauperem, ingresso eo linguam proferre ex ore ac sibi ostendere jussit; et adprehendens eum de mento, signum sanctæ crucis linguæ ejus impressit, quam signatam revocare in os, et loqui illum præcepit : Dicito, inquiens, aliquod verbum, dicito *Gae* [*Al.*, Gea; *al.*, Gie], quod est, lingua Anglorum, verbum adfirmandi et consentiendi, id est *etiam*. Dixit ille statim, soluto vinculo linguæ, quod jussus erat. Addidit episcopus nomina litterarum : « Dicito *A*, » dixit ille *A*. « Dicito *B*; » dixit ille et hoc. Cumque singula litterarum nomina dicente episcopo responderet, addidit et syllabas ac verba dicenda illi proponere. Et cum in omnibus consequenter responderet, præcepit eum sententias longiores dicere; et fecit : neque ultra cessavit tota die illa et nocte sequente, quantum vigilare potuit, ut ferunt qui præsentes fuere, loqui aliquid, et arcana suæ cogitationis ac voluntatis, quod nunquam antea potuit, aliis ostendere; in similitudinem illius diu claudi qui curatus [*Al.*, *add.* est] ab apostolis Petro et Johanne, exsiliens stetit et ambulabat; et intravit cum illis in templum ambulans, et exsiliens, et laudans Dominum; gaudens nimirum uti officio pedum, quo tanto erat tempore destitutus. Cujus sanitati congaudens episcopus præcepit medico, etiam sanandæ scabredini capitis ejus curam adhibere.

Fecit ut jusserat, et juvante benedictione ac precibus antistitis nata est cum sanitate cutis venusta species capillorum, factusque est juvenis limpidus vultu et loquela promptus, capillis pulcherrime crispis, qui ante fuerat deformis, pauper et mutus. Sicque de percepta lætatus sospitate, offerente etiam ei episcopo ut in sua familia manendi locum acciperet, magis domum reversus est.

## CAPUT III.

*Ut* [Al. add. *idem*] *puellam languentem orando sanaverit.*

[DCLXXXVI.] Narravit idem Berethun et aliud de præfato antistite miraculum. Quia cum reverentissimus vir Uilfrid post longum exilium in episcopatum esset Hagustaldensis Ecclesiæ receptus, et idem Joannes, defuncto Bosa viro multæ sanctitatis et humilitatis, episcopus pro eo Eboraci substitutus, venerit ipse tempore quodam ad monasterium virginum in loco qui vocatur [a] Uetadun, cui tunc Heriburg abbatissa præfuit. « Ubi cum venissemus, inquit, et magno universorum gaudio suscepti essemus, indicavit nobis abbatissa, quod quædam de numero virginum quæ erat filia ipsius carnalis, gravissimo A languore teneretur : quia phlebotomata est nuper in brachio, et cum esset in studio, tacta est infirmitate repentini doloris, quo mox increscente, magis gravatum est brachium illud vulneratum, ac versum in tumorem, adeo ut vix duabus manibus circumplecti posset, ipsaque jacens in lecto præ nimietate doloris jam moritura videretur. Rogavit ergo episcopum abbatissa ut intraret [*Al.*, intrare] ad eam, ac benedicere illam dignaretur, quia crederet eam ad benedictionem vel tactum illius mox melius habituram. Interrogans autem ille quando phlebotomata esset puella, et ut cognovit quia in luna quarta, dixit : Multum insipienter et indocte fecistis in luna quarta phlebotomando. Memini enim beatæ memoriæ Theodorum archiepiscopum dicere, quia periculosa sit B satis illius temporis phlebotomia, quando et lumen lunæ, et rheuma Oceani in cremento est. Et quid ego possum puellæ, si moritura est, facere? At illa instantius obsecrans pro filia quam oppido diligebat, nam et abbatissam eam pro se facere disposuerat, tandem obtinuit ut ad languentem intraret. Intravit ergo me secum adsumto ad virginem quæ jacebat multo, ut dixi, dolore constricta, et brachio in tantum grossescente, ut nihil prorsus in cubito [*Al.*, cubitu] flexionis haberet : et adstans dixit orationem super illam, ac benedicens egressus est. Cumque post hæc hora competente consederemus ad mensam, adveniens quidam clamavit me foras [*Al.*, ducens foras], et ait : Postulat Quoenburg [*Al.*, Quenburg], hoc enim erat nomen virginis, ut ocius re- C grediaris ad eam. Quod dum facerem, reperi illam ingrediens vultu hilariorem, et velut sospiti similem. Et dum adsiderem illi, dixit : Vis petamus bibere? At [*Al.*, Et] ego; Volo, inquam, et multum delector, si potes. Cumque oblato poculo biberemus ambo, cœpit mihi dicere quia ex quo episcopus oratione pro me, et benedictione completa egressus est, statim melius habere incipio; et si necdum vires pristinas recepi, dolor tamen omnis et de brachio ubi ardentior inerat, et de toto meo corpore, velut ipso episcopo foras eum exportante, funditus ablatus est, tametsi tumor adhuc brachii manere videretur. Abeuntibus autem nobis inde, continuo fugatum dolorem membrorum fuga quoque tumoris horrendi secuta est; et erepta D morti ac doloribus virgo, laudes Domino Salvatori una cum cæteris qui ibi erant, servis illius referebat. »

## CAPUT IV.

*Ut conjugem comitis infirmam aqua benedicta curaverit.*

Aliud quoque non multum huic dissimile miraculum de præfato antistite narravit idem abbas, dicens : « Villa erat comitis cujusdam qui vocabatur [b] Puch, non longe a monasterio nostro, id est,

[a] *Uetadun.* Hodie Watton, id est humida villa, ex aquis et paludibus quibus septa est. Monasterium antiquum in orientali parte provinciæ Eboracensis, in quo hujus capitis miraculum a Joanne episcopo factum est. Longo tempore dirutum restituit in usum Gilbertinorum Eustacius filius Joannis tempore regis Stephani. De hoc monasterio vide etiam x Script. p. 415, una cum longa narratione, de miraculo Aluredi abbatis Rievallensis.

[b] *Puch.* Villa hujus comitis dicta est Burton au-

Digitized by Google

dunm [*Al.*, duorum] ferme millium spatio separata : A cujus conjux quadraginta ferme diebus erat acerbissimo languore detenta, ita ut tribus septimanis non posset de cubiculo in quo jacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore virum Dei illo ad dedicandam ecclesiam ab eodem comite vocari. Cumque dedicata esset ecclesia, rogavit comes eum ad prandendum in [*Al. om.* in] domum suam ingredi. Renuit episcopus, dicens se ad monasterium, quod proxime [*Al.*, proximum) erat, debere reverti. At ille, obnixius precibus instans, vovit etiam se eleemosynas pauperibus daturum, dummodo ille dignaretur eo die domum suam ingrediens jejunium solvere. Rogavi et ego una cum illo, promittens etiam me eleemosynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum comitis pransurus ac benedictionem daturus intraret. Cumque hoc tarde ac difficulter impetraremus, intravimus ad reficiendum. Miserat autem episcopus mulieri quæ infirma jacebat, de aqua benedicta quam in dedicationem ecclesiæ consecraverat, per unum de his qui mecum venerant fratribus, præcipiens ut gustandam illi daret, et ubicunque maximum ei dolorem inesse didicisset, de ipsa eam aqua lavaret. Quod ut factum est, surrexit statim mulier sana, et non solum se infirmitate longa carere, sed et perditas dudum vires recepisse sentiens, obtulit poculum episcopo ac nobis : cœptumque ministerium nobis omnibus propinandi usque ad prandium completum non omisit; imitata socrum beati Petri [*Al. add.* apostoli], quæ cum febrium fuisset ardoribus fatigata, ad tactum manus Dominicæ surrexit, et sanitate simul ac virtute recepta, ministrabat eis. »

## CAPUT V.

*Ut item* [Al., *idem*; al. om., *item*] *puerum comitis orando a morte revocaverit.*

Alio item tempore vocatus ad dedicandam ecclesiam comitis vocabulo [a] Addi, cum postulatum complesset ministerium, rogatus est ab eodem comite intrare ad unum de pueris ejus qui acerrima ægritudine premebatur, ita ut, deficiente penitus omni [*Al.*, omnium] membrorum officio, jamjamque moriturus esse videretur; cui etiam loculus jam tunc erat præparatus in quo defunctus condi deberet. Addidit autem vir etiam lacrimas precibus, diligenter obsecrans ut intraret oraturus pro illo, quia multum necessaria sibi esset vita ipsius; crederet vero quia si ille ei manum imponere [*Al.*, imponeret] atque eum benedicere voluisset, statim melius haberet. Intravit ergo illo episcopus, et vidit eum mœstis omnibus jam morti proximum, positumque loculum juxta eum in quo sepeliendus poni deberet; dixitque orationem ac benedixit eum, et egrediens dixit solito consolantium sermone : Bene convalescas, et cito. Cumque post hæc sederent ad mensam, misit puer ad dominum suum, rogans sibi poculum vini mittere, quia sitiret. Gavisus ille multum quia bibere posset, misit ei calicem vini benedictum ab episcopo; quem ut bibit, surrexit continuo, et veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis; et egressus inde intravit, ac salutavit episcopum et convivas, dicens, quia ipse quoque delectaretur manducare et bibere cum eis. Jusserunt eum sedere secum ad epulas, multum gaudentes de sospitate illius. Residebat, vescebatur, bibebat, lætabatur, quasi unus e convivis agebat; et multis post hæc annis vivens, in eadem quam acceperat salute permansit. B Hoc autem miraculum memoratus abbas non se præsente factum, sed ab his qui præsentes fuere, sibi perhibet esse relatum.

## CAPUT VI.

*Ut clericum suum cadendo contritum, æque* [al. om. *æque*] *orando ac benedicendo a morte revocaverit.*

Neque hoc prætereundum silentio [*Al. add.* arbitror], quod famulus Christi Herebald [*Al.*, Herithald], in seipso ab eo factum solet narrare miraculum, qui tunc quidem in clero illius conversatus, nunc [*Al. add.* in] monasterio quod est juxta ostium Tini fluminis, abbatis jure præest. « Vitam, inquit, illius, quantum hominibus æstimare fas est, quod [*Al.*, quam; *al.*, quia] præsens optime cognovi, per omnia episcopo dignam esse comperi. Sed et cujus meriti C apud internum testem [*Al.*, judicem] habitus sit, et in multis aliis, et in meipso maxime expertus sum : quippe quem ab ipso, ut ita dicam, mortis limite revocans, ad viam vitæ sua oratione ac benedictione reduxit. Nam cum primævo adolescentiæ [*Al. add.* meæ] tempore in clero illius degerem legendi quidem canendique studiis traditus, sed non adhuc animum perfecte a juvenilibus cohibens illecebris, contigit die quadam nos iter agentes cum illo devenisse in viam planam et amplam aptamque cursui equorum : cœperuntque juvenes qui cum ipso erant, maxime laici, postulare episcopum ut cursu majore equos suos invicem probare liceret. At ille primo negavit, otiosum dicens esse quod desiderabant; sed ad ultimum multorum unanima intentione devictus : D Facite, inquit, si vultis, ita tamen ut Herebald ab illo se certamine funditus [*Al. om.* funditus] abstineat. Porro ipse diligentius obsecrans, ut et mihi certandi cum illis copia daretur, fidebam namque equo quem mihi ipse optimum donaverat, nequaquam impetrare potui.

« At cum sæpius huc atque illuc spectante me et episcopo, concitatis in cursum equis reverterentur; et ipse lascivo superatus animo non me potui

stralis duobus millibus passuum a Beverlaco. Yolfrida ejus filia monialis facta apud Beverlic, cujus matrem, ut ex capite patet, liberaverat S. Johannes acerbissimo languore. Puch dedit cum filia manerium de Walkingtone. Yolfrida obiit III Id. Mart. an. 742, cujus ossa sepulta sunt Beverlaci. Manerium de Walkingtone est hodie etiam episcopi Dunelmensis.

[a] *Addi.* Hic comes fuit de Burton Boreali, quam villam cum ejusdem ecclesiæ advocatione dedit ecclesiæ de Beverlaco tempore S. Johannis archiepiscopi.



Digitized by Google

cohibere, sed, prohibente licet illo, ludentibus me A miscui, et simul cursu equi contendere cœpi. Quod dum agerem, audivi illum post tergum mihi cum gemitu dicentem : O quam magnum væ facis mihi sic equitando ! Et ego audiens, nihilominus cœptis institi vetitis. Nec mora, dum fervens equus quoddam itineris concavum valentiore impetu transiliret, lapsus decidi, et mox velut emoriens sensum penitus motumque omnem perdidi. Erat namque illo in loco lapis terræ æqualis obtectus cespite tenui, neque ullus alter in tota illa campi planitie lapis inveniri poterat ; casuque evenit, vel potius divina provisione, ad puniendam inobedientiæ meæ culpam, ut hunc capite ac manu quam capiti ruens subposueram, tangerem, atque infracto pollice capitis quoque junctura solveretur ; et ego, ut dixi, simillimus B mortuo fierem. Et quia moveri non poteram, tetenderunt ibidem papilionem in qua jacerem. Erat autem hora diei circiter septima [*Al.*, circiter horam... septimam], a qua ad vesperum usque quietus, et quasi mortuus permanens, tunc paululum revivisco, ferorque domum a sociis, ac tacitus tota nocte perduro. Vomebam autem sanguinem, eo quod et interanea essent ruendo convulsa. At episcopus gravissime de casu et interitu meo dolebat, eo quod me speciali diligeret affectu : nec voluit nocte illa juxta morem cum clericis suis manere, verum solus in oratione persistens noctem ducebat pervigilem, pro mea, ut reor, sospitate supernæ pietati supplicans. Et mane primo ingressus ad me, ac dicta super me oratione, vocavit me nomine meo, et quasi de somno C gravi excitatum interrogavit si nossem quis esset qui loqueretur ad me. At ego aperiens oculos, aio : Etiam tu es antistes meus amatus. Potes, inquit, vivere ? Et [*Al.*, At] ego : Possum, inquam, per orationes vestras, si voluerit Dominus. Qui imponens capiti meo manum, cum verbis benedictionis rediit ad orandum : et post pusillum me revisens [*Al.*, ad me revertens] invenit sedentem et jam loqui valentem : cœpitque me interrogare, divino, ut mox patuit, admonitus instinctu, an me esse baptizatum absque scrupulo nossem : cui ego, absque ulla me hoc dubietate scire respondi, quia salutari fonte in remissionem peccatorum essem ablutus ; et nomen presbyteri a quo me baptizatum noveram, dixi. At D ille : Si ab hoc, inquit, sacerdote baptizatus es, non es perfecte baptizatus : novi namque eum, et quia cum esset presbyter ordinatus, nullatenus, propter ingenii tarditatem, potuit catechizandi vel baptizandi ministerium discere, propter quod et ipse illum ab hujus præsumptione ministerii quod regulariter implere nequibat, omnimodis [*Al.*, omnino] cessare præcepi. Quibus dictis, eadem hora me cathechizare ipse curavit ; factumque est ut, exsufflante illo in faciem meam, confestim me melius habere sentirem. Vocavit autem medicum, et dissolutam mihi emicranii [*Al.*, mei cranii, *om.* mihi] juncturam componere atque alligare jussit. Tantumque mox accepta ejus benedictione convalui, ut in crastinum ascendens equum, cum ipso iter in alium locum facerem : nec multo post plene curatus, vitali etiam unda perfusus sum. »

[a] Mansit autem in episcopatu annos triginta tres, et sic cælestia regna conscendens sepultus est in porticu sancti Petri, in monasterio suo, quod dicitur *In silva Derorum*, anno ab incarnatione Dominica septingentesimo vicesimo primo. Nam cum [*Al. add.* post] præ majore senectute minus episcopatui administrando sufficeret, ordinato in episcopatum [*Al.*, episcopum] Eboracensis Ecclesiæ Uilfrido presbytero suo, secessit ad monasterium [*Al. add.* suum] præfatum, ibique vitam in Deo digna conversatione complevit [DCCXVIII].

## CAPUT VII.

*Ut Caedualla, rex Occidentalium Saxonum, baptizandus Romam venerit : sed et successor ejus Ini* [Al. om. *Ini*] *eadem beatorum apostolorum limina devotus adierit.*

Anno autem regni Aldfridi tertio [DCLXXXVIII], [b] Caedualla [*Al.*, Ceduallaj, rex [c] Occidentalium Saxonum, cum genti suæ duobus annis strenuissime præesset, relicto imperio propter Dominum regnumque perpetuum, venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, ut ad limina beatorum apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cælestis introitum : simul etiam sperans quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret : quod utrumque ut mente disposuerat, Domino juvante [*Al.*, adjuvante] completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto Sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono : et in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Maiarum die solutus [*Al. add.* est] a carne, et beatorum est regno [*Al.*, consortio] sociatus in cælis. Cui etiam tempore baptismatis papa memoratus Petri nomen imposue-

[a] *Mansit.* Historici affirmant Johannem in episcopatu Eboracensi triginta tres annos mansisse, et cum ob ætatem officio suo minus sufficeret, secessisse ad monasterium suum Beverlac, et ibi post tres annos defunctum. Et licet Beda hoc loco videatur asserere Johannem post trigesimum tertium annum præsulatus mox obiisse, non tamen id nimis stricto sensu intelligendum est ; nam eodem tempore quo Uilfrid episcopatum recepit, id est, an. 686, Bosa defunctus, et Johannes in ejus locum substitutus, v, 3. Primo igitur anno episcopatus fixo, tricesimum tertium in 718 incidere necesse est, et tres anni etiam secessui conceduntur usque ad an. 721, quo obiit.

[b] *Caedualla.* Is prædationum in Cantia et alibi pœnitens Romam perrexit. Bromton X Script. p. 742. Duasque chartas confecisse dicitur, priorem Uilfrido an. 680, in qua concessit Pagaham cum appendiciis : posteriorem Theodoro et Ecclesiæ Christi Cant., an. 687, in qua concessit Geddinge et Wdetun. Evidentiæ Eccl. Christi Cant. X Script., p. 2207.

[c] *Occidentalium Saxonum.* Antiquitus dicti Geuissæ. Vide notam ad III, 7. Si quis aliud velit, noverit Geuissos etiam deduci a Geuiso, proavo Cerdici. Fuit Cerdicus filius Elesæ, nepos Eslæ, pronepos Geuisi.

Digitized by Google

rat, ut beatissimo apostolorum principi, ad cujus [a] sacratissimum corpus a finibus terræ pio doctus amore venerat, [b] etiam nominis ipsius consortio jungeretur: qui in ejus quoque ecclesia sepultus est: et jubente pontifice epitaphium in ejus monumento scriptum [*Al.*, scriptum est, ut] in quo et memoria devotionis ipsius fixa per sæcula maneret, et legentes quoque vel audientes exemplum facti, ad studium religionis accenderet. Scriptum est ergo hoc modo:

Culmen, opes, subolem, pollentia regna, triumphos,
 Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares;
Quæque patrum virtus, et quæ congesserat ipse
 Caedual armipotens, liquit amore Dei,
Ut Petrum, sedemque Petri rex cerneret hospes,
 Cujus fonte meras sumeret almus aquas,
Splendificumque jubar radianti carperet haustu,
 Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ premia vitæ,
 Barbaricam rabiem, nomen et inde suum
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
 Sergius antistes jussit, ut ipse pater
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans
 Protinus [c] ablatum vexit in arce poli.
Mira fides regis! clementia maxima Christi,
 Cujus consilium nullus adire potest!
[d] Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
 Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
 Aspexit, Petri mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit:
 Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
 Quem regnum Christi promeruisse vides.

A Hic depositus est Caedual [*Al.*, Cedual], qui et Petrus, rex [e] Saxonum, sub die duodecimo Kalendarum Maiarum, indictione secunda; qui vixit annos plus minus triginta, imperante domno Justiniano piissimo Augusto, anno ei [*Al.*, ejus] consulatus quarto, pontificante apostolico viro domno [*Al.*, domino] Sergio papa anno secundo.

Abeunte autem Romam Caedualla [DCCXXV], [f] successit in regnum Ini [*Al.*, Hii] [g] de stirpe regia; qui cum triginta et septem annis imperium tenuisset gentis illius, [h] et ipse, relicto regno [*Al.*, imperio] ac [i] juvenioribus [*Al.*, junioribus] commendato, ad limina beatorum apostolorum Gregorio pontificatum tenente profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo fami- B liarius a sanctis recipi mereretur in cælis: quod his temporibus plures de gente Anglorum, nobiles, ignobiles, laici, clerici, viri ac feminæ certatim facere consuerunt.

## CAPUT VIII.

*Ut, Theodoro defuncto, archiepiscopatus gradum Berctuald susceperit: et inter plurimos quos ordinavit, etiam Tobiam virum doctissimum Hrofensi Ecclesiæ fecerit antistitem.*

Anno autem post hunc quo Caedualla Romæ [j] defunctus est proximo, id est, sexcentesimo nonagesimo incarnationis Dominicæ, [k] Theodorus beatæ memoriæ archiepiscopus senex et plenus dierum, id est, annorum octoginta octo, defunctus est: quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse jamdudum C somnii revelatione edoctus suis prædicere solebat. Mansit autem in episcopatu annis viginti duobus, sepultusque est in ecclesia sancti Petri, [l] in qua omnium episcoporum Doruvernensium sunt corpora de-

[a] *Sacratissimum*, etc. Al., *sanctissimum corpus per longa locorum intervalla pio.*

[b] *Etiam nominis....* Al., *etiam nomen referret: qui.*

[c] *Ablatum.* Edit., *albatum*: al. *ablutum.*

[d] *Sospes.* Al., *Hospes*,

[e] *Saxonum.* Sanderus legendum putat Brittanorum, eumque confirmat Baronius, addens tres Caeduallas a Beda memoratos: primum, qui occidit Aeduinum, II, 20; secundum qui interfecit Aedilualchum, IV, 15; tertium, qui huic Caeduallæ successit, ibidem; sed in hoc deceptus est errore Codicum, qui loco Ini ponunt Is, quem Baronius Caeduallam tertium esse putavit. Duo igitur tantum fuere Caeduallæ, unus rex Brittonum, II, 20, alter D vero Saxonum fuit; nec solum titulo tenus, quia Saxones debellavit, ut arbitratur Baronius, sed quia de regio genere Geuissorum editus, ut Beda diserte testatur, IV, 15. Vide etiam notam ad cap. jam cit.

[f] *Successit.* Chron. Sax. et ab eo Flor. Wig. asserunt Inum abiisse Romam an. 728, sed constat tam ex Beda quam ex Chron. Sax. Inum Caeduallæ successisse an. 688, et post regnum 37 annorum Romam profectum: Romam igitur petiisse an. 725 necesse est.

[g] *De stirpe regia.* Ini enim fuit filius Cenredi, Cenredus Ceolwaldi, Ceolwaldus Cuthwulfi, Cuthwulfus Cuthwini, Cuthwinus Celmi, Celmus Cynerici, Cynericus Creoddæ, Creodda Cerdici.

[h] *Et ipse relicto.* Longam hujus derelictionis historiam narrat G. Malm. I, 2. Ubi rex pia reginæ fraude allectus omnem hujus mundi pompam despicere didicit.

[i] *Juvenioribus.* Aethelhardo ejus successori, et Oswaldo clitoni, contra quem eodem adhuc pugnavit anno Aethelhardus.

CAPUT VIII. Edd. vulg. ponunt hic distinctum caput et argumentum: *De Obitu Theodori archiepiscopi.*

[j] *Defunctus est.* Baronius, recensita Theodori morte, adjungit Adrianum abbatem pariter obiisse; venit ille quidem cum Theodoro in Brittaniam, sed ad cœlum ivit multo posterius. Nam teste Beda, V, 21, anno post obitum Uilfridi proximo, id est an. 710 defunctus est.

[k] *Theodorus.* « Hic excitavit fidelium voluntatem ut in civitatibus et villis ecclesias fabricarent, parochias distinguerent, et assensus regios his procuravit; ut si qui sufficientes essent super proprium fundum construere ecclesias, earumdem perpetuo patronatu gauderent: si inter limites alterius alicujus domini ecclesias facerent, ejusdem fundi domini notarentur pro patronis. » ELMHAM.

[l] *In qua omnium.* Archiepiscopi ante Theodorum non in ipsa ecclesia sepulti sunt, sed in porticu illius aquilonali, II, 3. In hac S. Petri ecclesia archiepiscopi sepulti sunt, usque dum Cudberctus archiepiscopus a Romano pontifice et rege Eadberto an. 758 liberam in ecclesia Christi sepulturam impetravit; construxit igitur prope ecclesiam Christi in honorem S. Johannis Baptistæ basilicam, ubi ipse et successores, excepto Lamberto, condebantur. X Script., p. 1295, 1772, 2210; SPELM. Conc. I, p. 289.

Digitized by Google

posita : de quo una cum consortibus ejusdem sui A gradus recte ac veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivet in generationes et generationes. Ut enim breviter dicam, tantum profectus spiritalis tempore præsulatus illius Anglorum Ecclesiæ, quantum nunquam antea potuere, cœperunt. Cujus personam, vitam, ætatem, et obitum, epitaphium quoque monumenti ipsius versibus heroicis triginta et quatuor palam ac lucide cunctis illo advenientibus [*Al.*, venientibus] pandit; quorum primi sunt hi :

Hic sacer in [a] tumba pausat cum corpore præsul
Quem nunc Theodorum lingua Pelasga vocat.
Princeps pontificum, felix, summusque sacerdos
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Ultimi autem hi :

Namque diem nonamdecimam September habebat,
Cum carnis [b] claustra spiritus egreditur.
Alma novæ scandens felix consortia vitæ,
Civibus angelicis junctus in arce poli.

[c] Successit autem Theodoro in episcopatu [d] Berctuald, qui erat [e] abbas in monasterio [*Al. add.* quodam], quod juxta ostium aquilonale [*Al.*, aquilonare] fluminis [f] Genladae positum [*Al. add.* quod] [g] Racuulfe nuncupatur : vir et ipse scientia Scripturarum imbutus, sed et ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus, tametsi prædecessori suo minime comparandus : qui [h] electus est quidem in episcopatum anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo nonagesimo [i] secundo, die primo mensis Julii, regnantibus in Cantia [j] Uictredo et [k] Suaebhardo [*Al.*, Wictredo et Suebbardo]; ordinatus [*Al. add.* est] autem anno sequente tertio die Kalendarum Juliarum, Dominica a Goduine [*Al.*,
B Godwino] metropolitano episcopo [l] Galliarum : et sedit in sede sua pridie Kalendarum Septembrium Dominica ; qui inter multos quos ordinavit antistites, etiam [m] Gebmundo Hrofensis Ecclesiæ præsule defuncto, Tobiam pro illo consecravit, virum Latina,

[a] *Tumba*. S. Theodori corpus una cum S. Augustini aliorumque reliquiis levatum est anno 1091, octavo Id. Septemb., teste Gotselino monacho, cujus hæc verba in lib. II Transl. cap. 27 : « Prænominatissimi autem Theodori remoto in translatione tumbæ operculo sua omnibus affatim satisfecit thurificatio, ita ut in claustrum fratrum etiam hæc erumperet oblectatio. Jacebat uti a primordio erat depositus integra forma metropolitani sacerdotii pallio et monachili tantum obductus cuculla. Tanta erat gratia, ut arbitraretur adhuc solida vigere carne. » etc.

[b] *Claustra*. Al., *claustro*.

[c] *Successit*. Codices vulgg. ponunt hic caput nonum cum argumento, ut supra cap. 8.

[d] *Berctuald*. Chron. Sax., Pol., Virg. aliique hunc dicunt primum ex Anglis archiepiscopum, superiores omnes Italos aut Romanos facientes ; sed contra auctoritatem Bedæ, qui testatur III, 20, Deusdedit fuisse de gente Occidentalium Saxonum, et Theodorum, IV, 1, de Tharso Ciliciæ oriundum. Will. Malms. Berctualdum prodit prius Glastoniæ, quam in Racuulf monasterio, abbatiam tenuisse. Gale, Script. XV, p. 308. Hic a papa Vitaliano suscepit pallium. X Script., p. 1640. Huic archiepiscopo Ualdheri ep. Lundon. mittit epistolam de discordiis inter regem West-Saxonum et suæ patriæ regnatores. Quam e libro Cottoniano, qui inscribitur Augustus II, exscriptam vide in Append. n. 24. Alius Berctuald, sive Beorthuald memoratur, filius fratris Ethelredi regis apud Heddium, c. 39.

[e] *Abbas*. An. 679 Berctualdo abbati et ejus mona- D sterio Hlotharius rex Cant. dat terram in Thanato in loco dicto Westanea, et XII mansiones in Sturia. X Script., p.2207, et vide chart. ipsam in append. n. 25.

[f] *Genladae*. Hodie Inlade.

[g] *Racuulf*. Oppidum a Romanis olim Regulbium, de quo vide Johannis Battleii Antiq. Rutupin., a Saxonibus Raculfminster, hodie *Reculver* dictum. Juxta idem tempus, quo Aedilberct suam curiam Augustino dedit et Racuulfi palatium sibi et successoribus fecit, monasterium etiam ibi construebatur, cujus abbas ultimus fuit Wenredus. Mon. Angl. Tom. I, p. 26. Sed secundum Chron. Sax., an. 669, Ecgberct rex dedit Basso presbytero Racuulf, in quo monasterium ædificaret.

[h] *Electus*. Sergius papa primatum totius Brittaniæ Berctualdo confirmavit, ut duæ epistolæ ejus docent, una regibus Athelredo, Alfredo et Adulfo, altera episcopis Brittaniæ scripta. Will. Malms. Pont. I.

[i] *Secundo*. Canon. Lichfeld., *primo*, sed male.

[j] *Uictredo*. Hic 30,000 marcis auri ab Ina pacem emit : et an. 694 dat ecclesiæ beatæ Mariæ apud Liminges, terram 4 aratrorum Wihelmestun vocatam. X Script. p. 2208, et vocat concilium Baccanceidense, Spelm. Conc. I; Chron. Sax. Etiam dat hoc ipso anno, non an. 695, ut vult Spelmannus, Eabbæ, abbatissæ de Menstre, terram 4 aratrorum in insula Tenetis dictam Humantium. Spelm. Conc. I, 192. Item sub hujus auspiciis concilium Berghamstedæ celebrari dicitur an. 696, namque is annus est Uic-
C tredi, qui regnum incepit an. 691, quintus. Ibid. 194. Eodem anno, non 690, ut vult Thorn. apud X Script., p. 1771, dat monasterio SS. Petri et Pauli terram 5 aratrorum in Litteborne. Item supradictæ abbatissæ terram dictam Haeg, 40 manentium. X Script., 2234. An. 699 ecclesias suæ ditionis liberas facit a tributis. Spelm. Conc. I, p. 193. Hic etiam ædificavit S. Martini ecclesiam in villa Dovar et monachos illi imposuit, Mat. Westm., an. 692.

[k] *Suaebhardo*. Quis hic fuit, dubium est. Thorn. asserit eum Cantii regnum violenter obtinuisse ; sed Matth. Westm. prodit eum Uictredi fuisse fratrem; et Flor. Wig., postquam dixisset Withredum in regno fuisse confortatum, subjungit cum eo Suebheardum partem regni tenuisse; sed si partem imperii vi tenuit Suebheardus, confortatus in regno alter dici vix potest : verisimile est igitur hos fuisse fratres, junctisque viribus amice administrasse rempublicam. Hic dedit Eabbæ abbatissæ 44 manentes in Insudaneye et 12 manentes in Sturreye ; item terram duorum aratrorum in Sturie, et trium aratrorum in Bodesham. X Script., p. 1770 et 2231.

[l] *Galliarum*. Perperam hic legunt aliqui *Walliarum*. Beda enim, V, 12, expresse dicit Berctualdum trans mare ivisse ordinandum, sed non a Sergio papa, ut scribit Baronius, sed a Goduino, Galliarum episcopo.

[m] *Gebmundo*. Quo anno hic obiit incertum. Chr. Sax., Flor. Wig., Matth. Westm. et alii ann. 693 defunctum prædicant ; quod videtur verum : quia si Gebmundus tunc superfuisset, Berctuald forsan mare non transiisset, sed ab illo consecrationem potius accepisset. Tobian quoque ejus successorem a 694 Baccanceldensi concilio interfuisse constat. E contra Gebmund Berghamstedensi concilio an. 696 adfuisse dicitur ; et exstat privilegium Uictredi an. 696, in quo illius fit mentio. Warthonus quidem hoc concilium et privilegium nil moratur. Angl. Sacr. t. I. In hac re ego vero quid decernam, dubius hæreo.

Digitized by Google

Græca et Saxonica lingua atque eruditione multipliciter [*Al.*, multiplici] instructum.

## CAPUT IX.

*Ut Ecgberct vir sanctus ad prædicandum in Germaniam venire voluerit, nec valuerit : porro Uictberct advenerit* [Al., *adierit*] *quidem; sed quia nec ipse aliquid profecisset, rursum in Hiberniam unde venerat, redierit.*

Eo tempore [DCLXXXIX] venerabilis, et cum omni honorificentia nominandus famulus Christi et sacerdos [a] Ecgberct, quem in Hibernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in cælis patria [b] retulimus, proposuit animo pluribus prodesse; id est, inito opere apostolico, verbum Dei aliquibus earum [c] quæ nondum audierant, gentibus evangelizando committere : quarum in Germania plurimas noverat esse nationes, a quibus Angli vel Saxones qui nunc Brittaniam incolunt, genus et originem duxisse noscuntur; unde hactenus a vicina gente Brittonum corrupte Garmani [*Al.*, Germani] nuncupantur. Sunt autem Fresones, Rugini, Danai, Hunni [*Al.*, Dani, Huni], antiqui Saxones Boructuari [*Al.*, Boructuarii] : sunt [*Al. add.* etiam] alii perplures hisdem in partibus populi paganis adhuc ritibus servientes, ad quos venire præfatus Christi miles circumnavigata Brittania disposuit, si quos forte ex illis ereptos Satanæ ad Christum transferre valeret, vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum apostolorum ac martyrum Christi limina cogitavit.

Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula simul et opera restiterunt. Siquidem electis sociis strenuissimis et ad prædicandum verbum idoneis, utpote actione simul et eruditione præclaris, præparatisque omnibus quæ navigantibus esse necessaria videbantur, venit die quadam mane primo ad eum unus de fratribus, discipulus quondam in Brittania, et minister Deo dilecti sacerdotis [d] Boisili, cum esset idem Boisil præpositus monasterii Mailrosensis sub abbate Eata, ut [e] supra narravimus, referens ei visionem quæ sibi eadem nocte apparuisset : « Cum expletis, inquiens, hymnis matutinalibus in lectulo [*Al.*, lecto] membra posuissem [*Al.*, deposuissem], ac levis mihi somnus obrepisset, apparuit magister quondam meus et nutritor amantissimus Boisil, interrogavitque me, an eum cognoscere possem. Aio : Etiam, tu es enim Boisil. At ille : Ad A hoc inquit, veni, ut responsum Domini Salvatoris Ecgbercto adferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi quia non valet iter quod proposuit, implere : Dei enim voluntatis est ut ad Columbæ monasteria magis pergat docenda. » Erat autem Columba primus doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad aquilonem, primusque fundator monasterii quod in Hii insula multis diu Scottorum Pictorumque populis venerabile mansit. Qui videlicet Columba nunc, a nonnullis composito a Cella et [f] Columba nomine, Columcelli vocatur. Audiens autem verba visionis Ecgberct, præcepit fratri qui retulerat ne cuiquam hæc alteri referret, ne forte inlusoria esset visio. Ipse autem tacitus rem considerans, veram [*Al.*, veracem] esse timebat : nec tamen a B præparando [*Al.*, parando] itinere, quo ad gentes docendas iret, cessare volebat.

At post dies paucos rursum venit ad eum præfatus frater, dicens quia et ea nocte sibi post expletos Matutinos [*Al.*, expletas Matutinas] Boisil per visum apparuerit, dicens : « Quare tam negligenter ac tepide dixisti Ecgbercto quæ tibi dicenda præcepi ? At nunc vade, et dic illi quia, velit nolit, debet ad [g] monasteria Columbæ venire, quia aratra eorum non recte incedunt : oportet autem eum ad rectum hæc tramitem revocare. » Qui hæc audiens denuo præcepit fratri, ne hæc cui [*Al.*, cuiquam] patefaceret. Ipse vero, tametsi certus est factus de visione, nihilominus tentavit iter dispositum cum fratribus memoratis incipere. Cumque jam navi imposuissent C quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque opportunos aliquot dies [*Al.*, diebus] ventos exspectarent, facta est nocte quadam tam sæva tempestas, quæ perditis nonnulla ex parte his quæ in navi erant rebus, ipsam in littus [*Al.*, latus] jacentem inter undas relinqueret : salvata sunt tamen omnia quæ erant Ecgbercti, et sociorum ejus. Tum ipse [*Al.*, ille] quasi propheticum illud dicens, « Quia propter me est tempestas hæc, subtraxit se illi profectioni, et remanere domi passus est. »

At vero unus de sociis ejus, vocabulo Uictberct, cum esset et ipse contemptu mundi ac doctrinæ scientia insignis, nam multos annos in Hibernia peregrinus anachoreticam in magna perfectione vitam egerat [DCXC], ascendit navem, et Fresiam per- D veniens duobus annis continuis genti illi ac regi ejus [h] Rathbedo [*Al.*, Radhbedo] verbum salutis

[a] *Ecgberct.* Colitur is 24 Aprilis, ut cernere est in Martyrol. Romano aliisque. Circa an. 689 Fresiam ire disposuit. Suidberct enim ordinatus est an. 693, v, 11. Uilbrord et socii Fresiam venerunt an. 692, v, 10. Uictberct duobus annis, id est, an 690 et 691, incassum in Fresia prædicabat. Ecgberctum igitur, qui Uictberctum misit, visio prohibuit ne iret Fresiam, circa an. 689.

[b] *Retulimus.* Vide III, 27.

[c] *Quæ nondum.* At vero an. 603 inter Germanos fidem prædicavit Offo quidam Anglus satus ex regio sanguine. Spelm. Conc. I, 126, et Uilfrid episcopatu privatus, circa an. 679, Romam iturus, flante Favonio, pulsus est Fresiam; ibique prædicabat Christum, v, 20.

[d] *Boisili.* « Non. I Jul. In Brittaniis depositio beati Boisili presbyteri et confessoris. » Martyrol. Dunelm.

[e] *Supra.* Vide IV, 27.

[f] *Columba.* De hoc et Pictorum conversione vide III, 4, ubi notatum est eum, cum 77 annos natus esset, circa an. 597 fuisse sepultum; natus est igitur circa an. 520. Hujus natalis quinto Junii celebratur.

[g] *Monasteria Columbæ.* Ecgberctum vide ad catholicam Pascha Hiienses convertentem v, 22.

[h] *Rathbedo.* « Narrat Vincentius in Speculo Historiali de prædicto rege Fresonum, quod cum prædicatione Wlfranni episcopi ad hoc inductus esset ut baptizaretur, cum unum pedem in lavacro intinxis-

Digitized by Google

prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum A apud barbaros invenit auditores. Tunc reversus ad dilectæ locum peregrinationis [DCXCI], solito in silentio vacare Domino cœpit; et quoniam externis [*Al.*, exterius] prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat.

## CAPUT X.

*Ut* a *Uilbrord* [Al., *Wilbrord*] *in Fresia prædicans, multos ad Christum converterit; et ut socii ejus Hewaldi* [Al., *Ewaldi*] *sint martyrium passi.*

Ut autem vidit vir Domini Ecgberct, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus [*Al. add.* est] ob aliam sanctæ Ecclesiæ utilitatem de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Uictberct illas deveniens in partes, quicquam proficiebat, tentavit adhuc in opus verbi mittere viros san- B ctos et industrios, in quibus eximius Uilbrord presbyterii gradu et merito præfulgebat. Qui cum illo advenissent, erant autem numero b duodecim, divertentes ad Pippinum ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt: et quia nuper c citeriorem Fresiam, expulso inde Rathbedo [*Al.*, Radbedo] rege, ceperat, illo eos ad prædicandum misit; ipse quoque imperiali auctoritate juvans, ne qui [*Al.*, quis] prædicantibus quicquam molestiæ inferret; multisque eos qui fidem suscipere vellent beneficiis adtollens: unde factum est, opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab idolatria ad fidem converterent Christi [DCXCII].

Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore C pro æterna patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem prædicando Christo adquirere possent. Erant autem unius ambo, sicut devotionis, sic etiam vocabuli: nam uterque eorum appellabatur Hewald; ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie unus Niger Hewald, alter Albus Hewald diceretur: quorum uterque pietate religionis imbutus, sed Niger Hewald magis sacrarum litterarum erat scientia institutus [*Al.*, instructus]. Qui venientes in provinciam, intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntque ab eo, ut transmitterentur ad satrapam qui super eum [*Al.*, eos] erat, eo quod haberent aliquid legationis et causæ utilis [*Al.*, utilitatis], quod deberent ad illum perferre. Non enim habent regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, huic obtemperant; peracto autem bello, rursum æqualis potentiæ omnes fiunt satrapæ. Suscepit ergo eos villicus, et promittens se mittere eos ad satrapam qui super se erat, ut petebant, aliquot diebus secum retinuit.

Qui cum cogniti essent a barbaris quod essent alterius religionis, nam [*Al. add.* hymnis] et psalmis semper atque orationibus vacabant, et quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam, suspecti sunt habiti, quia si pervenirent ad satrapam et loquerentur cum illo, averterent illum a diis suis et ad novam Christianæ fidei religionem transferrent, sicque paulatim omnis eorum provincia veterem cogeretur nova [*Al.*, in novam] mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subito, et interemerunt: Album quidem Hewaldum veloci occisione gladii, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rheno [*Al.*, Rhenum] projecerunt. Quod cum satrapa ille quem videre volebant audisset, iratus est valde quod ad se venire volentes pe-

set, alterum pedem retrahens interrogavit ubinam plures majorum suorum essent in inferno, an in paradiso: et audiens plures esse in inferno, ait: Sanctius est ut plures quam pauciores sequar. » Capgr. in Vita S. Wilibrordi, ubi etiam narratur quomodo idem Rathbedus deceptus est a diabolo in angelum transfigurato, et domos aureas ei pollicente.

a *Uilbrord.* Natus est in provincia Nordanhymbrana, patreque Wilgis dictus; puer traditur in Hrypis nutriendus, quo relicto monasterio, in Hiberniam Ecgbercti fama allectus proficiscitur, ibique D duodecim annis permanens tandem cum 12 sociis Fresiam tendit Christum prædicaturus. Capgr. in Willibrordi. Ibi a Sergio papa episcopus constitutus usque ad senectam vixit, tandemque sibi coepiscopum ad ministerium implendum debilis substituit. Ejus memoria celebris est VIII Idus Novembris.

b *Duodecim.* Apud Surium 1 Martii horum nomina a Marcellino quodam, qui se unum ex iis fingit, hoc ordine memorantur: Willibrordus, Swibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, Werenfridus, Marcellinus; hi omnes fuere presbyteri: denique Adelbertus levita, filius regis Deirorum; sed hic qui se vocat Marcellinum participemque hujus conversionis gloriæ, non videtur esse is quem se simulat, sed nuperus potius quidam et imperitus fabularum confictor. Hic enim inter duodecim apostolos Hewaldos duos numerat, sed ex Beda constat hos duos esse ab illis 12 diversos: nam narrantur illorum duodecim exempla secuti, ad antiquos Saxones, non ad Fresiam ad quam illi duodecim divertebant, pervenisse. Inter hos etiam Uictberctum ponit, jussuque Rathbedi occisum tradit; sed probabile est ex hoc Bedæ loco illum Fresiam nunquam repetiisse, sed ad Hiberniam in « solito silentio vacasse Domino » usque ad mortem, aliosque « viros sanctos » duodecim ab Ecgberto missos esse. Accam etiam, quem stulte dicit a Uilfrido postea constitutum Hagustaldensem episcopum, his adjungit: constat tamen ex v, 21, eum nunquam ex Anglia profectum, nisi cum Romam iverit cum Uilfrido.

c *Citeriorem Fresiam.* Hanc Rathbedo ademptam Beda vocavit, vel eas terras quæ nunc Hollandiæ comitatu continentur; quæ sane Anglis, apud quos Beda scribit, citeriores sunt quam reliqua ultra Flevum lacum Fresia sit: aut certe est citerior Fresia, qui circa Mosam Vahalimque tenditur Brabantiæ Geldriæque et Cisrhenanæ Cliviæ tractus, quem fortassis Fresones regno Franciæ avulsum tenuerant. Eo facit quod Annales Metenses a Chesneo Scriptorum Francorum tomo III editi, tradant « B. Pipinum ducem Seniorem avum hujus, populum inter Carbonariam Silvam et Mosam fluvium et usque ad Fresiorum fines vastis limitibus habitantem, justis legibus gubernasse. » Ea igitur Gallis citerior Fresia est quæ ad Mosam flumen pertingebat, Anglis vero quæ nunc Hollandia.

Digitized by Google

regrini non permitterentur; et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumque incendio consumpsit. [a] Passi sunt autem præfati sacerdotes et famuli Christi quinto Nonarum Octobrium die.

Nec martyrio eorum cælestia defuere miracula. Nam cum perempta eorum corpora amni, ut diximus, a paganis essent injecta, contigit ut hæc contra impetum fluvii decurrentis, per quadraginta fere mil ia passuum, ad ea usque loca ubi illorum erant [*Al.*, essent] socii, transferrentur. Sed et radius lucis permaximus atque ad cælum usque altus omni nocte supra locum fulgebat illum ubicumque ea pervenisse contingeret, et hoc etiam paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed et unus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen erat Tilmon, viro illustri, et ad sæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus; indicans quod eo loci corpora eorum posset inveuire, ubi lucem de cælo terris radiare conspiceret. Quod ita completum est. Inventa namque eorum corpora juxta honorem martyribus condignum recondita sunt, et dies passionis vel inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus dux Francorum Pippin ubi hæc comperit misit, et adducta [*Al.*, comperit,... adducta] ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in [b] ecclesia Coloniæ civitatis, juxta Rhenum. Fertur autem quia in loco in [*Al. om.* in] quo occisi sunt fons ebullierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluenti sui dona profundat [*Al.*, perfundat].

## CAPUT XI.

*Ut viri venerabiles Suidberct in Brittania, Uilbrord Romæ sint in Fresiam ordinati episcopi.*

Primis sane temporibus adventus eorum in Fresiam [DCXCII], mox ut comperit Uilbrord datam sibi a principe licentiam ibidem prædicandi, acceleravit venire Romam, cujus sedi apostolicæ tunc Sergius papa præerat, ut cum ejus licentia et benedictione, desideratum evangelizandi gentibus opus iniret, simul et reliquias beatorum apostolorum ac martyrum Christi ab eo se sperans accipere, ut dum in gente cui prædicaret destructis idolis ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias sanctorum quas ibi introduceret; quibusque ibidem depositis, consequenter in eorum honorem quorum essent illæ [*Al.*, essent, illa Sing.], singula quæque loca dedicaret. Sed et alia perplura quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi discere, vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cum sui voti compos esset effectus, ad prædicandum rediit.

Quo tempore fratres qui erant in Fresia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus et mansuetum corde [c] Suidberctum qui eis ordinaretur antistes, quem Brittaniam destinatum ad petitionem eorum [d] ordinavit reverentissimus Uilfrid episcopus, qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat episcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, sed necdum Berctualdo successore ejus qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem episcopatus sui reverso.

Qui videlicet Suidberct accepto episcopatu, de Brittania regressus, non multo post ad gentem Boructuarorum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo post tempore Boructuaris a gente antiquorum Saxonum, dispersi sunt quolibet hi qui verbum receperant; ipse [*Al.*, ipseque] antistes cum quibusdam Pippinum petiit, qui interpellante Blithrydæ [*Al.*, Bliththrude] conjuge sua, dedit ei locum mansionis in insula quadam Rheni, quæ lingua eorum vocatur *In littore*: in qua ipse, constructo [e] monasterio quod hactenus hæredes ejus possident, aliquandiu continentissimam gessit vitam, ibique [f] diem clausit ultimum.

Postquam vero per annos aliquot in Fresia, qui advenerant docuerunt [DCXCVI], misit Pippinus, favente omnium consensu, virum venerabilem Uilbrordum Romam, cujus adhuc pontificatum Sergius habebat, postulans ut eidem Fresonum genti archiepiscopus ordinaretur. Quod ita ut petierat impletum

[a] *Passi*. In Westphalia passos Gallican. Martyrolog prodit.

[b] *Ecclesia*. Collegiata S. Cuniberti. Gall. Mart.

[c] *Suidberctum*. Secundum Pseudo-Marcellinum natus est Suidberctus in provincia Nordanhymbrana ex parentibus Sigeberctο comite Nortingraui et Bertha comitissa; quinto decimo ætatis anno monasterium Beardaneu intravit, novemque ibi annis actis, presbyteratum suscepit. Idem auctor memorat eum in Fresia a paganis incarceratum et ab angelo in libertatem vindicatum, dein visum cæco, vitamque mortuo restituentem; sed fides vix videtur esse adhibenda historiæ quot lineis fere tot erroribus refertæ.

[d] *Ordinavit*. Suidberct ordinatus est anno 693, Berctuald nondum reverso. Sed Marcellinus eum an. 695 ordinatum narrat, et ideo ait a Uilfrido fuisse consecratum, quia Ecgberct, archiepiscopus Ebor, gravi morbo laborabat: Baronius vero in hac re non sequens Marcellinum quem in cæteris non satis perite exscribit, aliam rationem profert, scilicet quia Uilfrid fuit apostolicæ sedis legatus. Marcellini quidem ratio plane falsa est, quia Ecgberct tunc non erat archiepiscopus Ebor., et Baronii non est satis liquida, nam si Cantia tunc episcopum habuisset, si Berctualdus ad sedem reversus esset, ille, ut ex hoc Bedæ loco videtur, Suidberctum consecrasset.

[e] *Monasterio*. Quod construxit in villa ejus insulæ Werda dicta in honorem B. Virg. Mariæ.

[f] *Diem clausit*. Breves Francorum Annales ab Andrea du Chesne, tom. II Francic. Scriptorum editi, ad an. 713 ista habent: « Depositio Suitberthi episcopi. » Pseudo-Marcellinus obiisse illum tradit an. 717, Kal. Mart. feria sexta, hora 12. Verum hoc, æque ac pleraque alia toto ille opere, infeliciter. Etenim illo anno cyclo solis 26, lit. Dom. C, non in feriam sextam, sed in secundam inciderunt Martii Kal. Et repugnat quæ sub nomine S. Ludgeri episcopi composita est epistola. Nam cap. 1 ait annum a Nat. Dom. 748 fuisse tricesimum tertium post celebrem transitum sanctissimi Suiberti. Unde sequeretur anno 715 obiisse, cyclo solis 24, lit. Dom. F, ac tunc quidem Kal. Martii fuerunt, feria 6, an. 804. Suidberct a Leone III canonizatus est, diciturque esse primus, qui in sanctorum numerum solemniter est ascriptus. Vide S. Ludgeri epistolam apud Surium 1 Mart. et Corn. a Lap. in Ecclesiast. c. XLIV.

Digitized by Google

est anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo sexto. Ordinatus est autem in ecclesia sanctæ martyris [a] Ceciliæ, die natalis ejus, imposito sibi a papa memorato nomine Clementis: ac mox remissus ad sedem episcopatus sui, id est, post dies quatuordecim ex quo in Urbem venerat.

Donavit autem ei Pippin locum cathedræ episcopalis in castello suo inlustri, quod antiquo gentium illarum verbo [b] Uiltaburg, id est, Oppidum Uiltorum, lingua autem Gallica Trajectum vocatur; in quo ædificata [c] ecclesia, reverentissimus pontifex longe lateque verbum fidei prædicans, multosque ab errore revocans, plures per illas regiones ecclesias, sed et [d] monasteria nonnulla construxit. Nam non multo post alios quoque illis in regionibus ipse constituit antistites ex eorum numero fratrum qui vel secum, vel post se illo ad prædicandum venerant; ex quibus aliquanti jam dormierunt in Domino. Ipse autem Uilbrord, cognomento Clemens, adhuc [e] superest [DCCXXXI] longa jam venerabilis ætate, utpote tricesimum et sextum in episcopatu habens annum, et post multiplices [*Al.*, multiplicis] militiæ cælestis agones ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans.

## CAPUT XII.

*Ut quidam in provincia Nordanhymbrorum a mortuis resurgens, multa et tremenda et desideranda quæ viderat narraverit.*

His temporibus [DCXCVI] miraculum memorabile, et antiquorum simile in Brittania factum est. Namque ad excitationem viventium de morte animæ, quidam aliquandiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, et multa memoratu digna quæ viderat, narravit; e quibus hic aliqua breviter perstringenda esse putavi. Erat ergo paterfamilias in regione Nordanhymbrorum quæ vocatur [f] Incuneningum, religiosam cum domo sua gerens vitam; qui infirmitate corporis tactus, et hac crescente per dies ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est; sed diluculo reviviscens ac repente residens, omnes qui corpori flentes assederant, timore immenso perculsos in fugam convertit: uxor tantum quæ [*Al. add.* eum] amplius amabat, quamvis multum tremens et pavida, remansit: quam ille consolatus: « Noli, inquit, timere, quia jam vere resurrexi a morte qua tenebar, et apud homines sum iterum vivere permissus; non tamen ea mihi qua ante consueram conversatione, sed multum dissimili ex hoc tempore vivendum est. » Statimque surgens abiit ad villulæ oratorium, et usque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam in tres divisit portiones, e quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi ipse [*Al.*, sibi ipsi] retentans, statim pauperibus distribuit. Nec multo post sæculi curis absolutus ad monasterium [g] Mailros, quod Tuidi fluminis circumflexu maxima ex parte clauditur, pervenit; acceptaque tonsura, locum secretæ mansionis quam præviderat abbas, intravit: et ibi usque ad diem mortis in tanta mentis et corporis contritione duravit, ut multa illum, quæ alios laterent, vel horrenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur.

Narrabat autem [*Al.*, enim] hoc modo quod viderat: « Lucidus, inquiens, aspectu, et clarus erat indumento qui me ducebat. Incedebamus autem tacentes, ut videbatur mihi, contra ortum solis solstitialem; cumque ambularemus, devenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis; quæ ad lævam nobis sita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore nivium [*Al.*, nimium] omnia perflante atque verrente non minus intolerabile præferebat. Utrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu jactari. Cum enim vim fervoris immensi tolerare non possent, prosiliebant miseræ in medium frigoris infesti: et cum neque ibi quippiam requiei invenire valerent, resiliebant rursus urendæ in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infelici vicissitudine longe lateque, prout aspicere poteram, sine ulla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi quod hic fortasse esset infernus, de cujus tormentis intolerabilibus narrare sæpius audivi. Respondit cogitationi meæ ductor qui me præcedebat: Non hoc, inquiens, suspiceris; non enim hic infernus est ille quem putas.

« At cum me hoc spectaculo tam horrendo perterritum paulatim in ulteriora produceret, vidi subito ante nos obscurari incipere loca, et tenebris omnia repleri. Quas cum intraremus, in tantum paulisper condensatæ sunt, ut nihil præter ipsas aspicerem, excepta dumtaxat specie et veste ejus qui me ducebat. Et cum progrederemur sola sub nocte per umbras, ecce subito apparent ante nos crebri flammarum tetrarum globi, ascendentes quasi de puteo magno, rursumque decidentes in eumdem. Quo cum perductus essem, repente ductor meus disparuit, ac

[a] *Cæciliæ*. S. Cæcilia colitur XXII Novemb. Alcuinus, apud Mabillon. Act. Ben. sæc. III, tradit Clementem consecratum in Ecclesia B. Petri.

[b] *Uiltaburg*. Beda videtur hic confundere duos locos diversos, nam verisimile est Uiltaburg fuisse locum 3600 passuum a Trajecto distantem, qui nunc dicitur *Uiltenburg*. Cluver., Germ. Antiq. II, 36.

[c] *Ecclesia*. Hanc in honore sancti Salvatoris consecravit. Bonif., ep. 97, apud Bibl. Patr. sæc. VIII. Item aliam in Trajecto in honore S. Martini construxit.

[d] *Monasteria*. Unum condidisse dicitur Esternaci.

[e] *Superest*. Ille autem non obiit ante annum 736. Gallicanum enim Martyrolog. prodit eum rexisse Ecclesiam 40 annos, et in monasterio Esternaco parochiæ Trevirensis esse depositum; quod monasterium ita defuncti hujus miraculis claruit, ut postea illius nominis titulo sit insignitum. S. Bonifacius Mogunt. autem episcopus in ep. 97 ait eum prædicasse per 50 annos, usque ad debilem senectutem. Bibl. Patr., sæc. VIII. Cum igitur episcopatum iniit an. 696, necesse est eum obiisse circa an. 745.

[f] *Incuneningum*. Forsan *Cuningham* prov. in Scotia.

[g] *Mailros*. De hoc vide IV, 27.

Digitized by Google

me solum in medio tenebrarum et horridæ [*Al.*, horrendæ] visionis reliquit. At cum iidem globi ignium sine intermissione modo alta peterent, modo ima baratri repeterent, cerno omnia quæ ascendebant fastigia flammarum plena esse spiritibus hominum, qui instar favillarum cum fumo ascendentium nunc ad sublimiora projicerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profunda [*Al.*, profundum]. Sed et fœtor incomparabilis cum eisdem [*Al.*, ejusdem] vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cum diutius ibi pavidus consisterem, utpote incertus quid agerem, quo verterem gressum, qui me [*Al.*, qui mihi] finis maneret: audio subitum [*Al.*, subito] post terga sonitum immanissimi fletus ac miserrimi, simul et cachinnum crepitantem quasi vulgi indocti captis hostibus insultantis. Ut autem sonitus idem clarior redditus ad me usque pervenit, considero turbam malignorum spirituum, quæ quinque [*Al. om.* quinque] animas hominum mœrentes ejulantesque, ipsa multum [*Al.*, vero] exultans et cachinnans medias illas trahebat in tenebras: e quibus videlicet hominibus, ut dignoscere potui, quidam erat adtonsus ut clericus, quidam laicus, quædam femina. Trahentes autem eos maligni spiritus descenderunt in medium [*Al.*, medio] baratri illius ardentis; factumque est ut cum longius subeuntibus eis, fletum hominum, et risum dæmoniorum clare discernere nequirem, sonum tamen adhuc promiscuum in auribus haberem. Interea ascenderunt quidam spirituum obscurorum de abysso illa flammivoma, et adcurrentes circumdederunt me, atque oculis flammantibus, et de ore ac naribus ignem putidum efflantes angebant, forcipibus quoque igneis quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me ullatenus contingere, tametsi terrere præsumebant. Qui cum undiqueversum hostibus et cæcitate tenebrarum conclusus huc illucque oculos circumferrem, si forte alicunde quid auxilii quo salvarer, adveniret, apparuit retro via [*Al.*, viam] qua veneram quasi fulgor stellæ micantis inter tenebras, qui paulatim crescens et ad me ocius festinans ubi adpropinquavit, dispersi sunt et aufugerunt omnes qui me forcipibus rapere quærebant spiritus infesti.

« Ille autem qui adveniens eos fugavit erat ipse qui me ante ducebat: qui mox conversus ad dexterum iter, quasi contra ortum solis brumalem me ducere cœpit. Nec mora, exemptum tenebris in auras me serenæ lucis eduxit: cumque me in luce aperta duceret, vidi ante nos murum permaximum, cujus neque longitudini hinc vel inde, neque altitudini ullus esse terminus videretur. Cœpi autem mirari quare ad murum accederemus, cum in eo nullam januam vel fenestram vel ascensum alicubi conspicerem. Cum ergo pervenissemus ad murum, statim nescio quo ordine fuimus in summitate ejus. Et ecce ibi campus erat latissimus ac lætissimus, tantaque fragrantia vernantium flosculorum plenus, ut omnem mox fœtorem tenebrosæ fornacis, qui me pervaserat,

A effugaret admirandi hujus suavitas odoris. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni splendore diei, sive solis meridiani radiis videretur esse præclarior. Erantque in hoc campo innumera hominum albatorum conventicula, sedesque plurimæ agminum lætantium. Cumque inter choros felicium incolarum medios me duceret, cogitare cœpi quod hoc fortasse esset regnum cælorum, de quo prædicari sæpius audivi. Respondit ille cogitatui meo: Non, inquiens, non [*Al. om.* non] hoc est regnum cælorum quod autumas.

« Cumque procedentes transissemus, et has beatorum mansiones spirituum, aspicio ante nos multo majorem luminis gratiam quam prius; in qua etiam vocem cantantium dulcissimam audivi; sed et odoris

B fragantia miri tanta de loco effundebatur, ut is quem antea degustans quasi maximum rebar, jam permodicus mihi odor videretur: sicut etiam lux illa campi florentis eximia, in comparatione ejus quæ nunc apparuit lucis, tenuissima prorsus videbatur, et parva. In cujus amœnitatem loci cum nos intraturos sperarem, repente ductor substitit; nec mora, gressum retorquens, ipsa me qua venimus via reduxit.

« Cumque reversi [*Al.*, reversione] perveniremus ad mansiones illas lætas spirituum candidatorum, dixit mihi: Scis quæ sint ista omnia quæ vidisti? Respondi ego, Non. Et ait: Vallis illa quam aspexisti flammis ferventibus et frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus in quo examinandæ et castigandæ sunt

C animæ illorum, qui differentes confiteri et emendare scelera [*Al. add.* sua] quæ fecerant, in ipso tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt, et sic de corpore exeunt: qui tamen quia confessionem et pœnitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die judicii ad regnum cœlorum perveniunt [*Al.*, pervenient]. Multos autem preces viventium et eleemosynæ et jejunia et maxime celebratio missarum, ut etiam ante diem judicii liberentur, adjuvant. Porro puteus ille flammivomus ac putidus quem vidisti, ipsum est os gehennæ, in quo quicumque semel inciderit nunquam inde liberabitur in ævum. Locus vero iste florifer, in quo pulcherrimam hanc juventutem jocundari ac fulgere conspicis, ipse est

D in quo recipiuntur animæ eorum qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tantæ perfectionis, ut in regnum cælorum statim mereantur introduci: qui tamen omnes in die judicii ad visionem Christi et gaudia regni cælestis intrabunt. Nam quicumque in omni verbo et opere et cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi ad regnum cæleste perveniunt: ad cujus vicina (*Al.*. vicinia) pertinet locus ille, ubi sonum cantilenæ dulcis cum odore suavitatis ac splendore lucis audisti. Tu autem quia nunc ad corpus reverti et rursum inter homines vivere debes, si actus tuos curiosius discutere, et mores sermonesque tuos in rectitudine ac simplicitate servare studueris, accipies et ipse post mortem locum mansionis inter hæc

Digitized by Google

quæ cernis agmina lætabunda spirituum beatorum. Namque ego cum ad tempus abscessissem a te, ad hoc feci ut quid de te fieri deberet agnoscerem. Hæc mihi cum dixisset, multum detestatus sum reverti ad corpus, delectatus nimirum suavitate ac decore loci illius quem intuebar, simul et consortio eorum quos in illo [*Al. add.* esse] videbam. Nec tamen aliquid doctorem meum rogare audebam : sed inter hæc nescio quo ordine repente me inter homines vivere cerno. »

Hæc et alia quæ viderat idem vir Domini, non omnibus passim desidiosis ac vitæ suæ incuriosis referre volebat, sed illis solummodo qui, vel tormentorum metu perterriti, vel spe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex ejus verbis haurire volebant. Denique in vicinia cellæ illius habitabat quidam monachus, nomine Haemgils, presbyteratus etiam quem bonis actibus adæquabat [*Al.*, operibus adornabat], gradu præeminens, qui adhuc superest, et in Hibernia insula solitarius ultimam vitæ ætatem pane cibario et frigida aqua sustentat. Hic sæpius ad eumdem virum ingrediens, audivit ab eo repetita interrogatione, quæ et qualia essent quæ exutus corpore videret [*Al.*, viderat] : per cujus relationem, ad nostram quoque agnitionem pervenere quæ de his pauca perstrinximus. Narrabat autem visiones suas etiam regi Aldfrido viro undecumque doctissimo ; et tam libenter, tamque studiose ab illo auditus est, ut ejus rogatu [*Al. add.* in] monasterio supra memorato inditus, ac monachica sit tonsura coronatus, atque ad eum audiendum sæpissime cum illas in partes devenisset accederet. Cui videlicet monasterio tempore illo religiosæ ac modestæ vitæ abbas et presbyter [a] Aediluald præerat, qui nunc episcopalem Lindisfarnensis Ecclesiæ cathedram condignis gradu actibus servat [*Al.*, tenet].

Accepit autem in eodem monasterio locum mansionis secretiorem, ubi liberius continuis in orationibus famulatui sui Conditoris vacaret. Et quia locus ipse super ripam fluminis erat situs, solebat hunc creber [*Al.*, crebro] ob magnum castigandi corporis affectum ingredi, ac sæpius in eo supermeantibus undis immergi ; sicque ibidem quamdiu sustinere posse videbatur, psalmis vel precibus insistere, A fixusque manere ascendente aqua fluminis [*Al. add.* et] usque ad lumbos, aliquando usque ad collum ; atque inde egrediens ad terram nunquam ipsa vestimenta uda atque [*Al.*, vel] algida deponere curabat, donec ex suo corpore calefierent et siccarentur. Cumque tempore hiemali defluentibus circa eum semifractarum crustis glacierum, quas et ipse aliquando contriverat quo haberet locum standi sive immergendi [*Al. add.* se] in fluvio, dicerent [*Al.*, dicerentque] qui videbant : « Mirum, frater Drycthelme (hoc enim erat viro nomen), quod tantam frigoris asperitatem ulla ratione tolerare prævales ! » Respondebat ille simpliciter, erat namque homo simplicis ingenii ac moderatæ naturæ : « Frigidiora ego vidi. » Et cum dicerent : « Mirum quod tam B austeram tenere continentiam velis ! » Respondebat : « Austeriora ego vidi. » Sicque usque ad diem suæ vocationis infatigabili cælestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana jejunia domabat, multisque et verbo et conversatione saluti [*Al.*, salutis causa] fuit.

## CAPUT XIII.

*Ut e contra alter ad mortem veniens, oblatum sibi a dæmonibus codicem suorum viderit peccatorum.*

At contra, fuit quidam in provincia Merciorum cujus visiones ac verba, non autem et conversatio [*Al.*, verba et conversatio], plurimis, sed non sibimetipsi profuit. Fuit autem [*Al. add.* quidam] temporibus Coenredi, qui post [b] Aedilredum regnavit C [DCCV], vir in laico habitu atque officio militari positus ; sed quantum pro industria exteriori regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo ut confiteretur, et emendaret ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superventu tempus omne pœnitendi et emendandi perderet. Verum ille, frequenter licet admonitus, spernebat verba salutis, seseque tempore sequente pœnitentiam acturum esse promittebat. Hæc inter tactus infirmitate, decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus rex, diligebat enim eum multum, hortabatur ut vel tunc antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondit [*Al.*, respondebat], non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cum ab infir-

[a] *Aediluald.* Fuit primo minister S. Cudbercti. Vit. S. Cudb. 30. Postea abbas Mailrosensis, v, 12. Denique episcopus factus circa an. 724 crucem lapideam fabricari fecit quæ multis post sæculis maximam religionis famam apud Aquilonales Anglos obtinuit. Sim. Dun. de Dun. Eccl. I, 12. Is etiam Evangeliorum librum, quem Eadfridus episcopus in honorem B. Cudbercti manu propria scripserat, auro gemmisque perornari jussit. Ibid. II, 12. Eum defunctum scribit Malms. an. 738 ; Flor. Uuig., an. 739 ; Sim. Dun., an. 740. Sepultus est in æde Lindisfarnensi : post annos vero 135 asportatæ inde sunt ejus exuviæ, uti et S. Cudbercti aliorumque sanctorum, ne Danorum furori exponerentur ; et cum diu cum sacro illo thesauro monachi de loco in locum discurrissent, ad Dunelmum tandem translatæ sunt. S. Aediluald colitur 12 Februarii.

[b] *Aedilredum.* Pendan regis filius, an. 675 Uulfheri fratri successit. An. 676 Cantiam vastavit, IV, D 12. An. 680, ad hujus petitionem, Agatho papa litteris suis confirmavit privilegia Peadæ et Uulfheri regum et Sexuulfi, quibus liberarunt Medeshamstede monasterium ab omni servitute vel regi vel episcopo peragenda. Chr. Sax., an. 675. An. 679, inter hunc et Ecgfridum Theodorus pacem fecit, IV, 21 ; et Aedilred recuperavit Lindisfarorum provinciam, quam Ecgfrid Uulfheri superato obtinuerat, IV, 12. An. 691, Uilfrid, jubente Aeldiredo, apud quem episcopatu pulsus aliquantisper mansit, Ulfiorum consecrat, IV, 23. Aedilred etiam dedit S. Eguino Eveshamiam, ubi monasterium construxit an. 701. An. 703, eidem dedit Castellum de Chadbury et vetus monasterium de Stratforda. Mon. Angl., II, 851. An. 704, in Beardaneu monasterio, quod dicitur III, 11, maxime dilexisse, monachus fit. Chr. Sax. Et mox abbas, v, 20. Malms. de Reg. I. IV. Et 13 annos ibidem devote peregit. Mon. Angl., II, 851.

Digitized by Google

mitate resurgeret; ne [*Al. add.* forte] exprobrarent sibi sodales, quod timore mortis faceret ea quæ sospes facere noluerat; fortiter quidem, ut sibi videbatur, locutus, sed miserabiliter, ut post patuit, dæmonica [*Al.*, dæmoniaca] fraude seductus.

Cumque morbo ingravescente, denuo ad eum visitandum ac docendum rex intraret, clamabat [*Al.*, clamavit] statim miserabili voce: « Quid vis modo? Quid huc venisti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut salutis potes ultra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide ut sanum sapias. Non, inquit, insanio, sed pessimam mihi scientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulo ante, inquit, intraverunt domum hanc duo pulcherrimi juvenes, et resederunt circa me, unus ad caput, et unus ad pedes; protulitque unus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia quæ unquam bona feceram, intuens scripta reperi, et hæc erant nimium pauca et modica. Receperunt codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tum subito supervenit exercitus malignorum et horridorum [*Al.*, horrendorum] vultu spirituum, domumque hanc et exterius obsedit, et intus maxima ex parte residens implevit. Tunc ille qui et obscuritate tenebrosæ faciei et primatu sedis major esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, et magnitudinis enormis, et ponderis pene importabilis, jussit uni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferre [*Al.*, deferri]. Quem cum legissem, inveni omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccavi, manifestissime in eo tetricis [*Al.*, tetris] esse descripta litteris. Dicebatque ad illos qui mihi adsederant viros albatos et præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissime quia noster est iste [*Al.*, ipse]? Responderunt: Verum dicitis [*Al.*, dicis]; accipite, et in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerunt: surgentesque duo nequissimi spiritus, habentes in manibus vomeres [*Al.*, cultra; *al.*, furcas], percusserunt me, unus in capite, et alius in pede: qui videlicet modo cum magno tormento irrepunt in interiora corporis mei [*Al.*, in mea viscera], moxque ut ad se [*Al. om.* se] invicem perveniunt, moriar, et paratis ad rapiendum me dæmonibus, in inferni claustra pertrahar. »

Sic loquebatur miser desperans, et non multo post defunctus pœnitentiam quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit. De quo constat quia, sicut beatus papa Gregorius de quibusdam scribit, non pro se ista cui non profuere, sed pro aliis viderit, qui ejus interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improviso mortis articulo præventi impœnitentes perirent. Quod autem codices diversos per bonos sive malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispensatione factum est, ut meminerimus facta et cogitationes nostras non in ventum diffluere, sed ad examen summi Judicis cuncta servari; et sive per amicos angelos in fine nobis ostendenda, sive per hostes. Quod vero prius candidum codicem protulerunt angeli, deinde atrum dæmones: illi perparvum, isti enormem: animadvertendum est quod in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen universa prave agendo juvenis obnubilavit. Qui si e contrario errores pueritiæ corrigere in adolescentia, ac bene faciendo a Dei oculis abscondere curasset, posset eorum numero sociari de quibus ait Psalmus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Hanc historiam, sicut a venerabili antistite Pecthelmo didici, simpliciter ob salutem legentium, si e audientium, narrandam esse putavi.

## CAPUT XIV.

*Ut item alius moriturus deputatum sibi apud inferos locum pœnarum viderit.*

Novi autem ipse fratrem, quem utinam non nossem, cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem; positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viventem. Corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac majoribus loci, atque ad castigatiorem vitam converti ammonebatur. Et quamvis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter, ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Serviebat autem multum ebrietati et cæteris vitæ remissioris illecebris; magisque in officina sua die [*Al.*, diu] noctuque residere, quam ad psallendum atque orandum in ecclesia audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere consuerat. Unde accidit illi, quod solent dicere quidam, quia qui non vult ecclesiæ januam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in januam inferni non sponte damnatus introduci. Percussus enim languore atque ad extrema perductus vocavit fratres, et multum mœrens ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos et Sathanan dimersum [*Al.*, demersum; *al.*, immersum] in profundis [*Al.*, profundum] tartari, Caiphanque [*Al.*, Caiphan quoque] cum cæteris qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus contraditum: in quorum vicinia, inquit, heu misero mihi locum despicio [*Al.*, aspicio] æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam faceret [*Al.*, ageret]. Respondebat ille desperans: « Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim judicium meum jam esse completum. »

Talia dicens, sine viatico salutis obiit, et corpus ejus in ultimis est monasterii locis humatum, neque aliquis pro eo vel missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quam grandi distantia divisit Deus inter [*Al. om.* inter] lucem et tenebras! Beatus protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cælos apertos, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei; et ubi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra, faber

Digitized by Google

iste tenebrosæ mentis et actionis, imminente morte, vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli et sequacium ejus; vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viventibus qui hæc cognovissent causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in provincia Berniciorum; ac longe lateque diffamatum, multos [*Al.*, multosque] ad agendam et non differendam scelerum suorum pœnitudinem provocavit. Quod utinam exhinc etiam nostrarum lectione litterarum fiat!

## CAPUT XV.

*Ut plurimæ Scottorum Ecclesiæ, instante Adamnano, catholicum Pascha susceperint; utque idem librum de Locis Sanctis scripserit.*

Quo tempore [DCCI] plurima pars Scottorum in Hibernia, et nonnulla etiam de Brittonibus in Brittania, rationabile et ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus Domino donante suscepit. Siquidem [a] Adamnan presbyter et abbas monachorum qui erant in insula Hii, cum legationis gratia missus a sua gente, venisset ad Aldfridum regem Anglorum, et aliquandiu in ea provincia moratus, videret ritus Ecclesiæ canonicos; sed et a pluribus qui erant eruditiores esset sollerter admonitus, ne contra universalem Ecclesiæ morem, vel in observantia Paschali, vel in [b] aliis quibusque decretis cum suis paucissimis, et in extremo mundi angulo positis vivere præsumeret, mutatus mente est; ita ut ea quæ viderat et audierat in Ecclesiis Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissime præferret. Erat enim vir bonus et sapiens, et scientia Scripturarum nobilissime instructus.

Qui cum domum rediisset, curavit suos qui erant in Hii, quive eidem erant subditi monasterio, ad eum quem cognoverat, quemque ipse toto ex corde susceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Navigavit [*Al. add.* itaque] Hiberniam et prædicans eis, ac modesta exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, et pene omnes qui ab Hiiensium dominio erant liberi, [c] ab errore avito correctos ad unitatem reduxit catholicam, ac legitimum Paschæ tempus observare perdocuit. Qui cum celebrato in Hibernia canonico Pascha, ad suam insulam revertisset, suoque [*Al.*, suisque in] monasterio catholicam temporis Paschalis observantiam instantissime prædicaret, nec tamen perficere quod conabatur posset, contigit eum ante expletum anni circulum migrasse de sæculo [DCCII]. Divina utique gratia disponente, ut vir unitatis ac pacis studiosissimus ante ad vitam raperetur æternam, quam, redeunte tempore Paschali, graviorem cum eis qui eum ad veritatem sequi nolebant, cogeretur habere discordiam.

[d] Scripsit idem vir de Locis Sanctis [e] librum legentibus multis utillimum; cujus auctor erat docendo ac dictando Galliarum episcopus Arcuulfus, qui locorum gratia sanctorum venerat Hierosolymam, et lustrata omni terra repromissionis, Damascum quoque, Constantinopolim, Alexandriam, multas [*Al.*, multasque] maris insulas adierat; patriamque navigio revertens, vi tempestatis in occidentalia Brittaniæ littora delatus est: ac post multa, ad memoratum Christi famulum Adamnanum perveniens, ubi doctus in Scripturis sanctorumque locorum gnarus esse compertus est, libentissime est ab illo susceptus, [*Al. add.* et] libentius auditus; adeo ut quæque ille se in Locis sanctis memoratu digna vidisse testabatur, cuncta mox iste litteris mandare curaverit. Fecitque opus, ut dixi, multum [*Al.*, multis] utile, et maxime illis qui longius ab eis locis in quibus patriarchæ et apostoli erant, secreti, ea tantum de his quæ lectione didicerint, norunt. Porrexit autem librum hunc Adamnan Aldfrido regi, ac per ejus est largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipse multis ab eo muneribus donatus, [*Al., add.* in] patriam remissus est. De cujus scriptis aliqua decerpere, ac nostræ huic Historiæ inserere commodum fore legentibus reor.

## CAPUT XVI.

*Quæ in eodem libro de Loco Dominicæ nativitatis, passionis, et resurrectionis commemoraverit.*

Scripsit ergo de loco Dominicæ nativitatis in hunc modum: « Bethleem, civitas David, in dorso sita est angusto ex omni parte vallibus circumdato [*Al.*, circumdata], ab occidente in orientem mille passibus longa, humili [*Al.*, humilis], sine turribus muro per extrema plani verticis instructo; in cujus orientali angulo quasi quoddam naturale semiantrum est, cujus exterior pars nativitatis Dominicæ fuisse dicitur locus; interior Præsepe Domini nominatur. Hæc spelunca tota interius pretioso marmore tecta, supra locum ubi Dominus natus specialius traditur, sanctæ Mariæ grandem gestat ecclesiam. » Scripsit item hoc modo de loco passionis ac resurrectionis illius: « Ingressis [*Al.*, ingressus] a septemtrionali parte urbem Hierosolymam, primum de locis sanctis pro conditione platearum divertendum est ad ecclesiam Constantinianam, quæ *Martyrium* appellatur. Hanc Constantinus imperator, eo quod ibi crux Domini ab Helena [*Al. add.* ejus] matre reperta sit, magnifico et regio cultu construxit. Dehinc ab occasu Golgothana videtur ecclesia, in qua etiam rupis apparet illa, quæ quondam ipsam adfixo [*Al.*, ipsa infixo] Domini

[a] *Adamnan.* Fastis Benedictinis colitur IX Kal. Octob. Fuit et alius S. Adamnanus, presbyter Coludiensis, IV, 25.

[b] *Aliis.* E quibus fuit tonsura, v, 21, juxta finem.

[c] *Ab err. avit. correct.* Al., *errore correctos*, om. *avito*; al., *errore habito correctos.*

[d] *Scripsit.* Scripsit et Vitam S. Columbæ, quam in tres libros digessit.

[e] *Librum.* Hoc Adamnani opusculum exstat apud Mabillon., Act. Ben. sæc. III, part. II, p. 502. Incertum est, cum Adamnanus legatus ad Aldfridum venerit, vel suum librum ei porrexerit. Hoc autem constat, quod ad regem venerit ante an. 705, quia eo anno rex mortuus est: cum etiam Matt. Westm. asserat eum an. 701 ad Aldfridum missum, in re tam obscura ejus auctoritatem tutus sequor. (*Vide Patrol. t. LXXXVIII, col.* 779.)

Digitized by Google

corpore crucem pertulit, argenteam modo pergrandem sustinens crucem, pendente magna desuper ærea rota cum lampadibus. Infra ipsum vero locum Dominicæ crucis, excisa in petra crypta est, in qua super altare pro defunctis honoratis sacrificium solet offerri, positis interim in platea corporibus. Hujus quoque ad occasum ecclesiæ, anastasis, hoc est, resurrectionis Dominicæ rotunda ecclesia, tribus cincta parietibus, duodecim columnis sustentatur, inter parietes singulos latum habens spatium viæ, quæ tria altaria in tribus locis parietis medii continet, hoc est, australi, aquilonali, et occidentali. Hæc bis quaternas portas, id est, introitus per tres e regione parietes habet, e quibus quatuor ad vulturnum, et quatuor ad eurum spectant. Hujus in medio monumentum Domini rotundum petra excisum est, cujus culmen intrinsecus stans homo manu contingere potest, ab oriente habens introitum, cui lapis ille magnus appositus est; quod intrinsecus ferramentorum vestigia usque in præsens ostendit. Nam extrinsecus usque ad culminis summitatem totum marmore tectum est. Summum vero culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem. In hujus ergo monumenti aquilonali parte sepulcrum Domini in eadem petra excisum [*Al. add.* est], longitudinis septem pedum, trium mensura palmarum pavimento altius eminet; introitum habens a latere meridiano, ubi die noctuque duodecim lampades ardent, quatuor intra sepulcrum, octo supra in margine dextro. Lapis qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est; cujus pars minor quadratum altare, ante ostium nihilominus ejusdem monumenti stat; major vero in orientali ejusdem ecclesiæ loco quadrangulum aliud altare sub linteaminibus exstat. Color autem ejusdem monumenti et sepulcri albo et rubicundo permixtus esse videtur. »

## CAPUT XVII.

*Quæ item de loco ascensionis Dominicæ, et sepulchris patriarcharum* [Al. add. *scripserit*].

De loco quoque Dominicæ ascensionis præfatus auctor hoc modo refert: « Mons Olivarum altitudine monti Sion par est, sed latitudine et longitudine præstat, exceptis vitibus et olivis raræ ferax arboris, frumenti quoque et hordei fertilis. Neque enim brucosa, sed herbosa et florida soli illius est qualitas: in cujus summo vertice, ubi Dominus ad cælos ascendit, ecclesia rotunda grandis, ternas per circuitum cameratas habet porticus, desuper tectas. Interior namque domus propter Dominici corporis meatum camerari et tegi non potuit: altare ad orientem habens angusto [*Al.*, augusto] culmine protectum, in cujus medio ultima Domini vestigia, A cælo desuper patente ubi ascendit, visuntur. Quæ cum quotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manet, eamdemque adhuc speciem veluti impressis signata [*Al.*, signatam] vestigiis servat. Hæc circa ærea rota jacet, usque ad cervicem alta, ab occasu habens introitum, pendente desuper in trochleis magna lampade, tota [*Al.*, totaque] die et nocte lucente. In occidentali ejusdem ecclesiæ parte [*Al. add.* sunt] fenestræ octo, totidemque e regione lampades in funibus pendentes usque Hierosolymam per vitrum fulgent; quarum lux corda intuentium cum quadam alacritate et compunctione pavefacere dicitur. In die ascensionis Dominicæ per annos singulos, missa peracta, validi flaminis procella desursum venire consuevit, et omnes qui in ecclesia adfuerint terræ prosternere. »

B De situ etiam Chebron [*Al.*, Hebron] et monumentis Patrum ita scribit: « Chebron quondam civitas et metropolis regni David, nunc ruinis tantum quid tunc [*Al.*, tum] fuerit ostendens. Uno ad orientem stadio speluncam duplicem in valle habet, ubi sepulchra patriarcharum quadrato muro circumdantur, capitibus versis ad aquilonem; et hæc singula singulis tecta lapidibus instar basilicæ dolatis; trium patriarcharum candidis, Adam obscurioris et vilioris operis, qui haud longe ab illis ad [*Al.*, in] borealem extremamque muri illius [*Al.*, illius loci] partem pausat. Trium quoque feminarum viliores et minores memoriæ cernuntur.

C « Mamre [*Al.*, Mambre etiam] collis mille passibus [*Al. add.* est] a monumentis his ad boream, herbosus valde et floridus, campestrem habens in vertice planitiem; in cujus aquilonali parte quercus Abrahæ duorum hominum altitudinis truncus ecclesia circumdata est. » Hæc de opusculis excerpta præfati scriptoris ad sensum quidem verborum illius, sed brevioribus strictisque comprehensa sermonibus, nostris ad utilitatem legentium Historiis indere placuit. Plura voluminis illius si qui [*Al.*, si quem; *al.*, si quis] scire delectat, vel in ipso illo volumine, vel [a] in eo quod de illo dudum strictim excerpsimus, epitomate requirat.

## CAPUT XVIII.

*Ut Australes Saxones episcopos acceperint Eadberctum et Eollan* [Al., *Eollam*], *Occidentales Danihelem* [Al., *Danielem*] *et Aldhelmum; et de scriptis ejusdem Aldhelmi.*

D Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinto, Aldfrid rex Nordanhymbrorum defunctus est anno regni sui vicesimo necdum impleto; cui succedens in imperium filius suus Osred, puer octo circiter annorum, regnavit annis undecim. Hujus regni principio antistes occidentalium Saxonum [b] Haeddi

[a] *In eo.* Quod vide editum infra suo loco.

[b] *Haeddi.* Aeddi quidam erat qui fuit cantandi magister, IV, 2, et qui scripsit Vitam S. Uilfridi a Galeo editam inter Script. XV. Alius etiam Haedda fuit, qui post Sexuulfi obitum Lichfeldensi parochiæ an. 691 præfectus est, et Legecestrensi etiam post ejectum Uilfridum. Malms. Pont. IV, et Angl. Sacr. I, 428. Noster vero primo abbas fuit apud Streaneshalc (vide not. ad III, 7), postea consecratus episcopus an. 676, IV, 12. An. 678: « Regiam libertatem insulæ Glastoniæ de rege Centwino ad vetustam ecclesiam impetravit, et liberam electionem fratribus ibidem Deo servientibus ab eodem rege perquisivit, ut haberent jus eligendi et constituendi sibi rectorem secundum Regulam S. Benedicti. Usserii Britt. Eccl. Ant., p. 59. Script. XV, p. 508.

[*Al.*, Heddi] cælestem [a] migravit ad vitam. Bonus quippe erat vir ac justus et episcopalem vitam, sive doctrinam magis insito sibi virtutum amore [b] quam lectionibus institutus exercebat. Denique reverentissimus antistes Pecthelm, de quo in sequentibus suo loco dicendum est, qui cum successore ejus Aldhelmo multo tempore adhuc [c] diaconus sive monachus fuit, referre est solitus, quod in loco quo defunctus est, ob meritum sanctitatis ejus multa sanitatum [*Al. om.* sanitatum] sint patrata miracula, hominesque provinciæ illius solitos ablatum inde pulverem propter languentes in aquam mittere, atque hujus gustum sive aspersionem multis sanitatem ægrotis et hominibus et pecoribus conferre: propter quod frequenti ablatione [*Al.*, oblatione] pulveris sacri, fossa sit ibidem facta non minima.

Quo defuncto, episcopatus provinciæ illius in duas parochias [d] divisus est. Una data [*Al. add.* est] [e] Daniheli, quam usque hodie regit; altera [f] Aldhelmo, cui annis quatuor strenuissime præfuit: ambo et in rebus ecclesiasticis, et in scientia Scripturarum sufficienter instructi. Denique Aldhelm, cum adhuc esset presbyter, et abbas monasterii quod [g] Maildufi urbem nuncupant, scripsit, jubente synodo suæ gentis, [h] librum egregium adversus errorem Brittonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel [i] alia

Hujus etiam cum consensu et licentia Baldred rex dedit ecclesiæ Glastoniensi aliquot hidas et capturam piscium. Haeddi etiam Glastoniæ, Caedualla pagano annuente, Lantokay dedit, quam donationem confirmat Ina in magno suo privilegio ann. 725 facto. Script. XV, p. 308, 311. Subscripsit tribus chartis a Caedualla, Baldredo et Ina, Aldhelmo abbati Malmsburiensi factis. Vide Aldhelmi Vit. apud Angl. Sacr. II, 11, 12. Hic transtulit S. Birini corpus ad Ventanam civitatem, III, 7.

[a] *Migravit.* « Haeddi episcopus in superiore cœmiterio monachorum in pyramide saxea quondam nobiliter exsculpta adhuc requiescit. » Usser. Antiq., p. 59. Chron. Sax. ait hunc an. 703 obiisse, et Matth. Westm. an. 704. Sed apparet ex hoc cap. illum non defunctum fuisse ante an. 705. Colitur Nonis Julii.

[b] *Quam lectionibus.* Gulielm. Malms. de hac re non parvo « movetur scrupulo, quippe qui legerit ejus formales epistolas non nimis indocte compositas, et Aldhelmi ad eum scripta maximam vim eloquentiæ et scientiæ redolentia. » Malms. Pont. II.

[c] *Diaconus.* Postea episcopus Candidæ Casæ, v, 24.

[d] *Divisus.* Remanserunt autem episcopo Wintoniensi duæ provinciæ tantum, Hamptonensis sc. et Sutheriensis: alteri vero provinciæ, Wiltunensis, Dorsetensis, Berucensis, Somersetensis, Devoniensis, Cornubiensis. Matt. West. An. 704 divisus est synodali concilio. Angl. Sacr. II, 20.

[e] *Daniheli.* Discipulus Maildulfi dicitur. Bedæ quidem auxilio fuit in condenda Historia (*Præf. ad Hist.*), et primus potestatem episcopalem habuit insula Vecta, IV, 16. An. 721 Romam profectus est. Flor. Uuig. An. 731 Tatuinum archiepiscopum consecravit. An. 744 episcopatu cessit. Chr. Sax. Et Melduni quantum vixit monachum exercuit, ibidemque sepultus est; quamvis Wintonienses eum apud se habere contendant. Malms., Pont. II. An. 745 mortuus est: obitum tamen in an. 746 Mailrosensis et Mat. Westm. distulere. An. 745 Cuthredus rex Geuissorum cum consensu et scientia Danihelis optimatumque Melduncnsi monasterio X mansiones apud Undecim largitus est. Angl. Sacr. II, 25. Inter Bonifacii Moguntini episcopi epistolas tertiam Danihelι huic scriptam invenimus, et inter Serarii ad hanc Bonifacii epistolam notas responsio Danihelis inseritur. Item inter easdem Bonifacianas tres etiam ipsius Danihelis exstat, viz. tricesima tertia inscripta omnibus Christianis, sexagesima sexta episcopo Forthere, sexagesima septima ipsi Bonifacio. Biblioth. Patr. XIII, 71, 145, 82, 93.

[f] Ibid. *Aldhelmo.* Kenterus regis Inæ consanguineus fuit illi pater. Adrianum abbatem Maildufumque habuit puer magistros. Primo Melduni monachus, deinde in Meldunensem abbatem erectus an. 675 a Leutherio episcopo, monasterium suum quod Maildufus inchoaverat, auxit et ampliavit, et in eo tres ecclesias, unam S. Petro, alteram B. Mariæ, tertiam S. Michaeli construxit. Loca plura illi data sunt ejusque cœnobio a regibus comitibusque Merciorum et Uuest-Saxonum, viz. a comite Kenfritho 10 cassatos, a rege Ethelredo 45 cassatos, a Berthualdo subregulo 40 cassatos, a Caedualla rege 140 manentes, a Baldredo 100 manentes vice 100 cassatorum, ab Ina rege 45 cassatos. Condidit quoque hic cœnobium juxta fl. From, ubi S. Johanni ecclesiam consecravit; nec non aliud apud Bradeford, ubi ecclesiam S. Laurentio dedicavit. Sergio pontificante ivit Romam et monasteriis suis privilegia apostolica acquisivit. An. 705 episcopus factus Schireburni, monasteriis suis abbates præponere statuebat, sed monachi restiterunt, et neminem præter ipsum quamdiu vixerit voluerunt. In Schireburno etiam ecclesiam construxit, et abunde consuluit per Inæ chartam ecclesiarum omnium cœnobiorumque Uuest-Saxonum libertatibus. Tandem in Daltinge, agri Somersetensis villa obiit, et ab Eguuino Uuigorniensi episcopo Meldunum delatus, in S. Michaelis ecclesia sepultus est an. 709, in vigilia S. Augustini, VIII Kal. Jun., et in terra diu jacuit, donec post 246 annos pia Ethels ani regis cura efferretur et locaretur in scrinio. Hæc et plura vide in S. Aldhelmi Vita apud Angl. Sacr. II. Ina hujus consilio dicitur construxisse Glastingense monasterium X Script., p. 758. Et quidem an. 704 decreto nostri præsulis Ina fertur concessisse monasterio Glastoniensi, ut sit omni impedimento rerum sæcularium tributoque libera. XV Script., p. 309. Aldhelmus colitur 25 Maii.

[g] *Maildufi.* « Maildufus vitam eremiticam ducens sub castello de Bladon, quod Saxonice dicitur Ingebbone castel... Regia habitatio et ejus manerium non longe fuit a castello apud Brokenberg, prædictus Eremita petiit a Castellanis tugurium sibi fieri sub castello et obtinuit. Hic dum sibi necessaria deficerent, scholares sibi in disciplinatum adunavit. Brevi autem tempore scholares in exiguum conventum coaluere. Horum consortio S. Aldhelmus additus plenum informatus artem dialecticam adjecit erudire. Unde hinc fugiens ad pedes Adriani abbatis per aliquod tempus studuit, et sufficienter edoctus Meldunum repetiit. Qui postea cum sociis suis sub Maildufo monacho attonsus est, vivente Maildufo post tonsionem ejus annos 14. » Lelandi Collect., III, 158; Monast. Angl. I, 50. Maidulus fuit natione Scotus. Malms. Reg. I, 2. Tempore Maildufi vix 60 cassatos ejus cœnobium habebat. Tot enim cassatis annumeratur villa *Brochenęberge.* Angl. Sacr., II, 12.

[h] *Librum egregium.* Hunc Geruntio regi Brittonum Cornubiensium inscripsit. Quem vide apud Bonifac. Epist. in Biblioth. Patr., XIII, 86.

[i] *Alia.* « Præterea ad Aldfridum regem Northumbrorum edidit librum hæc continentem capitula, De septenarii numeri dignitate collecta ex Veteris et Novi Testamenti floribus et disciplinis philosophorum, De ammonitione fraternæ charitatis, De insensibilium rerum natura, quæ secundum metaphoram sermocinari figurantur, De pedum regulis, De Meta-

Digitized by Google

perplura ecclesiasticæ castitati et paci contraria gerunt, multosque eorum qui Occidentalibus Saxonibus subditi erant Brittones, ad catholicam Dominici Paschæ celebrationem hujus lectione perduxit. Scripsit et de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere, et versibus hexametris, et prosa composuit. Scripsit et alia nonnulla, utpote vir undecumque doctissimus : nam et sermone nitidus, et scripturarum, ut dixi, tam liberalium quam ecclesiasticarum erat eruditione mirandus. Quo defuncto, pontificatum [*Al.*, episcopatum] pro eo suscepit [a] Fortheri [DCCIX], qui usque hodie superest; vir et ipse in Scripturis sanctis multum eruditus.

Quibus episcopatum administrantibus [DCCXI] [b] statutum est synodali decreto, ut provincia Australium Saxonum, quæ eatenus ad civitatis Ventanæ, cui tunc Danihel præerat, parochiam [c] pertinebat, et ipsa sedem episcopalem ac proprium haberet episcopum : consecratusque est eis primus antistes Eadberct, qui erat abbas monasterii beatæ memoriæ Uilfridi episcopi, quod dicitur [d] Selaeseu [*Al.*, Seleu]; quo defuncto, Eolla [*Al.*, Ceolla] suscepit officium pontificatus. Ipso autem ante aliquot annos ex hac luce subtracto, episcopatus usque hodie cessavit.

## CAPUT XIX.

*Ut Coinred Merciorum, et Offa orientalium Saxonum rex* [Al., *reges*] *in monachico habitu Romæ vitam finierint; et de vita vel obitu Uilfridi episcopi.*

Anno autem imperii Osredi quarto [DCCIX], [e] Coinred, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo regni sceptra reliquit. Nam venit Romam, ibique adtonsus, pontificatum habente [f] Constantino; ac monachus factus, ad limina apostolorum, in precibus, jejuniis et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum; succedente in regnum [g] Ceolredo filio Aedilredi, qui ante ipsum Coinredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo et filius Sigheri regis orientalium Saxonum, cujus [h] supra meminimus, vocabulo [i] Offa, juvenis amantissimæ ætatis et venustatis, totæque suæ genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus. Qui pari ductus devotione mentis, reliquit [j] uxorem, agros, cognatos et patriam propter Christum, et propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, et in sæculo venturo vitam æternam. Et ipse ergo ubi ad loca sancta Romam pervenerunt [*Al.*, pervenit], adtonsus, et in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum apostolorum in cœlis, diu desideratam, pervenit.

Eodem sane anno quo hi Brittaniam reliquere, antistes eximius Uilfrid, post quadraginta et quinque annos accepti episcopatus, diem clausit extremum in provincia quæ vocatur [k] Inundalum : corpusque ejus loculo inditum, perlatum est in monasterium ipsius, quod dicitur Inhrypum, et juxta honorem tanto pontifici congruum, in ecclesia beati apostoli Petri sepultum. De cujus statu vitæ, ut ad priora repedantes, paucis quæ sunt gesta, memoremus, cum esset puer bonæ indolis, atque ætatem moribus transiens

plasmo, De Sinalimpha, De Scansione et eclipsi versuum, De metro alterna interrogatio et responsio. Composuit et epistolas multas. » Angl. Sacr., II, 7. Extant apud Bibl. Patr. XIII : De laude virginum carmen, De octo principalibus vitiis, Liber de ænigmatibus, poetica nonnulla, et Liber de laude virginitatis.

[a] *Fortheri.* Subscripsisse fingitur Baccanceldensi concilio an. 798 habit, X Script., 2211. Spelm., Conc. I, 317. Ex appositis vero hujus, Danielis et Aeccæ nominibus, qui diu ante obierunt, constat hæc acta esse spuria. Huic Berctuald misit epistolam, quæ est 58 inter epistolas S. Bonifacii. An. 737, cum Frithegitha West-Saxonum regina profectus est Romam. Chr. Sax. Westm. ait hoc factum an. 758.

[b] *Statutum est.* Secundum Westm an. 711 episcopatum administrantibus Daniele et Fortheri; non vero, ut Spelm. videtur Conc. I, 209, Aldhelmo : quem jam defunctum Beda hoc loco diserte testatur.

[c] *Pertinebat.* Quare pertinuit, vide IV, 15.

[d] *Sclaeseu.* Vide IV, 13.

[e] *Coinred.* Uulfheri filius qui Aedilredi patrui exemplum secutus ipse in monachum se Romæ contulit, miserando militis exitu maxime compunctus, de quo vide V, 13. Malms. de Reg. I, 4. An. 708 dedit mon. Evesham. Hamton. Mon. Angl. II. 852. Dedit etiam S. Eguino 84 mansas in ambitu loci qui Hetheholm, alias Aethemne dicitur. Lel. Collect. I, 299.

[f] *Constantino.* Hic, natione Syrus, ordinatus est die 25 mensis Martii an. 708, et Ecclesiam rexit Romanam usque ad diem octavam mensis Aprilis an. 715.

[g] *Ceolredo.* An. 715 hic et Ina pugnabant apud Wodnesbeorhe. Chr. Sax. vel apud Bonebiry X Script., p. 773, quorum victoria in dubio remansit. Westm. An. sequente mortuus est, et sepultus in Licetfeld. Malms. ait eum fuisse immatura morte miserabilem, et S. Bonifacius Mogunt. in ep. 19 ad Aethelbaldum successorem ejus narrat, quod « Ceolredum apud comites suos splendide epulantem malignus spiritus arripuit, qui eum ad fiduciam damnandæ legis Dei suadendo pellexit, potantem subito in insaniam mentis convertit : ut sine pœnitentia et confessione furibundus et amens, et cum diabolis sermocinans, et Dei sacerdotes abominans, ab hac luce sine dubio ad tormenti inferna migravit. » Spelm. Conc. I, 233.

[h] *Supra.* Vide III, 30.

[i] *Offa.* Regnavit in regno orientalium Saxonum post Sigehardum et Seofridum paucis annis, ivitque Romam hortatu Kinesuithæ Pendan regis filiæ cujus nuptias suspiraverat cum Coinredo rege et Eguino episcopo. Malms. de gest. regum II, 6. et Mat. Westm., an. 705. Eguinus vero domum rediit de Roma epistolam privilegii ad munimen monasterii sui de Evesham secum ferens. Kenredi et Offæ et Egwini chartas, et Constantini epistolam de dotatione cœnobii Evesham vide apud Spelm. Conc. I, 209, etc. An. 705 dicitur dedisse Offenham Evesham monasterio. Monast. Angl. II, 851.

[j] *Uxorem.* Si aliam uxorem præter Kynesuitham habuit, nomen non constat. Kynesuitha vero uxor ejus proprie appellari non potuit, desponsata enim ei tantum fuit, non nupta Vide Capgr. Verius dici potest eam hunc, quam hunc eam reliquisse; constat enim illam propter virginitatis honorem ejus nuptias sprevisse.

[k] *Inundalum.* Oundle in agro Northamptionensi juxta Stamford. Petroburgenses aiunt hoc monasterium semper ad se pertinuisse, nec fuisse unquam Uilfridi monasterium, sed Hæddius et ex eo Beda aliter. Galeus conjicit primo fuisse Uilfridi, postea ad Petroburgenses spectasse.

Digitized by Google

[*Al.*, transigens], ita se modeste et circumspecte in omnibus gereret [*Al.*, gerebat], ut merito a majoribus quasi unus ex ipsis amaretur, veneraretur, amplecteretur, ubi quartum decimum ætatis contigit annum, monasticam sæculari vitam prætulit. Quod ubi patri suo narravit, jam enim mater obierat, libenter ejus votis ac desideriis cælestibus adnuit, eumque cœptis insistere salutaribus jussit. Venit ergo ad insulam Lindisfarnensem, ubique monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, et discere curabat et agere [DCXLVIII]. Et quia acris erat ingenii, didicit citissime psalmos, et aliquot codices; necdum quidem attonsus, verum eis quæ tonsura majores sunt virtutibus, [*Al. add.* id est] humilitatis et obedientiæ, non mediocriter insignitus: propter quod et a senioribus, et [*Al.*, a] coætaneis suis justo colebatur affectu. In quo videlicet monasterio cum aliquot annos Deo serviret, animadvertit paulatim adolescens animi sagacis, minime perfectam esse virtutis viam quæ tradebatur a Scottis, proposuitque animo venire Romam, et qui ad sedem apostolicam ritus ecclesiastici sive monasteriales servarentur, videre. Quod cum fratribus referret, laudaverunt ejus propositum, eumque id quod mente disposuerat [*Al.*, disposuit], perficere suadebant. At ille confestim veniens ad reginam [a] Eanfledam, quia notus erat ei [*Al.*, cui notus erat], ejusque consilio et suffragiis præfato fuerat monasterio sociatus, indicavit ei desiderium sibi inesse beatorum apostolorum limina visitandi: quæ delectata bono adolescentis proposito, misit eum Cantiam ad regem Erconberctum [DCLII], qui erat filius avunculi sui, postulans ut eum honorifice Romam transmitteret. Quo tempore ibi gradum archiepiscopi [b] Honorius, unus ex discipulis beati papæ Gregorii, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter institutus servabat. Ubi cum aliquandiu demoratus adolescens animi vivacis, diligenter his quæ inspiciebat discendis operam daret, supervenit illo alius adolescens, nomine Biscop, cognomento [c] Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiens et ipse Romam venire: cujus supra meminimus.

Hujus ergo comitatui rex sociavit Uilfridum, utque [*Al.*, atque] illum secum Romam perduceret [*Al.*, perducere] jussit [DCLIII]. Qui cum Lugdunum pervenissent, Uilfrid a Dalfino, civitatis episcopo, ibi retentus [*Al.*, retento] est, Benedictus cœptum iter naviter [*Chiffl.*, cœptum lintre navali iter] Romam usque complevit. Delectabatur enim antistes prudentia verborum juvenis, gratia venusti vultus, alacritate actionis, et constantia ac maturitate cogitationis: unde et omnia quæ necesse habebat, abundanter ipsi cum sociis suis, quamdiu secum erant, donabat: et insuper offerebat, ut si vellet, partem Galliarum non minimam illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem illi conjugem daret, eumque ipse loco adoptivi semper [*Al. om.* semper] haberet. At ille, gratias agens pietati quam erga eum, cum esset peregrinus, habere dignaretur, respondit propositum se magis alterius conversationis habere, atque ideo, patria relicta, Romam iter agere cœpisse.

Quibus auditis, antistes misit eum Romam [DCLIV], dato duce itineris, et cunctis simul quæ necessitas poscebat itineris largiter subministratis; obsecrans [*Al.*, observans] sedulo, ut cum patriam reverteretur, per se iter facere meminisset. Veniens vero [*Al. add.* Uilfridus] Romam, et orationibus ac meditationi rerum ecclesiasticarum, ut animo [*Al.*, omnino] proposuerat, quotidiana mancipatus instantia, pervenit ad amicitiam viri doctissimi ac sanctissimi, Bonifacii videlicet archidiaconi, qui etiam consiliarius erat apostolici papæ; cujus magisterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschæ rationabilem, et alia multa quæ in patria nequiverat ecclesiasticis disciplinis accommoda, eodem magistro tradente percepit; et cum menses aliquot ibi studiis occupatus felicibus exegisset, rediit ad [d] Dalfinum in Galliam [DCLV], et tres [*Chiffl.*, sex] annos apud eum commoratus, attonsus est ab eo, et in tanto habitus amore, ut heredem sibi illum facere cogitasset. Sed ne hoc fieri posset, antistes crudeli morte præreptus est [DCLVIII], et Uilfrid ad suæ potius, hoc est, Anglorum gentis episcopatum reservatus. Namque [e] Baldhild regina, missis militibus, episcopum jussit interfici, quem ad locum

[a] *Eanfledam*. Aeduini regis filia, quæ prima de gente Nordanhymbrorum baptizata est; II, 9. Patre occiso Cantiam cum matre profecta; II, 20. Unde conjux revertitur regi Osuio; III, 15. A quo apud Ingetlingum locum monasterii postulat in memoriam regis Osuini ibi occisi; III, 24. Illa verum Pascha observare dicitur; III, 25. Defuncta denique apud Streaneshalch sepulta est; III, 24.

[b] *Honorius*. De eo vide II, 15, 16, 18, 20, et III, 14, 20.

[c] *Benedictus*. De eo vide IV, 18, et ejus Vitam supra editam (*Patrol. tom. præced., col.* 713).

[d] *Dalfinum*. Nullus unquam episcopus hoc nomine Ecclesiam Lugdunensem rexit. Hujus verum nomen fuisse Annemundus omnes prædicant: et Ebroinum majorem domus regiæ hujus sceleris reum faciunt, qui sub Baldhildis nomine tunc regnum administrantis id peregit, non ipsam Baldhildam. Nam quisquis hujus reginæ Acta legit, quantum ab inferenda episcopis piis sanctisque nece abhorrens fuerit statim videbit. MABILLON., Act. Ben., sæc. II, 777.

[e] *Baldhild*. Natione Saxonica, vili prætio vendita Erchinoaldo viro illustri apud Francos, cujus nuptias postea fugiens in conjugium Chlodovei II regis attollebatur. Quo mortuo, pro Chlotario suo filio regnum administravit. Ædificavit Kalense et Corbeiense monasteria, aliisque cœnobiis fuit munifica. In Kalense tandem secessit monasterium, et ibi usque ad mortem conversata est. Ibid. SMITH.— *Brunechildam* habent Ed., crasso errore. Fuit enim Brunichilda uxor Sigiberti Chlotarii filii, Chlodovei Magni nepotis, vafritiæ nomine, et horrendo mortis genere infamis; postquam annorum ferme L intervallo Baldhild in regiam Francorum familiam enupsit, morum integritate insignis femina, et ipsa sanctorum catalogo inscripta; conjux Chlodovei II, Dagoberti filii, Clotarii II nepotis, pronepotis Chilperici, qui Sigiberti, Brunichildæ mariti, frater fuit. Danda est autem venia homini Anglo Bedæ, quod in Francorum Historia minus peritus fuerit. Non enim Baldid regina (ut ipse ait) missis mili-

Digitized by Google

quidem quo decollandus erat, secutus est Uilfrid clericus illius, desiderans cum eo, tametsi ipso multum prohibente, pariter occumbere. Sed hunc ubi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognovere carnifices, pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere pontifice.

At ille Brittaniam veniens, conjunctus est amicitiis [a] Alchfridi regis, qui catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper et amare didicerat. Unde et ille [*Al.*, illi], quia catholicum eum esse comperit, mox donavit terram decem familiarum in loco qui dicitur [b] Stanford, et [c] non multo post monasterium [d] triginta familiarum in loco qui vocatur Inhrypum [DCLXI]; quem videlicet locum dederat pridem ad construendum inibi monasterium [e] his qui Scottos sequebantur. Verum quia illi postmodum optione data maluerunt loco cedere, quam Pascha catholicum cæterosque ritus canonicos juxta Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ consuetudinem recipere, dedit hoc illi, quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus vidit.

Quo in tempore [DCLXIV] ad jussionem præfati regis presbyter ordinatus est in eodem monasterio ab Agilbercto episcopo Geuissorum, cujus supra meminimus, desiderante rege ut vir tantæ eruditionis ac religionis sibi specialiter individuo comitatu sacerdos esset ac doctor. Quem non multo post detecta et eliminata, ut et [*Al. om.* et] supra docuimus, Scottorum secta Galliam mittens, cum consilio atque consensu patris sui Osuiu, [f] episcopum sibi rogavit ordinari, cum esset annorum circiter triginta, eodem Agilbercto tunc episcopatum agente Parisiacæ civitatis [*Al.*, Parisiaca civitate]; cum quo et alii undecim episcopi ad dedicationem antistitis

A convenientes, multum [g] honorifice ministerium impleverunt. Quo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in episcopatum Eburaci, jubente rege Osuio, Ceadda vir sanctus, ut [h] supra memoratum est, et tribus annis Ecclesiam sublimiter regens, dehinc ad monasterii sui, quod est in Laestingaei, curam [i] secessit, accipiente Uilfrido episcopatum totius Nordanhymbrorum provinciæ.

Qui deinde regnante Ecgfrido, [j] pulsus est episcopatu [DCLXXVIII], et alii pro illo consecrati antistites, quorum supra meminimus: Romamque iturus, et coram apostolico papa causam dicturus, ubi navem conscendit, flante Favonio pulsus est Fresiam, et honorifice susceptus a Barbaris ac rege illorum Aldgilso, prædicabat eis Christum, et multa eorum B millia verbo veritatis instituens [*Al.*, instruens], a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit; et quod postmodum [k] Uilbrord reverentissimus Christi pontifex in magna devotione complevit (*Vid. lib.* v, *c.* 11, 12), ipse primus ibi opus evangelicum cœpit. Ibi ergo hiemem cum nova Dei plebe feliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit; et ubi causa ejus ventilata est, præsente Agathone papa et pluribus episcopis, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse [*Al.*, fuisset], et episcopatu esse dignus inventus est [DCLXXIX]. Quo in tempore idem papa Agatho cum synodum congregaret Romæ centum viginti quinque episcoporum, adversus eos qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari jussit et Vilfridum, atque C inter episcopos considentem dicere fidem suam simul et provinciæ sive insulæ de qua venerat: cumque catholicus fide [*Al. om.* fide] cum suis esset inventus, placuit hoc inter cætera ejusdem synodi

tibus Dalfinum Lugdunensem episcopum jussit interfici; sed tantum ad regium conventum adduci, ut objecta ab adversariis crimina præsens purgaret. Quod ne faceret veriti calumniatores, ut pœnam talionis imminentem a se averterent, sanctissimum archipræsulem non decollarunt (ut addit Beda); sed noctu in lecto decumbentem, cultellis compunctum impie interfecerunt. Clara sunt hæc omnia ex Dalfini, sive Annemundi rebus gestis, quas passim delibavimus ex tabulis Lugdunensium Ecclesiarum, in quibus ille ut pro justitia passus, vere martyr colitur die mensis Septembris octava et vicesima. CHIFFL.

[a] *Alchfridi*. Hunc auctores confundunt cum Aldfrido. Sed eorum nomina plane sunt diversa. Hic etiam fuit filius Oswii legitimus, et vivo patre mortuus est; Aldfridus vero putaticius, post Ecgfridum fratrem regnavit. Hic Uilfridum habuit magistrum, Aldfridum Hiberni doctores erudiebant.

[b] *Stanford*. Oppidum est in Australi parte Lincolniæ hoc nomine insignitum; sed videtur esse justa ratio dubitandi, utrum hic sit locus, quem vult Beda. Oppidum sane, si credamus Hen. Huntind., maxime antiquum est; ejus enim lib. secundo Hist. Saxones circa an. 449 Scottos et Pictos in fugam vertisse dicuntur. Et quidem Ms. Wess., p. 58, a, hæc habet: « In Stainforth est cella in honore sancti Leonardi per sanctum Uilfridum primo constituta, postea per regem Willelmum conquestorem et Willelmum Dunelm. priori et conventui Dunelm. donata monachis inhabitanda. » Sed cella per sanctum Uilfridum non fuit hic constituta ob hanc ipsam rationem, quia hæc Stanfordia sita est in provincia Lindisse, quæ tunc cum Alchfrid rex terram ad eum locum Uilfrido dedit, non fuit sub potestate regis Nordanhymbrorum, sed Merciorum. Locus igitur hujus nominis in regno Nordanhymbrano est inveniendus, et forsan Stanford ad fluvium Deruentionem in agro Ebor. locus est, quem quærimus.

[c] *Non multo post*. Circa an., credo 661. Nam tendit Romam cum Benedicto, qui Brittaniam, juxta Flor. Uuig., reliquit an. 653. In Gallia autem apud Dalfinum aliquandiu commoratus Romam venit an. 654. Unde post multos menses, ut scribit Heddius, proximo forsan anno Dalfinum rediit; apud quem cum mansisset tres annos, post ejus decollationem Brittaniam D venit an. 658. Vide Pagi, in Ann. Baron., an. 658. Deinde conjunctus amicitiis Alchfridi regis cum tres annos in ejus curia mansisset, abbas Hripensis factus est, circa an. 661. EADMERI Vit. sancti Uilfridi, apud Mabillon., Act. Ben., sec. III, par. I, p. 200.

[d] *Triginta*. *Quadraginta*, III, 25.

[e] *His qui Scottos*. Eatan abbati Mailrosensi et sancto Cuthbercto et aliis monachis Mailrosens. Vide Cuthb. Vitam, 7, 8.

[f] *Episcopum*. Vide III, 28; IV, 2.

[g] *Honorifice*. « In sella aurea sedentem more eorum sursum elevarunt, portantes in manibus soli episcopi intra oratoria nullo alio attingente hymnosque et cantica in choro canentes. » HEDDIUS, in Vita sancti Uilfridi, 12.

[h] *Supra*. Vide III, 28.

[i] *Secessit*. Vide IV, 3.

[j] *Pulsus*. Vide IV, 12.

[k] *Uilbrord*. Vide V, 11, 12.



Digitized by Google

gestis inseri, scriptumque est hoc modo : « Uilfridus Deo amabilis episcopus Eboracæ [*Al.*, Eboracensis] civitatis, apostolicam sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cum aliis centum viginti quinque episcopis [*Al.*, coepiscopis] in synodo in judicii sede constitutus, et pro omni Aquilonali parte, Brittaniæ et Hiberniæ insulis quæ ab Anglorum et Brittonum, necnon Scottorum et Pictorum gentibus incoluntur, veram et catholicam fidem confessus est, et cum subscriptione [*Al.*, conscriptione] sua corroboravit. »

Post hæc reversus [*Al.*, veniens] Brittaniam, provinciam [a] Australium Saxonum ab idolatriæ ritibus ad [*Al. add.* veram] Christi fidem convertit [DCLXXXI]. [b] Vectæ quoque insulæ verbi ministros destinavit : et secundo anno Aldfridi qui post Ecgfridum regnavit, [c] sedem suam et episcopatum, ipso rege invitante, recepit [DCLXXXVI]. Sed post quinque annos denuo accusatus, ab eodem ipso rege et plurimis episcopis præsulatu [d] pulsus est [DCXCI] : veniensque Romam, cum præsentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, considentibus episcopis pluribus cum Apostolico papa Johanne, omnium judicio probatum est accusatores ejus non nulla in parte falsas contra eum machinasse calumnias : scriptumque [*Al. add.* est] a præfato papa regibus Anglorum Aedilredo et Aldfrido, ut eum in episcopatum suum, eo quod injuste fuerit condemnatus, facerent recipi [DCCIV]. Juvit autem causam absolutionis ejus lectio synodi beatæ memoriæ papæ Agathonis, quæ quondam ipso præsente in urbe, atque in eodem concilio inter episcopos residente, ut prædiximus, acta est. Cum ergo [*Al.*, enim] causa exigente synodus eadem coram nobilibus et frequentia populi jubente apostolico papa diebus aliquot legeretur, ventum est ad locum ubi scriptum erat : « Uilfridus, Deo amabilis episcopus Eboracæ civitatis, apostolicam sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, » et cætera quæ supra posuimus. Quod ubi lectum est, stupor adprehendit audientes; et silente lectore cœperunt alterutrum requirere quis esset ille Uilfridus episcopus. Tunc Bonifacius, consiliarius apostolici papæ, et alii perplures qui eum temporibus Agathonis papæ ibi viderant [*Al.*, ubi viderunt], dicebant ipsum esse episcopum qui nuper Romam accusatus a suis atque ab apostolica sede judicandus advenerit [*Al.*, advenerat] : « qui jamdudum, inquiunt, æque accusatus huc adveniens, mox audita ac dijudicata causa et controversia utriusque partis, a beatæ memoriæ papa Agathone probatus [*Al.*, prolatus] est contra fas a suo episcopatu repulsus; et tanti apud eum habitus est, ut ipsum in concilio quod congregarat episcoporum [*Al.*, episcopum], quasi virum incorruptæ fidei et animi probi residere præciperet. Quibus auditis, dicebant omnes una cum ipso pontifice, virum tantæ auctoritatis qui per quadraginta prope annos episcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, sed ad integrum culpis accusationum absolutum, patriam cum honore reverti.

Qui cum Brittaniam remeans in Galliarum partes devenisset, tactus est infirmitate repentina, et ea crescente adeo pressus, ut neque equo vehi posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato [DCCV]. Sic delatus [*Al. add.* est] in Maeldum civitatem Galliæ, quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus jacebat, halitu tantum pertenui quia viveret demonstrans. Cumque ita sine cibo et potu, sine voce et auditu quatriduo perseveraret, quinta demum inlucescente [*Al.*, influente] die, quasi de gravi experrectus somno exsurgens resedit; apertisque oculis, vidit circa se choros psallentium simul et flentium fratrum; ac modicum suspirans interrogavit, ubi esset Acca presbyter; qui statim vocatus intravit, et videns eum melius habentem ac loqui jam valentem, flexis genibus gratias egit Deo cum omnibus qui aderant fratribus. Et cum parum consedissent, ac de supernis judiciis trepidi, aliqua confabulari [*Al.*, aliquantum fabulari] cœpissent, jussit pontifex cæteros ad horam egredi, et ad Accan presbyterum ita loqui exorsus est : « Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam quid de me fieri velit Deus. Adstitit enim mihi quidam candido præclarus habitu, dicens se Michaelem esse archangelum : et ob hoc, inquit, missus sum ut te a morte revocem : donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum ac fratrum tuorum, et per intercessionem beatæ suæ genitricis semperque virginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis; sed paratus esto, quia post quadriennium reverteus, visitabo te; patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum [*Al. om.* tuarum] quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. Convaluit igitur episcopus cunctis gaudentibus, ac Deo gratias agentibus, cœptoque itinere Brittaniam venit.

Lectis autem epistolis quas ab apostolico papa advexerat, Berctuald archiepiscopus, et Aedilred quondam rex, tunc autem abbas, libentissime faverunt : qui videlicet Aedilred accitum ad se Coinredum quem pro se regem fecerat, amicum episcopo [*Al.*, amico] fieri petiit, et impetravit. Sed Aldfrid Nordanhymbrorum rex eum suscipere contempsit, nec longo tempore superfuit : unde factum est ut regnante Osredi filio ejus, mox [e] synodo facta juxta fluvium Nidd, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus, in præsulatum sit [f] suæ receptus Ecclesiæ. Sicque quatuor annis, id est, usque ad diem obitus sui, vitam duxit in pace. Defunctus est autem [*Al. add.* quarto Idus

[a] *Australium.* Vide IV, 13.
[b] *Vectæ.* Vide IV, 16.
[c] *Sedem suam.* Eboracensem, V, 3.
[d] *Pulsus.* In Merciorum regiones, IV, 13; V, 11.
[e] *Synodo.* Vide Hedd., 58, et Spelm., Conc. I, 203.
[f] *Suæ.* Hagustaldensis sua dicitur, quia an. 674 eam ipse in honorem sancti Andreæ apostoli construxit. Ric. Hag., cap. 3.

Digitized by Google

Octob.] in monasterio suo quod habebat in provincia (A) Undalum sub regimine Cudualdi abbatis; et ministerio fratrum perlatus in primum suum monasterium, quod vocatur Inhrypum, positus [*Al. add.* que] est in ecclesia beati apostoli Petri, juxta altare ad Austrum (DCCIX), ut et [*Al. om.* et] supra docuimus; et hoc de illo supra [*Al. om.* supra] epitaphium scriptum :

[a] Uilfridus hic magnus requiescit corpore præsul,
Hanc Domino qui aulam ductus pietatis amore
Fecit, et eximio sacravit nomine Petri,
Cui claves cœli Christus dedit arbiter orbis;
Atque auro ac tyrio devotus vestiit ostro.
Quin etiam sublime crucis radiante metallo,
Hic posuit trophæum, necnon et quattuor auro
Scribi Evangelii præcepit in ordine libros;
Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro :
Paschalis qui etiam sollemnia tempora cursus
Catholici ad justum correxit dogma canonis,
Quem statuere Patres, dubioque errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritus :
Inque locis istis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ regula Patrum
Sedulus instituit : multisque domique forisque
Jactatus nimium per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit episcopus annos,
Transiit, et gaudens cœlestia regna petivit.
Dona, Jesu, ut grex pastoris calle sequatur.

## CAPUT XX.

*Ut religioso abbati Hadriano Albinus, Uilfrido in episcopatum Acca successerit.*

Anno post obitum præfati Patris proximo [DCCX], id est, quinto Osredi regis, reverentissimus Pater Hadrianus abbas (*Vid. lib.* IV, c. 1), cooperator in verbo Dei Theodori beatæ memoriæ episcopi, defunctus est, et in monasterio suo in ecclesia beatæ Dei Genitricis sepultus (*Vid. lib.* II, c. 6); qui est annus quadragesimus primus, ex quo a Vitaliano papa directus est cum Theodoro; ex quo autem Brittaniam venit, tricesimus nonus. Cujus doctrinæ simul et Theodori inter alia testimonium perhibet, quod [b] Albinus discipulus ejus qui monasterio ipsius in regimine successit, in tantum studiis scripturarum institutus est, ut Græcam quidem linguam non parva ex parte, Latinam vero non minus quam Anglorum, quæ sibi naturalis est, noverit.

Suscepit vero pro Uilfrido episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ [c] Acca presbyter ejus, vir et ipse strenuissimus, et coram Deo et hominibus magnificus; qui et ipsius ecclesiæ suæ, quæ in beati Andreæ apostoli honorem consecrata est, ædificium multifario decore ac mirificis ampliavit operibus. Dedit namque operam, quod et hodie facit, ut adquisitis undecumque reliquiis beatorum apostolorum et martyrum Christi, in venerationem illorum poneret altaria, distinctis porticibus in hoc ipsum intra muros ejusdem ecclesiæ, sed et historias passionis [*Al.*, passionum] eorum, una cum cæteris ecclesiasticis (B) voluminibus, summa industria congregans, amplissimam ibi ac nobilissimam bibliothecam fecit, necnon et vasa sancta et luminaria aliaque hujusmodi quæ ad ornatum domus Dei pertinent, studiosissime paravit. Cantatorem [*Al.*, cantorem] quoque egregium, vocabulo [*Al.*, nomine] Maban, qui a successoribus discipulorum beati papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit, ac per annos duodecim tenuit : quatenus et quæ illi non noverant, carmina ecclesiastica doceret; et ea quæ quondam [*Al. om.* quondam] cognita longo usu vel negligentia inveterare cœperunt, hujus doctrina priscum renovarentur in statum. Nam et ipse episcopus Acca cantator erat peritissimus, quomodo etiam in litteris sanctis (C) doctissimus, et in catholicæ fidei confessione castissimus, in ecclesiasticæ quoque institutionis regulis sollertissimus exstiterat; et usquedum [*Al. add.* sua] præmia piæ devotionis accipiat [*Al.*, acciperet], existere non desistit [*Al.*, destitit] : utpote qui a pueritia in clero sanctissimi ac Deo dilecti Boza, Eboracensis episcopi, nutritus atque eruditus est; deinde ad Uilfridum episcopum spe melioris propositi adveniens, omnem in ejus obsequio usque ad obitum illius explevit ætatem : cum quo etiam [d] Romam veniens multa illic quæ in patria nequiverat, Ecclesiæ sanctæ institutis [*Al.*, institutionis] utilia didicit.

[a] *Uilfridus.* De hoc vide plura in appen l., n. 19.

[b] *Albinus.* Bedam adjuvabat in historia scribenda. Præf. ad Hist. Benedictus fuit a Berctualdo Dominica in Octavis Paschæ quæ tunc fuit x Kal. Maii. Elm. W. Thorn. Chron. asserit eum esse primum Anglicum qui regebat istud monasterium, sed perperam, quia Benedictus Biscop de nobilibus Anglorum regimen monasterii a Theodoro accepit. BEDA, in Hist. abb. Wir., ann. 732. « In pace consummatus, sepultus est in ecclesia Dei genitricis juxta beatum Hadrianum prædecessorem suum; sed in translatione sancti Augustini sociorumque ejus idem pater Albinus cum beato Hadriano cæterisque ibidem consepultis de præfata ecclesia Dei genitricis in majorem ecclesiam est translatus, positusque in muro retro altare sancti Gregorii. » THORN. Male igitur Quercetanus, in præfat. ad Op. Alcuini, statuit eum esse eumdem cum Alwino seu Albino, qui, ut Matt. West. refert, episcopus fuit apud Lichefeldiam an. 734, (D) obiitque an. 737. In Martyrolog. Rom. nonum diem Jan. anniversarium habet.

[c] *Acca.* Hic prius fuit abbas, quam episcopus, Accæ enim abbati suum Hexameron Beda inscribit. Et fuit forte abbas Hagustaldensis, nam sanctus Uilfrid moriens Accan presbytero cœnobium in Hagustaldese in possessionem dare præcepit. HEDD., 62. Ad Accam etiam Beda suam explanationem super Lucam et Marcum et alia scripsit. An. 732 episcopatu pulsus ob rationem nescio quam. Obiit an. 740, XIII Kal. Novemb. Ric. Hag., 14, 15 : « Corpus ejus ad Orientalem plagam Hagustaldensis ecclesiæ extra parietem sepultum est. De quo loco post annos plusquam CCC depositionis suæ a quodam presbytero divina revelatione translatum est ac in ecclesia intra feretrum positum. » Miracula quædam quoque de ejus reliquiis narrantur. SIM. DUNELM., pag. 101.

[d] *Romam.* Vide V, 19.

Digitized by Google

## CAPUT XXI.

*Ut Ceolfrid abbas regi Pictorum architectos ecclesiæ, simul et epistolam de catholico Pascha, vel de* [Al., *Pascha et*] *tonsura miserit.*

Eo tempore [DCCX] Naiton, rex Pictorum, qui Septemtrionales Brittaniæ plagas inhabitant, admonitus ecclesiasticarum frequenti meditatione scripturarum, abrenunciavit errori, quo ca'enus in observatione Paschæ cum sua gente tenebatur, et se suosque omnes ad catholicum Dominicæ Resurrectionis tempus celebrandum perduxit. Quod ut facilius et majori auctoritate perficeret, quæsivit auxilium de gente Anglorum, quos jamdudum ad exemplum sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ suam religionem instituisse cognovit. Siquidem misit legatarios ad virum venerabilem [a] Ceolfridum, abbatem [b] monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod est ad ostium Uiuri amnis, et juxta amnem Tinam, in loco qui vocatur [c] In Gyruum, cui ipse post Benedictum, de quo [d] supra diximus, gloriosissime præfuit; postulans ut exhortatorias sibi [e] litteras mitteret, quibus potentius confutare posset eos qui Pascha non suo tempore observare præsumerent; simul et de tonsuræ modo vel ratione qua clericos insigniri deceret: excepto quod etiam ipse in his non parva ex parte esset imbutus. Sed et architectos sibi mitti petiit, qui juxta morem Romanorum ecclesiam de lapide in gente ipsius facerent, promittens hanc in honorem beati apostolorum principis dedicandam; se quoque ipsum cum suis omnibus morem sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ semper imitaturum, in quantum dumtaxat tam longe a Romanorum loquela et natione segregati hunc ediscere potuissent. Cujus religiosis votis ac precibus favens reverentissimus abba Ceolfrid, misit architectos quos petebatur [*Al.*, petebat], misit illi et litteras scriptas in hunc modum:

« Domino excellentissimo et gloriosissimo regi Naitano, Ceolfrid abbas in Domino salutem.

« Catholicam sancti Paschæ observantiam, quam a nobis, rex Deo devote, religioso studio quæsisti, promptissime ac libentissime tuo desiderio, juxta quod ab apostolica sede didicimus, patefacere satagimus. Scimus namque cælitus sanctæ Ecclesiæ donatum, quotiens ipsi rerum Domini, discendæ, docendæ, custodiendæ veritati operam impendunt. Nam et vere omnino dixit quidam sæcularium scriptorum, quia felicissimo mundus [*Al.*, mundi] statu ageretur, si vel reges philosopharentur, vel regnarent Philosophi. Quod si de Philosophia hujus A mundi vere intellegere, [*Chiffl. add.* id est] de statu hujus mundi merito diligere [*Chiffl.*, docere] potuit homo [*Chiffl. add.* mortalis] hujus mundi; quanto magis [*Al. add.* vel] civibus patriæ cælestis in hoc mundo [*Al.*, mundum] peregrinantibus optandum est et totis animi viribus supplicandum, ut quo plus in mundo quique valent, eo amplius ejus qui super omnia est judicis mandatis auscultare contendant, atque ad hæc observanda secum eos quoque qui sibi commissi sunt, [*Al. add.* et] exemplis simul et auctoritate instituant? Tres sunt ergo regulæ sacris inditæ litteris, quibus Paschæ celebrandi tempus nobis præfinitum, nulla prorsus humana licet auctoritate mutari; e quibus duæ in lege Mosi divinitus statutæ, tertia in Evangelio per effectum Dominicæ B passionis et resurrectionis adjuncta est. Præcepit enim lex ut Pascha primo mense anni, et tertia ejusdem mensis septimana, id est, a quinta decima die usque ad vicesimam primam fieri deberet: additum [*Al. add.* que] est per institutionem apostolicam ex Evangelio, ut in ipsa tertia septimana diem Dominicam exspectare, atque in ea temporis Paschalis initium tenere debeamus. Quam videlicet regulam triformem quisquis rite custodierit, nunquam in adnotatione festi Paschalis errabit. Verum si de his singulis enucleatius ac latius audire desideras, scriptum est in Exodo, ubi liberandus de Ægypto populus Israel, primum Pascha facere jubetur, quia dixerit Dominus ad Moysen et Aaron: *Mensis iste vobis principium* C *mensium primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas.* Et paulo post: *Et servabitis eum usque ad quartam decimam* [Al. add. *diem*] *mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Quibus verbis manifestissime constat, quod ita in observatione paschali mentio fit diei quartæ decimæ, ut non tamen in ipsa die quarta decima Pascha fieri præcipiatur; sed adveniente tandem vespera [*Al.*, vespere] diei quartæ decimæ, id est, quinta decima luna, quæ initium tertiæ septimanæ faciat, in cæli faciem prodeunte, agnus immolari jubeatur: et quod ipsa sit nox quintæ decimæ lunæ, in qua percussis Ægyptiis, Israel est D a longa servitute redemptus. *Septem*, inquit, *diebus azyma comedetis.* Quibus item verbis tota tertia septimana ejusdem primi mensis decernitur sollemnis esse debere. Sed ne putaremus easdem septem dies a quarta decima usque ad vicesimam esse computandas [*Al.*, suppūtandas], continuo subjecit: *In die*

[a] *Ceolfridum.* De hoc vide Hist. abb. Wir. et Gyru.

[b] *Monasterii.* Numero singulari, quia duo monasteria ab uno abbate regebantur, vel, sicut rectius dicere possumus, in duobus locis positum est unum monasterium.

[c] *In Gyruum.* Hodie Jarrow in agro Dunelmensi.

[d] *Supra.* Vide IV, 18; V, 19.

[e] *Litteras.* Vix dubium est, quin Beda cum Ceolfrido in eodem monasterio degens suo abbati in ardua hac quæstione exponenda auxilio fuit. Sed et stylus et ipsa materia fœtum Bedæ esse non obscure significat. Secundum Baronium hæ litteræ an. 699 scriptæ sunt; sed mallem cum Higdeno in Polychr. dicere scriptas an. 710, eodem sc. an. quo Hadrianus abbas pr. cap. defunctus prædicatur; huic quoque conjecturæ favere videtur tempus Hiensium conversionis ad canonicum Pascha, quam Beda cap. seq. non multo post has litteras scriptas accidisse memorat, licet non effecta est ante an. 716.

Digitized by Google

*primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentum, peribit* [Al., *fermentum in domibus vestris peribit*] *anima illa de Israel. A die primo usque ad diem septimum*, et cætera, usquedum ait : *In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti.* Primum ergo diem azymorum appellat eum in quo exercitum eorum esset educturus de Ægypto. Constat autem quia non quarta decima die, in cujus vespera agnus est immolatus, et quæ proprie Pascha sive Phase dicitur ; sed quinta decima sunt educti ex Ægypto, sicut in libro Numerorum apertissime scribitur. Profecti igitur de Ramesse quinta decima die mensis primi, altera die [*Al. add.* fecerunt] Phase filii Israel in manu excelsa. Septem ergo dies azymorum, in quarum prima eductus est populus Domini ex Ægypto, ab initio, ut diximus, tertiæ septimanæ, hoc est, a quinta decima die mensis primi, usque ad vicesimam primam ejusdem mensis diem completam computari oportet. Porro dies quarta decima extra hunc numerum separatim [*Al.*, separatum] sub Paschæ titulo prænotatur, sicut Exodi sequentia patenter edocent ; ubi cum dictum esset : *In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti;* protinus adjunctum [*Al.*, additum] est : *Et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quarta decima die mensis comedetis azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris.* Quis enim non videat, a quarta decima usque ad vicesimam primam, non septem solummodo, sed octo potius esse dies, si et ipsa quarta decima annumeretur ? Sin autem, ut diligentius explorata Scripturæ veritas docet, a vespera diei quartæ decimæ usque ad vesperam vicesimæ primæ computaverimus, videbimus profecto quod ita dies quarta decima vesperam suam in [*Al. om.* in] festi Paschalis initium prorogat [*Al.*, porrigat], ut non amplius tota [*Al. add.* sola] sacra sollemnitas quam septem tantummodo noctes cum totidem diebus comprehendat : unde et vera esse probatur nostra diffinitio, qua tempus paschale primo mense anni, et tertia ejus hebdomada celebrandum esse diximus. Veraciter enim tertia agitur hebdomada, quod a vespera quartæ decimæ diei incipit, et in vespera vicesimæ primæ completur. Postquam vero Pascha nostrum immolatus est Christus, diemque nobis Dominicam, quæ apud antiquos una vel prima Sabbati, sive Sabbatorum vocatur, gaudio suæ resurrectionis fecit esse sollemnem ; ita hanc [*Al. add.* nunc] apostolica traditio festis paschalibus inseruit, ut nil omnimodis de tempore Paschæ legalis præoccupandum, nihil minuendum esse decerneret. Quin potius statuit ut exspectaretur juxta præceptum legis idem primus anni mensis, exspectaretur quarta decima dies illius, exspectaretur vespera ejusdem. Et cum hæc dies in Sabbatum forte inciderit, tolleret unusquisque agnum per familias et domos suas, et immolaret [*Al.*, immolarent] eum ad vesperam, id est, præpararent

A omnes Ecclesiæ per orbem, quæ unam catholicam faciunt, panem et vinum in mysterium carnis et sanguinis Agni immaculati, qui abstulit peccata mundi : et præcedente congrua lectionum, orationum, [*Al. add.* et] cæremoniarum paschalium sollemnitate, offerrent hæc Domino in spem futuræ suæ redemptionis. Ipsa est enim eadem nox in qua de Ægypto per sanguinem agni Israelitica plebs erepta est ; ipsa in qua per resurrectionem Christi liberatus est a morte æterna populus omnis Dei. Mane autem inlucescente die Dominica, primam paschalis festi diem celebrarent. Ipsa est enim dies in qua resurrectionis suæ gloriam Dominus multifario piæ revelationis gaudio discipulis patefecit. Ipsa prima dies azymorum, de qua multum distincte in Levitico

B scriptum est : *Mense primo, quarta decima die mensis* [Al. add. *hujus*], *ad vesperam, Phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus sollemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit celeberrimus sanctusque.* Si ergo fieri posset [*A.*, potuisset] ut semper in diem quintum decimum primi mensis, id est, in lunam quintam decimam Dominica dies incurreret, uno semper eodemque tempore cum antiquo Dei populo, quanquam sacramentorum genere discreto, sicut una eademque fide Pascha celebrare possemus. Quia vero dies septimanæ non æquali cum luna tramite procurrit, decrevit apostolica traditio, quæ per beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum evangelistam et in-

C terpretem ipsius Alexandriæ confirmata est, ut adveniente primo mense, adveniente in eo [*Al. om.* in eo] vespera diei quartæ decimæ, exspectetur etiam dies Dominica, a quinta decima usque ad vicesimam primam diem ejusdem mensis. In quacumque enim harum inventa fuerit, merito in ea Pascha celebrabitur : quia nimirum hæc ad numerum pertinet illarum septem dierum, quibus azyma celebrari jubetur. Itaque fit ut nunquam Pascha nostrum a septimana mensis primi tertia in utramvis partem declinet : sed vel totam eam, id est, omnes septem legalium azymorum dies, vel certe aliquos de illis teneat. Nam etsi saltem unum ex eis, hoc est, ipsum septimum adprehenderit, quem tam excellenter Scriptura commendat : *Dies autem*, inquiens, *septimus*

D *erit celebrior et sanctior, nullumque servile opus fiet in eo;* nullus arguere nos poterit, quod non [*Al.*, nos] recte Dominicum Paschæ diem, quem de Evangelio suscepimus, in ipsa quam lex statuit, tertia primi mensis hebdomada celebremus. Cujus observantiæ catholica ratione patefacta, patet e contrario error inrationabilis eorum qui præfixos in lege terminos, nulla cogente necessitate, vel anticipare, vel transcendere præsumunt. Namque sine ratione necessitatis alicujus anticipant illi tempus in lege præscriptum, qui Dominicum [*Al.*, cum Dominicam] Paschæ diem a quarta decima mensis primi, usque ad vicesimam putant lunam esse servandum. Cum enim a vespera diei tertiæ decimæ vigilias sanctæ noctis celebrare incipiunt, claret quod illam [*Al.*,

Digitized by Google

illum] in exordio sui [*Al.*, suo] Paschæ diem statuunt, cujus nullam omnino mentionem in decreto legis inveniunt. Et cum vicesima prima die mensis Pascha Dominicum celebrare refugiunt, patet profecto, quod illam per omnia diem a sua sollemnitate secernunt, quam lex majore præ cæteris festivitate memorabilem sæpenumero commendat: sicque diem Paschæ ordine perverso, et aliquando in secunda hebdomada totam compleant, et nunquam in hebdomadæ tertiæ die septimo ponant; rursumque qui a sexta decima die mensis sæpedicti usque ad vicesimam secundam Pascha celebrandum magis autumant, non minore utique errore, tametsi altero latere, a recto veritatis tramite divertunt, et veluti naufragia Scyllæ fugientes, in Charybdis voraginem submergendi decidunt. Nam cum a luna sexta decima primi mensis oriente, id est, a vespera diei quintæ decimæ Pascha incipiendum doceant; nimirum constat quia quartam decimam diem mensis ejusdem, quam lex primitus et præcipue commendat, a sua prorsus sollemnitate secludunt: ita ut quintæ decimæ, in qua populus Dei ab Aegyptia [*Al.*, Aegyptiaca] servitute redemptus est, et in qua Dominus suo mundum sanguine a peccatorum tenebris liberavit, in qua etiam sepultus spem nobis post mortem beatæ quietis tribuit, vix vesperam tangant. Iidemque pœnam erroris sui in semetipsos recipientes, cum in vicesima secunda die mensis, Paschæ diem statuunt Dominicum, legitimos utique terminos Paschæ aperta transgressione violant, utpote qui ab illius diei vespera Pascha incipiunt, in qua hoc lex consummari et perfici debere decrevit. Illam in Pascha diem adsignent primam, cujus in lege mentio nulla usquam reperitur, id est, quartæ primam septimanæ. Qui utrique [*Al.*, utique] non solum in diffinitione et computo lunaris ætatis, sed et in mensis primi nonnunquam inventione falluntur. Quæ disputatio major est, quam epistola hac [*Al.*, hæc] vel valeat comprehendi, vel debeat. Tantum hoc dicam, quod per æquinoctium vernale semper inerrabiliter possit inveniri, qui mensis juxta computum lunæ, primus anni, qui esse debeat ultimus. Aequinoctium autem, juxta sententiam omnium Orientalium, et maxime Aegyptiorum, qui præ cæteris doctoribus calculandi palmam tenent, duodecimo Kalendarum Aprilium die provenire consuevit, ut etiam ipsi horologica inspectione probamus [*Al.*, probavimus]. Quæcumque ergo luna ante æquinoctium plena est, quarta decima videlicet vel quinta decima existens, hæc ad præcedentis anni novissimum pertinet mensem, ideoque Paschæ celebrando habilis non est. Quæ vero post æquinoctium vel in ipso æquinoctio suum plenilunium habet, in hac absque ulla dubietate, quia primi mensis est, et antiquos Pascha celebrare solitos, et nos ubi Dominica dies advenerit, celebrare debere noscendum est. Quod ita fieri oportere illa nimirum ratio cogit, quia in Genesi scriptum est, quod fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præ-

A esset nocti: vel, sicut alia dicit editio, luminare majus in inchoationem diei; et luminare minus in inchoationem noctis. Sicut ergo prius Sol a medio procedens Orientis, æquinoctium vernale suo præfixit exortu: deinde Luna, Sole ad vesperam [*Al.*, vesperum] occidente, et ipsa plena a medio secuta est Orientis: ita omnibus annis idem primus Lunæ mensis eodem necesse est ordine servari, ut non ante æquinoctium, sed vel ipso æquinoctii die, sicut in principio factum est, vel eo transcenso plenilunium habere debeat. At si uno saltem die plenilunium tempus æquinoctii præcesserit, non hanc primo mensi [*Al.*, mense] anni incipientis, sed ultimo potius præteriti lunam esse adscribendam; et ideo festis Paschalibus inhabilem, memorata ratio probat. Quod si mysticam quoque vos

B in his rationem audire delectat, primo mense anni, qui etiam mensis novorum dictus est, Pascha facere jubemur; quia renovato ad amorem cælestium spiritu mentis nostræ, Sacramenta Dominicæ Resurrectionis, et ereptionis nostræ celebrare debemus, tertia ejusdem mensis septimana facere præcipimur; quia ante legem et sub lege promissus, tertio tempore sæculi cum gratia venit ipse qui Pascha nostrum immolaretur Christus: quia tertia post immolationem suæ passionis die resurgens a mortuis, hanc Dominicam vocari, et in ea nos annuatim Paschalia ejusdem resurrectionis voluit festa celebrare: quia nos quoque ita solum veraciter ejus sollemnia celebramus, si per fidem, spem et caritatem Pascha, id est, transitum de hoc mundo ad Patrem, cum illo facere

C curamus. Post æquinoctium veris, plenilunium mensis præcipimur observare Paschalis; ut videlicet primo sol longiorem nocte faciat diem, deinde luna plenum suæ lucis orbem mundo præsentet; quia primo quidem Sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas, id est, Dominus Jesus, per resurrectionis suæ triumphum cunctas mortis tenebras superavit: ac sic ascendens in cælos, misso desuper Spiritu, Ecclesiam suam quæ sæpe Lunæ vocabulo designatur, internæ gratiæ luce replevit. Quem videlicet ordinem nostræ salutis Propheta contemplatus aiebat: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.* Qui ergo plenitudinem lunæ paschalis ante æquinoctium provenire posse contenderit, talis in mysteriorum celebratione maximorum a sanctarum quidem Scripturarum doctrina

D discordat; concordat autem eis qui sine præveniente gratia Christi se salvari posse confidunt: quia [*Al.*, qui] etsi vera lux tenebras mundi moriendo ac resurgendo nunquam vicisset, perfectam se habere posse justitiam dogmatizare præsumunt. Itaque post æquinoctialem solis exortum, post plenilunium primi mensis hunc ex ordine subsequens; id est, post completam diem ejusdem mensis quartam decimam, quæ cuncta ex lege observanda accepimus, exspectamus adhuc monente Evangelio in ipsa hebdomada tertia tempus diei Dominicæ, et sic demum votiva Paschæ nostri festa celebramus, ut indicemus nos non cum antiquis excussum Aegyptiæ servitutis jugum venerari, sed redemptionem totius mundi, quæ in antiqui

Digitized by Google

Dei populi liberatione præfigurata, in Christi autem resurrectione completa est, devota fide ac dilectione colere, atque [*Al.*, atque] resurrectionis etiam nostræ, quam eadem die Dominica futuram credimus, spe nos certissima gaudere signemus. Hic autem quem vobis sequendum monstramus, Computus Paschæ, decennovenali circulo continetur; qui dudum quidem, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus, jam servari in Ecclesia cœpit, maxime Romæ et Aegypti, ut supra jam diximus. Sed per industriam Eusebii qui a beato martyre Pamphilo cognomen habet, distinctius in ordinem compositus est; ut quod eatenus per Alexandriæ pontificem singulis annis per omnes Ecclesias mandari consueverat, jam deinde congesta in ordinem serie lunæ quartæ decimæ, facillime posset ab omnibus sciri. Cujus computum Paschalis Theophilus Alexandriæ præsul in centum annorum tempus Theodosio imperatori composuit. Item successor ejus Cyrillus seriem nonaginta et quinque annorum in quinque decennovenalibus circulis comprehendit: post quem Dionysius Exiguus totidem alios ex ordine pari schemate subnexuit, qui ad nostra usque tempora pertingebant. Quibus termino adpropinquantibus, tanta hodie calculatorum exuberat copia, ut etiam in nostris per Brittaniam Ecclesiis plures sint qui mandatis memoriæ veteribus illis Aegyptiorum argumentis, facillime possint in quotlibet spatia temporum Paschales protendere circulos, etiamsi ad quingentos usque et triginta duos voluerint [*Al.*, volverint] annos; quibus expletis, omnia quæ ad solis et lunæ, mensis et septimanæ consequentiam spectant, eodem quo prius ordine recurrunt. Ideo autem circulos eosdem temporum instantium vobis mittere supersedimus, quia de ratione tantum temporis Paschalis instrui quærentes, ipsos vobis circulos Paschæ catholicos abundare probastis.

« Verum his de Pascha succincte, ut petistis, strictimque commemoratis, tonsuram quoque, de qua pariter vobis litteras fieri voluistis, hortor ut ecclesiasticam et Christianæ fidei congruam habere curetis. Et quidem scimus quia neque apostoli omnes uno eodemque sunt modo adtonsi, neque nunc Ecclesia catholica sicut una fide, spe et caritate in Deum consentit, ita etiam una atque indissimili totum per orbem tonsuræ sibi forma congruit. Denique ut superiora, id est, patriarcharum tempora respiciamus, Job exemplar patientiæ, dum ingruente tribulationum articulo caput totondit [*Al.*, totundit], probavit utique quia tempore felicitatis capillos nutrire consueverat. At Joseph, et ipse castitatis, humilitatis, pietatis cæterarumque virtutum executor ac doctor eximius, cum servitio absolvendus, attonsus esse legitur: patet profecto quia tempore servitutis, intonsis in carcere crinibus manere solebat. Ecce uterque vir Dei diversum ab altero vultus habitum foris præmonstrabat, quorum tamen intus conscientia in parili virtutum sibi gratia concordabat. Verum, etsi [*Al.*, si] profiteri nobis liberum est, quia tonsuræ discrimen non noceat, quibus pura in Deum fides, et caritas in proxi-

A mum sincera est; maxime cum nunquam Patribus catholicis sicut de Paschæ vel fidei diversitate conflictus, ita etiam de tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controversia; inter omnes tamen quas vel in Ecclesia, vel in universo hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam nobis amplectendamque jure dixerim, ea quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni* [Al., *inferi*] *non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cælorum* (*Matth.* XVI, 18). Nullam magis abominandam detestandamque merito cunctis fidelibus crediderim, ea quam habebat ille, cui gratiam sancti Spiritus comparare volenti dicit idem Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditio-* B *nem, quoniam donum Dei existimasti* per pecuniam [Al., *pecunia*] *possideri: non* [Al. add. *enim*] *est tibi pars neque sors in sermone hoc* (*Act.* VIII, 20, 21). Neque vero ob id tantum in coronam adtondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco et nos qui per eamdem Passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia quia per mortem sui vivificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ crucis ejus in fronte portare consuevit, ut crebro vexilli hujus munimine a malignorum spirituum defendatur incursibus; crebra hujus [*Al.*, ejus] admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitiis et concu- C piscentiis crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes arctioribus se necesse habent pro Domino continentiæ frenis astringere. Formam quoque coronæ quam ipse in passione [*Al. add.* sua] spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret et auferret a nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre, ut se etiam irrisiones et opprobria pro illo libenter ac promte omnia [*Al.* prompto animo] sufferre ipso etiam frontispicio doceant: ut coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper exspectare, proque hujus perceptione et adversa se mundi et prospera contemnere designent. Cæterum D tonsuram eam quam magum ferunt habuisse Simonem, quis, rogo, fidelium non statim cum ipsa magia primo detestetur, et merito exsufflet aspectu? Quæ [*Al.*, exsufflet? Quæ aspectu] in frontis quidem superficie, coronæ videtur speciem præferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam quam te videre putabas, invenies coronam; ut merito talem Simoniacis et non Christianis habitum convenire cognoscas: qui in præsenti quidem vita a deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloria coronæ; sed in ea quæ hanc sequitur vitam, non solum omni spe coronæ privati, sed æterna insuper sunt pœna damnati. Neque vero me hæc ita prosecutum æstimes, quasi eos qui hanc tonsuram habent, condemnatos [*Al.*, condemnandos] judicem, si fide et

Digitized by Google

operibus unitati catholicæ faverint : immo confidenter profiteor, plurimos ex eis sanctos ac Deo dignos extitisse, ex quibus est [a] Adamnan, abbas et sacerdos Columbiensium egregius, qui cum legatus suæ gentis ad Aldfridum regem missus, nostrum quoque monasterium videre voluisset, miramque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, religionem ostenderet, dixi illi inter alia conloquens : « Obsecro, sancte frater, qui ad coronam te [*Al. om.* te] vitæ quæ terminum nesciat [*Al. add.* te] tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? et si beati consortium Petri quæris, cur ejus quem ille anathematizavit, tonsuræ imaginem imitaris? et non potius ejus cum quo in æternum beatus vivere cupis, etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monstras? » Respondit ille : « Scias pro certo, frater mi dilecte, quia etsi Simonis tonsuram ex consuetudine patria habeam, Simoniacam tamen perfidiam tota mente detestor ac respuo : beatissimi autem apostolorum principis, quantum mea parvitas sufficit, vestigia sequi desidero. » At ego : « Credo, inquam, vere quod ita sit; sed tamen indicio fit [*Al.*, sit], quod ea quæ apostoli Petri sunt, in abdito cordis amplectimini, si quæ ejus esse nostis, etiam in [*Al. om.* in] facie tenetis. Namque prudentiam tuam facillime dijudicare reor, quod aptius multo sit, ejus quem corde toto abbominaris, cujusque horrendam faciem videre refugis, habitum vultus [*Al.*, vultum] a tuo vultu Deo jam dicato separare; et e contra, ejus quem apud Deum habere patronum quæris, sicut facta vel monita cupis sequi, sic etiam morem habitus te imitari condecet. » Hæc tunc [*Al. add.* cum] Adamnano dixi, qui quidem quantum [*Al. om* quantum] conspectis Ecclesiarum nostrarum statutis [*Al. add.* quantum] profecisset, probavit, cum reversus ad Scottiam, multas postea gentis ejusdem turbas ad catholicam temporis Paschalis observantiam sua prædicatione correxit : tametsi eos qui in Hii insula morabantur monachos, quibusque speciali rectoris jure præerat necdum [*Al.*, nec] ad viam statuti melioris reducere valebat. Tonsuram quoque, si tantum sibi auctoritatis subesset, emendare meminisset. Sed et tuam nunc prudentiam, rex, admoneo, ut ea quæ unitati catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ concinnant [*Al.*, concinunt], una cum gente cui te Rex regum et Dominus dominorum præfecit, in omnibus servare contendas. Sic enim fit ut post acceptam temporalis regni potentiam, ipse beatissimus apostolorum princeps cælestis quoque regni tibi tuisque cum cæteris electis libens pandat introitum. Gratia te Regis æterni longiori tempore regnantem, ad nostram omnium pacem custodiat incolumem, dilectissime in Christo fili. »

[a] *Adamnan.* De hoc vide v, 15.

[b] *Hii.* De Hiiensibus vide III, 4; v, 15.

[c] *Osredo.* Hic Aldfrido successit an. 705, v, 18. Turpem vitam sanctimonialium stupris exagitans tandem cognatorum insidiis prope mare pugnans juxta fines australes cæsus est. Malms. de Gest. Reg. I, 3; Westm., an. 717; Chr. Sax., an. 716.

Hæc epistola cum præsente rege Naitono, multisque viris doctioribus esset lecta, ac diligenter ab his qui intelligere poterant, in linguam ejus propriam interpretata, multum de ejus exhortatione gavisus esse perhibetur; ita ut exsurgens [*Al.*, surgens] de medio optimatum suorum consessu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quod tale munusculum de terra Anglorum mereretur accipere. « Et quidem et antea novi, inquit, quia hæc erat vera Paschæ celebratio, sed in tantum modo [*Al.*, tantummodo] rationem hujus temporis observandi [*Al.*, observandam] cognosco, ut parum mihi omnimodis [*Al.*, omnino] videar de his antea intellexisse. Unde palam profiteor, vobisque qui adsidetis præsentibus protestor, quia hoc observare tempus Paschæ cum universa mea gente perpetuo volo; [*Al. add.* et] hanc accipere debere tonsuram quam plenam esse rationis audimus [*Al.*, audivimus], omnes qui in meo regno sunt clericos decerno. » Nec mora, quæ dixerat, regia auctoritate perfecit. Statim namque jussu publico mittebantur ad transcribendum, discendum, observandum, per universas Pictorum provincias circuli Paschæ decennovenales, oblitteratis per omnia erroneis octoginta et quatuor annorum circulis. Adtondebantur omnes in coronam Ministri altaris, ac Monachi : et quasi novo se discipulatui beatissimi apostolorum principis Petri subditam, ejusque tutandam patrocinio gens correcta gaudebat.

## CAPUT XXII.

*Ut Hiienses monachi, cum subjectis sibi monasteriis canonicum, prædicante Ecgbercto, celebrare Pascha cœperint.*

Nec multo post illi quoque qui insulam [b] Hii incolebant monachi Scotticæ nationis, cum his quæ sibi erant subdita monasteriis, ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicum Domino procurante perducti sunt. Siquidem anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexto decimo, quo [c] Osredo occiso, [d] Coenred gubernacula regni Nordanhymbrorum suscepit, cum venisset ad eos de Hibernia Deo amabilis, et cum omni honorificentia nominandus Pater ac sacerdos Ecgberct, cujus superius memoriam [e] sæpius [*Al.*, sæpe] fecimus, honorifice ab eis et multo cum gaudio susceptus est. Qui quoniam et doctor suavissimus, et eorum quæ agenda docebat erat exsecutor devotissimus, libenter auditus ab universis, immutavit piis ac sedulis exhortationibus inveteratam illam traditionem parentum eorum, de quibus apostolicum illum licet proferre sermonem, quod æmulationem Dei habebant, sed non secundum scientiam; catholicoque illos, atque apostolico more celebrationem, ut diximus, præcipuæ sollemnitatis sub figura coronæ perpetis [*Al.*, perpetuæ] agere perdocuit. Quod

[d] *Coenred.* Filius Cuthwini. Hic et ejus successor Osric « hoc tantum memorabile habuerunt, quod domini sui licet merito ut putabant occisi sanguinem luentes, fœdo exitu auras polluere. » Malms. Reg. I, 3.

[e] *Sæpius.* Vide III, 4 et 27; v, 10, 11.

Digitized by Google

mira divinæ constat factum dispensatione pietatis, ut quoniam gens illa quam [*Al.*, quæ] noverat scientiam divinæ cognitionis libenter ac sine invidia populis Anglorum communicare curavit : ipsa quoque postmodum per gentem Anglorum in eis quæ [*Al.*, quam] minus habuerat, ad perfectam vivendi normam perveniret. Sicut e contra Brittones, qui nolebant Anglis eam quam habebant, fidei Christianæ notitiam pandere, credentibus jam populis Anglorum et in regula fidei catholicæ per omnia instructis, ipsi adhuc inveterati et claudicantes a semitis suis, et capita sine corona prætendunt, et sollemnia Christi sine Ecclesiæ Christi societate venerantur.

Susceperunt autem Hiienses monachi, docente Egbercto, ritus vivendi catholicos sub abbate Duunchado, post annos circiter octoginta, ex quo ad prædicationem gentis Anglorum Aidanum miserant antistitem. Mansit autem vir Domini Ecgberct annos tredecim in præfata insula, quam ipse velut nova quadam reducente gratia ecclesiasticæ societatis et pacis Christo consecraverat; annoque Dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo nono [*Al.*, octavo], quo Pascha Dominicum octavo Kalendarum Maiarum die celebrabatur, cum missarum sollemnia in memoriam ejusdem Dominicæ resurrectionis celebrasset, eodem die et ipse migravit ad Dominum, ac gaudium summæ festivitatis quod cum fratribus quos ad unitatis gratiam converterat, inchoavit, cum Domino et apostolis cæterisque cæli civibus complevit, immo idipsum celebrare sine fine non desinit. Mira autem divinæ dispensatio provisionis erat, quod venerabilis vir non solum in Pascha transivit de hoc mundo ad Patrem; verum etiam cum eo die Pascha celebraretur, quo nunquam prius in eis locis celebrari solebat. Gaudebant ergo fratres de agnitione [*Al.*, cognitione] certa et catholica temporis Paschalis; lætabantur de patrocinio pergentis ad Dominum Patris, per quem fuerant correcti; gratulabatur ille quod eatenus in carne servatus est, donec illum in Pascha diem suos auditores, quem semper antea vitabant, suscipere ac secum agere videret. Sicque certus de illorum correctione reverentissimus Pater exsultavit, ut videret diem Domini : vidit, et gavisus est.

A

## CAPUT XXIII.

*Qui sit in præsenti status gentis Anglorum, vel Brittaniæ totius.*

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo quinto, qui erat [*Al. add.* annus] septimus Osrici regis Nordanhymbrorum qui Coenredo successerat, Uictred filius Ecgbercti, rex Cantuariorum, defunctus est nono die Kalendarum Maiarum; et regni quod per triginta quatuor semis annos tenebat, [a] filios tres, Aedilberctum, Eadberctum, et Alricum [*Al.*, Aldricum] reliquit heredes. Anno post quem proximo Tobias, Hrofensis Ecclesiæ præsul defunctus est, vir ut [b] supra meminimus, doctissimus. Erat enim discipulus beatæ memoriæ magi-

B

strorum, Theodori archiepiscopi et abbatis Hadriani : unde, ut dictum est, cum eruditione litterarum vel ecclesiasticarum vel generalium, ita Græcam quoque cum Latina didicit linguam, ut tam notas ac familiares sibi eas, quam nativitatis [*Al.*, novitatis] suæ loquelam haberet. Sepultus vero est in porticu sancti Pauli apostoli, quam intro [c] ecclesiam sancti Andreæ sibi ipse in locum sepulcri fecerat. Post quem episcopatus officium [d] Alduulf, Berctualdo archiepiscopo consecrante suscepit.

[e] Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo nono, apparuerunt cometæ duæ [*Al.*, duo] circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Una [*Al.*, unus] quippe solem præcedebat, mane orientem; altera [*Al.*, alter] vespere sequebatur oc-

C

cidentem, quasi orienti simul et occidenti diræ cladis præsagæ [*Al.*, præsagi] : vel certe una [*Al.*, unus] diei, altera [*Al.*, alter] noctis præcurrebat exortum, ut utroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem [*Al.*, faciem] ignis contra aquilonem, quasi ad accendendum adclinem : apparebantque mense Januario, et duabus ferme septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Sarracenorum lues Gallias misera clade vastabat, [f] et ipsi non multo post in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. Quo anno sanctus vir Domini Ecgberct, ut supra commemoravimus, ipso die Paschæ migravit ad Dominum : et

[a] *Filios.* « Quorum Eadberct 23, Aedilberct 11, Alric 34 annis paterna tenentes instituta haud decolore exitu regnum contaminaverunt, nisi quod Aedilberct fortuito urbis incendio et Alric infausto adversus Mercios prælio gloriam temporum suorum non parum obnubilaverunt. » Malms. de Reg. I, 1. Bromton apud X Script., 742, hos vocat Egfredum, Edbrictum, et Cuthredum.

[b] *Supra.* Vide v, 8.

[c] *Ecclesiam.* Hanc construxit rex Aedilberct, II, 3. Lanfrancus archiepiscopus postea renovavit, et Willielmus archiepiscopus an. 1130, tertio Non. Maii, dedicavit. Gervasii Act. pontif. Cant. in Lanfranc. et Willielmo.

[d] *Alduulf.* Tatwinum consecravit. Vide infra. An. 732 obtinuit ab Aedilbaldo rege Merciorum vectigal annuum unius navis sibi et successoribus concedi. Idem dono accepit ab Eadbercto rege Cant. terram decem aratrorum in Andscobesham et donationem a

D Nothelmo archiepiscopo an. 738 confirmari obtinuit. Obiisse dicitur a Florentio an. 741, a Sim. Dun. et Chr. Mail. et Pseudo-Asserio an. 739.

[e] *Anno domin. incarn.* DCCXXIX. Sic vere Trev. et Anglo Saxonica, cum falso in vulgatis aliis legeretur DCCXXVIII. Ratio in promptu est quia ibidem Beda *Pascha dominicum octavo Kalendarum Maiarum die* evenisse dicit; quod anno convenit 729, ut clarum est ex veteri computo. CHIFFL.

[f] *Et ipsi.* Secundum fidem omnium fere historicorum Saraceni duas clades a Carolo Martello acceperunt, necnon primam quam hic Beda indicat an. 732. Vide Mabillon. sec. III Ben., part. I, p. 526, et Pagi in ann. Bar. 732. Sed ne hic sit verus hujus cladis annus, videtur esse obstaculo, quod an. 731 Historiam suam Beda absolverit : nisi cum Pagi, quem vide an. 729, dicamus, « eum postea verba illa et hujus victoriæ mentionem in suam Historiam inseruisse. »

Digitized by Google

mox peracto Pascha, hoc est, septima Iduum Maiarum die, [a] Osric rex Nordanhymbrorum, vita decessit, cum ipse regni quod undecim annis gubernabat, successorem fore [b] Ceolwulfum [*Al.*, Ceoldwlfum] decrevisset, fratrem illius qui ante se regnaverat, Coenredi regis, cujus regni et principia et processus tot ac tantis redundavere rerum adversantium motibus, ut quid de his scribi debeat, quemve habitura [*Al.*, habituri] sint [c] finem singula, necdum sciri valeat.

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo tricesimo primo, [d] Berctuald archiepiscopus, longa consumptus ætate, defunctus est die Iduum Januariarum; qui sedit [*Al.*, egit] annos triginta septem, menses sex, dies quatuordecim; pro quo anno eodem factus est archiepiscopus, vocabulo [e] Tatuini, de provincia Merciorum, cum fuisset presbyter in monasterio quod vocatur [f] Briudun. Consecratus est autem in Doruverni civitate, a viris venerabilibus Danihele Uentano, et Ingualdo Lundoniensi, et Alduino [*Al.*, Adwaldo] Lyccitfeldensi, et Aldunlfo Hrofensi antistitibus, die decima Junii mensis, Dominica; vir religione et prudentia insi-

A gnis, sacris quoque litteris nobiliter instructus.

Itaque in præsenti, Ecclesiis Cantuariorum Tatuini et Alduulf episcopi præsunt. Porro provinciæ Orientalium Saxonum [g] Inguald episcopus; provinciæ Orientalium Anglorum Aldberct et Hadulac episcopi; provinciæ Occidentalium Saxonum, [h] Danihel et Fortheri episcopi; provinciæ Merciorum, [i] Alduini episcopus; et eis populis qui ultra amnem Sabrinam ad occidentem habitant, [j] Ualchstod episcopus; provinciæ Huieciorum [k] Uilfrid episcopus; provinciæ Lindisfarorum [l] Cyniberct [*Al.*, Cymberct] episcopus præest. Episcopatus [m] Uectæ insulæ ad Danihelem pertinet, episcopum Uentæ civitatis. Provincia Australium Saxonum jam aliquot annis absque episcopo manens, ministerium sibi episco-

B pale ab Occidentalium Saxonum antistite quærit. Et hæ omnes provinciæ cæteræque australes ad confinium usque Hymbræ fluminis, cum suis quæque [*Al.* quoque] regibus, Merciorum regi [n] Aedilbaldo subjectæ sunt. At vero provinciæ Nordanhymbrorum cui rex Ceoluulf præest, quatuor nunc episcopi præsulatum tenent; [o] Uilfrid in Eboracensi Ecclesia, Edilwald in Lindisfaronensi [*Al. add.* Ecclesia], [p] Acca

[a] *Osric*. Filius Alhfridi.

[b] *Ceoluulfum*. Huic Beda Historiam inscribit. Incepit regnum secundum Chr. Sax. an. 731, secundum Wesmt. an. 730, sed secundum Bedam an. 729. An. 733 captus est, attonsus et remissus in regnum Westm. An. 737 fit monachus in mon. Lindisfarn. S. Cudbercto conferens thesauros regios et terras, id est Bregesne et Wereworde cum suis appendiciis, simul et ecclesiam quam ibidem ipse ædificaverat. Alias quoque quatuor villas, Wudecestre, Hwuittingaham, Eadfingham, Eagwulfigham. An. 760 in Lindisfarnensi monasterio sepultus est; « sed succedente tempore ab Ecgredo ejusdem loci antistite, ad Northam translatus, decursis posthæc multorum annorum curriculis caput illius Dunelmum translatum est una cum aliis sanctorum reliquiis. » Sim. Dun., p. 9. Hoc rege monacho facto data est Lindisfarnensis ecclesiæ monachis licentia bibendi vinum vel cervisiam, qui ante illud tempus non nisi lac vel aquam bibebant. Ibid., p. 139.

[c] *Finem*. Et pessimum quidem habuere finem. Nam apud historicos vix quid in prov. Nordanh. historia legimus nisi vel clades vel depositiones regum. Vide Will. Malms. de Reg. I, 3; Chron. Sax., an. 757, 759, 774, 778, 789, 790, 794 et alibi; Bromton., p. 795.

[d] *Berctuald*. Vide v, 8.

[e] *Tatuini*. Epistolam Gregorii papæ de promotione Tatuini ad primatum totius Brittaniæ vide apud Malms. Pont. I, an. 732. Hic benedixit Nodbaldum Albini successorem in abbatem. Chron. Thorn. Obiit an. 734, III Kal. Aug. juxta Florent., juxta Birchingtonum Kal. Aug., juxta Thorn. an. 735, ultimo die Julii. Vide ejus epitaph. Lel. Coll. II, 116.

[f] *Briudun*. Monasterium juxta Bredon montes in Com. Uuigorn., quod Eanulfus avus Offæ regis Merc. in honore B. Petri construxit, et quod Offa postea an. 780 multis prædiis ditavit. Mon. Angl., I, 122.

[g] *Inguald*. Chartæ Croilandensi an. 716, et an. 798 concilio Baccanceldensi subscripsisse fingitur. Ingulf. et X Script., p. 2212. Mortuus est an. 745, testibus plerisque historicis; an. 744 juxta Hovedenum et Historiolam Londinensem.

[h] *Danihel*. De Danihele et Fortheri vide v, 18.

[i] *Alduini*. Qui et *Wor* nominatur, successit Hedddæ morienti an. 721. Obiit an. 737. Angl. Sacr., I, 428.

[j] *Walchstod*. Herefordiæ episcopus, ubi primus sedit Putta, IV, 12. De cruce ab eo ad ornatum domus Dei inchoata, itemque ejus et suorum antecessorum epitaphium sepulcro illis a Cuthbercto constructo inscriptum vide Malms. Pont. IV.

[k] *Uilfrid*. Successit Ecguino an. 717. Obiit an. 742, juxta Annales Eccl. Uuigorn. An. 743, juxta Florentium.

[l] *Cyniberct*. De successione episcoporum Lindisfarorum vide IV, 12. Obiit an. 732. Sim. Dun., p. 99.

[m] *Vectæ*. Vide IV, 16.

[n] *Aedilbaldo*. Hic an. 716 incepit regnare. An. 733 expugnavit Sumurtun. An. 740 per impiam fraudem vastabat partem Nordanhymbrorum. An. sequenti Cuthredus rex Occ. Sax. acriter in eum bellum gessit. An. 743 hic et Cuthredus pugnabant contra Brittones. An. 749 privilegium Merciorum ecclesiis et monasteriis concessit. An. 757 occisus est in Seccandune a suis tutoribus morte fraudulenta, et sepultus est in Hreopandune. Bonifacii epistolam ad eum vide Spelm. Conc. I, 232.

C

[o] *Uilfrid*. Successit S. Johanni, v, 6, seditque an. 15. De tempore quo defunctus est, variant scriptores. Continuator Epit. Bedæ ejus obitum refert ad an. 745, Chr. Sax. ad an. 744; Westm. ad an. 743, Tho. Stubbs ad an. 736, Sim. Dun. ad an. 735. Epitomen et Chron. Sax. auctoritatem sequi propter

D eorum antiquitatem venerabilem maxime arridet, non obstante quod prior an. 732, et posterius an. 734 Ecgbercium episcopum factum prodit, Uilfrido sc. non adhuc defuncto, sed potius sedem ultro relinquente. Sed sequenda est forsan opinio, quam Pagi an. 731 de hac re scripsit. Arbitratur enim Uilfridum Ebor. defunctum an. 732, secundum Epit. Bedæ, et auctores eos, qui Uilfridi hujus mortem an. 743 vel seqq. illigant, errare existimat, ideo scilicet deceptos, qui interpretati sunt Bedæ Epit. Continuatorem ad an. 745 de Uilfrido Ebor., cum potius interpretandus videtur de Uilfrido episcopo Huicciorum. « Lis inextricabilis inter Cantuarienses et Eborac. versatur, quod dicant Cantuarienses se Uilfridum seniorem habere, contra Eboracenses contendant hunc minorem ab archiepiscopo Odone Cantiam translatum. » MALMS., Pont. III, 1.

[p] *Acca*. De hoc vide v, 20.

Digitized by Google

in Hagustaldensi. [a] Pecthelm in ea quæ Candida casa A vocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem pontificatus addita, ipsum [b] primum habet antistitem. Pictorum quoque natio tempore hoc et fœdus pacis cum gente habet Anglorum, et catholicæ pacis ac veritatis cum universali Ecclesia particeps existere gaudet. Scotti qui Brittaniam incolunt suis contenti finibus nil contra gentem Anglorum insidiarum moliuntur aut fraudium. Brittones, quamvis et maxima ex parte domestico sibi odio gentem Anglorum, et totius catholicæ Ecclesiæ statum Pascha minus recte moribusque improbis impugnent; tamen et divina sibi et humana prorsus resistente virtute, in neutro cupitum possunt obtinere propositum : quippe qui quamvis ex parte sui sint juris, nonnulla tamen ex parte Anglorum sunt servitio B mancipati. Qua [*Al.*, Et ; *al.*, Quæ] adridente pace ac serenitate temporum, plures in gente Nordanhymbrorum, [c] tam nobiles, quam privati, se suosque liberos, depositis armis satagunt magis accepta tonsura, monasterialibus adscribere votis, quam bellicis exercere studiis. Quæ res quem sit habitura finem, posterior ætas videbit. Hic est inpræsentiarum universæ status Brittaniæ, anno adventus Anglorum in Brittaniam circiter ducentesimo octogesimo quinto, dominicæ autem incarnationis anno septingentesimo tricesimo primo : in cujus regno perpetuo exsultet terra, et congratulante in fide ejus Brittania, lætentur insulæ multæ, et confiteantur memoriæ sanctitatis ejus.

## CAPUT XXIV. C

*Recapitulatio chronica totius Operis; et de persona Auctoris.*

Verum ea quæ temporum distinctione latius digesta sunt, ob memoriam conservandam, breviter recapitulari placuit.

Anno igitur ante incarnationem Dominicam sexagesimo, Gaius [d] Julius Cæsar, primus Romanorum, Brittanias bello pulsavit, et vicit; nec tamen ibi regnum potuit obtinere.

Anno ab incarnatione Domini 46, [e] Claudius, secundus Romanorum, Brittanias adiens, plurimam insulæ partem in deditionem recepit; et Orcadas quoque insulas Romano adjecit imperio.

Anno incarnationis Dominicæ [*Al.*, ab incarn. Domini] 167, Eleuther Romæ præsul factus, quindecim D annos Ecclesiam gloriosissime rexit : cui litteras rex Brittaniæ [f] Lucius mittens, ut Christianus efficeretur petiit, et impetravit.

Anno ab incarnatione Domini 189, [g] Severus imperator factus, decem et septem annis regnavit, qui Brittaniam vallo a mari usque ad mare præcinxit.

Anno 381, [h] Maximus in Brittania creatus imperator, in Galliam transiit, et Gratianum interfecit.

Anno 409, Roma a [i] Gothis fracta [*Al. add.* est] : ex quo tempore Romani in Brittania regnare cessarunt.

Anno 430, [j] Palladius ad Scottos in Christum credentes a Cælestino papa primus mittitur episcopus.

Anno 449, [k] Marcianus cum Valentiniano imperium suscipiens, septem annis tenuit : quorum tempore Angli a Brittonibus accersiti [*Al.*, arcesiti] Brittaniam adierunt.

Anno 538, eclipsis solis facta est XIV Kalendas Martii, ab hora prima usque ad tertiam.

Anno 540, eclipsis solis facta est XII Kalendas Julias [*Al.*, Julii], et apparuerunt stellæ pene hora dimidia ab hora diei tertia.

Anno 547, Ida regnare cœpit, a quo regalis Nordanhymbrorum prosapia originem tenet, et duodecim annis in regno permansit.

Anno 565 [*Al.*, 562], [l] Columba presbyter de Scottia venit Brittaniam ad docendos Pictos, et in insula Hii monasterium fecit.

Anno 596, [m] Gregorius papa misit Brittaniam Augustinum cum monachis, qui verbum Dei genti Anglorum evangelizarent.

Anno 597, venere Brittaniam præfati [n] doctores, qui fuit annus plus minus centesimus quinquagesimus adventus Anglorum in Brittaniam.

Anno 601, misit papa Gregorius [o] pallium Brittaniam Augustino jam facto episcopo, et plures verbi ministros, in quibus et Paulinum.

Anno 603, pugnatum [*Al. add.* est] ad [p] Degsastanae.

Anno 604, Orientales Saxones fidem Christi percipiunt [*Al.*, perceperunt] sub rege Sabercto antistite [q] Mellito.

Anno 605, Gregorius [*Al. add.* papa] [r] obiit.

Anno 616, [s] Aedilberct rex Cantuariorum [*Al. add.* gentis] defunctus est.

Anno 625, [t] Paulinus a Justo archiepiscopo ordinatur genti Nordanhymbrorum antistes.

Anno 626, [u] Eanfled, filia Aeduini regis, baptizata [*Al. add.* est] cum duodecim in sabbato Pentecostes.

[a] *Pecthelm.* S. Aldhelmi primo Scireburnensis episcopi diaconus, V, 18. Obiit an. 735. FLOR.

[b] *Primum.* Primus quidem fuit novæ erectionis, sed Ninias olim ibi fuit episcopus, III, 4.

[c] *Tam nobiles.* Vide de hac re Bedam fusius querentem in epistola ad Ecgberctum archiepiscopum infra edita.

[d] *Julius.* Vide I, 2.

[e] *Claudius.* Vide I, 3.

[f] *Lucius.* Vide I, 4.

[g] *Severus.* Vide I, 5.

[h] *Maximus.* Vide I, 9.

[i] *Gothis.* Vide I, 11.

[j] *Palladius.* Vide I, 13.

[k] *Marcianus.* Vide I, 15.

[l] *Columba.* Vide III, 4.

[m] *Gregorius.* Vide I, 23.

[n] *Doctores.* Vide I, 25.

[o] *Pallium.* Vide I, 29.

[p] *Degsastanae.* Vide I, 34.

[q] *Mellito.* Vide II, 3.

[r] *Obiit.* Vide II, 1.

[s] *Aedilberct.* Vide II, 5.

[t] *Paulinus.* Vide II, 9.

[u] *Eanfled.* Vide II, 9.

Digitized by Google

Anno 627, [a] Aeduini rex baptizatus cum sua gente A in Pascha.

Anno 633, Aeduine rege perempto, Paulinus [b] Cantiam rediit.

Anno 640, [c] Eadbald rex Cantuariorum obiit.

Anno 642 [*Al.*, 645], [d] Osuald rex occisus.

Anno 644, [e] Paulinus, quondam Eboraci, sed tunc [*Al.* nunc] Hrofensis antistes civitatis, migravit ad Dominum.

Anno 651, [f] Osuini rex occisus, et Aidan episcopus defunctus est.

Anno 653, [g] Middilangli sub principe Penda, fidei mysteriis sunt imbuti.

Anno 655, [h] Penda periit [*Al.*, Penda rex Merciorum occisus est], et Mercii sunt facti Christiani.

Anno 664, [i] eclipsis facta : [j] Earconberct rex Cantuariorum defunctus, et [k] Colman [l] cum Scottis ad suos reversus est ; et pestilentia venit ; et Ceadda ac Uilfrid [m] Nordanhymbrorum ordinantur episcopi.

Anno 668, [n] Theodorus ordinatur episcopus.

Anno 670, [o] Osuiu rex Nordanhymbrorum obiit.

Anno 673, [p] Ecgberct, rex Cantuariorum obiit ; et synodus facta est ad [q] Herutforda, præsente Ecgfrido rege, præsidente archiepiscopo Theodoro, utillima, decem capitulorum.

Anno 675, Uulfheri, rex Merciorum, postquam septem decim annos regnaverat, defunctus, Aedilredo fratri reliquit imperium.

Anno 676, [r] Aedilred vastavit Cantiam.

Anno 678, [*Chiffl.*, 677] [s] cometa apparuit ; Uilfrid C episcopus a sede sua pulsus est ab Ecgfrido rege ; et pro eo Bosa, Eata et Eadhaeth consecrati antistites.

Anno 679, [t] Aelfuini occisus.

Anno 680, synodus facta est in campo [u] Haethfeltha de fide catholica, præsidente archiepiscopo Theodoro : in qua adfuit [v] Johannes abba Romanus. Quo anno [x] Hild abbatissa in Streanaeshalch obiit.

Anno 685, [y] Ecgfrid rex Nordanhymbrorum occisus est [*Al.*, obiit]. [z] Anno eodem Hlotheri rex Cantuariorum obiit.

Anno 688, [aa] Caeduald rex Occidentalium Saxonum Romam de Brittania pergit.

Anno 690, [bb] Theodorus archiepiscopus obiit.

Anno 697, Osthryd regina a suis, id est, Merciorum primatibus, interempta.

Anno 698 [*Al.*, 699], Berctred dux regius Nordanhymbrorum a Pictis interfectus.

Anno 704, [cc] Aedilred, postquam triginta unum [*Al om.* unum] annos Merciorum genti præfuit, monachus factus, Coenredo regnum dedit.

Anno 705, [dd] Aldfrid rex Nordanhymbrorum defunctus est.

Anno 709, [ee] Coenred rex Merciorum, postquam quinque [*Al.*, sex] annos regnabat, Romam pergit.

Anno 711, Berctrid præfectus cum Pictis pugnavit.

Anno 716, [ff] Osred rex Nordanhymbrorum interfectus, et rex Merciorum Ceolred defunctus ; et vir Domini [gg] Ecgberct Hiienses monachos ad catholi- B cum Pascha et ecclesiasticam correxit tonsuram.

Anno 725, [hh] Uictred rex Cantuariorum obiit.

Anno 729, [ii] cometæ apparuerunt, sanctus Ecgberct transiit. Osric mortuus est.

Anno 731, Berctuald archiepiscopus [jj] obiit. Anno eodem Tatuini consecratus archiepiscopus nonus Dorovernensis Ecclesiæ, Aedilbaldo rege Merciorum quintum decimum agente annum imperii.

Hæc de Historia Ecclesiastica Brittaniarum [*Al.*, Brittanorum], et maxime gentis Anglorum, prout vel ex litteris antiquorum, vel ex traditione majorum, vel ex mea ipse cognitione scire potui, Domino adjuvante digessi [kk] Baeda famulus Christi [*Al.*, Dei famulus] et presbyter monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod est ad Uiuraemuda et Ingyruum.

Qui natus in territorio ejusdem monasterii [DCLXXIX], cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverentissimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido ; cunctumque ex eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi : atque inter observantiam disciplinæ regularis et quotidianam cantandi in ecclesiia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.

Nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum [DCXCI] ; tricesimo gradum presbyteratus [DCCII], utrumque per ministerium reverentissimi episcopi Johannis, jubente Ceolfrido abbate, suscepi.

[a] *Aeduini*. Vide II, 14.
[b] *Cantiam*. Vide II, 20.
[c] *Eadbald*. Vide III, 8.
[d] *Osuald*. Vide III, 9.
[e] *Paulinus*. Vide III, 14.
[f] *Osuini*. Vide III, 14.
[g] *Middilangli*. Vide III, 21.
[h] *Penda*. Vide III, 24.
[i] *Eclipsis*. Vide III, 27.
[j] *Erconberct*. Vide IV, 1.
[k] *Colman*. Vide III, 26.
[l] *Cum Scottis*, etc. Al , *cum suis ad Scottos ;* al. om. *ad suos*.
[m] *Nordanhymbrorum*. Vide III, 28
[n] *Theodorus*. Vide IV, 1.
[o] *Osuiu*. Vide IV, 5.
[p] *Ecgberct*. Vide IV, 5.
[q] *Herutforda*. Vide IV, 5.
[r] *Aedilred*. Vide IV, 12.

D
[s] *Cometa*, etc. Vide IV, 12.
[t] *Aelfuini*. Vide IV, 20.
[u] *Haethfeltha*. Vide IV, 17.
[v] *Johannes*. Vide IV, 18.
[x] *Hild*. Vide IV, 23.
[y] *Ecgfrid*. . . *Hlotheri*. Vide IV, 26.
[z] *Anno eodem*. . . *obiit* om. Edit.
[aa] *Caeduald*. Vide V, 7.
[bb] *Theodorus*. Vide V, 8.
[cc] *Aedilred*. Vide V, 9.
[dd] *Aldfrid*. Vide V, 18.
[ee] *Coenred*. Vide V, 19.
[ff] *Ofred*. Vide V, 22.
[gg] *Ecgberct*. Vide V, 22.
[hh] *Uictred*. Vide V, 23.
[ii] *Cometæ*. . . *Ecgberct*. . . *Osric*. Vide V, 23.
[jj] *Obiit*. . . *Tatuini*. Vide V, 23.
[kk] *Beda*. De hoc nostro auctore vide plura in ejus Vita infra edita.

Digitized by Google

Ex quo tempore accepti presbyteratus usque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum [LXXXI], hæc in Scripturam sanctam meæ meorumque necessitati ex opusculis venerabilium Patrum breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus et interpretationis eorum superadjicere curavi.

*In principium Genesis, usque ad nativitatem Isaac, et jectionem* [Al., *ejectionem, dejectionem, reprobationem*] *Ismahelis, libros* IV [Al., III].

*De Tabernaculo, et vasis ejus, ac vestibus Sacerdotum, libros* III [Al., IV].

*In primam partem Samuhelis, id est, usque ad mortem Saulis, libros* III.

*De ædificatione templi, allegoricæ expositionis sicut et cætera, libros* II.

*Item in Regum librum* XXX *quæstionum.*

*In Proverbia Salomonis, libros* III.

*In Cantica canticorum, libros* VII [*Al.*, VIII; *al.*, VI].

*In Isaiam, Danihelem, duodecim prophetas, et partem Hieremiæ distinctiones capitulorum ex tractatu B. Hieronymi excerptas.*

*In Ezram* [Al., *Esdram*] *et Neemiam, libros* III.

*In Canticum Habacum, librum* I.

*In librum beati Patris Tobiæ, explanationis allegoricæ de Christo et Ecclesia, librum* I.

*Item, capitula lectionum in Pentateuchum Mosi, Josue, Judicum.*

*In libros Regum, et Verba dierum.*

*In librum beati Patris Job.*

*In Parabolas, Ecclesiasten, et Cantica canticorum.*

*In Isaiam Prophetam, Ezram quoque, et Neemiam.*

*In Evangelium Marci, libros* IV.

*In Evangelium Lucæ, libros* VI.

*Omeliarum Evangelii, libros* II.

*In Apostolum quæcumque in opusculis sancti Augustini exposita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi.*

*In Actus Apostolorum, libros* II.

*In Epistolas* VII [*Al.*, VI] *catholicas, libros singulos.*

*In Apocalypsin sancti Johannis, libros* III.

*Item, Capitula lectionum in totum Novum Testamentum, excepto Evangelio.*

*Item, librum epistolarum ad diversos: quarum* [Al., om. *quarum*] *de sex ætatibus sæculi una est; de mansionibus filiorum Israel, una; una* [Al. om. *una*] *de eo quod ait Isaias:* Et claudentur ibi in carcerem, et post dies multos visitabuntur; *de ratione Bissexti, una; de Aequinoctio, juxta Anatolium, una.*

*Item, de historiis sanctorum; librum vitæ et passionis sancti Felicis confessoris de metrico Paulini opere in prosam transtuli.*

*Librum vitæ et passionis sancti Anastasii, male de Græco translatum, et pejus a quodam imperito emendatum, prout potui, ad sensum* [Al., *prout ad sensum*] *correxi.*

*Vitam sancti Patris, monachi simul et antistitis, Cudbercti, et prius heroico metro, et postmodum plano sermone descripsi.*

*Historiam abbatum monasterii hujus, in quo supernæ pietati deservire gaudeo, Benedicti, Ceolfridi, et Huaetbercti in libellis duobus.*

*Historiam Ecclesiasticam nostræ insulæ ac gentis, in libris* V.

*Martyrologium de natalitiis sanctorum martyrum diebus; in quo omnes quos invenire potui, non solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter* [Al. om. *diligenter*] *adnotare studui.*

*Librum Hymnorum, diverso metro, sive rhythmo.*

*Librum Epigrammatum heroico metro, sive elegiaco.*

*De Natura rerum, et de Temporibus libros singulos.*

*Item, de Temporibus librum unum majorem.*

*Librum de Orthographia, alphabeti ordine distinctum.*

*Item, librum de metrica Arte; et huic adjectum* [Al., *adjunctum*] *alium de Schematibus sive Tropis libellum, hoc est, de figuris modisque locutionum, quibus Scriptura sancta contexta est.*

Teque [*Al.*, Te] deprecor, bone Jesu, ut cui propitius donasti verba tuæ [*Al. add.* sapientiæ vel] scientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus, aliquando ad te fontem omnis sapientiæ pervenire, et parere [*Al.*, apparere] semper ante faciem tuam.

---

# BEDÆ CHRONOLOGIA

## CONTINUATA AUCTORE ANONYMO.

[a] Anno 731, Ceoluulf rex captus et adtonsus et remissus in regnum, Acca episcopus de sua sede fugatus.

Anno [*Al. add.* ab incarnatione Domini] 732, Egberct pro Uilfrido episcopus [b] factus.

Anno 733, eclipsis facta est solis XIX [*Al*, XVIII] Kalendas Septembris circa horam diei tertiam; ita ut pene totus orbis solis, quasi nigerrimo et horrendo scuto videretur esse coopertus [c].

Anno 734, luna sanguineo rubore perfusa, quasi hora integra II Kalendarum Februariarum circa galli cantum, dehinc nigredine subsequente ad lucem propriam [d] reversa.

Anno eodem, Tatuini episcopus obiit.

[a] *Anno 731... fugatus* om. Edit.

[b] *Factus.* Edit.: *factus. Cymbertus episc. Lindisfarorum obiit.*

[c] *Anno eodem Tatuini archiepiscopus, accepto ab apostolica auctoritate pallio, ordinavit Aluic et Sigfridum episcopos,* add. In Edit., desunt ms. Mori.

[d] *Reversa.* Hactenus Codex Mori, et omnes melioris notæ mss.; sed quoniam quæ sequuntur in editis Codd. exstant, mihi etiam inter alios fas erit puncta hæc chronologica adjungere.

Digitized by Google

Anno 735, Nothelmus archiepiscopus ordinatur; et Ecgberctus episcopus, accepto ab apostolica sede Pallio, primus post Paulinum in archiepiscopatum confirmatus est; ordinavitque Fruidbertum et Fruiduualdum episcopos, et Beda presbyter obiit.

Anno 737, nimia siccitas terram fecit infecundam; et Ceoluuulfus sua voluntate adtonsus, regnum Eadbercto reliquit.

Anno 739, Edilhartus Occidentalium Saxonum rex obiit; et Nothelmus archiepiscopus.

Anno 740, Cudberctus pro Nothelmo consecratus est. Aedilbaldus rex Merciorum, per impiam fraudem vastabat partem Nordanhymbrorum; eratque rex eorum Eadberctus occupatus cum suo exercitu contra Pictos. Aediluualdus quoque episcopus obiit, et pro eo Conuuulfus ordinatur antistes. Arwini et Eadberctus interempti.

Anno 741, siccitas magna terram occupavit. Carolus rex Francorum obiit; et pro eo filii Caroloman et Pippin regnum acceperunt.

Anno 745, * Uilfrid episcopus, et Ingualdus Lundoniæ episcopus, migraverunt ad Dominum.

Anno 747, Herefridus vir Dei obiit.

Anno 750, Cudretus, rex Occidentalium Saxonum, surrexit contra Aedilbaldum regem et Oengusum. Theneorus atque Eanredus obierunt. Eadberctus Campum Cyil cum aliis regionibus suo regno addidit.

Anno 756, anno regni Eadbercti quinto, Idibus Januarii, ecclipsis solis facta est. Postea eodem anno et mense, hoc est, nono Kalendarum Februariarum, luna eclipsim pertulit, horrendo et nigerrimo scuto.

Bonifacius, qui et Uinfridus, Francorum episcopus, cum quinquaginta tribus martyrio coronatus est; et pro eo Redgerus consecratur archiepiscopus a Stephano papa.

Anno 757, Aedilbaldus rex Merciorum a suis tutoribus noctu morte fraudulenta miserabiliter peremptus occubuit: Beonredus regnare cœpit: Cymuuulfus [*Al.*, Cynewulfus] rex Occidentalium Saxonum obiit. Eodem etiam anno Offa, fugato Beonredo, Merciorum regnum sanguinolento quæsivit gladio.

Anno 758, Eadberctus rex Nordanhymbrorum Dei amoris causa et cœlestis patriæ, violentia accepta sancti Petri tonsura, filio suo Osuulfo regnum reliquit.

Anno 759, Osuulfus a suis ministris facinorose occisus est; et Ediluualdus anno eodem a sua plebe electus, intravit in regnum: cujus secundo anno magna tribulatio mortalitatis venit et duobus ferme annis permansit, populantibus duris ac diversis ægritudinibus, maxime tamen dysenteriæ languore.

Anno 761 Oengus Pictorum rex obiit, qui regni sui principium usque ad finem facinore cruento tyrannus perduxit carnifex: et Osuini occisus est.

Anno 765 Aluchredus rex susceptus est in regnum.

Anno 766, Ecgberctus archiepiscopus prosapia regali ditatus ac divina scientia imbutus, et Eritbubertus [*Al.*, Fritherhtus] vere fideles episcopi ad Dominum migraverunt.

* *Uilfrid.* Episcopus forsan Huicciorum, non Eboracensis.

# APPENDIX

## AD OMNIA VENERABILIS BEDÆ OPERA,

### PRÆSERTIM AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

(Smith edit. Hist. eccles. gentis Anglorum.)

#### NUM. I [Smith, II].

*De provinciarum Heptarchiæ limitibus.*

Brittania nostra irruptionibus Barbarorum quamplurimum fatigata, Vortigernus rex ad propulsandam hostium vim et rabiem gentem Saxonum accivit; qui ducibus Horsa et Hengisto fratribus e transmarinis regionibus huc frequentes advolarunt. Neque vero in nostram insulam gens una confluxit, sed certatim ingens caterva de tribus Germaniæ populis fortioribus, Saxonibus, Anglis, Jutis. De Jutarum origine sunt Cantuarii; et Victuarii qui Vectam insulam tenuerunt; et qui in provincia Occidentalium Saxonum contra ipsam insulam Vectam positi, Jutarum natio quondam nominati sunt. De Saxonibus venerunt Orientales, Meridiani, Occidui Saxones. Porro de Anglis, Orientales, et Mediterranei Angli, Merci, tota denique Nordanhymbrorum progenies.

Quas regiones sive comitatus post Heptarchiam a Saxonibus constitutam regna singula complexa fuerint, jam ostendemus, Cantuariorum autem provincia ab Australi Oceano usque ad flumen Thamesin protensa est, et totam Cantiam continebat. Saxonum Australium provincia Suthsexiam et Sutbreiam. Orientalium Saxonum, Essexiam, Middelsexiam, Hertfordiæ partem. Occidentalium Saxonum, Cornwalliam, Devoniam, Dorsetiam, Somersetiam, Uuiltoniam, Suthamptoniam, Bercheriam. Meanvarorum etiam provincia sita est in gente Occidentalium Saxonum, in agro sc. Hantoniensi. Anglorum Orientalium regnum complexum est Norfolciam, Suthfolciam, Cantabrigiam cum insula Ely. Merciorum, Gloucestriam, Herefordiam, Uuigorniam, Uaruicum, Leicestriam, Rutlandiam, Nortamptoniam, Lincolniam, Huntingdoniam, Bedfordiam, Buckinghamiam, Uxenfordiam, Staffordiam, Salopiam Nottinghamiam, Cestriam, Hertfordiæ partem alteram. Mercia autem dividitur in Australem et Aquilonalem: Merci Australes, qui sunt familiarum quinque millium, discreti fluvio Treanta ab Aquilonalibus Mercis, quorum terra est

Digitized by Google

familiarum septem millium. Hæc etiam provincia continet Middilanglos, sive Anglos Mediterraneos, quales erant Uuaruicenses, Staffordienses et alios medias Angliæ regiones incolentes; Lindisfaros, Insulæ Lindesiensis incolas; Transsabrinos; Gyrvios, apud quos Petroburgense Monasterium est, et qui juxta vel infra paludem habitant; Huiccios, hodie Uuigornienses; denique Mercios proprie dictos, qui Aquilonalem regni partem usque ad Mersium fluvium possidebant. Ultimum Heptarchiæ regnum est provincia Nordanhymbrorum, quæ cæteram Angliæ partem Bodotriam usque extensa continebat; et olim in duo regna divisa est, in provincias Berniciorum et Deirorum. Deirorum provincia terminum habuit Tesam fluvium, vel Tinam, non vero, ut alii, Twedam: Berniciorum a mari Scotico terminata est.

## NUM. II [Smith, III].

### *De viginti et octo Britanniæ civitatibus.*

Erat autem Britannia quondam civitatibus viginti et octo nobilissimis insignita, præter castella innumera, quæ et ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. Civitatum quoque nomina hæc erant Britannice.

Cair Gurthigirn. Vortig. Guortigir. Guorthigirn. — Cair Municip. Muncip. Mincip. — Cair Meguod. Meguid. Meiguod. — Cair Ebroauc. Ebruc. Ebrauc. — Cair Caratauc. Taratauc. Cartauc. — Cair Mauchguid. Maguoid. Mauchguit. — Cair Caint. Taint. — Cair Peris. — Cair Legion. — Cair Segeint. Legeint. Regeint. — Kair Guent. Gucrit. Gucint. — Cair Lerion. — Kair Pensavelcoith. Pentsavelcoit. Pensalvelcoit. — Cair Celemon. Celeimon. Celgimon. — Kair Guintuig. Guntuig, Guntuig. Guintuig. — Cair Luadiit. Lualid. — Kair Coluif. Colim. — Cair Custeint. Gusteim. — Kair Grauth. Granth. Grant. — Cair Lunden. — Kair Guoeirangon. — Kair Daun. Daim. Dami. — Kair Guoricon. Guorion. — Cair Legion. Legion Guaruuic. Guarenic. — Cair Britto. Brito. — Cair Droithan. Droithoi. — Kair Urnath. Urnach. Urnac. — Kair Luitcoith. Loitcoit.

Ut autem lectoris fastidium aliquatenus allevem, præter nuda et barbara nomina visum est adjicere commentationem eruditissimam, quam de his urbibus olim edidit doctissimus archiepiscopus Armachanus Jacobus Usserius.

1. *Cair Guorthigirn*, quam a Guorthigerno Britannorum rege, in regione quæ vocatur Guennesi, ædificatam esse confirmat Ninius, hac a veteri Scholiasta explicatione addita: « Guasmoric juxta [a] Lugubalium ibi ædificavit, urbem scilicet, quæ Anglice Palmecaster dicitur. » Galfridus Monemuthensis (*Hist. Brit.*, *l.* VIII, *c.* 2): « In natione Herging, super fluvium Guaiæ (Vaga ea est, sive Gwy fluvius, qui inter Monemuthenses in Sabrinæ influit æstuarium) in monte qui Cloarcius nuncupatur, » sitam fuisse innuit. Alii in regione Cambriæ Gurthrenion dicta positam fuisse existimant, et Guthrenion Radnorensium castrum ex ejus ruderibus exstitisse. Vide Lhuydi fragment. fol. 20, 21, et Camdeni Britanniam, pag. 479.

2. *Cair Mincip*, vel *Municip*, apud Henr. Huntingdoniensem perperam *Mercipit* scriptum. Est Verolamium juxta oppidum sancti Albani, quod Romanorum temporibus municipium fuisse ex Tacito constat.

3. *Cair Meguaid*, al. *Meguod*, vulgo *Meivod*, in Montgomeriensi comitatu posita, et Ptolemæo ac Antonino Mediolanum olim dicta.

4. *Cair Ebrauc*, aliis *Cair-Branc*, Eboracum est (*Alphred. Beverl. et H. Huntingdon*).

5. *Cair Caratauc*, H. Huntingdoniensi, *Cair-Cucerat* perperam appellata. *Cair-Caradoc* autem in Salopiæ finibus inter Themidem (sive Temdum) et Colunum fluvios sitam fuisse, ostendit in fragmento Britannicæ descriptionis Humfredus Lhuydus. Galfridus Monemuthensis (*Hist. Brit. l.* III, *c.* 9; *l.* VI, *c.* 15) et glossator Ninii Salesburiam interpretatur.

6. *Cair Maunguid*, vel *Mauchguid*. Putatur esse Antonini vel Mancunium, id est, Manchester in Lancastrensi, vel Manduessedum potius, id est, Manchester in Warwicensi agro positum. Est et Menegid in Angleseia, locus a Caradoco Lhancarvanensi in anni 873 historia commemoratus.

7. *Cair Ceint.*, al. *Kent*, id est, Cantuaria (*Alphred. Berverlac. et H. Huntingd.*).

8. *Cair Peris*, id est, Port-chestre (*Ibid.*) Vid. Galfrid. Monemuth., lib. V hist. Britan., cap. 8 (*Edit. Heidelb.*).

9. *Cair Legion*, quæ Guilielmo Malmesburiensi (*Lib.* I *de Gestis regum Anglorum*, *cap.* 3 *et* 6) et Alphredo Beverlacensi est Cestria, sive Westchester. Eadem quæ Bedæ, lib. II Histor., cap. 2, est « civitas Legionum, quæ a gente Anglorum Legacæster, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, ut et Florentio Wigorniensi, ad annum (secundum Dionysium) 894, quanquam ibi Matthæo Florilego, ad annum 895, Legecestria Anglice Wirhall sit dicta; ex Annalibus Anglo-Saxonicis Bedæ subnexis, non satis recte ut videtur intellectis, in quibus sic legimus: « Hie gedydon on anre westre ceastre on Wirhealum, sio is legaceaster geaten. »

10. *Cair Segeint*, Segontiacorum in agro Southantoniensi civitas, quæ fuit super Thamesin non longe a Redinge, et vocatur Silcestre, ut Alphredus Beverlacensis et Henricus Huntingdoniensis annotant, qui tamen haud recte (ut puto) Silcestriæ sedem ad Thamesin posuerunt. Est et Cair Seiont in Arvonia, de qua ad numerum 18. Episcopatus vero Silcestriæ, regis Arthuri tempore, Mauganio cuidam collati, lib. IX Historiæ Britannicæ, cap. 15, Galfridus meminit.

11. *Cair Guent*, quæ Alphredo Beverlacensi et H. Huntingdoniensi, Wintonia est, sive Wincestria; Romanis Venta Belgarum olim dicta, de qua ad num. 15. Est et Venta Silurum, quæ in agro Monemuthensi non longe a Cair Leon posita, antiquum nomen Caer Went etiamnum retinet. Fit mentio Diwanii, sive Dwianii [ita Ms., et Duviani] ad Guintoniæ episcopatum Arthuri regis tempore promoti, in Historia Britannica, lib. IX, cap. 15.

12. *Cair Lerion*, id est, Leicestria (*Alphred. Beverlac. et H. Huntingdon.*).

13. *Cair Pensauelcoit*. Galfridus Monemuthensis (eumque secutus Eulogii auctor, libro V, et Matthæus uterque Parisiensis ac Westmonasteriensis, ad annum gratiæ 52) Kair Penhuelcoit interpretatur Exoniam, pro qua in Heidelbergensi Britannicæ Historiæ Editione (*lib.* IV, *cap.* 16) et in vetere Ascensiana, per errorem substituta est Oxonia. Verum Oxoniam, quæ dicitur Saxonice Exan ceastre (vulgo contractius Excester) ut Romanis Iscam Dannoniorum, ita a Britannis (testante etiam Asserio Menevensi in Gestis Aelfredi regis, anno 876) Cair Wisc vel Cair Isc appellatam fuisse constat. Itaque Camdenus noster, hac repudiata sententia, Galfridi Pen Uchel coit, Ptolemæi Uzellam, et Cornubiensium Lestuthiell, Ninii vero Pontauel coit, Ptolemæi Ischalin, et Somersettensium Ivelcester, fuisse existimat, prius illud nomen Britannicum, Montem editum in silva, posterius, Pontem ad Ivel in silva, interpretatus. Mihi tamen Ninii Pensauelcoit, Guilielmi Pictaviensis (*In Gestis*, I, *p.* 199), Orderici Vitalis (*Hist. eccles. l.* III; *ibid.*, *p.* 500) et Guilielmi Gemeticensis (*Hist. Norman. l.* VII, *c.* 34; *ibid.*, *p.* 286) Penvesellum portus fuisse videatur; quæ Pemseia hodie dicta, primo Guilielmi Normanni in Angliam appulsu celebris est. Cui et Britannici vocabuli coit adjectio non male convenit, cum silvestribus sepibus densa fuerit, in qua hæc sita est, Sussexiensis regio.

14. *Cair Celemion*, quam Camdenus Somersettensium Camalet fuisse conjicit.

[a] *Lugubalium.* Carleolum Vid. infr., num. 12, et Camden. in Cumberland.

15. *Cair-Guintguic*, quæ Norwicum fortasse fuerit (Britannis Cair-Guntin appellatum) vel potius Winwinck Lancastrensium. Veteri Ninii glossatori Wincestria sive Wintonia est.

16. *Cair Lignalid*, al. *Legeuit*, et *Lualid*, id est, Lugubaltia, quæ Huntingdoniensi Cair-Leil, vulgo Carlile dicitur.

17. *Cair Colun* vel *Colon*, quæ Galfrido Monemuthensi (*Lib.* v *Britan. Hist.*, *cap.* 6) et H. Huntingdoniensi, Colcestria est; ad Colu fluvium sita, et Antonino in Itinerario Colonia appellata. Hartechiam etiam Merviniæ urbem, ad mare Hibernicum positam, Cair Colun olim fuisse dictam, Camdenus in Merionethshire affirmat.

18. *Cair Custeint*, id est, urbs Constantii vel Constantini. Cair-Seiont est, prope Caer-nervon. Constantii enim filii Constantini Magni sepulcrum monstrari juxta urbem, quæ vocatur Cair Segeint, refert Ninius: ut litteræ, inquit, quæ sunt in lapide tumuli ejus ostendunt, et antiquam urbem Constantii imperatoris, filii Constantini Magni, in Arvonia collocat Britannicus scriptor vitæ Gruffuni filii Conani Venedotiæ principis, quanquam anno Dom. 1283 apud Caer-nervon prope Snoudunam, corpus maximi principis, patris imperatoris nobilis Constantini, fuisse inventum, et rege Edovardo I jubente in ecclesia honorifice collocatum, Matthæus Westmonasteriensis narret, ut ad Constantium Constantini M. patrem quem Eboraci in Britannia, potius quam ad Constantium Constantini filium, quem Mopsocrenis vel Mopsuestiæ in Cilicia mortuum esse legimus, referenda ista videantur. Vide, an non ad Constantinum tyrannum, ex Camdeno, pag. 198, lib. xxviii, cum sect. 19. Is vero an. 407 in Caer Segont imperator appellatus, in Gallia (non Britannia) anno 411, cæsus est.

19. *Cair Granth*, al. *Grant*, id est, Granteceastria, quæ modo dicitur Cantebrigia, inquit Henr. Huntingdoniensis, Histor. lib. I; nomine nimirum a Granta ducto, quem idem, libro v, fluvium Cantabrigiæ appellat. Ejus Guilielmus de Ramseye abbas Crulandensis, in Vita Guthlaci, ita meminit:

> Est apud Angligenas a Grontæ flumine, longo
> Orbe per anfractus stagnosos et fluviales,
> Circumfusa palus.

et ante eum Felix Crulandensis monachus, qui ejusdem Guthlaci vitam Ælfwadi Orientalium Anglorum regis jussu descripsit: « Est in meditullaneis Britanniæ partibus immensæ magnitudinis teterrima palus, quæ a Grontæ fluminis ripis incipiens, haud procul a castello quem dicunt nomine Grontæ, » etc., ubi Saxonicus interpres flumen grantes ea, castellum granteceaster reddidit. Grantacæstir vero suo tempore civitatulam desolatam fuisse testatur Beda, lib. IV Histor., cap. 19, ex cujus ruinis existimant nonnulli crevisse Cantabrigiam; quæ ab Asserio Menevensi, Fabio Ethelwerdo, Anglo-Saxonicis Annalibus, Florent. Wigorn. Rog. Hoveden. et Matth. Florileg. (in anni 875 et 876 historia) Grantebricge et Grantanbricge vocatur, a qua et toti circumjacenti comitatui inditum est nomen Grantebridgeshire, in charta Edredi regis ann. 948 data, apud Ingulphum, et Cantebrigesire, apud Henr. Huntingdoniensem (*Fol.* 170, *b*) et Rog Hovedenum (*Fol.* 305 b, *et* 313 b, *et* 337 a, *Edit. Londin.*). Pagus Grantebrigensis Guilielmo Malmesburiens. (*De Gest. reg. Anglor. lib.* I, *cap.* 6). Unde etiam Alphredo Beverlacensi Caer Grant exponitur Cantebrigge.

20. *Cair Lundein*, aliis *Cair Lud*. Londinum est, regni metropolis.

21. *Cair Guiragon*, aliis *Guorangon*, id est, Wigornia. Britannis Cair Wrangon, Anglis Worcester appellata. A Constantio rege fundatam, Rossus Warwicensis; olim Romanorum superbiam mœnibus fuisse affirmat alius. Vid. Camden. in Worcestershire.

22. *Cair Daun*, Antonino *Danus*, vulgo *Dancaster*.

23. *Cair Guricon*, vel *Guorichon*, quæ vel Warwicum est (Warwicum, si Warwicensem Johannem Rossum audire libeat, veniens sanctus Dubricius, sedem habuit episcopalem ubi nunc Castrum Warwici situm est; ecclesiamque in honorem beatæ Mariæ condidit, quæ usque dies nostros apparuit) vel Ptolemæi Viroconium, id est, Wroxceter in Salopiensi comitatu.

24. *Cair Legion guar Usic*, Britannis *Cair Leon ar Usk*, id est, urbs Legionis ad Iscam fl. adhuc appellata.

25. *Cair Brithon*; quæ Huntingdoniensi et Camdeno (Pag. 175) est *Cair Bristow*, id est Bristollia. Prius vero illud vocabulum ad Dun-Britton sive Britannodunum propius accederet, Alcluid olim dictum, Brittannicæ et Picticæ dictionis antiquum terminum, cui regis Arthuri temporibus Eledanium, sive Eidenium, ordinatum fuisse episcopum, Britannica prodit historia (*Lib.* IX, *cap.* 15).

26. *Cair Darithou*, vel *Draiton*; nam sic apud Huntingdoniensem legitur, ut forte Salopiensium Draiton fuerit.

27. *Cair Urnach*, quæ Camdeno Uriconium Antonini, Vircomium Ptolemæi, et Salopiensum Wroxceter fuisse videtur.

28. *Cair Luit coyt*, quæ Galfrido Monemuthensi (*Histor. Britan. lib.* IX, *cap.* 3) [collat. cum Ranulph., lib. v Polychron., c. 6, ubi septimum Arthuri prælium factum scripsit juxta Lincolniam in silva Celidonis, quæ Britannice vocatur Caer Coit Celedon], Alphredo Beverlacensi, Henr. Huntingdoniensi et Ranulpho Cestrensi (*Polychron. lib.* I, *cap*, 47) est Lincolnia, de qua Galfridus Monemuthensis: « Cair Lind-coit in Lindisiensi provincia inter duo flumina super montem locata, alio nomine Lindicolinum nuncupatur. » Ita ille *Libro* IX Historiæ Britannicæ, cap. 3, ubi Arthurum, cæsis sex Saxonum millibus, eos inde usque ad nemus Celedonis insecutum fuisse narrat. Unde septimum illud [a] prælium, quod contra Saxones Arthurum gessisse in silva Celidonis, id est, Cath coit Celedon prodit Ninius, juxta Lincolniam factum fuisse, in Polychronici sui libro v, cap. 6, scribit Ranulphus, ne quis ad Scotorum Albiensium silvam Caledoniam in Albania, quo Saxones nunquam penetrarunt, referendum illud fuisse existimet. Lind coit (a silvis) Camdeno, pag. 404.

Pro 15, 18, 6 et 13, Henricus Huntingdoniensis, in primo historiarum suarum libro, sequentes sex supponit.

1. *Cair Glou*, id est, Glouceastriam, de qua Ninius: « Glovus ædificavit urbem magnam super ripam fluminis Sabrinæ quæ vocatur Britannico sermone Cair-Glovi, Saxonice autem Gloucester. » Vid. Guil. Malmesbur., lib. IV de Pontificib. (sub finem Catalogi Wigor. episc. collat. cum Ms.), et infra finem cap. 6.

2. *Cair Cei*, id est, Ciceastriam, vulgo Chichester.

3. *Cair Ceri*, id est, Circeastriam, vulgo Circester, et Circiter, de qua Asserius Menevensis, in Gestis Aelfredi, an. 879: « Cirenceastre adiit, quæ Britannice Cair-Ceri nominatur, quæ est in meridiana parte Huicciorum. »

4. *Cair Dorm*, id est, Dormeceastre, quæ sita in Huntingdoniensi provincia, super flumen quod vocatur Nen, penitus destructa est. Hodie Dornford dicitur.

5. *Cair Dauri*, vel (ut apud Alphredum Beverlacensem est) *Cair Dorin*, id est, Dorcestriam.

6. *Cair Merdin*, quæ nunc quoque sic vocatur.

Vox vero *Cair*, his omnibus præposita, Britannis

[a] *Prælium*. Silvæ Celedoniæ.

urbem vel castrum significat, ut præter alios, libro I Itinerarii Cambriæ. cap. 5, notat Giraldus Cambrensis. Johannes Caius (*De Antiquit. Cantabrig. l.* I) ex Gervasio Tilberiensi (II *decis.*, *cap.* 47) *Cair* lingua Trojana civitatem dici addit; et *Cambris* murum quoque significare. Ut quemadmodum [a] Hebræi קיר murum, et קריה urbem vocant, ita Britannis vox non absimilis *Cair* et mœnia et urbem mœnibus cinctam denotet. Cujus vocabuli originem etiam in magna Cairo Ægypti observant [b] nonnulli, et in ipsa quoque Carthagine; quam Carthadam dictam scribit Solinus, [c] quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. Unde et ipsam, et cognominem illi urbem in Hispania exstructam, [d] a Græcis Καινὴν πόλιν dictam fuisse [e] notum est.

## NUM. III [Smith IV].

*De tempore quo sanctus Albanus protomartyr Britannicus aliique sub Diocletiano et Herculio Christiani nominis hostibus martyrio coronati sunt.*

Quo anno Diocletianea persecutio apud Britannos cœpta est, inter scriptores ecclesiasticos valde disputatur. Si vero fides aliqua sit apud historicos nostræ gentis antiquissimos, Gildam scilicet et ipsum Baedam, controversia hæc quam facillime dijudicabitur. Gildas enim affirmat Christi præcepta a Britannis tepide saltem suscepta esse, apud quosdam tamen integre usque ad persecutionem Diocletiani tyranni novennem; in qua subversæ per totum mundum sunt ecclesiæ; eodemque furoris turbine per omnes gentes grassante, sanctum Albanum Verolamiensem, Aaron et Julium Legionum urbis cives, et cæteros utriusque sexus diversis in Brittaniæ locis summa animi magnitudine in acie Christi perstitisse, et reliquos qui superfuerant silvis ac desertis abditisque speluncis se occultasse, donec bilustro necdum ad integrum adimpleto, quasi post hiemalem et prolixam noctem nova cœli serenitas pacataque tempora et tranquilla redirent. Gildæ etiam fidem facit testimonium Baedæ, qui in Chronico suo hæc habet: « Decimo et nono anno Diocletiani, ipse in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari ecclesias, affligi interficique Christianos præcipiunt. Secundo autem persecutionis anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt... Hæc persecutio tam crudelis et crebra flagrabat, ut intra unum mensem XVII millia martyrum pro Christo passa inveniantur; nam et Oceani limbum transgressa, Albanum, Aaron et Julium Brittaniæ cum aliis pluribus viris ac feminis felici cruore damnavit. » Idem fere in Historia ecclesiastica scriptum legimus: « Diocletianus et Herculius interfici Christianos decimo post Neronem loco præceperunt; quæ persecutio omnibus fere ante actis diuturnior ac immanior fuit, nam per decem annos incessabiliter acta est... In ea passus est sanctus Albanus.... » Et Gildas (*Sect.* 7, 8) igitur et Baeda (*L.* I, 6, 7; *Chron.*, *in Dioclet.*) confirmant Albanum sociosque in ea persecutione trucidatos esse, quæ per decennium fere non deferbuit, et decimo nono Diocletiani anno orta est. Ideoque frustra ii tempus conterunt, qui dum annum horum passionis consi-

A gnant aliquem ante nonum decimum Diocletiani, ad suas partes invitum et reluctantem Baedam cogere moliuntur; nec ii quoque videntur loca hæc Baedæ percepta penitus atque comprehensa habuisse, qui ea ad definitum Diocletiani imperatoris annum trahi posse negant. Alfordus vero (*Annal. Eccl. Brit.*, *a.* 286) cum putasset se ex argumentis aliis sententiam suam, Albanum, scilicet, passum esse anno 286, satis stabilitam dedisse, ad suas ait manus pervenisse Baedæ manuscriptum codicem, qui opinioni ejus manifeste astipulatus est. Clausula enim, quæ in impressis Codicibus sic se habet: « Siquidem in ea passus est sanctus Albanus.... » in ejus Codice ms. ita legitur: « Siquidem in eodem anno dominicæ Incarnationis ducentesimo octogesimo sexto passus est sanctus Albanus. » Ego vero, qui et plures, credo, et antiquiores Codices quam potuit Alfordus, vidi, ne in uno quidem e quadraginta istiusmodi clausulam reperio. Non est autem cur unius Codicis, antiqui licet, B auctoritate nitamur, quem hoc in loco interpolatum reliquorum omnium testimonium pronuntiat.

Sed licet Gildas et Baeda luculentissime testantur sanctum Albanum supradicto tempore passum esse, nonnulla tamen in historicis aliis occurrunt, quæ Baedæ chronologiam dubiam atque impeditam faciant. Si enim ante nonum decimum Diocletiani annum persecutio in Brittania non orta fuerit, necesse est eam sub imperio Constantii Cæsaris exarsisse. Nam ex quo tempore Constantius Cæsar nuncupatus est, ab an. sc. 292, Brittaniæ administratio ex omnium Annalium fide illi credita est. Eusebius vero (*Hist.* VIII, 13, *Suppl.* VIII; *Vit. Constant.* I, 13, *etc.*) scribit Constantium, cum imperium Romanum a quatuor Augustis regeretur (Diocletiano et Maximiano imperatoribus, et Constantio et Galerio Cæsaribus), diversum a collegis vitæ suæ institutum fuisse æmulatum, a nefaria illorum impietate puras manus atque inviolatas servasse, profundissimæ pacis intra imperii sui fines auctorem subditis suis C permisisse, ut absque molestia divino cultui inservirent; nec ecclesiarum ædes evertisse, nec quidquam adversus Christianos molitum esse. Lactantius etiam (*De Mort. Pers. sect.* 16) tradit vexatam esse universam terram, et præter Gallias, hoc est, regiones illas quibus præfectus est Constantius, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimas bestias sæviisse. Ideo adhuc superstite Constantio (*Sozom.*, *Hist.*, *l.* I, *c.* 6), neque Gallis, neque Britannis contra leges visum est Christianam religionem profiteri, cum Ecclesiæ in aliis regionibus persecutionum fluctibus jactarentur.

Nollem quidem de Constantii fama detrahere, aut nobilissimorum historicorum fidem ullo pacto minuere; cum tamen et veritas ipsa postulat, flagitatque Baeda noster me ejus patrocinium suscipere, ne quis adeo Constantii defendendi studio abripiatur, ut mihi iratus et offensus sit, si historicos illos ad examen revocandos duxerim. Fateor Constantium D fuisse virum summæ mansuetudinis et clementiæ, neque Diocletiani suspectam prudentiam nec Maximiani sanguinariam temeritatem habuisse; quamdiu vero sola Cæsaris dignitate ornaretur, neque

[a] *Hebræi.* Num. XXXV, 4. Certe nomine Parthis civitatem significari, Hermolaus grammaticus ex Stephano auctor est.

[b] *Nonnulli.* Vid. Johannis Twini Commentar. Britan., lib. II, a pag. 108 ad 113.

[c] *Quod.* Solin., Polyhist., cap. 27, Edit. Salmasii, vel 30 Delrii.

[d] *Græcis.* Stephan. Byzant., in Καρχηδὼν; Polyb., Hist. lib. II.

[e] *Notum est.* Viginti et octo civitates in Britannia primus, quod scio, numeravit Gildas; post Gildam Baeda, Nennius, H. Huntingdunensis, Alfredus Beverlacensis, Ranulphus Cestrensis, Radulphus Marham, auctor Eulogii, aliique. Alii adhuc sunt, qui his plures addunt. Reptacestre, Cair Paladour, Cair Badon optimo jure accensentur. Dicit Gildas, et alii, has fuisse urbes celebres temporibus Brittonum et Romanorum. Quod multæ plures fuerint istis temporibus, ex Antonino et Marciano et Ptolemæo facile colligitur. Ptolemæus citra Murum Picticum designat urbes septem ultra triginta; qui tamen multas omisit æque antiquas et nobiles, ac sunt ex iis plerasque quas recensuit, sed nec Breviarium sub Theodosio factum certiores nos facit de numero civitatum. Quadraginta et sex ponit stationes: has omnes fuisse urbes quis præstabit? Porro stationes hæ fere omnes fuere limitaneæ et quasi marginales; urbium interiorum paucæ memorantur



Digitized by Google

rerum summam ipse teneret, sed in Occidentalibus provinciis administrandis imperatori suprema auctoritate munito adjumento esset, non ausus est se non præbere edictis imperatoriis obedientem. Et cum jam litteræ ad Maximianum et Constantium a Diocletiano eo nomine perlatæ essent, ut eadem clade fœdissima, qua ille Orientem, etiam Occidentem isti prosternerent: Lactantius (*De Mort. Pers. sect.* 15) agnoscit Constantium, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passum esse, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, servasse. Notatu autem dignum est Eusebium, vel quod rerum in Galliis gestarum ignarus et in iis scribendis plane hospes et peregrinus fuerit, vel quod sibi et Christianis Constantini gratiam conciliare cuperet, nullam Constantio impietatis notam inurere, e contra asserere eum Christianis tam benignum, amicum, gratiosum fuisse, ut nec ecclesias everteret; qua in re apertissime contradicit auctori libri de Mortibus persecutorum, quem tamen novisse rectius, quam Eusebium, Occidentalis Ecclesiæ statum ab omnibus agnoscitur. Concedendum est igitur ecclesias saltem Christianorum dirutas esse, permittente Constantio. Neque vero Christianos ipsos a communi incendio penitus intactos servare potuisse principem hunc clementissimum, habemus ipsum Eusebium confitentem. Testatur enim Galliam quoque (*Euseb.*, *de Martyr. Pal. c.* 13) et quæcunque ad Occasum solis porriguntur, Hispaniam, Mauritaniam et Africam duobus primis persecutionis annis furorem belli expertas esse. Hoc etiam ulterius probatur ex tabulis quibusdam, quod Gruterus operi suo ornatissimo inseruit (*Inscript. vol.* 1, *p.* 280). Cluniæ enim in Hispania in pulchra columna hoc inscriptum legimus: DIOCLETIANUS JOVIUS ET MAXIMIAN. HERCULEUS CAES. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMP. ROM. ET NOMINE CHRISTIANORUM DELETO QUI REMPUBLICAM EVERTEBANT. Rursus ibidem est altera hæc inscriptio: DIOCLETIAN. CAES. AUG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTIANORUM DELETA, ET CULTU DEOR. PROPAGATO. Leguntur hæc etiam Arevaci Hispaniæ in columnis pluribus. At non tantum in Hispaniis ejusmodi fuisse de Christiana religione prostrata erecta tropæa, sed toto orbe Romano factitatum existimavit Baronius (*An.* 304). Huc spectat præclarus quidam et plane singularis nummus Herculii Maximiani (*Spanhem.*, *de præstant. num. vol. I*, *diss.* 5), in quo Herculem videas hydræ illius multorum capitum, cum qua decertat, victorem, cum inscriptione: HERCULI DEBELLATORI. Per Hydram autem renascentem post tot funera Christianorum gentem intendit designare novus, scilicet, ille Hercules, qui velut de eversa eadem ac triumphata cum Jovio suo collega, hoc apud posteros monumentum voluit perennare. Ex his inscriptionibus recte colligitur Hispaniam quæ cum Gallia et Britannia fuit sub ditione Constantii, Christianorum sanguinem sicut et alias provincias inundasse. Hinc Prudentius Cæsar-Augustanorum martyrum fortitudinem merito celebrat (Περὶ Στεφάνων hym. 4), asseritque eorum turbas adeo ingentes fuisse, ut Carthago vel Roma ipsa vix eam numero martyrum et animi magnitudine superarent. Quantas etiam strages dedit Dacianus præses per universam Hispaniam Martyrologia et martyrum Acta abunde demonstrant.

Sed forsan objicietur Hispanias Maximiano Herculio, cui nativa fuit et ingenita feritas, non Constantio subditas fuisse, et hoc docere Lactantium libro de Mortibus persecutorum (*Cap.* 8): « Nam cum ipsam imperii sedem teneret Italiam (nempe Herculius) subjacerentque opulentissimæ provinciæ vel Africa vel Hispania, non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. » Lactantium vero non eo modo debere intelligi, ut eo auctore Hispanias Herculio commissas arbitremur, facili negotio probari existimo. Imperator enim Julianus, quem credo non penitus ignorasse quæ provinciæ Constantio avo ejus regendæ concreditæ fuerint, disertis verbis affirmat in oratione sua secunda in laudem imperatoris Constantii, Herculium Romam atque Italiam et Libyam, necnon Sardiniam ac Siciliam obtinuisse, et Constantium avum suum Gallorum bellicosissimas nationes et Occidentales Iberos, et insulas omnes in Oceano sitas. Et nisi Hispanias Constantii imperio accenseamus, non possumus quæ in Actis sancti Marcelli centurionis scribuntur (*Baron.* 298, *sect.* 5) omnino intelligere. In civitate Tingitana cum Marcellus, quia diis sacra facere nollet, militiam recusaret, Anastasius Fortunatus præses dixit: « Temeritatem tuam dissimulare non possum, et ideo perferam imperatoribus, et Cæsari ipsi. » Et idem in epistola sua ad Agricolaum præsidem Mauritaniæ (*Sect.* 8): « Miles hic (nempe Marcellus) coram omni populo in deos et in Cæsarem multa blasphema locutus est. » Ex his Actis igitur ostenditur locum quo passus est sanctus Marcellus, sub imperio cujusdam Cæsaris fuisse; sed non Galerii Cæsaris, cui historici assignant partem Romani orbis regendam Illyrium, quæ a Tingitana civitate quam maxime disjuncta est. Sub imperio igitur Constantii Cæsaris sanctus Marcellus martyrio coronatus est, scilicet in Mauritania Tingitana, quæ iis temporibus Hispaniæ provincia existimata est, et eidem vicario subdita. Aurelius Victor scribit nihil Herculio commissum, præter Italiam Africamque, Constantio vero, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt. Credo quidem juxta morem loquendi his temporibus usitatum verba hæc Hispaniam complecti, quæ procul dubio postea semper eosdem, quos Gallia, principes habuit. Certe præfecto Galliarum subdita est, et procul dubio quatuor præfecturæ, Galliarum, scilicet et Italiæ, Illyrii, et Orientis a diviso inter quatuor principes imperio ortum habuerunt. Anonymus quoque scriptor a Valesio in Ammiano Marcellino suo editus scribit, postquam Constantius ad summam Augusti dignitatem evectus esset, Severum suscepisse Italiam, et quidquid Herculius obtinebat; nihil tamen ei concedit præter Pannoniam, Italiam, et Africam. Denique Eutropius tradit Constantium provinciis, quibus jam imperabat, contentum, administrationem Africæ atque Italiæ, quas Herculius olim gubernabat, recusasse; sed nihil dicit de Hispania, quia curam istius provinciæ jamdudum susceperat. Si igitur his optimæ fidei scriptoribus convenire et congruere Lactantium volumus, diverso plane sensu locus hic accipiatur necesse est. Lactantius forsan de universo Herculii imperio generatim locutus est, quod antequam Constantius Cæsaream dignitatem consecutus esset tenuit. Ideo vero nullam Galliarum mentionem fecit, quod bellis perpetuis per quinquaginta annos flagraverant, adeoque spoliatæ erant et direptæ, ut non potuerint in earum provinciarum numero poni, quæ ardenti avaritiæ et effrænatis Herculii cupiditatibus restinguendis magnam pecuniæ copiam subministrarent. Hispania igitur licet Constantii ditionibus accensenda est, illi tamen vis magna persecutionis incubuit.

Omisso etiam, quod ex Eusebio de Galliis persecutionem duobus annis expertis citatur, rationem aliam jam proferam, quæ satis feliciter evincet, Gallias a generali totius Romani orbis clade non penitus liberas fuisse. Constantius enim presbyter Lugdunensis, scriptor gravis simul et antiquus, tradit sanctum Peregrinum primum Ecclesiæ Autissiodorensis episcopum et lectorem ejus Jovinianum, paulo ante quam Constantinus imperator denunciatus fuerit, martyrii coronam meritos (*In Vit. S. Germ.*, *apud Sur.*, *Jul.* 31). « Non post multum tempus imperator est ordinatus doctrina Christiana refulgens, qui persecutione remota clausas ecclesias patefecit et eis catholicos præpositos ordinavit. » Christianus hic imperator non alius esse potuit, quam Constantinus; et quoniam hic imperium acceperit paulo post horum martyrium,

Digitized by Google

necesse est persecutionem Diocletianeam hic intelligi.

Certum igitur videtur etiam in illis regionibus quibus Constantius imperabat persecutionem locum habuisse. Quamdiu enim solam Cæsaris potestatem habuit, et fuit ab imperatore secundus, licet erga Christianos optime esset animatus, non ausus est tamen adeo a præceptis imperatorum dissentire, ut per omnes suas provincias eorum edicta promulgare recusaret. Quibus palam divulgatis, ordinarii judices et ipsi provinciarum præfecti, etiam invito Cæsare, vel ut potentiorum principum gratiam aucuparentur, vel ut ipsorum malevolentiæ et crudelitati satisfacerent, in Christianos forsan animadvertebant. Si etiam verba Lactantii, dicentis universam terram præter Gallias vexatam fuisse, vulgari populari que sensu accipiamus, eaque de Galliis proprie dictis, non de integro Constantii imperio intelligamus, ex hoc diligentissimo rerumque in Occidente gestarum longe peritissimo scriptore manifestum videtur in Hispaniis et Britanniis cladem hanc Christianos perculisse; nam juxta illum « vexabatur universa terra, et præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. » Quo loco Lactantius non Hispanias ex calamitate communi excipit, nec Brittanias, sed Gallias solas.

Licet igitur Eusebius aliique historiographi Christiani Constantii clementiam celebrant, eumque ab initio amicum tradunt, ideo tamen clemens putabatur, quia dissimilis cæterorum fuit; nec ea qua imperatores reliqui nativa barbarie et feritate ad omne nefas incitatus. Et quoniam tum demum, postea quam imperatoris nomen accepisset, persecutionis edictum revocavit, reliquitque successorem sibi filium, qui non solum cultui ac Deo suo Christianos reddidit, sed et ipse fidem Christi amplexatus est, non est mirandum historicos illos totis viribus conatos esse injuriarum omnium a Constantio Christianis illatarum memoriam penitus delere. Argumenta igitur quæ ab historicis Christianis desumuntur ad evertendam auctoritatem Bedæ non satis valent. Itaque anno nono decimo Diocletiani, vel saltem vicesimo, martyres hi Britannici passi sunt. Neque vero horum martyrium ad tertium vel quartum Diocletiani annum, sive annum Christi 286, vel proximum, ut Alfordus vult, referri ullo modo potest. Anno enim 286, et primo die Aprilis Maximianus juxta Idacium in Occidente novus imperator nuncupatus est; qui, si Alfordo credamus, ad Diocletiani genium factus, ejusque mandatorum impiger executor, edictum contra Christianos in Britanniam misit. Sed si credamus istorum temporum historiographis, bellis in Bagaudas, aliasque barbaras nationes usque ad defectionem sub Carausio Britannicam adeo exercitatus est, ut ei otium non fuerit Christianos persequendi, iis qui sub ipso militabant exceptis. Et postquam Carausius an. 287 sibi Augusti titulum arrogasset, existimandum non est Maximianum in Britanniam quæ ab imperio ejus defecerat, edicta sua negligenda et conculcanda mittere voluisse.

## NUM. IV [Smith V].

*De Prætenturis murisque quos Romani in Britannia fecerunt; et de legationibus quas Britones, Pictis Scottisque in provinciam Romanam irrumpentibus, Romam auxilium implorantes mittebant.*

Cum Romani infinitas et immensas regiones longe lateque in potestatem suam redegissent, quo facilius se suosque fines tuerentur, et barbarorum injurias propulsarent, ditionis suæ terras claudebant limitibus quibusdam, alibi a natura positis, alibi arte constructis. Prioris generis sunt maria, montes, ingentia flumina; posterioris sunt fossæ, castra, arces, concædes, stipites, muri. Romani igitur in Britanniam armis sibi munientes viam, ulteriori illa parte, vel ut aspera et infrugifera, vel quod invicti incolæ ab inani Romanorum impetu se et patriam fortiter defenderent, Barbaris relicta, citerior hæc in provinciam redacta est, et diversis temporibus prætenturis limitata est, de quibus singulis suo ordine sententiam proferam.

A Cum jam Britannia maxima ex parte sub ditionem Romanam redacta esset, Agricola primam prætenturam posuit; quodcunque enim terrarum spatium fuerit inter Bodotriam et Glottam, non muro quidem vel vallo, sed præsidiis firmabatur (*Tacit.*, *Vit. Agric.*), submotis velut in aliam insulam hostibus.

Agricola vero urbem Romam redeunte, in Britannia omnia in pejus ruebant, et Hadriano principe Romanum imperium administrante, provinciales sub potestate ejus teneri non poterant. Imperator igitur Britanniam petiit, in qua multa correxit, et alteram fecit prætenturam, « murum, scilicet per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret (*Spartian.*, *in Adrian.*). » Illi enim moris fuit « in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus dividerentur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus jactis atque connexis, Barbaros separare. » Scotus quoque ille historicus, qui Rotam temporum scripsit: « Hadrianus, inquit, vallum portentosæ molis ex cespitibus

B e terra excisis montis instar altissima fossa ante adjecta a Tinæ ostiis ad Escam fluvium, a mari Germanico usque Oceanum primus omnium duxit. » Quod iisdem verbis habet Hector Boetius. Ad Escæ autem ostium hoc vallum terminasse docet hæc inscriptio apud Camdenum in Cumberlandia;

IMP. CAES. TRA<br>
HADRIANO<br>
AVG<br>
LEG. II. AVG F

Indicatque hoc opus fuisse legionis secundæ. Ad hunc murum pons AElia (*Cambden.*, *in Vallo*), classis AElia, cohors AElia, ala Sabiniana, quæ ab AElio Adriano et Sabina ejus uxore nomina sumserunt.

Sed regnante Pio, iterum deus Terminus Lollii Urbici armis cessit. Barbaris enim res novas molientibus, et Romanorum socios bello lacessentibus, Urbicus illos magnis cladibus affecit, et, juxta Capito-

C linum (*In Antonino*), Britannos « vicit alio muro cespititio submotis barbaris ducto. » Alium autem eam ob causam vocat historicus, quia diversus fuit ab illo, quem Hadrianus inter Itunæ et Tinæ fluminum ostia posuerat; Lollius ergo non in isto loco, sed ulteriori limitem fecit, nimirum inter Glottæ et Bodotriæ freta, in ipso loco ubi Julius Agricola imperii Romani terminos fixit. Quod Romanæ inscriptiones clare evincunt a Camdeno diligentissimo producta. Ut autem ad hanc rem firmamentum aliquod adjungatur, pace Thomæ Hearnii viri doctissimi et celeberrimi antiquarii in medium proferam inscriptionem aliam in vallo Scotico repertam, et in illius Spicilegium et Notas (*Pag.* 761) ad finem ornatissimæ suæ Gulielmi Nubrigensis Editionis transcriptam

IMP. C. T. AELIO<br>
HADRIANO. ANTO<br>
NINO. AUG. P. P.<br>
VEX. LEG. VI. VIC.<br>
P. F. OPUS VALLI<br>
P. ∞ ∞ ∞ ∞ C. XLI.

D Murum etiam hunc positum fuisse, dum fuit Lollius Urbicus in Britannia legatus, docet mutila quædam inscriptio, quam inde ad Glasguensem bibliothecam translatam vir eruditissimus et de re antiquaria optime meritus Gulielmus Nicholsonus Derensis episcopus patri humanissime communicavit

LEG. II. A<br>
LOLLIO. VR<br>
LEG. AUG. PR. P

Belli igitur in Britannia confecti et hujus muri ad cohibendos hostium impetus oppositi gloria Antonino principi et Lollio legato danda est. Postquam vero hi tumultus essent compositi, Brigantes vicinis suis graves, et terra marique Ordovicibus infesti motum fecere; sed brevi negotio extincta est seditio, mutilatis Brigantibus, qui primi flammam accenderant,

Digitized by Google

uti author est Pausanias in Arcadicis sic scribens : Ἀπετέμνετο δὲ (sc., Antoninus Pius) τῶν ἐν Βρεταννίᾳ Βριγάντων τὴν πολλὴν, ὅτι ἐπεσϐαίνειν καὶ οὗτοι σὺν τοῖς ὅπλοις ἦρξαν τὴν Γενουνίαν μοῖραν ὑπηκόους Ῥωμαίων. Quænam autem sit illa Genounia provincia, penitus ignoratur, nisi Camdeno nostro fidem habeamus (*In Ordovicibus*), qui arbitratur Genouthiam, sive Guinethiam, intelligi, ubi est Ordovicum sedes. Hunc vero Pausaniæ locum cl. Scoto Britannus dominus [a] Robertus Sibbaldus alio modo interpretatur, et conjicit vocem hanc ἀπετέμνετο intelligi debere de vallo quodam sub Antonino imperatore structo, quo Brigantes et Barbaros a provincialibus secluderet. At hæc interpretatio mihi non maxime arridet. Brigantes enim ipsi perinde, ut Ordovices, in Romana provincia infra Vallum Hadriani sedem habuerunt. Antoninus igitur murum ducendo inter Glottam et Bodotriam iis vel minimam terræ particulam adimere non potuit; ideoque vox ἀπετέμνετο in nullo sensu accipitur, nisi de Brigantibus magna terræ suæ parte ideo B mulctatis, quod comprovinciales inimico impetu lacessebant. Hoc Antonini Vallum ab accolis vocatur Gryme's Ditch, sive Grymi fossa, et a Grymo quodam nepote Eugenii Scotorum regis nomen dicitur duxisse. Sed juxta cl. Hearnium (*Spicileg. et Not.*, *p.* 760) nihil aliud est quam Grume's Ditch. Grumæ enim vel gromæ erant provinciarum limites. Græci eas γνῶμαι et γνώμονες, et tandem γρῶμαι nominarunt; et licet uno in loco apud Suidam γνῶμα scribitur, γρῶμα rectius legendum est.

Post hæc Caledoniis pro libertate tuenda et servitute declinanda cum Romanis crebro decertantibus, tandem eo ventum est, ut imperator Severus litteras a Britanniæ præfecto acceperit (*Herodian. l.* III), quæ docebant Barbaros illic seditiones agitare, regionemque omnem incursionibus ac depopulationibus vastare; quare majori manu ad resistendum, vel etiam principis ipsius præsentia opus esse. Quibus auditis, in Britanniam illico cum ingenti exercitu profectus est, et transgressus amnes aggeresque (Hadriani scilicet et Antonini) qui objecti Barbaris Ro- C manorum fines disterminant (*Ibid.*), ad extremam usque insulæ partem venit; et tandem per omnem terram hostilem operta lectica propter imbecillitatem vectus (*Xiphilin. Dion. Epit. in Sever.*), ad socios reversus est, Britannis ad fœdus faciendum coactis; et ne in posterum Barbari Romanam provinciam invaderent, « Britanniam (quod maximum ejus imperii decus est [*Spartian. in Severo*]) muro per transversam insulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit; unde etiam Britannici nomen accepit; post murum denique aut vallum missum ad Eboracam rediit non solum victor, sed etiam (ut sibi visum est) in æternum pace fundata. »

Severus igitur murum Barbaris objecit, de loco vero ab historicis disputatur. Buchananus contendit imperatorem hunc ab æstuario Glottæ ad confluentem Forthæ et Avenni vallum duxisse (*Lib.* I, *p.* 16; IV, 116; V, 135). Et Tillemontius varias rationes af- D fert ad firmandam illius sententiam (*Hist. imp.*, *not.* 28 *ad hist. Severi*). Frustra vero Buchananus Baedam sibi in subsidium vocat, qui Severi murum a Scotico illo inter Aebercurnig et Penneltun plane distinxit (*Hist. eccl.* I, 12). Cum enim Romana Legio ad debellandos hostes missa omnes trans maria fugasset, sociis valedictura non murum Scoticum refecit, sed « murum a mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant, ubi et Severus quondam vallum fecerat, firmo de lapide collocavit, quem videlicet murum hactenus famosum atque conspicuum, sumptu publico privatoque, adjuncta secum Britannorum manu construebat, octo pedes latum et duodecim altum, recta ab Oriente in occasum linea, ut usque hodie intuentibus clarum est. » Hic autem accurate notatur

A muri apud Northumbros latitudo, nisi quod quinque vel sex pedes tantum latus sit in acclivibus et præruptis montibus, qui ab ipsa natura septi fere et muniti contra ferocissimam inimicorum rabiem videbantur. Atque hoc ipso in loco vallum Severi positum fuisse verba illa Venerabilis Baedæ clare evincunt (*Hist. eccl.* III, 2), quibus situm Cælestis campi (sive Hefenfeld) non longe ab Hagustaldensi ecclesia et Tina fl. positi describit: « Est autem locus juxta murum illum ad Aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos Barbarorum impetus, totam a mari ad mare præcinxere Brittaniam. » Necnon et illa, quibus ad murum, non procul etiam a Tina sitam nobis designat: « Est juxta murum, quo olim Romani Brittaniam insulam præcinxere (*Ibid. c.* 22). » Cum igitur murus ille eo in loco, ubi Severus quondam vallum fecerat, fuerit collocatus, Severus, si Baedæ fas sit credere, non in Scotia, sed eodem fere loco, in quo antea Hadrianus cespititium, etiam suum statuit.

Tillemontius vero tam in ecclesiastica quam civili historia versatissimus sententiam huic contrariam defendit. Constare enim affirmat Agricolam ultra limitem, de quo jam locuti sumus, in partes Scoticas penetrasse, et Buchananum nullum reliquisse dubitandi locum quin Romani satis tutam ab injuria Barbarorum civitatem juxta Sterlinum constituerint; hoc quoque firmum argumentum esse eos istam Britanniæ partem longo tempore possedisse; et cum concedatur, Antoninum murum suum cespititium inter Glottam et Bodotriam posuisse, neminem dicere Romanos ullam suæ ditionis particulam Barbaris usquam cessisse; et licet, imperante Commodo, hostes murum transierint, liquere tamen Ulpium Marcellum qui ad Caledonios debellandos missus est, istos intra antiquos terminos cohibuisse; ipsum denique Severum Barbaros Romanam provinciam hostili animo iterum ingressos non modica regionis parte cedere coegisse, ideoque murum suum non ubi olim Hadrianus, sed inter Glottam et Bodotriam condidisse. Ob eam etiam causam ab hac sententia non deductus est, quod historicorum nemo de novis in Britannia victoriis post Severi tempora reportatis unquam loquitur. Id enim, inquit, quod de Carausio affirmatur, nulla auctoritate nititur; et si aliquam veritatis speciem habeat, dicitur tantum illum Severi vallum firmius reddidisse. Pergitque ostendere tam ex Gilda quam ex ipso Baeda certum esse seculo quinto barbaros ultra Glottæ et Bodotriæ freta fuisse retentos, Romanosque provinciam reliquam tenuisse.

Ut tanto viro plenius respondeam, Britannicam istius temporis historiam breviter perstringam. M. Aurelio et L. Vero impp., Septentrionales Britanni in apertam factionem eruperunt, et spreto Antonini Pii muro, provinciam gravissimis belli incommodis affecerunt. Adversus quos Calphurnius Agricola proprætor missus est; qui intra Hadriani vallum hostes continuit; ideo enim verisimile est quod eos ultra Antonini limitem recedere non compulerit, quoniam ad vallum citerius in Ottadinis quidam Aulus Licinius Clemens Calphurnii Agricolæ nomen aræ inscripsit (*Apud Cambd.*, *in Ottadinis*), quam deæ Suriæ consecraverat. Imperante etiam Commodo, bellum gravissimum in Britannia gerebatur. Quippe cum Britanni essent eum murum transgressi (*Dio*, *in Commodo*) qui inter ipsos et Romanorum castra intercedebat (scilicet Vallum Hadriani) vastassentque multa, Romano duce et militibus quos secum habebat cæsis; Commodus contra eos Ulpium Marcellum misit, qui maximas atque gravissimas strages Barbarorum dedit. Quo facto, quanquam parum abfuit quin virtutis ipsius ergo eum Commodus necaret, tamen ipsum dimisit, et bello Britannico nondum finito, militibus equestris loci viros Perennis præfecit

[a] *Sibbaldus*. In epistola quadam meo patri missa, data Aug. 5 1706.

Digitized by Google

(*Lamprid.*, *in Commodo*), amotis senatoribus. Quamobrem eidem milites graviter irati sunt, et objurgati quod seditionem fecissent, miserunt in Italiam mille quingentos ex suorum numero delectos; qui cum jam Romam adventassent, Perennem in suspicionem regni affectati trahebant, et sibi deductum tanquam exercitus et Commodi hostem obtruncabant. Quo interfecto Pertinax Britanniam veniens seditiones compescuit; verum ingens periculum adiit, seditione legionis pene occisus, certe inter occisos relictus; postea veniam legationis petiit, dicens sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones. Audivit orantem Commodus, et successorem designavit Clodium Albinum (*Capitolin.*, *in Albino*). Qui, excepto illo brevi tempore, quo Junius Severus sub Commodo præfectus est Britanniæ, provinciam hanc subactis Barbaris nationibus strenue administravit, donec cum Severo de imperio decertans Lugduni Galliarum interfectus est. Virio autem Lupo sub Severo in Britannia, proprætore, Caledonii licet cum Romanis fœdus iniissent (*Dio*, *in Severo*), promissa non præstabant, parati ad defendendos Mæatas, qui provinciam incursionibus vastabant, ideoque coactus fuit Lupus a Mæatis magna pecunia pacem redimere. Quicquid autem Britanniæ est ultra murum Antonini Pii, Caledonia a Tacito, et ejus incolæ Caledonii vocantur. Incolunt Mæatæ juxta murum (Hadriani) qui insulam in duas partes dividit (*Ibid.*). Iterum vero Mæatis sociisque seditionem agitantibus, Severus ipse Britanniam venit, hostesque ad fœdus faciendum coegit, ea conditione, « ut non parva regionis parte cederent; » et ut contra novos impetus in posterum socios tutaretur, utrinque finem Oceani communivit. Post hæc vero facta est iterum defectio Britannorum (*Ibid.*): et quoniam Caledonii simul et Mæatæ defecerant, Severus comparabat se, ut ipsemet bellum illic gereret. Verum mors quæ sequente anno insecuta est, bellum distulit, iratamque imperatoris manum continuit.

Credibile est igitur ex horum temporum historia Barbaros patriam cito recuperasse, Romanosque e tota illa regione, quæ inter duo valla jacet, si non ipso Pio, Marco tamen Aurelio imperante, expulisse. Sub Commodo etiam ex Dione constat Ulpium Marcellum Britannos profligasse, intraque murum Hadriani quem transgressi essent, cohibuisse. Postquam autem exercitus seditiones fecerit, credi non potest Barbaros ulterius fuisse submotos, quamdiu Commodus Romano orbi imperavit. Neque vero Albinus provinciæ terminos prolatabat; cum enim, eo occiso, Britannia in Severi potestatem redacta est, Dio affirmat istius insulæ partem paulo minus quam dimidiam Romanorum fuisse (*Xiphilin.*, *in Severo*), et Mæatas qui ad murum habitabant in Romanam provinciam arma sumpsisse. Licet etiam Severus Caledonios Mæatasque non parva regionis suæ parte cedere postea coegerit, tamen neutros regione integra multavit, neque gentes istas in Romanam provinciam redegit. Neque enim Barbaros adeo profligaverat, ut non jure timeret eos in fide Romana diu non mansuros, et si unquam deficiendi opportunitatem nanciscerentur, nihil reveritos pactorum fidem, in Romanorum fines irrupturos. Quod quidem, ut diximus, fecerunt, et post obitum Severi Antoninum compulerunt non parvam illam regionem (*Xiphilin.*, *in Antonino*), quam pater ejus armis acquisiverat, iis icto fœdere remittere. Verisimile est igitur Severum sapientissimum imperatorem Mæatis ex eo, quod maximam patriæ suæ partem amisissent, iratis, ideoque primam se in pristinam libertatem vindicandi occasionem captaturis, murum, ubi olim Hadrianus suum duxerat, objecisse. Neque enim ita stupidus Severus fuit, ut ultra Mæatarum sedes vallum duceret, quos, ubi primum opportunum erat, in provinciam bellum illaturos haud dubie prævidit. Ergo ut horum conatibus maturius obviam iretur, æquum est ut credamus imperatorem illum Hadriani murum

A refecisse, ut Romanos ab irruptionibus Mæatarum, qui ad hunc murum incolebant, defenderet. Et si, quod a doctissimo Camdeni translatore notatur (*Edm. Gibson*, *not. ad Vall. Pict.*), ulla auctoritate nititur, nullus erit in posterum de hac re ambigendi locus. Dicitur enim lapidem non procul a Luguvallo juxta murum nuper repertum esse, qui his verbis inscribitur: *Sept. Severo Imp. qui murum hunc condidit.* Quod autem dicit Tillemontius de victoriis post Severi tempora a Barbaris nunquam in Britannia reportatis, neque novis regionibus Romano imperio adjunctis, id nulla vi cogar ut concedam. Licet enim falsum esse fateamur, quod Nennius de Carausio narrat, negandum tamen non est Theodosium Valentiniani temporibus totam inter Antonini et Severi valla provinciam recuperasse, vigiliisque et prætenturis tutatum esse, et Valentiam arbitrio principis vocasse. Dato etiam, quod juxta Gildam et Baedam liqueat Barbaros a muro inter duo freta B Dunbritannicum et Edenburgicum quinto seculo erecto, ne in Romanorum fines hostili furore irrumperent, impeditos, ex eodem Baeda tamen constat Severi vallum fere usque ad hæc ipsa tempora Romanæ provinciæ limitem fuisse: « Habitabant, inquit, (Romani) intra vallum quod Severum trans insulam fecisse commemoravimus, ad plagam Meridianam, quod civitates, fana, pontes et stratæ ibidem factæ usque hodie testantur; cæterum ulteriores Britanniæ partes, vel eas etiam quæ ultra Britanniam sunt insulas, jure dominandi possidebant (*Hist. eccl.* I, 11). » Baeda autem hoc observavit, postquam de Roma anno 411 a Gothis capta locutus esset.

Certum est igitur Severi vallum a Tinæ fluminis ostio per transversam insulam ductum: ideo frustra iis qui contrariam sententiam defendunt, aliquo modo illud favere videtur, quod in vulgatis Aurelii Victoris et Eutropii occurrit Codicibus, Severum in Britannia vallum per XXXII millia passuum a mari ad C mare deduxisse. In antiquissimis quidem Eutropii Exemplaribus centenarii notam huic numero fuisse præfixam, tum ex veteribus Latinis qui eum secuti sunt scriptoribus colligimus (ut beato Hieronymo in Eusebiano suo Chronico, P. Orosio, Aurelio Cassiodoro in Fastis consularibus, et ipso Baeda in Chronico) tum ex Græco illius metaphrasta Pæanio, qui δύο καὶ τριάκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν σημεῖα reddidit, et Georgio Syncello, qui eamdem Pæanii summam mille stadiorum numero exprimendam putavit, unicuique σημείῳ sive milliario Italico septem stadia cum dimidio attribuens. At neque XXXII neque CXXXII milliarium spatium loci situs admittit; sed LXXXII vera lectio videtur, ita ut, librariorum vitio, numeri quinquagenarii notam in quibusdam Codicibus penitus omissam, in aliis cum nota centenarii, quod facile fieri potuit, commutatam fuisse, jure suspicari libeat.

Alia etiam restat adhuc tollenda difficultas; disputatur enim inter viros doctos, utrum murus Severi D cespititius fuerit an lapideus. Baeda, qui cespititium fuisse censebat, sententiam suam hoc modo exponit: « Receptam, inquit, partem insulæ a cæteris indomitis gentibus non muro, sed vallo distinguendam putavit. Murus etenim de lapidibus, vallum vero, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus (*Hist. eccl.* I, 15). » Doctissimus vero Usserius in contrariam opinionem discessit (*Brit. Eccl. antiq. p.* 317), arbitratus Latinorum vallum idem quod murum valere eruditum illum presbyterum ignorasse. « Nam et hanc ipsam, inquit, Severi structuram, quam Eutropius et cum eo Hieronymus, Orosius atque Cassiodorus Vallum, hisce omnibus antiquior Spartianus in Severo suo Murum appellavit; promiscue etiam ista usurpata fuisse docens, quum in ejusdem Severi Vita porro adjicit: Post murum aut vallum missum in Britanniam. Unde quod in vulgata Aurelii Victoris Epitome de Severo scriptum legitur: — Hic in Britannia vallum per XXXII passuum millia a

Digitized by Google

« mari ad mare deduxit, — in Victore ab Andrea Schotto edito sic expressum invenitur : — Illis majora « aggressus, Britanniam, quoad ei utilis erat, pulsis « hostibus muro munivit, per transversam insulam « ducto utrinque ad finem Oceani. — Illa tamen muri « et valli fallaci distinctione deceptus Baeda, Severi « opus hoc non lapideum sed cespititium fuisse cre« didit. » Hæc Usserius ; sed, ut mihi videtur, Baeda distinctione hac in majorem non inductus est errorem, quam ipse vir clarissimus, qui duobus verbis (vallo, scilicet, et muro) rem unam designat. Usserius enim exemplis, quæ ex Spartiano et Victore protulit, non probavit vallum idem sonare ac murum lapideum, sed vallum duntaxat murum posse nominari. Atqui hoc nemo unquam negavit : vox enim *murus* late sumpta et cespititium lapideumque complectitur. Itaque licet auctores Latini vallum alio nomine murum vocant, non tamen nimis temere concludendum est eos per vallum murum lapideum intelligere, præsertim cum sæpe in usu eveniat ut appelletur vallum murus cespititius. Fallitur igitur Baeda, qui inter murum et vallum adeo acute et subtiliter distinxerit, ut nullo modo vocem unam pro altera accipi posse crediderit. Usserius vero æque fallitur (*Ibid.*), qui vallum idem cum muro lapideo significare hanc solam ob rationem existimet, quod apud auctores antiquos murus nominetur. Usserius vero pergit, affirmatque murum lapideum a legione romana postremo constructum, non collocatum fuisse ubi Severus suum duxerat, sed ubi paulo ante Britanni illum sibi tam inutilem cespititium statuerant. « Nulla enim ratio suadet, ut homines suæ mentis compotes centum mill. pass. retro cederent, et tantum terrarum spatium hostibus ultro concederent ; relictoque loco totius insulæ angustissimo, eoque munitioni maxime accommodato, alium quærerent, in quo murus triplo prope priore productior ex necessitate esset statuendus. » Si autem Britannorum murus cespititius his posterioribus temporibus, cum Romani valedixerunt Britanniæ, in lapideum commutatus est, concludendum est ipsum Severum murum suum non de cespitibus sed lapidibus fecisse. Sed, ut mihi videtur, hæc doctissimi Usserii non est satis stabilis et certa conclusio. Nam ut supra ostenditur, antiquissimi auctores qui de Severi opere aliquid scripserunt, omnes dicunt Severum vallum inter duo maria deduxisse, neque vir eruditissimus omnino probavit vallum idem quod murum lapideum valere. Si igitur Severus lapideum non condidit, dubitandum non est, quin murus hic a Romanis domum abeuntibus constitutus est. Quod porro confirmatur ex eo quod Johannes Fordonus de novissima Scotorum et Pictorum incursione tradit : « Victores, inquit, citato repente rurali vulgo, cum suis sarpis quilibet, et ligonibus, rastris, tridentibus et fossoriis patulas in (muro) rimas foraminaque crebra perfoderunt, quibus ubique promptum habeant aditum etiam et recessum. Ab illis ergo foraminibus hæc deinde materia nomen hodiernum assumsit, quod Anglica lingua sonat Thirle-Wall, Latine vero *murus* dicitur *perforatus* (*Scoti Chron.*, III, 10). » Castrum autem Thirle-Wall, fatente ipso Usserio (*Brit. Eccl. Antiq.* p. 318), adhuc cernitur in Northumbriæ et Cumbriæ confinio positum inter Tinam et Irthingum ; et provide sane eo loci aditum in provinciam sibi reserarunt Barbari, ubi via libera nullo interjecto flumine in interiores Angliæ partes patet. Idcirco verisimile est Britannos hostibus magnam patriæ suæ partem concessisse, arbitrantes eos sibi benevolos et amicos facere : hostes tamen non placandos, perrupto in Northumbria muro, strages horribiles edidisse. Gildas etiam ipse huic argumento fidem et firmamentum non exiguum adjungit ; ex eo quidem constat Scotos Pictosque omne terrarum spatium trans Glottæ et Bodotriæ sinus pleno dominandi jure possedisse. Romana legio quæ Britannis in subsidium missa est, hostes non ulterius quam trans maria fugavit. Ideoque murus Antonini et Britannicæ provinciæ et Barbarorum tyrannidis terminus fuit ; Barbarique proprie dici possunt earum indigenæ terrarum, quas jam muro isto tenus longo tempore tenuerant. Gildas autem eumque fere exscribens Baeda testantur (*Gild.*, *sect.* 15 ; *Bed.*, *hist. eccl.* I, 12) Scottos Pictosque, Romanis ad suos remeantibus, redire confestim ipsos, et solito confidentiores factos « omnem Aquilonalem extremamque terræ partem pro indigenis muro tenus capessivisse. » Cum igitur Romanis ad suos redeuntibus, Picti Scottique novas reportaverint victorias, necesse est ut novas regiones sibi armis ultra Antonini murum acquisiverint. Omnem enim terram possidebant Antonini muro tenus, cum jam Romani contra eorum impetus provinciam defenderent. Ideo murus de quo Gildas loquitur, alius esse non potest quam is quem inter Ithunam et Tinam fl. positum videmus. Quidam vero Pictos tunc primum pro indigenis omnem Aquilonalem partem Antonini muro tenus capessivisse e Gilda Baedaque conantur evincere, qui astruunt Pictos in extrema parte insulæ tunc primum et deinceps requievisse prædas et contentiones nonnunquam facientes. Sed clausula hæc non eo modo exponenda est, ut omnium historicorum fidei contradicat, qui fixum olim Pictorum domicilium fuisse certissime affirmant. Sensus igitur hujus clausulæ potius hic erit : Picti qui hactenus in Britannia fuerunt, continuis Britannorum et Romanorum infestationibus obnoxii, ab illis sæpe velitationibus lacessiti, bello petiti, nonnunquam loco et provincia pulsi, quique hactenus nunquam quiete in suis vixere sedibus, quamdiu Romani pro Britannis pugnaverint, nunc primum, Romanis palam subsidium denegantibus et Britannis non ultra sese opponentibus, requieverunt ; et licet jam diu eandem insulæ partem habitassent, non tamen ante liberi erant ab infestationibus Romanorum. Ad murum igitur Antonini incolebant, et curicis (quodam navigii genere) Scythicam vallem sive fretum Bodotriæ transeuntes, subito omnem insulam usque ad Severi murum subjectam sibi reddiderunt. Usserius denique (*Brit. Eccl. Antiq.*, *p.* 349) clausulam hanc hoc modo intelligit : « Picti in Aquilonali parte insulæ tunc primum et deinceps non quidem simpliciter habitaverunt, sed requieverunt, id est, a terræ Britannicæ vastatione et dirissima, quam ante descripserat Gildas, depressione cessaverunt. Quanquam enim prædas et contritiones nonnunquam fecisse eos subjiciat, nihilo secius tamen inducias desolato populo factas, et quievisse vastitatem (sive ut Baeda explicat (*Hist. eccl.* I, 14), cessavisse vastationem hostilem) in verbis proxime sequentibus aperte profitetur. » Quæ interpretatio Pictos Britanniæ incolas olim fuisse plane docet. Usserius vero ut majorem vim afferat argumentis, quibus probare conatus est Severum condidisse murum lapideum, addit, postremum hunc murum tramite a mari usque ad mare..... directo libratum fuisse testari Gildam ; alterum illum vero inter Tinæ et Escæ ostia non recto sed obliquo et incurvato tramite fuisse ductum, quæ adhuc supersunt illius vestigia intuentium oculis demonstrare. Sed voces has, *tramite directo*, nimis stricto sensu accipi vetat Baedæ auctoritas (*Ibid.*, I, 12), qui murum ipsum lapideum inter Tinam et Ithunam recto tramite ductum esse pronuntiat. Postremo arguitur magnificum illud quod Severi muro a Spartiano tribuitur elogium, quum maximum ejus imperii decus fuisse asserit, postulare vel flagitare potius videri, ut Severum murum lapideum statuisse existimemus. Sed, ut videtur, pari ratione dici potest Hadriani et Antonini muros maximam etiam illorum imperii gloriam fuisse, nisi forsan censeamus horum valla tam ingenti mole aut altitudine non esse, aut tam firmis crebrisque turribus communita, quam Severi ; ideoque non tantis laudibus ad omnem memoriam commendata. Quod illustrissimum devictæ ab hoc imperatore Britanniæ monumentum Oro-

sius (*Hist.* VII, 17) et qui ejus verba exscribit Baeda (*Hist. eccl.* I, 5, *et Chron.*) hoc modo celebrant: « Severus, inquiunt, magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum a mari ad mare duxit. » Sed an crebris turribus Hadriani aut Antonini valla communita fuerint, a nemine historicorum confirmatur; ista tamen non satis firma fuisse et ad resistendum hostibus valentia ex hoc abunde demonstratur, quod Severo necesse fuerit provinciam firmiore aggere præcingere.

De Severi muro hactenus. Jam inde historicorum nemo de muro in Britannia vel condito vel refecto usquam locutus est, donec Carausius sumpta purpura Britannias occupavit. De Severi autem muro a Carausio restituto sic scribit Nennius Elvodugi discipulus: « Severus construxit (murum a Pengaaul, quæ villa Scotice Cenail, Anglice vero Penneltun dicitur, usque ad ostium fluminis Cluth et Cair-pentaloch) sed nihil profuit. Carausius postea reædificavit imperator et VII castellis munivit inter utraque ostia; domumque rotundam politis lapidibus sub ripam fluminis Carun, quod a suo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens, construxit (*Hist. Brit.*, *c.* 19). » Sed qui fabulis nec veris nec verisimilibus delectatur, credat Nennio de his temporibus scribenti. Si illi aliqua fides sit, « Carausius pro occisione Severi cum omnibus ducibus Romanicæ gentis qui erant cum eo in Britannia, transverberavit omnes regulos Britonum, et vindicavit valde Severum ab illis (*Ibid.*, *c.* 20). » Sed quis non primo intuitu videt omnia hæc ficta esse et commentitia? Carausius enim longo post Severi mortem intervallo sibi imperium arripuit; neque Severus a Britonum regulis occisus est, sed jam senex Eboraci morbo gravissimo exstinctus. Quomodo etiam Severi murum inter Glottam et Bodotriam restituere potuit; cum luce clarius constat, Severum non eo loco sed inter Tinæ et Ithunæ ostia murum struxisse? Quam insulse commentus est fluvium Carun a Carausii nomine nomen accepisse! Et ut hoc credibilius videatur, quam stupide mutavit Carausii nomen in Carutium! Præterea domum rotundam politis lapidibus fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erexisse tyrannum asserit, cum tamen nihil simile habeat arcus triumphalis, sed sacellum cujusdam dei, puta dei Termini, fuisse videatur, ut conjiciunt viri doctissimi Buchananus et Camdenus (*Buch. Rer. Scot. Hist.* I, 16; *Camd.*, *Descript. Scot. prov.*), quos credo longe meliores antiquarios, quam Nennium, qui vix aliquid præter fabulas in suam Britonum historiam congessit.

Jam autem prætereo laudes a Zosimo de Diocletiano habitas (*Hist. l.* II), quod imperium Romanum extremis in limitibus ubique ejus providentia oppidis et castellis atque burgis munitum esset, omnesque copiæ militares in iis domicilium haberent, fierique non posset ut Barbari transirent, ubique copiis hostium repellendorum causa occurrentibus. Cum enim nunquam fuerit Diocletianus in Britannia, divisoque imperio, Orientales ejus partes rexerit, Historicus de istis certe limitibus intelligendus est. Missam etiam facio supremam illam expeditionem Constantii (*Eumen. Paneg. Const.*), qua Caledones aliosque Pictos domuit. Neque enim constat limites ab eo vel mutatos fuisse vel refectos. Sperno etiam calumniam quam Zosimus de Constantino tulit (*Ibid.*), quem falsissime asserit præsidiorum munitionem abstulisse, majorem militum partem de limitibus submotam in oppidis præsidii nullius egentibus collocasse, et a Barbaris vexatos præsidio nudasse. Victor enim tradit Constantinum castra et castella pluribus locis commode posuisse. Tandem ad Valentiniani primi tempora venio, quibus Theodosius, Britanniis Barbarica conspiratione ad ultimam redactis inopiam, illuc properavit, fusisque variis gentibus, « instaurabat urbes et præsidiaria castra, limitesque vigiliis tuebatur et prætenturis, recuperatamque provinciam, quæ in ditionem cesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, ut eodem referente, et rectorem haberet legitimum, et Valentia deinde vocaretur arbitrio principis (*Amm. Marcel.*, *l.* XXVIII, *c.* 3). » Nova autem hæc provincia, quicquid a Tina ad fossam Edenburgensem erat, continebat; Reliqua enim Britannia jam olim in quatuor partes distincta est. Britannia prima dicebatur omnis regio Australis quæ hinc mare Britannicum, illinc Tamisim et Sabrinianum fretum interjacet. Secunda Silures, Dimetas et Ordovices continebat. Flavia Cæsariensis quicquid terrarum a Tamisi ad Humbrum erat. Maxima Cæsariensis ab Humbro ad Vallum Severi porrigitur. Quinta autem provincia, quia olim sub Antonino imperatore fuit in fide Romana, rursusque in potestatem Barbarorum concesserat, a Theodosio recuperata esse dicitur; et ab imperatoris Valentiniani nomine Valentia appellata est; et cum hanc Theodosius prætenturis munivit, verisimile est eum Antonini vallum renovasse.

Britannia aliquandiu quietem habuit, donec, Gratiano occidentale imperium administrante, Maximus ibi tyrannidem arripiens in Gallias ingenti militum numero transiit, provinciam omni præsidio spoliavit, et Scotorum Pictorumque incursibus obviam reliquit. Quod Gildas sapiens Maximo iratus ita conqueritur: « Insula nomen Romanum, nec tamen morem legemque tenens, quin potius abjiciens germen suæ plantationis amarissimæ, ad Gallias magna comitante satellitum caterva, Maximum imperatoriis insignibus, quæ nec decenter unquam gessit, non legitime, sed ritu tyrannico initiatum mittit..... Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus licet immanibus, ingenti juventute spoliata, quæ comitata vestigia supradicti tyranni domum nusquam ultra rediit; et omnis belli usus penitus ignara, duabus primum gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum a Circio, Pictorum ab Aquilone, calcabilis multos stupet gemitque annos. » Primus autem qui Barbaris se opposuit, dicitur Stilico ante consulatum suum, qui in annum 400 incidit. Ille hanc laudem meritus est, vel a Claudiano poeta (*Paneg.* 2 *in Stilic.*), vel ejus sensu ab hac insula:

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, totam cum Scotus Iernen
Movit; et infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, nec Pictum tremerem, ne littore tuto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.

Munivit autem Stilico insulam, Romana legione ad limitem constituta, quæ inimicorum impetum propulsaret: de qua idem Claudianus (*Lib. de Bello Get.*):

Venit et extremis legio prætenta Britannis
Quæ Scoto dat frena truci.....

Ultimas denique prætenturas quas Romani ad tuendam provinciam posuerunt, alteram non tam lapidibus quam cespitibus constructam, alteram lapideam, illam inter freta Glottæ et Bodotriæ, hanc in Northumbria, Gildas et Baeda accurate describunt. Cum tamen obscurum est et dubium quo tempore Britanni tres illas legiones Romanis miserint, quibus flebili voce auxilium implorabant, ne Aquilonales gentes Romanam provinciam penitus delerent; uberi et fusa disquisitione earum tempora distinguere conabor.

Ut vero in hac controversia clarius innotescat veritas, primo Baedæ sententiam explicabo, deinde doctorum virorum qui auctorem nostrum impugnant argumenta refellere et evertere conabor. Baeda autem, postquam Romam (anno 409) captam et Constantinum (anno 411) occisum esse dixerit, narrat Britanniam omni armato milite omnique juventute, quæ tyrannorum (primum Maximi, postea Constantini et Constantis ejus filii) temeritate in Gallias abducta est, spoliatam, prædæ ferocissimarum gentium patuisse. In Chronico etiam (*In Honorio*) post

Digitized by Google

septimum annum Honorii, quo reliquiæ Stephani inventæ sunt, hoc est post annum 414, murorum constructionem et duas primas legationes describit; deinde duodecimi anni Honorii, quo Hieronymus mortuus est, mentionem facit. Certas igitur habemus temporis notas, quæ hos eventus angusto admodum spatio includunt. Et sequitur inter annos 414 et 419 (septimum et duodecimum ex quo Honorius et Theodosius simul regnarunt) hæc contigisse. Sed quidam vir doctissimus (*Stillingflet. Brit. Eccl. Antiq. l.* v) ideo Baedam culpæ arguit, quod de misero Britonum casu et auxilio a Romanis impetrato post Constantini necem narravit, cum Gildas dilucide videatur asserere hæc ambo paulo post accidisse, quam Maximus purpuram sibi illegitime assumsisset, et omnes fere copias, quæ insulam tuerentur, secum abduxisset in Gallias. Idcirco prima Barbarorum irruptio interitum Maximi insecuta est, et tempus quo Gratianus Municeps imperium invaserit, antecessit; Britannis quoque tunc enixe auxilium flagitantibus Romani legionem firmissimam in subsidium miserunt, sub duce forsan Stilichone, qui illo tempore res Britannicas summo studio diligenterque curabat. Sed concedamus harum rerum historiam defectionem Maximi apud Gildam immediate narrationis ordine subsecutam esse; non tamen sequetur id Gildam voluisse, ut crederemus earum rerum, quas simul narratione miscuit, tempora non distingui debere. Ille enim non in animo habuit accuratam et justam historiam scribere, sed popularium suorum vitia et infortunia declamatorio quodam more perstringere; ideoque quamplurima querens conjunxit, quæ si spectemus chronologiam, sunt maxime disjuncta. Quod facillime ex hoc ipso Historiolæ loco probabitur, si modo observabimus quomodo Maximi tempora et trium vastationum legationumque, quarum ultima ad Actium ter consulem in annum 446 incidit, simul confunduntur. Præterea si prima subsidia in Britanniam missa incursantes Barbaros paulo post Maximi necem repellebant, legio etiam secunda quæ Britannis iterum laborantibus opem tulit, hunc ante Gratiani tempora advecta est. Hæc enim Britanniam venit eo ipso anno quo prima legio domum repetiit, vel saltem proximo. Si igitur hoc modo Gildas acc'piendus est, vir cl. vehementissime errat, qui legionem alteram initiis regni Valentiniani tertii missam fuisse existimat. Distinguenda igitur sunt tempora, et anni, quibus facta sunt singula, quæ a Gilda confuse narrantur, accurate notandi. Non dubitandum est quin Maximus, eo quod in Gallias copias Britannicas abduxerit, primus omnium, quas hæc insula postea accepit, cladium causam dederit; sed Barbaris nationibus a Stilichone repulsis, quietem suam pristinam et potentiam adeo recuperaverat provincia, ut militibus otium fuit anno 407 novos tyrannos Marcum, Gratianum, et occisis illis, Constantinum denique eligendi. Qui collectis undique copiis, quicquid prius a Maximo relictum fuerat, militaris roboris exhausit (*Gul. Malms. de Reg. Angl., l.* I, *c.* 1) et Britannia sine præsidio, sine milite relicta, in Galliam transiit. Cum nemo igitur esset qui resisteret, Transrhenani Barbari (*Zosim., l.* vi) et antiqui provinciæ hostes cuncta simul anno 409 pro libitu invadentes, eo tum incolas insulæ Britanniæ redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent, et Romanorum legibus non amplius obedientes arbitratu suo viverent. Et hoc quidem fecerunt non sine auctoritate et venia ipsius imperatoris legitimi. Honorius enim, litteris ad civitates Britannicas scriptis, eos hortabatur, ut rebus suis consulerent. Ab hoc ergo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt, et insula, ut auctor est Procopius (*Rer. Vandal. l.* I, *c.* 2) nunquam deinceps recuperari potuit. Licet enim Romani ad Brittones bis flagitantes subsidia legionem miserint, non tamen illam ob causam miserunt, ut regionem sibi subditam defenderent, sed ut sociis suis, qui ab ho- A stibus Romani imperii magnis calamitatibus afflicti sunt, auxilium darent. Aquilonales igitur gentes insulanorum res latrocinio fœdare adorti sunt: gliscebat in dies id malum, apparebatque brevi totam insulam alienatum iri, nisi ejusmodi conatibus mature obviam iretur. Id veriti Britanni, et Scotorum Pictorumque infestationes non amplius ferentes, anno 414, vel proximo, Romam mittunt, ac eorum precibus fatigatus Honorius legionem misit ex Gallia, quæ juxta Paulum Diaconum (*Hist., l.* xiv) magnam Barbarorum multitudinem stravit, ceterosque Britanniæ finibus expulit; sed mox ut discessere Romani, advecti iterum navibus hostes obvia quæque sibi conculcant ac devorant. Rursum autem advolant Romani, cæsumque hostem trans maria fugant. Scriptores ergo antiquissimi testantur primas duas vastationes, ideoque primas legationes sub Honorio principe contigisse; si autem sub Honorio contigerunt, ad nullum tempus melius referri pos- B sunt quam ad id quo Constantius comes Gallias a tyrannis et Gotthis liberavit, id ipsum, scilicet, tempus quod Baeda in Chronico notavit.

Doctissimus vero Stillingfletus statum imperii tam impeditum fuisse ac turbidum dicit, ut hoc tempore Britannis periclitantibus opem ferre nullo modo Romani potuerint; Alanos, Suevos, Vandalos Hispanias; Francos, Burgundiones, Gothos Gallias occupasse; Jovinum et Sebastianum fratres post Constantinum in Galliis imperium invasisse; et licet Gothi in Hispanias ingressi Barbaros fortiter debellaverint, Romanas tamen res in Galliis in tantas angustias redactas esse, ut Constantius qui tum imperium ibi administravit, ex Hispaniis illos revocare, et iis ad habitandum dare secundam Aquitanicam et civitates quasdam confinium provinciarum cogeretur. Sed ignoscat lector mihi cum Baeda potius quam cum Stillingfleto, eruditissimo licet, sentienti. Anno enim 314, ut narrat Orosius, Constantius comes apud Are- C latum Galliæ urbem consistens, magna gerendarum rerum industria Gothos a Narbona expulit, atque abire in Hispaniam coegit. Anno proximo, juxta Idatium, Ataulfus rex Gothorum Barcenonæ occisus est. Cui succedens Vallia in regno, cum Constantio initio, scilicet, anni 416, pace mox facta, Alanis et Vandalis Silingis in Lusitania et Bætica sedentibus adversatur, annoque 417, Romani nominis causa, intra Hispanias cædes magnas efficit Barbarorum. In fœdere enim quod Vallia Gothorum rex cum Constantio pepigit continebatur ut nationes barbaras, quæ obtinebant Hispaniam, Gothi bello fatigarent, et quicquid terrarum ereptum est hostibus, cederet imperio Romano, ut colligitur ex Orosio. Itaque Vallia postquam gentes barbaras, ut erat in fœdere, domuisset, a Constantio ad Gallias revocatus est; non quod ei opus erat ad tuendam Gallicanam provinciam, quæ tum quidem alta pace fruebatur, sed ut virtutis suæ præmium acciperet. Illam enim ob causam Aquitaniæ possessione auctus est, quod anno 419 contigit. Ne- D que enim quoad annum audiendus Idatius, qui præcedente anno Valliam in Gallias revocatum scribit: « cum sit vix credibile ut Honorius eodem anno quo corpus septem provinciarum constitutione ad Agricolam præfectum prætorio Galliarum xv Kal. Maias data restituerat (*Hist. Franc. script. per And. du Chêne, t. I, p.* 83, 84), et mandaverat ut singulis annis a 15 die Augusti ad 15 Septembris in Arelatensi urbe concilium haberent, mox corpus dissolveret, et magnam illius partem Gothis concederet. » Hinc igitur patet Alanos, Suevos, Vandalos aut Gothos Gallicanæ provinciæ quietem ab initio saltem anni 416 ad annum 419 nunquam turbasse. Quod ad Francos et Burgundiones attinet, non constat istos ullas turbas dedisse post interfectos tyrannos, et vel ad suam patriam rediisse, vel si partem Galliæ, donantibus Romanis, obtinuerint, ita se in novis sedibus gessisse, ut eorum probetur fides gratusque animus et beneficii memor. Cum igitur ab anno 416 ineunte ad an-

Digitized by Google

annum 419 Occidentale imperium summa quiete frueretur, nulla ratio afferri potest quæ sententiæ Baedæ duas primas ad Honorium legationes his temporibus consignantis evertendæ omnino sufficiet. Quod enim Sabellicus et Blondus loquuntur de legionibus ab Aetio missis (*Sabell.*, *Ennead.* *VIII*, *l.* I; *Blond.*, *Decad.* *I*, *l.* II), prima anno circiter 422, altera sub duce Gallione Ravennate circa annum 426, nihil me movet: quoniam Baedæ fides antiquior est, quam ut historicorum tam recentium auctoritati cederet. Tertia autem ad Aetium sub Valentiniano tertio legatio notissima est. Britanni enim cum jam Pictorum et Scottorum infestationes sustinere non possent, Aetio III et Symmacho Coss., auxilium Aetii implorarunt, ut liquet ex eorum epistola apud Baedam (*Hist. eccl.*, I, 13); neque vero quicquam ab illo auxilii impetrare quiverunt, utpote qui gravissimis eo tempore bellis cum Attila Hunnorum rege erat occupatus.

## NUM. V [Smith VII].

### § I. — *De libris Gregorianis.*

In primis habetur in librario Biblia Gregoriana in duobus voluminibus; quorum primum habet rubricam in primo folio, de capitulis libri Genesis. Secundum volumen incipit a prologo beati Jeronimi super Ysaiam prophetam. In principio vero librorum in eisdem voluminibus inseruntur quedam folia, quorum aliqua purpurei, aliqua rosei sunt coloris, que contra lucem extensa mirabilem reflexionem ostendunt. Habetur etiam in eodem librario Psalterium Augustini quod sibi misit idem Gregorius, in cujus primo folio incipiunt meditationes quedam devote taliter annotate: *Ecce quantum spaciatus sum in memoria mea*, etc., usque ad folium quintum, ubi incipit: *Omnis Scriptura divinitus inspirata*. Et in altera parte ejusdem folii est Simbolum apostolorum, oratio Dominica, *Gloria in excelsis*, et *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, etc. In sexto folio incipit Psalterium. In fine vero ejusdem Psalterii sunt ympni tam nocturnales quam diurnales. Primus ympnus pro medio noctis est iste: *Medie noctis tempus est*. Secundus ad galli cantum: *Æterne rerum conditor*. Ad matutinas: *Splendor paterne glorie*. Ad primam: *Venite fratres ocius*. Ad tertiam: *Jam surgit hora tertia*. Ad sextam: *Bis ternas horas explicans*. Ad nonam: *Ter hora trina volvitur*. Ad vesperas: *Deus creator omnium*. Ad completorium: *Te deprecamur, Domine*. In quadragesima: *Christe qui lux es et dies*. Ympnus pro die Dominico: *Rex æterne Domine*. De Natali Domini ympnus: *Intende qui regis Israel*, *super cherubim qui sedes a patre Effre*, *excita potentiam tuam et veni*. Ac deinde sequitur pro eodem ympno: *Veni*, *Redemptor gentium*, usque ad finem. In Pascha ympnus: *Hic est dies verus Dei*. In festo apostolorum Petri et Pauli: *Apostolorum passio*. De sancto Johanne evangelista: *Amore Christi nobilis*.

In vestiario etiam habetur textus Evangeliorum, in cujus principio x canones annotantur. Et vocatur textus sancte Mildrede, eo quod quidam rusticus in Thaneto super eundem textum falsum jurans oculos amittere perhibetur.

Est etiam et aliud Psalterium supra tabulam magni altaris positum, quod habet exterius imaginem Christi argenteam planam cum quatuor evangelistis. In hujus Psalterii primo folio incipit: *Omnis Scriptura divinitus inspirata*. In tertio folio incipit epistola Damasi pape ad Ieronimum, et in fine, versus ejusdem Damasi, ac deinde epistola Ieronimi ad Damasum cum Ieronimi versibus. Deinde in quarto folio de Origine psalmorum, in cujus fine distinguit Psalterium in quinque libros. Primus liber finit a psal. XL, videlicet: *Beatus qui intelligit*, qui sic habet: *Fiat fiat*; secundus liber a psal. LXXI, videlicet: *Deus judicium tuum*, qui sic habet: *Fiat fiat*; tertius liber a psal. LXXXVIII, videlicet: *Misericordias Domini*, qui sic habet: *Fiat fiat*; quartus liber a psalmo CV, videlicet: *Confitemini enim*, qui sic habet: *Fiat fiat*; quintus liber a psalmo CL, videlicet: *Laudate Dominum de celis*, qui sic habet: *Omnis spiritus laudet Dominum*. In quinto folio ejusdem Psalterii sequitur expositio de *alleluia* secundum Hebreos, Caldeos, Syros, et Latinos. Item interpretatio Glorie apud Caldeos. Item interpretatio psalmi CXVIII per singulas literas. In sexto folio sequitur quando psalli vel legi debeat quomodo Ieronimus scribit. Item ordo psalmorum per a, b, c, d. In septimo folio de literis Hebreis que in psalterio scribuntur. In octavo folio interpretatio psalmorum usque ad folium undecimum, ubi incipit textus psalterii cum ymagine Samuelis sacerdotis; et in fine ejusdem Psalterii sunt ympni de matutinis, de vesperis, et de Dominico die, sicut in alio Psalterio prenotato habentur.

Item in librario habetur alius textus Evangeliorum in quo x canones preponuntur cum prologo qui sic incipit: *Prologus canonum*.

Item supra tabulam magni altaris ponitur liber cum ymagine Christi erecta argentea, et dextra benedicente, in quo continetur conflictus apostolorum Petri et Pauli cum Simone Mago et passio eorundem. Item passio sancti Andree apostoli. Item passio sancti Jacobi. Passio sancti Thome apostoli. Passio sancti Bartholomei apostoli. Passio sancti Mathei apostoli et evangeliste. Passio sanctorum apostolorum Simonis et Jude. Vita sancti Johannis apostoli et evangeliste.

Item est et alius liber positus supra eamdem tabulam magni altaris, qui habet exterius ymaginem divine Magestatis argenteam deauratam, cum lapidibus cristallinis et berillis per circuitum positis, in quo continetur passionarium sanctorum incipiens a sancto Appollinare, et finiens in passione sanctorum martyrum Simplicii, Faustini et Beatricis.

Item supra eamdem tabulam ad magnum altare ponitur liber, cujus exterior apparatus habet unum magnum berillum in medio cum pluribus aliis lapidibus cristallinis ex omni parte, in quo continetur expositio super Epistolas et Evangelia a Dominica III post octavas Pasche, usque ad Dominicam IIII post octavas Pentecostes. Et hec sunt primitie librorum totius Ecclesie Anglicane.

### § II. — *De vestimentorum donatione.*

Vestimenta enim sacra ac sacerdotalia indumenta usque in presens in vestiario conservantur: videlicet, una cappa oloserica saphirei sive azurei coloris cum aureis circumferenciis et lapidibus anterius in parte superiori ornata, due cappe oloserice purpurei coloris aureis circumferenciis reliquis similibus adornate, tres cappe oloserice purpurei coloris sed opere polimito aurei ac lactei coloris ex omni parte contexte, et una casula holoserica purpurei coloris aurea textura et lapidibus superius a parte posteriori ornata. Nec sine misterio sunt tanta ac talia primitiva nostre dotacionis insignia contemplanda. Per unicam enim cappam saphirei sive azurei coloris intelligi poterit unitas et stabilitas fidei Christiane. Per duas cappas que sunt ejusdem purpurei coloris cum casula, datur intelligi quod Christus designans LXX duos discipulos misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus; et quod idem dicit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, *in medio illorum sum*. Identitas vero coloris purpurei designat, quod virtute sanguinis Christi, si ejus sequendo vestigia alter alterius onera portemus, cum apparuerit similes ei erimus et videbimus eum sicuti est. Ut ergo congruenciam binarii cum unitate servemus, spem venie in contricione sequatur spes gracie in confessione, et sic sit spes glorie in satisfactione que in colore purpureo designatur; que triplex spes a fidei unitate ac stabilitate que triplex est procedit: prima a fide preceptorum, secunda a fide signorum, tertia a fide promissorum. Quod autem

Digitized by Google

tres sunt cappe ejusdem purpurei coloris sed opere polimito cerulei sive aurei ac nivei coloris ex omni parte contexte, congrue intelligitur caritas quæ in tribus consistit, secundum Apostolum, in corde puro, consciencia bona et fide non ficta. Per lacteum ergo sive niveum colorem cordis intellige puritatem, per ceruleum sive aureum colorem consciencie bonitatem, per purpuram fidei integritatem. Per opus texture ex omni parte polimitum, virtutum varietatem attende, que in caritate fundatur. Quod autem color purpureus in hiis tribus cappis polimitis et aliis duabus principatum tenet, datur intelligi quod fundamentum aliud nemo potest ponere preter illud quod positum est, quod est Christus Jesus, a quo omnis edificacio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Et nota quod numerus capparum numero legatariorum, videlicet, Mellili, Justi, Paulini, et Rufiniani, adjunctis Laurencio presbitero et Petro abbate, respondit.

§ III. — *De vasis aureis et argenteis a sancto Augustino datis.*

De vasis vero aureis et argenteis quæ commemorant Beda et alii historiographi huic monasterio a beato Gregorio eidem Augustino transmissa collata fuisse, quid jam scribere debeo, quod sine suspirio notare nequeo, penitus hic ignoro. Quidam enim dicunt quod tempore quo Dani impiissimi istam terram vastarunt, propter frequentes eorum in partibus istis irruptiones, omnia in locis abditis abscondita fuerant, que nondum sunt patefacte. Alii dicunt quod tempore regis Ricardi Primi, pro carcerali redempcione, pretacta xennia duci Ostricie extracta ab isto monasterio fuerant. Alii etiam opinantur, quod tempore quo Egelsinus abbas timore Willielmi conquestoris fugit in Daciam anno Domini MLXX, qui istud monasterium cum omnibus eidem pertinentibus confiscavit, et quendam monachum nomine Scotlandum in abbatem prefecit; hujusmodi jocalia cum pluribus aliis, fuisse in abditis conservata que posterioribus non sunt nota.

§ IV. — *De reliquiis a sancto Augustino collatis quas beatus Gregorius eidem transmisit.*

Reliquie enim quas ex dono sancti Gregorii fertur beatus Augustinus huic monasterio primitus contulisse, usque in presens in vestiario plures assunt: videlicet, crux geminata sive dupplicata, que a Thoma Sprot et ab aliis bifurcata notatur de ligno Dominico, et de tunica inconsutili, de capillis beate Marie, de virga Aaron, de reliquiis apostolorum et martyrum cum pluribus aliis que in domo vestiarii venerabiliter collocantur.

Quod ad libros attinet, accipe, quod de iis scribit Cl. Uuanleius in locupletissimo suo Catalogo librorum veterum septentrionalium pag. 173: « Horum venerandorum Codicum Biblia Gregoriana duobus voluminibus scripta agmen ducunt, quæ quidem Biblia sacra non ita pridem in Anglia exstitisse, docet Petitio Apologetica catholicorum, uti sese appellant, laicorum Jacobo I, Magnæ Britanniæ rege, mense Julio, a. D. 1604, exhibita; in qua habentur hæc verba: « Ipsissima illa Biblia et eadem numero quæ « sanctus Gregorius huc misit cum nostro apostolo « S. Augustino, usque adhuc conservata speciali Dei « providentia; » quæ quidem verba citantur a D. D. Sutclifo in Responsione sua ad eandem petitionem apologeticam, pag. 87.

« Codicem secundum, scilicet, Psalterium, nondum diligenter perscrutatus vidi.

« Codices tertium et quintum, nempe libros Evangeliorum, utrosque adhuc, etsi mutilos, exstare arbitror, hunc in Bibliotheca Bodleiana quæ est Oxoniæ; illum Iconibus historicis ornatum, in Bibl. C. C. C. C. Etenim uterque Codex vetustatem priscorum seculorum redolet; uterque litteris majoribus et rotundioribus Romanis exaratus, quæ a litteris id genus Anglo Saxonicis multum discrepant, utriusque tum membranæ tum atramentum exteri opificii; in utroque exstabant x canones Eusebiani, siquidem in margine passim inveniuntur notæ et numeri ad eos pertinentes; utrumque in Angliam ante annos octingentos advectum ostendunt distinctiones et emendationes Cod. Bodleiani in Saxonica manu vetusta scriptæ, et testamentum Ealhburgæ in Cod. C. C. C. C. circa annum 850 factum, quo recensetur quæ ipsa dedit legata abbatiæ sancti Augustini, ad quam olim pertinuit hic Codex. Quidni ergo affirmem utrumque Codicem esse antiquissimos istos, canitie sua venerandos quos in Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ incunabulis ad sanctum Augustinum mittendos curavit beatus papa Gregorius?

« Codex Quartus, scilicet Psalterium, videtur deperditus. Extat tamen in Bibliotheca Cottoniana Vespas. A. I. Psalterium divi Hieronymi Romanum, litteris majoribus Anglo-Saxonicis mille abhinc annis exaratum, in quo habentur litteris itidem majoribus, sed peregrinis, ante Psalmos, ea omnia, eodemque ordine, quæ in hoc Codice Gregoriano scripta esse dicuntur. Unde alterum alterius apographum fuisse facile credo.

« Codex Sextus, Septimus et Octavus, nondum mihi comparuerunt. Eorum autem plurima videntur extare in bibliothecis apographa vetusta. Qu n et sextus ille Codex videtur processu temporis Saxonice versus, quippe quod in Homiliariis Saxonicis eædem passiones, etc., inveniuntur, et forte idem dicendum est de septimo volumine.

« Hos Codices dicit Annalium scriptor primitias esse librorum totius Ecclesiæ Anglicanæ; cui non inficias ibo, modo meminerit lector antiquarius Augustinum secum in Angliam protulisse Gregorii Magni librum de Cura Pastorali, sicuti testatur præfatio poetica Aelfredi regis versioni suæ hujusce operis præmissa. »

NUM. VI [Smith VIII].

*Quod Augustinus plura millia non in finitimis Eburacæ, sed in Cantio, baptizaverit.*

Augustini episcopi et sociorum opera anno 597 Anglo-Saxones magno numero Christianam fidem sunt amplexi, et in solennitate dominicæ nativitatis supra decem millia baptismi aquis sunt lustrati. Quod patet e responso Gregorii ad Alexandrinæ Ecclesiæ episcopum Eulogium, cui anno sequente hoc modo scripsit pontifex ille celeberrimus: « Dum gens Anglorum in mundi angulo posità, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam monasterii mei monachum in prædicationem transmittere Deo auctore debuissem. Qui data a me licentia, a Germaniarum episcopis episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad prædictam gentem in finem mundi perductus est, et jam nunc de ejus salute et opere ad nos scripta pervenerunt: quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut apostolorum virtutes in signis quæ exhibent, imitari videantur. In solennitate autem dominicæ Nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plus quam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre et coepiscopo nostro baptizati. »

Multos igitur baptizatos constat: quo tamen loco et in qua provincia sunt baptizati, ambigitur. Passim creditur juxta Eboracum fuisse in fluvio Sualua. Eo inclinat Ranulphus in Polychronico, Birchingtonus, Gotselinus in Vita S. Augustini, et alii. Sed difficile est opinari statim a consecratione Augustinum cito Cantium reliquisse, ubi humanissime ab Aedilberclo rege exceptus magnam sine dubio habuit animarum messem; et peregre profectum Eboracenses, inter quos nemo tam cito legitur prædicasse, baptismo abluisse. Et ipse Baeda aperte confirmat, Eanfled m (*Hist. eccles.* II, 9) filiam Ae-

Digitized by Google

duini regis Nordanhymbrorum, primam de gente illa, diu post mortem Augustini baptizatam fuisse. Fieri igitur non potuit, ut in finitimis Eburacæ, tot millia tingeret Augustinus, si Eanfleda prima ex illa gente aqua baptismatis abluta est.

Quod igitur de Sualua fluvio dicitur et multis ibi baptizatis, in Paulini potius episcopi Eboracensis, quam in Augustini laudibus ponendum est. Nam Baeda ejus fluvii meminit in provincia Deirorum, et ait Paulinum (*Hist. eccles.* II, 14) sæpius ibi manere solitum in illo fluvio quamplurimos baptizasse. Et bene reddit rationem, cur in flumine sacramentum illud traderetur : « Non enim, inquit, oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant ædificari. » Quod quia de Cantio etiam dici potuit, Augustinus ibi in flumine aliquo multa hominum millia potuit baptizare, et illud Gregorius intelligere. Unde factum, ut Paulini et Augustini baptismi in unum miscerentur, cum distingui potius et loco et tempore deberent.

## NUM. VII [Smith IX].

### *De controversiis quæ in Ecclesia acciderunt de celebratione Paschatis.*

In omni fere sæculo ingenti contentione agitata est de die Paschatis controversia. Quæ licet nihil ad Christianæ religionis integritatem aut puritatem, sed ad disciplinam solam spectare videatur, licet de ritu et consuetudine ecclesiastica, quæ pro variis locis et temporibus mutationem subiit, non de fide ipsa moveatur quæstio, tamen utrinque adeo acriter pugnatum est, ut utraque pars se invicem hæreseos argueret, et concordiæ unitatisque vinculum scinderetur.

Hæc autem de Paschate lis sub Aniceti pontificatu primum cœpta est. Illo enim episcopatum administrante, sanctissimus Polycarpus qui juxta morem Asiaticarum ecclesiarum Pascha luna 14, in quemcunque diem incideret, cum Judæis celebrabat, propter hanc quæstionem Romam adveniens, cum Aniceto de illa colloquium habuit. Cum tamen neque Anicetus Polycarpo poterat persuadere ut suum observandi morem deponeret, neque contra Polycarpus Aniceto ut consuetudinem Asiaticam observaret, charitatis vincula neutiquam ruperunt, sed communicarunt inter se mutuo, et in ecclesia Anicetus ritus qui in Eucharistia peragi solent Polycarpo obeundi potestatem concessit (*Iren. ep. ad Vict.*). Atque tandem cum pace alter ab altero discessit; et omnes ecclesiæ, tum eorum quæ 14 die festum Paschatis observabant, tum eorum qui secus, pace inter se ipsas fruebantur. Romana igitur Ecclesia non luna quarta decima primi mensis cum Polycarpo, sed Dominica eam proxime sequente celebrabat; nec tamen ullum propterea dissidium fuit excitatum. Sub Victoris vero pontificatu longe magis exarsit illa controversia inter Asianos episcopos et Romanum. Concilium Romæ ad eam profligandam celebratum est; et varia in aliis Ecclesiis tum Orientis tum Occidentis concilia coacta fuere; quæ uno consensu judicioque communi eandem de illius festi observatione tulere sententiam. Ex hac enim parte cum Romana Ecclesia steterunt Palæstinæ, Alexandriæ, Ponti, Galliæ, Osrhoenæ provinciæ, et Achaiæ episcopi; ex illa solummodo Asiæ episcopi, cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more uterentur (*Euseb. Hist.* V, 23).

Polycrates vero Ephesinus, qui episcopis Asiæ præerat, morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendens, traditionem istam ab ipsis apostolorum Philippi et Joannis temporibus ad sua usque propagatam dixit. E contra Victor (*Socr.*, V, 22), qui Romam, et ceteri qui alias partes Occidentis incolebant, consuetudinem quam tenuerunt, Petrum et Paulum ipsis reliquisse : omnes etiam illi Orientalis Ecclesiæ episcopi, qui eandem cum Occidentalibus de hac re sententiam ediderunt,

A ritum hunc ab apostolis ad ipsos continua successione manasse in suis literis affirmarunt. Habent igitur utrinque contendentes Ecclesiæ eandem consuetudinis auctoritatem; ambæ suam esse apostolicam præ se ferunt.

Cum enim neque respui neque damnari potuerunt consuetudines, quæ ab ipsis apostolis profluxerint, necesse fuit, quoniam variæ essent, ut adhiberetur examinatio, quæ magis ex duabus tam diversis disciplinæ Dei conveniret. Quod quidem fecit gravissima sanctissimaque synodus Nycææ celebrata. Syris enim et Mesopotamis in causa festi claudicantibus, atque una cum Judæis solennitatem agentibus, Nicæni Patres rati tempus esse opportunum omnia quæ incommoda essent corrigendi, unam et catholicam servandi paschatis regulam statuunt (*Athan. de syn. Arim. et Seleuc.*). Indignum plane videbatur ut sacratissimum istud festum Judæorum ritum et consuetudinem imitati agerent Christiani (*Epist. Constant. in Euseb. Vita Constant.*, III, 18, 19) : periculum
B quoque erat, ne duplex Pascha uno eodemque anno perageretur. Qui enim luna 14 Pascha celebrabant, de æquinoctio nihil curantes, quandoque illud peragebant uno anno post æquinoctium, et altero ante æquinoctium, quia in illud tempus luna 14 incurrebat. Maxime etiam incongruum et indecorum videbatur, ut in tam solenni religionis nostræ festo esset dissensio, ut iisdem diebus alii jejuniis vacarent, alii agitarent convivia. Et cum Pascha in urbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, Hispania, Gallia, et Britannia, in Libya, et universa Græcia, in diœcesi Asiatica et Pontica, in Cilicia denique, una et consentiente sententia conservaretur; justum erat, ut pauciores Ecclesiæ majoris numeri consuetudinem amplecterentur, et omnes communi consilio eam ratam cuperent, quæ nihil cum Judæorum perfidia haberet commercii. Ideoque in hac synodo constitutum fuit, ut Dominica proxime sequente lunam decimam quartam primi mensis Paschalis celebraretur
C solennitas.

Sed antequam ulterius progrediar, notandum est illos (*Magdeb. Centur.*) vehementer errare qui putant Britannos non a Romanis et Occidentalibus, sed ab Orientalibus ritum Paschatis edoctos. Diserte enim testatur Constantinus in epistola, quam de hac re scripsit, eodem modo ac Romæ in Britannia Pascha celebrari solitum. Ex eadem quoque constat epistola Asiaticas Ecclesias, quæ Victore pontifice cum Judæis festum suum egerunt, saltem quamplurimas ante Nicænum concilium catholicum Pascha agnovisse : et Syros, Mesopotamosque, qui idem cum Victore senserunt, in istorum sententiam transiisse.

Ab hoc igitur concilio Paschalis celebritatis die definito, decreto universæ Ecclesiæ obtemperarunt. Syri enim mox se dicto audientes præstiterunt (*Athan. ibid.*), et concilium eorum Antiochiæ habitum (*Conc. tom. II, pag.* 561) confirmans Nicænum, primo suo
D canone deponendos qui Judaicum pascha observarunt ecclesiasticos, et laicos a communione prohibendos statuit. Mesopotami quoque idem fecerunt, qui Audianum et sectatores suos quartadecimanos a communi Ecclesiæ unitate amputarunt (*Epiph., hær.* 70). Qui autem hujus concilii œcumenici auctoritati et judicio morem gerere pertinaciter recusabant, in hæreticis habiti sunt, et vocati Quartadecimani. Quare eos inter hæreticos recensent S. Epiphanius (*Hær.* 50), Theodoretus (*Hær. Fab.* III, 4), et Augustinus (*De Hær.*, 29). Et septimus canon primi concilii Constantinopolitani illos in iis numerat qui, abjuratis erroribus, per unctionem in Ecclesiam recepti sunt.

Ne vero in celebrando Paschate error aliquis obreperet; si non Nicænum ipsum concilium, sancti patres tamen occasionem errandi auferre studentes [*Leonis ep. ad. Martian. Aug.*], omnem hanc curam Alexandrino episcopo delegarunt : quoniam apud

Digitized by Google

Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies Paschalis solennitatis eveniret, sedi apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias indicium generaliter percurreret. Die igitur Paschatis ex Alexandrini episcopi litteris cognito, et Romani pontificis litteris Ecclesiis omnibus promulgato, sacro Epiphaniæ die diaconi in singulis ecclesiis illud annuntiare consueverant. Etiam ante Nicænum concilium viguisse hunc Ecclesiæ morem, ut a Romano pontifice Paschatis dies indicaretur, constat ex concilio primo Arelatensi, quod an. 314 habitum est: sic enim se habet canon 1, ad Silvestrum Romanum pontificem cum cæteris directus: « Primo loco de observatione Paschæ Dominici; ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas. »

Nicæni quoque Patres, si S. Ambrosio sit fides (*Ambros. de Pasch. ad ep. Æmiliæ, et Dion. Exig. de Pasch.*), ut nullus omnino in posterum daretur ambigendi locus, super celebritate memorata congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem, et quasi quendam constituerunt circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc autem circulum Enneadecaeterida nuncupaverunt. Sed hoc maxime incertum est, et Hieronymo potius et Baedæ credendum est, qui Eusebium Cæsariensem paulo post Nicænum concilium Enneadecaeterida concinnasse scribunt, quæ, quasi concilii nomine esset composita, usum et auctoritatem apud nonnullos obtinuerit. Si autem ipsa synodus istiusmodi cyclum condidisset, Latini erroneum suum 84 annorum cyclum omnino respuissent, et novum a tot sanctitate et doctrina inclytis Patribus institutum essent amplexi. Illos vero ad Leonis Magni pontificatum usque nullo decennovennali cyclo usos esse mox probaturus sum.

Est et aliud, quod consessus ille celeberrimus servandum decrevit, quod etiam hoc tempore vel prius definitum confirmamus ex canone qui inter apostolicos numeratur Octavus; non licere scilicet Pascha more Judaico ante æquinoctium vernum celebrare. Quod autem venerandi Patres de hac re senserint, ulterius patet ex Constantini epistola (*Euseb. Vita Const.*, III, 18), quam ex eodem concilio scripsit: quæ vetat ne Christianis aliquid commune sit cum inimicissima Judæorum turba; ideoque ne cum iis uno eodemque anno geminum Pascha faciant. Hoc autem nullo modo continget, nisi uno anno post, altero ante æquinoctium ageretur festum. Quod quidem apud Judæos aliquando factum est, cum mensis eorum Paschalis quinto die Martii inciperet, et tertio Aprilis clauderetur. Quod ad ipsum æquinoctium attinet, juxta Theophilum, Ambrosium, Cyrillum, cæterosque qui de celebratione Paschatis scripserunt, ad 21 Martii adfixum est. Et si ecclesiasticæ traditioni adhibenda fides est, Nicæni Patres ipsi hunc diem fixum et immobilem æquinoctii verni cardinem statuerunt.

His igitur a tam nobili et tam veneranda synodo stabilitis, qui non putaret omnibus in posterum de Paschali festo rite celebrando controversiis jam tandem finem fuisse impositum? Aliter vero se res plane habuit. Frequentes enim post synodicum decretum contentiones inter Orientis atque Occidentis Ecclesias eruperunt. Nam anno Christi 387 dissidium de die Paschali factum fuisse prodit S. Ambrosius in epistola ad episcopos per Æmiliam, scribens: « Unde necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes, et Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ per litteras plerique meam adhuc exspectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ. » Quidam autem Latini festum ipsomet die æquinoctii, videlicet 21 Martii celebrandum existimarunt: et in vetusto Latinorum Laterculo apud Bucherium (*De Cyclo Victorii*, p. 262) signatur Pascha die 18 Aprilis, qua die etiam indicitur in canone Victorii Aquitani, luna XVI, cujus neomenia ab utroque scriptore a die 3 Aprilis colligitur. Denique Alexandrini, quos Ambrosius sequitur et defendit, Pascha die 25 Aprilis egerunt. Eo igitur anno aliter Romæ, aliter Alexandriæ et Mediolani festivitas illa celebrata est.

Subsecutus est haud magno intervallo annus 414, quo Innocentius papa primus de die Paschali in dubitationem adductus, ad Aurelium primatem Carthaginensem hæc scribit: « Cum ante undecimum Kalendarum Aprilium pene luna XVI colligatur (nam quippiam minus est), itemque cum ante diem quartum Kalendarum earundem veniat vigesima tertia: existimavi XI Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda, quoniam in vigesima tertia luna nullum Pascha ante hoc factum esse cognovimus. » Dubitabat Pontifex an Paschalem solennitatem 22 Martii, quo labente die cœpit luna XVI, inchoaret, an differret ad diem 29 ejusdem mensis, quo luna XXIII incœperit, quæ erat extra terminum Paschalem. Credibile est vero cum die 22 solennitatem illam instaurasse.

Post triennium, anno Christi 417, in Romana Ecclesia Pascha peractum fuit die 25 Martii, ab Alexandrinis vero die 22 Aprilis, uti scribit Paschasinus episcopus Lilybitanus in Sicilia, ad S. Leonem papam: « Tunc, inquit, cum declinatur, ne X Kalendas Maii die Pascha teneretur, celebratum est die VIII Kalendas Aprilis, » jubente Zosimo papa, ut idem ibidem præmonet.

Leone etiam Magno pontifice, fuerunt binæ de Paschatis die in Ecclesia Christiana contentiones: prima anno Christi 444, altera anno 455. Sanctus autem Leo, ne qua diversitas in principis festi observatione oriretur, annum illum 444 expectandum non ratus, priore adhuc anno 443 labente, ab Alexandrino primum episcopo Cyrillo sententiam exquisivit; tum etiam a Paschasino Lilybæi in Sicilia præsule. Respondit uterque eo Christi anno 443, proximi anni 444 Pascha celebrandum nono Kalendas Maii, seu 23 Aprilis; etsi Latini indicerent in septimum Kalendas Aprilis seu 26 Martii. Acquievit autem horum opinioni S. Leo, ut ex Prosperi Chronico (*Apud Labb., tom. I, pag.* 453) clare haurimus, ubi sic de Paschate hujus anni legimus: « Hoc anno Pascha Domini IX Kalendas Maii celebratum est. »

At de Paschate anni 455 fuit major contentio. Alexandrini festum suum sciscebant VIII Kalendas Maii seu 24 Aprilis; Latini autem octiduo anterius, nempe XV Kalendas Maii, Aprilis 17. Erat utrisque juxta regulas proprias legitimum Pascha indictum, eoque tanto justior et difficilior contentio videbatur. Id prævidens S. Leo et schisma quoddam in Ecclesia pertimescens, mature occurrendum censuit. Anno igitur 453 binas scripsit epistolas: primam ad imperatorem Marcianum, alteram ad Eudociam Augustam. Quos amice et obnixe rogat, ut Alexandrinos moneant, ne Pascha in VIII Kalendas Maii diffundi permittant. Marcianus imperator partibus suis non defuit, sed ab Ægyptiis aliisque Orientalibus episcopis, quid super hac re sentirent, accurate quæsivit. Et Proterius Alexandrinus inter cæteros rogatus, fusam Leoni dedit epistolam, qua Pascha dominicum in VIII Kalendas Maias differendum ostendit. Acceptis his simul et Marciani litteris, quibus idem significatum est, pacis studio Leo Orientalium opinionem, invitus tamen, est amplexus.

Apud Gregorium etiam Turonensem legimus aliquam fuisse in Galliis anno 577 in observando Paschate diversitatem: « Eo anno, inquit, dubietas Paschæ fuit. In Galliis vero nos cum multis civitatibus XIV Kalendas Maias sanctum Pascha celebravimus. Alii vero cum Hispanis XII Kalendas Aprilis solennitatem hanc tenuerunt. »

Est et aliud hujusmodi varietatis exemplum in eodem Turonensi, dum de quinto decimo Childeberti

Digitized by Google

junioris regis anno loquitur, qui est vulgatus Christi 590. « Dubietas, ait, Paschæ fuit, ob hoc, quod in Cyclo Victorius luna XV Pascha scripsit fieri. Sed ne Christiani, ut Judæi, sub hac luna hæc solennia celebrarent, addidit : Latini autem XXII. » Qui autem Pascha cum Alexandrinis luna XV instaurarunt, festum VII Kalendas Aprilis egerunt : qui vero Luna XXII, IV Nonas Aprilis, octiduo serius.

Denique inter Scottos Brittonesque et Romanam Ecclesiam magna animorum contentione agitata est diuturna controversia. Brittones enim Scottique Paschalis diem Dominica quidem celebrabant, sed luna XIV, si in eam Dominica dies incurreret : et hunc celebrandæ solennitatis modum contra Romanam Ecclesiam diu et pertinaciter defendebant. Sed de his postea fusius enarrabimus.

His igitur rite expositis, jam quærendum est unde ortum habuit tanta in unoquoque sæculo diversitas. Unde vero hæc oriri potuit, quam ex varietate cyclorum qui olim in usu fuerunt in diversis Ecclesiis? Latini quidem in Paschali festo prodendo ad pontificatum usque Leonis Magni cyclo annorum LXXXIV utebantur, sicut Paschasinus testatur hunc cyclum nomine Romanæ supputationis designans. Alexandrini vero, et qui eos sequebantur, Enneadecaeteridem in ordinando Paschate adhibebant. Neque tantum cycli a se invicem differebant, sed etiam canones qui in ea solemnitate designanda servabantur. Victorius enim Aquitanus (*In præf. ad Can. Pasch.*), explicans originem dissensionum quæ circa Pascha legitimo tempore instaurandum Latinam inter et Alexandrinam Ecclesiam sæpius contigerunt, diversos utriusque canones Paschales recenset. In primis Latini « a tertio Nonas Martii usque in tertium Nonas Aprilis, diebus scilicet 29, observandum maxime censuerunt, ut quocunque eorum die luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium. » Itaque Latini neomenias Paschales a die 5 Martii inclusive ad diem 3 Aprilis exclusive viginti novem dierum spatio extendebant (*Noris., de Cycl. Pasch. Lat.*). At Alexandrini citimam neomeniam ab octavo die Martii auspicabantur, tardissimam vero in diem 5 Aprilis proferebant. Unde uti in limine mensis Paschalis triduo a Latinis differebant, ita pariter et in termino triduo ab iisdem discrepabant. Ex hac diversa utriusque Ecclesiæ regula fiebat ut Latini, inquit Victorius, « decimas quartas porro lunas mensis ejusdem (*Paschalis*) a XV Kal. Aprilis usque in XVII Kalendas Maii assererent esse servandas; » ita ut lunæ XIV Paschales a die 18 Martii ad diem 15 Aprilis spatio itidem mensis lunaris cavi diffunderentur. At Alexandrini qui triduo tardius citimam neomeniam sciscebant, lunas XIV a die 21 Martii ad 18 Aprilis, pari cum Latinis numero dierum 29 servato, protrahebant. Alium Latinorum canonem ita Victorius describit : « Nec minus ejusdem dominicæ resurrectionis peragendo mysterio destinarunt quam decimam sextam; nec amplius quam vigesimam secundam lunam aliquando recipiunt. » Alexandrini vero uno die citius quam Latini, nempe etiam luna XV Pascha peragebant, nec illud ultra lunam XXI transmittebant. Postremus denique Latinorum canon limen ac metam Dominicarum paschalium prodebat. Nam antiquiores citimam Dominicam Paschalem a die 21 Martii, et tardissimam a 21 Aprilis advocabant. At postea Latini Nicænum æquinoctium die 21 Martii affixum admittentes (*Leon. ep. ad Marc. imp.*), Dominicas Paschales intra diem 22 Martii ac 21 Aprilis claudebant, ut triginta dierum spatio lunaris mensis ratio servaretur. Verum Alexandrini, qui in Neomeniis ac variis lunæ XIV diebus designandis lunaris mensis terminos nequaquam transgressi sunt, Dominicas Paschales a die 22 Martii ad diem 25 mensis Aprilis extenderunt, nempe quatriduo ultra Latinos.

Ex hisce tam diversis in Paschali mense ordinando regulis factum est ut sæpe Orientalis Ecclesia, quæ Alexandrinorum cyclum admiserat, ab Occidentali in die ac frequenter in mense etiam Paschali denunciando dissideret. Imo ipsimet Latini episcopi neutiquam secum invicem conveniebant; eo quod aliqui Alexandrinorum canones servabant, ut de Mediolanensi Ecclesia sub pontificatu S. Ambrosii supra ostendi.

Hinc discrepantia Ambrosii temporibus anno 387 contingebat, quia juxta Latinorum regulam non licuit Dominicam Paschalem ad 25 Aprilis extendere, ad quem usque diem Alexandrini festum illo anno promovendum censuerunt. Sed cum hic annus fuerit sextus cycli annorum 84, cyclus solis IV, et lit. C, et cum luna XXVI fuerit Kal. Januariis conjuncta cum feria VI, neomenia proxima incidit in diem 6 Januarii et ab hac tertia die 6 Martii. Hæc altera cum Latinis esset Paschalis, luna XIV colligebatur die 19 Martii feria VI, ac proinde die 21 Dominica luna XVI Pascha erat celebrandum. Etenim juxta Latinos si luna XIV feria sexta provenerit, sequens Dominica, id est luna XVI, festivitati Paschali sine ambiguo, si credamus Victorio, deputata est. At Alexandrini, omissa lunatione Martii, quæ illis, uti cæpta ante diem octavum, non erat Paschalis, neomeniam mensis Paschalis die 5 Aprilis recipientes, cum ejusdem XIV luna caderet in diem 18 Aprilis Dominicam, Pascha in alteram Dominicam diem 25 Aprilis diffundebant.

Pascha anni 414, de quo Innocentius papa dubitabat, ostendit Latinos quam maxime a consuetudine Alexandrinorum, qui absque scrupulo XV luna festum celebrabant, abhorruisse. Ex eo enim quod aliquot horæ defuerint, antequam luna XVI 22 Martii die accenderetur, an Pascha in XXIII lunam prorogandum esset dubitavit, festum XV luna celebrandum non agnoscens.

Dissensio, quæ anno 417 sub Zosimo pontifice contigit, dilucide probat, ad eum usque annum in Romana Ecclesia nunquam Pascha excessisse diem 21 Aprilis. Zosimus enim, nolens antiquum hunc Dominicæ Paschalis limitem transgredi, festum die 22 Aprilis cum Alexandrinis instaurare recusabat. Annus autem 417 fuit XXXVI cycli annorum 84, quo luna XXVIII in Kal. Jan. notabatur, ideoque neomenia proxima incidit in diem 4 Januarii, et ab hac tertia in diem 4 Martii. Hinc ortæ sunt difficultates gravissimæ. Nam cum ea lunatio esset extra limen mensis Paschalis, mensis embolimus superaddi debuit, qui, cum diebus triginta componatur, exitum habebat die 2 Aprilis, ac proinde neomenia Paschalis inchoanda erat die 3 Aprilis; quæ tamen dies apud Latinos erat ultra metam neomeniarum Paschalium, quarum tardissima die 2 Aprilis inibat. At si mensem embolismum cavum præter ordinem fecissent, cum tamen luna XIV, hoc est dies 15 Aprilis, vel XV, hoc est 16 Aprilis, fuerint Dominicæ, Pascha vel ad diem 22 istius mensis, una die, vel ad 23, biduo ultra terminum erat transferendum. Romana igitur Ecclesia tunc temporis, ne vel Neomeniam Paschalem ultra limitem, vel festum ipsum ultra antiquum terminum promoveret, satius duxit, cum XXVIII luna Kal. Januariis inciderit, vel uno die initium mensis Paschalis prævertere, vel unum ex mensibus in plenum ex cavo commutando, neomeniam non a 4 sed 5 Martii deducere.

Hinc annus cycli Latinorum LXIII, Domini 444, notatus in Kal. Jan., eadem luna XXVIII, ac feria VII, in easdem omnino difficultates Occidentalem Ecclesiam redigebat. Non enim poterat a neomenia quæ inibat 2 Aprilis mensem Paschalem inchoare, quia cum luna XV haud ipsis Paschalis contingeret die 16 Aprilis Dominica, festum in diem 23, biduo videlicet ultra terminum, protrahendum erat. Hinc ut alias fecerant Latini, mensem Paschalem a die 5 Martii inchoandum putabant, cujus luna XV habebatur die 19 Dominica, ideoque Pascha agenda erat die 26 Martii, luna apud ipsos XXII. Paschasino vero ostendente Latinos recusantes Pascha ultra diem 21 Apri-

lis extendere, revera positum a majoribus terminum non transilire, licet festum 23 Aprilis celebrarent; et Leoni papæ suggerente Pascha *Passionis* intra antiquum terminum die 21 Aprilis peragi, etiamsi Pascha *Resurrectionis* ad 23 Aprilis prorogetur, Leo hanc interpretationem legitimam esse ac justam arbitratus est, et tunc primum veterum metam transgressus cum Alexandrinis de Paschali Dominica ordinanda consensit.

Sed licet existimaverit S. Leo quadam ratione defendi posse quod in decimum et in nonum Kalendas Maias nonnunquam proferretur festivitas, putavit tamen nimis insolentem et apertam transgressionem fuisse Paschalem observantiam perducere ad octavum Kalendas Maias, quem diem Paschæ anno 455 Alexandrini statuerunt. Idcirco Leo die 17 Aprilis, luna XVI, festum instaurandum censebat, a die 2 Aprilis neomenia deducta, non a 4 Aprilis, cui fuit affixa juxta Orientales Neomenia, qui vero secundum Latinos erat extra initii mensis Paschalis terminum. Etiamsi vero pontifex XV Kal. Maii potius observandum Pascha protestaretur, Marciani tamen rescripto atque auctoritate victus, in Latina quoque Ecclesia juxta Alexandrinorum sententiam die 24 Aprilis celebrandum decrevit. Hic autem observatu cum Cyrillo dignum est, quam S. Theophilus (*In Prolog. Pasch.*) primam, vel decimam quartam, vel vigesimam primam confirmat, Latinos lunam tertiam, vel decimam sextam vel vigesimam tertiam nuncupasse, et sæpe neomenias biduo ante Alexandrinos auspicatos esse; quod luculentissime ex hujusce anni 455 neomenia patet.

A synodo autem Nicæna ad Leonis usque Magni tempora nullo decennovennali cyclo utebantur Latini. Quo pontificatum administrante, Victorius Aquitanus Hilari Leonis archidiaconi jussu primus anno 457 enneadecaeteridem ad Latinorum canones partim inflexam, per duodetriginta solis cyclos circumductam, in periodum annorum 532 ingeniose convertit; et medius inter Latinos et Alexandrinos incedens, neomeniam citimam Paschalem in die 7 Martii collocavit, biduo ultra Latinorum, sed uno die citra Alexandrinorum limen. Hoc quidem fecit, ut dissensiones de festivitate Paschali eximeret, ut veritas indagaretur, et dissonæ opinionis error tolleretur. Sed quamvis Victoriana periodus omnem de mense Paschali discordiam extinxerit, veteres tamen de die Paschali contentiones reliquit. Nam cum Victorius juxta Latinorum canones lunam XV a Paschalibus solemniis excluserit, quoties eadem in Dominicam diem in suo cyclo incidebat, Pascha una hebdomade tardius, quam Alexandrini, designavit. Rursus cum metam neomeniis Paschalibus in die 3 Aprilis, biduo citra Alexandrinos, posuerit, Pascha quandoque octiduo citius Alexandrinis indicit (*Bucher. in comm. in Vict. Can.*, *c.* 8); ita ut in toto cyclo bis ac tricies diverso ab Alexandrino cyclo die Pascha denuntiet.

Et quidem, ut scribit Gregorius Turonensis, anno 577 Pascha octiduo citius quam Alexandrini indixit Victorius. Galli enim, ut supra dixi, qui eum sequebantur, XIV Kal. Maii seu 18 Aprilis celebrabant, neomeniam a die 3 Aprilis advocantes. Alexandrinis vero hoc anno, qui fuit VIII enneadecaeteridos, neomeniam a die 5 Aprilis sciscentibus, cum luna XIV caderet in diem 18 Dominicam, pascha in diem 25 translatum est. Hispani tamen, ab utrisque diversi, indubie Latinorum veterum placita sectabantur, qui aliquando die ipso æquinoctii, 21 Martii celebrabant, in Nicænam synodum peccare se non credentes, si Dominicum Pascha eo die admittebant. Id enim unum Patres Nicænos sanxisse sibi persuaserant, ne ante æquinoctium, non item ne in ipso æquinoctio, Pascha perageretur.

Anno vero 590, juxta eumdem Gregorium, octiduo tardius quam Alexandrini festum inibant Victorius et concordes ei Latini. Alexandrini, et Galli qui eos imitabantur, suo cyclo secundo 26 die Martii, XV luna, Pascha designabant; sed Galli alii Victorii canonem observantes, ideoque ante lunam XVI Pascha nunquam admittentes, ad 2 Aprilis lunam suam XXII differendum ducebant. Anno etiam Christi 5[illegible]0 diversas de ejusdem anni Paschate opiniones in Italia fuisse colligimus ex libro Victoris episcopi Capuani, cujus fragmenta recitat Beda (*Cap.* 49 *de temp. Rat.*, *et in opusc. de Æquin. vern.*), eo quod Victorius Pascha octiduo morabatur. Erat annus XIX cycli Alexandrini, et in eo indicebatur luna XIV die XV Kal. Maii, Pascha VIII Kal. Maii, luna 21. Hic pariter erat annus Victorianæ periodi DXXIII, in qua Pascha notabatur « XV Kal. Maii (sed Alexandrinis VIII Kal. Maii), luna XVI. » Victorius enim mensem Paschalem Aureo Alexandrinorum numero XIX a die 2 Aprilis auspicabatur, cum Ægyptii biduo neomeniam morarentur.

A Latinis autem et Occidentalibus solis Victorii canon admissus est, nec tamen ab omnibus. Ac in Italia quidem a Mediolanensibus minime receptum facile ex eo colligimus quod eorum præsul Ambrosius jam inde ab anno 386 Alexandrinorum methodum Latinæ prætulerit, et in Ecclesiam suam invexerit, aut saltem ante inductam conservaverit. Postquam etiam Dionysius Exiguus anno 525 Paschalem annorum XCV cyclum evulgaverit, Romana Ecclesia diuturniorum de Paschate rite instaurando contentionum, quas aliquot sæculis cum Alexandrina Ecclesia, imo Oriente toto, exercuerat, jam tandem pertæsa, Dionysianum cyclum ad Ægyptiorum canones formatum admisit.

Hujusmodi circulum primus Eusebius Cæsareæ Palæstinæ episcopus composuit (*Beda, de Rat. temp.*, *cap.* 42). Papa deinde Theophilus Alexandrinus centum annorum cursum Theodosio seniori principi dedicavit. Post quem successor ejus Cyrillus seriem nonaginta et quinque annorum in quinque decennovennalibus circulis comprehendit (*Dion. Exig.*, *ep.* 1 *de Rat. Paschæ*): et hunc secutus Dionysius Exiguus totidem alios ex ordine pari schemate subnexuit.

Circulus autem hic Dionysianus in XII annos communes, id est dierum 354, et septem annos embolimæos, id est dierum 384, dividitur (*Beda de Rat. temp.*, *cap.* 43). Primus namque et secundus sunt communes, tertius est embolimæus; quartus et quintus communes, sextus embolimæus; septimus communis, octavus embolimæus; nonus et decimus communes, undecimus embolimæus; duodecimus et tertius decimus communes, quartus decimus embolimæus; quintus decimus et sextus decimus communes, septimus decimus embolimæus; octavus decimus communis, nonus decimus embolimæus. Qui utrique et communes et embolimæi ab exordio primi mensis initium sumunt, cujus exordium hac regula debet observari, ut nunquam luna Paschæ XIV vernum præcedat æquinoctium, sed vel in ipso æquinoctio, hoc est XII Kal. Aprilis, vel eo transgresso legitima procedat. Unde fit ut ab octavo Iduum Mart. usque in Nonarum Aprilium diem lunaris anni sint quærenda primordia. Ipsa autem luna XIV, primum XII Kal. Aprilis, novissime XIV Kal. Maias occurrens, diem festi Paschalis ab XI Kal. Aprilis usque in VII Kal. Maias facit inquirendum.

Hunc igitur cyclum cum a Romana Ecclesia acceperit Augustinus, a Gregorio Magno in Britanniam missus, modis omnibus tentavit ut Brittones, qui alio utebantur cyclo, ad ritus Romani concordiam revocaret (*Hist. eccles.* II, 2). Illi vero moris sui veteris tenaces a susceptis semel institutis recedere nolunt, eoque demum evasit istorum pertinacia, ut sanguine mille ducentorum monachorum frangi aut expiari non potuerit. Scotti quoque, qui Hiberniam insulam incolebant, eodem quo Brittones tempore solemnitatem Paschæ celebrabant; adeoque Romanam consuetudinem odio habuerunt, ut Daganus eorum episcopus ad Laurentium ab Augustino secundum Dorobernensem præsulem veniens (*Ibid.*, 41), non solum cibum cum Romanis, sed nec in eodem hospitio quo vescebantur, sumere voluit. Horum animos lenire epistola

Digitized by Google

satis modesta aggressi sunt Laurentius et collegæ, sed nihil profecerunt. Eisdem etiam papa Honorius litteras misit (*Ibid.*, 19), direxitque episcopis, presbyteris abbatibusque Scottiæ : alias quoque postea Johannes (*Ibid.*), qui successori ejusdem Honorii Severino successit, magna auctoritate atque eruditione plenas, sed eodem eventu infelici.

Sed inter hos ipsos non defuerunt, qui contra eorum errores zelum suum exercebant. Nam ex prædictæ Johannis epistolæ principio manifeste declaratur, non totam Scottorum gentem, sed quosdam in eis hæresi illa fuisse implicitos. Beda quoque memorat, gentem Scottorum, quæ in australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, jamdudum ad admonitionem apostolicæ sedis antistitis, Pascha canonico ritu observare didicisse. Extat ejus epistola inter Hibernicas ab Usserio vulgatas. Occurritque Cummianus, e Scottorum grege monachus : qui ad Romanas partes adjunctus, rationem facti sui reddit Segieno Hiiensi abbati, et meminit synodi in campo Lenc a majoribus suis habitæ, ac factæ definitionis, « ut Pascha cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent. Sed non post multum surrexit quidam paries dealbatus, traditionem seniorum servare se simulans, qui utraque non fecit unum, sed divisit, et irritum ex parte fecit, quod promissum est. » Et Ronanus, natione Scottus, Lindisfarnenses monachos Scotticorum ritnum sectatores exagitavit (*Hist. eccles.* III, 25). Is quippe cum Finano episcopo confligens, multos quidem correxit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit.

Defuncto Finano, cum Colmanus in episcopatum successisset (*Ibid*), et ipse missus a Scotia ; gravior de observatione Paschæ, nec non et de aliis ecclesiasticæ vitæ disciplinis controversia nata est. Mota ergo quæstione de Pascha et tonsura, ob id in monasterio quod dicebatur Streaneshalch indicta synodus anno 664. In qua post longam Colmani et Uilfridi concertationem, auditis utriusque partis suffragiis, rex Osuiu in gratiam Uilfridi sententiam tulit. Erat tum Uilfrid sacerdos in monasterio Hripensi, ex quo paulo ante ejecti Scotti, qui « data sibi optione magis loco cedere, quam suam mutare consuetudinem volebant. » Quorum exemplo Colmanus videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam, adsumtis his qui se sequi voluerunt, in Scottiam regressus est (*Ibid.*, 26).

Circa annum 700 per Adamnanum presbyterum et abbatem Hiiensium monachorum (*Hist. eccl.* v, 15), qui legationis gratia missus in Angliam, Romanos illic mores didicerat, plurima pars Scottorum in Hibernia, et nonnulla de Brittonibus in Brittania, ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus suscepit. Attamen suos qui erant in insula Hii, quive erant subditi monasterio, ad veritatis callem perducere non valuit. Secuta est dehinc ejusdem quæstionis agitatio auctore Aldhelmo (*Ibid.*, 18), tum abbate Melduunensi, qui jubente quadam synodo epistolam adversus errores Brittonum scripsit, eam scilicet quæ exstat inter Bonifacianas ordine centesima vigesima nona. Post quem memorandus venit Ceolfridus abbas Girwensis et Uuiremuthensis (*Ibid.*, 21), cujus eruditam epistolam ad Naitonum Pictorum regem commemorat Baeda ; cujus lectione effectum est ut rex surgens de medio optimatum suorum consessu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quod tale munusculum de terra Anglorum mereretur accipere : velletque perpetuo canonicum Paschæ tempus observare cum universa gente sua, et accipere tonsuram, quam plenam esse rationis audierat.

Postremo, anno insequente, uti Beda proximo capite addit, Hiienses cum his quæ sibi erant subdita monasteriis ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicum perducti sunt, opera Ecgbercti monachi Angli, qui in Hibernia peregrinus degebat. Hunc tandem exitum habuit diutina illa altercatio, tametsi aliquas inolitæ superstitionis reliquias in Cambria penes Brittones perseverasse, auctor est Usserius in historia de Antiquitatibus Britannicis ; idemque patet tum ex Baedæ libro quinto capite vigesimo tertio, tum ex Bonifaciana epistola centesima vigesima nona.

Hunc apud Scottos Pictosque felicem exitum habuit Paschalis controversia, quæ nunc, ut olim, ex diversitate cyclorum originem habuit. Anglorum enim Ecclesia Alexandrinam enneadecaeterida receperat : Scottica vero et Britannica computationem quamdam sequebantur, quæ octoginta quatuor annorum circulo contenta est (*Hist. eccl.* II, 2; v, 21); neque cum Romana Ecclesia a 15 luna ad 21 Dominicas Paschales celebrandas indixerunt, sed a luna 14 ad 20. In hoc quidem cyclus eorum cum supputatione antiquitus a Latinis usurpata congruebat, quod LXXXIV is esset annorum; in hoc vero discrepabat, quod non, ut Latini, a 16 luna ad 22, sed a 14 ad 20 Paschales Dominicas numeraret.

In synodo Pharensi an. 664, Uilfridus, postea Eboracensis episcopus (*Hist. eccl.* III, 25), contra Colmanum episcopum Lindisfarnensem Petri apostoli auctoritatem profert, affirmatque eum, cum Romæ prædicaret, ita Pascha faciendum statuisse, ut Dominica ejus dies nonnisi a quinta decima luna usque ad vicesimam primam servaretur. De traditione etiam a Petro repetita similiter etiam ad Naitanum Pictorum regem scripsit postea Ceolfridus (*Hist. eccl.* v, 21) ; qui non solum Scottorum Brittonumque calculum rejicit, sed etiam illos damnat, qui a 16 die primi mensis usque ad 22 celebrandum Pascha autumabant. Nempe boni hi viri, quod Romæ suo tempore videbant observatum ad apostolicam traditionem et Petri institutionem referendum fuisse non dubitabant, quum Alexandrinorum illum Paschalem calculum sexto demum post Christum sæculo primum a Romanis receptum fuisse constet. Eorum enim majores a 16 luna ad 22 Pascha suum celebrasse, id est, ut Ceolfridus rei ignarus judicat, in Carybdis voraginem submergendos decidisse, supra ostendimus.

Frustra etiam Colmanus sancti Johannis apostoli exemplum ad ritum suum confirmandum adduxit. Beatus enim Johannes et Asiatici qui ejus exemplum sectabantur, Pascha suum quarta decima luna in qualibet feria cum Judæis celebrabant; at Colmanus cum suis, non in qualibet feria, sed in die Dominica semper agebat a luna quarta decima ad vicesimam ; « novam ex veteri hæresim renovare conans (*Hist. eccl.* II, 29), » eo quod vetus, scilicet, hæresis fuit Pascha cum Hebræis semper celebrare, nova aliquando tantum, iis annis, quibus Paschæ dies Dominica in 14 lunam inciderit.

Scotti vero rectissime observarunt Anatolium eorum more a 14 luna ad 20 celebrandum Pascha scripsisse. Et responsio plane nulla est Uilfridi, dicentis Anatolium sic in Pascha Dominico 14 lunam computasse, ut hanc eadem ipsa die more Ægyptiorum 15 lunam ad vesperam esse fateretur; sic vicesimam die dominico Paschæ adnotasse, ut hanc declinata eadem die esse vicesimam primam crederet (*Hist. ecclesiast.* III, 25). Etenim procul omni dubio Anatolius Dominicam Paschæ citimam cum Quartadecimanis luna Alexandrinorum 14 admisit (*Canon. Anatol. apud Bucher.*), eamdemque ultimam nunquam ultra 20 eorum lunam diffudit. In hoc vero plane a Scottis dissensit, quod decennovennalem circulum posuerit, et disertis verbis affirmaverit ad veram Paschæ rationem nunquam pervenire eos qui cyclum LXXXIV annorum observant.

Jam autem quærendum est an juxta hunc Brittonum, Pictorum Hibernorumque cyclum idem esset, ac juxta Alexandrinorum, primi mensis initium ac finis, eædemque quartæ decimæ vicesimæque lunæ. Et quidem mihi verisimile videtur in his cyclis diversis hæc omnia esse dissimilia. Beda enim testatur Ecgberctum, quo docente Hiienses Pascha Catholicum susceperunt, anno 729 Pascha Dominicum octavo Kal. Maias celebrasse, quo die nunquam prius in eis

Digitized by Google

locis, apud Scottos scilicet, celebrari solebat (*Hist. eccl.* v, 21). Octavus autem dies Kal. Maiarum fuit luna Alexandrinorum vicesima, ideoque si Scotti eorum regulas observassent, hoc die certe festum suum egissent; quod cum non fecerint, alias in suo calculo rationes probasse illos affatim evincitur. Ex his etiam verbis id notandum venit, Paschales Dominicas intra angustiores limites conclusas fuisse apud Scottos, quam apud Alexandrinos; apud Scottos enim nunquam Pascha ad octavum Kal. Maias diffusum est: ex quo satis apposite colligendum est eos ex parte secutos esse regulas Latinorum, ex quibus antiquiores nunquam Pascha suum ultra xi Cal. Maias, Leo et recentiores ultra ix Kalendarum earumdem extendendum existimarunt. Computationem quoque eorum omnem fuisse ab Alexandrina diversissimam ulterius ostenditur ex Cummiani ad Segienum epistola, qui affirmat se decemnovennalem Nicænorum Patrum cyclum invenisse Scottico, cujus auctorem, locum, tempus incertum habuit, esse contrarium in Kalendis, in bissexto, in epacta, in 14 luna, in primo mense, in æquinoctio; suos quoque facere communem de embolismo, et embolismum de communi, neque solum una septimana, sed mense integro ab Ecclesia reliqua in celebrando Paschate disjunctos esse.

Usserius (*Brit. Eccl. Ant.*, p. 485) scribit Hibernos anno Christi 630, cyclum LXXXIV annorum secutos Paschalem Dominicam Kalendis Aprilibus, integra ante tempus in Alexandrina enneadecaeteride, a Romanis jam recepta, præstitutam septimana observasse; cum anno proxime insequente totarum quatuor hebdomadum inter utrumque calculum intercederet differentia, illis 21 Aprilis, Romanis vero 24 Martii die Pascha suum celebrantibus; quo illam Cummiani narrationem spectare minime dubitavit idem vir eruditissimus: « Misimus, quos novimus sapientes et humiles esse; et ad Romam venientes, tertio anno ad nos usque pervenerunt..... Et in uno hospitio cum Græco et Hebræo, Scytha et Ægyptiaco, in ecclesia S. Petri simul in Pascha, in quo mense integro disjuncti sumus, fuerunt. Scottorum igitur Brittonumque cyclus illi Alexandrinorum fuit multum dispar; sed an fuerit illi Latinorum similis, me non satis compertum habere fateor.

Bucherius quidem in commentario suo in Victorii canonem (*Pag.* 171) existimat Palladium ad Scottos missum anno 431, cum ceteris Ecclesiæ Romanæ ritibus Latinorum cyclum induxisse. Quod certe verisimile esse confitendum est. Cum vero affirmet Scottos juxta Baedam (*Hist. eccles.* III, 25) Pascha quandoque 13 luna peregisse, hoc non eodem sensu accipiendum est apud Bedam ac apud Bucherium. Baeda enim solummodo hoc vult, Scottos sæpius Pascha incepisse tertia decima luna ad vesperum, quando, scilicet, quarta decima etiam luna jam inceperat; incepit enim hæc, si Judæis credamus, ad vesperam diei tertii decimi.

Doctissimus vir Henricus Noris cardinalis, in dissertatione de cyclo Paschali Ravennate, annorum XCV, collegit ex Baeda ac veteri scriptore librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ, in Hibernia Victorii cyclum in usu fuisse. Sed quæ de dubiis circulis ex Baeda adducit, hoc non probant. Et licet Hibernicus auctor operis de Mirabilibus sacræ Scripturæ usus fuerit cyclo Victorii, non exinde sequetur Hibernicam Ecclesiam in investigando Paschate hanc periodum secutam esse. Aldhelmus vero abbas Melduneusis aperte scribit (*Epist. ad Gerunt.*), eos non Victorii Paschalis laterculi curriculum, quod 532 annorum circulis continetur, posteris sectandum decrevisse; sed juxta Sulpitii Severini (vel Severi) regulam, qui LXXXIV annorum cursum descripsit, Paschale sacramentum celebrasse.

## NUM. VIII [Smith. IX *b*].

### *De tonsura clericorum.*

Præter Paschalis temporis dissonantiam fuit in An- A glorum, et Brittonum Scottorumque Ecclesiis diversa etiam tonsuræ ratio. Angli enim Christiana fide, Romanis docentibus, imbuti, tonsuram illam omnibus anteponendam censuerunt, quam a consuetudine Romanorum ad suum usum traduxerant, et cujus originem ad beatum apostolum Petrum referebant, quamque iis qui vel monachi votum vel gradum clericatus habebant ferendam esse judicabant, ad formam coronæ quam in passione sua spineam portavit in capite Servator noster efflictam et figuratam. Scotti vero et Brittones Patrum et antecessorum suorum ritum imitati, tonsuram Romanorum pertinaciter repudiabant, et suam ab aure ad aurem defendebant, quæ Simoni Mago ab Anglis attributa est, et hoc nomine infamata, quo facilius nova posset admitti, quæ coronam referebat.

Qui vero tondendum caput integrum, vel rasi capitis coronam ab apostolis præceptam fuisse volunt, voces et mores novissimæ suæ ætatis illi primævæ B et apostolicæ accommodasse videntur. Mihi enim est illud longe probabilius, prioribus quatuor saltem sæculis in unum clericis supra alios fideles præceptum fuisse, ne capillo essent nimium prolixo; de corona vero aut de toto capite tondendo sermonem adhuc fuisse nullum.

Quod beatus Paulus Corinthiis omnibus fidelibus præcepit, id præcipue clericis mandatum esse testatur qui Damaso tribuitur liber Pontificalis, decretumque fuisse vult ab Aniceto pontifice qui juxta illum « constituit ut clericus comam non nutriat secundum præceptum apostolicum (*Labb. Conc.*, *t. I*). » Hinc colligere est ante Aniceti decretum solitos fuisse clericos capillos longiores habere, neque coronas in capite ex crinibus fecisse. At neque Anicetus tonsuram sphæricam instituit, sed illam solam quæ in detonsis crinibus consistit, et quæ fidelibus omnibus communis esse debuit; quin et infidelibus si qui modestiam profiterentur. Præcepto enim huic non dubium est C satisfecisse eos qui comam non ad pressum tonderent, sed paulo longiorem demitterent, cum illud solum haberetur vetitum, crines in femineum morem submittere et intonsos servare.

Ineunte vero sæculo sexto, vel certe quinto exeunte, non ante, corona jam in Ecclesiam aperte inducta videtur. Eo enim tempore, ut Gregorius Turonensis refert, natus est Nicetius Treverorum episcopus, qui « cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantum, a capillis nudum cernebatur; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam (*Greg. Tur. Vit. Patr.*, *c.* 17). » Cœpit ergo sæculo quinto corona illa clericalis; cui nulla alia res videtur præbuisse initium, nisi ea, qua tunc flagrabant episcopi, vehementissima voluntas monachorum vitæ imitandæ, qui sanctitate sua et omni virtutum genere hominum undiquaque æstimationem et reverentiam sibi conciliassent.

Ex monachis vero antiquioribus plurimos fuisse D crinitos nos docent Hieronymus (*Ad Eustoch. de Custod. Virg.*); qui excandescit adversus quosdam ritu femineo alentes comam: « Viros fuge, inquit, quibus feminei, contra Apostolum, crines; » et Augustinus monachos capillos nutrientes reprehendens his verbis: « Venalem circumferentes hypocrisim, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, ut, videlicet, qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet, Samuelem et cæteros qui non tondebantur (*De Opere monach.*, *c.* 31); et denique Epiphanius qui, hæresi 80, monachos Mesopotamiæ culpat, quod prolixam et intonsam more muliebri gestarent comam. Plerosque vero tonsos fuisse ex antiquo tum ex hac ipsa horum reprehensione liquet, tum quod Julianus, Apostata dictus, antequam Cæsar a Constantio fieret, ut melius monasticam vitam simularet, ad cutem usque tonsus est, testante Sozomeno, in Historiæ libro tertio, capite primo. Pachomius quoque, qui quarta ætate floruit, in Regulæ suæ

Digitized by Google

capite nonagesimo sexto admittit tonsuram, siquidem præcipit « ut nullus attondeat caput absque majoris imperio. » Et Paulinus Nolanus de monachis sui temporis hoc modo : « Conservuli et compallidi nostri, horrentibus ciliciis humiles, sagulis palliati, veste succincti, casta informitate capillum ad cutem cæsi, et inæqualiter semitonsi, et destituta fronte prærasi (*Epist.* 7). » Et alio loco hæc optat ut peccata sua ipsius capilli « non accisione medii tondeantur, sed ad vivum quasi novacula dente premantur (*Epist.* 4). » Simili modo Salvianus monachum Afrum depingens, eum dicit palliatum et pallidum et recisis comarum fluentium jubis usque ad cutem tonsum. Ea autem deformitate tondebant comam, ut ostenderent summam fuisse sibi voluptatem ut hominibus essent despectui. Sed quanto volebant esse contemptui, tanto majore erant in honore. Hinc plurimi clericorum monasticæ et sanctioris vitæ studio vestitum et habitum tonsuramque ascetarum assumebant. Nam brevis illa coma clericorum apud Sidonium, quæ et monachorum simul et pœnitentium communis erat cum clericis, de tali ἐπικάρσει est intelligenda. Sidonius enim nescivit an Maximus Palatinus monachum ageret, an clericum, pœnitentemne, eo quod ei erat coma brevis, barba prolixa (*Epist.* 24). Communis igitur erat tunc temporis monachorum et clericorum tonsura, eam verisimiliter ob causam, quod monachi ad summum clericatus gradum et honorem frequenter promoverentur, non mutato habitu et clerici professionem monachalem, accipiebant cum habitu et tonsura congruente. Cupiebant enim monachorum duriorem ac humiliorem vitam imitari, ideoque inanem vestimentorum pompam et sæcularem cultum sunt aspernati.

Sic lente ac sensim ad coronalem tonsuram perventum est : primis quatuor sæculis breves et modestos capillos, sed non strictim tonsos clerici gerebant. In quinto sæculo comam ad cutem usque tondebant; et sequente tandem coronis capita eorum sunt insignita. Ad clericos igitur ea tonsura quæ ad cutem nimirum crines demit, a monachis transiit, quemadmodum et a clericis postea ad monachos consuetudo capillorum coronæ. Procedente enim tempore, ævo, scilicet, Gregorii Turonensis, qui sub finem sæculi sexti decessit, monachi et clerici non distinguebantur, et idem erat tonderi et clericum fieri; unde monachi quoque ob coronam abbatum manibus traditam clerici censebantur. Et observat Ceolfridus abbas Girwensis sæculi octavi initio, non clericos solum, sed et monachos formam coronæ spineæ in capite per tonsuram præferre (*Bed.*, *Hist. eccl.*, v, 21).

Hujus autem tonsuræ figuram optime explicat Isidorus Hispalensis episcopus his verbis : « Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurei circuli, quæ regum capita cingit (*De Offic. eccl.*, *l.* II, *c.* 4). » Tonsura igitur clericalis olim non fuit parvus circulus in summo capitis vertice, sed circulus major maximam partem capitis complectens. Comparatio enim illa cum aureo circulo quo caput reges cingunt, necnon verba illa, « detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, » magnæ fuisse olim amplitudinis coronam istam manifeste docent. Et ea pars capitis quam capillus in orbem attonsus ambivit, locus coronæ fuit, quæ a fronte incipiens per tempora usque ad occipitium in orbem currens, supra aures substricta totum caput cinxit.

Hæc est figura tonsuræ clericalis, quæ per totum fere Occidentem usitata est, non vero per totum; ex A concilio enim Toletano IV certum est in quibusdam partibus Hispaniæ coronam nondum obtinuisse. Hujus autem synodi canon quadragesimus primus sic se habet : « Omnes clerici, vel lectores, sicut levitæ et sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant; non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, et una sit tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit. » Hic docemur ante an. 633, quo synodus ista celebrata est, provinciarum omnium Hispaniæ clericos tonsura coronali usos esse, eos vero qui Galliciam incolebant hanc non antea suscepisse.

Probatur ex Gregorio Turonensi Gallos coronam B gestasse; reliquum est ut jam de Roma dicam et Italia. Istiusmodi autem tonsuram ibi etiam in usu fuisse satis patebit ex picta imagine Gregorii magni, quam Johannes diaconus in istius pontificis Vita descripsit (*Lib.* IV, *c.* 84). Quæ ad capillum et barbam spectant, hic solum dicam : « Barba paterno more subfulva et modica; ita calvaster, ut in media fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, et dextrorsum reflexos; corona rotunda et spatiosa, capillo subnigro et decenter intorto, sub auriculæ medium propendente. » Gregorii igitur temporibus, quibus Augustinus in Angliam missus est, corona Romæ obtinuit. Unde factum est ut apostolici legati eamdem tondendi consuetudinem quæ Romæ viguit in Britanniam invexerint. Quod primum Anglis persuasit Augustinus, Angli postmodum Scottis et reliquis ejusdem insulæ populis; qui quidem diu et pertinaciter reluctati sunt, donec initio sæculi octavi Scoti, instantibus Adamnano et Ecgbercto, et Picti, Ceolfrido C abbate Naitono eorum regi epistolam de hac ipsa rescribente, tonsuram una cum catholico Paschate Romanam susceperunt. Brittones vero, adhuc inveterati, capita sine corona prætendebant (*Bed.*, *Hist.* *l.* v, 22).

Hanc autem Scottorum Brittonumque tonsuram in antedicta epistola accurate depingit Ceolfridus. Fatetur ipse eos ἐπικάρσει dimidia ex parte rotunda usos esse, nec Petri tonsuræ admodum dissimili, nisi quod perfectum orbem non reddebat, sed a tergo quasi interrupta et decurtata terminabatur. Sic enim eam describit : « In frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, invenies coronam. » Circulum integrum non absolvit, sed hemicyclii figuram retulit, aut lunæ in cornua coeuntis. Ea porro tonsura dicitur ab aure ad aurem in veteri libro canonum quem citat cl. Usserius, quæ ideo per Romanam abolita D est, inter plures alias causas, « ut a Simone Mago Christianos discerneret, in cujus capite cæsaries ab aure ad aurem tonsa anteriore parte, cum antea magi in fronte cirrum habebant (*Antiq. Brit. Eccl.*, *p.* 479). » Magis juxta hunc auctorem tota et « sola frons anterior tegi solebat. » Sed Simon Magus tondebat, si huic credamus, dimidiam partem, quæ frontem spectat, aliam, quæ versus occipitium est, ferro intactam. Quam tonsuræ figuram juxta Romanos et Anglos Scotti et reliqui imitabantur. Sed licet his anterior capitis pars attondebatur, tamen non attonsa est integra; pili enim in fronte usque ad aures relicti sunt, ut ex his semicirculus concinnaretur. Nam coronæ dimidiatæ fuit, vel semicirculi forma, illa Scottica tonsura, hoc uno differens a Catholica, quod non totum circuitum capitis pervaderet, sed per frontem ducta usque ad utramque aurem veniret, occipitio tonsuræ omnis immuni.

Sed quare hujus tonsuræ Simon Magus auctor di-



Digitized by Google

citur? Quis unquam docuit ante Ceolfridum abbatem Magum dimidiatam coronam instituisse? Erat quidem apud Anglos eo tempore res vulgatissima ab illo istiusmodi tonsuram sumpsisse initium; unde vero hoc isti acceperint, non ipsi explicant. Forsan autem ideo hoc affirmant, quod cum Romanæ tonsuræ quam amplectebantur sanctus Petrus ab iis auctor prædicaretur, tonsuræ gentium sibi exosarum a sua dissimilis originem, ad majorem dissidii exsecrationem, in Simonem Magum sancti Petri capitalem inimicum derivarunt. Sed plane nullam aliam ob causam a sancto Petro corona ortum habuisse dicitur, quam quod ex illo insigni et decantato Hieronymi placito Ecclesiæ singulæ in traditionum apostolicarum ordine reponant suos vetustiores et inculpatos usus. Cum enim ea est consuetudinis alicujus vetustas, ut ejus primordia memoriam hominum effugiant, facile adducitur vulgus ut credat ab iis ipsis ortum eam habere, a quibus habent et ipsæ Ecclesiæ ubivis singulæ. Ideoque si sanctus Petrus nullius tonsuræ auctor fuit, nulla ratio afferri potest cur Simon Magus inimicus ejus aliam a tonsura Petri diversam institueret. Verisimilius autem est, ut ex vetusto illo Canonum Codice apud Usserium constat, auctorem ejus exstitisse subulcum quemdam regis Loigeri filii Nil, ut ipse Patricius in sermone quodam asserebat.

Sed præter Simoniacam hanc et Petri tonsuram fuit et alia comæ tondendæ in Hibernia ratio. Nam in illo catalogo sanctorum Hiberniæ a reverendissimo archiepiscopo Armachano publicato (*Ibid.*, *p.* 474), et in tres sanctorum ordines distincto; in tertio ordine, nonnulli cæsariem, quæ eadem videtur cum antiqua tonsura, pro corona habuisse dicuntur. « Diversas regulas et missas habebant, et diversam tonsuram; alii enim habebant coronam, alii cæsariem, » more antiquo clericorum quibus comam nutrire non licebat, sed licebat cæsariem habere, id est, comam certa mensura tenus tonsam.

Columbanus Hibernus in Gallia constitutus Scottorum tonsuram aliosque ritus præferebat, uti ex concilio Matisconensi anno 624 habito et Agrestii causa coacto apparet. Agrestius autem, ut Jonas in Vita Eustasii auctor est (*Mabill.*, *Act. Ben.*, *sæc.* II), adversus beati Columbani regulam garriens, inter alias calumnias addit, capitis comam aliter tonderi, alio charactere exprimi, et ab omnium more desciscí, notans, videlicet, Scotticam tonsuram, quæ dimidiatam coronam reddebat. Eustasius aliis Agrestii calumniis fecit satis; ad tonsuræ accusationem, quia rem dissimulare non poterat, nec aliis forsitan approbari posse putabat, nihil respondit. Sed reversus e concilio Matisconensi, ut scandalum de tonsura insusitata aliisque moribus ab Ecclesia Romana alienis excuteret, sancti Benedicti regulam cum Columbani institutis conjunxit. Hinc auctor libri de Vita beatæ Salebergæ affirmat sub Waldeberti, qui Eustasio paulo post concilium successit regimine, complura monasteria ex regula duntaxat sanctorum Benedicti et Columbani ædificata fuisse; et Ordericus Vitalis Eustasium nominatim subjicit Benedictinis institutis, affirmans eum a beato Mauro Benedicti normam suscepisse (*Hist. eccl.*, *l.* VIII).

Idem autem Baeda, qui statuit Petrum tonsuræ Romanæ, Simonem Scotticæ auctorem, ait Græcos suam tonsuram a beato Paulo derivasse. Narrat enim Theodorum illum, natum e Tarso Ciliciæ, relicto suo in Oriente monasterio, Romam venisse, electumque demum esse a pontifice, ut ad archiepiscopatum Cantuariensem eveheretur; qui primum subdiaconus ordinatus, per quatuor menses exspectavit, « donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram, more Orientalium, sancti Pauli apostoli (*Bed. Hist. eccl.* IV, 1). » Sed supra ostendi Paulum nullam instituisse tonsuram. Et veri-

A similimum est tonsuram hanc Orientalem, cui auctoritatem venabantur a Paulo, non clericorum fuisse, sed monachorum, qui caput totum pressius tondebant, nullo residuo capillorum circulo, quæ erat clericorum corona. Id emergit, ni fallor, ex Baedæ verbis. Nam Theodorus monasticam amplexus erat sectam; at monachi capillos omnes detondebant, ut supra ostensum est, nulla unquam memorata corona. Cum autem Theodorus quatuor exspectavit menses, dum coma cresceret, quo in coronam tonderi posset, necesse est ut ei integrum caput tonderetur; ideoque certum videtur eum tonsuram monasticam habuisse. Germanus quoque Constantinopolitanus in sua rerum ecclesiasticarum Theoria abunde confirmat monachos toto capite tonderi. Et Dionysius Areopagita pseudonymus meminit ἀποκάρσεως, hoc est, omnium capillorum detonsionis, tanquam characteris imprimendi capiti monachali, sine quo non procederet monachi consecratio.

B Sed probabile est etiam tonsuram clericorum apud Græcos non fuisse circularem. Licet enim supradictus Germanus loquatur de corona ab Orientalibus gestata, ea tamen in omnibus Orientis locis non recepta est. Neque enim τοῦ κλήρου σχῆμα in 21 canone concilii in Trullo de Corona, sed de æquali totius capitis detonsione accipiendum est, ut fusius probavit Salmasius (*Epist. de cæs. et com.*, *p.* 449). Et Ratramnus affirmat de clericis Græcis morem iis fuisse barbam quidem non tondere, caput vero crine totum nudare.

Hæc omnino de origine, antiquitate, et diversitate tonsuræ clericalis adnotanda duxi. Neque possum non mirari tam Anglorum quam Scottorum pertinaciam, qui de re adeo indifferenti tam ferociter utrinque dimicabant. Ceolfridus testatur nunquam legi Patribus Catholicis de tonsuræ differentia aliquam fuisse controversiam; et tonsuræ discrimen non nocere, quibus pura in Deum fides, et charitas in proxi-
C mum sincera est: et tamen de hac re, etsi minuta, contentio modum fere omnem superavit. In his vero rebus, sicut ab Ecclesiæ Catholicæ sententia recedere nemini licet, ita convenit Ecclesiæ pastores sic moderari auctoritatem suam, ne imbecilles animos, propriis sensibus nimium addictos, incaute ad secessionem provocent.

## NUM. IX [Smith, XII].

### *De cantu ecclesiastico.*

Ab apostolis et apostolicis viris ecclesiastici cantus initia fuisse doctissimus cardinalis Bona in libro de divina Psalmodia tam evidenter ostendit, ut nihil ejus eruditioni adjungi possit. Jam vero quærendum est quem canendi ritum Ecclesia Anglo-Saxonica sequebatur. Legimus autem apud Baedam Augustinum et socios Doruberneusi civitati appropinquantes litaniam consona voce esse modulatos (*Hist. eccl.* I, 25, 26);
D et postea in sancti Martini ecclesia non solum orare et missas facere, sed etiam psallere solitos fuisse. Quo vero more psallebant, nisi eo quem habuit Romana Ecclesia, unde hi gentis Anglorum apostoli mittebantur. Hos autem illam cantandi rationem per Brittaniam propagasse ex eo manifestum est, quod Jacobus Diaconus a Paulino in Ecclesia Eboracensi relictus, qui cantandi in ecclesia erat peritissimus, magister ecclesiasticæ cantionis in ea provincia juxta morem Romanorum seu Cantuariorum multis fuisse dicitur (*Hist. eccl.* II, 20). Ex quibus constat morem Romanorum et Cantuariorum eumdem esse. Sonos autem canendi in ecclesia Cantianos omnes Anglorum Ecclesias didicisse Baeda alio loco disertis verbis testatur (*Hist. eccl.* IV, 1); ubi et narrat quod primus, excepto Jacobo, cantandi magister Nordanhymbrorum Ecclesiis, Æddi, cognomento Stephanus, fuit, invitatus de Cantia a reverendissimo viro Uilfrido, Eboracensi episcopo. Benedictus quoque Biscopus

Digitized by Google

Roma rediens ad monasterium suum juxta ostium fluminis Uiuri ordinem cantandi, psallendi et in ecclesia ministrandi juxta morem Romanæ institutionis suis tradidit (*Hist. eccl.* iv, 18), accepto ab Agathone papa archicantore ecclesiæ beati apostoli Petri et abbate monasterii beati Martini Johanne, quem sui futurum magistrum monasterii Brittaniis adduceret. Nec solum idem Johannes ipsius monasterii fratres docebat, verum de omnibus pene ejusdem provinciæ monasteriis ad audiendum eum qui cantandi erant periti confluebant. Post Uilfridum quoque Acca Hagustaldensis episcopus cantatorem egregium, vocabulo Maban, qui a successoribus discipulorum beati papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit et per duodecim annos tenuit, quatenus et quæ illi non noverant carmina ecclesiastica doceret, et ea quæ quondam cognita longo usu vel negligentia inveterare cœperunt hujus doctrina priscum renovarentur in statum (*Hist. eccl.* v, 20). Perspicue igitur elicitur consuetudinem psallendi, quæ apud Cantuarios et Romanos floruit, omnes Anglo-Saxonum Ecclesias edoctas fuisse.

Quod autem ad hunc Romanorum ritum attinet, quis alius auctor ejus dici potest, quam ipse Gregorius ille magnus, qui Augustinum in Brittaniam ad prædicandum misit, qui et cantandi methodum ipse instituit? Narrat enim Johannes Diaconus eum more Solomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem, cantorum studiosissimum, utiliter compilasse, scholam quoque cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituisse; et hinc esse, quod, hujus Gregorii tempore, cum Augustino, tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, Barbaros insigniter docuerunt (*Greg. Vit.* ii, 6). Idcirco Gregorii discipuli ejus canendi ritum didicerunt, et Anglorum Ecclesiis longe lateque tradiderunt.

Sanctus Gregorius Magnus cantum planum instituit, qui de plano procedens singulas notas brevis temporis æquali mensura dimetitur (*Bona de Div. Psalm.*, p. 431). Non enim variarum vocum concordem discordiam, et concinnam per intervallorum distantiam melodiam observavit; sed certos tantum limites, et terminos cujusque toni constituit, certosque vocum transitus, et progressiones secundum naturalem diatonici generis dispositionem. Observat autem Franchinus (*Lib.* i, c. 8) sanctum Gregorium in nocturnis responsoriis vehementer et dissolute somnolentos ad vigilandum hortari, in antiphonis plane atque suaviter sonare, in introitibus quasi voce præconis ad divinum officium evocare, in alleluia et versibus divino jubilo dulciter gaudere, in tractibus et gradualibus protense atque humiliter procedere, in offertoriis et communionibus quamdam servare mediocritatem.

Johannes Diaconus queritur Gallos et Germanos Gregorianis cantibus quædam propria miscuisse, cujus rei hanc reddit rationem. « Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia susceptæ modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus et repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat,

A exasperando magis ac obstrependo conturbat (*Greg. Vit.* l. ii, c. 6). Refert deinde qualiter Carolus Magnus cantum Ecclesiarum Galliæ ad Romanæ dulcedinis præscriptum revocarit, directis in Gallias ea de causa duobus cantoribus a sanctissimo papa Adriano. Scribit Henricus de Knyghton, canonicus Leycestrensis, lib. ii de Eventibus Angliæ, circa annum 1072 fuisse quemdam ignominiosum abbatem nomine Thurstinum, qui inter cæteras stultitiæ suæ ineptias Gregorianum cantum in officio aspernatus, monachos cœpit compellere, ut Uuillielmi cujusdam Fiscanensis monachi cantum exercerent. Hinc liquet quam ægre tulerint Occidentales Ecclesiæ minimam aliquam cantus Gregoriani mutationem.

## NUM. X [Smith, XIII].

*De loco quo Ceadualla rex Brittonum a rege Osualdo interemptus est.*

Camdenus aliique qui eum sequuntur existimant B nomen loci quem Baeda Denisesburna, hoc est, rivum Denisi, appellat, librariorum vitio fuisse corruptum, et legendum esse Devilesburne; cujus nominis vestigia reperiunt in hodierno Dilston, qui locus in libris antiquis nominatur Devilston. Sed omnes manuscripti Codices, consentiente testimonio, non Devilesburn, sed Denisesburn, clare exhibent. Baeda quoque (*Hist. eccl.* iii, 2) testatur ipsum victoriæ locum Hefenfelth, juxta murum Picticum, ad Aquilonem jacere; sed oppidum Dilston non solum ad austrum Muri, sed etiam Tinæ fluminis est situm. Eo ipso etiam loco Osualdus rex erexit crucem; ibique postea Ecclesia constructa est, in qua fratres Hagustaldensis Ecclesiæ vigilias pro salute sancti Osualdi facere solebant; cum autem et crux et ecclesia sancti Osualdi ad Aquilonalem plagam muri inveniuntur, sequi videtur et Hefenfelth et Denisesburn ibi quoque quærendos esse. Camdenus scribit locum quem olim Hefenfelth, sive campum cœlestem, vocarunt, hodie eodem sensu C Haledon appellari. Et quidem est oppidum nomine Hallington, quod Aquilonem versus ii vel iii mill. pass. ab Osualdi ecclesia et cruce abest, et quod, ut Thomas Errington Arm. istius prædii possessor testatur, in antiquo chirographo Haledown dicitur. Est tamen traditio quædam, viculum Bingfield priscis temporibus Hefenfelth vocatum esse. Bingfield autem inter Hallington et murum jacet, et rivulo quodam nomine Erringburn ab Hallington dividitur; et cum sit juxta murum ad Aquilonem, Bedæ descriptioni satis convenit. Sed forsan tota illa regio quæ inter Hallington et murum sita est, nomine Hefenfelth ab hac victoria olim insignita est. Juxta antiquam traditionem pugnatum est in agris de Cockley, oppido infra ecclesiam et crucem Osualdi et inter Erringburn et murum sito, et prælium forsan illud commissum est in agris Cockleianis, deinde prope Erringburn usque ad campos Hallingtonianos summa contentione sustentatum. Sed utrum pugna collata fuerit in agris D de Cockley, an in iis de Hallington, aut Bingfield; Erringburn videtur fuisse rivus Denisi sive Denisesburn, ubi Caedualla est interemptus. Est enim juxta murum Picticum et crucem S. Osualdi, ad Aquilonem, ubi Baeda illum esse inveniendum docet. Adeo celebris erat Crux illa S. Osualdi, ut Conventus Dunelmensis olim ea in Sigillo suo utebatur. Ex una enim istius parte caput S. Osualdi, et crux ejus ex altera exhibebatur: quod ex subjecta tabula (*Vid. pag. seq.*) clarius elucescet.

Digitized by Google




## NUM. X [Smith, XIV].

### *De schola a Sigbercto Orientalium Anglorum rege instituta.*

Magna jamdiu nec facili negotio dijudicanda agitata est de hac Sigberctina schola inter viros doctos controversia; aliis eam fuisse ingenuarum artium celebritate florentem toto marte tuentibus, aliis eodem studio et pari æstu grammaticalem tantum, in qua pueri lingua vernacula instruantur, affirmantibus. Qui enim academiæ Cantabrigiensis causam egerunt, et in probando eam esse, quam sit illa Oxoniæ, antiquiorem, multum non tam laboris, quam ut ipsis videbatur, officii collocarunt; dederunt operam, ut mirifica verborum elegantia, gravitate et copia scholæ hujus laudem celebrarent, et liberales disciplinas a pio rege erga bonas litteras et viros litteratos egregie animato ibi si non renovatas, constitutas tamen et quasi in tuto positas prædicarent. Oxonienses vero, quibus academiæ Cantabrigiensis antiquitas ita molesta est, ut quicquid ætatis illi conceditur, suæ detractum putant; omni qua possunt industria famam ejus eruditorum plurium approbatione nixam labefactare invidi conantur, recte sentientes Sigbercti scholam multis annis Aluredianam antecessisse. Cum ergo hoc de quo jam ambigitur, inter celeberrimas litterarii orbis academias, et utrinque inter viros doctrinæ et ingenii fama illustres disceptatur, huic controversiæ me tantis litibus dirimendis imparem non immiscuissem, nisi Bedæ auctoris nostri explicandi necessitas quædam, magis quam voluntas mea, impulisset. Coactus igitur, quid de hac re cogito, in medium proferam; et ut clarius innotescat, qua cum parte veritas stet, ipsius Bedæ locum sic se habentem expendamus.

« His temporibus regno Orientalium Anglorum post Earpualdum Redualdi successorem Sigberct frater ejus præfuit, homo bonus ac religiosus: qui dudum in Gallia dum inimicitias Redualdi fugiens exsularet, lavacrum baptismi percepit, et patriam reversus, ubi regno potitus est, mox ea quæ in Galliis bene disposita vidit imitari cupiens, instituit scholam in qua pueri litteris erudirentur: juvante se episcopo Felice quem de Cantia acceperat, eisque pedagogos ac magistros juxta morem Cantuariorum præbente.

Anne vero his verbis *pædagogium vulgare* tantum depingitur, *ubi, præter documenta quædam pueros ad religionem virtutemque informantia, quæ lingua etiam patria tradi solebant nihil viguisse est fatendum?* (*Antiq.*

A *Oxon*. p. 35.) Scholam suam plane ad studiorum in Gallia normam rex sapientissimus accommodavit, magistrosque, quales scholæ Cantuariorum præfecti sunt, præposuit suæ.

Nihil autem liquidius constat, quam quod Gallia celebrioribus scholis et præceptoribus liberalium doctrinarum cognitione excellentibus referta semper esset. Illam enim *semper abundasse eloquentissimis viris* (*Hieron. adv. Vigil.*) et in civili jure eruditis, nostratibusque dicendi olim magistros præbuisse testatur Juvenalis:

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Antoninus etiam cognomento Pius « rhetoribus et philosophis per omnes provincias, ideoque per Gallias, et honores et salaria detulit. » (*Jul. Capit. in Vit. Anton. Pii.*) Et Tacitus de Augustoduno loquens (*Annal.* III, 43), « nobilissimam ait Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam. » Cumque civitas illa latrocinio Bagaudicæ rebellionis obsessa esset ac gra-

B vissima clade perculsa, « antiqua illa litterarum sedes Mænianæ scholæ (*Eumen. de schol. instaur.*), » quondam pulcherrimo opere et studiorum frequentia illustres barbarorum rabie dirutæ sunt; quas tamen Constantius, « honestissimam ibi Galliarum juventutem ingenuis artibus eruditam » videns, ad pristinam gloriam restituit. Nec minus præclarum est certamen Græcæ Latinæque eloquentiæ apud Lugdunensem aram; quodque a Plinio notatur (*Epist.* IX, 11): « Lugduni bibliopolas esse non putabam. » Unde verissime colligitur civitatem hanc sub primis imperatoribus fuisse omni doctrina florentissimam. Odilo etiam Cluniacensis abbas in libro de Vita Maioli Lugdunum urbem « philosophiæ nutricem ac matrem appellat, quæ totius Galliæ ex antiquo more et ecclesiastico jure non immerito retinet arcem. » Idem in libro de Vita Adalheidis Aug.: « Lætabatur, inquit, adventu ejus tota Burgundia, exsultabat Lugdunum philosophiæ quondam mater et nutrix. » Et in libro de Mi-

C raculis S. Aigulfi abb. Lerinensis, qui Sigberctino sæculo claruit, legimus « clericum quemdam dixisse se esse canonicum Lugdunensis Ecclesiæ et de scholis venire. » (*Mabill.*, *sæc.* II, *p.* 669.) Q. Symmachus etiam, qui Valentiniani et Theodosii temporibus cæteros suæ ætatis solerti ingenio et vera facundia antecelluit, fatetur (*Epist.* IX, 88) se « quidquid in se est cœlo Gallico debere, præcepta rhetoricæ pectori senem Garumnæ alumnum immulsisse, et esse sibi cum Galliarum scholis per doctorem justam cogna-

Digitized by Google

tionem. » Missas facio Massilienses scholas vetustate et claritate nobilissimas, et doctissimos illos professores (*Auson. Profess.*), qui Narbone, Tolosæ, Burdigalæ et apud Pictavos juventuti docendæ præfecti sunt, et municipalem denique scholam (*Auson. in grat. act. ad Grat.*) apud Vesontionem. Præterea etiam quod Hieronymus ad Rusticum monachum scribit de studiis Galliarum, quæ illo tempore vel celeberrima fuerunt; quia inter utriusque Academiæ patronos hujus loci sensus magno impetu et pertinacia etiamnum disputatur.

Ad Gratiani autem Constitutionem pergo (*Cod. Theod.* XIII, 3, 11), in qua præcipitur, « ut in singulis urbibus quæ metropoles vocantur, optimi quique erudiendæ præsideant juventuti, rhetores scilicet et grammatici Atticæ Romanæque doctrinæ. » Cum vero grammaticos audimus, non primarum litterarum magistros accipimus: verum tam late eorum pomœria procurrisse scire oportet, ut quidquid humanioris fere litteraturæ est, ambitu suo complecterentur, atque adeo grammaticos quosdam Latinos Burdegalenses philologos Ausonius vocat. Singulæ igitur in Gallia civitates archiepiscopales, et [a] nonnullæ etiam ex insignioribus urbibus, etiamsi metropoles non essent, Gratiani tempore professores publicos habuerunt. « Unde brevi, ut ad hanc legem Hospinianus notat (*De Templis*, p. 419), adeo liberalium artium et linguarum studia ibi florere cœperunt, ut divus Hieronymus in epistola quadam ad Rusticum Galliam studiis florentissimam appellarit. »

Quandiu igitur Gallia Romanæ ditioni suberat, acerrimis ingeniis, liberalissimis studiis, optima doctrina excellebat. Irruentibus vero Barbaris nationibus, et per longum temporis spatium Europam fere universam ferro flammaque vastantibus, rerum facies adeo mutata est, ut jacturam maximam fecerint et artes simul et religio. Sed quamvis disciplinæ, dum furor bellicus per omnia sæviret, ubique frigere et collabi cœperunt, tamen non sunt penitus conculcatæ. Fides enim Christiana in Gallia, impiorum licet irruptionibus diu et plurimum vexata, semper viguit, semperque Gallicanam ornabant Ecclesiam Latinis saltem litteris eruditi episcopi. Neque enim fieri potuit ut doctrina omnis artiumque scientia prorsus extinguerentur, religione salva. Hinc videtur non maxime a veritate alienum, Galliarum episcopos prudentissimam illam erudiendæ juventutis rationem a Gratiano principe olim institutam, licet non uberrima ea qua sub propitio Romanorum imperio poterant utilitate et fructu, ea tamen qua poterant, semper observasse.

Verum ex quo Francorum reges, rejecto cultu idolorum, se sanctæ Christi Ecclesiæ adunaverint, artesque simul et vera religio emerserint, moris hujus non obscura vestigia apud eorum temporum historicos reperies. Gregorius enim ille Turonensis sub Gallo episcopo litterarum studiis mancipatus est (*Greg. Tur. Vit. in ejus Oper.*). Et Gregorius Magnus Desiderium Viennensem vehementer objurgavit, quod grammaticam exposuit et sæcularibus litteris studuit (*Joan. Diac. Greg. Vit.* III, 33). Sanctus Germanus quoque abbas Grandivallensis traditus est beato Modoaldo Trevirensi episcopo, qui cum eum sagacis ingenii cerneret puerum, liberalibus litteris erudivit (*Mabill. Act. Ben. sæc.* II, *p.* 511). Cyprianus porro et Messianus presbyteri una cum Stephano Diacono, qui vitam, res gestas, virtutes et miracula sancti Cæsarii Arelatensis scripserunt, erant ejusdem Cæsarii discipuli. Frodobertus etiam abbas Cellensis apud urbem Trecassinam pontificis Ragnesili scholis parentum studio mancipatur. Ac Leodegarius Augustidunensis episcopus a Didone Pictaviensi fuit strenue enutritus, et diversis studiis quibus sæculi potentes studere solent, adplene in omnibus disciplinæ lima est politus (*Ibid.*, *p.* 681). Præjectus denique Arvernensis episcopus in Schola Iciodrensis episcopi litteris eruditus est (*Ibid.*, *p.* 646).

Sed per varias bellorum procellas quæ sæculo octavo Galliam infestarunt, cum otia et quies amica Musis fuissent prærepta, ubique litterarum studia languebant, donec Carolus Magnus ea postliminio excitavit denuo, et strenue laboravit, ut in episcopalibus civitatibus scholæ publicæ ibi antiquitus constitutæ instaurarentur. Quamobrem epistolam generalem ad metropolitanos, episcopos, abbates et alios misit, ut « episcopia et monasteria præter regularis vitæ ordinem etiam in litterarum meditationibus docendi studium impendant. » Et proinde episcopi et abbates in concilio Cabilonensi II congregati juxta hujus sapientissimi imperatoris præceptum decernunt: « Oportere se scholas constituere, in quibus et litteræ solertia disciplinæ, et sacræ Scripturæ documenta discantur. »

Idem curavit Ludovicus Augustus ejus filius, ut constat tum ex ipsius Vita et concilio Parisiensi II, tum ex Wandalberto Prumiensi monacho, in præfatione ad Vitam sancti Goaris, ubi scribit apud Gallias multos annos litterarum studia jacuisse, quousque sua ætate principum liberalitate et optimorum virorum solertia disciplinarum studia profecerunt. Hoc etiam ipsum statuerunt Eugenius II et Leo IV pontifices, in duobus conciliis Romæ habitis, ex quibus posterius prioris canones confirmat. Canon autem qui ad hanc rem pertinet, sic se habet: « De quibusdam locis ad nos refertur, non magistros neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis episcopiis subjectisque plebibus et aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum liberaliumque artium ac sancta habentes dogmata, assidue doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata. » Simile etiam confirmatur in concilio Valentino III, Lotharii imperatoris jussu in causa Valentini episcopi celebrato. Ex his autem liquet nihil in synodis superius memoratis præcipi quod non fuit antiquitus institutum, neque scholas in episcopiis singulis, principibus his et præsulibus auctoribus, nuper erectas esse, sed potius eorum munificentia et consiliis ad splendorem pristinum revocatas.

Nec solum apud ecclesias quas exornat episcopalis cathedra scholæ exstiterunt, sed in monasteriis etiam juventus in pietate, religione et bonis litteris erudita est. Quot viri magni, non tantum Gallicanæ, sed etiam catholicæ Ecclesiæ lumina, Lirinensium disciplina et cura instituti sunt? Quandiu enim Lupi Trecensis, Honorati et Hilarii Arelatensium, Maximi Regiensis, Eucherii Lugdunensis, Vincentii Lirinensis laus et commendatio, quam credo perpetuam fore ac perennem, tam a Christiana quam litteraria republica celebrabitur, tandiu etiam hujus illustrissimi monasterii fama et gloria in ore doctissimorum omnium permanebit. Iltutus quoque, natione Britannus, et e discipulis sancti Germani, in suo monasterio geometriam, rhetoricam, grammaticam et arithmeticam docuit; fuitque omnium artium peritissimus; ex cujus schola singulari doctrina et mirifica scientia viri in Gallias profecti sunt, inter quos præcipui Gildas Ruyensis abbas, Samson et Maglorius Dolenses episcopi, et Paulus episcopus Oxismiorum, qui in suis quæ condiderunt cœnobiis eadem colenda studia quæ a magistro didicerant procul dubio statuerunt. Et sanctus Columbanus Hibernia oriundus ibique liberalibus studiis instructus, et postea in monasterio Banchorensi regularis disciplinæ cultui operam dans, cum duodecim fratribus in Gallias transiit, conditisque duobus monasteriis, Francorum animos ad ingenuarum doctrinarum scientiam adeo accendit, ut brevi schola ejus Luxovii ingenti discipulorum frequentia et copia augeretur (*Ibid.*, *p.* 8). Eustasio

[a] *Nonnullæ.* Augustodunum, *Tolosa*, *Pictavi*, *Massilia*.

enim doctore, qui in regendo Luxoviensi monasterio A Columbano successit, quamplurimi in morum castitate et ingenuis artibus adeo informati sunt, ut inde vitæ integritate et doctrinæ fama commendati in abbates et episcopos electi essent (*Ibid.*, *p.* 118). Neque prius ordinis sui apud Sublacum fundamenta posuit sanctus Benedictus, quam puerorum institutionem in se susceperit. Testes sunt Maurus et Placidus senatorii generis pueri, aliique quos a tenerioribus annis educavit, et pietatis literarumque studiis erudivit. E quibus Maurus in Galliam adveniens monasterium prope Aureliam exstruxit, ubi multorum nobilium pueri ab eo aliisque doctoribus omni eruditione sunt imbuti. Hujus etiam opera Benedicti regula in Gallias invecta, monasteria ubique surgere cœperunt, in quibus humaniores litteræ et disciplinæ omnes docebantur. Benedictinorum denique scholæ adeo florebant, ut plurimi non solum vitæ sanctitate insignes, sed et omni studiorum genere præstantissimi ad pontificales infulas sunt evecti.

B Forsan etiam alii fuerunt loci in Galliis præter episcopia et monasteria, in quibus omnis studiorum facultas Sigbercti temporibus vigebat. Omisso enim quod aliorum locorum mentio facta sit in duobus Romanis conciliis supradictis, videntur nonnulli bonas litteras alibi didicisse, quam in episcopalibus et monasterialibus scholis. Aliquos quidem in aula regia educatos, et disciplinis quibus erudiri nobilium liberos decet, ornatos novimus. Alios quoque legimus probatissimis magistris traditos fuisse liberalibus doctrinis imbuendos, quos tamen non liquet in episcopiis aut cœnobiis earum cognitionem consecutos esse.

Ostenso igitur quod scholas, quas bene dispositas imitaretur Sigberct, Gallia plane habuerit, in quibus juvenes elegantioribus litteris expolirentur, et præceptis philosophiæ informarentur, proximo loco quærendum est qualis illa fuerit schola Cantuariorum. In iisdem certe artibus tractandis atque cognoscendis C apud Cantuarios, ac in Gallia, adolescentes curam suam maximam posuisse ex hoc ipso Bedæ loco patet : quod non mediocre est argumentum scholam etiam in Cantia institutam, perinde ut eas in Galliis, ingenuarum artium fuisse domicilium. Hoc etiam ex eo confirmatur, quod sanctus Livinus per quinquennium institutorem habuit sanctum Augustinum primum Cantuariæ antistitem, et tam in sacris quam humanis litteris feliciter eruditus ab eo presbyteratus gradum suscepit (*Ibid.*, *p.* 455). Gotselinus quoque in Vita sancti Augustini testatur Aedilberctum regem episcopia et monasteria condidisse, in eum procul dubio finem, ut viri eruditi a Gregorio in Britanniam missi ibi litteras docerent, et Anglos ad fidem Christi conversos ad omne ecclesiasticum officium instruerent. Hinc licet in primis hujus Ecclesiæ cunabulis ecclesiastica munera a peregrinis hominibus necessario essent obeunda, defunctis tamen sancti Gregorii discipulis, ex nostratibus inventi sunt qui epi- D scopali dignitate et cathedra honestarentur. « Paulino enim Hrofensi de hac vita substracto, Honorius archiepiscopus in ejus locum Ithamarum ordinavit, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione antecessoribus suis æquandum; in quo nihil perfectæ sanctitatis quantum ad vitam, nihil elegantiæ Romanæ quantum ad scientiam desiderares; ita primus in patriam pontificalis honoris in Angli persona ferens gratiam, provincialibus suis nonnullum dignitatem adjecit (*Bed. Hist. eccl.* III, 14). » Quo mortuo, Deusdedit consecravit Damianum (*Hist. eccl.* III, 20), qui de genere Australium Saxonum erat oriundus; et ubi post obitum Damiani episcopatus jam diu cessaverat, ordinavit Theodorus Puttam et ecclesiasticis disciplinis et modulandi peritia more Romanorum a discipulis beati papæ Gregorii institutum. Defuncto quoque Thoma Orientalium Anglorum episcopo (*Ibid.*), Honorius Berctgilsum cognomine Bonifacium de provincia Cantuariorum loco ejus substituit. Postquam etiam Honorius metas sui cursus implevisset, electus est archiepiscopus cathedræ Doruvernensis Deusdedit de gente Occidentalium Saxonum; quo migrante de sæculo, reges Osuiu et Ecgberct assumpserunt cum consensu ecclesiæ virum bonum, et aptum episcopatui presbyterum nomine Uighardum (*Hist. eccl* III, 29), qui a Romanis beati Gregorii papæ discipulis in Cantia Durovern, scilicet quæ urbs, ut Lelandus scribit, tunc academiæ præ se ferebat speciem, fuerat omni ecclesiastica institutione sufficienter edoctus. Erkenualdus denique sub Theodoro archipræsule episcopus Lundoniensis, discipulus fuit beati pontificis Melliti (*Leland. Collect. vol.* I, *p.* 20). Ex quibus exemplis, feliciter satis et cumulate probatur ante archiepiscopum Theodorum summam docendæ juventutis curam fuisse apud Cantuarios adhibitam.

Nec infirmum hujus rei argumentum est, quod Baeda noster de Codicibus plurimis mentionem fecerit (*Hist. eccles.* I, 29), quos Gregorius, postquam in Anglia omnia quam prospere successisse audiverat, Augustino misit, ut gens Saxonica litterarum omnium studio versaretur. Quem postea imitatus Benedictus Biscop monasterium suum, crebris itineribus ratione illa Romam confectis, magna librorum copia locupletavit. Si autem licet conjecturam facere de libris quos Gregorius misit, ex iis quos Benedictus secum Roma abduxit, universas certe artes liberalissimas doctrinasque sunt complexi. In hujus enim monasterio Baeda ipse educatus ingenue, et in legendis libris ab illo undique collectis tempus fere totum consumens, disciplinis omnibus se instruebat. Nec quidem verisimile est Benedictum sui privati cœnobii diligentiorem, quam Gregorium integræ Saxonicæ Ecclesiæ, curam habuisse.

Equidem pluribus in locis præter Cantiam se juventus Anglica litterarum et humanitatis studiis dedebant. Aidano enim natione Scotto in Angliam accersito, ut ejus doctrina et ministerio gens Nordanhymbrana fidei Christianæ gratiam acciperet, donabantur a rege Osualdo « possessiones et territoria ad instituenda monasteria, et præceptoribus Scottis parvuli Anglorum una cum majoribus imbuebantur studiis, et observatione disciplinæ regularis (*Hist. eccl.* III. 3). » Ex Aidani Schola illustri prodierunt viri et eruditionis fama et celebritate nominis florentissimi, quorum ex doctrina et industria fructus cepit uberrimos tam ecclesiastica quam litteraria respublica. Nec pejus de ecclesia merita est monasterialis sanctæ Hildæ schola apud Streaneshalch (*Hist. eccl.* IV, 23), quæ istam præcipue habuit gloriam, ut ex ea non pauci ad summum ecclesiastici honoris apicem evcherentur. Si autem in aliis nostræ Britanniæ Scholis juventus litteris omnibus exculta sit, nullus datur dubitandi locus, quin in sede omnium in Britannico orbe potentissima artes maxime floruerint. Neque enim hoc obscure ab historicis notatur. Nam « sanctus Uilfridus postquam aliquot annos apud Lindisfarneses transegerat, aliquandiu, Honorio gradum archiepiscopi tenente, apud Cantuarios demoratus, diligenter his quæ inspiciebat discendis operam dabat (*Hist. eccl.* v, 19). » Et « Oftfor in utroque Hildæ abbatissæ monasterio cum lectioni et observationi Scripturarum se dedidisset, tandem perfectiora desiderans venit Cantiam ad archiepiscopum Theodorum (*Hist. eccl.* IV, 23). » Hinc abunde convincitur scholam Cantianam studiis saltem theologicis cæteras longe antecellere. Cum autem reliqua omnia studia istis temporibus ad theologiam referebantur, eoque viam faciebant humaniores litteræ artesque liberales, ut probant ipsius Baedæ libri disciplinarum ingenuarum totum ambitum complexi, necesse est etiam in artibus docendis Cantuariorum academiam aliis præstitisse.

Schola igitur apud Doruvernenses constituta satis celebris fuit etiam ante Theodorum archiepiscopum (*Hist. eccl.* IV, 2). Cum vero præsul ille doctissimus

Digitized by Google

cum Hadriano abbate Britanniam pervenerit, ampliorem illam longe et illustriorem reddidit. « Et quia litteris sacris simul et sæcularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, astronomiæ et arithmeticæ ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. » Et eorum discipuli fuerunt adeo eruditi, ut Latinam Græcamque linguam æque ut propriam in qua nati sunt norint, inter quos erat Albinus qui Hadriano in monasterii regimine successit (*Hist. eccl.* v, 20), et Aldhelmus Schireburnensis episcopus.

His igitur rationibus aperte comprobatur et Gallias et Cantiam tam artium quam theologiæ antiquitus studio inclaruisse. Cum vero duo eruditissimi apud Oxonienses viri et de re antiquaria optime meriti, alter in sua ornatissima Historia et Antiquitatibus universitatis Oxoniensis, alter in lectissimis suis Adnotationibus, quibus Aluredi magni Vitam a litterato equite Johanne Spelmanno scriptam et a se nuper editam illustravit, Sigberctinam erga scholam male animo affecti, multum operis et diligentiæ ad celebritatem ejus evertendam contulerint, instituti mei ratio postulat ut si quid habeam quod eorum argumentis respondeam, in medium denuo proferatur.

Fullerus autem, in Historia quam de Ecclesia Britannica Londini edidit, sua saltem sententia perspicue satis ostendit, apud Gallos artes ingenuas magnopere invaluisse, ex his sancti Hieronymi ad Rusticum monachum verbis : « Audio religiosam te habere matrem, quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac post studia Galliarum quæ vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, ac absentiam filii spe sustinens futurorum, ut ubertatem Gallici nitoremque sermonis gravitas Romana condiret. » Sentiunt tamen viri hi doctissimi « nihil amplius exinde colligendum, quam monachum illum lingua vernacula probe instructum, magistri puta Gallicani auspiciis et in schola tantum grammaticali, Romam se matris impulsu contulisse, ut artibus viro accommodis, hoc est, academicis, ingenium expoliret. Quod quidem, inquiunt, opus facto non fuisset, si Universitas jam tum in Gallia floruisset (*Antiq. Oxon.*, p. 35). »

Veruntamen si de iis quæ supra adnotavimus de Gallorum scholis nullo artificio, nulla subtili interpretatione, se poterint expedire, necesse est illos beati Hieronymi verbis vim maximam inferre. Ille enim eloquentissimus Pater certe nihil aliud vult quam quod Rustici mater eum Romam miserit, quasi ad academiam omnium in Romano imperio nobilissimam. Eo enim adolescentes studiorum gratia ex omnibus provinciis confluebant. Hinc ex Africa juventus, licet et « illic artium liberalium scholæ (*Salvian. de Gub. Dei. lib.* vii), illic philosophorum officinæ, cunctæ denique vel linguarum gymnasia vel morum » exstiterunt, cupiditate discendi ad potentissimæ civitatis professores se conferebat : cumque alioquin Africa jam olim nutricula causidicorum audiret, « S. Augustinus (*Lib.* vi *Conf.*, *cap.* 8) Romam processerat, ut jus disceret. » Eodem modo ex ipsa Gallia scholares addiscendo juri certatim eo commeabant. Sic Paulinus Nolanus (*Vid. Vitam ejus cum Opp. editam*) Burdigalæ præceptorem habuit Ausonium, sub quo in poeticis et rhetoricis studiis mirum quantum profecit : Ausonio tamen a Valentiniano in aulam evocato, ut Gratiani filii studiis præesset, Paulinus, Burdigala relicta, Romam profectus est, ibique causas forenses magna felicitate tractavit. Rutilius quoque Numatianus de Palladio quodam Gallo agens (*Itin.* i, *vers.* 207-8) :

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus, Romani discere jura fori.

Et S. Germanus (*Vide Vitam ejus a Constantio scriptam*) A ut « in eum profectio litterarum plena conflueret, post auditoria Gallicana intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecit. » Similiter Q. Symmachus, qui apud Gallos eloquentiæ addiscendæ incubuit juvenis, postea « in domicilio Latiaris facundiæ otio et studio torpere se » scribit (*Lib.* viii, *ep.* 68). Rusticus igitur, ut ferebat eorum temporum consuetudo, Romam profectus est, non quod Galliarum scholæ bonarum litterarum studiis non essent vel florentissimæ, sed ut facundiam, qua apud suos imbutus est, elegantia et gravitate Romanorum ingeniis insita condiret, ut sale Romano Gallicanam siccaret abundantiam, et juris scientia, quæ tunc potissimum Romæ viguit, ornaretur. Denique ut magis appareat quales scholæ sæculo Hieronymiano apud Gallos fuerint, liquet illis temporibus Salonium (*Eucher. Lugd. ep. ad Salon., et Gennad. Catal. vir. ill. in Salv.*) et Veranum in Lirinensi insula sub Honorato et Hilario magistris primo enutritos, deinde B fuisse *consummatos* a doctissimis viris Salviano et Vincentio, qui humana et divina litteratura instructi eloquentia pariter cæterisque studiis excellebant. Eodem tempore Sidonius Apollinaris (*Vide ejus Vitam a Savarone scriptam*) Arvernensis in disciplinam traditus est ludimagistris celebribus Eusebio et Oeno sub quibus cum litteris Græcis et Latinis strenuam navasset operam, tandem omni cura indulsit philosophiæ, mathematicis, jurisprudentiæ, quibus rebus ante alios eruditior evasit. Qui etiam laudat Hecdicium nobilem Arvernum (*Sid. Apoll.*, *l.* iii, *ep.* 3), quoniam ob « ejus pueritiæ gratiam Arvernum undique gentium confluebant studia litterarum ; » eique debebatur, quod « sermonis Celtici squamam depositura nobilitas, nunc oratorio stylo, nunc etiam camenalibus modis imbuebatur. » Hoc modo quoque Sidonius Aspro cuidam ex matre Arverno scribit (*Ep.* 21, *l.* iv) : « Hic te imbuendum liberalibus disciplinis grammatici rhetorisque florentia studia monitu C certante foverunt, unde tu non tam mediocriter institutus exiisti, ut tibi liceat Arvernos vel propter litteras non amare. S. Remigius quoque Rhemensis fuit episcopus « egregiæ scientiæ » (*Greg. Tur.*, *Hist. Franc.*, *l.* ii), et apud suos « rhetoricis adprime imbutus studiis. » Postremo, legimus (*Mabill.*, *Act. Ben.*, *in Vita Cæsarii Arel.*) Julianum Pomerium gente Maurum in Galliam profectum, et in civitate Arelatensi scholam rhetoricam aperuisse. Quamvis igitur, ne in verbo ludamus, Universitas proprie dicta, quatuor facultatibus constans, in qua certi honoris gradus litteratis solemni ritu conferuntur, B. Hieronymi ætate non floruerit, pro certo tamen exstiterunt academiæ sive scholæ, in quibus liberalia studia colebantur.

Jam autem spero in defendendis Galliarum scholis a me cumulatissime satisfieri : restat tamen Cantuariensium insigne gymnasium ab Oxoniensium objectionibus vindicandum. Ostendit autem Fullerus Sig- D berctum scholam suam ad Cantuariensium exemplar omnibus modis conformasse. E contra historiographus Oxoniensis ille celeberrimus affirmat (*Antiq. Oxon.*, p. 55). Baedam nihil de civitate ipsa Cantuariæ, sed « de integra provincia locutum, » juxta morem « Cantuariorum habere. » Sed probent Oxonienses, si possint, auctorem nostrum per totum opus suum ecclesiasticum vocem hanc de integra provincia unquam intellexisse. Est porro verisimillimum Cantuariorum provinciam Sigbercti tempore intra modicos regni Cantiæ fines fuisse circumscriptam. Licet enim archiepiscopi Doruberneses metropoliticum jus in regiones alias asseruerint, constat tamen neminem ex iis tantam potestatem ante Theodorum plena auctoritate possedisse. Sed ut objectioni huic levi abunde respondeam, patet ex hoc Baedæ loco vocem Cantuariorum vel de ipsa Cantuaria, vel summum de diœcesi ista accipiendam. Nam dicitur Sigberctum auxilio suo juvasse episcopus « Felix quem de Cantia acceperat. » Nihil autem affert nobilis ille

Digitized by Google

antiquarius, quare eum qui de Cantia advenerat, putemus magistros non præbuisse juxta quod in Cantia fieri viderat, sed juxta morem integræ Cantuariorum provinciæ, cum tamen nusquam, ubi laudabiles Cantuariorum consuetudines notaret, nisi in ipsa Cantuaria apud Honorium archiepiscopum, commoratus sit (*Hist. eccles.* II, 15). Postquam enim de Burgundiorum partibus ad archiepiscopum venisset, eique indicasset desiderium suum, de Cantuaria certe Honorii sede missus est ad prædicandum verbum vitæ Orientalibus Anglis. Tandem vero Oxoniensis orator præ suo nimirum facili et liberali in adversarios animo concedere dignatus est, Baedam « morem Cantuariensium sensisse, eorumque vestigiis instituisse Sigberctum, » strenue tamen contendit, « si scriptores omnes audiamus, præter pædagogium vulgare ac documenta quædam pueros ad religionem informantia, quæ lingua etiam vernacula tradi solebant, nil ibi viguisse fatendum. » Verum neminem adeo audacem ac temerarium fore arbitrabar, ut de alicujus rei veritate ad scriptores omnes provocet, nec tamen unum ex iis testem citare possit qui fidem assertioni suæ faciat. Quoniam igitur iis qui libere affirmantur, nullo periculo negatione simplici respondetur, vel nullos omnino scriptores pro iis facere fateantur Oxonienses, vel assertionem suam, quam negamus prorsus, testium aliqua tandem auctoritate confirment.

Pergit vero suo modo Oxoniensis, et stylo superbiente satis et censorio Fullerum, qui sedente apud Cantuarienses Theodoro geometriæ, arithmeticæ musicæque prælectiones Cantuariæ exstitisse a Baeda haberi refert, « falsarium nequissimum » vocat. Sed, bone vir, animus tuus plus quam sat est concitatus et constantiam ac sanitatem ferme videtur amisisse. Nihilne, « ne tantillum quidem apud Baedam occurrit de loco, quo Theodorus ille et Adrianus scholas aperuerint? Nonne hoc ipso capite in quo de eorum schola Baeda loquitur (*Hist. eccles.* IV, 2), apertissime pronuntiat musicam ecclesiasticam eatenus, hoc est a temporibus discipulorum B. papæ Gregorii ad Theodorum usque, in Cantia notam fuisse ac celebrem? Quo concesso, anne verisimile est eruditissimum illum archiepiscopum, qui proculdubio liberales scientias non tantum tuebatur, sed ubicunque eas invenerit positas, auctiores reddidit, artem musicam aliasque quibus juvenes a Gregorii discipulis in Cantia institutos esse supra probavimus, adventu suo e Cantia, e propria Ecclesia ac sede exterminasse? Hoc quidem barbari, rudis et indocti est: verum non sapientissimi, non Theodori. Quod si igitur in Cantia schola fuit liberalium disciplinarum domicilium, quo in loco melius eam collocabimus quam Cantuariæ, ubi Theodorus suam archiepiscopalem cathedram habuit, et Adrianus monasterio præfectus est, in quo cum suis apte degere, et maximam erudiendæ juventutis curam gerere potuisset? Denique Baeda ipse in præfatione sua ad Historiam, ut omnem de hac re dubitationem penitus tollam, disertis verbis testatur, « Albinum abbatem reverendissimum virum et per omnia doctissimum, in Ecclesia Cantuariorum a beatæ memoriæ Theodoro archiepiscopo et Hadriano abbate viris venerabilibus atque eruditissimis institutum. » Et ex Baeda supra ostendimus, Oftforum perfectiora desiderantem venisse Cantiam ad archiepiscopum Theodorum. Berctualdus etiam (*Leland., de Script., in Berthowaldo*), postea archiepiscopus, relicto Glastoniensi monasterio, Cantiam migravit eo consilio, quo reliqua Saxonum ingenuorum turba; quæ ad Theodorum et Adrianum tanquam ad bonarum litterarum fontes ipsos confluebat ingenti juxta ac ardenti studio discendi. Qui et habuit Aldhelmum contubernii sodalem (*Malms., de Pontif. l.* v), et cum eo pariter litteris studuit. Et Tobias Hrofensis Doroverni Cantiorum educatus (*Leland., in Tobia*), præceptoribus his undecunque doctissimus usus est. Malmsburiensis quoque de sancto Ald-

A helmo scribit parentem ejus non degeneris magistri scholæ tradidisse filium primis imbuendum elementis, sed Adriano abbati sancti Augustini. « Cumque jam majusculus e Cantia in Uuest-Saxones remeasset, in Meldunensi monasterio liberales artes plenitudini scientiæ adjecit: quas tamen ut medullitus combiberet, iterum Cantiæ studuit ad pedes Adriani. » Videmus ergo Theodorum in ecclesia sua juvenes docuisse, discipulosque Adriani in Cantia ad pedes ejus studuisse, in schola certe beati Petri monasterii, cui Cantuariæ abbas præfuit, supra omnes fere sui sæculo doctos viros litteratus. Quibus igitur inurenda est infamis illa Falsarii macula, qua Fullerus ab eorum iracundo nimis et moroso oratore indignissime notatur, Oxonienses ipsi judicent.

Ideo nullo modo congruum videtur Cricladæ id gloriæ tribuere, ut juxta anonymum quemdam ibi Theodorum aliquando prælegisse dicamus. Cum enim superius monstravimus ex indubitatæ auctoritatis scri-
B ptoribus, Anglorum gentem illum in Cantia magistrum habuisse, nihil moramur incertum aliquem sine nomine, sine pondere, sine fide auctorem. Neque enim cum ipsis qui eum laudant satis convenit; nam personæ ac temporis quoque ratione dissentit, Greekesladam a Theodori institutoris disciplina sic fuisse dictam asserens, cum revera Theodorus, ut Twynus quidem affirmat, restitutor tantum accesserit iis Scholis (*Lib.* II, *sect.* 8). Si autem Oxonienses, per quod hic innominatus scriptor de Theodoro apud Greekeslade tenente scholas scripsit, suæ causæ firmamenti aliquod sperant adjungere, totum ejus et integrum testimonium verum esse defendant; non est enim cur testem vera falsis miscentem audiamus. Quod tamen non facturos opinor, ne Greekladenses scholas a Theodoro erectas Sigberctinis posteriores esse fateantur.

Objectant vero iterum Oxonienses quod « eos in quorum usum Sigberct scholam instituit pueros vo-
C cat Baeda, nempe quales manum ferulæ haud dum subduxerant, neque tanquam academicos convenisse. Illos vel inde liquidissime patet, quod pædagogos iisdem impositos tradidit, quam vocem ad puerulos, virgas et flagra nondum eluctatos pertinere, quis est qui nescit (*Antiq. Oxon.*, p. 39)? » Verum quod hic objicitur, adeo leve est, adeo nugatorium, ut mihi quidem responsione ulla vix dignum videatur. Neque aliquid amplius omnino reponerem, nisi id istorum triumphi et inaudita contumacia flagitarent. Quis autem insignem illum apud Oxonienses antiquarium ignorasse dixerit, tam adolescentes quam pueros proprie dictos et infantes, præcipue apud auctores monasticos, puerorum nomine contineri? Si quis hoc ausus sit dicere, illum certe graviore telo quam acumine grammaticali transfiget (*Ibid.*). Pueros autem, imo et infantes illo sensu accipi, plurium qui Bedano sæculo floruerunt auctorum testimonio demonstrari potest. Quot enim, qui pueri appellantur, cum in philosophiæ, tum theologiæ studiis versatos legimus?
D Notum est enim, Modoaldum episcopum, cum Germanum Grandivallensem abbatem sagacis ingenii cerneret puerum, litteris eum liberalibus instituisse (*Mabill., Act. Ben., sæc.* II, *p.* 511). Uulframnus quoque episcopus Senonensis « in puerili ætate constitutus magistris catholicis traditus est sacrarum litterarum studiis imbuendus; qui per omne pueritiæ vel adolescentiæ tempus exercens usque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit (*Ibid.*, *sæc.* III, *part.* I). » Et Bercharius postquam disciplinis institutus est, puer dicitur (*Ibid.*, *sæc.* II, *p.* 835). Theodorus etiam Cantuariensis in Capitulis suis scribit infantes monasterii XIV annis carnem manducare. Item in Statutis Ordinis sancti Benedicti, in Spicilegio Acheriano: « Statuimus quod infantes qui recipiuntur in monasteriis et quotidie audiant regulam exponi, et scholam non exeant, donec legitimæ sint ætatis, et tunc professionem faciant, et benedictionem accipiant secundum formam regulæ. » Iidem pueri

Digitized by Google

monasterii dicuntur apud Theodorum, ubi vetantur pueri monasterii ante xxv annos ordinari. Denique Baeda ipse infantulus bonæ spei et divina et sæculari litteratura imbutus est (*In ejus Vita*). Et pueros igitur et infantes liberalibus doctrinis olim informatos non contemnenda testium copia ostendimus; jam autem castiganda est magna eorum de pædagogiis contentio; et hic quidem, quoniam objectio tam inepta fusiorem ulterioremque disquisitionem non capit, satis erit dicere quod pædagogare idem sonet quam docere (*Sur.*, *in Vita SS. Severin. et Victorin.*, n. 2), et ingenuarum artium magistri etiam [a] pædagogi nominentur.

Sententiam autem nostram reddit firmissimam Baedanæ Historiæ regius interpres, qui vocem *pueri geonge mean*, et pædagogos *lareowas* reddidit. Jamque Oxoniensis præter convicia nihil habet quod reponat; interpretem, scilicet, inscitiæ postulat, et versionem e Latino Exemplari imperite admodum, et qua erat ea ætas cæcitate, pingui plane Minerva ductam fuisse satis pro imperio pronuntiat. En vero quam gratum Oxonienses erga eruditissimum eorum academiæ fundatorem gerunt animum? Si modo universitatis Cantabrigiensis famam minuere ejusque antiquitatis gloriam extenuare possint, mendaces, maledicos, ingratos esse non pudet. Illustrissimus certe rex Aluredus non adeo rudis erat et barbarus, non adeo Latinæ linguæ inscius, ut non potuerit Saxonicam illam versionem et accurate et erudite fecisse. Fuit enim liberalissime educatus, scriptores optimos Latinos non tantum ad intelligendum, sed ad vertendum imitandumque cognovit: habitus est istis temporibus in primis doctus, grammaticus, orator, philosophus, historicus, musicus, Saxonicæ poeseos princeps, idem etiam architecturæ et geometriæ peritissimus; ipsius versiones adeo solidæ fuerunt, adeo elegantes, adeo ad vivum expressæ, ut lectores mirum in modum delinirent. Quod autem ad ipsam hanc versionem attinet, rex eruditissimus verbum de verbo tam acute, tam fide reddidit, ut etiam uniuscujusque voculæ vim propriam optime servaverit, nil denique, ut verbis utar Hickesii viri summi et doctrina omnigena ornatissimi qui litteraturam Saxonicam et ipse novit optime, eamque si non multis sæculis perditam, pessime neglectam tamen nobis restituit, nil, inquam, regiis versionibus perfectius dici possit. « Bone Deus! Quam in illis nativus, facilis et simplex sermo, præcipue in Ecclesiasticæ Historiæ Baedæ paraphrasi; cujus augustissimum auctorem, sive dictionis in ea puritatem, sive perspicuitatem styli, sive hypotyposin illam miram, qua res omnes quasi ob oculos legentis ponit, spectes, Cæsari in dicendo æqualem censebis (*Præf. ad 1 Edit. Gram. A. Sax.*, *p.* 12). » Nihil igitur in historiographo Oxoniensi apparet ingenuum, modestum, pudicum; et quoniam regem interpretem contumeliis quam illiberaliter insecutus est, necesse est vel illius versionem nunquam legerit, vel non omnino, vel saltem pessime intellexerit.

Sed quid si vox *pædagogos* hoc in loco eo sensu quo volunt Oxonienses accipiatur? Fatendum est quidem in iisdem scholis, quæ liberalioribus scientiis inclaruerunt, multos ab ipsa pueritia primis grammaticæ rudimentis ediscendis operam dedisse, donec altiori eruditioni pares evaderent; et ob eam forsitan rationem Baeda noster et pædagogorum qui pueros primas litteras docerent, et magistrorum qui ingenuis studiis eos instruerent, mentionem fecerit. Licet igitur concedamus pueros præceptoribus, quales in ludis grammaticalibus dominari soleant, in disciplinam traditos fuisse, cum tamen ex Baeda constat magistros quoque in Sigberctina schola juventuti informandæ præfuisse, non video quo modo hæc concessio vel Oxoniensium causæ prosit, vel Cantabrigiensibus noceat. Huic autem conjecturæ maximam fidem facit consimilis puerorum erudiendorum apud Cantuarios ratio; apud quos sanctum Aldhelmum primas litteras didicisse supra ostendimus, et omni eruditione postea fuisse institutum.

Pergit autem Fullerus, et quo pueros artium et scientiarum capaces esse probaret, Asserium Menevensem accersit, scholares quos Oxonii nutrivit Alfredus pueros vocitantem. Et hic quidem mirum quid respondet antiquarius ille nobilissimus (*Antiq. Oxon.*, *p.* 40); a Fullero scire vult in quonam Codice vocem illam *pueris* deprehenderit, dicit se præter alia bene multa et Parkeri et Cambdeni Exemplaria consuluisse, nec in eorum aliquo vox ea comparuit; iterum igitur Fullero falsarii notam inurit; et non pueros tantum, sed et infantes Oxonii priscis temporibus studuisse concedere audet, si id Asserii suffragio verbisque apographi cujuspiam, quantumvis mancis et fugientibus, modo ne interpolatis, confirmarit. Cave autem, bone vir, ne quod magno satis hiatu promiseris, invitus præstare cogaris. Quid autem si ex vestro Cambdeniani Asserii apographo ipsos infantes in Alurediana schola studuisse monstraverim? Tum profecto necesse est, Oxonienses, fateamini oratorem vestrum in id maxime incubuisse, ut aliquid tandem proferret, quod risibilem se arguat, qui quidem hac in re nihil non ridendum protulit. Audiamus igitur Asserium: « Aethelweard omnibus junior ludi litterariæ disciplinæ, divino consilio et admirabili regis providentia, cum omnibus pene totius regionis nobilibus infantibus, et etiam multis ignobilibus, sub diligenti magistrorum cura traditus est. » Anne hic nihil minus quam pueri? imo certe nondum puerorum, merorum infantium multitudinem in scholam suam rex studiosissime congregavit.

A rege igitur Sigbercto quod liberalium artium schola institueretur, abunde satis, ut arbitror, demonstratum est. Jam mihi diligentissime est quærendum quem locum rex prudentissimus potissimum elegerit in sempiternam philosophiæ Musarumque sedem. Cum autem viri ingenio præstantissimi clarissimique de hac re litem sibi invicem gravem acerrimamque intenderint, Cantabrigiensi academia illustrissimum regem fundatorem suum esse confirmante, Oxoniensibus contra omnino negantibus, spero meam sententiam, si modo validis rationibus innitatur, apud utrosque ad persuadendum valituram; nihil enim præjudicati huic causæ affero, ut pote qui alumnus fuerim utriusque academiæ, nec necessitudine quadam sola, sed voluntate pariter utrique devinctus. Si igitur quod sentio libere dicam, non quidem diffitendum est Cantabrigiensium causam mihi saltem longe et meliorem et probabiliorem esse videri, et inique Oxonienses facere, qui de istorum antiquitate detrahere conantur. Ipsi enim videant annon necessario concedendum est rationibus æque validis probari posse Sigberctum Cantabrigiæ scholam instituisse, ac Oxonii Aluredum suam. Nam non certissime constat ex antiquissimis historiis an ipsa academiæ fundamina Aluredus posuerit. Procul dubio Asserius, qui vitam Aluredi tum succincte in Annalibus, tum copiose in libro de illius Rebus Gestis descripserit, Oxoniensis academiæ nusquam meminit, multo minus fundationis ejus, licet Aluredo fuit in primis familiaris. Est autem plane incredibile tam præclarum et memorabile facinus Asserium prætermittere voluisse, præsertim si talis instituta est academia, qualem nobis exhibent Chronicon novi monasterii Uuinton, et Johannes Rossus, ubi et ipse inter celeberrimos professores fuerit; qui certe fusius prosequitur plurima minoris momenti, qualia sunt privilegia scholæ Anglo-Saxonum Romanæ, et quæ de ea schola loquitur, quam in suo palatio Aluredus instituit Nec historicorum nostrorum per annos cccc et amplius, licet res gestas Alu-

[a] *Pædagogi.* Mabillon., Act. Ben., sæc. ii, p. 517. *Liberalium artium pædagogis.* Ibid., p. 790.

Digitized by Google

redi cæteras copiose enarrarent, omnesque opportunum maxime ad eam rem haberent locum, reperiri quemquam existimo qui scholas publicas Oxonii ab eo aut institutas aut instauratas memoriæ prodidit, ante Ranulphum Cestrensem; cujus vestigiis, qui post eum insecuti sunt, fere incedentes, eadem pari fide referunt, de veritate quidem parum solliciti.

Oxonienses vero adversariis Asserium nihil de Oxoniis locutum prædicantibus objiciunt clausulam quamdam in Codice illo Asserii a Camdeno edito, in quo legitur exortam esse pessimam ac teterrimam Oxoniæ discordiam inter Grimbaldum doctissimosque illos viros quos secum adduxit, et veteres scholasticos quos ibidem invenisset; qui leges et legendi formulas a Grimbaldo institutas amplecti recusabant, et retinebant mordicus eas olim a Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno et aliis sancitas, et postea a divo Germano comprobatas. Hinc liquere asserunt Aluredum scholas Oxonii instituisse, nec tamen primitus, sed potius restituisse ex testimonio Asserii.

Sed pace horum doctissimorum virorum merito videtur dubitari an ista clausula ab Asserio ipso fuerit conscripta, an potius a nupero aliquo falsario mala fide assuta. In universis enim optimæ fidei manuscriptis exemplaribus tota hæc historia de Oxoniensium dissidio non invenitur; neque tantum in eo Codice quo usus reverendissimus Matthæus Cantuariensis, sed et in iis omnibus quos vidit Lelandus, siquidem ille testatur Asserium nonnisi tecte, suppresso ejus nomine, de Vado Isidis scripsisse, et disertis verbis affirmat eum nec Græcoladæ, nec Lecheladæ, nec Latheladæ, vocabulorum mere Saxonicorum, ut neque transmigrationis meminisse, ne per umbram quidem (*Leland., in Comment. ad Cygn. Cantion., voce* ISIDIS VADUM). Si vero Asserius de discordia illa, de veteribus scholasticis, et de Gilda cæterisque aliquod locutus esset, transmigrationis certe per umbram saltem meminisset. Gildas enim et reliqui qui ab hoc Pseudo-Asserio memorantur, si ipsis Oxoniensibus Græcoladensium scholam ad Theodori usque tempora floruisse dicentibus fides ulla adhibenda est, isti scholæ multo prius, quam ficta transmigratio fieri potuisset, leges vivendi et disciplinam dabant. Desideratur denique hic paragraphus ex Exemplaribus istis bene multis quæ antiquarius Oxoniensis consuluisse se scribit. Credi enim vix potest ut tam strenuus illius academiæ vindex, quod ad augendam firmandamque Camdeniani Codicis fidem adeo pertinet, sciens omisisset, si in suis Codicibus hanc clausulam invenisset. Et plane incredibile est antiquiores historicos illos Aethelweardum, Ingulphum, Marianum Scottum, Florentium Uuigorniensem, W. Malmsburiensem, reliquosque per cccc et amplius annos ab Asserio restitutionem scholarum Oxoniensium per Aluredum, aut hanc discordiam universos per omnia sæcula penitus tacere voluisse, si in Exemplaribus Asserii istiusmodi paragraphum legissent. Ex quibus colligitur ad veritatem quam proxime accedere, nusquam exstitisse exemplar aliud, in quo hæc clausula reperiatur, quam illud cujus cl. Camdenus mentionem fecerit, clausulamque ipsam a falsario quodam Oxoniensi forsan insertam esse.

Porro antequam dissidii mentionem fecisset Asserius, si justæ historiæ conscribendæ ratio habita fuisset, eum necessario oportebat Oxoniensis academiæ ejusque celebris sive institutionis sive restitutionis meminisse. Quod autem ad scholas Oxonienses attinet, nihil de iis apud Asserium, ne tecte quidem habetur, quidquid secus dicat Lelandus. Siquidem schola in qua Aluredus Ethelweardum filium natu minorem cum omnibus pene totius regionis infantibus in liberalibus artibus enutriri curavit, intra palatii seu aulæ regiæ parietes circumscripta est, ut liquet ex ipsius Asserii narratione, qui scribit filios nobilium in regali familia fuisse nutritos. Atque huic scholæ, non Oxoniensi, quotannis octavam partem annuorum redituum Aluredus destinavit, ex mente Asserii et antiquorum omnium historicorum qui Asserium explicant. Si igitur concedent Oxonienses Menevensem non imperitissime, non insulsissime scripsisse, eumque ne dicam optime, sed mediocriter solum novisse, quod consequitur, cum antecedentibus connectere, necesse est ut fateantur clausulam hanc, non ab Asserio scriptam esse, sed ab Oxoniensi aliquo historiæ ejus imprudenter assutam, qui dum scholam ab Asserio memoratam stulte Oxoniensem credit in errorem lepidissimum est inductus.

Quod etiam fidei clausulæ Editioni Camdenianæ insertæ plurimum derogabit, cl. Spelmannus vidit « Asserium antiquitus manuscriptum, eum ipsum archetypum, ex quo auctorem istum archiepiscopus primo divulgarit, ut quidam verisimiliter existimant; verisimiliter, inquam, sive characterem Saxonico affinem species, sive virgulas et apices ex rubrica factos, quibus iste præsul Mss. a se lectos notare solitus est. In eo Ms. clausulæ quæ periodum de dissidio proxime præcedunt, quæque sequuntur, in textu visebantur antiquioris et maxime indubitatæ scripturæ, cum aliæ libri partes a manu recentiore sunt et subdititiæ videantur; nusquam autem toto libro clausulam istam de dissidio doctissimus eques deprehendit, neque quidquam omnino quod aliter se haberet atque id quod archiepiscopus edidit. » Quare utrum archiepiscopus Cottonianum Codicem publici juris fecerit, ut Spelmannus arbitratur, an Lumleianum, ut alii, tuto affirmare possumus utrumque Codicem Camdeniano isto longe esse antiquiorem. Codex enim hic, juxta ipsius Camdeni sententiam, ad summum temporibus Ricardi II exaratus dicitur, cum librarii et Saxonico charactere et Saxonico affixui jamdudum in scribendis libris uti desiissent, et quidem Twynus ipse in sua ad cl. Camdenum epistola fatetur Exemplar hoc non esse antiquissimum. Neque vero antiquitatem Exemplaris Parkeriani vel tantillum elevabunt epilogus et Henrici Huntingdoniensis versus in laudem Aluredi ad finem Codicis inserti, antiquitatis enim studioso cuilibet notissimum est quod in Mss. usu eveniat sæpissime, et fini et margini recentiore manu plurima inscribi. Hoc autem verisimile esse ex Cottoniano Exemplari satis apparebit, quod litteris Saxonicis scribitur, cui etiam desunt epilogus et carmina.

Credi etiam vix potest veteres scholasticos in seria cum Grimbaldo contentione commenta illa de Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno, Germano unquam protulisse, quoniam ex historiis de Vita et Actis eorumdem ea omnia facillime refelli possunt; neque enim aliquis ex integra historicorum turba viros hosce Oxonii studuisse, multo minus ibi consenuisse unquam dixit. Et quod magis ad evertendum hujus clausulæ auctoritatem facit, non solum non cohæret cum reliquo historiæ corpore, sed nec sibi recte constat. Fatuus, scilicet, iste falsarius ea confudit et commiscuit quæ inter se jungi copularique non possunt. Nullo enim temporum ordine conservato, sanctum Germanum ait Oxoniam advenisse, annique dimidium illic moratum ordines et instituta supra, hoc est, a Gilda reliquisque, mirum in modum comprobasse. Qui quidem Germanus diu ante ex hac vita excessit, quam horum aliquis nasceretur.

« Porro narratio hæc non congruit cum adventu Grimbaldi, qui, ut ait Hydensis liber, in annum 885 incidit. Convenit enim inter omnes Grimbaldum in Angliam jam recentem per aliquantulum temporis spatium ab Aelfredo domi apud se retentum, ut ipse ab eo privatim institueretur, priusquam Oxoniam mitteretur. Universitas autem, juxta Codicem Wintoniensem, a Camdeno laudatum, secundo ab adventus Grimbaldi anno ædificari cœpta est, nihilominus hic articulus Grimbaldum publico dissidio Oxoniæ

Digitized by Google

causam præbuisse refert, quod anno 886 erupit, cum ante tres annos cœpta paulatim creverat, anno, scilicet, uno ante conditam Universitatem, biennio autem ante Grimbaldi adventum. » Huic vero objectioni a numeris et supputatione chronologica sumptæ nihil aliud respondent Oxonienses, quam quod errores chronologici apud historicos nostros, imo apud ipsum Asserium vel mediocriter versato lectori sunt manifesti. Quasi non essent aliæ rationes validissimæ cur articulum hunc afflictum et commentitium esse censeamus. Licet enim error chronologicus ad abrogandam huic clausulæ fidem per se non satis valeat, argumenta tamen reliqua ad hoc ipsum probandum excogitata quamplurimum confirmat.

« Si etiam circumstantias alias jam comparentes inter se conferamus, quomodo verisimile arbitremur Aelfredum principem, qui collapsas in patria litteras tam graviter ferret, quique tam miris modis eas instaurandas susceperat, pati voluisse tanto atque tam vehementer ab se expetito operi fraudem fieri jurgiis paucorum scholasticorum, nullius sane momenti? Deinde domo profectum ipsum Oxoniam usque litibus iis componendis rem adhuc adeo indecisam reliquisse, ut ipsius professores obscuriorum scholasticorum tædio, cœpto jam ab iis commisso opere, desistere compellerentur? Certe parum conveniebat hoc ceteræ regis dignitati atque disciplinæ; qui quamvis animo alias leni, tamen acer et rigidus eorum exactor fuit quæ bene consulta semel constituerat.

« Neque vero Johannes Rossus (quem Apologia multum celebrat) huic commento dissidii inter Grimbaldum et Oxonienses orti quidquam ponderis adjicit. Narrat enim quam mirum in modum litteræ a Grimbaldo restitutæ in his terris floruerint; quod tamen si formulæ docendi, quas ipse instituerat, rejectæ fuissent, præsertim tam cito, ab ipso fieri certe non potuit. Postea vero in sua senili ætate, dicit Rossus, studio relicto, adiit Uuintoniam.

« Verum ulterius sciscitemur ubinam gentium veteres illi scholastici agerent, Aelfredo regnum jam auspicante; qui cum tam parati essent in veteribus Universitatis putatitiæ institutis tuendis, regi non præsto essent, neque operam suam deferrent, cum doctorum virorum inopia foras tum despicere necesse haberet? Scholasticos, si qui fuerint, quod attinet, præterquam quod nulla ex parte eorum annalibus facta sit mentio, doctrina admodum exigua præditos fuisse comperimus, cum rex ipse nos edoceat quod sub initia regni sui perpauci cis Humbrum fuerint qui Latinam epistolam vernacule scirent reddere. »

Quantumcunque igitur valeat cl. Camdeni auctoritas, quem obstupescendæ eruditionis virum libenter agnoscimus, cujusque mores sanctissimi et vitæ probitas omnem artificii et fraudis suspicionem penitus tollunt, non tamen adeo valere debet, ut exemplarium omnium, quæ adhuc comparuerunt, fidem sola imminuat, et objectiones illas a cl. Spelmanno contra hujus articuli Αὐθεντίαν allatas infirmet et diluat, præsertim cum tales sint, tantamque habeant vim et pondus, ut Oxoniensium quisquam nondum aliquid ausus sit reponere.

De Pseudo-Asserio hactenus. Ad ea jam pergamus quæ cl. Twynus ex Malmsburiensi laudat (*Apol.* l. II, *sect.* 172). Introducit autem historicum hoc modo loquentem: « Rex Aluredus Dei servus Neotum sæpius adiit, suisque nonnunquam utebatur consiliis; consilio namque Neoti abbatis scholas publicas variarum artium apud Oxoniam primus instituit. » Affirmat etiam se hæc invenisse in ejus de Glastoniensis cœnobii antiquitate libello. Scripsit certe Malmsburiensis istiusmodi libellum, quem cl. Galæus ipsis Oxoniis publici juris fecit. Sed ostendat nobis aliquis Oxoniensium, oculatissimus licet, ubinam gentium per totam hanc historiolam ea, quæ citavit Twynus, reperiantur? Quis autem unquam, nisi qui famam et existimationem suam prorsus abjiceret, cum ex veris historiis aliquid probare non possit, ad fabulas et ficta monumenta confugerit?

Sed ne præter figmenta, quibus causam suam defenderent, nihil habere videantur, Cantabrigienses urgent argumento ex certo et indubitato Malmsburiensis opere desumto. Aiunt Malmsburiensem testari bonas litteras Oxonii ante Aelfredum floruisse, ab eo tamen auctas et promotas, Grimbaldum fuisse e Galliis evocatum, causamque evocationis fuisse, ut litteraturæ studium in Anglia sopitum et pene emortuum sua suscitaret industria (*Not. in Vit. Aelfr., Edit. Angl.*, p. 178, *Antiq. Oxon.*, p. 15). Asserunt historicum hunc diligentissimum per studium academiam Oxoniensem voluisse (*Malms., de Reg.*, l. II, c. 4); deinde colligunt, principio hoc turpissime petito, scholares ibi studuisse, licet pauciores quam ante Danorum invasionem; intercisum litteraturæ studium Oxoniis resuscitaturum, non de novo conditurum fuisse Grimbaldum. Quis vero unquam, qui mentem ab omni præjudicio liberam gerit, in animum induxit vocem hanc de turba studentium, vel de loco quo studia litterarum excolerentur, non de studiis ipsis intelligere? Malmsburiensem certe, cum hæc scripserit, credo nihil omnino de Oxoniensi academia cogitasse, sed hoc solummodo voluisse ostendere, nullum scilicet fuisse in Aluredi regno litterarum peritum, doctrinæque studia per universam Angliam diu intermissa et pene perdita Grimbaldi opera fuisse suscitata.

Argumentum quoque aliud huic non dissimile e Constantii Vita sancti Germani trahitur, ubi regionis illius (id est, Britanniæ) universitas in Germani sociorumque sententiam prompta dicitur transiisse. Contendunt autem universitatem hoc in loco idem sonare cum caterva hominum in unum locum congregata et societate studiorum conjuncta (*Antiq. Oxon.*, p. 10), sed plane nihil aliud significat quam regionem illam integram, totam, universam. Nec minus ridicula sunt et absurda quæ Oxonienses de sancto Gilda garriunt, dum illum vendicant pro suo. Auctor quidem vitæ hujus Sancti dicit eum cum valedixisset pio magistro Iltuto Iren perrexisse, ut et aliorum doctorum sententias in philosophicis atque in divinis litteris exquireret. Iren igitur perrexit, hoc est, Hiberniam, quæ aliis Ierne et Iris dicitur, cujus incolæ Irenses etiam nominantur. Tunc enim Hibernia sub sancti Patricii discipulis et sanctitatis et eruditionis laude florebat. Ipsi quoque Angli, fide Christi suscepta, frequentes in Hiberniam doctrinæ gratia sunt profecti. Oxonienses vero Iren eamdem esse cum Hibernia omnino negant, et sagaces conjiciunt ea voce Oxonium tacite subintelligi. Modo enim mutent Iren in Icen, deinde in Iehen, et Ychen, denique in Rydychen, quod lingua Britannica Oxonium sonat, et tum quidem omne quod volunt, se egregie conficere arbitrantur. Necesse est vero ut qui tantopere in verbis ludant, irrisione omnium ipsi ludantur: et fieri non potest ut qui nugas has ineptas legerit, severissimus licet sit et natura tristissimus, risum tenere ullo modo possit.

Redeamus vero ad Aluredum, quem Oxonienses fundatorem suum prædicant. De tempore autem quo hoc præstitit, non satis inter scriptores convenit (*Ibid.*, p. 11). Alii annos 872, 873, aut proximum, assignant. Sed hoc tempore rex illustrissimus adeo rebus bellicis exercitatus est, ut nullo modo studiis liberalioribus promovendis vacare potuerit. Lelandus anno 879 id gloriæ deberi affirmat, cum, factis nimirum inter Alfredum et Gothrunum induciis, Anglis aliquandiu respirare datum est; Pseudo-Asserius vult hæc in annum 883, triennio ante insignem illam discordiam, incidisse; Annales cœnobii Hidensis 886, Chronicon denique cujusdam incerti auctoris 895 nominat. Sed si sanctus Neotus, ut Oxoniensis historiographus scribit (*Ibid.*), præcipuas in re-

Digitized by Google

staurandа academia partes agebat, et sacræ theologiæ erat prælector; aut si ad consilium beati Neoti abbatis, ut Bromptonus testatur, scholas publicas variarum artium apud Oxoniam primus instituit Alfredus, Lelando procul dubio tarditate peccatur, ideoque cæteris qui annum posteriorem assignant. Sanctus enim Neotus anno 877 decessit. Postquam enim de ejus morte egit illius Vitæ scriptor, num. 21 subdit « eo tempore, anno, videlicet, ab Incarnatione Domini 877, VIII Id. Januarii, Gutrhunum Danorum ducem cum magno classium apparatu Angliam invasisse. » (*Mabill.*, *Act. Ben.*, *sæc* IV, *part.* II.) Adeo ut eodem aut præcedenti anno, sancti Neoti obitus reponendus sit. Illud quoque argumento est, quod ea quæ Alfredo regi prænuntiavit Neotus, se ad optatum litteris portum, id est, ad mortem, accedente, in proximo adimplenda esse vaticinatus est, ex num. 18. Atqui Alfredum Guthrun insectatus est anno 877, idemque ab eodem Alfredo superatus post pascha insequentis anni, sancto Neoto inter pugnandum Alfredo apparente et opitulante, qui Alfredum ad prælium trepidantem viso prius animaverat, ex num. 26, ac proinde jam tum e vivis excesserat. Certe Asserius ubi cladis Alfredo per Gutrhunum anno 878 inflictæ et a Neoto prædictæ mentionem facit, sic de ea agit, quasi Neotus jam vivere desiisset : « Quod beatissimus vir Neotus, inquit, adhuc vivens in carne, qui erat cognatus suus, intimo corde doluit, maximamque adversitatem ob hoc ei venturam spiritu prophetico plenus prædixerat. » Itaque anno 878, cum Alfredus Guthruno cedere compulsus est, mortem obierat Neotus, cujus mors proinde in annum 877 aut præcedentem revocanda est. Cum igitur Alfredus in prioribus regni annis bellis fuerit nimis implicitus, non potuit, vivente Neoto, scholas Oxoniis vel instituere, vel instaurare; et cum Neotus anno 877 fato concesserit, necessario consequitur eum non in ista academia theologiam prælegisse, neque hortatu ejus regem litterarum studia Oxoniis collapsa in pristinum statum restituisse. Cum denique scriptores ii, qui Alfredo hujus rei gloriam tribuunt, magnam quoque honoris partem Neoto deberi fateantur, ostenso quod Neotus ut scholas Oxonienses fundaret regi non suaserit, a Cantabrigensibus sumetur illico regem, cui suasisse dicitur, de fundanda academia non omnino cogitasse.

Sed si adhuc Oxonienses pertinaciter contendunt scholas suas ante annum quo Neotus obierit institutas esse, novum argumentum, quo adversarii insignem illam de discordia apud Asserium periodum convellant, suppeditabunt. Pseudo-Asserius enim tradit per tres annos, post, scilicet, novas scholas ab Alfredo institutas, haud magnam inter veteres scholasticos et Grimbaldum doctissimosque illos viros quos secum adduxit fuisse dissensionem, anno vero 886 pessimam inter eos fuisse exortam discordiam. Ex quo constat Grimbaldum suosque anno circiter 883 academiam Oxoniensem in melius restituisse. Si vero dicatur scholas, dum adhuc Neotus in vivis esset, ante annum 877 ab Alfredo fuisse reparatas, procul omni dubio Asserius, qui fuit Alfredi et æqualis et familiaris, hanc male fictam periodum nunquam scripsit.

Verum ut hoc de instaurata consilio Neoti Academia figmentum prorsus obruam, constat id reticuisse Asserium, et anonymum Neoti Vitæ [a] scriptorem, qui tamen meminit libertatis Anglorum Romanæ scholæ a Marino papa concessæ, rogatu Alfredi regis, quem hac de re Neotus sollicitasse dicitur, tametsi apud Asserium neque id invenio, qui tamen indultam a Marino libertatem commemorat. Quis autem non videt silentium coævi auctoris, qui ex professo de rebus ab Alfredo splendide gestis scripsit, et biographi, qui sancti Neoti gesta in litteras referre in se susceperit, apud doctos viros multo magis valiturum, quam cæcutientium monachorum scriptorumve longo post Aluredi ætatem intervallo florentium fallax mendaxque testimonium?

Sancto Neoto autem addit historiographus (*Pag.* 15) Oxoniensis Johannem Erigenam, sive Scotum, quem dicit fuisse monachum Ecclesiæ Menevensis, et academicos in logica, musica et arithmetica instituisse; quem etiam eodem quo Neotum ac Asserium tempore in artibus prælegisse, reclamitent scriptores quicunque, asseveranter affirmat. Sed pace hujus viri doctissimi, qui hoc et asseveranter et audacter affirmaverit, mihi ab illo de hac re dissentiendum esse non infirmis rationibus probabo. Johannes autem Erigena seu Scottus, qui fuit Caroli Calvi familiaris, et sub initia regni ejus in Galliam accessit, adeo non fuit monachus Menevensis, ut neque monachus omnino fuerit. Ille enim nusquam monachus apud auctores ejus ætatis æquales appellatur; deinde ipse in suorum operum inscriptione, ubi officia seu dignitates suas exprimere solent auctores, nusquam monachi nomen usurpat, ut patet ex præfatione ad librum de divina Prædestinatione, cujus hoc exordium. « Dominis illustribus... Hingmaro et Parthulo... Johannes servus vester devotus in Domino salutem. » Idem probat ejusdem præfatio in Areopagitica : « Gloriosissimo catholicorum regum Carolo Johannes extremus sophiæ studentium » Denique versibus Græco-Latinis, quos pervetusto Glossario Græco Latino idem apposuit, hunc titulum præfixit : *Versus Johannis*. Ad hæc, si is fuisset monachus, aliquando in monasterium quoddam se recepisset, cum e contrario semper in palatio Caroli Calvi versatus sit, ut ex Parduli Laudunensis antistitis epistola intelligitur.

Hic igitur Johannes monachus non fuit, neque etiam Menevensis, aut, ut historiographus vult, ad sanctæ Meneviæ natus, Genere enim Scotus erat, testante in primis Nicolao papa I, in epistola Carolo regi majori inscripta : « Relatum est apostolatui nostro, quod opus beati Dionysii Areopagitæ quidam vir Johannes genere Scotus, nuper in Latinum translulerit. » Hincmarus quoque, cui Johannes familiaris erat, in posterioris operis de prædestinatione, cap. 31, Johannem Scottigenam appellat. Scottigenam etiam dicit Anastasius Bibliothecarius, in epistola ad Carolum Calvum de Areopagiticis; eorumque versione, qua in epistola dicitur quoque barbarus, in finibus mundi positus. Et hinc est quod ætatis illius auctores in scriptis Gothescalci causa editis, eum passim Johannem Scotum, imo suppresso Johannis nomine, Scotum, Scotum illum, quemdam Scotum persæpe nominant.

Quod autem adhuc infelicius accidit, eodem quo Neotus et Asserius tempore Johannes prælegisse dicitur. Si vero Asserius ad Aluredum non venerit, donec jam diu Neotus esset mortuus, fieri non potuit ut hi uno eodemque tempore Oxoniis academicos instituerent. Ostendi jam satis Neotum anno 877 obiisse, nec minus liquet Asserium ante annum 884 ad Aluredum non esse profectum. Nec cum quibusdam dicatur duos fuisse Asserios, alterum qui juxta Florilegum et Florentium obiit episcopus Sciréburnensis anno 883, quem Oxonienses suum vendicant; alterum Menevensem, qui Aluredi gesta scripsit. Apparet enim eos qui ejus obitum ad annum 883 revocant, et unum hominem in duos dividunt, in errorem gravissimum inductos esse. Constat enim Asserium a Menevia anno 884 ad regem fuisse advocatum, qui duo ipsi monasteria tradidit, et sequentis temporis successu Exanceastre cum omni parochia, quæ ad se pertinebat in Saxonia et Cornubia, hoc est, ut mihi visum est, Scireburnensem diœcesim, in qua civitas Exoniensis et Cornubia sita est. Eum autem fuisse episcopum Scireburnensem ultimis Athelredi archiepiscopi temporibus ante annum 889, quo iste archiepiscopus de-

[a] *Scriptorem.* Floruit sæculo duodecimo, quem vide apud Mabillon., sec. IV, part. II.

Digitized by Google

functus est, manifesto colligitur ex testamento Aelfredi regis, in quo rex dat centum marcas inter alios Assero episcopo de Schireburn. Ingulphus quoque testatur hunc ipsum post adventum ejus in Angliam [a] Schireburni sedisse. Et Aelfredus ipse, in præfatione sua ad Gregorii Pastorale, Wulfsigeo episcopo, qui Londinensem Ecclesiam circa annum 898 regere incœpit, inscripta, Asseri episcopi sui meminit. Denique Chronicon Saxonicum et Annales Asseriani eum anno 910 diem obiisse verbis disertissimis testantur. Unus idemque igitur fuit et Menevensis et Schireburnensis Asserius, qui Sighelmo in illo episcopatu successit. Sighelmus enim anno 883, juxta Chronicon Saxonicum et alios, Romam et in Indiam Aelfredi eleemosynas deportavit. Et Werstanus successit Asserio anno 910, quo Plegmundus, plurimis episcopis tunc in fata cedentibus, et Wintoniensi et Schireburnensi parochiis in plures divisis, septem episcopos uno die consecravit. Hinc vehementer errat Malmsburiensis et alii qui eum sequuntur, qui dicunt Sighelmum Asserio posteriorem fuisse, et inter Asserium et Werstanum, Sighelmum, Ethelwardum, et sedis per annos septem vacationem interponunt. Neque fides iis historicis adhibenda est, qui scribunt septem episcopos, inter quos Werstanus invenitur, mandato Formosi papæ jamdudum defuncti de ea re, ut male finxerunt, misso, uno die anno 904, vel sequenti, consecratos esse.

Ex his igitur abunde convincitur Johannem, Neotum et Asserium, artes et theologiam Oxoniis non docuisse. Comparet autem inter prælectores qui tunc temporis Oxoniis floruerunt, Johannes alius, monachus dictus, qui geometriam et astronomiam explicabat. Hunc Asserius Ealdsaxonem vocat, Ethelingæniique monasterii cœnobiarcham primum. Ex hoc uno tres effinxerunt recentiores Oxoniensis academiæ antiquitatis assertores, Johannem, scilicet, Menevensem, Scottum, et Ethelingensem. Si vero alii præter hunc ultimum ab Aluredo in palatium acciti essent, procul dubio Asserius, qui viros doctos ab Aelfredo adhibitos accurate commemorat, illos silentio non prætermisisset. Male igitur ii operam collocarunt, qui in defendendis adeo stupidis et nuperis, qui hoc absurdissime affirmarunt, scriptoribus, tantopere insudarunt.

Sed neque Johannes Ealdsaxo unquam Oxoniis prælegit. Asserius enim aperte indicat scholam Aluredianam non Oxoniis fixam fuisse, sed in aula regia, aut in curto, ut verbo Asseriano utar, institutam, omnesque doctos viros, quos Asserius studiosissime enumerat, ut Uuerferthum Uuigornensem, Plegmundum Dorobernensem, Athelstanum et Uuerwulfum capellanos, Grimbaldum et Johannem presbyteros et monachos ex Gallia invitatos, Asserium denique ipsum, Alfredum et ejus regionis juventutem in regali familia docuisse. Grimbaldum vero Oxoniis prælegisse ex eo probatur, quod sub choro seu cancello antiquissimæ ecclesiæ sancti Petri in Orientali Oxoniarum plaga Hypogæum sancti Grimbaldi etiamnum ostenditur. Sed cum fabula hæc ex sola Pseudo-Asserii auctoritate pendeat, et nemo ex antiquis et indubitatæ fidei scriptoribus idem affirmet, e contra cum ex iis abunde constet Grimbaldum nunquam Oxoniis fuisse, hoc mihi quidem dignissimum videtur, quod in nuperis plane et ridiculis Oxoniensium figmentis habeatur.

Sed ex Johanne Rosso antiquario Uuarwicensi ideo colligitur Aluredum Oxoniensis scholæ auctorem fuisse quod regem illum celeberrimum tres aulas construxisse memoret, nominibus Universitatis Aularum, Magnæ, Minoris, et Parvæ insignitas. Quæ vero Rossus de antiquitate Oxoniensis academiæ fundatione scripsit, adeo male ficta sunt omnia, ut ne veritatis quidem speciem præ se ferant. Quod autem ad has aulas attinet, eas nullibi Aluredi tempore exstitisse quam certissimum est. Omnes nomen illud ex eo A obtinuerunt, quod Universitas eas emerit de denariis magistri Uuillelmi de Dunolmia. Prima, quæ hoc nomen habuit, emptionis tempore, ut ex chartis constat, vocata est Domus Angularis, quam hospitale de Brackly habuit ex dono magistri Roberti de Prestun, quæ sita est in parochia beatæ Mariæ, propinquior domui quæ fuit quondam Galfridi Jostel versus Aquilonem. Hospitale autem domum hanc anno 1253 Universitati vendidit, unde nomen Aulæ Universitatis in vico scholarum obtinuit. Multis post hæc annis, ut historiographus Oxoniensis testatur (*Antiq. Oxon. part.* II, *p.* 57), sexto quippe Edwardi III, Domini, scilicet, 1332, tenementum amplissimum, ad Richardum de Tekene aliosque pertinens, coemptum est; quod ea tempestate Aula Selverniana, vulgo Selverne-Hall, ante vero Ludlow-Spicer's-Hall, appellabatur; regnante autem Henrico Tertio, Aulæ Dunelmensis, vulgo Durham-Hall, ab Andrea quodam de Durham Oxon. Burgensi, nomine innotuit. Hoc itaque domicilio potiti magistri ac scholares, eodem se contu- B lerunt, perpetuum sodalitii sui habitaculum destinantes; quod ducto deinceps ab academia, cujus sub auspiciis florebat, nomine, Magna Aula Universitatis (Major utique duabus illis erat, quæ Aulæ propterea minores dicebantur), nuncupari cœpit. Adhuc autem exstant statuta hujus Magnæ Aulæ Universitatis, pro scholaribus magistri Uuillelmi de Dunelmo emptæ, quibus appensum erat sigillum academiæ publicum ceræ viridi impressum, in thesaurario collegii Universitatis in pixide A. A. Habemus igitur illum ipsum historiographum Rossi figmenta refellentem, fatentemque Aulas istas non ideo Universitatis dictas, quod eas Aluredus fundavit, sed quod eas Universitas longo post tempore coemerit.

Omnia igitur quæ Oxonienses protulerunt de academia sua ab Aluredo fundata, falsa esse et commentitia abunde ostendi. Si ergo iis concedatur illustrissimum illum regem Oxoniensem scholam instituisse, necesse est ipsi fateantur pari ratione ostendi posse, C quod Sigberct scholam suam, de qua tantopere disputatur, Cantabrigiæ posuerit.

Oxonienses vero objiciunt neminem ex antiquis scriptoribus testari scholam Cantabrigiæ a Sigbercto fundatam, primum hoc affirmare Polydorum Virgilium, non tantum extraneum et nuperum hominem, sed quem omnes fere in historia infidum vel indiligentem certe uno ore consentiunt. Notatu vero dignissimum est eos qui Polydorum mala fide historiam suam scripsisse asserunt, singulos fere eam ob causam illi subirasci, quod Britannicas Galfridi fabulas rejiceret, inter quos Lelandus, qui tamen hac in re cum Polydoro consentit. Verisimile est etiam Polydorum primum non fuisse hujus conjecturæ auctorem; Lelandus enim, qui paulo post Virgilium scripsit, tradit consensum scriptorum Sigbercto et Felici attribuere gloriam Gymnasii Cantabrigiæ, auspice Christo, instituti (*Comm. in Cygneam Cant., voce* GRANTA). Unius autem Polydori sententia nullo D modo dici potest scriptorum consensus. Porro si hujus fides merito in suspicionem vocetur, Lelandus et reliqui qui idem hoc asseruerunt consarcinandis fabulis non sunt arguendi: quorum sententia et auctoritas, utpote doctissimorum virorum, credo, plus semper valitura est, quam ridiculi et absurdi errores Bromptoni et Higdeni et aliorum, qui horum premunt vestigia, affirmantium ex Asserio vel male, vel potius non omnino intellecto Aluredum Oxoniensis academiæ fuisse fundatorem.

Sed historiographus Oxoniensis (*Antiq. Oxon.*, p. 58) rogat quænam indicia dedit Baeda, quibus notis Cantabrigiam se velle ostendit? Hic autem facillime respondeatur indiciis æque claris Baedam locum Sigberctinæ scholæ fuisse Cantabrigiam indigitare, ac Aluredianæ Oxonias ostendere Asserium. Neque enim dicatur, si academia a Sigbercto condita fuerit, cam

[a] *Schireburni*. Vide etiam Lelandi excerpta ex Vita Grimbaldi, in Collect., vol. II, p. 18.

Digitized by Google

sibi vendicaturam esse Grantcestriam. Nam ex Baeda constat civitatulam illam his temporibus fuisse desolatam (*Hist. eccl.* IV, 17). Et certissimum videtur, deficiente illa vel potius sedem suam aliquatenus mutante, Cantabrigiam ex ruinis ejus emersisse. Procul dubio Aluredi temporibus Cantabrigia villa fuit florentissima, ut patet ex Asserio et Chronico Saxonico (*An.* 875). Ibi enim legimus eam satis amplam fuisse, in qua magnus Dacorum exercitus biemavet. Et quidem fieri vix potuit ut ex nihilo tantum oppidum, quod nomen universæ provinciæ daret, subito nasceretur. Illis autem temporibus urbe illa a Dacis devastata, si Johanni Rosso credamus, rex Edwardus dictus Senior « ad clerimoniam augmentandam, sicut pater suus Oxoniam, sic ipse Cantebrigeam ab antiquo cum cæteris studiis generaliter suspensam, desolatam et destructam, iterum ad primam gloriam erexit (*Hist. reg. Angl.*, p. 96). » Si autem hæc vera sint, quis, quæso, alius ante Sigberctum nominari potest, qui scholam his in regionibus instituerit? Necesse est vero Oxonienses fateantur auctoritatem Rossi, academiæ Oxoniensis alumni, et ejus antiquitatis strenui propugnatoris, hac in re quamplurimum valere, præcipue apud ipsos qui maxime hujus sententia freti aiunt Aluredum scholam suam restituisse, tres Aulas fundasse, ibique doctores in artibus prælegisse. Si enim negant Edwardo gloriam Cantabrigiam reparandi, pari jure Cantabrigienses istam Rossi historiæ partem veram esse negare possunt, ubi de Alfredo Universitatem Oxoniis restituente verba facit.

Verum argumentum illud non infirmum est Sigberctum Cantabrigiæ scholam non instituisse, quod, scilicet, Malmsburiensis et alii eum scholas litterarum per loca instituisse tradiderint. Sed objectionis hujus vim penitus franget auctoritas Baedæ, qui scholæ solummodo mentionem fecerat. Eos autem nihil moror, qui in quodam Baedæ Codice manuscripto *scholas* legunt. In omnibus enim, quos ego vidi, manuscriptis vox illa *scholam* clare exhibetur.

Hactenus satis feliciter ostendi Cantabrigiam fuisse locum in qua Sigberctus scholam posuerit. Est vero alia objectio validissima, quæ vix, ut arbitror, responsioni cedet. Petrus Blesensis, in sua Ingulphi Continuatione, tradit Joffridum abbatem Croylandiensem, Henrici II temporibus, transmisisse ad Manerium suum de Cotenham, juxta Cantabrigiam, monachos quosdam suos philosophicis theorematibus et aliis scientiis instructissimos, qui quotidie Cantabrigiam adeuntes, et conducto horreo publico suas scientias profitentes, in brevi temporis excursu grandem discipulorum numerum contraxerunt; qui mox adeo accrevit, ut nec horreum, nec ulla ecclesia eorum receptaculo sufficeret. « Ex isto fonte, ut pergit Blesensis, parvo qui crevit in fluvium jam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei, et totam Angliam factam frugiferam per plurimos magistros et doctores de Cantabrigia exeuntes ad similitudinem sanctissimi paradisi. » Hic autem fatendum est nihil omnino habituros quod respondeant Cantabrigienses, nisi Oxonienses ipsi viam monstrarent. Cum enim iis objicitur ideo Oxonias ante Aluredum artium non fuisse domicilium, quod rex ipse nos edoceat sub initia regni sui perpaucos cis Humbrum fuisse qui Latinam epistolam vernacule scirent reddere, mox respondent scholares Danorum injuriis Oxoniis tunc fuisse expulsos, et idcirco academiam illam doctis viris primis Aluredi annis non floruisse. Hac vero ipsa reponsione uti Cantabrigienses possunt. Nam post restitutam ab Edwardo seniore academiam, Chronicon Saxonicum nos docet Danos anno 1010 Orientalem Angliam occupasse, ibique per tres menses obvia quæque contrivisse, prædas egisse, villas cremasse, inter quas Cantabrigiam civitatem victores incenderunt. Hinc factum est ut Sigberctina schola a Musis fuerit deserta, donec, Henrico II imperante, sub auspiciis Joffridi abbatis et monachorum ejus ad pristinam sedem redierunt.

Tota igitur hac de academiarum antiquitate controversia pertractata, si non ostendi Sigbercti scholam fuisse Cantabrigiæ, hoc saltem satis constabit, vel omnes illas fabulas ab Higdeno, Rosso, aliisque de academia Oxoniensi ab Aluredo fundata confictas penitus esse rejiciendas; vel Oxoniensibus fatendum esse, invitis, licet, Cantabrigiam, regnante Sigbercto, artibus et scientiis fuisse vel florentissimam. Utrum horum malunt accipiant. Ego quidem de utrisque partibus vehementer expeto, ut ea omnia, quæ vel nullius vel dubiæ auctoritatis sunt, missa fierent, neque sit inter doctos viros de fabulis aut saltem incertis narrationibus tam gravis et acerba contentio. Utraque autem academia gloriam summam, celebritatem maximam, semper habebunt, licet nec hanc Aluredus, nec illam Sigberct instituerit. Et quidem mea saltem sententia Oxoniensis satis antiqua erit, si paulo ante Ingulphi tempora, qui illi studio traditus est docendus, nata esse dicatur; et ne magna quidem honoris parte Cantabrigiensis spoliabitur, si eam ante Joffridum abbatem institutam non fuisse statuatur. Nihil autem liquidius constat, quam quod ea quæ ab historicis de academiis ante hæc tempora traduntur, vel plane falsa esse, vel saltem dubiæ incertæque fidei.

Denique si schola Sigbertcina Grantæ non est instituta, verisimillimum est eam positam fuisse vel in civitate Domuoc, in qua Felix sedem episcopatus acceperat; vel apud Seham, ubi, ecclesia constructa et dedicata (*Hist. Rames. Galei Edit.*, p. 82), cœtum non minimum monachorum aggregarat. Supra enim abunde comprobatur scholas præcipue in episcopiis et monasteriis fuisse erectas.

## NUM. XI [Smith, XV].

***Index reliquiarum Ecclesiæ Dunelmensis; ex libro antiquo plurimis in locis adeo vitiato, ut nullo modo legi possit.***

Anno Domini M° CCC° LXXII° ..... Liber iste.... itus est de reliquiis in fera ... sancti .... per Dominum ...... Segbruk tunc Feretrarium ad dictam ..... reliquiæ et quales hab ......... qua parte aut in quo gradu .....

In primis in primo et suppremo gradu ...... Australi ymago beate Marie virginis argentea et deaurata. Item ymago ......, argentea et deaurata cum costa ejusdem inclusa in pectore ymaginis. Item una crux nigra que vocatur Blak rode of Scotland. Item alia crux cristallina in custodia sacriste. Item una crux aurea cum lapidibus et pede argenti deaurato. Item una crux que vocatur sancte Margarete regine Scocie. Item una cuppa argentea deaurata ex dono comitisse Cancie cum vexillo sancti Cuthberti. Item unum brachium argentatum cum osse sancte Lucie virginis. Item ymago beati Cuthberti argentea ex dono domini Wilelmi episcopi. Item crux cum pede ex dono domini Thome Langley episcopi Dunelm.

Item in gradu sub primo, unus textus Evangeliorum ornatus cum argento et auro cum ymagine Trinitatis in una parte. Item unus cervus ...... deauratus cum vestimento sancti Johannis Baptiste incluso. Item in altera parte crux sancti Johannis Baptiste cristallina cum imagine crucifixi. Item cophinus radici et glauci coloris in cistula viridi, qui jacebat super loculum sancti Cuthberti infra feretrum per cc. annos et amplius.

Item in gradu tertio et suppremo in cistula anamulata, capa sancti Cuthberti in qua jacebat in terra per XI annos. Item cophinus eburneus cum vestimento sancti Johannis Baptiste. Item liber sancti Boysili magistri sancti Cuthberti. Item una cistula eburnea cum vestimento sancti Cuthberti tassillato. Item ceptrum sancti Oswaldi eburneum. Item duo

Digitized by Google

ungues Griffonis. Item v sudaria pro reliquiis portandis.

Item una........... ornata auro et argento cum ossibus et diversis reliquiis apostolorum. Item pixis cristallinus cum sanguine beati viri sancti Thome martiris Cantuariensis.

Item capsa argentea cum cathena argentea cum diversis reliquiis beate Marie Magdalene. Item una fiola cristallina cum capillis et peplo sancte Marie Magdalene. Item una fiola cristallina cum costa sancti Laurencii et ossibus ejusdem et carbonibus. Item una bursa de panno aureo cum uno spectaculo cristallino et diversis fragmentis reliquiarum sine billis. Item unum album caput de lapide Israelitico cum ymagine crucifixi in dorso. Idem dens sancte Margarete regine Scottorum, et una petra aquile, et crines sancte Marie Magdalene, et una pars virge Moysi, et unum par de Bediis sancti Thome comitis Lancastrie in duabus bursis cum uno signo de albo velweto.

Item una fiola cristallina ornata cum argento deaurato cum vestimento sancti Johannis Baptiste et de scutella ejusdem, et de capite beati Johannis Crisostomi, et de costa sancte Margarete martiris. Item una bursa serica cum scutis armorum cum vestimento sancti Malachie episcopi, et de cilicio et unguibus ejusdem, et de pulvere sancti Amphibili martiris, et quoddam os sancte Petronille virginis. Item quoddam os sancte Martine virginis et martiris, et de capa sancti Edmundi confessoris, et quoddam os sancti Andree, et de panno sancte Barbare virginis, et de capillis sancti Bernardi abbatis in bursa cum scutis varii coloris ut supra. Item una cistula argentea anemalata cum osse de capite sancti Benedicti, et uno dente sancti Egidii cum osse brachii ejusdem.

Item una bursa rubea cum reliquiis sancti Petri apostoli. Item os Separii confessoris. Item unum os sancti Egidii in uno Qwybyne de argento. Item de vestimentis et pulvere sancti Dionysii, et de capillis sancti Bartholomei eremite de Farne et monachi Dunelmensis in fiola cristallina. Item particula panni quem sancta Ebba dedit sancto Cuthberto in quo jacuit per CCCCXVIII annos et V menses, et pars casule in qua jacuit per XI annos in uno corporay case glauce stipato.

Item tria ova griffina. Item una........... de rubeo velweto brodata cum agno Dei. Item II cophini cum capillis et cilicio venerabilis Roberti de Stanhope, et de ossibus sancti Columbe abbatis cum aliis reliquiis. Item unus cophinus rubeus cum vexillo sancti Oswaldi, et de ossibus sancti Patricii, et reliquiis sancti Juliani martiris et Sebastiani martiris et Eugenie virginis, et de barba sancti Godrici.

Item una parva crux deaurata cum lapidibus et particula dominice crucis inclusa. Item de presepio Domini in una bursa serica de bleweto. Item una parva crux argentea cum IIII ossibus sanctorum. Item de barba sancti Godrici. Item lignium sistulum, de ligno quo sanctus Laurencius fuit fustigatus, et quedam minuta ossa sancti Concordii martiris, et quedam particula de costa sancti Bernardi abbatis, et de capillis ejusdem, et quedam junctura sancti Laurencii in parte igne cremata, in fiola cristallina ornata argento. Item de ossibus sanctorum martirum Nerei, Achillei, et os sancti Felicis martiris, et unum os sancti Germani episcopi, et de casula sancti Acce episcopi, et unum os sancti Balbini in una bursa serica quartillata cum albis castellis.

Item unus pixis cristallinus cum lacte beate Marie Virginis. Item de sepulcro beate Marie Virginis et camisia ejusdem, et de sepulcro et peplo Anne matris ejusdem in fiola cristallina cum pede de argento. Item pixis nigri coloris cum dente sancti Stephani, et de capite et ossibus ejusdem. Item in una bursa de rede rone una petra de sepulcro Domini, et una petra de Ecclesia de Bedleem, et una petra de sepulcro in monte Synai, et de rupe super quem mulgebat sancta

A Maria mater Domini lac suum, et de oleo sancte Marie de Sarcinay.

Item una cistula eburnea ornata auro et argento, cum cirotecis sancti Cuthberti ex dono domini Ricardi de Kirtly monachi Dunelmensis. Item unum godet cum trearle ex dono Johannis de Kellawe. Item una fiola cristallina cum pede cuprio deaurato, cum ossibus sancti Jacobi, et de vestimento ejusdem, et de vestimento sancti Jacobi Zebedei. Item de petra ubi Dominus fuit natus, et de sepulcro Domini, et de reliquis sancte Elene in una bursa alba.

Item de vestimento sancti Johannis ewangeliste in fiala cristallina, et de costa Edwardi regis et martiris. Item de fauce sancti Nicholai et de cilicio vestimento, osse et tumba ejusdem, et de osse sancti Exuperii in una bursa serica varii coloris. Item una fiola cristallina cum parva cruce inclusa. Item de vestimento sancti Johannis evangeliste in tabulis deauratis cum aquila.

B Item Marie virginis imago eburnia. Item de osse sancti Sebastiani, et de osse sancti Fabiani, et dens sancte Cecilie virginis, et reliquie apostolorum Philippi et Andree, et de vestimento sancte Cristine virginis, in bursa alba ornata cum rubeis tassellis. Item una fiola cristallina ornata cum argento deaurato, cum manna sepulcri sancte Marie, et quodam osse sancti Christofori, et articulo digiti sancti Stephani, et de pane quem benedixit Dominus, et de osse capitis sancti Petri, et de osse sancte Elene, et de osse sancti Laurencii, et de tunica sancti Gregorii, et de ligno Domini, et ossa sancti Egidii. Item unum parvum feretrum argenteum deauratum cum osse digiti sancti Firmini martiris.

Item una fiola cristallina cum vestimento sancti Johannis ewangeliste, et de costa sancti Edwardi regis. Item dentes et ossa sancti Ciriaci martiris in una bursa de albo Samyt. Item unus pixis ornatus lapidibus cristallinis, cum carne et pinguedine sancti Thome martiris, et de vestimentis in quibus sepultus
C fuit.

Item de lorica sancti Oswaldi regis........... et de cruce quam erexit in........... uno scrineo........... Item........... pixis cristallinus niger cum spongea, et de sepulcro Domini, et de lapide super quem sedit Jesus in pretorio Herodis. Item de ligno sub quo fuerunt tres angeli cum Abraham. Item una peryle alba et concana mire stitture.

Item una crux argentea cum ligno crucis. Item de panno sancte Barbare virginis in pixide eburneo. Item tres dentes sancti Aydani episcopi cum aliis reliquiis in una bursa rubea de sindone. Item de fauce sancti Nicholai, et de cilicio, et de vestimento, et de oleo, et de osse, et de tumba ejusdem in una cistula argentea anemalata.

Item una junctura digiti sancti Mauricii martiris, et unus dens sancte Margarete martiris, et costa sancti Remigii episcopi, in una plata argentea deaurata et quadrangulata. Item costa sancti Mauricii
D martiris, et de tunica sancti Bede doctoris, et de velo sancte Agathe virginis, et de sancto Blaseo, et de sancto Silvestro, et ossa de Innocentibus in fiola cristallina cum pede argenteo deaurato. Item de ossibus sancte Brigide virginis et de ejus zona, et de ossibus sancti Columkille abbatis, et de ossibus sanctorum Innocentium in una bursa de rubeo sindone.

Item una crux argentea cum crucifixo deaurato. Item una fiola cristallina cum vestimento sancti Ypoliti et sancte Katerine. Item de ossibus sancti Teobaldi in una fiola cristallina cum pede argenteo deaurato, et vestimentum sancti Theobaldi cum imaginibus crucifixi inscriptis et deauratis in dorso ejusdem.

Item de panno intincto in sanguine beati Theobaldi archiepiscopi Eborum. Item........ cistula argentea anemalata et cum ymaginibus. Item reliquie sanctorum confessorum Gregorii, Silvestri et Leonis, et de

Digitized by Google

vestibus et capillis sancti Boysili presbyteri, in una A cistula eburnea.

Item de petra supra quam Christus ad celos ascendit, et de presepio et cunabulo ejusdem, et de monte Calvarie, et de lapide super quem natus est Christus, et de loco ubi crucifixus est, et de presepio Domini et de tunica ejusdem, et de lapidibus trans Jordanem, et de sudario cum aliis reliquiis Domini nostri Jesu Christi, in pixide cristallino ornato cum cupro, cum iii pedibus. Item eadem in parva bursa rubea cum magna billa. Item pecten eburneum sancti Dunstani in una bursa serica varii coloris.

Item de barba sancti Godrici et de lorica ejusdem, et de ossibus sancte Paule et Eustochie filie sue in capsa argentea deaurata. Item una crux argentea deaurata, cum cristallo inter pedem et crucem et cum aliis lapidibus diversi coloris. Item de ligno Domini, et de sepulcro ejusdem, et de lapide qui jacuit ad caput Domini in sepulcro, et de ligno paradisi, et de monte Calvarie in pixide cristallino. Item una B spina coronæ Domini nostri Jesu Christi ex dono Domini Thome de Hattefeld episcopi Dunelm. in fiala aurea conclusa in techa de coreo.

Item unus pixis eburneus cum reliquiis sine billis. Item de carne sancti Oswini regis et martiris, in fiola cristallina cum pede deaurato. (*Script. recentiore sed antiqua manu:* At mendax erat scriptor, quia jacet incorruptus).

Item duo ova griffina.

Item una crux argentea sancti Andree cum junctura ejusdem.

Item unum cornu eburneum ab Oswaldo . . . . . Item leo de linono in quo de vestimentis sancti Thome, continetur os sancti Ieronimi presbiteri, junctura ejusdem . . . . . quam . . . . .

Item una crux argentea erat deaurata . . . . . cum lapidibus.

Item una cistula eburnea cum vestimento sancti Johannis Baptiste.

Item una cistula eburnea cum diversis reliquiis sine C billis.

Item una crux argentata cum ossibus Innocentium.

Item cistula eburnea cum oleo sancte Katerine in duabus fiolis vitriis et cum oleo sancti Nicholai in una fiola vitria sancti Mertini.

Item una cistula eburnea cum oleo sancte Katerine, et sancti Nicholai, et sancte Marie de Sardinia.

Item cistula eburnea cum reliquiis de sancto Acca episcopo; et de sudario et casula ejusdem, per ccc annos in terra jacentibus; et de ossibus sancti Exuperii martiris in cistula eburnea, et de cilicio et capillis barbe sancti Godrici, et de tunica ejusdem, et de oleo sancte Marie de Sarcines.

Item in suppremo gradu Australis partis versus Occidentem.

Ymago beate Marie alba in tabernaculo. Item fiola cristallina cum pede argenteo cum reliquiis sine billis.

Item de ossibus sancti Patricii martiris, et de ve- D stimento sancti Johannis Baptiste, et de pulvere ossium ejusdem, et de latere sancte Magarete, et de scutella sancti Johannis Baptiste in fiola cristallina. Item de lorica sancti Edwini archiepiscopi in cistula eburnea, et de cilicio ejusdem. Item in bursa variata de glauco et rubeo, de sepulcro Domini, et de templo Domini, et de spongea Domini, et de querentayn, et de mensa Domini, et de monte Oliveti, et de sepulcro virginis Marie, et de lapide super quem natus est Johannes Baptista, et de lapide et vase, in quo lavabantur pedes apostolorum. Item una crux argentea deaurata, cum lapidibus preciosis, in qua continentur de ligno Dominice crucis, et de mensa Domini, et de reliquiis sanctorum Philippi, Stephani, et Laurencii martirum, et sanctarum Elene et Barbare virginum.

Item liber sancti Cuthberti cum textu Ewangeliorum.

Item textus Ewangeliorum ornatus auro cum crucifixo deaurato cum multis evidenciis et monumentis.

Item unus textus ewangelicus cum vita sancti Cuthberti, ornatus in una parte cum crucifixo argenteo deaurato, et in alia parte cum ymaginibus eburneis. Item una crux sancti Aydani de nigro Geete.

Item unus textus parvus ornatus cum crucifixo deaurato ex una parte, et majestate ex altera. Item unum ovum griffinum cum vestimento sancti Johannis ewangeliste.

Item unum feretrum argenteum et cuculla sancti Elphegi cum aliis reliquiis. Item due capse argentee cum sacris ligniolis inclusis. Item unus lapis qui dicitur est de pane verso in lapidem. Item unum parvum feretrum de cupro anemalato cum reliquiis beati Christofori, beati Stephani, beati Bartholomei, sancte Elene, cum particula columne ubi Christus erat flagellatus. Reliquia ista ex dono Johannis de Claxton. Item de ligno Domini, de palma Domini, de pulvere carnis beati Dionisii. De ossibus beati Quintini cum aliis sine billis in uno plat quadrangulato cum ymagine Christi ex una parte, et ex alia parte ymago beate Virginis.

Item textus ewangelicus cum Vita sancti Cuthberti in uno volumine, ornatus auro et argento, in una parte cum crucifixo et sepulcro Domini, et in altera cum ascensione Domini. Item unus dens sancti Gengulphi valens contra morbum caducum, in parvo pixide argenteo cum tribus pedibus. Item cingulum sancti Godrici. Item dens sancti Willelmi Eborum in scrinio quadrangulato ornato argento. Item os sancti Johannis de Bridillington in uno cristallo ornato argento cum pede argenteo et scriptura ex dono domini Willelmi Appilby monachi.

Item caput sancti Aydani ornatum in cupro deaurato et lapidibus preciosis. Item duo ova griffina.

Item de presepio Domini et circumcisione Domini et de sancto Johanne Baptista, et de sancto Jacobo fratre Domini, et de ossibus Innocentium, et de sancto Sebastiano, et de capite sancti Blasii, et de petra qua lapidatus fuit sanctus Stephanus, et de sancto Nicholao, et de vestimento ejusdem et de corrigia qua ligatus fuit sanctus Gervasius, et de osse sancti Alkmundi, et de sancto Exuperio martire; et de annunciatione sancte Marie, et de osse sancti Acce, et de sancto Anastasio, et de lance sancti Nicholai, et de sanctis martiribus Mario, Marta, Audepha, Abecuc, in una bursa de panno aureo. Item caput et ossa unius virginis xi millia virginum. Item caput sancti Ceolwulphi regis et postea monachi, et caput sancti Boysili presbiteri in uno pheretro ornato cum argento et auro et . . . . . ymaginibus . . . . .

Item cilicium sancti Boysili presbiteri in una turri eburnea cum ymaginibus auro et argento mire decoratis.

Item agnus Dei in argento. Item xx lapides cristallini et tres byrele. Item una crux ornata argento et auro, cum crucifixo eburneo.

Item tabernaculum deauratum cum ymaginibus.

Item unum pecten Malachie archiepiscopi. Item unum pecten sancti Boysili presbiteri in casa nigra. Item una crux eburnea. Item unum ovum griffinum ornatum et divisum. Item una plata argentea cum vestimento beate Marie virginis. Item diverse reliquie sine billis in bursa varii coloris. Item reliquie sancte Radagundis cum aliis reliquiis in una capsa alba in duabus bursis albis. Item Ewangelium sancti Johannis ewangeliste in bursa polimita.

Item duo superaltaria de Jasper, et duo de Gete nigro, ornata argento et auro inclusa in duabus cistulis ligneis: que altaria fuerunt consecrata in honore sancti Blasii martiris, et sancti Johannis episcopi in Beverlaco decimo die mensis Maii anno Domini etc. CCCC° primo.

Item una stola cum ii manipulis quas sancta Etheldreda dedit sancto Alfrido, in cistula cum staminis. Item ossa et reliquie diversorum sanctorum in cistula

Digitized by Google

multum eburnea, que inferius titu'antur ad tale signum. (*Hic inseritur signum manus.*)

Item duo ova griffina. Item unus baculus pastoralis cuprius cum capite . . . . . Item una cistula glauca cum reliquiis contentis in billa appensa eidem. Item argentea deaurata una crux, continens ossa sancti Ypoliti martiris.

Item unus pannus cera infusus qui corpus sancti Cuthberti circumdederat in sepulcro, et vestamentum ejusdem in cista rubea de velwetto ex dono domine de Balden. Item duo sandalia in casa de nigro correo.

Item Index duplicis texture qui corpus sancti Cuthberti circumdederat in sepulcro, circumdederat ei Elfleda abbatissa in cista viridi.

Item de lorica sancti Godrici . . . . . Item . . . . . cilicio et tunica, de vestimento et pane ejusdem, in duabus bursis albis. Item de reliquiis Malasi et Herinii abbatum. Item de capillis plurimorum sanctorum. Item ossa sancti Candidi martiris, et de osse sancti Seomidi martiris, et de reliquiis sanctorum Gregorii, Silvestri, et Leonis, et reliquie sancte Radagundis virginis, et de sancto Augustino episcopo, et de sancto Gregorio martire, et dens sancti . . . . . ilberti cum aliis multis que cont nentur in una alba cistula ligata cum arecalco et uno pixide eburneo. Item caput baculi pastoralis.

Item iii libri pontificales. Item unus lib r Gallicus. Item pontificatus sermones duo. Item Gallorum historia. Item liber qui vocatur Poliistor historiarum Gaii, Julii, et... lini oratorum Romæ, coopertus cum pelle de sely. Item quatuor particule de ebore longe et curvate. Item passio Christi depicta in pergamena. Item duo vetera superaltaria de Geete. Item hic deficiunt una corona de corio cooperto cum glauco welviet. Item episcopi Thome de Hatfeld pro astiludiis et quedam parbred et quedam fragmenta lapidum et unum meruscalis dedita ad opus nove camare feretrarie. Omnia ista sunt in armariolo qui subest proxime pavimentum, et in custodia feretrarii.

Item de pectore sancte Graciane virginis et martiris, scilicet inter mamillas. Item pars lapidis de sepulcro sancti Dionisii martiris sanguine ejus intincta. Item de capill.s plurimorum sanctorum. Item os sancti Secundi avunculi sancti Mauricii ducis legionis Thebeorum. Item de carne Bartholomei de Farne. Item sancti Candidi martiris et sancti Mauricii socii. Item de P quo sutum fuit corpus sancti Cuthberti in casula sua. Item de trono ubi sedebat Jesus cum xii discipulis. De lapide in quo scripsit Dominus quando interrogaverunt eum discipuli de jure, de monte Thabor ubi transfiguratus est Jesus et Dominus cum Moyse loqutus est. Pars de sepulcro Domini. De ligno carceris sancti Johannis Baptiste et sancti Stephani prothomartiris. Pars Jacobi, Zacharie et Symeonis. De duodecim thronis apostolorum. Omnia ista in una cistula multum eburnea. *Hic iterum inseritur signum manus.*

*Deinde sequitur superiorum reliquiarum index alphabeticus, post quem hoc memorandum.*

Memorandum quod recolende et bone memorie Robertus... odes de Novo Castro super Tynam juris regni Anglie peritus et senescallus prioratus Dunelm. ac sancti Cuthberti constans et fidelis amicus, necnon pro juribus et libertatibus ejusdem sancti recuperandis et conservandis adjutor et operator assiduus, confraterque spiritualis capituli Dunelmensis, decimo die mensis Januarii, anno Domini millesimo cccc^mo quadragesimo sexto, contulit feretro sancti Cuthberti unam crucem auream ad pedes ejusdem sancti in orientali gabulo feretri predicti pendentem, habentem ex una parte quinque lapides preciosos, videlicet in medio ejusdem crucis unum saphirum pulcrum et visu delectabilem, et in quolibet angulo sive cornera unum lapidem rubeum preciosum, una

A cum parvis margaritis in quatuor extremitatibus predicte crucis circulariter affixis, et ex altera parte ejusdem crucis diversas reliquias, videlicet de columpna lapidea ad quam Christus ligatus fuit et flagellatus, et de lapide sepulcri ejusdem de petra excisii, in quodam berillo ad modum crucis facto inclusas.

NUM. XII [Smith XVI].

*De mansione quam sanctus Ceadda sibi fecerat.*

Ex veteri pergamena ms. penes decanum et capitulum Lichfeldensis ecclesiæ Dugdalius in volumine tertio Monastici (*pag.* 219) tradit, Lichfeldiæ esse duo monasteria, aliud in occidentali plaga in honore beatæ Mariæ Virginis constructum; aliud, quod vocatur Statio S. Ceaddæ, in orientali plaga, ubi S. Ceadda orationes et prædicationes populo faciebat, quod nunc vocatur Stowe. Ad hanc mansionem sive cellam Wlfadus et Rufflnus filii Wlfheri regis

B Merciorum, ut patet ex eorum passione (*Mon. Angl.* ii, 119), dicuntur venisse, dum S. Ceadda episcopus fuerit Lichefeldensis, et ab eo fuisse baptizati. Quamobrem Wlfherus ratus quod Christianam fidem amplexi essent, utrumque filium quos sibi Ermenilda peperisset, si huic historico ulla habeatur fides, impia clade occidit. Sed tota hæc de horum fratrum interitu historica ficta esse omnino videtur. Rex enim Wulfherus, qui ab horum passionis scriptore Paganus dicitur, ab initio regni sui Christianam fidem acceperat, et statim rex factus, Christianam rem promovere, ecclesias et monasteria fundare et ditare cœperat; adeo ut de eo scripserit Malmsburiensis (*De Reg.* i, 4), Wolferum Christianitatem vix in regno suo palpitantem, et per fratrem initiatam, favore suo enixissime juvisse. Et quidem fieri non potuit ut rex filios suos ex eo trucidaret, quod a S. Ceadda baptismum susciperent. Ipse enim (*Bed. Hist. eccl.*, iv, 3), mortuo Jarumanno, sibi suisque a Theodoro episcopum dari petiit; datoque illis

C Ceadda antistite, eum benigne suscepit, et donavit illi terram quinquaginta familiarum ad construendum monasterium in loco qui Ad Baruae dicitur. Porro circa annum 663 aiunt filios martyrio affectos: quod certe ab omni veritate alienum est. Eo enim anno Lichfeldiæ nondum sederat Ceadda, qui non ante annum sequentem hunc episcopatum administravit.

Alfordus autem (*In Annal., an.* 669, *sect.* x) existimat hanc historiam non penitus esse rejiciendam; fatetur illam iis quæ Beda de Vulfhero et Ceadda tradidit nullo modo cohærere; ait vero, paucis mutatis, posse omnia subsistere, et dicendum censet baptizatos illos prius ab aliquo Merciorum episcopo, quam Vulfherus regnare cœpisset, præsertim Pendæ parentis tempore, qui Christianum nomen exstinguere, pluribus exstinctis regibus, laboravit. Sed neque sic quæ in narratione ista displicent et inter se pugnant componi possunt. Vulfherus enim cum in

D regem levatus est, teste Beda, fuit adolescens. Ideoque verisimile non est eum habuisse duos filios adolescentes Pendæ sui patris tempore, qui triennium et amplius ante quam ipse regnare incœperit interfectus est. Denique silentium Bedæ, apud plurimos maxime valebit, qui certe hoc non reticuisset, præcipue cum istud Vulfheri regis facinus impium causa fuisse dicitur monasterii de Stone in agro Staffordiensi construendi, quo immanitatem suam rex facti pœnitens bono opere elueret.

NUM. XIII [Smith XVII].

*De Magistris Ecclesiæ.*

Magistri Ecclesiæ, ut mihi videtur, non alii fuerunt quam clerici doctiores et in rebus ecclesiasticis bene instituti, qui una cum episcopis suis ad synodum venerunt, quales erant Hadrianus abbas, et Benedictus Biscop, ambo in canonicis Patrum institutis versatissimi. Ili vero ad concilium non ideo sunt



Digitized by Google

profecti, ut auctoritate sua decreta vel facerent vel firmarent, sed tantum ut episcopos, quibus solis ecclesiasticarum legum ferendarum jus erat, eruditione sua et consilio adjuvarent. Constat enim ex ipsa actione synodica, cujus textum historiæ suæ Beda inseruit, archiepiscopum et collegas suos integram canonum faciendorum potestatem habuisse. Nam ante synodi decreta Theodorus primo suum nomen, deinde omnium qui tunc adfuerunt episcoporum nomina posuit; eorumque solis suffragiis et consensu definita sunt omnia et stabilita. Haethfeldiense etiam concilium, paucis post annis habitum, celebratum est præsidente Theodoro gratia Dei archiepiscopo Brittaniæ insulæ et civitatis Doruvernis, una cum eo sedentibus cæteris Brittaniæ insulæ.

Hoc quidem certissimum est, ante hoc tempus inferioris ordinis clericos in synodis locum obtinuisse. Quod patet ex canone quarto quarti Toletani concilii anno 633 celebrati. « Quintodecimo autem Kalendarum Juniarum congreganda est in unaquaque provincia synodus, propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur, et pabula germinum inveniuntur. Hora itaque diei prima, ante solis ortum, ejiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus, cuncti ad unam januam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent: et convenientes omnes episcopi pariter introeant, et secundum ordinationis suæ tempora resideant. Post ingressum omnium episcoporum atque consessum, vocentur deinde presbyteri quos causa probaverit introire. Nullus se inter eos ingerat diaconorum. Post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse: et corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri a tergo eorum resideant, diacones in conspectu episcoporum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electione concilii interesse meruerunt.... Nullus autem episcoporum a cœtu communi secedat, antequam hora generalis secessionis adveniat. Concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, episcoporum singulorum manibus subscribantur. » Idem ostenditur ex concilio Cloveshoviæ sub Cuthberto archiepiscopo anno 747 celebrato, ubi ex diversis Britanniæ provinciis sacri ordinis præsules, cum *plurimis sacerdotibus Domini*, et minoribus quoque ecclesiastici gradus dignitatibus, ad locum synodalem dicuntur convenisse. Hinc liquet tam presbyteris quam diaconis sedem in conciliis fuisse concessam: nihilominus Toletanus canon solis episcopis legislativum jus et potestatem ascribit; et Cloveshovianæ synodi canones *præsules qui cæteris magisterii loco a Deo prælati sunt*, sua auctoritate tantum instituunt. Episcopos denique leges ecclesiasticas ferendi facultatem habuisse solos ulterius colligi potest ex sexto et nono capitulis synodi apud Celichyth anno 816, sub Wulfredo archiepiscopo, cui tamen adfuerunt abbates, presbyteri, diacones, cum quibus præsides de necessariis et utilitatibus Ecclesiarum tractaverunt.

Neque hoc ex eo falsum probabitur quod Johannes, qui episcopus non fuit, sed tantum archicantator ecclesiæ S. Petri, et abbas monasterii beati Martini, Haethfeldianæ synodo subscripserit, et decreta ejus firmaverit. Johannes enim iste legatus erat Agathonis Romani pontificis, ut tum ex Beda patet (*Hist. eccles.* IV, 18), qui testatur eum « illud in mandatis ab apostolico papa accepisse, ut cujus esset fidei Anglorum Ecclesia diligenter edisceret, Romamque rediens referret; » tum ex synodo Romana anno 679 habita (*Spelm.*, *Conc. tom.* I, *p.* 160), cujus auctoritate et consilio simul et jussione Agathonis Johannes in Britanniam directus est, cui etiam « insuper Agatho synodum beati Martini papæ conscriptam centum quinque episcoporum consensu non multo ante Romæ celebratam tribuit, non solum ad suæ legationis testimonium atque confirmationem, sed ut quidquid sanctus Theodorus archiepiscopus cum sapientibus et fidelibus et viris religiosis in Anglorum provinciis. Christi Ecclesiis et universo populo Dei iisdem positis profuturum melius ac religiosius in Christo invenire potuisset, cum prædicta auctoritate roboraret. » Johannes igitur non sua, sed pontificia auctoritate decreta firmabat: ideoque ex hujus subscriptione non sequitur alios Ecclesiæ magistros hujusmodi legatione non munitos eamdem potestatem habuisse.

## NUM. XIV [Smith XVIII].

*De causa dissensionis quæ orta est inter regem Ecgfridum et Uilfridum antistitem.*

Uilfridi Vitæ scriptores nos certos faciunt Ecgfridum primis regni annis Uilfridi amicitiis fuisse vehementer astrictum. Et quidem, quandiu Aediltbryda cum Ecgfrido fuit, bene Uilfrido successit. Sed illa istius monitis et consilio divortium a rege impetrante, et monasterium ingressa, rex sponsæ dilectæ divortium non leviter ferens, Uilfridum non eo « affectu quo antea coluit, sed iram diu tacito contra illum sub pectore gessit, et exspectata hora ob istiusmodi causam eum de sede sui episcopatus expulit. » (*Vita S. Ethildritæ apud Mabill., sæc.* II, *p.* 740.) Hac origine odium regis in Uilfridum ortum est: quod videns Ermenburga, quam sibi rex postea matrimonio copulaverat, animum illius injectis quibusdam simultatibus magis inflammat. Regina etiam ideo intus offensa est, quod Uilfridus illius « muliebrem inconstantiam, intemperantiam lubricæ ostentationis, oppressionem ac rapinam violentæ damnationis, quæ in ea magno cum tumore vigebant, » multoties notaverat. Quamobrem regis animum commotum sentiens, fraudulentis sermonibus ejus gloriam regi cœpit admirando enarrare. Nam exposita divitiarum abundantia, cœnobiorum multitudine, ædificiorum magnitudine, subditorum principum turba, intulit: « Et quid amplius ipse tibi, quam tu sibi? totum regnum tuum episcopatus ipsius est. » Talibus verbis rex permotus, et quasi suæ utilitati consuleretur, ad ea totus arrectus, melius suis rebus consuli non putavit, quam si Uilfridus suis omnibus privaretur, et episcopatus ipsius in plures episcopos divideretur. Regis igitur animus Edilthrydæ causa a Uilfrido alienatus est, neque primo in eum Ermenburga Ecgfridum irritavit: licet Eddius, Fridegodus, Eadmerus et alii, credidisse videntur inimicitias eorum ab hac ortum habuisse.

## NUM. XV [Smith. XIX].

(E bibliotheca Cottoniana Aug. II, 16).

*Charta Hodilredi parentis Sebbi regis Orientalium Saxonum.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris. Quotiens sanctis ac venerabilibus locis vestris aliquid afferre videmur, vestra vobis reddimus, non nostra largimur. Quapropter ego Hodilredus parens Sebbi, provinciæ East-Saxanorum, cum ipsius consensu, propria voluntate, sana mente, integroque consilio tibi, Hedilurce abbatissæ, ad augmentum monasterii tui quæ dicitur Beddanhaam perpetualiter trado, et de meo jure in tuo transcribo terram quæ appellatur Bucingahaam, Budinhaam, Deccanhaam, Ancenlabeshaam, et campo in silva quæ dicitur Uuidmundesfelt quæ simul sunt conjuncta XL manentium usque ad terminos quæ ad eum pertinent, cum omnibus ad se pertinentibus, cum campis, silvis, pratis et marisco, ut tam tu quam posteri tui teneatis, possideatis, et quæcumque volueris de eadem facere terra liberam habeatis potestatem. Actum mense Martio, et testes competenti numero ut subscriberent rogavi. Si quis contra hanc donationis chartulam venire temptaverit aut corrumpere, ante omnipotentem Deum, et Jesum Christum Filium ejus, et Spiritum sanctum, id est, inseparabilem Trinitatem, sciat se condemna-

Digitized by Google

tum et separatum ab omni societate Christiana..... A Hanc chartulam donationis in sua nihilominus firmitate et ut firma et inconcussum sit donum. Termini sunt autem isti hujus terræ cum quibus accingitur: ab Oriente Writola Burna, ab Aquilone Cen-ices triow et Hanchem stede, ab Australe flumen Tamisa. Si quis autem hanc donationem augere voluerit, augeat Deus bona sua in regione vivorum cum sanctis suis sine fine. Amen.

† Ego Sebbi rex East-Sax. pro confirmatione subscripsi. Ego Oedilredus donator subscripsi. † Ego Erconualdus episcopus consensi et subscripsi. Ego Uuilfridus episcopus consensi et subscripsi. † Ego Haedde episcopus consensi et subscripsi. Ego Guda presbyter et abbas consentiens subscripsi. † Ego Egobaldus presbyter et abbas consensi et subscripsi. † Ego Haeona presbyter et abbas cons. et subs. † Ego Ho-c presbyter et abbas co sentiens subs. Sig†num manus Sebbi regis. Sig†num manus Sigiheardi regis. Sig†num manus Suaebredi regis.

De terra quæ donavit Odilredus xl ª mancntium.

*Charta Suenbrædi regis East-Saxonum.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris. Quamvis solus sermo sufficeret ad testimonium, attamen pro cautella futurorum temporum, ne quis forte posterum fraudulentam ignorantiæ piaculum perperam incurrat, idcirco sceddulis saltem vilibus pro ampliore firmitatis supplicamento necessarium reor adnectere. Quapropter ego Sneabræd rex East-Saxonum, et ego Pœogthath, cum licentia Aedeiredi regis comitis, aliquantulum agri partem, pro remedio animarum nostrarum, Unaldhario episcopo in dominio donare decrevimus, id est, xxx cassatorum, in loco qui dicitur Tuccanham, in provincia quæ nuncupatur Middelsexam. Hæc autem terra his locorum limitibus designatur: ab oriente et austro flumine Tamisæ terminata, a septentrione plaga torrente cujus vocabulum est Fiscesburna. Possessionem autem hujus terræ taliter ut supra diximus, cum campis sationalibus, pascualibus, pratis, paludibus, piscuariis, fluminibus, clausuris, omnibusque ad eam pertinentibus, in dominio supradicti episcopi possidendam perpetuale jure tradidimus; et liberam habeat potestatem agendi quodcumque voluerit. Porro ut firmior hujus donationis largitio jugiter servaretur etiam testes adjunximus, quorum nomina subter tenentur inserta. Si quis vero successorum nostrorum hanc donationis nostræ munificentia augere et amplificare maluerit, augeat Dominus partem ejus in libro vitæ. Si quis e diverso, quod absit, tyrannica potestate fretus, infringere temptaverit, sciat se ante tribunal Christi tremebundum rationem redditurum, maneatque nihilominus in sua firmitate hæc chartula scripta anno ab Incarnatione Domini nostri DCCIV, indictione II, tertia decima die mensis Junii, quod est Idus Junii.

D † Ego Coenredus rex Merc. hanc terram Waldhario episc. pro remedio animæ meæ in dominio donare decrevi in loco qui dicitur Tuccanham et libenti animo propria manu crucem infixi. † Ego Ciolred Merc. hanc donationem quam ante donavit propinqus meus Coenradus rex et ego confirmavi in loco Arcehcale et signum sanctæ crucis expressi. † Ego Headda episc. consensi et subscripsi. † Ego Colta ab. con. et sub. † Suebrædus rex East-Saxonum propria manu. † Ego Peolithat signum manus imposui.

| | |
|---|---|
| † Ego Friodoreul sign. m. | † Eadred sig. |
| † Aelric signum m. | † Scoth ine sig. |
| † Coenheard sig. m. | † Cymmi sig. |
| † Lulla sig. m. | † Wallhat sig. |

ª *Manentium.* Inter testes qui huic chartæ subscripserunt, leguntur Erconualdus Londoniensis, Uilfridus Eboracensis ejectus, et Hueddo Lichfeldensis episcopus. Unde constat chartam hanc factam fuisse inter an. 691, quo Uilfridus iterum ejectus est et Haedde consecratus, et an. 694, quo rex Sebbi Erconualdo jam defuncto, a Ualdhario habitum religionis accepit.

| | |
|---|---|
| † Cudræd sig. m. | † Pagara sig. |
| † Cynric sig. m. | † Tudima sig. |
| † Uilloc sig. m. | † Eadberht sig. |

## NUM. XVI [Smith xx].

(Chartæ de cella de Coldingham in ecclesia Dunelmensi conservatæ.)

*Charta Dunecani regis Scottorum.*

Ego Dunecanus filius regis Malcolumb, constans hereditariæ rex Scotiæ, dedi in elemosina Sancto Cuthberto et suis servitoribus Tiningeham, Aldeham, Scuchale, Cnolle, Hathernmuth, et de Broccesmuthe omne servitium quod inde habuit Fodanus episcopus, et hæc dedi in tali quitantia cum saca et soca, qualem unquam meliorem habuit sanctus Cuthbertus, ab illis de quibus tenet suas elemosinas. Et hoc dedi pro meipso, et pro anima patris mei, et pro fratribus meis, et pro uxore mea, et pro infantibus meis. Et quoniam volui quod istud donum stabile esset Sancto B Cuthberto, feci quod fratres mei concesserunt. Qui autem istud voluerit destruere, vel ministris sancti Cuthberti aliquid inde auferre, maledictionem Dei, et sancti Cuthberti, et meam habeat. Amen. Crux Dun † ecani regis. Ead † gari. Scriptoris V † entonis. Ace † ard. Ul † f. Malco † lumb. Vni † get. Her † mer Hem † ming. Ælf † ric. Feo † dbold. Ea † roulf.

*Hæc charta tam signis crucis, quam sigillo appendente corroboratur. In sigillo cernitur effigies hominis armati equo sedentis, circa quam inscriptio hæc est:* † SIGILLUM DUNECANI REGIS SCOTORUM. *Dunecanus regnavit annis* 1093 *et proximo.*

*Charta Eadgari regis.*

Eadgarus rex Scottorum, omnibus suis hominibus Scotis et Anglis salutem. Sciatis quod ego do in elemosinam Deo omnipotenti et Sancto Cuthberto domino meo et ecclesiæ Dunelmensi et monachis in eadem ecclesia Deo servientibus et in perpetuum C servituris pro animabus patris mei et matris meæ, et pro salute corporis mei et animæ meæ et fratrum meorum et sororum mearum, et pro omnibus antecessoribus et successoribus meis, mansionem de Coldingaham, et cum ista mansione has subscriptas mansiones, scilicet: Aldcambus, Lummesdene, Reguintun, Ristun, Swinewde, Farndun, Eitun, aliam Eitun, Prenegest, Cramesmuthe. Has suprascriptas mansiones concedo Deo et sancto prædicto et monachis ejus cum omnibus terris, silvis, et aquis, et teloneis, et fracturis navium, et omnibus consuetudinibus quæ pertinent ad prædictas mansiones, et quas pater meus in eis habuit quietas et solidas secundum voluntatem illorum in perpetuum libere disponendas.

*Ejusdem.*

Eadgarus rex Scottorum, omnibus per regnum suum Scottis et Anglis salutem. Sciatis me ad dedicationem venisse ecclesiæ sanctæ Mariæ apud Coldingaham: quæ quidem dedicatio ad Dei laudem et ad meum placitum grata omnibus et accepta honorabiliter est adimpleta; et ego eidem ecclesiæ super altare obtuli in dotem, et donavi villam totam Swintun cum divisis sicut Liulf habuit, liberam et quietam in perpetuum habendam ab omni calumpnia, et ad voluntatem monachorum sancti Cuthberti disponendam, pro animabus patris et matris meæ et pro salute animæ meæ et fratrum et sororum mearum. Donavi etiam monachis xxiiii animalia ad restaurandam illam eandem terram, et constitui eandem pacem in Coldingaham eundo et redeundo et ibidem manendo, quæ servatur in Eilande, et in Norcham. Insuper etiam statui hominibus in Coldingamscire sicut ipsi elegerunt et in manu mea firmaverunt, ut

Digitized by Google

unoquoque anno de unaquaque carruca dimidiam marcam argenti monachis persolvant. Testibus Ælfwoter, et Thor longo, et Ælfrico pincerna, et Algaro presbitero, et Osberno presbitero, et Cnut carl's, et Ogga, et Lesing, et Swein Ulfkill's. et Ligulf de Bebbanburch, et Uhtred Eilaues sune, et Uniæt hwite, et Tigernc.

*Sigillum est Rex coronatus cum sceptro in dextra, et gladio in sinistra, in throno sedens. Sigilli inscriptio hæc :* † YMAGO EDGARI SCOTTORUM BASILEI. *Eadgarus regnavit ab anno 1097 ad annum 1107.*

*Alia ejusdem.*

Eadgarus rex Scottorum, omnibus in regno suo Scottis et Anglis salutem. Sciatis quod ego concedo et dono domino meo sancto Cuthberto et monachis ejus Paxtun, ita sicut ego eam habui cum hominibus, terris et aquis; et monachi eam possideant ita libere et quiete sicut Coldingham ad voluntatem suam. Valete.

*Alia ejusdem.*

Eadgarus, Dei gratia rex Scottorum, omnibus suis fidelibus per regnum suum Scottis et Anglis salutem. Sciatis quod ego dono in elemosinam Deo et sancto Cuthberto, et monachis ejus Fiscwic tam in terris quam in aquis et cum omnibus sibi adjacentibus, et nominatim illam terram quæ jacet inter Horverdene et Cnapadene, pro anima patris et matris meæ, et pro salute animæ meæ et fratrum meorum et sororum, liberam et quietam tenendam et habendam et ad voluntatem monachorum sancti Cuthberti domini mei disponendam. Valete.

*Chartæ Alexandri primi.*

Alexander, Dei gratia rex Scottorum, omnibus per regnum suum Scottis et Anglis salutem. Sciatis quod ego dono Deo et sancto Cuthberto domino meo et monachis ejus omnia quæ habebant tam in terris quam in aquis, die quo frater meus rex Eadgarus vivus et mortuus fuit, ita libera et quieta cum omnibus consuetudinibus sicut monachi prædicti illo eodem die melius et quietius habuerunt illam eandem terram, et nominatim illam terram quæ jacet inter Horevoredane et Cnapedane, sicut breve fratris mei Eadgari eis testatur.

*Breve ad priorem Algarum et conventum Dunelmensem de Suintune.*

Alexander Dei gratia rex Scottorum, priori A. et totius conventui ecclesiæ sancti Cuthberti salutem. Mando et præcipio vobis ut nullo modo intretis placitum neque in aliquam diratiocinationem de terra de Suintune, antequam veniat ante me. Tibi etiam domne prior, notum facio, quia de multis rebus multa vobis habeo secrete loqui quam citius fieri poterit. Valete.

*Ejusdem.*

Alexander Dei gratia rex Scottorum, A. priori omnique congregationi sancti Cuthberti salutem. Sciatis quod ego dono et concedo ex mea parte Deo et sancto Cuthberto et vobis suis monachis Swintunam totam liberam et quietam tenendam et omnino habendam, sicut breve fratris mei Eadgari regis vobis testatur. Et præterea præcipio et defendo, ne aliquis vestrum ullo modo de eadem Swintuna placitet aut respondeat ulli homini nisi ego ipse ore ad os vel meis litteris præcepero. Quia ego et frater meus Da-
A vid elemosinam fratris nostri Eadgari, et nostram similiter sancto prædicto et vobis monachis acquietabimus.

*Alexander regnavit ab anno 1107 ad annum 1124. In Sigilli ejus obversa facie cernitur rex cum corona, habitu regio indutus, cum gladio in dextra et orbe in sinistra, in throno sedens. Inscriptio est :* † ALEXANDER DEO RECTORE REX SCOTTORUM. *In aversa facie, eques armatus cum eadem inscriptione.*

*Chartæ [a] Davidis comitis.*

David comes Johanni episcopo et Colbano et Cos'atrico et omnibus suis fidelibus salutem. Vos ipsi scitis quod judicatum fuit ante me inter monachos sancti Cuthberti et drengos meos de terra de Horevoredane; scilicet quod si ipsi monachi haberent legales testes, vel breve fratris mei, quieta eis illa prædicta terra remaneret. Et ideo volo sciatis quod ego ipse vidi breve et donum fratris mei Eadgari regis quod ad vos etiam misi, et quicquid illud
B breve eis testatur, volo et concedo ut libere et quiete habeant. T. Will. nepotis mei, et Osb. capell. et Hug. de Morevilla.

*Ejusdem.*

David comes Algaro priori et ceteris fratribus suis de Dunelmo salutem. Sciatis quod ego ex mea parte dono vobis et concedo Swintonam ita liberam et quietam et voluntatem vestram inde faciendam, sicut frater meus Eadgarus rex vobis eam dedit et super altare obtulit, et sic suum breve eam ad vestrum opus testatur. Et nolo amodo ullo modo pati ut aliquis vobis aliquam injuriam vel molestiam inde faciat, pro certo sciatis. T. Mathildis reginæ et Will filii sui.

*In Sigillo Davidis comitis cernitur eques armatus cum hac inscriptione :* † SIGILLUM DAVIT COMITIS ANGLORUM REGINE FRATRIS. *Mathilda soror ejus Henrico I regi Angliæ nupsit.*

*Chartæ Henrici comitis.*

C Henricus comes filius regis Scotiæ, justiciariis, baronibus, vice comitibus, præpositis, ministris et omnibus probis hominibus suis totius comitatus sui Northumberlandiæ Francis et Anglicis salutem. Sciatis quod terræ et possessiones monachorum Dunelmiæ sunt in pace mea et in custodia mea; propterea mando et præcipio firmiter omnibus officialibus meis, quatinus manuteneant homines eorum et res suas, et prohibeo ne quis eis injuste forisfaciat super meum plenarium forisfactum. Testibus Eng. Cancell. et Gill. de Unfranvill. apud novum Castell.

*Ejusdem.*

Henricus comes filius regis Scotiæ, Gisl. de Unfranvill. conestabulo suo et ceteris baronibus et hominibus suis omnibus salutem. Sciatis quod terra monachorum Dunelm. et possessiones suæ in propria manu mea sunt, et in propria mea protectione, et in
D mea pace; propterea mando vobis omnibus et præcipio, quatinus terræ suæ et possessionibus suis omnibus pacem teneatis, et teneri faciatis ab omnibus vestris, constanter et ubique, sicut me diligitis. Testibus Osberto priore de Jeddewrdh, et Ricard. priore de Hestaldesham. Apud Jeddewrdh.

*Henricus filius fuit Davidis I regis Scotiæ, et obiit, vivente patre, anno 1152. Sigillum ejus idem fere est ac Davidis patris sui, cum comes erat, cum hac tamen*

[a] *Davidis.* Hic postea, cum rex erat, dedit canonicis S. Andreæ insulam de Lochleven hac charta, quæ in Archivis Dunelmensibus usque hodie conservatur : « David rex Scottorum episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus et omnibus probis hominibus totius terræ suæ salutem. Sciatis me concessisse et dedisse canonicis sancti Andreæ insulam de Lochleven, ut ipsi ibi instituant ordinem canonicalem, et Keledei qui ibidem inventi fuerint, si regulariter vivere voluerint, in pace cum eis et sub eis maneant; et si quis illorum ad hoc resistere voluerit, volo et præcipio, ut ab insula ejiciatur. Test. Roberto episcopo sancti Andreæ, Andrea episcopo de Katen., Waltero Cancell., Nicholao clerico, Hugone de Morevill., Waltero filio Alani. Apud Berwic. » Sigillum Davidis, mutato nomine, idem erat ac Alexandri primi.

Digitized by Google

*inscriptione* : † SIGILLUM HENRICI COMITIS NORTHUMBERLANDIÆ FILII REGIS SCOTIE. A

*Charta* [a] *Gospatricii comitis de Dunbar.*

Omnibus sanctæ Ecclesiæ Dei filiis sullimioribus et inferioribus, ordinatis et laicis, Gospatricius comes frater Dolfini salutem. Sciatis me concessisse et dedisse Deo et sancto Cuthberto et monachis ejus in elemosinam villam de Ederham et ecclesiam ejusdem villæ cum omnibus capellis suis, et aliam villam quæ dicitur Nesebite, liberas et quietas in perpetuum possidendas, cum omnibus quæ ad easdem villas pertinent in terris et aquis, et pratis, et pascuis pro anima Malcolmi regis et filiorum ejus regum Eadgari, Alexandri, et pro rege David, et filio ejus Henrico, et pro me ipso et uxore mea et filiis meis et pro animabus omnium parentum meorum. Et si aliquis huic elemosinæ meæ vult contradicere, inter eum et Deum sit. Testibus Willelmo filio Dun., Gosp. filio ejus, Ulkil filio Meld., Raud. F. Lind., S. presbytero, Johanne capellano, Gosp. filio Crin., et Aldan fratre ejus, et Lambert Dap. Valete. Quicunque hæc abstulerit, Deus sibi et hanc vitam et regnum celorum auferat. B

*Gospatricii filii ejus.*

Gospatricius comes omnibus filiis sanctæ Ecclesiæ salutem. Sciatis me concessisse et hac carta mea confirmasse Deo et fratribus ecclesiæ sancti Cuthberti Dunelmiæ ibidem Deo servientibus elemosinam quam pater meus eis dedit et ego, nominatim Ederham et Nesbit et ecclesiam de Ederham cum omnibus pertinentiis quas pater meus eis dedit et carta sua confirmavit. His testibus, Andr. archidiacono, Adam fratre suo, Nigello capellano, Ketello filio Dolfini, Ernaldo, Alden dapifero, Adam filio Alden, Adam filio Gospatricii.

*Charta Thor Longi.*

Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, Thor Longus in Domino salutem. Sciatis quod Ædgarus dominus meus rex Scottorum dedit mihi Ædnaham desertam, quam ego suo auxilio et mea propria pecunia inhabitavi, et ecclesiam in honore sancti Cuthberti fabricavi. Quam ecclesiam cum una carrucata terræ Deo et sancto Cuthberto et monachis ejus in perpetuum possidendam dedi. Hanc igitur donationem feci pro anima domini mei regis Ædgari, et pro animabus patris et matris illius, et pro salute fratrum et sororum ipsius, et pro redemptione Lefwini fratris mei dilectissimi, et pro meimet ipsi tam corporis quam animæ salute. Et siquis hanc meam donationem sancto prædicto et monachis sibi servientibus aliqua vi vel ingenio auferre præsumpserit, auferat ab eo Deus omnipotens vitam regni cœlestis, et cum diabolo et angelis ejus pœnas sustineat æternas. Amen. C

*Ejusdem.*

Domino suo karissimo David comiti, Thor omnino suus salutem. Sciatis, domine mi, quod Eadgarus rex frater vester dedit mihi Ednaham desertam, quam ego suo auxilio et mea pecunia inhabitavi, et ecclesiam a fundamentis fabricavi, quam frater vester rex in honore sancti Cuthberti fecit dedicari, et una carrucata terræ eam dotavit. Hanc eandem ecclesiam pro anima ejusdem domini mei regis Eadgari et patris et matris vestræ, et pro salute vestra et regis Alexandri et Mathildis reginæ sancto prædicto et monachis ejus dedi. Unde vos precor sicut dominum meum karissimum, ut pro animabus parentum vestrorum et pro salute vivorum hanc donationem sancto Cuthberto et monachis sibi in perpetuum servituris concedatis. D

*Sigillum Thor Longi est effigies hominis sedentis, nudi caput, tenentis capulum gladii in dextra, et laminam ejusdem in sinistra. Hæc autem est Sigilli inscriptio :* THOR ME MITTIT AMICO. *David comes donationem hanc confirmavit.*

*Charta* [b] *Roberti episcopi sancti Andreæ.*

Omnibus sancte matris Ecclesie fidelibus clericis et laicis tam presentibus quam futuris Robertus Dei gratia Andree episcopus salutem. Notum sit vobis omnibus quod nos coram Domino nostro rege David et Turstino archiepiscopo Ebor. et Ranulpho Dunelm. episcopo et Johanne Glascuensi episcopo, et Gaufrido abbate S. Albani, et aliis multis personis convocavimus Algarum priorem S. Cuthberti de Dunelmo ante hostium ecclesie S. Johannis evang. in Rokesburch, ibique quantum ad episcopalem auctoritatem pertinet, presentis carte attestatione et munimine clamavimus, concessimus et confirmavimus ecclesiam de Collingham, liberam et quietam in perpetuum tam a nobis quam a successoribus nostris ab omni calumpnia consuetudine et Cana et Cunevethe, atque ab omni servitio quod ad nos pertinet vel ad successores nostros. Quare volumus et episcopali auctoritate confirmamus quatenus ecclesia de Collingham et omnes ecclesie vel capelle que a modo canonice ad ecclesiam S. Cuthberti, pertinuerint libere et quiete sint in perpetuum ab omni episcopali auxilio et Cana et Cunevethe, ita ut liberiores et quietiores sint quam alie aliæque ecclesie que fuerint in Lothonie. Et prohibeo ne aliquis a modo episcopus, archidiaconus vel decanus aliquis omnino ulterius consuetudinem vel auxilium ab eis exigat nisi forte gratis dare voluerint. Hec omnia fecimus prece et consilio domini regis David et predictorum episcoporum fratrum nostrorum pro amore S. Cuthberti et fraternitate Dunelm. monachorum, XVI Kal. Aug. in festo sancti Kenelmi martiris, an. ab incarn. Domini 1127. Testibus presentibus Roberto fratre meo, Blahano presbytero de Litun, Aldulpho presbytero de Aldehanstoc, Henrico presbytero de Lembale, etc. Godwino presbytero dapifero, Godwino camerario, etc., cum multis aliis personis religiosis tam clericorum quam laicorum.

NUM. XVII [Smith XXI].

Chartæ quædam quæ ante conquæstum factæ sunt, omnes nuper in possessione honoratissimi D. D. Somers.)

*Charta regis Æthilredi ad Offorum episcopum.*

Apostolus Paulus de extremo judicio Domini manifestissime loquens ita refert : *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* Quid autem sit quod Apostolus pro meritis suis quosque percepturos affirmat, ipse Dominus in Evangelio suo manifestat dicens : *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Hoc sane tremendum ac terribile omnipotentis Domini judicium ego Aethilred, Christo largiente, rex tota cordis formidine sine cessatione

[a] *Gospatricii.* Anno 1139 rex David hanc Gospatricii donationem confirmavit. Confirmationem quoque suam anno 1167 renovavit, « exceptis tamen triginta solidis quos monachi dabunt filio ejus Gospatrico et hæredibus pro conredio regis unoquoque anno, et excepto exercitu regis unde monachi attendent regi, et Gospatricus erit de exercitu quietus. »

[b] *Roberti.* Hanc chartam rex David confirmavit : quam confirmationem una cum Roberti charta Alexander et Urbanus papæ postea inspexerunt. Quorum omnium instrumentorum certificatorium, quando orta est controversia de procurationibus inter Hugonem sancti Andreæ episcopum et conventum Dunelmensem, Bernardus prior de Novoburgo, Willelmus abbas de Alnewick, Galfridus prior de Brinokeburne, et magister Bernardus ad Urbanum papam miserunt; a quo hi una cum J. archidiacono Dunkeldensi istam litem terminandi potestatem acceperunt. Et quidem adhuc exstat in archivis Dunelmensibus scriptum transmissum domino papæ, continens allegationes utriusque partis sub horum sigillis, excepto tamen archidiacono Dunkeldensi, qui se subtraxit.

Digitized by Google

perhorresco; quapropter ut ibidem sub præsentia almi iudicis veniam merear adipisci pro absolutione criminum, vel meorum, vel conjugis quondam meæ Osthrithæ, terram quæ dicitur Fledanburg, quadraginta quatuor cassatorum capacem Oftforo episcopo in possessionem tradidi, ut quemadmodum primitus tradita fuerat rursus per illius diligentiam monachorum in ea sub abbate degentium honestissima conversatio recuperetur. Si quis autem pertinacium contra hanc donationem fractionis animo venire tentaverit, eamque infringere conatus sit, sciat se sub tremendo examine pœnas debitas luiturum.

† Ego Aethilred propriam donationem corroborans titulo sanctæ crucis subscripsi. † Ego Headda episc. consensi et subscripsi. † Ego Torchetuald comes regis consensi et subscripsi. † Ego Eadvuald consensi et subscripsi. † Ego Cille consensi et subscripsi. † Ego Osfrith consensi et subscripsi. † Ego Ecfrith consensi et subscripsi. † Ego Tuddul consensi et subscripsi. † Ego Gudhlac consensi et subscripsi. † Ego Sigivald consensi et subscripsi. † Ego Folchere consensi et subscripsi. † Ego Berhtred consensi et subscripsi. † Ego * Oftfor episc. donationem quam a rege accepi propria manu confirmans subnotavi.

*In dorso charta Ecguini episcopi.*

Reverentissimæ semper memoriæ pontificis Oftfo i ego Ecguine, Deo dispensante, successor in episcopatum existo. Monasterium autem cui nomen est Fledanburg, quod in hac eadem chartula ex altera ejus parte eidem prædicto prædecessori meo subscriptione regali traditum asservatur, huic venerabili nostro secundum sæculum principi, Aethilhaeardae, quantum id a me fieri potest, in possessionem concedo. Ea tamen conditione ut semper inibi cœnobialis vitæ statuta serventur. Pro recompensatione vero hujus nostræ donationis in loco cujus nomen est Aet Streitfordae xx cassatorum terram ab eo in jus ecclesiasticum accepi. Sciendum tamen me rationali quadam causa compulsum id voluisse facere. Ut ei XLIII manentium terram pro viginti manentium dapem, id est ea conditione ut post diem ejus terra ista sine contradictione alicujus ad Uvegernensem ecclesiam in jus episcopali sedis sit donata mihi, et illi Oftfaroque meo antecessori, in eleemosynam sempiternam. Pax confirmantibus atque servantibus. Minuentibus vero vel contradicentibus dispersio perveniat sempiterna. Aethelric, Aethelvueard, Aethelberht, Omolinge abb. Hii sunt confirmatores et testes.

*Charta Aldredi subreguli Huicciorum.*

† Regnante Domino in sæcula sæculorum. Ego Aldred subregulus Huicciorum cum licentia ve erabilis episc. Tilheri monasterium illud on Flaedanbyrg dabo Aethelburge propinquæ meæ, coram testibus infra nominatis, ea condicione, ut ipsa tam diu vivat possedeat, et postquam viam patrum incedat ad Uuegernensem ecclesiam in jus episcopali sedis reddat. Et ei præcipio in almo nomine superi polorum Rectoris; ut ipsa nec Dei nec meam habeat licentiam hoc in aliud mutare, nisi ita implere sicut præceptum erat Aelfredi et Aethelheardi Egcuuinique episc., qui hanc terram prius optinuerunt, nobisque tradiderunt. Sed ipsa hanc nostram elemosinam perficiendo impleat, Ego Aldred hanc meam donationem signo sanctæ crucis confirmabo. † Ego Tilhere episc. hanc meam petitionem subscribendo confirmabo. † Ego Aethelburg abb. lubentissime consentiendo subscripsi. † Ego Creda abb. † Ego Bacola abb. † Ego Tadhere. † Ego Guthheard. † Ego Humberht presb. † Ego Cyneberht. † Ego Cuthred. † Ego Dudda. † Ego Ceolba. Omnes consentiendo subscripsimus atque confirmabimus testimonium nostrum.

* Hæc charta ficta est circa an. 692.

A *Charta Offæ regis Merciorum et Aldredi subreguli Huicciorum.*

† In nomine Domini nostri Jesu Christi, qui cuncta sæcula jugiter pio moderamine regit. Constat ergo et incunctanter verum esse patet omnia quæ hic humanis cernuntur viribus, vana ad caduca transitoria quæ fieri, atque ea quæ hominum oculis velantur semper mansura et sine fine stabiliter perdurare in sæcula. Unde et certissime notum est et auctoritate testimoniorum sacrorum voluminum, quod cum istis fugitivis mundanis rebus sempiterna mercare possint cœlestia regna. Quapropter ego Offa, gratia gratuita Dei Patris concedente, Merciorum rex, majorum meorum imitans exemplum, cogitavi ergo in corde meo quatenus ex his sceptris regalibus mundanis regni perceptis a conditore ac largitore omnium bonorum aliquid quamvis minus dignum, pro remedio animæ meæ et pro adipiscenda premia polorum, in usus monasticæ liberalitatis, ecclesiis donarem; ideo quæ ego B et Aldredus subregulis Huicciorum, in commune, pro Domino omnipotenti et pro æterna salute animæ nostræ, terram his quinos mansionis habentem, id est, vicum qui nominatur Œtgeate ad monasterium quod propriæ nuncupatur æt wiogorna ceastre, et ad ecclesiam beatæ Mariæ matris Domini quæ ibi fundata est libenter in æcclesiasticam possessionem donanter concedimus, eadem per omnia libera is dicione in ejusdem æcclesiæ jure permanendam qua eamdem ecclesiam Aedhilbaldus rex avo meo Eanulfo conscripsit, id est, ut in omnibus causis magnis et modicis libera et inconcussa permaneat usque in sæculum tamdiu fides Christi forte inter Anglos in Brittania maneat... Sit ab omni vi regum et principium et subditorum ipsorum. In summo Dei nomine præcipimus. Ut hæc munificentia nostra pro Christo concessa eo firmiore stabilimento perpetualiter permaneat testium et consentientium episcoporum abbatum ac princip um nostrorum signa et nomina in hac cartula testimonii infra perscriptas adnotare curavimus.

C † Ego Offa, Domino concedente, rex Merc., huic nostræ donationi, pro majore firmitate vexillum crucis Christi propria manu impressi. † Ego Aldredus, Deo dono subregulus Huicciorum, hanc donationem nostram munies signum salutiferæ crucis cunctis gentibus inpono. † Ego Eadberhtus, Christo Domino concedente episc., his dictis consensi et subscripsi. † Ego Berhthunus, Domino et Patre donante præsul, his statutis consensi et subscripsi. † Ego Ceolulfus, gratia Dei permittente antistis, his rebus consensi et subscripsi. † Ego Tilherus, prædistinatione dante sacerdos, his causis consensi et subscripsi. † Ego Alberhtus, Domino tribuenti eclesiæ pontifi, his donis consensi et subscripsi.

| | |
|---|---|
| † Signum manus Botuuini abb. | † Signum manus Esne princi. |
| † Signum manus Folcherhti abb. | † Signum manus Eadbaldi princi. |
| D † Signum manus Brordani princi. | † Signum manus Eadbaldi princi. |
| † Signum manus Beorht waldi princi. | † Signum manus Brordan præfecti. |

*Charta Uhtredi subreguli Huicciorum.*

† In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Uhtredus præ prædestinatione Dei concedente, aliquos regimen propriæ gentis Huicciorum tenens, exempla patrum meorum sequens quatenus ex mundani hujus regiminis portione aliquos in ecclesiasticam libertatem pro redemptione animæ meæ largiendo donarer. Ideoque aliquam agelli partem cum licentia atque permissu piissimi regis Merciorum Offan meo videlicet charo fidelique ministro Ceolmundo his quaternas mansiones cum omnibus ad se pertinentibus...... in habeno homine...... juris ecclesiastici in

perpetuum pro Domino omnipotenti donabo, quatenus illo vivente habeat, et possideat, et post se cuicumque voluerit hominum jure hæreditario eadem libertate qua illi concessum est possidendum relinquat. Est autem rus illud in australi parte montis qui nominatur Breodun, in aquiloni plaga rivuli qui vocatur Carent, protendens a flumine illo Carent, ascendens usque ad summitatem montis supradicti Brehldun, in cujus cacumine u bs est antiquo nomine Bæenintsburg. Ibi est terminus agri illius rursum in monte et a meridie descendens per planitiem fluvius Carent. Unde ut eo firmius...... lius hæc donatio mea pro ereptione animæ meæ concessa permaneat testium et consentientium signa et nomina perscribo.

† Ego Offa rex Marc. huic donationi subreguli mei consentiens et pro majore firmitate signum sanctæ crucis infixi. † Ego Aldredus regulus meam munificentiam corroborans signum venerabile crucis Christi imposui. † Ego Eadberhtus gratia domini episcopi consensi et subscripsi. † Signum manus Curan ab. † Signum manus Uvillan ab. † Ego Berthunus Dei dono antistes consensi et subscripsi. † Signum manus Trodan. ab. † Signum manus Bacolan. ab. † Ego Tilberus Dei munere præsul consensi et subscripsi. † Signum manus Uvillan ab. † Signum manus Tilberhti abbatis. † Signum manus Brordani principis. † Signum manus Esni principis. † Signum manus Cudredi præfecti. † Signum manus Berhtwaldi principis. † Signum manus Eadbaldi principis. † Signum manus Cyneberhti præfecti. † Signum manus Eadbaldi principis. † Signum manus Uvales præfecti. † Signum manus Duddan pincerni.

† Certa sunt hæc anno Dominicæ incarnationis DCCLVI° regni Offan regis Merciorum III^us^ annus.

*Charta Offæ regis.*

† Cuncta labilis vitæ hujus subsistentia momentanea et caduca præ oculis decessu præsentium proximiorum cernentes, festinandum nobis est summopere ut operemur ad omnes, sicut veridica apostolici dogmatis comprobat assertio, *maxime autem ad domesticos fidei*. Quapropter ego Offa, cælica fulciente clementia, rex Merciorum simulque aliarum circumquaque nationum ad ecclesiam quam Eanulfus avus meus in honore beati Petri, principis apostolorum construxit, ubi dicitur Æt Breodune, pro salute animæ meæ priorumque meorum largior terram XX manentium ubi dicitur Æt Wersdhille et Æt Coftune, cum sylva quæ eidem telluri adjacet, ut cum pratis, pascuis, aquarum rivulis, sine ullo obstaculo contradictionis posterum meorum principum vel ducum in usum episcopi Weogerhensis ecclesiæ maneat. Sit autem terra illa libera ab omni exactione regum et principum, ac subditorum ipsorum, præter pontis et arcis restaurationem et hostilem expeditionem. Anno autem Dominicæ incarnationis DCC° LXXX° conscripta est hæc donatio telluris a me et ab episcopis ac principibus meis; quorum infra nomina annotabo.

† Ego Offa Dei dono rex hanc meam donationem signo sanctæ crucis munio. † Ego Cynedhryth Dei gratia regina Merc. huic donationi regis consensi et subscripsi.

| | |
|---|---|
| † Ego Joanberhtus archiep. | † Signum manus Brordan principis. |
| † Ego Eadberhtus episc. | † Signum manus Berhtrudi ducis. |
| † Ego Ciolwulfus episc. | † Signum manus Eadbaldi principis. |
| † Ego Tilherus episc. | † Signum manus Eadbaldi ducis. |

*Concilium apud Clofeshoas, tempore Biornwulfi, regis Merciorum.*

In nomine trino divino, qui est Deus benedictus in sæcula amen. Thy gere dhe wer from Cristes gebyrde agan eahta hund wint and XXV. and sio æfterre indictio wæs in rime and wæs Biornwulfes rice Mercna cyninges. dha wæs sionodhlic gemoth on dhære meran stowe dhe mon hateth Clofeshoas. ond dhær se sol'a cyning Biornwulf. and his bisc. and his aldor men and alle dha wioton dhisse dh ode dhær gesomnade weron:. Dha wæs tiolo micel sprec ymb wudu leswe to suhtune ong egum west on scyrhylte. Waldon dha swangerefan dha læswe fordhur gedrifan and dhone wudu gedhiogan. dhon hit ald gerybio weron. Dhon cuæth se biscop and dhara hina wiotan dhet hio him neren maran ondeto dhon hit aræded wæs on Aethelbaldes dæge dhrim hunde swina mæst and se biscop dha tugen ahten twade dhæs wuda and dhæs mæstes. Dha gerehte Wulfred arcebisc. and alle dha wiotan dhet se biscop and dha higen mosten mid adhe gecythan dhet hit sua wære aræden on Aethelbaldes dæge and him mare to ne sohte. and he dha sona se biscop beweddade

B Eadwulfe dhæm aldormen dhæs athæs biforan allum dhæm wiotum and him mon dhone gelædde ymb. XXX. næhta to dhæm bisc. stole et Wiogoerna ceastre:. In dha tūd wæs Hama suangerefa to suhtune and he rad dhæt he væs et ceastre and dhone aadh geseah and gesceawade sua hine his aldor mon heht Eadwulf and he hine hwethre ne grette:. Hii sunt nomina et vocabula qui in synodali concilio fuerunt congregati:.

† Signum manus Biornwulfi regis Mercior. † Wulfred. arc. episc. consensi hanc conditionem. † Oethelwald episc. consensi. † Hræthun episc. consensi. † Heaberht episc. consensi. † Bionna episc. consensi. † Eadwulf episc. consensi. † Wilred episc. consensi. † Wigthgn episc. consensi. † Alhstan episc. consensi. † Humberht episc. † Ceolberht episc. † Cynred. episc. † Torhthelm prior. † Eanmund abb. † Wihtred abb. † Cuthwulf abb. † Eanmund abb. † Ealhberht dux. † Biornoth dux. † Sigred dux. † Cudthred dux. † Eadwulf dux. † Mucel dux. † Uhtred dux. † Althheard

C dux. † Bolom. † Aldran. † Bynna. † Wighelm. † Heaberht episc. † Eadgar pr. † Wigberht pr. † Heahstæf pr. † Brada pr. † Cuthbald pr. † Regngar pr. † Cuthbert pr. † Ecgmund pr. † Heahferhth diac. † Wighelm. diac. † Cyneberht diac.

Mid alra otherra prioста butan dhissum mæsse prioстum Efen LX.

*Chirographum Alhwini episcopi Huicciorum et Aethelwulp ducis.*

† In nomine Domini. Certe ea quæ sunt a sapientibus et prudentibus etiam a pontificibus et p.... coris salubria ac necessaria componenda caracteribus litterarum, et certis signis scedularum scribenda sunt et notanda, ne forte pullogoghorum et stoicorum scientia in oblivionem tradatur. De qua rei ego Alhwine, gratia Dei provinciæ Hicciorum præsul, et mea familia, in Weogerna civitate nos donabimus Aethelwulfe duce et conjuge ejus Wulfthrythe terram

D XI cassatorum in duobus locis hoc est æt Codes Wellan et æt Sture, et illis has terras conscripsimus in eorum dies, sub ista conditione, ut seipsos habeant reconciliatos et conjunctos, tam viventes quam post, ad Wegernensem civitatem. cum suis corpusculis et optimis omnibus bonis eorum, quas illi habeant. si habeat Deus provisum quod in hac patria pausant in ista parte maris etiam et in hanc rem conciliaverunt ut ille præfatus princeps Aethelwulf illius Æcclesiæ libertates in Weogerna cæstre. et monasteriorum quæ ad se pertinent. cum recta amicitia et bona devotione sine fraude sic custodiat tandiu ei hic vita fuerit. et ille nunquam istud nec frangat, nec minuat, nec ullis junioribus suis consentiat et Aethelwulf dux habeat hanc rem episcopo et familiæ ejus in quatuor Evangeliorum Christi libris cum suo arrato confixum et sub Dei fœnore panum. ut sic firmiter custodiat. Et postquam ille vel illa conjux viam patrum incedant. terras illas præfatas ad ecclesiam in cæ-

Digitized by Google

gre sine ullo obstaculo remeandi. cum omnibus bonis quæ ibi tunc habeantur. et si hoc contingat quod non optamus. quod aliquis per diabolicam doctrinam hoc frangere præsumat sit episcopus et ejus familia liberii suam propriam terram ad perfruendum. sicut sibi placuerit. pax et felicitas sit consentientibus et servantibus hoc nostrum præceptum hic et in futuro. contradicentibus vero vel minuentibus æterna ultio vel dispersio super illos perveniat nisi ante hic Deo et hominibus emendaverint cum satisfactione. Certa est hujus donationis cartula anno Incarn. Christi DCCC° et LV° indictione III°. In metropole quæ nominatur Wegrunnan castor.

† Hi sunt testes et confirmatores hujus donationis quorum hic nomina infra notata videntur.

† Ego Aethelwulf dux consensi et subscripsi. † Ego Ahlwine episc. hanc meam donationem consensi et subscripsi.

| | |
|---|---|
| † Ego Cuthbeard pr. et præpos. consen. | † Baldred diacon. |
| † Ego Ahlmund pr. consen. | † Eneferth diac. |
| † Ego Wulfheard pr. consen. | † Wulhhere diac. |
| † Ego Ecgberht pr. consen. | † Putta. |
| † Ego Ciolberht pr. consen. | † Leofmon. |
| † Ego Dæhheh pr. consen. | |

*Compositio inter Burgredum regem Merciorum et Wulferdum.*

† Regnante in perpetuum Deo et Domino nostro Jesu Christo, anno Dominicæ Incarnationis DCCC.LXVI. indictione vero decima. Ego Burgred rex Merciorum cum consensu et licentia seniorum meorum libenti animo. concedens donabo aliquam partem agri regni meg a Deo dati Wulfferd. id. duos manentes. at soeges lea. pertinentem in loco ubi ruricoli nominant Wulfferdinleh. ut habeat sibi et bene perfruat. in æternum hereditatem et cuicumque voluerit. post se. derelinquat in jus perpetuum et omnium bonorum ad istam terram pertinentibus antiquitus et olim constitutis in campis et in pascuis et in partis et in silvis et quidquid ad terram istam pertinent. Ego Burgred rex Merciorum hanc meam munificentiam augebo. Wulfferd. et ei constituam LXX. porcis saginam in commone illa silvatica taxatione habi ruricoli. Wulfferdinleh. nominant et V. plaustros de virgis bonis et hunicuique anno unum roborem ad ædificium, et alias materias necessarias. et lignaria exabundantia ad ignem sicut illi necesse sit et silvaticam taxadtionem. pertinentem ei etiam dabo altrinsecus in campo et silvo sicut ad terram duorum manentium pertinent. Ego Wulferd. pro comparatione. et commutatione istius terriunculi et Wulferdinlea dedi Burgrede regi Merc. terram V. manentium in hunius hominis d em liberatum. et CCCC siclos in argento puro et duos he nacnlos cum omnibus subpellectilibus suis et VIII. boves et L. porcos et CC. segites cum gramine toto. et XXX. modios de ordio triturato sine contribulibus et suburbano; hæc prænominata terrihuncula et Wulfferdinlea fif hida his terminibus circumdatur; Dhis seond dha lond gemære at Wulfferdinlea. of sture on hunigbroc. up efter broce. on dhone aldan hæge. ondlong hæges. on dhone aldan wey. ondlong weges on dha miclan strete. ondlong strete on feower gemære howswa on calebroc ondlong broces howswa on horsa broc. ondlong broces howswa on dha dic. ondlong dices on sture eft of sture on dha dic ondlong dices how on cuth dhedetreo. ondlong dices on heasecan berh. of heah secan berge on dha dic. ondlong dices on Wenferdh ondlong Wenferdh how eft on sture. Si quis autem hanc meam donationem servare voluerit, conservet eum superna pietas hic et in celis. Siquis vero minuere vel frangere tentaverit sciat se anathematum coram summo Deo nisi hic digne emendaverit Deo et hominibus et hic testes adcrant quorum infra nomina liquescunt.

A † Ego Burgred rex Merc. hanc meam donationem cum signo sanctæ crucis Christi firmabo. † Ego Aethelswith regina consensi et subscripsi. † Ego Ceolworth consensi et subscripsi. † Ego Wullsig episcopus consensi et subscripsi. † Ego Eadbald episc. consensi et subscripsi. † Ego Ceored episc. consensi. † Ego Alhhun episc. consensi. † Ego Deorlaf consensi et subscripsi. † Ego Aldred ab Humberht dux. Beornoth dux. Beornard dux. Eanberht dux. Mucel dux. † Ego Aethelwulf dux. Aethelheard. Berhtferth. Aethelred. Berhtric. Ceolmund. Boldred. Eadgar. Mucel.

*Charta Aethelredi ducis Merciorum, ut recte suspicatur Wanleius suspectæ vetustatis et fidei*

✝ Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo. Ejusdem autem incarnationis DCCC°. LXXX°. III. Indictione vero secunda. Ego Aethelred divina largiente gratia principatu et dominio gentis Merciorum suffultus, d natione trado Aedhe wulfo terram V. B manentium in loco qui dicitur Hymeltun. Hanc autem supradictam terram, cum omnibus ad eam pertinentibus. Id est sylvis. pratis. pascuis. salisque coctionibus. Id est VI. vascula possint præparari salva libertate sine aliquo tributo dominatoris gentis prædicte sive ducum judicumve et præsidum. Id est statione sive in oneratione plaustrorum nisi solo illi qui hoic prædicte terre Hymeltune dominus existat. Cum testimonio et consensu ipsorum damus, quorum hic nomina inferius scripta cernuntur. Hæc supradictæ optimatum gentis Merciorum gubernante Aethelredo duce. Acta est in Brisbyri ubi tunc ipsorum conventio publica fuerunt consequentes sibi invicem de necessariis gentis prædictæ statutis. Obsecrantes omnes ævi sequentis cujuslibet dictionibus homines per tremendum distructi justique judicis examen ut hæc traditio sive in terra prædicta, sive in vico salis absque omni censu atque tributo perpetualiter libera permaneat. Et si quis id quod non optamus, corrumC pendo foederaverit, sciat se rationem reddituram in die judicii coram Deo et angelis ejus nisi prius digna satisfactione emendare curaverit. Tertium autem consentientium et scribentium nomina hæc sunt.

Ego Aethelred Merciorum gentis ducatum gubernans confirmare et subscribere curavi. Wulfred episc. consensi et subscripsi. Ego Werfrith episc. consensi et subscripsi. Deorlaf episc. consensi. Athelwald caldorman. Aedulf ealdorman. Beornath aldorman. Aetheiferth ealdorman. Alhhelm aldorman. Eardwulf. Elfwald. Eadnoth. Aelfred. Aethelmund. Dussinden dha land gemæro ærest on dhane blacan pyt of dhan pytte how upon how eathland eal swa dhe oxa w nt how hit cymeth on dhone mær hege to graftune how in how æsebed of dhæm æsebedde how on dhrim gerum dhanane on dhone belan weg of dhan wege to dhæs bisceopes wuda how in dic weg. of dham wege in dhone lytlan graf dhonene in dha ealdan dic. dhonene how in grohtes dene. dhanene D on dha portstræt of dhan wege in mærford of dhan forda in hnutfen. of dhan fenne in eald cotan how to graf brygce. of dhan brygce in dhane wic weg of dhan wege on uffan lege. of dhære lege on lytlan broc dhanene on hymel broc andlang broces how op of dhan broce in Egebyrhtinge croft how uphard be dhan croft in dha stræt æt upwæl hylle æfter stræte in hennuc dhanene in rugan mædewan of rugen mædewan how eft on dhone blacan pyt.

*Charta Uuerfrithi episcopi.*

† In usses Dryhtnes nomam hælendes cristes ic Uuerfrith biscop mid alles dhæs heoredes leafe on Weogorna ceastre ge gunges ge aldes selle cyneswithe mire megan dhreora hida lond on albmunding tune dhaes fif hida dhe higen me gehocedan aer on dhreora monna dæg. Nu gewrite ic hit eft hire mid ina leafe dhaet dhreora hida lond on dhreora monna daeg and heo hæbbe dha wudu raeddenne in dhæm

Digitized by Google

wuda dhe dha ceorlas brucath. and ec ic hire lete to A
dhaet ceorla graf to sundran. and elles dhæt twega
h da lond and dha ceorlas and se albmunding snaed
here into preosda byrig dha hwile hit unagæn seo.
Ond cyneswidh hit to nænigum othrum men ne lete
dha hwile hit unagæn se butun to hire bearna sunum
swa hweolcum swa heo dhonne wille gif heo lifigen.
gif heo dhonne ne lifigen. lete hit to sweolcum hire
mega swelce hit hire to geearnigan wille. Ond ic
Uuerfrith biscop biddu and halsigu dhæt dhis dhreora
hida lond and ec dhæt trega dhonne hit agen seo
dhæt hit se agefen into clife to dhæm biscop rice
butan eghweolcum widhercwide. Ond ec ic Uuerfrith
biscop and all higen halsegath usse æterfrylgend
dhæt heora nænig dhas gefe gewonige aer hit swa
agæn se swa hit on dhissum gewrite stondeth. and
all higen eodan to minum bure on weogorna ceastre
and me saldan heora hond setene dhisse geraednesse.
dhara noman her beneothan awriten stondath.
and heo hit haebben eghwæs to freon butun agefen B
elce gere dhreo mittan hwætes to ciriesceatte to clife.

Inferiori parte hujus cartæ sunt semiliteræ hujus vocis : *viz. cyrographum.*

| | |
|---|---|
| † Werfrit episc. | † Wullaf. |
| † Cyohel abb. | † Cynhelm. |
| † Werfridh pre. | † Cenfrith. |
| † Ecrith pr. | † Cynhelm. |
| † Wighard. | † Heabred. |
| † Berhthelm. | † Wulfgar. |
| † Eardwulf. | † Eardwulf. |
| † Wulfred. | † Cynelaf. |
| † Berhthelm. | † Wigfrid. |
| † Cynah. | † Wulfric. |
| † Eamberht. | † Coolhelm. |

*Charta Eadredi regis.*

† Concedente gratia Dei anno Dominicæ incarnationis DCCCC.XLVI. contigit post obitum Eadmundi C
regis. qui regimina regnorum. Angulsaxna et Northhymbra. Paganorum. Brettonumque septem annorum intervallo regaliter gubernabat. quod Eadred frater ejus uterinus. electione optimatum subrogatus. pontificali auctoritate eodem anno catholice est rex et rector. ad regna quadripertiti regiminis consecratus, qui denique rex in villa quæ dicitur regis. Cynges tun. ubi et consecratio peracta est. plura plurimis perenniter condonavit charismata; hoc potest pro certo Wulfric. pedisequus alacriter conlaudare. quem honorifice idem rex locupletata largitate lætificat. concedens ei terram VII. manentium jure perpetuo perfruendam certis tramitibus uti fertur inferius terminatam ad warcing tune. magnis rebus ac modicis præter arcem. atque pontem. agonisque obsequium usurpatam

Ista porro usurpatio. anno Dominicæ incarnationis DCCCC.XLVI. et primo temporalis cicli laterculo quo sceptra diadematum angulsaxna cum Northhymbris. D
et Paganorum cum Brettonibus gubernabat. his testibus quorum nomina subsequuntur conscribentibus hoc modo peracta est.

† Eadred rex. cum archiepisc. ceterisque præsulibus hanc tellurem triumphali tropheo usurpavit.

† Oda archiepisc. † Wulfstan archiep. † Dheodred episc. † Aelfhæh episcopus. † Wulfgar episcop. † Koenwald episcop. † Aelfric episcop. † Wulfhelm episcop. † Wulfsige pontif. † Aelfred pontif. † Aethelgar pontifex. † Aethelwald pontifex. † Hoæl regulus. † Marcant; Cadmo. † Aethelmund dux. † Alhhelm aldermon. † Aethelstan comes. † Eadric princeps. † Osulf Hæhgerefa. † Urin, Imorcer eorl. † Grim; et coll eorl. † Eadred abbud. † Wigstan abbud. † Dunstan abbud. † Uhtred.

Augentes regale elogium beatæ regis æterni retributionis augmentum accipiant. Amen.

*Charta Oswoldi episcopi.*

† Ego Oswold. largo Christi carismate præsul dicatus. Dominicæ Incarnationis anno DCCCCLXII. annuente rege Anglorum Eadgaro. ejusque utriusque ordinis optimatibus. quandam ruris particulam III. videlicet cassatos quos olim quædam possidebat matrona nomine Alhdhrydh in loco qui celebri a solicolis nuncupatur Cungle. vocabulo cuidam regis ministro nomine Alfwold perpetualiter concedo ut ipse cum omnibus utensilibus eam quamdiu vixerit habeat et post obitum ejus mater si superstes fuerit eandem recipiat. Sin alias post obitum ipsius ad usum pontificis in Wigurna ceastre redeat immunis. Aeclesiæ vero munus et sepultura præsulis in Wigurna ceastre dicioni deveniat. Alius plena glorietur libertate excepta expeditione rata pontis arcisve constructione. Siquis autem hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre voluerit, privatur consortio sanctæ Dei æclesiæ æternis baratbri incendiis lugubris jugiter cum Juda Christi proditore ejusque complicibus puniatur. si non satisfactione emendaverit congrua nostrum deliquid decretum.

*Ejusdem.*

† Largitate mirabili conditoris homini temporalibus quibus libet potienti indultum est. quo respectu pietatis solamen revelationis satagat dignanter impendere cunctis. illisque permaxime qui Deo latriam exhibentes temporalis vinculi sibi sunt adstricti unanimitate; Unde ego Oswaldus magnifica poliarchis Christi allubescente dinami Weogernensium parrochiæ prælatus. A me quoque hujusmodi animi devotione fieri arbitratus, cum jussu et hortamine Eadgari angligenæ cohortis basilei, necnon etiam cum voluntate Aelfhere Merciorum finium ducis. tibi fratri meo Osulfo contuli quinque mansorum et dimidii possessionem telluris. sed tamen in tribus a se invicem divisam locis. uno videlicet in eo loco cui vocabulum est, æt. Grimanleag. IIII^or. mansas cum omnibus ad se rite pertinentibus; secundo vero æt Mosleage unum mansum cum cunctis pertinentibus ad ipsum; Tertio itaque. æt Wican mansum videlicet dimidium; hæc autem omnia in perpetuæ hereditatis stabilitate tibi concessi. cum omnibus utilitatibus jure debito ad illam terram respicientibus. videlicet cum terris. campis. pratis. pascuis. silvis, venationibus. cum piscuariis. ut habendo teneas. et potiendo omni vitæ tuæ spatio perfruaris; demum quæ te obeunte. duobus quibus magis volueris hæredibus perpetuo habendam derelinque, sicque dum ipsi pertransierint sæculum. in potestate sanctæ Mariæ sedis restituatur; Augentes et conservantes hoc donum conservet eos omnipotens Deus in celesti sua gloria sine penali metu. minuentes et spoliantes sciant se in novissimo judicio coram omnium justo Deo ipso judice rationem reddituros; Dhis syndan dhæs londes gemæru æt grimanleage dhe higen biscope gesald habbath ærest of selerne be hugna gemære on sceaeccanhalh and swa be dhære alra ofesce in dha neowan dic and swa up ond long dhre neowan dice dhæt on dha aldan hege strowe and seotmhona ond long dhære aldan hege stowe on dhone falc hearpath dhæt up ondlong dhæs hearpothes to dhæm cristes mæle and swa from dhæm cristes mæle of dunweard ond long are ealdre dic west weard and northweard dhæt mær broc and seodhdhan a swa all broc ligeth upweard to mossetena gemære and swa bi mosssetena gemære ofer sihtferdh on dhone aldan cyninges hagan dhæt swa ondlong dhæs aldan cyninges hagan northweard to dhæm aldan stodlalode and dhonne from dhæm aldan stodlalode bi beonetsetena gemære on sihtferth and swa ondlong sihtferdhes in bæle swa ondlong bæles in se lerne. Dhis syndon dhæs londes gemæru æt masleage of dhæm aldan selda westreh on gearnec swa ondlong broces on dhone gemær hagan

Digitized by Google

dhæt ondlong hagan ofer fild bornan on timber rycg dhonon on beastinc bryeg swa estweard on blæcan brygce. dhonon eft on dhone aldan fehl. This syndon dhara halfe hide lond gemæru æt wican ærest of turdlinge forda on horsacroft of horsacrofte be wulfrices gemære in dhæt pull of dhæm pulle upweard bi dhære wellan dhæt up in dha lanan ondlong lanan nor hweard dhæt on ætlinge gerstun in dha hegcan onlong hegcan eastweard dhæt on lawara ondlong lawarn how on streonhalh be streonhalh how in temedan up ongean stream ondlong temedan how eft in turtlingeford. and seo salt wellinge dhe hyrdh into grimanleage in brad setena sele other into mosleage in dham ilcan sele. Dhises ealles dhe her on dhissere bec ewedh an oswod biscoop his bredher Osulf dheora manna dæg sethe hit awende æt unforworhtum dhingum god adilgie his noman of lifes bocum buton he ær to bote gecyrre. Scriptum est hæc carta his testibus consentientibus quorum inferius nomina notantur; sit autem terra ista libera omni regi nisi ecclesiastici censi.

† Ego Oswald episc. consensi. † Wulfric presbyter.

† Eadgar presb. † Wistan presb. † Aelfred clericus. † Wulfhun cl. † Aelfstan cl. † Eadwine cl. † Aelfgar cl. † Wulfheah cl. † Tuna cl. † Eadweard cl. † Aethelstan presbyter. † Brihtan cl. † Wulgar cl. † Wenstan cl. † Uffc cl. † Leofwine cl. † Wulfnodh clericus.

*Alia ejusdem.*

† Anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXVII. Ego Oswald Wingurnæ urbis antistes duas mansas æt Bradanbeorh et æt holenfestan, germano meo Osulfo, duobusque post se quibus voluerit hæredibus libens impertior. et deinde ad usum præfatæ urbis episcopi redeat. Nam clerici ejus urbis campis tres mansas æt specima pro illa quæ dicitur æt Bradanbeorh et æt Holenfesten receperunt ut quamdiu vitæ flatus alicui eorum superfuerit habeant et possideant. et deinceps ad usum ordine præfato revertatur præsulis. Hæc autem in ea facta sunt ratione. ut annis singulis pastione adveniente centum porcos usui eorum necessarios sine alicujus contradictione pascantur. Sancta Maria et sanctus Michael cum sancto Petro et allum godes halgum gemiltsien dhis healdendum gif hwa butan gewyrhtum hit awendan wille god ælmihtig to rihtere bote gecerre, gif he dhonne nelle hæbbe him widh. god gemæne on dham ytemestan dæge dhyses lifes. Illi sunt testes hujus reconciliationis quorum infra nomine notantur.

† Wulfric mæssepreost. † Aelfred clerc. † Byrhstan clerc. † Unc clerc. † Eadgar mæssepreost. † Wulfun clerc. † Wulfgar clerc. Wulfeh clerc. † Aethelstan mæssepreost, † Aelfstan clerc. † Aelfgar clerc. † Leofwine clerc.

*Charta Eadgari regis.*

†. In nomine Domini nostri Jesu Christi. omnis quidem larga munificentia regum testamento litterarum roboranda est ne posteritatis successio ignorans in maliguitatis fribolum infeliciter corruat. Quamobrem ego Eadgar. divina collubescente gratia totius Albionis rex primicheriusque quandam ruris particulam II. X. scilicet cassatorum loco qui vulgari. Cyglun. dicitur meo fideli ministro. quique hu usce gnosticis insulæ noto Allwold nuncupatur onomate in æternam largior hereditatem ut ipse vita comite cum omnibus utensilibus pratis videlicet pascuis silvis voti compos habeat. et post vitæ suæ terminum quibuscunque voluerit cleronomis immunem derelinquat.

Sit autem prædictum rus omni terrenæ servitutis jugo liberum tribus exceptis rata videlicet expeditione pontis arcisve restauratione. Si quis igitur hanc nostram donationem in aliud quam constituimur transferre voluerit privatus consortio sanctæ Dei ecclesiæ æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum Juda Christi proditore ejusque complicibus puniatur. Si non satisfactione emendaverit congrua quod contra nostrum deliquit decretum.

His metis præfatum rus hinc inde giratur. Dhis synt dha lond gemæra into cyngtune of weles burnan in how sic of dham sice in dha dic of dham dic in dham mere on dha stræt of dhære stræt in morthhlau of morthhlau on dhorndune eastwearde of dhorndune on huybhan byrge of dhan byrge on dhone fulan pyt of dhan fulan pyt on...... wellan of dham wellan on mercena mere of mercna mere on succan pyt of succan pyt on grondlinga broc andlong streames of dham streame on fidestan of dham stane on hragra dhorn of rhagra dhorn eft in weles burnan.

Anno ob incarnatione Domini nostri Jesu Christi. DCCCC. LXVIII. Scripta est hujus donationis singrapha his testibus consentientibus quorum inferius nomina caraxantur.

† Ego Eadgar rex Anglorum cum consensu doctorum meorum cum signo sanctæ crucis roboravi.

† Ego Dunstan archiepisc. Dorovernensis ecclesiæ Christi possedi et subscripsi. † Ego Oscitel archiepisc. consensi celeriter.

| | |
|---|---|
| † Ego Aelfstan episc. consignavi. | † Ego Aethelstan dux. |
| † Ego Aethelwold episc. consensi. | † Ego Aethelwine dux. |
| † Ego Osulf episc. confirmavi. | † Ego Byrhtnodh dux. |
| † Ego Wynsige episc. consolidavi. | † Ego Byrhtferth m. |
| † Ego Oswold episc. roboravi. | † Ego Aelfwine m. |
| † Ego Wulfric episc. consensi. | † Ego Wulfstan m. |
| † Ego Aescwig abb. | † Ego Aethelward m. |
| † Ego Osgar abb. | † Ego Eanulf m. |
| † Ego Aelfstan abb. | † Ego Osulf m. |
| † Ego Aethelgar abb. | † Ego Wulfstan m. |
| † Ego Aelfric abb. | † Ego Leofwine m. |
| † Ego Cyneward abb. | † Ego Aelfward m. |
| † Ego Aelfere dux. | † Ego Aethelmund m. |
| † Ego Aelfeh dux. | † Ego Osward m. |
| † Ego Ordgar dux. | † Ego Leofwine m. |

*Ejusdem.*

Orthodoxorum vigoris aecclesiastici monitu creberrime instruimur. ut illi oppido subjecti suppeditantes famulemur. qui totius mundi fabri am miro ineffabilique serie disponens microcosmum Adam videlicet tandem quadriformi plasmatum materia almo ad sui similitudinem instinctum spiramine. universisque in intimis formaverat uno probandi causa excepto vetitoque præficiens paradisiacæ amænitatis jocunditate collaterana Eva scilicet comite decentissime collocavit. Larvarica pro dolor seductus cavillatione. versipellis suasibilisque tergiversatione viraginis pellectus anathematis alogia ambro pomum momordit vetitum et. sibi de posteris in hoc ærumnoso defectus seculo letum promeruit perpetuum. Vaticinantibus siquidem prophetis et celitus superni regis diuturna clandestino præsagia dogmate pro mentibus nitide orthodoxis. eulogium ex supernis deferens. ut non Judeorum seditiosæ linguæ fatetur loquacitas. sed priscorum atque modernorum. lepidissimam ambiens facundiam. Arrianas Sabellianasque proterendo nenias anagogico infrustrans famine usque ab obtunsi cecitate umbraminis ad supernorum alacrimoniam patrimoniorum advocans. angelus superius elapsus luminibus in auream intemeratæ virginis ut evangelica promulgant famina. Stupenda cecinisse videtur carmina. Cui ecclesia tota catholica consona voce altibohando proclamat. *Beata es virgo Maria quæ credidisti perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino.* Mirum dictu incarnatur Verbum et incorporatur scilicet illud. de quo evangelista su-

Digitized by Google

præeminens universorum altitudine sensuum, inquit. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, et reliqua. Qua videlicet sumpta de Virgine incarnatione antiquæ virginis facinus demitur et cunctis mulieribus nitidis præcluens taumatibus decus irrogatur. Intacta igitur redolente Christi divinitate passaque ipsius humanitate libertas addictis clementer contigit servulis. Hinc ego Eadgar altithrono amminiculante Anglorum ceterarumque gentium in circuitu triviatim persistentium basileus, ut hujus libertatis altithroni moderatoris clementiam merear, obtinere consortium, coenobio loco celebri qui ab hujus prosapiæ s dicolis WIGORNA . . . . . . nobili nuncupatur vocabulo situm, genetricique domini nostri semper virgini MARIÆ, necnon beato Petro apostolorum principi, ejusque coapostolo Paulo dedicatum habetur monachis regulariter degentibus monastici æternam privilegii concedo libertatem, quatenus post decessum N. . . . . . . . . . egregii cujus temporibus hæc libertatis restauratio Christo suffragante concessa est. Quem sibi universa præparati coenobii congregatio apto elegerit consilio, secundum regularia beati Benedicti instituta abbatem juste ex eodem fratrum cuneo eligens constituat. Hujus privilegii libertas deinceps usu perpetuo a cunctis teneatur catholicis, nec extraneorum quispiam tirannica fretus contumacia in prædicto monasterio jus arripiens exerceat potestatis, sed ejusdem cenobii collegium perpetuæ ut prædixi libertatis glorietur privilegio. Sit autem præfatum monasterium omni terrenæ servitutis eodem tenore liberum, quo a precessore nostro a rege videlicet Coenulfo orthodoxæ fidei strenuissimo fuerat uti vetusto continetur privilegio BEORNVODHO duce optinente solutum, agri equidem qui ad usus monachorum domino nostro Jesu Christo ejusque genitrici MARIÆ priscis modernisque temporibus a regibus et religiosis utriusque sexus hominibus et a me ipso restituendo jure concessi sunt. Tempore siquidem quo cura quæ domino devoto concessi animo injuste a sancta Dei æcclesia ablata fuerant, perfidi quique novas sibi hereditarias kartas usurpantes ediderunt. Sed in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine præcipimus, ut catholicorum nemo easdem recipiat sed a cunctis repudiatæ fidelibus anathemate deputentur, veteri jugiter vigente privilegio. Hæc sunt nomina terrarum quæ ad Wigorniam pertenent.

Prephato quoque coenobio trium jugerorum quantitas et duo prædia in famosa urbe quæ ab accolis dicitur Uuigorna ceaster accidunt quæ sub ejusdem conditione libertatis perpetualiter in nomine Domini nostri Jesu Christi, lieberi præcipio, et ad usum conficiendi salis duobus in locis XVIII. doliorum sicut on middelwic V. and on neodhomæst wic VIII. et duarum fornacium statio on witlane and vas quæ dicitur westrincæ cum uno manso et dimidium mansi, in loco qui dicitur NORTUN, et dimidium mansi in loco qui dicitur æst westwuda ejusdem perpetualiter sint libertatis.

Si quis vero tam epilempticus philargiriæ seductus amentia quod non optamus hanc nostræ munificentiæ dapsilitatem ausu temerario infringere temptaverit, sit ipse alienatus a consortio sanctæ Dei æcclesiæ necnon et a participatione sacrosancti corporis et sanguinis Jesu Christi Filii Dei per quem totus terrarum orbis ab antiquo humani generis inimico liberatus est, et cum Juda Christi proditore sinistra in parte deputatus, ni prius hic digna satisfactione humili pœnituerit quod contra sanctam Dei æcclesiam rebellis agere præsumpsit, nec in vita hac practica veniam nec in theorica requiem apostata obtineat ullam, sed æternis baratri incendiis trusus cum Anania et Saphyra jugiter miserrimus crucietur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC.LXXII. scripta est, hujus munificentiæ singrapha his testibus consentientibus, quorum inferius nomina secundum A unius cujusque dignitatem utriusque ordinis decusatim Domino disponente caraxantur.

Ego Eadgar Britanniæ Anglorum monarchus hoc taumate donum agiæ crucis roboravi. Ego Dunstan Dorobernensis æcclesiæ archiepisc. ejusdem regis benevolentiam confirmavi. Ego Oswold Eboracensis basilicæ primas huic regali dono assensum prebui. Ego Athelwold Uuintoniensis presul edis canonica subscripsi ne manu propria depinxi. Ego Aelfstan Lundoniensis cathedræ pontifex signum sanctæ crucis lætus impressi. Ego Aelfwold Scirburnensis cathedræ antistes hoc intrepidus donum corroboravi. Ego Brihwelm plebis Dei famulus hujus regis dapsilitati lætabundus applausi. Ego Alfwold legis Dei catascopus testudinem agiæ crucis jussu regis impressi. Ego Alfstan Rofensis sedis archimandrita tauma crucis agiæ hilaris imposui. Ego Fadelm commissarum plebium speculator hoc eulogium gaudens firmavi. B Ego Wynsige Dei allubescente gratia spiritualis ovilis opilio hanc largitionem consolidavi. Ego Adhulf domino codrus amminiculante hoc donum tropheo sanctæ crucis confirmavi. Ego Alfdhrydh præfati regis conlaterana hoc sintahma cum sigillo sanctæ crucis subscripsi.

Ego Aelfric abb. subcripsi. Ego Aesewig abb. consensi. Ego Osgar abb. dictavi. Ego Aedhelgar abb. impressi. Ego Cineweard abb. depinxi. Ego Foldbriht abb. descripsi. Ego Aelfeh abb. confirmavi. Ego Sideman abb. corroboravi. Ego Osweard abb. consensi. Ego Brihtenh abb. impressi. Ego Godunine abb. consensi. Ego Brihnoth abb. assensi. Ego German abb. firmavi. Ego Aelfere dux. Ego Orlac dux. Ego Aelhelwine dux. Ego Brihnoth dux.

Dhis is se freolse et dhara landa boc dhe Eadgar cyning geuthe into Wigera ceastre gode to lofe et C sancta Marian and sancte Benedicte.

*Charta Osunaldi archiepiscopi.*

† Regnante domino nostro Jesu Christo, anno ejusdem Domini incarnationis DCCCCLXXXIII°, regni vero regis nostri Aethelredi anno quinto, ego OSUUALDUS divina largiente clementia Eboracensis ecclesiæ archiepiscopus, non minus episcopalem adeptus sedem quæ est in Wegerna monasterio in regione Merciorum, cuidam consanguineo meo nomine haelwig pro ejus humillima obedientia et conjugi ejus nomine Wulfgyuu trado in possessionem ad fruendam terram trium mansarum in loco ubi dicitur Wulfrintun diebus quibus vixerint. Quod si viri vitæ decursus supertranscenderit conjugis suæ terminum, sit ipsi primus terræ ipsius possessor; si autem ipsa virum supervixerit, maneat ipsa prima ejusdem telluris hæres, et post se si prolem habuerint posteritati relinquant. Si vero non habuerint duobus quibus voluerit heredibus qui diutius manserit post se derelinquat. Sit autem terra illa libera ab omni secularis D reimegotio præter pontis et arcis restaurationem et contra hostes expeditionem. Scripta est autem hæc cartula et corroborata virorum nominibus quæ hic infra signo crucis Christi prenotata esse conspiciuntur.

| | |
|---|---|
| † Ego Otwold archiep. | † Ego Godinge diac. |
| † Ego Wynsige presb. | † Ego Leofstan diac. |
| † Ego Aethelstan presb. | † Ego Wulfhun cl. |
| † Ego Aelfsige presb. | † Ego Cynethegn cl. |
| † Ego Eadgar presb. | † Ego Wulfgar cl. |
| † Ego Wistan presb. | † Ego Leofwine cl. |
| † Ego Eadward presb. | † Ego Ulfic cl. |
| † Ego Aethelsige presb. | † Ego Aelfnodh cl. |
| † Ego Wulfward diac. | † Ego Athelwold cl. |
| † Ego Aethelric diac. | † Ego Wulfnodh cl. |

† Dhis syndon dhara dhreora hida land gemæra to Wulferingctune ærest of hymel more up ondlong holan broces dhæt hit cymedh to monning hæma

Digitized by Google

dice and swa ondlong dhæs dices dhœt on dhone salt herpath. and swa ondlong dhæs herpadhes how on sultere dene ondlong dhære dene on dhone herpadh be westan fugel mere ondlong dhes herpadhes on saltere wellan of saltere wellam eost riht on salt broc and swa ondlong salt broces eft on hymel mor æt wudu forda.

*Compositio inter Wulfricum et Wulfstanum archiepiscopum.*

† Her sputeladh on dhisum gewrite ymbe dha forwerda dhe Wulfric and se arcibisceop geworhton dha he begeat dhæs arceb. swuster him to wife. how is dhæt he behet hyre how land æt eolre tune and æt ribbef forda hire dæg. and he behet hire how land æt cnihte wican. how he wolde hit hire begytan dhreora manna dæg æt dham hirede on Wincelcumbe. and sealde hyre how land æt canulfin tune togyfene and to syllenne dham dhe hire leofest wære on dæge and æfter dæge. dhær hire leofest ware. and behet hire L. mances goldes. and XXX. manna. and XXX. horsa. Nu wæs dhises to gewithesse Wulfstan arceb. and Leofwine ealdorman. and Aethelstan bisc. and Aelfword abb. and Brihteh munuc. and manig god man to eacan beom. ægdher ge geadede ge geawede. how dhas forewerda dhus geworhte wæran. Nu syndon to dhysum forwordan twa gewrita. other mid. dham arceb. on wigere ceastre. and other mid Aethelstane bisc. on herforda. *Ad imam pag. vox* (cyrographum) *dimidiata.*

*Charta Leofsini episcopi.*

† Christo creaturarum propriarum omnia ubique regna suo in pondere et mensura disponente. Sanctarum Scripturarum præcipui cultores suis hoc statuerunt dogmatibus quatinus quidquid mortalium vellent addere necessitatibus litterarum apicibus necteretur. Ne forte in posteris rationes ad invicem conpoctas oblivio sive potius insidiosa fraus succedentium deleat. Propter quod ego Leofsinus episc. Dei omnipotens providentia pontifex meo fideli ministro Godrico. aliquam partem ruris id est. I mansam in loco qui vulgaliter Biscopes Dun nominatur cum omnibus ad eundem locum rite pertinentibus. pascuis. campis. pratis. and synderlice XV. mæd aceras on dhære ea furlunga forne gean tidingtun. and nigodhe healf acer on scot homme. and XII. aceras yrthlandes betwyx dhære ea and dhare dic æt dhæm stangedelfe. and dhone hagan on wærincwican. and dhone helprices læge. and dhone dhriddan æcer bean landes on biscopes dune. ob ejus ergamine benivolentiam humilique famulatu dignoque pretio libenti animo condono ut ipse vita comite possideat salubriterque perfruatur. Limite vero vitæ illius transacta duobus quibuscumque elegerit in sua tamen progenie post se delinquat heredibus. Deinceps autem sanctæ matri Wiornocensi reddatur æcclesiæ. Maneat igitur prænominata tellus libera ab omni mundiali servitute tributorum exceptis sanctæ Dei æcclesiæ necessitatibus aut communi expeditione vel pontis arcisve restauratione. Dhis sind dha land gemæro into biscopes dune. ærest in fule wellan. of dhære wellan andlang dhæs gemæres into cloptunes gemæro ondlang dhæs gemæres how on dhone seldene stret of dhære træte how on dhone pyt. of dham pytte on dha heafda. ondlang dhara heafda on dhone bradan mere midde wardan. of dham mere andlang sices on ælfrices brycge. of dhære brycge andlang furh on slahhyll. swa dhar on dha heafdo in dha sealt stret. of dhære stræte innon scot broc. Ondlang broces how on buton dhone croft dhe wynstan bylde dhar upon dha dic dhe he gedicte how on scot riwes gemæro. Ondlang dhæs gemæres how on Wilmun digcotan gemæro. ondlang dhæs gemæres how on berlandes heafda. ondlang dhæs gemæres how on seckles heafda. ondlang dhara heafda how on ælflede gemæro. of ælflede gemæro how on grentes

A mere how upon dhone grenan weg. ondlang dhæs weges how eft in fule wyllan. Scripta est etiam hæc cartula. Anno dominicæ incarnationis. Millesimo XVI. indictione XIIII. His etiam limitibus præfata circumgirata tellus. His testibus adstipulantibus quorum nomina inferius carraxata cernuntur.

† Ego Wulfstanus archiepisc. Eboracensis Æcclesiæ confirmavi. † Ego Leofsinus episcopus hanc meam donationem cum signo crucis corroboravi. † Ego Aethelstanus episc. subscripsi.

| | |
|---|---|
| † Ego Godwine sacerdos | † Ego Aeglwine levita. |
| † Ego Wulfwine sacerdos. | † Ego Byrtmær levita. |
| † Ego Aelmær sacerdos. | † Ego Wilstan levita. |
| † Ego Wulfwi sacerdos. | † Ego Berhtwine levita. |

*Charta Lyfingi episcopi.*

† Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo XXXVIII. indictione VI. Ego Lyfingus superni Rectoris fultus juvamine Wiogerna civitate aecclesiæ cum licentia

B Haroldi regis, ac Leofrici ducis Merciorum meo fideli homini qui agnoscitis noto Aedhelr . . . . . nuncu vocabulo ob ejus fidele obsequium quandam ruris particulam V. videlicet mansas in loco quem illius terræ solicolæ Hylcromban. et Beertun vocitant libenti concedo animo cum omnibus ad se rite pertinentibus ut ipse vita comite fideliter perfruatur. et post vitæ suæ terminum duobus quibus voluerit cleronomis derelinquat. Quibus etiam ex hac vita migratis rus prædictum ad usum primatis aecclesiæ in Wiogerna civitate restituatur immunis. Sit autem prædicta terra libera ab omni sæculari negotio tribus exceptis. id est. expeditione pontis arcisve ædificatione. Sed et his confinis præfata circumcincta habetur.

Ego Harald. rex. hanc præfatam donationem concessi. Ego Aelfric Christi largitione archiepisc. carractere sanctæ crucis consignavi. Ego Lyfing episc. dignum duxi. Ego Aethelstan episc. confirmavi. Ego Duduc episc. titulavi.

C

| | |
|---|---|
| Ego Godwine dux. | Ego Odda miles. |
| Ego Leofric dux. | Ego Bryhtric miles. |
| Ego Thuril dux. | Ego Edwine miles. |

*Ejusdem.*

† Ego Lyfing superni Rectoris fultus juvamine in Wiogerna civitate ecclesiæ cum licentia Heardecnuti regis ac Leofrici ducis Merciorum meo fideli homini qui agnosticis noto Aegelric nuncu vocabulo ob ejus fidele obsequium quandam ruris particulam II: videlicet mansus in loco quem illius terræ solicolæ. Elmlæh vocitant libenti concedo animo cum omnibus ad se rite pertinentibus ut ipse vita comite fideliter perfruatur. Et post vitæ suæ terminum duobus quibus voluerit cleronomis derelinquat. Quibus etiam ex vita migratis rus prædictum ad usum primatis ecclesiæ in Wiogorna civitate restituatur inmunis. Sit autem prædicta terra libera ab omni sæculari negotio tribus exceptis id est expeditione pontis arcisve

D ædificatione. Sed et his confinis præfata terra circumcincta habetur. Dhis synd dhaland gemær into Elmlea how is dhon ærest of netelcumbe æster wulfrices gemære in dhone steort of dham steorte andland weges on fulan bryc of fulan brycce andlang west broces ongean stream in ealda ford of ealda forda on halsbroc of halsbroke into dham balan of dham halam andlang pohwoges innon neodhere hæma gemære æfter dham gemære in nottestan of nottestane andlang gemære inbyrdinge wican æster dham more in wifyndhdhes mere of wifyndhdhes mere andlang heafdon on hin hæma gemæru æfter hin hæma gemæru in dha ealdan stræt dher ofer dha stræt æster dham gemære in salt wyllan of saltwyllan in segc hæma gemær of segc hæma gemæru on æsc hæma gemæru into dhære munuca gemæru up to dhære hyrstte of dhære hyrstte in pohweg how on halsbroc of halsbroke andlang dhæs ryeweges innan scirford of scirforda ofer dhæne stanyhta weg

Digitized by Google

how on calc stanes mor of calcstanes more how est A inuan netelcumbe.

† Ego Heardecnut rex præfatam donationem concessi. † Ego Aelfric Christi largitione archiepisc. cum carractere sanctæ crucis consignavi. † Ego Etsie archiepisc. confirmavi. † Ego Lyfing episc. dignum duxi. † Ego Aewestan episc. addesco. † Ego Duduc episc. adnuo. † Ego Aelsweard episc. † Ego Godwine dux. † Ego Leofric dux. † Ego Harald dux. † Ego Godwine abb.

| | |
|---|---|
| † Ego Aelfric abb. | † Ego Aelfric miles. |
| † Ego Aelfwine abb. | † Ego Bryhtric miles. |
| † Ego Aethelwine sacerd. | † Ego Bryhtwine min. |
| † Ego Eistan sacerd. | † Ego Leofric min. |
| † Ego Wulfwi sacerd. | † Ego Aethelric min. |
| † Ego Wulfweard sacerd. | † Ego Dobba min. |
| † Ego Wilstan sacerd. | † Ego Atsere min. |
| † Ego Wulfstan sacerd. | † Ego Aelewi min. |
| † Ego Leofwine diacon. | † Ego Eadwi min. |
| † Ego Edwi diacon. | † Ego Thuri min. |
| † Ego Odda miles. | † Ego Wigod min. |
| † Ego Bryhtric miles. | † Ego Godric min. |

*Ejusdem.*

† Anno Dominicæ incarnationis millesimo XLII. indictionis X. Ego Lyfing. superni Rectoris fultus juvamine præsul cum licentia Heardacnuti regis Anglorum ac consensu Leofrici ducis Merciorum uno meo fideli qui a gnosticis noto Aedhelric nuncupatur vocabulo ob ejus fidele obsequium quandam runis particulam VI. videlicet mansas quod solito vocitatur nomine Beonetleog cum omnibus ad se rite pertinentibus liberaliter concessi. ut ipse vita comite fideliter perfruatur et post vitæ suæ terminum duobus quibus voluerit cleronomis derelinquat. quibus etiam ex hac vita migratis rus prædictum cum omnibus utensilibus ad usum primatis æcclesiæ Dei in Wiogorna ceastre restituatur immunis.

Dhis syndon dha land gemæru to beonet leahge. of sæfern in bæle. andlang bæle in fule broc. of fule broce in sihtfyrdh. of sihtfyrdh in dha ealdan rode andlang dhære ealdan rode to dhære nither bogenan. ac of dhære nyther bogenan ac eft in dha ealdan rode andlang dhære rode to dhrym gemære of dhrym gemære in doferic. andlang doferic eft in sæfern.

And dha hagan on porte how is se ordceard æt mærdice on dhe dhær to byrlath how syndon dha betweox ælfrices smidhes and eadwines æddan sunan and ænne mæd splot beastan sæfern fornegean hyltun and twegen ofnas æt dhære sealt wic.

Ego Lifing episc. consensi. Ego Earnwig cl. Ego Eatstan pre b. Ego Wulfwi presb. Ego Wilstan presb. Ego Wulfstan presb. Ego Walfwerd presb. Ego Leofwine diac. Ego Aelfstan diacon. Ego Dhurkyl diacon. Ego Byrhtmær diacon. Ego Godric cler.

*Ejusdem.*

† Anno Dominicæ Incarnationis millesimo XLV...... consensu monasterialis familiæ quondam............ vocitatur nomine Saperton quodam mea m........... rite pertinentibus campis. pascuis. pratis l......... .. quamdiu vivat. et post vitam suam duob.... bus defunctis. ad episcopalem sedem resti........... libera. præter pontis arcisve restaurati............ Hi sunt testes et consentientes donationis.........

† Ego LYFINGUS episc. hanc prephatam d............
† Ego Wulfrige abb. Ego Aeglwine sac. Ego Godwi..
† Ego Manni abb. Ego Wulfwig sac. Ego Odda....
† Ego Godwine abb. Ego Wilstan sac. Ego Aelfric..
† Ego Aelfric abb. Ego Wulfstan sac. Ego Berh....

*Charta Ealdredi episcopi.*

† Her swuteladh on dhissum gewrite. how Ealdred b. hæfth geunnen wulfgeate sumne dæl landes. how is other healf hid on dham tune dhe diclord ig genamad. to habbanne and to brucane dheora manna dæg. and after hyr dæge. gange dhæt land est agean to dham dhe se wylle dhe dhonne bisceoprices wealde on wigera ceastre and hig syn ælfre undertheodde. and gehersumne. and dham hlafordscipe folhgien dhe dhonne bisceop beo. and gif hig ænigne from bygedon dholian dhære are. ano disses is to gewitnisse eall se hired on wigera eastre and se hired on eofeshamme. and se hired on perseoran. and Leofric eorl. and Odda eorl. and Aelfric his brodhor. and Berhtric ælfgares sunu. and Owine. and Wagan. and Aegliric dhæs b. brothor. and Ceolmær. and Atsur. and Esebearn. and Ordwig. and Aethestan fætta. and Aelfward æt langa dune. and ealle dha yldestan dhegnas on Wigera ceastre scire denis e and englisce. and hredde he dha odbra healfe hida for are dhreora manna dæg to cinges banne.

## NUM. XVIII (Smith IX).

*Carta Aedbaldi regis de Northbourne.*

B In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Ego Aedbaldus rex gloriosi regis Aedelberti filius, quem protodoctor et apostolus Anglorum Augustinus cum suo regno ab æternis inferorum cruciatibus eripuit, et dealbatum fonte baptismatis sanctorum collegio copulavit, per venerabilem Laurentium beati Augustini discipulum quem ipse pater novelle adhuc Anglorum Ecclesiæ sibi successorem in archiepiscopatum ordinaverat, tandem sermonibus assiduis et signis ac pagis in seipso pro me passis ac ostensis a volutabro scelerum lotus, et ad agnitionem creatoris omnium creaturarum promotus, Dominum Deum meum recognosco et adoro. Proinde ego Eadbaldus in solio paterno confirmatus, patris vestigia imitans et ecclesias Dei quas viriliter instantia patris Augustini fundavit, et terris multisque honoribus ditavit augens et confirmans, monasterio apostolorum Petri et Pauli in suburbio Dorovernie civitatis fundato, et prærogativo ecclesiasticæ libertatis privilegio munito, terris ac variis honoribus ditato, ad ho- C norem Dei et sanctorum apostolorum sanctique Augustini pro remedio animæ mei patris meæque parentumque meorum gratanter concedo, et amicabiliter do quandam partem terræ regni mei XXX aratrorum nomine Nortburne in usum monachorum ibidem Deo famulantium, ubi ipse Pater Augustinus et pater meus requiescunt, ubi etiam archiepiscopos et reges sibi succedentes requiescere decreverunt, ubi et corpus meum sepeliri præcipio. Hanc autem præfatam terram in omnibus ad se pertinentibus, pascuis, paludibus, pratis, silvis, ac finibus maritimis ita liberam ac quietam dono ac dito, sicut pater meus aut ego unquam liberius habuimus. Hujus donationis confirmationem tropæo agie crucis, et charta mea regia consignavi, assidentibus et collaudantibus archiepiscopo, baptista scilicet meo Laurentio, et subscribente cum regina mea Aemma filiisque meis Egfrido ac Ercumberto, cum duobus episcopis Mellito Lundoniensis et Justo Rofensis Ecclesiæ, cæterisque multis D comitibus et optimatibus meis consaventibus et subscribentibus, in hujus donationis fautores et auctores vitam æternam optantibus, in invidentes seu minuentes Dei omnipotentis et sanctorum apostolorum et patris nostri Augustini terribilem interminationem. Ego Laurentius gratia Dei archiepiscopus signo sanctæ crucis sicut regem vidi, facere hoc donum confirmo. Ego Emma Francorum regis filia, regis Eadbaldi copula, vexillo adorandæ crucis armavi. Ego Mellitus Lundoniæ episcopus signo sanctæ crucis quæ vidi astipulor. Ego Justus Rofensis episcopus laudo et subscribo. Ego Egbertus signo crucis libenter corroboro. Ego Ercumbertus attestante venerandæ † gratanter concedo contestor et subscribo. Ego Sueardus consensi. Ego Guthardus subscribo. Actum est autem anno ab incarnatione salvatoris nostri Jesu Christi sexcentesimo octavo decimo, indictione sexta.

Digitized by Google

## NUM. XIX [Smith XXII].

*Copia de Registro III Dunelm., p. 137. Electio beati Patris Cuthberti, et donatio sibi facta de Creec.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Anno dominicæ incarnationis ᴅᴄ octogesimo quinto congregata synodo juxta fluvium Alne in loco qui dicitur Twyforth, cui Theodorus archiepiscopus Dorvernensis præsidebat, cum Cuthbertus multis legatariis ac literis ad se præmissis nequaquam sua insula posset erui, tandem ego Egfridus rex Northumbrorum cum antistite Trumwine et aliis religiosis viris insulam navigavi et invitum ad synodum pertraxi, ubi omnium jussione episcopatus officium suscipere compellitur. Cui et omnibus successoribus suis cum consilio Theodori archiepiscopi, et Trumwini et totius consilii, pro salute animæ meæ et successorum meorum, donavi villam quæ vocatur Creec, et tria milliaria in circuitu ipsius villæ. Donavi etiam civitatem quæ vocatur Lugubalia, et in circuitu ejus quindecim milliaria, ut hæc tam ipse quam successores sui ad Dei servitium in perpetuum habeant, ita sicut ego habui libera et quieta et secundum suam voluntatem disponenda.

Ego Theodorus archiepisc. Dorvernens. subscripsi.

Ego Bosa episc. subscripsi.

Ego [a] Cedde Orientalium Saxonum episc. subscripsi.

Ego Sexul Merciorum episc. subscripsi.

Ego Eata Haugustaldens. episc. subscripsi.

Ego Trumwine Pictorum episc. subscripsi.

Ego Ceadda Lichfeldens. episc. subscripsi.

Ego Eadhed Lindissi episc. subscripsi.

Hæc donatio scripta est tempore Agathonis papæ, anno ætatis regis Egfridi xl, regni vero ejus xv.

Dominus Johannes de Kingston, et dominus Richardus de Castro Bernardi receperunt originale istius copiæ per indenturam de Rogero de Alverton per preceptum domini prioris.

## NUM. XX [Smith XXIII].

*Indulgentia Thomæ Appleby episcopi Carliol. anno 1374, concessa iis qui ad insulam S. Herberti devotionis causa sunt profecti.*

Thomas permissione divina Karliolensis episcopus dilecto filio vicario de Crosthwaite, etc. Dignum judicamus atque justum ut nos, qui ex debito officii nostri testes veritatis esse tenemur, perhibeamus testimonium veritati. Sane siquidem, nobis nuper sacras paginas legentibus, inter cetera comperimus Ven. Bedam presbyterum doctorem famosissimum in libro suo de Gestis Anglorum scripsisse et testimonium perhibuisse Herbertum presbyterum discipulum sancti Cuthberti fuisse, qui in insula fluvii Derwentionis vitam duxit solitariam atque sanctam; solebat tamen sanctum Cuthbertum semel in anno annis singulis visitare, et monita salutaria ab eo recipere. Contigit autem dictum sanctum Cuthbertum apud civitatem Lugubaliam que nunc Karleolum nominatur advenire, quod audiens dictus Herbertus more solito ad eum accessit. Cui sanctus Cuthbertus inter cetera narravit dissolutionem sui corporis infra breve imminere, et quod hoc fuit sibi divinitus revelatum. Quod audiens dominus Herbertus ad pedes sancti antistitis cum lacrimis se projecit, deprecans eum et orans ut a Domino impetraret quod, sicut ipsi in vita sua uno eodemque spiritu Domino deservierunt, uno et eodem tempore, ac simul morte pervenienti, ab hoc seculo transmigrarent. Dictus vero antistes Cuthbertus, super cubitum suum paulisper recubans, cito post se erexit et Herberto presbytero dixit: Frater Herberte, gaude gaudio magno, quia quod a Domino petivimus impetravimus. Quod non diu postea fuerat adimpletum. Nam tertio decimo die Aprilium dictus antistes in insula Pharensi et Herbertus in insula supradicta ambo decesserunt. Et quia hoc sanctum factum plurimis ac fere omnibus credimus esse incognitum, nec bonum esse videtur quod hoc homines latet quod Dominus ad gloriam sanctorum suorum dignatus est patefacere, tibi mandamus firmiter injungentes quatenus dicto xiii° die Aprilium ad dictam insulam Herberti accedens, et missam de sancto Cuthberto etiam cum nota facias celebrari, et has literas nostras parochianis tuis publicari, adjiciens ad hoc quod omnibus et singulis dicto die ad locum prædictum causa devotionis et in honorem sancti Cuthberti et ad memoriam dicti Herberti accedentibus xl dies indulgentie concedimus per presentes. Script. apud Rosam

## NUM. XXI [Smith XXIV].

*Epistola Ualdharii Londoniensis episcopi ad Berctualdum Cantuariensem.*

Domino reverendissimo et catholicorum Patrum præconiis beatificando Berctualdo totius Brettaniæ gubernacula regenti Ualdharius tuæ almitatis supplex servulus salutem. Quærere etenim tuæ sanctitatis consilium prospere rebus succedentibus, tuisque sapientissimis jussionibus famulari animus devotus mihi semper inerat; quanto magis in adversis et in difficilibus rerum eventibus tuæ providæ considerationis industriam consulari voluntaria necessitas meam inscioiam parvitatem perurget. Inde ergo nunc instante necessitatum causa quid agi debeat tuæ benivolentiæ ingenium flagitando inquirere operis pretium reor. Latere quidem tuam notitiam potuisse non arbitror quanta et qualia inter regem Uest-Saxanorum nostræque patriæ regnatores discordiarum jurgia interim pullulabant; et quod adhuc infelicius est, ecclesiastici etiam in hanc ipsam dissentionem qui sub ipsis regiminis gubernacula sortiuntur volentes nolentesque de utraque parte implicantur. Sæpe tamen in utrarumque partium conventibus pacem verbis firmabant foedusque ingerunt ut exules eliminarentur a nobis et ipsi nobis inferre non molirentur tantum malum quantum minabant dictis. Quæ omnia opere adhuc non implebantur. Ante paucos autem dies hoc placitum communi consensione condixerunt ut in Idus Kalendarum Octobrium in loco qui dicitur Breguntford omnes advenissent reges amborum partium, episcopi et abbates judicesque reliquos. Et ibi adunato concilio omnium dissimultatum causæ determinarentur, et in quo unusquisque convictus sit offendisse alio recta emendatione satisfaciat. Huic autem concilio illis rogantibus nostrisque juventibus propriisque causis nostræ ecclesiæ cogentibus me præsentem inesse condecet. Maxime utrisque promittentibus illam pactionis condicionem se observaturos quam ego et eorum præsul pacifice et unanimiter parciscebamur. Inde per omnipotentem rerum conditorem tuæ sanctitatis privilegium obsecro ut mihi innotescere digneris quid de hac re agere debeam, quia nullo modo possum inter illos reconciliare et quasi obses pacis fieri, nisi maximum communionis consortium inter nos misceatur, quod nec volo nec ausus sum agere, nisi tuæ licentiæ voluntas advenerit, quia memor sum quomodo in præterito anni synodo statutum est, illis non communicandum, si non tuum judicium in [b] ordinatione episcoporum implere

[a] *Cedde.* Hæc charta plane fictitia est: Cedde enim obiit anno 664; Sexuulfus quoque non factus est Merciorum episcopus, nisi post obitum Ceaddæ qui huic chartæ subscripsisse dicitur; qui tamen anno 672 defunctus est.

[b] *Ordinatione.* Ex hac epistola constat quod adeo gravis, Coenredo regnante, de ordinatione episcoporum lis intenta est inter archiepiscopum et episcopum West-Saxonum, ut communionis vinculum scinderetur. Anno autem 704 Coenredus Aedilredo jam monacho facto successit; et cum sit maxime verisimile contre … am illam de ordinat… is episcopis

Digitized by Google

testificarent, quod adhuc neglectui habentes non perficiebant. Ideo ergo licet illis invitantibus nostrisque supplicantibus tui oris imperio obedire memet ipsum amplius paro. Tuque, optime pater, utere prudenti consilio ut vel consentiam voci deprecantium si ita placuerit, vel subterfugiam et meipsum a conloquio hujus concilii subtraham si ita justum judicaveris. Tantum ut omnimodo in eadem sensu tecum semper maneam. Hac enim pro causa ad conventum Coenredi regis episcoporumque ejus et ducum reliquorum ejus quem nuper de reconciliatione Aelfdrydæ inter se habuerunt licet advocatus non veni, quia ignarus fui quid de hac re tuæ religionis prærogativa decernere voluisset, ut postquam hoc didicerim liberius consensissem, sin aliorum inventione me prius miscuissem. Quid plura, elego quæ elegeris, renuo quæ renueris, et idipsum in omnibus tecum sapiam.

Hoc tibi per litteras intimare curavi ne inter plures devulgatum innotescat. Orantem pro nobis almitatem vestram divina Trinitas jugiter tuere dignetur.

## NUM. XXII [SMITH XXV].

*Charta regis Hlotharii facta anno 679.*

In nomine Domini nostri Salvatoris Jesu Christi. Ego Hlodharius rex Cantuariorum pro remedium animæ meæ dono terram in Tenid quæ appellatur Westanæ tibi Bercuald tuoque monasterio cum omnibus ad se pertinentibus campis pascuis meriscis silvis modicis fonnis piscaris omnibus ut dictum est ad eandem terram pertinentia, sicut nunc usque possessa est juxta notissimos terminos a me demonstratur et proacupatoribus meis eodem modo tibi tuoque monasterio conserimus, teneas possedeas tu, posterique tui in perpetuum defendant, a nullo contradicitur, cum consensu archiepiscopi Dheodori et Edrici filium fratris mei necnon et omnium principum, sicuti tibi donata est, ita tene et posteri tui. Quisquis contra hanc donationem venire temptaverit, sit ab omni christianitate separatus, et a corpore et sanguini Domini nostri Jesu Christi suspensus. Manentem hanc donationis chartulam in sua nihilominus firmitate, et pro confirmatione ejus manu propria signum sancte crucis expressi, et testes ut subscriberent rogavi. Actum in civitate Recuulf in mense Maio indictione septima.

In ipso ante memorato die adjunxi aliam terram in Sturia juxta notissimos terminos a me demonstratus et proacuratoribus meis cum campis et silvis et pratis sicut ante memorabimus supradictam terram; ita ista sit a me donata eodem modo cum omnibus ad se pertinentia, in potestate abb. sit in perpetuum a me donata; a nullo contradicitur, quod absit, neque a me, neque a parentibus meis, neque ab aliis. Si aliquis aliter fecerit, a Deo se damnatum sciat, et in die judicii rationem reddet Deo in anima sua.

† Signum manus Hlodhari regis donatoris. † Signum manus Gumberctj. † Signum manus Gebredi. † Signum manus Osfaldi. † Signum manus Irminfredi. † Signum manus Aedilmaeri. † Signum manus Ikcani. † Signum manus Aeldredi. † Signum manus Aldhardi. † Signum manus Cudhardi. † Signum manus Bernhardi. † Signum manus Uuelhisci.

## NUM. XXIII [Smith XXVI].

*Indulgentia Willelmi Dumblunensis episcopi visitantibus incorruptum corpus S. Cudbercti concessa.*

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Willelmus Dei gratia Dumblanensis Ecclesiæ episcopus æternam in Domino salutem. Inter preclaros Christi confessores, quorum præsentia

A corporalis Anglicane patrocinatur Ecclesie, beatus Cuthbertus non mediocre sanctitatis preconium dinoscitur habere. Nec immerito laudibus humanis attollitur: cujus meritis infirmi sanitatis gratiam consequuntur. Cujus caro carie carens et prorsus integra perseverans dormientem pocius quam mortuum presentare videtur. Membra namque beati viri incorrupta penitus manere non solum Venerabilis Bedæ scriptura testatur, verum etiam quamplurima sanctorum asserunt testimonia et ipsius sacratissimi corporis translatio evidentissime comprobavit. Nos igitur tanti confessoris considerantes insignia, de misericordia summe et individue Trinitatis, omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus sancti, gloriose Virginis Marie genitricis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sancti Cuthberti confessoris, omniumque sanctorum Dei meritis confidentes, omnibus parochianis nostris et aliis quorum dyocesani hanc nostram indulgenciam ratam habuerint, de peccatis

B suis vere contritis et confessis, qui ad feretrum ejus devocionis et oracionis causa advenerint, et de bonis sibi a Deo collatis feretro suo cum devocione aliquid attulerint, quadraginta dies de injuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus. Dat. apud Dunelm. vi Kal. Martii anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto. Ex autographo in eccl. Dunelm.

## NUM. XXIV [Smith. XXVII].

*Charta Uuihtredi regis Cantuariorum.*

† In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Ego Uuihtredus rex Cantuariorum providens mihi in futuro decrevi dare aliquid omnia mihi donanti et consilio accepto bonum visum est conferre basilicæ beatæ Mariæ Genitricis Dei quæ sita est in loco qui dicitur Limingae terram III aratrorum quæ dicitur Plegbelmestun cum omnibus ad eandem terram pertinentibus juxta notissimos terminos, id est, Bereweg et Meguuines raedh et stretleg. terrulæ quoque partem ejusdem Dei genitrici beatæ Mariæ similiter in per-

C petuum possidendam perdono, cujus vocabulum est Numining sota ad pastum videlicet ovium trecentorum. ad Australem quippe fluminis quæ appellatur Liminaea. Terminos vero hujus terrulæ ideo non ponimus quoniam ab accolis undique cepti sunt. Quam donationem meam volo firmam esse in perpetuum ut nec ego seu heredes mei aliquid imminuere præsumant. Quod si aliter temptatum fuerit a qualibet persona sub anadhematis interdictione sciat se prævaricari. ad cujus confirmationem pro ignorantia litterarum † signum sanctæ crucis expressi et testes idoneos ut subscriberent rogavi, id est Berhtuualdum archiepiscop. virum venerabilem.

† Ego Berhtuualdus episc. rogatus consensi et subscripsi. † Signum manus Uuihtredi regis. † Signum manus Aedhilburgæ reginæ. † Signum manus Eufridi. † Signum manus Aeddfridi. † Signum manus Hagana. † Signum manus Botta. † Signum manus Bernhaendi. † Signum manus Theabul. † Signum manus Frodi. † Signum manus

D Achcha. † Signum manus Aesica. † Signum manus Adda. † Signum manus Egisberhti. Actum in mense Julio indictione xiii. (An. *scilicet.* 700. *vel* 715.)

*Charta Aethilbaldi regis Merciorum.*

Ego Aedhilbalt, Domino donante rex non solum Marcersium sed et omnium provinciarum quæ generale nomine Sutangli dicuntur, pro remedio animæ meæ et relaxatione piaculorum meorum, aliquam terræ particulam id est x. cassatorum venerando comite meo Cyniberhtte ad construendum coenobium in provincia, cui ab antiquis nomen inditum est Husmerae juxta fluvium vocabulo Stur cum omnibus neces-

ex eo ortum habuisse quod episcopus West-Saxonum diœcesim suam quam latissime diffusam in plures dividi non permitteret, credibile est Hæddi, qui obiit anno 705, tunc temporis fuisse Orientalium Saxonum præsulem. Hæ litteræ igitur scriptæ sunt vel anno 704, vel proximo.

Digitized by Google

sariis ad eam pertinentibus cum campis silvisque cum piscariis pratisque in possessionem ecclesiasticam benigne largiendo trado; ita ut quandiu vixerit, potestatem habeat tenendi ac possidendi cuicunque voluerit vel eo vivo vel certe post obitum suum relinquendi. Est autem supra dictus ager in circuitu ex utraque parte supranominati fluminis, habens ex Aquilone plaga silvam quam nominant Cynibre, ex Occidentale vero aliam cui nomen est Moereb, quarum pars maxima ad præfatum pertinet agrum. Si quis autem hanc donationem violare temptaverit, sciat se in tremendo examine tyrannidis ac præsumptionis suæ Deo rationem terribiliter redditurum. Scripta est autem hæc cartula anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi septincentissimo tricessimo VI. indictione quarta.

† Ego Aetdilbald rex Britanniæ propriam donationem confirmans subscripsi. † Ego Uuor episcopus consensi et subscripsi. † Ego Uuilfridus episcopus jubente Aeduilbaldo rege subscripsi. † Ego Aedhilric subregulus atque comes gloriosissimi principis Edhilbat... huic donationi consensi et subscripsi. † Ego Ibe ac si indignus abbas consensi et subscripsi. † Ego Beardberht frater atque dux præfati regis consensi et subscripsi. † Ego Ebbella consensum accommodans subscripsi. † Ego Onoc comes subscripsi. † Ego Oba consensi et subscripsi. † Ego Sigibed consensi et subscripsi. † Ego Bercol. cons. et subs. † Ealdnuft cons. et subs. † Ego Cusa cons. et subs. † Ego Dede cons. et subs.

## NUM. XXV.

## *COMMENTARIUS IN LIBRUM BOETI DE TRINITATE* [a].

*Christianæ religionis*, etc. Volens Philosophus descendere ad tractandum de proposita quæstione, præmittit commendationem fidei catholicæ, eo, scilicet, quod in illa instruere intendit. In qua commendatione confutat Arrium, Sabellium, ac Vigilantium, eosque qui in solis nominibus attendunt distinctionem personarum, sicut sequens littera declarabit. Hanc ergo fidem commendat ab auctore, ubi dicit *Christianæ*, cujus, scilicet, Christus auctor est, etiam ab usu, ubi dicit *religionis*, cum ejus usus sit exercere religionem, et a dignitate, ubi dicit *reverentiam*; sola enim digna reverenda sunt; et ab affectu, ubi dicit *salutarie*; hoc enim efficit in credente quod confert ei salutem; et ab aptitudine, ubi dicit *universalium præcepta*; quæ scilicet universaliter dicuntur, quia nullum respiciunt. Evangelium enim nec sexum nec ætatem respuit, nec uni genti datum est, sicut sex, sed omnibus oblatum. Ibi quidem dicitur. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*, hic autem gratia se offert omnibus. Commendat iterum fidem a cultu, ubi dicit quod « cultus ejus per omnes cardines mundi emanavit, » colitur ab Austro, ab Oriente, ab Occidente, et Septentrione. Christianam religionem appellat fidem catholicam, qua Christiani sunt religiosi, plures usui, re Christi; id est, plures sunt qui volunt haberi religiosi per fidem catholicam, tamen male de illa sentientes. Sed licet, quantum in se est, eam deturpare conantur, tamen suum non amittit nitorem. Unde subdit: *Sed ea fides*, etc. Sed cum pluribus modis accipiatur fides, videndum est de qua fide hic dicatur. Fides enim quandoque accipitur pro credulitate, ut quod credimus Christum natum ex virgine, mortuum, crucifixum fuisse, tertia die resurrexisse, ac vivos et mortuos judicaturum, sed hæc fides non discernit inter fideles et infideles, hanc enim habent et dæmones. Unde Jacobus: *Dæmones credunt et contremiscunt*. Item dicitur fides virtus, quod ita definitur ab Apostolo: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Sed hæc definitio magis est data secundum effectum fidei, quam secundum ejus naturam. Dicitur enim *substantia rerum sperandarum*, quia per fidem su sistunt in nobis speranda; ea enim nos facit sperare ea quæ non videntur; non autem dicitur *substantia rerum sperandarum*, eo quod tantummodo de illis de quibus est spes, quoniam spes solummodo est de futuris et de bonis. Fides autem et de futuris, et præsentibus, et præteritis, et etiam tam de bonis quam de malis. Per fidem enim credimus Deum in principio omnia creasse, et Christum carnem suscepisse de Virgine. etc., hujusmodi quæ jam prætereunt. Credimus etiam verum corpus Christi esse super altare, dum missa celebratur; et iterum credimus futura, ut resurrectionem mortuorum, et consimilia; et credimus quod boni accipient præmia, mali vero supplicia. Et sic est fides et de bonis et de malis. Largior ergo est fides quam spes, sed tamen ideo dicitur esse fides substantia sperandarum, ut per hoc notetur, quod sicut spes non est nisi de illis quæ non videntur, sic nec fides. Sequitur: *Argumentum non apparentium*; sic quod credimus Filium de Patre genitum, Spiritum sanctum ab utroque procedere, et resurrectionem mortuorum. Hæc enim non possumus probare aliquibus argumentis, sed sola fides stat pro argumento, ut si quis quæreret: Unde scis partum Virginis, vel futurum statum electorum? non habeo aliud argumentum, nisi quod indubitanter credo illud quod prophetæ et alii qui per Spiritum sanctum sunt locuti, inde dixerunt, quod Deus nullo modo falleret, cum in eis loqueretur, et miracula faceret, etc. Ex maxima parte quæ dixerunt video completa, et cætera complenda non ambigo. In his ergo sola fides est pro argumento, quia « fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; » vel argumentum non apparentium, quia fides est tantummodo non ex apparentibus. Sed constat quod fides est; ergo constat non apparentia esse; et ita est fides argumentum non apparentium, id est, quod non apparentia sint. Sine ista fide nulla virtus est, nullum meritum. Quid hæc est prima gratia, quæ quamlibet virtutem sine actu saltem natura, et hæc est fides qua credimus quod dicitur catholica. Unde in Symbolo: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque crediderit*, etc. Hæc est una apud omnes. Unde Apostolus: *Una fides, unum baptisma*. Si autem hoc dicatur de fide qua credimus, tunc non dicetur una numero, sed genere, ut haberetur super Epistolas. Fides enim virtus, quæ in me est, in nullo alio esse potest, sed tamen videtur esse eadem cum illa quæ in te est, quia est illi consimilis. Hic ergo agit de fidei virtute, vel potius de fide, qua credimus. Dicit igitur quod ista pollet maxime, et nulla alia et *salutarie*, id est, quæ sola confert salutem. Vel *solitarie*, quia ista tantum pollet, non sectæ hæreticorum: illa dico quæ *vocatur catholica, vel universalis*, et est vel subdisjunctivum. Eadem namque est catholica vel universalis. Catholica enim est conveniens vel uniens. Inde fides catholica, quia uniens; vel universalis, quia sicut omne universale plura continet, quæ unit in eadem natura, sic fides catholica omnes unit in eis sacramentis, in eadem spe et in eadem charitate. Quid plura? Omnes unit indifferenter in uno novo homine. Unde in Actibus apostolorum *multitudinis credentium cor unum et anima una*. Et apostolus: *In Christo non est Judæus vel gentilis, vel vir, vel femina. Nulla enim est personarum acceptio apud Deum*. quasi dicat: Nec quod est Judæus vel vir, aliquid affert ad salutem, nec quod est gentilis vel femina aliquid affert ad salutem. Et alibi: « Fides est prima unio mentis ad Deum. » Ipse etiam duas hic ponit causas, quare dicatur *catholica vel universalis*; sed altera videtur etymologia esse hujus quæ dicitur universalis, hæc, scilicet, per universos terminos emanavit. Regulæ dicuntur a *regendo*, eo quod nos regant docendo quid vitare, quid facere debeamus. *Universalis*, quia omnes complecti-

[a] Vide, si placet, textum libri de Trinitate inter Boetii Opera, Patrologiæ tom. LXIV, col. 1247. Edit.

Digitized by Google

tur, *intelligitur auctoritas*; dicit *quæ magna est*, ipsa namque confert salutem; *emanavit*, id est, defluxit pedetentim uno climate ad aliud clima, quia est forsitan aliquis locus in quo ipsa non incolitur. Cur hæc? Posita commendatione fidei catholicæ subjungit quid sentiat de distinctione trium personarum in eadem essentia. Aliud enim ipse, aliud sectæ hæreticorum sentiunt, qui hæretici dicuntur, id est, divisi; hæresis enim, divisio, ipsi autem ab unitate Ecclesiæ sunt divisi, et est in hoc loco fundamentum fidei nostræ ponendum. Est igitur fundamentum fidei nostræ ut credamus unam esse divinam essentiam, et tres personas distinctas; distinctas quidem, sed non disjunctas; indivisas, sed non conjunctas. Item quod Pater genuit sibi Filium consubstantialem, et quod Spiritus sanctus procedit ab utroque. Item quod tres personæ subjectæ, quam ex parte. Parti huic aut fidei attestatur Novum ac Vetus Testamentum. Unitate namque essentiæ, invocat Vetus Testamentum, ubi dicit: *Israel, Deus tuus Deus unus est.* Et: *Non erit in te Deus recens, neque adorabis deos alienos.* Item Veritas in Evangelio: *Ego et Pater unum sumus. Qui videt me, videt et Patrem:* per hæc verba aperte declarans, et essentiæ simplicitatem, et personarum distinctionem, *unum* referens ad substantiam, *ego et Pater* ad personas. Hanc iterum personarum distinctionem Veteris Testamenti pandit auctoritas, ibi, scilicet: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cum enim dicendo non sit locutus ad angelum vel ad aliquam creaturam Deus, aperte personarum pluralitatem demonstravit, quam etiam philosophi ex creaturis cognoverunt, ut Plato et alii. Intellexerunt enim cogitationem et νοῦν, sed in tertio signo defecerunt magi Pharaonis, quia licet cogitationem et νοῦν philosophica indagatione intellexerint, tamen personam Spiritus sancti nullatenus comprehendere potuerunt. Quod Pater ab æterno Filium genuerit, ex his verbis manifestum est: *Ego hodie genui te.* Per *hodie* enim quod præsentiam temporis designat, notatur æternitas, quæ nescit præteritum vel futurum; per *genuit* perfectio, ut non sit Filius imperfectus Deus, sed coæternus Patri et consubstantialis. Græci dicunt Spiritum a Patre procedere, non autem a Filio, eo scilicet quod in Symbolo quod in Nicæna synodo fuit publicatum non reperitur; ob id etiam promulgatum est ut qui aliud dixerit *anathema sit.* Ideoque dicunt nos esse sub anathemate; quod falsum est, quia non dicimus aliud, id est, contrarium, imo potius ipsi aperte contra Apostolum dicunt; dicit enim: *Quia misit Spiritum Filii sui clamantem in cordibus nostris, Abba Pater;* et aliæ plures auctoritates id consonant. Fuerunt enim quidam ignominiosi, quorum nomina jam aures Catholicorum offendunt, qui ex parte subjecti non concederent unum Deum tres esse personas, hoc argumento seipsos confundentes vel illudentes: Nihil est id cujus est; sed divina essentia est trium personarum, quare non sunt tres personæ. Sed contra hos aperte Augustinus, in libro de Trinitate: « Tres personas, inquit, ejusdem substantiæ dicimus. » Sed ne propter hoc videretur negare tres personas esse unam et eamdem essentiam, subdit quasi corrigendo: « Vel tres personas eamdem essentiam dicimus, non autem ex eadem essentia, quasi aliud sit natura, et aliud persona. » Ecce quomodo profitetur idem esse naturam et personam, et ideo unam naturam esse tres personas, et tres personas unam naturam. Item pertinet ad nostræ fidei fundamentum Verbi Incarnatio, ut, scilicet, credamus Dei Filium assumpsisse carnem ex Virgine et in Virgine. Quam carnem et creando assumpsit, et assumendo creavit non de nihilo carnem sibi in utero Virginis creando, vel formando, sicut quidam hæretici senserunt, sed potius de substantia Virginis carnem assumpsit, quam assumendo creavit, id est, purificavit, non conceptus libidinosa lege concipiendi; et ideo immunis ab omni peccato, non tamen a pœna pec-

A cati: hanc enim sustinuit non necessitate sicut cæteri homines, sed sola voluntate. Unus et idem Deus et homo, homo et Deus et eadem persona. Duæ namque in ipsa naturæ, divina, scilicet, et humana; tres substantiæ, caro, et anima, et divinitas. Sic ergo hæc, etc., quæ ad incarnationem pertinent, credere debemus, sic et resurrectionem mortuorum, et hæc ad fundamentum fidei nostræ pertinent. In hoc quod dicit *de trinitate*, confutat Sabellium, qui propter simplicitatem substantiæ impie confudit personarum trinitatem, eosque simul qui modificant Deum, vel in nominibus attendunt trinitatem. In hoc quod dicit *unitate*, confutat Arium, qui propter personarum distinctionem nefarie distrahit substantiæ simplicitatem, ut superius monstravimus. *Pater*, inquiunt catholici, *est Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus.* Hinc emersit Vigilantiana hæresis. Vigilantius enim transferens naturalium rationes ad theologiam, tres deos asserebat. Dicebat enim hoc argumentum

B necessarium: Socrates est homo, Plato est homo, Cicero est homo; ergo sunt tres homines, et non unus homo. Item: Socrates est albus, Plato est albus, Cicero est albus; ergo sunt tres albi, et non unus albus. Ergo si Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, erunt tres dii, et non unus Deus. Deceptus fuit, putans quod sicut in naturalibus ad pluralitatem personarum subintrat pluralitas nomen naturæ et ipsam naturam, ut possit dici tres homines, ita in Deo ad pluralitatem personarum subintrat pluralitas nomen naturæ et ipsam naturam, non [*Leg.* ut] possit dici tres dii. Hinc fertur beatus Ambrosius, miræ simplicitatis vir, respondisse quod « Deus non salvat mundum in dialectica. » Fertur etiam præcepisse quod in litania diceretur: *A dialecticis, Libera nos, Domine.* Augustinus tamen, quem Deus reservaverat contra hæreses, argumentum Vigilantii hoc modo falsificavit: « Non valet, inquit, Vigilanti, tua complexio. Nam ab alia humanitate est Socrates homo, ab alia Plato, ab alia Cicero; et ideo sequitur: Ergo sunt

C tres homines. Sed ab una et eadem Deitate est Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et ideo non sequitur: Ergo sunt tres dii. » Ubi autem dicit Augustinus quod « ab alia humanitate est Socrates homo, ab alia Plato, » videtur signare his verbis uniuscujusque hominis esse unam naturam, unam dico singularitatem essentiæ, ut quidam male interpretantes hunc locum putant. Nulla enim natura una est singularitate essentiæ, nisi tantum natura trium personarum. Humanitas enim non dicitur una singularitate essentiæ, sed potius dicitur una unione; nec unitas Socratis est una singularitate, sed potius unione, eo, scilicet, quod unit spiritum cum alio. Eadem enim est natura omnium hominum, quod bene ostendit Augustinus super Genesim, ubi dicit quod « *Deus in sex diebus creavit omnes naturas omnium rerum.* » Nunc igitur causas diversas in ipsis naturis, non naturas diversorum. Non est igitur alia natura Socratis, alia Platonis, sicque in cæteris rebus. Quid est ergo quod

D dicit Augustinus? Non dixit alia singularitate essentiæ, sed alia alternitate. Ex eo namque quod naturam humanam subintrat alternitas, quam facit accidentium multitudo, ex hoc, inquam, nomen naturæ et ipsam naturam subintrat pluralitas, ut possint dici: Iste est unus homo, et iste alius homo, et etiam isti sunt duo, vel tres, vel plures homines. Sed quia natura divina est una et eadem singularitate essentiæ, nec ipsam potest subintrare alternitas (nulla enim ibi est accidentium varietas), ideo nec natura nec nomen naturæ divinæ pluralitatem potest recipere. Quare non potest dici duo vel tres dii, et ideo intelligenda est prædicta beati Augustini auctoritas, quæ dissolvit Vigilantii complexionem postquam fertur etiam fecisse invectionem hoc modo: « Non amplius, inquit, vocaberis Vigilantius, sed Dormitantius. » et hæc sunt initia rationum quæ habet Boethius ad dissolvendam quæstionem. Dicunt tamen quidam Augustinum fecisse prædictum hæretici argumentum



Digitized by Google

antequam esset conversus. Ubi *Pater*. Continuatio. Hoc habet fides catholica, quod *Pater* est *Deus*, *Filius* est *Deus*, *et Spiritus sanctus* est *Deus*. Hoc etiam constat quod non est nisi unus Deus; *igitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus Deus*, *non tres dii*. In hoc quod dicit : *Pater et Filius*, *et Spiritus sanctus*, distinguendo tres personas, confutat Sabellium, cujus fuit hæresis ut eadem persona esset, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Dicebat enim quod Pater processus in Virginem Filius est. Hinc etiam dictus est Patripassianus : quem volentes devitare, vix libertini Semiariani facti sunt, a prædicato consentientes Catholicis, sed a subjecto non dissentientes ab Ario, ut loco suo patebit. In hoc quod dicit *unus*, confutat Arium, Vigilantium, eorumque sequaces, quos omnes aperte redarguit Hieronymus, dicens, in epistola de explanatione fidei ad Damasum papam : « Contundentes Arium, unam eamdemque Trinitatis essentiam dicimus; proprietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. » Item : « Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, id est, subsistentias confitemur. » Ecce contra eos Hieronymus. *Cujus conjunctionis*, id est, quod ita inde referunt ex prædictis : cujus Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus Deus, non tres dii. *Est ratio*, id est, argumentum *indifferentiæ*, et est una pars composita. Sed hic ad intelligendam indifferentiam prætermittendæ [*Leg.* præmittendæ] sunt auctoritates Augustini et Hilarii, quibus ipsi voluerunt distinguere personarum trinitatem in eadem substantia, quantum in sæculo potest cognosci. Ad hanc enim pro modulo capacitatis nostræ declarandam dicit Augustinus : « In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque connexio, vel concordia. » Sed sicut ex formula verborum haberi potest, volens Augustinus quoquo modo insinuare quod ineffabile erat et incomprehensibile, confugit ad mathematicam. Arithmetici unitatem principium numerorum constituunt, ex ipsa enim omnes numeri procreantur; illa autem simplex est, et ex nullo procreata. Generantur equidem numeri alii ex aliis, sed generatio in numeris nihil aliud quam multiplicatio eorum, per eumdem numerum, vel per alium facta : per eumdem, sicut binarius multiplicatus per se generat quaternarium, bis bini namque quatuor sunt; per alium, sicut binarius multiplicatus per ternarium generat senarium, bis enim terni, vel ter bini, senarium reddunt. Cum igitur unitas sit principium numerorum, generatio in numeris nihil sit aliud quam multiplicatio, prima generatio in numeris fit multiplicatione unitatis. Multiplicatur et unitas per se, hoc modo : Unus unus, si hæc dictio, scilicet *unus* sit in usu; sed quia non est in usu, loco illius dicimus idcirco : Semel unum generat ex se unitatem, non se tamen, nec aliam, sed sibi æqualem. Se non generat, quia non ad hoc multiplicatur, ut sit unitas, cum jam constet unitatem esse : aliam vero non generat, quia in ipsa multiplicatione non fit distractio simplicis essentiæ unitatis, imo per multiplicationem sui generat unitatem in eadem singularitate essentiæ. Unde apparet illud argumentum esse falsum hæretici : *Deus genuit Deum*; *ergo aut se aut alium Deum*. Hunc mentitum esse comprobamus per prædicta. Unitas enim per se multiplicata generat unitatem, nec se, nec aliam. Sed quoniam tantum est dicere semel unum, quantum unum cantandum, aut nota est æqualitas (*sic*), ideo dicimus, quia dum unitas multiplicatur, generat æqualitatem in eadem essentia. Sed quia dicitur æquale semper respectu illius cui est æquale, et illud cui est æquale respectu illius quod est ei æquale, ideo ex unitate et æqualitate procedit connexio unitatis et æqualitatis in eadem singularitate essentiæ : vere tamen unitas generat connexionem, quia non multiplicatur ad hoc ut sit connexio, sed ex unitate et æqualitate procedit connexio tribus attributa personis. Sicut enim unitas ex se ge-

A nerat æqualitatem in eadem essentia, nec generat connexionem, sed procedit connexio ex unitate et æqualitate, ita si liceat minima maximis comparare, Pater ex se Filium sibi consubstantialem, non alium Deum; nec genuit Spiritum sanctum, sed procedit Spiritus sanctus a Patre et Filio in ejus essentiæ simplicitate. Inde etiam quod Filio attribuitur æqualitas, dicitur Deus creare omnia in Filio, et non in Spiritu sancto, cum tamen opèra Trinitatis sint indivisa. In æqualitate enim creat Deus omnia, quia quantum substantialis forma unicuique attribuit, tantum creat Deus in illo. Quantum enim attribuit humanitas homini, tantum, nec plus, nec minus, creat Deus in homine. Homo namque quod aliquando nascitur strumosus vel monoculus, vel habens aliquid hujusmodi, habet ex contingenti, non ex creatione; et sic est in cæteris rebus. Item quia Filius dicitur æqualitas, dicitur Deus formas creare in Filio, quod satis potest exponi; sed his qui sese profundius intelligunt, exponendum est. B Sicut enim unitas principium est numeri, ita ut dicit Boethius in Musica, æqualitas principium est multiplicitatis. Ubi autem multiplicitas, ibi majoritas; quia minoritas, quare et inæqualitas. Est igitur æqualitas principium æqualitatis, inæqualitas autem omnium in formis consistit, solis enim formis a se separantur res et discernuntur. In materia enim omnia creavit. Cum Filius dicatur æqualitas, ut præmonstratum est, æqualitas autem principium sit inæqualitatis, quæ in formis consistit, merito dicitur Filius vel Pater in Filio formas creare. Eamdem iterum personarum distinctionem volens declarare Hilarius, confugit ad similitudines. Ait enim : « Accendatur lucerna, et sumatur alia ejusdem longitudinis, et ejusdem magnitudinis et in cera et in ligno, et accendatur ad aliam, totum lumen necessario sumit ab illa. Si enim partiretur, suum totum non remaneret, sed totum remanet lumen. Ergo non pars, sed totum lumen sumptum est. Ejusdem igitur prorsus substantiæ est lumen sumptum, et lumen a quo sumitur. Sed C et a lumine a quo sumitur, et a lumine sumpto, procedit splendor, qui totus est in lumine sumpto, et totus in lumine a quo sumitur, id est, ejusdem prorsus substantiæ est cum illis. » Et nota quod cum fiat hic mentio de igne, non agitur de carbone vel flamma, sed de splendore, cum his tribus modis dicatur ignis, sicut aperit Chalcidius super Timæum Platonis. Cum ergo splendor sit accidens, quomodo dicitur ejus aliqua esse substantia? sed substantia luminis dicitur; verum esse illius sicut aliqua dicitur esse substantia albedinis, imo formæ. Vere dicuntur esse, sed de hoc alias; licet ergo eadem prorsus sit substantia prædictorum, ita tamen sunt mirabili lege naturæ distincta, ut non possit dici veraciter : Lumen a quo sumitur est lumen sumptum, vel lumen procedens, vel e converso. Imo splendor a quo sumitur, alius a splendore sumpto, et splendor sumptus est alius a splendore procedente. Sic igitur, si liceat minima maximis comparare, Pater qui genuit, et Filius ge- D nitus, et Spiritus sanctus procedens, unius et ejusdem prorsus substantiæ sunt, et tota divinitas in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto; nec tamen Pater est Filius, vel Spiritus sanctus, imo alius Pater a Filio, alius Filius a Spiritu sancto, sed hoc tamen deest ad perfectionem similitudinis, quod similitudo ista circa corporea consistit, et idcirco intervenit localis remotio, quæ nullo modo esse potest in tribus personis. Abstrahatur igitur splendor de flamma, ita tamen quod nulla fiat, id est, confusio vel conglobatio luminum. In anima patet. Anima enim ex se generat sapientiam suam, et intra se, et ex sapientia et ex anima procedit dilectio, qua anima suam diligit sapientiam, et sapientia animam; nullaque est ibi localis distinctio, nec substantiæ confusio. Sic Pater genuit Filium ex se, nec extra se, sed in eadem essentia; et ut ab utraque procedit Spiritus sanctus, in eadem prorsus substantia, nec est ibi localis distinctio, vel substantiæ confusio, sive conglobatio; sic

Digitized by Google

igitur fugit ad similitudines beatus Hilarius, insinuare volens trium personarum distinctionem, quantum in hoc sæculo cognosci potest. Ex prima igitur similitudine habeatur trium personarum distinctio in eadem essentia, et quod Deus genuit Deum, nec se, nec alium Deum; ex secunda vero habeatur idem modus essentiæ in tribus personis; ex tertia habeatur nullam ideo esse localem distinctionem, vel substantiæ conglobationem, sive confusionem. Et sciendum est has similitudines valere ad exponendum illud Apostoli: *Figura et splendor*. Quod enim dixit *figura*, retulit ad hoc quod Filius dicitur unitatis æqualitas, id est, primus tetragonus. Est namque semel unum primus tetragonus, qui rationibus prædictis Filio Dei attribuitur. Unde Sibylla Hispana: « Cum perveneris, inquit, ad costas primi tetragoni sedentis ad costas tetragonorum stantium æternorum, » etc., sic primum tetragonum Filium Dei designans, per tetragonos angelos. Ideoque hunc sedentem, illos vero stantes asseverans, quasi hujus regnare, illorum vero utilium famulantium astare est proprium. Quod autem dixit *splendorem*, tulit ad hoc quod Filius dicitur *lumen de lumine*. Iterum Hilarius altius descendens distinguit trinitatem personarum, in eadem essentia theologice dicens: « In æterno infinitas, species in imagine, usus in munere. » Quidam tamen aut hæc verba non intelligens, aut nova de more suo volens invenire, transmutavit: « In æterno infinitas, sic dicens, in Patre æternitas, species in imagine, » etc. Sed de hoc non curo. Quod igitur Hilarius dicit *in æterno infinitas*, theologice dictum esse nemo debet ambigere. Infinitum enim nomen est abnegationis, æternum vero nomen positionis. Theologia autem alia est affirmationis, alia negationis, sicut beatus Dionysius utendo utraque bene declarat. Theologia affirmationis est per quam affirmamus de Deo quæ digne possunt dici de Deo; ut cum dicimus: *Deus est vita*, *Deus est veritas*, et cætera hujusmodi. Et secundum theologiam affirmationis data est illa descriptio de Deo a Parmenide philosopho, quam utrum [F. ultro] dedisset aliquis sanctorum: « Deus, inquit, est, cui quodlibet esse quod est, est esse omne id quod est. » Quid sibi voluit philosophus? Nunquid per *omne* et *quodlibet* pluralitatem in Deo constituit? Absit. Imo tantum pluralitatem vocabulorum complexus est. Intellexit igitur quod Deum esse justum, non est aliud quam Deum esse, vel Deum esse magnum, fortem, pium, et cætera hujusmodi, quam Deum esse Deum: nullam enim pluralitatem ponunt in Deo omnia prædicta. Hoc enim dicit Augustinus: *Quidquid est in Deo, est Deus*, id est, fortitudo in Deo Deus est, sapientia in Deo Deus est, veritas in Deo Deus est: quod in nullis creaturis verum esse potest. Theologia negationis est, quod per omnia rerum vocabula de Deo negamus, sicut facit beatus Dionysius in Hierarchia sua dicens: « Deus non est veritas, non est sapientia, non est virtus. » Non multo post vero omnia vocabula quæ negaverat, affirmat de Deo per theologiam affirmationis, dicens: « Deus est vita, Deus est veritas, sapientia, virtus; » non quod fuit sibi contrarius, non quod modo affirmat, ante autem negaverat. Absit. Cum enim affirmat Deum esse vitam, affirmat Deum esse Deum; cum vero negat Deum esse vitam, vel alia hujusmodi, non negat Deum esse Deum, imo negat a Deo vocabulorum proprietatem ac statuum discretionem. Omnia enim vocabula formas sequuntur, quemadmodum a formis rebus sunt data. Ut hoc nomen *homo* ab humanitate datum est, sic hoc nomen *lapis* a lapiditate. Et quia vocabula formas sequuntur, formis autem habent quæque distingui, idcirco sunt statuum discretiva. Audito enim hoc nomine *homo*, eam rem quæ est homo intellectu discernimus a lapide et ab aliis rebus, nullum tamen hominem discrete comprehendentes. Sic etiam quod hoc nomen *justus*, datum est a justitia,

A hoc nomen vero *fortis* datum est ab alia qualitate, scilicet, a fortitudine, dum de homine diversos status discernunt. Aliud est enim hominem esse justum, esse fortem, aliud etiam esse hominem, quam esse justum, quam fortem. Sed non est ita in Deo. Dum enim ad Deum transferuntur vocabula, nullo modo statuum discretiva esse possunt. Si enim status ad Deum translata discernerent, nullo modo si Deus esset justus, fortis dici potuisset, cum Deus quidem simplex sit: alium enim statum poneret justus, fortis alium. Dum igitur negavit Dionysius a Deo prædictam vocabulorum proprietatem, statuumque discretionem attendens.* Ergo cum dicitur, Deus est justitia, vel justus, vel veritas, etc., quæ de Deo digne dici possunt, nulla fit æstatuum discretio, nec prædicatur qualitas, vel quantitas, sed substantia supra substantiam, id est, hyperusia, ut idem Boethius est dicturus. Nulli enim status in Deo sunt, quibus discerni possit ab aliis rebus, si aliis dicere B possim, neque intelligi potest. Unde Basilius super Hierarchiam ubi dicit: *Deus non est vita*: « Dum Deum, inquit, intelligo, intellectus potius accedit ad nihilum, quam ad aliquid, » id est, ad remotionem omnium. Quasi dicat: Considerans Deum, potius intelligo quid non sit, quam quid sit; nec tamen dixit *ad nihilum*, sed *potius ad nihil*. Dum enim cuncta removentur, intelligitur Deus quoquomodo, ut cum dicimus: Deus est quod neque est sol, neque luna, neque cœlum, neque mundus. Quid non sit quidem, scimus; quid sit vero, non ad plenum intelligimus, et ita quoque modo datur subintelligi. Unde Augustinus: « Quid Deus sit intelligere nequeo, quid mente circumdare. » Ut dum audito hoc nomine *homo*, rem hujusmodi intelligimus, id est, mente circumdamus; audito hoc nomine *Deus*, nihil mente circumdamus. Non est enim hoc nomen datum ex aliqua forma, quæ Deum informet, et a cæteris rebus distinguat. Sed ne nimis immoremur, revertamur ad C propositum. Infinitas igitur nomen est theologiæ negationis. Dum enim omnes res a Deo removemus, et Deum in obscuritate suæ infinitatis intelligimus. Cum igitur infinitum nomen sit negationis, nihil habet ponere, imo si attendatur vis vocabuli, secundum hoc quod Deus dicitur infinitus, non potest in Deo considerari generatio, vel emissio, vel processio, sed tantum omnium rerum a Deo remotio datur intelligi. Æternus autem nomen est theologicæ affirmationis, habetque aliquid ponere. Cum enim æternus sit, quod cum sit omnium terminus, nullus ejusdem est terminus; non coæternus complicat principium, simpliciter. Licet igitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sit idem æternum, et ita æternum substantiæ nomen sit, tamen quia Filius est principium de principio, æternum autem simpliciter complicat principium, attingit hoc nomen *æternus* personam Patris. Additur *infinitas*. Nam licet Pater et Filius et Spiritus sanctus sint idem infinitum, tamen cum Pater sit principium non de principio, Filius vero sit D principium de principio, et Spiritus sanctus sit de Patre et Filio; in Patre, inquam, est auctoritas. Ei enim soli convenit ab aliquo non esse, redundat infinitas. Sic igitur quoniam æternitas notat principium, infinitas vero sine principio, quæ duo simul conjuncta personam Patris exprimunt; sic, inquam, per hoc quod dixit, *In æterno infinitas*, personam Patris insinuavit. Bene ad distinguendam personam Filii, dixit *Species in imagine*. Est enim Filius similitudo Patris, usquequaque expressa. Bene etiam per hoc quod dixit, *Usus in munere*, personam Spiritus sancti insinuavit. Cum enim necesse sit personas ad se referri, ut Pater dicitur Filii Pater, et Filius Patris Filius, necessario, ut dicit beatus Augustinus, Spiritus sancti nomen attribui debuit, sub quo referretur ad Patrem et ad Filium, a quo similis procedit. Non enim poterat dici Spiritus Patris Spiritus, jam etenim essent duo Filii. Nec poterat dici Pater Spi-

* Forte legendum: *statuum discretionem attendit*. Edit.

Digitized by Google

ritus Pater, vel Filius Spiritus Filius, jam enim essent duo Patres. Datum est igitur hoc nomen *donum* Spiritui sancto, ut possimus dicere donum datoris donum et dator doni dator. Si igitur per hoc quod dixit *In munere*, personam insinuavit Spiritus sancti, bene autem addit *Usus*, per dona enim Spiritus sancti utimur Deo. Sic igitur distinguens personas, dixit Hilarius: « In æterno infinitas, species in imagine, usus in munere. » His itaque declaratis, antequam ad sequentia transeamus, cavendum est ab Ariana hæresi. Arius enim nefarie substantiæ divinæ veritatem detrahens, tres personas non esse homousion, sed homeusion constituit, id est, non esse unius substantiæ, sed consimilis. Homo enim *unum*, usia *substantia*; HOME *consimile* interpretatur; et ad hoc probandum his argumentis usus est: « Christus, inquit, verus Deus est, sed ante sæcula voluntate Patris factus et constitutus. » Et hoc conabatur probare isto argumento: « Pater genuit Filium. Aut igitur volens aut nolens; sed nolens non genuit, quia nemo eum cogere potuit. Igitur volens genuit. Ergo ante fuit voluntas Patris quam Filius; et ita, inquit, non sunt ejusdem substantiæ. Si enim ejusdem substantiæ, et ejusdem voluntatis; ergo si non ejusdem voluntatis, nec ejusdem substantiæ. » Huic argumento respondet Augustinus. « Quæritur, inquit, ab hæretico utrum Deus sit nolens aut volens, ut eadem culpa in eumdem redundet. Si enim volens, igitur non erit ejusdem substantiæ cum seipso, secundum illum; nolens autem non est Deus, quia nemo eum cogit. Ergo mentitur ille dicens Filium non ejusdem substantiæ cum Patre. » Item Augustinus contra Arium: « Non constat, inquit, quod hæreticus fecit, dum dicit Christum esse verum Deum. In lege enim quam ipse accipit, scriptum est: *Israel, Deus tuus, Deus unus est*. Sed aut hoc dictum est de Patre, aut de Filio, aut de Spiritu sancto, aut de duobus, aut de tribus. Si de Patre tantum, ergo Filius non est Deus, quod ipse concedit. Si de Filio tantum, ergo Pater non est Deus, quod ipse non negat. Si de Spiritu sancto tantum, ergo nec Pater est Deus, nec Filius, quod tamen ipse concedit. Si de Patre et de Filio tantum, Spiritus sanctus non est Deus, quod ipse affirmat. Ergo necesse est ut tres personas unum Deum concedat, cum legem teneat quæ dicit non esse nisi unum solum Deum, et ipsum esse verum Deum dicat. » Item Augustinus contra Arium, contra hoc, scilicet, quod dicit Christum factum ante tempora, et ita non esse coæternum Patri. « Quæratur, inquit, an ex nihilo sit factus, an ex aliquo. Si ex aliquo, igitur ex Patre, cum nihil esset nisi Pater. Ergo ejusdem naturæ est cum Patre. Sicut enim gignit res rem ejusdem naturæ, id est, homo hominem, leo leonem, bos bovem, sic Deus necessario Deum genuit, ejusdem prorsus naturæ. » Ecce quam recta fronte contradicit eis Augustinus qui dicunt aliam humanitatem esse Socratis, aliam Platonis, et uniuscujusque hominis esse humanitatem singularitate essentiæ, dum non inveniunt, eamdem sic exponunt, id est, consimilem. Non enim facit Augustinus contra Arium, sed sicut intelligeret, cum esset hæreticus, sententiam, Patrem et Filium esse homeusion, id est, consimilem substantiæ, quod idem in Deo est quod natura. « Sed si ex nihilo concedit esse factum, quæro, inquit Augustinus, per quem factus. Ipse enim dicit hunc Christum dicto præcepto et voluntate Patris tam invisibilia quam visibilia ex nullis exstantibus fecisse; ergo cum omnia per Filium esse facta dicat, et Filium factum concedat, necessario Filium per se factum dicet, qui non erat antequam factus esset. Item si ante tempus concedat Christum esse factum, ergo Christus æternus, cum nihil ante tempus nisi æternum. Si autem aliquod tempus dicat creatum ante sæcula in quo sit factus Christus, quod vero per quem sit creatum, cum nondum Christus esset, per quem omnia esse facta concedit? » Adhuc Arius vult probare hoc argumento Patrem esse alterius substan-

A tiæ quam Filium. *Pater*, inquit, *misit Filium, et Filius fuit missus, sed alius est missus, alius mittens. Ergo Pater et Filius non sunt ejusdem substantiæ.* « Falsum est, inquit Augustinus, quia homo mittit hominem, cum sit ejusdem naturæ mittens et missus; sed quia ibi potest fieri separatio, transferamus ad ignem. Ignis enim mittit splendorem, et est tamen eadem substantia splendoris et ignis, nec tamen attendenda est ad omnia similitudo. Splendor enim, qui est in pariete, si possit loqui, non veraciter dicit: *Ubi ego sum, et Pater meus est mecum.* » Et notandum quod cum dicit hominem mittentem et missum esse ejusdem naturæ, ut supra, similiter est contra eos qui dicunt aliam esse humanitatem Socratis, et aliam Platonis: non est sic intelligendum ab alia singularitate essentiæ, sed potius ab alia, id est, ab alterata, ut superius diligenter exposuimus. Item Incarnatio Filii ad hoc compulit Arium, maxime ut aliam diceret esse substantiam Patris, aliam Filii. Putavit

B enim hæreticus quod si una et simplex esset substantia trium personarum, quia constat Filium esse incarnatum non sine substantia divina, necesse esset substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti incarnari, et propter hoc substantiam, quæ Pater est, et sic tres personas esse incarnatas, deceptus fuit hæreticus. Aliter sentit fides catholica. Confitetur enim unam et indivisam esse substantiam trium personarum, et tamen Filium sic incarnatum, quod non Patrem vel Spiritum sanctum, cum tamen indivisæ sint personæ; et ubi Filius, ibi et Pater et Spiritus sanctus. Quod quomodo sit, sciri non potest, sed aliquantum per quamdam similitudinem potest dari subintelligi per tria pronomina, scilicet, *hoc*, et *id*, et *idem*. Cum enim dico *hoc*, demonstro de quo velim loqui simpliciter, sic, scilicet, quod non noto per *hoc* præcessisse locutionem cum aliquo; ut autem profero *id*, per *id* loquor de eadem substantia, qua et ante, sic tamen pendet locutio ex præceden-

C tibus. Cum enim *id* dicatur in respectu, semper trahit secum id ad quod refertur; dum autem postea profero *idem*, de eadem substantia noto fieri locutionem, sic quod æqualiter refertur *idem* ad *id*, et ad *hoc*. *Hoc* ergo exprimit personam Patris, quia sicut *hoc* non ostendit pendere locutionem ex præcedenti, cum faciat primam cognitionem, sic Pater a se ipso est, non ab alio. *Id* autem Filio convenit, quia sic de eadem substantia fit locutio per *id* de qua et per *hoc*, non tamen simpliciter. *Id* enim trahit *hoc*, cum ad ipsum referatur; sic Filius ejusdem substantiæ est cum Patre, et ad eum habet referri a quo et habet esse. *Idem* vero ad minus retinet proprietatem Spiritus sancti, quia sicut per *idem* ejusdem substantiæ prorsus fit locutio de qua per *id* et per *hoc*, tamen non simpliciter trahit *id* ad *hoc*, cum ad ea refertur æqualiter; sic Spiritus sanctus ejusdem prorsus substantiæ est, et eadem substantia cum Patre et Filio, nec habet esse a se, sed æqualiter procedit a Patre et Filio, et æqualiter refertur ad utrumque.

D Nunc igitur omnino enitentes investigemus, si fieri possit, qualicunque similitudine Verbi Incarnationem. Prolato igitur *hoc*, mens concipit *hoc*: sed nihil aliud nisi tantummodo *hoc*. Sed postea prolato *id*, mens concipit *id*, sed non sine *hoc*: *id* enim trahit *hoc* secum, cum ad illud refertur. Nec tamen concipit *hoc* et *hoc*, sic quod cum eadem substantia fit locutio per utrumque pronomen. Sic, si liceat minima maximis comparare, Virgo concepit Filium, sed non sine Patre, vel Spiritu sancto; nec tamen concepit Patrem, vel Spiritum sanctum, sed manente una et indivisibili substantia trium. Et nota quod cum dixi *Virgo concepit Filium, sed non sine Patre*, non retuli *sine* ad *concepit*. Sic enim concipit Filium, quod non Patrem vel Spiritum sanctum, sed potius retuli *sine* ad *Filium*, quia ab æterno in Patre, et Pater in ipso est. Item aliam constituit hæresim Arius. Dicit enim Filium tantummodo assumpsisse Spiritum, non animam. Et hoc putat Evangelistam sonuisse cum

Digitized by Google

dixit : *Verbum caro factum est*. Non enim dixit, factum est anima. Illudque ita exponit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, id est, divinitatem. Sed contra hoc Augustinus : « Quæro, inquit, quod exponat, quod idem Christus dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, et illud : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam*; et illud : *Non derelinques animam meam in inferno*. Quomodo enim divinitas potest contristari? Aut quomodo seipsum potuit Deus ponere? Aut quomodo in inferno derelinquere, nisi sicut est in omnibus per essentiam? Nullo modo. » Auctoritas autem illa evangelistæ intelligenda est sic. Patrem etenim pro toto posuit per synecdochen, id est, carnem pro homine. Mentitus est igitur Arius, qui Christum tantum carnem assumpsisse, et Christum non esse coæternum Deo Patri, nec ejusdem substantiæ cum Patre asseruit : et quia nefarie trium personarum simplicitatem essentiæ distraxit, idcirco dum ad Constantinum iret, volens more solito suam intimare hæresim, divertit ad consueta naturæ, ibique diruta sunt ejus viscera vitæ damnationem (*sic*). Constantinus quoque in hanc lapsus hæresim, vitam terminasse dicitur. Nunc vero, salva unitate divinæ substantiæ, ad inquisitiones, ubi posset latere venenum, nos transferamus? Quare ergo a persona ponat aliquid commune in tribus personis esse, quod unaquæque est persona? Ad hoc dicimus quod nihil ponit commune, hoc nomen persona, in tribus personis, eo quod datum est a personali distinctione, non a subjecta unione. Ex hoc enim quod dicitur persona, magis distinguitur a Filio, quum ostendatur habere aliquid commune cum Filio; sed hic ab altiori ordiendum est. Vocabulorum enim quæ de bono dicuntur, alia dicuntur secundum relationem, alia denotant relationem inter personas, alia Dei ad creaturas. Inter personas, ut Pater, Filius, donum, consilia; ad creaturas, ut Dominus, creator, principium. Ut autem ait Augustinus in libro de Trinitate, « non ante fuit Dominus quam ejus esset servus. » Itaque temporaliter cœpit esse Dominus, quum creatura in tempore facta cœpit ei subservire. Similiter cœpit Deus creator ex tempore esse, ex quo fecit creaturas. Non enim creavit (*sic*) eas, nec Creatori sunt coæternæ. Quod autem aliqua temporaliter dicantur de Deo, et sine murmuratione, ostendit Augustinus per similitudinem rei, quæ incipit esse pretium sine sui mutatione, in quarto de Trinitate. « Nummus, inquit, cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum cœperit esse pretium, neque cum dicitur pignus, et si qua similia. Si ergo nummus nulla sui mutatione potest relative dici, quanto facilius de incommutabili substantia Dei accipiendum est, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen substantiæ Dei aliquid accidisse dicatur, vel intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur. Quod autem incipit temporaliter dici, quod ante non dicebatur, manifestum est relative dici, non secundum accidens, quod ei aliquid acciderit, sed secundum accidens ejus ad quod dicitur. » Pater igitur ex tempore Deus est, Dominus et creator*, et tamen verum est; Dominus omnium est ab æterno, creator est ab æterno; sed non ab æterno Dominus vel creator. Non debet mirum videri, quod aliquid ei competere ex tempore dicitur. Namque assumpsisse carnem, ex tempore convenit Filio Dei, et etiam hoc nomen Christus, Christus tamen ab æterno. Sic igitur hæc nomina quæ ex tempore conveniunt Deo, ad creaturas pernotant relationem : quod dico generaliter, quod nomen denotans relationem ad creaturas per se prolatum non fecit personalem distinctionem, sed potius unitatem essentiæ designat. Unde non potest subintrare ipsum nomen pluralitas, sed in singulari numero dicitur de tribus personis, ut Pater et Filius et Spiritus sanctus : non tres domini, vel creatores, sed

A tres unus Dominus, unus creator, unum principium. Dicunt tamen quidam quod prædicta tria nomina modo relationem notant, modo substantiam. Quod autem Dominus nomen sit essentiæ, volunt habere ex illo loco *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*, et expositores : Nomen, *scilicet, essentiale*. Sic etiam quod principium sit nomen datum ex unione substantiæ, volunt habere, ex illo loco Joannis : *Principium qui et loquor vobis*. Ibi enim expositor dicit quod ipsum esse principium est idem quod ipsum esse : dicunt item quod creator dicitur actu, et creator natura. Creator actu habet esse ex tempore, et notat relationem ad creaturas. Creator natura, id est, habens potentiam creandi habet esse ab æterno, et sic est nomen substantiæ. Alioquin si res non essent, nec Spiritus sanctus esset principium. Pater quidem Filii et Spiritus sancti, Filius Spiritus, scilicet, ab æterno est principium, sed Spiritus sanctus nullius esset principium. Sed nota quod licet principium absolute positum designat relationem ad creaturas, B tamen ex adjuncto facit distinctionem personalem ut cum dico principium non de principio, personam Patris exprimo; dum principium de principio, personam Filii; dum principium de Patre et Filio, personam Spiritus sancti. Propter hoc ergo non valet illud argumentum : *Pater est principium non de principio, Filius est principium de primo; sed primum non de primo non est principium de primo. Igitur Pater et Filius non sunt idem principium, vel igitur sunt duo principia*. Primum enim quod ex adjuncto facit personalem distinctionem, prolatum, licet dicatur in respectu ad creaturas, tamen substantiæ unitatem declarat; per simile autem potest falsificari : *Pater est Deus non de Deo, Filius est Deus de Deo; sed Deus non de Deo non est Deus de Deo; igitur Pater et Filius non sunt idem Deus, vel ergo sunt duo dii*. Et hoc quoque eadem ratione falsum, qua et præmissum. Deus enim licet sit nomen substantiæ, tamen ex adjuncto, scilicet, non de Deo, personam Pa- C tris notat; cum, scilicet, de Deo, personam Filii. Sequitur, cum tres personæ sint unum principium, an sint principium sine principio. Et de Patre constat quod ipse est et principium non de principio. Quærendum est igitur an Filius et Spiritus sanctus sint principium sine principio. Et dico quoniam duplex est quæstio. Si enim hic sit sensus : Filius est principium sine principio, id est, ita est et principium, quod nunquam incœpit, verum est. Si ergo talis sit sensus, et, principium sine principio, id est, principium non de principio, est verum, non tunc esset Pater. Hoc idem dico de Spiritu sancto, de quo etiam quæritur an sit principium de principio. Sed hoc nec affirmamus nec negamus. Non affirmamus, ne videamur personas confundere; jam usus retransit prædictam, ut horum complurationem ad designandam Filii personam. Non negamus, ne videamur sonare Spiritum sanctum a nullo procedere, et maxime quia neutrum in auctoritate invenimus. Sic ergo habeatur de no- D minibus significantibus relationem ad creaturas. Nomina autem designantia relationem unius personæ ad aliam, semper faciunt personalem distinctionem, ut Pater, et hujusmodi. Nominum vero quæ dicuntur secundum substantiam, id est, secundum se, id est, non in respectu, alia sunt data ex substantiæ unione, alia ex distinctione personali. Ex identitate, ut Deus justus, omnipotens; et hoc non subintrat pluralitas. Ex distinctione, ut persona. Ex hoc enim quod Pater distinctus est quadam proprietate a Filio, et Filius a Patre, habet dici Pater et esse persona, et Filius alia persona. Quod autem Augustinus dicit : *Persona dicitur a se*, sic intelligendum est, id est non dicitur in respectu. Non ideo dicitur dici a se, quod sit datum ex identitate essentiæ. Sed dicit aliquis : Etsi nunquam Pater esset Pater, nec Filius esset Filius, quod tamen impossibile est, nec tamen minus

* Hoc membrum phrasi sensum hæreticum præseferre videtur. Forte legendum : *Pater igitur Deus, ex tempore Dominus est et creator*. Edit.

Digitized by Google

esset Pater persona, vel Filius, quod in naturalibus patet. Sicut Adam in paradiso nec pater erat, nec filius, nisi dicatur filius Dei creatione, et tamen tunc erat persona. Non videtur ergo hoc nomen *persona* ex aliqua distinctione Patri vel Filio convenire. Ad hoc dico quia licet nec pater nec filius esset Adam, habebat tamen esse persona ex distinctione. Inde namque dicitur persona, quasi *per se una* cum fit rationalis, cum distincta et discreta ab omni alia re. Sic ergo hoc nomen *persona* datum ex personali distinctione, et sonat hoc, scilicet, habens personalem distinctionem. Quidam tamen dicunt quod in singulari numero nomen est essentiæ, et ponit aliquid commune in tribus personis sicut Deus. Cum enim Pater est persona, et Filius est persona, non aliud dixi de Patre, aliud de Filio; sed si addatur *alia*, ut si dicatur : Pater est alia persona a Filio; vel de Spiritu sancto : Est tertia persona; vel in plurali dicatur : Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ; jam faciet pluralem distinctionem. Item, ut dicit Augustinus, « Hoc solum nomen est, quod cum secundum se dicatur, de singulis personis non singulariter accipitur in summa, sed pluraliter; et est inventum, ut dicit Augustinus, hoc nomen *persona*, ut cum quæreretur quid tres, vel quid tria, uno nomine respondeatur, scilicet, tres personæ. Præter prædicta est unum solum nomen, scilicet, trinitas, quod de nulla persona singillatim dicitur, sed similiter de omnibus nunc est substantiale, sed pluralitatem designat. » Et nota quod cum dixi hoc nomen Deus et consimilia ponere aliquid commune in tribus personis, abusus sum hoc nomine *commune*; non tamen sine auctoritate. Dicit enim Fulgentius adferre Diaconum quod plura sunt tribus personis communia, quædam vero propria. Communia, ut Deum esse sapientem, justum, pium : sed et ipse Fulgentius abusus est hoc nomine, quod est *commune*. Quod enim hoc nomen commune dicitur tribus personis, sic est intelligendum, id est, non est datum ex personali distinctione, sed ex substantiæ unitate. Aliter enim est falsum. Si enim attendatur propria vis vocabuli, nihil prorsus tribus personis commune est. Si enim aliquid commune est eis, aut igitur substantiale, aut accidentale, quod in Deo nullatenus considerari potest. Item si Deum esse tribus personis est commune, ergo illo participant, sed nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus Deus est participatione deitatis, imo tantum natura : nihil igitur tribus personis est commune, si vis vocabuli attendatur. At dicit aliquis : Nunquid Deus est a deitate Deus? Nunquid Deus est a bonitate bonus? Concedo. Ergo bonitas est aliquid, unde Deus est bonus, quod non est Deus : falsum est. Ab hoc loco emersit eorum hæresis qui negarunt bonitatem, sapientiam, deitatem esse Deum; ita quod illa ponatur ex parte, scilicet, nisi ita intelligatur : deitas est Deus, id est, ille quia est deitas, est Deus, ut semper redundent illa vocabula ex parte Patri; decepti sunt in hoc Ario consentientes, illud quod est in creaturis in creatore attendentes. Dum enim dicitur : Deus est bonus a bonitate, vel est homo ab humanitate, tunc apposito sub qua latet venenum, consignificat causam et participationem. Dum vero dicitur : Deus est a deitate, vel Deus bonus a bonitate, tunc propositio non significat causam, vel participationem, ut ipsi semiariani senserunt, imo significat essentiam. Et est talis sensus : Deus est Deus a deitate, id est, ita est Deus, quod est ipsa deitas. Sicut unitas est unitas una, et bonitas est bona; et sic per singula attendendum est, quæ hoc modo de Deo dicuntur. Omnes enim hæ constructiones : Deus est a deitate, et tres personæ sunt unius essentiæ, unius naturæ, et cæteræ hujusmodi, sunt intransitivæ, sicut in Rhemensi concilio sancitum est, ut hoc quæsivit archiepiscopus ab illo qui dux est illorum qui hujusmodi constructiones fortassis esse transitivas sentiebant; et quærendum est adhuc ab illa secta quid sibi velit cum dicit : Nihil quod sit Christi est adorandum; quia si velint dicere possessio, vel pars Christi, verum dicunt. Si autem velint dicere divinitas, quæ est natura Christi, non est adoranda, damnabile est. Tunc enim intransitiva est constructio, et est sensus : Natura trium personarum, id est, natura quæ est tres personæ, natura Filii, vel Christi natura, quæ est Filius, vel Christus. Item dicet aliquis : Pater, Filius, Spiritus sanctus, sunt una deitas, unus Deus; suntne idem? Quia si idem, ergo aut genere, aut specie, aut numero. Sicut enim quæcunque sunt differunt [F. differentia], genere, vel specie, vel numero habent differre; sic quæcunque sunt idem, genere, aut specie, aut numero, sunt idem. Ad hoc dicimus quod tres personæ non sunt idem genere, non specie, nihil enim eis est substantiale; non concedimus idem esse numero, ne incidamus in Sabellianam hæresim. Si enim idem sunt numero, necessario ille idem Deus qui est Pater est Filius, sicut ille idem qui est Tullius, est Cicero, et ita erit personarum confusio. Dicimus igitur illam dictionem essentiendi idem, esse datam in naturalibus, nunc esse transferendam ad divina; sic etiam dicimus tres personas non differre, si proprie differre accipiatur, non enim differunt genere vel specie, quoniam non participant contrariis qualitatibus. Iterum numero non differunt, si proprietas vocabuli attendatur, differre enim numero est in logica differre pluralitate accidentium, quæ in Deo nullatenus excogitari possunt. Nulla igitur differentia est in tribus personis, et hoc est quod dicit Boethius: « Cujus conjunctionis ratio est indifferentia. » Sed dicet aliquis : Alia est persona Patris a persona Filii, et alia persona Spiritus sancti; ergo tres personæ differunt. Falsum est : *alia* namque non est ibi nomen differentiæ, imo negationis. Et est talis sensus : Alia est persona Patris, alia persona Filii, et alia persona Spiritus sancti, id est, persona Patris non est persona Filii, vel Spiritus sancti; et ut omnino possimus nobis cavere locutionibus interrogantibus utrum tres personæ differant, sic distinguendum est, ut sit hic sensus : Differunt, id est, distinguuntur, vel distant, verum est; si vero sit sensus : Differunt, id est, contrariis qualitatibus participant, falsum est. Item si interroget quis, Distant numero, id est, pluralitate accidentium? (sic enim dicitur in logica), falsum est; si vero dicas : Distant numero, id est, numerositate, sic, scilicet, quod potest dici de Patre, Est una persona, de Filio quod sit alia, de Spiritu sancto quod sit tertia persona, verum est. Unus Deus igitur Pater et Filius et Spiritus sanctus; et Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus. Sed hic cavendum est. Dicent enim : « Pater est Deus, concedimus. Idem Deus est Filius : » hoc est distinguendum. Si enim hoc totum supponatur, Idem Deus, non est concedendum, ne incidamus in Sabellianam hæresim, *idem* enim ad Patrem refertur. Sicut enim cum dicimus : Homo currit, idem disputat, *idem* refertur ad hominem, ut de eo præcessit locutio, et est talis sensus : Idem homo currens disputat; sic cum dicitur, Pater est Deus, idem Deus est Filius necessario, si hoc totum supponatur, Idem Deus, *idem* refertur ad Deum, ut de eo præcessit locutio. Et est talis sensus : Deus Pater est Deus Filius, quod Sabelliani dicunt. Sic igitur distinguendum est : Pater est Deus, idem Deus est Filius; si hoc totum, scilicet, idem Deus supponatur, falsum est. Si vero *idem* non supponatur, sed prædicetur de Deo, et Filius de Deo, ut sit talis sensus : Pater est Deus, Deus est idem Filius, id est, Deus Filius est, idem Deus cum Patre, verum est. Aliter est falsum. Deus enim Pater non est idem Deus quod Filius, licet idem Deus cum Filio. Quod bene testatur illa glossula super Joannem, quæ dicit *cujus Dei*. Ac si diceret : Dei Patris, ac Dei Filii, ac Dei Spiritus sancti, et ut prorsus distinguantur tres personæ in eadem essentia : Ita dicendum est : Pater est Deus, alius idem Deus est Filius, [a] ut persona-

[a] Phrasis manca, quæ sic restitui deberet : *Ut per* ALIUS *person. propr. et per* IDEM, etc. EDIT.

Digitized by Google

lis proprietas per idem *Deus* essentiæ simplicitas insinuetur. Quæritur iterum utrum natura trium personarum sit adoranda, et utrum cum personæ sint ejusdem naturæ, liceat dicere : Tres personæ sunt una natura. Semiariani dicunt tres personas esse una natura, utentes ablativo, vel per unam naturam ; et ita dicunt Patrem non esse naturam, et Deum non esse naturam. Natura enim nomen est abstractionis, et sic in naturalibus tria sunt : scilicet, nomen personæ, quæ quodammodo habet subesse, et nomen unionis, et nomen naturæ, quæ quodammodo habet superesse, ut Socrates, homo, humanitas ; sic in Deo persona, Deus et natura. Et sicut nomen unionis, Pater, de nomine personæ ; nomen vero naturæ, non de nomine personæ. Dicimus enim : Socrates est homo, non tamen dicimus : Socrates est humanitas ; sic Deus de persona Pater, non tamen natura de persona, ut dicamus Pater est Deus, non tamen Pater est natura, vel Deus est natura, utentes nominativo. Sic etiam dicunt naturam divinam non esse adorandam, sed Deum esse adorandum, et personam. Sic igitur dicunt quod nihil Christi est adorandum, id est, nulla natura, nec divina, scilicet, nec humana ; et hoc volunt habere ex auctoritate beati Augustini, ubi dicit : « Natura non assumpsit naturam, sed persona. » Adorandum est igitur, inquiunt, qui assumpsit, scilicet, persona; non qui non assumpsit, id est, natura. Sed aut [*F.* utrum] tres personæ sint una natura necne, hoc explicabimus prius, ostendendo an sit concedendum : Natura est adoranda. Dicimus igitur quod natura nomen est abstractionis, quod licet translatum ad Deum nullam significet abstractionem, tamen semper hoc nomen, natura, prolatum, abstractionem dat intelligere ex prima inventione, sed abstractio naturæ tribus personis nulla est. Igitur simplici quærenti, Est natura divina adoranda? dicam ita : Et qui negat, hæreticus est, eo quod hoc nomen, natura, ad Deum translatum non significet abstractionem. Sapienti vero hoc idem quærenti, postquam perventum est ad collocutionem, dico, ut sola distinctionis proprietas negetur : Non est adoranda, eo quod semper dat intelligere abstractionem hoc nomen *natura;* ut vero sensus et rei veritas attendatur, affirmo esse adorandam. Sicut enim de eo qui aquam biberit negamus quod biberit substantiam, non rei veritatem negantes, sed ita dictionis proprietatem, sic sapienti quærenti [an] natura divina sit adoranda, ut sola dictionis proprietas, non rei veritas negetur, dicimus Non ; ut sola rei veritas, non dictionis proprietas affirmetur, dicimus Ita. Et quare hoc? Ut, scilicet, observetur dictionis proprietas, nec fiat naturæ a tribus personis abstractio. Duo enim in disputatione attenduntur, scilicet, et dictionis proprietas, et rei veritas. Ad hoc autem ut subsit veritas locutioni, tria sunt necessaria : scilicet, res et locutio, et opinio. Et si locutio et opinio adfuerint, veritas inest locutioni, etiam si tertium desit, scilicet, res. Etsi enim non ita sit in re ut dicitur, tamen si opinetur proferens utrum dicitur, non mentitur, sed est verax. Mentiri enim est contra conscientiam loqui. Quare si desit opinio, et alia duo adfuerint, scilicet, res et locutio, tamen mentitur proferens dicendo; namque, etc. Vera propositione mentitur aliquis quandoque, quia contra conscientiam loquitur, sic extra falsam propositionem proferendo non mentitur, cum sic sentiat esse ut affirmat. Dum enim Judæus dicebat de Christo : *Tu es Rex Judæorum*, licet verum diceret, tamen mentiebatur, eo quod aberat opinio; nec tamen mendacium dicebat, quia ad hoc esset necesse ut falsum diceret, cum mendacium sit falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. Quare omnis qui dicit mendacium mentitur, sed non omnis qui mentitur dicit mendacium, sicut patet in præmisso exemplo. Sicut ergo cum Judæus dicit Christo : *Tu es Rex Judæorum*, adest quidem dictionis proprietas, et verum est quod dicit, deest tamen intentionis veritas, sic extra cum

A dicitur, Natura est adoranda, abest distinctionis proprietas, et tamen subest rei veritas et intentionis. Attendens igitur Augustinus dictionis proprietatem solam, et non rei veritatem, dixit : « Natura non assumpsit naturam, » non negans veritatem rei, sed dictionis proprietatem, licet aliæ causæ inveniantur quare dixit, scilicet propter quosdam hæreticos, qui dicebant naturam naturæ immistam. Verumtamen nec vidi nec inveni aliquem qui auderet profiteri se vidisse præmissam auctoritatem in Augustino. Nota quod cum dicitur : Deus est nomen naturæ, et non personæ, isti genitivi non consignificant possessorem, sed creaturam. Non enim negatur quin similiter nominat hoc nomen, Deus personam, sicut naturam; imo causalis est sensus, Deus est nomen datum ex substantiæ unione, non autem ex personali distinctione. Expedito utrum sit concedendum : Natura est adoranda, restat inquirendum utrum cum tres personæ sint ejusdem naturæ, sit concedendum quod tres per-
B sonæ sint una natura, sicut conceditur per genitivum, ita sit concedendum per nominativum. Sed satis declarat hoc Augustinus in libro de Trinitate : « Tres personas, inquit, ejusdem essentiæ dicimus, vel tres personas eamdem essentiam dicimus; non autem ex eadem essentia, quasi aliud sit natura, aliud persona. » Ecce quomodo Augustinus ne hoc quod tres personæ dicuntur esse ejusdem substantiæ, videretur excludere, quod dicerentur eadem substantia, adjunxit : « Vel tres personas eamdem essentiam dicimus. » Juxta Augustinum igitur dicimus quod tres personæ sunt ejusdem naturæ, et quod tres personæ sunt una natura, utentes nominativo. Hoc etiam contradicenti probamus hoc modo : Tres personæ sunt ejusdem naturæ, et non participatione; igitur tres personæ sunt una natura. Et tamen non dicitur : Tres personæ sunt ejusdem naturæ. Observatur dictionis proprietas, eo, scilicet, quia nomina, natura et persona, translativa sunt ab istis rebus ad Deum. In istis rebus autem quia natura nomen est abstractionis, et
C habet superesse, persona vero subesse, ideo autem dicimus alicujus esse naturæ, non tamen aliqua natura. Dum igitur dicimus tres personas esse ejusdem naturæ, et observatur dictionis proprietas, et rei veritas; dum vero tres personas eamdem dicimus naturam, quia natura nomen est abstractionis, licet in Deo nulla sit abstractio, non observamus dictionis proprietatem, sed rei veritatem. Et nota non esse concedendum Patrem et Filium de eadem essentia, scilicet, ejusdem essentiæ; Filius enim est de essentia Patris, Pater vero de nulla. Jam enim esset genitus vel procedens. Quæritur iterum utrum cum Pater sit natura, et Filius ejusdem naturæ, et Spiritus sanctus sit eadem natura, et e converso, utrum, inquam, sit concedendum : Natura genuit naturam, vel natura personam, vel persona naturam. Ad hoc dico quoniam nullum istorum affirmo vel nego, quia errorem possent hæc verba inducere. Jam enim videretur quod iidem genuerunt se. Utrumque enim esset natura no-
D men essentiæ; quare enim esset magis nomen personæ cum dicitur, Natura genuit, quam cum dicitur, Natura est Pater. Sed nullus catholicus negat quin de eodem loquar cum dico : Divinitas est Pater, Divinitas est Filius; de nullo autem hoc verum est, nisi de divina essentia. Quare non posset falsificari illud argumentum etiam : Deus genuit Deum, hic enim Deus personam notat. Non nego, ne videar diversificare naturam in tribus personis sonare, scilicet, quod alia sit natura Filii, alia natura Patris. Sed cum dico Divinitas est Pater, per hoc nomen loquor de divina natura. Sed etiam, cum dico Divinitas est Filius; cum divinæ naturæ ergo attribuam esse Patrem et esse Filium, quare eidem non attribuam habere Filium vel Patrem, aut etiam genitum esse, aut genituram esse? Videtur namque idem esse habere filium, et esse habere patrem, sed forsitan non prorsus idem. Licet sit verum : Quisquis est pater habet filium, vel genuit, non tamen quidquid, ut, scilicet, per neutrum

Digitized by Google

fiat comprehensio. Universitati namque personæ convenit gignere, non naturæ, tamen non assertive protuli, sed sub quæstione, sub conditione tamen omnia prædicta concederem. Ille namque qui est natura persona genuit illum qui est vel natura vel persona. Item quæritur quomodo tres personæ dicuntur unus Deus an, scilicet, unus ab unione, an unus ab unitate. Sic namque dicitur unus in logica. Ad hoc dicimus quod non unus ab unione, sicut species vel genus dicitur; non enim Deus unit plura, quæ eo participant substantialiter, vel accidentaliter; non enim tres personæ sunt unus Deus participatione; sed quomodo unus? Nunquid singularitate? ut sit unus Deus, id est singularis. Absit, hoc enim tenet Sabelliana hæresis. Si enim est singularis Deus, jam una persona est tantum Deus. Contra quod ait Augustinus in libro Quæstionum veteris et novæ legis: *Non est*, inquit, *singularis Deus, sed unus Deus*. Quomodo igitur unus? Identitate essentiæ vel substantiæ. Item quærenti: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus solus Deus? ita est distinguendum: Si *solus* removeat distinctionem personarum, ut hoc totum, scilicet, Unus solus Deus, id est, sunt Deus Pater, et non Deus Filius, vel Deus Filius, et non Deus Spiritus sanctus; vel sunt Deus Filius, vel sunt Deus Spiritus sanctus, falsum est, hoc namque sentit Sabelliana hæresis. Si autem *solus* removeat pluralitatem deorum, ut Deus prædicetur de tribus personis, *unus* vero et *solus* prædicentur de Deo, et sit talis sensus: Pater et Filius, et Spiritus sanctus sunt unus solus Deus, id est, sunt Deus, et ita quod non plures dii, sed unus solus, verum est. Item si dicatur ita, e converso: Unus solus Pater est Deus, est Filius, est Spiritus sanctus, falsum est, nisi Deus tantum subjiciatur. *Unus* vero et *solus* de Deo prædicentur, sicut superius diximus, Deus Pater est Deus, idem Deus est Filius: aliter falsum est. Si enim hoc totum, scilicet, Unus solus Deus, subjiciatur, falsum est. Hic enim sensus: Deus Pater est Pater et Filius et Spiritus sanctus; vel, Deus Filius est Pater et Filius et Spiritus sanctus; vel, Deus Spiritus sanctus est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ad majorem ergo distinctionem sic dicendum est: Non unus solus Deus (ut hoc totum supponatur) est Pater et Filius et Spiritus sanctus, non tres dii sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, sed tres unus solus Deus, sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut sit personarum distinctio, per unum solum Deum essentiæ simplicitas observetur. Item dicenti: Unus est Deus, qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus: distinguendum est ita: Si *qui* faciat personalem relationem, falsum est; si vero ad substantiæ simplicitatem referatur, verum est. Sed nunc prodeamus: Illa persona quæ est Filius, facta est homo; sed esse hominem est esse aliquid; ergo illa persona quæ est Filius, est facta aliquid quod non est ab æterno. Ergo illa persona facta est, et aliquid quod est persona, aut quod non est persona, falsum est. Sed hic dicendum est quot modis aliquid dicatur fieri. Quinque namque modis dicitur aliquid fieri: aut transformatione substantiæ fit aliquid, aut transsumptione, aut partium conjunctione, aut participatione; sed multipliciter, aut unione, et hoc multipliciter. Transformatione substantiæ duobus modis: vel mutatione materiæ, vel mutatione substantialis formæ. Mutatione substantialis formæ, ut aqua fit lapis, et uxor Lot facta est statua: hæc enim statua facta est substantialis formæ mutatio, ut ipsius substantiæ. Manet enim prorsus idem corpus, mutata est namque hic species, non genus; sed per transmutationem fit substantiæ aliquid, ut panis fit corpus Christi, transit namque substantia panis in corpus Christi, non forma, sed potius hæc subsistunt in aere vel sine substantia. Si enim hic contingat quod alibi est impossibile, non est mirum, cum etiam ipsum corpus Christi ineffabili modo conceptum sit, et tota incarnatio mirabili modo processerit. Dicunt tamen quidam quod nihil transit in corpus Christi, sub qui-

A bus accidentibus ante erat substantia panis, sub eisdem post consecrationem est corpus Christi; et sic exponunt illam auctoritatem: *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas, in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat, id est, sub eisdem accidentibus esse facit*. Cum quæritur autem ab eis quo deveniat substantia panis, quæ ante sub illis accidentibus fuerat, dicunt illam relabi in primordiali materia, vel perire ex toto. Non enim habet pro inconvenienti, si creatura pereat transfusione, sicut fit aqua mistum per transfusionem, scilicet, vini et aquæ. Partium conjunctione, ut corpus fit ex membris, et domus ex pariete et tecto et fundamento. Participatione, aut informatione, aut inhabitatione, aut alio tertio modo. Informatione, aut substantiali aut accidentali. Substantiali, ut materia informatione humanitatis fit homo; accidentali, ut Socrates informatione albedinis fit albus. Inhabitatione, ut homo justus fit Deus. Non enim est natura, sed participatione. B Quomodo? Non substantiali, vel accidentali, sed inhabitatione, id est, quia Deus inhabitat ipsum. Item tertio modo fit aliquid secundum participationem, ut infidelis per susceptionem baptismi fit Christianus, non quod sit, sed quia participat sacramento; et idcirco dicitur iste modus sacramentaneus unione aut spirituali, aut personali. Spirituali, sicut multitudinis credentium factum est cor unum et anima una, eo scilicet, quod spiritualiter uniti sunt in uno fervore charitatis. Personali unione, ut Filius Patris factus est homo. Nullus enim prædictorum modorum ei convenit. Non enim transformatione substantiæ factus est, quia non desiit esse Deus, cum factus est homo, nec habebat esse ab aliqua substantiali forma quæ transmutaretur. Nec transfusione, non enim natura divina immista est humanæ, quod sentit Eutychiana hæresis. Dicit enim Christum ex duabus naturis consistere, sed non in duabus, altera enim prædicat immistam alteri; nec partium conjunctione, quia Christus non constat ex partibus integralibus; C nec participatione, quia humanitas non est Christo substantialis vel accidentalis. Etsi enim forsan concederem quod homini illi esset humanitas substantialis, sicut et mihi, quia verus homo fuit, sicut et ego sum, non tamen concederem ideo aliquid esse substantiale Christo, quia Christus nomen est personæ, cui nihil substantiale vel accidentale, sicut verum est corpus vel animam esse partes illius hominis, non tamen esse partes Christi. Unde Augustinus: « Absit ut in Christo partes esse dicamus. » Nec tamen dico distinguens inter hominem et Deum, ac si essent diversæ regulæ. Nam unus et idem est Deus et homo, et homo et Deus una persona est; sed sic diverso modo loquuntur sancti de Christo, secundum diversas in ipso naturas. Unde Augustinus in libro de Trinitate dicit: « Christus in quantum homo, minor est se ipso; in quantum Deus, major est se ipso. » Et super illum locum: *Propter quod dedit ei nomen quod est super omne nomen*, etc., dicunt: Au- D gustinus etiam alter dicit: « Deo dedit, non homini; » alter vero dicit: « Homini dedit, non Deo. » Quid singula persequor? Nullus enim modus ei aptari potest nisi personalis unio, quæ usque ad tempus Christi fuit inaudita. Non majus miraculum fuit auditum unquam, quam quod tertia persona humanitatem, scilicet, assumpsit uniendo in eadem persona, nec satis est compositum, factus est homo, id est, humanatus; anima enim dicitur incorporata, nec tamen est corpus, vel corporea, non ita verum est de Christo, quod sit humanatus, et non sit homo, idcirco ita exponendum est: Persona facta homo, et Deus et homo est, id est, et humanata ita quod illa persona est Deus et homo Deus, et Deus et homo est illa persona. Sic igitur dicimus, quod non sequitur: Deus factus est homo, ergo factus est aliquid. Non enim idcirco est factus aliquid, sed assumpsit humanitatem sibi unione personali uniendo. Vel sane possumus concedere quod sit factus homo aliquid, juxta Au-

Digitized by Google

gustinum, qui dicit : « Aliud ex Patre, aliud ex matre, sed non alius. » Si aliud est ex matre, ergo aliquid est matre, et illud non est ab æterno; ergo est factus aliquid quod non est ab æterno. Nec inde sequitur : Ergo est factus aliquid, quod est persona facta esset persona, nec aliquid quod non sit persona, jam enim essent duo, quod est falsum ; sed est factus aliquid, id est, homo, et ipse est persona. Item Christus est Deus, et non solum Deus illud quod quia homo. Ergo est Deus et aliud persona Deus, falsum est, qui illud propter quod dicitur non solum Deus esse, sed homo et Deus. Vel possumus ita distinguere : Est aliud, id est, persona homo, et esse hominem non est esse Deum, verum est; et aliud, id est, aliquid ejus quod non est Deus, falsum est. Sed instabit aliquis hoc modo : Christus est aliud quam Deus, Christus est duo ; falsum est, quia cum esse hominem est assumpsisse humanitatem personali unione, et hoc non est esse duo. Item quæritur : Cum illa persona quæ facta est homo sit divina natura, utrum, inquam, concedendum est : Facta est homo. Ad hoc dicimus quod cum natura sit nomen abstractionis, licet nullam faciat in Deo, si ita dicatur : Natura facta est homo, videbitur versibilitas unius naturæ in aliam denotari, quod falsum est, et propter hoc quod deest dictionis proprietas, non est absolute concedendum; veritas tamen quæ subest locutioni non est neganda, cum dicat Leo papa : « Assumpta est a majestate humilitas, ab æternitate infirmitas, a virtute immortalitas, et natura inviolabilis unita est naturæ passibili. » De eodem Gregorius : « Venit ad nos calceata divinitas. » Item quæritur utrum tres personæ sint Deus simplex. Ad quod dicimus quod si *simplex* ponatur contra pluralitatem deorum, ut accipiatur pro simplicitate essentiæ, verum est ; si vero pro singularitate, falsum est. Tunc enim dicent quod tres personæ essent, Pater vel Filius, vel Spiritus sanctus. Item quæritur, quare dicatur : Pater genuit Filium, Filius genitus est a Patre, et Spiritu procedente, et utrum possit dici : Pater gignit vel gignet Filium, vel Spiritus procedet. Ad hoc dicimus quod nullum verbum ad loquendum de Deo translatum tempus consignificat. Non enim dicitur, Pater genuit Filium, eo quod *genuit* consignificat præteritionem, sed quia consignificat perfectionem ; ut, scilicet, denotet perfectionem generationis Filii a Patre. Elegit ergo Ecclesia sancta dicere : Pater *genuit* Filium, ut [per] perfectum præteritum denotetur perfectio generationis; non autem *gignit*, vel *gignet*, ne per præsens vel futurum generationis insinuetur imperfectio. Unde Gregorius super Job : « Dominus Jesus Christus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est, vel potius quia non cœpit nasci, nec desinit, dicamus verius, semper natus. » Non autem possumus dicere : Semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus designari valeat et perfectus, et *semper* dicamus, et *natus*, quatenus et *natus* ad perfectionem pertinet, et *semper* ad æternitatem, quamvis hoc ipsum quod perfectum dicimus multum ab illius veritatis expressione dividimus, quia quod factum non est non potest dici perfectum, et tamen infirmitatis nostræ verbis dicimus condescendentes : *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* In psalmo quoque dicitur : *Ego hodie genui te. Hodie* dixit, quia non præterit illa generatio : *genui*, quia initio caret. De Spiritu sancto autem elegit Ecclesia dicere *procedens*, utens, scilicet, præsenti, eo, scilicet, quod quotidie dat nobis illum Deus. Sed hic quæritur utrum cum Filius dixit : *Ego a Patre processi*, sint Filius et Spiritus sanctus unum procedens aut duo procedentes. Ad hoc dicimus quoniam si *unum* referatur ad substantiam, vel prædicetur *procedens* de eo, verum est; si autem *unum* ad personam referatur, vel conjungatur ei *procedens*, ut sit sensus : Filius et Spiritus sanctus sunt unum procedens, id est, sunt Filius procedens, vel Spiritus sanctus proce-

A dens, falsum est. Similiter si *duo* referatur ad substantiam, falsum est ; si ad personam, verum est. Et nota quod et Filius procedat a Patre et Spiritus sanctus. Hæc tamen est differentia, quia Filius procedit ut natus, Spiritus sanctus ut datus. His declaratis, quoniam de divina substantia sæpissime fecimus mentionem, videndum est, cum pluribus modis accipiatur substantia, quomodo in Deo accipiatur. Concedunt enim Græci Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres hypostases, vel prosopa, et ejusdem usiosis, et ejusdem usiæ. Sed prius videamus quot modis accipiatur hoc nomen *substantia*. In naturarum libro dicitur enim substantia, tum a sustando, tum a subsistendo, tum ab utroque. Ubi dicitur a substando, sic a Græcis dicitur hypostasis, a nobis vero substantia proprie, et in hac acceptione convenit materiæ, quæ habet substare. Ὑπὸ enim *sub* interpretatur, inde hypostasis substans usia a subsistendo dicitur. Sic vocatur a Græcis usiosis, a nobis

B vero proprie subsistentia ; et sic convenit formæ qua est vere subsistentia, eo quod se subsistit fluxum materiæ. Ea quæ determinat, ut ab utroque dicitur, id est, a substando, vel a subsistendo, ita dicitur a Græcis usia, ab aliis vero essentia, et in hac acceptione convenit composito ex utroque, id est, ex materia et forma, vel retinenti proprietatem compositi ex utroque; et quia compositum constat essentia et subsistentia, ideo dicitur substans et subsistens, non a substantia vel subsistentia. Substans dicitur, quia retinet proprietatem materiæ, a qua habet essentiendi perfectionem, est enim quoddam distinctum vel discretum. Anima autem dicitur substantia, non quod sit materia, vel forma, vel compositum ab utroque, sed quia retinet proprietatem compositi ex utroque. Substat enim accidentibus, ut vitiis et virtutibus, et est subsistens, vel quoddam distinctum et determinatum, et hoc bene distinguit Boethius in libro qui est de duabus Naturis et una persona Christi. Hoc etiam tetigit in com. super cath. R. dicens :

C « Cum significat tres substantias materia, forma, et compositum : hic agit de composito, » etc. In Deo autem utuntur Græci prædictis vocabulis. Dicunt tres personas esse ejusdem usiæ, ejusdem usiosis, sed tres hypostases, tres personas. Usia tamen non dicunt simpliciter, sed hyperusia, scilicet, supersubstantia, ut idem Boethius docet in sequentibus. Cum igitur hæc distinctio fiat in his omnibus apud Græcos, assignanda est ratio unde id proveniat. Unius ergo usiæ vel una usia dicuntur a Græcis tres personæ, eo scilicet, ut dicit Boethius alibi, quia sunt, hoc enim usia translatum est ab his rebus ad Deum. In his autem rebus dicitur usia essentia. Illud enim quod constat ex materia et forma, et hoc est quod est, hujus retinet proprietatem, tantum habet esse his rebus, materia enim vel forma per se non dicuntur esse, secundum Augustinum. Hoc igitur modo translatum est ad Deum, qui vere est, et tamen secundum theologiam negationis possumus dicere :

D Deus non est, scilicet, non participat æternitate. Sed secundum theologiam affirmationis dicimus : Deus est, id est, ipsa entitas. Sed quia usia in rebus ponit susceptibile contrariorum, eo quod significat compositum ex utroque, ideo ne translatum ad Deum idem ponat, dicunt Græci hyperusiam, id est, supersubstantiam. Non tamen negamus Deum esse usiam. Quoniam ergo tribus personis unum est esse, ideo et ipsæ unius usiæ esse dicuntur, cum hoc nomen usia eis conveniat, eo, scilicet, quod sunt. Unius autem usiosis dicuntur esse tres personæ, eo, scilicet, ut idem Boethius dicit alibi, quia nullo indigent ad hoc ut sint, et hæc est quodammodo translationis proprietas observata. In his enim tribus usiosis dicitur forma quæ materiam ducit ad esse, non tamen indiget aliquo, ad hoc ut ipsa sit, secundum Platonem. Sic igitur dicitur una usiosis trium personarum, quia Deus simplex forma est, dicunt, omnium rerum omnibus conferens esse, nullo tamen indigens ac

Digitized by Google

suum esse, et quia in his rebus hypostasis proprie dicitur substans. Ut autem substant quæque res accidentibus, ita distinguuntur; ideo translatum ad Deum personalem innuit distinctionem, non tamen aliquam accidentium susceptionem. Ideoque dicuntur tres hypostases id est, tres personæ. Prosopa enim sumptum est ab histrionibus. prosopa enim et prosopopœia ejusdem naturæ sunt vocabula. Prosopopœia namque dicitur transformatio. Inde prosopa dicebantur tres personæ, personas repræsentabant histriones, qui se transformabant, tum in puerum. tum in juvenem, tum in senem, et secundum uniuscujusque ætatem diversam vocem proferebant, ad quantitatem foraminum larvarum. Sic igitur dicuntur prosopa, id est, tres personæ. Sed nunc paulisper considerandum est quid sit persona, utrum, scilicet, illa discretio, quam dedit Boethius, possit convenire tribus personis, quæ est hujusmodi: *Rationalis naturæ individua substantia.* Quidam enim obintelligentes Boethium, dixerunt hanc non esse datam catholice, hoc modo personantes: *Si persona est individua substantia rationalis naturæ, ergo tres personæ sunt individuæ substantiæ, quod falsum est. Una enim et individua substantia trium personarum est.* Contra eos dicimus hanc definitionem non esse datam, secundum hoc quod substantia dicitur usia vel usiosis, imo secundum hoc quod substantia dicitur hypostasis. Secundum quam acceptionem etiam bene posset dici tres personas tres substantias esse, nisi sancta Ecclesia hunc modum loquendi refutaret, uti dicit Boethius in libro de duabus Naturis et una persona, *ne, scilicet, videretur essentiæ divinæ fieri distractio.* Ut igitur usui loquendi satisfaciamus, ita sane possumus personam describere: Persona est individua hypostasis rationalis naturæ. Sed nonne hypostasis idem sonat quod persona? Imo cum dicitur: Persona est rationalis naturæ individua hypostasis, idem est ac si diceretur: Persona est rationalis naturæ individua persona. Sed sic idem per idem describitur. Dico igitur quod substantia habet determinationem, scilicet, rationalis naturæ individua, restringitur circa personam, et ita cum substantia pluribus modis accipiatur, cum hac determinatione sonat quantum hypostasis; et ita hypostasis non est apponendum cum prædicas, ad hoc ut descriptionem personæ perficiat. Sed sufficit descriptio Boethii secundum quod illam exposuimus, ut, scilicet, hoc nomen *substantia*, per illa quæ illi in descriptione omnium generum restringatur circa hypostasim, non tamen potest dici descriptio illa de tribus personis, prohibente usu Ecclesiæ, qui jam contraxit hoc nomen *substantiam*. Quidam tamen dicunt hanc descriptionem datam esse de naturalibus. Et nota hanc personam, vel illam, non esse partes Dei. Exstirpanda est enim hæresis vetularum, quæ jurant per tres partes Dei, imo, ut dicit Augustinus, non est minus quod una persona, quam duæ, vel duæ quam tres, nec minus quid tres quam duæ, vel duæ quam una. Sed forsitan dum vetulæ jurant per tres partes Dei, volunt dicere hoc de corpore Christi, alioquin hæresim sonat juramentum. Item quæreret aliquis: Suntne tres personæ coæternæ? Estne Patri Filius coæqualis? Item: Estne Pater coæternus Filio? Hoc non affirmo, non nego. Non affirmo, ne videar ponere auctoritatem in Filio, vel in Spiritu sancto. Item negare non audeo, ne videar dicere Patrem non esse ejusdem æternitatis cum Filio, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus æternus. Si autem inveniatur in aliqua auctoritate tribus æternis, exponendum est, non promulgandum, quia hic usus hodie abolevit. Sic igitur expone: Sunt tres, quorum unus quisque est æternus, et tres unus æternus inveniuntur.

## NUM. XXVI

### *CUCULUS SIVE VERIS ET HIEMIS CONFLICTUS.*

(Gilles, tom. II.)

VER, HIEMS, PALÆMON.

Conveniunt subito cuncti de montibus altis
A Pastores pecudum vernali luce sub umbra
Arborea, pariter lætas celebrare Camœnas.
Adfuit et juvenis Daphnis, seniorque Palæmon.
Omnes hi cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque florigero succinctus stemmate venit;
Frigida venit Hiems rigidis hirsuta capillis,
His certamen erat cuculi de carmine grande,
Ver prior adlusit ternos modulamine versus:

VER.

Opto meus veniat cuculus, charissimus ales.
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,
In tectis, modulans rutilo bona carmina rostro.
Tum glacialis hiems respondit voce severa.

HIEMS.

Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris;
Iste famen [*Al.*, famem] secum semper portare suescit.

VER.

B Opto meus veniat cuculus cum germine læto,
Frigora depellat, Phœbo comes almus in ævum;
Phœbus amat cuculum crescentem luce serena.

HIEMS.

Non veniat cuculus, generat quia forte labores,
Prælia congeminat, requiem disjungit amatam,
Omnia disturbat, pelagi terræque laborant.

VER.

Quid tu, tarda hiems, cuculo convicia cantas?
Qui torpore gravis, tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.

HIEMS.

Sunt mihi divitiæ, sunt et convivia læta,
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde.
Hæc cuculus rescit [*Al.*, nescit]; sed perfidus ille laborat.

VER.

C Ore refert flores cuculus, et mella ministrat,
Ædificatque domus, placidas et navigat undas,
Et generat soboles, lætos et vestiet agros.

HIEMS.

Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur.
Sed placet optatas gazas numerare per arcas,
Et gaudere cibis simul et requiescere semper.

VER.

Quis tibi, tarda hiems, semper dormire parata,
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas,
Si Ver vel Æstas ante tibi nulla laborat?

HIEMS.

Vera refers: illi, quoniam mihi multa laborant,
Sunt etiam servi nostra ditione subacti,
Jam mihi servantes domino, quæcunque laborant.

VER.

D Non illis dominus, sed pauper inopsque supe bis [*Al.*, superbus],
Nec te jam poteris per te tu pascere tantum,
Ni tibi, qui veniet, cuculus alimonica [*Al.*, alimonia] præstet.
Tum respondit ovans sublimi e sede Palæmon,
Et Daphnis pariter, pastorum et turba piorum.

PALÆMON.

Desine plura, Hiems, rerum tu prodigus, atrox:
Et veniat cuculus pastorum dulcis amicus.
Collibus in nostris erumpant germina læta,
Pascua sint pecori, requies et dulcis in arvis,
Et virides rami præstent umbracula fessis;
Uberibus plenis veniantque ad mulctra capellæ,
Et volucres varia Phœbum sub voce salutent.
Quapropter citius cuculus nunc ecce venito,
Tu jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes,
Omnia te expectant, pelagus tellusque polusque:
Salve, dulce decus, cuculus, per sæcula salve.

Digitized by Google

# PAULUS WINFRIDUS
## DIACONUS
# WARNEFRIDI FILIUS.

## NOTITIA HISTORICA.

(Ex Fabricio, Biblioth. Med. et inf. Latinitatis.)

Paulus Winfridus, Warnefridi filius, Forojuliensis A sive Aquileiensis patriarchii diaconus, Desiderii, ultimi Langobardorum, regis notarius sive cancellarius, et post eum a Carolo M. an. 774 captum, captivus et ipse, inde ob fidem atque amorem constantem erga Desiderium invisus et exsul, mox monachus Casinensis et propter ingenium atque doctrinam Carolo M. etiam dilectus et honoratus, ut carmina Caroli ad Paulum servata a Leone Ostiense lib. I Chronici Casinensis, cap. 15, satis superque testantur. De hoc Paulo præter Leonem consulendus Petrus Diaconus libro de Viris illustribus Casinensibus cap. 8, eruditis Joan. Baptistæ Mari notis illustratus, atque e recentioribus Dan. Guil. Mollerus diss. de Paulo Diacono, Altdorf 1686 in-4. Joan. Hubnerus noster centuria secunda Bibl. historicæ Hamb. pag. 63 seq., ut tanquam notiores Vossium, Labbeum, tom. II, p. 170 et 778 seq., Caveum aliosque prætercam. Scripta Pauli sunt: *Epitome librorum* XX. Verrii Flacci, (*a*) nobilis veteris grammatici *de verborum significatione*, *a Sexto* B *Pompeio Festo* jam in breviorem formam redactorum. Hanc epitomen Carolo M. dicavit præmissa epistola, cujus hæc est inscriptio: *Largitatis munere, sapientia potentiaque præfulgido Domino regi Carolo, regum sublimissimo*, *Paulus ultimus servulus.* De editionibus hujus epitomes reliquiarumque Festi et Verrii, non repetere est animus quæ dixi lib. IV Bibl. Latinæ cap. 6. Anonymus Mellicensis de S. E., cap. 67: « Paulus vir doctus scribit inter alia librum utilissimum, qui inscribitur De significatione verborum. »

Magnam quoque sui partem (*b*) Historia Miscella huic Paulo debet. Nam priores undecim libri sunt iidem ac decem libri Eutropii, nisi quod aliqua subinde de suo Paulus addat: Eutropium exinde continuat Paulus, cujus sunt libri (*c*) quinque sequentes, a tempore Juliani Apostatæ usque ad tempora primi Justiniani. Cæteri, nempe decimus septimus et qui consequuntur, a Landulpho Sagace additi sunt, potissimum ex Theophane, sive ex Anastasio Bibliothecario, qui Theophanem ex Græco Latine vertit. De Historiæ Miscellæ editionibus, quæ ex Canisii recensione etiam exstat, tom. XIII. Bibl. Patrum Lugd., pag. 201 seq. dixi in Bibl. Latina lib. III, cap. 9, et de Landulpho atque Anastasio supra, suo loco.

Homiliarius (*d*) præter rem Alcuino (*e*) ascriptus a nonnullis, Paulo (*f*) tribuendum opus ex probatorum Ecclesiæ doctorum lucubrationibus jussu Caroli M. in Ecclesiarum usus selectas complexum homilias in Evangelia dominicalia atque anniversaria. Tulit ætatem viditque lucem variis in locis, ut Spiræ 1482, Basileæ 1493, 1505, Col. 1517, 1525, 1530, 1539, Lugd. 1540, 1525, Paris. 1537, 1569, in-fol. Neque diversum opus puto quod in bibliotheca Antissiodorensi invenisse se referunt doctissimi scriptores Itinerarii litterarii, Gallice a. 1717, in-4 vulgati, Edmundus Martene et Ursinus Durandus, pag. 56. Licet enim Ebrardi nomen Codex ille manuscr. Homiliarii Patrum, Caroli Magni jussu digesti, præferat, tamen librarii illum potius quam collectoris esse crediderim.

> Obtulit hunc librum Domino, Germane, tibique
> Ebrardus supplex: supplicis esto memor.
> Auferet hoc nullus, cujus præcordia Christus
> Possidet, iratum ne patiatur eum.
> Quin etiam fratris munus votumque probando
> Insistet parili quidquid amore valet.
> Nam petit in cœtu fratrum solemniter illum
> Ad laudem Domini nocte dieque legi.

Nomina eorum quorum homiliæ in hac συναγωγῇ C nientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit. » Florus, diaconus Lugdunensis, in librum homiliarum totius anni ex diversorum Patrum tractatibus ordinatum, in thesauro anecdotorum Edmundi Martene et Ursini Durand, tom. V, pag. 612.

> O prudens lector, vitæ cui cura perennis,
> Perlege præsentem studioso pectore librum, etc.

Plura de hoc opere et veteri Theotisca ejus versione v. c. Joan. Henricus a Seelen in Selectis litterar. pag. 252 seq.; Joan. Dav. Kæler, de Bibliotheca Caroli M. Altdorf. 1727 in-4°, § 6. Simile opus in lectiones epistolicas diebus Dominicis et festis in Ecclesia receptas ex antiquis Ecclesiæ doctoribus collegit edidítque Laur. Surius, Colon, 1596, in-fol.

(*a*) Sueton. de Grammaticis, cap. 17, ubi eum Augusti nepotibus præceptorem electum fuisse indicat.

(*b*) Miræus ad Sigebert., cap. 80 de S. E.

(*c*) Leo Ostiensis lib. I, cap. 15, ubi *duo* pro quinque libellis Paulo tribuuntur.

(*d*) Vide Cangium in hac voce.

(*e*) Ut in versione Hispanica quæ lucem vidit Valentiæ 1552, in-fol.: *Homiliario recopilado por Alcuino.*

(*f*) Sigebertus Gemblacensis in Chronico, nec non Albericus, Trium Fontium monachus, ad an. Chr. 807, pag. 152, tom. II Accession. historicarum illustris Leibnitii: « Karolus imperator per manus Pauli Diaconi decerpens optima quæque de scriptis catholicorum Patrum, lectiones unicuique festivitati conve-

leguntur, hæc sunt : Alcuinus, cujus libri tres de Fide exstant pag. 118 seq. Edit. Basil., separatim etiam excusi deinde Francof. 1555, et inter opera. Ambrosius, sæpius. Anselmus, tom. II, pag. 36, b. Augustinus, sæpius. Joannes Chrysostomus Fulgentius Carthag., p. 21, b, t. II, p. 53, b, 67. Gregorius Magnus, sæpius. Haymo, pag. 31, b, t. II, pag. 43, b, 68, b, 73, b. (a) Henricus, pag. 20, b, 5 , b, 126, b, 133, b, 140, b, 142, b, 145. 147. b, 152, 160, b, 163, b, tom. II, p. 21, b. Hieronymus, sæpius. Hilarius, tom. II, p. 60. Joannes Chrysostomus, sæpius. Isidorus, p. 17, b. Leo magnus, sæpius. Maximus, sæpius. Sanctus Severianus Gabalensis, p. 27.

Joan. Mabillonius, lib. I de Re diplomatica, c. 11, § 15 : « In scribendis diplomatibus, tum libris, post auream ætatem, qui singula vocabula singulis punctis distinguebant, nulla fere verborum distinctio a notariis facta est usque ad Carolum Magnum, qui, procurante Alcuino (*Epist.* 15), punctorum distinctiones vel subdistinctiones restituit. Hoc in negotio princeps piissimus adhibuit Paulum Warnefridi et Alcuinum, diaconos peritissimos, in quibus ille homilias per annum legi solitas, et aliquot Augustini epistolas; hic vero librum qui Comes appellatur, interpunctionibus illustrarunt. Interpunctionum tamen ille usus serius in diplomatibus obtinuit, etc. »

Per cola distinguant proprios et commata versus,
Et punctos ponant ordine quosque suo.

*Historia Winilorum.* [Al., *Vinnulorum*], qui postea dicti sunt Longobardi, usque ad excidium illius regni a. 773, opus eximium libris VI, post Editiones veteres, Ascensianam, Augustanam anni 1515, cum Jornande, et Basileensem Sigismundi Gelenii an. 1532, cum Suetonio et aliis in lucem datas, singulari studio recensitum a Bonav. Vulcanio cum Jornande et aliis rerum Gothicarum scriptoribus (b) Lugd. Bat. 1597, 1618, in-8°, tum ab (c) Hugone Grotio Amst. 1655, in 8°, et a Jano Grutero, in Scriptoribus Latinis Historiæ Augustæ minoribus, Hanov. 1611, in fol. Circa idem tempus Fridericus Lindenbrogius Pauli libros hosce ad manuscriptos Codices recognitos etiam notis illustravit, addito supplemento insigni capitum postremorum libri sexti, 59-61, quod deinde in Freheri scriptoribus Francicis ex Manuscr. Palatino et in Bibliotheca Patrum Edit. Lugd. tom. XIII, in qua, pag. 161, illi libri exstant, pag. 532, recusum legitur. Præclara editio Lindenbrogiana lucem vidit Hamburgi 1611, in-4°, hoc titulo : *Diversarum gentium historiæ antiquæ scriptores tres, Jornandes episcopus de regnorum ac temporum successionibus. Ejusdem Historia de origine Gothorum; Isidorus Hispalensis de Gothis, Vandalis et Suevis.* Ejusdem *Chronicon regum Visigothorum. Pauli Warnefridi F. diaconi de Gestis Longobardorum libri* VI. Denique hosce Pauli libros cum variis lectionibus Codicum Ambrosiani et Modoitiensis, et notis clarissimi viri Horatii Blanci exhibuit laudatissimus Muratorius tom. I Thesauri scriptorum Italiæ, p. 395, Mediolan. 1723, in-fol.

*Vita sancti Gregorii I papæ*, libris IV, laudata Sigeberto, atque edita a Joan. Mabillonio, sæc. I Benedictin., p. 385. atque inde in novissima operum sancti Gregorii Editione, tomo IV, Paris. 1706, in-fol. Vide et laudati Mabillonii Analecta Edit. novæ p. 498 seq. Meminit Paulus ipse lib. III de Gestis Longobardorum, c. 24.

*Libellus de numero sive ordine episcoporum*, qui sibi ab ipso prædicationis exordio in civitate Metensi successerunt usque ad an. 777, flagitante scriptus Angilramno episcopo. Exstat in Freheri Corpore historiæ Francicæ, pag. 171, et in Bibl. Patrum Edit. Lugd., tom. XIII, pag. 329, et novissime in Augustini Calmeti Historia civili et ecclesiastica Lotharingiæ, edita Gallice Nanceiis 1728, in-fol. Ex hoc libello fragmentum *de Caroli M. majoribus et liberis*, in Andreæ du Chêne tom. II Scriptorum de rebus Francorum, p. 201, et *de Beato Arnulfo*, Pappoli successore, in Petri Pithœi duodecim Scriptoribus, p. 2 8. Meminit Paulus ipse VI, 16, de Gestis Longobardor., et Sigebertus, cap. 80, qui *Gesta pontificum Metensium* appellat. Ex hoc libello petitum *Epitaphium Arigisi* [Al., *Anchisi*] principis Beneventi, obvium in Peregrini historia Principum Longobardorum, apud celeb. Muratorium, tom. I Thesauri scriptorum Italiæ, pag. 325, et *Epitaphium sanctæ Hildegardis* tom. III Act. sanctor., Aprilis, pag. 789, quod Alcuino Baronius præter rem tribuerat.

*Miracula sancti Arnulphi*, qui primo major-domus regis Francorum, postea Metensium episcopus, eremiticam vitam, notante Sigeberto, expetiit, diemque obiit an. 632. Edita tomo tertio operum Bedæ Venerabilis, et deinde Paulo auctori vindicata a Surio, 24 Augusti. Meminit Paulus ipse VI, 15, Hist. Longobard.

*Martyrium sancti Cypriani Carthaginiensis*, editum in Cypriano Jacobi Pamelii, in Oxoniensi autem Joannis Felli, aliisque Editionibus, et in Ruinarti Actis selectis martyrum omissum; Tillemontio etiam judice (*Tom. IV memoriar. H. E., p. 658, Edit. Paris*), juniori Paulo, qui tempore Caroli Calvi scripserit, tribuendum videtur.

*Vitæ sancti Benedicti*, qui an. 543, et *sancti Mauri*, qui an. 584, *sanctæ Scholasticæ virginis*, sancti Benedicti sororis, quæ circa an. 542 obiit, prodierunt Romæ 1590, in-4°, in parte tertia Poematum T. Prosperi Martinengi, et apud Mabillonium, sæculo I Benedictin. Sed in Actis sanctor., tom. III, Martii 21, pag. 275, et tom. I, Januar. 15, pag. 1039, et tom. II, Februar. 10, pag. 393, omissas illas esse video. *Veracem et insignem historiographum* res sancti Benedicti narrantem vocat Leo Ostiensis, II, 44. Versus autem elegi reciproci de sancti Benedicti miraculis, in quibus prius hemistichium hexametri, posteriore hemistichio pentametri repetitur, eidem Leoni, lib. I, cap. 15 memorati, quorum initium :

Ordiar unde tuos, sacer o Benedicte, triumphos,

exstant in Pauli lib. I de Gestis Longobardor., cap. 26, et in Aimoini sermone de sancto Benedicto, in Bibl. Floriacensi, pag. 284 Versus similes reciproci *in sanctam Scholasticam* apud Arnoldum Wion, libro tertio Ligni Vitæ, ad 10 Februar., tom. II, pag. 47, incipiunt :

O Benedicta soror Benedicti nomine Christi,
Eximiique patris o benedicta soror.

In hoc carmine testatur Paulus se heroico etiam carmine ejusdem virginis laudes cecinisse :

Versibus heroicis alias, castissima, laudes
Scripsimus ecce tibi versibus heroicis.

Minus verisimilis sententia Baronii, qui sancto Berthario tribuit; nec Bedam auctorem mihi persuase-

(a) Hic est Ericus Autissiodorensis qui Vitam sancti Germani Autissiodorensis ad Carolum Calvum scripsit metrico stylo sex libellis intra an. C. 875 et 877, cujus homilias post Pauli Diaconi tempora oportet insertas esse, sicut Haymonis quoque, cujus et Lupi Ferrariensis discipulus iste Ericus fuit. Vide Carolum le Cointe, ad an. C. 839, n. 19, tom. VIII Annal. Francor., pag. 586, et Acta sanctor., tom. quarto, Junii 25, pag. 829 seq.

(b) Confer, si placet, quæ in Bibliotheca Latina, lib. III, cap. 17

(c) Illustris Sparvenfeldius, teste Leibnitio, in Leibnitianis, pag. 167, edere voluit Crises exterorum de Gothis, velut supplementum sylloges Grotianæ.

Digitized by Google

rum, quamlibet in Bedæ Operibus, distichis octo etiam auctiora, leguntur tomo VII, pag. 350 seq.

Ex epistolis ejus pluribus *Epistola de regula sancti Benedicti*, (a) *ad Carolum M.* scripta nomine Theodemari, abbatis Casinensis, exstat apud Angelum a Nuce, in notis ad Leonis Ostiensis lib. VII, cap. 12. Idem Angelus testatur sub Pauli nomine legisse se *Expositionem regulæ sancti Benedicti*, quam tamen ejus esse negat, quanquam expositam a Paulo illam regulam fuisse testatur Leo, lib. I, cap. 15, et Ruthardo Monacho, Rabani ac Strabi auditori, tribuere maluit Hugo Menardus.

*Epitaphium in Venantium Fortunatum* exstat lib. II de Gestis Longobardorum, cap. 25.

*Sermo de Assumptione sanctæ Mariæ*, in Edmundi Martene tom. IX veterum Monumentorum, pag. 266.

*Hymnus in sanctum Joannem Baptistam*, qui incipit : *Ut queant laxis*, in Breviario Romano, 24 Junii, et passim alibi.

Universas fere *annalis computi lectiunculas* rhythmice composuisse, legas apud Leonem Ostiensem, lib. I, cap. 15, sive, ut est apud Petrum diaconum, cap. 8 de illustribus Casinensibus : *universas lectiunculas a principio mundi usque ad suam ætatem, una cum annali computo rhythmice* composuisse.

Addit Petrus, scriptos fuisse ab eo versus *ad Carolum imperatorem, et ad Arichem Beneventanum principem*, generum Desiderii regis Longobardorum ultimi. Hi ad Arichem exstant in Camilli Peregrini Historia principum Longobardorum, Neap. 1643, in-4°, pag. 255.

Ex *homiliis* ejus *quinquaginta* eidem Petro memoratis, nonnulli, teste Joan. Baptista Maro Manuscripti in bibl. Medicea et Casinensi. Unus etiam typis excriptus inter opuscula sanctorum aliquot Patrum Lugd. 1615, pag. 450, in illud Matth. XVIII, 23 : *Simile est regnum cælorum homini regi*. Incip. *Præsens sancti Evangelii lectio*.

*Syllogen chronologicam* cum quadam historiola sub titulo *ignoti Casinensis* ab an. 840 ad 875, edita a Camillo Peregrino in Historia principum Longobardorum, et recusa tomo secundo Thesauri Muratoriani, et Burmanniani nono, ad Paulum auctorem nonnulli referunt.

Librum *de Gestis episcoporum Papiensium*, quem se vidisse testatus est Galesinius, nemo adhuc in lucem protulit.

*Hymnus de passione sancti Mercurii*, cujus martyris memoria 25 Nov. recolitur, editus a Petro Piperno, Beneventano, lib. V de Effectibus magicis, cap. 20, Neapoli 1637, in-4°. Alterum *de translatione corporis* A *sancti Mercurii Beneventum*, sive nullum reperit, sive repertum omisit.

*Hymnus in festo Assumptæ sanctæ Virginis*, 15 Augusti, qui incipit : *Quis possit amplo famine præpotens*, in breviario Beneventano.

*Vita sancti Mauri* versibus reciprocis, quorum initium :

Dux, via, vita tuis, decus et laus gloria, virtus,
Jesu lux lucis, dux, via, vita tuis.

Vide Joan. Baptistæ Mari notas ad Petrum Diaconum, pag. 168, qui « aliqua insuper, inquit, fragmenta manuscripta sub nomine Pauli Diaconi, mutila tamen et hiulca, nos custodimus, videlicet Vitam Germani, sanctissimi Constantinopol. Patriarchæ, Orationem in transitu Petri Damiani, de dimittendo episcopatu, in qua fit mentio de sancto Arnulpho, Metensi episcopo. Vitam sancti Petri Damasceni episcopi, nec non alterius Petri pariter martyris. »

Teste Petro Diacono, cap. 9, « Hildericus ejusdem B Pauli auditor de origine præceptoris sui, vita, institutione, doctrina, religione, habitu lucidissimos versus composuit. » Hoc ipsum est quod e Bibl. Casinensi sub titulo Epitaphii laudatus Marus notis ad cap. 8 edidit. Constat versibus XLI, hoc initio :

Perspicua clarum nimium tua fama per ævum.

Paulus Diaconus, præter sermonem de Assumptione sanctæ Mariæ dedit etiam homiliam in illud : *Intravit Jesus in quoddam castellum*, quam junctim cum sermone de Assumptione edidit P. Martene vet. Mon. tom. IX, pag. 270.

Versus seu epitaphium ab Ailderico Paulo huic positum, ex Ms. Codice Casinensi multo emendatius quam a Miræo factum sit, edidit P. Gattula Hist. Casin. tom. I, part. I, pag. 26. En ejus initium.

Perspicua clarum nimium cum (b) fama per orbem.

D. Abbas le Beuf, in dissert. *sur l'Histoire ecclé-* C *siast. et civile de Paris*, tom. I, pag. 411, etc., versus nonnullos Pauli hujus vulgavit, nempe, pag. 411, carmen hexametrum ad Petrum Pisanum Caroli Magni in grammatica doctorem. Incipit : *Candide Lumbifido*. Pag. 412, *Versus Pauli missi ad regem*. Incipit : *Cinthius occiduas*, etc. Pag. 414, exstat supplex libellus carmine expressus Pauli ad Carolum libertatem pro fratre suo in bello capto, et septennio captivo implorantis. Tum sequitur ejusdem Pauli epistola ad Theudemarum abbatem Casinensem, qua ardenti se teneri desiderio significat ab aula sese expediendi, et Casinensi cœtui sese conjungendi.

(a) Fragmenta epistolarum ad Carolum M. quæ edidit Baluzius tom. I Misc., pag. 362 seq. non Pauli Diaconi sunt, sed Paulini Aquileiensis episcopi. Itaque hoc in præstantissimi Cavei Historia litteraria emendandum. Neque Pauli versus de miraculis sancti Benedicti, de quorum Editionibus supra sunt deperditis ascribendi.

(b) Miræus, *tua*.

Digitized by Google

# PAULI WINFRIDI
## DIACONI
# OPERA HISTORICA,
## SIVE
## OPERUM EJUS OMNIUM PARS PRIMA.

# AD PAULI DIACONI
# LANGOBARDICAM HISTORIAM
## PROLEGOMENA.

(Muratori, Rerum Italicarum Script.)

## L. A. Muratorii praefatio.

Paulus, quem vulgo Diaconum eruditi appellant, natione Langobardus, patrem habuit Warnefridum; quæ causa est, ut etiam Warnefridi cognomento donetur. Ipso teste lib. IV, cap. 39, de Gest. Langob. Ejus abavus Leuphis ex Langobardorum genere cum eis in Italiam venit. Proavus Lupicis in Castro Forojuliensi in provincia Venetiæ, cum lares fixisset, inde in captivitatem ab Avaribus ductus, tandem Forum Julii reversus, res et familiam ibi reparavit. « Hic, ait idem Paulus, genuit avum meum Arichim, Arichis vero patrem meum Warnefrid, Warnefrid ex Theudelinda conjuge sua genuit me Paulum, meumque germanum Arichum, qui nostrum avum cognomine retulit. » Forojulii natum et ipsum Paulum, auctor est Herkempertus, uno tantum sæculo ab eo distans, in Iusiore Historia Langobardorum apud Camillum Peregrinum, ubi Diaconum Paulum laudat, « qui fuit ortus ex Forojuliensi civitate. » At in ejus epitaphio Hildericus abbas, discipulus olim Pauli ipsius, ipsum genitum dicit, « nitidos ubi sæpe Timavi amnis habet cursus; » quæ verba Aquileiam potius designare videntur patriam Pauli. Hinc autem factum ut apud plerosque Diaconus Aquileiensis appelletur, quo tamen nomine fortasse non illius patria, sed Ecclesia cujus clero se addixit, indicatur; Forum enim Julii æque, ac Aquileia uni episcopo, seu patriarchæ subest. Adolescens Ticinum profectus, et in regali aula educatus se litterarum studio totum dedit, charus propterea Ratchisio, Cuniberto, et Desiderio Langobardorum regibus. Si fides Leoni Marsicano, in Chronico Casinensi, lib. I, cap. 15, capta a Carolo Magno Papia, et Langobardorum viribus omnino accisis, Paulus in Franciam ductus eidem regi Carolo familiaris admodum fuit. At cum ab æmulis excitata calumnia accusatus deinde fuisset conceptæ in Carolum conjurationis, et obduratæ fidei in Desiderium olim regem suæ gentis, Carolo mandante, in Diomedis insulam relegatus fuit. Post aliquot exsilii annos inde fugiens, apud Arichisium Beneventi ducem magno in honore vixit, atque eo tandem principe e vivis sublato, in sacra Casini montis solitudine monachus factus, ibi reliquum vitæ cursum piissime consummavit. Leonem Marsicanum, clausis oculis, in ejusmodi narratione descripserunt subsecuti scriptores. At celeberrimus Mabillonius, in Annal. Benedictin., ad ann., Ch. 777, inter veterum fabellas hocce Pauli exsilium referendum censet. Quod extra dubitationis aleam est, Casinatibus monachis se adjunxit Diaconus, atque in eo monasterio Idibus Aprilis circiter annum Christianæ æræ 799 diem clausit extremum.

Variis scriptis Paulus Diaconus suam apud posteros famam propagavit. Nempe reliquit *Appendicem ad Eutropii Historias*, a Valentiniano et Valente Augustis deductam usque ad Justinianum, de qua jam supra egimus in (*a*) Præfatione ad Historiam Miscellam. Libellum quoque, seu *Historiam episcoporum Metensium*, rogatus ab Angelramno ejus urbis episcopo, scripsit. Tum *Vitam sancti Gregorii Magni papæ*; et præter *Homiliam* de sancto Benedicto, seorsum editam, *Homiliarium* prolixum jussu Caroli Magni concinnavit, ad totius anni festa accommodatum, et decerptum ex homiliis sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Origenis, Leonis, Bedæ, etc. Quæ omnia publicis typis edita habentur, ut et quædam *epistolarum fragmenta*, a Baluzio evulgata. Eidem quoque tribuuntur *Vita, sive passio sancti Cypriani*, *Vitæ sanctorum Benedicti, Mauri, et Scholasticæ virginis*, *Carmen* de eadem *sancta Scholastica*, et *Hymni* quidam, quos inter celebris in hono cm sancti Johannis Baptistæ nempe, *Ut queant laxis*, etc. Sed hæc incerta. *Vita sancti Arnulphi* apud Bedam eidem Paulo Diacono tributa, non alia est ac quæ legitur in Historia episcoporum Metensium. Dicitur etiam litteris consignasse *Commentarium in Regulam sancti Benedicti*, qui in quibusdam Codicibus mss. occurrit; verum vir cl. Mabillonius Hildemaro potius tribuendum hoc opus contendit. Si Galesinio credimus, *Historiam* quoque *episcoporum Papiensium* Paulus reliquit. Galesinium ego tanti non facio, ut eumdem in hac re judicem idoneum putem. Certe nemo alius hanc aut antea, aut postea vidit, et ne ipsi quidem Ticinenses, quorum tamen intererat aut servare, aut redimere opellam sibi gratissimam.

(*a*) Hanc præfationem videsis infra, col. 739.

Digitized by Google

Fragmenta alia operum Pauli Diaconi innuit Joannes Baptista Marus, in notis ad opusculum Petri Diaconi de Viris illustr. Casin.

Quod est ad *Historiam*, seu libros sex, *de Gestis Langobardorum*, quam nunc recudimus, certissimum auctorem illa habet Paulum nostrum, eamque ille scripsit postquam monasticam vitam professus fuit. Egregium sane opus, quo sublato, jejuna et manca nimis foret apud Italos Langobardici regni et populi historia. Sunt qui putent eum nil nisi fabulosa enarrasse de origine ac transmigratione Langobardorum, et potissimum Cluverius Pauli Diaconi fidem hic prorsus elevare non dubitat. Et profecto nulla fere populorum, aut familiarum origo est quæ fabulis non scateat, et nec ipse Paulus ejusmodi mercibus caret. Attamen tam acri atque ampla sententia minime confligenda, et ne in his quidem contemnenda videtur Pauli auctoritas, qui præterquam quod de gente sua, qua cum floruit, multa rescire potuit, se etiam alibi perquam accuratum, et eruditum exhibet. et præ oculis etiam habuit Historiam Langobardicam, a Secundo Tridentino eodem sæculo scriptam, quo in Italiam Langobardi eruperunt. Prodiit Historia hæc Augustæ Vindelicæ anno 1515, tum Basileæ anno 1532, ac deinde Lugduni Batavorum anno 1595. In hisce Editionibus opus in hæc verba desinit: *Francorum, Ararumque pacem custodiens.* At Fridericus Lindenbrogius Editioni Hamburgi anno 1611 fragmentum addidit, quod et Freherus inter Historicos Francicos Hanoviæ anno 1613 editos ex Codice ms. Palatino exhibuit. Laciniam eamdem ego quoque in hac Editione attexam, una cum aliis A additamentis ab anonymo antiquo factis, et ab eodem Frehero evulgatis. Nihilominus cum in aliis Historiæ Langobardicæ mss. desideretur fragmentum illud, equidem præstare nolim Paulo nostro sine dubitatione et hoc esse tribuendum. Certe Gruterus de hoc supplemento agens exstare ait ipsum in unico illo ms., « cui tantum quisque tribuat, quantum licet affirmationi testis unius. » Imo eruditissimus Pagius, in Critic. Baron., ad ann. 774, num. 7, « Non dubito, inquit, quin additamentum illud sit alicujus junioris auctoris. » Id autem Pagius ex eo evincit, quod additamenti auctor statuat Papiam debellatam, Desiderium regem captum, finemque habuisse regnum Langobardorum « anno dominicæ Incarnationis 773, cum tamen ex communi calculo historicorum veterum ac monumentorum constet ea contigisse anno tantum subsequente, hoc est, 774. » Illorum temporum æqualis fuit Paulus Diaconus, imo testis oculatus prostratæ gentis suæ, ac proinde falli non potuit in assignando anno tam memorabilis excidii.

B Ad hæc Paulus de regibus suis copiose, amice, atque honorifice semper locutus est; fragmenti autem scriptor animo averso ac nimis jejune de postremis regibus scribit; et « Desiderium quemdam ducem Langobardorum, » veluti hominem ignotum, appellat, qui tamen Tusciæ dux erat, et novissimus regnum Langobardicum rexit. Tandem, ut hoc moneam, in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom. X, impressa legitur Langobardica hæc Historia, uti ad calcem Historiæ Gothorum a Grotio editæ Amstelodami anno 1655, desiderato tamen fragmento Freheriano.

# HORATII BLANCI ROMANI

## AD LECTOREM MONITUM.

Cum nova Pauli Diaconi Editio collectioni huic, quæ doctissimum Muratorium auctorem habet, ex præposita ratione temporum accedere deberet, idque mihi oneris a Palatinis nostris impositum esset, ut meam in viros doctrina et sortis præstantia eximios, mihique multis nominibus beneficentissimos, observantiam et obsequium, atque in opere ipso diligentiam pro viribus ostenderem, cogitare cœpi quodnam celebrati auctoris exemplum inter vulgata seligerem; plura enim circumferuntur non leviter inter se discordantia, ut ea simul conferenti patebit. Erat animus castigatiorem quoad fieri posset Editionem præbere, quodque in recudendis aliis auctoribus curavimus, id maxime in Paulo Warnefridi præstare; homo quippe nationis Langobardicæ res amplissimi hujus olim regni ab adventu gentis in Italiam, unicus illitterati ævi scriptor, non inelegans pro temporum infelicitate, servavit, ita ut eodem amisso, maxima in Italica historia lacuna fieret, et inclytæ huic Urbi jactura, quæ ad regiæ sedis majestatem elevata per universam ferme Italiam late dominabatur, et veteri labente Romano imperio, Gothorumque avulsa fortuna, Italicæ potentiæ decorem in se accepit, atque firmavit. Et sane si Paulum nostrum auferas, quæ tenebræ in Langobardici regni rebus non inducentur, quantusque orbi decor non effluxerit, tacentibus cæteris pene scriptoribus omnibus, et verbum unum aut alterum vix ad alia properando pronuntiantibus? Quæ demum juri nostro caligo induceretur, si feudorum leges a Langobardicis deductæ, atque in hanc diem servatæ Pauliana lectione minime juvarentur? His igitur de causis expetebat accuratiorem diligentiam Paulus, eamque ut pro viribus adhiberem, Friderici Lindenbrogii exemplum comparavi typis Plantinianis vulgatum, gratiasque iterum rependo viro doctissimo D. Joanni Gaspari Berrettæ Cassinensi monacho, qui libri hujus diu frustra quæsiti usum præbuit, cum Ambrosianum alterum parem loco movere religio sit; C atque Lindenbrogianam Editionem ob id potissimum cæteris prætuli, quod magni nominis vir, et antiquitatum peritia laudatissimus, manuscriptorum Codicum ope varias addidit lectiones, ac eruditissimis notis illustravit, nomine suo per initiales tantum litteras designato, quod Angelum a Nuce Cassinensem abbatem in suis notis ad Leonem Ostiensem in errorem traxerat, cum hanc a se probatam Editionem Bonaventuræ Vulcanio tribuat, quæ reddenda est auctori suo Lindenbrogio. Acceptiorem præterea futuram fore litteratis viris putavi, si ex nova mea collatione cum aliis veteribus Codicibus genuina lectio cognosceretur; quamobrem doctiss. Josephi Antonii Saxii Ambrosianæ bibliothecæ præfecti beneficio vetus ms. Exemplum optimæ notæ adhibui post Historiam Miscellam eodem uno tomo alligatum, ejusque specimen characteris in sequenti tabula incisum volui ad probandam antiqui Codicis fidem. Occurrit præterea Codex alter cum forte in Modoetiensis basilicæ D archivo comes Donatus Sylva doctissimus, et ego, inter fragmenta chartarum, adnitente humanissimo canonico Brenno vetera monumenta investigaremus ad Langobardos nostros pertinentia; sed refugit animus infelicem fortunam, perditamque operam, ac veterum vel calamitatem, vel negligentiam. Occurrit, inquam, inter plures mss. Codices ibidem servatos Historia Pauli nostri cæteris auctior in iis quæ ad eamdem basilicam spectant, quæque in Ascensiana Editione paucis variantibus leguntur, ut suo loco notavi; hujus etiam specimen dedi sequenti tabula, sed certiorem fortasse notam alteram ævi ejus, in quo scriptus est Codex ille, quis mecum arguet a sequenti clausula, quam idem librarius una characterum forma, et continenti serie, inter Italiæ descriptionem circa finem lib. II, loco satis incongruo, inseruit, fol. ms. 25. Hæc ibi leguntur.

« Regnante Ottone Minore imperatore mense Augusti totum apparuit stella cometis percurrente indi-

Digitized by Google

ctione III. In ipso anno hoc fuit XIII Kal. Februarii. Luna amisit lumen suum quasi hora una. et terremotus factus est magnus. juxta gallorum cantus. pro indictione IIII.

« Item regnante Ottone imperatore genitor super et scripti Ottonis Minoris pro indictione XIIII. Hoc fuit pridie Kal. Novembris apparuit signum in cœlo. visa sunt veraciter ad partem septentrionis circa gallorum cantus cœlum claruit sicut aurora. In ipsa claritate columna candida nimis apparuit erecta a terra. caput ejus usque ad septentrionale stellam. ex utraque parte ejus cœlum flamineum erat sicut ignis et illic apparuerunt nebulæ sulphureæ tenebrosæ plenæ imbribus. Visa sunt hec omnia quasi fere hora quarta. »

Cumque tertia indictio semel tantum in annos imperii Ottonis Minoris inciderit; is enim, etsi duplicem epochen habeat, longiorem non ultra protraxit quam ad annum imperii 16, quo post infelicem cum Græcis pugnam dum occupandæ Transtyberinæ Italiæ inhiaret, postliminio reversus Romæ occubuit anno Christi 983, ut accuratiores historici notant, hinc indictio tertia 975 anno est assignanda, quo stella cometes apparuit, et sequenti 976, quo lunaris eclipsis, et terræmotus factus est, indictio quarta; eosque duos continuos annos nostra numerandi ratione distinctos bene amanuensis iste, quisquis fuerit, unum tantum asserit; suis quippe temporibus non a Nativitate, sed ab Incarnatione annorum periodus deducebatur, eaque de causa Februarius mensis quartæ indictionis in eodem anno recensetur quo tertia effluxerit indictio. Cæterum eclypsin hanc, terræmotum, atque alia phænomena eo libentius notavi, quod nulla in ejus ævi scriptoribus hactenus mihi occurrerit mentio, atque inde asserere posse crediderim Codicem hunc Modoetiensem sub Ottone Minore scriptum fuisse; congruit enim ipsa characterum forma, ut periti cognoscent, frequensque apud veteres erat usus insigniores suorum temporum res per istas clausulas memoriæ tradere, ac aliorum libris inserere, quod Mabillonius, aliique plures animadverterunt. Sed ad Pauli editionem redeo.

Servato Lindenbrogiano textu, variantes ab ipso vulgatas lectiones, et meas utriusque laudati Codicis in calce adjeci, signatis initialibus litteris, nempe A. M., et L. quibus Ambrosianus, Modoetiensis, et Lindenbrogianus Codex suo quisque loco notatur cum vel minimum a præposito exemplo discordet; placet enim eruditis viris religiosa isthæc diligentia, qua sæpe vitiati auctorum loci, puritati suæ restituantur; nec piguit assiduæ tot aliorum scriptorum lectioni laborem hunc improbum addere, in quo adjutorem habui accuratissimum Philippum Argelatum nostrum, ut amplior tibi, lector humanissime, supellex foret, ac judicio tuo Pauli mentem in ipsa Exemplarium copia commodius investigare posses, Ambrosiani præsertim Codicis ope, qui altero antiquior ad illius tempora propius accedit, et multis in locis peculiarem habet lectionem, ut plurimum castigatiorem. Apposui præterea Lindenbrogii notas, quibus vir eruditissimus plura in auctore nostro ex Græca et Latina penitiori antiquitate illustravit ornavitque concinnitate maxima, et doctrina, cumque in iis perlegendis animadverterim laudatissimum virum ab iis quæ ad historiam pertinent non libenter abstinuisse, quod et in epistola sua manifeste profitetur, id mihi laboris tribui suscipiendum: temere quidem, si cum viro editorum operum fama clarissimo nullius ego nominis in arenam venire cogitassem occasione affectata, sed ipso propemodum alliciente, ac opportunitate congrua, illius Manlius morem potius gessisse mihi videor, quod unice optavi. Noverat enim oculatissimus Lindenbrogius non uno in loco Paulum nostrum a veritate aberrare, in iis præcipue, quæ suam ætatem præcesserant, vel temporum ordinem non satis indicasse, imo aliquoties manifesto prævertisse. Præterea cum triplicem historiam unico filo Paulus duxerit, Græcam, Francicam, et Langobardicam, quod plurimæ potentissimas has inter nationes res intercesserint, singulas non semper cæteris respondentes ita contexuit, quin erroris notetur; quæ causa fuit ut severiores critici in eum acerbius insurrexerint. Verum æquioribus ingeniis jamdiu persuasum historiam hanc plurimi faciendam, si quæ ab impuris fortasse fontibus hausta expurgentur. Id equidem optaverat Lindenbrogius, et observationibus suis celebratissimi viri data occasione præstiterunt, Baronius præsertim sacræ princeps historiæ, cum Langobardicorum temporum seriem ex instituto suo percurreret. Id ego iterum tanti viri facem secutus perpetuis notis absolvendum tentavi, ut lectoribus præsto essent in ipsa Pauli lectione argumenta, quibus narratarum ab eo rerum ordo vel corrigatur, vel explicetur.

Animum ad hanc operam dedit præstantissimorum virorum auctoritas, excellentiss. nempe comitis Caroli Archinti, et marchionis Theodori Alexandri Trivultii, qui ex doctrina peritiaque sua, non ex tenuitate mea rem æstimantes, ita me monitis et eruditionis copia frequenti apud eos de re litteraria sermone pene obstrinxerunt, ut jam erubescerem ab eorum sententia declinare, veritus ne desidiæ tribueretur mea longior excusatio. Satius itaque duxi patronorum meorum arbitrio vinci, arreptoque calamo, id primum curæ fuit, ut Langobardicorum regum chronologiam ab ipso Alboini adventu in Italiam, anno scilicet 568 usque ad Liutprandi obitum, quo Paulus historiam absolvit ita disponerem, ut singulorum regum anni quos noster enumerat loco suo serie continua notarentur, in quo plurimum ab eruditis viris laboratum est. Ad eos ipse investigandos non alias volui conjecturas, quam quæ ab ejusdem ævi scriptoris testimoniis deducerentur, si forte occurrerent, vel ex datis regiorum diplomatum, atque utinam uberior eorum copia in vulgus prodiret, ut certiorem chronologiæ rationem inire possemus cum ex hactenus vulgatis nonnulla sint in numeralibus notis vel temporum injuria, vel negligentia librariorum vitiata. Hoc ipse conatu, quandoque a recentiorum historicorum chronologia discessi, potissimum Sigonii; sed argumenta subjunxi, quibus aliorum auctoritati minime deferendum putavi. Non absimili ratione per ducum Langobardicorum ætates excurri, Camilli Peregrinii, aliorumque hujus notæ virorum, sententias recensendo.

In iis vero locis quibus noster veterum aliorum testimoniis fulcitur pari modo notavi, ut major homini fides accederet, et celebrem controversiam de origine gentis Langobardicæ in ipso Historiæ initio consulto repetii ex doctissimis viris Cluverio et Grotio: rem enim eruditione sua ita exegerunt, ut vix novi aliquid afferri possit, proderitque in ipso historiæ vestibulo altius fontem repetere. His ego, lector humanissime, tuam inire gratiam putavi, et si probes gaudium, si errorem notes, lucrum a castigatione tua obveniet. Id postremo te monitum volo in hac Editione nostra, ut in aliis Lindenbrogii et Grotii, summam capitum non bene suis locis appositam. Caput enim 48 in superiori 47 initium habet ab iis verbis *Apud Beneventum*, etc., quo summa ejusdem retrahenda esset; ne tamen variam ab Editis capitum divisionem daremus, atque ita majus incommodum oriretur, errorem dissimulavimus. Vale.

Digitized by Google

# SPECIMEN CHARACTERUM HISTORIAE LANGOBARD. PAULI DIACONI

## *ex Codice Ambrosiano pergameno Sig. lit. C. n. 72.*


INCP. HISTORIA LANGOBARDORV. LIB. PRIMVS.
De Germania quod plures nutriat populos, ideoque ex ea multae gentes egrediantur.
Septemtrionalis plaga quanto magis ab aestu solis remota est et nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum et propagandis gentibus coaptata; sicut econtra omnis meridiana regio quo solis est fervori vicinior, eo semper morbis habundat et educandis minus est apta mortalibus; unde fit ut tantae populorum multitudines arctoo sub axe oriantur, ut non inmerito universa illa regio Tanai tenus usque ad occiduum, licet et proprie loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur; quamvis et duas ultra Rhenum provincias Romani cum ea loca occupassent, superiorem inferioremque Germaniam dixerunt; Ab hac ergo populosa Germania saepe innumerabiles captivorum turmae abductae meridianis populis pretio distrahuntur; — — —
— — — Rex autem Liutprand cum hoc cognovisset, non aequo animo tulit. Tandem infirmitate convalescens cum regnum suum confortare voluit, Transamundus qui Romam fugerat ad Spoletium reversus Hilderichum extinxit rursumque contra regem rebellionis audaciam sumpsit;
EXPLICIT LIBER VI. HISTORIE LANGOBARDORUM.

## *ex Codice Modoëtiensi*


Septemtrionalis plaga quanto magis ab aestu solis remota est et nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum et propagandis gentibus coaptata. Sicut econtra omnis meridiana regio quo solis est fervori vicinior, eo semper morbis abundat et educandis minus est apta mortalibus unde fit. — — —
— — — Plus semper orationibus quam armis fidens, maxima semper cura Francorum Abarumque pacem custodiens.

## LANGOBARDORUM REGUM CATALOGUS.

I. AGELMUNDUS. Ex prosapia Gungincorum, mortuis Ibor et Ayone ducibus, Langobardorum rex salutatur. Paul., col. 452, a Bulgaris occisus relicta filia captiva. col. 454.

II. LAMISSIO. Agelmundi alumnus cum Amazone pugnat col. 453. Regnum accipit, et Agelmundi necem vindicat. Moritur, col. 454.

III. LETHU. Regnavit annis XL. Filio regnum reliquit, col. 456.

IV. HILDEHOC.

V. GUDEHOC. Langobardos in Rugorum regionem duxit, col. 456.

VI. CLAFFO. Filius Gudehoc, col. 458.

VII. TATO. Filius Claffonis. Herulorum regnum delevit, col. 458. A Wachone fratris sui Zuchilonis filio vita et regno privatus, col. 462.

WACHO. In regiis fastis a Paulo minime numeratus, neque a Rothari rege in suo legum prologo, quod regnum vi occupaverit, col. 462.

VIII. WALTARI. Filius Wachonis genere Lithingus, ut antecedentes reges, regnavit annis septem, col. 464.

IX. AUDOINUS. Langobardos in Pannoniam duxit, Gepidos vicit, col. 464. Rodelindam uxorem habuit, et filium Alboinum, col. 465.

X. (I.[a]) ALBOINUS. Cunimundum Gepidorum regem occidit, ejus filiam Rosemundam uxorem habuit mortua Clotsuinda, col. 475. Langobardos in Italiam duxit, col. 485. Consilio Rosemundæ conjugis ab Helmiche occisus. regnavit annis tribus. col. 498.

XI. (II.) CLEPHO. Massanam conjugem habuit. regn. an. unum menses sex, a familiare suo jugulatus, col. 501.

XII. (III.) AUTHARI. Clephonis filius primus Flavius appellatus Brexellum expugnat, col. 519. Theodolindam Garibaldi Bajoariorum regis filiam ducit, col. 532. Veneno sublatus regn annos VI, col. 540.

XIII. (IV.) AGILULPHUS. Taurinatium dux Theodolindæ alter maritus a Langobardis in regnum levatus, col. 540. Filias habuit N. Godescalchi Parmensis uxorem, col. 552. et Gundibergam, col. 566, Aladoaldum filium, quem regni consortem facit, col. 566. Regnavit annos XXV, col. 578.

XIV. (V.) ALADOALDUS. In insaniam lapsus a regno ejicitur postquam cum matre X annos regnaverat, col. 579.

XV. (VI.) ARIOALDUS. Qui Aladoaldo suffectus regn. an. XII, col. 579, uxorem habuit Gundibergam, ut puto.

XVI. (VII.) ROTHARI. Genere Arodus. Leges edidit, ibid. Regn. annos XVI et menses IV, col. 585.

XVII. (VIII.) RODOALDUS. Rothari filius, huic Paulus uxorem dedit Gundibergam, quæ fortasse post Arioaldum Rothari nupserat, col. 586. Occisus a Langobardo cujus uxorem vitiaverat. Regn. an. VII, dieb. V, col. 588.

XVIII. (IX.) ARIPERTUS. Fil. Gundualdi Theodolindæ fratris regn. annos IX, col. 590.

XIX. (X.) BERTARIDUS et GODEBERTUS. Ariperti filii. Regn. ann. I, mens. III, col. 612. Ob mutuam discordiam a Grimoaldo Beneventano duce regnum occupatur occiso Godeberto, et Bertarido in fugam acto, col. 590.

XX. (XI.) GRIMOALDUS. Confirmato regno uxorem ducit Ariperti regis filiam, col. 591. Dum columbam sagitta ferire altercetur, nono post phlebotomiam die, rupta vena, moritur, col. 612. Regn. annos IX, relicto Garibaldo filio. *Ibid.*

XXI. (XII.) BERTARIDUS. Iterum in regnum non sine miraculo vocatus, col. 613. Cunibertum filium regni consortem facit, col. 614. Moritur postquam solus et cum filio regn. an. XVIII, col. 615

XXII. (XIII.) CUNIBERTUS solus. Hermelindam uxorem habuit ex Saxonum Anglorum genere ortam, col. 616. Cum Alachi rebelle pugnavit, et vicit, col. 617. Regn. solus an. XII, col. 636.

XXIII. (XIV.) LIUTBERTUS. Cuniberti filius puer admodum sub Ansprando tutore a Ragunberto Taurinatium duce Godeberti regis filio, e regno dejicitur, col. 637.

XXIV. (XV.) RAGUNBERTUS. Eodem anno mortuus. *Ibid.*

XXV. (XVI.) ARIPERTUS. Ragunberti filius. Liutpertum regem in bello captum occidit. *Ibid.* Ansprandum tutorem in fugam egit, in ejus uxorem et filiam sævit, col. 639. Ticino flum. mersus, col. 646. Regn. cum patre et solus usque ad annum XII, col. 647.

XXVI. (XVII.) ANSPRANDUS. Bajoariis ad quos confugerat juvantibus Aripertum vincit, post victoriam regno potitus tres menses tantum vixit. *Ibid.*

XXVII. (XVIII.) LIUTPRANDUS. Ansprandi filius paulo ante patris mortem rex appellatus. *Ibid.* Præclara multa gessit. Morbo cessit. Regn. ann. XXXI, mens. VII, col. 670.

XXVIII. (XIX.) S. RACHISIUS.

XXIX. (XX.) AHISTULFUS.

XXX. (XXI.) DESIDERIUS. Sub quo regnum Langobardorum a Carolo Magno eversum.

[a] Ex quo Italiam obtinuere Langobardi.

Digitized by Google

## EPITAPHIUM PAULI DIACONI
### AB HILDERICO ABBATE ILLIUS DISCIPULO SCRIPTUM.

Perspicua clarum nimium cum fama per ævum
Astra simul junctum pangant te cœtibus almis;
Veridicos, levita, tuos quis, summe, triumphos
Lucifluis, Paule, potuit depromere dictis?
Ut sua, sed lector properans hunc noscat, et hospes
Sacrato tumulo requiescere membra sub isto;
Laudis, amande, tuæ summatim carmine digno
Almificos actus dignum est reserare canendo.
Eximio dudum Bardorum stemmate gentis,
Viribus atque armis, quæ tunc opibusque per orbem
Insignis fuerat, sumpsisti generis ortum.
Tam digna est, postquam nitidos ubi sæpe Timavi
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti.
Divino instinctu regalis protinus aula
Ob decus et lumen patriæ te sumpsit alendum;
Cum tua post Tibridem populis et regibus altis
Tunc placida cunctis vita, studiumque maneret,
Omnia sophiæ cœpisti culmina sacræ,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter,
Plurima captasses digne cum dogmata, cujus
Resplendens cunctos, superis ut Phœbus ab astris,
Arctoas rutilo decorasti lumine gentes.
Et sic jam nimium, fluidi cum gloria sæcli
Condignis ditaret ovans te sedule gazis,
Lucis ob æternæ vitam sine fine beatam
Audacter sprevisti hujus devotus honores:
Regis et immensi fretus pietate polorum
Vernanti huc Domino properasti pectore Christo
Subdita colla dare Benedicti ad septa beati.
Exemplis mox compta tuis ubi concio sacra,
Tum jubar ut fulgens cœpit radiare coruscis.
In te nam pietas jugiter, dilectio dulcis,
Nectareus et pacis amor, patientia victrix,
Simplicitas solers nimium, concordia summa,
Omne simulque bonum, semper venerande, manebat;
Nunc ideo cœli te gemmea regna retentant,
Sideream retinens pariter per sæcla coronam.
Hoc tibi posco, sacer, gratum sit carmen honoris,
Hilderic en cecini quod lacrymando tuus;
Quem requiem captare tuis fac quæso perennem
Sacratis precibus, semper amande Pater.

NOBILISSIMIS AMPLISSIMISQUE VIRIS,

D. OTTONI A DURING,

ECCLESIÆ BREMENSIS DECANO, PRÆPOSITOQUE VALLIS-LILIORUM,

D. VITO ORTELIO WINSEMIO, JC.

SERENISSIMI REGIS DANIÆ CONSILIARIO ATQUE HAMBURGENSIS ECCL. DECANO.

D. D. F. L. B

Amplissimi viri, vetustate nobiles, nobilitate felices, præclara semper mihi visa est veteris poetæ Lucilii sententia, monentis ante omnia nos debere commoda

.... patriai prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

Meritissimo enim, optimoque jure primas sibi partes postulat terra quæ genuit, quæ aluit, quæ educavit, quæ latentes in nobis divinæ mentis scintillulas eruit, conflabellavit, fovit; quod equidem mihi præstitum ingenue fateor: utque aliqua redhostirem, hanc Pauli Historiam denuo luci dare volui. In qua etsi præcipue de Langobardis agat, non raro tamen aliorum Germaniæ populorum mentionem facit. Nescio sane

Digitized by Google

quid Historia utilius dare possem : ex ea quomodo sæcularium sortium variaverit urna discere, et velut ex arce

. . . hominum errores longe lateque per orbem

despicere licet ; quæ etiam virtute sua præponderat, quantumvis impolito et barbaro stylo scripta. Id quod huic accidisse æquo animo ferendum est. Ita tunc tempora erant, raro aliquis Mercurialibus gratiis litabat, adeo deserta erant studia, adeo *unus ubique ingenia marcor oppresserat, nec accendebatur tiro æmulatione sectanda.* Quanta admiratione (di boni!) hæc essent, si istis temporibus contigissent, cum quod rebus deerat, dos eloquentum supplebat, nunc sub verborum vilitate jacent res maximæ. Quid enim prohibet sic putare, res ab eis maximas gestas, qui bellicosissimis viris, et contra quos Mars haud ausit (ut Comicus loquitur) hiscere, terrori fuerunt. Illi enim sunt quos Alexander vitandos pronuntiavit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exterruit, hi denique sunt in quibus Romanorum aliorumque pax desiit. Verum ne Germanos meos nimium amando ipsemet odiosus sim, ad vos mihi potius, viri amplissimi, flectatur oratio, qui cum in nobili gente inter nobiles maxime estis, vos selegi quibus præcipue hunc librum offerrem, morem in hoc imitans majorum, et ut illi primitias quasdam frugum, aliaque dona dis suis libare solebant : sic ego vobis hæc libamenta studiorum. Quæ vestra amplitudo, atque humanitas est, ea benigne suscipite, ac me vobis commendatum habete. Lugduni in Belgio, prid. Id. Julii, anno 1595.

## F. LINDENBROGII PRÆFATIO.

Ut hanc de Langobardis Historiam ederem, movit me unica, eaque honestissima causa, communis patriæ, hoc est Germaniæ amor. Cum enim viderem paucissimos esse qui majorum nostrorum egregia facta litteris tradidissent, atque ex iis optimum quemque in communem (id quod di voluerunt) locum abiisse, ne et hic similem fortunam pateretur, ei malo subsistendum censui. Et quamvis hic noster Paulus inter proletarios et imi subsellii scriptores locandus sit, tamen si rectum serio amamus, fatendum erit, disci ex eo quædam posse quæ frustra quis apud alios quærat. Ut jure hic Varronianum illud dicatur : « Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum. » Ejusce rei ergo novam hanc editionem paravi, nec me ab incœpto amovere potuit stylus ejus, qui non illa

. . . grandia indomiti Ciceronis verba miratur,

imo in aliquibus locis barbarus est. Unde fit ut cum summo tædio a multis, maxime iis qui nil, nisi quod splendidum atque scholasticum est, pati possunt, hujusmodi libri legantur. Ut vero tædulos istos aliquantulum reconciliarem, insidiæ mihi auribus faciendæ fuerunt, ideoque notas quasdam, velut epicitharisma post fabulam, addidi, in quibus quæ ad mores antiquos pertinebant, aliaque loca quæ minus a vulgo intelligi posse putabam, explanare volui : quod an feliciter sub manus cesserit, probe doctorum judicium esto. Nam fungos istos, et qui naso plus quam ratione judicant, nullus moror. Dedita autem opera observavi, ne ad rem, quam docere cupio, probandam, nimis multa exempla congererem, quamvis id mihi difficile non fuisset; sed relinquere hunc campum illis malui, in quo se exerceant, qui hinc palmam expetunt. Sed nec quæ ad historiam faciunt, mihi notare mens fuit, ne offensam eorum incurrerem quibus fortassis hæc res elaborata jam diu. Ut nunc porro constet, ad quorum fidem hæc editio adornata sit, sic habe. Usus sum ms. exemplari, quod mihi suppeditavit V. C. et de litteris egregie meritus Abrahamus Ortelius : tum duobus impressis, altero ab Ascensio anno 1514, altero Augustæ Vindelicorum anno 1515, quorum conciliator mihi fuit amicus meus Franciscus Raphelengius F. Ex his potissimum ms. et Augustanam editionem secutus sum, quia in omnibus fere conveniebant, imo nescio quid γνήσιον magis habere videbantur. Ascensiana vero mille locis discrepabat, sed ego eas tantum variantes lectiones excerpere volui quæ alicujus momenti erant, nam omnes enotare cui bono? His igitur, quisquis lector eris, et tu in primis felix statu Germania fruere, studiisque meis fave.

## JOANNES TRITEMIUS

### ABBAS SPANHEIM.

### *In Catalogo de Scriptoribus ecclesiasticis.*

Paulus monachus Cassiniensis cœnobii, ordinis S. Benedicti, natione Italus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et in sæcularibus litteris nobiliter doctus, ingenio subtilis, et clarus eloquio, propter scientiam apud Carolum imperatorem in magno pretio habitus fuit. Hic olim ante conversionem suam diaconus fuit Aquileiensis Ecclesiæ, et [a] Desiderii ultimi regis Langobardorum cancellarius, et cum eodem captus a Carolo in Galliam ductus, demum monachus factus est. Scripsit tam metro quam prosa oratione non pauca volumina, de quibus ego tantum reperi subjecta. Rogatu Adelburgæ filiæ Desiderii regis addidit

Ad Chronicon Eutropii lib. II.
Gesta episcoporum Metensium, lib. I.
Vitam Gregorii papæ primi, lib. I.
Vitam S. Arnulphi, lib. I.
Vitam S. Benedicti metrice, lib. I.
Gesta Langobardorum, lib. VI.
Hymnos plures diverso metro, lib. I.
Epistolarum ad diversos, lib. I.

Jussu Caroli ordinavit historias, et lectiones per totum annum, singulis festivitatibus sanctorum congruentes. Et alia multa digessit, et scripsit. Claruit ejusdem Caroli Magni temporibus, anno 780.

[a] Desiderii hujus Paulus non meminit, quemadmodum nec Haistulphi, qui ante hunc regnavit, anno 753, ut scribit Regino, apud quem plura lib. II de his duobus regibus volenti legere licet.

Digitized by Google

# PAULI WARNEFRIDI [a]

## DIACONI FOROJULIENSIS

# DE GESTIS LANGOBARDORUM.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT PRIMUM.

*De Germania, quod plures nutriat populos, ideoque ex ea multæ gentes egrediantur.*

Septentrionalis plaga, quanto magis ab æstu solis remota est, et nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum, et propagandis est gentibus magis [b] coaptata: sicut e contra omnis meridiana
A regio, quo solis est fervori vicinior, eo semper [c] morbis abundat, et educandis minus est apta mortalibus. [d] Unde fit ut tantæ populorum multitudines, Arctoo sub axe oriantur: ut non immerito universa illa regio Tanai tenus, usque ad occiduum, licet et propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, [e] generali tamen vocabulo [f] Germania vocitetur; quamvis et duas ultra Rhenum provincias Romani,

[a] Ita hujus auctoris verum nomen esse ipsemet scribit in hac historia, lib. IV, cap. 39. Diaconum eum plera pars vocat, alii etiam monachum, ut et ms. exemplar *Pauli Cassiniensis monachi*. Videtur autem primo fuisse Atriensem; nam in veteribus glossis, ubi sub ejus nomine citantur fragmenta Festi, quem hic noster nimis pol magno reipublicæ litterariæ damno laceravit, *Paulus Atheniensis vocatur*, quod vir magnus corruptum putat, scribendumque *Paulus Atriensis*; qui, ut suspicari licet, tunc temporis Atriensis fuit, postea diaconus, ultimo monachus. Saxo Grammaticus eum solummodo Paulum vocat, nullo præterea addito nomine, quem, si lubet, vide libro VIII *Lindenbrogius*. Codices nostri mss. ex quibus varias lectiones hic annotavimus ita inscribuntur: Ambrosianus: *Incipit Historiæ Langobardorum liber primus*; Modoetiensis vero: *Pauli diaconi de Gestis Langobardorum*.

[b] Al., deest τὸ *magis*. Lindenbrogius. Ita in Ambrosiano.

[c] Al., *eo morbis est abundantior*. Lind.

[d] Septentrionalis plagæ præstantiam a frigore potissimum, et nivibus, unde nobis fortasse horror, Paulus arguit, ut Langobardos suos, quos inde deducit, vel hoc naturæ beneficio conspicuos asseveret: nec immerito quidem; nam et veterum testimonio, ac recentiorum commerciis notissimæ hoc tempore regioni quis hanc laudem abripuerit? Μακροβίους *Macrobios* antiquis celebratissimos sub cœlo Septentrionali positos novimus; unde apud Plutarchum *Quæst. natural.* cap. 30: « Asclepiades ait Æthiopes celerius senescere, anno scilicet trigesimo: idque propterea quod eorum corpora nimio solis æstu exurantur. In Britannia contra senium anno CXX inchoari; quod corpora ob frigiditatem istarum regionum igneam in sese contineant naturam; et corpora Æthiopum rariora esse, quod relaxentur calore solis; in Septentrionalibus regionibus corpora densiora, ideoque etiam vivaciora, » iisque de causis Hippocrates, libro de Aere, locis, et aquis, Μακροβίους δὲ, ait, τοὺς ἀνθρώπους τουτέους μᾶλλον εἰκὸς εἶναι ἑτέρων, etc., τά τε ἤθεα ἀγριώτερα ἢ ἡμερώτερα. *Homines autem istos longioris esse vitæ, quam cæteros æquum est, moresque agrestes potius quam mansuetos.*

[e] Modoetiensis habet: *universa illa regio usque ad occiduum littus, licet loca singula nuncupentur proprio nomine, generali tamen*, etc. Utraque lectio fortasse manca, quippe maximam Germaniæ divisionem, qua in Septentrionem porrigitur non sa-
B tis designat: a vulgata vero minime recedendum crediderim, cum plures indicet fines, et sensus sit universam illam Europæ partem Asiæ conterminam, ab axe Arctoo ad Tanaim, et ad littus occiduum generali Germaniæ vocabulo vocitari, ita ut non exigua pars Moscovitici, ac Polonici regni, Suecia, Dania, et Norvegia Germaniæ ascriberentur, maxima tamen divisione, non ea qua Romani Germ. distinxerunt, ut idem Paulus monet. Tanais etenim fluvius, cujus origo, et cursus, etsi veteribus non satis exploratus, cum falso a Rhiphæis montibus in devium iter abduxerint, Europam ab Asia distinguebat. Lucanus lib. III:

> Qua Crœso fatalis Halys, qua vertice lapsus
> Rhiphæo Tanais diversi nomina mundi
> Imposuit ripis, Asiæque et terminus idem
> Europæ, mediæ dirimens confinia terræ.

Tacitus lib. I de Moribus Rom. exactiori stylo Germaniam describit. « Germania omnis a Galliis, Rhe-
C tiisque, et Pannoniis Rheno, et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu, aut montibus separatur: cætera Oceanus ambit, latos sinus, et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. » Facile tamen ad Taciti verba locum hunc Pauli accommodaveris, si Tanaim a Rhiphæis montibus (quos Tacitus innuere videtur) cum veteribus deduxeris: eos enim Paulus in Plinio suo Europæ fines optime noverat lib. IV, cap. 13: « Exeundum, inquit, deinde est ut extera Europæ dicantur, transgressisque Rhiphæos montes littus Oceani Septentrionalis in læva donec perveniatur Gadeis, etc. »

[f] Quid sibi velint hæc verba: *ut non immerito*, etc., *Germania vocitetur*, minime asseveraverim, nisi forte ad notissimam Germaniæ etymologiam respexerit, ut numerum exercituum vel ab ipso nomine indicare voluerit.

Digitized by Google

cum ea loca occupassent, superiorem, inferioremque Germaniam dixerint [a]. Ab hac ergo populosa Germania, sæpe innumerabiles captivorum turmæ abductæ meridianis populis pretio distrahuntur; multæ quoque ex ea, pro [b] eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, sæpe gentes egressæ sunt, quæ nihilominus, et partes Asiæ, sed A maxime sibi contiguam Europam, afflixerunt. [c] Testantur hoc ubique urbes erutæ, per totam Illyricum, Galliamque: sed maxime [d] miseræ Italiæ, quæ pene omnium illarum est gentium experta sævitiam [e] Gothi siquidem, Wandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces; et barbaræ nationes e Germania [f] prodierunt.

[a] Frequens apud historicos et geographos hæc Germaniæ divisio in inferiorem et superiorem, ad tempora circiter Augusti referenda, ut ex Dione Cassio, Tacito, aliisque probat Cellarius in Geograph. antiq. lib. II, cap. 3, pag. 369.

[b] *Eo quod tantas mortalium turmas germinat, quantas alere*, etc. Lindenbrog. et Modoet.

[c] *Testantur hucusque urbes*, etc. Modoet.

[d] *Per miseram Italiam* Lind., *Misera Italia* Modoet.

[e] *Hunni, Heruli, Turingi.* Lind., *Gothi siquidem, Wandali, querulosi Heruli, atque Turgilingi*, etc.

[f] Inexplicabilis ferme nodus in ipso vestibulo nobis occurret, si gentium earum quas hic Paulus recenset origines enarrare velimus, antiquasque sedes in tanta rerum obscuritate certius investigare. Sedulo quidem viri doctissimi, et de antiquitate optime meriti, duras hasce provincias tentarunt, quorum fortasse diligentior Philippus Cluverius in sua Germ. antiq. Verum is non uno in loco Pauli nostri fidem radicitus evellere nisus est; Langobardos enim non e Scandinavia migrasse, at Semnonibus conterminos auctoritate Strabonis, Taciti, ac Paterculi, cap. 26, lib. III, contendit, idemque de cæteris gentibus hoc loco memoratis dicto lib. III, cap. 46, unde ad pleniorem illustrationem Pauli nostri, ejus hic verba subnectere non incongruum duxi. Vandalis igitur genuino restituto nomine, hæc habet: « Videndum igitur nunc quæ nationes Vandalici fuerint generis. Plinius nominat solos Burgundiones, Varrinos, Carinos, Guttones: quorum hi ad Vistulam amnem, Varrini in Mechelburgensi ducatu, haud procul Albi flumine sedes habuerunt: intra quos fines multi etiam alii populi apud sinum Codanum siti fuerunt. Verum nil mirum. Plinius nullius generis populos omnes recenset, sed unos atque alteros tantum, quos visum fuit: proinde ex cæteris auctoribus sunt supplendi. Wandalis igitur adjicio Lemovios, sive Herulos, Rugios, Tidinos, Suardones, Eudoses, Anglos, Caviones, Theuringos, Nuitones, et Langobardos. Cum Burgundiones, Guttones, et Varrini, ac Langobardi Vandalici fuerint generis, de reliquis inter hos sitis dubitari non potest. De illis tribus nationibus diserte testatur Plinius, de Langobardis, fabulosus equidem, idoneus tamen quantum ad hoc probandum attinet testis est Paulus Diac. qui in Gestis Longobard. ex mera nationum nominumque ignorantia Vandalos diversos facit a Winilis, bellaque inter hæc duo nomina, ceu alienissimas inter se nationes gesta narrat. Verba ejus lib. I, cap. 1, hæc sunt: Gothi siquidem, etc., et continuo cap. 2: Pari etiam modo, etc. Falsum hoc esse de Scandinavia satis superque mihi supra in Longobardis convictum est. Credo in eadem cum Diacono fuisse opinione, et Jornandem, qui in Scanzia sua memorat gentem Vinovilotli, quod vocabulum suspicor natum e genuina Vandalorum appellatione *Vindeli*. Sic quippe eidem Jornandi sunt Finnaithæ, ac Svethidi, qui nulli alii fuere quam Finni, et Svethi, sive Svedi, ut supra ostensum. Pergit Diaconus cap. 7 in hæc verba: — Igitur egressi de Scandinavia Winili cum Ibor et Ayone ducibus, in regionem quæ appellatur Scoringa venientes, per annos illic aliquot consederunt. Illo itaque tempore Ambri, et Assi Wandalorum duces, vicinas quasque provincias bello premebant. Hi jam multis elati victoriis nuntios ad Winilos mittunt, ut aut tributa Wandalis persolverent, aut se ad belli certamina præpararent; — et cap. 9: — Certum est tamen Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita postmodum appellatos; nam juxta illorum linguam *lang* longam, *bart* barbam significat. — Idem Sigebertus narrat, additque uterque prælium inter Winilos, et Wandalos commissum. De Bello Langobardorum cum finitimis verum fuerit, item de no- B mine Winilorum; at de origine e Scandinavia omnino falsum, nihilo enim magis quam cæteri isti Wandali, Gothi, Rugii, atque Turcilingi, et alii e Scandinavia profecti sunt: licet et Gothos, et Rugios, et Herulos e Scandinavia Jornandes deduxerit. Varius hic, et inexplicabilis pene error rudi illi atque imperito Jornandis Diaconique sæculo inde natus est, quod unius ejusdem Wandalorum gentis appellatio multis modis pro ratione dialectorum variata fuit. Fuerunt igitur Langobardi alio vocabulo appellati Vinili, id est Vindili, seu Vandali, non proprio, ac peculiari, sed communi omnibus nationibus sinum Codanum inter Vistulam, Albimque, et Chalusum incolentibus. Bellum eos reliquis Wandalis inter Albim, et Viadrum movisse, inde maxime crediderim, quia et ipsi a communi eorum appellatione postmodum in exteris regionibus separati fuerunt, quemadmodum, et Gothones, Burgundiones, Heruli, ac Rugii, de quibus omnibus mox plura di- C cam. Vocabulum autem Vinili, sive Vinnuli, Winili, ac Winuli propriam fuisse Wandalorum appellationem, quasi Vindili, ac Vinduli ex Helmodi maxime patet Historia Sclavica; sic enim scribit lib. I, cap. 11: — Ubi ergo Poloniam finem facit, pervenitur ad amplissimam Sclavorum provinciam, eorum qui antiquitus Vandali, nunc autem Vinithi, sive Vinuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, quorum sedes protenduntur usque ad Oderam, et mox alter fluvius, id est Odora vergens in Boream, transit per medios Vinulorum populos, dividens Pomeranos a Vilzis. — Et deinde: — Post Odoræ igitur levem meatum, et varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Vinulorum provincia, eorum qui Tholenzi, sive Redarii dicuntur. — Nihilo magis, mi Helmode, ita me musæ bene ament, Vinithorum, sive Vinidorum, id est Sclavorum, propria appellatio fuit Vinuli, quam Vandali. Vinidos equidem, sive Venedos fuisse Sclavos, id est Sarmatas, supra satis validis certisque probatum est D mihi argumentis. At Vandalos, sive Vindelos, fuisse Germanos citra Vistulam colentes, jam CCCC circiter annis ante Venedorum, sive Sclavorum in Germaniam transmigrationem, testati sunt luculentissimi auctores Plinius, et Tacitus, quorum hic etiam tam vetustam eam indicat jam tum habitam fuisse appellationem, uti unum ex ipsius dei Tuitonis filiis eo nomine appellatum fuisse quidam crediderint. Revoco igitur illud vocabulum Vinuli, et idem Vinili, quod unis Langobardis leviori errore tribuit Diaconus ad Vandilorum, sive Vandulorum, et Vindelorum, nomen. Venedi autem, sive Vinedi, id est Sclavi, cur Vindeli, et Vandali appellati sint nulla alia fuit ratio, nisi quæ et Marcomannos Suevos, postque hos etiam Sclavos, sive Venedos, qui sibi ipsis, et cæteris Sclavis dicuntur Czechi, Bojohemos nominari fecit: quum Bojohemi propriæ fuerint Boji Galli ante Marcomannos regionem Hercinia sylva incinctam habitantes, quæ inde nomen Bojohemi acce-

Digitized by Google

## CAPUT II.

*De Scandinavia insula, et quia ex ea Winilorum, hoc est, Langobardorum gens est egressa.*

Pari etiam modo, et Winilorum, hoc est Langobardorum gens, quæ postea in Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis, * originem ducens, licet et aliæ causæ egressionis eorum asseverentur, ab insula quæ Scandinavia dicitur adventavit, cujus etiam in-

pit : nempe ut Marcomanni, et postmodum Czechi, quia Bojohemum occuparunt dicti sunt Bojohemi : sic Vinidi Sarmatæ, quia Vandalorum obsederant agros, appellati sunt Vandali, cui appellationi haud parum causæ præbuit, quod Vinidorum, ac Vindilorum nomina, haud omnino sibi invicem absimilia, *etc.* »

Adversus hæc Hugo Grotius in suis prolegomenis ad Historiam Gothicam, Wandalicam, et Langobardicam, etsi Cluverii suppresso nomine, gentes eas, aliasque Paulo memoratas Scandinaviæ restituturus, acerbius fortasse, quam par erat, invehitur rerum Suedicarum amore accensus : immo lubidine quadam scriptoribus pene omnibus recentioris ævi hac in re communi, qua singuli nostras a suis ereptas opes, et eversum imperium acerrime contendunt, æternam profecto famam e nostris spoliis sibi mordicus vindicantes. Grotius itaque postquam Gothorum origines contra Cluverii sententiam ad Scandinaviam, immo ad Suedos revocavit, hæc de Wandalis, et Langobardis eruditissime disserit : « De Wandalis quid est quod quisdam hoc tempore afferre se putet posse exploratius, quam mille abhinc annis Procopius attulit, qui in Africa cum Wandalis sæpissime est collocutus, præterea Gilimerem Wandalorum regem, proceresque Wandalos Constantinopolim perductos quotidiana familiaritate cognovit? Credibilene est hominem, adeo omnia antiqua percunctandi cupidum, id vel non præcipue quæsivisse, unde essent illi Hispaniæ, Africæque insessores Wandali, aut Gilimerem, et alios ejus gentis primores ex fama antiqua, carminibusque perpetua memoria proditis nihil habuisse certi quod responderent? Is autem Procopius Wandalicorum primo Wandalos non minus, quam Ostrogothos, quam Westrogothos, quam Gepidas, populos esse dicit Gothicos, nominibus distinctos, origine, ac moribus congruentes : linguam præterea ipsis esse Gothicam, neque se dubitare quin olim una gens fuerint, ac ne temere id dixisse putetur, Gothicorum quarto rursum Gothicis populis Vandalos accenset : eosque pariter cum Gothis e patria sede ad Meotidem paludem venisse memorat. Accedat Jornandes, qui ubi Scanziæ recenset populos, ponit et Vinoviloth, quæ vox Winolorum possessionem significat. *Ot* enim possessio est etiam priscis Saxonibus, unde *feot*, sive feudum fiduciaria fructuum possessio. Ii autem qui Græcis Vandili, aliis Vandalii, Vandali, Wandali, Tabulæ veteri Vanduli, Paulo Warnefridi sunt Winili, Adamo Bremensi Vinuli, aliis Winuli, mutatis vocalibus, ac *D* littera, aut addita, aut extrita, quod crebrum Germanis, et ante monuimus. Procopio, et Jornandi testem de Wandalorum origine mox addam Paulum Warnefredi, ubi ad Langobardos pervenero. Non ignoravit pleraque hæc vir ille lectionis plurimæ, sed ingenio fisus, ut alibi sæpe, cedere his noluit. Quid igitur ipsum in hac re, ut ante de Gothis a vetustissima opinione depulit? Lubido quædam. Quid tamen obtendat videamus. Sub Vindelicis Plinius in Germania comprehendit Burgundiones, Varrinos, Carrinos, Guttones, ubi est Vindelici in codicibus vult legi Vindeli. Facile largior unam eamdemque esse vocem terminatione, quæ libera externis, diversam non invitus agnosco. At quid id causæ meæ nocet, cum Wandalos jam olim, et ut credo inter primos, nam eo me inducit Jornandes in Germaniam pervenisse, ibique nonnullos reliquisse sui sanguinis, et nominis populos, ut et Gothi fecere non negem? Et hoc quidem ad discutiendum quod objicitur satis est. Ceterum, ut dicam quod sentio, rebusque per antiquitatem obscuris lucis, quantum potero, adferam, non credo aut Wandalos, aut Suedos gentis esse nomen, sed sicut Jazyges quidam dicti sunt Metanastæ, et Latinis Sarmatæ vagi, sic et Germanorum quosdam arbitror non a se ipsis, sed ab iis, qui primi eorum vim sensere, quomodo a Tungris orta Germanorum appellatio, dictos modo Suevos, modo Wandalos. Cur autem alii hoc, alii illo nomine, id censeo fortuitum, prout visum est populis, quos attigerant, nam voce et hac, et illa eos significari, qui non certis se tenent sedibus, sed nunc huc, nunc illuc ambulant, novere omnes qui Germanicum sermonem, etc. » Et infra : « Non ergo quærendum nobis est, quam late patuerit Wandalorum appellatio : patere enim tam late potuit, quam ipsa vagandi, alienaque occupandi mos; sed unde illi qui Hispaniam, ac post Africam tenuere Wandali, de his enim nunc agimus, ortos se et crediderint, et dixerint : qua in re deceptos eos fuisse non magis credibile est, quam si quis de Batavis velit idem suspicari, qui a Cattis se ortos Tacito, Romanisque aliis aliquot post sæculis prædicabant. Quibus accedat Dexippi veteris historici testimonium. Scripsit enim is Galieni temporibus, ut ex Trebelio et Eunapio discimus. Is autem eos de quibus agimus Vandalos, non ab interna Germania, ubi Vandalos ponit Tacitus, sed ab Oceani littore venisse memorat : de Langobardis illis dico, quorum ingens tum alibi, tum postremo in Italia potentatus fuit. Cui potius credam quam Paulo

* Lindenbrogius legit : « Originem ducens e Scandinavia Baltei, seu Baltici maris insula, novarum sedium quærendarum gratia ob multitudinem profecta est, licet aliæ causæ egressionis eorum asseverentur. Cujus, etc. » Longum esset hic veterum repetere fabulas, et errores de insula Scandinavia, Plinii præsertim, unde non paucos hausit Paulus noster, quod eam Latini, et Græci, ut Zieglerus in suo peculiari libello scripsit, fere incognitam habuerunt : argumento est quod isthic terrarum zonam frigidam perpetuis damnatam nivibus, omnisque animantis impatientem dixerunt magno consensu, etc. Ita Plinio, et Solino appellatur, Jornandi Scanzia, veteribus Baltia, et Basilia, ut allatis testimoniis probant Cluverius, Grotius, Cellarius, aliique in illius descriptione, Ziegloro Schondia, atque hæc de illius etymologia scribit : « Mansit illi Schondiæ nomen, quod amœnitatem, ut dixi, sive ut verbum verbo reddam, pulchritudinem significat, quoniam cœli beneficio, telluris obsequio, portuum, et emporiorum commoditate, maritimis opibus, lacuum, et fluminum piscatione, venatione nobilium ferarum, auri, argenti, æris, et plumbi inexhaustis venis, coloni industria agro exercendo, oppidorum frequentia, civilibus institutis nullæ cedit beatæ regioni. » Verum hæc eruditorum consensu nominis etymologia reprobata, eaque penes cæteros invaluit, quam Grotius ex Jornande colligit cit. prolegom. pag. 3 : « Quia omnes ejus terræ populi excisas rupes (ut legit ipse) pro castellis habebant, eaque ipsa munimenta Scantzen dixere. Hinc factum Scandia, et addito *au* vocabulo, quod terram significat, *Scandinavia.* » Illius descriptio summatim ex ipso Ziegloro apud quem tabulæ « Circumscribitur autem ab Occidente Oceano Hyperboreo, a Septentrione terra incognita, ab Oriente parte Russiæ albæ, et mari Balthico, a meridie Gothano sinu, et parte Daciæ. Complectitur vero imperia regia, tria Nordvegiam, Sveciam, Gothiam. Dynastias vero quæ regibus parent 37. » Peninsula verius quam insula, tantæque magnitudinis, ut veteribus alterius orbis venerit appellatione, ut apud Plin. lib. IV cap. 16.

Digitized by Google

sulæ [a] Plinius secundus in libris quos de Natura rerum composuit, mentionem facit. Hæc ergo insula, sicut retulerunt nobis qui eam lustraverunt, non tam A in mari est posita, quam marinis fluctibus, [b] propter planitiem [c] marginum, terras ambientibus circumfusa. [d] Intra hanc ergo constituti populi, dum in tan-

quam Paulo Warnefredi Langobardo? Quid enim in his a nostra memoria remotis adeo rebus haberi certius potest, quam quod gentis cujusque carmina, et a majoribus ad posteros manans perpetua fama servavit? Ejus hæc sunt in Langobard. *Pari modo*, etc. Langobardos recte Winulos, id est vagos vocat, quos tamen mox cum Wandalis ait pugnasse, quia ejusdem vocis mutata temporibus pronunciatio effecerat, ut aliud id nomen putaretur: quod cum recte observaverit Germaniæ descriptor laudem ei promeritam lubens reddo. Secutus Paulum Bremensis et ipse eosdem dici ait Wandalos per Winulos. Sed addendus est Pauli illius notissimis locis alius minus cognitus ex miscella ejus historia, namque ubi ad Theodosii filiorum pervenit tempora sic ait ipse, ut dixi, Langobardus:—Eodem tempore erant Gothi, et aliæ gentes multæ, et maxime trans Danubium habitantes: ex quibus rationabiliores quatuor sunt, Gothi scilicet, Huisigothi (mendose editur Hypogothi, quod ex aliis ejusdem scriptoris locis evincitur; solebant autem HU. pro W. poni), Gepides, et Vandali, et nomen tantum, et nihil aliud mutantes, omnes autem fidei erant Arianæ malignitatis. Isti sub Arcadio, et Honorio Danubium transeuntes, locati sunt in terra Romanorum, et Gepides quidem, ex quibus postea divisi sunt Langobardi, et Avares, villas quæ sunt circa Singidonem, et Sirmium habitavere. — Et ex Græcorum non editis libris excerpsit nobis eruditissimus Salmasius,—Γήπαιδες οἱ λεγόμενοι Λογγοβάρδοι, id est, *Gepidæ, qui dicuntur Langobardi;*—sic et Constantinus Porphyrogeneta CP. Imp. ex Theophanis Historia transcripsit,—Γήπαιδες ἐξ ὧν ὕστερον διῃρέθησαν Λογγοβάρδοι: *Gepidæ ex quibus dissidio facto orti Langobardi.*—Si ex Gepidis sunt Langobardi illi, quorum Paulus meminit, sane primitus ex Gothis: Gepidæ namque sine dubio ex Gothorum prosapia ducunt originem, quæ verba sunt Jornandis, atque idem unde proprium nomen acceperint nescire nos non patitur: nam quod cum primum Gothi e Scanzia tribus navibus exiissent, navi una tardius vecti qui fuerunt, dissociato a gentilibus cæteris consilio, suo insulam Vistulæ amnis insederint, unde post in longinquiora sunt profecti, originem Gepidarum nominis Jornandes a mora ipsorum deducit: apud quem male Gepanta pro Gepaita nunc legitur, est enim *Gepait* Germanis is qui moram fecit, isque sonus etiam clarior auditur in eodem nomine, ut a Græcis effertur Γήπαιδες; etiam Procopius, ubi gentes illas cognatas, moribusque, et sermone connexas memorat Gothis, id est Ostrogothis, Wisigothis, et Vandalis, addit Gepidas, et Gepidarum principi nomen ait fuisse Ostrogotho, neque vero primus hanc Langobardis suis dedit Paulus Warnefredus, sed ante eum idem scripserat Prosper Aquitanus, vir optimæ fidei, episcopus Rhegiensis, cujus, ubi ad Theodosii ventum est tempora hæc sunt verba:—Langobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinus littore, Scandiaque insula magna egressi, et novarum sedium avidi, Ibone et Ajone ducibus Vandalos primum vicerunt.—Hos secutos auctores Otto Frisingensis Langobardis non minus quam Gothis originem e Scanzia assignat. Quid vero his, qui se opponit homo minime elinguis, nihilne habet quod pro se dicat? habet sane; sed, si quid ego video, leve admodum. Langobardos, ait, multo ante hujus exitus tempora in interiore Germania ponunt Strabo, Tacitus, Ptolemæus, ponunt sane, nec uno loco: ad Viadrum Tacitus, cis Albim et Strabo, et post Tacitum Ptolemæus. Facilis solutu nodus, si quis consideret nomen hoc nihil aliud significare, quam promissæ barbæ homines, ut omnes Germani norunt, et Paulus ille agnoscit. Talia autem ex habitu nomina diversis locis, atque temporibus, nunc his, nunc illis hominibus ab iis ad quos accedunt dari solent. Erat quidem Germanis usitatum, memorante Tacito,—crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum, obligatumque virtuti oris habitum;— et exemplum in civili Batavo habemus apud eumdem scriptorem. Sed quoties ingens agmen uno eodemque oris habitu accesserat, non mirum si ea novitas, nunc hic, nunc illic novo nomini causam dedit. Quid commune Domitio Ahenobarbo, et Friderico Barbarossa, aliisque piratæ ejusdem nominis? nihil (immo Μακροπωγώνοις, et Langobardis), nisi quod eadem fuit oris species, unde appellatio eadem exorta est. Omnia quæ huc usque disputavimus in unum collecta firmat imperator CP. quem B modo nominavi Constantinus Porphyrogeometer [Porphyrogeneta], auctorem laudans in Sanctorum album a Græcis relatum Theophanem; ait enim unius Gothicæ originis esse, et Gothos ita proprie dictos, et Gepidas, et Wandalos: ex Gepidis autem esse Langobardos. Credamus ergo veteribus, quando hic novi Scriptores nihil credi dignius attulere, Wandalos, Ostrogothos, Westrogothos, Gepidas, Langobardos, omnes Scanziæ, et quidem ei parti, quam Suones tenent, suam debere originem. Northmannorum autem posteriori vocabulo Sueonas, vel præcipue contineri. » Hæc fusius quam præpositus nobis notarum modus expetebat e Cluverio, et Grotio exscripsisse lectoribus fortasse non injucundum. Erunt enim integræ dissertationis loco ad Langobardorum originem cognoscendam postquam Cluverius a Paulo, aliisque medii ævi Scriptoribus abscessit, multosque recentiorum in suam sententiam adduxit, abrogata veterum fide. Reliqua vero quæ Bodinus in medium protulit, ut Langobardos e Gallia sua deduceret, a Langonibus C nempe, ac Bardis, omnibus pene scriptoribus sunt reprobata.

Cæterum ad Grotii partes, immo Pauli nostri meus adhuc libenter calculus accedit, si tamen tanti est, ut numerum faciat, constantissimæ gentis illius traditioni plurimum tribuens, quæ unica rerum gestarum memoriam inter arma, et frequentes migrationes, et, quod magis est, inter feroces, ac illiteratos mores diu servavit, et cicuratis in Italia Langobardis, sero quidem in historiam concessit, Pauli nostri potissimum beneficio. Traditionem hanc unicum Langobardis monumentum antiquitatis aperte fatetur in suo legum proœmio Autharis ipse Rex, qui cæterorum nomina regum ex memoria senum recenset; unde non mirum si vel anachronismus irrepserit, vel manca, et minus exacta rerum series habeatur. Accedit

[a] Lindenbrogius notat lib. IV, cap. 13. Locus iste a D Cluverio excussus lib. III Germaniæ antiq., cap. de Scandinavia.

[b] *Propter planitiem marginum terras ambientibus.* Hæc in Ascensiana editione desunt. Lindenbr.

[c] *Marginum.* Al., *marium.* Lind.

[d] Audi Cluverium hoc loco. « Quid hoc, quæso, est dicere: Non est in mari sita, sed fluctibus marinis circumfusa? Video quid hominem deceperit. Audiverat ab aliquo de Selandia insula, quæ littoribus est planis quam ille intellexit Scandiarum esse maximam, audiverat item de immensa illa Scandinavia peninsulam hanc potius esse quam insulam. Narrationes has duas per oblivionem, ut credo, postea confundens unam inde fecit insulam parvam, non tam in mari positam, quam marinis fluctibus circumfusam; quibus verbis peninsulam indicare voluit. Hæ igitur Ptolemæi, Diaconique, et si quæ aliorum fuerint similes nugæ, repudiandæ sunt, ne dum eas amplectimur, graviorum auctorum fidei injuriam faciamus. »

Digitized by Google

tam multitudinem [a] pullulassent, ut jam simul habitare una valerent, in tres, ut fertur, omnem catervam partes dividentes, [b] quæ ex illis pars patriam relinquere, novasque deberet sedes exquirere, sorte perquirit.

## CAPUT III.

*Quod Ibor et Ayo, primi duces Winilorum, cum matre sua Gambara fuerunt.*

Igitur ea pars, cui sors dederat genitale solum excedere, exteraque [c] arva sectari, ordinatis super se duobus, Ibor scilicet et [d] Aione, qui et germani erant, et juvenili adhuc ætate floridi, et cæteris præstantiores, ad exquirendas quas possint incolere terras, sedesque statuere, valedicentes suis simul et patriæ, iter arripiunt. Horum erat ducum mater, nomine [e] Gambara, mulier [f] quantum inter suos, et ingenio acris, et [g] consiliis provida; de cujus in rebus dubiis prudentia non minimum confidebant.

## CAPUT IV.

*De septem viris apud Germaniam dormientibus.*

Haud ab re esse arbitror, paulisper narrandi ordinem postponere, et quia adhuc stylus in Germania vertitur, miraculum quod illic apud omnes celebre habetur, sed et quædam alia breviter intimare. In extremis [h] Circium versus Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore, antrum sub eminenti rupe conspicitur, ubi septem viri (incertum ex quo tempore) longo sopiti sopore quiescunt, ita illæsis non solum corporibus, sed etiam vestimentis, ut ex hoc ipso, quod sine ulla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles easdem et barbaras nationes, venerationi habeantur. Hi denique quantum ad habitum spectat, Romani esse cernuntur. E quibus dum unum quidam, cupiditate stimulatus, vellet exuere, mox ejus, ut dicitur, brachia aruerunt, pœnaque sua cæteros proterruit, ne quis eos ulterius contingere auderet. [i] Videris ad quem eos profectum, per tot tempora, Providentia divina conservet. Fortasse horum quandoque, quia non aliter nisi Christiani esse putantur, gentes illæ prædicatione salvandæ sunt

## CAPUT V.

*De gente Scrito-Winorum.*

Huic loco [j] Scritobini, sic enim gens illa nomina-

Accedit etiam ad firmandam Paulo fidem sanctissimi pontificis Gregorii cognomento Magni testimonium, mea quidem sententia plurimi faciendum; quippe tot ipse cum Langobardis pace, belloque in ipso gentis in Italiam adventu res gessit, ut illius originem, et novisse debuerit, et a Jornande fideliter enarratas (erat enim infelici sæculo divinarum, humanarumque rerum peritissimus) observavit. Hinc libro Dialog. III, cap. 38, hæc habet: « Mox illa terribilia a cœlo signa secuta sunt ut hastæ, atque acies igneæ ab Aquilone viderentur. Mox effera Langobardorum gens de vagina suæ habitationis educta in nostram cervicem grassata est, » eaque verba *de vagina suæ habitationis* a Jornande profecto exscripserat lib. I cap. 4 edit. nostræ, pag. 193.

Demum non incongrua huic loco quæ præfatur Albertus Krantius in sua Dania: « Operæ pretium, inquit, visum est uniuscujusque regni res seponere, ut suum cuique decus respondeat, divisimque recognoscatur quid rerum Dacia, quid Svecia (quæ et Gothia) quidque Norvagia peregerit. Nam regnum Langobardorum in Italia (quam Galliam veteres Itali dixere Cisalpinam) constitutum, Danorum gloria est Scania egressorum: Gothorum autem decus subegisse Italiam, vastasse urbem Romam, diu regnum in Italia, diu in Galliis et Hispaniis tenuisse. Norvagii vero proprium sibi vindicarunt maritima Franciæ de suo nomine dixisse Normanniam, inde in Mediterraneam Italiam usque penetrasse, ac in Apulia, Calabriaque primo ducatum, et in Sicilia comitatum, postea nobile regnum in utraque Sicilia, quod usque in hanc diem durat, fundasse. »

[a] *Pullulassent*. Modoet. *populassent*.

[b] Modoet., *quædam ex illis pars patriam relinquens, ut novas deberet*, etc. Lindenb., *quænam ex illis patriam esset relictura, ut novas sedes exquirerent sorte disquirunt*.

[c] *Arva sectari, et terras petere*. Lind.

[d] *Aione*, al., *Agione*, et sic infra quoque Lindenbr., ita M. Hic revocanda sunt, quæ de egressu Langobardorum his ducibus scripserat Prosper Aquitanus loco a Grotio citato.

[e] Saxo Grammaticus, Hist. Daniæ, lib. VIII, eam appellat *Gambaruc*.

[f] Alias, *quantum inter barbaros*. Lind.

[g] Alias, *cum filiis provida*. Lind.

[h] Sic editio Augustana. Ms., *circumversus*. Alias *circumversis* (ut M.), alias *in extremis autem Germaniæ finibus*. Lind. Retinendum omnino *Circium*.

[i] Septem sanctorum martyrum Dormientium historiam sub Decio Ephesi coronatorum ex Metaphraste, Cedreno, aliisque Græcis auctoribus refert Baronius in an. ad an. Ch. CCLIV, et in Martyrol. Rom. 27 Julii. De aliis septem ex Gregorio Turonensi, et Sigeberto, quos eosdem esse putat ac eos quorum hic meminit Paulus, ea fortasse conjectura, quod auctor noster ab eodem sancto Gregorio Acta sancti Hospitii pene ad verbum historiæ suæ, nec non alia pleraque inseruerit, ut infra notabimus. Verum sanctus Gregorius in Majori Monasterio vulgo *Marmoutiers* prope Turonum, et Paulus in extremis Germaniæ finibus Circium versus, hoc est ad ipsum Oceani littus locum dedere Dormientibus; unde alios esse facilius mihi persuadeam; etsi non me lateat, citatam a doctissimo Baronio epist. S. Gregorii Tur. a recentioribus inter supposititias amandari. Cæterum an Paulo sit habenda fides integrum cuique quod libuerit.

[j] Alias, *Scrictofinni*. Lind., *Scrittobini*. Ambros., *Scriptobini*. Modoet. hos a *saltando* vocatos scribit. Durat hodie illa vox apud Germanos; nam *Scriten* est *divaricare*, et *diducere pedes*, vel, ut Paulo placet, saltare; in quo ille cum Græcis convenit, qui id σκιρτᾶν dicunt. In nomine dissentit a Procopio, in cujus de bello Gothico lib. II Σκριτιφίνοι vocantur; ab aliis *Scritofini*. Lind. De iis Cluverius lib. III Germ. antiq. cap. 38: « In cujus (Scandinaviæ insulæ) extremis, versus Circium, in ipso Oceani littore Scritobinos collocat Paul. Diacon., lib. I, cap. 4 et 5, qui, hodieque in extremo Finnomarchiæ versus Septentriones littore, ad Rubeas promontorium dicuntur *the Scricfinder*, » et infra pag. 175: « Nomen illorum a Procopio, lib. II de rebus Gothicis, citatur Σκριθιφίχοι, vocabulo depravato pro Σκριθιφίνοι Schritifinni, nam etiam nunc totum hoc genus appellatur Finnem, et Fennem. Neque enim eorum placet intempestiva κρίσις, qui nuper in Diacono juxta atque Jornande legendum docuerunt *Scritobini*, tanquam a voce *bein*, quæ pedem sive crus significat, eorum deductum sit nomen, quia Diaconus tradit a saliendo Germanica lingua id formatum. Ex Fennorum, sive Finnorum eos fuisse nomine pariter, ac genere, si non tot auctorum *F* vel Φ scribentium unanimis persuadere potuit consensus; id saltem movisset, quod hodieque

Digitized by Google

tur, vicini sunt, qui etiam æstatis tempore nivibus non carent, [a] nec aliis, [b] utpote feris ipsis ratione non dispares, [c] quam crudis agrestium animantium carnibus vescuntur; de quorum etiam [d] hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi a saliendo, juxta linguam barbaram etymologiam ducunt. Saltibus enim utentes, arte quadam ligno incurvo, ad arcus similitudinem, feras assequuntur. [e] Apud hos est animal, [f] non satis assimile cervo, de cujus ego corio, ut fuerat pilis hispidum, vestem in modum tunicæ, genu tenus aptatam conspexi, sicut jam fati, [g] ut relatum est, Scritobini utuntur. Quibus in locis circa æstivale solstitium, [h] per aliquot dies, etiam noctu clarissima lux cernitur, diesque ibi multo majores quam alibi habentur, sicut e contrario, circa [i] brumale solstitium, quamvis diei lux adsit, sol tamen ibi non videtur, diesque minimi quam usquam alibi, noctes quoque longiores existunt. Quia scilicet, quanto magis a [j] sole longius disceditur, tanto sol ipse terræ vicinior apparet, et umbræ longiores excrescunt. Denique in Italia, sicut et antiqui scripserunt, circa diem natalis Domini, novem pedes in umbra staturæ humanæ, hora sexta metiuntur. Ego autem in Gallia Belgica, in loco qui [k] Totonis villa dicitur, constitutus, status mei umbram metiens, decem et novem, et semis pedes inveni. Sic quoque contrario modo, quanto propinquius meridiem versus ad solem acceditur, tantum semper umbræ breviores videntur, [l] in tantum, ut solstitio æstivali respiciente sole de medio cœli, in Ægypto, et Hierosolymis, et in eorum vicinitate constitutis locis, nullæ videantur umbræ. In Arabia vero hoc ipso tempore sol supra medium cœli, ad partem Aquilonis cernitur, umbræque versa vice contra meridiem videntur [m].

## CAPUT VI.

*De duobus umbilicis Oceani maris, qui sunt ex utraque parte Britanniæ.*

Nec satis [n] procul ab hoc de quo præmisimus littore, contra occidentalem partem, qua sine fine Oceanum pelagus patet, profundissima aquarum illa vorago est, quam usitato nomine maris umbilicum vocamus, quæ bis in die fluctus absorbere, et rursum evomere dicitur, sicut per universa illa littora, accedentibus, et recedentibus fluctibus, celeritate nimia fieri comprobatur. Hujusmodi vorago, [o] sive vertigo, a poeta Virgilio Charybdis appellatur [p], quam ille in freto Siculo esse suis in carminibus loquitur, hoc modo dicens :

> Dextrum Scylla latus, lævum [q] implacata Charybdis
> Obsidet, atque imo barathri ter gurgite [r] vastos
> Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
> Erigit alternos, et sidera verberat unda.

Danis, Norvagiis, ac Sveonibus; sibique ipsis appellantur Skrikfinner, vel, ut illorum fert orthographia, Skrikfinner. » A Cluverio minime in his dissentit Grotius in proleg., qui et alias hujus gentis appellationes e veterum testimoniis adfert. Cæterum de situ eorum hæc Adamus Bremensis de situ Daniæ : « In confinio Sveonum, vel Nordmannorum contra Boream habitant Scritefinni, quos aiunt cursu feras præire ; civitas eorum maxima Halsingaland, et Halsingaland regio est, etc. »

[a] Alias, *nec aliter fieri potest, quam ut crudis agrestium animantium carnibus*, etc. Lind.

[b] Ambros. et Modoet., *nec aliud*.

[c] Modoet., *quin*.

[d] Modoet., *hirsutis*.

[e] Scritofinnorum mores paulo aliter describit Procopius de bello Gotthico, etsi eos, errore maximo, ad ultimam Thulen ablegat; lib. II, cap. 15, edit. nostræ pag. 287.

[f] Aliis deest τὸ *non*. Lindenb.

Legendum fortasse *non satis absimile cervo;* namque de fera illa quam hic Paulus describit hæc sæpe laudatus Cluverius lib. I Germ. antiq., pag. 135 : « Est hodieque animal in illis terris magnitudine, et cornibus cervo haud absimile, vocabulum ei vulgare *een rhene*, e quo nomen traxisse, modo dictum tegumenti genus (nempe rhenonem Cæsare, et Sallustio memoratum, quod describit Isidorus lib. XIX, cap. 23) quod Paulus vidit in Italia, aut Gallia, haud dubium est; nam quod quidam Grammatici hodie docent dictum fuisse rhenonem ἀπὸ τῶν ῥηνῶν, id est ab agninis pellibus, id falsum esse testatur Varro lib. IV de Lingua latina, qui Græcæ linguæ haud ignarus, peregrinum id, atque Gallicum affirmat esse vocabulum, et item Isidorus, qui Germanicum. »

*Non satis* pro *non multum*, habet infra Paulus cap. VI, Anastasius Bibliothecarius aliique hujus notæ scriptores ; quanta dicendi elegantia ipsi viderint.

[g] Modoet., *qua, ut relatum est Scriptobini*, etc. Lindenb., *qua, ut ferebatur Scrictofinni*, etc.

[h] Hæc verba usque ad illa *quamvis diei*, in Ascensiana editione desunt. *Lindenb.*

[i] Modoet., pro *brumale*, legit *pruinale*.

[j] Τὸ *longius* aliis deest. Lind.

[k] Al., *Turonis villa*. Lind.

Servandum omnino *Totonis* nomen contractum. Theotonis villa notissima in historiis Francorum ; ibi enim sub Merovingis, et Carlovingis regibus diu stetit celeberrimum palatium, in quo Carolus Magnus habito conventu procerum, advocatisque filiis Pipino et Ludovico, regnum partitus est, ac testamentum condidit nova servandæ pacis constitutione, aliisque solemniis roboratum. An. rer. gest. a Carolo Magno anno DCCCV, et VI. Michael Germanus apud Mabil. de Re diplom. lib. IV, cap. 141. Exstat adhuc illius constitutio sub nomine *Capitularis* Caroli Magni dati ad villam Theotonem anno ejus imp. V. Hodie Gallis *Thionville* ad Mosam fluvium, haud longe ab urbe Mettensi, de qua Paulus noster Historia episcoporum illius optime meritus.

[l] Al., *in tantum ut circa solstitium æstivale respicienti solem de medio cœli in Ægypto, et Syene, et eorum vicinia nullæ*, etc. Lindenb.

[m] Hæc Paulus forte a Plinio, Hist. natur. lib. II, cap. 75. Notissimi ex sphæra populi ἄσκιοι, ἀμφίσκιοι, ἑτερόσκιοι, περίσκιοι, hoc est qui nullas, aut utrinque habent umbras, alterumbres, ac circumbres, de Arabibus vero vulgatissimum illud :

> Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
> Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

[n] *Nec satis*, alias *nec multum*. Lind.

[o] *Sive vertigo*, aliis desunt. Lind. ita et in Modoet.

[p] Æneid. lib. III, aut tamen etiam Thule attribuunt, ut et Stat. lib. V, Sil. 1.

> . . . . E refluo circumsona gurgite Thule.

Quod vero additur, naves ibi absorberi, ac rursum evomi, idem tangit et Ovidius Metamorph. lib. XIII, fab. 8.

> Scylla latus dextrum, lævum inquietata Charybdis
> Infestat, vorat hæc raptas, revomitque carinas.

Lindenbrogius.

[q] *Implacata*, alias *implicata*. Lind.

[r] *Vastos*, alias *vasto*. Lind.

Digitized by Google

Ab hac sane de qua diximus [a] vertigine, sæpe naves raptim, cursimque attrahi affirmantur, tanta celeritate, ut sagittarum per aera lapsus imitari videantur, et nonnunquam in illo baratro horrendo nimis [b] exitu pereunt. Sæpe cum jam jamque mergendæ sint, subitis undarum molibus retroactæ, tanta rursus agilitate exinde elongantur, quanta prius [c] attractæ sunt. Affirmant esse et aliam hujusmodi voraginem, inter Britanniam insulam [d], Galliamque provinciam; cui etiam rei astipulantur [e] Sequanicæ, Aquitaniæque littora, quæ bis in die tam subitis inundationibus opplentur, ut qui fortasse aliquantulum introrsus [f] littore repertus fuerit, evadere vix possit. Videas earum regionum flumina [g], fontem versus cursu velocissimo relabi, ac per multorum millium spatia, dulces fluminum lymphas, in amaritudinem verti. Triginta ferme a Sequanico littore [h] Evodia insula millibus distat, in qua, sicut ab illius incolis asseveratur, vergentium in eamdem Charybdim aquarum garrulitas [i] auditur. Audivi quemdam nobilissimum Gallorum referentem, quod aliquantæ naves, prius tempestate convulsæ, postmodum ab hac eadem Charybdi voratæ sunt. Unus autem ex omnibus viris solummodo, qui in navibus illis fuerant, morientibus cæteris, dum adhuc fluctibus spirans supernataret, vi aquarum [j] fluentium abductus [k] ad oram usque immanissimi illius baratri pervenit. Qui cum jam profundissimum, et sine fine patens chaos aspiceret, ipsoque pavore præmortuus, se illuc ruiturum exspectaret, subito quod sperare non poterat, saxo quodam superjectus insedit. Decursis siquidem jam omnibus, quæ sorbendæ erant, aquis, [l] oræ illius fuerant margines denudati. Dumque ibi inter tot angustias anxius, vix ob [m] metum palpitans resideret, dilatamque ad modicum mortem nihilominus oppe-

A riret, conspicit ecce subito, quasi magnos aquarum montes de profundo resilire, navesque, quæ absorptæ fuerant, primas emergere. Cumque una ex illis ei contigua fieret, ad eam se nisu [n] quo potuit apprehendit. Nec mora, celeri volatu prope littus advectus, metuendæ necis casus evasit, proprii postmodum periculi relator existens. Nostrum quoque, id est, Adriaticum mare, [o] quod licet minus, similiter tamen Venetiarum, Hystriæque littora pervadit, credibile est parvos hujusmodi, occultosque habere meatus, quibus et recedentes aquæ sorbeantur, et rursum [p] invasuræ littora revomantur. His itaque prælibatis ad cœptam narrandi seriem redeamus.

B

## CAPUT VII.

*Quod Winili in Scoringam venerunt; et quia Ambri, et Assi Wandalorum duces eis tributa persolvere mandaverunt.*

Igitur egressi [q] de Scandinavia Winili, cum Ibor, et Ayone [r] ducibus, in regionem quæ appellatur Scoringa venientes, per annos illic aliquot consederunt. Illo itaque tempore, Ambri et Assi, Wandalorum duces, vicinas quasque provincias bello premebant. Hi jam multis elati victoriis, nuntios ad Winilos mittunt, ut, aut tributa Wandalis persolverent, aut se ad belli certamina præpararent. Tunc Ibor, et Ayo, annitente matre Gambara, deliberant melius esse armis libertatem tueri, [s] quam tributorum eamdem solutione fœdare; mandant per legatos Wandalis, pugnaturos se potius quam servituros. C Erant siquidem tunc Winili universi, ætate juvenili florentes, sed numero exigui, quippe qui unius non nimiæ amplitudinis [t] insulæ, tertia solummodo particula fuerint.

[a] *Vertigine*, alias *voragine*. Lind.

[b] *Exitu*. Modoet., *exitio*.

[c] De hac voragine Cluverius: « Nunc ad confinia Norvagiæ, Finnomarchiæque esse vulgari vocabulo Maelstroom, vel, ut alii vocant, Muskestroom inter insulas Laffot et Uveroe nemo harum regionum peritus ignorat. » Zieglerus in tab. Nordvegiæ, hæc addit: « Mare inter insulas, et Nordvegiam dicitur Tyalleslund, Euripus, vel angustiæ Stalwen insula, etc. Lofoth, etc. Langanæs, etc. Vastral, etc. Inter tres has insulas mare appellatur Muskostrom, id est æstus. Ilic mare sorbetur intra cavernas accedente fluxu, et reflatur refluxu, quanto maximo impetu D deferuntur torrentes. Navigatur hoc mare donec inferius est faucibus scopulorum: et qui inique tempore inciderint feruntur præcipites in voraginem. Naufragiorum reliquiæ perraro redduntur, et si quando redduntur, reperiuntur robore attrita collisione scopulorum, ut lanugine quasi obducta videantur. Hæc est potentia naturæ fabulosas Symplegadas, et formidatam Maleam, et Siculam Charybdim, et omnia miracula superans: quæ naturam edocere reliquo mari compertum mortalibus est. »

[d] Ambros., *Galliamque*.

[e] Al., *Sequanica*, *Aquitanicaque littora* Lind. ita Modoet.

[f] Al., *ad littora deprehensus*. Lindenb. Modoet., *ad littora repertus*.

[g] *Fontem*. Modoet., *fontes*.

[h] Frequentius *Ebodia* vulgo Ornay, et Alderuay. Gulielmus Camdenus in sua Britannia: « Primumque Normanniæ, sive Lexobiorum littori Alderney adjacet, quæ in regiis Archiviis Aureney, et Auriguey dicta, ut Aurica illa videatur, quæ apud Antoninum inter Britannici maris insulas habetur. Hæc vix septem a promontorio Normanniæ *le Haque* abest mil., etc. Hinc in occasum scopulosa cautium eminentia procurrit nautis metuenda, quibus *Casquettes* appellantur. »

[i] Al. deest τὸ *auditur*. Lindenb.

[j] Al. deest τὸ *fluentium*. Lindenb.

[k] Modoet., *ora usque immanissima illius*, etc.

[l] Al., *ora illius voraginis denudata relicta erant*. D Lind. Ita Modoet.

[m] Al., *propenso metu, palpitansque resideret*. Lind.

[n] Lind. et Modoet., *quo potuit accedens apprehendit*.

[o] *Quod licet Oceano dissimile, tamen Venetiæ, Istriæque littora pervadat*. Lind.

[p] Al., *invaso littore revomantur*, Lind., *invaso littore revertantur*. Modoet.

[q] Alii addunt, *sex Scandavia insula*. Lind.

[r] Sanctus Prosper Aquitanus in chronico..

[s] Al., *quam tributorum pensione fœdare*. Lindenbrog.

Modoet., *quam tributi eos pro solutione fœdari*.

[t] Hinc evincet aut Paulo Scandinaviæ notitiam, quam in ipso Plinio legerat « immensæ magnitudinis, portionem tantum ejus, quod sit notum, Hillevionum gente D. incolente pagis, alteramque orbem terrarum » appellari memoria excidisse, aut sibi forte fuisse compertum Winilos ab una ex adjacen

Digitized by Google

## CAPUT VIII

### *De Wodan, et Frea, ridicula fabula.*

Refert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quod accedentes Wandali ad [a] Wodan, victoriam de Winilis postulaverint, illeque responderit, se illis victoriam daturum [b] quos primum oriente sole [c] conspexisset; [d] tunc accessisse Gambaram ad Fream, uxorem Wodan, et Winilis victoriam postulasse, Freamque consilium dedisse, ut Winilorum mulieres, solutos crines erga faciem, ad barbæ similitudinem [e] componerent, maneque primo cum viris adessent, seseque a Wodan videndas pariter [f] e regione, qua ille per fenestram, Orientem versus, erat solitus aspicere, collocarent; atque ita factum fuisse. Quas cum Wodan conspiceret Oriente sole dixisse: Qui sunt isti [g] Langobardi? Tunc Fream subjunxisse, [h] ut quibus nomen tribuerat, victoriam A condonaret; sicque Winilis Wodan victoriam concessisse. Hæc risu digna sunt, et pro nihilo habenda. Victoria enim non potestati est attributa hominum, sed e cœlo potius ministratur.

## CAPUT IX.

### *Quare Winili Langobardi appellati sint, et quod Wota ipse sit, qui apud Romanos Mercurius dicitur.*

Certum est Langobardos, ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. [i] Nam juxta illorum linguam, *lang* longam, *Baert* barbam significat. [j] Wodan sane, quem adjecta littera Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, et ab universis Germaniæ gentibus ut Deus [k] adoratur; [l] qui non B circa hæc tempora, sed longe anterius, nec in Germania, sed in Græcia fuisse perhibetur.

tibus Scandinaviæ insulis non nimiæ amplitudinis, ob angustiam loci novas ferro sedes occupaturos emigrasse, notiorisque regionis tantum expresso nomine, rem nobis undequaque tenebris obvolutam tradidisse.

[a] Al., *ad Goddanum*, et sic infra quoque Lind. Amb. et Modoet. habent *Godan*.

[b] *Quos primum*, al., *priores*. Lind.

[c] *Cumque ita factum fuisset, eosque Godan oriente sole intente conspiceret, dixit*. Modoet.

[d] *Tunc accessisse dicitur et Gambara*. Amb.

[e] *Componerent*, al., *dimitterent*. Lind.

[f] *E regione*. Amb., *in regione*.

[g] *Langobardi?* Amb., *Longobardi?*

[h] Vetustiorem hujus fabulæ scriptorem Paulo exstare non puto: nam et Saxo Grammaticus libro VIII ejus ex Paulo meminit, ubi tamen pro *Frea*, *Frig*, scriptum est. Verba hæc sunt: « Primum itaque Blekingam advecti, ac deinde Moringam prætemavigantes ad Gutlandiam se appulerunt, ubi et Paulo teste, C auctore Frig dea, Langobardorum vocabulum, quorum postea gentem condiderunt, traduntur accepisse. » Lindenb. Quæ Paulo *Frea*, et Saxoni Grammatico *Frig* ridiculi alterius *Wodan* uxor, Adamo Bremensi *Fricco* turpissimus ille de quo infra mutato genere socius.

[i] Inde vocatos Langobardos etiam Otto Frisingensis scribit lib. II, cap. 15 de Gestis Friderici imperatoris, et Gunterus lib. II.

Dicitur a longis ea Langobardia barbis.

A quibus alii dissentiunt, qui eos a Bardis Saxoniæ populis dictos affirmant. Lind. Inter eos qui a Paulo dissentiunt præcipue numerandus Bodinus, in Methodo historiæ, nam eos a Langonibus et Bardis, D ut supra notavi, ortos esse voluit, et dici; verum hæc adversus illum habet Erycius Puteanus, Hist. Insubr. lib., cap. II, n. 7: « Ingenii hæ nugæ sunt, nulli enim gente, plures ingenio Bardi, maleque Festo hallucinanti Bodinus credidit in voce *Bardus*; licet vates Gallorum, et cantores Bardi dicti sint. Langones vero in Gallia Lingones fuerunt: ut sic quidem Lingobardi prisco vocabulo dicendi essent, quos nemo non Longobardos, non nemo Germanica voce Langobardos appellavit, etc. »

[j] *Godan*, Modoet., *Gwodan*.

Ambros., *adjecta lit.* D. *Goddan dixerunt*.

[k] *Adoratur*. Amb. *adorabatur*. Alius erat Wodan deus Sveonum, de quo bene M. Adamus in Septentrionalium populorum Historia, nuper ex generosissimi D. Henrici Ranzovii bibliotheca edita: « In hoc templo (Ubsola patrio sermone vocato) quod totum ex auro paratum est, statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium, hinc et inde locum possident Wodan et Fricco. Quorum significationes ejusmodi sunt. Thor, inquiunt, præsidet in aere, qui tonitrus, et fulmina, ventos, imbresque serenat, et fruges gubernat. Alter Wodan, id est, fortior bella regit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Fricco pacem, voluptatemque largiens mortalibus, cujus etiam simulacrum fingunt ingenti Priapo, Wodanem vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent. Thor autem cum sceptro Jovem exprimere videtur. » Hactenus ille. A nostro Wodan, quem eumdem cum Romanorum Mercurio facit, etiamnum hodie Belgæ diem Mercurii Woensdag dicunt corrupte pro Wodensdag. Sic etiam ab uxore Wodani Frea, Freidag (Danis Fredag) id est Veneris diem deductum puto: quanquam id non certo affirmare ausim. Erravit autem, et male patriam linguam intellexit P. Nannius, qui putat Woensdag a lucro dictum, quia Romanorum Mercurius lucri præses cluebat, quemadmodum nec illud mihi verisimile fit Freidag dici quasi liberationis diem, quia Venus libertatis dea. Pro *Wodan* autem clariss. J. Lipsius in Comment. ad Tacitum legendum censet *Wonstam*, vel *Wondam*, a lucro nomine deducto, quod si cui magis placuerit, legat ita. Lindenb. Cluverio hæc Lipsii etymologia non probatur. Ejus hæc sunt verba lib. I Germ. ant., pag. 226: « Nequaquam ita sim felix, mi Lipsi, a lucro majoribus tuis dictus fuit dies Mercurii, quasi a patrio vocabulo Wonnen, quod est lucrifactum, sive partum, quod ipsum est a verbo Winnen, id est, lucrari, sive parere; sed ab ipso Mercurii Trismegisti vocabulo Godan, unde etiamnum Vestophalis idem dies dicitur Godensdach, et nonnullis tuis popularibus contracte (ut in plerisque vocibus apud vos in medio duarum vocalium eliditur) Goensdach, reliquis Woensdach, contracte itidem a Vvodensdach, quod a Wodan, etc. » Et infra: « Porro ex jam dictis satis etiam patet in Diaconi Gothefridique exemplaribus pro Godan, Wodan, et Gotan, Wotan, male atque imperite supponi Godam, Wodam, et Gotam, Wotam, tamquam accusativi casus a nominativis Goda, Woda, Gota, Wota, etc. » At nec ipse Cluverius absque castigatione a Grotio in citatis prolegomenis ad suam hist., ubi reprobatis iis quæ congesserat ille ut demonstraret eamdem esse vocem *Theut*, et *Dan*, explicata earum genuina significatione scribit: « Wodan a Woden, quod est ferocire, creditus Germanis veteribus præsidere paci, ac bellis deus, quem ob duplicem potestatem, Latinorum alii Mercurium, alii Martem dicere maluerunt. Idem est qui, omissa littera duriore Othinus aliis scribitur, etc. »

[l] Al., *quod non tantum circa*, etc. Lind.

Digitized by Google

## CAPUT X.

*Quomodo Langobardi Wandalos vicerunt, et de fame Langobardorum.*

Winili igitur, qui et Langobardi, commisso cum Wandalis prælio, acriter utpote pro libertatis gloria decertantes, victoriam capiunt; qui magnam postmodum famis penuriam [a] in eadem Scoringa provincia perpessi, valde animo consternati sunt.

## CAPUT XI.

*Quia Langobardi in Mauringam transire volentes, ab Assispittis sunt impediti.*

De qua egredientes, dum in [b] Mauringam transire disponerent, Assipitti eorum iter impediunt, denegantes eis [c] omnimodis per suos terminos transitum. Porro Langobardi, cum magnas hostium copias cernerent, neque cum eis, ob paucitatem exercitus, congredi auderent, dumque quid agere deberent, decernerent, tandem necessitas consilium reperit. Simulant se in castris suis habere [e] cynocephalos, id est, canini capitis homines. Divulgant apud hostes hos pertinaciter bella gerere, humanum sanguinem bibere, et si hostem assequi non possint, proprium potare cruorem. Utque huic assertioni fidem facerent, ampliant tentoria, plurimosque in castris ignes accendunt. [f] His hostes auditis, visisque [g] creduli effecti, bellum, quod minabantur, jam tentare non audent.

A

## CAPUT XII.

*De monomachia duorum virorum fortium, quorum unus e Langobardis, alter e Assispittis fuit.*

Habebant tamen apud se virum fortissimum, de cujus fidebant viribus, posse se procul dubio obtinere quod vellent, hunc solum præ omnibus pugnaturum objiciunt. Mandantque Langobardis ut unum, quem vellent suorum mitterent, qui cum eo ad singulare certamen exiret, ea videlicet conditione, ut si suus bellator victoriam caperet, Langobardi itinere [h] quo venerant abirent: sin vero superaretur ab altero, tunc se Langobardis transitum per fines proprios non vetituros. Cumque Langobardi quem e suis potius adversus virum bellicosissimum mitterent, ambigerent, quidam ex servili conditione sponte se

B

obtulit, promittit se provocanti hosti congressurum, ea ratione ut, si de hoste victoriam caperet, a se suaque progenie servitutis [i] nævum auferrent. Quid plura? Gratanter quæ postulaverat [j] esse facturos pollicentur. Aggressus hostem expugnavit, et vicit; [k] Langobardis transeundi facultatem, sibi suisque, ut optaverat jura libertatis [l] indeptus est.

## CAPUT XIII.

*Quod Langobardi in Mauringam transierunt, ac deinde ad ulteriora loca progressi sunt.*

Igitur Langobardi tandem in Mauringam pervenientes, ut bellatorum possint ampliare numerum, plures a servili [m] jugo ereptos, ad libertatis statum perducunt, utque rata eorum haberi posset [n] liber-

[a] Al., *famem, commeatusque penuriam*. Lind. Mauringiæ pariter ac supra memoratæ Scoringiæ certos fines designare in tanta Scriptorum varietate vix longa dissertatione possibile cuiquam fuerit, ne dum brevibus hisce nostris excursionibus, clarissimus Leibnitius e recentioribus in suo libello de Origine Francorum hæc habet: « Maurunganiam, vel potius Mauringaviam, sive Mauringiam fuisse sitam ad mare Balthicum constat ex Paulo Warnefridi, vulgo Diacono, iter Langobardorum (etsi fictitium describente) præterquam quod ipso vocabulo indicatur. Est enim Mauringia regio maritima, ut Morini, ut Aremorica; et hodieque eadem fere regio Pomerania appellatur, sunt enim Pomerani Slavico sermone siti ad mare, ut Polabi, siti ad Albim, *labe* enim Albis est Slavis. » Ad hæc illustranda Joannes Georgius Eccardus et suam nominis etymologiam addit, ejusque argumento certiores fines designat, vel ab ipso Leibnitio pro quo pugnat hac parte varius: « Paulus Diaconus, inquit, eamdem regionem Mauringiam vocat, et Scoringiæ, sive regioni Chersonensi Cimbricæ littorali, quæ insulas Danicas respicit vicinam fuisse indicat. Post Moringiam idem hic auctor Golandam, sive Gothorum regionem ponit, non quod ipsa Gothorum regio Mauringiæ proxime adsita fuerit: sed quod intermediæ gentes tunc a Gothis dominarentur. Poterit autem optimo jure Wagria, et vicinæ provinciæ, una cum Lavenburgicis, et Meclenburgicis terris Mauringia vocari a suis Moris, sive paludibus, et lacubus. Nullibi enim tam frequentes paludes, quam hic locorum invenies. Et videntur Slavi irruentes inde adsitam regionem Pomeraniam, sive, ut ipsi loquuntur, Pomorze nominasse, non tam quod mari (ita enim integro littori nomen Pomeraniæ conveniret) quam quod veteri Mauringiæ vicina esset, etc. Ea vero quæ Galli potissimum Scriptores contra Leibnitium congesserunt non est hujus loci referre, satisque fuerit aliquantum lucis Paulo nostro ex clariss. viro attulisse; cui etsi fides illius, hoc

C

loco præsertim, suspecta, jam præmisimus ex Grotio, quæ minime adhuc abrogandam fortasse suadeant.

[b] De his ita laudatus Eccardus ad Leibnitium de de Orig. Francorum: « Assipitti, quos supra Mauringiam commemorat Paulus, toto cœlo ab Usipetibus inferioris Rheni accolis differunt, et significant Assos residuos, qui scilicet non iverant in Septentrionem cum Odino. »

[c] *Omnimodis*. Amb., *omnimodo*.

[d] Modoet., *dumque quærerent, quid agere deberent, tandem*, etc. Lind. pro *decernerent*, al., *quærerent*.

[e] κυνοκεφάλους, καρκινόχειρας, aliaque id genus monstra timuit etiam in immanissimæ illius belluæ ventre absorptus olim cum navi Lucianus Veræ Historiæ lib. I.

[f] Simile strategema Belisarii apud Agathiam lib. v: Νυκτὸς δὲ ἐπιγιγνομένης, φρυκτωρίας ἀνῆπτε πολλὰς ἐπὶ μέγα τοῦ πεδίου σκεδαννυμένας, ἵνα δὴ οἱ πολέμιοι

D

ὁρῶντες, οἰηθεῖεν μέγιστον εἶναι τὸ στράτευμα ταῖς πυραῖς ἀναμετροῦντες. Nec vanum hoc strategema, nam ex igne in castris incenso de hostium copiis judicari solitum, etiam Cæsar indicat, lib. II de Bello Gallico. Quæ castra, ut fumo atque ignibus significabatur, amplius mille IIX in latit. patebant. Lind.

[g] Aliis deest. Lind. Ita in Modoet.

[h] Modoet., *per quod venerant*.

[i] Al., *nexum*. Lind.

[j] Amb. et Modoet., *sese facturos*, etc.

[k] Modoet., *Langobardis aditum transeundi exhibuit; sibi, et suis quæ optaverat jura*, etc.

[l] Amb., *adeptus*.

[m] Amb., *condi ione*.

[n] Amb. et Mod. habent *ingenuitas*. Notandus ritus manumissionis. Nam qui in legibus Langobardorum titulo *de manumissionibus* habentur, alterius generis sunt. *Lind.* Forte veteribus Langobardis mos erat manumittendi servos per traditionem, aut jactum

Digitized by Google

tas, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quædam patria verba. Egressi itaque Langobardi de Mauringa, [a] applicuerunt in Golanda, ubi aliquanto tempore commorati dicuntur. Post hæc [b] Anthabet, Bathaib, pari modo et Vurgundaib, per annos aliquot possedisse, quæ nos arbitrari possumus esse vocabula pagorum, seu quorumcunque locorum [c].

A

## CAPUT XIV.

*Quia, mortuis Ibor et Ayone ducibus, Langobardi primum regem Agilmundum habuerunt.*

Mortuis interea Ibor, et [d] Ayone ducibus, qui Langobardos [e] a Scandinavia eduxerant, [f] et usque ad hæc tempora rexerant, nolentes jam ultra Langobardi esse sub ducibus, regem sibi ad cæterarum instar gentium statuerunt. Regnavit igitur super eos primus [g] Agelmundus, filius Ayonis, ex prosapia

sagittæ, isque recentioribus exsolevit. Plura quidem manumissionum genera recensentur a Rege Rothari, lib. II Legum, tit. 35, ut animadvertit Lindenbrogius. Solemnior vero ea, per quam quis *fulfreal* fecisse dicebatur, cujus hæc formula : « Qui fulfreal (*liberum* interpretatur Lindenbrogius in suo Glossario ad easdem leges, a germanico *fulfrey*) et a se extraneum, id est, *amund* (sive extra potestatem, ut Grotius explicat in suo Nomenclatore, edit. nostræ pag. 370 B) sic debet facere : tradat eum prius in manus alterius hominis liberi, et per *garanthinx* (sive cessionem, idem Grotius) ipsum confirmet, et ille secundus tradat eum in manus tertii eodem modo, et tertius tradat eum in quarti, et ipse quartus ducat eum in quadrivio, et thingat in wadia (emancipet ab obligatione) et *gisiles* (testes) ibi sint, et dicant sic : *De quatuor viis ubi volueris ambulare liberam habeas potestatem*, etc. » ita ut per quadrivium ad quatuor orbis plagas plena vagandi libertas non incongrue significetur. Erat etiam manumissio, qua servus per *impans*, id est in votum regis dimittebatur, et in sacrosanctis ecclesiis per manuductionem sacerdotis circa altare; ac demum alia, per quam, ut ab ipsa lege arguo minorem servus acquirebat libertatem, eaque *aldium* quis fecisse dicebatur. *Aldio* latinum nostrum libertum respondere notavit Grotius, loco citato. Invaluit etiam quandoque apud nos alius manumittendi modus a lege Salica per excussionem denarii de manu servi, ut videre est in pacto ejusdem legis, tit. 50.

[a] Al., *applicuere sese in Regulandiam*. Lind. Modoet., *Rogulandam* librarii vitio pro *Rugulandiam*, quæ Rugiorum terra, idque huic cum Golanda commune, quod Rugii natio et ipsa Gothica, ut Procopius asserit Hist. Gothicæ lib. III edit. nostræ pag. 305. D.

[b] Al., *Antaibos, et Bantaibos pari modo, et Burgundaibos dicuntur per annos*, etc. Lind. Modoet., *Antabos, et Purgandaibos* in reliq. cum Lindenbrogio. Ambros. pro *Vurgundaib*, legit *Vurconthab*.

[c] Immo vero regionum. Ad illustrationem Pauli nostri hoc loco eruditissimus Eccardus ad Leibnitium de Orig. Francorum pag. 253 : « Mauringia transmigrata dicit venisse Langobardos in Golandam, hoc est Gothorum terram. Hos enim præsertim sub Hermanerico in omni littore maris Balthici etiam cis Vistulam imperasse Jornandes non obscure prodit. Ex Gothorum patria eos in Anthaib, hoc est Antarum regionem, sive Poloniam, deinde in Bathaib descendisse refert. *Bathaib* hoc sine dubio est Gepidarum terra, vetus nempe Dacia. *Gepidæ* enim dicti sunt quasi Gothorum residui a *beiten, biden*, manere, residuum esse. Et *pide, beite, bathe* pro residuo regulariter dici potest, præsertim si *a* more veteri ut *e* enuncietur. Bathaib ergo est Bathorum, sive residuorum, scilicet Gothorum regio, qui iidem ac Gepidæ. *Burgundaib* est Burgundionum terra, quam scilicet Gepidiæ proximam tenuerunt antequam Galliam intrarent, etc.

[d] Al., *Ibore*, al., *Ebore, et Agione*. Lind.

[e] Al., *a Scatinavia, seu* (ut dixi) *Scandavia adduxerunt*. Lindenb.

[f] Hæc verba non leguntur in Amb.

[g] Modoet., *Algemundus*. Langobardorum regum series, quam hic Paulus ab Agelmundo exorditur, post septimum regem Tatonem non bene convenit cum proœmio legum a Rege Rothari editarum. Hujus proœmii partem Carolus Sigonius Historiæ suæ ad annum Christi DCXLIII attexuit. Integrum vero ex ipsius Mss. schedis hic adnotandum censui ad auctoris nostri supplementum. Ne tamen probatæ hominis fidei fraudem facere videar, lectores monitos B volo recentiori manu, et non sine mendis ab uno, vel altero illius amanuensium esse transcriptum, nullo addito testimonio codicis, in quo ista legebantur. Nec dissimulavero beneficium viri cl. Josephi Antonii Saxii Ambrosianæ Bibliothecæ præfecti, cujus humanitate præsto sunt codices omnes, quodque mihi præ cæteris jucundissimum penitioris eruditionis suæ largissimus apparatus.

IN NOMINE DOMINI.

« Incipit edictum, quod renovavi cum primatibus meis judicibus ego in Dei nomine Rothar rex vir excellentissimus, septimus decimus rex generis Langobardorum anno regni mei, Deo propitio, octavo, ætatisque meæ trigesimo octavo, indictione secunda, et post adventum in provincia Italia Langobardorum, ex quo Alboin tunc temporis rex, procedente divina potentia adjunctus anno septuagesimo sexto feliciter. Datum Ticino in Palatio. Quanta pro subjectis nostris, quanta nostra fuerit sollicitudinis cura, vel sit C subter adnexata norma declarat, tam propter assiduas præcipue fatigationes pauperum, quam etiam propter superfluas exactiones ab his qui majorem virtutem habent, quos vim pati cognovimus. Ob hoc considerantes Dei omnipotentis gratiam, necessarium esse prospeximus præsentem corrigere, et componere legem, quæ priores omnes renovata, et emendata, et quod deest adjiciat, et quod superfluum est abscindat, in uno providimus volumine complectenda, quatenus liceat unicuique salva lege et justitia quiete vivere, et propter operationem etiam inimicos laborare, suosque fines defendere. Tamen quanquam hæc ita se habent, utile prospeximus propter futuri temporis memoriam, et ante nomina regum antecessorum nostrorum, ex quo genti Langobardorum reges cœperunt esse memorati, in quantum per antiquos homines didicimus, in hoc membrano adnotari jussimus. In hoc fuit : — Primus Agelmundus; II, Lamisio; III, Lethe; IV, Gildech; V, Gudeoch, filius Gil- D dehoc. Leg., *Hugo de hoc;* VI, Caffo, filius Gudehoc. Leg., *Daffo fil. de hoc;* VII, Tato, filius Caffonis, et VIII, Unichis, filius Tatonis; IX, Unabo, filius Unichis, nepos Tatonis; X, Valamir; XI, Alboin, qui exercitum ut supra in Italiam adduxit; XII, Clepes ex genere Belleos; XIII, Aginulfus Turingus; XIV, Autari filius Depex ex genere Aravad; XV, Audofal filius Aginulfi; XVI, Aruand ex genere Caupus; XVII, Ego in Dei nomine, qui dicor Rothar rex, filius Nandigi ex genere Arodus; Nandigus filius Noctonis; Nocto filius Alamano, filius Chilzonis, Chilzonis Weo, filius Fronconis; Fronco filius Faconis; Faco filius Mamonis; Mamo filius Obthora.

Rothar jura dedit, quæ lector prima videbit. »

De Unichi, et Unabo regibus VIII et IX loco præsentis catalogi, quem emendatis in Sigonii scheda numeris ita distinximus, altum apud auctorem nostrum silentium, ut si genuina hæc prologi lectio,

Digitized by Google

[a] ducens originem Gungincorum, quæ apud eos generosior habebatur. Hic, sicut a majoribus traditur, tribus et triginta annis Langobardorum tenuit regnum.

## CAPUT XV.

*De meretrice quæ septem infantulos peperit, ex quibus Lamissio unus fuit, et de monomachia ejus cum Amazone.*

His temporibus quædam meretrix, uno partu septem puerulos enixa, belluis omnibus mater crudelior, in piscinam projecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, et inveniet non solum septem infantulos, sed etiam novem unam mulierem [b] simul peperisse. Et hoc certum est maxime apud [c] Ægyptios fieri. Contigit itaque ut rex Agelmundus, dum iter carperet, ad eamdem piscinam deveniret. Qui cum equo retento miserandos infantulos miraretur, hastaque, quam manu gerebat, huc illucque eos inverteret, unus ex illis manu injecta hastam regiam comprehendit. Rex misericordia motus, factumque altius admiratus, eum magnum futurum pronuntiat. Moxque eum e piscina levari præcipit, atque nutrici traditum, omni cum [d] studio mandat alendum. Et quia eum de piscina, quæ eorum lingua [e] *lama* dicitur, abstulit, [f] Lamissio eidem nomen imposuit. Qui cum adolevisset, adeo strenuus juvenis effectus est, ut et bellicosissimus exstiterit, et post Agelmundi funus, regni gubernacula [g] rexerit. Ferunt hunc, dum Langobardi cum rege suo iter agentes ad quemdam fluvium pervenissent, et ab Amazonibus essent prohibiti ultra permeare, cum earum fortissima in fluvio natatu pugnasse, eamque peremisse, sibique laudis gloriam, Langobardis quoque transitum [h] paravisse : hoc siquidem inter utrasque acies prius constitisse, quatenus si [i] Amazona eadem Lamissionem superaret, Langobardi a flumine recederent; sin vero a Lamissione, ut et factum est, ipsa vinceretur, Langobardis eadem permeandi fluenta copia præberetur. Constat sane, quia hujus assertionis series, minus veritate subnixa est. [j] Omnibus etenim, quibus veteres historiæ notæ sunt, patet, gentem Amazonum, longe antea, quam hæc fieri potuerunt, [k] esse deletam, nisi forte quia loca eadem ubi hæc gesta feruntur, non satis historiographis nota fuerunt, et vix ab aliquo eorum vulgata sunt, fieri potuerit, ut usque ad id tempus, hujuscemodi inibi mulierum genus haberetur. Nam et ego referri a quibusdam audivi, usque hodie in [l] intimis Germaniæ finibus gentem harum existere feminarum.

## CAPUT XVI.

*Quomodo Bulgares noctu super castra Langobardorum irruentes, Agelmundum regem interfecerunt, et filiam ejus captivam duxerunt.*

Igitur transmeato Langobardi, de quo diximus, flumine, cum ad ulteriores terras pervenissent, illic per tempus aliquod commorabantur. Interea cum nihil adversi suspicarentur, [m] et essent quieti, longa nimis securitas, quæ semper detrimentorum mater est, eis non modicam perniciem peperit. Nocte denique cum negligentia resoluti quiescerent cuncti, subito super eos [n] Bulgares irruentes, plures ex his sauciant, multos prosternunt, [o] et in tantum per eorum castra debacchati sunt, ut ipsum Agelmundum regem interficerent, ejusque unicam filiam sorte captivitatis auferrent.

## CAPUT XVII.

*Quomodo Lamissio rex effectus est, et qualiter Bulgares superavit.*

Resumptis tamen post hæc incommoda Langobardi viribus, Lamissionem, de quo superius diximus, sibi regem constituerunt. Qui ut erat juvenili ætate fervidus, et ad belli certamina satis promptus, [p] non aliud nisi Agelmundi necem ulcisci cupiens, in Bulgares arma convertit. Primoque prælio mox commisso, Langobardi hostibus terga dantes ad castra refugiunt. Tunc rex Lamissio ista conspiciens, elevata altius voce omni exercitui clamare cœpit, [q] ut

manca sit Pauli series : contra vero Andoinus Alboini prædecessor memoria excidit Rothari, ita ut si regiis fastis eumdem addideris, Rotharis ipse XVIII rex habeatur. Expunctisque Unichi, et Unabo, ut Paulus habet, jam Rotharis non XVII, sed XVI loco regnaverit. Quod miror, haud observasse oculatissimum virum Sigonium nostrum; quippe si Langobardis, ut ait lib. I de regno Italiæ edit. Wechelianæ pag. 4, *præerat Alboinus Andoini filius Rex jam decimus numeratus*, cum ad Rotharim veneris uterque manifesti erroris evincitur. Recedit etiam a Paulo nostro hæc prologi lectio in epoche adventus Langobard. etsi nos cap. 21 ad eumdem firma fronte remittat. Sed hæc infra. Interim juvat ex aliis etiam monumentis primos Langobardorum reges cum Paulo novisse.

[a] Al., *ducens et prosapiam, et originem Gungingorum*. Lind. et Modoet. Gungingos, sive Guningos, Grotius interpretatur Benevolos, eoque nomine familia regis Agelmundi appellabatur, ut alia Adelingorum, de qua infra.

[b] Amb. et Modoet., *semel*.

[c] Hæc Paulus a Plinio suo excerpsit, lib. VII, cap. 3, de prodigiosis partubus : « Tergeminos, ille, nasci certum est Horatiorum, Curatiorumque exemplo. Supra intra ostenta adducitur, præterquam in Ægypto, ubi fœtifer potu Nilus, *etc.* »

[d] Al., *custodia*. Lind. et Mod.

[e] Vocem etiam apud Festum reperies. *Lacuna*, aquæ collectio, a lacu derivatur, quam alii lamam, alii lustrum dicunt. Beatus Rhenanus legendum putat Qualamam, a scaturigine. Nam *quellen* Teutonica lingua scaturire sonat. Lind.

[f] *Lamissio*, quasi *Lamis-sohn*, filius piscinæ, Grotio.

[g] Modoet., *susceperit*.

[h] *Paravisse, et inter utrasque*, etc. Modoet.

[i] Al., *Amazon eumdem*. Lind. et Modoet.

[j] Al., *constat autem hujus assertionis seriem minus esse veritati suffultam*. Lind.

[k] Vide Jornandem de rebus Geticis, cap. 8, et quæ in peculiarem libellum congessit P. Petitus.

[l] Al., *ultimis*. Lind.

[m] Al., *essent longa sub quiete minime solliciti, securitas*, etc. Lind., *et essent longa in quiete nimis solliciti*, etc. Modoet.

[n] Al., *Bulgari*, et sic semper. Lind.

[o] Al., *tandiu, tamque atrociter per eorum castra grassantes*, etc. Lind. Modoet., *debacchati sunt diu vagantes, ut ipsum*, etc.

[p] Al., *conservatoris sui Agelmundi*. Al., *alumni sui Agelmundi*, ut in Modoet. Lind.

[q] Modoet., *ut opprobrium, quod pertulerunt meminissent*.

Digitized by Google

opprobriorum, quæ pertulerant, reminiscerentur, A revocarentque ante [a] oculos dedecus, quomodo eorum regem hostes jugulaverint, quam miserabiliter ejus natam, quam sibi reginam optaverant, captivam abduxerint. Postremo hortatur, ut se suosque armis defenderent, melius esse dicens in bello animam ponere, quam ut vilia mancipia, hostium ludibriis subjacere. Hæc et hujuscemodi vociferans cum diceret, et nunc minis, nunc promissionibus, ad toleranda eorum animos belli certamina roboraret: si quem etiam servilis conditionis pugnantem vidisset, libertate eum simul cum præmiis donaret. Tandem hortatu, exemploque principis, qui primus ad bellum prosilierat, accensi, super hostes irruunt, pugnant atrociter, et magna adversarios clade prosternunt. Tandemque de victoribus victoriam capientes, tam regis funus quam proprias injurias ulciscuntur. Tunc magna de hostium exuviis præda potiti, et ex illo jam tempore, ad [b] expetendos belli labores, [c] audaces effecti sunt.

## CAPUT XVIII.

*Quod, mortuo Lamissione, regnum Lechu suscepit, et post hunc, filius ejus Hildeoc, post quem quoque Bodeac regnavit.*

Defuncto post hæc Lamissione, qui secundus regnaverat, tertius ad regni gubernacula [d] Lethu ascendit. Qui cum quadraginta ferme annos regnasset Hildehoc filium, qui quartus fuit [f] in numero regni successorem reliquit. Hoc quoque defuncto, quintus [g] Gedehoc regnum suscepit.

## CAPUT XIX.

*Bellum inter Edoagar regem Torcilingorum, et Felecheum regem Rugorum, et quomodo Langobardi, superatis ab Odoacre Rugis, eorum provinciam possederunt.*

Illis [h] temporibus inter [i] Odoachar, qui in Italia per aliquot jam annos [j] regnabat, et [k] Feletheum, qui et Feva dictus est, Rugorum regem, magnarum B inimicitiarum fomes [l] exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, [m] quam a Norici finibus idem Danubius separat. In his [n] Noricorum finibus, beati tunc erat Severini [o] cœnobium, qui [p] omni abstinentiæ sanctitate præditus multis jam erat virtutibus clarus. Qui cum hisdem in locis, ad vitæ usque metas habitasset, nunc tamen ejus [q] corpus Neapolis retinet. Hic sæpius hunc de quo diximus Feletheum, ejusque conjugem, cujus vocabulum [r] Gisa fuit, ut ab iniquitate quiescerent,

[a] Al., *mentis oculos dedecus acceptum, ut eorum*, etc. Lindenbrogius.

[b] Al., *expetendos, obeundosque*. Lind.

[c] Amb. et Modoet., *audaciores*.

[d] Al., *Leth*. Lind. et Modoet.

[e] Al., *Gildeochum filium suum*. Lind. Modoet., *Gildehoc*.

[f] Al., *in regnum numero fuit, regni successorem reliquit*. Lind.

[g] Al., *Gedeochis*. Lind. *Gudeoc*. Ambr.

[h] Erravimus hucusque velut in labyrintho per varias Langobardorum sortes et regiones ab eisdem occupatas, chronologico filo destituti, nullum præbente Paulo, vel alio quopiam scriptore, ni debili conjecturæ conatu temporum ordinem divinare potius, quam investigare velimus. Liceat hinc securiori gressu Historici nostri vestigiis adhærere. Certam epochen eversionis regni Rugorum, quam hic noster innuit a Cassiodoro habemus. Verba ejus hæc sunt e Chronico excerpta : Boetius V. C. Cos. Hoc Cos. Odovacer, Phœba rege Rugorum victo, captoque potitus est. Anonymus vero Cuspinianus a Pagio relatus, hæc addit : « Sub consulatu ejusdem (nempe Boetii) pugna facta est inter Odoacrem regem, et Febanum regem Rugorum, et vicit Odoacer, et adduxit captivum Febanum regem sub XVII Kal. Decembris. » Consulatus Boetii communiori calculo incidit in an- C D num Domini nostri Jesu Christi CCCCLXXXVII et XII regni Odoacris in Italia.

[i] Al., *Odoacrem*. Lind.

[j] Al., *regnarat*. Lind.

[k] Amb., *Fleba*. Cassiod., *Phœba*. Anonym. Cuspiniani, *Febanus*; aliis, *Faba*, *Faria*, *Favianus*, *Feura*, *Felhia*. Eugippio in Vita sancti Severini, *Feletheus*, et *Felecteus*, aliis *Filetus*, *Feletrus*, *Sera*, et *Seletius*, ut notarunt doctissimi Patres Bollandio success. ad Acta sancti Severini.

[l] Causam belli inter Odoacrem et Feletheum excitati narrat Eugippius cap. 12 : Fridericus (erat is Feletheo frater) B. Severini morte comperta pauper, et impius barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, et alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteum, cæteraque altaris ministeria præcepit auferenda, etc. Abrasis omnibus monasterii rebus, parietes tantum quos Danubio non potuit transferre dimisit; sed mox in eum ultio denuntiata pervenit; nam intra mensis spatium a Friderico fratris filio interfectus prædam pariter amisit et vitam. Quapropter rex Othacar Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis, et Friderico fugato, patre quoque Fava capto, eum ad Italiam cum noxia conjuge supra memorata, videlicet Gisa, transmigravit.

[m] Al., *quam Onerici finis, id est, Danubii separat*. Lind.

[n] Al., *Onericorum*. Lind.

[o] Eugippius ubi supra : « Tunc itaque sanctissimus Dei famulus Severinus de partibus Orientis adveniens in vicinis Norici Ripensis, et Pannoniorum partibus, quod Asturis dicitur oppido morabatur, » a barbaris excisum, ut prædixerat. Frequens postmodum, ut ait Aventinus in Annal. Bojor. servata hac loco Eugippio fide, « et Bathaviæ, et Quintianæ (Quintanorum colonia est) in Vindelicia, atque Viennæ in Norico habitavit. Bathaviæ in ripa eidem ex at dedicatum templum, estque, ut appellatur, parochia; a Vienna vero ad tertium lapidem pagus est Severinus, cognomen adhuc retinens. In actis ad Eugip. Cellæ rudera in pago Siferinga exstare testatur Lazius, et pago nomen esse a S. Severino. Cuspinianus isthic villam, ubi cellæ Severini vestigia ob ejus memoriam emisse se testatur. Distat magno milliari a Vienna. At monasterium majus fuisse ait Lazius in loco qui Heyligstat dicitur, id est Locus sanctus, a sanctorum isthic habitatione. Inde saxa abstulit sanctus Leopoldus ad Neoburgi claustralis ædificationem, etc. »

[p] Al., *omni scientia, et prærogativa sanctitatis præditus*. Lind., *omni scientia, et sanctitate*. Modoet.

[q] Al., *corpusculum Neapolim*. Lind. Ita Modoet. S. Severini Noricorum Apostoli corpus anno sexto depositionis ejus, ut ait Eugip., migrantibus in Italiam Romanis a Rugorum servitute liberatis, primum in Montem Feretrum, inde vero auctoritate Gelasii Pontificis, petente illustri fœmina Barbaria, in castrum Lucullanum, et postremo infestantibus Campaniæ littora Saracenis anno Chr. DCCCCX, Neapolim translatum, et in celebri monasterio sancti Severini per Joannem abbatem solemni pompa conditum, ubi et adhuc religiose asservatur. Acta Sanctorum Bolland.

[r] Al., *Gila*, ut supra.

Digitized by Google

verbis cœlestibus monuit. Quibus pia verba spernentibus, hoc quod eis postmodum contigit, longe antea futurum prædixit. Adunatis [a] ergo Odoachar gentibus, quæ ejus ditioni parebant, id est, Turcilingis, et Herulis, Rugorumque parte, quos jam dudum [b] possederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnavitque cum Rugis, ultimaque eos clade conficiens, [c] Feletheum insuper eorum regem exstinxit. Vastataque omni provincia, [d] Italiam repetens, copiosam secum captivorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de suis regionibus egressi, venerunt in [e] Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum [f] patria dicitur, atque in ea, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt [g] annis.

## CAPUT XX.

*Mortuo Gedeoc, regnavit Claffo, et post hunc Tato, qui delevit regnum Herulorum.*

Inter hæc moritur [h] Gudehoc, cui successit Claffo filius [i] suus. Defuncto quoque Claffone, [j] Tato ejusdem filius, septimus ascendit ad regnum. Egressi quoque Langobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui sermone barbarico [k] *feld* appellantur. Quo in loco dum per trium annorum spatia morarentur, bellum exortum est inter Tatonem, atque Rodulfum, Herulorum Regem. Qui cum primitus fœdera necterent, causa inter eos [l] discordiæ ista fuit. Germanus Rodulphi Regis, ad Tatonem ferendæ pacis gratia venerat, qui cum

[a] Al., *Igitur Odoacer gentibus suæ ditionis congregatis, utpote Turgilingis, seu Turingis, Erulis, Rugorumque parte, quam jam dudum possidebat, necnon, et Italiæ populis, venit in Rugulandam, pugnansque cum Rugis*, etc. Lind.

[b] Amb. et Modoet., *possidebat*.

[c] Cæteri omnes Feletheum cum uxore Gisa captum, et in Italiam abductum asserunt, quos inter anonym. Cuspinianus supra relatus diem addit acti ab Odoacre in urbe Roma triumphi, post quem forte Feletheus occisus.

[d] Al., *vi itaque Italiam repetens*. Lind.

[e] Al., *Rugulandam*. Lind.

[f] Al., *regio*. Lind.

[g] Quot annis Langobardi Rugorum regionem incoluerint ex Procopio deducere licet lib. II, cap. 14: Ἡνίκα μέντοι Ἀναστάσιος Ῥωμαίων τὴν βασιλείαν παρέλαβεν, οὐκ ἔχοντες Ἔρουλοι ἐφ' οὓς τινας ἀνθρώπων τὸ λοιπὸν ἔλθοιεν, καταθέμενοι τὰ ὅπλα, ἡσυχῇ ἔμενον, χρόνος τε αὐτοῖς ἐνιαυτῶν τριῶν ἐν ταύτῃ δὴ τῇ εἰρήνῃ ἐτρίβη· καὶ αὐτοί, ἐς ἄγαν ἀχθόμενοι, Ῥοδοῦλφον ἀνέδην, σφῶν τὸν ἡγεμόνα, ἐκάκιζον, φοιτῶντές τε ἀεὶ παρ' αὐτὸν μαλθακόν τε καὶ γυναικώδη ἐκάλουν· ἄλλοις τέ τισιν αὐτὸν ἐρεσχελοῦντες ὀνόμασι, κόσμῳ οὐδενὶ ἐλοιδοροῦντο. Ῥοδοῦλφός τε τὴν ὕβριν ὡς ἥκιστα φέρων, ἐπὶ Λογγιβάρδας οὐδὲν ἀδικοῦντας ἐστράτευσεν· οὐδέ τινα σφίσιν ἁμαρτάδα ἐπενεγκών. οὐδὲ λύσιν τινὰ τῶν ξυγκειμένων σκηψάμενος, ἀλλὰ πόλεμον ἐπιφέρων αἰτίαν οὐκ ἔχοντα. « Susceptis ab Anastasio (ut in edit. nostra pag. 285. E) Romani habenis imperii, non habentes Heruli quos deinceps invaderent, armis depositis quievere, ac triennio pax illa stetit, quam graviter pertæsi, Rodulfo regi suo maledicebant, ipsumque aditantes, mollem et effeminatum vocabant, aliisque id genus conviciis per summum dedecus os ejus verberabant. Permotus contumelia Rodulfus in Langobardos plane insontes expeditionem suscipit, nullius delicti postulans, nec violatas pactiones prætexens, sed bellum inferens ex animi mera libidine. » Tertio igitur anno imperii Anastasii a Rodulfo in Langobardos arma sunt illata, isque Christi Domini CCCCXCIII. Atqui de Rugorum regione in campos feld tribus ante annis venerant, ut Paulus ait cap. seq. Consequens erit ab anno Christi CCCCLXXXVII Odoacris victoria insigni, vel paulo post ad CCCCXCI Anastasii primum Rugorum regionem habitasse. Cui temporum rationi nihil in Paulo nostro repugnans observo. Cæterum ex hoc Procopii loco notandum Langobardos jam tum fuisse Christianos, sed Arianæ perfidiæ infectos.

[h] Al., *Gedeochus*. Lind.

[i] Al., *ejus*. Lind.

[j] Al., *Tado*, et sic infra quoque. Lind.

[k] Al., *filden*., Lind. *Felden* legunt Germani pene omnes plurali numero a *feld*, servata grammatices ratione, et sensus est non eos tantum campos de quibus hic loquitur Paulus, sed quemlibet alium Germanica lingua *feld* appellari. Eos vero designat Wolfangus Lazius lib. XII de Migrationibus gentium, ubi de septima Langobardorum habitatione verba facit: « Postremo mediterranea petentes Istrum versus campestria sub Herulorum regis tributo ea acceperunt, quæ in Moravia hodie extenta late cernuntur, etc. »

[l] Alteram belli causam, immo nullam, inter Rodulphum Herulorum regem, et Langobardos narrat Procopius, cui si potior habenda fides, miror Langobardum hominem talia in suos commentum fuisse. Sequitur ille dicto cap. 14: Ὅπερ ἐπειδὴ Λογγοβάρδαι ἀκοῇ ἔλαβον, πέμψαντες παρὰ τὸν Ῥοδοῦλφον, ἀνεπυνθάνοντο, καὶ τὴν αἰτίαν ἠξίουν εἰπεῖν, ἧς δὴ ἕνεκα Ἔρουλοι ἐν ὅπλοις ἐπ' αὐτοὺς ἴενται κοινολογοῦνται· εἰ μέν τι ἀπεστερήκασι τῆς εἰσφορᾶς, ἀλλ' αὐτίκα μάλα ξὺν μεγάλῳ αὐτὸ ἀποτίσειν· εἰ δὲ μέμφονται μέτριον σφίσι τετάχθαι τὸν φόρον, ἀλλὰ μείζω ποιήσειν αὐτὸν οὐ μήποτε Λογγοβάρδαι ὀκνηροὶ ἔσονται. Ταῦτα μὲν τοὺς πρέσβεις προτεινομένους ξὺν ἀπειλῇ ὁ Ῥοδοῦλφος ἀποπεμψάμενος πρόσω ἤλαυνεν. Οἱ δὲ καὶ αὖθις πρέσβεις ἑτέρους παρ' αὐτὸν στείλαντες, περὶ αὐτῶν πολλὰ λιπαροῦντες ἱκέτευον. Οὕτω δὲ καὶ τῶν δευτέρων ἀπαλλαγέντων, τρίτοι πρέσβεις παρ' αὐτὸν ἥκοντες, ἀπεῖπον, « Ἐρούλους πόλεμον ἀπροφάσιστον μηδαμῶς σφίσιν ἐπενεγκεῖν· ἢν γὰρ ἐκεῖνοι γνώμῃ τοιαύτῃ ἐπ' αὐτοὺς ἴωσι, καὶ αὐτοὶ οὐχ ἑκούσιοι, ἀλλ' ὡς μάλιστα ἠναγκασμένοι ἀντιτάξονται τοῖς ἐπιοῦσι, μαρτυράμενοι τὸν Θεόν, οὗ ὑπὲρ τῆς ῥοπῆς καὶ βραχεῖά τις τὸ παράπαν ἰκμὰς πάσῃ τῇ ἀνθρώπων δυνάμει ἀντίξους ἔσται· αὐτόν τε εἰκὸς τῆς τοῦ πολέμου αἰτίας ἡγμένον, ἀμφοτέροις πρυτανεῦσαι τῆς μάχης τὸ πέρας. » Οἱ μὲν ταῦτα εἶπον, δεδίξεσθαι ταύτῃ τοὺς ἐπιόντας οἰόμενοι. Ἔρουλοι δὲ ὑποστειλάμενοι τῶν πάντων οὐδέν, Λογγοβάρδαις ἔγνωσαν ἐς χεῖρας ἰέναι. Ἡνίκα δὲ ἀμφότεροι ἄγχιστά πη ἀλλήλων ἐγένοντο, τὸν μὲν ὕπερθεν Λογγοβαρδῶν ἀέρα, ξυνέβαινε μελαίνῃ τινὶ νεφέλῃ καὶ ἐς ἄγαν παχείᾳ καλύπτεσθαι· ὑπὲρ δὲ τοὺς Ἐρούλους αἴθριον ὑπερφυῶς εἶναι. Οἷς δὴ τεκμηριούμενος εἴκασεν ἄν τις ἐπὶ τῷ σφῶν πονηρῷ ἐς τὴν ξυμβολὴν Ἐρούλους ἰέναι. Οὐ γάρ τι τούτου πικρότερον βαρβάροις τέρας εἰς μάχην καθισταμένοις οἷόν τι εἶναι. Οὐ μέντοι οὐδὲ τούτῳ Ἔρουλοι προσεῖχον τὸν νοῦν. Ἀλλὰ παντάπασιν ἀφροντιστήσαντες, πολλῷ τῷ καταφρονήματι ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐχώρουν, πλήθει ὁμίλου τὸ τοῦ πολέμου σταθμώμενοι πέρας. Ἐπεὶ δὲ ἡ μάχη ἐν χερσὶ γέγονε, θνήσκουσι μὲν τῶν Ἐρούλων πολλοί, θνήσκει δὲ καὶ Ῥοδοῦλφος αὐτός. Οἵ τε ἄλλοι πάντες φεύγουσιν ἀκρατῶς, οὐδεμιᾶς ἀλκῆς μεμνημένοι. Καὶ τῶν πολεμίων σφίσιν ἐπισπομένων, οἱ μὲν πλεῖστοι αὐτοῦ ἔπεσον, ὀλίγοι δέ τινες διεσώθησαν. « Quo Langobardi audito mittunt, qui ex ipso Rodulfo scitentur supplices causam movendi contra se belli, de quo Heruli consilia ac sermones conferrent. Si qua sint fraudati vectigalium parte: spondent se illico repensuros cum magno fenore: si levius esse tributum querantur, haud grave Langobardis fore majus pacisci. Proponentes hæc legatos Rodulfus remittit minitabundus, ac porro pergit. Ab eadem gente mittitur altera cum iisdem precibus enixis legatio: qua similiter repulsa, gerentes ad ipsum tertiam, denuntiant, committendum non esse Heru-



Digitized by Google

expleta legatione patriam repeteret, contigit ut ante regis filiæ domum, quæ Rumetruda dicebatur, transitum haberet. Illa multitudinem virorum et nobilem comitatum aspiciens, interrogabat quis iste esse possit, qui tam sublime obsequium haberet. Dictumque est illi: Rodulphi regis germanum legatione [a] perfuncta patriam regredi. Mittit [b] puella, qui eum invitaret, ut [c] vini poculum dignaretur accipere. Ille corde simplici, ut invitatus fuerat, venit. Et quia erat statura pusillus, eum fastu superbiæ puella despexit, verbaque adversus eum irrisoria protulit. At ille verecundia pariter et indignatione perfusus, talia rursus verba respondit, quæ ampliorem puellæ confusionem afferrent. Tunc illa furore femineo succensa, dolorem cordis cohibere non valens, [d] scelus, quod mente conceperat explere contendit. Simulat patientiam, vultum exhilarat, eumque verbis jucundioribus demulcens, ad sedendum invitat. Talique eum in loco sedere constituit, quo parietis fenestram ad scapulas haberet. Quam fenestram quasi ob hospitis honorem, re autem vera, ne eum aliqua pulsaret suspicio, velamine texerat pretioso, [e] præcipiens atrocissima bellua propriis pueris, ut cum ipsa quasi ad pincernam loquens, Misce dixisset, illi eum a tergo lanceis perforarent, [f] factumque est. Mox crudelis femina signum dedit, [g] iniqua mandata perficiuntur. Ipseque vulneribus transfixus in terram corruens expiravit. Ea cum Rodulfo regi nuntiata fuissent, tam crudele germani funus ingemuit, dolorisque impatiens, ad ulciscendum fratris mortem exarsit, fœdusque, quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eidem bellum indixit. [h] Quid plura? Convenerunt utrorumque in campis patentibus acies. Rodulfus suos in pugnam dirigit, ipse in castris residens, de spe victoriæ nihil ambigens, ad tabulam ludit. [i] Erant siquidem tunc Heruli bellorum usibus exercitati, multorumque jam strage notissimi. Qui sive ut expeditius bella gererent, sive ut illatum ab hoste vulnus [j] contemnerent, [k] nudi pugnabant, operientes solummodo corporis verecunda. Horum itaque viribus rex indubitanter fidens, dum ipse securus ad tabulam luderet, unum e suis in arborem, quæ forte aderat, ascendere jubet, quatenus [l] ei suorum victoriam celerius referret, comminatus ejus se caput abscissurum, si Herulorum aciem fugere nuntiaret. [m] His cum Herulorum flecti acies, et a Langobardis eos opprimi conspiceret, interrogatus a rege sæpius quid Heruli gererent, eos optime pugnare respondit. [n] Nec prius malum quod cernebat loqui audens aperuit, quam universæ acies hostibus terga præberent. [o] Qui licet sero tandem in vocem erumpens: Væ tibi, inquit, misera [p] Herolia, quæ cœlestis Domini [q] flecteris ira. Ad hæc verba commotus rex ait: Numquid fugiunt Heruli mei? At ille: Non, inquit, hoc ego, sed tu rex ipse dixisti. Tunc ut in talibus fieri assolet, rex ipse et omnes perturbati, dum quid agerent hæsitarent, supervenientibus Langobardis, graviter cæduntur. Rex quoque ipse nequidquam fortiter faciens, exstinctus est. Herulorum vero exercitus dum hac illacque diffugeret, [r] tanta super eos cœlitus ira respexit, ut viridantia camporum lina cernentes, natatiles aquas esse putarent. [s] Dumque quasi nataturi brachia extenderent, crudeliter hostium feriebantur a gladiis. Tunc Langobardi, patrata victoria, [t] ingentem, quam in castris repererant, inter se prædam dividunt. Tato vero Rodulfi vexillum, quod [u] bandum appellant, ejusque galeam, quam in bello gestare consueverat, abstulit, atque jam ex

lis, ut arma de nihilo in se intendant: se enim tali invadentibus animo oppositoros aciem, non sua voluntate, sed summa necessitate adductos, ac testatos Deum, cujus ad nutum vel modicus vapor omnibus humanis viribus retundendis par omnino futurus sit. Convenientissimum autem esse ipsum belli causis permotum, utrique genti pugnæ exitum pro imperio constituere. Hæc illi, quibus aggressores territum iri existimabant. At nihil prorsus veriti Heruli, consilium urgent confligendi cum Langobardis. Ut in propinquo stetere acies, cœli partem, quæ Langobardis imminebat, nubes atra densissimaque obduxit: supra Herulos maxime [illegible] erat. Unde quis conjecisset Herulos in prælium sibi exitiale vadere; nec tristius eo portentum offerri posse barbaris certamini se offerentibus. Sed neque huc mentem advertentes Heruli, cum summa securitate ac superbissimo contemptu hostem petunt, de eventu belli augurantes ex armatorum multitudine. Ubi ad manus ventum est, magna fit Herulorum cædes, eaque Rodulfus ipse involvitur; cæteri omnes consternuntur in fugam, virtutis immemores; insequentibus hostibus, plerique ibidem oppetunt, pauci admodum elabuntur.»

[a] Al., *perfunctum*. Lind. et Modoet.

[b] Al., *puellam quæ*. Lind.

[c] Al., deest *vini*. Lind. et Modoet.

[d] Modoet., *malum*.

[e] *Præcipiens pueris suis rem atrocissimam*. Lind.

[f] *Factumque ita est; nam mox crudelis*, etc. Lind.

[g] Al., *illique mandata peragunt*, etc. Lind.

[h] Hæc verba aliis desunt. Lind.

[i] Al.: *Erant tunc Heruli bellandi peritia, multorumque strage notissimi*. Lind., *bellorum, sive exercituum usibus, multorumque strage*, etc. Modoet.

[j] Alias *se contemnere indicarent*. Lind.

[k] Morem hunc nonnullis Germaniæ populis, imo et Gallis fuisse pluribus veterum testimoniis probat laud. Cluverius, Germaniæ antiquæ lib. I, cap. 44, quibus addendus Procopius de Antis eadem referens cit. hist. lib. III, c. 14, edit. nost. pag. 313, col. 1.

[l] Alias *sibi suorum*. Lind.

[m] Al., *aut Herulorum flecti acies, et Langobardos eos opprimere se videre diceret*. Lind.

[n] Amb. et Modoet., *non audens*.

[o] *Tunc enim licet sero in vocem prorumpens*. Lind.

[p] Al., *Herulia*. Lind.

[q] Al., *plecteris ira*. Lind.

[r] Al., *tanta amentia cœlitus immissa perculsi sunt*. Lind.

[s] Proxima vero fabula si actos Herulos in lini campos ita præpeditos consideres, ut ad aperiendam fugæ viam extentis brachiis linos deflecterent, et nudi speciem natantium insequentibus præberent.

[t] Al., *ingentem prædam, quam in castris Rodulfi reppererant inter se dividunt*. Lind.

[u] Suidas: Βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ. Glossarium Latino-Græcum: *Bandum* λίγνον; legendum σίγνον. Constantinus Magnus, ad Silvestrum papam: Ὁμοίως καὶ τὰ βασιλικὰ σκῆπτρα, καὶ πάντα τὰ σίγνα, καὶ τὰ βάνδα, καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήματα τῆς βασιλικῆς μεγαλειότητος. Hinc Βανδοφόρος ἐστὶν ὁ τὸ

Digitized by Google

illo tempore ita omnis [a] Herulorum virtus concidit, A ut ultra super se regem omnino non haberent. Jam hinc Langobardi ditiores effecti, [b] aucto de diversis gentibus, quas superaverant, exercitu, ultro cœperunt bella expetere, et virtutis gloriam circumquaque [c] protelare.

## CAPUT XXI.

*De morte Tatonis, et regno Wachonis, et quomodo Wacho Suavos superavit; et de uxoribus ejus, et filiabus; et de regno Waltari filii ejus.*

At vero Tato [d] post hæc de belli triumpho non diu lætatus est. Irruit namque super eum [e] Wacho filius germani sui [f] Zuchilonis, et eum ab hac luce privavit. Conflixit quoque adversus Wachonem, [g] Hildechis filius [h] Tatonis, sed superante Wachone devictus, ad [i] Gepidos confugit, ibique [j] profugus ad vitæ finem usque permansit. Quam ob causam [k] Ge-

σημεῖον τοῦ Βάνδου βαστάζων. Ita jam olim ab optimo Gesnero editum et emendatum, nec opus fuerat ea denuo ab aliis repeti. O senium ! o mores ! Lind.

[a] Excisum Langobardorum victoria Herulorum regnum Procopius etiam tradit dicto cap. 14. Inde prosequitur gentis illius historiam, asseritque, post infelicem pugnam, partem eorum in Rugorum regione stetisse, atque illinc urgente fame ad Gepædum fines confugisse; postremo transito Istro flumine cum Ro- B manis in Illyrico, imperante Anastasio, consedisse; at brevi nostris molestos a Justiniano vi coercitos, illiusque benignitate agris donatos, Christiana religione instituios. Partem alteram in Thulen insulam, pro qua reponenda est Scandinavia, ut alibi notatum, migrasse, atque illinc a reliquis Herulis in Illyrico degentibus Aordum regii sanguinis virum, qui suis imperaret, ascitum fuisse narrat contra hæc Pauli verba, isque cum longo itinere tardior diu exspectaretur, impatientes Heruli alterum a Justiniano regem petiverunt, qui Suartuam dedit; sed Aordo adveniente, a Suartua, et mox ab imperatore defecerunt.

[b] *Aucto a tot diversis gentibus, quas superaverant.* Lind. et Modoet.

[c] Al., *prolatare.* Lind.

[d] Al., *post hunc belli triumphum.* Lind.

[e] In Modoet., *Walcho.* Minime recensendus in regiis fastis ex Pauli sententia, quam non est asse- C cutus ipsius epitomator in argumento præposito præsenti capiti 21, quippe post Tatonem, quem septimum dixerat Langobardorum regem, octavum numerat Waltarim, exploso, ut in prologo legum a rege Rothari editarum, Wacone, qui non legibus patriis, sed vi regnum abripuerat, occiso patruo suo Tatone, atque Hidelchi Tatonis filio, seu verius nepote, in fugam ad Gepædes acto. Eaque de causa in illius locum Rotharis Hidelchim, vel Unichim, ut nostra habet lectio fortasse in Langobardicis nominibus vitiata, numero 8 reposuerat, eique successorem dederat filium Unabo, de quo ne verbum quidem in Paulo nostro.

[f] Amb., *Luchilonis.* Modoet., *Zachilonis, ut eum ab hac luce privaret*, et ita Lind.

[g] Amb., *Hilchis.*

[h] Modoet., *Tadonis.*

[i] Al., *Gepidas*, et sic infra quoque variat. Lind.

[j] Juvat hic etiam Wachonis fortunam ex Procopio D repetere, lib. III Belli Goth., 35: Ἡνίκα Λαγγοβαρδῶν Οὐάκης ἦρχεν, ἦν τίς οἱ ἀνεψιὸς Ῥισιοῦλφος ὄνομα· ὃν δὴ ὁ νόμος, ἐπειδὰν Οὐάκης τελευτήσειεν, ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν ἐκάλει. Προνοήσας οὖν Οὐάκης ὅπως εἰς τὸν παῖδα τὸν αὐτοῦ ἡ ἀρχὴ ἄγοιτο, ἔγκλημα Ῥισιούλφῳ ἐπενεγκὼν, αἰτίαν οὐκ ἔχων, φυγῇ τὸν ἄνθρωπον ἐζημίωσεν. Ὃς δὴ ἐξ ἠθῶν ἀναστὰς τῶν πατρίων, ξὺν ὀλίγοις τισὶν ἐς τοὺς Οὐάρνους αὐτίκα φεύγει, παίδων οἱ ἀπολελειμμένων ἐνταῦθα δυοῖν. Χρήμασι δὲ Οὐάκης τοὺς βαρβάρους τούτους ἀνέπεισε τὸν Ῥισιοῦλφον κτεῖναι. Τῶν δὲ Ῥισιούλφου παίδων ὁ μὲν εἷς ἐτελεύτησε νόσῳ, ὁ δὲ ἕτερος (Ἰλδίσγος ὄνομα) ἐς Σκλαβηνοὺς φεύγει. Οὐ πολλῷ μὲν οὖν ὕστερον, ὁ μὲν Οὐάκης νοσήσας ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο. Ἐς δὲ τὸν Οὐάλδαλον, τὸν Οὐάκου υἱὸν, ἡ Λαγγοβαρδῶν ἦλθεν ἀρχή. Ὧ δὲ, παιδὶ κομιδῇ ὄντι, ἐπίτροπος καταστὰς Αὐδουὶν, τὴν ἀρχὴν διῳκεῖτο. Δυνάμει τε πολλῇ ἀπ' αὐτοῦ χρώμενος, αὐτὸς τὴν ἀρχὴν οὐκ ἐς μακρὰν ἔσχε, τοῦ παιδὸς τούτου νόσῳ αὐτίκα ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθέντος.

Quo tempore Langobardis Vaces imperabat, nepotem habebat (fratris filium dixerim servata propria significatione τοῦ ἀνεψιοῦ) nomine Risiulfum, quem lex ad regnum vocabat, postquam ex vita Vaces migrasset. Vaces autem id provide curans, ut filio suo principatum relinqueret, Risiulfum criminatus, absque causa, exsilio multavit. Statim ille ex patria ad Varnos cum paucis profugit, relictis ibi duobus filiis. Hos barbaros pecunia Vaces ad Risiulfi cædem perpellit. Filiorum Risiulfi alter morbo exstinguitur; alter cui nomen Ildisgus ad Sclavenos evadit. Haud multo post morbo Vaces obiit, ac Langobardorum principatus Valdalo obvenit Vacis filio, cui admodum puero tutor adhibitus Audoinus regnum administrabat. Hinc multa auctus potentia, brevi ipse regnum obtinuit, cum puerum repente morbus oppressisset. » Supplendam ex his Warnefridi historiam, probandamque prologi lectionem censeo, etsi Procopius Wachoni, vel, ut ipse Græca dialecto pronuntiat, Vaci regnum asserat, fratris filio post ipsius mortem unice tribuendum, quod ex minus exacta Langobardicarum rerum notitia fortasse exciderat. Novisse tamen oportet ejusdem ævi scriptorem, Tatonis filium, et nepotem, quorum primum Risiulphum appellat, Ildisgum alterum. Utrumque item recensuit Rotharis rex, etsi diversis nominibus, a quo juxta patrias leges non tam qui regnaverant, quam qui regnasse debuerant numerati, expunctis iis, qui per vim regnum occupaverant. Hinc si legeris in Paulo nostro *Hidelchis nepos Tatonis*, non *filius*, ut ipse habet, qui certe Procopio Ildisgus, concordes omnes habebimus, nisi mea me fallit opinio melioribus argumentis illico cessura. Interim Procopio nostrum cedere velim. Ab eodem Græco auctore dicto cap. 35 certam habemus temporis notam, quo Hidelchis ad Gepædes confugit; nempe Justiniano imperante, ac Vigilio summo pontifice Constantinopoli degente, anno belli Gothici 14 qui eruditorum calculo 548 æræ Christianæ numeratur.

[k] Belli hujus Langobardos inter et Gepædes exitum narrat idem Proc., cit. cap. Quæ de Hidelchi scribit hic refero ad uberiorem Langobardicæ historiæ copiam: Ἡνίκα τοίνυν Γήπαισί τε καὶ Λαγγοβάρδαις ὁ πόλεμος κατέστη, ὥσπέρ μοι εἴρηται, Ἰλδίσγος εὐθὺς Λαγγοβαρδῶν τούς οἱ ἐπισπομένους καὶ Σκλαβηνῶν πολλοὺς ἐπαγόμενος, ἐς Γήπαιδας ἦλθε. Καὶ αὐτὸν Γήπαιδες κατάξειν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐλπίδα εἶχον. Γενομένων δὲ τῶν ἐν τῷ παρόντι πρὸς Λαγγοβάρδας σπονδῶν, ὁ μὲν Αὐδουὶν τὸν Ἰλδίσγον εὐθὺς ἅτε πρὸς φίλων ἐξῃτεῖτο Γηπαίδων. Οἱ δὲ τὸν μὲν ἄνθρωπον ἐκδοῦναι οὐδαμῇ ἔγνωσαν. Ἐκέλευον δὲ αὐτὸν ἐνθένδε ἀπαλλαγέντα, ὅποι βούλοιτο, διασώζεσθαι. Καὶ ὃς μελλήσει μηδεμιᾷ ξύν τε τοῖς ἑπομένοις καὶ Γηπαίδων τισὶν ἐθελουσίοις, ἐς Σκλαβηνοὺς αὖθις ἀφίκετο. Ἔνθεν τε ἀναστὰς παρὰ Τωτίλαν τε καὶ Γότθους ᾔει, στράτευμα οὐχ ἧσσον ἢ ἐς ἑξακισχιλίους ξὺν αὐτῷ ἔχων. Ἔς τε Βενετίας ἀφικόμενος, Ῥωμαίοις τισὶν ὑπαντήσασιν, ὧν Λάζαρος ἡγεῖτο, ἐς χεῖρας ἦλθε, τρεψάμενός τε αὐτοὺς, πολλοὺς ἔκτεινεν. Οὐ μέντοι Γότθοις ξυνέμιξεν, ἀλλ' Ἴστρον ποταμὸν διαβὰς αὖθις ἐς Σκλαβηνοὺς ἀπεχώρησεν.

[l] Nato demum, ut dixi, bello Gepædes inter ac Langobardos, protinus Ildisgus cum Langobardis, qui se ipsi adjunxerant, ac numerosa Sclavenorum manu ad Gepædes se contulit. Ac sperabant Gepædes fore ut illum in regnum inducerent. Jam vero facta cum

Digitized by Google

pidi cum Langobardis ex tunc inimicitias contraxere. Eodemque tempore Wacho super Suevos irruit, eosque dominio suo subjugavit. Hoc si quis mendacium, et [a] non rei existimat veritatem, relegat prologum edicti, quem rex [b] Rotharii de Langobardorum legibus composuit, et pene in omnibus hoc Codicibus, sicut nos in hac historiola [c] inseruimus, scriptum reperiet. Habuit autem Wacho uxores tres, hoc est, primam [d] Ranicundam filiam regis Turingorum. Deinde duxit [e] Austrigosam filiam regis Gepidorum, de qua habuit filias duas. Nomen uni Wisegarda, quam tradidit in matrimonium [f] Theodeberto regi Francorum. Secunda autem dicta est Walderada, quæ sociata est [g] Cuswald alio regi Francorum, quam ipse odio habens, [h] uni ex suis, qui dicebatur Garipald, in conjugium tradidit. [i] Tertiam vero Wacho uxorem habuit, Herulorum regis filiam nomine [j] Salingam. Ex ipsa natus est filius quem [k] Waltari appellavit, quique Wachone mortuo super Langobardos jam [l] octavus regnavit. Hi omnes [m] Lithingi fuerunt, sic enim apud eos quædam nobilis prosapia vocabatur.

## CAPUT XXII.

*Mortuo Waltari regnavit Audoin, qui Langobardos in Pannoniam adduxit.*

[n] Waltari ergo cum per [o] septem annos regnum tenuisset, ab hac luce subtractus est. Post quem [p] nonus Audoin regnum adeptus est, qui non multo post tempore [q] Langobardos in Pannoniam adduxit.

Langobardis pace, extemplo Auduinus a Gepædibus, tanquam amicis Ildisgum repetiit. Hi tradere nolentes hominem, hortati sunt, ut inde quocunque vellet evaderet. Nulla is interposita mora cum suis ac nonnullis Gepædibus voluntariis, sese ad Sclavenos retulit. Hinc profectus Totilam, Gothosque adire instituit; armatorum non minus sex millia secum habens. Agrum ingressus Venetum, cum obvia Romanorum manu, quam Lazarus ducebat conflixit, eaque in fugam acta multos occidit. Nec tamen se admiscuit Gothis; sed iterum transito flumine ad Sclavenos concessit. » Post hæc ad Græcos etiam Constantinopolim confugit, et a Justiniano humanissime acceptus, scholæ militum præpositus. Verum Goar homine Gotho suadente fugitivus iterum ad Gepædes concessit, ubi noxius imperatori, arte Auduini brevi et vitam amisit. Procop., l. IV, c. 27.

[a] Modoet., *non esse existimat*. Lind., *et non esse verum existimat*.

[b] Al., *Rotharis*. Lind.

[c] Al. deest τὸ *inseruimus*. Lind. Si genuina in Sigonii schedis recitata prologi lectio, mirum profecto Paulum nostrum ad eumdem provocare, cum adeo ab ipso discordet, ut supra observavimus. Cæterum perquirenti mihi diligenti cura, vel editas Langobardorum leges, quas habere potui, vel manuscriptas, quæ in Codice optimæ notæ servantur in hac Ambrosiana bibliotheca, I. O, n. 53, 4, nusquam prologus iste occurrit; unde suspicor etiam Warnefridi ævo non omnibus legum Codicibus fuisse præpositum. Illius vero pars apud Sigonium et quamplures alios frequentissima.

[d] Al., *Ravicundam nomine filiam*, etc. Lind.

[e] Amb., *Aurigosam*. Modoet., *Hastrigosam*. Lind., *Hostricosam*.

[f] Al., *Theudeberto*, et sic semper in hoc nomine variat. Lind.

[g] Modoet., *Chusupald*. Lind., *Supaldo*.

[h] Al., hæc verba usque ad illa *Tertiam vero* desunt. Lind.

[i] Meminit utriusque Francorum reginæ D. Gregorius Turonensis in sua Historia, sed earum alteram appellans *cujusdam regis filiam*, generis Langobardici nullum præbuit testimonium, quod a nostro expetendum. At hic « duo errores corrigendi, ut scribit Pagius in sua Critica histor. chronol. ad ann. 556, num. 10, alter librarii, alter ipsiusmet Pauli, qui de rebus regum Francorum sæpe non bene edoctus fuit. Loco enim Cuswald, legendum Teuwald, id est Theodobaldo. Editio Gruteri magis depravata, habet enim *Cusupald* juxta ms. Palatinum. Ex Turonensi emendandus Paulus, qui vult *Theodovaldum uni ex suis, qui dicebatur Garipald*, Waldradam in conjugium tradidisse. Id enim a Chlotario, non vero a Theodovaldo factum, et Garivaldus, non regis domesticus, sed dux tributarius Bajoariæ præfectus. » Vide cætera apud eumdem.

[j] Al., *Saligam*. Lind.

[k] Amb. et Modoet., *Walteri*. Lind., *Walteritus*.

[l] Amb., *nonus*. Librarii fortasse licentia, qui et ipse Pauli mentem non est assecutus. Servandam censeo editorum lectionem ex supra notatis. Quippe noster infelices filium et nepotem Tatonis prætererat, quos si cum Procopio, et Rothari reposueris, Waltari jam decimus rex numerabitur.

[m] Amb. et Modoet., *Adalingi*. Lind., *Adelingi*. De hujus nominis significatione Cluverius German. Antiq. lib. I, pag. 12, « Nobiles homines, uti nunc etiam vulgo in Germania patrio sermone appellant *die Aedeleute*, et *die Adelen*, aliaque dialecto *Eddelüde*, et *Eddelen*; et ipsa nobilitas *der Adel*: sic olim nobiles dicebantur pro dialectorum varietate *thi Adalinge*, *Athalinge*, *Aethelinge*, *Eddelinge*, haud dubie ab illo primitivo nobilitatis vocabulo *Adal*, sive *Athal*, *Athe*., et *Adel*. *Adalingi* sunt in veteri carmine ad Ludovicum regem, et apud Paul. Diac., etc., ubi Langobardorum regibus octo enumeratis hæc addit: *Hi omnes Adalingi fuerunt*; *sic enim apud eos quædam nobilis prosapia vocabatur*. Non quædam mehercules apud Langobardos, sed quævis apud omnes Germaniæ nationes, etc. » At pace tanti viri genericum nobilitatis nomen poterat etiam uni Gudehocci prosapiæ, quæ in Waltari puero finem habuit ob eximiam veterum nobilitatem tributum fuisse, ut Gungingorum alterum ejusdem naturæ generi Agelmundi. Superfluum esset a cæteris etiam nationibus exempla repetere.

[n] Waltari locus datur in regiis fastis a Paulo, itemque a rege Rothari, exploso patre Wachone, non alia, ut opinor, ex causa, nisi quod puerulus iste regiæ Claffonis prosapiæ princeps, etsi annuente patre regnum per vim obtinuerit, vivo adhuc Hildechi, ut Procopius refert citato cap. 35, jure patriisque legibus confirmatum sub Audoini tutela, brevi licet spatio, administraverit.

[o] Amb., *quatuor*.

[p] Amb., *decimus*, continuato librarii errore, ut supra notavi.

[q] Quo tempore Auduinus Langobardos in Pannoniam duxerit explicat idem Paulus infra lib. II, cap. 7; unde Langobardorum in Pannoniam migrationi annus Christi 526 est assignandus, quod et Sigebertus in Chronico testatur. Procopius, cap. 32, lib. III, belli Gothici, ubi altius repetit res barbarorum Occidentis imperium lacerantium, de hac migratione verba facit, asseritque Langobardos Justiniano donante in Pannoniam venisse. Λαγγοβάρδας δὲ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἐδωρήσατο Νορικῷ τε πόλει, καὶ τοῖς ἐπὶ Παννονίας ὀχυρώμασί τε καὶ ἄλλοις χωρίοις πολλοῖς, καὶ χρήμασι μεγάλοις ἄγαν. Διά τοι τοῦτο ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων Λαγγοβάρδαι ἐξαναστάντες, ἐνθένδε ποταμοῦ Ἴστρου ἱδρύσαντο, Γηπαίδων οὐ πολλῷ ἄποθεν. « Cum autem urbem Noricum, et Pannoniæ munitiones, aliaque loca, ac pecuniam insuper maximam Justi-

Digitized by Google

## CAPUT XXIII.

*Bellum Gepidorum cum Langobardis, in quo Alboin filium regis Gepidorum exstinxit.*

Gepidi ergo ac Langobardi [a] conceptam jamdudum rixam tandem parturiunt, bellumque ab utrisque partibus præparatur. Commisso itaque prælio, dum ambæ acies fortiter dimicarent, et neutra alteri cederet, contigit ut in ipso certamine, [b] Alboin filius Audoini, et Turismodus [c] Turisindi filius, sibi obvii fierent, quem Alboin spata percutiens, de equo præcipitatum exstinxit. Cernentes Gepidi Regis filium, per quem [d] magna ex parte bellum constiterat, interiisse, mox dissolutis animis fugam ineunt. Quos [e] Langobardi insequentes acriter sternunt, cæsisque quampluribus ad detrahenda occisorum spolia revertuntur. Cumque peracta Langobardi victoria, ad sedes proprias remeassent, regi suo Audoino suggerunt, ut [f] ejus Alboin conviva fieret, cujus virtute in prælio [g] victoriam cœpissent, [h] utque patri in periculo, ita et in convivio [i] comes esset. Quibus Audoin respondit se hoc facere minime posse, ne ritum gentis infringeret. Scitis enim, inquit, non esse apud nos consuetudinem, ut regis cum patre filius prandeat, nisi prius a rege gentis exteræ arma suscipiat [j].

## CAPUT XXIV.

*Quomodo Alboin cum quadraginta viris ad Turisendum regem, cujus filium interemerat, profectus est, arma ab eo petens, ut cum suo patre possit in convivio residere, et quomodo a Turisendo arma accepit.*

His Alboin a patre auditis, quadraginta solummodo juvenes secum tollens, ad [k] Turisendum, [l] cum quo dudum bellum gesserat, regem Gepidorum profectus est, causamque qua venerat intimavit. Qui A eum benigne suscipiens, ad suum convivium invitavit, atque ad suam dexteram, ubi Turismodus ejus quondam filius sedere consueverat, collocavit. Inter hæc dum [m] apparatus varii epulas caperent, Turisendus jamdudum sessionem filii mente revolvens, natique funus [n] ad animum reducens, præsentemque peremptorem ejus loco residere conspiciens, alta trahens suspiria, sese continere non potuit: sed tandem dolor in vocem prorupit. Amabilis, inquit, mihi locus iste est, sed persona quæ in eo residet, satis ad videndum gravis. Tunc regis alter qui aderat filius, patris sermone stimulatus, Langobardos injuriis lacessere cœpit, asserens eos, quia [o] suris inferius candidis utebantur fasciolis, equabus, quibus [p] crurum tenus pedes albi sunt, [q] similes esse, dicens: B [r] Fetulæ sunt equæ quas similatis. Tunc unus e Langobardis ad hæc ita respondit: Perge, ait, in campum [s] Asfeld, ibique proculdubio poteris experiri quam valide istæ, quas equas nominas, prævaleant calcitrare, ubi sic tui dispersa sunt ossa germani, quemadmodum [t] vilis jumenti in mediis pratis. His auditis Gepidi, confusionem [u] ferre non valentes, vehementer in ira commoti sunt, manifestasque injurias vindicare nituntur. Langobardi e contra parati ad bellum, omnes ad gladiorum capulos manus [v] injiciunt. Tunc rex a mensa prosiliens, sese in medium objecit, suosque ab ira belloque compescuit, interminans primitus eum puniri, qui primus pugnam commisisset, non esse victoriam Deo placitam dicens, cum quis in domo propria [x] hostem perimit. C Sic denique jurgio compresso, jam deinceps lætis animis [y] convivium peragunt. Sumensque Turisendus arma Turismodi filii sui, ea Alboin tradidit, [z] eumque cum pace incolumem ad patris regnum remisit.

nianus Augustus Langobardis donasset, eam illi ob causam, patriis sedibus relictis, in adversa fluminis ripa consederant, haud procul a Gepædibus. » Narrat inde seq. cap. 34 ortum inter Gepædes et Langobardos bellum, legationemque ad imperatorem ab utroque gentium illarum rege expeditam, ut auxilia impetrarent, additque: Ἦρχε δὲ τότε Γηπαίδων μὲν Θορισὶν ὄνομα, τῶν δὲ ἑτέρων Αὐδουΐν. « Tunc temporis Thorosinus imperabat Gepædibus; Auduinus Langobardis. »

[a] Al., *concepta jamdudum rixa, tandem in apertum exarserunt bellum, quod ab utrisque partibus pro facultatibus adparabatur*. Lind. Imo pluries Gepædes D inter et Langobardos instructum fuisse bellum auctor est citatus Procopius lib. III, cap. 34, et lib. IV, cap. 18, apud quem res gestæ utrinsque gentis ante hanc Langobardorum victoriam hic in supplementum Pauli nostri recensendæ: eaque fortasse non alia fuit quam quæ ab ipso Procopio narratur lib. IV, cap. 25, cujus ab Auduino lætus nuntius Constantinopolim missus, anno belli Gothici XVII, qui æræ Christianæ 551.

[b] Al., *Alboini filius Audoinus*. Lind. Vitiata quidem lectio; nam ex Procopio cæterisque scriptoribus liquido constat Auduinum præcessisse Alboinum.

[c] Turisindum, sive Thorisinum Gepædibus regem eo tempore, quo Auduinus Langobardis imperabat asserit et Procopius, ac parem Wachoni hujus fortunam refert, exturbato e Gepædum regno Ustrigotho Elemundi regis filio, qui ad Auduinum fugiens, ut Ildisgus ad Gepædes, per impium scelus ab Audoino occisus, pretium fuit occisi pariter a Thorisino Ildisgi, vel Hideichis, anno belli Gotthici XVIII. Vide Procop. lib. IV, cap. 27.

[d] *Magna suæ partis bella constiterant*. Modoet. et Lind.

[e] Al., τό *Langobardi* deest. Lind.

[f] Modoet. et Amb., *ut ei*.

[g] Al., *virtutem*. Lind.

[h] *Ut sicut in patris periculo*. Mod.

[i] Al., *communis*. Lind. et Mod.

[j] Vide quæ notavit Petrus Pithœus J. C. Adversar. lib. I, cap. 1. Lindenbrogius.

[k] Al., *Turisindum*. Lind.

[l] Al., *Cum quo paulo ante gesserat*. Lind.

[m] Al., *Apparatas epulas sumerent*. Lind.

[n] Amb., *ad memoriam*.

[o] *In suris*. Mod. et Lind.

[p] Amb. et Mod., *crure*.

[q] Al., *esse persimiles, addiditque dicens, faciles sunt equæ, quas refertis, seu simulatis*. Lind.

[r] Amb. et Mod., *fetidæ sunt inquit, equæ quas simulatis*. Lind., *fetiles*.

[s] Amb., *Feld*. Idem sonat Germanica lingua quod Latinis *campus*, at hic accipitur a Paulo pro loco pugnæ designato.

[t] *Pili*. Mod. et Lind.

[u] Amb., *quam a Langobardis perpessi fuerant, vehementer*, etc.

[v] Al., *adjiciunt*. Ms., *mittunt*. Lind.

[x] Mod. et Lind., *hospitem*.

[y] Al., *consilium*. Lind.

[z] Al., *eumque ad patris regnum incolumem redire permisit*. Lind.

Digitized by Google

Reversus ad patrem [a] Alboin, ejusdem conviva hinc A effectus est. Qui dum cum patre lætus regias delicias caperet, ordine cuncta retulit, [b] quæ sibi apud Gepidos in Turisendi regia contigissent. Mirantur qui aderant, et laudant audaciam Alboin, nec minus attollunt laudibus Turisendi maximam fidem.

## CAPUT XXV.

*De regno Justiniani et victoriis ejus.*

Hac tempestate [c] Justinianus Augustus Romanum imperium felici sorte regebat, qui et bella prospere gessit, et in causis civilibus mirificus exstitit. Nam per [d] Belisarium Patricium Persas fortiter devicit, perque ipsum Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, usque ad internecionem delevit, Africamque totam, post annos [e] nonaginta et sex, Romano imperio restituit. Rursumque Belisarii B viribus, Gothorum in Italia gentem, capto [f] Withigis eorum rege superavit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes, eorumque regem [g] Attilam, per Joannem [h] exconsulem mirabili virtute protrivit, pari etiam modo, et alias gentes belli jure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias, ut Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, [i] Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanusque diceretur, [j] habere agnomina meruit. Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, et inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen Codicem Justinianeum appellari præcepit. Rursumque singulorum C magistratuum, sive [k] judicum leges, [l] quæ usque ad duo millia pene libros erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque Codicem Digestorum, sive Pandectarum, vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, eumdem Codicem [m] Novellarum nuncupari sancivit. Exstruxit quoque idem princeps intra urbem Constantinopolim, Christo Domino, qui est sapientia Dei Patris, templum, quod Græco vocabulo, [n] ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, id est, sanctam Sapientiam, nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri. [o] Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in judiciis justus, ideoque ei omnia concurrebant in bonum. [p] Hujus temporibus Cassiodorus, apud urbem Romam tam sæculari quam divina scientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter scripsit, [q] psalmorum præcipue occulta potentissime reseravit. Hic primitus consul, deinde [r] Senator, ad postremum vero monachus exstitit. [s] Hoc etiam tempore [t] Dionysius abbas in urbe Roma constitutus, Paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis, grammaticæ artis, ut ita dixerim, [u] profunda rimatus est. Tunc quoque nihilominus Arator Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, poeta mirabilis, Actus apostolorum versibus hexametris [v] exaravit.

## CAPUT XXVI.

*De beato Benedicto, et miraculis, et laudibus ejus.*

His quoque diebus beatissimus Benedictus [x] Pater, et pius, in loco qui [y] Sublacus dicitur, qui ab urbe Roma quadraginta millibus abest, et postea in castro

[a] Al., *Alboinus tam claris armis insignitus, mox ejusdem conviva effectus est.* Lind.

[b] Al., *quæ illi regiæ contigissent.* Al., *quæ illi regia, mensaque contigissent.* Lind.

[c] Justinianum in imperium a Justino avunculo ascitum anno Christi 527 Kal. Aprilis, nempe illius natali die jam liquido constat. Ego vero Langobardicas res ipso imperante gestas quantum potui ad illius annos imperii revocavi.

[d] MS., *Bellisarium*; al., *Bilisarium*.

[e] Mod., *nonaginta et septem*. Alii ita legunt: *annos, et jure, et vi Romano*. Tamen Regino etiam nonaginta et sex annos ponit, alii nonaginta septem. Lind.

[f] Al., *Witichiso*. Lind.

[g] Ms., *Antalam*: alii, *Attalam, Anitalan*. Lind.

[h] Mod., *proconsulem*, et ita Lind.

[i] Mod., *Atticus, Albaricus*.

[j] Sic restitui ex corrupta Ascensiana editione. Nam in Ms. et August. tantum erat, Alamannicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus. Rectum autem esse, quemadmodum scripsi, confirmat Agathias lib. I et ipse Justinianus loco non uno.

[k] Al., *judicum, jurisconsultorumque leges*. Lind.

[l] Al., *quæ pene ad duo millia librorum erant extensæ*. Lind.

[m] Al., *Novellam*. Lind.

[n] Vide Procopium, de ædificiis Justiniani Cæsaris, lib. I. Lind.

[o] Et si plures inter historicos et jurisconsultos nostros in laudes sacratissimi principis Justiniani sint profusi, non defuerunt qui et hæresim Aphthardocitarum, hoc est, incorruptibilium, eidem exprobrarerint, aliaque memoria quidem indigna. Sed ab illa resipuisse probant veterum testimoniis eminentissimus Baronius, aliique. Laudavit cum Paulo nostro Justinianum sum. pont. Agatho, et Odilbertus Mediolanensis archiepiscopus.

[p] Anno Christi 514.

[q] Librum hunc in psalmos eodem anno scripsit, quo se monasticæ vitæ dicavit in suo celebri vivario ad Scyllacium urbem, ubi ortum habuerat. Nonagenario majorem occubuisse constat. Incertum quo anno.

[r] Imo vero præfectus prætorio ex Athalarici beneficentia, cui charissimus fuit; nam Senatoris Cassiodoro cognomen a suis libris plerique arguunt.

D [s] Anno DXXV æræ Christ.

[t] *Exiguus* cognomento, natione Scytha, Græcæ Latinæque linguæ peritissimus, cycli paschalis auctor, Sac. Canonum collector celebratissimus, qui Paulo nostro, et Bedæ, lib. de temp. Ratione, dicitur Abbas Romanæ urbis; Cassiodoro amicus, et socius, ab eoque monachus tantum appellatus, ut notat Pagius in sua Critica, ad an. 527, n. 10.

[u] Al., *profunda scrutinia*. Lind.

De Prisciano idem Cassiodorus, de Orthographia, cap. 12.

[v] Eosque Vigilio sum. pontifici dicavit VIII Idus Aprilis tertio anno post cons. Basilii viri cl., indict. 7, qui communi calculo incidit in 544. Ingentique plausu ante confessionem beati Petri clero et populo recitavit.

[x] Al., *pater primum*. Lind.

[y] Al., *Sublaco*. Lind.

Digitized by Google

[a] Cassini, quod [b] Ilarum appellatur, et magnæ vitæ meritis, et apostolicis virtutibus effulsit. Cujus Vitam, sicut notum est, beatus papa Gregorius in suis Dialogis suavi sermone composuit. Ego quoque pro parvitate ingenii mei ad honorem tanti Patris, singula ejus miracula, per singula disticha elegiaco metro hoc modo contexui :

[c] Ordiar unde tuos, sacer o Benedicte, triumphos,
  Virtutum cumulos ordiar unde tuos ?
Euge, beate Pater, meritum qui nomine prodis,
  Fulgida lux sæcli, euge, beate Pater.
Nursia plaude satis tanto sublimis alumno,
  Astra ferens mundo, Nursia plaude satis.
O puerile decus transcendens moribus annos
  Exsuperansque senes, o puerile decus,
Flos, paradise, tuus despexit florida mundi,
  Sprevit opes Romæ, flos, paradise, tuus.
Vas [d] pædagoga tulit diremptum pectore tristi ;
  Læta reformatum vas pædagoga tulit.
Urbe [e] vocamen habens tironem cautibus abdit,
  Fert pietatis opem urbe vocamen habens.
Laudibus antra sonant mortalibus abdita cunctis,
  Cognita, Christe, tibi laudibus antra sonant.
Frigora, flabra, nives, [f] fers tu tribus impiger annis.
  Temnis amore Dei frigora, flabra, nives.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
  Qua sacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adesse dapes [g] Agapes, sed lividus obstat,
  Nil minus alma fides, signat adesse dapes.
[h] Orgia rite colit, quia Christo commodat aurem,
  Abstemium pascens orgia rite colit.
[i] Pabula grata ferunt avidi ad spelæa subulci,
A  Pectoribus lætis pabula grata ferunt.
Ignis ab igne perit, lacerant dum viscera sentes
  Carneus æthereo ignis ab igne perit.
[j] Pestis iniqua latens procul est deprensa sagaci,
  Non tulit arma crucis pestis iniqua latens.
[k] Lenia flagra vagam sistunt moderamine mentem,
  Excludunt pestem lenia flagra vagam.
Unda perennis aquæ nativo e marmore manat,
  Arida corda rigat unda perennis aquæ.
[l] Gurgitis ima calybs capulo divulse petisti,
  Deseris alta petens gurgitis ima calybs.
Jussa paterna gerens [m] dilapsus currit in æquor,
  Currit vectus aquis jussa paterna gerens.
Præbuit unda viam prompto ad præcepta magistri,
  Cursori ignaro præbuit unda viam.
B Tu quoque, parve puer, raperis nec occidis undis,
  Testis ades verax, tu quoque parve puer.
Perfida corda gemunt [n] stimulis agitata malignis,
  Tartareis flammis perfida corda gemunt.
Fert alimenta corax digitis oblata benignis,
  Dira procul jussus fert alimenta corax.
[o] Pectora sacra dolent inimicum labe peremptum,
  Discipuli excessum pectora sacra dolent.
[p] Lyris amœna petens ducibus comitaris opimis,
  Cœlitus attraheris Lyris amœna petens.
Anguis inique furis loco spoliatus, et aris,
  Amissis populis anguis inique furis.
Improbe sessor abi, sine dentur marmora muris,
  [q] Cogeris imperio, improbe sessor abi.
Cernitur ignis edax falsis insurgere flammis,
C  Nec tibi gemma micans cernitur ignis edax.
Dum struitur paries lacerantur viscera fratris,

[a] Al., *in Cassino*. Lind.

[b] Amb., *Arum*. Lind. Al., *Aurum*, *Clarum*, vel *Bacrum*. Modoet., *Arx*, quæ lectio cæteris omnibus præstantior, et veterum Cassini montis descriptioni congruentior, ut in Marco poeta aliisque.

[c] Omnes hi versus, usque ad 27 caput, Ascensianæ Editioni desunt. Lind. In Mss. nostris leguntur.

[d] Pædagogam dixit nutricem divi Benedicti, quæ fugientem ab Urbe secuta de fracto capisterio lamentabatur, ut scribit divus Gregorius, nempe vase ad purgandum triticum, quam vocem adhuc apud Sabinos audivisse memini.

[e] Sanctus Romanus monachus ab Urbe nomen habens, qui « cum desiderium sancti Benedicti cognovisset, et secretum tenuit, et adjutorium impendit, eique sanctæ conversationis habitum tradidit et, in quantum licuit, ministravit. » D. Greg.

[f] Al., *perfers*. Lind. Et ita in Amb.

[g] Sic indigitabant prisci Christiani convivia ad quæ pauperes vocabantur. De his bene Tertullianus, ut alia ejus loca omittam, Apologet. cap. 39 : « Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod *dilectio* penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. » Vide Cyprianum, Testim. lib. III ; Cassianum, collat. 24, cap. 12. De agape Christianorum multa passim præter ea, quæ notavit Lindenbrogius. At hic Paulo nostro agapis appellatione sancti Romani dilectio explicatur, qua panem quotidie sancto Benedicto func demittebat, alligato eidem tintinnabulo, quod, immittente diabolo saxum, attritum fuit.

[h] Græcorum more pro sacris, at parum felici Minerva ; *orgia* quippe ab ira dicebantur sacra Bacchi, nec bene paschalibus Christianorum solemniis conveniunt, in quibus olim a Christo monitus sacerdos divo Benedicto cibum apposuit.

[i] « Pastores cum ei cibum afferrent corporis, ab ejus ore in suo pectore alimenta referebant vitæ. » Divus Greg.

[j] Cacodæmon sub nigræ merulæ imagine divo Benedicto molestus, signo crucis in fugam vertitur.

[k] Monachus virga leniter cæsus in oratione perseverat.

[l] Falcastrum, ut scribit divus Gregor., quod de manu Gothi, qui ad conversionem venerat, in lacum exciderat. Retentum manubrium divus Benedictus D tulit de manu ejus, et misit in lacum ; et mox ferrum a profundo rediit, atque in manubrium intravit.

[m] Sanctus Maurus, jussu divi Benedicti super lacum sicco pede currens sanctum Placidum eripit.

[n] Florentius presbyter invidia percitus divo Benedicto infectum veneno panem misit, quem corvus abstulit.

[o] Immissis in hortum puellis Florentius, quem veneno de medio tollere non potuerat, tentationis periculo in fugam vertit. Mox vero de solario præcipitem, exanimatumque presbyterum dum Benedicto discipuli læti nuntiant, ipse lacrymatur.

[p] In Cassinum montem venit, qua Lyris amnis ad radices labitur.

[q] De lapide gravato per insidentem diabolum signo crucis hostem ejicit, cumque facile monachi tollunt ad extruendas cellas.

Digitized by Google

Sospes adest frater dum struitur paries.
Abdita facta patent, patulo [a] produntur [b] edaces,
[c] Muneris accepti abdita facta patent.
Sæve tyranne tuæ frustrantur retia fraudis,
Frena capis vitæ, sæve tyranne, tuæ.
Mœnia celsa Numæ nullo [d] vertentur ab hoste,
[e] Turba gravis vertet mœnia celsa Numæ.
Plecteris [f] hoste gravi, ne lites munus ad aram,
Munera fers aris plecteris hoste gravi.
[g] Omnia septa gregis, præscitum est tradita genti,
Gens eadem reparat omnia septa gregis.
Fraudis amice puer, suado capturis ab Hydro
Hydro non caperis fraudis amice [h] puer.
Mens tumefacta sile. [i] tace, et ne carpe videntem,
Cuncta patent vati, mens tumefacta sile.
[j] Pellitur atra fames delatis cœlitus escis,
Nihilominus mentis pellitur atra fames.
Pectora cuncta stupent, quod eras sine corpore præsens.
Quod [k] pervisa mones pectora cuncta stupent.
[l] Vocis ad imperium sacris non esse sinuntur,
Intersunt sacris vocis ad imperium
Tellus hiulca sinu [m] corpus propellit humatum,
Jussa tenet corpus tellus hiulca sinu.
Perfidus ille draco mulcet properare fugacem,
Sistit iter vetitum perfidus ille draco.
Exitiale malum capitis decussit honorem,
It procul imperiis exitiale malum.
Fulva metalla pius, nec habet, promittit egenti;
Cœlitus excepit fulva metalla pius.
[n] Tu miserande cutem variant cui pelle colubræ,
Incolumem recipis tu miserande cutem.
Aspera saxa vitrum rapiunt, nec frangere possunt;
Illæsum servant aspera saxa vitrum.
Cur prome conde times stillam præbere lecyti?
Dolia [o] certe fluunt, cur prome conde times?
Unde medela tibi spes est cur nulla salutis,
Qui semper [p] metuis unde medela tibi?
Ah [q] miserando senex! hostili concidis ictu,
A Ictu sed resipis ah miserande senex!
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,
Sponte sua fugiunt, barbara lora manus.
Ille superbus equo reboans clamore minaci,
Stratus humi recubat ille superbus equo.
Colla paterna ferunt exstincti viscera nati,
[r] Viventem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, [s] vinxit soror imbre beatum
Somnus abest oculis, omnia vincit amor.
Simplicitate placens instar, petit alta, columbæ
Regna poli penetrat simplicitate placens.
O nimis apte Deo mundus cui panditur omnis
Abdita qui lustras, o nimis apte Deo.
Flammeus orbis habet justum super æthera nantem,
Quem pius ussit amor flammeus orbis habet.
B Ter vocitatus adest testis novitatis habendus,
Charus amore patris ter vocitatus adest.
Dux bone bella moneas exemplis pectora firmas,
Primus in arma ruis, dux bone bella moneas.
Congrua signa dedit vitæ consortia linquens,
Ad vitam properans congrua signa dedit.
Psalmicen assiduus nunquam dabat otia plectro,
Sacra canens obiit psalmicen assiduus.
Mens quibus una fuit tumulo retinentur eodem,
Gloria par retinet mens quibus una fuit.
Splendida visa via est facibus stipata coruscis,
Qua sacer ascendit splendida visa via est.
Rupea septa petens nacta est errore salutem,
Errorem evasit rupea septa petens:
C Pœmata parva dedit famulus pro munere supplex,
Exsul, inops, tenuis, pœmata parva dedit.
Sint precor apta tibi cœlestis tramitis index,
O Benedicte pater, sint precor apta tibi. [t]

*Hymnum quoque singula ejusdem Patris miracula continentem metro Iambico Archilochico ita texuimus.*

Fratres alacri pectore,
Venite concentu pari,
Fruamur hujus inclytæ,
Festivitatis gaudiis.

[a] Amb., *probantur*.

[b] Monachis extra cellam paratam cœnam absens noverat, narratisque cibis, et numero potatorum calicum objurgat.

[c] Totilæ regis notissima fraus, et de illius vita divi Benedicti vaticinium.

[d] Amb., *subruentur*.

[e] *Turbo ait evertet*, etc. Amb.

[f] Clericus energumenus, cui prædixerat, si ad sacros ordines accederet, futurum fore ut iterum a diabolo vexaretur.

[g] Cassinensis monasterii eversionem Theoprobo monacho prædicit, quæ irrumpentibus Langobardis facta est; cumque ad historiam gentis illius pertineat, vide que notavit doctiss. Mabillon. in divi Gregorii dialog. de tempore istius irruptionis. At Paulus noster Langobardus, et ipse amore suorum fortassis, hæc addit:

Gens eadem reparat omnia septa gregis,

quod utique verum est; nam subsequentes Langobardi principes de Cassinensi monasterio, atque universa Benedictinorum familia sunt optime meriti.

[h] Exhilaratus nomine, qui serpentem in abscondito vini vasculo monitus reperit.

[i] Amb., *tacita*, monachus Defensoris filius superbia elatus dum sancto Benedicto ministraret.

[j] Aliis hi duo versus desunt. Lind.

[k] Amb., *prævisa*.

[l] Amb.:

Vocis ad imperium temnunt dare frena loquelis,

Amb. et Lind.:

D E bustis fugiunt vocis ad imperium.

Sanctimoniales, quæ post mortem a sacris discedere ac iterum, benedicente sanctissimo Patre, interesse visæ sunt.

[m] Pueri monachi corpus, qui e monasterio ad patrem absque benedictione discesserat.

[n] Al.:

Tu miserande cutem varia cum pelle colubræ.

Ms., *variant cui fella colubri*. Lind. Et hanc postremam lectionem habet. Amb.

[o] Al., *cerne fluunt*. Lind. et Amb.

[p] Amb. et Lind., *perimis*.

[q] Amb., *lacrymande*.

[r] Al., *videndi*. Lind.

[s] Amb., *vicit*.

[t] Laudavit etiam Paulus simili carmine ac metro sanctam Scholasticam et Maurum abbatem.

Digitized by Google

Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis,
Ad regna conscendit Pater,
Captans laborum præmia,
Effulsit ut sidus novum,
Mundana pellens nubila.
Ætatis ipso limine,
Despexit ævi florida.
Miraculorum præpotens,
Afflatus alti flamine,
Resplenduit prodigiis
Venturo sæclo præcinens.
Laturus esum pluribus,
Panis reformat vasculum,
Arctum petens ergastulum,
Exstinxit ignes ignibus.
Fregit veneni bajulam
Crucis per arma cymbiam,
Coercuit mentem vagam,
Leni flagello corporis.
Funduntur amnes rupibus.
Redit calybs e gurgite,
Currit per undas obsequens,
Peplo puer vitat necem.
Virus patescit abditum,
Mandata præpes efficit,
Hostem ruina conterit.
Cedit fremens leo grave.
In [a] imo fit moles levis:
Rogus migrat fantasticus,
Fractum revisit sospitas,
Excessus absentum patet.
Rector vafer deprenderis,
Inique possessor fugis;
Futura prænoscemini.
Arcana cor non contigit.
Fundantur ædes somniis,
Tellus vomit cadavera,
Dracone frenatur fugax,
Æther pluit numismata.
Vitrum resistit cautibus,
Manant olivo dolia,
Vinctum resolvit visio,
Vitam receptant funera.
Tanti potestas luminis,
Voto sororis vincitur,
Quo plus amat quis plus valet.
Enare quem cernit polum

A Non ante seclis cognitum
Noctu jubar effulgorat,
Quo totus orbis cernitur,
Flammisque subvehi pius.
Hæc inter instar nectaris
Miranda plectro claruit.
Nam pinxit apte lineas
Vitæ sacræ sequacibus,
Jam dux alumni sat potens,
Adsis gregis suspiriis,
Gliscat bonis hydrum cavens,
Sit callis ut sequax tui.

Libet me breviter referre quod beatus Gregorius papa minime in hujus sanctissimi Patris Vita descripsit. Denique cum divina admonitione a Sublacu in B hunc, ubi requiescit, locum, per quinquaginta ferme millia, adventaret, tres eum corvi, quos alere solitus erat, sunt circumvolantes secuti, cui ad omne [b] convivium, usque dum hic veniret, duo angeli in figura juvenum apparentes, ostenderunt ei quam viam arripere deberet. In loco autem isto, quidam Dei servus tunc habitaculum habebat, ad quem divinitus ita dictum est:

[c] Hiis tu parce locis, alter amicus adest;

Huc autem, hoc est in Cassini arcem perveniens, in magna se semper abstinentia coarctavit; sed præcipue quadragesimæ tempore inclusus, et remotus a mundi strepitu mansit. Hæc omnia ex Marci poetæ carmine sumpsi, qui ad eumdem Patrem huc veniens aliquot versus in ejus laudem composuit, quos in C his libellis, cavens nimiam longitudinem, minime descripsi. Certum tamen est hunc egregium Patrem vocatum cœlitus ob hoc ad hunc fertilem locum et cui opima vallis subjacet, advenisse, ut hic multorum monachorum, sicut et nunc Deo præsule [d] facta est, congregatio fieret. His cursim, quæ omittenda non erant, narratis, ad nostræ seriem revertamur historiæ.

## CAPUT XXVII.

*De morte Audoin, et regno Alboin, et quomodo Alboin Cunimundum, regem Gepidorum, superavit, et filiam ejus Rosemundam in matrimonium duxit.*

Igitur Audoin, de quo præmiseramus, [e] Langobardorum rex, [f] Rodelindam in matrimonio habuit, D quæ ei Alboin virum bellis aptum, et per omnia strenuum peperit. Mortuus itaque est Audoin, ac deinde regum jam decimus Alboin, ad regendam patriam cunctorum votis accessit. Qui cum famosis-

[a] Amb., *immota.*

[b] Amb. et Modoet, *bivium*, *usque dum huc veniret*, quæ probata lectio etiam in sermone Petri Dam. Ostiensis episcopi, qui Paulum a verbo *libet* usque ad illa *in ejus laudem composuit* lectioni suæ inseruit.

[c] Marci poetæ versus; cæteros lege apud cit. Martinengium.

[d] Amb., *factum est.*

[e] Al.: « Langobardorum rex nonus, qui ex Radelinda conjuge Alboinum, de quo jam pluscula scripsimus, post multa præclare gesta fato concessit. Post cujus funus, justaque peracta, Alboinus sæpenominatus rex decimus ad regendam Langobardorum, cunctorum, *etc.* » L.

[f] Quænam fuerit Rodelinda ex Procopio discimus, lib. IV, cap. 25: Καὶ Ἀμαλαφρίδος Γότθος ἀνήρ, Ἀμαλαφρίδης μὲν θυγατριδοῦς τῆς Θευδερίχου τοῦ Γότθων βασιλέως ἀδελφῆς, Ἑρμενεφρίδου δὲ υἱὸς τοῦ Θορίγγων ἡγησαμένου· ὅνπερ Βελισάριος μὲν ξὺν Οὐιττίγιδι ἐς Βυζάντιον ἤγαγε, Βασιλεὺς δὲ Ῥωμαίων ἄρχοντα κατεστήσατο, καὶ τὴν αὐτοῦ ἀδελφὴν, Αὐδουὶν τῷ Λαγγοβαρδῶν ἄρχοντι κατηγγύησε. « Et Amalafridus (e numero ducum erat) vir Gothus, ex filia nepos Amalafridæ sororis Theoderici Gothorum regis, et filius Hermenefridi regis Thoringorum. Hunc Amalafridum cum Vittige Byzantium deportatum a Belisario Romanorum ducem imperator creavit, et sororem ejus Auduino Langobardorum regi collocavit. »

Digitized by Google

simum, et viribus [a] clarum ubique nomen haberet, Clotarius rex Francorum, [b] Clotsiundam ei suam filiam in matrimonium sociavit, de qua unam tantum filiam Alpsiundam nomine genuit. Obiit interea Turisendus rex Gepidorum, cui successit Cunimundus in regno. Qui vindicare veteres Gepidorum injurias cupiens, rupto cum [c] Langobardis fœdere, bellum potius, quam pacem elegit. Alboin vero cum Avaribus, qui primum Huni, postea a regis proprii nomine [d] Avares appellati sunt [e], fœdus perpetuum iniit, dehinc ad præparatum a Gepidis bellum profectus est. Qui cum adversus eum e diverso [f] properarent, Avares, ut cum Alboin statuerant, eorum patriam invaserunt. Tristis ad Cunimundum nuntius veniens, invasisse Avares ejus terminos edicit. Qui prostratus animo, et [g] utrisque in angustiis positus, hortatur tamen suos primum cum Langobardis confligere. Quos si superare valerent, demum Hunnorum exercitum e patria pellerent. Committitur ergo prælium, pugnatumque est totis viribus. Langobardi victores effecti sunt, tanta in Gepidos ira sævientes, ut eos ad internecionem usque delerent, atque ex A copiosa multitudine, vix nuntius superesset. In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum, ad bibendum ex eo [h] poculum fecit, quod genus poculi apud eos [i] scala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur. Cujus filiam nomine Rosimundam, cum magna simul multitudine diversi sexus, et ætatis, duxit captivam. Quam, quia Clotsuinda obierat, in suam, ut post patuit, perniciem duxit uxorem. Tunc Langobardi tantam adepti sunt prædam, ut jam ad amplissimas pervenirent divitias. Gepidorum vero genus ita est diminutum, ut ex illo jam tempore ultra non habuerint regem, sed universi, qui superesse [j] bello poterant, aut Langobardis subjecti sunt, aut usque hodie Hunis eorum patriam possidentibus, duro imperio subjecti gemant.

B [k] Alboin vero ita præclarum longe lateque nomen percrebuit, ut hactenus etiam tam apud [l] Bajoariorum gentem, quam et Saxonum, sed et alios ejusdem linguæ homines, ejus liberalitas, et gloria, bellorumque felicitas, et virtus, in eorum [m] carminibus celebretur. Arma quoque præcipua sub eo fabricata fuisse a multis huc usque narratur.

[a] Alboini regis nomen pluribus celebrat Nicetius Trevirensis episcopus a doctiss. Sirmondo editus tom. I Conc. Gall.: « Stupentes sumus, ait ille, cum gentes illum tremunt, cum reges venerationem impendunt, cum potestates sine cessatione laudant, cum et ipse imperator suis ipsum proponit, quod animæ remedium non festinus requirit. » Et infra: « Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus rex esse dicitur, talis fama quem mundus sic præponit, quare non C convertitur, aut quare tardus ad requirendam viam salutis apparet? » Scribebat enim Nicetius anno Dom. circ. 563 ad Clodosuindam reginam, ut maritum ab Ariana perfidia totis viribus revocare curaret.

[b] Amb., *Clotsuindam*; *Clodsuinda*. Lind. Quo conjugio potentissimi regis gener et quatuor Francorum regum Alboinus cognatus. Vide Gregor. Tur., Hist. Franc., lib. IV, cap. 35.

[c] Al., *Langobardis a patre icto fœdere*. Lind.

[d] Modoet., *Abbares*.

[e] Theophylactus, lib. VII, cap. 8.

[f] Al., *præpararentur*. Lind.

[g] Amb., *utrinque*. Modoet., *tristisque*, et ita Lind.

[h] Barbaris hoc receptum, nam de Scythis ita scribit Strabo, lib. VII: καὶ μάλιστα τῶν Σκυθῶν ξενοθυτούντων, καὶ σαρκοφαγούντων, καὶ τοῖς κρανίοις ἐκπώμασι χρωμένων. Plinius, lib. VII, cap. 11: « Priores anthropophagos, quos ad Septentrionem esse diximus, D decem dierum itinere supra Borysthenem amnem ossibus humanorum capitum bibere, cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti. » Ammian. Marcell., lib. XXVII: « Scordisci, longe nunc ab iisdem provinciis disparati, sævi quondam et truces, ut antiquitas docet, hostiis captivorum Bellonæ litantes, et Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum humanorum bibentes avidius. » Lind.

[i] Nondum exolevit hæc vox usitata non Germanis solum, sed et aliis populis. Isidorus, Etymolog. lib. XX, cap. 5: « Calices, et calathi, et scalæ poculorum genera, antea ex ligno facta, unde et vocata. Græci omne lignum *cala* dicebant. » Lind.

[j] Al., *bello superstites esse poterant*. Lind.

[k] Hæc aliis desunt. Lind. Lazius ad hunc Pauli locum, hæc scribit: « Hactenus Diaconus: quæ liquido ostendunt nobilissimæ gentis interitum, ut de aliis sedibus Gepidarum nobis deinceps opus haud sit inquirere. Quippe qui cladi superfuerant supra Jazyges in montium anfractibus occultati Avarum atque Hunnorum servitio subjiciuntur, et hodie adhuc Hungaris posteritati Avarum ac Hunnorum subesse his, de quibus locuti supra sumus locis, ac finibus dignoscuntur. » Eversi Gepidorum regni epochen, haud consentientibus scriptoribus, temere non assignaverim. Sigebertus, in Chronico, anno 547 tribuit, abbas Biclariensis anno 7 Justini, qui Christi 571, eruditorum calculo. Doctissimus Pagius, in sua Critica, certiorem a Procopio deducere tentat, relatisque iis quæ supra exscripsimus de libri IV c. 25, contendit hæc accidisse anno Christi 551. Ego vero maximæ auctoritatis viro non subscripserim, eo quod narratum a Procopio bellum alterum fuisse putem ab hoc extremo Gepidis exitiali, primumque revera Auduinum inter ac Thorisinum, postremum inter eorum filios Albuinum et Cunimundum, eo ductus argumento, quod idem Procopius anno sequenti referat Ildisgum ad Gepidos, Ustrigothum ad Langobardos confugisse, ibique utrumque ex pacto necatos, quod utique regno everso evenire non poterat. Quamobrem ad Biclariensem accedo, et Justino imperante hæc acta fuisse crediderim, tamen prioribus imperii annis, quippe septimo Alboinus jam in Italiam venerat.

[l] Al., *Bavirariorum*. Lind.

[m] Tacitus, de Moribus Germanorum: « Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ et annalium genus est; » ad quem locum lege notata doctissimo Lipsio. Non absimilia his fuisse puto carmina quæ Bardi decantabant, de quibus Ammian. Marcellin., lib. XV: « Bardi fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt. » Athenæus, lib. VI, ex Posidonio: Κέλτοι, φησὶ, περιάγονται μεθ' ἑαυτῶν πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι Παρασίτους. Οὗτοι δὲ ἐγκώμια αὐτῶν καὶ πρὸς ἀθρόους λέγουσιν ἀνθρώπους συνεστῶτας, καὶ πρὸς ἕκαστον τῶν κατὰ μέρος ἐκείνων ἀκροωμένων· τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσὶν (*sic*) οἱ καλούμενοι Βάρδοι· ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες.

Digitized by Google

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quomodo Langobardi conducti a Narsete chartulario, eidem contra Gothos auxilium præstiterunt.*

Igitur cum circumquaque frequentes Langobardorum victoriæ personarent, Narsis [a] chartularius imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adversus Totilam Gothorum regem præparans, cum jam pridem Langobardos [b] fœderatos haberet, legatos ad [c] Alboin dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis, auxilium ministraret. Tunc Alboin [d] electam e suis manum direxit, [e] qui Romanis adversum [f] Gothos suffragium ferrent, qui per maris Adriatici sinum in Italiam transvecti, sociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus usque ad internecionem deletis, pariter cum Totila suo rege, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt [g]. Omnique tempore, quo Langobardi Pannoniam possederunt, Romanæ reipublicæ adversum æmulos adjutores fuerunt.

## CAPUT II

*Quomodo Narsis Buccellinum et Amingum Francorum duces superavit, et de morte Leutharii tertii ducis.*

His temporibus Narsis etiam [h] Buccellino duci bellum intulit [i], quem Theudebertus rex Francorum cum in Italiam introisset, reversus ad Gallias cum Hamingo alio duce, ad subjiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus cum pene totam Italiam direptionibus vastaret, et Theudeberto suo regi de præda Italiæ munera copiosa conferret, cum [j] in Campania hiemare disponeret, tandem in loco, cui [k] Tannetum

[a] Glossarium: *χαρτοφύλαξ, chartularius*; sed hoc aliis non probatur, qui discrimen inter *χαρτοφύλακα* et chartularium faciunt. Suidas eumdem esse cum scriniario dicit: Σκρινιάριος, ὁ χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον, ἤτοι τὸ κιβώτιον. Jam vero *χαρτοφύλακα* auctor Etymologici etiam *σκρινιάριον* vocat, ut hinc aliquo modo tueri posset interpretatio Glossarii. Officium ejus pene ex Leonis et Anthemii verbis colligitur l. III, C. de canon. larg. tit., ubi sic scribitur: *Chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscujusque provinciæ largitionales titulos retractare constituuntur.* Emittebant etiam σύμβολα, id est commonitoria, ut D. Cujacius docuit. Erant sub dispositione præpositi sacri cubiculi, ideoque a vetere scholiaste Juliani Patricii const. XV, tit. 60, *cubicularii* interpretantur *chartularii*. Sic Narsetem, quem alii chartularium vocant, cubicularium nominat Cedrenus Georgius τῷ κδ' ἔτει ἐπέμφθη Ναρσῆς ὁ κουβικουλάριος εἰς Ῥώμην, πολεμῆσαι τοῖς Γότθοις. Fit etiam *magni chartularii* mentio apud Curopalatam, quemadmodum et *chartularii magistrum equitum et peditum*. C. Theod. l. V de divers. offic. et apparit. quo pertinet Zonaras lib. III. Καὶ Παῦλον τὸν τῶν βασιλικῶν ἱπποκόμων ἐπιστατοῦντα, χαρτουλάριον ἡ Ῥωμαίων οἶδε τοῦτον λέγειν φωνή; cui simile Nicetæ, Θεόδωρος ὁ χοῦμνος χαρτουλάριος ὢν τῶν ἱπποστάθμων.

[b] Al., *sibi fœderatos*. Lind.

[c] Al., *Alboinum*. Lind.

[d] Al., *electam ei bellatorum manum*. Lind.

[e] Procopius lib. IV, cap. 26, Narsetis copias adversus Totilam, et belli apparatum referens, hæc scribit: Καὶ Αὐδουῖν ὁ Λαγγοβαρδῶν ἡγούμενος, χρήμασι πολλοῖς ἀναπεισθεὶς Ἰουστινιανῷ βασιλεῖ, καὶ τῇ τῆς ὁμαιχμίας συνθήκῃ, πεντακοσίους τε καὶ δισχιλίους τῶν οἱ ἑπομένων ἀπολεξάμενος ἄνδρας, ἀγαθοὺς τὰ πολέμια, εἰς ξυμμαχίαν αὐτῷ ἔπεμψεν· οἷς καὶ θεραπείαν μαχίμων ἀνδρῶν ἔδωκε πλέον ἢ τρισχιλίων. « Et Audoinus Langobardorum rex a Justiniano Augusto multa pecunia, et fœderis sanctione inductus, delectu suorum habito, bis mille ducentos bellatores egregios auxilio miserat, bisque in famulatum addiderat amplius tria pugnatorum millia. »

[f] Al., *Getas*. Lind.

[g] Dissimulat noster Langobardorum sævitiam, et impia suorum gesta primo in Italiam adventu sibi sociali fœdere obstrictam; sed ea rursus a Procopio repetenda lib. IV, cap. 33: Ναρσῆς δὲ περιχαρὴς τοῖς συμπεπτωκόσι γενόμενος, ἐπαναφέρων οὐκ ἀνίει τὸν Θεὸν ἅπαντα (ὅπερ καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος ἐγίνετο) τά τε ἐν ποσὶ διῳκεῖτο. Καὶ πρῶτα μὲν τῶν οἱ ἑπισπομένων Λαγγοβάρδων ἀπαλλάξειων τῆς ἀτοπίας (οἵ γε πρὸς τῇ ἄλλῃ ἐς τὴν δίαιταν παρανομίᾳ τάς τε οἰκοδομίας, αἷς ἂν ἐντύχοιεν, ἐνεπίπρασαν, καὶ γυναιξὶ ταῖς εἰς τὰ ἱερὰ καταφευγούσαις βιαζόμενοι ἐπλησίαζον) χρήμασι μεγάλοις αὐτοὺς δεξιωσάμενος, ἐς τὰ πάτρια ἤθη ἀφῆκεν ἰέναι, Βαλεριανόν τε καὶ Δαμιανὸν, τὸν αὐτοῦ ἀδελφιδοῦν, ξὺν τοῖς ἑπομένοις ἐξηγεῖσθαι τῆς ὁδοῦ ἄχρι ἐς τὰ Ῥωμαίων ὅρια σφίσι κελεύσας, ὅπως μηδενὶ ἐν τῇ ἀποπορείᾳ λυμήνωνται. « Narses successu lætus (nempe insigni victoria adversus Totilam, qui eo bello ceciderat) ad Deum omnia, verum utique auctorem perpetuo referebat, atque instantia digerebat. Ac primum redimere pretio voluit indignam licentiam Langobardorum, quos secum duxerat: cum præter alia inquinatissimæ vitæ scelera, obvias domos delerent igni, et feminis, quæ sacris ædibus se commiserant, turpem vim afferrent. Quare magna pecunia donatos remisit in patriam, Valeriano, ac Damiano nepoti suo, eorumque copiis demandata cura, eos ad Romani imp. limitem deducendi, ut in via ab injuria et maleficio temperarent. » Eaque gesta sunt anno imper. Justiniani XXVI, belli Gothici XVIII, qui Christi 552.

[h] Al., *Bucilino*, et sic semper. Lind.

[i] Anno Christi 554 Bucellinum a Narsete interemptum ex Procopio atque illius continuatore Agathia Valesius aliique Francicarum rerum scriptores optime arguunt, veterum plerisque chronographis inter se de tempore dissentientibus. Ab utroque Græco scriptore Francorum in Italiam expeditionem sub Theudeberto rege, ab Agathia infelicem illius fortunam cognoscimus, et Bucellini atque Leutharii cladem, qui patratorum in Italia scelerum pœnas ultori Deo dederunt. De Bucellino D. Gregor. lib. I Dialog.

[j] In Campania castrametatum Bucellinum refert Agathias, properante in Franciam reditu Leuthario, vana Gothici regni spe inflammatum.

[k] Al., *Tanneta*. Lind. et Modoet. Ad ripas Casilini fluminis, qui et Vulturnus dicitur, bellatum fuisse constat ex citato Agathia lib. II, locusque inscriptis carminibus celebratus, ut Constantinus Porphyrogen. in Them. imperii Orient. lib. II, them. XI, τὸν δὲ Βουκελῖνον κατεπολέμησεν ὁ Ναρσῆς παρὰ τὸν ποταμὸν Κασουλῖνον: « Bucellinum vero Narses prælio vicit ad flumen Casilinum; » D. Gregor. Turon. aliique plurimi. Locum autem Tanneti a Paulo memoratum assignare me non posse ingenue fateor, nisi divinare velim eumdem fuisse qui a Porphyrogen. memoratur lib. de Administ. imp. cap. 27: Ἡ δὲ Κάπυα ἦν πόλις ὑπερμεγέθης καὶ ἑάλω ὑπὸ τῶν Οὐανδίλων, ἤτοι τῶν Ἀφρικῶν καὶ κατέλυσαν αὐτήν· ἐρημοκάστρου δὲ οὔσης ᾤκουν ἐν αὐτῇ Λαγγόβαρδοι. Καὶ πάλιν τῶν Ἀφρικῶν

nomen est, gravi bello a Narsete superatus, exstinctus est. [a] Hamingus vero dum [b] Widin Gothorum comiti, contra Narsetem rebellanti, auxilium ferre conatus fuisset, utrique a Narsete superati sunt. Widin captus Constantinopolim [c] exsiliatur. Hamingus vero, qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine [d] Leutharius, Bucellini germanus [e], dum multa præda onustus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam et Tridentum, juxta lacum Benacum [f] propria morte [g] defunctus est.

## CAPUT III.

*Quomodo Narsis Sinduald Herulorum regulum sibi rebellantem exstinxit.*

Habuit nihilominus Narses certamen adversus [h] Sinduald [i] Brebtorum regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quem secum in Italiam veniens, simul Odoacar adduxerat [j]. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti, [k] multa beneficia contulit, sed novissime superbe rebellantem, et regnare cupientem, bello superatum et captivum celsa de trabe suspendit [l]. Eo tempore quoque Narses patricius, per Dagisteum magistrum militum, virum bellicosum et fortem, [m] universos Italiæ fines obtinuit. Hic Narses prius quidem chartularius fuit, deinde propter virtutum merita [n] patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piissimus, in religione catholicus, in pauperes munificus, in [o] reparandis basilicis satis studiosus, vigiliis et orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis quam armis bellicis victoriam obtineret [p].

## CAPUT IV.

*De signis pestilentiæ et mortalitate, quæ tempore Narsetis Italiam vastavit.*

Hujus temporibus, in provincia præcipue Liguriæ, maxima pestilentia exorta est [q]. Subito enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vel vestimenta, quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant. Post annum vero expletum, cœperunt nasci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus locis, glandulæ in modum nucis seu [r] dactyli, quas mox sequebatur febrium intolerabilis æstus, ita ut in triduo homo exstingueretur. Sin vero aliquis triduum transegisset, habebat spem vivendi. Erant autem ubique luctus, ubique lacrymæ. Nam, ut vulgi rumor habebat, fugientes cladem vitare, relinquebantur domus desertæ habitatoribus, solis catulis eas servantibus, [s] peculia sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore. Cerneres pridem villas seu castra repleta agminibus hominum, postera vero die universis fugientibus cuncta esse [t] in summo silentio. Fugiebant filii, cadavera insepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis viscera, natos relinquebant æstuantes. Si quem forte antiqua pietas

ἐπερχομένων κατ' αὐτὴν ᾠκοδόμησεν ἐπίσκοπος Λανδοῦλφος κάστρον εἰς τὴν γέφυραν τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἐπωνόμασεν αὐτὸ Καπάντην: « Capua erat urbs ingens: capta vero a Vandilis sive Africis destructa est, atque ita cum deserta jaceret, inhabitarunt eam Langobardi. Mox Africis rursum ingruentibus, Landulfus episcopus ad pontem fluminis castrum erexit, quod Capanten appellavit, » ignotumque sibi Cluverius asserit, cui Tanneti oppidum prope Parmam exploratis.

[a] Hamingum, Francici exercitus in Italia ducem, altero post Bucellinum et Leutharium anno victum necatumque contendunt scriptores Gallici qui supra. Ejus in Narsetem ac Romanos odium Menander Protector lib. I.

[b] Al., *Widino*. Lind.

[c] Al., *in exsilium abiit*. Lind.

[d] Al., *Leuthardus*. Lind.

[e] Natione Alemanni.

[f] Ad urbem *Cenedam*, vel, ut scribit Agathias, *Cenesam*.

[g] Fœda nempe rabie, ita ut suas ipse dentibus carnes lacerans ejulansque occubuerit, deleto vi morbi universo illius exercitu.

[h] Al., *Sinduuldum*. Al., *Ilduald*. Lind.

[i] Amb., *Brentorum*. Modoet. *Bretonorum*. Lind. alias legit *Bretonorum*, *Brionum*, *Bentorum*, *Britonorum*.

[j] Hoc aliis deest. Lind.

[k] Narsetis in Sindualem beneficia enarrat idem Agathias lib. I, pag. 387. Prætulerat enim Aruthi, ac ducem Herulorum constituerat. Laudatur etiam ab eodem auctore Sindual probatæ in Romanos fidei ac bellicæ virtutis, qua contra Bucellinum strenue pugnavit. Vide pag. 391, col. 2.

[l] Sigebert. an. 549.

[m] Dagisthæi potissimum virtute Roma Gothis erepta, suisque restituta anno XXVI imp. Justiniani, ut Procop. refert lib. IV, cap. 33, pag. 367, in causa fuit ut universa etiam Italia recuperaretur, eoque sensu intelligendum esse Paulum nostrum hoc loco putaverim.

[n] Hunc honorem summam dignitatem Justinianus vocat Inst. lib. I, tit. 12, et quæ sola morte solvatur. « Nam, ut Cassiodorus scribit lib. VI, form. II, mox ut datus fuerit (hic honor) in vitæ tempus reliquum homini fit coævus, ornatus individui cingulum fidele, quod nescit ante deserere quam de mundo contingat exire, » etc. Vide, sodes, totum locum, nam egregie huc facit. Lind.

[o] Al., *recuperandis*. Lind. et Amb.

[p] Eximios habet Narses laudatores Nicephorum, Procopium atque Agathiam, aliosque Græcos historicos: at iis omnibus præstantiorem Evagrium l. IV, cap. 23, a Baronio relatum. « De Narsete, qui familiariter cum eo vixere illud perhibent, ita ipsum ex divino numine pependisse, atque id omnis generis pietate coluisse, et Virginem eamdemque Dei Genitricem ita veneratum esse, ut illa manifesto ei apparens quando prælium committendum esset præciperet, neque illum facile prius in aciem descendisse quam tempus opportunum ab ea cognovisset. »

[q] Extremo Justiniani imp. anno, qui æræ Christianæ 565, inguinariam luem in Italia grassatam esse recte notavit ex hoc Pauli nostri capite sacræ princeps historiæ Baronius: scribit enim noster paulo inferius « inter hæc Justiniano principe vita decedente. » Astipulatur etiam D. Gregorii Magni testimonium Dialog. lib. IV, cap. 26.

[r] Suidas, δάκτυλοι παρὰ πολλοῖς οἱ βάλανοι τῆς φοίνικος. Alter etiam *Nicolai* dicebantur. Glossæ Isidori: *Nicolaus dactylus*, quod nomen eis indidit Augustus Cæsar, cui creberrime e Syria a Nicolao Damasceno ejusmodi dactyli mittebantur: quos tamen non dactylos fuisse, sed placentas scribunt Hesychius Illustrius in Vitis philosophorum, et ex eo Suidas in Nicolao Damasc. Pro placentis etiam Serenus Sammonicus usurpat.

Grana peregrini piperis diffindito quinque
Nicolao molli, quæ mane inserta capesses. Lind.

[s] Al., *pecuaria*. Al., *pecora*. Lind.

[t] Al., *in summa vastitate et silentio*. Lind.

perstringebat, ut vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus, et dum obsequebatur, perimebatur; [a] dum funeri obsequium præbebat, ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentium. [b] Nulla vox in rure, nullus pastorum sibilus, nullæ insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla damna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus, intacta exspectabant messorem, vinea amissis foliis radiantibus uvis illæsa manebat, hyeme propinquante, nocturnis vel diurnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur a pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, et tamen visum oculorum superabant cadavera mortuorum. Pastoralia loca versa fuerant in sepulturam hominum, et habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum. Et hæc quidem mala intra Italiam tantum, usque ad fines gentium Alamannorum et Bajoariorum, [c] solis Romanis acciderunt. Inter hæc Justiniano principe vita decedente, [d] Justinus minor rempublicam apud Constantinopolim regendam suscepit. His quoque temporibus Narses patricius, cujus ad omnia studium vigilabat, Vitalem episcopum [e] Altinæ civitatis, qui ante annos plurimos, ad Francorum regnum confugerat, hoc est, ad [f] Agonthiensem civitatem, tandem comprehensum, apud Siciliam [g] exsilio damnavit.

## CAPUT V.

### *De invidia Romanorum adversus Narsetem.*

Igitur deleta, ut dictum est, vel superata, Narses omni Gothorum gente, [h] Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo devictis, dum multum auri, sive argenti, seu cæterarum specierum divitias acquisisset, magnam a Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam [i] pertulit, qui contra eum Justino Augusto et ejus conjugi, Sophiæ, in hæc verba suggesserunt dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire quam Græcis, ubi Narses imperat eunuchus, et nos servitio premit, et hæc noster piissimus princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus, aut certe et urbem Romam, et nosmetipsos gentibus tradémus. Cumque hoc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: Si male feci cum Romanis, male inveniam. Tunc [j] Augustus in tantum adversus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum mitteret præfectum, qui Narsetis locum obtineret. Narses vero his cognitis valde pertimuit; et in tantum, maxime ab eadem Sophia Augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandasse, ut eum puellis in [k] gynæceo lanarum faceret pensa dividere. Ad quæ verba Narses dicitur hæc responsa dedisse: Talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret, [l] deponere non posset. Itaque odio, metuque exagitatus, in [m] Neapolitanam civitatem secedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans, ut [n] paupertina Pannoniæ rura desererent, et ad Italiam, cunctis refertam divitiis, possidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatinus eorum [o] ad veniendum animos posset illi-

[a] Modoet., *dum inferre obsequium meditabatur ipse funus*, etc. Lind., *dum conferre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadaver remanebat.*

[b] Al., *nulla vox audiebatur, nisi gementium in morte, nullus pastorum*, etc. Lind.

[c] Assertioni huic Pauli nostri difficile congruunt ea quæ refert divus Gregorius Turon., de Rhemensi populo a lue servato, intercedente sancto Remigio, Arvernensi ope sancti Galli, ac Treverensi sancti Nicetii, nisi ad subsequentes annos diram hanc in iis regionibus calamitatem revocaveris.

[d] Justinus junior Dulcissimi ex Vigilantia Justiniani sorore mense Novembri ejusdem anni 565 a Joanne Exscholastico patriarcha coronatus suscepit imperium.

[e] Quæ barbarorum incursione diruta, ejusque sedes episcopalis post victoriam Rotharis ad Scultennam Torcellum translata fuit per Paulum episcopum. Vitalis hujus fuga ob schisma, de quo infra, et fortasse unus episcoporum, qui Narsetem diris devoverant, neque alius hic Narses, etsi dubitet Baronius, quam Eunuchus ille patriciusque.

[f] Modoet., *Magothiensem*. *Magontiensem*. Lind.

[g] Baronius ad hæc verba scribit: «Porro non tanta sibi arrogasse Narsetem virum pium, ut in Episcopos manus injiceret, quisque sciat, nisi cum id jussum ipsi fuit pluribus litteris a Pelagio papa Joannis hujus prædecessore, prout quæ recitatæ sunt superius ipsius Pelagii litteræ facile demonstrant, etc.,» nempe quas recitaverat anno 556, num. 4 et seqq.

[h] Al., *his quoque*. Lind. et Amb.

[i] Al., *contraxit*. Lind.

[j] Al., *Justinus Augustus*. Lind.

[k] Ms., *gyneceto*. Lind.

[l] Al., *deponere ac detexere*. Lind.

[m] Amb., *Neapolim Campaniæ civitatem*. Lind., *Neapolim Campaniæ civitatem secedit, unde legatos*. Modoet., *Neapolim Campaniæ civitatem secedit, legatos mox.*

[n] Modoet., *pauperrima*.

[o] Adversus hæc pluribus argumentis, quæ hic recensere longum esset eminentiss. Baronius carmine potissimum Corippi probare contendit Narsetem in indignationem Romanorum venire non potuisse, quod jam ante Constantinopolim revocatus a Justiniano, Justini imp. inaugurationi interfuisset neque inde reversum. At eruditis viris exploratissimum est Narsetes tres uno eodemque tempore fama illustres fuisse. Spado noster patricius, atque Italiæ præfectus, Aratii frater alter, de quibus Procopius lib. II de Bello Gothico, cap. 13. Tertius ille, de quo Theophanes ad ann. 6 Justini, Theophylactus in Historia Mauriciana. Secundus ille Aratii frater occiderat in bello Persico, Justiniano imp., ut Procop. scribit lib. II, cap. 25. Postremus fortasse ille idem est de quo Miscel., lib. XVII, a Phoca igne crematus, ad quem divi Gregorii Magni datæ litteræ, lib. I, atque de ipso Corippi carmina; nam optime conveniunt iis quæ refert Theophanes loco cit. Erat ergo in Italia Justino imperante Narses, atque inde per injuriam revocatus potuit Langobardos accersivisse, quod utcumque Græci scriptores reticuerint, Latini plures cum Paulo nostro asserunt, Anastasius Bibl. in Vita Joannis III, Hist. Miscel., lib. XVII; Mellitus; Isidorus Ispalensis; Marius Aventicensis; Sigebertus, aliique plures. Cedendum itaque contra Baronii sententiam Latinorum testimonio, quibus in re præsenti notior esse potuit Narsetis rebellio, ejusque cum barbaris amicitia notissima passim a Græcis, et Procopio potissimum narrata. Imo viderant nostri Langobardos ipsos ingentibus præmiis paulo ante a Narsete donatos, of-

Digitized by Google

cere. Langobardi [a] læta nuntia, et quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia nocte signa visa sunt, hoc est, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eum scilicet, qui postea effusus est sanguinem [b] coruscantes

## CAPUT VI.

*Qualiter Alboin ad suum auxilium Saxones ascivit.*

Alboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab [c] amicis suis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatenus [d] spatiosam Italiam cum pluribus possessurus intraret. Ad quem Saxones plusquam viginti millia virorum cum uxoribus simul et parvulis, ut cum eo ad Italiam pergerent, juxta ejus voluntatem venerunt. [e] Hoc audientes Clotarius et Sigisbertus, reges Francorum, [f] Suavos aliasque gentes in locis de quibus iidem Saxones exierant [g] posuerunt.

## CAPUT VII.

*Quomodo Alboin cum Langobardis, relicta Pannonia, ad Italiam venit.*

Tunc Alboin sedes proprias, hoc est Pannoniam, A amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursus arva [h] repeterent. Igitur Langobardi, relicta Pannonia, cum uxoribus, et natis, omnique supellectili, Italiam properant possessuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis quadraginta duobus; de qua egressi sunt mense Aprili, per indictionem primam, alio die post sanctum pascha, cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini Incarnatione, anni quingenti sexaginta octo essent [i] evoluti.

## CAPUT VIII.

*Quomodo Alboin ad Italiæ fines veniens montem regis ascendit, et de bisontibus feris.*

B Igitur cum rex Alboin cum omni exercitu suo, vulgique [j] promiscui multitudine, ad extremos Italiæ fines pervenisset, montem qui in eisdem locis prominet ascendit; indeque, prout conspicere potuit, [k] partem Italiæ contemplatus est. Qui mons propter hanc, ut fertur, causam ex eo tempore Mons regis appellatus est. [l] Ferunt in hoc monte bisontes

ficiique specie extra Italiam ab illius nepote ductos, ut supra notavi. Atque hinc fortasse iterum irrumpentibus Langobardis frequens Italis rumor de Narsetis rebellione, quæ ipso jam mortuo Constantinopoli forsan dissimulata, minime obstitit quin illius cadaver in urbem regiam reciperetur, inane victoriarum, ac bellicæ virtutis præmium. Neque hominis laudata pietas evincit Narsetem justo dolori minime indulsisse: quippe Bonifacius etiam Comes, qui laudatorem habuit divum Augustinum, Vandalos ad oc- C cupandam Africam excitavit. Id unum Paulo nostro minime probaverim Langobardis poma, et varias rerum species, quarum Italia ferax est misisse: quippe socii Romanis in bello Gothico gustaverant pridem, et famem atque libidinem in Italia expleverant.

[a] Amb., *læti nuntio.*

[b] Al., *tali coruscatione protendentes.* Lind.

Signa hæc præcessisse Langobardorum irruptionem testatur divus Gregor. M., Dial. l. III, cap. 38: « Mox enim illa terribilia in cœlo signa secuta sunt, ut hastæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Langobardorum gens de vagina suæ habitationis educta in nostram cervicem grassata est. » Item Homil. pr. in Evang. « Prius quam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipsumque qui postea humani generis fusus est sanguinem coruscantes. »

[c] Ms., *inimicis.* Lind.

[d] Al., *spatiosam regionem.* Lind.

[e] Fallitur hic Paulus, ni forte librarius pro Guntramno, vel altero quopiam Sigeberti fratre posuerit Clotarium patrem, qui parantibus expeditionem Langobardis minime superfuit; excesserat enim e vivis anno 561, ut Marius in Chronico testatur. Clotarii regis filiam Clodosindam Alboino uxorem supra notavi.

[f] Al., *Suevos*, et sic semper. Lind. ita Mod.

[g] Amb., *introduxerunt.*

[h] Al., *reciperent.* Lind.

Doctiss. Pagius, in sua Critica, anno 569, ad hæc Pauli verba: « Hunnis Marcianus imper. Daciam, quam nunc Transilvaniam vocamus assignarat, ut anno 454 vidimus, sed post Langobardorum discessum sedes extenderunt usque ad Anisum fluvium, indeque Bajoariam summopere afflixere, etc. »

[i] Eruditorum plures Marii Aventicensis auctoritate, qui Langobardorum in Italiam irruptionem cum anno 3 Cons. Justini alligavit, in an. 569 contra Pauli testimonium insignem hanc epochen rejiciunt. Ego vero iis adhæserim, qui nostro fidem asseverant, cum pluribus liqueat argumentis ex divi Gregorii Magni litteris, prooemio legum Rotharis, et Sigeberti testimonio, haud reluctante Procopio. Scripserat divus Gregorius, indict. 13, lib. V, Edit. noviss. doctiss. Bened. sancti Mauri, ad Constantiam Augustam: « Viginti autem et septem annos ducimus, quod in hac Urbe inter Langobardorum gladios vivimus, » C et ad Phocam imp., lib. XIII, indict. 6: « Qualiter enim quotidianis gladiis, et quantis Langobardorum incursionibus ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur nullis explere suggestionis vocibus valemus. » Cumque prima data sit anno æræ Christ. 595, detractis XXVII, ad 568 revolvimur, eademque ratione secunda, quæ data est 603. Mihique verosimile videtur sanctissimum pontificem ab ipsa potius gentis incursione quam a firmata illius dominatione calamitatum periodum deduxisse; contra Theophanis chronologia; ait ille: « In ipsis kalendis Aprilis egressi sunt Langobardi de Pannonia, et secunda indictione cœpere prædari in Italia; tertia vero indictione dominari cœperunt in Italia. » Quis enim sibi persuaserit e Pannonia in Italiam venientes Langobardos tantum temporis impendisse? Vel si prima Indictione venerant, manus in alterum annum cohibuisse? Firmatur etiam Pauli chronologia ex citato Rotharis prooemio; datum quippe indi- D ctione secunda (quæ indicit in annum 643) post adventum in provinciam Italiæ Langobardorum, ex quo Alboinus tunc temporis rex advenit anno septuagesimo sexto, » apertissime notat annum 568. Repugnante vero Paulo nostro huic lectioni, lib. IV, cap. 44, ubi legitur *septuagesimus septimus*, emendandæ potius in dicto capite lectionis, quam evertendæ chronologiæ placet argumentum. Procopius tandem contra nostrum minime pugnat, quippe ut supra notavi, etsi anno belli Gothici 14 migrationis Langobardorum in Pannoniam meminerit, res tamen altius repetenda, et ad primos Justiniani annos revocanda, ita ut XLII annis in ea regione habitaverint.

[j] Amb., *promiscui sexus multitudine*, etc.

[k] De Pannonia in Italiam descendens Alboinus per conterminas Julias Alpes fortasse iter habuit, qua Gothorum rex Alaricus venerat. De iis plura Cluverius, Italiæ antiq. lib. pr.

[l] De iis vide Cluver., Germ. antiq. lib. III, c. 47.

Digitized by Google

feras enutriri; nec mirum [a] cum usque ad Pannoniam pertingat, quæ horum animantium ferax est. Denique retulit mihi quidam veracissimus senex, tale se corium in hoc monte occisi bisontis vidisse, in quo quindecim, ut aiebat, homines, unus juxta alium, potuisset cubare.

## CAPUT IX.

*Quomodo Alboin Venetiarum fines ingressus in Foro Julii Gisulfum suum nepotem ducem constituit.*

Indeque Alboin cum Venetiæ fines, quæ prima est Italiæ provincia, sine aliquo obstaculo, hoc est civitatis, vel potius castri Foro-Juliani terminos introisset, perpendere cœpit cui potissimum primam provinciarum quam cœperat committere deberet. Siquidem omnis Italia, quæ versus meridiem, vel potius [b] in Eurum extenditur, Tyrrheni, [c] sive [d] Adriatici maris fluctibus ambitur, ab Occiduo vero et Aquilone, jugis Alpium ita circumcluditur, ut nisi per angustos meatus, et per summa juga montium, non possit habere introitum. Ab Orientali vero parte, qua Pannoniæ conjungitur, et [e] largius patentem et [f] planissimum habet ingressum. Igitur, ut diximus, dum Alboin animum intenderet, quem in his locis ducem constituere deberet, Gisulfum, ut fertur, [g] suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem [h] strator erat, quem lingua propria [i] Marpahis appel- A lant, Forojulianæ civitati et toti regioni illius præficere statuit. Qui [j] Gisulfus non prius se regimen ejusdem civitatis, et populi suscepturum edixit, nisi ei quas ipse eligere voluisset Langobardorum [k] Faras, hoc est generationes, vel lineas tribueret. Factumque est, et annuente sibi rege, quas optaverat Langobardorum præcipuas prosapias, ut cum eo habitarent, accepit: et ita demum ductoris honorem adeptus est. [l] Poposcit quoque a rege generosarum equarum greges, et in hoc quoque liberalitate principis exauditus est.

## CAPUT X.

*Qui reges eo tempore Francis imperabant, et de Benedicto papa.*

B His diebus quibus Langobardi Italiam invaserunt, Francorum regnum, mortuo jam rege Chlotario, ejus filii quadrifarie regebant divisum, primusque ex his [m] Aripertus sedem habebat apud Parisios, secundus vero Guntramnus, civitati præsidebat Aurelianensi: tertius quoque [n] Hilpericus cathedram habebat apud [o] Suessionas, in loco Chlotarii patris sui: quartus nihilominus [p] Sigisbertus, apud urbem regnabat Mettensem [q]. Hoc etiam tempore, Romanam Ecclesiam vir sanctissimus Benedictus papa regebat [r]. Aquileiensi quoque civitati, ejusque populis

[a] Mod., *cum usque huc Pannonia pertingat.*

[b] Ms. Lind., *in Corum.* Amb., *Ætruriam.*

[c] Pro *et* barbari sæculi scriptoribus passim in usu.

[d] *Adriani maris.* Lind.

[e] Modoet., *locum.*

[f] Al., *plenissimum.* Lind.

[g] Hæc verba non leg. in Amb.

[h] Suidas, Στράτωρ εἶδος ἀξιώματος, officium autem tale, ut dominum in equum sustolleret, equumque duceret. Spartianus: « Cum illum in equum strator suus levaret, pugione latus confodit. » Constantinus Magnus: καὶ κρατοῦντες τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου αὐτοῦ στράτορος ὀφφίκιον ἐποιήσαμεν. Unde etiam equistratores, et protostratores dicti. Auctor Vitæ Cypriani: « Venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii Maximi proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, et alius equistrator a custodiis ejusdem officii, etc. » De protostratoribus videndus Curopalata. Sed et statores hi dicebantur, ut ante citatum exemplum indicat, et hæc inscriptio vetus:

D. M.<br>
M. ANTONIUS<br>
HEUTUCAS AN<br>
TONIO. FOR-<br>
TUNATO. STA<br>
TORI. AUGUSTO<br>
RUM ALUMNO<br>
BENEMERENTI<br>
FECIT.

Quid autem illud *Marpahis* sit, plane subodorare nequeo: veriorem puto lectionem ms. Codicis, in quo *Marhais* legitur, qui sic dictus est, quod jussionem, et imperium habeat in equos; sicut *sculthais*, quod in legum transgressores. *Mar* equum feminam esse pauci non sciunt, unde etiam *Marscalk* equarum servus. Nam *scalk* servum significat, non Germanis modo, sed et Getis, quos certum est Germanico idiomate usos; in eorum libris sic legitur, in Cantico Simeonis, quod vidi apud Illust. Josephum Scaligerum: *Fra leitais scalk theinana. Nunc dimittis servum tuum.* Apud hunc nostrum autem Paulum stratorem eumdem esse, quem Galli *grand écuyer* dicunt, vir magnus putabat, cujus opinionem hic apponere visum est. Lind. In pacto leg. Salicæ *Marescalcus* distinguitur a *Stratore* ita ut primo equorum cura commissa fuerit, alter sternendis tantum equis et domino adducendis C operam daret.

[i] Amb., *Machedonas.*

[j] Al., *Sigulfus.* Lind.

[k] *Fara* vox etiam in leg. Langob. legitur, tit. 64, § 1: De eo quod cum fara migrare permissum, etc. Lind. Al., *pharas hoc est generationes tribueret ad habitandum. Itaque annuente rege, quas optavit Lang.*, etc. Lind. et Mod.

[l] Hinc plerique deducunt eximiæ dignitatis in Italia institutionem, primumque Gisulfum ducem asserunt, ea notione, qua vulgo utimur.

[m] Al., *Heribertus.* Lind.

[n] Al., *Chilpericus.* Lind.

[o] Al., *Senones*, et ita Mod.

[p] Al., *Sigibertus.* Lind. *Sichipertus.* Mod.

[q] Annum emortualem Chlotarii cap. 6 hujus libri notavi. De ipsius filiis, hæc habet Gregor. Turon. lib. IV, cap. 22, quæ Paulus excerpsit: « Sic inter se hi quatuor, id est Charibertus, Guntchramnus, Chil- D pericus, atque Sigibertus divisionem legitimam faciunt. Deditque sors Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisiis, Guntchramno vero regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem, Chilperico vero Regnum Chlotacharii patris ejus, cathedramque Suessionas habere; Sigiberto quoque regnum Theodorici, sedemque habere Rhemensem. In editione Forbeniana hæc notata leguntur. De divisione autem regni aliter disserit Gregorius Turon. lib. IV, cap. 21, ubi dicit non Senonas, sed Suessionas: nec Mettenses, sed Remen., nec Aripertum, sed Charibertum primum filiorum Chlotarii. Sabellicus autem Ennead. 8, l.b. v, dicit quod Parrisiis Arithpertus maximus natu regnarit, in Aurelianensi Guntramnus, Chilpericus in Suessionibus, in Mettensibus Sigebertus. »

[r] Anno DLXVIII quo Langobardi in Italiam venerant Joannes hujus nominis III, pontificatum gerebat, illiusque successor Benedictus I cognomento Bonosus,

Digitized by Google

beatus [a] Paulus patriarcha præerat. Qui Langobardorum barbariem metuens, ex [b] Aquileia ad Grados insulam confugit, secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportavit [c]. Hoc anno [d] superiori hyeme, tanta nix in planitie cecidit, quanta in summis Alpibus cadere solet. Sequenti vero æstate, tanta fertilitas exstitit, quanta nulla ætas asseveratur meminisse. Eo quoque tempore, comperta Huni, qui et Avares, morte Chlotarii regis, super Sigisbertum ejus filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos juxta [e] Albim fluvium potentissime superavit, eisdemque petentibus pacem dedit [f]. Huic Sigisberto de Hispaniis adveniens, [g] Brunichildis matrimonio juncta est, de qua ille filium Childebertum nomine suscepit. Rursumque Avares cum Sigisberto in locis, ubi et prius, pugnantes, Francorum proterentes exercitum, victoriam sunt adepti.

## CAPUT XI.

*De morte Narsetis.*

Narses vero de [h] Campania Romam regressus,

creatus est anno DLXXIII. In errorem traxerat Paulum Anastasius, qui hæc habet: « Benedictus, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos quatuor, menses duos, dies quindecim. Ejusdem tempore gens Langobardorum invasit totam Italiam, simulque et fames nimia, ut etiam multitudo castrorum se traderet Langobardis, ut temperare posset inopiam famis. » Quæ non de tempore adventus, ut Paulus habet, sed de latiori dominatione, ut indicant verba illa *totam Italiam* sunt accipienda.

[a] In M. non leg., in editione Forbeniana non legit., merito quidem; non convenit enim schismaticorum principi Paulino, de quo plura apud eminentiss. Norisium. Hunc falso ferunt a sancto Honorato Mediolanensi episcopo fuisse consecratum, de quo accuratissima dissertatio inter mss. Codices Biblioth. Ambrosianæ, qua factum est, ut ex antiquo Breviario Ambrosiano error hic, qui diu invaluerat, expungeretur.

[b] Mod. et Lind., *Aquilegia* semper.

[c] Paulinum Aquileiensem archiepiscopum, non Paulum metu Langobardorum de Aquileia in Gradum insulam, exportato ecclesiæ thesauro, migrasse, accuratissime probat eminentiss. Norisius in sua dissertat. de quinta Synodo, eumdem illum, de quo Pelagii papæ I, ad Narsetem epistolæ, ejusque successorem post Probinum, Heliam, auctoritate Pelagii II sedem etiam in insulam transtulisse, quod et Gradensi synodo confirmatum. Utini sedet hodie amplissimus Patriarcha, cujus olim latissima jurisdictio; integram quippe regionem a Pannonia ad Abduam flumen, Rhetiamque II, continebat. De Aquileiensi patriarchatu multa Baronius, Norisius, aliique rerum sacrarum scriptores.

[d] Hæc verba usque ad illa *Sequenti vero*, aliis desunt. Ita erat in Moduet., sed recentiori charactere sunt addita.

[e] *Alpen*. Al., *Alben*. Lind., *Albem*. Mod.

Bellum Hunnicum Sigeberti Regis refert D. Gregor. Turonensis lib. IV, cap. 26.

[g] Athanagildi filia, vide Turonens. lib. IV, cap. 28; de illius nuptiis exstat carmen Fortunati. Sed turbat Paulus chronologiam, quæ Gallicis scriptoribus restituta.

[h] Ms. *de Samnio*. Lind., *Cannia*, Amb. mendose quidem, constat enim ex Anastasio de Campania redisse Narsetem. Scribit ille: « Ut cognovit Joannes papa, quia suggestionem suam ad imperatorem contra Narsetem senatorem misissent Romani, festinus venit Neapolim: cœpit eum Joannes papa rogare, ut reverteretur Romam. Tunc Narses dixit ei: Dic, sanctiss. Papa, quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes ejus qui me misit, ut cognoscat Italia quomodo totis viribus laboravi pro ea. Respondit Joannes papa dicens: Citius ego vadam, quam tu de hac terra egressus fueris. Reversus est ergo Narses cum Joanne sanctissimo papa. Hinc sanctiss. Papa retinuit se in cœmeterio sanctorum Tiburtii, et Valeriani, et habitavit ibi multum temporis, ut etiam episcopos ibi consecraret. Narses vero ingressus Romam non post multum temporis mortuus est. » Anno labente DLXVIII vel LXIX insequente communi inter eruditos conjectura, cum in gestis Alboini regis altum sit de Narsete silentium. Hactenus de Narsete iis veterum testimoniis, quæ jamdiu in vulgus prodierant, nunc etiam addenda quæ viri clar. Benedicti Bacchinii beneficio paulo ante legimus in Agnello, sive Pontificale Ravennate, magni quidem facienda, et quæ alibi frustra quæsieris. Pontificale in Vita sancti Agnelli XXVII Ravennatis episcopi: « In diebus istius expulsi sunt Franci de Italia per Narsetem patricium. Et post hæc apparuit stella comis mense Augusto usque in Kal. Octobris. Et mortuus est Justinianus Augustus Constantinopoli quadragesimo anno imperii sui, et luctus ingens ubique fuit, et mœror nimis de tali orthodoxo viro. Et apparuerunt signa rubra in cœlo, et civitas Fano igne concremata est, et multitudo hominum flamma consumpta est; castrumque Cesenatum incendio devoratum est. Tertio vero anno Justini minoris imperatoris Narsis patricius de Ravenna evocitatus, egressus est cum divitiis omnibus Italiæ, et fuit Rector XVI annis, et vicit duos reges Gothorum, et duces Francorum jugulavit gladio. » Sequitur in Vita Petri Senioris XXVIII: « Eo anno (nempe II indictione, qua Petrus fuerat Romæ consecratus) occupata Venetia a Langobardis est, et invasa, absque bello expulsi sunt. Anno quinto Justini II imperatoris pestilentia boum, et interitus ubique fuit; post vero deprædata a Langobardis Tuscia, obsederunt Ticinum, quæ civitas Papia dicitur. » Et mox: « Tunc illis temporibus in Cæsarea juxta Ravennam a Longino præfecto palocopiam, (sive ut legit clar. Muratorius) palorum copia in modum muri propter metum gentis exstructa est; deinde paulatim Romanus defecit Senatus, et post Romanorum libertas cum triumpho sublata est. A Basilii namque tempore consulatum agentis, usque ad Narsetem patricium provinciales Romani usque ad nihilum redacti sunt. Post hæc vero exierunt Langobardi, et transierunt Tusciam usque ad Romam, et ponentes ignem, Petram-Pertusam incendio concremaverunt. Et construxerunt prædicti Langobardi Forum Cornelii, et consummata est civitas ab eis. In diebus illis excitata est gens Avarorum, in Pannonia deventi sunt. Narsisque patricius obiit Romæ, postquam gessit multas victorias in Italia cum denudatione omnium Romanorum, Italiæ in Palatio quievit; nonagesimo quinto vitæ suæ anno mortuus est. » En ergo alterum præstantissimum de Narsete, ejusque cum Romanis inimicitia, et obitu testimonium a scriptore, qui, ut in accuratissima sua præfatione, quæ nostræ huic editioni accedet, Muratorius noster probat, anno 839 vixerat, quique non hanc Historiam Pauli, ut credidit Bacchinius, sed communia utrique monumenta Langobardicarum rerum viderat, ut ex varietate narrationis mihi persuadeo, et infra notabitur. Annum igitur emortualem Narsetis obsidionem Ticini præcessisse constat; dum Langobardi Tusciam deprædabantur, Agnellus enim iis verbis *a Basilii namque tempore*, altius repetit res Narsetis, Romanorumque fortunas, quæ sub eodem Patricio penitus exciderant, justasque inimicitiæ causas præbebant. Optime igitur convenit inter Anastasium et Agnellum, cum potuerit Narses e Ravenna, unde revocatus fuerat, in Campaniam se recipere, moxque Romam, ubi e vivis excessit ferme centenarius, eaque gravis ætate, quam doctiss. Ba-

Digitized by Google

ibidem non [a] post multum tempus, ex hac luce subtractus est. Cujus corpus positum in loccello plumbeo, cum omnibus ejus divitiis Constantinopolim est perlatum.

## CAPUT XII.

*De Felice episcopo Tarvisiano.*

Igitur Alboin cum ad fluvium [b] Alpem venisset, ibi ei Felix episcopus [c] Tarvisianæ ecclesiæ occurrit. Cui rex, ut erat largissimus, omnes suæ ecclesiæ facultates postulanti concessit, et per suum [d] pragmaticum postulata firmavit.

## CAPUT XIII.

*De hoc eodem Felice, et Fortunato sapientissimo viro.*

Sane quia hujus Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca nos de venerabili et sapientissimo viro Fortunato retexere, qui hunc Felicem suum asseverat socium fuisse. Denique hic de quo loquimur Fortunatus, natus quidem in loco qui [e] Duplavilis dicitur fuit, qui locus haud longe a Cenitense Castro, vel Tarvisiana distat civitate; sed tamen Ravennæ nutritus, et doctus, in arte grammatica, sive rhetorica, seu etiam [f] metrica, clarissimus exstitit. Hic cum oculorum dolorem vehementissimum pateretur, et nihilominus Felix iste ipsius socius pari modo oculos [g] doleret, uterque ad basilicam beatorum Pauli atque Joannis, quæ intra eamdem urbem sita est, perrexerunt, in qua etiam altarium
A in honorem beati Martini confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta, de cujus oleo, mox sibi [h] isti, Fortunatus scilicet et Felix, dolentia lumina tetigerunt: illico dolore fugato, sanitatem quam optabant adepti sunt. Qua de causa Fortunatus in tantum beatum Martinum veneratus est, ut relicta patria, paulo ante quam Langobardi [i] Italiam invaderent, Turonis ad ejusdem beati viri sepulcrum properaret. Qui sibi, ut in suis ipse carminibus refert, illuc properandi per [j] fluentilia Menti, et Rounam, perque Osupum et Alpem Juliam, perque [k] Aguntum castrum, Dravumque et Byrrum fluvios, ac Briones et Augustam civitatem, quam Virdo et [l] Lech fluentant, iter fuisse describit [m]. Qui post-
B quam [n] Turonum juxta votum proprium advenit, Pictavis [o] pertransiens illic habitavit, multorum ibidem sanctorum gesta, partim prosa, partim metrali oratione conscripsit. Novissimeque in eadem civitate primum presbyter, deinde [p] episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit. Hic beati Martini Vitam quatuor in libris heroico versu contexuit, et multa alia, maximeque hymnos singularum festivitatum, et præcipue ad singulos amicos versiculos, nulli poetarum secundus, suavi et diserto sermone composuit. Ad cujus ego tumulum, cum illuc orationis gratia adventassem,

ronius calculo facto designabat. Hoc unum in Agnel'o mihi non bene notum: Italiæ in palatio quievit, quæ de sepulcro illius intelligenda, nisi pro Constantinopoli irrepserit Italiæ.

[a] Al., *paulo post.* Lind.

[b] Al., *Blavem, Plavem.* Lind. *Plabem.*, Amb. *Plavem*, Modoet. Quæ lectio cæteris præstat. Cluver.: *Ultra Silim amnem, Altinumque, et Tarvisium oppida, Plavis est amnis in primis Italiæ magnus, vulgo nunc accolis Italis* la Piave, *Germanis* di Pleif, dictus.

[c] Modoet., *Tharusianæ*. De hoc Felice sibi charissimo Fortunatus in suo carmine:

Qua mea Tarvisus residet, si molliter intras
Illustrem socium Felicem, quæso, require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.

[d] Hoc est rescriptum; vide Mabillon. de Re diplomat. pag. 19; Gloss. Du Chesne hoc verbo. Cæterum notanda regis humanitas, qua forsan animos Italorum in ipso adventu ad se trahere conabatur.

[e] Qui et Duplavelis vicus ad Plavim amnem inter Tarvisium et Cenetam Rheginoni memoratus Chronic. lib. I, et ipsi Fortunato poetæ cujus et patria Cloverius fuisse autumat in edito colle ad lævam amnis ripam, ubi nunc vulgari appellatione vicus *San Salvadore*.

[f] Al., *Geometrica*. Lind. et Mod.

[g] Al., *eorumdem dolore laboraret*. Lind.

[h] Al., *postquam fratres isti*. Lind. et Mod.

[i] Al., *Italiam invaderent, ipsius sanctissimas reliquias in Gallia sitas visitare decreverit: quod iter suum per flumina, montes, valles, oppida, pagos, ipse in carminibus suis dilucide describit. Qui postquam*, etc. Lind.

[j] Al., *fluenta Tiliamenta, et Reunam*. Al., *Reuniam*. Lind. Mod., *per fruenta alia Menti, et Reunam per Osopum*. Amb., *properanti Reunam*, cæt. non leg.

[k] Al., *Aguntum*. Lind.

[l] Al., *Lecha*. Lind.

[m] Hæc omnia restituenda ex lectione Cluverii Ital. antiq., pag. 199: *Properandi per fluenta Tiliamenti*
C *et Reuniam, per Osupum, et Alpem Juliam, perque Aguntum castrum, Dravumque et Byrrum fluvios, ac Briones, et Augustam civitatem, quam Virdo et Lech fluentant*, ex ip a restituta lectione Fortunati lib. IV de Vita sancti Martini:

Pergis ad Augustam, qua Virdo Lycusque fluentant,
Illic ossa sacræ venerabere martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Bajoarius obstat,
Qua vicina sedent Breonum loca perge per Alpem
Ingrediens rapido qua gurgite volvitur Œnus.
Inde Valentini benedicti templa require:
Norica rura petens, ubi Byrrus vertitur undis.
Per Dravum itur iter, qua se castella supinant:
Hic montana sedens in colle superbit Aguntus.
Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur Alpis
Altius assurgens, et mons in nubila pergit.
Inde Foro Julii de nomine principis exi,
Per rupes, Osope, tuas, qua labitur unda,
Et superinstat aquis Reunia Tiliamenti.

« Augustam hic intelligi Vindelicorum Augustpurg, apud quam duo flumina Licus, et Virdo, vulgo nunc sunt Lech, et Wertach, hinc Vipitenum oppidum
D nunc est Stertzingen: Byrrus amnis nunc Aicha, in Alsacum apud vicum Pyrbak confluens Littamum, et Loncium, atque Aguntum sunt hodie Luttach, Lientz, et Innichen. » Tiliamentum, sive Tilavemptus amnis, vulgo nunc *Tagliamento*. Reunia castellum nunc *Ragonia* in Tilavempti sinistri ripa. Osopum, sive Osupum ad idem flumen in eminenti saxo castellum aliud, quod nomen retinet Osopo. Alpem Juliam hic falso Paulum vocasse Noricas Alpes pluribus contendit cit. Cluverius.

[n] Al., *Turonos*. Lind.

[o] Amb., *adveniens*. Lind.

[p] Negarunt nonnulli Venantium Fortunatum fuisse Pictaviensem episcopum contra Pauli testimonium; at liquido constat ex relatis per Pagium anno 568, num. 4, in sua critica ad Baronium, imo invocatum fuisse in litaniis monasterii sancti Cypriani extra muros Pictavienses. Illius in Gallia peregrinationem doctiss. vir anno 565 notat.



Digitized by Google

hoc epitaphium rogatus ab [a] Apro, ejusdem loci ab- A
bate, scribendum contexui :

[b] Ingenio clarus, sensu celer, ore suavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit;
Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus hac tumulatur humo.
Cujus ab ore sacro sanctorum gesta priorum
Discimus : hæc monstrant carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decoraris, Gallia, gemmis :
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicos prompsi plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis, sancte, lateret honor.
Redde vicem misero, ne judice spernar ab æquo
Eximius meritis posce, beate, precor.

Hæc paucis de tanto viro, ne ejus vitam sui cives funditus ignorarent, delibavimus; nunc ad historiæ B seriem revertamur.

## CAPUT XIV.

*Quomodo Alboin Venetiarum provinciam cepit.*

Igitur Alboin Vincentiam, Veronamque, et reliquas Venetiæ civitates, [c] exceptis Patavio, et Montesilicis, et Mantua, cepit. Venetia enim non solum in paucis insulis, quas nunc Venetias dicimus, constat; sed ejus terminus a Pannoniæ finibus usque [d] Adduam fluvium protelatur. Probatur hoc Annalibus libris, in quibus Pergamus civitas esse legitur Venetiarum. Nam et de lacu Benaco in historiis ita legimus: [e] Benacus lacus Venetiarum, de quo Mintius fluvius egreditur. [f] Eneti enim, licet apud Latinos una littera addatur, Græce laudabiles dicuntur. Venetiæ etiam Histria connectitur, et utræque pro una provincia C habentur. Histria autem ab Histro flumine cognominatur, quæ secundum Romanam historiam, amplior quam nunc est, fuisse perhibetur [g]. Hujus Venetiæ Aquileia civitas exstitit caput, pro qua nunc Forum Julii, ita dictum, quod Julius Cæsar negotia ionis forum ibi statuerat, habetur.

## CAPUT XV.

*De Liguria secunda Italiæ provincia*

Non ab re esse arbitror, si etiam cæteras Italiæ provincias breviter attingamus. Secunda provincia [h] Liguria, a legendis, id est, colligendis leguminibus, quorum satis ferax est, [i] nominatur, in qua Mediolanum est, et [j] Ticinus, quæ alio nomine Papia appellatur. Hæc usque ad Gallorum fines extenditur. Inter hanc et [k] Suaviam, hoc est, Alemannorum [l] patriam, quæ versus septentrionem est posita, duæ provinciæ, id est Rhetia prima, et Rhetia secunda, inter Alpes consistunt, in quibus propric Rheti habitare noscuntur.

## CAPUT XVI.

*De quinta Italiæ provincia, quæ Alpes Cottiæ appellantur, et de sexta, quæ Thuscia dicitur.*

Quinta vero provincia Alpes [m] Cottiæ dicuntur, quæ sic a Cottio rege, qui Neronis tempore fuit, appellatæ sunt, hæc a Liguria in [n] Eurum versus, usque ad mare Tyrrhenum extenditur, ab occiduo vero Gallorum finibus copulatur. In hac [o] Aquis, ubi aquæ calidæ sunt, Dertona, et monasterium Bobium, [p] Genua quoque et [q] Saona civitates habentur. Sexta provincia [r] Thuscia est, quæ a thure, quod populus illius superstitiose in sacrificiis deorum suorum incendere solebat, sic appellata est. Hæc habet intra se Circium versus, Aureliam, ab Orientis vero parte Umbriam. In hac provincia Roma, quæ olim totius mundi caput exstitit, est constituta. In Umbria vero quæ istius in parte ponitur Perusium, et lacus Clitorius, [s] Spoletumque consistunt. Umbria autem dicta est, quod imbribus superfuerit, num aquosa clades olim populos devastaret.

## CAPUT XVII.

*De Campania Italiæ septima provincia, et de Lucania, sive Britia, quæ est octava.*

Septima quoque provincia Campania, ab urbe Ro-

[a] Ita ms.; al., *a presbytero*. Lind. In Mod., *rogatus ab ejusdem loci Ab.*

[b] Hi versus in Ascensiana editione desunt. Lind. In Mod. recentiori manu sunt addita.

[c] Ms. et Augustana editio : *Exceptis Patavium, et Montemsilicis, et Mantuam*. Lind. Vitiata lectione, ut infra patebit.

[d] Al., *ad Duam*. Lind.

[e] Sunt verba Servii, et Isidori Orig. lib. XIII, cap. 19. Benacus hodie *Lago di Garda.*

[f] Al., *Henetum enim, licet apud Latinos aspiratio in u vertatur, Græci laudabilem dicunt*. Lind. *Enetum enim, licet apud Lat. una lit. ad., Græci laudabilem dicunt*. Mod.

Cluverius lib. I Ital. antiq., pag. 129, relatis Servii verbis : « Inde venit quidam Æneus rex, qui Venetiam tenuit, a cujus nomine Ænetiam dictam posteri Venetiam nominaverunt. Hæc addit : Servius dicto loco an scripserit Ænetus rex, et Ænetiam equidem adhuc dubito, et facile suspicer, uti Gallorum trans Alpes populus promiscue apud auctores legit. Modo Ædui, modo Hedui, etc. Sic apud Servium quoque vocabula ista Henetus, et Henetiam , postea ab exscriptoribus facta Ænetus atque Ænetiam : nisi apud Paul. Diac. malum grammaticum potius quam historicum bonum ita scriptum foret : *Eneti licet apud Latinos una littera addatur Græce laudabiles dicuntur*, etc. Nam ille litteram intelligit *u*, quia Latinis dicebantur Veneti, qui Græcis Ἐνέτοι. At laudabilis, sive prædicabilis, Græce non dicebatur ἐνέτος, sed αἰνέτος, a voce primitiva αἶνος, quæ laudem et encomium significat.» Vera quidem hæc, at aspera Grammaticorum more; nec pro Paulo pugnantibus deerunt exempla in aliis vocibus dyphthongo contra rationem sola pronuntiationis affinitate variata. Sed quorsum ista?

[g] Probat hæc laudat. Cluverius, qui veteres Histriæ fines plurimis pro more veterum testimoniis designat.

[h] Al., *secunda igitur post Venetiam est Liguria*. D Lind.

[i] Iterum insultat Cluver. his verbis : « De cætero nomen id unde genti inditum, parum compertum habeo, fabulæ quippe sunt, et nugamenta putida, quæ barbari jam sæculi grammatici de eo adnotarunt, in quibus Paul. Diac. » Reliqua vide lib. I, cap. 7.

[j] Al., *Ticinum*. Lind. et Mod.

[k] Mod., *Sueviam.*

[l] Al., *provinciam*. Lind. et Mod.

[m] Al., *Cocciæ*, *Coccio*, et sic semper. Lind.

[n] Ms. *in Corum*. Lind. *In quorum*. Amb.

[o] Al., *copulatur in aquis*. Lind.

[p] *Jenua*. Mod.

[q] Al., *Savona*. Lind.

[r] Quasi ἀπὸ τοῦ θυεῖν, a sacrificando.

[s] Ms., *Spoletium*. Al., *Spoletinum*. Lind. Id Plinius lib. III cap. 14, Solinus cap. 8, Servius ad XII Virg., et Isidor. Orig. IX cap. 2.

Digitized by Google

ma usque ad [a] Siler Lucaniæ fluvium perducitur, in qua opulentissimæ urbes, Capua, [b] Neapolis, et [c] Salernus, constitutæ sunt. Quæ ideo Campania appellata est, propter uberrimam Capuæ planitiem; cæterum ex maxima parte montuosa est. Porro octava Lucania, quæ nomen a quodam luco accepit, a Silere fluvio inchoat cum [d] Brutia, quæ ita a reginæ quondam suæ nomine appellata est, usque ad fretum Siculum per ora maris Tyrrheni, sicut et duæ superiores, dextrum Italiæ cornu tenens, pertingit, in qua [e] Pestus, et Lanius, Cassianum, et Consentia, Rheginmque sunt positæ civitates.

## CAPUT XVIII.

*De Appenninis Alpibus, quæ nona est Italiæ provincia, et de Æmilia, quæ est decima.*

Nona denique provincia in Appenninis Alpibus nuncupatur, quæ inde originem capiunt, ubi Cottiarum Alpes finiuntur. Hæ Appenninæ Alpes per mediam Italiam [f] pergentes, Tusciam ab Æmilia, Umbriamque a Flaminia dividunt. In qua sunt civitates, [g] Ferronianus, et [h] Montepellium, Bobium, et Urbinum, necnon et oppidum quod Verona appellatur. Alpes autem [i] Appenninæ dictæ sunt a [j] Punicis, hoc est, Hannibale, et ejus exercitu, qui per easdem Romam tendentes transitum habuerunt [k]. Sunt qui Alpes Cottias et Appenninas, unam dicunt esse provinciam: [l] sed hos Victorini revincit Historia, quæ Alpes Cottias, per se provinciam appellat. Decima porro Æmilia, a Liguria incipiens inter Appenninas Alpes et Padi fluenta, versus Ravennam pergit. Hæc locupletibus urbibus decoratur, Placentia scilicet Parmaque, Regio et Bononia, Corneliique foro, cujus castrum [m] Imolas appellatur. Exstiterunt quoque qui Æmiliam et Valeriam, Nursiamque unam provinciam dicerent; [n] sed horum sententia stare non potest, quia inter Æmiliam et Valeriam, Nursiamque Tuscia et Umbria sunt constitutæ.

## CAPUT XIX.

*De Flaminia undecima Italiæ provincia, et de Piceno, quæ duodecima computatur.*

Dehinc undecima provinciarum est Flaminia, quæ inter Appenninas alpes et mare est Adriaticum posita; in qua nobilissima urbium Ravenna, et quinque aliæ civitates consistunt, [o] Græco vocabulo Pentapolis dictæ. Constat autem Aureliam, Æmiliamque, et Flaminiam, a constratis viis, quæ [p] ab urbe Roma veniunt, et ab eorum vocabulis, a quibus sunt constratæ, talibus nominibus appellari. Post Faminiam duodecima [q] Picenus occurrit, habens ab Austro Appenninos montes, ex altera vero parte Adriaticum mare. Hæc usque ad fluvium [r] Piscarium pertendit, in qua sunt civitates, [s] Firmus, Asculus, et Pinni et vetustate consumpta [t] Adria, quæ Adriatico pelago nomen dedit. Hujus habitatores cum a Sabinis illuc properarent, in eorum vexillo picus consedit, [u] atque hac de causa Picenus nomen accepit.

## CAPUT XX.

*De Valeria, et Nursia, quæ pro tertia decima ponitur, et Samnio, quæ est decima quarta.*

Porro tertia decima provincia Valeria, cui est Nursia annexa, inter Umbriam et Campaniam, Picenumque consistit, quæ ab Oriente Samnitum regionem attingit. [v] Hujus pars occidua, quæ ab urbe Roma initium capit, olim ab Etruscorum populo Etruria dicta est. Hæc habet urbes Tyburim, [x] Carsilis, Reate, [y] Furconam, et Amiternum, regionemque Marsorum, et eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marsorum quoque regionem, ideo intra Valeriam provinciam æstimo computari, quia in catalogo provinciarum Italiæ minime ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se provinciam esse vera ratione comprobaverit, hujus rationabilis sententia modis erit omnibus tenenda. Quarta decima Samnium, intra Campaniam, et mare Adriaticum, Apuliamque a Piscaria incipiens habetur. In hac sunt

[a] Al., *Silerum*. Lind. *Silerem*. Mod.

[b] Mod., *Neapolim*.

[c] Al., *Salernum*. Lind.

[d] Amb., *Briccia, quæ ita a regione*. Nominis etymologiam a Jornande fortasse acceperat Paulus: at meliorem vide in geographis.

[e] Al., *Pestum, et Lamum*. Lind.

[f] Al., *extensæ*. Lind.

[g] Al., *Ferromanum*. Lind.

[h] Ms., *Monsbellium*; al. *Monsbellus*. Lind. *Montebellum*. Mod.

[i] Al., *Apæninæ*. Lind.

[j] Al., *a Pœnis*. Lind.

[k] Adductis Isidori et Servii locis, unde forsan hæc Paulus exscripsit, merito Cluverius exclamat: « Ecquid hos homines ullam Italiæ cognitionem habuisse dixeris? ecquid Romanas historias de bello Hannibalico unquam legisse credideris? Vix arbitror, quippe qui tam rudis, imperitusque rerum Rom. esse potest, qui ignoret, quo tractu sint Penninæ, sive ut alii scripsere Penninæ Alpes, quas Hannibal cum Punico suo exercitu ferro, igni acetoque rupisse traditur? nempe, qui nunc vocatur Mons Jovis, sive alio nomine Mons D. Bernhardi.

[l] Ms. Lind., *Victoris*, et ita in Amb.; al., *Sed tales dictores revincunt historiæ*, et ita Mod. Ita impressi libri. Sed in Ms. *Victoris* legitur. Est autem Sextus Aurelius Victor, cujus hæc verba in excerptis impp. Rom. in Nerone: « Pontum in jus provinciæ Polemonis Reguli permissu redegit, a quo Polemoniacus Pontus appellatus est, itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo » Lind.

[m] Alias, *Imola*. Lind.

[n] Al., *sed eorum sententia, quia mendax sit in multis probatur*. Lind. et Mod.

[o] Ms. et alii, *Quæ Græco vocabulo Pentapolim appellantur*. Lind.

[p] Al., *ad urbem Romam ducunt*. Lind.

[q] Al., *Picenum*. Lind.

[r] Al., *Piscariam*. Lind. et Mod.

[s] Al., *Firmum, Asculum, Pinnæ, quæ jam vetustate consumpta est, et Adria*. Lind. et Mod.

[t] Non ab hac Hadria Piceni, sed ab altera ad Padi ostia contendit Cluver. nomen accepisse Adriaticum mare.

[u] Ita Festus, et Strabo. Alii a Pico Saturni filio.

[v] Aliis hæc verba desunt. Lind.

[x] Al., *Carsulos*, vel *Carsiolis*. Lind. *Carsiolis*. Mod.

[y] Al., *Furcanum*, vel *Furconium*. Lind.

Digitized by Google

urbes, [a] Theate, Aufidena, [b] Hisernia, et antiquitate consumpta Samnium, a qua tota provincia nominatur, et ipsa harum provinciarum caput ditissima [c] Beneventus. Porro Samnites nomen [d] accepere olim ab hastis, quas ferre solebant, [e] quasque Græci sawnia appellant.

### CAPUT XXI.

*De Calabria, et Apulia, et Salento, quæ decima quinta provincia appellatur.*

Quinta decima provinciarum est Apulia, cum sociata sibi Calabria, intra quam est regio Salentina. Hæc ab Occidente vel Africo habet Samnium, et Lucaniam, a solis vero Ortu Adriatico pelago finitur. Hæc habet urbes satis opulentas, Luceriam, [f] Sepontum, Canusium, Agerentiam, Brundisium, et Tarentum, et in sinistro Italiæ cornu, quod quinquaginta millibus extenditur, aptam mercimoniis Hydruntum. Apulia autem a perditione nominatur, citius enim ibi solis fervoribus terra virentia perduntur.

### CAPUT XXII.

*Sexta decima provincia Italiæ Sicilia est. Septima decima Corsica, octava decima Sardinia.*

Sexta decima provincia Sicilia insula computatur, quæ Tyrrheno mari, seu Ionio [g] alluitur, [h] de Siculi ducis proprio nomine nuncupatur. Septima decima Corsica. Octava decima Sardinia ponitur, quæ utræque Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porro Corsica, a duce suo Corso, Sardinia a [i] Sarde Herculis filio nominatur.

### CAPUT XXIII.

*Ob quam causam aliqua pars Italiæ, Cisalpina vocatur Gallia.*

Certum est tamen Liguriam, et partem Venetiæ, Æmiliam quoque, Flaminiamque, veteres historiographos Galliam Cisalpinam appellasse. Inde est quod Donatus grammaticus, in expositione Virgilii, Mantuam in Gallia esse dixit. Indeque est quod in Romana Historia legitur Ariminum in Gallia constitutum. Siquidem antiquissimo tempore, Brennus rex Gallorum, qui apud Senones urbem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque usque ad Seno-Galliam, quæ a Gallis Senonibus vocitata est, occupavit. Causa autem cur Galli in Italiam venerint, hæc fuisse describitur. Dum enim vinum degustassent ab Italia delatum, aviditate vini illecti, ad Italiam transierunt. Horum centum millia non longe a Delphos insula properantes, Græcorum gladiis exstincta sunt. Alia vero centum millia in [j] Galatiam ingressa, primum Gallo-Græci, postea vero Galatæ appellati sunt. Et hi sunt quibus Doctor gentium scripsit Epistolam Paulus. Centum millia quoque Gallorum, quæ in Italia remanserunt, Ticinum, Mediolanumque, Bergamum, Brexiamque construentes, Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dederunt. Istique sunt Galli Senones, qui olim urbem Romuleam invaserunt. Sicut enim dicimus Galliam Transalpinam, quæ ultra Alpes habetur, sic Galliam hac parte quæ infra Alpes est vocitamus Cisalpinam.

### CAPUT XXIV.

*Quare Italia sic vocitatur, ut quid etiam Ausonia, vel Latium, dicitur.*

Italia quoque quæ has provincias continet, ab Italo, Siculorum duce, qui eam antiquitus invasit, nomen accepit. Sive ob hoc Italia dicitur, [k] quia magni in ea boves, hoc est, itali habentur. Ab eo namque quod est italus, per diminutionem licet una littera addita, altera immutata, vitulus appellatur. Italia etiam Ausonia dicitur, ab Ausono Ulyssis filio. Primitus tamen Beneventana regio hoc nomine appellata est, postea vero tota sic cœpit Italia vocitari. Dicitur quoque etiam Latium Italia, pro eo quod Saturnus Jovem filium suum fugiens, intra eam invenisset latebram. [l] Igitur postquam de Italiæ provinciis, vel ipsius nomine, intra quam res gestas describimus, sufficienter est dictum, nunc ad historiæ ordinem redeamus.

### CAPUT XXV.

*Quomodo Alboin Mediolanum ingressus est.*

Alboin igitur Liguriam introiens, indictione ingrediente tertia, [m] tertio Nonas Septembris, sub temporibus Honorati archiepiscopi, Mediolanum ingressus est. Dehinc universas Liguriæ civitates, præter has quæ in littore maris sunt positæ, cepit. Honoratus vero archiepiscopus Mediolanum deserens, [n] ad

[a] Al., *Theata*. Lind.

[b] Al., *Eserniu, quæ est antiquitate consumpta*. Lind.

[c] Al., *Beneventum*. Lind.

[d] Al., *accepere olim a Samnio colle, quem primum insederant*. Lind.

[e] Ita Ms et Augustana Editio. Puto tamen legendum *quas Græci σαύνια appellant*. Hesychius: Σαυνίον, ἀκόντιον βαρβαρικόν, quam lectionem Plinius confirmat lib. III, cap. 12: « Samnitium, quos Sabellos et Græci Saunitas dixere, coloniam Bovianum vetus, etc. » Lind. Ex his Plinii verbis, aliisque veterum historicorum arguit Cluverius, Samnites non ab hastis, sed a Sabinis dictos, vide lib. III Ital. antiq., pag. 648.

[f] Al., *Sipontum*. *Carvisium*. Lind.

[g] Amb., *abluitur*.

[h] Nominis etymologiam insulæ celebratissimæ melioribus veterum testimoniis aliunde recentiores deducunt, eamque vulgatissimam quisque novit.

[i] Al., *Sardo*.

[j] Al., *Galactiam*. Lind. *Galitiam* Amb.

[k] Ex Festo sumptum. Lind.

[l] Universæ Italiæ partitionem antecedentibus capitibus a Paulo designatam scio pluribus esse improbatam, ut pote veteribus provinciarum divisionibus non omnibus locis respondentem. Atqui varias variis temporibus fuisse Italiæ provincias peritus quisque antiquitatis minime negaverit, lacunamque pene immensam in historia, labente Romano imperio. Hinc argumentum pro nostro sumpserim ejusdem regionis homine, qui viciniorem sibi rerum statum novisse debuerat. Cautumque velim iis tantum argumentis oppugnari, quæ veterum testimoniis fulciantur. Doctissimi viri jam diu plures disputarunt, eisque notata referre operosissimum quidem fuisset, et quod tædium lectoribus ad historiam properantibus ferret, eaque de causa consulto prætermisi.

[m] Al., *ad Nonas Septembris*. Lind. et Mod.

[n] Annales Mediolanenses sanctum Honoratum ad Jannenses fugisse ferunt dolore actum, quod auctor fuisset tradendæ Alboino civitatis, quam contra pactum ferocissimus rex diripuerat.

Digitized by Google

Genuensem urbem confugit. Paulus quoque patriarcha, annis duodecim sacerdotium gerens, ab hac luce subtractus est, regendamque Ecclesiam Probino reliquit.

## CAPUT XXVI.

*Quomodo Ticinensis civitas tribus annis obsessa est, et quia Langobardi Tusciam invaserunt.*

Ticinensis eo tempore civitas ultra tres annos obsidionem perferens, se fortiter continuit, Langobardorum exercitu non procul juxta eam ab occidentali parte residente. [a] Interim Alboin, ejectis militibus, invasit omnia, usque ad Tusciam, præter Romam, et Ravennam, vel aliqua castella, quæ erant in littore maris constituta. Nec erat tunc virtus Romanis, ut resistere possent, quia et [b] pestilentia, quæ sub Narsete facta est, plurimos in Liguria et Venetiis exstinxerat, et post annum quem diximus fuisse ubertatis fames nimia ingruens universam Italiam devastabat. Certum est autem tunc Alboin multos secum ex diversis quas vel alii reges, vel ipse ceperat, gentibus ad Italiam adduxisse, unde usque hodie eorum in quibus habitant vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suavos, Noricos, sive aliis hujuscemodi nominibus appellamus.

## CAPUT XXVII.

*Quomodo Alboin Ticinum ingressus est.*

At vero Ticinensis civitas post tres annos, et aliquot menses obsidionem perferens, tandem se Alboin et Langobardis obsidentibus tradidit. In quam cum Alboin per portam, quæ dicitur sancti Joannis, ab Orientali urbis parte introiret, equus ejus in portæ medio concidens,. [c] quamvis calcaribus stimulatus, quamvis hinc inde [d] a stratore verberibus cæsus, non poterat elevari. [e] Tunc unus ex eisdem Langobardis, taliter regem allocutus est, dicens : Memento, domine rex, quale votum vovisti. Frange tam durum votum, et ingredieris urbem. Vere etenim Christianus est populus in hac civitate. Siquidem Alboin voverat quod universum populum, quia sè tradere noluisset, gladio exstingueret. Qui postquam tale votum dirumpens, civibus indulgentiam promisit, mox equus ejus consurgens, ipse civitatem ingressus, nulli læsionem inferens, in sua promissione permansit. Tunc ad eum omnis populus [f] in palatium quod quondam rex Theudericus construxerat concurrens, [g] post tantas animum miserias, de spe jam fidus futura, cœpit relevare.

## CAPUT XXVIII.

*Quomodo Alboin, postquam tribus regnavit annis, consilio suæ conjugis, ab Helmechis interfectus est.*

Qui rex [h] postquam in Italia tres annos et sex menses regnavit, insidiis suæ conjugis interemptus est. Causa autem interfectionis ejus, hæc fuit. Cum in convivio, ultra quam oportuerat apud Veronam lætus resideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi regis sui soceri fecerat, reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam ut cum patre suo lætanter biberet, invitavit. Hoc ne cui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor, ego hoc poculum vidi in quodam die festo, [i] Ratchis principem ut illud convivis suis ostentaret, manu tenentem. Igitur Rosemunda ubi rem animadvertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compescere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura exarsit. Consiliumque mox cum [j] Helmichis, qui regis [k] schilpor, hoc est armiger et collactaneus erat,

[a] Optime quidem hoc loco Pauli mentem est assecutus Bernardus Saccus in sua Historia Ticinensi. « Triennalem (scribit ille) fuisse Papiæ obsidionem apud omnes scriptores constat, Platina etiam hoc attestante in Vita Joannis III. Alboino rege cum exercitus parte urbem acerrime premente, ac diu, noctuque infestantem, et ne de civitate liberanda cogitare Longinus aut imperator posset, alteram exercitus partem Alboinus Padum trajicere, et in Æmilienses, et Tuscos populos arma vertere jussit ; uno itaque tempore, unaque gente exagitata tribus in regionibus Italia fuit, nullo duce, aut exercitu Longobardico furori castra opponente. »

[b] Al., *pestis inguinaria.* Lind.

[c] Amb., *quamvis hinc inde hastarum verberibus cæsus.*

[d] Mod., *a tractorio.*

[e] Paulo aliter a scriptoribus rerum Ticinensium urbis deditio refertur, ac Dalmatium presbyterum pietate sua, et miraculo iratum Alboini animum compescuisse.

[f] De palatio Theuderici fusius Agnellus, in Vita sancti Petri Senioris, 28.

[g] Ascensiana Editio : *post tantam miseriam de spe jam fidens cœpit animum ad meliora levare.* Augustana ἀντὶ τοῦ *relevare* habet *revelare.* Lind.

[h] Hæc verba *postquam tres annos, et sex menses regnavit*, negotium dederunt Baronio, Camillo Peregrinio, aliisque pluribus in constituendo anno emortuali regis Alboini. Laudatissimus Peregrinius, in sua Historia princip. Langobard., dissert. de annis ducatus Zotonis, in Carolum Sigonium insurgit ob distinctam duplicem epochen adventus Langobardorum in Italiam, eorumque regni constituti ; nihilominus adhuc Sigonio adhærendum, quem vir clar. Bacchinius, in dissert. hist. chronolog. ad Vitam Petri Senioris Ravenn. episc., vindicavit, ut sensus sit post captam ab Alboino Papiam regni Langobardici annos a Paulo numeratos, quod et aliorum testimonio probatur, Sigeberto potissimum, et Hermanno contracto, qui, ut Pagius notavit, in fusiori Chronico, scribit Alboinum, occupata Papia, ibi sedem regni statuentem, « III annos, et sex menses in Italia regnasse, » qua mente accipiendus etiam Turonensis, lib. IV, cap. 35, minime cum Baronio corrigendus.

[i] Al., *Ratichis.* Lind.

[j] Al., *Helmiges.* Lind. *Helmigis.* Mod

[k] Magnorum virorum hoc munus erat. Nam de Narsete scribit Corippus, eum armigerum fuisse Justini, lib. II :

Armiger interea domini vestigia lustrans,
Eminet excelsus super agmina vertice Narses.

Curopalata eos σκουτερίους vocat ; Procopius, ut puto, δορυφόρους. Ita enim de Odoacre, lib. I belli Getici ex ms. illust. Josephi Scaligeri : Ἦν δέ τις ἐν αὐτοῖς Ὀδόακρος ὄνομα, ἐς τοὺς βασιλέως δορυφόρους τελῶν, nisi potius illi δορυφόρους domesticos velis interpretari, nam ita hi dicebantur. Socrates, lib. I, cap. 13 : Τῶν δορυφόρων τις, οὓς οἰκείους καλεῖ ὁ βασιλεύς. De his lib. XII Cod., tit. 17, e ibi Jac. Cujacius J. C. Fit etiam in notitia imper. Romani armigerorum mentio : « Armigeri propugnatores seniores, armigeri propugnatores juniores. » Sed illi diversi ab his fuere, quemadmodum et apud Gunterum, lib. VII. Armigeros vulgares tantum milites esse puto, vel satellites, nam eos veteres grammatici armigeros interpretantur. Sed et apud Paulum nostrum ἀντὶ τοῦ *schilpor*, schulphor legere mallem, quæ vox Germanis usitata. Lind.

Digitized by Google

ut regem interficeret iniit. Qui reginæ persuasit ut ipsa [a] Peredeo, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium asciret. [b] Peredeo cum reginæ suadenti tanti nefas consensum adhibere nollet, illa se noctu in lectulo suæ vestiariæ, cum qua Peredeo stupri consuetudinem habebat, supposuit, ubi Peredeo rem nescius veniens cum regina concubuit. Cumque illa, patrato jam scelere, ab eo quæreret quam se esse existimaret, et ipse nomen suæ amicæ quam esse putabat, nominasset, regina subjunxit: Nequaquam ut putas, sed ego Rosemunda sum, inquit. Certe nunc talem rem Peredeo perpetratam habes, ut aut tu Alboin interficias, aut ipse te suo gladio exstinguat. [c]Tunc ille intellexit malum quod fecit, et qui sponte noluerat, tali modo in regis necem coactus assensit. Tunc Rosemunda, dum se Alboin meridie sopori dedisset, magnum in palatio silentium fieri præcipiens, omnia alia arma subtrahens, spatham illius ad lectuli caput, ne tolli, aut evaginari posset, fortiter colligavit, et [d] juxta consilium Helmichis Peredeo interfectorem, omni bestia crudelior, introduxit. Alboin subito de sopore expergefactus, malum quod imminebat intelligens, manum citius ad spatham porrexit, quam strictius religatam extrahere non valens, apprehenso tamen scabello suppedaneo, se cum eo per aliquod spatium defendit. Sed heu, proh dolor! vir bellicosissimus, et summæ audaciæ, nihil contra hostem prævalens, quasi unus [e] de inermibus interfectus est, uniusque mulierculæ consilio periit, qui per tot hostium strages bello [f] famosissimus exstitit. [g] Cujus corpus cum maximo Langobardorum fletu, et lamentis, sub cujusdam scalæ ascensu, quæ palatio erat contigua, sepultum est. Fuit autem statura procerus, et ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Hujus tumulum nostris in diebus [h] Giselbertus, qui dux Veronensium fuerat, aperiens, spatham ejus, et si quid in ornatu ipsius inventum fuerat, abstulit. Qui ob hanc causam vanitate solita apud [i] indoctos homines Alboin se vidisse jactabat.

## CAPUT XXIX.

*Quia Helmichis regnare voluit, sed non potuit.*

Igitur Helmichis, exstincto Alboin, regnum ejus invadere conatus est; sed minime potuit, quia Langobardi nimium de morte illius dolentes, eum moliebantur exstinguere. Statimque Rosemunda Longino præfecto Ravennæ mandavit ut citius navem dirigeret, quæ [j] eos suscipere posset. Longinus tali nuntio lætus effectus, festinanter navem direxit, in quam Helmichis cum Rosemunda jam sua conjuge, noctu fugientes ingressi sunt, auferentesque secum [k] Albsuindam regis filiam, et omnem Langobardorum thesaurum, velocius Ravennam pervenerunt. Tunc Longinus præfectus suadere cœpit Rosemundæ ut Helmichis interficeret, et ejus se nuptiis copularet. Illa, ut erat ad omnem nequitiam facilis, dum optat Ravennatium domina fieri, ad tantum perpetrandum facinus assensum dedit, atque dum Helmichis se in balneo ablueret, [l] egredienti ei de lavacro, veneni poculum, quod salutis esse asseverabat, propinavit. Ille ubi sensit se mortis poculum bibisse, Rosemundam, evaginato super eam gladio, quod reliquum erat bibere coegit. Sicque Dei omnipotentis judicio interfectores iniquissimi uno momento perierunt.

## CAPUT XXX.

*Quomodo Longinus post eorum mortem Albsuindam cum Langobardorum thesauro imperatori direxit; et de Peredeo, quomodo in Constantinopolim leonem occidit.*

His ita peremptis, Longinus præfectus Albsuindam cum Langobardorum thesauris Constantinopolim [m] ad Tiberium imperatorem direxit. Affirmant aliqui etiam Peredeum pariter cum Helmichis et Rosemunda Ravennam venisse, atque exinde cum Albsuinda Constantinopolim directum esse, ibique in [n] spectaculo populi coram imperatore leonem miræ magni-

[a] Al., *Peredeum*. Lind. *Peredeum, qui erat vir fortiss. in hoc consilium affectaret. Peredeus*, etc. Mod.

[b] Mod., *Peredeus*, semper.

[c] Modoet., *Tunc ille intellexit, quod fecit, et quod sponte*, etc.

[d] Al., *juxta consilium initum Peredeum, et Helmigem interfectores*. Lind. *Peredei, et Helmichis*. Mod.

[e] Ms., *de incestis*. Al., *de inertibus*. Lind., ut in Mod.

[f] Al., *fortunatissimus*. Lind.

[g] Agnellus, in Pontif. Ravennate et Vita Petri senioris, paulo aliter occisi Alboini historiam refert. Peredeum socium criminis, ut Paulus habet, minime novit, occisumque, vel ab ipso reluctante Helmige narrat, me u patrati adulterii a Rosmunda regina in tantum scelus adacto. In cæteris convenit cum Paulo nostro, additque: « Superatusque rex interfectus est. Voluerunt Langobardi hunc interimere homicidam, et reginam cum eo, sed notum consilium, venit Veronam donec furor populi conquiesceret. Sed jurgantes fortiter Langobardi contra eam, depopulato palatio cum multitudine Gepidorum et Langobardorum mense Augusto Ravennam venit, et honorifice a Longino præfecto suscepta est cum omni ope regia. » Ex iis apparet de loco actæ tragœdiæ minime cum Paulo convenire Agnellum, nisi forte Alboinus in villa prope Veronam occisus sit; neque de fuga, quæ Longini favore in nostro, ut cap. seq. in Agnello Gepidorum suorum et Langobardorum factione Rosmundæ facilis fuit. Marius: « Anno 4 consulatus Justini Junioris Augusti, indictione 5, Albuenus rex Langobardorum a suis, id est Helmegis cum reliquis, consentiente uxore sua Verona, interfectus est, et suprascriptus Helmegis cum antedicta uxore ipsius, quam sibi in matrimonium sociaverat, et omni thesauro, tam quod de Pannonia exhibuerat, quam quod de Italia congregaverat, cum parte exercitus Ravennæ se reipublicæ tradidit. »

[h] Ms., *Gislepert*. Lind.

[i] Al., *indoctos homines purgando Alboinum id jussisse jactabat*. Lind.

[j] Al., *se et Helmigem*. Lind.

[k] Al., *Albisindam*, et sic infra. Lind. et Mod.

[l] Al., *egredienti mortis poculum, quod salutare asseruit, propinavit*. Lind.

[m] Amb., *ad imperatorem direxit*. Agnellus loco cit.: « Tunc Longinus præfectus abstulit omnes Langobardorum thesauros, et cunctas opes regias, quas Rosmunda de Langobardorum regno attulerat, una cum Rosmundæ et Alboini regis filia ad Justinum imp. Constantinopolim transmisit; et gavisus est imp., et auxit præfecto plurima. » Justino imp., non Tiberio illius successore, sublatum e vivis Alboinum cæteri omnes asserunt, expetitque superius notata chronologia. Hinc emendanda Pauli lectio.

[n] Amb., *conspectu*.

Digitized by Google

tudinis occidisse. Cui, ut ferunt, ne aliquid malignum in regia urbe, quia [a] vir fortis erat, moliretur, jussu imperatoris oculi evulsi sunt. Qui sibi post aliquod tempus duos cultellos aptavit, quibus in utrisque suis manicis absconsis, palatium petiit, atque se quædam ad Augusti utilitatem, si ad eum intromitteretur, locuturum promisit. Ad quem Augustus duos sibi familiares, qui ejus verba susciperent, patricios misit. Qui cum ad Peredeum venissent, ille ad eos, quasi aliquid eis secretius dicturus propius accessit, atque [b] ambos utraque manu gladiis, quos absconsos habebat, fortiter vulneravit, ita ut statim in terram corruerent, et expirarent. Sic Samsonis illius fortissimi ex aliqua parte non absimilis, suas injurias ultus est, et pro amissione duorum luminum, duos imperatori viros utilissimos interemit.

## CAPUT XXXI.

*De regno Cleph, qui secundus regnavit.*

Langobardi vero apud Italiam, omnes communi consilio [c] Cleph nobilissimum de suis virum, in urbe Ticinensium [d] sibi regem statuerunt. [e] Hic multos Romanorum viros potentes, alios gladio exstinxit, alios ex Italia exturbavit. Iste cum annum unum et A sex menses, cum [f] Massana sua conjuge, regnum obtinuisset, [g] a puero de suo obsequio gladio jugulatus est.

## CAPUT XXXII.

*Quomodo duces Langobardorum per decem annos sine rege fuerunt, per quos Italia subjugata est.*

Post cujus mortem Langobardi per annos decem regem non habentes sub ducibus fuerunt. Unusquisque enim ducum suam civitatem obtinebat. [h] Zaban Ticinum, Uvaillari Bergamum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Gisulfus Forum-Julii. Sed et [i] alii extra hos in suis urbibus triginta duces fuerunt. His diebus multi nobilium Romanorum [j] ob cupiditatem interfecti sunt, reliqui vero per [k] hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Langobardis persolverent, tributarii efficiuntur. [l] Per hos Langobardorum duces septimo anno ab adventu Albuuin, et totius gentis, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, exstinctis, exceptis his regionibus quas Albuuin ceperat, [m] Italia ex maxima parte capta et a Langobardis subjugata est.

[a] Mod., *magnæ virtutis.*

[b] *Ambos cultris illis e manica tractis graviter ita sauciavit, ut statim in terram corruentes expirarent.* L. *Fortiter ita sauciavit*, etc., ut supra. Mod.

[c] Mod., *Clek.* Lind., *Clohem*, seu *Clephem.*

[d] Exstincto Alboino, et cum ipso regia ipsius prosapia, Clephonem sibi regem statuerunt Langobardi in ordine XIII; supplendus enim catalogus Rotharis, qui Audoinum, sive Audoinum, prætermiserat, vel, ut ipse mihi persuadeo, amanuensis vitio in citatis dictiss. Sigonii schedis minime legitur.

[e] Mala quæ sub Alboino, Clephone regibus, ac XXX ducibus Italis illata sunt, videre est in libris Dialog. et epist. divi Gregorii Magni, Gregorii Turonensis, alio umque illius ævi scriptorum, eaque sævitiæ monumenta collegit Baronius ad an. 573.

[f] *Asane.* Mod. *Messona*, vel *Ansare.* Lind.

[g] Sævitia nempe sua odium in se atque arma traxerat, actæ tragœdiæ modus intercidit.

[h] *Zaban Ticinum, Alboin Mediolanum, Wallari Pergamum, Alachis Brixiam, Eoin Trentum.* Mod. *Zabanus Ticinum, Alboinus Mediolanum.* Lind. *Vallarus Bergamum, Comus Trentum, seu Tridentum.* Lind. *Eoin Trid.* Amb.

[i] Gummarith alter Langobardorum dux a divo Gregorio M. memoratur ad Populonium Etruriæ, lib. Dialog. II, cap. 2.

C [j] Al., *ob cupiditatem ducum.* Lind.

[k] Al., *hospites.* Lind. *partes.* Mod.

[l] In ms. totum hoc caput ita legebatur: *Itaque mortuo Cleph, per decem annos absque rege fuere Langobardi: tantummodo duces præerant.* Lind.

[m] Non septem annis ab adventu Auduini, sed longo plus tempore in Italia grassati sunt Langobardi, ut ex allatis testimoniis constat, idque Paulus ex Gregorio Turonensi in Historiam suam transtulit illius verba male interpretatus.

---

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quia duces Langobardorum ad prædandum in Gallia directi sunt.*

Igitur aliquanti ex ducibus Langobardorum, [a] cum valido exercitu Gallias ingrediuntur. Horum adventum vir Dei Hospitius, qui apud [b] Niceam erat inclusus, sancto sibi revelante Spiritu, longe ante prævidit, ejusdemque urbis civibus quæ mala immine-

[a] Varias Langobardorum irruptiones in Gallias ante Sigeberti regis mortem accuratissime pro more suo distinguit Pagius in critica Baron., ad an. 575. Primam asserit Mummulo patriciatum provinciæ gerente, qui Amato ejusdem dignitatis viro a Langobardis victo necatoque successerat, ut refert divus Greg. Turonens., lib. IV, cap. 36 et 37. In ea victi Langobardi ad civitatem Ebredunensem, et Saxones postmodum Langobardorum socii in territorio Regiensis civitatis ad Stablonem vicum, Alboino regnante. Alteram a Fredegario in Epit. cap. 68, et Mario, in Chronico, relatam, Talaordo et Nuccione ducibus Langob., qui a Wiolico et Theudofredo Guntramni ducibus victi fuerunt; annos a Mario notatur his verbis: « Clebus rex Langob. a puero suo interfectus est, et eo anno iterum Langobardi in valle D ingressi sunt, et Clusas obtinuerunt, et in monasterio sanctorum Acaunensium diebus multis habitaverunt, et postea in Bacci pugnam contra exercitum Francorum commiserunt, ubi pene ad integrum interfecti sunt, pauci fuga liberati. » Quæ licet a Mario in an. 8 Cons. Justini, et ind. 7 referantur, optime vir clar. emendata chronologia ad annum 576 revocavit. De hac irruptione Paulus noster minime verba facit. Postremam, quæ Amo, Zaban et Rhodano ducibus superiorem excepit: eoque tempore gesta sunt quæ divus Gregorius Turonensis et Paulus noster de sancto Hospitio narrant, qui Langobardorum irruptionem prædixerat. Hoc igitur ordine restitui debent omnia quæ de Langobardis in Galliam irrumpentibus ex divo Greg. Paulus noster excerpsit.

[b] Divus Grego. , *Niciam.*

Digitized by Google

rent prædixit. Erat enim vir iste magnæ abstinen- A tiæ, et probabilis vitæ, qui [a] constrictus carnem catenis ferreis, induto desuper cilicio, solo pane in cibo cum paucis dactylis utebatur. In diebus autem Quadragesimæ, radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus [b] eremitæ utuntur, [c] exhibentibus sibi negotiatoribus, alebatur. Per hunc Dominus magnas virtutes operari dignatus est, quæ scriptæ habentur [d] in libris venerabilis viri Gregorii Turonensis episcopi. Igitur vir iste sanctus adventum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient, inquit, Langobardi in Gallias, et devastabunt civitates septem, eo quod increverit malitia eorum in conspectu Domini. Est enim omnis populus perjuriis deditus, furtis obnoxius, rapinis intentus, homicidiis promptus, in quibus non est justitiæ fructus. Non decimæ dantur, non B pauper alitur, non tegitur nudus, non suscipitur hospitio peregrinus. Ideo hæc plaga ventura est super populum istum. Monachis quoque suis præcipiens dixit: Abscedite vos a loco isto, auferentes vobiscum quæ habetis. Ecce enim gens [e] appropiat quam prædixi. Dicentibus illis: Non relinquemus te, sanctissime Pater, ait: Nolite timere pro me. Futurum est enim ut injurias inferant mihi, sed non nocebunt usque ad mortem.

## CAPUT II

*De Langobardo qui beatum Hospitium exstinguere voluit.*

Discedentibus autem monachis, advenit exercitus Langobardorum. Qui dum [f] cuncta quæ repererat, vastaret, ad locum ubi vir sanctus inclusus erat, pervenit. At ille per fenestram turris se eis ostendit. C Illi vero circumeuntes turrim, dum aditum quærerent, per quem ad eum ingredi possent, et minime invenirent, duo ex eis ascendentes tectum discooperuerunt illud. Et videntes eum [g] cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor est, et homicidium fecit, ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. [h] Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omniumque criminum reum. Tunc unus, extracto gladio, ut ejus caput [i] amputaret, mox ejus dextra [j] in ipso ictu diriguit, nec eam ad se potuit revocare. Qui relictum gladium terræ dejecit. Hæc videntes socii ejus, clamorem in D [k] cœlo dederunt, flagitantes a sancto, ut quid eis agendum esset clementer insinuaret. Ipse vero, imposito salutis signo, arens brachium sanitati restituit. Langobardus autem qui [l] sanatus fuerat, et ad fidem Christi conversus, statim clericus, deinde monachus effectus est, atque in eodem loco, usque ad finem vitæ suæ, in Dei servitio permansit. Beatus vero Hospitius dum Langobardis Dei verbum loqueretur, duo duces, qui eum venerabiliter audierunt, incolumes patriæ [m] redditi sunt; quidam vero, qui ejus verba despexerant, in ipsa provincia miserabiliter perierunt.

## CAPUT III.

*Quomodo Langobardorum exercitui Amatus patricius bellum intulit, et quomodo ab eisdem victus est et occisus.*

Igitur devastantibus Langobardis Gallias, [n] Amatus, [o] patricius provinciæ qui Guntramno regi Francorum parebat, contra eos exercitum duxit, commissoque bello terga vertit, ibique exstinctus est. Tantamque stragem tunc Langobardi de Burgundionibus fecerunt, ut non possit colligi numerus occisorum. Ditatique inæstimabili præda, ad Italiam revertuntur.

## CAPUT IV.

*Quomodo Langobardi Galliam ingressi a Mummulo patricio sunt devicti.*

Quibus discedentibus [p] Ennius, qui et Mummulus, accersitus a rege, patriciatus honorem emeruit. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias, et usque [q] Mustiascalmes accedentibus, qui locus Ebredunensi adjacet civitati, Mummulus exercitum movit, et cum [r] Burgundionibus illic proficiscitur. Circumdatisque Langobardis cum exercitu, [s] factis etiam concisis per devia silvarum, irruit super eos, multosque ex eis interfecit. Nonnullos vero cepit, et regi suo Guntramno direxit. Langobardi quoque his patratis, ad Italiam sunt regressi.

## CAPUT V.

*Quomodo Saxones cum Langobardis in Italiam venerunt.*

Post hæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant, [t] in Gallias perrumpunt, et intra territorium Rhegense, id est, apud Stablonem [u] villam, castra constituunt, discurrentes per villas urbium vicinarum, diripientes prædas, abducentes ca-

[a] Amb., *constrictis ad carnem catenis.* Modoet., *constrictus a carne.*

[b] Amb., *Ægyptii.* Mod., *eremitæ utebantur.*

[c] Ex his divi Greg. verbis Ruinartus et Mabillon. frequentissima eo tempore Gallos inter et Ægyptios commercia deducunt.

[d] Hist. Franc. lib. VI, cap. 6. Lind.

[e] Amb., *approperat.*

[f] Modoet., *cuncta quæ repererant devastabant, ad locum ubi vir sanctus inclusus erat pervenerunt.*

[g] Amb., *vinctum.*

[h] Al., *vocatumque in partem interrogant.* Lind. *Vocatumque interpretem sciscitantur.* Mod.

[i] Al., *amputaret dextram erigit, sed ejus dextra mox*, etc. Lind.

[j] Mod., *in ipso ictu suspensa diriguit.*

[k] Mod., *cœlum.*

[l] Ms., *renatus.* Lind.

[m] Mod., *reducti.*

[n] *Qui nuper Celsi successor exstiterat*, inquit divus Gregor., lib. IV, cap. 42.

[o] Al., *patricius provinciæ Alemannicæ.* Lind.

[p] Amb., *Emius.* Mod., *Eunius*, ut leg. in divo Greg.

[q] Al., *Mustiam Scalmes*, vel *Musciam Scalmes.* Lind. *Muscias Scalmes.* Amb. Ad divi Gregor. varias lectiones notavit Ruinartus in Cod. Corb. *Musticascalmes.* Bec., *Musciascalmes.*

[r] Al., *Francis.* Lind. Servanda prima lectio, ut habet divus Gregor.

[s] Gregor. Turon., lib. IV, cap. 22, *actisque Codicibus per divortia viarum.* Lind.

[t] *In Gallias perrumpunt*, non leg. hæc in Amb.

[u] Al., *Stalbonem.* Lind.

Digitized by Google

pives, vel etiam cuncta vastantes. Quod cum Mummulus comperisset, super eos cum exercitu irruit, multosque ex eis interfecit, ac donec nox finem faceret, cædere non cessavit. Ignaros enim repererat homines, et nihil de iis quæ acciderant autumantes. Hinc autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se fortiter ad bellum, sed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt. Datisque muneribus Mummulo, relictis captivis, et universa præda, ad Italiam revertuntur.

## CAPUT VI.

*Quomodo Saxones cum uxoribus, et parvulis suis, iterum Galliam ingressi sunt.*

Igitur regressi Saxones in Italiam, assumptis secum uxoribus, atque parvulis suis, cum omni suppellectili, rursum ad Gallias deliberant [a] venire, scilicet ut a Sigisberto rege suscepti, ejus possint adjutorio ad patriam remeare. Certum est autem hos Saxones ideo ad Italiam cum uxoribus et parvulis advenisse, ut in ea habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt Langobardorum imperiis subjacere. Sed neque eis a Langobardis permissum est in proprio jure subsistere, ideoque æstimantur ad suam patriam repedasse. Hi Gallias ingressuri, duos ex se cuneos faciunt, et unus quidem cuneus per Niceam urbem, alter vero per Ebredunum ingressus est, illa revertens via, quam anno superiore tenuerat. Hi quia [b] tempus messium erat, colligentes, ac triturantes frumenta comedebant, ac suis animantibus ad esum præbebant. Deprædabantur pecora, sed nec ab incendiis abstinebant. Qui cum ad [c] Rhodanum amnem pervenissent, ut transmeato eo regno se Sigisberto conferrent, occurrit eis Mummulus cum valida multitudine. Tunc illi viso eo valde timentes, datis pro redemptione sua multis auri numismatibus, Rhodanum transire permissi sunt. Qui dum ad Sigisbertum regem pergunt, multos in itinere negotiatione sua deceperunt, venundantes [d] regulas æris, quæ ita nescio quomodo erant colorata, ut auri probati atque examinati speciem simularent. Unde nonnulli hoc dolo seducti, dantes aurum et æs accipientes, pauperes sunt effecti. Pervenientes tandem ad regem Sigisbertum, ad locum unde prius egressi fuerant, redire permissi sunt.

## CAPUT VII.

*Quomodo Saxones de patria sua Suavos, et alias gentes, quæ ibi residebant, expulere.*

Qui dum ad suam patriam venissent, invenerunt eam a [e] Suavis, et aliis gentibus, sicut supra commemoravimus, retineri. Contra quos insurgentes, conati sunt eos [f] destruere, ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis, dicentes: Simul possumus vivere, et sine collisione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquiescerent, dehinc obtulerunt eis medietatem; post hæc duas partes, sibi tantum tertiam reservantes. [g] Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra etiam omnia pecora, tantum ut a bello cessarent. Sed nec [h] iis Saxones acquiescentes, certamen expetunt, atque inter se ante certamen qualiter uxores Suavorum dividerent statuunt. Sed non eis ut putabant evenit. Nam commisso prælio, viginti millia ex eis interempta sunt. Suavorum vero quadringenti octoginta ceciderunt, reliqui vero victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se, [i] neque barbam, neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suavis ulciscerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer adtriti sunt, et sic a bello quieverunt.

## CAPUT VIII.

*Quomodo tres duces Langobardorum, hoc est, Amo, Zaban, et Rhodanus, a Mummulo devicti sunt.*

Post hæc tres Langobardorum duces, id est, Amo, [j] Zaban, ac Rhodanus, Gallias irruperunt. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam, usque [k] Machovillam, quam Mummulus munere regis meruerat, accessit, ibique tentoria fixit. Zaban vero per [l] Diensem descendens urbem, usque Valentiam venit. Rhodanus autem Gratianopolim aggressus est. Et Amo quidem Arelatensem debellavit provinciam, cum urbibus quæ circumsitæ sunt, et usque ad ipsum Lapideum campum, qui adjacet urbi Massiliensi, accedens, universa quæ reperire poterat depopulatus est. [m] Aquinensibus autem obsidionem parans, viginti duabus libris acceptis argenti, ab eodem loco discessit. Rhodanus quoque et Zaban, pari modo incendiis et rapinis loca ad quæ accesserant demoliti

[a] Mod., *redire.*
[b] Al., *tempus messium erat colligendarum, metentes, ac triturantes frumenta comedebant.* Lind., et ita Mod.
[c] Al. deest. Lind.
[d] Al., *bracteas, et laminas æris pro aureis; erant enim ita nescio quo fuco coloratæ.* Lind.
[e] Al., *Suevis.* Lind. et Mod.
[f] Mod., *extradere.*
[g] Al., *nolentibus Saxonibus.* Lind.
[h] Amb., *hoc.*
[i] Non prætermisit hoc Tacitus de moribus Germanorum. Ejus hæc verba: « Aliis Germanorum usurpatum, rara, et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, crinem, barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. » Exstat quoque simile votum in narratione de Apollonio Tyrio, quam si quis tanti fecerit legat ibi. Lind.
[j] Al., *Laban*; et sic semper Gregorius Turon. eum Raban vocat. Lind.
[k] Al., *Machonem villam.* Lind. *Machaovillam.* Mod. Quæ lectio vet. Cod. Corb. et Bellov., Hist. Franc. divi Greg., ut observat Ruinartus hoc loco.
[l] Hæc lectio Ruinarto probatur in notis ad divum Greg., qui hæc addit: « Alii Deensem, quod perinde est. Namque Dia, seu Dea, Vocontiorum civitas episcopalis etiam nunc celebris. Tamen Bellov. habet Verdunensem, et Corb. Virdunensem, quanquam prima manu scriptum fuisset Vinsunensem; sed correctio ejusdem est ævi ac Codex Ms. Et quidem Freherus in marg. monet in Ms. scilicet Palatino haberi Virdunensem. Unde Valesius existimat duo hanc urbem nomina habuisse, Latinum unum, Deam scilicet, alterum Gallicum, quod est Virdunum, etc. »
[m] Al., *Aquensibus.* Lind.

Digitized by Google

sunt. Quæ cum Mummulo patricio perlata fuissent, cum valida manu veniens primum cum Rhodano, qui Gratianopolim debellabat, conflixit, et multos de ejus exercitu peremit, ipsumque Rhodanum lancea vulneratum ad montium excelsa fugere compulit. Qui exinde cum quingentis viris, qui ei remanserant, per devia silvarum prorumpens, ad Zaban, qui tunc Valentiam urbem obsidebat, pervenit, eique omnia quæ acta fuerant nuntiavit. Qui pariter dum ad Ebredunensem urbem omnia deprædantes venissent, ibi eis [a] Mummulus cum innumero exercitu occurrit, commissoque prælio eosdem vicit. Tunc Zaban et Rhodanus Italiam repetentes, [b] Secusium devenere. Quam urbem Sisinnius magister tunc militum, a parte retinebat imperatoris. [c] Ad quem puer Mummuli adveniens, litteras ei directas a Mummulo porrexit, eumque citius adventare dixit. Quo comperto, Zaban et Rhodanus exinde mox ad propria discesserunt. His auditis, Amo, collecta omni præda, Italiam rediturus proficiscitur, sed resistentibus nivibus, prædam ex magna parte relinquens, vix cum suis Alpinum tramitem erumpere potuit, et sic ad patriam pervenit.

## CAPUT IX.

*Quomodo Franci Anagnis castrum Langobardorum ceperunt, et quomodo Ragilo comes a Francorum duce Chramniche occisus est.*

His diebus advenientibus Francis, Anagnis castrum, quod super Tridentum, in confinio Italiæ positum est, se eisdem tradidit. Quod ob causam comes Langobardorum, de [d] Lagare Ragilo nomine, [e] Ana-
A gnis veniens, deprædatus est. Qui cum de præda reverteretur, in campo Rotiliano ab obvio sibi duce Francorum Chramnichis, cum pluribus e suis, peremptus est. Qui Chramnichis non multum post tempus Tridentum veniens devastavit. Quem subsequens [f] Evin, Tridentinus dux, in loco qui Salurnis dicitur suis cum sociis interfecit, prædamque omnem quam ceperat excussit. [g] Expulsisque Francis Tridentinum territorium recepit.

## CAPUT X.

*De morte Sigisberti Francorum regis; et de nuptiis Evin ducis.*

Hoc tempore Sigisbertus rex Francorum occisus est, fraude Hilperici germani sui, cum quo bellum
B inierat. Regnumque ejus Childebertus ejusdem filius adhuc puerulus, cum [h] Brunichilde matre [i] regendum suscepit. Evin quoque dux Tridentinorum, de quo præmisimus, accepit uxorem filiam Garibaldi [j] Bajoariorum regis.

## CAPUT XI.

*De morte Justini minoris.*

Per hæc tempora apud Constantinopolim, ut supra præmissum est, [k] Justinus minor regnabat, vir omni avaritiæ deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator. [l] Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. [m] Quem etiam ferunt in hæresim Pelagianam dilapsum. Hic cum a divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio,
C [n] amisso rationis intellectu, amens effectus est.

[a] Al., *Mummulum cum exercitu occurrentem habuerunt, commissoque prælio ab eodem victi sunt.* Lind.

[b] Al., *Segusium.* Lind. Vulgo Suze ad Duriam amnem.

[c] *Ad quem puer a Mummulo missus litteras pertulit Mummulum adventare significantes.* Lind. Pueri vox sic posita posteriorum temporum scriptoribus nil aliud quam famulum denotat. Ea notione Sidonius usus est lib. I, epist. 11 : « Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam judicat. Quem tamen, si cominus avem feramque venanti monstres, aut vianti Deus obtulerit (sic lego ex Ms., qua aliquando usus, sceda ; vulgo, *venanti monstres, aut vianti*) manui post tergum reflexæ puer inserit, nervo lorove fluctuantibus. » Lind.

[d] Al., *Largare Ragilo.* Sed et ita in Ms. legitur : *quam ob causam comes Langobardorum id... volens Ragilo nomine Anagnis veniens deprædatus est eum.* Lind.

[e] Al., *ad Magnos*, et sic infra quoque Lind.

[f] Al., *Eoinus*, et sic infra. Lind.

[g] Francorum in Italiam contra Langobardos excursus iste a Sigonio in an. 577 merito recensetur ; de locis hoc capite memoratis, vide Cluverium in sua Italia.

[h] *Brunichilde.* Lind. et Mod.

[i] Hæc item a Gregorio Turon. acceperat Paulus, bellumque inter Sigebertum, Guntramnum, et Chilpericum, vide lib. IV. Sigebertum a duobus sicariis cultro veneno infectis e vita sublatum constat arte Fredegundis Chilperici regis uxoris, quod et sanctus Germanus ante prædixerat Sigeberto, monens ne Chilperico fratri mortem parando in foveam caderet quam fecisset. Communi litteratorum calculo annus emortualis Sigeberti 575 numeratur.

[j] Fusius narrat Joannes Aventinus in Ann. Bojor.: « Fraude Fredegundæ uxoris Hylperici a duobus perfugis Sigebertus nihil minus metuens, quippe ab eisdem fratris consilia exploratus, confoditur. Exercitus sine duce, quo quemque timor tulit, fuga dilapsus est. Brunhylda capta, Hyldebertus impubis imminenti periculo ereptus a Gundovalda duce in Germaniam abducitur : in Mediomatricum urbe rex salutatur. » Et infra : « Porro Theodoperti filius Gariovalda Sigeberti mortem divulgat, Thessalonum simul periisse dictitans. Deinde ducatum Bajoariæ intercipit, Bojos in sua verba jurare cogit, et quo augustior foret ( contempta Hyldeberti pueritia, Hylperici et Guntramni regum Franciæ ignavia, quod stupris, luxuque perditi, mutuis insuper seipsos vulneribus conficerent), regem se appellat. Deinde ut opes firmaret suas, Langobardorum proceres affinitate sibi jungit; dat in matrimonium Evino duci
D Tridentino filiam, alteram Theodolindam nomine, etc., Uthario regi Langobardorum despondet. »

[k] Justinum Juniorem anno 565 imp. suscepisse notavi lib. II, cap. 4, eminentiss. Norisii conjecturam secutus in aurea dissert. de V synodo.

[l] Hæc iisdem fere verbis Hist. Miscel. lib. XVI, quæ fortasse ab eodem Paulo fuerant inserta.

[m] Legerat hoc Paulus in divo Gregor. Turonensi, qui solus hæresim Justino exprobravit.

[n] Justinum ob plures acceptas clades in phrenesim incidisse Græcis Latinisque illius ævi scriptoribus narratur. Evagrius, lib. V, cap. 12, addit Sophiæ Augustæ legationem ad Chosroen regem Persarum de viri sui calamitate conquerentis, induciasque a victore petentis. Morbo elatus Justinus in Biduarium fratrem suum irruit, injuriisque lacessivit; sed lucido post mentis usu resipiscens iterum honestavit. Abbas Biclariensis, qui tunc temporis Constantinopoli degebat, in suo Chronico, hæc scribit : « Justi-

Digitized by Google

[a] Hic Tiberium Cæsarem ascivit, qui ejus palatium vel singulas provincias gubernaret; hominem justum, utilem, strenuum, sapientem, eleemosynarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, et, quod his omnibus supereminet, verissimum Christianum. Hic cum multa de thesauris quos Justinus aggregaverat pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod rempublicam redegisset in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregavi, tu infra paucum tempus prodige dispergis. Aiebat autem ille: Confido in Domino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum ut pauperes eleemosynam accipiant, ut captivi redimantur. Hoc est enim magnum thesaurum facere, dicente Domino: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Ergo de his quæ tribuit Dominus, congregemus in cœlo thesauros, et Dominus nobis augere dignabitur [b] in sæculo. Igitur Justinus cum [c] undecim annis regnasset, [d] amentiam quam incurrerat tandem cum vita finivit. Bella sane quæ per Narsetem patricium Gothis, vel Francis, illata [e] superius per anticipationem diximus, hujus temporibus gesta sunt. Denique et cum Roma temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia per circuitum Langobardis, famis [f] penuria laboraret, multa millia frumenti navibus ab Ægypto [g] dirigens eam suæ studio misericordiæ relevavit.

## CAPUT XII.

*De principatu Tib. Constantini, et de bonis actibus ejus.*

Mortuo ergo Justino, Tiberius Constantinus, Romanorum regum quinquagesimus, sumpsit imperium. Hic cum, ut superius diximus, sub Justino adhuc A [h] Cæsare palatium regeret, et multas quotidie eleemosynas faceret, magnam ei Dominus auri copiam [i] subministravit. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux Dominica sculpta, et ait: [j] Crucem Domini, [k] qua frontem nostram et pectora munire debemus, ecce eam sub pedibus conculcamus. Et citius dicto jussit eamdem tabulam auferri. Defossaque tabula, atque erecta, inveniunt subter et aliam hoc signum habentem, qui et ipsam jussit auferri. Qua amota, reperiunt et tertiam, jussuque ejus cum hæc fuisset ablata, inveniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius quam consueverat [l] largitur. Narses quoque patricius Italiæ, cum [m] in B quadam civitate, intra Italiam, domum magnam haberet, cum multis thesauris ad supra memoratam urbem advenit. Ibique in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit. Interfectisque omnibus consciis, uni tantummodo [n] seni hæc, per juramentum ab eo exigens, commendavit. Defuncto vero Narsete, [o] supradictus senex ad Cæsarem Tiberium veniens, dixit: Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi, Cæsar, dicam. Cui ille: Dic, ait, quod vis, proderit enim tibi, si quid nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis habeo reconditum, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gavisus mittit usque ad locum pueros C suos, præcedentem vero senem hi sequuntur attoniti [p]. Pervenientesque ad cisternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum

nus imp. gravi infirmitate concutitur, quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. » Hisque Baronii sententiam firmaverim ad Justinum hunc II ea referentis quæ divus Gregor. Turonens. in lib. de Glor. martyr., cap. 6, narrat, per virtutem sancti Freni, quod maximum nunc felicissimæ hujus metropoleos decus, et præsidium, ab illusionibus dæmonum imperatorem Justinum liberatum.

[a] De anno quo Tiberius Cæsar adoptatus fuit a Justino, et ad imp. vocatus, pluribus post Baronium disputarunt Eruditi, argumento potissimum ducto e lapide Romano, quem Boetianum appellant, ac tandem universorum ferme consensu 574 assignatus est, dies adhuc in incerto. Rei actæ largissimum testimonium in Evagrio, lib. v, cap. 13, Cedreno, Greg. Turon., Miscel., aliisque passim. Hoc unum differunt inter se, quod alii Joanne patriarcha, cæteri Eutychio astante, atque universo senatu, Tiberius adoptatus fuerit; at in omnibus reponendus est Joannes, quippe constat sanctum Eutychium tunc temporis exsulem ab ipso Tiberio fuisse postea revocatum.

[b] Al., *in cœlo*. Lind. Hæc item in Greg. Turon. et Miscel. fere ad verbum.

[c] Al., XII. Lind., et ita Mod. Quæ lectio vero propius accedit, quippe non undecim tantum annis regnavit Justinus, sed communi eruditorum calculo duodecim, menses decem, depositusque fuit die 5 Octobris anni 578, ut ex Norisio recentiores.

[d] Al., *amentia quam incurrerat, tandem vitam finivit*. Lind. et Mod.

[e] Noster his verbis ea quæ superius narravit manifesto revocat; at nos chronologiæ ordinem suis locis notavimus.

[f] Al., *violentia*. Lind.

[g] Al., *dirigens Tiberius*. Lind.

[h] Inde Curæpalatii vocati lib. I C., de Comit. et Trib. scholar. De his bene Corippus, de Laudibus Justini, lib. I:

> Cum magni regeres divina palatia patris,
> Par extans curis, solo diademate dispar,
> Ordine pro rerum vocitatus Curopalates.

Agathias eos solummodo curatores dictos scribit lib. V: Ἀνδρὰ τῇ τε τῶν ὑπάτων ἀξίᾳ τετιμημένον, καὶ πρός γε τὸ φροντίδα τίθεσθαι, καὶ ἐπιμέλειαν τῶν βασι- D λέως οἴκων τε καὶ κτημάτων ἀρχὴν εἰληχότα. Κουράτορας δὲ τούτους καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Formulam eorum vide apud Cassiodorum, lib VII. Lind.

[i] Al., *suppeditavit miro quodam judicio*. Lind.

[j] Ruinartus ad divum Gregor. Turon. optime notavit leg. C. Theodos. qua impp. prohibuerant ne crux Domini in solo signaretur.

[k] Tertullianus, de Corona Militis, cap. 4: « Ad omnem progressum, atque promotum ad omnem aditum, ad exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos excusatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Lind.

[l] Hæc omnia Greg. Turon. et Miscel.

[m] Amb., *in quadam Italiæ civitate*.

[n] Al., *puerulo, qui juramentum ab eo obstrictus erat commendavit*. Lind. et Mod.

[o] Al., *supradictus puer jam senex effectus*. Lind.

[p] Post v. *pueros suos*, hæc aliis desunt. Lind.

Digitized by Google

est, ut per multos dies vix a deportantibus potuisset A evacuari. Quæ ille pene omnia secundum suum morem erogatione largiflua [a] dispensavit egenis. Hic cum Augustalem [b] coronam accepturus esset, eumque juxta consuetudinem ad spectaculum Circi populus exspectaret, insidias ei præparans, ut [c] Justinianum, Justini nepotem, [d] ad dignitatem imperatoriam sublimaret, ille per loca sancta prius procedens, dehinc vocato ad se [e] pontifice urbis, cum consulibus ac præfectis palatium ingressus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cum immensis laudibus in regni gloria confirmatur. Quod ejus adversarii audientes, nihilque ei, qui in Deo spem suam posuerat, officere valentes, magno sunt confusionis pudore cooperti. Transactis autem paucis diebus, adveniens Justinianus, pedibus B se projecit imperatoris, ob meritum gratiæ, quindecim ei auri centenaria deferens. Quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, [f] sibi in palatio assistere jussit. Sophia vero Augusta, [g] immemor promissionis quam quondam in [h] Tiberium habuerat, insidias ei tentavit inserere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem [i] triginta diebus ad vindemiam jucundaretur, vocato clam Justiniano, voluit eum sublimare in regno. Quo comperto Tiberius cursu [j] veloci Constantinopolim regreditur, apprehensamque Augustam omnibus thesauris spoliavit, solum ei [k] victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus suis posuit, qui ei parerent, [l] mandans ut nullus prorsus de anterioribus, ad eam haberet accessum. Justinianum vero verbis solummodo increpatum, tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursumque filio suo filiam ejus expeteret. [m] Sed hæc res quam ob causam nescio, minime ad effectum pervenit. Hujus

[a] Integram hanc de Narsetis thesauro narrationem a divo Gregorio Turonensi Paulus noster accepit, et ipse fortasse auctor Hist. Miscel. atque Anastasius Bibliothecarius. Græcis historicis ne verbum quidem, eaque de causa communiter inter fabulas numeratur. At meo quidem judicio, quidquid de thesauro quisque sibi persuadeat, malo usus est argumento Pagius, ut Paulum nostrum erroris evinceret, hæc scribens : « Secundo fabulosum, quod idem Paulus, lib. II, cap. 11, de Narsete tradit, eum scilicet Romæ ex hac luce subtractum esse, ejusque corpus positum in locello plumbeo cum omnibus ejus divitiis Constantinopolim esse perlatum. Si enim Narses, ut postea refert Paul., lib. III, cap. 12, C cum multis thesauris Constantinopolim advenit, ibique occulte cisternam magnam fodit, in qua thesaurum suum reposuit, ac in ea urbe defunctus sit, ut idem habet, quomodo Romæ mori potuit, omnesque ejus divitiæ Constantinopolim Roma perferri? » At, pace tanti viri, Paulus noster minime sibi contradicit; quippe si bene sensum narrationis ejus teneo, non Constantinopoli thesaurum absconditum scribit, sed « in quadam civitate intra Italiam, » atque, ut in Ambr. legitur, « Italiæ, » unde postmodum, « mortuo Narsete, » Constantinopolim est allatus, eoque sensu accipiendus Gregorius Turon., cujus eadem fere sunt verba. Cæterum laudatæ Narsetis pietati servorum cædem non consentire dicendum est, etsi Latinis scriptoribus tanto viro avaritiæ nota inuratur.

[b] Anno scilicet 578 quo Justinus e vivis excesserat.

[c] Justinianus Germani filius Romano exercitui dux a Tiberio præpositus.

[d] Optime de hoc ritu Curopalata : Μετὰ δὲ τοῦτο, ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς ἐπαίρεται εἰς D ὕψος, καὶ φαίνεται πᾶσι τοῖς κάτωθεν ἱσταμένοις πλήθεσι. Κατέχουσι δὲ τὰ μὲν ἔμπροσθεν τῆς ἀσπίδος αὐτός τε ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ ἀναγορευομένου, ἐὰν ζῶν ᾖ, καὶ ὁ πατριάρχης. Τὰ δὲ ἐκ πλαγίων καὶ ὄπισθεν, οἱ ἐν ἀξιώματι ὑπερέχοντες. Ἤγουν δεσπόται, σεβαστοκράτορες, ἐὰν ὦσι. Εἰ δὲ μή, οἱ κρείττονες καὶ εὐγενέστεροι τῶν ἀρχόντων εἰ δ' οὐκ ἔστι πατήρ, τὰ μὲν τῆς ἀσπίδος ἔμπροσθεν ὁ ἐντιμώτερος τῶν ἀξιωματιῶν ἢ τῶν ἀρχόντων μετὰ τοῦ πατριάρχου. Τὰ δέ γε ὄπισθεν, οὓς ἔπομεν. Corippus, lib. II :

Quatuor ingentem clypeis sublimins orbem
Attollunt lecti juvenes, manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit.

Plura lege apud Petrum Pythœum J. C., Advers. lib. II, cap. 6. Post levationem vero a patriarcha ungebatur. Curopalata : Μετὰ δὲ ταῦτα ἐπαίρει μὲν ὁ νέος βασιλεύς, ὅ τι ἂν φορῇ ἐπὶ κεφαλῆς. Εὐθὺς δὲ πάντες; ὅσοι εὑρίσκονται ἐν τῷ ναῷ ἀποκαλύπτουσι τὰς κεφαλὰς ἵστανται. Ὁ δὲ πατριάρχης χρίει σταυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ θείῳ μύρῳ, ἐπιλέγων μεγάλῃ τῇ φωνῇ τό, ἅγιος. Luitprandus, lib. VI : « Miro ornatu, miroque apparatu susceptus ab eodem summ. Pontific., etc., unctionem suscepit imperii. » Ideoque sæpissime hæc ita juncta videbis, in regem sublimatus, unctusque. Lind.

[e] Sancto nempe Eutychio patriarcha Const., qui non diu post Joannis Scholastici mortem, anno 577, expetente universo populo, clarusque miraculis in suam sedem ab ipso Justino ac Tiberio fuerat restitutus.

[f] Hæc iterum Paulus cum cæteris omnibus in præsenti capite narratis a divo Gregor. Turon. pene ad verbum in suam transtulit Historiam.

[g] Mod., *mendax*.

[h] Al., *Tiberio fecerat*. Lind.

[i] Non novum hoc apud historicos, maxime illos qui imperatorum Vitas scripserunt. Non solum autem vindemiarum tempore feriæ erant, sed et messium; de his agitur Cod. Theod., de feriis, lib. II : « Omnes dies jubemus esse juridicos, illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstivis fervoribus mitigandis, et autumni fetibus decerpendis. » Nam tunc temporis causam agere, aut dicam alicui scribere, legibus non licebat, quod et Statius tangit lib. IV Silvarum :

Certe jam latiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.

D Minutius Felix, in Octavio : « Ad vindemiam feriæ judiciariam curam laxaverant. » Post electionem quoque imperatoris feriari moris erat. Curopalata : Δέκα δὲ ἐφεξῆς ἡμέρας, ἢ πλείους, ἢ ἐγγὺς ἐλάττους τούτων (οὐδὲ γὰρ ἐστὶ νενομισμένος ἀριθμὸς ἡμερῶν, ἀλλ' ὅπως ἂν βούλοιτο ὁ βασιλεύς) ἑορτάζουσι παντελῶς.

[j] Amb., *velocissimo*; et mox *spoliatum* pro *spoliavit*.

[k] *Victum quotidianum, et amictum relinquens*. L. et M.

[l] Causam cur Sophia Augusta post mariti obitum sit aversata Tiberium paulo aliter narrat Histor. Miscel., lib. XVII, ex Zonara fortasse : « Nempe cum acclamatum esset Anastasia Augusta : Tu vincas; salva, Domine, quos imperare jussisti, » iratam esse rei novitate, qua spe deciderat se Augustam, uxoremque Tiberio futuram, ipsius namque matrimonium ignorabat, quod vix credibile in imperatore.

[m] De maximo clementiæ Tiberii exemplo dubita-

Digitized by Google

exercitus ab eo [a] directus Persas potentissime debellavit, [b] victorque regrediens, tantam molem prædæ, cum viginti pariter elephantis detulit, ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

## CAPUT XIII.

*De aureis quos Hilperico imperator direxit, et de beato Gregorio.*

Ad hunc [c] Hilpericus Francorum rex suos legatos A dirigens, multa ab eo ornamenta, [d] aureos etiam singularum librarum suscepit, [e] habentes ex una parte effigiem imperatoris, et perscriptum in circulo: TIBERII. CONSTANTINI. PERPETUI. AUGUSTI., et ab alia parte habentes [f] quadrigam et ascensorem, continentes scriptum: GLORIA ROMANORUM [g]. Hujus in diebus beatus [h] Gregorius diaconus, qui post papa exstitit, cum esset apocrisiarius, apud eamdem re-

tionem inficiunt, quæ a Græcis auctoribus narrantur de Justiniano; constat enim Tiberium, abrogata illius potestate, quod in Persas non eadem qua prius fortuna uteretur, Mauricium suffecisse; cumque de tempore vix liquido constet, Simocata enim, lib. III, cap. 15, vivo adhuc Justino, Evagrius, lib. V, cap. 19, et Biclariensis, inter Latinos, habeant: » Tiberius post mortem Justini cum jam imperialem coronam gestaret, Justiniano potestatem abrogavit, » facilius mihi persuaserim utraque de causa, conjurationis nempe ac desidiæ, Mauricium Justiniano fuisse subrogatum.

[a] Al., *in Persidem missus, Persas potentissime debellavit*. Lind.

[b] Hæc Justiniani de Chosroe rege Persisque victoria narratur a Theophylacto, lib. III, cap. 12 et seq., Theophane, aliisque Græcis scriptoribus. Ad superiores tamen annos est revocanda, nempe ad 575. Ex nostratibus Biclariensis, ad an. 9 Justini: « Cosdroes Persarum imp. cum nimia multitudine exercitus ad vastandos Romanorum terminos promovet: cui Justinianus, dux Romanæ militiæ, et magister militum Orientis a Tiberio destinatus bellum parat; et in campos qui inter Daras et Nezinios ponuntur forti pugna congressus, habens secum gentes fortissimas, quæ barbaro sermone Hermam nuncupantur, memoratum imperatorem bello superat. Quo cum suo exercitu in fugam verso, castra ejus pervadit, et provinciæ Persidæ fines victor Justinianus vastat, exsuviasque eorum pro triumpho Constantinopolim dirigit, XXIV elephantos inter cætera, qui magnum spectaculum Romanis in urbe Regia exhibuerunt.

[c] Al. *Chilpericus*. Lind.

[d] Al., *nummos*. Lind..

[e] Amb., *habentes quadrigam*, etc.

[f] Al., *equum*. Lind. et Mod.

[g] Ad hæc tempora revocanda sunt quæ scribit Menander Protector Edit. Regiæ Paris., pag. 124: Κατὰ δὲ τὸ τέταρτον ἔτος Τιβερίου Κωνσταντίνου Καίσαρος βασιλείας, ἐν τῇ Θράκῃ ξυνηνέχθη τὸ Σκλαβηνῶν ἔθνος μέχρι που χιλιάδων ἑκατόν, etc. Ὅτι ὁ Καίσαρ ἔστειλε κατὰ τὴν Ἰταλίαν χρυσίον συχνὸν, ἄχρι κεντηναρίων τριάκοντα, ἅτινά γε δή που Παμφρόνιος ὄνομα, ἀξίωμα βασιλέως πατὴρ ἐκομίσατο ἐκ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Κατὰ δὴ τὴν βασιλίδα τηνικαῦτα ἀφιγμένος ἐπὶ τούτῳ, ἐφ' ᾧ δεήσεις τῷ Καίσαρι προσαγαγεῖν, τῇ Ἰταλίᾳ ἐκτετρυχωμένῃ ταῖς τῶν Λογγιβάρδων ἐπιδρομαῖς ἐπαμῦναι. Ὁ δὲ Καίσαρ, ἐπεὶ αὐτῷ ὁ πόλεμος ὁ Περσικὸς ἄπαντα ἦν, καὶ ἐνέκειτό γε ὅλος. Ἐκεῖσε στρατιὰν οὐχ οἷός τε ἦν ἐκπέμπειν. Οὐδὲ μὴν ἅμα τῇ ἕω καὶ κατὰ τὴν ἑσπέραν πολεμητέα γε αὐτῷ εἶναι ἐδόκει. Χρήματα δὲ ἄλλως ἐπίδωκε Παμφρονίῳ, ἐφ' ᾧ τινὰς τῶν ἡγεμόνων τοῦ Λογγιβάρδων ἔθνους (εἴπως γε ἔσται αὐτῷ δυνατὰ) πεῖσαι τοῦ κέρδους ἱμείρειν τοῦ μεταβαλέσθαι ὡς Ῥωμαίους ξὺν τῇ κατ' αὐτοὺς δυνάμει. Καὶ τοῦτο τῇ Ἰταλίᾳ μὴ ἐνοχλεῖν. Τοῦτο δὲ καὶ κατὰ τὴν ἕω πολεμησείοντας, καὶ τῇ Ῥωμαίων ἐπικρατείᾳ ἐπικουρῆσαι ἀπειθούντων δὲ τῶν Λογγιβάρδων, οἷα εἰκός. Τὴν ἑτέραν ἰέναι, καὶ τινας τῶν φραγγικῶν ἡγεμόνων διὰ τῆς τῶν χρημάτων ἐπιδόσεως ἑταιρίσασθαι. Καὶ ταύτῃ σεισθῆναι τε καὶ ἐκτρίψαι τῶν Λογγιβάρδων τὴν δύναμιν. « Circa quartum imper. Tiberii Constantini annum centum fere millia Sclavorum in Thraciam irruperunt, etc. Cæsar misit in Italiam magnam auri quantitatem usque ad centum triginta pondo, quæ Pamphronius nomine, dignitate patricius, a seniori Roma ad imperatorem attulerat. Is tunc ad regiam venerat, ut precibus a Cæsare impetraret ut Italiam a Langobardorum excursionibus oppressam in libertatem vindicaret. B Cæsar vero, cui omnia præ bello Persico nullius momenti erant, quippe qui totus in illud incumberet, exercitum mittere non potuit, neque bellum in Oriente, et in Occidente simul sibi gerendum statuit, sed pecunias dedit Pamphronio, quibus, si qua posset, aliquos Langobardorum persuaderet ad Romanos transire, una cum eorum exercitu, et Italiam minime turbare. Si Langobardi renuerent, ut verisimile erat, bellatum foris ire, Francorum ducum aliquos mercede sibi socios adjungere, et hac ratione Langobardorum potentiam labefactaret, atque infringeret. »

[h] Varie discussum est inter eruditos quo pontifice sanctus Gregorius M. apocrisarii sedis apostolicæ munere Constantinopolim fuerit legatus. Melior tamen conjectura probatur ea qua eminentissimus Norisius Pelagium II asserit hoc ei muneris injunxisse, atque in S. R. E. cardinalem diaconum legisse initio sui pontificatus et imperii Tiberii Cæsaris. Apocrisarii munus passim in rerum Græcarum Scri- C ptoribus occurrit, eaque officii summa, ut procurandis Ecclesiæ negotiis apud imperatorem vacaret, quod et in glossariis notatur. Vir clar. Bacchinius, in Pontif. Ravennate, ad Vitam Joannis Rom., animadvertit ex epistola ejusdem divi Gregorii ad Castorium, delegata exarchis imperatoria potestate, Romanos pontifices suos etiam apocrisarios Ravennam misisse. Exstat ad divum Gregor. Pelagii II epistola data IV Nonas Octobris, indict. 3 Christi anno 585, dum Constantinopoli apocrisarii munere fungeretur, ad res Langobardicas hoc tempore cognoscendas aptissima, eamque in supplementum Pauli nostri de Baronio excerpsi:

« Pelagius episcopus dilecto filio Gregorio venerabili diacono.

» Omnia quidem quæ necessaria fuerunt per Honoratum notarium tibi curavimus indicare, quem cum fratre et coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus: ut quia in illis partibus ad Raven- D nam usque nunc cum viro glorioso domino Decio patricio fuit, ipse sua relatione studeat te de omnibus informare; vel si necessaria judicaveris, possis domino imperatori suggerere, quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis a perfidia Langobardorum illatæ sunt contra proprium jusjurandum, ut nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel quali apud nos te suggerente fuerit charitate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam jam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiæ piissimo domino imp. suggerere. Loquimini ergo et tractate pariter, quomodo nostris celeriter possitis subvenire periculis, quia ita hic coangustiata est respubl., ut nisi Deus piissimi in corde principis inspiraverit ut insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, et super illam diacopsin, vel unum magistrum militum, et unum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti, quia maxime partes Romanæ

Digitized by Google

giam urbem, Morales [a] libros composuit, Eutychiumque ejusdem urbis episcopum, de resurrectione [b] errantem, in conspectu ejusdem Augusti superavit. Hac etiam tempestate [c] Faroald primus Spoletanorum dux, [d] cum Langobardorum exercitu classem invadens, opulentam urbem, spoliatam cunctis divitiis nudam reliquit [e].

## CAPUT XIV

*De morte Probini patriarchæ.*

Mortuo vero apud Aquileiam patriarcha [f] Probino, qui Ecclesiam unum rexerat annum, eidem Ecclesiæ sacerdos Helias præficitur.

## CAPUT XV.

*De morte Tiberii Constantini Augusti, et de imperio Mauricii.*

Tiberius igitur Constantinus, postquam imperium [g] septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, una cum consilio [h] Sophiæ Augustæ, [i] Mauricium genere Cappadocem, virum strenuum, ad imperium elegit, ornatamque suam filiam rega-

omni præsidio vacuatæ videntur. Et exarchus scribit nullum posse nobis remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testetur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus nostris velociter periculis subvenire antequam nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ a republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) prævaleant occupare, etc. »

Harum litterarum stimulis et divi Gregorii opera gesta esse, quæ supra notavi ex Menandro crederem, nisi metachronismi vitio arguerer.

[a] Verius dixisset scribere incœpit, quippe Moralium libros Constantinopoli reversus absolvit.

[b] De sancti Eutychii errore idem sanctus Gregorius, comment. in Job, vers. *et rursus circumdabor pelle mea*, enarratis iis quæ scripserat patriarcha de resurrectione, nempe futuram absque palpabili carne, subdit : « Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, gravissima cœpimus a nobis simultate resilire. Cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus imper. secreto me et illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnovit, et utriusque partis allegationes pensans, eumdem librum, quem de resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me ægritudo valida, eumdem vero Eutychium ægritudo, et mors protinus est secuta, etc » Unde facile annum actæ disputationis conjicere licet, nempe ultimum sancti Eutychii, qui fatalis etiam Tiberio fuit.

[c] Al., *Pharoaldus*. Lind.

[d] Fidem astruit Paulo Agnellus in Vita sancti Joannis, xxxii, Agilulphi regis tempore Ravennatis Ecclesiæ episcopo. Scribit ille : « Hic autem aiunt quidam cives civitatem classis ab hostili populo ope multa Ecclesiæ tribus vicibus emit ; non solum civitatem, sed et habitantes in ea cum suburbanis suis omnibus ut factum suum emit. » Quæ licet in Faroaldi tempora quadrate non conveniant, subsequentem infelicissimæ urbis fortunam declarant.

[e] Hic inserenda sunt quæ refert Mabillonius tom. II vet. analect. ex subscriptione in calce Collectanei ex libris sancti Augustini, per Eugipium presbyterum et abbatem Lucullanensem excerpti, quæ ita legitur, nempe Reduce Neapolitanæ urbis episcopo. « Et eo jubente ego Petrus notarius sanctæ Ecclesiæ catholicæ Neapolitanæ, ut potui, emendavi sub die iduum Decembrium, imperatore domino nostro Tiberio Constantinopolis Augusti anno septimo, post consulatum ejusdem Augusti anno tertio, indictione quinta decima, obsidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem. » Irruptionis Langobardorum in Transtyberinam Italiam, et Neapolitanæ urbis obsidionis sub xxxvi ducibus minime Paulus meminit ; sed infra, cap. 33 hæc scribit : « Circa hæc tempora putatur esse factum quod de Authari rege refertur. Fama est enim tunc eumdem regem per Spoletium Beneventum pervenisse, eamdemque regionem cepisse, et usque etiam Regium extremam Italiæ civitatem vicinam Siciliæ perambulasse ; » clarissimamque urbem a Joanne tantum Consino invasam refert infra, lib. iv, cap. 35. At, ni fallor, consentaneum allato testimonium subodorare licet in Constantino Porphyrogenneta tantopere a Peregrinio in sua dissertat. de tempore instituti ducatus Beneventani exagitato, ipseque Paulus id minime sibi, ut par erat, exploratum aperte fatetur ; unde mancam illius Historiam evincere possimus, non tamen supplere, deficientibus antiquarum rerum uberioribus monumentis. Ad Tiberii tempora revocavit etiam ex Anastasio Bibliothecario, aliisque Latinis scriptoribus, Langobardorum impetum in ipsam Romam Sigonius, hæc scribens : « Proximo anno (nempe 579) Longobardi communi consilio Etruriam, quæ in ditione Romanorum remanserat invadere, et, si res pro opere cederet, ipsam demum adoriri Romam decrevere. Quare contractis undique copiis, infesto agmine in fines irruperunt, ac populationibus effuse factis, agrisque late igne ferroque vastatis, oppida Romanæ ditionis aggressi sunt. Eo impetu Sutrium, Polimartium, Orta, Tudertum, Ameria, Perusia, Luceoli, et alia vix ostentata oppugnatione adducta. » Et infra : « Longobardi inde spe certiore, sive prædæ, sive victoriæ Romanæ illecti in agrum Romanum processerunt, ac pecoribus, quæ adipisci potuerunt, abactis, fœde in homines etiam, arbores, ac segetes, et tecta occurrentia, sævierunt, ac demum urbi ipsi castra admoverunt. Erat urbs non solum sine præsidio, sed etiam sine duce, quodque calamitatem civitatis augebat, ne frumentariæ quidem rei, si diutius sustinenda obsidio esset, affatim erat, quod et continuæ Langobardorum incursiones agrestes in agris sine periculo versari non paterentur, et ea æstate messium nihil fecissent, et priorum annorum inopia ipsa Ecclesiæ horrea jam prope funditus exhausisset. Quod cum Benedictus pontifex pro sua prudentia cerneret, extemplo litteras ad Tiberium misit, orans ut si agrorum vastationi atque Urbis obsidioni obviam ire præ longo marium ac terrarum intervallo non posset, saltem se inopiæ ac famis impendentis periculo liberaret, ac magnum frumenti numerum mari ad Urbem submitteret. Quod postquam accepit Tiberius, continuo naves onerarias in Ægyptum ad coemendum frumentum ire atque inde Romam contendere jussit. Interim Longobardi cum tentata Urbis oppugnatione sæpius a muris Romanorum virtute repulsi minus opinione profecissent, Urbem obsidione cinxerant, etc. » Frumento tandem in Ostiæ portum allato, atque inde Romam quamquam contra tendentibus Langob. evecto, de relinquenda ii obsidione cogitarunt, « ac Romanis petentibus inducias concesserunt. »

[f] Nomen *Probini* aliis deest. Lind. Notanda vetustissima patriarchæ appellatio.

[g] Nempe quatuor annos, menses decem, et dies totidem solus, cæteros cum Justino patre.

[h] Quonam pacto Sophia Aug., quam supra rebellantem dixerat, in gratiam imp. redierit, id omnino reticuit Paulus.

[i] Arabissum Cappadociæ oppidum patriam habuit Mauricius genere Romanus.

Digitized by Google

libus ornamentis [a] ei eam tradidit, [b] dicens : Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum; utere eo felix. memor semper ut æquitate et justitia delecteris. [c] Hæc postquam dixit, de hac luce ad æternam patriam [d] migravit, magnum luctum populis de sua morte relinquens. [e] Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in judiciis justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes d ligens, ipse quoque est dilectus a cunctis. Quo defuncto, Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad Circum processit, acclamatisque sibi [f] laudibus, [g] largitus populo munera, primus [h] ex Græcorum genere in imperio confirmatus est.

## CAPUT XVI.

*De regno Authari, et quanta securitas ejus tempore fuit.*

At vero Langobardi, cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem communi consilio Authari Clephonis filium supra memorati principis,

A [i] regem sibi statuerunt. Quem etiam ob dignitatem Flavium appellaverunt, quo prænomine omnes qui postea fuerunt Langobardorum reges feliciter usi sunt. Hujus in diebus ob restaurationem regni, duces qui tunc erant omnem substantiarum suarum medietatem regalibus usibus tribuunt, ut esse possit unde rex ipse, sive qui ei [j] adhærerent, [k] ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur. Populi tamen aggravati [l] per Langobardos hospites partiuntur. Erat sane hoc mirabile in regno Langobardorum, nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ. [m] Nemo aliquem injuste angariabat, nemo spoliabat. [n] Non erant furta, non latrocinia, unusquisque quo libebat securus sine timore pergebat.

B

## CAPUT XVII.

*Quomodo Childebertus Italiam introivit, sed facta pace discessit.*

Hoc tempore Mauricius imperator, Childeberto regi Francorum quinquaginta millia solidos [o] per legatos suos ob hoc direxit, ut cum exercitu super

[a] Al., *eidem nuptum dedit*. Lind. Chronicon Alexandrinum : « Data illi (nempe Mauricio) in uxorem a Tiberio novo Constantino filia Constantina, 14 Augusti. » Zonaras, annal. 14, Edit. Regiæ Paris., f. 72, addit Tiberium sentientem ex phthisi mortem sibi imminere Charitonem filiam Germano, Constantinam Mauricio in matrimonium dedisse, et utrumque Cæsarem appellasse. Inde Mauricium imp. coronari jussisse.

[b] Vi morbi non pronuntiavit ipse orationem Tiberius, sed ipsius jussu Joannes rhetor, qui quæstoris munere fungebatur : eam pluribus refert Zonaras lib. XVIII, cap. 6, elegantissimam sane pioque dignam imperatore, divus etiam Greg. Turon., unde Paulus C hæc habet, aliique plures.

[c] Aliis deest. Lind.

[d] Altera post orationem die.

[e] Sunt verba divi Greg. Turon., lib. VI, cap. 30.

[f] Al., *laudibus, et plausibus*. Lind. Exempla ejus rei abunde in Vitis imperatorum habentur. Corippus:

Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt,
Justino vitam ter centum vocibus optant.
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Mille canunt laudes vocum discrimine mille.
Justinum, Sophiamque pares duo lumina mundi
Esse ferunt : Regnate pares in sæcula, dicunt.
Felices annos dominis felicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandemque quievit.

Lind.

[g] Bis hoc fiebat in electione imperatoris a senatorii ordinis viro, vocabanturque ea *missilia* ἐπικόμβια. Curopalata : Ῥίπτονται εἰς τὸν λαὸν ἃ λέγουσιν ἐπικόμβια. Ἔστι δὲ τοιοῦτον. Τμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες, καὶ ἐν ἑκάστῳ τμήματι νομίσματα χρυσᾶ μὲν τρία, ἀργυρᾶ δὲ τοσαῦτα, καὶ τρία ἐξ ὀβόλων περιδήσαντες, ῥίπτουσιν εἰς τὸ πλῆθος. Lind. D

[h] Al., *in Græcorum imperio confirmatus*. Lind.

[i] Anno 586 cum Pagio Autharis electionem assigno, pluribus in diversam sententiam euntibus, qui ut subsequentium rerum chronologiam servare possint, annos ducum contra Pauli testimonium ad minorem numerum perstringere coguntur, vel, ut Sigonius et Baronius habent, ad antecedentem an. electionem retrahunt. Abbas Biclariensis, in Chronico. « Anno Leovigildi 13, Longobardi in Italia Regem sibi ex suo genere eligunt vocabulo Autharic, cujus tempore et milites Romani omnino sunt cæsi. » Annus vero Leovigildi 13, Chr. 586, minime respondet, si cum ipso Pagio numeretur. Eminentissimus Baronius ex divo Gregorio proximum Autharic electioni miraculum clavis sancti Petri narrat, quod subsequentibus fortasse annis accidit.

[j] Al., *aderant*. Lind. et Mod.

[k] Ex legibus Langobardis, quid simile conjicere licet, de tributis regi debitis, quæ tertio quoque anno in Palatium inferebantur, ut Gualla scribit. Quod et notasse memini virum eruditissimum Sinapium, editis in Arte medica libris laudatum, in suis mss. commentariis, in quos totius ferme antiquitatis selectissimos flores congessit. Eos excellentiss. comes Carolus Archintus genio doctrinaque sua servavit, et in florentissimam bibliothecam congessit. Sinapius enim frequenti litteratorum hominum infelicitate pressus, eo fortunæ injuria miseriarum venerat, ut in hoc Mediolanensi nosocomio vita functus, commentarios hosce suos, unicam hæreditatem, primis occupantibus reliquerit.

[l] Amb., *pro Langobardis hospitia*.

[m] *Nec aliquem injuste angariabant, neminem spoliabant*. Modoet. Glossarium, *Angaria* περιεργατία, ἀκουσία, ἐργασία. Inde angariare verbum, et angarianus, qui agrum locat, ut angariam accipiat, ut habetur in veteribus Glossariis, quæ docti viri de angariis et parangariis scripserunt non compilo, quia potius lectores ad eorum libros remitto. Lind.

[n] Adversus hæc eminentissimus Baronius, ann. 585 : « Hæc Paulus; sed Longobardus et ipse suæ genti nimium favit; non ita cæteri, qui hoc tempore vixere, præsertim vero Gregorius papa, qui sæpe ob ingentia ab eisdem scelera perpetrata, ipsos Longobardos gentem nefandissimam nominat, compluraque de iisdem refert, quæ contraria omnino iis quæ a Paulo narrantur esse noscuntur. » Non negaverim tamen sub Authario rege Langobardorum sævitiam temperasse novam regni formam, qua prioribus deprædationibus fortasse cessatum, cautumque ne Langobardos homo Italis, ut ante, molestus liberiori jure belli uteretur, quippe jam de retinenda Italia Langobardi cogitabant, captisque munitioribus urbibus, afflictaque universa gente merito sperabant. Nisi forte venientis in Italiam Childeberti fama perciti novum sibi præsidium sub uno rege paraverint, ac mitiores effecti Italos a Francis divertere tentaverint.

[o] Baronius ex Cedreno hanc Mauricii legationem ad Childebertum Francorum regem, ejusque in Italiam expeditionem, in anno tertio illius imperii narrat, eumque respondere asserit Chr. 588. Gregorius vero Turonensis in anno Childeberti regis nono, qui cum Pagio 584 respondet. Exstant apud Duchêne in

Digitized by Google

Langobardos irrueret, eosque de Italia extermina- A ret. Qui cum innumera Francorum multitudine in Italiam subito introivit. Langobardi vero in civitatibus communientes se, intercurrentibus legatis, oblatisque muneribus, pacem cum Childeberto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeasset, cognito imperator Mauricius quia cum Langobardis fœdus inierat, [a] solidos quos ei ob Langobardorum [b] detrimentum dederat repetere cœpit. Sed ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

## CAPUT XVIII.

*De expugnatione Brexelli, et de fuga Doctrulfi ducis.*

His ita gestis, Authari rex Brexillum civitatem, super Padi marginem sitam, expugnare aggressus est, in quam [c] Droctulf dux a Langobardis confugerat, seque partibus imperatoris tradens, sociatus militibus Langobardorum exercitui fortiter resistebat. [d] Iste ex Suavorum, hoc est, Alemannorum gente oriundus, inter Langobardos creverat, et quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occasionem ulciscendæ suæ captivitatis repperit, [e] contra Langobardorum illico arma surrexit. Adversus quem Langobardi gravia bella gesserunt; tandemque cum militibus, quos juvabat exsuperantes, Ravennam cedere compulerunt. [f] Brexillus capta est, muri quoque ejus ad solum usque destructi sunt. [g] Post hæc Authari rex cum Smaragdo patricio, qui tunc Ravennæ præerat, usque in annum tertium pacem fecit.

## CAPUT XIX.

*De morte Doctrulfi, et quali epitaphio honoratus est.*

Hujus sane Droctulft, de quo præmisimus, adminiculo, sæpe Ravennatium milites adversum Langobardos dimicarunt. Exstructaque classe Langobardos, qui [h] classe urbem tenebant, hac adjuvante pepulerunt. Cui cum vitæ explesset terminum, honorabile sepulcrum ante limina beati Vitalis martyris tribuen- B tes, tali ejus laudes epitaphio extulerunt:

> Clauditur hoc tumulo, [i] tantum sed corpore, Droctulf.
> Nam meritis tota vivit in [j] urbe suis.
> Cum [k] Bardis fuit ipse quidem, nam gente [l] Suavus:
> Omnibus et populis inde suavis erat.
> Terribilis visu facies, sed [m] mente benignus,
> Longaque robusto pectore barba fuit.
> Hic et [n] amans semper Romana et publica signa,
> Vastator gentis adfuit ipse suæ.
> [o] Contempsit charos, dum nos amat ille, parentes,
> Hanc patriam reputans esse Ravenna suam.
> Hujus prima fuit [p] Brexelli gloria capti.
> Quo residens cunctis hostibus horror erat.

sua collectione Scriptorum Francicorum epistolæ ad Childebertum regem directæ occasione istius expeditionis, et alterius, de qua noster infra: primas duas ad hanc pertinere judico, alteram ad postremam, de qua cap. 30. In iis legimus plura quæ noster prætermisit a Græcis contra Langobardos acta, expugnationem scilicet Mutinæ, Altini, ac Mantuæ, necnon deditionem Parmæ, Rhegii, et Placentiæ, dum Græci ad eas obsidendas proficiscerentur.

[a] Al., *solidorum*. Lind.

[b] Al., *expulsionem*. Lind.

[c] Al., *Droctrulfus*. Lind. et Modoet.

[d] Hæc verba non leg. Item sequentia: *Erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat: sed cum*. Lind.

[e] Modoet., *contra Langobardos illico in arma surrexit*.

[f] Modoet., *Brexillum vi capta est*.

[g] Pacem inter Autharium regem et Smaragdum præcessisse annum 586, argumento est epistola 1 Pelagii II, ad episcopos Istriæ, quam dicto anno datam communiter affirmant. In ea hæc leguntur:

« Pelagius, etc., dilectissimis fratribus Eliæ, aliisque episcopis, etc.

« Quod ad dilectionem vestram, fratres filiique charissimi, nostra tardius scripta dirigimus, non malevolæ voluntatis, aut dissimulationis, vel negligentiæ fuisse credatur; sed, sicut nostis, temporalis qualitas et hostilis necessitas hactenus impedivit. Nam sicut ait Dominus per prophetam: *Nunquid obliviscetur mulier filium uteri sui?* Non ergo credatur nos viscerum nostrorum divisionem non cum gravi fletu, ac gemitu doluisse; sed utinam, charissimi, illuminet Dominus oculos cordis vestri, ut nostri cordis gemitus pro vobis videre possitis. *Quis enim*, sicut ait beatus Apostolus, *infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Et alibi: *Quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Postea ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Christianissimorum principum, per labores, atque sollicitudinem filii nostri excellentissimi Smaragdi exarchi et chartularii sacri palatii pacem nobis interim vel quietem donare dignatus est, cum omni sollicitudine festinamus præsentia ad vos scripta dirigere, etc. »

Exstat ejusdem pontificis altera epistola de rebus Langobardicis ad Aunarium, sive Aunaharium, episcopum Altissiodorensem, ut asserit Sirmondus in sua Collect. concil. Gallican., qua dictum episcopum rogavit ut Francorum reges a Langobardorum con- C fœderatione divelleret, eaque ad superiora xxxvi ducum tempora revocanda est, ut pote data anno 580 vel sequenti, juxta lectionem Sirmondi. Ex ea cæterisque passim notatis evinces Paulum nostrum summis tantum labiis, ut est in dicterio, Langobardicam historiam gustasse, et maxima rerum gestarum momenta silentio præteriisse. Idque manifestius apparet ex altero veterum Græcorum insigne monumento his Mauricii temporibus inserendo ex Theophylacto, ac Theophane, quibus post clarissimam Romanorum de Persis victoriam ad Martyropolim, altera de Langobardis memoratur ad ipsam veterem Romam, ut appellant recentiorum temporum Græci scriptores: Ῥώμη δὴ, scribit Theophylactus, lib. III, cap. 4, Πρεσβύτις ταῖς τῶν Λογγοβάρδων ἀντεῖχεν ἐφόδοις, « Roma vetus Langobardorum impetus retundit, » et Theophanes, anno 580, secundum Alexandrinos, Τούτῳ τῷ ἔτει, μηνὶ Σεπτεμβ. ἰνδικτ. ς'. οἱ Λογγίβαρδοι κατὰ Ῥωμαίων πόλεμον ἤραντο, « Hoc tempore, mense Septembri, indictione sexta, Langobardi cum Romanis D bello confligunt. » Præcesserit vero inducias hoc capite memoratas hæc Romanorum victoria, etsi Græcorum characteres huic tempori non bene conveniant, probabilis fortasse conjectura.

[h] Amb., *Classem*.

[i] Al., *Droctulfus corpore solo*. Lind. Amb., pro *Droctulf*, *Doctron*.

[j] Al., *orbe*. Lind.

[k] Mod., *Vadis*. Al.:

> Ex validis fuit ipse quidem, nam gente Suava
> Ortus adhuc juvenis captus ab hoste fuit.
> Lind.

[l] Amb., *Suevus*.

[m] Al., *corda benigna*. Lind.

[n] Al., *arma sequens semper Romana*. Lind.

[o] Amb., *contemnit*.

[p] Amb., *Brexilli*.

Digitized by Google

Qui Romana potens valuit [a] post signa juvare
Vexillum primum Christus habere dedit.
Inde etiam retinet dum [b] classem fraude Feroaldus
Vindicet ut classem, classibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne [c] Badrino
[d] Bardorum innumeras vicit et ipse manus
Rursus et in terris Avarem superavit Eois.
Conquirens dominis maxima palma suis.
Martyris auxilio Vitalis fultus ad istos
Pervenit, victor sæpe triumphat ovans.
Cujus et in templis petiit sua membra jacere,
Hæc loca post mortem [e] bustis habere juvat.
Ipse sacerdotem [f] moriens petit ista Joannem,
His redit terris cujus amore pio.

## CAPUT XX.

*De sacerdotio Pelagii papæ, et errore Eliæ patriarchæ.*

Denique post Benedictum papam, [g] Pelagius Romanæ Ecclesiæ pontifex, absque jussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi. [h] Hic Pelagius Eliæ Aquileiensi episcopo, nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam beatus Gregorius, cum esset adhuc diaconus, conscripsit.

[a] Al., *præsigna*. Lind.

[b] Al.,

. . . . classem classibus arma
Armis opponit mœnia nostra diu.
Lind. et Mod.

[c] Mod. *Brandino*.

[d] Al.

Lango hic Bardorum vires contrivit opesque
Ipsorum titulis clarus ad astra datis
Martyris auxilio, etc.
Lind.

[e] Al., *fausta futura putans*. Lind.

[f] Al. :

. . . . moriens hæc dona petivit
Qui exaratis lætus ad astra abiit.
Lind.

[g] Anno 577, Pelagius ad pontificatum ascendit, ac de illius electione hæc habet Anastasius, unde fortasse Paulus : « Ordinatur absque jussione principis, eo quod Langobardi obsiderent civitatem Romanam, et multa vastatio ab eis fieret in Italia. »

[h] Aquileiensis schismatis historia, quam rebus Langobardicis Paulus noster intexuit, altius puriori e fonte repetenda, ne cum ipso in maximos errores, quos infra cum viris doctrina, et purpura clarissimis, Baronio nempe, ac Norisio, suis locis notabo. Damnato Pelagianorum principe Origene, qui Rufinum monachum Aquileiensem errorum propugnatorem in Occidente habuit, nova turbarum et calamitatum series incœpit. Quippe Theodorus Cæsareæ Cappadocum metropolita, cognomento Ascides, Origenis defensor acerrimus, Justinianum per summam fraudem decepit, suadens Acephalos ad subscribendam synodum Chalcedonensem adduci posse si tria tantum capitula, quibus offendebantur, corrigeret. Acephalorum gens « Alexandriæ nata erat (scribit Norisius); plurimi enim ab Alexandrino antistite, quod Chalcedonensem synodum admiserat rebellantes, cum sine capite dogmatizarent, Acephali dicebantur. » Capitula vero hæc proposuit Theodorus nempe : « Si damnetur Theodorus episcopus Mopsuestenus Nestorii magister, cujus laudes habentur in epistola Ibæ præsulis Edesseni in synodo Chalcedonensi recitata. » Dein : « Si prohibeantur libri Theodoreti contra XII capitula sancti Cyrilli in Ephesina synodo consecrata, quos libros Patres Chalcedonenses non condemnarant contenti dicto contra Nestorium a præsente Theodoreto anathemate. » Tandem : « Si rejiciatur memorati Ibæ epistola ad Marim Persam, in qua laudat Theodorum, sanctum Cyrillum accusat, ac Ephesinam synodum latæ citra examen præcipitis contra Nestorium sententiæ insimulat. Theodora Augusta, quæ palam Acephalis studebat, id ipsum Justiniano inculcat : « Sed eo consilio ut ubi semel Chalcedonensis concilii correctio in aliquibus fieret, jam universim ejusdem auctoritas collaberetur. » Annuit his princeps, atque anno 543, ut contendit Noris., primum hoc adversus tria capitula edictum emisit, cui subscripsere patriarchæ, renuente Stephano diacono Vigilii apocrisiario. Hinc jurgia et lites ac mox « divisa in partes Ecclesia, nam Oriens quidem edictum Justiniani receperat, Occidentales, Illyrici, Itali, Galli, Hispani, Africani, pro tribus capitulis depugnabant. » Motus ingentibus tumultibus imp. plena synodo quæstionem in regia urbe decidendam curavit, sub Acephalorum sectæ conciliandæ specie episcopos ad synodum sacris divalibus congregans, Vigiliumque pontificem ad se accersivit. Hic de urbe Roma in Siciliam navigans, et inde Constantinopolim, honore summo a Justiniano exceptus contra Acephalos decretum illico promulgavit, et Mennam Constantinopolitanum patriarcham a communione suspendit, quod plurimos episcopos ad subsignandum Justiniani decretum compulisset. Mox vero mutata sententia, ad eumdem judicatum scripsit, et propugnata hucusque tria capitula damnavit. Lætus imp. novo edicto hæc iterum publicavit, sed frementibus Occidentalibus Ecclesiis sero compertum est ex Vigilii judicato lites auctas, nullamque spem nisi in œcumenica synodo ad quam episcopi accedere jussi. Interim Vigilius judicatum e Mennæ manibus repetiit, quo integra Patribus in concilio causa foret, et trium capitulorum quæstioni velut induciæ factæ. At earum impatiens Theodorus librum contra tria capitula edidit, et imp. suasit, ut, recusantibus Occidentalibus ad synodum accedere, edictum ipse contra tria capitula publicaret, quod et fecit, Orientalibus episcopis factionis suæ præmio donatis, ac cæteris damnationi capitulorum minime subscribentibus exsilio multatis. Adversus hæc Vigilius, ut par erat, insurgens, in imp. iram incidit, quam ut vitaret e Placidianis ædibus ad ecclesiam sancti Petri in Ormisda confugit, indeque, accepto securitatis sacramento, in Placidianas ædes iterum rediit; sed cum violatam fidem in dies cognosceret, Chalcedonem transfretavit, rursusque accepta fide Constantinopolim revocatus a Justiniano mitius est habitus, et fidei professionem a Menna patriarcha, Theodoro Cæsareensi episcopo, aliisque ad bonam frugem redeuntibus, accepit, revocatis etiam imperatoris edictis, ut res integra ad synodum deferretur, quæ tandem anno 553 Constantinopoli est habita CLXV Patribus in ea sedentibus. Vigilius adesse recusavit, et scripto libello, quem vocant Constitutum, acta synodi exauctoravit, quod pari numero Patrum ex Oriente atque Occidente congregandam fuisse contenderet; sed annuente Justiniano cuncta in synodo V sunt absoluta, atque inter cætera, quæ longum esset hic recensere, tria capitula damnata. Mutata iterum sententia, Vigilius synodum approbavit, et constitutum aliaque prius pro tribus capitulis scriptis derogavit, ac postmodum Romam redux in itinere mortuus est.

Vigilio successor Pelagius, hujus nominis I, Justiniani persuasione tria capitula damnans in Italorum odium, ut Vigilii memoria, incidit, quia jam sibi plures persuaserant novo decreto sacrosanctæ Chalcedonensis synodi auctoritatem labefactari. Venetiarum, et Istriæ episcopi supra cæteros refragabantur, et schismate facto in partes secesserant, adeo ut Pelagius per Narsetem patricium, et præfectum vi cogere tentaverit repugnantes ad recipiendam synodum. At illi Narsetem ipsum diris devoverunt, quod supra notavi, et Paulino Aquileiensi patriarcha, ut Paulus habet, instigante, provincialem conventum habuere, atque in eo tria capitula a Chalcedonensibus Patribus non damnata a quoquam proscribi posse negarunt. Mortuo



Digitized by Google

## CAPUT XXI.

*De bello Childeberti contra Hispanos.*

Interea Childebertus, rex Francorum, bellum adversum Hispanos gerens, eosdem acie superavit. Causa autem hujus certaminis ista fuit. Childebertus rex Ingundem sororem suam Herminigildo, Lewigildi Hispanorum regis filio, in conjugium tradiderat. Qui Herminigildus prædicatione [a] Leandri episcopi [b] Hispalensis, atque adhortatione suæ conjugis, ab Ariana hæresi, qua pater suus languebat, ad catholicam fidem conversus fuerat, quem pater impius, in ipso sacrato paschali [c] Dei [d] securi percussum interemerat. Ingundis vero post mariti et martyris funus, de Hispaniis fugiens, dum Gallias repedare vellet, in manus militum incidens, [e] qui in limite adversum Hispanos,

A Gothosque residebant, cum parvo filio capta, atque [f] in Siciliam deducta est, ibique diem clausit extremum. Filius vero ejus imperatori Mauricio [g] Constantinopolim est transmissus.

## CAPUT XXII.

*De Francorum exercitu, qui in Italiam venit.*

Rursum Mauricius Augustus, legatos ad Childebertum mittens, [h] eum ut contra Langobardos in Italiam exercitum dirigeret persuasit. Childebertus existimans suam adhuc [i] germanam apud Constantinopolim vivere, legatis Mauricii acquiescens, ut suam posset sororem recipere, iterum adversum Langobardos Francorum exercitum ad Italiam direxit. Contra quos dum Langobardorum acies properarent, Franci et Alamanni dissensionem inter se habentes,

B

interim Justiniano, Justinus successerat, qui laceratas schismate provincias novisque in dies excitatas quæstiones videns, edictum fidei publicavit, optimo consilio, sed inani eventu, revocatoque de Italia Narsete schismatici Veneti animosiores facti, advenientibus Langobardis statim adhæserunt, ut hoc etiam armorum præsidio insolentius insurgerent, nullisque monitis Joannis III, qui Pelagio I successerat, Benedicti, et Pelagii II, ad bonam mentem revocari potuerunt, quanquam horum postremus in ipsos beneficentissimus fuerit ob translatam sedem in insulam Gradum, quod et Paulus narrat; probat enim Norisius in eadem Gradensi synodo, qua Pelagio acclamatum est, contra V synodum iterum a schismaticis episcopis juratum. Post hæc, pactis Langobardos inter et Smaragdum induciis, Pelagius ad schismaticos conversus modis omnibus eos ad Ecclesiam revocare curavit, pluresque dedit epistolas ad Eliam, quarum primam supra notavi, aliasque recitavit Baronius, eas vero a sancto Gregorio conscriptas Paulus noster testatur, etsi pontifex beatis. in suis epistolis, ubi de Pelagii notatis litteris mentionem facit, id modestiæ causa reticuerit.

Pelagius datis ad Eliam narratis litteris « cum surdis canere se intelligeret, abjecto calamo, armata manu cum schismaticis agendum ratus, » scribit Noris., contra eosdem Smaragdum patricium concitavit. Illi, vero datis Mauricio imp. precibus, id obtinuerunt per litteras ad Smaragdum datas, « ut nullatenus quemquam sacerdotum pro causa communionis inquietare præsumeret, » quæ sunt verba libelli ad imper. sub Gregorio transmissi, in quo cum legantur hæc : « Dum Smaragdus gloriosus chartularius Patrem nostrum sanctæ mem. Eliam archiepiscopum Aquileiensis Ecclesiæ pro causa ipsa pluribus contristaret, » manifesti erroris evincitur noster cum de Elia scribat « nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, » cum ipse pro tribus capitulis tuendis schisma foveret.

[a] Al., *Heleandri*. Lind. et Mod.

[b] Mod., *Hispanensis*.

[c] Amb., *die*.

[d] Hæc item narrat divus Gregorius cognomento Magnus, lib. III Dialog., cap. 31, et Gregor. alter Turonensis, Historiæ Franc. lib. V, cap. 39, qui hæc de Ingunde sancti Hermenegildi uxore : « Sed Ingundis Sigeberti regis filia cum magno apparatu in Hispanias directa ab avia Goisvintha (erat enim Brunichildis Sigeberti regis uxoris mater, quam ex Athanagildo rege priore marito susceperat) cum gaudio magno suscipitur, quam nec passa est in religione catholica diu commorari, sed ut rebaptizaretur in Ariana hæresi blandis cœpit sermonibus illicere, sed illa viriliter reluctans cœpit dicere : Sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam fuisse, et sanctissimam Trinitatem in una æqualitate esse confessam, etc. Hæc illa audiens, iracundiæ furore succensa, apprehensam per comam capitis puellam in terram collidit, et diu calcibus verberatam, ac sanguine cruentatam jussit exspoliari, et piscinæ immergi, sed, ut asserunt multi, nunquam animum suum a fide nostra reflexit.

[e] Al., *qui limitem Hispanum adversus Gothos protegebant*. Lind.

[f] In Africa periisse Ingundem scribit citat. Gregor. Turon., neque de illius fuga cum Paulo concordat. Scribit ille : « Igitur, ut superius diximus, Ingundis, a viro cum imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum principem cum filio parvulo duceretur, in Africa defuncta est, et sepulta. » Quæ divi Gregorii narratio, mea quidem sententia, vero propius accedit; constat enim a sancto Hermenegildo Constantinopolim ad Mauricium imp. sanctum Leandrum ablegatum fuisse, ut auxilia contra motam Arianorum persecutionem impetraret, ibique memoratum episco-
C pum cum divo Gregorio Magno amicitiam iniisse; idemque Turonensis Græcorum arma sancto Hermenegildo fœderata narravit, lib. V, cap. 39 hæc addens : « At ille (nempe Leuvichildus), datis præfecto imp. triginta mil. solidorum ut se ab ejus solatio revocaret, commoto exercitu contra eum venit; Hermenegildus vero, vocatis Græcis, contra patrem egreditur, relicta in urbe conjuge sua. Cumque Leuvichildus ex adverso veniret, relictus a solatio, cum videret nihil se prævalere posse, ecclesiam quæ erat propinqua expetiit, etc. » Cæterum sancti Hermenegildi martyrium superveniente paschalis festivitatis die, ut refert divus Gregor. M., contra Baronii sententiam, anno 585 recentiores assignant, testimonio potissimum ab. Biclariensis. Scribit ille : « Anno 3 Mauricii, qui est Leovegildi 17 annus, Hermenegildus in urbe Taraconensi a Sisberto interficitur. Franci Galliam Narbonensem occupare cupientes cum exercitu ingressi, etc. » Cujus expeditionis meminit etiam divus Gregor. Turon. dicto lib. VIII, cap. 28 :
D « Leuvigildus vero Hermenechildum filium suum, quem ante dicta mulier habuit, morti tradidit. Quibus de causis commotus Guntchramnus rex in Hispanias destinat, etc. » eoque loco notandum hanc quam Paulus Childeberto expeditionem tribuit, Gunthramno ejus patruo assignasse, nisi fortasse uterque in Hispanos irruit, et, ut Valesius contendit, duo fuerint post martyrium sancti Hermenegildi cum Hispanis Francorum bella. De Ariani Leuvigildi persecutione, vide Chronic. Gothorum Isidori æra 608.

[g] Vide in appendice ad histor. Franc. divi Gregor. Turonensis varias epistolas Childeberti et Brunichildis ad Athanagildum sancti Hermenegildi filium datas, atque ad imp. aliosque, cum ille Constantinopoli degeret, quibus antiquitatum peritissimi PP. congregationis sancti Mauri Editionem suam illustrarunt.

[h] Mod., *ei*.

[i] Mod., *sororem*.

Digitized by Google

sine ullius lucri conquisitione, ad patriam sunt reversi.

## CAPUT XXIII.

*De aquæ diluvio, et miraculo quod factum est in basilica sancti Zenonis.*

Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum et Liguriæ, seu cæteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempus creditur non fuisse. Factæ sunt [a] lavinæ possessionum, seu villarum, hominumque pariter et animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ sunt viæ, tantumque [b] Atesis fluvius tunc excrevit, ut circa basilicam beati Zenonis martyris [c], quæ extra Veronensis urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras aqua pertingeret, [d] licet beatus Gregorius, post papa, scripsit in eamdem basilicam [e] aquam minime introisse. Urbis quoque ejusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc [f] inundatio sexto decimo Kal. Novembris. Sed et tantæ coruscationes et tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æstivo tempore solent. Post duos quoque menses, eadem urbs Veronensium magna ex parte incendio concremata est. In hac diluvii effusione in tantum apud urbem Romam fluvius Tiberis excrevit, ut aquæ ejus super muros urbis influerent, et maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejusdem fluminis, cum multa serpentium multitudine, draco etiam miræ magnitudinis per urbem transiens, usque ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ tanta strage populum devastavit, ut de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium papam virum venerabilem perculit, et sine mora exstinxit. Deinde pastore interempto, sese per populos extendit [g].

## CAPUT XXIV.

*De pontificatu beati Gregorii, et clade quæ tunc Romæ facta est.*

In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius qui tunc levita erat, a cunctis generaliter papa electus est. Qui dum septiformem litaniam fieri ordinasset, intra unius horæ spatium, dum hi Dominum deprecarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes, spiritum exhalarunt. [h] Septiformis autem litania ideo dicta est, quia omnis urbis populus a beato Gregorio in septem partes deprecaturus Dominum est divisus. In primo namque choro, fuit omnis clerus; in secundo, omnes abbates cum monachis suis; in tertio omnes abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes laici; in sexto universæ viduæ, in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia jam ante aliquot annos [i] ejus Vitam, Deo auxiliante, texuimus, in qua quæcunque dicenda fuerant, juxta tenuitatis nostræ vires, universa descripsimus.

## CAPUT XXV.

*Quomodo beatus Gregorius Anglos convertit.*

Hoc tempore idem beatus Gregorius, [j] Augustinum, et Mellitum, et Joannem, cum aliis pluribus

[a] Al., *lacunæ*. Lind.
Glossæ Isidori: *Lavina lapsum inferens*, legitur etiam apud divum Hieronymum. Apud Diaconum quoque, in continuatione Historiæ Eutropii, lib. XVIII: « Factæ sunt lacunæ possessionum, seu villarum, » legendum « factæ sunt lavinæ possessionum, seu villarum. » Nam vulgata lectio plane corrupta. Lind.

[b] Mod., *Adcxis*.

[c] Mod., *atque confessoris*.

[d] Amb., *licet et sicut beatus Gregorius*, etc.

[e] Amb., *aqua minime introierit*.

[f] Al., *inundatio Kal. Novembris*. Lind. et Mod. De utraque Tiberis et Athesis inundatione divus Gregor. Magnus, lib. III Dialog., cap. 19, qui miraculum exundantium aquarum ad basilicam sancti Zenonis, præsente rege Autharico, factum asserit. Annum ex altero Gregorio Turonensi conjicere licet, lib. X, cap. 1. Scribit ille: « Anno 15 Childeberti regis (qui Christi 589) Diaconus noster ab urbe Roma cum sanctorum pignoribus veniens sic retulit, quod anno superiore mense nono tanta inundantia Tiberis fluvius urbem Romam obtexit, ut ædes antiquæ diruerent, horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla tritici modiorum millia periere. Multitudo etiam serpentum cum magno dracone in modum trabis validæ per hujus fluvii alveum in mare descendit, etc. » Eminentissimus Baronius draconem fuisse putat unam ex repentibus bestiis miræ magnitudinis quas Plinius boas appellat, aliquando in regionibus prope Tiberim visas.

[g] Hæc Paulus de Gregor. Turon., qui loco citato sequitur: « Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant: nam medio mense 11 adveniens primum omnium juxta illud quod in Ezechiele propheta legitur: *A sanctuario meo incipite*, Pelagium papam perculit; quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. » Pelagii vero pontificis obitum anno 590 pluribus firmat doctis. Pagius, in sua Critica, quæ mihi chronologiæ perpetuus filus, nisi aliter manifesta ratio suadeat.

[h] Anno 590, die 3 Septembris, divus Gregorius pontifex consecratus, crassante quidem inguinaria peste, quæ Pelagium sustulerat. Quæ de litaniis refert Paulus noster ab altero Gregorio Turonens. exscripsit, ut indicat ordo personarum et locorum unde septiformis litania ducta est, qui minime respondet alteri ab ipso Gregorio Magno distributo in suo sermone hoc tempore habito, cujus initium *Oportebat, fratres charissimi*, ut notavit eminentissimus Baronius, cui placuit conjectura repetitas fuisse ordine vario litanias, eaque de causa Gregoriis etiam ordinem varium notatum.

[i] Exstat adhuc divi Gregorii Magni Vita per Paulum nostrum descripta, quæ scriptis ejusdem sancti Pontificis præponitur in postrema castigatiori Editione PP. Benedictinorum sancti Mauri.

[j] Non uno eodemque tempore divus Gregorius Augustinum et Mellitum in Angliam misit. Exstant in Registro epist., lib. VI, indict. 14, anno Christi 596, plures divi Gregorii epistolæ, quibus Augustinum Theoderico et Theodeberto regibus Francorum, et Brunichildi reginæ, itemque variis Galliæ episcopis et abbatibus commendat. Quo tempore data etiam et altera ad episcopum Alexandrinum Eulogium, qua calamitates a Langobardis passas dolet his verbis: « Quanta autem nos a Langobardorum gladiis in quotidiana nostrorum civium deprædatione, vel detruncatione atque interitu, patimur, narrare recusamus, ne dum dolores nostros loquimur, ex compassione, quam nobis impenditis, vestros augeamus. » Libro vero XI, indict. 4, commendat Mellitum et Laurentium presbyterum ad Augustinum missos. Occasione dictarum epistolarum pluribus disputatum est, præcipue inter scriptores rerum Francicarum, at perbelle

Digitized by Google

monachis timentibus Dominum, in Britanniam misit, A eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertit.

### CAPUT XXVI

*De morte Eliæ patriarchæ, et sacerdotio Severi.*

Ilis diebus defuncto Elia Aquileiensi patriarcha, postquam quindecim annos sacerdotium gesserat, [a] Severus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Quem Smaragdus patricius veniens de Ravenna in Grados, per semetipsum a basilica extrahens, Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus ex Istria episcopis, id est, Joanne Parentino, et Severo, atque Vindemio, [b] nec non etiam Antonio jam sene Ecclesiæ defensore. Quibus comminans exsilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati episcopo trium capitulorum damnatori, B qui tempore papæ Vigilii, vel Pelagii, a Romanæ Ecclesiæ desciverat societate. Exempto vero anno, a Ravenna ad Grados reversi sunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri episcopi eos receperunt. Smaragdus patricius, [c] a dæmonio non injuste correptus, successorem Romanum patricium accipiens, Constantinopolim remeavit. Post hæc facta est synodus [d] decem episcoporum in [e] Mariano, ubi receperunt Severum patriarcham Aquileiensem dantem libellum erroris sui, quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ. Nomina vero episcoporum, qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hæc sunt: Petrus de Altino clarissimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, [f] Horuntinus Vicentinus, Rusticus de Tarvisio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius de [g] Lunensis. Cum patriarcha autem communicaverunt isti episcopi: [h] Severus, Parentinus, Joannes Patricius, Vindemius, et Joannes. Hac tempestate rex Authari ad Istriam exercitum misit, cui exercitui [i] Euin dux Tridentinus præfuit. Qui post prædas, et incendia, facta pace in annum unum, magnam pecuniam regi detulerunt. Alii quoque Langobardi in insula [j] Amacina Francionem magistrum militum, qui adhuc de Narsetis parte fuerat, et jam se per viginti annos continuerat, obsidebant. Qui Francio post sex menses obsidionis suæ Langobardis eamdem insulam tradidit, ipse vero, ut [k] optaverat, dimissus a rege, cum sua uxore et supellectile Ravennam properavit. Inventæ sunt in eadem insula divitiæ multæ, quæ ibi de singulis fuerant civitatibus commendatæ [l].

soluti sunt nodi in adjunctis notis ad easdem in laudata Edit. PP. Benedict. Vide etiam Pagium, anno 596.

[a] Defuncto Elia Aquileiensi patriarcha, Severus, ut narrat Paulus, ei successit, quem pro tribus capitulis acerrime pugnantem Smaragdus ad Gradum veniens in Ecclesia cepit, ac militari licentia injuriis et verberibus lacessitum secum Ravennam deduxit, C ubi coram archiepiscopo tria capitula damnare coactus fuit, atque una cum Severo Joannes Parentinus, Severus Tergestinus, ac Vindemius Cenetensis episcopus capti, qui et tria capitula damnare coacti. Ad pleniorem illustrationem præsentis capituli addam verba doctissimi Norisii: « Hic Pauli diaconi textus corrigendus, qui cum dicat tres episcopos cum Severo Ravennam deductos, postea in fine capitis Edit. Grotii eos veluti quinque recenset hoc pacto: Severus, Parentinus, Joannes Patricius, Vindemius, ac Joannes; nam ita prorsus legendum est: Severus Tergestinus, Joannes Parentinus, Vendemius. Idem vero scriptor ibidem ait de Smaragdo, vi illos in Joannis Ravennatis sententiam adegisse. Quibus, inquit, comminans exsilia, etc. Ita catholicum episcopum, ac Romanæ fidei vindicem, ob historiæ ignorantiam, ab apostolica sede rebellem fingit, etc. De hac Severi captivitate hæc scribunt schismatici ad Mauricium: Post hoc ordinato in sancta Aquileiensi ecclesia beatis, archiepiscopo nostro Severo, quæ contumeliæ illatæ sint, et quibus injuriis, ac cæde D corporali fustium, et qua violentia ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque redactus in custodiam, quibusve necessitatibus oppressus atque contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio pervenire. Ex quibus patet errare Sigonium, dum scribit Smaragdum ob captum vexatumque Severum a Mauricio ex Italia revocatum, dato eidem successore Romano patricio; nam schismatici hoc minime reticuissent, neque an factum imperatori innotuisset subdubitassent. Ms. Aquileiensia Smaragdum uti sacrilegum a dæmone invasum fuisse comminiscuntur, hæc enim schismatici publicabant, queis plebem in errore detinerent, etc. Interim ubi per Istriam ac Venetias vulgatum est Severum ac collegas Ravennæ tria capitula condemnasse, eorum præsentiam singuli quique fugiebant, nec ante communioni ecclesiasticæ admissi sunt, quam in synodo iterum pro tribus capitulis cautionem dato sacramento præstarent. Indicta autem fuit synodus Marani, quod munitissimum modo Venetorum oppidum est stagnis Adriatici maris fere circumdatum in Forojuliensi littore ad Celinam amnem situm. Decem episcopos eo convenisse scribit Paulus, etc. Nomina vero episcoporum in editis libris ita recensentur Petrus de Altino clarissimus, Ingenuinus, etc., ut supra. At si decem convenere, cur novem tantum schismaticorum nomina exprimuntur? Et hic error in Codicem irrepsit; nam clarissimus male apponitur ut epithetum Petro Altinati, est enim nomen episcopi Concordiensis, qui anno 529 alteri synodo interfuit. Itaque hoc pacto legendum: Petrus de Altino, Clarissimus de Concordia. Laurentius etiam Bellunensis dici debet, neque enim Lunensis episcopus in Liguria ad Macram erat suffraganeus Aquileiensis metropolitæ, et in altera synodo proxime habita scribitur Laurentius Bellunensis: est autem Bellunum Venetiæ urbs. Porro omnes fere illi episcopi synodo anni 529 nomen dederant. Tarvisinus tamen et Vicentinus tunc non adfuere, et Solario Veronensi Junior subrogatus fuerat.

[b] Cætera usque ad punctum aliis desunt. Lind.

[c] Mod., *a domino juste correptus*. Al., *Smaragdus autem patricius juste correctus*, etc. Lind.

[d] Τὸ *decem*, non legitur in Mod.

[e] Mod., *Mauriano*.

[f] Amb., *Horocius*. Mod., *Horontius*. Lind., *Herentius*.

[g] Amb., *Beldunensis, Maxentius Juleiensis, et Adrianus Polensis*.

Mod., *Velunensis, Maxentius Viliensis, et Adrianus Polesensis*.

Lind., *Velunensis, Maxentius Juliensis, et Adrianus Polensis*.

[h] Amb., *scilicet Severus*, etc.

[i] Al., *Eoinus*. Lind.

[j] Amb., *Amencina*, al., *Amacina*, al., *Comacina*, ut in Mod., quæ lectio castigatior, quippe sermo est de insula in Lario lacu xx mil. pas. ab urbe Como.

[k] Al., *obtulerat*. Lind.

[l] Gesta hæc omnia Carolus Sigonius anno 587 narrat; si vero pseudosynodum in Mariano sunt subsecuta, ut Paulus innuere videtur, ad subsequentes annos sunt revocanda.

Digitized by Google

## CAPUT XXVII.

*Quomodo rex Authari sororem Childeberti in matrimonium accepit.*

At vero Flavius rex Authari legatos ad Childebertum misit, petens ejus germanam suo matrimonio sociari. Cumque Childebertus, acceptis muneribus a Langobardorum legatis, suam germanam [a] eorum regi se daturum promisisset, advenientibus tamen Gothorum de Hispania legatis, eamdem suam germanam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam conversam fuisse cognoverat, repromisit.

## CAPUT XXVIII.

*Quomodo Franci in Italiam introierunt, et a Langobardis devicti sunt.*

Inter hæc legationem ad imperatorem Mauricium direxit, mandans ei ut quod prius non fecerat nunc contra Langobardorum gentem bella susciperet, atque cum ejus [b] consilio ab Italia removeret. Qui nihil moratus exercitum suum ad Langobardorum debellationem in Italiam direxit. Cui Authari rex et Langobardorum acies non segniter obviam pergunt, proque libertatis statu fortiter confligunt. [c] In ea pugna Langobardi victoriam capiunt, Franci vehementer cæsi, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam elapsi, vix ad patriam revertuntur. [d] Tantaque ibi strages facta est de Francorum exercitu, quanta nusquam alibi memoratur. Mirandum sane est cur Secundus, qui aliqua de Langobardorum gestis scripsit, hanc tantam eorum victoriam prætererierit, cum hæc quæ præmisimus de Francorum interitu in eorum historia hisdem ipsis pene verbis exarata legantur.

## CAPUT XXIX.

*Quomodo rex Authari in Bajoariam perrexit, ut suam sponsam videret.*

Flavius vero rex Authari legatos post hæc ad Bajoariam misit, qui Garibaldi eorum regis filiam sibi in matrimonium peterent. Quos ille benigne suscipiens, [e] Theudelindam suam filiam Authari se daturum promisit. Qui legati revertentes cum hæc Au-

A thari nuntiassent, ille per semetipsum suam sponsam videre cupiens, paucis secum, sed expeditis ex Langobardis adhibitis, unumque sibi fidelissimum, et quasi seniorem secum ducens, sine mora ad Bajoariam perrexit. Qui cum in conspectu Garibaldi regis, juxta morem legatorum, introducti essent, et is qui cum Authari quasi senior venerat, post salutationem, verba, ut moris est, intulisset, Authari cum a nullo illius gentis cognosceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens, ait: Dominus meus Authari rex me proprie ob hoc direxit, ut vestram filiam ipsius sponsam, quæ nostra domina futura est, debeam conspicere, ut qualis ejus forma sit, meo valeam domino certius nuntiare. Cumque rex hæc audiens filiam venire jussisset, eamque Authari, ut erat satis B eleganti forma, tacito nutu contemplatus esset, eique per omnia satis complacuisset, ait ad regem: Quia talem vestræ filiæ personam cernimus, ut eam merito nostram reginam fieri optemus, si placet vestræ potestati de ejus manu, sicut nobis postea factura est, vini poculum sumere præoptamus. Cumque rex id fieri debere annuisset, illa, accepto vini poculo, ei prius qui senior esse videbatur propinavit. Deinde cum Authari, quem suum esse sponsum nesciebat, porrexisset, ille postquam bibit ac poculum redderet, ejus manum, nemine animadvertente, digito tetigit, dexteramque suam sibi a fronte per nasum ac faciem produxit. Illa hoc suæ nutrici rubore perfusa nuntiavit. Cui nutrix sua ait: Iste nisi ipse rex et sponsus tuus esset, te omnino tangere non auderet. Sed C interim sileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim vera digna persona est, quæ tenere debeat regnum, et tuo sociari conjugio. Erat autem tunc Authari juvenili ætate floridus, statura decens, [f] candido crine perfusus, et satis decorus aspectu. Qui mox a rege commeatu accepto, [g] iter patriam reversuri arripiunt, deque Noricorum finibus festinanter abscedunt. Noricorum siquidem provincia, quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Suaviam, a Meridie Ita-

[a] Al., *eorum regi promisit, legationemque ad imperatorem*, etc. Anno 587, Autharis legationem ad Childebertum regem, ut Clodosuindam sororem sibi in matrimonium daret excepit, altera Reccaredi Gothorum regis, sancti Hermenegildi fratris, qui Leuvigildo patri successerat, regnumque institutione sancti Leandri ab Ariana peste purgaverat; ejus legationis meminit sanctus Gregorius Turon., lib. IX, cap. 16, 25 et 28. Unde repetere licet difficultates quas ob mortem Ingundis, quæ Reccaredo etiam imponebatur, datis decem solidorum millibus Brunichildi et Childeberto, legati sustulerunt. Clodosuinda vero an Reccaredo uxor fuerit, non bene liquet; Baddo enim regina ejus uxor in Toletano concilio subscripsit, nisi fortasse, ut Marianus, Rer. Hispan. lib. VI, cap. 1, asserit, ea mortua, Clodosuindam duxerit; at repugnant chronologicæ notæ dicti concilii, ut Pagius animadvertit.

[b] Amb., *consilio eos ab Italia*, etc.

[c] Al., *ita ut Langobardi vincerent omnes. Galli autem vehementer afflicti, etsi multi capti, plurimi tamen per fugam elapsi*. Lind.

[d] Hæc etiam de Childeberto in Italiam expediD tionem meditante narrat pluries cit. Gregor. Turon., lib. 9, cap. 20, additque Childebertum eidem Reccaredi legato Felici, quem ad Gunthramnum patruum ut de petito matrimonio deliberaret, ablegabat, in mandatis etiam dedisse, ut ab eo paranti sibi expeditionem in Italiam impetraret auxilia, ad quæ Gunthramnus: « Non possum, inquit, in Italiam exercitum meum dirigere, ut ultro eos morti tradam; gravissima enim lues Italiam nunc devastat. » Cohibere tamen non potuit ardentem ætate, atque desiderio juvenem, paternæ quippe ditioni recuperandæ inhiabat. De illius exercitus clade idem Gregor., lib. IX, cap. 25: « Commotis ducibus, cum exercitu illuc abeuntibus confligunt pariter. Sed nostris valde cæsis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi, vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit strages de Francorum exercitu, ut olim similis non recolatur. » Eaque clades communiter anno 588 notatur.

[e] Amb., *Teulindam*.

[f] Al., *flava cæsarie*. Lind.

[g] Al., *cum suis in Italiam reversus est, Noricorum finibus festinanter abscedens*. Lind.

Digitized by Google

liam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta. Igitur A Authari cum jam prope Italiæ fines venisset, secumque adhuc, qui eum deducebant, Bajoarios haberet, erexit se quantum super equum cui præsidebat potuit, et toto annisu securiculam, quam manu gestabat, in arborem quæ proximior aderat fixit, eamque fixam reliquit, adjiciens hæc insuper verba : Talem Authari [a] feritam facere solet. Cumque hæc dixisset, tunc intellexerunt Bajoarii, qui [b] cum eo comitabantur, eum ipsum regem esse Authari. Denique post aliquod tempus, cum, propter Francorum adventum, [c] perturbatio Garibal lo regi advenisset, Theudelinda ejus filia cum suo germano, nomine Gundoald, ad Italiam confugit, seque adventare Authari sponso nuntiavit. Cui statim ille obviam cum magno apparatu nuptias celebraturus in campo Sardis, qui supra B Veronam est, occurrens, eamdem cunctis lætantibus in conjugium Idus Maias accepit [d]. Erat autem tunc ibi inter cæteros Langobardorum duces, Agilulf dux Taurinensium civitatis. Quo in loco cum perturbato aere lignum quoddam, quod in regiis septis situm erat, cum magno tonitruorum fragore vi fulminis ictum fuisset, habebat tunc Agilulf quemdam de suis [e] aruspicem puerum, qui per artem diabolicam quid futurum portenderent ictus fulminum intelligebat, qui secrete cum Agilulf ad requisita naturæ resideret, eidem dixit : Mulier ista, quæ modo regi nostro nupsit, tua non post multum tempus conjux futura est. Quod ille audiens, caput se ejus amputaturum, si hac de re amplius quid diceret, comminatus est. Cui ille : Ego quidem, inquit, occidi possum, [f] sed fata nequeunt immutari, nam certe ad hoc ista in hanc patriam femina venit, ut tuis debeat nuptiis copulari. Quod ita quoque post factum est. Hoc tempore, quam ob causam incertum, Ansul cognatus regis Authari, apud Veronam est interfectus.

## CAPUT XXX.

*Quomodo iterum Francorum exercitus in Italiam venit.*

Hac etiam tempestate Grippo legatus Childeberti B regis Francorum, cum a [g] Constantinopoli [h] remeasset, et eidem regi suo quomodo honorifice ab imperatore Mauricio susceptus fuisset, nuntiasset, et quia injurias quas apud Carthaginem perpessus fuerat imperator ad voluntatem Chideberti regis [i] ultum iri [j] promisisset, Childebertus confestim iterato in Italiam exercitum Francorum cum viginti ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit. E quibus ducibus, [k] Andualdus, et Olo, et [l] Cedinus, eminentiores fuerunt. Sed Olo cum importune ad [m] Bili-

[a] Al., *ictum, seu feritam*. Lind. *Feritatem*. Amb. Ferita est plaga, sive ictus. Sic explicatur in legibus Langob., tit. III, § V, tit. X, § III.

[b] Mod., *cum eo erant et comitabantur eum, ipsum*, etc.

[c] Verebatur enim Childebertus ne Boji, qui ejus C tributarii erant, ea regum affinitate ad Langobardos desciscerent. Garibaldo Tassilonem successisse constat, incertum an ipse adveniente Childeberto ad Autharim fugerit, vel in bello perierit.

[d] Anno 589.

[e] Al., *aruspicinæ peritum*. Lind.

[f] *Sed fata nequeunt immutari*, hæc aliis desunt. Lind.

[g] Amb., *Constantinopolim*.

[h] Al., *Constantinopoli legatione perfunctus cum eidem regi*, etc. Lind.

[i] Mod., *ulturum se*.

[j] Hæc quæ Paulus more suo trunca narrat fusius recensenda. Childebertus ad Mauricium legatos direxerat Bodegisilum, Evantium, et Gripponem. Hi Carthaginem appulerant, atque unus e famulis Evantii monile mercatori abstulerat. Mercator cum sua precibus repetere non potuisset, vi famulum retinens, gladio ab eodem occisus est. Cognita cæde præfectus, D comitante militum caterva statim ad legatos venit, rixaque inter eos orta, legati Bodegisilus et Evantius a militibus occisi. Tum Grippo violata gentium jura, et pacis fœdera quærens, ad Mauricium venit, qui se legatorum Childeberti mortem ulturum promiserat. De frequentibus legationibus Childeberti ad Mauricium plura sunt monumenta in historiis Græcorum et Francorum.

[k] Al., *Aldoaldus*, et *Holo* ; et sic semper. Lind. et Mod.

[l] Greg. Turon., *Chedinus*.

[m] Ms., *Libitionis*. Lind. Philippus Cluverius, in sua Ital. antiqua, lib. I, cap. 14, ut Caninos campos et Billitionis oppidum certius investigaret, hæc de Gregorio Turonensi, quæ ad Pauli nostri illustrationem conducunt, repetiit : « His a Grippone Childeberto relatis (nempe quæ supra notavi), confestim exercitum in Italiam commoveri jubet, ac viginti duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Appropinquantes autem ad terminum Italiæ, Andovaldus cum VI ducibus dextram petiit, atque ad Mediolanensem urbem advenit, ibique eminus in campestria castra posuerunt. Olo autem dux ad Bilitionem hujus urbis castrum, in campis situm Caninis, importune accedens, jaculo sub papilla sauciatus cecidit, et mortuus est. Hi autem cum egressi fuissent in præda, ut aliquid victus acquirerent, a Langobardis irruentibus passim per loca prosternebantur. Erat autem stagnum quoddam in ipso Mediolanensium urbis territorio, quod Ceresium vocitant, ex quo parvus quidem fluvius, sed profundus egreditur. Super hujus laci littus Langobardos residere audierant. Ad quem cum appropinquassent, priusquam flumen, quod diximus, transierant a littore illo, unus Langobardorum, stans lorica protectus et galea, contum manu gestans, vocem dedit contra Francorum exercitum dicens : Hodie apparebit cui Divinitas obtinere victoriam præstet. Tunc pauci transeuntes contra Langobardorum hunc, decertantes prostraverunt eum, et ecce omnis exercitus Langobardorum in fugam versus præteriit. Hi quoque transeuntes flumen, nullum de iis reperiunt, nisi tantum recognoscentes apparatum castrorum, ubi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Cumque nullum de iis deprehendissent, ad castra sua re- D gressi sunt. Chedinus autem cum XIII ducibus lævam Italiæ ingressus V castella cepit, etc. » ut ex eodem auctore habet Paul. Addit vero Cluverius : « Hic igitur auctor situm Caninorum camporum clarius indicat. Namque Bilitio castrum, sive castellum, hodieque in radicibus alpium Rhæticarum supra lacum Verbanum, qui vulgo dicitur accolis Lago Maggiore ad Ticinum amnem situm, detorto paulum vocabulo dicitur Belizona, et Belinzona. Ducum igitur Childeberti regis ex Gallia cum exercitu profectorum Andovaldus dextro itinere, quod hodieque maxime frequentatur, ex Helvetiis per montem divi Gothardi, et vallem Lepontinam juxta Ticini ripam ad Bilitionem oppidum, sive castellum, atque inde Mediolanum venit. Chedinus vero lævo itinere per Grisonum, quos vocant, oppida, Curiam. et Clavennam, atque hinc per Larium lacum et Comum oppidum in ejusdem Mediolanensis urbis agrum pervenit, etc. »

Digitized by Google

tonis castrum accessisset, jaculo sub mamilla sauciatus cecidit, et mortuus est. Reliqui vero Franci cum egressi fuissent ad prædandum, a Langobardis irruentibus passim per loca singula prosternebantur. At vero Andualdus, et sex alii duces Francorum, ad Mediolanensium urbem advenientes, ibi [a] eminus in campestribus castra posuerunt. Quo loco ad eos imperatoris legati venerunt, nuntiantes adesse exercitum in solatio eorum, dicentesque : Quia post triduum cum eisdem veniemus. Et hoc vobis erit signum, cum videritis villæ hujus, quæ in monte sita est, domus incendio concremari, et fumum incendii ad cœlos usque sustolli, noveritis nos cum exercitu quem pollicemur adventare. Sed exspectantes Francorum [b] duces diebus sex juxta placitum, nullum ex iis quos legati imperatoris promiserant venisse contemplati sunt. Cedinus autem cum [c] tredecim ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, a quibus etiam sacramenta exegit [d]. Per Placentiam vero exercitus Francorum usque Veronam venerunt, et deposuerunt castra plurima per pacem [e] post sacramenta data, quæ se eis tradiderant, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum, quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt : Tesana, [f] Maletum, [g] Semiana, [h] Appianum, Fagitana, [i] Cimbra, Vitianum, Brentonicum, [j] Volenes, Ennemase, et duo in Alsuca, et unum in Verona [k]. Hæc omnia castra cum diruta essent a Francis, cives universi ab eis ducti sunt captivi. Pro [l] Ferruge vero castro, intercedentibus episcopis, Ingenuino [m] de A Savione, et Agnello de Tridentino, data est redemptio, pro capite uniuscujusque viri [n] solidi sexcenti. Interea Francorum exercitum, cum esset tempus æstivum, propter inconsueti aeris incommoditatem, dysenteriæ morbus graviter exagitare cœpit, quo morbo plures interierunt ex eis. Quid plura? Cum per tres menses Francorum exercitus Italiam pervageretur, nihilque proficeret, neque se de inimicis ulcisci posset, eo quod se in locis firmissimis contulissent, neque regem attingere valeret, de quo ultio fieret, qui se intra Ticinensem urbem munierat, [o] ut diximus, infirmatus aeris intemperantia, ac [p] fame constrictus, redire ad propria destinavit. Qui revertentes ad patriam, in tantum [q] famis penuriam perpessi sunt, ut prius vestimenta propria, insuper B etiam et arma, ad [r] coemendum victum præberent, quam ad genitale solum pertingerent [s].

## CAPUT XXXI.

*Quomodo rex Authari Beneventum perrexit.*

Circa hæc tempora putatur esse factum quod de Authari rege refertur. Fama est enim tunc eumdem regem per [t] Spoletium Beneventum pervenisse, eamdemque regionem cepisse, et usque etiam Regium extremam Italiæ civitatem vicinam Siciliæ perambulasse. Et quia ibidem intra maris undas columna quædam esse posita dicitur, usque ad eam equo sedens accessisse, eamque de hastæ suæ cuspide tetigisse dicens : [u] Usque hic erunt Langobardorum fines. Quæ columna usque hodie dicitur persistere, C et Columna Authari appellari [v].

[a] Amb., *omnes*.

[b] Amb., *Duces exercitum diebus*, etc.

[c] Ms., *tredecim millibus*. Lind.

[d] Amb., sequitur : *Pervenit etiam exercitus Francorum usque Veronam, et deposuerunt*, etc.

[e] Al. : *Post sacramenta autem data, gentes quæ se eis crediderant peremptæ sunt, nullum ab eis dolum existimantes*. Lind. et Mod.

[f] Al., *Maletumum*, *Sermosanum*. Lind.

[g] Mod., *Sermosana*. Amb., *Semiana*.

[h] Amb., *Api panii*.

[i] Al., *Cumbra*, *Britianum*, vel *Brixianum*. Lind. Mod., *Britianum*.

[j] Al., *Belones*, al., *Balonesene*, *Mase*. Lind et Mod. Amb., *Volaernes*.

[k] Ad hæc Cluverius, Ital. antiquæ lib. I, cap. 15 : « Ex his pleraque esse trans Athesim in Rhætorum agro, sequenti capite patebit. Pro istis vocibus Volenes, Ennemase, alia Exemplaria habent Balenefene et Mase. Ego fere conjecerim scriptum fuisse Volenes, et Malsesene : quorum illud trans Athesim postea monstrabo, in Benaci ripa media regione inter Brentinum, et Brentonicum, hodieque dicitur oppidum Malsesene. » Et infra, cap. seq. : « De Cimbra nihil plane liquet. Tesana vulgo hodie vocatur Tessina inter Feltriam et Tridentum. Medium his intercedit Vivianum in edito colle apud Brentæ ripam situm, ex cujus nomine colligo vitiosum esse apud Paul. Diac. vocabulum Vitianum, pro quo alia Exemplaria habent longe corruptius Brixianum ; nisi quod figura litteræ *X* propius accedit ad *U* quam *T*. Appianum supra Tridentum vulgo nunc appellatur Altiano. Semiana vulgo nunc inter Alsugam et Feltriam apud Cismonem amnem, dicitur Mean. Inter hoc et Feltriam est vicus vulgari vocabulo Faian ; is forte fuerit Facitana. Hinc vero Volenes is haud dubie vicus est, qui vulgo nunc apud Athesim supra Veronam prope Clusam, dicitur Volagne, et Volargne. Postremi illius loci, qui vocatur in vulgatis Pauli Exemplaribus in Ferruge, nescio an non corruptum sit vocabulum a vero genuinoque Verruca, » quod eidem Cluverio Castel della Pietra.

[l] Amb., *Femigero*.

[m] Al., *de Salvone, et Aginello de Tridento*. Lind. Ita Mod., cui *Agnello* Amb., *Saviano*. Cluver., capit. cit. : « Locus Sublabione, sive Sublavione, ex itineris ductu atque intervallo deprehenditur fuisse circa oppidum Brixen in citeriori Alpium latere ad flumen Aisacum situm, episcopatus titulo conspicuum Paulo Diac., Lang. Rer. lib. III, cap. 26. Episcopale his in oris memoratur oppidum Sabio, cujus vocabulum postea cap. 32 est Savio, etc. Est hodie oppidulum X circiter millia passuum a Brixena dissitum, D vulgari vocabulo Saben., unde episcopalem sedem translatam esse Brixenam annales horum locorum testantur. Is igitur locus extra controversiam est antiquum illud oppidulum Sabio, seu Savio. »

[n] Al., *solidus unus usque ad solidos sexcentos*. Modoet., Amb. et Lind.

[o] Al., *exercitus, ut dixi, labefactus aeris intemperie*. Lind.

[p] Mod., *fame constrictus exercitus*, etc.

[q] Al., *famis violentiam*. Lind.

[r] Ms., *comedendum*. Lind.

[s] Hæc pene ad verbum ex divo Greg. Turon., lib. X, cap. 3.

[t] Al., *Spoletum*. Lind. *Spoletinum*. Mod.

[u] Aliis deest. Lind.

[v] Ad hæc Camillus Peregrinius, in sua dissertat. *Quando ducatus Beneventanus sit institutus* : « Et quidem non est qui nesciat scriptores, si quando res parum, aut nil sibi exploratas enarrare contingat, famæ tunc illas tribuere, suamque solere deponere fidem ; quem morem a Paulo servatum (ut interim alterum

Digitized by Google

## CAPUT XXXII

*De Zottone primo Beneventorum duce.*

[a] Fuit autem primus Langobardorum dux in Benevento nomine Zotto, qui in ea principatus est per curricula viginti annorum [b].

## CAPUT XXXIII.

*Quomodo Authari rex legatos ad Guntramnum misit, et de ejus mirabili visione.*

Interea Authari rex legationem verbis pacificis ad Guntramnum regem Francorum, patruum scilicet Childeberti regis, direxerat, a quo legati iidem jucunde [c] suscepti, sed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi sunt, ut per ejus [d] nutum pax cum gente Langobardorum firmaretur [e]. Erat autem Guntramnus iste, de quo diximus, rex pacificus, et omni bonitate conspicuus. Cujus unum factum satis admirabile, libet nos huic nostræ historiæ breviter inserere, præsertim cum hoc Francorum Historia noverimus minime contineri. Is cum venatum quodam tempore in silvam isset, et, ut solet fieri, hac illacque discurrentibus sociis, ipse cum uno fidelissimo tantum suo remansisset, gravissimo somno depressus, caput in genibus ejusdem fidelis sui reclinans, obdormivit. De cujus ore parvum animal, in modum reptilis egressum, tenuem rivulum [f] propter discurrebat, ut transire posset, satagere cœpit. Tunc isdem in cujus gremio quiescebat spatham suam vagina exemptam super eumdem rivulum posuit, super quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeavit. Quod cum non longe exinde, in quoddam foramen montis ingressum fuisset, et post aliquantum spatii regressum, super eamdem spatham præfatum rivulum transmeasset, rursum in os Gunthramni de quo exierat introivit. Gunthramnus [g] post hæc expergefactus, mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim apparuisse sibi in somnis quod fluvium quemdam per pontem ferreum transisset, et sub monte quodam introisset, ubi multa auri pondera aspexisset. Is vero in cujus gremio caput tenuerat, cum dormisset, quid de eo viderat ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille, et inæstimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum [h] ciborium solidum miræ magnitudinis et magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulcrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in civitate [i] Cavallonno sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit, et est ibi usque in præsentem diem. Nec est usquam

ejus consilium dissimulem, de quo paulo post) haud difficili divino conjectura; certo enim certius noluit ille constanti sententia affirmare quod de columna Autharis vulgo blaterabant Beneventani figmentum, quæ quovis alio casu, sive a regis, sive ab alterius viri nomine, cum tale obtinuisset cognomen, ejusmodi fabulam somniarunt, ansam nacti opportunam, quoniam Langobardi universam fere possidentes Italiam, ultra fretum in Siciliam non trajecerunt unquam, atque suarum dynastiarum terminos defixis demonstraverunt columnis, aliquandoque ad Rhegium posita columna fines præscripsit regionis. » At hæc utcunque optimi judicii minime Paulo fidem abrogant; quinimo ex ipso Autharis tempore frequentiores postmodum Langobardis marchas repeterem.

[a] Non leg. in Modoet.

[b] Nullus in Paulo nostro locus occurrit qui gravius litteratis viris negotium dederit quam præsentis capituli; ex eo enim investigantes initium Beneventani ducatus in diversas quique sententias abierunt. Primus qui sibi quæstionem hanc proposuerit Antonius Caracciolus, in suo Propylæo ad IV chronologos ab ipso editos, nactus dubitandi occasionem ab Herchemperto, in catalogo ducum Beneventi, qui aperte tradit ab ipso anno 568, quo Langobardi cum Alboino rege Italiam sunt ingressi, Zotonis ducatum initium habuisse, et Leone Ostiensi, lib. I Chronic. Cassin., cap. 48, qui cum narret urbem eam a Symbaticio Græcorum patricio captam anno 891, addit ducatum Beneventanum durasse annis CCCXX, unde iis detractis de DCCCXCI, ad annum Christi 571 revolvebatur, eamque opinionem firmat argumento potissimum epistola divi Gregorii Magni ad Joannem Ravennatem episcopum, Indict. 10, quæ designat annum 592. Cumque in ea Aroges, qui Paulo Arichis, Zotonis in ducatu successor, nominetur, et ex Paulo constet eumdem a rege Agilulpho, ut est illius conjectura « non multo post quam ille regnum iniit, videlicet eodem anno 591, vel summum anno seq. 592, » concludit « non posse dari, ubi sane dandi sunt, duci Zotoni annos XX, nisi ab anno 592 retrocedendo deveniamus ad annum 571. » Non placuit hæc ratio Camillo Peregrinio, in citata sua dissert. de tempore institutionis ducatus Beneventani, utque Caraccioli fundamenta everteret, Leonis potissimum Ostiensis lectionem ex Ms. Casinensi dubiam fecit, asseruitque in Ms. Codice non 320, nec 318, sed trecentos triginta legi, ut in Veneta, et Parisiensi Editione. Hinc allatis Constantini Porphyrogenetæ verbis, lib. de Adm. imp., cap. 27, longius excurrit, atque ducatus institutionem ante adventum Alboini in Italiam vix audet affirmare, primos illos Langobardos Romanorum in exercitu Narsetis socios a Procopio memoratos auctores indicans. Eamque conjecturam viro acerrimi judicii miror tantum imposuisse, cum ex ipso Procopio exiguus illorum numerus appareat, et, quod magis est, idem auctor est extra Italiam ab ipso Narsete sub honoris specie fuisse amandatos, ne in sociorum res ulterius irrumperent. Utcunque tamen se res habeat, inclinat animus ad Caraccioli argumentum ex epistola divi Gregorii illius ævi scriptoris, quæcunque fuerit Ostiensis lectio, neque urgent ea quæ addit vir doctiss. ad Chronicon ducum Beneventi in sua comparatione annorum dictorum ducum cum æra Christiana, quippe nodos omnes jam ante solvit div. Benedictus Bacchinius, in Pontific. Raven., dissertat. de ætate Petri Senioris, etc., sua nova comparatione cum Camillo Peregrinio, quam vide. Inclinat etiam animus cum Caracciolo argumento Neapolitanæ obsidionis, quam supra notavi Tiberio Cæsare imperante, quia cognoscimus Langobardos in Transtiberinam Italiam excurrisse longe prius quam Paulus noster ex vulgi rumore sibi persuaserit.

[c] *Suscepti, ac ad Childebertum.* Amb. et Lind.

[d] Al., *votum*. Lind.

[e] Vide D. Gregor. Turon. lib. X, cap. 3.

[f] Mod., *qui prope.*

[g] *Post hæc de somno expergefactus.* Mod.

[h] Poculi genus est in modum foliorum colocasiorum factum, ut interpretatur scholiastes Horatii Porphyrio, ad illum serm. lib. II od. 7 versum:

Obliviosa lævia Massico
Ciboria exple

Hesychius, κιβώριον, αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου.

[i] Amb., *Cabilono*. Mod., *Cabillomno.*; Lind., *Cabillonensi*, ab ipso Gunthramno rege fundatum.

Digitized by Google

ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. Sed nos his breviter quæ relatu digna erant contactis, ad historiam revertamur.

## CAPUT XXXIV.

*De morte Authari regis, et de regno Agilulfi.*

Interim dum legati Authari regis in Francia morarentur, rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, ut tradunt, accepto [a] moritur, postquam sex regnaverat annos. Statimque a Langobardis legatio ad Childebertum regem Francorum missa est, quæ Authari regis mortem eidem nuntiaret, et pacem ab eo [b] expeteret. Quod ille audiens, legatos quidem suscepit, pacem vero in posterum se daturum promisit. Qui tamen præfatos legatos post aliquot dies promissa pace absolvit. Reginam vero Theudelindam, quæ satis placebat Langobardis, permiserunt in B regia consistere dignitate, suadentes ei [c] ut sibi quem voluisset ex omnibus Langobardis virum eligeret, talem scilicet qui regnum regere utiliter posset. Illa vero consilium cum prudentibus habens, Agilulfum A ducem Taurinatium, et sibi virum, et Langobardorum genti regem elegit. Erat enim isdem vir strenuus, et bellicosus, et tam forma quam animo ad regni gubernacula coaptatus. [d] Quem statim regina ad se venire mandavit, ipsaque ei [e] obviam ad Laumellum oppidum properavit. Qui cum ad eam venisset, ipsa sibi post aliquot verba vinum propinari fecit. Quæ cum prior bibisset, residuum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cum reginæ accepto poculo manum honorabiliter osculatus esset, regina cum rubore subridens, non debere [f] sibi manum osculari ait, quem osculum sibi ad os jungere oporteret. Moxque eum ad suum basium erigens, [g] ei de suis nuptiis, deque regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magna lætitia nuptiæ; suscepit Agilulfus, qui [h] erat cognatus regis Authari, incohante jam mense Novembris, regiam dignitatem. [i] Sed tamen congregatis in unum Langobardis, postea, mense Maio, ab omnibus in regnum apud Mediolanum levatus est.

[a] Mortuus Autharis rex, anno 590, quo divus Gregorius Magnus ad pontificatum evectus; exstat illius epistola ad universos Italiæ episcopos, indict. 9, ex qua impium Autharis regis edictum paulo ante quam moreretur cognoscimus. In ea legitur: « Quoniam nefandissimus Autharit in hac quæ nuper expleta est paschali solemnitate Langobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit; pro qua culpa eum divina Majestas exstinxit, ut solemnitatem Paschæ alterius non videret, etc. »

[b] Mod., *exspectaret.*

[c] Mod., *ut quem ipsa vellet.*

[d] *Cui regina statim ad se, ut mandarat venienti obviam ad Laumellum oppidum properavit, et accepto poculo vinum propinari fecit.* Lind.

[e] *Juxta se eum sedere fecit, atque post aliqua verba vinum*, etc. Lind.

[f] *Sibi manum, sed os osculari.* Lind.

[g] Al.: *deque regni dignitate adeunda decretum suum aperuit.* Lind.

[h] Mod., *fuit.* Amb., *fuerat.*

[i] Al.: *sed tunc paucis tantum congregatis in unum Langobardis, postea, mense Maio*, etc.

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quod Agilulfus rex pro captivis legatos in Franciam misit.*

C Confirmata igitur Agilulfi (qui et [a] Ago dictus est) regia dignitate, [b] causa eorum, qui ex castellis Tridentinis captivi a Francis [c] ducti fuerant, [d] Agnellum episcopum Tridentinum in Franciam misit. Qui exinde rediens aliquantos captivos, quos [e] Brunihildis regina Francorum ex proprio pretio redemerat, revocavit. [f] Evin quoque dux Tridentinorum ad obtinendam pacem ad Gallias perrexit, qua et impetrata regressus est.

## CAPUT II.

*De siccitate quæ eodem anno fuit, et de locustis.*

Hoc anno fuit siccitas nimium gravis a mense Januario usque ad mensem Septembrium, et facta est magna [g] penuria famis. Venit quoque et magna locustarum multitudo in territorium Tridentinum, quæ majores erant quam cæteræ locustæ. Hæ, mirum dictu, herbas [h] paludesque depastæ sunt, segetes vero agrorum exigue contigerunt. Sequenti quoque anno pari nihilominus modo adventarunt [i].

[a] Divo Gregorio Turonensi *Paulus* etiam nuncupatur lib. x, cap. 3: « Venere legati, inquit, mortuum Apthacarium regem nuntiantes, Paulumque in ejus locum substitutum, » indeque nominis mutationem factam putat eminentissimus Baronius, quod ad Catholicos veniens Agilulfus, ut infra narratur, hoc novum sibi assumpserit.

[b] Al., *ad redimendos eos qui Tridento captivi*, etc. Lind.

[c] Mod., *deducti.*

[d] Agnellus iste Tridentinus episcopus cum schismaticis in causa trium capitulorum Romano Pontifici Catholicisque adversabatur; Gradensi, et Maranensi pseudosynodis subscripsit, atque suggestioni schismaticorum ad Mauricium imp., ut notavit eminentissimus Norisius.

[e] Al., *Brunechildis.* Lind.

[f] Al., *Eoinus*, vel *Ennius.* Lind.

[g] Al., *penuria annonæ, et fames valida*, etc. Lind.

[h] Al., *fruticesque.* Lind.

D [i] Supplenda Pauli etiam hoc loco Historia ex Registro epist. divi Gregorii Magni; inter eas enim datas indictione 10 plures occurrunt quibus Ariulphi ducis in Romanos impetum sanctissimus pontifex dolet, eique modis omnibus occurrere tentat, epist. quæ in ordine novis. PP. Benedictinorum sancti Mauri tertia ad Velocem Magistrum militum data hæc scribit: « Et pridem expressimus gloriæ vestræ quia milites illuc erant parati venire; sed quoniam inimicos congregatos et huc discurrere epistola vestra significaverat, hæc eos hic causa retinuit. Nunc vero utile est visum ut aliquanti illuc milites transmittan

Digitized by Google

## CAPUT III.

*Quod rex Agilulfus Minulfum occidit, et de rebellatione Gaidulfi, et Ulfari.*

His diebus Agilulfus rex occidit [a] Minulfum ducem de insula [b] sancti Juliani, eo quod se superiori tempore Francorum ducibus tradidisset. [c] Gaidulfus vero Pergamensis dux in civitate sua Pergamo rebellans contra regem se communivit; sed datis obsidibus pacem [d] cum eo fecit. Rursum se Gaidulfus in insula Comacina reclusit. Agilulfus vero rex in eamdem Comacinam insulam ingressus, [e] homines Gaidulfi exinde expulit, et thesaurum, quem ibidem a Romanis positum invenerat, Ticinum transtulit, Gaidulfus vero iterato Pergamum confugiens, ibique ab Agilulfo rege [f] obtentus, rursus in gratiam receptus est. Rebellavit quoque dux [g] Ulfari contra Agilulfum regem apud Tarvisium, et obsessus captusque est ab eo.

## CAPUT IV.

*De peste apud Ravennam, et de bello Childeberti cum filio Hilperici.*

Hoc anno fuit [h] pestis inguinaria iterum apud Ravennam, Grados, et Istriam nimium gravis, sicut et prius ante triginta annos exstiterat. Hoc etiam tempore Agilulfus rex cum [i] Avaribus pacem fecit. Childebertus quoque bellum gessit cum consobrino suo [j] Hilperici filio, in quo prælio usque ad triginta millia hominum cæsa sunt. Fuit autem tunc hiems frigida nimis, qualem vix aliquis prius recolebat fuisse. In regione quoque Brionum sanguis de nubibus fluxit. [k] Et interim fluvii quasi rivuli cruoris emanaverunt.

## CAPUT V.

*Quod Codicem dialogum beatus Gregorius Theudelindæ reginæ direxit.*

His diebus sapientissimus et beatissimus papa Gregorius [l] Romanæ urbis, postquam alia multa ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ scripserat, etiam libros quatuor de Vita sanctorum [m] composuit, quem Codicem

tur, quos gloria tua admonere, et hortari, ut parati sint ad laborem studeat. Et occasione inventa, cum gloriosis filiis nostris Maurilio et Vitaliano loquere, et quæcunque vobis, Deo adjutore, pro utilitate reipublicæ statuerint, facite. Et si huc vel ad Ravennates partes nec dicendum Ariulphum cognoveritis excurrere, vos a dorso ejus ita sicut viros decet fortes laborate, quatenus opinio vestra ex laboris vestri qualitate amplius in republica, Deo auxiliante, proficiat, etc. » Altera vero in ordine 29, ad ipsos Maurilium et Vitalianum data, qua sibi Ariulphum ad urbem Romam excurrere nuntiatum fuisse scribit, idipsum hortatur ut a tergo insistant, et sequenti 30 ad eosdem de dubia Suanensium fide, quos ad Ariulphum descivisse argumento erant ipsius Langobardi ducis litteræ, sedulo monet, paratumque illius exercitum si ad Urbem excurrere cognoverint, ut loca ducis deprædentur invitat. Et in quadragesima sexta, ad Joannem Ravennatem episcopum, idipsum lacrymis repetit scribens : « Quod multis scriptis vestræ beatitudinis minime respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate, quia, peccatis meis facientibus, eo tempore quo Ariulphus ad Romanam urbem veniens, alios occidit, alios detruncavit, tanta mœstitia affectus sum, ut in colicam molestiam caderem. » Nec sola ducis Ariulphi sævitia sanctum pontificem dolore maximo afficiebat ; sequitur ille in dicta epistola, quæ supra cæteras Romanæ rei hoc tempore faciem exhibet : « Valde autem mirabar quid esset quod illa mihi notissima sollicitudo vestræ sanctitatis huic urbi meisque necessitatibus minime prodesset; sed scriptis vestris discurrentibus, agnovi vos quidem sollicite agere, sed tamen apud quem agere possitis non habere. Peccatis ergo hoc meis deputo, quia iste qui nunc interest, et pugnare contra inimicos nostros dissimulat, et nos facere pacem vetat (Romanum patricium intelligit); quamvis jam modo, etiamsi velit facere, omnino non possumus, quia Ariulphus exercitum Authari et Nordulphi habens eorum sibi dari precaria desiderat, ut nobiscum aliquid loqui de pace dignetur, etc. » Et infra : « Si quando tamen est aliquis cum eo (nempe Romano patricio) locus obtinendi, agat apud eum fraternitas vestra, ut pacem cum Ariulpho, si ad aliquid parum possumus faciamus, quia miles de Romana urbe tultus est, sicut ipse novit. Theodosiaci vero qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant, et destituta ab omnibus civitas, si pacem non habet, quomodo subsistet? » Et infra : « De Neopolitana vero urbe excellentissimo Exarcho instanter imminente vobis indicamus, quia Arigis, ut cognovimus, cum Ariulpho se fecit, et reipublicæ contra fidem venit, et valde insidiatur eidem civitati, in quam si celeriter dux non mittatur, omnino jam inter perditas habetur. » Ariulphum vero eumdem illum fuisse Spoletinorum ducem seq. cap. 27 a Paulo memoratum ambigi non posse crediderim, illiusque victoriam ad Camerinum hæc omnia subsecutam fuisse.

[a] Al., *Menulfum*. Lind.

[b] Al., *sancti Julii*. Lind.

[c] Al., *Gandulfus vero Bergomensis dux in civitate sua Bergomo*. Lind.

[d] Al., *cum rege*. Lind.

[e] Al., *auxiliari Gaidulfi*. Lind. Homines hic eo significatu accipiendi quo apud jur. consult. Sic apud Capitolinum, in Pertinace : « Tam lucri cupidus fuit, ut apud vada Sabatia mercaturas exercuerit imperator per homines suos, non aliter quam privatus solebat. » Sic apud Symmachum *homo meus*, epist. 27, lib. III, epist. 54, lib. V. Vide D. Cujacium, Observationum lib. VIII, cap. 14. Lind.

[f] Al., *captus*. Lind.

[g] Al. : *Ulfaris dux Tarvisinus contra Agonem, seu Agilulfum*. Lind.

[h] Pluries inguinariam pestem per varias Italiæ regiones grassatam fuisse, tum ex Paulo nostro, cum ex aliis nostrarum rerum scriptoribus liquido constat.

[i] Al., *Abbaribus*, et sic infra. Lind.

[j] Al., *Chilperici*. Lind.

[k] Al. : *Et intra Rheni fluvii aquas rivulus cruoris emanavit*. A. et L. Al., *et interni fluvii rivulus aquas cruoris emisit*. Al., *et Maternæ fluvii*, etc. Lind.

[l] Al., *Rom. urbis episcopus*. Lind.

[m] Anno scilicet æræ Christianæ 593, vel 594, ut ex ipso Dialogorum libro desumitur ; lib. enim III, cap. 19, legimus : « Ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est. » Et lib. IV, cap. 26 : « In ea quoque mortalitate, quæ ante triennium hanc urbem vehementissima clade vastavit. » Inundationem ex divo Gregor. Turonensi anno 589, et inguinariam pestem 590 notavi ; unde varias has temporum notas minime accommodaveris, nisi protracta longius peste, extrema illius tempora sanctissimum pontificem intellexisse credideris. Alteram vero chronologicam notam habemus ex epist. ejusdem sancti pontif. ad Maximianum episcopum Syracusanum, qua scribens « aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta, » eumdem

Digitized by Google

Dialogum, id est, duorum locutionem, quia eum colloquens cum suo diacono Petro ediderat, appellavit. Hos igitur libros præfatus papa Theudelindæ reginæ direxit, quam sciebat utique et Christi fidei deditam, et in bonis [a] actibus esse præcipuam.

## CAPUT VI.

*De bonis actibus ejusdem Theudelindæ reginæ.*

Per hanc quoque reginam multum utilitatis Dei Ecclesia consecuta est. Nam pene omnes ecclesiarum [b] substantias Langobardi, dum adhuc gentilitatis errore tenerentur, invaserunt; sed hujus salubri supplicatione rex permotus, et catholicam fidem tenuit, et multas possessiones Ecclesiæ Christi [c] largitus est, atque episcopos, qui in depressione et abjectione erant ad dignitatis solitæ honorem reduxit.

## CAPUT VII.

*Quod Tassilo a Childeberto Francorum rege rex ordinatus est.*

His diebus [d] Tassilo a Childeberto rege Francorum apud Bajoarium [e] rex [f] ordinatus est. Qui mox cum exercitu in Sclavorum provinciam introiens, patrata victoria, ad solum proprium cum maxima præda remeavit.

## CAPUT VIII.

*Quod Romanus patricius civitates quas Langobardi tenebant invasit, et quia rex Agilulfus Maurisionem ducem occidit, et quia cum beato Gregorio et Romanis pacem fecit.*

Hac etiam tempestate Romanus patricius et [g] exarchus Ravennæ, Romam properavit. Qui dum Ravennam revertitur, [h] recepit civitates, quæ a Langobardis tenebantur, quarum ista sunt nomina: Sutirum, Polimartium, [i] Horta, Tudertum, Ameria, [j] Perusia, Luceolis, et alias quasdam civitates. Quod factum cum regi Agilulfo nuntiatum esset, statim Ticino egressus cum valido exercitu civitatem Perusium petiit, ibique per dies aliquot [k] Maurisionem ducem Langobardorum, qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, et sine mora captum, vita privavit. Hujus regis adventu in tantum [l] beatus Gregorius papa exterritus est, ut ab expositione templi, de quo in Ezechiele legitur, desisteret, sicut ipse quoque in suis homiliis refert. Rex igitur Agilulfus [m] rebus compositis, Ticinum repedavit. Nec multum post, suggerente maxime Theudelinda regina, sua conjuge, sicut eam beatus Gregorius suis epistolis sæpius admonuit, cum eodem sanctissimo papa Gregorio, atque Romanis, pacem firmissimam pepigit, eidemque reginæ idem venerabilis sacerdos, [n] pro gratiarum actione, hanc epistolam direxit.

## CAPUT IX.

*Epistola beati Gregorii ad Theudelindam reginam.*

« Gregorius Theudelindæ reginæ Langobardorum.

« Quia excellentia vestra ad faciendam pacem studiosius, et benigne se sicut solet impenderit, renuntiante filio nostro Probo abbate, cognovimus. Nec enim aliter de Christianitate vestra confidendum

rogat ut ea quorum meminit indicet; cumque data sit ea epistola indict. 11 subsequenti anno editos Dialogos optime conjicitur.

[a] Al., *artibus*. Lind.

[b] Mod., *sublimitates*.

[c] Exstat adhuc diploma regis Agilulphi in tomo V Bullarii Cassinensis, et apud Ughellum, in sua Italia sacra, quo sancto Columbano abbati et sociis habitantibus ad basilicam sancti Petri in valle Bobiensi possidenda cessit ab omni parte per circuitum milliaria quatuor, sive culto, sive inculto. « Datum Mediolani, in palatio, sub die IX Kal. Aug., regni nostri felicissimi octavo, per indictione quinta. » In his tamen chronologicis notis errorem irrepsisse dicendum est; nam si Agilulphus, ut Paulus noster supra cap. ultimo libri tertii scribit, suscepit inchoante jam mense Novembri regiam dignitatem; sed tamen congregatis in unum Langobardis, postea, mense Maio, ab omnibus in regnum apud Mediolanum levatus est, utcunque illius regni epoche initium habeat, vel ab inchoata, vel a confirmata regia potestate, octavus regni ejus annus in indictionem quintam incidisse non potuit; ex epistola enim divi Gregorii liquido constat postremum Pascha vivo Authario rege celebratum ad annum 590 esse referendum, eoque anno octava indictio decurrebat; quamobrem Agilulphus post Septembrem, inchoata jam indictione nona, et suscepit regnum, et in eo fuit confirmatus, atque inde si numerus annorum regni ejus ad octavum ducatur, in indictionem primam, non vero quintam, ut in Editis legitur, veniemus. Exstant etiam alia regis Adaloaldi diplomata, quibus hoc Agilulphi confirmatur, eaque infra notabimus.

[d] Mod., *Taxillo*.

[e] Tò *rex* non leg. in Amb.

[f] Anno scilicet 595, ut Sigebertus, et Hermannus Contractus in Chronico.

[g] Glossarium Græcolatinum, ἔξαρχοι, *proceres*, *principes*. Lind. Exarchi appellatio viris eruditis quasi ἐκ τοῦ ἄρχοντος, a *principe*. Summi fuit nomen magistratus, qui vices imperatoris in provinciis gerebat, legimus *exarchos Italiæ*, *Africæ*, etc. Exarchus Italiæ Ravennæ residebat, unde fuit etiam appellatus. Longinus a Justino imperatore contra Langobardos missus primus hoc nomen in Italia et auctoritatem habuit.

[h] Mod., *retinuit*.

[i] Ms., *Hortestuder*. Al., *Hortam Faider*. Lind.

[j] Al., *Perusium*. Lind.

[k] Al., *Mauritionem*. Lind. et hoc.

[l] Divi Gregorii verba præfat. in lib. II super Ezechielem: « Quia multis curis prementibus Ezechielis prophetæ librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis desideriis placuit parere, ut saltem extrema ejus visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ et cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est. Sed duo sunt quæ hac in re perturbant animum meum, unum quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Langobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padum transisse cognovimus; unde pensate, fratres charissimi, in caliginosis et mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera timoris sui perturbationibus occupata, etc. » Recitata vero homelia 22, hæc ait: « Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero, quia, sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreverunt. Undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interempti nuntiantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ, etc. »

[m] Al., *exstincto Mauricione*. Lind. et Mod.

[n] Amb., *gratia religionis*.

Digitized by Google

fuit, nisi quia in causa pacis laborem et bonitatem vestram omnibus monstraretis. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor vestrum sua pietate regit, ut sicut fidem rectam tribuit, ita quoque placita sibi vos semper operari concedit. Non enim, excellentissima filia, de sanguine qui ab utraque parte fundendus fuerat, parvam te credas adquisisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorum vobis vicem in corpore et anima, hic et in futuro compenset. Salutantes vos præterea paterna dilectione, hortamur ut apud excellentissimum conjugem vestrum illa agatis, quatinus Christianæ reipublicæ societatem non renuat. Nam sicut et vos scire credimus, multis modis est utile, si se ad ejus amicitiam conferre voluerit. Vos ergo more vestro quæ ad gratiam partium pertinent semper studete, atque ubi causa mercedis se dederit, elaborate, ut bona vestra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis. »

## CAPUT X.

*Item ejusdem epistola ad Agilulfum regem.*

« Gregorius Agilulfo regi Langobardorum.

« Gratias excellentiæ vestræ [a] refero, quia petitionem nostram audientes, [b] pacem, quam utrisque esse partibus credebamus profuturam, sicut de vobis confidentiam habuimus, ordinastis, ex qua re excellentiæ vestræ prudentiam et [c] bonitatem valde laudamus, quia pacem diligendo, Deum vos, qui auctor est ejus, amare monstrastis. Nam si (quod absit) facta non fuisset, quid agi [d] debuit, nisi ut cum peccato, et periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisque proficit, funderetur. Sed ut prodesse nobis eamdem pacem quemadmodum a nobis facta est, sentiamus, paterna charitate vos salutantes, petimus ut, quoties occasio se dederit, ducibus vestris per diversa loca, et maxime in his partibus constitutis, vestris præcipiatis [e] exemplis, ut hanc pacem sicut [f] promissum est pure custodiant, et occasiones sibi aliquas non quærant, unde aut contentio quædam aut [g] ingratitudo nascatur, quatenus voluntati vestræ [h] gratias agere valeamus. Latores vero præsentium litterarum, sicut revera homines vestros, in eo quo decuit affectu suscepimus, quia justum fuit ut viros sapientes, et qui pacem factam Deo propitio nuntiarunt, cum charitate et suscipere, et dimittere deberemus [i]. »

## CAPUT XI.

*De stella comete, et morte Joannis episcopi, et Evin ducis, et de Bajoariis.*

Inter hæc sequenti mense Januario, apparuit stella cometa mane et vespere per totum mensem. [j] Eo quoque temporis mense defunctus est Joannes archiepiscopus Ravennæ, cujus in locum [k] Marianus civis Romanus substitutus est. Evin quoque duce in Tridento mortuo, datus est eidem loco dux Gaidoaldus vir bonus, ac fide catholicus. Hisdem ipsis diebus Bajoarii usque ad duo millia virorum super Sclavos irruunt, superveniente [l] Cacano omnes interficiuntur. Tunc primum caballi silvatici, et bubali in Italiam delati, Italiæ populis miracula fuerunt.

## CAPUT XII.

*De morte Childeberti Francorum regis, et de bello Avarorum cum Francis, et de transitu Guntramni regis.*

Hac etiam tempestate Childebertus rex Francorum ætatis anno vigesimo quinto cum uxore propria, sicut fertur, vi veneni [m] exstinguitur. Huni quoque,

[a] Mod., *referimus.*

[b] Mod., *pacem, quæ utrisque est partibus profutura*, etc.

[c] Al., *veritatem*. Lind.

[d] Al., *habuit*. Lind.

[e] Lind. et Mod., *epistolis.*

[f] Amb., *summopere.*

[g] Al., *seditio*. Lind.

[h] Mod., *debuit.*

[i] Ex registro epist. divi Gregorii apparet has datas indictione 2. At si sequenti mense Januario apparuit stella cometes, et Joannes archiepiscopus Ravennæ mortuus est, isque anno 595, ut Baronius, et ex Agnello Bacchinius contendit, e vivis sublatus est, ad superiores annos firmata Langobardos inter et Romanos pax esset revocanda. Minime vero acceptam hanc chronotaxin everterem argumento potissimum alterius epistolæ ejusdem sancti pontificis ad Innocentium Africæ præfectum, lib. x, datæ subsequente indictione 3, in qua scribit: « Cognoscentes igitur quale studium in præparandis dromonibus gesseritis, sollicitudinem vestram desiderato nuntio relevamus, indicantes cum Langobardorum rege usque ad mensem Martium futuræ quartæ indictionis, de pace, propitiante Domino, convenisse. Quæ si retineatur ignoramus, quia idem rex obiisse postea nuntiatus est, licet adhuc habeatur incertum. » Cumque in ea pacem ad proximam quartam indictionem sancitam fuisse aperte constet, datas etiam antecedenti 2 gratulatorias ad Agilulphum et Theodolindam necessario dicendum est ex brevitate temporis, qua nondum constabat de valetudine regis. Ex ea etiam epistola cognoscimus pacis conditiones, quas minime Paulus recensuit, eamque fuisse pretio comparatam ex eodem lib. epist. facile quis arguet, atque ad id fortasse respiciunt ea quæ ad Constantiam Augustam scribit: « Viginti autem jam et septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita et in hac urbe ex causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ uno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Langobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione, etc. » Quantum vero laboris, et studii impenderit sanctissimus pontifex ad eam, reluctantibus Græcis, comparandam, plures aliæ indicant epist., quas longum esset hic recitare.

[j] Amb., *eo quoque tempore.*

[k] Ita etiam appellatur in decreto Gratiani, cæteris Marinianus. Defuncti Joannis Romani nepos. Exstant ad utrumque plures divi Gregorii epistolæ, quas omnes diligenti cura recensuit vir clar. Bacchinius, ad Pontif. Ravenn.

[l] Amb., *Cacano rege.*

[m] Anno videlicet labente 596, ut ex epistolis divi Gregorii ad Theodericum et Theodebertum ejus filios

Digitized by Google

qui et Avares dicuntur, a Pannonia in Thuringiam ingressi, bella gravissima cum Francis gesserunt. Brunichildis tunc regina cum nepotibus adhuc puerulis [a] Theudeberto et Theuderico regebat Gallias, a quibus accepta Huni pecunia, revertuntur ad propria. Mortuus quoque est Gunthramnus rex [b] Francorum, regnumque illius Brunichildis regina suscepit, cum nepotibus adhuc parvulis filiis Childeberti.

## CAPUT XIII.

*Quia Cacanus legatos ad Agilulfum misit, et de pace cum Gallicino patricio.*

Per id tempus Cacanus rex Hunorum legatos ad Agilulfum Mediolanum mittens, pacem cum eo fecit. Romanus quoque patricius moritur, cui Gallicinus successit, et cum Agilulfo rege pacis concordiam iniit.

## CAPUT XIV.

*De pace Agilulfi cum Francis, et de morte Zangrulfi et Warnecautii.*

[c] Hoc etiam tempore Agilulfus cum Theuderico rege Francorum pacem perpetuam fecit. Post hæc Agilulfus rex rebellantem sibi Zangrulfum Veronensium ducem exstinxit. [d] Gaidulfum quoque Pergamensem ducem, cui jam bis pepercerat, peremit: pari etiam modo et [e] Warnecautium apud Ticinum occidit.

## CAPUT XV.

*De peste apud Ravennam, et mortalitate apud Veronam.*

Subsequenti tempore rursus Ravennam et eos, A qui circa oram maris erant, pestis gravissima vastavit. Sequenti quoque anno mortalitas valida populos Veronensium attrivit [f]

## CAPUT XVI.

*De signo sanguineo in cœlo, et bello Francorum inter se.*

Tunc etiam signum sanguineum in cœlo apparuisse visum est, et quasi hastæ sanguineæ, et lux clarissima per totam noctem. Theudibertus rex Francorum eo tempore cum [g] Clotario patruele suo [h] bellum gerens, ejus exercitum vehementer afflixit.

## CAPUT XVII.

*De morte Ariulfi ducis Spoletani, et de ducatu Thudelapii.*

Sequenti anno Ariulfus dux, qui [i] Faroaldo apud B Spoletum successerat, moritur. Hic Ariulfus cum bellum contra Romanos in Camerino gessisset, victoriamque patrasset, requirere a suis hominibus cœpit quis vir ille fuerit quem ipse in illo bello quod gesserat tam strenue pugnantem vidisset. Cui cum sui viri responderent se ibi nullum aliquem fortius facientem quam ipsum ducem vidisse, ille ait: Certe multum et per omnia me meliorem ibi alium vidi, qui quoties me adversæ partis aliquis percutere voluit, ille vir strenuus me semper suo clypeo protexit. Cumque dux ipse prope Spoletum, ubi basilica beati martyris [j] Sabini sita est, in qua ejusdem venerabile corpus quiescit, advenisset, interrogavit cujus hæc tam ampla domus esset. Responsum est ei a viris

recte collegit Baronius. Hermannus Contractus longe aliter ac noster illius obitum narrat: «Childebertus, C inquit, rex Francorum fortis, et strenuus, filius Sigeberti, anno 21 regis, ætatis vero 25, veneno, ut aiunt, a conjuge accepto moritur.» Brunichildis aviæ tutelæ, ut noster habet, filii ejus crediti sunt. Vide Fredegarium, cap. 16.

[a] Mod., *Theodeberto, et Theoderico*, semper.

[b] Amb., *Burgundionum.* Guntramno Burgundiæ regi superstitem fuisse Childebertum contra Baronii sententiam jam liquido constat; legimus enim apud Fredegarium: «Regnum ejusdem Childebertus assumpsit,» et apud Greg. Tur., lib. IV de Miraculis sancti Martini, cap. 37: «Tempore quo post obitum gloriosissimi regis Gunthramni Childebertus, rex Aurelianensium, urbem adiit, etc.» De illius obitu Fredegarius, cap. 13: «Anno 33 regni Gunthramni, V Kal. Aprilis, ipse rex moritur, sepultusque est in ecclesia sancti Marcelli in monasterio quod ipse construxerat.» Ex his, atque solari eclipsi per eumdem Fredegarium narrata superiori anno Bollan- D diani successores clarissimi Henschenius et Papebrochius in præliminari exegesi de genealogia regum Dagobertinorum, ad tomum III mensis Martii, ann. emortualem Gunthramni 593 firmarunt. Cæterum piissimi regis virtutes ita claruerunt, ut in album sanctorum relatus fuerit, eique sacer dies 28 Martii, ut videre est in cit. Actis sanctorum Bollandii. Quæ vero ad Langobardos nostros pertinet, hoc etiam tempore a Paulo non integre relata, silentio minime prætereunda Cotronensis urbis expugnatio, ingensque captivorum numerus abductus anno 596, ut ex epistola divi Gregorii Magni colligere possumus. Ea data est ad Theotistam patriciam, quæ summo pontifici, ut et cæteri plures, magnum auri pondus ad redimendos captivos largita fuerat. Vide lib. VII, indict. 15.

[c] *Hac etiam tempestate.* Mod.

[d] Al., *Gandulfum quoque Bergomensem.* Lind.

[e] Al., *Wernecausum.* Lind. et Mod. *Warnecantium.* A.

[f] Hæc eadem ferme Pontif. Raven. in Vita sancti Mariniani XXX, cap. 2: «Istius igitur temporibus circa commorantes marina littora, maximeque in hac civitate Ravennæ gravissima peste vastati sunt, et volutato anni circulo Veronenses cives valida mors consumpsit. Post hoc visum est terribile in cœlo signum, et velut hostes sanguinei per totam noctem dimicantes, et lux clarissima lustrata est.»

[g] Ms., *Lothario*, et sic infra quoque Lind. servanda Editorum lectio.

[h] Bellum inter Theodebertum Austrasiæ ac Theodoricum Burgundiæ reges contra Clotarium II Neustriæ regem narrant Fredegarius in Chron., cap. 20, Aimoinus, lib. III, cap. 88, eique narratum a Paulo meteororum apparitionem parem faciunt, atque in annum 600 incidisse communiter firmant recentiores. Susceptum instigante potissimum Brunichilde Theodeberti, et Theoderici avia infelicem Clotario exitum habuit. Pugnatum quippe in Senonensium ditione ad fluviolum Aroanem, haud procul a Dromello vico: «Ibi, scribit Fredegarius, dicto cap. 20, exercitus Clotarii gravissime trucidatus est. Ipsoque cum his qui remanserunt in fugam verso, pagos et civitates ripæ Sequanæ, quæ se ad Clotarium tradiderant, depopulantur, et vastantur. Civitates ruptæ nimis, pluritas captivorum ab exercitu Theuderici et Theudeberti exinde deducitur. Clotarius oppressus vellet nollet per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam et Ligerim usque mare Oceanum, et Britannorum limitem, pars Theuderici haberet, et per Singonam et Isaram ducatum integrum Dentelini usque Oceanum mare Theodebertus reciperet. Duodecim tantum pagi inter Isaram, et Sigonam, et mare littoris Oceani Clotario remanserunt.»

[i] Al., *Farualdo.* Lind.

[j] Mod., *Sabini episcopi.*

Digitized by Google

fidelibus, Sabinum ibi martyrem requiescere, quem Christiani quoties in bellum contra hostes irent, ª solitum haberent in suum auxilium invocare; Ariulfus vero cum adhuc esset gentilis, ita respondit: Qui potest fieri ut homo mortuus aliquod viventi auxilium præstet? Qui cum hoc dixisset, equo desiliens, eamdem basilicam conspecturus intravit. Tunc, aliis orantibus, ipse picturas ejusdem basilicæ mirari cœpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum juramento affirmavit dicens, talem omnino eum virum qui se in bello protexerat formam habitumque habuisse. Tunc intellectum est beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adjutorium contulisse. Igitur, mortuo Ariulfo, duo filii Faroaldi superioris ducis inter se propter ducatum decertantes, ᵇ unus ex ipsis qui cum victoriam adeptus esset, nomine Theudelapius, ducatum suscepit.

## CAPUT XVIII.

*De prædicatione facta a Langobardis in cœnobio sancti Benedicti.*

ᶜ Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti Patris, quod in castro Cassino situm est, a Langobardis noctu invaditur. Qui universa diripientes, ne unum quidem de monachis tenere potuerunt, ut prophetia venerabilis Benedicti Patris, quam longe ante præviderat, compleretur, qua dixit: Vix apud Deum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugientes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ regulæ, quam præfatus Pater composuerat, et quædam alia scripta, nec non pondus panis, et mensuram vini ᵈ, et quidquid ex supellectili subripere poterant, deferentes. Cæterum post beatum Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, post quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem ipsam rexit, sub quo hæc destructio facta est.

## CAPUT XIX.

*De morte Zottonis, et ducatu Arichis.*

Mortuo igitur Zottone Beneventanorum duce, ª Arigis in loco ipsius a rege Agilulfo missus successit, qui ortus in Forojulii fuerat, et Gisulfi Forojuliani ducis filios educarat, eidemque Gisulfo consan-

ª Al.: *præsidium haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent.* Lind.

ᵇ Al.: *alter eorum Theudelapius nomine victoria potitus ducatum suscepit.* Lind.

ᶜ « Celebris est doctorum Scriptorum conatus (inquit Bacchinius in dissertat. historico-chronolog. de ætate Petri Senioris, etc., ad Pontif. Raven.) ut Paulum Warnefridi cum Leone Ostiensi, et Ostiensem ipsum cum Ostiensi componant, ubi de monasterii Cassinensis per Langobardos eversione, et de temporis spatio quod inter ejus desolationem et Petronacis opera factam restaurationem effluxit. » Disceptatum est pluribus per Camillum Peregrinum in chronologia Ducum Beneventanorum, abbatem Angelum a Nuce, Bollandum, Mabillonium, Bacchinium, aliosque præstantissimos viros, quorum argumenta singula hic enumerare longissimum esset. Ex iis ad Pauli nostri emendationem potius quam illustrationem satis fuerit carpsisse vetustiora hujus rei monumenta, ex quibus evincitur ad superiora tempora contra Pauli testimonium insignem hanc celeberrimi monasterii eversionem esse referendam. Ævo proximior imo actæ tragœdiæ testis Gregorius Magnus, lib. dialogorum II, cap. 17, hæc habet, cum de prædicatione sancti Benedicti loquitur. « Vir quidam nobilis Theoprobus nomine; ejusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conversus, etc. Hic cum quadam die ejus cellam fuisset ingressus, hunc amarissime flentem reperit. Cumque diu subsisteret, ejusque non finiri lacrymas videret, nec tamen ut vir Dei consueverat orando plangeret, sed mœrendo, quænam causa tanti luctus existeret inquisivit. Cui vir Dei illico respondit: Omne hoc monasterium quod construxi, et cuncta quæ fratribus præparavi omnipotentis Dei judicio gentibus tradita sunt. Vix tamen obtinere potui ut mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cujus vocem tunc Theoprobus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modo a Langobardorum gente ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore, et quiescentibus fratribus nuper illic Langobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt, etc. » Anastasius Bibliothecarius, in Vita Pelagii II: Fugientes, inquit, ex cœnobio fratres Romam profecti sunt..... atque ex concessione sancti Pelagii papæ II, et Tiberii Mauricii imperatoris juxta Lateranense patriarchium monasterium construxerunt, » et ex eo fortasse Leo Ostiensis in Chron. Cassin., lib. pr., cap. 2: « Fratres Romam profecti sunt, atque ex concessione Romani pontificis Pelagii, qui tunc sedi apostolicæ præerat juxta Lateranense patriarchium monasterium construxerunt, ibique per centum et triginta annos, quod Casinense monasterium destructum permansit, habitaverunt. » Ad perspicuam horum explicationem omnium vice referam verba doctissimi Mabillonii in Annal. Benedictinis, lib. VII: « Casino tum præerat Bonitus abbas, successorem in regendo apud Lateranum grege Casinensi sortitus Valentinianum, qui annis multis, teste Gregorio, Lateranensi monasterio præfuit. Unus hic locus sufficit emendandæ communi nostrorum sententiæ, qui hanc eversionem anno supra quingentesimum octogesimo nono ponunt. Gregorius quippe Dialogos suos scribere aggressus est anno nonagesimo tertio. Jam vivere tum desierat Valentinianus, qui multis ante annis hoc est annis minimum decem, Lateranensi monasterio præfuerat. Ergo longe ante annos decem eversum fuerat Casinense monasterium, et monachi inde fugati, quibus Pelagius continentem Lateranensi basilicæ locum ad construendum monasterium concesserat, anno utique circiter octogesimo, qui quartus erat ejus pontificatus annus. Nec refert quod Gregorius ejus successori, Dialogorum librum secundum scribenti, nuper dicatur hæc eversio. NUPER enim apud Gregorium non semel accipitur pro decem, imo et pro viginti annorum spatio, ut duo ejus loca manifeste probant, a me alias relata in notis ad hunc Gregorii locum, etc. » De Leonis vero testimonio infra hæc habet, cap. 3: « Corrigendus in eo prædictus auctor, quod subdit Casinates apud Lateranum perseverasse per centum et decem annos, quod Casinense monasterium destructum permansit, alius Codex habet centum et triginta annos, sed utrobique diminuto temporis intervallo, cum a Pelagio secundo, cujus pontificatu hæc eversio contigit, ad Gregorium III, quo pontifice sacri cœnobii a Petronace instauratio facta dicitur a Leone, anni fere CXL intercesserint. Verum Gregorii III loco substituendus est Gregorius II, qui cum anno 715 pontificatum inierit, annis minimum CXXXV Casinensis monasterii ruinæ perseverarunt, etc. »

ᵈ De iis in regula D. Benedicti, cap. 39 et 40. Emina vini mensura dicitur, de qua curiosa multi, quæ non sunt hujus loci.

ª Al., *Arichis.* Lind. et Mod. al., *Arigiso.*

Ex subsequenti Beneventani ducis successione,

Digitized by Google

guineus erat. Ad hunc Arigis exstat epistola beati A Gregorii papæ in hunc modum directa [a].

## CAPUT XX.

*Epistola beati Gregorii papæ ad eumdem Arichis.*

« Gregorius [b] Arigis duci.

« Quia sic de gloria vestra, sicut revera de filio nostro confidimus, petere a vobis aliqua fiducialiter provocamur, arbitrantes, quod minime [c] nos patiamini [d] contristare, maxime in tali re, unde vestra anima multum poterit adjuvari. Indicamus [e] autem propter ecclesias beatorum Petri ac Pauli, aliquantas nobis trabes necessarias esse, et ideo Sabino subdiacono nostro injunximus, de partibus [f] Briccorum aliquantas incidere, et ut usque ad mare in locum aptum trahere [g] debeat. Et quia in hac re solatiis indiget, salutantes gloriam vestram, paterna charitate B petimus, ut [h] actionariis vestris, qui in loco sunt [i] deputetis, ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in ejus transmittere solatium debeant, quatinus vobis concurrentibus, melius quod ei injunximus possit perficere. Nos enim promittimus, quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis [j] xenium, quod non sit [k] injuriosum, transmittemus. Nam scimus nos considerare, et filiis nostris, qui bonam nobis voluntatem exhibent, respondere. Unde iterum petimus, gloriose fili, ut ita facere debeatis, ut et nos possimus vobis esse pro præstito beneficio debitores; et vos mercedem pro sanctorum ecclesiis habeatis. »

## CAPUT XXI

*De captivitate filiæ regis Agilulfi, et quia rex Agilulfus Cacano artificem direxit.*

His diebus capta est filia regis Agilulfi, cum viro suo Godescalco nomine, de civitate Parmensi, ab exercitu Gallicini patricii; et ad urbem [l] Ravennatium sunt deducti. Hoc quoque tempore misit Agilulfus rex Cacano regi Avarorum artifices ad faciendas naves, cum quibus isdem Cacanus insulam quamdam in Thracia expugnavit.

## CAPUT XXII.

*De basilica beati Joannis in Modicia, quam Theudelinda regina ædificavit.*

Per idem quoque tempus Theudelinda regina basilicam beati Joannis Baptistæ, quam in [m] Modicia [n] construxerat, qui locus supra Mediolanum duodecim millibus abest, dedicavit, multisque ornamentis

hic etiam firmatur chronotaxis annorum instituti Ducatus Beneventani, quam supra libro III, capit. 32, cum Caracciolo exhibui; nam si Zoto principatus est Beneventi per curricula viginti annorum, et successorem habuit *Arigim*, ut noster vocat, vel *Archim*, ut Chronic. Ducum Beneventi, vel *Arichim*, ut Anonym. Cassinensis, vel demum *Arogem*, ut D. Gregorius Magnus, jam liquido constat ex epistola dicti sancti pontificis ad Joannem episcopum Ravennatem, cujus verba recitavi, Indict. X, anno scilicet Domini nostri Jesu Christi 591, quo data est, Arichim ad principatum Beneventanum jam elatum fuisse, atque Neapolitanæ civitati cum Ariulpho alio duce insidias parasse, cumque Paulus noster Agilulphi regis beneficio principatum accepisse scribat, necessario dicendum paulo post regis inaugurationem id accidisse: unde si retro numerum XX annorum duxeris jam ad Caraccioli tempora venies, quantum licet in tanta rerum caligine: neque turbant ea, quæ doctiss. Peregrinius ex recentioribus Chronologis opponit; major enim ejusdem ævi scriptoribus habenda fides, nec argumentum ab ipso Paulo nostro deductum: nempe Zotonis ducatus initia ex tempore Autharii regis esse revocanda, quia noster hujus regis acta narrans de Zotone verba facit: frequentissimum illi quippe fuit multa per anticipationem referre, ut ipse non uno in loco professus est.

[a] Data est indict. V; vide lib. XII, num. 23 edit. Patrum Benedict. sancti Mauri.

[b] Amb., *Arichis*.

[c] Amb., *vos*. Ms. L., *neminem vos*.

[d] Amb., *contristari*.

[e] Amb. et Mod., *autem vobis propter*, etc.

[f] Amb. et Mod., *Briciorum*. Lind. al., *Brixiorum*, al., *Brictonum*.

[g] Amb., *deducere*, nec leg. verbum *debeat*.

[h] Amb., *accinariis*.

[i] Mod., *demandetis*.

[j] Mod., *exenium*.

[k] Amb., *indignum*.

[l] Pontif. Raven. in Vita Mariniani XXX episcopi, hæc ex Paulo fortasse repetit. « Capta est inter hæc Agilulphi regis filia cum Gudelschalcho viro suo ab exercitu Callinici patricii de civitate Parmense, et in hanc urbem Ravennæ capti ducti sunt, » et infra: « Igitur, ut diximus, semper bellum fuit inter Ravennenses et Langobardos, et discordia grandis propter filiam suam, quæ capta a Ravennatibus fuerat. Et propter ipsam iram civitas Cremona a prædicto capta et destructa est rege, et Mantua nimis vexata est, et disrupta. »

[m] Amb., *Modica;* al., *Modoetia*, et ita alibi quoque L. Tristanus Calchus, Hist. Mediol. lib. IV: « Modoetiam vulgus appellat; quæ tamen dictio a Paulo usurpatur. Nos vero innitimur inscriptione saxi vetustissimis litteris ad hunc modum ibidem insculpti. » C

C. SERTORIUS L. F. OUF. VETERANUS LEG. XVI. CURATOR. CIVIUM. OMN. OR. MOGONTIACI.

*Opulentum oppidum est, et Lambro alluitur*. Eoque lapidis argumento Moguntiacum oppidum appellatum fuisse contendit. Notanda tamen in eo lapide varia lectio *Romanor.* pro *omn. or.*, et Apianum, unde Gruterus exscripserat, eumdem hic Mediolani ad sancti Victoris legisse. Balthasar Fidelis Modoetiensis basilicæ archipresbyter in libro quem ad Leonem X. Pontif. Max. scripsit, Modiciam a census modicitate appellatam fuisse putat, et Calcho de veteri Moguntiaci nomine subscribit: utcumque se res habeat Ennodio lib. VI, epist. 10 Moditia dicitur, ut animadvertit doctis. Fontaninus in sua dissertat. de corona ferrea. Ego vero in vetustis chartulis omnibus noni, et decimi sæculi apud eximium antiquitatis, bonarumque litterarum cultorem comitem Donatum de Sylva, et in ipso archivio basilicæ Modoetiensis promiscue Modiciam, et Modicam legi. D

[n] Quæ sequuntur solummodo in Ascensiana editione habentur « construxit pro se, et pro viro suo, et pro filiis, ac filiabus, et cunctis Langobardis Italiensibus, ut ipse sanctus Joannes pro nobis interpellator sit ad Dominum Deum nostrum Jesum Christum pro nobis, nos omnes unanimiter pollicemur illi omni anno in die Nativitatis suæ, hoc est VIII Kalendas Julii de nostris facultatibus transmissuros honorifice ad oraculum ejus ut per illius interpellationem habeamus juvamen Domini nostri Jesu Christi tam in bello, quam in aliis locis omnibus, quocumque ituri sumus. Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cœperunt invocare sanctum Joannem, ut illis præberet auxilium in virtute Domini nostri Jesu Christi, et illi omnes permanebant illæsi: victoresque exstiterunt super cunctos adversarios suos. Locus autem ille supra Mediolanum duodecim millibus est; quem regina dedicandum curavit, multisque ornamentis auri et argenti mirifice decoravit, prædiisque

Digitized by Google

auri, argentique decoravit, prædiisque sufficienter ditavit [a]. Quo in loco etiam Theudericus quondam Gothorum rex [b] palatium construxit, pro eo quod æstivo tempore locus ipse, ut pote vicinus Alpibus, temperatus, ac salubris existit.

## CAPUT XXIII.

*De palatio quod construxit.*

Ibi etiam præfata regina [c] suum palatium condidit, in quo aliquid [d] et de Langobardorum gestis depingi fecit. In qua pictura manifeste ostenditur, quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis vestitus, qualisve habitus A erat. Siquidem [e] cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos a facie usque ad os dimissos habentes [f], quos in utramque partem in frontis discrimine dividebant. Vestimenta vero eis erant laxa, et maxime linea, qualia Angli Saxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis. Calcei vero eis erant usque [g] ad summum pollicem pene aperti, et alternatim laqueis corrigiarum retenti. Postea vero cœperunt [h] hosis uti, super [i] quas equitantes [j] tubrugos birreos mittebant, sed hoc de [k] Romanorum consuetudine traxerunt

ditavit, familiasque, et possessiones multas eidem loco addixit in honorem sancti Joannis Baptistæ. Dicamus assertionem scripturæ Theodolindæ reginæ una cum filio suo Adalwaldo rege sancto Joanni patrono suo de dono Dei, et de dotibus chartulam suæ donationis, quam in suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore hanc testem voluntatis suæ corruperit, in judicii extremi die cum Juda traditore damnetur. Ordinatio vero ejus talis fuit. De rebus sancti Joannis nullo modo se debet aliquis intromittere, nisi tantum sacerdotes, qui ibi deserviunt die ac nocte, tanquam famuli ac famulæ, qui ibi subjecti sunt communiter debeant vivere. » Quoniam vero in Ms. et Augustana Editione deerant, ideo in textum recipere nolui. Lind. In Ms. Modoetiensi leguntur, paucis hisce variantibus, vers. *ut ipse S. Joannes*, ita sequitur : « Sit intercessor pro cunctis Langobardis ad Dominum, et illi voverunt inter se unanimiter majores natu cum rege suo, et una cum Theodelinda regina, atque dixerunt : Si sanctus Joannes, etc. Vers. *adversarios eorum*, sequitur : « Qui locus ille supra Mediolanum xii mill. adest, dedicavit, multisque ornamentis auri et argenti mirifice decoravit, prædiisque ditavit, familias, ac possessiones multas in eodem loco subjugavit in honore sancti Baptistæ Joannis. Dicamus offertionem Scripturæ Theodelindæ reginæ, etc.

[a] « Quam maxime (scribit idem Fidelis) Langobardi hoc templum coluerunt, cuppæ, coronæ, cruces, tabulæ aureæ, smaragdis, hyacinthis, electoriis, carbunculis, margaritis, aliisque immuneris lapillis ornatæ, altaris magni palla cum aurea, tum argentea, et syphus ille admirabilis optimi sapphyri, atque alia regia ornamenta relicta testantur. » Hæc omnia in insigni cimeliarchio ejusdem basilicæ servantur adhuc, perpetua Langobardicæ pietatis monumenta, eaque pluries DD. canonicorum beneficio non sine ingenti animi gaudio curiose spectavi. Placet hic regias coronas e suis archetypis expressas in adverso folio exhibere. Primam quidem non tam auro, quam ferrea lamina decoram : eam ex uno Dominicæ passionis clavo confectam loci hujus incolæ firmissime tenent, solemnique cultu cruci appositam singulis annis populorum piæ venerationi colendam exponunt, de illa Sigonius lib. I de Regno Italiæ, anno 591 : « Auctores Mediolanenses patrios secuti annales asserunt coronam ei, nempe Agilulpho, impositam fuisse, a Theodelinda regina institutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam, unde post ferreæ coronæ nomen Italico Langobardorum regno enituit. »

Agilulphi regis alteram, quam figuræ Domini nostri Jesu Christi, elevata in signum crucis dextera, et sinistra librum apertum tenentis, mystico Græcorum A et Ω signatum : a lateribus figuræ angelorum, et xii apostolorum per spatia columnis distincta : eam extrema superiori parte pyropi, et smaragdi LXV circum exornant, sine ullis radiis, aut liliis, pondo unciarum XXI, den. XXII, quod etiam notavit Mabillonius in Itinere Italico pag. 212, inferiori vero inscripto lemmate AGILULF. GRAT. DI VIR. GLOR. REX TOTIUS ITAL. OFFERET. SCO. JOHANNI BAPTISTÆ IN ECCL. MODICIA, amplissimo quidem titulo

B imperantibus adhuc ejus ævo in Italia per exarchos suos Græcis imperatoribus, qua ducatus Romanus, exarchatus Ravennæ, atque Neapolitanorum fines protendebantur. Pendet ab ea corona crux aurea, gemmis et margaritis ornata, unciarum XXIV den. XIV. Postremam Theodolindæ vocant, nullo tamen inscripto lemmate, auream pariter, smaragdis ornatam pondo unciar. XIV, denar. XIX. Pendet etiam ex ea crux altera pondo unc. XV, den. VII, gemmis ab utroque latere splendens. Coronas basce cum suis crucibus, et cætera notabiliora dona itidem repræsentat marmorea tabula supra majorem basilicæ januam, barbaro qui!em sæculo insculpta, ut informes figuræ satis indicant, et præcipue veluti demissus de Christi Domini stomacho Jordanes fluvius, unde aquas hausisse ad baptizandum D. Joannem Baptistam exprimere voluerat artifex infelicissimus. A latere insculptæ coronæ tres, totidemque pendentes ab ipsis cruces, ita ut hoc unum in citata clar. Fontanini dissertatione minime probaverim cap. 9, § 4.

C *Coronam ferream semper sua cruce fuisse destitutam* : aliis enim duabus in Modoetiensi lapide parem aspicio : neque oculatissimo viro id vitio vertendum, quippe Romæ scribens ad Modoetiensem basilicam non accesserat; sed nunc observasse juvabit, ne fastidiosis quibusdam irrisoribus ejus argumentandi vis contra ocularem antiqui lapidis aspectum aliquando stomachum faciat. In eo etiam insculpta visitur aurea gallina cum pullis suis, et vasculi plures, ejusdem regiæ Theodolindæ, ac Langobardorum munificentiæ dona, eamdem prorsus formam exhibentia, quam singula in gimeliarchio re ipsa nunc servant, ita ut ex archetypis delineata tunc temporis fuisse dubitari non possit.

[b] Mod., *palatium magnum*.

[c] Mod., *sibi*.

[d] Verba, *et de Langobardorum gestis depingi fecit. In qua pictura*, al. desunt Lind. Mod., *in quo aliquid de Langobardorum gestis manifeste ostenditur*.

[e] Moc., *Seque de cervice*.

D [f] Etiam hoc Gothis usitatum fuit. Sidonius Apollinaris lib. I, epist. 2, « Aurium legulæ, sicut mos gentis est crinium superjacentium flagellis operiuntur, » ubi flagellis crinium significantur cirri, commune Germanorum ornamentum : unde etiam cirrigeri vocantur, ut optime docuit vir clarissimus, et nunquam sine laude loquendus Justus Lipsius in notis ad Germaniam Taciti, ubi et quædam de vestitu Germanorum addit, quæ operæ pretium legere. Lind.

[g] Mod. et Lind., *ad pollicem pedis aperti*.

[h] Plane Germanicum vocabulum, Lind.; Latine *tibialia*. Vide Glos. Du Cange.

[i] Τὸ *quas* non leg. in Mod.

[j] Isidor. Etymolog. lib. XIX, cap. 22 : « Tubrucos vocatos dicunt, quod tibias, braccasque tegant. » Lind. Glossario, « lanea ocrea, ocreis, aut calceis coriaceis superimponi solita. » Byrreus, coloris rufi.

[k] Amb., *de Romana, non de sua consuetudine traxerant*.

Digitized by Google

# Corona Aurea Agilulphi Regis






Digitized by Google

CORONA AUREA VULGO FERREA DICTA



CORONA AUREA THEODOLINDAE REGINAE



Digitized by Google



Ad Monitum Historiæ Miscellæ infra, col. 743-744.

# SPECIMEN CHARACTERVM HISTORIAE MISCELLAE

*ex Codice Ambrosiano pergameno Sig. lit. C. n.*



INCIPIT HISTORIÆ ROMANÆ LIB. PRIMVS

Primus in Italia ut quibusdam placet regnavit Ianus. Deinde Saturnus Iovem filium egreata fugiens in civitate que ex ei nomine Saturnia dicta est cuius ruine hactenus cernuntur in finib. tuscię haut procul ab urbe. Hic saturnus quia in Italia latuit ab eius latebra latium appellata est. Ipse &enim adhuc rudes populos domos edificare. terras incolere. plantare vineas docuit. atq; humanis morib; vivere. cum antea semiferi glandium tantummodo alimentis vitam sustentarent. et aut in speluncis aut frondib; virgultisq; contextas casulis habitarent. Ipse etiam eis nummos aereos primum instituit; pro quibus meritis ab indocibili & rustica multitudine deus appellatus est. Post hunc picus eius filius de quo fabulose dicitur quod a quadam famosissima maga Circe nomine ob contemptum eius amorem in avem sui nominis sit mutatus. Post hunc eius filius Faunus qui fuit pater latini cuius mater carmentis nicostrata creditur latinas litteras repperisse;

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Iste ad Italiam veniens bimo quo cum gothis certamine conflixit; Qui ubi ab invectione pene corruptus regem ... qui iam decem annos regnaverat interfecit unaq; Italiam ad rei publice ... reduxit; Quae usq; nunc restitit adhuc que de ... augusti felicitate dicantur in sequenti deo praesule libello promendas sunt. — T;

## CAPUT XXIV.

*De subversione Patavinæ urbis.*

Usque ad hæc tempora Patavium civitas fortissime militibus repugnantibus Langobardis rebellavit. Sed tandem injecto igne tota flammis vorantibus concremata est, et jussu regis Agilulfi ad solum usque destructa est; milites tamen qui in ea fuerant Ravennam remeare permissi sunt.

## CAPUT XXV.

*De pace facta cum Avaribus, et quod Langobardi Istriam sunt ingressi.*

Hac tempestate Agilulfi legati regressi a Cacano pacem perpetuam factam cum [a] Avaribus nuntiarunt. Legatus quoque Cacani cum eis adveniens ad Gallias perrexit, denuntians Francorum regibus, ut sicut cum Avaribus, ita pacem habeant cum Langobardis. B Inter hæc Langobardi cum Avaribus et Sclavis Istrorum fines ingressi, universa ignibus et rapinis vastaverunt.

## CAPUT XXVI.

*De nativitate Adaloaldi filii Agilulfi, et invasione montis Silicis.*

Agilulfo quoque regi tunc nascitur filius de Theudelinda regina, in [b] Modiciæ palatio, qui [c] Adaloal- A dus est appellatus. Sequenti tempore, Langobardi castrum montis Silicis invaserunt. Per idem tempus repulso apud Ravennam Gallicino, rediit Smaragdus, qui prius fuerat Ravennæ patricius.

## CAPUT XXVII.

*De morte Mauricii imperatoris.*

Igitur Mauricius Augustus postquam uno et viginti annis rexit imperium cum filiis Theodosio et Tiberio, et [d] Constantino a Foca, qui fuit strator Prisci patricii, [e] occiditur. Fuit autem [f] utilis reipubl. Nam sæpe, contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui et Avares appellantur, ejus virtute [g] devicti sunt.

## CAPUT XXVIII.

*De Gaidoaldo, et Gisulfo ducibus, et de baptismo Adaloaldi.*

Hoc anno [h] Gaidoaldus dux de Tridento, et Gisulfus de Forojulii, cum antea a regis Agilulfi societate discordarent, ab eo in pace recepti sunt. Tunc etiam baptizatus est prænominatus puer Adaloaldus, filius Agilulfi regis, [i] in sancto Joanne in Modicia, et susceptus de fonte est a Secundo [j] servo Christi de Tridento, cujus sæpe fecimus mentionem. Fuit autem

[a] Al., *Araribus Hunnis*. Lind.

[b] Amb. semper, *Modicæ*.

[c] Al., *Adaloald*, al., *Adalualdus*, et sic infra. Lind.

[d] Al., *Constantino, et Avorante, qui fuit strator*, etc. Lind.

[e] Mauricium imperasse annos xx, menses tres, dies aliquot, eruditis exploratissimum, itemque apud veteres plerosque scriptores annos incompletos pro C completis numeratos fuisse, ut Paulus noster hoc loco. Zonaras, in Annal., nullam incœpti anni rationem habuit in imperio Mauricii, scribit enim: Ἔθανε δὲ Μαυρίκιος ἐτῶν ἑξήκοντα καὶ τριῶν, εἴκοσι βασιλεύσας ἐνιαυτούς. « Mortuus est Mauricius anno ætatis sexagesimo tertio, regni vigesimo. » Exeunte scilicet Novembri anni 602, indictione 6 jam inchoata. Horribilem infelicis imp. obitum, quem plures Græci scriptores narrant ex Chronico Alexandrino repetimus: Ἐκρατήθη δὲ Μαυρίκιος Τιβέριος μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ ὀκτὼ τέκνων αὐτοῦ εἰς τὸν ἅγιον Αὐτόνομον πλησίον Πραινέτου, καὶ τῇ κζ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἡμέρᾳ τρίτῃ ἐσφάγη πλησίον Χαλκηδόνος αὐτὸς Μαυρίκιος Τιβέριος· καὶ Πέτρος, Ἰουστῖνος, καὶ Ἰουστινιανός, καὶ Πέτρος δὲ ὁ ἀδελφὸς Μαυρικίου κουροπαλάτης ὤν, συσχεθεὶς καὶ αὐτός· ἐσφάγησαν δὲ εἰς Διαδρόμους πλησίον τοῦ Ἀκρίτα. Κωνσταντῖνος ὁ Λάρδις ἀπὸ ἐπάρχων γενόμενος πραιτωρίων, καὶ λογοθέτης, καὶ κουράτωρ τῶν Ὁρμίσδου, καὶ Θεοδόσιος ὁ υἱὸς Μαυρικίου, καὶ Κομεντίολος ὁ πατρίκιος, D καὶ στρατηλάτης, καὶ αὐτὸς ἐσφάγη πέραν πλησίον τοῦ ἁγίου Κόνωνος πρὸς θάλασσαν, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐγένετο κυνόβρωτον. « Comprehensus vero Mauricius Tiberius cum uxore et octo liberis in æde sancti Autonomi juxta Prænetum, et 27 die ejusdem mensis, feria tertia, occiditur ad Chalcedonem ipse Mauricius Tiberius; ac Petrus, Justinus, et Justinianus. Et Petrus Mauricii germanus Curopalata captus et ipse. Interfecti sunt in Diadromo ad Acritam. Constantinus Lardis ex præfecto factus prætorio Logothetes, et Curator Hormisdi, filius præterea Mauricii Theodosius, et Commentiolus patricius, et militiæ præfectus cæsus est trans urbem ad sancti Cononis propter mare. »

Jussus est filiorum suorum mortem aspicere, cumque ultimum nutrix subripuisset, ac in illius locum filium suum morti tradendum supposuisset, non tulit imp., dolumque indicavit, ea sæpius verba pronuntians: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Vide Theophylactum, qui spectaculum projectorum in mare cadaverum, et ad littus pluries fluctibus actorum extremam tragœdiæ scœnam accessisse narrat. Laudes Mauricii frequentissimæ apud historicos Græcos, quibus tamen avaritiæ notatur, qua petitum a Cacano in singulos captivos milites dimidium aureum tra- C dere recusavit; quamobrem Cacanus barbara ferocia, XII mil. numero, omnes occidit.

[f] Amb., *utilis reipublicæ, sed avaritia deditus nimia.*

[g] Bella inter Mauricium et Cacanum Avarum regem fusius narrant plures Græci scriptores, Theophylactus, Nicephorus, Zonaras, Manasses, Cedrenus, et auctor Chronici Alex., inter Latinos Historia Miscella, lib. XVII, ex Theophane.

[h] Al., *Gandoaldus*. Lind.

[i] Al., *in ecclesia sancti Joannis*. Lind. et Mod.

[j] Maximus Annalium pater Baronius putat eumdem istum Secundum fuisse illum Secundinum abbatem, ad quem plures divi Gregorii datæ sunt litteræ. « Erat, inquit, iste abbas magni nominis inter Langobardos existens, ut ex aliis ipsius Gregorii litteris ad Theodolindam reginam datis apparet, huncque ipsum apud Paulum Diaconum (errore puto librariorum) non Secundinum, sed Secundum invenimus nominatum, D a quo fuisse baptizatum filium Theodolindæ reginæ Adovaldum idem affirmat, non alio titulo ipsum quam servum Dei appellans, et patria Tridentinum, ubi idem auctor agit de ejus obitu. Citat eum ipse frequenter; nam ab eo scriptam esse de Longobardis historiam tradit, etc. » At in ipsa etiam divi Gregorii epistola ad Theodolindam, lib. XIV, indict. 7, Edit. novis., in Mss. omnibus legi Secundum notavit Gussanvillæus. In ea cognoscimus librum in causa trium capitulorum scripsisse, ad quem ut subtilius responderet divus Gregorius regina petierat; sed hic morbum causatus, synodum quæ tempore Justiniani facta fuerat pro responso interim ad cognoscendam actarum rerum seriem transmisit. Dona etiam varia post hæc, « quibus demerere tantum virum conatus est, quem sciret continere potuisse Langobardos in communione catholica, » ut scribit Baronius laudatus anno 599, num. 15 et 16. Occubuisse ferunt Tridenti anno circiter 615. Vide Vossium, de Hist. Lat., etc.

Digitized by Google

festi paschalis dies eo tempore [a] septimo Idus Aprilis.

## CAPUT XXIX.

*De captu Cremonæ, et Mantuæ, et de morte filiæ regis, et de bello Francorum.*

Erat autem iis diebus adhuc discordia Langobardis cum Romanis propter captivitatem filiæ regis. Qua de causa Agilulfus rex egressus Mediolano, mense Julio, obsedit civitatem Cremonensem cum Sclavis, quos ei Cacanus rex Avarorum in solatium miserat, et cepit eam duodecimo Kalendas Septembris, et ad solum usque destruxit. Pari etiam modo expugnavit Mantuam, et interruptis muris ejus cum [b] arietibus, dans [c] veniam militibus qui erant in ea revertendi Ravennam, [d] ingressusque in eam die Iduum Septembrium. Tunc etiam partibus Langobardorum se tra- A didit castrum, quod [e] Vulturina vocatur. Milites vero [f] Brexillum oppidum igni cremantes, fugerunt. His ita patratis, reddita est filia regis a Smaragdo patricio, cum viro, et filiis, ac rebus cunctis; factaque est pax [g] mense nono, usque ad Kalendas Aprilis, indictione octava [h]. Filia vero regis mox a Ravenna Parmam [i] rediit, et ob difficultatem partus periclitata, [j] statim defuncta est. Hoc anno Theudebertus et Theudericus reges Francorum adversus Clotarium patruum suum dimicarunt, in quo certamine ex utraque parte multa millia ceciderunt.

## CAPUT XXX.

*De transitu beati Gregorii papæ, et ejus sanctitate.*

Tunc etiam beatus Gregorius migravit ad Christum cum jam Focas per indictionem octavam anno re- B gnaret [k] secundo. Cujus in locum ad apostolatu-

[a] *VII Id. Aprilis* in Mod. et aliis non leguntur.

Anno scilicet 605 quo Pascha septimo Idus Aprilis celebratum fuit, indictione 6 currente, de nato Adaloaldo Theodolindæ gratulatus est divus Gregorius citata epistola, hæc scribens additis muneribus: « Scripta quæ ad nos dudum a Genuensibus partibus transmisistis gaudii vestri nos fecere participes, propterea quod omnipotentis Dei gratia et filium vobis donatum, et quod valde excellentiæ vestræ est laudabile, catholicæ eum fidei novimus sociatum. Nec enim de Christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere vos, ut quem divino munere susceperatis, catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, ut et Redemptor noster familiarem te suam famulam cognosceret, et Langobardorum genti novum regem in timore suo feliciter enutriret. Unde oramus omnipotentem Deum, ut et vos in mandatorum suorum via custodiat, et eumdem excellentissimum filium C nostrum Aduloualdum in suo faciat amore proficere, quatenus sicut hic inter homines jam magnus est, sic quoque et bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus. » Et infra, post ea quæ de Secundo notavi: « Excellentissimo autem filio nostro Adulouvaldo regi transmittere phylacteria curavimus, id est, crucem cum ligno sanctæ crucis Domini, et lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusam. Filiæ quoque meæ sorori ejus tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, et unum cum albula: quæ eis peto per vos dari, ut apud eos nostra charitas ex vestra excellentia condiatur. Paterna præterea charitate persolventes salutationis officium, petimus ut excellentissimo filio nostro regi conjugi vestro pro nobis de facta pace gratias referatis, atque ejus animum, sicut consuevistis, ad pacem de futuro per omnia provocetis, quatenus mercedem populi innocentis, qui in scandalo perire poterat, ante conspectum Dei inter multa bona quæ agitis invenire D possitis. »

[b] Amb., *Avaribus*.

[c] Ms., *viam*. Lind.

[d] Amb. et Mod., *ingressus est in eadem Id. Septembr.*

[e] Al., *Vulturnia*. Lind. Cluverius ad hæc Pauli nostri verba, hæc habet: « Hic cum Vulturnia castrum cum Patavio, Monte Silicis, Mediolano, Cremona, Mantua, ac Brixello connumeretur, miror ego quid Blondo et aliis in mentem venerit, cur id ad Addua in Larium lacum influxum traxerint, indeque vallem Tellinam initio dictam Vulturinam, contenderint, cum ea a Tellio castro id cognomenti ferat. At castrum illud Diaconi, sive Vulturnia, ut quædam habent Exemplaria, sive, ut alia, Vulturina, seu denique, quod forte rectius, Vulturia dicendum sit, nullus alius est locus quam qui tenuis nunc vicus inter Cremonam et Brixellum, sinistræ Padi ripæ a regione Caneti appositus est, vulgari vocabulo Valdoria. »

[f] Al., *Brixellum*. Lind.

[g] Al., *menses novem*. Lind.

[h] Anni scilicet 605. Congruit huic Pauli historiæ datum recitatæ divi Gregorii epistolæ, indict. 7, nempe post mensem Septembris anni 603, cujus etiam anni, mense Novembri, nonus a divo Gregorio Turonensi aliisque annum a mense Martio inchoantibus appellato, pax cum Langobardis est inita in annum ferme ac dimidium.

[i] Amb., *rediens ob difficultatem*, etc. Mod., *Parmam rediit, quæ ob difficultatem*, etc.

[j] Τὸ *statim* in Amb. non legitur.

[k] Non bene Paulus secundum annum imperii Phocæ cum morte divi Gregorii per indictionem octavam alligavit; constat enim sub finem anni 602 Phocam imperare cœpisse, currente sexta indictione, ex his Chronici Alexandrini verbis: Καὶ τῷ Νοεμβρίῳ μηνὶ τῆς αὐτῆς Ἰνδικτιῶνος, ἐπανάστασις γέγονε Μαυρικίῳ παρὰ Φωκᾶ στρατιώτου, μετὰ τοῦ στρατοῦ, καὶ Μαυρίκιος μὲν Τιβέριος σὺν τῇ γυναικὶ Κωνσταντίνῃ καὶ παισὶν θ', τουτέστιν ϛ' μὲν ἄῤῥεσι, Θεοδοσίῳ, Τιβερίῳ, Πέτρῳ, Παύλῳ, Ἰουστίνῳ, καὶ Ἰουστινιανῷ, καὶ τρισὶ θηλείαις, Ἀναστασίᾳ, Θεοκτίστῃ, καὶ Κλεοπάτρᾳ φεύγων τῇ κβ' τοῦ Δίου μηνὸς, κατὰ Ῥωμαίους Νοεμβρίου τῇ νυκτὶ τῇ ἐπὶ κγ', διαφαινούσης παρασκευῆς. Φωκᾶς δὲ τῇ κγ' τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἡμέρᾳ ϛ' στεφθεὶς ὑπὸ Κυριακοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως εἰς τὸν σεβάσμιον οἶκον τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἐν τῷ Ἑβδόμῳ, τῇ κε' τοῦ ῥηθέντος μηνὸς, ἡμέρᾳ κυριακῇ εἰσῆλθεν ἐν Κωνσταντινουπόλει κατεσθεὶς εἰς ὄχημα ἀπὸ τοῦ Ἑβδόμου εἰσελθὼν διὰ τῆς χρυσῆς πόρτας, καὶ τῶν Τρωαδησίων ἐμβόλων, καὶ τῆς μέσης ὅλης ἕως τοῦ παλατίου, μηδενὸς ὅλως ἀντιστάντος, ἀλλὰ πάντων εὐφημούντων. « Novembri mense ejusdem indictionis (nempe sextæ) Phocas cum exercitu contra Mauricium seditionem movit; et Mauricius Tiberius cum uxore Constantina, et novem liberis, sex maribus, nempe Theodosio, Tiberio, Petro, Paulo, Justino, et Justiniano, et tribus virginibus Anastasia, Theoctiste, et Cleopatra, 22 mensis Dii, qui Romanis est November, noctu, illucescente jam 23 die, qui fuit feria sexta, fugit. Phocas autem 23 ejusdem mensis feria sexta a Cyriaco patriarcha Constantinopolitano in æde veneranda sancti Joannis, quæ est in Hebdomo inauguratus, 25 die dicti mensis die Dominico ab Hebdomo per Auream portam, et Troadesias porticus, mediamque urbem totam, usque ad Palatium, nemine resistente, sed cunctis applaudentibus, curru vectus, Constantinopolim ingressus est. » Sanctus vero Gregorius « mortuus est, et sepultus in basilica beati Petri apostoli, ante secrarium, die 12 Martii, » ut Anastasius habet, anno 604 septima indictione; cumque secundus Phocæ imperii annus completus fuerit mense Novembri ejusdem anni 604 octava quidem decurrebat indictio, sed anno emortuali sancti Gregorii minime respondens.

Digitized by Google

officium Sabinianus est ordinatus. Fuit autem tunc hiems frigida nimis, et mortuæ sunt vites pene in omnibus locis. Messes quoque [a] partim vastatæ sunt a muribus, [b] partim percussæ uredine evanuerunt. Debuit etenim tunc mundus [c] famem sitimque pati, quando, decedente tanto doctore, animas hominum spiritalis alimoniæ penuria sitisque ariditas invasit. Libet me sane pauca de ejusdem beati Gregorii papæ scriptis, quamdam epistolam huic opusculo inserere, ut possit liquidius agnosci, quam humilis iste vir fuerit, quantæque innocentiæ, et sanctitatis. Hic denique cum accusatus apud Mauritium Augustum, ejusque [d] filios fuisset, quod Malcum quemdam episcopum in custodia pro solidis occidisset, scribens pro hac re epistolam [e] Sabiniano suo [f] apocrisiario, qui erat apud Constantinopolim, inter cætera sic ait: « Unum est quod breviter suggeras serenissimis [g] dominis nostris, quia si ego servus eorum in mortem Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione divisa esset. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. Malcus autem isdem episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione, [h] sed die qua causam dixit, [i] et abductus est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, ibique prandidit, et honoratus est ab eo, et nocte subito mortuus est. » Ecce quantæ [j] humilitatis vir iste fuit, qui, cum esset summus Dei pontifex, [k] se servum hominum nominavit? Ecce [l] quantæ innocentiæ, qui nec in morte Langobardorum, qui utique et increduli erant, et omnia devastabant, sese [m] voluit admiscere.

## CAPUT XXXI.

*De regno Adaloaldi, et de pace facta cum Francis.*

Igitur [n] sequenti æstate mense Julio levatus est Adaloaldus rex super Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præsentia patris sui Agilulfi regis, astantibus legatis Theudeberti [o] regis Francorum, et desponsata est eidem regio puero filia [p] regis Theudeberti, et firmata est pax perpetua cum Francis [q].

## CAPUT XXXII.

*Bellum Francorum cum Saxonibus.*

Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab utrisque partibus facta est.

[a] Verba *partim vastatæ sunt a muribus*, aliis desunt. Lind.

[b] Anastasius, in Sabiniano: « Eodem tempore fuit fames in civitate Romana gravis. Facta autem pace cum gente Langobardorum, et jussit aperiri horrea Ecclesiæ, et venundari frumentum populo, etc. » Ex quibus manifestius apparet frigus, et sterilitatem, ex qua fames ingens, in anno 60 › notandam esse, cum prima hiems post Gregorii obitum sedente Sabiniano fuerit.

[c] Amb., *fame sitique perire.*

[d] Al., *filium.* Lind.

[e] Amb., *Savino*; sed servanda editorum lectio; constat enim epistolam hanc scriptam fuisse ad Sabinianum diaconum, eumdem illum qui Gregorio in pontificatu successit.

[f] Isidorus in Glossis: Apocrisiarius minister Romanæ Ecclesiæ a secretis, legatus a secretis. Eorum sæpissime in libris juræconsultorum mentio fit. Dicebantur etiam *Adresponsi.* Novel. 25, cap. 1: Habeat item adresponsum, sive apocrisiarium.

[g] Mod., *domino nostro.*

[h] Al., *sed die quod me causam nesciente a Bonifacio*, etc. Lind.

[i] Verba *et abductus est*, non leg. in Mod.

[j] Amb., *innocentiæ.*

[k] Al., *se servum nominavit.* Lind. *Cum esset summus pontifex se servum nominavit*, etc., Mod.

[l] Amb., *quantæ innocentiæ vir iste fuit.*

[m] Amb., *noluerat.*

[n] Anni Domini nostri Jesu Christi DCV, indictione octava.

[o] Filia etiam hæc Theodeberti regis Adaloaldo nondum trino desponsata in puerili ætate fuisse ex Theodeberti patris ætate bene colligitur. Is enim tunc temporis vix annum vicesimum attigerat, ut ex Annal. Francorum.

[p] Verba *regis Francorum, et desponsata est eidem regio puero filia regis Theudeberti*, in aliis desunt. Lind.

[q] Ad hæc verba respiciunt quæ Fredegarius in suo Chronico scripsit, num. 45, ad historiam nostram illustrandam optime convenientia. « Langobardorum gens quemadmodum tributa XII millia solidorum ditioni Francorum annis singulis dissolvebant referam: vel quo ordine duas civitates, Augustam et Siusium cum territoriis ad partem Francorum cassaverant non abscondam. Defuncto Clepeo summo principe, duodecim duces Langobardorum XII annis sine regibus transierunt: ipsoque tempore, sicut supra scriptum legitur, per loca in regno Francorum proruperunt. Ea præsumptione in compositione Augustam et Siusium civitates, cum integro illorum territorio et populo partibus Guntchramni tradiderunt. Post hæc legationem ad Mauritium imperatorem dirigunt. Hi XII duces, singulique legatarios destinant, pacem et patrocinium imperii petentes. Iidemque et alios legatarios XII ad Guntchramnum et Childebertum destinant, ut patrocinium Francorum, et defensionem habentes, XII millia solidorum annis singulis his duobus regibus in tributa implerent; vallem cui nomen Ametegis partibus Guntchramni cassantes, his legatis, ubi plus congruebat, patrocinium sibi firmarent. Post hæc integra devotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora, post permissu Guntchramni et Childeberti, tunc Autharium ducem super se Langobardi sublimant in regnum. Alius Autharius, idemque dux cum integro suo ducatu se ditioni imperii tradidit, ibique permansit. Et Autharius rex tributa, quæ Langobardi ad partem Francorum spondiderant, annis singulis reddidit. Post ejus discessum filius ejus Ago in regno sublimatus, similiter implesse dinoscitur. Anno 35 regni Clotarii, legati tres nobiles ex genere Langobardorum, Agilulfus, Pompegius, et Gauto (al., *Guto*) ab Agone rege ad Clotarium regem destinantur petentes, ut illa XII millia solidorum, quos annis singulis Francorum ærariis dissolvebant, debuisset cassare, exhibentes ingeniose secretius III millia solidos: ex quibus Warnacharius mille, Gundealdus mille, et Chucus mille acceperunt. Clotario vero 35 millia solidorum insimul exhibebant, quos consilio suprascriptorum, qui occulte xeniati fuerant, Clotarius accepit, et ipsa tributa ad partem Langobardorum cassavit, et amicitiam perpetuam cum Langobardis sacramentis et pactis firmavit. » Corrigenda hic plura, quæ Fredegarius de Langobardicis rebus non bene comperta recitat, nempe Agilulphum Authario filium fuisse, ac XII tantum duces defuncto Clephone Langobardis imperasse Mauricii tempore. At quæ in Francia gesta sunt eumdem novisse non inficiabor.

Digitized by Google

Apud Ticinum quoque in basilica beati Petri apostoli, Petrus cantor fulmine ictus.

## CAPUT XXXIII.

*De pace facta cum Smaragdo patricio, et de captis Tusciæ civitatibus.*

Sequenti denique mense Novembrio, rex Agilulfus a pacem fecit cum Smaragdo patricio in annum unum, accipiens a Romanis duodecim millia solidorum. Civitates quoque Tusciæ, hoc est b Balneum regis, et urbs vetus a Langobardis invasæ sunt. Tunc etiam mense Aprili, et Maio, apparuit in cœlo stella, quam cometem dicunt. Dehinc Agilulfus rex iterum c fecit pacem cum Romanis tribus annis.

## CAPUT XXXIV.

*De morte Severi patriarchæ, et de sacerdotio Joannis, et Candidiani.*

His diebus defuncto Severo patriarcha, d ordinatur Joannes abbas patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis et Gisulfi ducis. In Grados quoque ordinatus est e Romanis Candidianus antistes. f Rursum mense Novembrio, et Decembrio, stella cometes apparuit. Candidiano quoque defuncto apud Grados ordinatur patriarcha g Epiphanius, qui fuerat h primicerius notariorum ab episcopis, qui erant sub Romanis; et ex illo i tempore cœperunt duo esse patriarchæ.

## CAPUT XXXV.

*De invasione Neapolitanæ civitatis, et de morte Eleutherii falsi imperatoris.*

Hac ætate Joannes Consinus invasit Neapolim, quem de eadem civitate non multos post dies j Eleutherius patricius expulit, eumque interfecit. Post hæc isdem Eleutherius patricius eunuchus imperii jura suscepit. Qui dum a Ravenna Romam pergeret, in castro Luceolis a militibus interfectus est, caputque ejus Constantinopolim imperatori delatum est k

a Al., *inducias*. Lind.

b Mod., *Balneus regis*.

c Anno scilicet 606.

d Mod., *ordinatus est in ejus loco Joannes*, etc.

e Mod. et Lind. *Romanus*.

f Expunctis de libri III, cap. 26, erroribus, quos noster ibi plures cumulaverat, non alio de fonte quam ex libris ipsis schismaticorum, ea quæ post Maranensem pseudosynodum gesta sunt, ex doctiss. Norisio prosequar, acta divi Gregorii in eadem causa recensens, qui Pelagio successit, et non minori cura revocandis ad Ecclesiam schismaticis incubuit. Initio enim Severum Aquileiensem episcopum datæ coram Joanne Ravennate archiepiscopo fidei prævaricatorem Romam cum cæteris schismaticis episcopis vocavit, ut epist. lib. I, additis divalibus jussionibus, quas impetraverat. Severus iis acceptis collegas evocat, habitaque ab iis, qui Langobardorum ditioni suberant, tumultuaria synodo, ea fuit sententia, ne quis Romam accederet, datisque litteris ad Mauricium, Romanæ sedis judicium declinare statutum est. Interim a Severo congregatis Istriæ episcopis, in unam pariter sententiam itum est, ut a pontifice Cæsarem appellarent, datisque litteris, Mauricium commentis suis eo adduxerunt, ut ad Gregorium, et Romanum exarchum rescriberet, ne molestia eisdem inferretur, verebatur enim ne vi adhibita Istros, qui suis adhuc partibus adhærebant, ad Langobardos proniores faceret. Quousque Romanus exarchatum tenuit nulla spes Gregorio schismaticos corrigendi, neque dum Callinicus in eadem permansit auctoritate, donec, isto Constantinopolim revocato, Smaragdus iterum in Italiam venit, quem ex præteritæ bene gestæ rei memoria in Severum et schismaticos suis litteris iterum provocavit. Occiso inter hæc Mauricio, quem nunquam sibi faventem habuit Gregorius, Phoca imperante meliores animo spes jam conceperat, cum paulo post ad superos abiit. Cæterum nec Severus Aquileiensis diu superstes; nam et ipse anno 6.5 fatis concessit, « et quia, ut scribit Joannes Diaconus a Norisio recitatus in Vita sancti Gregorii cap. 38, ad unitatem sanctæ universalis Ecclesiæ redire non meruit, ad scindendum quoque suæ ipsius diœceseos unitatem Romanum pontificem sua vecordia suscitavit, adeo ut ab ipso illius obitus tempore Aquileiensis diœcesis in duos metropolitanos, Catholicorum videlicet et schismaticorum divisa sit, neque potuit postmodum, licet omnes generaliter ad unitatem de schismate repedaverint, ad pristinæ conjunctionis unionem usque hactenus reformari. » Gradensibus enim Catholicum, Aquileiensibus schismaticum episcopum expetentibus, utrique parti suus accessit, Candidianus Arimmensis Catholicis, Joannes abbas schismaticis, Candidianum exarchus, Joannem Agilulphus tuebantur; constat enim ex registro epistol. divi Gregorii quam accepti in ejus aula schismatici forent: imo jam rumor erat ad eosdem Theodolindam reginam descivisse, qua de causa multas ad eam litteras dedit, ut lib. III Reg. et aliam, quam supra retuli, cum de nato Aladvaldo gratulatus est. Cæterum quæ hic noster addit de ordinato Joanne schismatico cum consensu regis, et Gisulfi ducis in Aquileia vetere, leguntur etiam in Chronico Danduli ab Ughello relato, ex quo ut Norisius, aliique notant, explodendus Martianus, quem successorem Severo facit. « Marciano, scribit Dandulus, successit Candidianus patriarcha in ipsa suprascripta metropoli Gradensi. Sub cujus tempore per consensum Agilulphi regis Langobardorum, Gisulphus dux per vim episcopum in Forojulii ordinavit Joannem abbatem. In quo tres episcopi consenserunt, Deo sibi contrario, et ordinaverunt, *etc.* Sedit an. v.

g Al., *Epiphanias*. Lind.

Anno 615 ut communiter cum Ughello: de eodem hæc Dandulus: « Hic natione Istriæ de oppido Humagi, vir catholicus, et Scripturis divinis satis eruditus, presbyter et notarius hujus sedis ab Helia patriarcha factus, in Concilio Gradensi officium sibi commissum sufficienter exercuit, et a Severo patriarcha postea primicerius notariorum constitutus est, nunc vero ab episcopis, clero, et populo, qui in devotione Romanorum existebant, patriarcha in Grado electus, et consecratus est, et propterea Gradensis deinde appellatus. »

h Primicerius nihil aliud est, quam princeps; vel primus; quemadmodum *primicerius numerariorum*, *tabulariorum*, sic etiam dicebatur *secundicerius*, *tertiocerius*. Nicephori Gregoræ temporibus hæc appellatio desiit, et primicerium *dominum* appellarunt. Sic ipse scribit Hist. Rom. lib. VII, pag. 109: Τῆς βοιωτίας καὶ τῶν θηβῶν ἀρχηγόν, ἀντὶ μεγάλου πριμμικηρίου, μέγαν κύριον ὀνομάζουσι νῦν. De origine nominis diversi diversa sentiunt; alii dictos putant quasi prima cera, hoc est albo, sive catalogo inscriptos, alii τὸ *cerius* productionem tantum vocis esse, nihilque præterea significare. Lind.

i Non a tempore ordinati Epiphanii, sed Candidiani, et Joannis, ut citatis Joannis Diaconi verbis optime probat Norisius.

j Amb., *Eleutherius patricius eunuchus imperii jura suscepit*.

k Anastasius Bibliothecarius in sanctum Deusdedit: « Eodem tempore veniens Eleutherius patricius et cubicularius Ravennam occidit omnes qui in nece Joannis exarchi et judicis reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, et susceptus est a sanctissimo

Digitized by Google

## CAPUT XXXVI.

*De pace facta cum imperatore.*

Hac etiam tempestate misit rex Agilulfus [a] Stabilicianum notarium suum Constantinopolim ad [b] Focam imperatorem. Qui rediens cum legatis imperatoris, facta pace annuali, Agilulfo regi iidem legati imperialia munera obtulere.

## CAPUT XXXVII.

*De Foca Augusto, et ejus nece, et imperio Heraclii.*

Focas igitur, ut præmissum est, exstincto Mauricio, ejusque filiis, Romanorum regnum invadens, per [c] octo annorum curricula principatus est. Hic, rogante papa Bonifacio, [d] statuit sedem Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ec- A clesia Constantinopolitana [e] primam se omnium Ecclesiarum scribebat. [f] Idem alio papa Bonifacio petente jussit in veteri fano, quod Pantheon [g] vocabant, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ et omnium martyrum fieri, ut ubi quondam omnium non deorum, sed dæmonum cultus [h] erat, [i] ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Hujus tempore [j] Prasini, et Veneti per Orientem et Ægyptum civile bellum faciunt, ac se mutua cæde prosternunt. [k] Persæ quoque adversus rempublicam gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias, et ipsam Hierosolymam auferunt, [l] et destruentes ecclesias, sancta quoque profanantes, [m] inter ornamenta locorum sanctorum, etiam vexillum

Deusdedit papa optime. Qui egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Compsino Intarta (seu, ut alii legunt, *Antarta*). Qui Eleutherius patricius pugnando ingressus est Neapolim, et interfecit tyrannum, reversusque est Ravennam, et data roga militibus, pax facta est in tota Italia. » Et in Bonifacio V sancti Deusdedit successore: « Eodem tempore ante dies ordinationis ejus Eleutherius patricius, et eunuchus factus Intarta assumpsit regnum, et veniente eo ad civitatem Romanam, in castrum, quod dicitur Luceolis, ibidem a militibus Ravennatis interfectus est. Cujus caput ductum est Constantinopolim ad piissimum principem. » Ex his actæ rei seriem perspicue noscimus, imo et tempus paulo serius, quam noster habet indicatur: quippe sede vacante, ante ordinationem Bonifacii, Eleutherius rebellis et ipse ut Joannes Consinus occisus fuerat, anno scilicet 618. Vide quæ notavit Camillus Peregrinius in Dissertat. finium ducatus Benevent. ad Merid. pag. 33.

[a] Al., *Stablicianum*. Lind.

[b] Amb., *Focacem*.

[c] Non completos tamen: quippe anno 602, 23 Novembris, coronatus fuerat, ut supra notavi, et, eodem teste Chronico Alexandrino, anno Christi 610, ut communiter numerant eruditi, mense Octobri, feria secunda, Heraclius in imperatorem inauguratus est.

[d] Mod.: *statuit sedem Rom., et apost. Eccl. primam esse, cum prius Constantinopolitana*, etc., *scriberet*.

[e] Anastasius, in Bonifacio III, unde fortasse Paulus: « Hic obtinuit apud Phocam principem ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. » Celeberrima hæc in Annalibus ecclesiasticis quæstio de titulo œcumenici, sive universalis, quem sibi per summam ambitionem arrogare conatus fuerat Joannes cognomento Jejunator Constantinopolitanus episcopus, divi Gregorii Magni temporibus, eaque novatio, quæ suas altius radices habebat, ut tentatum nempe toties primatum, adversantibus Romanis pontificibus, firmaret in sede Constantinopolitana, sanctum pontificem adeo, ut par erat, offendit, quod vix ab ecclesiastica censura in Joannem ipsum, religiosum alioquin virum, temperaverit. Exstant plures de hac re in illius registro epistolæ ad Apocrisiarium suum, ad Joannem ipsum, ad Alexandrinum et Antiochenum episcopos, ad Augustam, et ad Mauricium imperatorem, quas inter vicesima libri v citatæ Editionis plura continet argumenta quibus novam hanc appellationem concussit; inani tamen conatu quoad Mauricius imperavit, apud quem Joannes episcopus plurimum gratia pollebat. At his omnibus varia sorte de hac vita sublatis, Bonifacius hujus nominis III, qui Gregorio post Sabinianum successit, id a Phoca Mauricii successore tandem obtinuit, sedente in Constantinopolitana sede Cyriaco, ut edicto proposito sanciverit « decere ejusmodi nomen Romanam

B tantum Ecclesiam, ipsique soli convenire Romano pontifici, ut diceretur universalis, non autem episcopo Constantinopolitano, » ut refert eminentissimus Baronius, anno Christi 606, apud quem hoc anno ex Theophane repetitas vide simultates inter Phocam et Cyriacum, quibus motum imp. hæc in odium edidisse putat celebratissimus auctor.

[f] Al., *eodem*. Lind.

[g] Amb., *antea vocabatur*.

[h] Mod., *agebatur*.

[i] Anastasius item in sancto Bonifacio IV: « Eodem tempore petiit a Phocate principe templum, quod appellatur Pantheon, in quo fecit ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis, et omnium martyrum. » De hujus celeberrimi templi dedicatione, quod etiamnunc Romæ visitur vulgari appellatione sancta Maria della Rotonda, vide Palæprochium, in Vita sancti Bonifacii IV, ad diem 25 mensis Maii, et Pagium, ann. 607, num. 3.

C [j] Ita vocabantur factiones aurigarum, de quibus vide Plin., lib. VII, cap. 33; Suetonium, in Domitiano, cap. 7; Tertullian., de Spectaculis, cap. 9; Cassiodorum, lib. III Variar. epist. 13; Suidam, Isidorum, Cedrenum, initio imper. Romani. Lind.

[k] Al., *Per se* Lind.

[l] *Et destruentes ecclesias sanctas, profanantesque inter*, etc. Amb.

[m] Al., *Veterum ornamenta locorum, et communiunt, etiam vexillum sanctum Dominicæ crucis asportarunt*. Lind., et ita Mod. et Amb.; sed non legitur τὸ *veterum*. Errat hic Paulus Hierosolymam a Cosrhoe rege captam cum annis imperii Phocæ illigans; constat enim ex Theophane atque auctore Chronici Alexandrini, Heraclio imperante, indictione 2, quæ in annum 614 incidit, insignem hanc calamitatem accidisse, quæ nullibi fusius quam in ipso Chronico Alexandrino, cujus verba repetimus: ΙΝΔ. β, δ μετὰ ὑπ. Ἡρακλείου αὐγούστου τὸ γ᾽ καὶ ἀπὸ κϐ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς γράφεται, βασιλείας Ἡρακλείου νέου Κωνσταντίνου ἔτους β᾽.
D Τούτῳ τῷ ἔτει περὶ μῆνα Ἰούνιον θρήνων ἀπαύστων ἄξιον ἡμῖν συνέβη πάθος. Μετὰ γὰρ πολλῶν τῆς ἀνατολῆς πόλεων ἥλω καὶ Ἱερουσαλὴμ ὑπὸ Περσῶν, καὶ σφάζονται πολλαὶ χιλιάδες ἐν αὐτῷ κληρικῶν, μοναχῶν, μοναστριῶν παρθένων. Ἐμπίπραται τὸ Δεσποτικὸν μνῆμα, καὶ οἱ περιβόητοι τοῦ Θεοῦ ναοί. Καὶ ἁπλῶς πάντα τὰ τίμια καθαιρεῖται. Τὰ σεβάσμια τοῦ σταυροῦ ξύλα σὺν τοῖς ἱεροῖς σκεύεσιν ἀναριθμήτοις οὖσιν λαμβάνεται παρὰ Περσῶν, καὶ Ζαχαρίας πατριάρχης, καὶ αἰχμάλωτος γίνεται. Καὶ ταῦτα οὐκ ἐν πολλῷ χρόνῳ οὐδὲ ἐν ὅλῳ μηνί, ἀλλ᾽ ἐν ἡμέραις ὀλίγαις συμβέβηκε. Καὶ τῇ ιδ᾽ Γορπιαίου μηνὸς, κατὰ Ῥωμαίους Σεπτεμβρίου μηνὸς, τῆς τρίτης ἰνδικτιῶνος, ἐν τῇ τρίτῃ ὑψώσει ἀποδεχθεὶς τῷ ζωοποιῷ σταυρῷ ὁ τίμιος σπόγγος, καὶ αὐτὸς συνυψοῦται αὐτῷ ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ πεμφθεὶς παρὰ Νικήτα πατρικίου. Καὶ τῇ κη᾽ τοῦ ὑπερβερεταίου, κατὰ Ῥωμαίους Ὀκτωβρίου μηνός, ἡμέρᾳ ζ, τῇ ἐπὶ κυριακῇ νυκτί, ἠνέχθη ἡ τιμία λόγχη ἀπὸ τῶν ἁγίων τόπων, ἑνὸς τῶν ἐγγιζόντων τῷ καταράτῳ Σαρβαρα μετὰ τὸ λη-

Digitized by Google

Dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Focam [a] Heraclianus, qui Africam regebat, rebellavit, atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque privavit, remque publicam Romanam ejusdem filius Heraclius [b] suscepit regendam.

## CAPUT XXXVIII.

*De morte Gisulfi ducis, et de prædatione Forojulianæ urbis, et cæteris malis, quæ Langobardi ab Hunnis sunt perpessi.*

Circa hæc tempora rex Avarorum, quem sua lingua [c] Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est. Huic Gisulfus Forojulianus dux cum Longobardis, quos habere poterat audacter occurrit. Sed quamvis forti animositate contra immensam multitudinem bellum cum paucis gereret, undique tamen circumseptus cum omnibus suis pene exstinctus est. Uxor vero ejusdem Gisulfi, nomine Romilda, cum Langobardis qui evaserant, sive eorum uxoribus, et filiis, qui in bello perierant, [d] intra murorum Forojuliani castri munivit septa. Huic erant filii Taso, et [e] Caco, jam adolescentes, Radoaldus vero et Grimoaldus adhuc in puerili ætate erant constituti. Habebat vero et filias quatuor, quarum una [f] Appa, alia Galla vocabatur, duarum vero nomina non tenemus. Communierant se quoque Langobardi et in reliquis castris, quæ iis vicina erant, hoc est, in [g] Cormones, [h] Nomaso, Osopo, Artenia, [i] Reunia, [j] Glemona, vel etiam [k] in Ibligine, cujus positio omnino expugnabilis existit. Pari etiam modo, et in reliquis castellis, ne Hunnis, hoc est [l] Avaribus, præda fierent, se communiere. Avares vero per omnes Forojulianorum fines discurrentes, omnia incendiis et rapinis vastantes, Forojulianum oppidum obsidione claudunt, et totis viribus expugnare moliuntur. Horum rex, id est, [m] Cacanus, dum circa muros [n] armatus cum magno equitatu perambularet, ut qua ex parte urbem facilius expugnare posset inquireret, hunc Romilda de muris prospiciens, cum eum cerneret juvenili ætate florentem, meretrix nefaria concupivit, eique mox per nuntium mandavit, ut si se in matrimonium sumeret, ipsa eidem civitatem cum omnibus qui aderant traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo, quod mandaverat se facturum promisit, eamque in matrimonium spopondit accipere. Illa vero nihil morata, portas Forojuliensis castri aperuit, et ad suam cunctorumque qui aderant perniciem [o] hostem introduxit. Ingressi vero Avares cum rege suo Forum-Julii, universa quæ invenire poterant rapinis diripiunt. Ipsamque urbem flammis concremantes, universos quos repererant captivos abducunt, fallaciter tamen eis promittentes quod eos unde digressi fuerant, Pannoniæ in finibus collocarent. Qui cum patriam revertentes, et ad campum quem sacrum nominant pervenissent, omnes qui jam in majori ætate constituti erant Langobardos perimere gladio statuunt, mulieres vero [p] et parvulos captivitatis sorte dividunt. Taso vero et Cacco, [q] seu

φθῆναι αὐτὴν παρ' αὐτῶν, δεδωκότος αὐτὴν τῷ μνημονευθέντι Νικήτᾳ. Καὶ εὐθέως αὐτῇ τῇ κυριακῇ ἐκηρύχθη ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ὡς ἠνέχθη. Καὶ τῇ τρίτῃ, καὶ τετάρτῃ προσεκυνήθη ὑπὸ ἀνδρῶν, πέμπτῃ δὲ καὶ παρασκευῇ ὑπὸ γυναικῶν. « Ind. 2, Her. 4 post consulat. Heraclii Augusti, III. A 22 Januarii scribitur: Imp. Heraclii Junioris Constantini anno 2. Hoc mense Junio malum nobis accidit æternis lacrymis prosequendum. Præter alias enim multas Orientis civitates etiam Hierosolyma a Persis capta est, multis millibus in ea clericis, monachis, sacris virginibus, occisis. Inceditur Dominicum sepulcrum, nobilissimaque Dei templa. Et, ut verbo dicam, pretiosa omnia evertuntur. Veneranda Crucis ligna una cum sacris vasis, quorum innumerus fuit numerus, a Persis auferuntur. Ipse Zacharias patriarcha captivus ducitur. Atque hæc omnia non longo facta sunt tempore, sed intra paucos dies accidere. 14 Gorpiæi mensis, qui Romanis est September, indictione 3, in tertia vitalis Crucis exaltatione, accepta est sacra spongia, quæ una cum vitali Cruce exaltatur in magna ecclesia, missa a Niceta patricio. 28 Hyperberetbæi, sive Octobris, die Sabbati, ea nocte quæ præcedit Dominicam, veneranda lancea e sacris Hierosolymorum locis allata est, quam quidam familiaris exsecrabilis Sarbaræ, acceptam a barbaris, dedit Nicetæ, de quo diximus. Et statim die Dominico in maximo et sanctissimo templo proclamata est, simul ac illata est. Tertia et quarta feria a viris adorata est, quinta et sexta a feminis. »

[a] Heraclius etiam appellatur pater imp. Heraclii in Chron. Alexandrino.

[b] Anno 610.

[c] Avarorum reges Cacanos appellatos fuisse, passim in historicis testimonia.

[d] *Intra muros Forojuliani castrimonii septa est.* Mod.

[e] Al., *Cato*, et sic infra. Lind.

[f] Al., *Pappa*. Lind. et Mod.

[g] Al., *Conibona*. Lind.

[h] Mod., *Nemasapo*. Amb., *Hemas Osopo*; al., *Nemas*; al., *Memaso Osopio*. Lind.

[i] Al., *Reumari*. Lind.

[j] Ms., *Glemonia*. Lind.

[k] Al., in *Bilige*. Lind. et Mod. Al., *Hibligine*. Cluverius, in Italia antiqua, ad hunc Pauli locum: « Osopum item castellum, sive Osopium, seu Osupum (sic scilicet varia Exemplaria Pauli Diacon. hoc vocabulum variant) ad idem flumen, hodieque vulgo dicitur Osopo supra Reuniam in nativo eminentique saxo circumjectis campis conspicuum. Prope sunt Artenia, et Glemona-castella: quorum illud nunc Artegna patria lingua vocant incolæ; hoc vero Ghiemona, et corruptius Gemona, etc. Nemasum ejusdem Pauli Diac. ex vicinitate hactenus enarratorum conjicio esse eum vicum qui ad Fellam flumen, haud ita procul a Tilavempti confluente, et Ventione oppido, vulgo nunc dicitur Mazo. Sed Exemplaria Diaconi vehementer hic variant, alia quippe habent Nemaso, alia Nomaso, alia Hemas, quædam Nemas, et nonnulla Memaso, ex quibus pleraque tamen habent primam syllabam *Ne*. Memoratur iterum lib. v, cap. 22. Apud Nemas castrum, quod non longe a Foro Julii distat, extinctus est. Reliquum illud castellum Ibiligo, aliis in exemplaribus est Ibligo, et in nonnullis Biligo, videtur esse is vicus qui, infra Tercentum oppidum in dextra turri fluminis ripa situs, e regione supradictorum castellorum vulgo nunc vocatur Biliris. »

[l] Al., *Avaribus*, seu *Bavaribus*. Lind.

[m] Al., *jam dictus Cacanus*. Lind.

[n] Mod., *armatus cum exercitu perambularet*.

[o] Mod., *hunc*.

[p] Verba *et parvulos sorte captivitatis dividunt. Taso vero*, al. non leguntur. Lind.

[q] Al., *cæterique Gisulfi et Romildæ filii*. Lind.

Digitized by Google

Rodoaldus, filii Gisulfi, et Romildæ, cum hanc Avarorum malitiam cognovissent, statim ascensis equis, fugam arripiunt. E quibus unus Grimoaldum puerulum fratrem suum, dum existimaret, ut pote parvulum, super [a] equum currentem se tenere non posse, melius ducens eumdem gladio perimere, quam captivitatis jugum sustinere, eum occidere voluit. Cum igitur ut eum percuteret lanceam elevasset, puer lacrymans exclamavit, dicens : [b] Noli me pungere, quia possum me super equum tenere. Qui injecta manu eum per brachium apprehendens, super nudum equi dorsum posuit, [c] eumdemque ut se contineret hortatus est. Puer vero, frenum equi manu arripiens, fugientes germanos et ipse secutus est. Quo comperto Avares, mox ascensis equis, eos persecuti sunt, et reliquis veloci fuga evadentibus, Grimoaldus puerulus ab uno eorum qui velocius cucurrerat capitur, nec [d] tamen eum suus comprehensor gladio ferire propter parvitatem ætatis dignatus est, sed sibi eumdem potius serviturum reservavit. [e] Cumque eum ad castra revertens apprehenso ejusdem equi freno reduceret, deque tam nobili præda exsultaret (erat enim ipse puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfusus), qui cum se captivum trahi doleret, ingentes animos [f] angusto in pectore versans, ensem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, [g] seque trahentem Avarem, quantulo annisu valuit, capitis in cervice percussit. Moxque ad cerebrum ictus perveniens, hostis ab equo dejectus est. Puer vero Grimoaldus, [h] verso equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisque liberatione sui nuntiata, insuper hostis interitu inæstimabile gaudium fecit. Avares vero omnes Langobardos, qui jam in virili ætate erant, gladio perimunt, mulieres vero et parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam vero, quæ totius malitiæ caput exstitit, rex [i] Avarum propter jusjurandum sicut ei spoponderat nocte una quasi in matrimonio habuit, novissime vero duodecim Avaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus sibi succedentes libidine vexarent. Postmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eamdem in ejus [j] acumine inseri mandavit, [k] hæc insuper exprobrando inquiens : Talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini, quam civium et consanguineorum saluti prospexit. Filiæ vero ejus non matris libidinem secutæ, sed castitatis amori studentes, ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumque eas vellent Avares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum exsecratione recedentes, atque dicentes omnes Langobardas fœtidas esse. Hac igitur arte Avarum libidinem puellæ nobiles evadentes, et ipsæ castæ servatæ sunt, et utile servandæ castitatis, si quid tale feminis contigerit, mandaverunt [l] exemplum. Quæ postea per diversas [m] regiones venundatæ, juxta nobilitatem suam dignis sunt nuptiis [n] potitæ. Nam una earum Alamannorum regi, alia vero dicitur [o] Bajoariorum principi nupsisse.

## CAPUT XXXIX.

*De genealogia Pauli Arnefridi.*

[p] Exigit vero locus, postposita generali historia, pauca etiam privatim de mea, [q] qui hæc scribo, genealogia retexere, et quia res ita postulat, paulo superius narrationis ordinem replicare. Eo denique tempore quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam venit, [r] Leuphis meus abavus, ex eodem Langobardorum genere cum eis pariter adventavit. Qui postquam aliquot annos in Italia vixit, diem claudens extremum, quinque ex se genitos filios adhuc parvulos reliquit, quos [s] tempestas ista captivitatis, de qua nunc diximus, [t] comprehendens, omnes ex castro Forojuliensi, in Avarum patriam exsules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captivitatis miseriam sustinuissent, et jam ad virilem pervenissent ætatem, cæteris quatuor, quorum nomina non retinemus, in captivitatis angustia persistentibus, quintus eorum germanus, nomine [u] Lupicis, qui noster postea proavus exstitit, inspirante sibi (ut credimus) misericordiæ auctore, captivitatis jugum abjicere statuit, et ad Italiam, quo gentem Langobardorum residere meminerat, tendere, atque ad libertatis jura studuit repedare. Qui cum iter aggressus fugam arripuisset, tantum pharetram, et arcum, et aliquantulum cibi propter viaticum gerens, nesciretque omnino quo pergeret, ei lupus adveniens comes itineris, et ductor factus est. Qui cum ante eum pergeret, et frequenter post se respiceret, et cum stante subsisteret, atque cum pergente præiret,

[a] *Equum se tenere.* Amb.

[b] Amb., *Noli, frater mi, me pungere*, etc.

[c] Amb. et Mod., *eumdemque ut si posset se*, etc.

[d] Al., *tamen eum comprehensum.* Lind.

[e] Al. : *Cumque hostis ad castra revertens apprehenso ejusdem equi freno eum reducendo, de tam*, etc. Lind.

[f] Τῷ *angusto* non leg. in Amb. Item *vagina.*

[g] Al. : *Inque hostis præeuntis caput quantulo annisu valuit percussit.* Lind.

[h] Mod. non leg. *verso.*

[i] Al., *Avarorum*, et ita semper. Lind.

[j] Mod., *cacumine.*

[k] Receptum etiam hoc genus supplicii Sclavis fuit. Helmoldus Historiæ Slavorum cap. 53 : « Quanta enim mortium genera Christicolis intulerint, relatu difficile est, cum his quidem viscera extorserint palo circumducentes, hos cruci affixerunt irridentes signum Redemptionis nostræ. » Lind. Tunc primum hoc tormenti genus in Italia visum plures notaverunt.

[l] Al., *utilem formam.* Lind.

[m] Amb., *provincias.*

[n] Amb., *petitæ.*

[o] Gailam Gariobaldo Bojorum regulo nupsisse scribit Joannes Aventinus in Annalibus gentis illius.

[p] Amb., *Exigit vero nunc locus*, etc.

[q] Verba *qui hæc scribo*, non leg. in Amb.

[r] Amb. et Mod., *Leupchis*, al., *Leuchis.* Lind.

[s] Mod., *tempestate.*

[t] Mod., *comprehensos.*

[u] Mod., *Leuphis.* A. *Leupigis.* L. *Leuchis*, vel *Leupchis.*

Digitized by Google

intellexit sibi eum divinitus datum esse, ut ei iter quod nesciebat ostenderet. Cumque per aliquot dies per montium solitudines hoc modo pergerent, panis eidem viatori, quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum jejunans iter carperet, et jam [a] fame tabefactus defecisset, tetendit arcum suum, et eumdem lupum, ut eum in cibum sumere posset, sagitta interficere voluit. Sed lupus ictum ferientis præcavens, ab ejus visione elapsus est. Ipse autem, recedente eodem lupo, nesciens quo pergeret, insuper [b] famis penuria nimium debilis effectus, cum jam de vita desperaret, sese in terram projiciens obdormivit, videtque quemdam virum in somnis talia sibi verba dicentem : Surge, qui dormis : arripe viam in hanc partem contra quam pedes tenes ; illac etenim est Italia, ad quam tendis. Qui statim surgens, in illam partem, quam in somnis audierat, pergere cœpit : nec mora, ad habitaculum [c] hominum pervenit. Erat enim Sclavorum habitatio in illis locis. Quem cum una mulier jam vetula vidisset, statim intellexit eum fugitivum esse, et famis penuria laborare. Ducta autem misericordia super eum, abscondit eum in domo sua, et secreto paulatim ei victum ministravit, ne si ei usque ad saturitatem alimoniam præberet, ejus vitam funditus exstingueret. [d] Denique sic competenter ei pastum præbuit, quousque ipse recuperatus vires accipere potuisset. Cumque eum jam validum ad iter faciendum vidisset, datis ei cibariis, ad quam partem tendere deberet, [e] admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus, ad domum in qua ortus fuerat pervenit. Quæ ita deserta erat, ut non solum tectum non haberet, sed etiam rubis et sentibus plena esset. Quibus ille succisis, [f] intra eosdem parietes vastam ornum reperiens, in hac suam pharetram suspendit. Qui postea consanguineorum, et amicorum suorum muneribus ditatus, et domum reædificavit, et uxorem duxit, sed nihil de rebus, quas genitor suus habuerat, exclusus jam ab iis, qui eas invaserant longa et diuturna possessione, conquirere potuit. Iste, ut jam superius præmisi, exstitit meus proavus. Hic etenim genuit avum meum Arichim, Arichis vero patrem meum Warnefrid, Warnefrid ex Theudelinda conjuge sua genuit me Paulum meumque germanum Arichim; qui nostrum avum cognomine retulit. His paucis de propriæ genealogiæ serie delibatis, nunc generalis historiæ revertamur ad tramitem.

## CAPUT LX.

*De ducatu, et de morte Tasonis, et Saconis.*

Mortuo, ut diximus, Gisulfo Forojuliensi duce, Taso et Cacco filii ejus eumdem ducatum regendum susceperunt. Hi suo tempore Sclavorum regionem, quæ [g] Zellia appellatur, usque ad locum qui Medaria dicitur, possederunt. Unde usque ad tempora [h] Ratchis ducis, iidem Sclavi pensionem Forojulianis ducibus persolverunt. Hos duos fratres Gregorius patricius Romanorum in civitate Opitergio dolosa fraude peremit. [i] Nam promittens Tasoni, ut ei barbam, sicut moris est, incideret, eumque sibi filium faceret, ipse Taso cum Caccone germano suo, et [j] electis juvenibus ad eumdem Gregorium nihil mali [k] metuens advenit. Qui mox cum Opitergium cum suis esset ingressus, statim isdem Patricius civitatis portas claudi præcepit, et armatos milites super Tasonem ejusque socios misit. Quod Taso cum suis comperiens, audacter se ad prælium præparavit, ultimumque sibi data pace valedicentes, [l] per singulas civitatis plateas hac illacque dispersi, quoscunque obvios habere poterant trucidantes, cum magnam stragem de Romanis fecissent, ad extremum etiam ipsi perempti sunt. Gregorius vero Patricius propter jusjurandum quod dederat, caput Tasonis sibi deferri jubens, ejus barbam sicut promiserat perjurus abscidit [m].

[a] τὸ *fame*, non leg. in Mod.

[b] Mod., *panis*.

[c] Mod., *hominis*.

[d] Al., *Sicque competentem ei victum præbuit, donec vires recuperavit.* Lind.

[e] Amb., *animavit*.

[f] Amb., *intra eosdem parietes astam reperiens*.

[g] Amb. et Mod., *Cagellia*. Lind. *Aglia*. Regio Pannoniæ superioris, quæ nunc Ciliensis comitatus dicitur, vel Zemblynensis a Zemblin oppido, pars est Regni Hungariæ superioris.

[h] Amb., *Ratigis*.

[i] Al., *Nam cum promitteret Tasoni barbam ut moris est incidere, eumque filium fateretur*, etc. Lind. Morem hunc veterum eruditissime Adrianus Valesius explicat in suis Notis ad Berengarium, ubi quid Romanis esset barbatorias celebrare pluribus exemplis indicans, hæc addit : « Mansere et apud Christianos prisci moris vestigia. Adolescentem enim radendum deducebant in ecclesiam parentes, et propinqui, amicique, et per presbyteri, vel etiam episcopi ministerium primam lanuginem posituro fausta precabantur. In libro Sacramentorum Gregorii papæ cum oratione ad capillaturam reperitur, et oratio ad barbas tondendas, quæ talis est : *Deus, cujus spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum* Ill. *juvenilis ætatis decore lætantem, et primis auspiciis attondendum, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœlestem benedictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et æternæ.* Et Proceres quidem eligebant aliquem magnæ dignitatis virum, cujus sibi manu prima barba cederetur. Sic Taso Langobardus dux Forojuliensium Gregorium patricium, et exarchum Ravennæ eam in rem elegerat, a quo per fraudem et perfidiam est interemptus. Quippe jurejurando pollicitus erat Gregorius se Tasoni barbam sicut moris erat incisurum, eumque sibi filium facturum, etc., ut Paulus in libro IV de Gestis Langobard., ex quo apparet cujus quis manu primam barbam posuisset, ei fuisse filii adoptivi loco. Primæ barbæ tonsio et festivi simul convivii apparatus, tum propinquis et amicis dari soliti, dies quoque ipsa, qua barba ponebatur, barbatoria vocabatur. Vide plura apud eumdem.

[j] Al. *electis muneribus ad eumdem Opitergium cum suis esset ingressus, statim dictus patricius*, etc. Lind.

[k] Amb., *suspicans*.

[l] Mod., *per singulas civitatis plateas prout poterant*, etc., alias *per singulas civitatis plateas in se irruentes trucidantes, cum magnum*, etc. Lind.

[m] Rem aliter narrat Fredegarius in Chronico ad annum IX Dagoberti regis, qui 631, vel ut ipse fortasse numerat 630, respondet. Innuerat ipse Arioaldum accepto statim regno de occidendo Tasone, non Forojulii, sed Tusciæ duce cogitasse ; inde se-

Digitized by Google

## CAPUT XLI.

*De Grasulfo duce Forojuliano, et de adventu Radoaldi et Grimoaldi in Beneventum.*

His ita [a] peremptis, dux Forojulianus Grasulfus Gisulfi germanus constituitur. Radoaldus vero et Grimoaldus, despectui ducentes sub patrui sui Grasulfi [b] potestate degere, cum essent jam prope juvenilem ætatem, ascensa navicula remigantes ad Beneventi fines perveniunt. Exinde ad [c] Arichim Beneventanorum ducem, suum quondam pædagogum, properantes, ab eo gratissime suscepti, et filiorum loco sunt habiti. Hiis temporibus mortuo Tassilone duce Bajoariorum, filius ejus Garibaldus, [d] in Agunto a Sclavis devictus est, et Bajoariorum termini deprædantur. Resumptis tamen Bajoarii viribus, et prædas ab hostibus excutiunt, et hostes de suis finibus pepulerunt [e].

## CAPUT XLII.

*De facta pace cum imperatore et Francis, et depopulatione Histriæ, et morte Gundualdi.*

Rex vero Agilulfus pacem cum imperatore in annum unum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato [f] pacem renovat. Hoc nihilominus anno Sclavi Histriam interfectis militibus lacrimabiliter deprædati sunt. Sequenti quoque mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus servus Christi, de quo sæpe jam diximus, qui usque ad sua tempora succinctam de Langobardorum gestis composuit historiolam [g]. Eo tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem composuit. Occisus quoque est hiis diebus Theudebertus rex Francorum, et facta est pugna gravissima [h] inter eos. Gundualdus etiam Theudelindæ reginæ germanus, qui erat dux in civitate Astensi, nemine sciente auctorem mortis ipsius, hoc ipso in tempore sagitta ictus interiit [i].

## CAPUT XLIII.

*De morte Agilulfi, et de regno Adaloaldi, et ejus expulsione, et regno Arialdi.*

Igitur Agilulfus rex, qui et Ago est appellatus, postquam viginti et quinque annos regnaverat, diem clausit extremum, relicto in regno filio suo [j] Adaloaldo admodum puero [k], cum Theudelinda matre [l]. Sub hiis ecclesiæ restauratæ sunt, et multæ

quitur : « Eo anno Charoaldus rex Langobardorum legatos ad Hisacium Patricium secretius mittens, rogat ut Tasonem ducem provinciæ Thoscanæ, quo poterat ingenio interficeret. Hujus beneficii vicissitudine tributa, quæ Langobardi de manu publica (d est imp.) recipiebant tria centenaria auri annis singulis, unde unum centenarium auri Charoaldus rex partibus imp. de præsente cassaret. Hisacius patricius hæc audiens, tractabat quibus ingeniis hæc potuisset implere. Tasonem ingeniose mandans, dum in offensa Charoaldi regis erat, cum ipso amicitias obligaret : ipse vero contra Charoaldum regem ei auxiliaretur. Tali præventus est fraude, Ravennam pergit. Hisacius ei obviam mandans præ timore imperatoris Tasonem cum suis infra muros Ravennæ urbis armatum non audebat recipere. Cumque Taso credens arma suorum foris urbem relinquens, in Ravennam fuisset ingressus, statim qui fuerant præparati super Tasonem irruunt, et ipsum et suos totos, qui cum eo venerant, interficiunt. Charoaldus rex unum centenarium auri, sicut promiserat partibus Hisacii, et imperii cassavit : duo tantum centenaria deinceps a parte Langobardorum a Patricio Romanorum annis singulis implentur. Unus centenarius centum libras auri capit. Post hæc continuo Charoaldus rex moritur. » Aimoinus Hist. Francor. etsi Fredegarium transcribere soleat, de occiso Tasone lib. IV, cap. 32, cum Paulo nostro concordat.

[a] Amb., *peractis*.

[b] Amb., *imperio*; al., *sub patrui sui potestate*, nec leg. *Grasulfi*. Lind.

[c] Al., *Raichis*. Ms. Lind. *Archis*. Amb. et Mod.

[d] Al., *in Magunti*. Lind.

[e] Plura de Sclavis, aliisque gentibus, quæ varias hoc tempore regiones occupaverunt, nobis a Paulo servata sunt, quæ nullibi legimus. Aguntum Norici oppidum ab Aquileia XC millia passuum, a Julio Carnico LX dissitum. Vide Antonini itinerarium.

[f] Amb., *pacis concordiam renovavit*.

[g] Vide quæ notavi supra cap. 28, num. 99.

[h] Al., *inter Francos*. Lind. Anno 17 regni Theoderici novissimum hoc bellum inter Theodebertum, Clotarium et Theodericum gestum fuisse Fredegarius in suo Chronico testatur, ideoque anno Domini 613, alligatur. Pugnatum est apud Tolbiacum, victusque Theodebertus Coloniam se recepit. Persecutus est eum Theodericus, captumque suorum proditione ad aviam Brunechildem direxit. « Hæc illum fieri clericum rogavit. At non post multos dies impie nimis post clericatum perimi jussit, » scribente Jona in Vita sancti Columbani. Occisi post eum fuere duo ipsius filii Clotarius, et Meroveus puer, eliso ad petram cerebro.

[i] Fusius hæc idem Fredegarius, qui secundas Theodolindæ nuptias cum Agone rege narrans, primas cum Authario, vel ignoravit, vel, ut pote brevi tempore dissolutas, consulto præterivit : « Ago, scribit ille, rex Langobardorum accepit uxorem Grimoaldi, et Gundoaldi germanam, nomine Theudelindem, ex genere Francorum (alias *Bajoariorum*) quam Childebertus habuerat desponsatam. Qui cam cum consilio Brunechildæ postposuisset, Gundoaldus cum omnibus rebus se cum germana Theudelinde in Italiam transtulit, et Theudelindem in matrimonium Agoni tradidit. Gundoaldus de gente nobili Langobardorum accepit uxorem, de qua duos filios habuit his nominibus Gundebertum, et Haribertum. Ago rex filius Autharii regis de Theudelinda habuit filium nomine Odoaldum, et filiam nomine Gundebergam. Dum Gundoaldus a Langobardis nimium diligeretur, factione Agonis regis, et Theudelindæ, cum ipsum jam zelo tenerent, ubi ad ventrem purgandum in faldaone sedebat, sagitta sancius moritur. » Ex his plura conveniunt cum Paulo nostro; at laudatam insigni pietate Theodolindam in tam sævum facinus contra fratrem consensisse, ut Fredegarius innuere videtur, apud eumdem sit fides; nisi eo Gundobaldi regnandi libido excesserit, ut in regem cognatum suum, ipsamque sororem insurrexerit, meritasque dederit pœnas. Id vero notandum, quod de Childeberto narrat, Brunechildis consilio, a pactis cum Theodolinda nuptiis distracto. Aliter hanc historiam habet noster, quem cæteri sequuntur.

[j] Al., *Adalvaldo*, et sic semper. *Lind*.

[k] Natus erat Adaloaldus anno 603 et fuit festi Paschalis dies eo tempore septimo Idus Aprilis, ut Paulus habet, itaque annos jam tresdecim numerabat.

[l] Anno scilicet 616 quippe levatus in regnum anno 591, cum annos 25 regnaverit, mors illius huic anno est alliganda, non subsequenti, ut Sigebertus in Chronico. Doctis. Pagius id firmat etiam diplomate regis Adaloaldi ejus filii, ac successoris, favore monasterii Bobiensis apud Ughellum tom. IV quod legitur, *Datum Ticino in Palatio sub die* VIII *Kal. Aug., anno felicissimi regni nostri sexto indictione nona feliciter*. « Nam, scribit ille, si anno 621, indictione nona

Digitized by Google

[a] dationes per loca venerabilia largitæ [b]. Sed cum Adaloaldus eversa mente insaniret, postquam cum matre decem regnaverat annis, de regno ejectus est, et a Langobardis in ejus loco Arioaldus substitutus est [c]. De cujus regis gestis, ad nostram notitiam minime aliquid pervenit [d]. Circa hæc tempora beatus Columbanus ex [e] Scotorum genere oriundus, postquam in Gallia in loco qui [f] Luxovius dicitur, monasterium construxerat, in Italiam veniens a Langobardorum rege gratanter exceptus est, cœnobiumque, quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificavit, quod quadraginta millibus ab urbe dividitur Ticinensi. Quo

insignito sextum regni annum numerabat, profecto hoc anno ante diem xxvi Julii regnum capessierat. »

[a] Amb., *donationes*.

[b] Id religiosæ reginæ tribuendum : exstat etiam aliud diploma ejusdem Regis Adaloaldi favore monasterii Bobiensis apud Ughellum loco citato tom. IV.

[c] Fredegarius in suo Chronico num. 49 plura quam Paulus noster de Adaloaldo narrat : « Ipsoque anno 40, inquit ille, Clotarii Adaloaldus rex Langobardorum filius Agonis regis, cum patri suo successit in regnum, legatum Mauricii imperatoris nomine Eusebium, ingeniose ad se venientem benigne suscepit. Iunnctus in balneo nescio quibus unguentis, ab ipso Eusebio persuadetur : et post inunctionem nequicquam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere non poterat. Persuasus ab ipso, ut primates nobiliores cunctos in regno Langobardorum interficere ordinaret. Quod cum jam, vel xii ex eis, nullis culpis exstantibus, gladio trucidasset, reliqui cernentes eorum esse vitæ periculum. » — « L. Charoaldum ducem Taurinensem, qui germanam Adaloaldi Regis habebat uxorem, nomine Gundebergam omnes seniores, et nobilissimi Langobardorum gentis conspirante consilio in regnum eligunt sublimandum. Adaloaldus rex veneno hausto interiit. Charoaldus statim regnum arripuit. » Hanc Adaloaldi mentis eversionem arte venefica procuratam ex pari sorte Arichis filii, quam infra Paulus refert, ingenio suo conjecerat eminentiss. Baronius, firmatque Fredegarius, qui nobis emendandi Pauli rationem præbet; emendandus tamen et ipse eo in loco, quo imperium Mauricii cum anno quadragesimo regni Clotarii II conjungit, cujus vice reponendus Heraclius. Notavimus enim anno 602 Mauricium a Phoca illius successore necatum fuisse, et Clotarii quadragesimus annus incidit in annum Christi 624, ut ipse numerat Fredegarius, 45 regni annos a morte Chilperici patris eidem assignans, incompletos tamen ut observat Pagius ex Aimoino, qui 44 tantum a dicto tempore regnasse scribit. Quod vero pertinet ad Langobardos nostros, Paulum inter et Fredegarium optime convenire crediderim de tempore, quo Adaloaldus, mente, regnoque cecidit ; quippe, si decem anni ab obitu Agilulphi numerentur cum nostro, ad 626 veniemus, biennio post quam Adaloaldum Eusebius unguento infecerat, tantumque temporis intercessisse probabilis conjectura, quousque xii jam ducibus trucidatis, reliqui periculum sibi metuentes Arioaldum, quem Fredegarius Charioaldum appellat, veneno sustulerint. Verum in figendo regni Arioaldi initio durior conatus. Citatus Pagius in sua Critica ad annum 626 contra recentiores omnes chronologos, imo et Paulum nostrum, vivente adhuc Adaloaldo regnasse Arioaldum contendit, argumento epistolæ Honorii pontificis Romani ad Isacium Ravennæ exarchum, incerto anno dato, ut asserit Baronius, qui eas ita recitat. « Delatum est ad nos, episcopos Transpadanos Petro Pauli filio suadere conatos esse, ut Adalualdum regem desereret, Ariovaldoque tyranno se applicaret. Quamobrem quia Petrus pravis eorum consiliis respuit obedire, et sacramenta Regi Agoni Adalualdi patri præstita (nempe quando Adaloaldus levatus est in regnum vivente patre, apud Mediolanum in Circo) sancte cupit servare, et quia hoc Deo, et hominibus est ingratum, ut qui tale facinus vindicare deberent eorum ipsi suasores existant : rogamus vos, ut postquam Adalualdum divino in regnum, ut speramus, auxilio reduxeritis, prædictos episcopos Romam mittere velitis, ne scelus hujusmodi impunitum relinquamus. » Addit ad hæc Pagius : « Præterea Jonas, qui hoc tempore vivebat, in Vita sancti Bertulfi, qui anno 627 sancto Attalæ in Abbatiam Bobiensem successit num. 11 tradit Bidulphum monachum monasterii Bobiensis missum fuisse a sancto Attala abbate Bobiensi ad Ticinum urbem, ibique obvium habuisse Ariovaldum regem Langobardorum. Et infra : Bertulfum, postquam sancto Attalæ in abbatiam Bobiensem successisset, regnante Arioaldo Romam ad Honorium venisse. » Hinc ad Adaloaldum rediens contendit eumdem fuisse in regnum restitutum, argumento diplomatum, quibus monasterio Bobiensi bona per Agilulphum patrem donata confirmat. Data sunt, primum ad Attalam abbatem, *Ticino in Palatio sub die octavo Kal. Augusti felicissimi regni nostri sextodecimo, per Indictionem quintam decimam.* Alterum ad Bertulfum abbatem, *Papiæ sub die* xvi *mensis Augusti anno regni nostri feliciter* xvii *per indictionem primam.* Eaque vide apud Ughellum in Italia Sacra, et tomo II Bullarii Cassinensis. Ego vero, etsi doctissimo viro subscripserim, ubi occupatum vivente Adaloaldo ab Arioaldo regnum asserit, eoque sensu Fredegarii mentem acceperim, cum scribat omnes seniores, et nobilissimos Langobardorum gentis conspirante consilio in regnum elegisse sublimandum, et postmodum illius obitum narret; de restituto in regnum Adaloaldo minime consentio, contra Pauli, et Fredegarii historiam : iis enim contestibus, regis dementiam, illius obitus excepit, nec diplomatum datis deferendum est, cum in epoche regni Adaloaldi minime consentiant, ut oculatissimus vir, aliique plures notaverant, imo Adaloaldo cum Pagio in regnum restituto, universa chronotaxis convulsa minime congrueret cum annis regis Rotharis, quos infra ex illius prologo certius notatos comperiemus. Assigno itaque initium regni Arioaldi post 624 qui Clotarii XL annus, et cum Paulo duodecim regni ejus annos numerans, ipsosque incompletos, ut ipse non uno in loco numeravit, circa 636. Æræ Christianæ initium subsequentis Rotharis assigno, meliorem chronologiæ rationem a peritioribus libentissime accepturus. Hoc unum certe asseveraverim Paulum nostrum Arioaldi regis Gundebergam uxorem Rodoaldo tradidisse, quippe non unico Fredegarii testimonio id evincitur, sed verbis etiam Jonæ in Vita sancti Bertulfi num. 12; scribit ille : « Ariowaldum generum Agilulphi, cognatum Adalwaldi sectæ Arianæ credulum, post Adalwaldi obitum regnum Langobardorum suscepisse, » imo sua etiam historia Paulus manifesti erroris evincitur, ut infra sequenti capite 49.

[d] Fatente Paulo gesta regis Arioaldi minime novisse, doctiss. Baronius quædam collegit, ex Jonæ potissimum libro, eaque vide in anno 626, ubi optime animadvertit hinc de Theodolinda regina mentionem nullam occurrere, arguitque jam fatis concessisse celeberrimam reginam, ante quam filius Arioaldus mentis eversionem pateretur. In basilica Modoetiensi anniversariæ preces ad expiationem peccatorum ejus adhuc solenni ritu recitantur xi Id. Januarii, qui fortasse dies emortualis, utcunque sæpius id minime probent.

[e] Mod., *Gothorum*, et ita legit al. Lind.

[f] Al., *Luxovium*. Amb. Mod. et Lind. cui al., *Lexovium*.

Digitized by Google

in loco et multæ possessiones a singulis principibus sive Langobardis largitæ sunt, et magna ibi facta est congregatio monachorum [a].

## CAPUT XLIV.

*De morte Arioaldi, et regno Rothari, et quia dux Arichis filium suum Ajonem ad regem direxit.*

Igitur Arioaldus postquam super Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce subtractus est. Langobardorum regnum Rothari genere [b] Arodus suscepit [c]. Fuit autem viribus fortis, et justitiæ tramitem sequens, sed tamen fidei Christianæ non rectam lineam tenens, Arianæ hæreseos perfidia maculatus est. Siquidem Ariani minorem Patre Filium, Spiritum quoque Sanctum minorem Patre et Filio ad suam perniciem dicunt. Nos autem Catholici Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, in tribus personis unum et verum Deum, æquali potentia, eademque gloria confitemur. Hujus temporibus pene per omnes civitates regni ejus duo episcopi erant, unus Catholicus, et alter Arianus. In civitate quoque Ticinensi usque nunc ostenditur, ubi Arianus episcopus, apud basilicam [d] Sancti Eusebii residens, baptisterium habuit, cum tamen ecclesiæ Catholicæ alius episcopus præsideret. Qui tamen Arianus episcopus, qui in eadem [e] civitate fuit Anastasius nomine, ad fidem Catholicam conversus, Christi postea Ecclesiam rexit [f]. Hic Rothari rex, Langobardorum leges, quas sola memoria et usu retinebant [g], scriptorum serie composuit, codicemque ipsum edictum appellari præcepit. Erat autem jam ex quo Langobardi in Italiam venerant annus septuagesimus septimus, sicut idem Rex in sui edicti testatus est prologo.

## CAPUT XLV.

*De morte Arichis Beneventani ducis, et ducatu Aionis.*

Ad hunc regem Arichis dux Beneventi filium suum Aionem direxit. Qui cum Ravennam venisset, [h] Ticinum pergens, ibi ei Romanorum malitia talis potio data est, quæ eum mente excedere faceret, atque ex eo tempore nunquam pleni sanique sensus fuit. Igitur cum dux Arichis, hujus de quo diximus pater, jam maturus annis ad diem ultimum propinquasset, sciens filium suum Aionem non recti esse sensus, [i] Radoaldum et Grimoaldum, jam florem juventutis

[a] Non bene sibi compertam Paulus noster ævi hujus Langobardorum historiam ingenue fatetur, et revera chronologicum ordinem turbavit. Sancti Columbani abbatis in Italiam adventus ad Agilulphi, non Arioaldi regis tempora est revocandus; constat enim ex Jona in illius Vita post victum, necatumque Theodebertum, a quo in exsilium, instigante Brunechilde regina, pulsus fuerat, lustrata prædicatione ac miraculis Germania, quo se cum sociis receperat, in Italiam properasse, ut Sclavos, qui Venetorum regionem tenebant, ad Christianæ religionis veritatem converteret. Infelicissimi regis cædem in ipso exitu e Galliis prædixerat, futuramque triennio post apertissime comminatus ferocientis animum nequaquam compescuit. Anno hæc 612 facta est, ideoque in Italiam venit regnante Agilulpho, cujus etiam jussu ad Bonifacium IV summum pontificem de schismate trium capitulorum prolixam sane direxit epistolam, paulo post ejus adventum, ut ex ipsa colligo. Ebulliebat enim adhuc post divi Gregorii tempora schisma, unde rex minus prosperos regno suo timebat eventus. Cæterum Agilulphi, et Adaloaldi donationes insigni huic monasterio jam ante notavi; nec minor subsequentium regum liberalitas fuit, Liutprandi potissimum. Plura servantur adhuc in ejus archivo antiqua monumenta, ut non semel me audivisse memini a D. Cœlestino Lorefice Cassinensi monacho; atque utinam vir doctissimus, et antiquitatum peritia exercitatissimus eruditorum commodo aliquando in vulgus emittat.

[b] Al., *Harodus*. Lind. Arodum se dicit etiam ipse Rotharis in suo legum proœmio, ubi majores etiam suos recenset. Vide lib. I, cap. 14.

[c] Annos XII. Regni Arioaldi non ab Adaloaldi morte, sed ab ipsius acclamatione vivo adhuc Adaloaldo Paulum nostrum numerasse puto, ita ut ab anno XL Clotarii, quo Adaloaldus veneno mentis usum amiserat, ad annum Christi 636 descendamus, cui regni Rotharis initium est alligandum, ipsius testimonio: quippe cum in suo legum prologo profiteatur eas edidisse anno regni sui octavo, Indictione II anno post adventum Alboini septuagesimo sexto, manifeste annus Christi 644 indicatur, quo secunda indictio decurrebat, et ab anno 568 quo Langobardi in Italiam venerant septuagesimus sextus numerabatur, non vero septuagesimus septimus, ut librariorum vitio in hoc capite legitur, quod emendo, lectione ipsius edicti, tam nostra, quam codicis monasterii Cavensis, ut notavit Camillus Peregrinius in appendice ad lib. I Hist. principum Langobard. pag. 229, imo vel ipsa calculi ratione, nam septuagesimus septimus non incidit in indictionem secundam. Octo igitur annos de 644 deducens ad 636 redeo. Nec eorum sententia placet, qui vitium irrepsisse in numeris annorum regni Rotharis arbitrantur, alios ingenio suo reponentes; nam constans est Mss., editorumque lectio, atque si tantum liceret, jam in antiquum chaos revolutis, tertia quaque linea in historiis calami nobis erit usus. Scio neque Sigebertum, neque alios chronotaxi meæ convenire; at mihi præstant semper ejusdem ævi testimonia, e quibus nisi causa cognita discessero.

[d] Hinc usque ad verbum *præsideret*, in aliis non leg. Lind.

[e] Al., *civitate præsedit, fuit*, etc. Lind.

[f] Anastasius nempe hujus nominis II sanctorum albo scriptus, cujus memoria recolitur die XXX Maii. Synodo generali anni 679 sub Agathone papa subscripsit, et tertio Kal. Junii anno 680 requievit in Domino, sepultus in veteri cathedrali ecclesia Ticinensi. Vide Acta Sanctorum Bollandii, et Ughellum in Ital. Sac.

[g] Ideo Rotharis rex in peroratione legum Langobard.: Inquirentes, et rememorantes antiquas leges Patrum nostrorum. Vocabantur autem Langobardorum leges *Auricabeones*, quemadmodum Gothorum *Bellagines*. Glossæ Isidori (quas habeo ab illustrissimo D. Josepho Scaligero, unico [quod præfiscine dixerim meorum studiorum fautore]) Auclabeo, vel Auricabeo, lex Langobardorum. De Geticis Jornandes in eorum gestis: « Physicam tradens (scilicet Diceneus) naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conscriptas Bellagines nuncupant. » Sed quid voces istæ significent, adhuc quærendum censeo. Lind.

[h] Ms., *Caunum*. Lind.

[i] Turbant equidem quæ doctissimus Peregrinius Paulo nostro ad hunc locum opponit, scribens: « Ipse viderit Paulus quo pacto hic Arichis antequam esset dux, pædagogus fuit Radoaldi et Grimoaldi; cumque in ducatu vixisset annos quinquaginta, illos florem juventutis habentes sibi et filio ducatus successores instituit, ut tradit cap. seq., » nisi eadem significatione id Paulo dictum credamus, qua Pere-

Digitized by Google

habentes, quasi proprios filios Langobardis qui aderant commendavit, eisque dixit quod melius eos regere isti quam Aio filius suus posset.

## CAPUT XLVI.

*De morte Aionis, et de ducatu Radoaldi.*

Defuncto ergo Arichis, qui ducatum [a] quinquaginta tenuerat annis, Aio ejus filius Samnitum [b] ductor effectus est, cui tamen Radoaldus et Grimoaldus, sicut seniori fratri et domino, [c] per omnia paruerunt. Qui Aio cum anno et mensibus quinque Beneventanum ducatum regeret, venientes Sclavi cum multitudine navium [d] longe a civitate Seponto castra posuerunt. Qui occultas foveas circa sua castra facientes, cum Aio super eos absentibus Radoaldo et Grimoaldo venisset, eosque debellare vellet, equus ejus [e] in unam de eisdem foveis cecidit, atque irruentibus super eum Sclavis, simul cum [f] aliquantis viris extinctus est. Quod cum Radoaldo nuntiatum fuisset, cito veniens, [g] eisdem Sclavis propria illorum lingua locutus est. Cumque propter hoc segniores ad bellum reddidisset, mox super eos irruens, magnaque strage eos prosternens, et Aionis mortem ultus est, et de illis finibus eos qui remanserant hostes fugam petere coegit.

## CAPUT XLVII.

*De civitatibus quos Rothari cepit.*

Igitur Rothari rex Romanorum civitates [h] ab urbe Tusciæ Lunense universas quæ in littore maris sitæ sunt usque ad Francorum fines cepit. Opitergium quoque civitatem inter Tarvisium et Forojulii positam, pari modo expugnavit et diruit [i]. Cum Ravennatibus, et Romanis bellum gessit, ad fluvium Æmiliæ, qui [j] Scultenna dicitur; in quo bello a parte [k] Romanorum reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus est, magnaque fuit inundatio aquarum. Post hæc fuit clades [l] scabierum, [m] ita ut nullus potuisset mortuum suum agnoscere propter nimium inflationis tumorem. Apud Beneventum vero mortuo Radoaldo duce, [n] qui ducatum quinque rexerat annis, Grimoaldus ejus germanus dux effectus est, gubernavitque ducatum Samnitium annis viginti et quinque. Hic de captiva puella, sed tamen nobili, cujus nomen [o] Itta fuit, Romualdum filium et duas filias genuit. Qui cum esset vir bellicosissimus, et ubique insignis, venientibus eo tempore [p] Græcis, ut oraculum sancti Michaelis archangeli in monte Gargano situm deprædarentur, Grimoaldus super eos cum exercitu veniens, [q] ultima eos cæde prostravit.

grinius ipse Erchemperto provectioris ætatis juveni pueri appellationem convenire potuisse putat argumento lapidis sui Casapullani : HIC EST POSITUS SECUNDUS PUER Q. VIXIT ANNOS XXII.

[a] Ms., *quinque*. Lind. Nostris ut in Edit.

[b] Zottonis I Beneventanorum ducis mortem cum anno æræ Christianæ 611 supra, cap. 19, num. 64, conjunxi, atque illinc annos quinquaginta, quibus Arichis illius successor principatum tenuerat ducens, ad 661 cum ipso Camillo Peregrinio accedo.

[c] Participes attamen principatus, ut non obscure hic indicat noster.

[d] Fortassis legendum *non longe;* quippe cum ad mare fuerit Adriaticum antiqua urbs Apuliæ Sipontum, facile Sclavi de Venetiarum finibus solventes ad eamdem appulerant.

[e] Al. : *In unam foveam cecidit, ubi a Slavis interemptus periit. Superveniens autem Rodoaldus cum uno de eisdem Slavis propria illorum lingua locutus est. Cumque eos propter hoc facinus sæviores ad bellum vidisset mox super eos*, etc. Lind.

[f] Amb. et Mod., *aliquantis aliis*, etc.

[g] Vicini etenim Sclavis olim in Forojuliensi ducatu, unde Beneventum venerant Radoaldus, et Grimoaldus, ipsorum linguam ab ipsa puerili ætate didicisse potuerant.

[h] Al., *a Luna urbe Tusciæ*. Lind.

[i] Hæc Fredegarius, in suo Chronico, Clodovei regis tempore acta refert post absolutam Gundebergam, de quia infra. Scribit ille : « Chrotharius cum exercitu Genavam maritimam Albinganum, Varicottim, Saonam, Ubitergium, et Lunam civitates littoris maris de imperio auferens, vastat, rumpit, incendio concremans populum diripit, spoliat, et captivitate condemnat, murosque earum usque ad fundamentum destruens vicos has civitates nominare præcepit. » At male Opitergium inter civitates ad mare Ligusticum numerat, cujus positionem optime describit noster; constat enim fuisse inter Plavem et Liquentiam fluvios in finibus Venetiarum, hodie dicitur Oderzo. At locus fortasse corruptus, ut indicat vocabulum *Varicottim*, cujus significationem nulli adhuc, quod sciam, divinare licuit.

[j] Al., *Sculteria*. Lind.

[k] Al. : *Rommorum reliquis aperte terga dantibus*. Lind.

[l] Amb., *Scabearum*.

[m] Perperam hæc Paulus ad Rotharis tempora protrahit, cum ad superiora sint referenda ex Anastasii testimonio in sanctum Deusdedit, qui diras hasce clades post occisum Joannem Compsinum illico narrat his verbis : « Eodem tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto, indictione undecima, » seu, ut in aliis emendatioribus Mss. : « Indictione sexta; » quippe nullus sancti Deusdedit pontificatus annus in indictionem undecimam incidit. « Post hæc secuta est clades in populo, percussio Scabierum, ut nullus potuisset mortuum suum cognoscere. »

[n] Al. verba *qui ducatum quinque rexerat annis*, non leguntur. Lind.

[o] Amb., *It*.

[p] Al., *Sarracenis*. Lind., et ita Mod.

[q] Ad hunc Pauli locum Camillus Peregrinius, in sua dissertat. finium ducatus Beneventani ad Septentrionem : « Græcis, ait, sacrilega ista cum ascribat, vereor ne imponat nobis Paulus suspectæ mihi semper fidei auctor in his quæ suorum Langobardorum officere possunt decori, cur enim potius non credam talia ab iis commissa, quos constat Cassinense monasterium superioribus annis diripuisse, ac idololatriam, sive Arianam hæresim; nam discrepant de hoc auctores, ad annum usque 663 fuisse sectatos, nempe Longobardos, ducatus Beneventani, cum cæterum sit manifestum Græcos ex antiquo ritu impenso studio sancti Michaelis nomen coluisse. » Et infra : « Credam igitur vere tunc Græcos cum Langobardis ad Garganum pro ejus loci possessione, sicut pro aliis alibi, frequenter conflixisse, atque hos victoria potitos sacram archangeli specum diripuisse. » Firmat conjecturam suam acer ingenio vir pluribus argumentis, et potissimum lectione Actorum sancti Barbati episcopi, quæ in celebratissimam collectionem suam contulerunt Bollandius Henscheniusque. In iis legitur post discessum Constantii imp. ab urbe Benevento, de quo infra, Romualdum ducem summo pontifici, cujus precibus illæsi contra hostes Beneventani steterant, ingentia munera offe-

Digitized by Google

## CAPUT XLVIII.

*De morte Rodoaldi ducis, et quia ei in ducatu Grimoaldus ejus germanus successit.*

At vero rex Rothari, postquam annos [a] sedecim et menses quatuor regnum tenuerat, [b] vita decedens, Langobardorum regnum Rodoaldo suo filio reliquit. Hic cum juxta basilicam beati Joannis Baptistæ fuisset humatus, post aliquantum tempus quidam [c] iniqua cupiditate succensus, ejus sepulcrum noctu aperuit, et quidquid in ornamentis ejus corporis reperit abstulit. Cui beatus Joannes per visionem apparens, eum vehementer exterruit eique dixit: Cur ausus es corpus istius hominis contingere? Fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendavit. Quia A igitur hoc facere præsumpsisti, nunquam in meam basilicam deinceps ingressum habebis. Quod ita quoque factum est. Quoties enim cunque voluisset beati Joannis oraculum ingredi, statim velut a validissimo [d] pugili guttur ejus feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Veritatem in Christo loquor, hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis factum vidit.

## CAPUT XLIX.

*De morte Rothari regis, et regno Rodoaldi.*

Rodoaldus igitur, post funus patris Langobardorum regnum suscipiens, Gundibergam Agilulfi et Theudelindæ sibi filiam in matrimonium sociavit [e]. Hæc Gundiberga regina ad instar suæ genitricis,

rentem, hæc ab eodem audivisse: « Si munus tuæ salutis vis offerre, stude unum impendere sacrificium, ut beati Michaelis domum, quæ in Gargano sita est, et omnia quæ sub ditione Sipontini episcopatus sunt, sedi beatissimæ Genitricis Dei, cui nunc indigne præsum, in omnibus subdas; et quoniam absque cultoribus omnia depravantur, unde nec sedulum illic sacrificium persolvi potest, melius a nobis disposita tibi proficiant in salutem. » Cumque in iisdem Actis apertissime de Langobardorum idololatria constet ad ea usque tempora quibus sancti Barbati monitis viperæ, coriique de arbore pendentis cultum exuerant, subodorat Peregrinius ab eisdem sacræ cryptæ desolationem patratam, addens testimonia anonymi Cassinensis, et Erchemperti, quibus Campanorum, hoc est Langobardorum, victoriam ann. 860 de Neapolitis, qui et Græcorum appellatione venerant, comparatur cum altera, « qua olim in Gargano, cum beato Michaeli archangelo ageretur festivitas, corruerunt: » unde sibi persuadet victoribus potius quam victis prædæ occasionem fuisse. Utcunque tamen se res habeat, mea quidem sententia illius argumenta non adeo rem aperiunt, ut Paulum nostrum erroris evincamus, præsertim cum ipse minime scribat Græcos id facinus commisisse, verum unice tentasse, idque etiam sibi fortasse persuaserant ex vulgi rumore Langobardi Sipontini cæteris religione præstantiores, quibus in maxima erat veneratione sac. crypta, jam ante solemni ritu consecrata; unde Græcorum adventum in deteriorem causam verterant partium studio æmulos criminaturi. Cæterum jam ante Romualdi conversionem plures in Italia Transtiberina Langob. Christianos, eosque catholicos fuisse, vel unica sancti Gregorii epistola ad Arichim ducem evincit, illum quippe filii appellatione donat, et futuram boni operis gratiam pollicetur, quod utique homini Ariano, vel ethnico, minime scripsisset. Nodos omnes rescinderet Modoetiensis aliorumque Codicum lectio, quæ pro *Græcis* hoc loco habet *Sarracenis*; at mihi non dispar labor ex aliis historicis hoc tempore in Apuliam Sarracenorum adventum repetere.

[a] Al., *quindecim*. Lind.

[b] Mortem Rotharis regis ex ipsius edicti characteribus assigno sub initium anni 653. At initium regni Rodoaldi ejus filii vel ipso vivente patre constituere cogor cum Benedicto Bacchinio, ut ad Grimoaldi tempora conveniamus in ipsius edictum, quo Rotharis leges auxit et explicavit, ut intra narratur.

[c] Tò *iniqua* non legitur in Mod.

[d] Amb., *pugillo*.

[e] Ab initio hujus capitis usque ad hoc verbum, desunt in Amb. Notavi, supra, Gundebergam non Rodoaldo, sed Arioaldo, uxorem fuisse, testimonio Jonæ, in Vita sancti Bertulfi, cui maxime deferendum, ut pote illius ævi scriptori. Accedit etiam Fredegarius, in suo Chronico, qui non tantum Arioaldo regi uxorem fuisse scribit, sed et illius successori

B Rothari, vel, ut ipse vocat, Chrothario, cum quo non absimilem sævitiam passa fuerat quam cum priore marito, ex Adaulfi calumnia. Hæc ille scribit: « Gundeberga regina eo quod omnes Langobardi ei fidem cum sacramentis firmaverant, Chrothariumi [*al.*, Chrothacharium] quemdam unum ex ducibus de territorio Brissia ad se venire præcepit, compellens ut uxorem quam habebat relinqueret, et eam in matrimonium acciperet, per ipsam omnes Langobardi eum sublimarent in regnum. Quod Chrotharius libenter consentiens, sacramentis per loca sanctorum firmans, ne unquam Gundebergam postponeret, nec de honore gradus aliquid minueret, ipsamque unico amore diligens in omnibus honorem præstaret condigne, Gundeberga attrahente, omnes Langobardorum primates Chrotharium sublimant in regnum. Chrotharius cum regnare cœpisset, multos nobilium Langobardorum quos sibi senserat contumaces interfecit. Chrotharius fortissimam disciplinam et timorem in omni regno Langobardorum, pacem sectans, fecit. C Chrotharius oblitus sacramenta quæ Gundebergæ dederat, eamque in unum cubiculum Ticini in aula palatii retrudit, eamque ad privatum habitum vivere fecit. Quinque annis sub ea retrusione finitur [*Al.*, tenetur]. Chrotharius per concubinas bacchatur assidue. Gundeberga vero eo quod esset Christiana in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, jejuniis et orationibus assidue pervacans. Quando Deo placuit, cum Aubedo legatarius directus a Clodoveo [*Al.*, Chlothario] rege causa legationis ad Chrotharium regem Langobardorum usque Papiam cognomento Ticinum civitatem Italiæ pervenisset, cernens reginam, quam sæpius in legatione veniens viderat, et ab ipsa benigne semper susceptus fuerat, fuisse retrusam, quasi injunctum habens exinde inter cætera Chrothario regi suggessit quod illam parentem Francorum, quam reginam habuerat, per quam regnum etiam assumpserat, non debuisset humiliare, multum exinde reges Francorum et Franci essent D ingrati. Quam Chrotharius de præsente reverentiam Francorum habens, jubet egredi foras, et post quinque circiter annos per totam civitatem, et foris, Gundeberga regali ordine per loca sanctorum ad orationem aggreditur [*Al.*, egreditur]. De villis et opibus fisci quas habuerat Chrotharius ei restaurare præcepit. Quod usque diem obitus sui, et gradu dignitatis, et operibus pluribus, ditata, regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo vero a Gundeberga regina fortiter remuneratur. » Non abs re nostra Pagius rationem assignat ex divo Gregorio Turonensi, lib. IV, cap. 9, cur Aubedo Franciæ regis legatus Gundebergam dicat regum Francorum parentem, sive consanguineam; fuit quippe Theodolinda filia Garibaldi ducis Bajoariæ, qui uxorem habuit Valdetradem, sive Valderadam, Franciæ reginam Theobaldi Austrasiæ regis viduam, quam mortuo Theobaldo Clotarius « strato suo copulavit; sed increpatus a sacerdotibus reliquit eam dans ei Garibaldum



Digitized by Google

sicut illa in Modicia, sic et ista intra Ticinensem civitatem basilicam in honorem beati Joannis Baptistæ construxit. Quam mire ex auro et argento peplisque decoravit, rebusque singulis optime ditavit, in qua et ejus corpus tumulatum quiescit. Hæc cum de crimine adulterii apud virum accusata fuisset, proprius ejus servus Carellus nomine, a rege expetiit, ut cum eo qui reginæ crimen ingesserat, [a] pro castitate suæ dominæ [b] monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo singulare certamen iniisset, eum cuncto populo astante superavit. Regina vero post hoc factum [c] ad dignitatem pristinam rediit.

## CAPUT L.

*De morte Rodoaldi regis, et regno Ariperti.*

Rodoaldus quoque (ut fertur) dum uxorem cujusdam Langobardi stuprasset, ab eo interfectus est, postquam septem diebus et [d] quinque regnaverat annis. Huic successit in regni regimine Aripertus, filius Gundualdi, qui fuerat germanus Theudelindæ reginæ. Hic condidit apud Ticinum oraculum Domini Salvatoris, quod extra portam Occidentalem, quæ dicitur Marenca, situm est, quod ornamentis variis decoravit, et substantiis sufficienter ditavit.

## CAPUT LI.

*De morte Heraclii Augusti, et Constantini, qui ei successit, et regno alterius Constantini.*

[e] His diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim, Heracleon ejus filius cum matre Martina regni jura suscepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente, successit in locum ejus Constantinus germanus ejusdem, alius filius Hera-

ducem. » His addit Theodolindam neptem etiam fuisse Theodeberti Francorum regis, qui Wisegardam Walderadæ matris sororem uxorem habuerat. Alii Theodolindam filiam fuisse scribunt Ragintrudis sororis Theobaldi Austrasiæ regis; indeque cognationem deducunt, sed ex cit. testimon. erroris arguuntur. Cæterum jam ante notaverat oculatissimus Baronius ad annum 6[illegible]9, num. 5, errorem Pauli ex ipsa illius historia; quippe si Theodolinda post Agilulphi mariti sui obitum decem annis cum Adaloaldo filio regnaverat, et huic Arioaldus substitutus est, isque regnavit annis duodecim, et post eum Rotharis sexdecim et menses quatuor, ad minimum supra quadragesimum ætatis annum Gundeberga jam venerat; imo si ab anno 603 quo eam divus Gregorius Magnus annulis donaverat, ut in epist. quam recitavi, cap. 28, rationem ducamus, jam ferme sexagenariam comperiemus, utcunque dubitare quis possit an donaria summi pontificis ad Gundebergam, vel alteram Agilulphi filiam, Godescalci Parmensis uxorem, missa fuerint, cum nomen in præfata epistola minime legatur; sed hoc etiam dato, prima temporum ratio eo usque excurrit, ut absque Carelli opera Gundebergam ab adulterii crimine purgatissimam reddat.

[a] Al., *pro contestatione castitatis suæ dominæ.* Lind.

[b] Damnabile hoc judicium, aliaque hujus generis, fortunæ potius quam veritatis experimenta, imo, ut Christianum hominem loqui decet, temerarii ausus, quibus alta Dei judicia tentantur, ex ipsis Langobardorum legibus in Italia nostra potissimum diu invaluerunt, totque occurrunt exempla, ut inanem operam quis præstaret ea recensendo.

[c] Copiosius narrat hæc Fredegarius, eaque de causa illius verba transcribo: « Gundeberga regina cum esset pulchra aspectu, benigna in cunctis, et pietate plenissima, Christiana, eleemosynis larga, præcellente bonitate ejus diligebatur a cunctis. Homo quidam nomine Adaulfus, ex genere Langobardorum, cum in aula palatii assidue ad obsequium regis conversaretur, quadam vice ad reginam veniens, cum in ejus staret conspectu, Gundeberga regina eum sicut et cæteros diligens dixit honestæ staturæ Adaulfum fuisse formatum. Ille hæc audiens: Formam staturæ meæ laudare dignasti, stratu tuo jube me subjungere. Illa fortiter denegans, eumque despiciens, in faciem expuit. Adaulfus cernens se vitæ periculum habere, ad Charoaldum regem protinus cucurrit, petens ut secretius ad suggerendum haberet locum ubi exponeret. Quo accepto, dixit ad regem: Domina mea regina tua Gundeberga apud Tasonem ducem (Tusciæ, seu, ut ipse paulo ante scripserat, in Tusicana provincia agentem) secretius tribus diebus locuta est, ut te veneno interficeret, ipsum conjugatum sublimaret in regnum. Charoaldus rex his mendaciis auditis credens, Gundebergam in Caumello [*Al.*, Camello, *sed fortassis legendum* Laumello, *ut in Aimoino*] castro in unam turrim exsilio trudit. Clotarius legatos dirigens ad Charoaldum regem, inquirens qua de re Gundebergam reginam, parentem Francorum, humiliasset, ut exsilio retrudisset, Charoaldus his verbis mendacibus, quasi veritate subsisterent, respondit. Tunc unus ex legatariis nomine Ansoaldus, non quasi injunctum habuisset, sed ex se, ad Charoaldum dixit: Liberare poteras de blasphemia causam hanc. Jube illum hominem, qui hujuscemodi verba tibi nuntiavit, armare, et procedat alius de parte reginæ Gundebergæ, quique armatus ad singulare certamen, ut judicio Dei his duobus confligentibus cognoscatur utrum hujus culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis. Cumque hoc Charoaldo regi et omnibus primatibus palatii sui placuisset, jubet Adaulfum armatum conflictum adire certaminis; et de parte Gundebergæ procurrentibus consobrinis Gundebergæ, et Hariberto, homo nomine Pitto contra Adaulfum armatus aggreditur. Cumque confixissent certamine, Adaulfus a Pittone interficitur. Gundeberga statim de exsilio post annos tres regressa sublimatur in regnum. » Confer Aimoinum, Histor. Francor. lib. IV, cap. 10.

[d] Annum 654 non superasse Rodoaldum cum Bacchinio puto, ne in duriores scopulos cum cæteris ab ista chronotaxi recedentibus veniam. Qui Pauli mentem repugnare contendunt, quanta sit habenda fides chronologo hujus notæ dijudicent. Ego pro mea virili quæ potui notavi, gratias vero me maximas habiturum profiteor iis qui rectiorem viam indicaverint.

[e] Anno 641 vita cessit Heraclius imperator, die 11 mensis Februarii, ut optime colligit Pagius, in sua Critica historico-chronologica, ex Chronico Orientali cum Nicephoro collato. Turbat hinc Paulus subsequentium imperatorum successionem; constat enim Heraclio mortuo Constantinum ejus filium, non vero Heracleona, imperium suscepisse, eoque post centum ac tribus diebus morbo, ut Nicephorus habet, vel veneno Martinæ novercæ, Pyrrhique patriarchæ opera propinato, Heracleonas Martinæ filius cum matre potestatem obtinuit, habuitque mensibus sex, quibus elapsis, Heracleonam, matrem ejus, et Valentinum, quo auctore tumultus exortus fuerat, ab imperio administrando senatus repulit. Lingua vero Martinæ abscissa, amputatisque Heracleonæ naribus, iisdemque in exsilium actis, Constantem Constantini filium, et Heraclii nepotem, ad imperii thronum subvehit, ut Theophanes, Cedrenus et Zonaras narrant. Is imperium annis XXVII rexit, ut communiter numeratur.

Digitized by Google

clii, imperavitque [a] mensibus sex. Hoc etiam mortuo, Constantinus ejusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis octo et viginti.

## CAPUT LII.

*De Cæsara regina Persarum.*

Circa hæc tempora regis [b] Persarum conjux, nomine Cæsara, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus, privato habitu, propter Christianæ fidei amorem, Constantinopolim venit. Quæ ab imperatore honorifice suscepta, post aliquot dies, ut desiderabat, baptismum consecuta, et ab Augusta de sacro fonte levata est. Quod vir ejus Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim [c] ad Augustum direxit, quatenus eidem suam uxorem redderet. Qui B ad imperatorem venientes verba regis Persarum nuntiant, qui suam requirebat [d] reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum reddidit dicens : De regina quam quæritis fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier privato habitu advenit. Legati vero responderunt dicentes : Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum jussu imperatoris advenisset, mox [e] ut eam conspiciunt, ad ejus vestigia provolvuntur, eique venerabiliter quod eam suus vir requireret suggerunt. Quibus illa respondit : Ite, renuntiate regi [f] vestro et domino, quia nisi, sicut ego [g] jam credidi, ita et ipse in Christum crediderit, me jam ultra consortem tori habere non poterit. Quid multa? Reversi legati C ad patriam, universa quæ audierant regi nuntiant. Qui nihil moratus, cum [h] sexaginta millibus viris Constantinopolim pacifice ad imperatorem venit, a quo gratanter et [i] satis digne susceptus est. Qui cum universis in Christum Dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis unda perfusus, et ab Augusto de fonte levatus, catholica fide confir- A matus est. Multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua conjuge lætus et gaudens ad suam patriam repedavit [j]. Circa hæc tempora mortuo apud Forum Julii Grasulfo duce Forojuliensi, ducatum Ago regendum suscepit. Apud Spoletum quoque [k] Theudelapio defuncto, Atto eidem civitati ductor efficitur.

## CAPUT LIII.

*De morte Ariperti, et Godeberti filii ejus, qui ei successit, et regno Grimoaldi, et interitu Garibaldi ducis.*

Igitur [l] Aripertus, postquam apud Ticinum per annos novem Langobardos rexerat, diem obiens, regnum duobus filiis suis adhuc adolescentibus, [m] Bertarido et Godeberto, regendum reliquit. Et [n] Godebertus quidem Ticini sedem regni habuit, Bertaridus vero in civitate Mediolanensi. Inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, discordiæ et odiorum fomes surrexit, in tantum ut alter alterius regnum invadere conaretur [o]. Qua de re Godebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneventanorum strenuum tunc ductorem direxit, invitans eum ut quantocius veniret et sibi adversus germanum suum Bertaridum auxilium ferret, regisque filiam, suam germanam, ei se daturum promittens. Sed legatus ipse fraudulenter contra suum dominum agens, Grimoaldum exhortatus est ut veniret, et Langobardorum regnum, quod adolescentes germani dissipabant, ipse arriperet, qui ætate maturus, consilio providus, et viribus fortis existeret. Grimoaldus, hæc audiens, mox animum ad regnum Langobardorum obtinendum erexit. Ordinatoque apud Beneventum Romualdo suo filio duce, ipse cum electa manu Ticinum profecturus iter arripuit, ac per omnes civitates [p] quas obviam habuit, sibi amicos et adjutores ad regnum percipiendum a civit. Trasemundum vero comitem Capuanum per

[a] Al., *mensibus septem. Hinc Constantinus*, etc. Lind.

[b] Al., *Persarum regina Cæsarea nomine.* Lind., et ita Mod., qui sequitur *cum paucis suis.*

[c] Al., *ad imperatorem.* Lind.

[d] Mod., *uxorem.*

[e] Amb. et Mod., *ut eam legati conspiciunt.*

[f] Al., *vestro nuper marito meo.* Lind.

[g] Al., *jam in Christum credo.* Lind.

[h] Amb., *duodecim.*

[i] Al., *multum.* Lind.

[j] Fabula hæc, quæ in Hist. Miscel. quoque concessit, ab illa fortasse nata est quæ auctores habuit Theophyl. Simocatam et abbatem Biclariensem, ejusdem ævi scriptores, ad quos e vulgi rumore venerat : Chosroes namque II, vel arte, vel memor accepti beneficii a sancto Sergio martyre, cui pro restitutione sua in regnum votum fecerat, bene se animatum in religionem Christianam ostendit; at errores suos minime abjuravit, ut liquido constat ex epistola sancti Gregorii papæ ad sanctum Domitianum episcopum Melitinæ a Baronio aliisque allegata. Plura etiam fabulosiora scripsit de hac re Fredegarius in suo Chronico. Cæterum Chosroes, vivo adhuc Heraclio imper., jussu filii Siroeæ, sagittis confossus occubuit, anno Christi 627, ita ut hæc omnia non cum imperio Constantis, sed Heraclii, fuissent alliganda.

[k] Al., *Theodelappo.* Lind.

[l] Al., *Aribertus.* Lind.

[m] Al., *Berthari*, al., *Partharito, et Gundeberto;* et sic semper Lind. et Mod.

[n] Amb., *Godibertus* semper.

[o] Sigebertus, in Chronico, ad annum 660 : « Ariperth Langobardorum rege defuncto, Godebertus et D Bertharith filii ejus annum agunt, non tam in regno componendo, quam de regno contendendo; atque anno sequenti Grimoaldus dux Taurinacium Godebertum filium Ariperth regis Langobardorum dolo perimit, et ejus regnum arripit. » Consentanea rerum ordini narratarum a Paulo post mortem Ariperti, hæc unius anni mora antequam Grimoaldus rerum potiretur; cumque vix dubitandi sit locus in statuendo initio regni Grimoaldi cum ipse profiteatur in suo legum edicto mense Julio, indictionis undecimæ, annum regni sui sextum currere, isque Christi Domini erat 668, hinc retrocedendo ad 661, quo mors Ariperti est assignanda, veniemus. Non animadvertit hæc Peregrinius, nullaque interposita mora inter mortem Ariperti et initium regni Grimoaldi, quod serius in sua comparatione statuit, Paulum non bene prochronismi arguit in cit. sua dissertat. fin. ducat. Beneventani ad Septentrionem.

[p] *Per quas iter habuit.* Mod., *viam habuit.*

Digitized by Google

Spoletum, et Tusciam direxit, ut per eas regiones Langobardos suo consortio coaptaret. Qui imperata sibi strenue perficiens, ei cum multis adjutoribus apud [a] Æmiliam in itinere occurrit. Igitur Grimoaldus cum prope Placentiam cum robusta virorum multitudine advenisset, Garibaldum, qui legatus ad eum missus a Godeberto fuerat, Ticinum præmisit, ut eidem Godeberto de suo adventu nuntiaret. Qui ad Godebertum veniens, Grimoaldum citius adventare dixit. Cumque Godebertus ab eo quæreret quo in loco eidem Grimoaldo hospitium præparare deberet, Garibaldus ita respondit, quod dignum esset ut Grimoaldus; qui pro ejus causa venerat, ejusque sororem accepturus esset, hospitium intra palatium haberet. Quod ita quoque factum est. Nam adveniens Grimoaldus, intra palatium hospitium accepit [b]. Isdem vero Garibaldus, totius nequitiæ seminator, Godeberto persuasit, ut non aliter quam lorica sub veste indutus cum Grimoaldo locuturus veniret; [c] asserens quia Grimoaldus eum occidere vellet. Rursus isdem fallendi artifex, ad Grimoaldum veniens dixit, quod nisi se fortiter præpararet, eum Godebertus suo gladio perimeret, asseverans Godebertum quando cum eo ad colloquendum veniret, loricam sub veste gestare. Quid plura? Cum ad colloquium die crastino venissent, et Godebertum post salutationem Grimoaldus amplexatus esset, statim sensit quod loricam sub veste [d] gestaret. Nec mora, evaginato gladio eum vita privavit, regnumque ejus et omnem potentiam invadens, suæ subdidit ditioni. Habebat

A autem tunc Godebertus jam filium parvulum nomine [e] Reginbertum, qui a Godeberti fidelibus sublatus et occulte nutritus est. Nec eum Grimoald persequi curavit, quippe qui adhuc infantulus esset. Quo audito Bertaridus, qui apud Mediolanum regnabat, [f] quod germanus ejus esset exstinctus, quanta potuit velocitate fugam arripuit, atque ad regem [g] Avarum Cacanum pervenit, uxorem Rodelindam, et parvulum filium nomine Cunibertum relinquens, quos [h] Grimoaldus Beneventum in exsilium direxit. His ita gestis Garibaldus, cujus instigatione, et [i] certamine ista patrata sunt, et non solum hæc egerat, sed et fraudem in legatione sua fecerat, dum munera quæ deferre Beneventum debuerat, non integra deportasset; talium ergo operum patrator, non B diu lætatus est. Erat quidam parvus homunculus, ex propria familia Godeberti oriundus, in civitate [j] Taurinatium. Is cum Garibaldum ducem ipso sacratissimo Paschali die ad orationem in beati Joannis basilicam venturum sciret, super sacrum baptisterii fontem conscendens, lævaque manu se ad [k] columellam tugurii continens, unde Garibaldus transiturus erat, evaginatum ensem sub amictu tenens, cum juxta eum Garibaldus venisset, et pertransiret, ipse elevato ense, annisu eumdem in cervicem percussit, [l] caputque protinus amputavit. Super quem qui cum Garibaldo venerant irruentes, multis eum ictuum vulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen Godeberti sui domini injuriam insigniter ultus est [m].

[a] Al., *Æmiliam viam*. Lind.
[b] Post verbum *factum est*, hæc al is desunt. Linden.; *mansionem accepit*. Amb.
[c] Al., *asserens se suspicari, quod eum Grimoaldus*, etc. Lind.
[d] Al., *gestaret, idque ad cædem sui factum causatus, illico evaginato gladio*, etc. Lind.
[e] Amb. *Raginbertum*. Mod., *Raunpertum*. Lind., *Raginpertum*, al., *Rumbertum*.
[f] Verba, *quod germ. ejus esset exstinctus*, aliis desunt. Lind.

C [g] Al., *Avarum, seu Hunnorum*. Lind., Amb., *Avarorum*.
[h] Amb., *Grimoaldus in exsilium direxit*.
[i] Al., *conamine*. Lind.
[j] Amb., *Taurina. Qui*.
[k] Al., *Columnellam*. Lind.; *Columpnellam*. Amb.
[l] Verba *caputque protinus amputavit*, non legun. in Amb.
[m] Modoet. sequitur, *Grimoald regis filiam sumens uxorem pariter exercitum ad propria remisit*.

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quomodo Grimoaldus, confirmato regno, uxorem duxit filiam Ariperti regis.*

[a] Confirmato itaque Grimoaldus regno apud Ticinum [b], non multo post tempore jam dudum pactam sibi Ariperti regis filiam, cujus germanum [c] Godebertum exstinxerat, duxit uxorem. Beneventanum vero exercitum, cujus auxilio regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remisit ad propria. Aliquantos tamen ex eis secum habitaturos retinuit, largissimas eis tribuens possessiones.

D

## CAPUT II.

*De fuga Bertaridi, et quomodo ad Grimoaldum reversus est, et iterum in Franciam fugit.*

Qui postquam comperit Bertaridum profugum Scythiam petiisse, et apud Cacanum demorari, eidem Cacano Avarum regi per legatos mandavit, ut si Bertaridum in suo regno detineret, pacem quam Langobardis et secum hactenus habuerat, deinceps habere non posset. Hæc Avarum rex audiens, ascito Bertarido, dixit ei, ut in quam partem vellet pergeret, ne propter eum Avares cum Langobardis inimicitias contraherent [d]. Bertaridus vero, hæc audiens, Ita-

[a] Al., *confirmatus dehinc Grimoaldus in regno*. Linden. et Amb.
[b] Anno scilicet 662, ut supra notavi, ex dato edicti, cujus characteres, ut in editis, legi etiam in cit. Ms. codice legum Langob. optimæ notæ in Bibliotheca Ambros.
[c] Al., *Gundebertum*. Lind.
[d] Firmiorem Cacani fidem cum Bertharido cogno-

Digitized by Google

liam [a] ad Grimoaldum revertens repetiit, audierat enim eum clementissimum esse. Igitur cum ad Laudensem civitatem venisset, misit ante se ad Grimoaldum regem [b] Hunulfum sibi fidelissimum virum, qui suum ei adventum nuntiaret. Hunulfus vero ad regem veniens, Bertaridum [c] in ejus fide adventare nuntiavit. Hæc ille audiens, fidenter promisit in sua eum fide venientem nihil mali passurum fore. Inter hæc Bertaridus adveniens, ad Grimoaldum ingressus, cum ejus se vestigiis advolvere conatus esset, rex eum clementer retinuit, atque ad os suum [d] ad osculumque erexit. Ad quem Bertaridus: Servus tuus sum, inquit, sciens te Christianissimum et pium esse, cum possim inter paganos vivere, fretus de tua clementia, ad tua vestigia veni. Cui rex ut solebat jurando ita repromisit dicens: Per eum qui me nasci fecit, postquam in meam fidem ad me venisti, nihil mali in aliquo patieris, sed ita de te ordinabo, ut decenter vivere possis. Tunc ei in spatiosa domo hospitium [e] præbens, eum post vitæ laborem, habere requiem jussit, præcipiens eidem ex publico victum, et quæcunque essent necessaria largius ministrari. Bertaridus vero cum ad hospitium sibi a rege præparatum venisset, mox ad eum Ticinensium civium cœperunt turmæ concurrere, ut eum vel viderent, vel pristina notitia cognitum salutarent. Verum quid non mala lingua irrumpere potest? Mox namque venientes ad regem quidam maligni adulatores regi denuntiant, quia nisi Bertaridus citius vita privaretur, ipse regnum protinus cum vita perderet; asseverantes ob hoc ad eum totam concurrere civitatem. His auditis Grimoaldus nimium credulus effectus, et quod promiserat oblitus, in innocentis Bertaridi statim necem accenditur, consiliumque iniit, qualiter eum, quia jam hora tardior erat, in crastinum vita privaret. Cui denique ad vesperam diversos cibos, vina quoque præcipua, variaque potionum genera transmisit, ut eum inebriare

A posset, quatinus multa eadem nocte potatione resolutus, [f] vinoque sepultus, de sua nihil salute cogitare valeret. Tunc unus, qui de ejus patris obsequio fuerat, cum eidem Bertarido [g] ferculum regium attulisset, quasi eum salutaturus, sub mensa caput mittens, eidem secrete, quia rex eum occidere disponeret, nuntiavit. Bertaridus vero statim suo pincernæ præcepit, ut sibi in phiala argentea non aliud quam aliquantulum aquæ propinaret. Cumque hii qui diversi generis potiones ei a rege deferebant, de verbo regis eum rogarent ut totam phialam biberet, ille in honorem regis se totam bibere promittens, parum aquæ libabat de argenteo calice. Qui ministri dum hæc regi nuntiarent, quod ille avidissime biberet, rex lætus respondit: Bibat ebriosus ille, cras enim

B pariter eadem vina mista cum sanguine refundet. Bertaridus vero, Hunulfo citius ad se ascito, de sua morte ei consilium regis nuntiavit. Qui statim ad domum suam puerum misit, ut sibi lectisternia afferret, lectumque sibi juxta stratum Bertaridi fieri præcepit. Nec mora, rex Grimoaldus suos satellites direxit, qui domum in qua Bertaridus quiescebat, ne aliquo modo effugere posset, custodire deberent. Cumque cœna finita esset, et, egressis omnibus, [h] Bertaridus tantum et Hunulfus, ac vestiarius Bertaridi, remansissent, qui utique ei satis erant fideles, consilium ei aperuit et obsecravit eum [i] ut cum Bertaridus fugeret, ipse eum [j] quandiu posset intra ejusdem cubiculum quiescere simularet. Cumque ille se hoc facturum spopondisset, Hunulfus pannos suos

C [k] lecticarios, et culcitram ursinamque pellem, supra dorsum ac cervicem Bertaridi imposuit, eumque ex consilio quasi rusticanum servum extra januam impellere cœpit, multasque ei injurias faciens, fuste eum percutere desuper, et urgere non cessabat, ita ut impulsus atque ictus sæpius ad terram corrueret. Cumque eumdem Hunulfum regis satellites, qui ad custodiam positi erant, requirerent quid hoc esset:

scimus ex Eddio in Vita S. Wilfridi I, Eboracensis archiepiscopi, illius ævi scriptore, apud Mabillonium in appendice tom. IV, sæculi Benedictini. Adrianus Valesius, ut refert idem Mabillonius in observatione prævia, primus animadvertit ibi de Berthárido, quem Eddius Berchterum Campaniæ regem vocat, sermonem haberi: « Pergentes itaque, scribit Eddius, sancti episcopi (nempe Wilfridus et Theodatus), viam Domino dirigente, pervenerunt ad Berchterum Campaniæ Regem (hoc est Langobardorum, ut ex eodem scriptore certo apparet, etsi Bolland. ad ejusd. pontif. Vitam ab Eadmero scriptam, aliter non bene accipiat: nam ejusdem sancti Wilfridi reditum a Roma describens Eddius ait: *Per Campaniam et montana transcendente, in regionem Francorum pervenit*), virum humilem, et quietum, et trementem sermones Dei: qui peregrinos secundum præceptum Domini benigne suscipiens sancto pontifici nostro enuntiavit dicens: De Britannia inimici tui nuntios ad me mittentes, suis sermonibus salutantes me, et dona mihi maxima promittentes si te subterfugientem, ut dixerunt, episcopum angarizarem, et ad apostolicam sedem tendentem retinerem, quibus tam nefariam rem renuens dixi: Fui aliquando in diebus juventutis meæ exsul de patria expulsus sub pagano quodam rege Hunnorum degens, qui iniit mecum fœdus in deo suo idolo, ut nunquam me inimicis prodidisset, vel dedisset. Et post spatium temporis venerunt ad regem paganum sermone inimicorum meorum nuntii, promittentes sibi dare sub jurejurando solidorum aureorum modium plenum, si me illis ad internecionem dedisset. Quibus non consentiens dixit: Sine dubio dii vitam succidant, si hoc piaculum facio irritans pactum deorum meorum. Ego vero quanto magis, qui Deum verum scio, animam meam pro totius

D mundi lucro in perditionem non dabo! Tunc vero sanctum pontificem nostrum, et suos socios cum honore et ducibus, sicut eum Dominus, ubique in peregrinatione protegens magnificavit, ad Apostolicam sedem olim optatam in gratiarum actione remisit. »

[a] Amb., *ad Grimoaldum revertitur.*

[b] Al., *Unulfum, et Aunulfo.* Lind.

[c] Al., *ad ejus fidem confugere.* Lind.

[d] Amb., *atque ad osculum erexit.*

[e] *Præbens, post tantum laborem eis requiem jussit habere.* Amb.

[f] Al., *vino somnoque sepultus.* Lind.

[g] Ms. Lind., *poculum.*

[h] Al., *Partharithus cum suo vestiario remansit.* Lind.

[i] Mod., *ut cum Hunulfo Bertaridus fugeret.*

[j] Mod., *quandiu posset ultra diem intra*, etc.

[k] Al., *lectaricios.* Lind., *lectarios.* Amb., *lectaricios.* M.

Digitized by Google

Servus iste, inquit, nequam lectum mihi in cubiculo istius ebrii Bertaridi [a] stravit, qui in tantum vino plenus est, ut quasi mortuus ita cubet. Sed satis est quod ejus huc usque amentiam secutus sum, jam deinceps in vita domini regis in domo propria manebo. Hæc illi audientes, et vera quæ audierant esse credentes, læti effecti sunt, et eum pariterque Bertaridum, quem putabant servum, quia opertum ne agnosceretur habebat caput, locum illis dantes, abire permiserunt. Illis autem abeuntibus, vestiarius ille fidelissimus, obserato diligenter ostio remansit intrinsecus solus. Hunulfus vero Bertaridum de muri angulo, qui est a parte Ticini fluminis, per funem deposuit, eique quos potuit socios conjunxit. Qui arreptis quos in pastu invenerant equis, eadem nocte ad Astensem properant civitatem, [b] in qua Bertaridi amici manebant. Deinde Bertaridus quantocius Taurinensem urbem petens, ac [c] post claustra Italiæ transgressus, Francorum ad patriam pervenit. Sicque Deus omnipotens dispositione misericordi, et innocentem a morte eripuit, [d] et ex animo bona facientem ab offensione regem servavit.

## CAPUT III.

*De clementia Grimoaldi regis in Hunulfo, et vestiario Bertaridi.*

At vero rex Grimoaldus dum Bertaridum in hospitio suo quiescere putaret, ab eodem hospitio usque ad palatium suum acies hominum hinc et inde astare fecit, ut per eorum medium Bertaridus deduceretur, quatenus effugere minime posset. Cumque a rege missi venissent, qui Bertaridum ad palatium evocarent, et ad ostium in quo eum quiescere putabant pulsassent, vestiarius ille, qui introrsus erat, rogabat eos dicens: Misericordiam cum eo facite, eumque paululum quiescere sinite, quia adhuc de itinere lassus, gravissimo somno deprimitur. Quod cum illi acquievissent, hoc ipsum regi nuntiaverunt, quia adhuc Bertaridus gravi somno quiesceret. Tunc ille: Sic, inquit, [e] hesterno sero vino se adeo opplevit, ut adhuc vigilare non possit? Quibus tamen præcepit, ut mox eum excitatum ad palatium deducerent. Qui venientes ad januam cubiculi, in quo Bertaridum sperabant quiescere, cœperunt acrius pulsare. Tunc vestiarius ille rursum eos rogare

A cœpit, ut quasi eumdem Bertaridum aliquantulum adhuc dormire permitterent. Qui irati vociferantes jam satis ebriosum illum quievisse, mox calcibus ejusdem cubiculi ostium confringunt, ingressique Bertaridum in lectulo requirunt. Quem cum non invenissent, [f] ad requisita eum naturæ residere suspicati sunt. Quem cum nec ibi reperissent, vestiarium illum interrogant, quid de Bertarido [g] factum fuisset. Quibus ille fugisse eum respondit. Quem statim capillis apprehensum furentes, eumque ad regis præsentiam perducentes, fugæ Bertaridi hunc esse conscium, ideoque morte dignissimum dicunt. Quem rex dimitti præcepit, eumque per ordinem, qualiter Bertaridus effugisset, inquisivit. Ille regi universa sicut acta fuerant retulit. Tunc rex a circumstantibus

B requisivit dicens: Quid vobis de homine isto videtur, qui taliter perpetravit? Tunc omnes una voce responderunt, eum esse dignum multis suppliciis [h] excruciatum interire. At rex: Per eum qui me nasci fecit, inquit, dignus est homo iste bene habere, qui se pro fide sui domini morti tradere non recusavit. Eumque mox inter suos vestiarios esse præcepit, admonens eum ut sibi eamdem fidem quam erga Bertaridum habuerat servaret, multa se ei commoda largiturum promittens. Cum rex requireret quid de Hunulfo factum fuisset, [i] nuntiatum est ei quod in beati archangeli Michaelis basilicam confugium fecisset. Qui mox ad eum misit, sponte promittens quod nihil pateretur mali, tantum in sua fide veniret. Hunulfus vero talem regis promissionem audiens, mox

C ad palatium venit, atque ad regis vestigia provolutus, interrogatus ab eo est quomodo aut qualiter Bertaridus evadere potuisset. At ille cum ei cuncta ex ordine retulisset, rex ejus fidem et prudentiam collaudans, omnes facultates ejus, et quidquid habere poterat, eidem, clementer concessit.

## CAPUT IV.

*Quomodo Grimoaldus Hunulfum et vestiarium Bertaridi ad eumdem Bertaridum remisit.*

Cumque post aliquod tempus rex Hunulfum inquireret, utrum vellet ipsis diebus cum Bertarido esse, ille jurejurando ait, cum Bertarido prius se velle mori quam usquam alibi in summis deliciis vivere. Tunc rex vestiarium illum requisivit, dicens, utrum

[a] Mod., *statuit.*

[b] *Et qui adhuc Grimoaldo rebelles exstabant.* Lind., Amb. et Mod.

[c] Τὸ *post.* in Mod. non leg.

[d] Amb., *Et regem ex animo bona facere cupientem ab offensione servavit.*

[e] Al., *hesterna cæna.* Lind.

[f] Verba *ad requisita eum naturæ residere suspicati sunt. Quem cum nec ibi reperissent*, in Amb. et aliis L. non leguntur.

[g] Al.: *factum fuisset, remque omnem intellexisset, mox ad eum*, etc. Lind.

[h] Mod., *et cruciatibus.*

[i] Sæpissime hoc apud Historicos et alios scriptores legitur. Vide Cod. Tit. de iis qui ad eccles. confug. Primum autem hic mos ab Atheniensibus introductus, apud quos ara misericordiæ (ut vulgo jam notum) constituta erat, quam qui amplectebantur, eis vim fieri leges vetabant: ideo semper locus ille confugis

D abundabat, ut eleganter Statius scribit Thebaid. lib. XII:

> Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
> Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.

Sic etiam ad principum statuas confugiebant, l. unica, C. de iis qui ad princ. stat. confug., et hoc erat tutissimum refugium, ut jam viri doctissimi docuerunt. Confugientes quoque ad signa militaria tuti erant ab omni læsione: causam puto, quia Imperatorum et principum imagines illis plerumque annexæ. Tacit., lib. I Annal.: « Neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis: illic signa et aquilam complexus, religione se tutabatur, et ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, etc. » Ammianus Marcellinus, lib. XXV: « Qui fraudum conscius et noxiorum ad militaria signa confugit. » Lind.

Digitized by Google

melius ei esset secum in palatio manere, an cum Bertarido in peregrinatione degere. Qui cum ei similia, sicut et Hunulfus, respondisset, rex eorum verba benigne suscipiens, eorumque fidem collaudans, præcepit Hunulfo ut quidquid vellet de domo sua tolleret, pueros scilicet et equos, et diversam supellectilem, et ad Bertaridum illæsus properaret. Pari etiam modo et vestiarium illum absolvit. Qui omnia sua secundum benignitatem regis sufficienter tollentes, cum ejusdem regis adjutorio, Francorum in patriam ad suum dilectum Bertaridum sunt profecti.

## CAPUT V.

*Bellum Grimoaldi adversus Francos, et victoria ejus.*

Hac tempestate Francorum exercitus de [a] provincia egrediens, in Italiam introivit: contra quos Grimoaldus cum Langobardis progressus, hac eos arte decepit. Fugere quippe se eorum impetum simulans, castra sua simul cum tentoriis et diversis pariter referta bonis, præcipueque vini optimi copia, abductis hominibus, omnino vacua reliquit. Quo dum Francorum acies advenissent, existimantes Grimoaldum cum Langobardis pavore deterritos castra integra reliquisse, mox læti effecti [b] certatim cuncta invadunt, cœnamque affluentissimam instruunt. Qui dum diversis epulis, multoque degravati vino somnoque quievissent, Grimoaldus super eos post noctis medium irruens, tanta eos cæde prostravit, ut vix pauci ex eis elapsi ad patriam valuerunt repedare. Qui locus ubi hoc gestum est prælium Francorum, usque hodie [c] Rivus appellatur, nec longe distat [d] ab Astensis civitatis mœnibus.

## CAPUT VI.

*Quomodo Constans Augustus Italiam veniens Beneventum obsedit.*

His diebus Constantinus Augustus, qui et Constans est appellatus, [e] Italiam de Langobardorum manu eruere cupiens, Constantinopoli egressus, per littoralia iter habens Athenas venit, indeque mare transgressus [f] Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quemdam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, [g] abiit [h] studiose ab eo sciscitans utrum gentem Langobardorum, quæ in Italia habitabat, superare et obtinere posset. A quo cum servus Dei spatium unius noctis expetisset, [i] ut pro hoc ipso Dominum supplicaret, facto mane, ita eidem Augusto respondit: Gens Langobardorum superari modo ab aliquo non potest, quia regina quædam ex alia provincia veniens, basilicam beati Joannis Baptistæ in Langobardorum finibus construxit, et propter hoc ipse beatus Joannes pro Langobardorum gente conti-

[a] Mod., *provincia Galliæ egrediens Italiam*, etc.

[b] Amb., *constatim.*

[c] Mod., *Rivulus.*

[d] Mod., *ab Astense civitate.*

[e] Jam enim animo conceperat de Constantinopoli Romam imperii sedem transferre, quippe se invisum esse civibus cernebat ob cæsum fratrem Theodosium, admissa in sanctum papam Martinum et Maximum facinora, et Monothelitarum hæresim, ut Zonaras, Theophanes, Cedrenus aliique Græci scriptores, affirmant, utcunque in iis de sequenti Langobardico bello mentio nulla occurrat, neque in Anastasio Bibliothecario; at subodorare licet ex ipsa necessitate si translationem imperii de Græcia in Italiam destinaverat, quam nisi de medio sublatis Langobardis exsequi potuisset. Servatam hanc rerum seriem Paulo nostro debemus ex infra citandis Latinorum testimoniis firmatam. Cæterum acta hæc anno decedente 662 cognoscimus ex cit. Anastasio Bibliothecario, qui advenisse imp. in Italiam asserit per indictionem sextam, sancto Vitaliano pontifice, et postmodum « quinta die mensis Julii, feria quarta, indictione « suprascripta, » Romam ingressum fuisse, qui utique characteres anno 663 conveniunt, et cum statuta regni Grimoaldi epoche bene conveniunt.

[f] Mod., *ad Tarentum civitatem*, etc.

[g] Al., *consulturus adiit.* Lind.

[h] Mod., *diligenterque sciscitans.*

[i] In Ascensiana Editione ita hæc leguntur: «Ut pro hoc ipso Dominum Deum consuleret [*Mod.*, Deum supplicaret, et ille orationem fundens ad Dominum dicebat] fideliter agebat prompto corde preces ad Dominum fundens, et dicens: Domine Jesu Christe Rex regum, et lumen verum, qui misisti Spiritum sanctum in specie ignis in apostolos tuos, transmitte Spir. sanct. consolationis tuæ in os meum, ut possim consilium rectum dare hominibus istis qui venerunt in tuo nomine ad me. Eadem hora visæ sunt ei tres personæ spirituales, quarum una archangeli Michaelis, secunda Joannis Baptistæ, tertia apostoli Petri. Tunc unus ex illis dixit ad solitarium: Dic imperatori Constantio, quod ad talem rem, quam habet [Constantio talem rem habet] in corde suo dispositam, Domini voluntas adhuc non est. Gens Langobardorum qui in Italia habitant superari nunc ab aliquo non potest, quia regina quædam quæ ex alia provincia venit, basilicam in honore Dei et sancti Joannis Baptistæ construxit in Langobardorum finibus, et ornavit eam facultatibus honorificis, fecitque ut famuli et famulæ, et reliqua ibidem Deo servientibus subjecta sint, et sacerdotes in ipso oratorio [*Mod.*, oraculo] Deo fideliter serviant, et propter hoc ipse sanctus Joannes pro Langobardorum gente continue intercedit. Ipsa vero gens suppliciter ac devote de suis facultatibus in honorem Dei et sancti Joannis Baptistæ omni anno in die nativitatis dicti Baptistæ domini munera offert ad conservandum ipsum oratorium. [*Mod.*, omnique tempore in die nativitatis suæ offert ad ipsum oraculum.] Locus in Modecia dicitur. Verumtamen [*Mod.*, Vere tamen] tibi dicturi sumus in Deo: Veniet tempus et dies, quando ipsum supramemoratum oratorium omnes habitatores terræ hujus habebunt despectui, et omnes ejus facultates exinde expellent, et famulos ac famulas, qui ibi subacti [*Mod.*, subjecti] sunt propter facultates eorum sæpe affligent, et sacerdotes, qui nunc ibi Deo serviunt die ac nocte, inquieti erunt nimis, et auferentur quæ eorum sunt. Propter quod ducetur vita eorum in amaritudine. Quando hæc inchoabuntur, et vos cernetis fieri, certe tunc ipsa gens peribit cum omnibus quæ ad illos pertinent, et stabunt in improperium omnibus gentibus, quæ in circuitu illorum sunt. Et dixit ad eos solitarius: Obsecro clementiam vestram si conversi fuerint ad superiorem promissionem et conversationem suam, nonne invenient misericordiam? Responderuntque [*Mod.*, si conversi sunt ad superiorem promissionem illorum, numquid invenient indulgentiam? et dixerunt ad illum]: Scis quod Veritas dixit: *Convertimini ad me, et ego revertar ad vos.* Eadem autem hora a conspectu ejus evanuerunt [*Mod.*, eadem hora nusquam comparuerunt]. Facto autem mane ita eidem Constantio Augusto, ut supra scriptum est, per ordinem omnia diligenter revelavit. Tunc imperator libenter accepit verba ejus. Quod nos ita factum, etc. »

Digitized by Google

sue intercedit. Veniet autem tempus quando ipsum oraculum habebitur despectui, et tunc gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probavimus, quia ante Langobardorum perditionem, eamdem beati Joannis basilicam, quæ utique in loco qui Modicia dicitur est constituta, per viles personas ordinari conspeximus, ita ut indignis, et adulteris, non pro vitæ merito, sed præmiorum datione, isdem locus venerabilis largiretur.

## CAPUT VII.

*Quomodo Grimoaldus invitatus a filio suo Romoaldo Beneventum advenit.*

Igitur cum, ut diximus, Constans Augustus Tarentum venisset, egressus exinde Beneventanorum fines invasit, omnesque pene per quas venerat Langobardorum civitates cepit. [a] Luceriam quoque opulentam Apuliæ civitatem expugnatam fortius invadens diruit, et ad solum usque prostravit. [b] Arentiam sane propter munitissimam loci positionem, capere minime potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit, et eam vehementer expugnare cœpit, ubi tunc [c] Romoaldus Grimoaldi filius, adhuc juvenculus, ducatum tenebat. Qui statim ut imperatoris adventum cognovit, [d] nutritium suum nomine Sesualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obsecrans ut quantocius veniret, filioque suo ac Beneventanis, quos ipse nutrierat, potenter succurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, statim cum exercitu filio laturus auxilium, Beneventum pergere cœpit. Quem plures ex Langobardis in itinere relinquentes, ad propria remearunt, dicentes: quia exspoliasset palatium, et jam non reversurus repeteret Beneventum. Interim imperatoris exercitus Beneventum diversis machinis vehementer expugnabat, [e] e contra Romoaldus cum Langobardis fortiter resistebat. Qui quamvis cum tanta multitudine congredi manu ad manum, propter paucitatem exercitus, non auderet, frequenter tamen cum expeditis juvenibus hostium castra irrumpens, magnas eisdem inferebat undique clades [f]. Grimoaldus ejus pater cum jam jamque properaret, eumdem nutritium ejus, de quo præmisimus, ad filium misit, qui ei suum adventum nuntiaret. Qui cum prope Beneventum venisset, a Græcis captus, imperatori delatus est. Qui ab eo unde veniret requirens, ille se a Grimoaldo rege [g] venire, eumdemque regem citius adventare nuntiavit. Statimque imperator exterritus consilium cum suis iniit, quatinus cum Romoaldo pacisceretur, ut Neapolim posset reverti.

## CAPUT VIII.

*Quomodo imperator, accepta obside Romoaldi sorore, a Benevento discessit.*

Accepta ita obside Romoaldi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit. [h] Ejus vero nutritium Sesualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romoaldo, aut civibus de Grimoaldi adventu nuntiaret, sed potius assereraret eumdem minime venire posse. Quod ille ita se factu-

[a] Amb., *Lucernam*; al., *Luceriam quoque opulentam civitatem, et Apuliam oppugnatam fortius*. Lindenb. *Opulentam Apulegiam*, in Mod.

[b] Al., *Acheruntiam*, vel *Agerentiam*. Lind., et ita in Amb. et Mod.

[c] Al., *Romualdus*, vel *Rumualdus*. Lind.

[d] Glossarium, *Nutricius* τροφεύς In cippo vetus

MEMMIA TERTULLA
NUTRICIO SUO ET MATRI
BENEMERENTI. POSTERISQUE
SUIS ET SIBI.

Ulpianus eos lib. de Officio proconsulis, *Educatores* vocat. leg. 33, D. de manumiss. vindict. Justinianus lib. I Inst. tit. 6, § 5, *aut pædagogum, aut nutricium, aut educatorem, aut alumnum*, quem locum ita expressit Theophylus: καὶ τὸ εἰπεῖν, ὅτι παιδαγωγός μου ἐστίν, ἢ τροφὸς, ἢ τροφεὺς, ὁ ἀλοῦμνος. In alia inscriptione *Tatæ* appellantur

TI. CLAUDIO EPAPHRODITO TATÆ
BEN. MER. FECER.

Quod vocabulum etiam apud Curopalatam reperitur, ubi τοῦ τατᾶ τῆς αὐλῆς mentio fit. Sed an idem cum hoc sit, non facile dixerim. Lind.

[e] Al., *Et quamvis Romualdus cum Langobardis suis totum exercitum æquo marte invadere non auderet, frequenter tamen*, etc. Lind.

[f] Hæc item de Beneventana obsidione refert antiquus auctor actorum sancti Barbati. « Constantinus tum, qui et Constans est appellatus, eo tempore Constantinopolitanum regebat imperium. Qui e Langobardorum manibus Italiam cupiens suæque reducere ditioni, sicut olim in prædecessorum se fuerat potestate, innumera suorum collecta multitudine, mare transgressus, Tarentum penetravit: indeque profectus pene omnes Apuliæ urbes depopulatus est, pergensque opulentissimam urbem Luceriam gravissimis præliis cepit, eique omnibus prædonum directis manibus, eam ad solum usque prostravit. De cujus excidio alacer effectus Augustus, concite sua castra movens juxta Beneventi mœnia collocavit. Nec mora, coacervato exercitu ad oppugnandam urbem cum diversis bellorum machinis suos magnates instituit. In qua urbe Romuald, de quo supra retulimus, cum paucis, sed validissimis inerat Langobardis, ibique sanctus Pater Barbatus morabatur cum illis. Circumdata igitur terribiliter, atque inaudite ad capiendam eam novis certaminibus perplurimum temporis pugnaverunt. At contra Romuald, ut erat magnanimus, et imperterritus ei fortiter resistens, nunc ex muris, nunc per improvisam irruptionem, plurimam suorum hostium partem atrivit. Nam pro paucitate sui exercitus acies contra eos in patulis pavebat dirigere. Tamen cum expeditis incessabiliter hinc atque inde subito inimicorum prostrabat catervas. Sed præfatus Aug. quanto plus sibi illum attentius cernebat obsistere, tanto ei ferventius nova certamina objiciebat, etc. » De vocato vero in auxilium Grimoaldo patre nulla in iis actis fit mentio.

[g] Amb. et Mod., *venire dixit*.

[h] Pugnantia hæc invicem sibi notat Peregrinius in cit. dissert. de Finib. princip. Benev., traditam nempe a duce Romualdo imperatori obsidem Gisam post acceptum nuntium præsto jam sibi adesse cum valido exercitu patrem, Regemque Grimoaldum; at non bene Pauli mentem vir doctiss. est assecutus: e contra etenim noster post datam obsidem narrat: Sesualdum, qui a rege præmissus fuerat, ut illius adventum nuntiaret ad mœnia ductum fuisse, ut Romualdo spem auxilii tolleret: subodoro enim ita inter Græcos et Langobardos pactum initum fuisse, ut nisi post certum tempus Grimoaldus opem ferret, se suosque daret Romoaldus: ideoque Græci, qui Sesualdum ceperant, solita fraude mortem minati, virum ad mœnia duxerunt, ut suis notus assereraret Regem *minime venire posse*, quod mirabili virtutis exemplo æterna dignus laude Sesualdus facere recusavit.

Digitized by Google

rum, ut ei præcipiebatur, promisit, sed cum prope muros advenisset,[a] velle se Romoaldum videre dixit. Qui Romoaldus cum citius advenisset, sic ad eum locutus est: Constans esto, domine Romoalde, et habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit. Nam scias eum hac nocte juxta [b] Sangrum fluvium cum valido exercitu manere; tantum obsecro, ut misericordiam exhibeas [c] meæ uxori, et filiis, quia gens ista perfida me vivere non sinet. Cumque hoc dixisset, jussu imperatoris caput ejus abscissum est, atque cum belli machina, quam [d] petrariam vocant, in urbem projectum est. Quod caput Romoaldus sibi deferri jussit, idque lacrymans osculatus est, dignoque in loculo tumulari præcepit.

## CAPUT IX.

*Quomodo imperatoris exercitum Micola Capuanus comes afflixit.*

Metuens igitur imperator subitum Grimoaldi regis adventum, dimissa Beneventi obsidione, Neapolim proficiscitur. Cujus tamen exercitum [e] Mittola Capuanus comes juxta fluenta Caloris [f] fluminis, in loco qui usque hodie Pugna dicitur, vehementer attrivit.

## CAPUT X.

*Quomodo Romoaldus Saburrum ab imperatore missum, cum viginti millibus vicit.*

Postquam vero imperator Neapolim pervenit, unus ex ejus optimatibus, cui nomen Saburrus erat, [g] ab Augusto, ut fertur, viginti millia militum expetiit, seque cum [h] Romoaldo pugnaturum, victoremque spopondit. Qui cum accepto exercitu ad locum cui [i] Forinus nomen est advenisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus, qui jam Beneventum advenerat, hæc audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius Romoaldus: [j] Non est opus, inquit, sed tantum partem nobis de exercitu vestro tribuite. Ego, Deo favente, cum eo pugnabo, et cum vicero, major utique gloria vestræ potentiæ adscribetur. Factumque est, et [k] accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur. Qui prius quam bel- A lum cum eo iniret, a quatuor partibus tubas insonare præcepit, moxque super eos audenter irruit. Cumque utræque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de exercitu regis nomine [l] Amalongus, qui regium contum ferre erat solitus, quemdam Græculum eodem conto utrisque manibus fortiter percutiens, de sella super quam equitabat sustulit, eumque in aera super caput suum levavit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenso pavore perterritus, in fugam convertitur, ultimaque pernicie cæsus, sibi fugiendo mortem, Romoaldo et Langobardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se imperatori suo victoriæ tropæum de Langobardis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans ignominiam deportavit. Romoaldus vero, patrata de B inimicis victoria, Beneventum triumphans reversus est, patrique gaudium et cunctis securitatem sublato hostium timore convexit.

## CAPUT XI.

*De malis quæ Constans Augustus Romanis intulit, et de prædationibus quas singulis regionibus fecit: et quomodo exstinctus est.*

At vero Constans Augustus, cum nihil se contra Langobardos gessisse conspiceret, omnes sævitiæ suæ minas contra suos, hoc est Romanos retorsit. Nam egressus Neapoli Romam [m] perrexit. Cui sexto ab urbe milliario Vitalianus Papa cum sacerdotibus et Romano populo occurrit. Qui Augustus cum ad beati Petri limina pervenisset, obtulit [n] ei [o] pallium C auro textum: et manens apud Romanos diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum civitatis deposuit, in tantum, ut etiam basilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, et conditum fuerat in honorem omnium deorum, et jam ibi per concessionem superiorum [p] principum, locus erat omnium martyrum, discooperiret, [q] tegulasque æreas exinde auferret, easque simul cum aliis omnibus ornamentis Constantinopolim transmitteret. Deinde reversus imperator Neapolim, itinere terreno perrexit in ci-

[a] Verba *velle se Romoaldum videre dixit. Qui Romoaldus cum citius advenisset*, in Mod. non leg., et ita in af. not. Lind. Amb., *velle se Rom. venire. Quod cum advenisset*, etc.

[b] Al., *Sacrum fluvium*. Lind.

[c] Amb., *cum mea uxore et filiis*.

[d] Sic vocabatur ultimis temporibus, cum antea *scorpio*, vel *onager*: cujus formam qui nosse avet, legat Ammiani Marcellini lib. XXIII, nam locus nimis longus est, ut hic describi queat. Nicetas Choniates πετροβόλα ὄργανα indigitat, eisque maxime barbaras gentes, uti idem scribit lib. III de Gestis Alexii Angeli: Ἀλλὰ καὶ τὰ πετροβόλα μηχανήματα, οἷς ἔχρωντο οἱ βάρβαροι.

[e] Al., *Micola*; al., *Mirula*. Lind. *Milta.*, Mod.

[f] Al., *Calbris*. Lind. Ad hunc Pauli locum Camil. Peregrinius loco cit.: « Fluvium Calorem a Paulo pro Sabato dictum non dubito; quem prope Petrus Diaconus in Auct. ad Ostiensem lib. IV, cap. 46, agnoscit hunc locum appellatum Pugna. » Laudabili sane argumento; nimis acri tamen censura, hæc addit: « Sed eo Constantinum recta, et festinato, ut Paulus perhibet, Neapolim recedentem e recta via divertisse, locorum et gestorum consueta est confusio. » Præcipitem sane hunc imperatoris recessum, rectumque iter Neapolim versus non video, unde arguere potuerit Peregrinius nisi ex propria conjectura, quam probabilem licet, tanti non fecerim, ut Paulo fidem sit abrogatura, notata potissimum utriusque fluminis D positione, ut præsens olim aspexi, ob quam nemo dixerit Constantem Benevento Neapolim recedentem enormiter divertisse.

[g] Al., *ob eo*. Lind.

[h] Al., *Grimoaldo*. Lind.

[i] Al., *Forunus*; al., *Formiis*. Lind.

[j] Al., *Non est opus, inquit, pater optime, te proficisci*. Lindenb.

[k] Al., *annuente itaque rege cum parte exercitus in Saburrum egreditur*. Lind.

[l] Al., *Amelongus*. Lind. et Mod.

[m] Amb., *pervenit*.

[n] Amb., *ibi*.

[o] Al., *pallium auro textili: sed manens Romæ per dies duodecim*. Lind.

[p] Phocæ nempe imp., ut supra noster scripserat.

[q] Mod., *tegulasque æreas exinde simul cum aliis*, etc.

Digitized by Google

vitatem [a] Regium. Ingressusque Siciliam per indictionem septimam, habitavit in Syracusa, et tales afflictiones imposuit populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ atque Sardiniæ, quales antea nunquam auditæ sunt, ita ut etiam uxores a maritis, vel filii a parentibus separarentur. Sed et alia multa, et inaudita [b] illarum regionum populi sunt perpessi, ita ut [c] nulli spes vitæ remaneret. Nam et [d] vasa et [e] cimelia sanctarum Dei ecclesiarum imperiali jussu et Græcorum avaritia sublata sunt. Mansit autem imperator in Sicilia ab indictione septima usque in duodecimam; sed tandem [f] tantarum iniquitatum pœnas luit, atque dum se in balneo lavaret, [g] a suis exstinctus est.

## CAPUT XII.

*De imperio Mecetii, et de morte ipsius.*

Interfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, [h] Mecetius in Sicilia regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem [i] Italiæ militiæ milites, alii per Istriam, alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ, et [j] Sardiniæ venientes, vehementer in Syracusas irruerunt, [k] eumque vita privaverunt. Multi ex judicibus ejus detruncati, multique Constantinopolim perducti sunt, cum quibus pariter et falsi imperatoris caput est deportatum [l].

## CAPUT XIII.

*Quomodo Saraceni ab Alexandria venientes Siciliam depopulati sunt, et quidquid Constans Augustus de Roma abstulerat deprædati sunt.*

Hæc audiens gens Saracenorum, [m] quæ Alexan- C

A driam et [n] Ægyptum pervaserat, subito cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra et juga confugerant montium. Auferentes quoque prædam nimiam, et omne illud quod Constans Augustus a Roma abstulerat ornatum in ære et diversis speciebus, sicque Alexandriam reversi sunt [o].

## CAPUT XIV.

*De morte Gisæ sororis Romoaldi.*

Porro regis filia, quam de Benevento obsidem nomine Gisa [p] sublatam diximus, Siciliam veniens, diem clausit extremum.

## CAPUT XV.

B *De pluviis et tonitruis quæ eo tempore nimiæ factæ sunt.*

Hoc tempore tantæ pluviæ tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus [q] meminerit hominum, ita ut innumera hominum et animantium millia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluvias colligi nequiverant, iterum renata et ad maturitatem usque perducta sunt [r].

## CAPUT XVI.

*Quomodo rex Grimoaldus Trasemundum ducem apud Spoletum ordinavit, eique suam filiam in matrimonium tradidit.*

At vero Grimoaldus, ereptis Beneventanis et [s] eorum provinciis a Græcis, apud Ticinum ad palatium suum, [t] repedare disponens, Trasemundum qui dudum Capuæ [u] comes fuerat, et ei ad percipiendum

[a] Al., *Regiam*. Ms., *civitatem civium*. Lind.

[b] Amb., *harum*.

[c] Amb., *alicui spes vitæ non remaneret*.

[d] Amb. et Modoet., *vasa sacrata, cimilia sanctarum ecclesiarum*, etc.

[e] Glossarium, κειμήλιον, *cimelium*. Hesychius: κειμήλια σκεύη δῶρα, καὶ τὰ ἀπόθετα χρήματα. De priori intelligunt viri docti versum Homeri Iliad. ζ.

Σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος.

Posterius probat Triphiodorus de Ilii excidio

πολλὰ δὲ ἐρήμων
Ἥρπαζον θαλάμων κειμήλια.

Cassiodorus depositivas pecunias vocat libr. VI, form. 8: « Depositivæ quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis. » Lind.

[f] Mod., *tantarum ærumnarum iniquitatumque pœnas luit*.

[g] Syracusis, in balneo, ab Andrea, Troili filio, situla qua calida infundebatur capiti graviter impacta, Constantem occubuisse scribunt Græci Latinique scriptores. Anastasius, in sancto Vitaliano interfectum fuisse narrat « 15 die mensis Julii, per indict. 11. » At recentiores reponunt 12, ut legitur in Warnefrido nostro et nonnullis Anastasii mss. Codicibus, argumento actionis 18 sextæ synodi, in qua annus 13 consulatus Constantini Pogonati numeratur, quod optime demonstrat Constantis mortem post inceptam indictionem 12 evenisse. Noster vero cum supra scripserit annos XVIII eumdem imperasse, incompletos utrosque extremos numeravit, ut alibi passim.

[h] M., *Mezentius*, insigni formæ decore a scriptor. laudatus.

[i] Mod., *Italiæ milites*.

[j] Al., *Sardiniæ Syracusas venientes eum vita privarunt*. Lind. et Mod.

[k] Imo et ipse Constantinus Constantis filius e constantinopoli Siciliam venit, occisoque Mezetio, urbem regiam regressus, Pogonati cognomentum adeptus est, quod scilicet Byzantio solvens tenera adhuc lanugine fuerat, et e Sicilia promissam barbam retulerat.

[l] Vide Anastas. Bibliothec., in Vita Adeodati pontificis.

[m] Amb. et Mod., *quæ jam Alexandriam*, etc.

[n] Heraclio scilicet imperante, ac Cyro episcopo Alexandrino, quorum temporibus, anno 635, *Ægyptus* a Romanorum ditione sublata Saracenorum jugo collum subegit.

[o] Hanc Siciliæ cladem a Saracenis illatam cit. Anastasius refert in Vita pontif. Adeodati, qui sancto
D Vitaliano successerat, et cum ejusdem pontificatu Mezetii mortem illigat; at consentientibus cum Theophane Græcis scriptoribus hæc accidisse anno secundum Alexandrinos 661, qui a Kal. Septembris anni 669 Latinis inchoatur, ad sancti Vitalini tempora communiter retrahuntur.

[p] Al., *sublatam ab imp. diximus*. Lind.

[q] Amb., *meminerat*.

[r] Anastasius hæc post mortem Adeodati accidisse narrat.

[s] Al., *Græcorum primitiis*. Lind.

Sed retinenda prima lectio, quove sensu sit accipienda, vide apud Camil. Peregr., in dissert. *Ducat. Beneventanus in antiquas provincias an tributus*, pag. 75.

[t] Al., *repedavit, postquam disposuerat de Trasemundo, qui dudum Capuæ comes fuerat*, etc. Lind.

[u] Comes hic est præfectus, ut in Notitia imperii: « Comes Ægypti, comes Isauriæ, Africæ, Ita-

Digitized by Google

regnum [a] strenuissime paruerat, data ei in matrimonium sua filia, Romoaldi altera sorore, eum post Attonem, de quo superius diximus, apud Spoletum ductorem fecit indeque Ticinum reversus est.

## CAPUT XVII.

*Quod in Forojulii post Grasulfum Ago ducatum tenuit, et post hunc eorum ductor Lupus effectus est.*

Siquidem, ut superius præmiseramus, Grasulfo Forojulianorum duce defuncto, [b] successor ejus in ducatu Ago datus, de cujus nomine usque hodie domus quædam intra Forum-Julii constituta domus Agonis appellatur. Quo Agone mortuo, Forojulianorum ductor Lupus efficitur. Hic Lupus in Grados insulam, quæ non longe ab Aquileia est, cum equestri exercitu, per [c] stratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat, introivit. Et deprædata ipsa civitate, [d] Aquileiensis Ecclesiæ thesauros exinde auferens deportavit. Huic Lupo quando Grimoaldus Beneventum perrexit, suum palatium commendavit.

## CAPUT XVIII.

*Quomodo Lupus dux contra Grimoaldum rebellavit.*

Qui Lupus dum rege absente multa insolenter apud Ticinum egisset, quippe [e] quia eum reversurum non æstimaret, revertente rege, sciens eidem ea quæ non recte gesserat displicere, Forum-Julii petens, contra eumdem regem suæ nequitiæ conscius rebellavit.

## CAPUT XIX.

*Quomodo ipse dux bellum contra Avares gessit.*

Tunc Grimoaldus nolens civile bellum inter Langobardos excitare, regi Avarum Cacano mandavit ut in Forum-Julii contra Lupum ducem cum exercitu C veniret, eumque bello [f] protereret. Quod et factum est. Nam veniente Cacano cum magno exercitu in loco qui [g] Fluvius dicitur, sicut nobis retulerunt seniores viri qui in ipso bello fuerunt, [h] per tres dies Lupus dux cum Forojulianis adversus Cacani exercitum conflixit. Et prima quidem die validum ejus exercitum paucis suis vulneratis prostravit; secunda vero die jam aliquantis e suis vulneratis, et mortuis, pari modo multos ex Avaribus exstinxit. Tertia vero die jam pluribus ex suis sauciatis, sive peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum

A delevit, prædamque copiosam invasit. At vero die quarto tantam super se multitudinem conspexerunt venientem, ut vix per fugam evadere possent.

## CAPUT XX.

*De morte Lupi ducis et quomodo Avares Forojulianorum fines deprædati sunt.*

Ibi itaque Lupo duce perempto, reliqui qui remanserant, sese per castella communiunt. Avares vero per omnes eorum fines discurrentes, cuncta rapinis invadunt, vel supposito igne comburunt. Qui cum per aliquot dies hoc facerent, a Grimoaldo eis mandatum est, ut jam a devastatione quiescerent. Qui legatos ad Grimoaldum mittunt dicentes [i] Forum-Julii se minime relicturos, quam armis propriis conquisissent.

## CAPUT XXI.

*Quomodo Avares nolentes de Forojulii exire, Grimoaldi astutia expulsi sunt.*

Tunc Grimoaldus, necessitate compulsus, exercitum [j] coadunari præcepit, quatenus Avares de suis finibus exturbaret. In medio itaque campo sua castra contra [k] Avarum hostium componens, cum exercitus partem exiguam haberet, [l] et Cacanus ad eum legatos mitteret, eosdem ipsos, quos habebat diverso habitu, variisque instructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quasi novus jugiter exercitus adventaret, frequenter transire fecit. Avarum vero legati dum eumdem ipsum exercitum, [m] aliis et aliis modis præterire conspiciunt, immensam Langobardorum multitudinem esse crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit: [n] Cum omni quam vidistis exercitus multitudine statim super Cacanum irruam, [o] et Avarum exercitus disperdam, nisi de Forojulianorum finibus velociter exierint. His visis et auditis, legati Avarorum cum hæc suo regi nuntiassent, mox cum omni suo exercitu ad proprium reversus est regnum.

## CAPUT XXII.

*De Warnefrido filio Lupi.*

Denique Lupo hoc modo, ut præmisimus, interempto, [p] Warnefridus ejus filius voluit in loco patris apud Forum-Julii obtinere ducatum. Sed me-

liæ, etc., » ubi et plura de ejus dignitate. Lind. At quæ Langobardis comitum fuerit dignitas et officium, vide apud eumdem Peregr., in cit. dissertat. D

[a] Al., *strenuam operam navaverat.* Lind.

[b] Amb.: *successor ei in ducato Adgadus, de cujus*, etc.

Mod.: *successor ei in ducatu Ago est constitutus.*

[c] Strata est via. Victor episcopus de persecutione Vandalorum, lib. III: « Stratæ vero, vel semitæ, cadaveribus repletæ exhalantium fetore mortuorum gradientes vivos omni ex parte necabant. » Apud Germanos maxime adhuc in usu est. Lind.

[d] Post translatum ab Aquileia metu Langobardorum in Gradus insulam ecclesiæ thesaurum, ut supra narravit noster, primus sacrilegas injeceral manus Fortunatus Gradensis episcopus, qui a Catholicis desciverat, et in castrum Cormones supra Aquileiam ad Arianos se receperat, Honorio summo Pontifice. Heraclius imperator, hortante Primigenio, catholico episcopo, Fortunati successore, aurum et argentum plus remisit quam fuerat ablatum, ut scribit Dandulus, apud Ughellum, in Ital. sac.

[e] Amb., *quippe quem reversurum*, etc.

[f] Mod., *prosterneret.*

[g] Al., *Flovius.* Lind.

[h] Amb., *intra.*

[i] *Forum-Julianis neminem se relicturum, quos armis propriis conquisissent.* Ms. Lind. Al.: *Forum-Julii minime relicturos, ut quod armis propriis conquisissent*, etc.

[j] Amb., *coadunare cœpit.* Lind., *congregare cœpit.*

[k] Amb. et Mod., *Aburorum hospitium componens.*

[l] Verba *et Cacanus ad eum legatos mitteret*, non leg. in Amb.

[m] Al.: *Aliis et aliis habitibus armisque instructum pertransire conspicerent, diversos esse putantes, immensam Langobardorum*, etc. Lind.

[n] Mod., *cum omni hac quam vidistis multitudine*, etc.

[o] Amb., *et Avares disperdam.*

[p] Amb., *Arnefrit.* Ms. Lind., *Arnefridus.*

Digitized by Google

tuens Grimoaldi regis vires, fugit ad Sclavorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui postea cum Sclavis adveniens, quasi ducatum eorum viribus resumpturus, apud [a] Nemas castrum, quod non longe a Foro-Julii distat, irruentibus super se Forojulianis, exstinctus est.

## CAPUT XXIII.

*De Wectari Forojulianorum duce, et de ejus victoria.*

Deinde ordinatus est apud Forum-Julii dux [b] Wectari, qui fuit oriundus de [c] Vincentina civitate, vir benignus et populum suaviter regens. Hunc cum audisset Sclavorum gens [d] Ticinum profectum esse, congregata valida multitudine, voluerunt super Forojulianorum castrum irruere. Et venientes castrametati sunt in loco qui [e] Broxas dicitur, non longe a Foro-Julii. Secundum divinam autem dispositionem contigit ut dux Wectari superiori vespere a Ticino reverteretur nescientibus Sclavis. Cujus comites cum ad propria (ut assolet fieri) remeassent, ipse hoc nuntium de Sclavis audiens, cum paucis viris, hoc est cum [f] viginti quinque contra eos progressus est. Quem Sclavi cum tam paucis venire conspicientes, irriserunt dicentes [g] patriarcham contra se cum clericis adventare. Qui cum ad pontem [h] Natisonis fluminis, qui ibidem est ubi Sclavi residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, vultum suum Sclavis ostendit, erat enim calvo capite. Quem dum Sclavi quia ipse esset Wectari cognovissent, mox perturbati Wectari adesse clamitant. Deoque eos exterrente plus de fuga quam de prælio cogitant. Tunc super eos Wectari cum paucis quos habebat irruens, tanta eos strage prostravit, ut ex quinque millibus viris vix pauci qui evaderent remanerent [i].

## CAPUT XXIV.

*De morte Wectari, et quomodo ei Landaris successit, et de Rodoaldo qui post eum ducatum tenuit.*

Post hunc Wectari [j] Landari apud Forum-Julii ducatum tenuit. Quo defuncto, ei [k] Rodoaldus in ducatum successit.

## CAPUT XXV.

*Quomodo Grimoaldus filiam Lupi ducis Romoaldo suo filio sociavit.*

Mortuo igitur, ut diximus, Lupo duce, Grimoaldus rex filiam ejus, nomine [l] Theuderadam, suo filio Romoaldo, qui Beneventum regebat, in matrimonium tradidit. Ex qua tres filios, hoc est, Grimoaldum, [m] Gisulfum, nec non et [n] Arichis genuit.

## CAPUT XXVI.

*Quomodo Grimoaldus de suis contemptoribus se ultus est.*

Rex quoque Grimoaldus de omnibus illis qui eum quando Beneventum profectus fuerat, deseruerant suas injurias ultus est.

## CAPUT XXVII

*Quomodo Grimoaldus Forum-Popilii expugnans delevit.*

[o] Sed et Forum-Popilii, Romanorum civitatem, cujus cives eidem adversa quædam intulerant Beneventum proficiscenti, [p] missosque illius euntes et redeuntes a Benevento sæpius læserant, hoc modo delevit. Quadragesimorum tempore per [q] Alpem Bardonis Tusciam ingressus, nescientibus omnino Romanis, in ipso sacratissimo Sabbato paschali, super eamdem civitatem, ea hora qua baptismus fiebat,

[a] Al., *Neumasum*. Lind. Vide quæ notavi supra, lib. IV, cap. 38, num. 162.

[b] Ms. Lind., *Juvectari*, et sic infra quoque.

[c] Al., *Vincentia*. Lind.

[d] Al., *Ticinum ad regem profectum*. Lind.

[e] Cluver., lib. I Ital. antiq., pag. 201 : « Hic locus plurali numero vocabulo Broxæ, quo situ ad Natisonem amnem fuerit, incertum est; supra Forum Julii tamen fuisse versus Carantanum Sclavorum regionem, quæ nunc Carinthia dicitur, verisimile est. »

[f] Mod., *viginti duo*. Lind., *viginti sex*.

[g] Mod.: *Patriarcham cum transitu clericorum adventare.*

[h] Amb., *Nasicionis*. De Natisone fluvio ejusque cursu, et illius ab altero, Natissa nomine, differentia, plura eruditissime congessit Cluverius, in sua Ital. antiq., lib. I, pag. 185, ibique scribit, « Pontem Natisonis fuisse apud vicum Tertium, quo loco mola frumentaria amni imposita conspicitur; » eamque conjecturam optimis firmat argumentis, quæ hic oneri essent.

[i] Mancum esse Pauli nostri hunc locum potius mihi persuadeam, quam hæc adeo incredibilia scripsisse; vix enim quinque millibus hædis jugulandis viginti quinque fortissimi viri uno impetu satis fuissent.

[j] Al., *Landheri*. Lind.

[k] Al., *Radoaldus*. Lind.

[l] Auctor Vitæ sancti Barbati episcopi apud Bolland. Theodoradam Romoaldo Beneventano duci jam ante adventum Constantis traditam fuisse scribit, eamque, hortante sancto episcopo, cum Beneventus ab imp. obsideretur, marito idola subripuisse, quæ cum nostro minime conveniunt, anno saltem obsidionem subsequenti matrimonium contractum affirmante. Auctori Vitæ sancti Barbati astipulari videtur alter anonymus Vitæ sancti Sabini octavo sæculo scriptæ, apud eumdem Bolland., die 9 Februarii scribit iste, cap. V : « Eodem quoque tempore Langobardorum regni gubernacula sustinebat Grimoalt, qui filium suum Romoalt Beneventi principem instituit, eique Lupi, qui ex nobili prosapia exstiterat, filiam nomine Theodoradam, quam modo meminimus, in matrimonium dedit. Romoalt defunctus eam ad regendum Samnitum populum cum parvo filio reliquit. » Ex quibus facile colligi potest eodem tempore, quo Grimoaldus filium suum Beneventanorum ducem instituit, eidem et uxorem tradidisse. Cæterum laudatur Theodoradæ pietas, quæ in honorem sancti Canusini episcopi, visione ac miraculo monita, templum erexit, ejusque corpus marmoreo condidit sepulcro, altaris tegmina auro gemmisque decoravit.

[m] Mod., *Agisulfum*.

[n] Mod., *Arichit*. Al., *Arichitum*. Lind.

[o] Al., *Forumpopuli*. Lind.

[p] Missi sunt legati, leg. Franc., lib. IV, cap. 7, lib. IV, cap. 12, et alibi. Lind.

[q] De Alpe Bardonis et Berceto infra, lib. VI, c. 58, memorato Cluverius, dict. lib. I, pag. 293. Quove situ utrumque nomen fuerit arguit ex Chronici Casinensis lib. I, cap. 9, et Liutprandi lib. I, cap. 2, ex quibus asserit : « Montis transitum nullum esse alium quam per quem celeberrimo hodieque itinere, ex Macræ amnis valle ab oppidis Sarzana, Ula, Villafranca, et Ponte-Tremulo, transitur ad Bercetum, unde porro iter fert per Forum-Novum ad Parmam urbem. Romanorum etiam duces olim ex hac exercitus ductitasse supra ad Mutilum Bajorum castrum docui; sed hunc Bardonis montem Ligures tunc Apuani tenebant. »

Digitized by Google

inopinate irruit, tantamque occisorum stragem fecit, ut etiam diaconos ipsos, qui infantulos baptizabant, in ipso sacro fonte perimeret. Sicque eamdem urbem dejecit, ut usque hodie paucissimi in ea commaneant habitatores.

## CAPUT XXVIII.

*De odio quod Grimoaldus adversus Romanos habuit.*

Erat quidem Grimoaldo contra Romanos non mediocre odium, pro eo quod ejus quondam germanos [a] Tassionem et Cacconem in sua fide decepissent. Quam ob causam Opitergium civitatem, ubi ipsi exstincti sunt, funditus destruxit, eorumque qui ibi [b] aderant fines Forojulianis, Tarvisianisque et Cenetensibus, divisit.

## CAPUT XXIX.

*De Bulgarum duce Alzecone, et quomodo in Benevento cum suis ordinatus est.*

Per hæc tempora Bulgarorum dux, Alzeco nomine, incertum quam ob causam a sua gente digressus, Italiam pacifice introiens, cum omni sui ducatus exercitu ad regem Grimoaldum venit, ei se serviturum atque in ejus patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo populo [c] loca ad habitandum concedere deberet præcepit. Quos Romoaldus gratanter excipiens, eisdem [d] spatiosa ad habitandum loca, quæ usque ad illud tempus deserta erant, contribuit, scilicet [e] Sepianum, Bovianum, et [f] Iserniam, et [g] alias cum suis territoriis civitates [h], ipsumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine, [i] de duce gastaldium vocitari præcepit. Qui usque hodie in his, ut diximus, locis habitantes, quanquam et [j] Latine loquantur, linguæ tamen propriæ usum minime amiserunt.

## CAPUT XXX.

B *Quia, exstincto tyranno Mecetio, Constantinus in locum Constantis Augusti Romanorum princeps effectus est.*

Igitur exstincto, ut diximus, apud Siciliam [k] Constante Augusto, punitoque qui ei successerat [l] Mecentio tyranno, Romanorum regnum Constantinus

[a] Al., *Tassonem, et Catonem*. Lind. et Mod.

[b] Mod., *habitaverant*; al., *habuerant*. Lind.

[c] Tó *loca* non legitur in Amb.

[d] Al., *pretiosa*. Lind.

[e] Amb., *Sepinum*; al., *Sepiam*. Lind.

[f] Al., *Eserniam*. Lind.

[g] Al., *alias multas cum suis*, etc. Lind.

[h] Optime notavit Camillus Peregrinius de Bulgarorum in Italiam adventu non convenire Historiam Miscellam cum Paulo nostro. Hæc in ea lib. XIX, leguntur: « Temporibus autem Constantini, qui in Occidente regnavit, cum Orbatus, dominus jam dictæ regionis Bulgariæ, seu Contragorum, vitam commutaret, ac filios quinque relinqueret, testatus est ne ullo modo a mutua cohabitatione separarentur, ipsique nulli alteri nationi servirent. Post breve autem tempus mortis illius in divisionem venientes quinque filii ejus altrinsecus sequestrati sunt una cum populo, quem unusquisque ditioni suæ subjectum habebat. Et primus quidem filius ejus, qui dicebatur Buthajas, mandatum proprii custodiens patris, in progenitorum suorum terra permansit, etc. » Enumeratis inde cæteris quatuor, eorumque migrationibus, de quinto, cujus nomen reticuit, hæc habet: « Alter vero haud procul ab urbe Ravenna in Pentapolim veniens sub Christianorum imperio factus est. » Paulo astipulatur Ignotus Cassinensis, ab eodem Peregrinio editus, qui continenti serie plures historias narrans, n. 3, hæc scribit: « Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum suscipitur, Græcorum Romanorumque Langobardi gentes superantes totam simul Beneventi possident patriam. » Suspicatur ex his Peregrinius cum Ignotus auctor in unum locum contulerit Alzeconis adventum, et Langobardorum de Græcis atque Romanis ingentem victoriam, qua scilicet Beneventanam regionem latissime obtinuerunt, Constantis ipso tempore, ut apertissime noster asserit, suspicatur, inquam, a Beneventano duce, atque illius patre rege Grimoaldo, contra Græcos in subsidium accersitos fuisse, imo a Ravennæ agris, in quibus primum hospitio accepti fuerant ad novas sedes abductos ibi regia beneficentia consedisse. Non recesserim ego nihilominus a nostro, parum fidens Ignoto, res multas longoque tempore dissitas in unum veluti fasciculum colligenti, utcunque placeat conjectura de Ravenna in Beneventanam regionem Bulgaros migrasse, desolatam fortasse Græcorum furore regionem iterum restauraturos.

[i] Al., *pro duce gastaldum*, etc. Quid sit, jam ab aliis notatum legitur sæpe in legibus Langobardorum. Accuratius præ cæteris laudatus Peregrinius, in dissertation. *Duc. Beneventanus in antiquas provincias an tributus*, ubi explicata civili Gastaldorum potestate, de militari disserens, Jacobum Cujacium lib. I, de feudis, § *Si vero gastaldi*, urbes a nostro memoratas, Alzeconi jure gastaldiæ, non perpetuo et proprie in feudum, sed temporarie, ac quasi actoris loco datas asserentem ita cast gat. « Haud, inquam, viro sane doctissimo consentiam; nam C minime simplex, et una duntaxat, sed multiplex ac mista, ut dictum est, fuit gastaldorum prærogativa. Et insuper nec Alzecus, sicut ducis dignitatem, et nomen deposuerat, ita vel acceptas ad incolendum urbes et oppida, vel suæ gentis, transacto suj gastaldatus anno, dimisisse videtur curam, cum Paulus aperte affirmet Bulgaros susceptas sedes ad suam usque ætatem incoluisse, qui in iis locis habitantes, quanquam etiam Latine loquerentur, linguæ tamen propriæ usum minime amiserunt (ego addam, peculiarem habere ex propria gente gastaldum). Renuit itaque, me arbitro, rex Grimoaldus nomen ducis permittere Alzeco, non quod perpetuum ei nollet dare gastaldatum, sed quod ille sub Beneventano duce constituendus primitivam retinere non posset dignitatem; qui namque cum esset advena, temporaneam in locis perpetuo sibi suisque inhabitandis accipere debuisset dynastiam. » Ego vero, etsi a Cujacio minime discesserim in iis quæ D pertinent ad jura gastaldatus ejus generis, de quibus sermonem habuit, Alzeconis variam fuisse speciem opinor, nihilque illi commune cum cæteris gastaldis præter nomen, eumque revera jure perpetuo feudum habuisse, deposito ducis nomine, ne par Romualdo domino suo, a quo beneficium acceperat, haberi posset.

[j] Hoc est communi, popularique Italico sermone, ut interpretatur hunc locum cit. Peregrinius; nam « sic Latine loqui apud Dantem Aldigherium, Petrarcham et Boccacium, dicti sunt, qui haud prisca et Latiari, sed usurpata nunc nobis Italis lingua utebantur. Otho etiam Frising., de Gestis Friderici II, cap. 13, eadem verbi usus est acceptione, cum Langobardos Italos a Latini sermonis elegantia laudat. »

[k] Mod., *Constantino*.

[l] Al., *Meretio*; al., *Mozentio*. Lind. *Mezotio* Amb.

Constantii Augusti filius suscepit regendum, Romanisque principatus est annis [a] decem et septem. Constantini sane temporibus Theodorus archiepiscopus [b], et Adrianus abbas [c] viri atque doctissimi, a Vitaliano papa missi in Britanniam, plurimas Ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. E quibus Theodorus [d] episcopus peccantium judicia, quantis scilicet annis pro uno quoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili et discreta consideratione [e] descripsit.

## CAPUT XXXI.

*De stella comete, et de operibus papæ Doni.*

[f] In sequenti post tempore mense Augusto, a parte Orientis stella cometes apparuit [g] nimis fulgentibus radiis, quæ post in semetipsam reversa [h] disparuit. Nec mora, gravis pestilentia ab eadem parte Orientis secuta, Romanum populum devastavit. His diebus Donus papa Romanæ Ecclesiæ locum qui Paradisus dicitur, ante basilicam beati apostoli Petri, [i] candidis magnis marmoribus mirifice stravit.

## CAPUT XXXII.

*Quomodo Bertaridus ad regnum Saxonum in Britannia ire disposuit.*

Hac tempestate Francorum regnum apud Gallias [j] Dagobertus regebat, cum quo rex Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat. Cujus Grimoaldi vires Ber- A taridus etiam apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus e Gallia, ad Britanniam insulam Saxonumque regem properare disponit.

## CAPUT XXXIII.

*De morte Grimoaldi regis, et de reversione Bertaridi, et regno ejus.*

At vero Grimoaldus cum nono die post [k] phlebotomiam in suo palatio constitutus, accepto arcu, columbam sagitta percutere nisus esset, ejus brachii vena dirupta est. Cui, ut ferunt, medici venenata medicamina supponentes, eum ab hac funditus privaverunt [l] luce. Hic edicto, quod Rothari rex composuerat, aliqua quoque capitula legis, quæ ei utilia visa sunt, adjecit [m]. Fuit autem corpore prævalidus, audacia primus, calvo capite, barba prominenti, non B minus consilio quam viribus [n] decoratus. Sepultum est autem ejus corpus in basilica beati Ambrosii confessoris, quam dudum ipse intra Ticinensem construxerat civitatem. Hic post mortem Ariperti regis, expleto jam anno uno et mensibus tribus, Langobardorum regnum invasit, regnavitque ipse [o] annis novem, relicto Garibaldo filio suo, quem ei Ariperti regis filia genuerat, rege adhuc puerilis ætatis. Igitur, ut dicere cœperamus, Bertaridus egressus de Gallia navem ascendit, ut ad Britanniam insulam ad regnum Saxonum transmearet. Cumque jam aliquantum per

[a] Mod., *decem et octo*. Amb., *decem et novem*, uterque corrupte, servandaque hic est Editorum lectio. Græcis enim et Latinis historicis constat Constantinum Pogonatum decem et septem annis imperasse: obiit initio mensis Septembris, indictione 14, teste Anastasio in Joanne V.

C [b] Cantuariensis, de quo Beda, in Histor. lib. IV, cap. 1: « Ordinatus est a Vitaliano papa anno dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die septima Kalendarum Aprilium, et ita una cum Adriano sexto Kalendas Junias Britanniam missus est. »

[c] Monasterii sancti Augustini Cantuariensis, de quo cit. Beda, lib. IV, cap. 2: « Cooperator Theodori in verbo Dei, et quia litteris sacris simul et sæcularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant; ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ et arithmeticæ ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. » Sanctorum albo Adrianus abbas inscribitur, ejusque memoriam colunt Anglicanæ Ecclesiæ 9 Januarii. Vide Acta sanctorum Bolland., ad dict. diem.

D [d] Amb. et Mod., *archiepiscopus*.

[e] Liber hic appellatur Pœnitentiale ejusque summaria capita refert Spelmannus in Collectione conciliorum Angliæ. Ms. asservatur in Bibliotheca sancti Benedicti Cantabrigiensis: edidit etiam et alia scripta quæ Labbeus tomo VI suæ Collectionis conciliorum vulgavit. Adversus Monothelitas concilium celebravit; ejus Vitam Mabillonius exhibet sæculo II Benedictino. Ad superos transiit die 19 Septembris anni 1690, teste Beda, lib. V, cap. 8.

[f] Al., *In secundo post anno*. Lind.

[g] Al., *minus fulgentibus radiis, quæ diversa postmodum diripuit*. Lind.

[h] De comete isto Beda, lib. IV, cap. 12. Anastasius, in Dono: « Hic dum esset electus, per Augusti mensem apparuit stella a parte Orientis a galli cantu, usque mane, per menses tres. Cujus radii cœlum penetrabant. In cujus visione surgentis omnes provinciæ, et gentes mirabantur, quæ post in semetipsam reversa disparuit. Pro quo capitulo et maxima mors a parte Orientis subsecuta est. » Cumque Doni electio recentiorum accuratiori calculo anno 676 alligetur, cometes apparitio in annum sequentem incidit, etsi chronologi ferme omnes inter se dissentiant.

[i] Hæc item Anastasius in Dono: « Hic atrium beati Petri apostoli superius, quod est ante ecclesiam in quadriporticum, magnis marmoribus stravit. » Paradisus autem erat media pars atrii subjecta gradibus basilicæ, et circumdata quadriporticu, ut allatis veterum testimoniis observat Valesius in notis ad carmen panegyricum de laudibus Berengarii.

[j] Hic Pauli locus Mabillonio, in præfatione partis primæ sæculi quarti Benedictini, lucem præbuit ad investigandam Dagoberti II restitutionem in Austrasiæ regnum, ob quam scriptores ferme omnes rerum Francicarum maxime laborant. Constat enim Dagobertum, sancto Sigeberto patre Austrasiæ rege ad superos vocato, Grimoaldi malitia, qui major domus dignitate, tutor pupillo datus fuerat, in Hiberniam exsilio pulsum, ut filio suo regnum traderet, atque inde, opera potissimum sancti Wilfridi Eboracensis archiepiscopi, revocatum fuisse. Annus restitutionis non bene liquet. Mabillonius, inquam, cum noster Dagoberto regnum tribuat ante mortem Grimoaldi, quam ab illius edicto et ipse anno 671 assignat, ante hunc annum restitutum fuisse putat. Negant alii Paulo fidem, et pro Dagoberto Clotarium III, vel Childericum, reponunt, pluribus innixi argumentis, quæ non sunt hujus loci, tam ob eorum numerum quam varietatem, singulorum ferme scriptorum arbitrio et conjectura. Rem fusius pertractarunt Valesius, Cointius, et Henschenius in exegesi et dissertat. De tribus Dagobertis, aliique plures. Mihi satis fuerit hæc obiter notasse.

[k] *Flebotomum*. Ms. Lind. *Flevotomum*. Amb.

[l] Amb., *vita*.

[m] De iis supra dixi. Vide leges Langob.

[n] Mod., *aptus*.

[o] Mortuus anno 671, ut ex ipsius edicti prologo, et hoc Pauli testimonio, cui accedit Sigebertus in Chronico, novem et ipse regni annos Grimoaldo assignans.

Digitized by Google

pelagus navigasset, vox a littore audita est inquirentis utrum Bertaridus in eadem nave consisteret? Cui cum responsum esset quod Bertaridus ibi esset, ille qui clamabat subjunxit: Dicite illi [a] revertatur in patriam suam, quia tertia dies est hodie quod Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quo audito, Bertaridus statim post se reversus est, veniensque ad littus invenire personam non potuit quæ ei de Grimoaldi morte nuntiavit. Unde arbitratus est non hunc hominem, sed divinum nuntium fuisse. Exindeque ad patriam [b] rediens, cum ad claustra Italiæ venisset, jam ibi omnia obsequia palatina omnemque regiam dignitatem, cum magna Langobardorum multitudine [c] præparatam esse reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reversus, exturbato [d] Garibaldo puerulo a regno, ab universis Langobardis mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum levatus est. Erat autem vir pius, fide catholicus, justitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor. Qui statim Beneventum misit, exindeque Rodelindam suam conjugem et [e] Cunibertum filium suum revocavit.

## CAPUT XXXIV.

*De monasterio quod construxit, vel quod regina ejus ædificavit.*

Qui ut regni jura suscepit, in loco illo qui a parte fluminis Ticini est, unde ipse olim fugerat, monasterium quod Novum appellatur Domino et [f] liberatori suo, in honorem sanctæ virginis et martyris [g] Agathæ, construxit. In quo multas virgines aggregavit, rebusque diversis pariterque [h] ornamentis eumdem locum ditavit. Regina vero uxor ejus Rodelinda basilicam sanctæ Dei Genitricis extra muros ejusdem civitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decoravit. Ad Perticas autem locus ipse ideo dicitur, [i] quia ibi olim perticæ, id est trabes, erectæ steterant, quæ ob hanc causam juxta morem Langobardorum poni solebant: [j] si quis enim in aliquam partem, aut in bello aut quomodocunque exstinctus fuisset, consanguinei ejus intra sepulcra sua perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi illorum dilectus obisset, scilicet ut sciri posset in quam partem is qui defunctus fuerat quiesceret.

## CAPUT XXXV.

*De Bertarido, et regno Cuniberti filii ejus.*

Igitur Bertaridus cum solus per annos septem regnasset, octavo jam anno Cunibertum filium suum in regno consortem ascivit, cum quo pariter per decem annos regnavit.

## CAPUT XXXVI.

*De rebellatione Alachis prima, et quomodo in gratiam rediit.*

Cumque in magna pace degerent, et ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, surrexit contra eos filius iniquitatis [k] Alachis nomine, per quem in regno Langobardorum, perturbata pace, maximæ populorum factæ sunt strages. Hic dum dux esset in Tridentina civitate, cum comite Bajoariorum, quem illi [l] gravionem dicunt, qui [m] Bauzanum et reliqua

[a] Amb., *ut revertatur*, etc.

[b] Amb., *tendens.*

[c] Amb. et Modoet.: *Præparatam se reperit exspectare. Itaque Ticinum reversus*, etc.

[d] Al., *Grimoaldi puerulo a regno.* Lind. Amb., *puero*, etc.

[e] Amb., *Cunicpertum.*

[f] Al., *liberatori suo Deo.* Lind.

[g] Ticinensium rerum scriptores ob eam causam sanctæ Virgini Agathæ sacrum hoc templum a Bertarido constructum ferunt, quod nocte præcedente festum ejusdem sanctæ virginis per civitatis mœnia e regione amnis demissus, Grimoaldi furorem declinaverit. Exstat adhuc insigne sacrarum virginum monasterium vulgari appellatione ab adjacenti clivo sanctæ Agathæ in monte olim ordinis sancti Benedicti, nunc sororum sanctæ Claræ Conventualium, cujus variam fortunam vide in Papia sacra P. Romualdi a sancta Maria. In fronte hujus templi legitur hæc epigraphe: *Pertharitus Langobardorum rex templum hoc sanctæ Agathæ virg. et mart. dicavit anno Christi 675.* Hoc in sacro gynæceo Cuniperga, Cuniperti regis filia, et Bertharidi nepos, abbatissæ dignitate claruit, ut ex fragmento epigraphes in illius tumulo legitur:

DISCE QUI VELIS NOSCE... QUID TEGIT TUMULUS ISTE VERNA..... QUALIS EST IMAGO PRETIOSO CLAUDITUR SAXO, ERCA QUOS IN....... HIC ADINSTAR NIVIS MEMBRA SOLVUNTUR HONESTA, QUIQUI EJUS CUNIBERGÆ MATRIS DEI ANCILLA R. SUAVIS ISTA FUIT BLA.... HÆC FUIT SPECIE PULCHR..... INTER FOEMINAS PULCHRA. VIDUIS PUP. FACIE SERENA, OCULIS VERNANTIBUS QUIDEM HUJUS LUCI FRONTE NUBIS INSCIA, LABIIS FLUENTIBUS MELLA. PRÆFUIT VIR..... VERE PATRIS NATA CUNICPERTI OPTIMI REGIS. NUNC HUIC.... CUJUS IN SE TOTUM GESTAVIT FILIA VULTUM, QUÆ AB HA... ET IN QUA PATERNA DULCEDO VIGUIT MENTIS, ET DICAT QUID TESTATUR MODO VIRGINUM COLLEGIUM SACRUM CHRISTO SUF.

[h] Al., *possessionibus.* Lind.

[i] Consulendi de hoc ritu ii quibus de pristina litteratura (ut verbis Septimii utar) antiquus memoriæ tenor residet. Ego nil simile scio. Lind.

Accedit etiam ad Pauli testimonium recentius alterum Aulici Ticinensis, in Hist. Gall., his verbis: « Sunt inter alia tria cœmeteria antiquissima toto orbe veneranda, quæ fuerunt antiquitus multo ampliora quam modo: videlicet cœmeterium sanctorum Gervasii et Protasii, quod usque ad tertium murum et fossas civitatis extenditur; cœmeterium sancti Joannis in Burgo, et cœmeterium sanctæ Mariæ in Pertica, in cujus medio est capella sancti Adriani, in qua sepulti fuerunt Langobardorum reges et alii nobiles multi. Hoc cœmeterium fuisse dicitur unum de quatuor principalibus mundi, et ideo de longinquis partibus eligebant ibi nobiles sepulturam, facientes super sepulcra sua plantari singulas perticas cum aliquo signo, per quod unusquisque suam discerneret sepulturam: hinc est quod adhuc dicitur vulgo ecclesia sanctæ Mariæ in Pertica. » De situ hujus cœmeterii et ecclesiæ vide quæ disseruit citatus Auctor in Papia sacra.

[j] Verba sequentia usque ad illa, *factam ponebant*, aliis desunt. Lind.

[k] Amb. et Mod., semper, *Alahis.*

[l] Al., *gravium.* Vide leg. Salicas. Lind. Bene Paulus noster gravionum dignitatem et officium parem facit Langobardorum comitibus. Pluries in legibus Salicis eorum occurrit mentio, ut animadvertit doctis.

[m] Ambros., *Bauganum.* Notissimum emporium sub Athesis et Atagis confluente, nobis Bolzano.

Digitized by Google

castella regebat, conflixit, eumque mirifice superavit. Qua de causa elatus, etiam contra regem suum Bertaridum manum levavit, atque se intra Tridentinum castellum rebellans communivit. Contra quem rex Bertaridus progressus, cum eum extrinsecus obsideret, inopinate subito Alachis cum suis [a] civitatem egressus, regis castra protrivit, regemque ipsum fugam petere compulit. Qui tamen postmodum, faciente [b] Cuniberto regis filio, qui eum jam olim diligebat, in regis Bertaridi gratiam reversus est. Qui rex cum eum interficere aliquoties voluisset, Cunibertus ejus filius hoc fieri semper prohibuit, reputans eum de reliquo fidelem existere. Nec destitit apud patrem [c] obtinere quin etiam ei ducatum Brixiæ contribueret, reclamante sæpius patre, quod in suam hoc Cunibertus perniciem faceret, qui hosti suo ad regnandum vires præberet. Brexiana denique civitas magnam semper nobilium Langobardorum multitudinem habuit, quorum auxilio metuebat Bertaridus Alachis potentiorem fore. Illis diebus rex Bertaridus in civitate Ticinensi portam contiguam palatio, quæ et [d] Palatinensis dicitur, opere mirifico construxit.

## CAPUT XXXVII.

*De morte Bertaridi et regno Cuniberti.*

Qui cum decem et octo annis, et primum solus, et post cum filio, regnum tenuisset, ab hac luce [e] subtractus est, corpusque illius juxta basilicam Domini Salvatoris, quam Aripertus ejus genitor construxerat, sepultum est. Fuit autem statura decens, corpore plenus, mitis per omnia, et suavis. At vero Cunibertus rex Hermelindam ex Saxonum Anglorum genere duxit uxorem. Quæ cum in balneo Theodotem puellam ex nobilissimo Romanorum genere ortam, eleganti corpore, et [f] flavis, prolixisque capillis pene usque ad pedes decoratam, vidisset, ejus pulchritudinem suo viro Cuniberto regi laudavit. Qui ab uxore hoc libenter audire dissimulans, in magnum tamen puellæ exarsit amorem. Nec mora, venatum in silvam, quam Urbem appellant, perrexit, secumque suam conjugem Hermelindam venire præcepit. Qui exinde noctu egrediens Ticinum rediit, et ad se Theodotem puellam venire faciens, cum ea concubuit. Quam tamen postea in monasterium, [g] quod de illius nomine intra Ticinum appellatum est, misit.

## CAPUT XXXVIII.

*Quomodo Alachis palatium Cuniberti invasit.*

Alachis vero jamdudum conceptam iniquitatem parturiens, aunitentibus Aldone et [h] Gransone Brexianis civibus, sed et aliis multis ex Langobardis, oblitus tantorum beneficiorum quæ in eum rex Cunibertus impenderat, oblitus etiam jurisjurandi quo ei se fidelissimum esse spoponderat, cum Cunibertus abesset, regnum ejus et palatium intra Ticinum positum invasit. Quod Cunibertus ubi erat [i] audiens, [j] ad insulam, quæ intra lacum Larium non longe a Como est, confugit, ibique se fortiter communivit. Facta est autem magna tribulatio omnibus qui eum diligebant, et maxime sacerdotibus, et clericis, quos omnes Alachis exosos habebat. Erat autem eo tempore Ticinensis Ecclesiæ episcopus vir domini Damianus, sanctitate præcipuus, liberalibus artibus sufficienter instructus. Is cum Alachis palatium invasisse conspiceret, ne quid ab eo ipse vel sua Ecclesia adversi pateretur, Thomam diaconum suum, sapientem scilicet et religiosum virum, ad eum misit, per quem

---

doctis. Lindenbrogius. Ex recentioribus D. Eccardus, in suis notis ad dictas leges et ad Catechesin Teotiscam, hujus vocis originem investigavit, atque a verbo *ragen* deduxit, quod explicat *eminere*; nam ei graviones sunt judices provinciales. Alii a *grau canus* deducunt, utraque tamen etymologia in eamdem officii rationem concurrit. Ex hoc vero Pauli nostri loco notandum præter civilem potestatem, militarem quoque gravionibus fuisse.

[a] Amb., *de civitate.*

[b] Amb., *Cunicperto*, semper.

[c] Mod., *precibus obtinere.* Al., *apud patrem onerare precibus.* Lind.

[d] Amb. et Mod., *Platinensis.* Al., *Placensis.* Lind.

[e] Amb., *substitutus est.* Non est sibi constans Paulus in Bertaridi regis annis enumerandis; antecedenti quippe cap. 35 decem et septem tribuit; hic decem et octo, amanuensium puto vitium; nisi fortasse hic etiam anni extremi sint incompleti. Sigebertus in Chronicon decem et septem assignat, etsi regni Bertaridi initium anno uno prævertat, quod cum anno 671 sit ascribendum, illius mors in 688 incidisse oportet.

[f] Amb., *fluxis.*

[g] Monasterium sanctæ Mariæ Theodotis vulgo nunc *della Posteria.* Servat adhuc Theodotis cujusdam memoriam, imo et alterius hujus nominis Deo sacræ virginis antiquus sepulcralis lapis in eadem ecclesia, qui sic legitur :

Cœlicule sic demum ejus prosapiam texam
Mater vixit virginum per annos plures,
In grege dominico pascens oviculas Christi,
Quas fovens docuit, arguit, correxit, amavit.
Invidus ne perderet ejus ex ovibus quamquam,
Frontem rugatam tenens, erat quibus pectore pura
Cujus abstinebant a flagellis placidæ manus :
In tribuendo dapes egenis dapsiles erant.
Moribus ornata prodiens, fautrix, atque honesta,
Patiens, magnanimus corde, dextraque pia :
Decebat sic, denique tali cum ex stirpe veniret
B. . . . oleo ex novilli crescens, ut fluvius fonte
. . . . extra saga, genitorum exstitit magna.
Si ad cursus rerum et præsentis studia sæcli
Tendatur oratio, multa sunt quæ possumus dici.
Per te semper Virginis vscitur pulchrum delubrum.
Auferens vetusta, instauras villa cuncta.
Namque domicilia sita cœnubio rident
Vultu intuentium præcellentes mœnia prisca
Nec sunt in orbe tales, præter palatia regum :
Nec SS. Ecclesias, quæ vibrant fundamine claro
Et piis exequantur O. N. I. a cunctis coluntur.
Hoc ergo Theodota alumnis suæ Theodotæ
Cui reliquisti nomen, dignitatem, cathedram
Nimis cum lacrymis afflicto pectore donna
Lapidibus sarcophagorum ornans excolui pulchris
Denos duosque circiter annos degens....
Egregia vitæ spiracula clausit......

*D. P. S. II. D. Mensis Aprilis*, *indictione tertia.* Nec probo litteralium notarum explicationem ab auctore Papiæ sacræ, ad annum 926 eas referente, quippe is annus indictione 14, non vero tertia, notabatur. Ævo puriori legerim *de pecunia sua*; sed Langobardico ingenue fateor me non ita facile expedire posse. Videant alii peritiores.

[h] Amb., *Gusone.*

[i] Amb., *audiens, statim ad insulam*, etc.

[j] Al. : *In insulam quæ non longe a Comacino lacu est confugit.* Lind.

Digitized by Google

eidem Alachis benedictionem sanctæ Ecclesiæ suæ transmisit. Nuntiatum est Alachis Thomam diaconum ante fores astare, benedictionemque ab episcopo detulisse. Tunc Alachis, qui, ut diximus, omnes clericos odio habebat, ita inquit ad suos : Ite, dicite illi : Si munda femoralia habet, intret; sin autem aliter, foris contineat pedem. Thomas vero cum hos sermones audisset, ita respondit : Nuntiate ei quia munda femoralia habeo, quippe qui ea hodie [a] lota indutus sum. Cui [b] Alachis : Ite iterato, et dicite illi quia ego non dico de femoralibus, sed de iis quæ intra femoralia habentur. Ad hæc Thomas ita respondit. Ite, dicite illi : Deus solus potest in me in his causis reprehensionem invenire, nam ille nullatenus potest. Cumque eumdem diaconum Alachis ad se ingredi fecisset, aspere satis et objurgando locutus est cum eo. Tunc omnes clericos et sacerdotes pavor et [c] odium tyranni invasit, æstimantes se ejus feritatem tolerare omnino non posse. [d] Cœperuntque amplius Cunibertum desiderare, quoniam [e] pervasorem regni superbum exsecrationi haberent, sed non diu ejus feritas et cruda barbaries pervasum regnum obtinuit.

## CAPUT XXXIX.

*Quomodo Cunibertus rursus suum palatium ingressus est.*

Denique cum die quadam solidos super mensam numeraret, [f] unus tremissis de eadem mensa cecidit, quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra colligens, eidem Alachis reddidit. Ad quem Alachis sperans puerulum parum intelligere, ita locutus est : Multos ex iis genitor tuus habet, quos mihi in proximo, si Deus voluerit, daturus est. Qui puer cum vespere domum ad patrem regressus esset, eum suus genitor requisivit si quid [g] in illo die rex locutus fuisset. Ille patri omnia [h] ut facta fuerant, et quod sibi rex dixerat, nuntiavit. Audiens hæc Aldo vehementer pertimuit, [i] fratremque suum Grausonem ascitum, ei omnia quæ rex maligne locutus fuerat nuntiavit. Qui mox cum amicis et iis quibus credere poterant consilium ineruut qualiter Alachis tyrannum [j] regno privarent, priusquam ipse eis aliquam læsionem facere posset. Qui maturius ad palatium profecti, ita Alachis dixerunt : Quid dignaris in civitate residere, ecce omnis civitas et universus populus tibi fidelis existit, et ebriosus ille Cunibertus ita [k] dissolutus est, ut jam ultra nullas possit habere vires. Egredere, et vade in venationem, et exerce te cum juvenibus tuis, nos autem cum reliquis fidelibus tuis defendemus tibi hanc civitatem. Sed et ita tibi repromittimus, ut in proximo inimici tui Cuniberti caput afferamus. Qui eorum verbis persuasus, civitatem egressus, atque ad Urbem vastissimam silvam profectus est, ibique se jocis et venationibus exercere cœpit. Aldo vero et Grauso euntes ad lacum Commacinum, ingressique navem, ad Cunibertum profecti sunt. Ad quem venientes, ejus pedibus provoluti, se contra eum nequiter egisse professi sunt, eique quid Alachis malitiose contra eos locutus fuerat, vel quale ipsi ad ejus perditionem consilium eidem dederunt, nuntiaverunt. Quid plura? Fleverunt pariter et inter se sacramenta dederunt, diem statuentes in quo Cunibertus veniret, ut ipsi civitatem Ticinensem contraderent. Quod et factum est. Nam die statuto Cunibertus Ticinum adveniens ab eis libentissime susceptus, palatium suum ingressus est. Tunc omnes cives, et præcipue episcopus, sacerdotes quoque et clerici, juvenes et senes, certatim ad eum concurrentes, omnesque cum lacrymis amplexantes, Deo gratias de ejus reversione inæstimabili gaudio repleti conclamabant. Quos omnes ille ut potuit consolans osculatus est. Nuntius subito ad Alachis pervenit adimplesse Aldonem et Grausonem quod ei promiserant, et caput Cuniberti attulisse, et non solum caput, sed et totum corpus, eumque affirmans in palatio sedere. Quod ille audiens animo consternatus est, multaque contra Aldonem et Grausonem furibundus et frendens comminans, exinde egressus, per Placentiam ad [l] Austriam rediit, singulasque civitates partim blanditiis, partim viribus sibi [m] socias ascivit. Nam Vincentiam veniens, contra eum ejus cives egressi bellum paraverunt, sed mox victi ejus socii effecti sunt. Inde exiens Tarvisium pervasit pari modo etiam et [n] reliquas civitates. Cumque contra eum Cunibertum exercitum colligeret, et Forojuliani in ejus auxilium juxta fidelitatem suam vellent proficisci, ipse Alachis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod a Forojulii quadraginta octo millibus distat, et est in itinere Ticinum pergentibus, in silva quæ Capulanus dicitur latens, cum Forojulianorum exercitus sparsim veniret, omnes eos sicut veniebant jurare sibi compulit, diligenter cavens ne aliquis ex iis retro reversus venientibus hoc aliis indicaret. Sicque omnes a Forojulii venientes ejus sunt sacramentis astricti. [o] Quid plura? Cum omni Alachis Austria, e contra Cuniber-

[a] Tò *lota* non leg. Amb.

[b] Amb. et Mod. : *Alachis iterum mandavit : Ego non dico*, etc.

[c] Tò *odium* non leg. Mod

[d] Amb. et Mod. : *Cœperuntque tanto amplius*, etc., *quanto pervasorem*.

[e] Al., *perversorem*; al. : *quando majori superbum invasorem regni exsecrationi haberent. Sed non multum diu feritas et cruda barbaries vi invasum regnum obtinuit*. Lind.

[f] *Unum ei tremisse*. Amb. et Mod. Al., *triens*. Ms. Lind., *tremensis*. Tremissis genus nummi. Etiam in leg. Langobard., tit. 101, § 62; leg. Bejoariorum, tit. III, § 1, et alibi. Lind.

[g] Amb., *ei*.

[h] Mod., *ut facta fuerant nota fecit. Audiens*, etc., et ita Lind.

[i] *Fratrem suum Grausonem affatus omnia*, etc.

[j] Al., *regno vitaque privarent*. Lind.

[k] Mod., *desolatus*. Al., *desertus, et destitutus*. Lind.

[l] Amb. et Mod. *Istriam* semper, et ita legit alias Lindenbrog. Nec hæsitandum videtur quin Istriam reponamus ex lectione eorum quæ sequuntur.

[m] Mod., *socians associavit, et junxit*.

[n] Al. : *reliquas civitates ut contra Chunibertum exercitum colligeret, utque Forojuliani in ejus auxilium*, etc.

[o] Al. : *Quid plura? Alahis et tota Istria contra Chunibertum cum suis venientes in campo*, etc. Lind. *Istria* hic iterum habent Mod. et Amb.



Digitized by Google

tus cum suis venientes in campo, cui [a] Coronatæ A nomen est, castra posuerunt.

## CAPUT XL.

*Bellum Alachis adversus Cunibertum.*

Ad quem Cunibertus nuntium misit, mandans ei ut cum eo singulare certamen iniret, nec opus esset utrorumque exercitum fatigari. Ad quæ verba Alachis minime consensit. Cui cum unus genere Tuscus ex suis ei persuaderet, virum bellicosum, fortemque eum appellans, ut contra Cunibertum audenter exiret, Alachis ad hæc verba respondit : Cunibertus quamvis ebriosus sit, et stupidi cordis, tamen satis est audax, et miræ fortitudinis. Nam tempore patris ejus, quando nos eramus juvenculi, habebantur in palatio [b] berbices miræ magnitudinis, quos ille supra dorsum eorum lanam apprehendens, extenso brachio B a terra levabat, quod ego facere non poteram. Hæc ille Tuscus audiens, dixit ad eum : Si tu cum Cuniberto pugnam inire singulari certamine non audes, me jam in tuo adjutorio socium non habebis. Et hæc dicens, proripuit se, et statim ad Cunibertum confugit, et [c] hæc ipsi nuntiavit. Convenerunt itaque, ut diximus, utræque acies in campo Coronatæ. Cumque jam prope essent ut se contingere deberent, Zeno diaconus Ticinensis Ecclesiæ, qui custos erat basilicæ beati Joannis Baptistæ, quæ intra eamdem sita est civitatem, quam quondam Gundiberga regina construxerat, cum nimium diligeret regem, et metueret ne rex in bello periret, ait ad regem : Domine rex, omnis vita nostra in tua salute consistit; si tu in bello perieris, omnes nos iste tyrannus Alachis per C diversa supplicia extinguet. Placeat itaque tibi consilium meum. Da mihi apparatum armorum tuorum, et ego vadam, et pugnabo cum isto tyranno. Si ego abiero, tu recuperabis causam tuam; si vero vicero, major tibi, [d] quia per servum tuum viceris, gloria ascribetur. Cumque hoc rex se facturum esse denegaret, cœperunt [e] eum pauci qui aderant ejus fideles cum lacrymis deposcere, ut ad ea quæ diaconus dixerat, assensum præberet. Victus tandem, ut erat pii cordis, eorum precibus, et lacrymis, loricam suam, et galeam, atque ocreas, et cætera arma diacono præbuit, inque sua persona eum ad prælium direxit. Erat enim ipse diaconus ejusdem staturæ et habitus, ita ut cum fuisset de tentorio armatus egressus, rex Cunibertus esse putaretur ab omnibus. D Commissum est itaque prælium, et totis viribus decertatum. Cumque Alachis ibi magis intenderet ubi regem esse putaret, Cunibertum se extinxisse putans, Zenonem diaconum interfecit. Cumque caput ejus amputari præcepisset, ut, levato eo in conto, Deo gratias acclamarent, sublata casside, clericum se occidisse cognovit. Tunc furibundus exclamans : Heu me! inquit, nihil egimus, quando ad hoc prælium gessimus ut clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum, ut si mihi Deus iterum victoriam dederit, quod unum puteum de testiculis impleam clericorum.

## CAPUT XLI.

*Item bellum Cuniberti et Alachis, et de victoria Cuniberti, et quomodo triumphans Ticinum ingressus est.*

Igitur Cunibertus perdidisse [f] suos conspiciens, statim se eis ostendit, omniumque corda, sublato pavore, ad sperandam victoriam confortavit. Instruuntur iterum acies, et hinc Cunibertus, inde Alachis, ad belli certamina præparantur. [g] Cumque prope essent ut se utræque acies ad pugnandum contingerent, Cunibertus ad Alachis iterato in hæc verba mandavit : Ecce quantus populus ex utraque parte consistit, quid opus est ut tanta multitudo pereat? Conjungamus nos ego et ille singulari certamine, et cui voluerit Dominus de nobis dare victoriam, omnem hunc populum salvum et incolumem possideat. [h] Cumque Alachis sui hortarentur ut faceret quod Cunibertus illi mandavit, ipse respondit : Hoc facere ego non possum, quia inter [i] contos suos sancti archangeli Michaelis, ubi ego illi juravi, imaginem conspicio. Tunc unus ex illis : Præ pavore, inquit, cernis quod non est, et tibi jam tarde est modo ista meditari. Conseruntur itaque acies perstrepentibus buccinis, et neutra parte locum dante, maxima populorum facta est strages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit, et Cunibertus adjuvante Domino victoriam cepit. Exercitus quoque Alachis, comperta ejus morte, fugæ subsidium arripuit, e quibus quem mucro non perculit, Addua fluvius interemit. Caputque Alachis detruncatum, cruraque ejus succisa sunt, informeque tantum truncumque cadaver remansit. In hoc bello Forojulianorum exercitus minime fuit, quia cum invitus Alachis jurasset, propter hoc, nec regi Cuniberto, nec Alachis auxilium tulit, sed cum illi bellum commisissent, ipsi ad propria sunt reversi. Igitur Alachis hoc modo defuncto, rex Cunibertus

[a] Ad Abduæ fluminis ripas positus, ut ex capite sequenti manifesto apparet.

[b] Glossar., πρόβατον ἄρριον. *Verbella*, *ovis verbix*. Sic scriptum est apud Licinium Rufin., tit. de Abigeatoribus; Leg. Francic. lib. II, cap. 75, et passim in istis legibus. Lind.

[c] Amb., *hæc ipse illi nuntiavit*.

[d] Mod., *quia servus tuus vicerit*, etc.

[e] Tò *eum* non leg. in Mod.

[f] Al. : *suos fere pictos ad fugam spectare conspic*. Lind.

[g] Al. : *Cumque jam propinquæ acies essent, et se utraque ad pugnandum consererent*, etc. Lind. Amb., pro *contingerent*, leg. *conjungerentur*.

[h] Amb. et Mod. : *Cumque ab Alachis sui deposcerent*.

[i] Notandus hic mos veterum Langobardorum patronos gentis suæ in contis pingere solitos. Præcipuus illorum cultus in sanctum Michaelem archangelum præter templa in ejus honorem excitata, et historica plura monumenta, testes adhuc sunt nummi ab ea gente signati sacra illius imagine hastam et contum deferentis. Duos nuper aureos unius formæ exhibuit mihi vir litterarum amantissimus Hieronymus Antonius Reyna a regiis rationibus, rei monetariæ peritia et officio præstantissimus, eosque in Luitprando rege descriptos dabimus. Argenteos etiam ejusdem formæ habuit Camillus Peregrinius, et utrosque a Beneventanis dynastis excusos asserit, ea fortasse conjectura, quod apud eosdem vicina Gargani montis religio frequentiorem sancti Michaelis cultum reddiderit.

Digitized by Google

corpus Zenonis diaconi ante fores basilicæ beati Joannis, quam ipse erexerat, mirifice sepeliri mandavit. Ipse vero [a] regnaturus cum omni exsultatione, et triumpho victoriæ, Ticinum reversus est.

[a] Amb., *regnator.*

# LIBER SEXTUS.

## CAPUT PRIMUM

*Quomodo Romoaldus Tarentum cepit, et quomodo Theuderada monasterium sancti Petri ædificavit.*

Dum ista apud Langobardos trans Padum geruntur, Romoaldus, Beneventanorum dux, congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnavit, et cepit, parique modo Brundusium, et omnem illam quæ in circuitu est latissimam regionem suæ ditioni subjugavit. Conjux quoque ejus [a] Theuderada, eodem tempore foras muros [b] Beneventanæ civitatis, basilicam in honorem beati Petri apostoli construxit, quo in loco multarum ancillarum Dei cœnobium [c] instituit.

## CAPUT II.

*De morte Romoaldi, et quomodo corpus beati Benedicti ad Gallias delatum est.*

Romoaldus quoque postquam [d] sedecim annos ducatum gessit, ab hac luce subtractus est: post quem ejus filius Grimoaldus tribus annis Samnitum populos rexit [e]. Huic in conjugio sociata fuit [f] Wigilinda, soror Cuniberti, filia [g] Bertaridi regis. Defunctoque Grimoaldo, [h] Gisulfus ejus germanus ductor effectus est, præfuitque Benevento annis decem et septem. Huic sociata fuit [i] Winiberta, quæ ei Romoaldum peperit. Circa hæc tempora, cum in [j] castro [k] Cassino, ubi beatissimi Benedicti sacrum corpus [l] requiescebat, aliquantis jam elapsis annis, vasta solitudo existeret, venientes de [m] Cenomannicorum vel Aurelianensium [n] regione Franci, dum apud venerabile corpus [o] pernoctare se [p] simulassent, ejusdem venerabilis Patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholasticæ, ossa auferentes, in suam patriam asportaverunt. Ubi singillatim duo monasteria [q] in utriusque honorem beati Benedicti et sanctæ Scholasticæ constructa sunt. Sed certum est nobis os illud venerabile, et omni nectare suavius, et oculos semper cœlestia contuentes, cætera quoque membra, quamvis [r] in cinerem defluxa, remansisse. Solum etenim singulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Cæterum omnium sanctorum corpora, in æternam postea gloriam reparanda, corruptioni subjecta sunt, his exceptis quæ ob divina miracula sine labe servantur [s].

[a] Mod., *Theodorata.*

[b] Aliis deest τὸ *Beneventanæ.* Lind. et Mod.

[c] Mod., *constituit.*

[d] « Illi vero anni (hæc scribit Bollandus in commentario prævio ad Vitam sancti Sabini episcopi Canusini) a morte patris, non a tempore quo is regnum invasit, numerandi videntur. Nam si anno demum 664, aut 665, post Græcos a Beneventi obsidione depulsos, cæsum Hunnorum opera Lupum, hos ipsos Forojulii ejectos, data Romoaldo est conjux, secundum jam aut tertium in principatu annum agenti, qui fiet verisimile, filio, qui nonnisi triennium patri superstes fuit, junctam matrimonio Wigilindam filiam Bertaridi adhuc pene puero (ut infra narrat Paulus). Deinde sequentium ducum chronologia optime constabit, si Romoaldi exordium anno 671, quo mortuus est pater, vel 672, statuamus, alias vacillatura. Successit itaque Grimoaldo vita functo anno Christi 671, imperavitque annis XVI. »

[e] Sequitur laudatus Bollandus: « Ei (nempe Romoaldo) subrogatus, anno 687, Grimoaldus filius adhuc adolescens sub cura Theodoradæ matris, ut in Vita sancti Sabini, cap. 5, num. 16, dicitur, etc. » Cumque triennio in ducatu vixerit, ejus obitus anno 690 est alligandus.

[f] Al., *Winilinda.* Lind. *Winiolenda.* Mod.

[g] Al., *Parthariti.* Mod. non legit τὸ *regis.*

[h] Grimoaldo Grimoaldi regis nepoti Gisulfus defuncti ducis frater successit anno dicto 690, congruitque firmata per Bollandum chronotaxis cum iis quæ de ipso Gisulfo scribit Anastasius in Joanne VI, et noster, infra, cap. 27, unde illius obitus post decem et septem ducatus annos in 707 incidit; atque hæc ideo distinctius notavi, ut subsequentium rerum chronologia clarius emergat.

[i] Al., *Winniperga*; al., *Winiperga.* Lind. Mss. nostris *Winiperga.*

[j] Al., *monte.* Lind.

[k] Amb., *Cassini.*

[l] Amb. et Mod., *requiescit ab aliquantis*, etc.

[m] Al., *Ceromannorum, vel Aurianensium.* Lind. Ambr., *Celmanicorum, vel Aurelianensium.* Mod., *Celimanicorum, vel Aurianensium.*

[n] Sanctus nempe Aigulfus monachus, idemque martyr, de quo vide Acta sanctorum Bollandii et Mabillonii a Mummolo illius abbate missus, cui Cenomanni socii facti sunt, ut Adrevaldus in sua historia translationis scribit, et Franci mordicus contendunt.

[o] Frequentissima apud veteres Christianos hujus verbi acceptio pro nocturnis precibus ac psalmodiis, de quibus divus Hieronymus, Tertullianus, aliique.

[p] Amb., *simularent.*

[q] Amb., *in utrorumque honorem, hoc est, beati*, etc.

[r] Al. τὸ *in cinerem* non leg. Ms. Lind., *illibata remansisse.* Mod.: *Cætera quoque membra quamvis defluxa remansisse.*

[s] Celeberrimam ex hoc Pauli nostri capite controversiam de translatione corporis sancti abbatis Benedicti, ejusque sororis Scholasticæ, Casinates inter et Floriacenses monachos, imo inter Italos nostros et Gallos multoties refricatam præstantissimi viri jam diu pertractarunt. Attamen hic locus, quem ad suas quisque partes trahere studet, ex meo instituto meam expetit qualemcunque animadversionem. Quamobrem id unice mihi necessario tribuens, reliquam controversiæ partem e subsequentium historicorum monumentis, vel sum. pontif. bullis, imperatorum regumque diplomatibus, excitatam, et si quæ sunt alia ad causam conducentia, in tanto assertionum conflictu peritioribus explicandam libentissime relinquo. « Refugit enim (ut Baronius, cujus ego non sum dignus vocari discipulus, in hac eadem re jam ante scripserat) refugit, inquam, animus tam densum hujus controversiæ adire spinetum. »

Itali nostri, Leonis Ostiensis auctoritate, Pauli sensum ita explicandum contendunt, ut in prima ora-

Digitized by Google

## CAPUT III.

*De Rodoaldo duce Forojuliano, et de Ansfrit qui ejus ducatum invasit.*

At vero Rodoaldus, quem apud Forum-Julii præmisimus ducatum tenuisse, cum ab eadem civitate abesset, [a] Ansfrit de castro [b] Reunia ducatum ejus absque regis nutu pervasit. Quo comperto, Rodoaldus in Istriam fugit, ac deinde navigio per Raven-

tionis parte quæ tunc temporis de translatione corporis sancti Benedicti circumferebantur ex vulgi ore referat; in secunda vero ea quæ sibi ex veritate comperta fuerant. Scribit Ostiensis in suo Chronico Casinate, cap. 44: « Qui vero Pauli Diaconi veracis utique et insignis historiographi testimonio super hoc (nempe translat. corp. sancti Benedicti, et Sch.) se fulciri existimant, noverint consuetudinem hanc esse rerum gestarum scriptoribus, ut in narratione sua opinionem vulgi sequantur. Nam et apud Lucam beata Maria Joseph patrem Domini appellat dicens: *Ego et pater tuus dolentes quærebamus te*, et apud Marcum Herodes pro eo quod puella caput Baptistæ quæsierit dicitur contristatus, quod utrumque nequaquam verum fuisse nemo qui nesciat. » Addit ad hæc Lauretus Cassinensis, in suo libello de vera exist. corp. sancti Benedicti in Cassinensi Ecclesia, argumenta plura, ut Ostiensis explicationem firmet; ex quibus cum solidiora Nuceus in appendices 2 et 3 ad Leonem ipsum, typis Romanis excusas, contulerit, istius referam verba: « Mirum autem (scribit Nuceus) videri queat (quod notavit Lauretus) Pauli Warnefridi auctoritate adversarios niti. Cum Paulus postquam translationis, seu surreptionis, memoriam suis inseruisset commentariis, continuo subdat: « Sed « certum nobis est os illud venerabile, et omni nec« tare suavius, et oculos semper cœlestia contuen« tes, cætera quoque membra (nota), quamvis in ci« nerem defluxa, remansisse; » quo verborum circuitu quis non videt Paulum plane corrigere ac refutare narrationem quam ex aliorum utique monumentis, non enim suo ævo id accidisse refertur, prius exscripserat? Et fortassis id scripserat et vulgaverat antequam apud Cassinates de rei veritate sincerius edoceri potuisset; unde id postea retractavit subnectens certum ipsi et Cassinatibus fuisse integrum Benedicti corpus Cassini remansisse. Quippe non cineres tantum; sed « os et oculos, et cætera, hoc « est membra. Non ergo surrepta. » In tertia vero appendice iterum argumentatur: « Nam quod ex Pauli Diaconi testimonio regeritur, satis superque in præcedenti nostra dissertatione rejectum est. Quid enim per « os et oculos semper cœlestia contuentes » animo percipere potuit Paulus, nisi calvariam tunc constantem cum cavo oculorum? Quid per cætera membra, nisi corporis universam compagem? Quod enim subdit, « licet in cinerem defluxa, » non asserendo, sed permittendo, et ex mente Gallorum loquitur, quasi diceret: Quamvis vobis concedam in cineres membra defluxisse, communis ea est mortalium conditio; « solus quippe Sanctus sanctorum non vidit « corruptionem. » Cujus vi comparationis aperte indicat per membra cinerea aliud non intelligere voluisse, quam non incorrupta, sed in cineres sensim abeuntia, quæ cinerum appellatione non infrequenter accipi solere norunt eruditi, etc. »

Galli contra, pro quibus acerrime hucusque pugnarunt viri doctissimi, quos in sua dissertatione recensuit eorum postremus Mabillonius, sæculo II Benedictino, in hanc ferme sententiam hunc locum explicant, conceptis Mabillonii verbis: « Paulus (scribit ille) sancti Benedicti ossa Gallis concedit, sed membra in cineres defluxa Cassinatibus vindicat. Quæ membra? « os et oculos, et cætera » id genus, id est, carnea, « quamvis in cinerem defluxa. » Cætera, inquam, præter ossa, quæ ante Gallis assignaverat. Quippe nulla Cassinatibus membra concedit nisi « in cinerem defluxa. » Non ergo ossa, quæ non facile in cinerem resolvuntur. Unde cum Paulus in lib. VI, cap. 40, ait Petronacem ad sacrum corpus beati Patris Benedicti pervenisse, vel membra in pulverem soluta synecdochicos intelligit, vel potius tumulum ipsum, eo loquendi modo figurato, quo continens pro re contenta accipitur. Verum ita sit, Paulus priorem sententiam retractaverit, certe quæ membra dicit remansisse Cassini, ea « in cinerem defluxa affirmat, etc. » Et inferius: « Denique certum est Paulum, non quidem sæcularem, sed jam monachum, in ipso monasterio Cassinensi scribendæ historiæ suæ dedisse operam, quod patet tum ex hoc loco, ubi ait: « sed certum est nobis os illud, etc., « remansisse, » tum ex lib. I, cap. 26, ubi postquam sanctum Benedictum, quem suum ipsius Patrem identidem appellat, pluribus commendavit, de Marco poeta ac monacho, hæc scribit: « Huc autem, hoc « est, in Cassini montem, perveniens, in magna se « semper continentia coarctavit. Et hæc omnia ex « Marci poetæ carmine sumpsi, qui ad eumdem Pa« trem huc veniens, etc. » Et paucis interpositis: « Certum est hunc egregium Patrem vocatum cœli« tus ob hoc ad hunc fertilem locum, ut hic multo« rum monachorum, sicut et nunc, Deo præsule, « facta est, congregatio fieret, etc. » Concludit tandem Mabillonius: « Maneat ergo fixum Paulum non ex vulgi opinione, non ex ignoratione, sed ex sua et suorum Cassinatium sententia tum recepta locutum fuisse, dum Gallis ossa sancti Benedicti, Cassinatibus cineres attribuit, nec unquam sententiam retractasse. »

Hæc argumenta quæ Paulum nostrum respiciunt integra ferme retuli, ne partium studio teneri viderer; at minime dissimulanda est lectio Codicum nostrorum mss., qui pro verbo *requiescebat* Editorum, clare atque sine ulla vitiatæ scripturæ suspicione, habent *requiescit*; eaque lectio concordat cum altero ejusdem Pauli capite, 26 nempe libri I, ubi legimus: « Denique cum divina admonitione a Sublacu in hunc ubi requiescit locum per quinquaginta fere millia adveniret, etc. » Si vero genuina hæc fuerit, ut ex antiquo præsertim Ambrosiano Codice, cujus specimen in hac nostra Editione exhibuimus, persuadere mihi non temere possem, jam Paulum nostrum Italis et Cassinatibus suis faventem haberemus. Quinimo ex altera subsequenti nostrorum Codicum lectione argumenta Gallorum enervata concidèrent, si vere, ut est in Ambrosiano et Modoetiensi, Paulus scripserat: « Sed certum est nobis os illud venerabile, et omni nectare suavius, et oculos semper cœlestia contuentes, cætera quoque membra, quamvis defluxa, remansisse. » Quippe sensus esset (nisi fortasse hallucinor) pro comperto habuisse Paulum in Cassino servari corpus sancti Benedicti, nempe « os, et oculos, et cætera membra, quamvis defluxa, » hoc est sua compage soluta; atque is ideo insigniora illa membra designavit, ut sacrum pignus magnifaceret; continebat enim « os illud omni nectare suavius, et oculos semper cœlestia contuentes. » Nec satis constare puto quod Mabillonius absolute asseruit, Paulum nostrum postquam monachum induerat in Cassino monte hanc Langobardorum historiam scripsisse, quanquam vir doctissimus digna ingenio suo utatur conjectura, quippe scrupulus adhuc restat ex Leonis Ostiensis cap. 15 sui Chronici, ubi, de accusato Paulo verba faciens, Carolum regem, in virum scientissimum misericordia

[a] Al., *Aufridus*. Lind.

[b] Al., *Reuma*. Lind. Sed servanda prima lectio, ut alibi notavi.

Digitized by Google

nam Ticinum ad Cunibertum regem pervenit. Ansfrit vero non contentus ducatum Forojulianensium regere, insuper contra regem Cunibertum rebellans, regnum ejus invadere voluit. Sed comprehensus in Verona, ad regem ductus, evulsis oculis in exsilium retrusus est. Forojulianorum autem ducatum post hæc, Ado frater Rodoaldi loci [a] servatoris nomine per annum et menses septem gubernavit.

## CAPUT IV.

*De synodo quæ apud Constantinopolim facta est, et de epistola Damiani episcopi*

Dum hæc in Italia geruntur, [b] hæresis apud Constantinopolim orta est; quæ unam in Domino nostro Jesu Christo voluntatem et operationem asseverabat. Hanc autem hæresim excitarunt [c] Gregorius patriarcha Constantinopolitanus, [d] Macarius, [e] Pyrrhus, Paulus et Petrus. Quam ob causam Constantinus Augustus [f] centum quinquaginta episcopos congregari fecit : inter quos etiam fuerunt legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, missi ab Agathone papa, Joannes Diaconus, et Joannes [g] Portuensis episcopus, qui omnes eamdem hæresim damnaverunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est quod [h] sordes hæreticæ pravitatis depulsæ sint. Et Gregorius quidem patriarcha correctus est, cæteri vero in sua [i] defensione [j] perseverantes anathematis ultione perculsi. Eo tempore Damianus, Ticinensis Ecclesiæ episcopus, [k] sub nomine Mansueti Medio-

sericordia motum, ita proceres suos allocutum fuisse narrat : « Dicite quid super hoc vobis videtur; at illi : Jubete, inquiunt, ut eruantur ejus oculi, ne aliquando aliquas alicui contra vos litteras dirigat. Et ubi, vel quando, ait rex, tam insignem historiographum aut poetam invenire valebimus? » Ergo antequam accusatus historiam Paulus scripserat, testimonio Leonis, Warnefridi ævo proximioris, qui bene illum noverat, multaque nobis de illius vita gestisque servavit, quæ alibi frustra quæsierimus. Mettensium quidem episcoporum historiam Paulus scripserat; at quis homo præsertim Gallus tanti fecerit, ut in admirationem traheret, ejusque merito iram excuteret? Accedit etiam vetustius alterum ab Hilderico abbate non obscurum argumentum in epitaphio quo Magistri vitam et memoriam celebravit. In eo legimus :

Divino instinctu regalis protinus aula
Ob decus et lumen patriæ te sumpsit alendum :
Cum tua post Tibridem populis et regibus altis
Tunc placida cunctis vita studiumque maneret,
Omnia sophiæ cepisti culmina sacræ ,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter,
Plurima cap[t]sses digne cum dogmata ; cujus
Resplendens cunctas, superis ut Phœbus ab astris
Arctoas, rutilo decorasti lumine gentes.

Quibus, ni mea me fallit sententia, Langobardorum Historiam innuit. Hinc sequitur Pauli monachatum describens :

Hæc sint jam nimium fluvidi cum gloria sæcli, etc.;

resque in eo statu ab eodem gestas enumerat, ut in integra illius epitaphii lectione ante nostram Editionem. Atque inde conjecerim ipso Rachisio rege hortante scribendæ Historiæ primam manum admovisse, utcunque in Cassino monte fractis Langobardorum rebus fortassis absolverit. Sed plura jam oneri essent.

[a] Al., *servationis*. Lind. Loci servatores sunt qui mittuntur a præfectis prætorio, vel comitibus, vel præsidibus juris dicendi causa, ut explicat D. Cujacius, Observationum lib. III, cap. 14. Lind.

[b] Monothelitarum hæresis in Oriente initium habuit non his temporibus, ut noster asserit, sed vel ab ipso Christi anno 616 eruditorum dissertationibus plurimis investigatum. Hoc tempore, scilicet anno 680, sexta synodus ad eam exstirpandam, sancto Agathone summo pontifice, atque imperante Constantino Pogonato, coacta fuit. Exstant illius Acta, quæ Baronius supplenda contendit scriptis Anastasii Bibliothecarii in Vita dicti pontificis.

[c] Mod., *Georgius*, et sic infra, eaque lectio germina; constat enim Georgium Constantinopolitanum patriarcham sextæ synodo cum Macario interfuisse, duo præcipua Monothelitarum capita; Georgius meliore consilio ab errore resipuit, ut Paulus etiam infra narrat.

[d] Antiochenus episcopus, maximus ille falsarius, qui, lata per synodum sententia, ab honore decidit pontificatus.

[e] Et hi quoque Constantinopolitani patriarchæ. Vide Zonaram et Theophanem.

[f] « Numerus episcoporum (scribit Baronius) qui synodo interfuisse dicuntur, diversus a diversis auctoribus ponitur. Ducentos octoginta novem habent Annales Græcorum, tam apud Cedrenum, quam apud Theophanem. Photius, in epistola, sive libello, de Synodis, numerat centum septuaginta ; centum vero quinquaginta Paulus Diaconus. Theodorus Balsamo ponit centum septuaginta et unum. In ultima autem actione ejusdem synodi numerantur subscripti omnes episcopi cum legatis, presbyteris et diaconis, centum sexaginta sex; verum a ipso synodi exordio longe minor numerus habetur, quod episcopi omnes tanta brevitate temporis minime pervenire potuerint Constantinopolim. » His addo Anastas., in sancto Leone II, CL Patres et ipsum numerantem.

[g] Al., *episcopus Tulensis*. Lind. Anastasius pontificios legatos Constantinopolim ab Agathone missos synodi celebrandæ causa, susceptis divalibus Dono prædecessori suo missis, ita nominat : « Et direxit Abundantium Paternensem, Joannem Rhegitanum, et Joannem Portuensem episcopos, Theodorum et Georgium presbyteros, Joannem Diaconum et Constantinum, Theodorum presbyterum Ravennatem, atque religiosos servos Dei monachos, etc. » Hi ab imperatore honore maximo accepti fuerunt, atque dimissi, fraudem Macarii in synodo detexerunt, et rectam Romanorum pontificum fidem optime vindicarunt.

[h] Hæc item ex nostratibus narrant Anastasius, et Histor. Miscella.

[i] Mod., *dissensione*.

[j] Amb. et Mod. : *perseverantes anathematizati sunt divina ultione perculsi*.

[k] Eminentissimus Baronius, in notis ad Martyrologium, Paulum nostrum erroris arguit hoc loco, quod asserat sanctum Damianum Papiensem episcopum epistolam scripsisse nomine Mansueti archiepiscopi Mediolanensis ad Constantinopolitanam synodum contra Monothelitas, cum in concilio Romano sub Agathone reperiatur subscriptus Magnus, non autem Damianus episcopus Papiensis : « Sed (respondet Ughellus communiter probatus) si vir peritissimus rerum ecclesiasticarum rectius hac vice calculos posuisset, advertissetque Magnum Popiliensem se subscripsisse, non Papiensem, Anastasiumque, qui eo concilio interfuerat præcessisse hunc nostrum Damianum Papiensem episcopum, non adeo demiratus fuisset Paulum Diaconum, qui eam epistolam attribuit Damiano episcopo, qui per id tempus tantum presbyter erat, illamque epistolam dictaverat anno antequam succederet Anastasio, qui etiam ipse Romani concilii decretis subscripsisse reperitur. Nec tamen Paulo Diacono dandum vitio est si duxerit pa-

Digitized by Google

lanensis archiepiscopi, hac de causa satis utilem, A perfectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo non mediocre suffragium tulit. Recta autem et vera fides hæc est, ut in Domino nostro Jesu Christo, sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei et hominis, sic etiam duæ esse credantur voluntates, sive operationes. Vis audire de eo quid deitatis est? *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus*. Vis audire quid humanitatis? *Pater major me est*. Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem; cerne ejus divinitatem, cum evangelista ait: *Tunc surgens imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna*. Hæc est sexta synodus universalis, Constantinopoli celebrata, quæ Græco sermone conscripta, temporibus papæ Agathonis, exsequente ac residente Constantino principe intra septa [a] palatii sui.

## CAPUT V.

*De eclipsi lunæ et solis, et de pestilentia quæ Romæ et Ticini facta est.*

[b] His temporibus per indictionem octavam luna eclipsin passa est. Solis quoque eclipsis eodem pene tempore, hora diei quasi decima, quinto Nonas Maias effecta est, moxque subsecuta est gravissima [c] pestis tribus mensibus, hoc est, Julio, Augusto, et Septembrio. Tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi, apud urbem Romam ad sepulcra deducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum quoque depopulata est, ita ut cunctis civibus per juga montium seu per diversa loca fugientibus, in foro et per plateas civitatis herbæ et fruteta nascerentur. Tuncque visibiliter multis apparuit quia bonus et malus angelus noctu per civitatem pergerent, et, ex jussu boni angeli, malus angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium cujuscunque domus percussisset, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Tunc per revelationem cuidam dictum est quod pestis ipsa prius non quiesceret quam in basilica beati Petri, quæ ad Vincula dicitur, sancti Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumque est, et delatis ab urbe Roma beati Sebastiani martyris reliquiis, mox ut in jam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quievit.

## CAPUT VI.

*Quomodo per antiquum hostem Aldoni et Grausoni nuntiatum est quod eos Cunibertus occidere vellet.*

Rex vero Cunibertus, dum post hæc cum stratore suo, qui lingua propria Marpahis dicitur, consilium iniret in civitate Ticinensi, quomodo Aldonem et B Grausonem vita privare deberet, repente in fenestra, juxta quam consistebant, una [d] de majusculis musca consedit. Quam Cunibertus cultello ut exstingueret percutere volens, ejus tantum pedem abscidit. Aldo vero et Grauso, dum ad palatium regis consilium nescientes venirent, cum basilicæ sancti Romani martyris, [e] quæ prope palatium sita est, propinquassent, repente eis obvius quidam claudus uno pede truncato factus est, qui eis dixit quod eos Cunibertus, si ad eum pergerent, occisurus esset. Qui hæc audientes, magno timore correpti, post altarium ejusdem basilicæ confugerunt. Moxque Cuniberto regi nuntiatum est quod Aldo et Grauso in basilicam beati Romani martyris confugissent. Tunc Cunibertus stratorem suum arguere cœpit, ut quid C consilium suum prodere [f] debuisset. Cui suus strator ita respondit: Domine mi rex, tu scis quia postquam hoc consiliati sumus, ego a tuo conspectu non exivi, et quomodo hoc alicui dicere potui? Tunc rex ad Aldonem et Grausonem misit, interrogans

rum referre dixisse an presbyter an episcopus Damianus epistolam illam confecerit; gravi enim historico facile fuit unius anni morulam contempsisse ab exarata epistola.»

[a] Quod vulgo Trullus, vel Trulla, appellabatur, et ut alii scribunt, Tholus, a forma superimpositæ testudinis.

[b] Lunaris hujus eclipsis meminit etiam Anastasius, in Agathone, his verbis: «Indict. 8, luna eclipsim pertulit mense Junio, die 28.» Sed Pagius in Critica chronolog. ex Calvisio in opere Chronologico reponit 18, feria secunda ineunte, hora tantum dimidia post mediam noctem, anno Christi 680, in quem incidit indictio 8. Solarem vero, quam hic narrat Paulus, idem Calvisius probat præcessisse lunarem, factamque anno præcedenti, die 13 Julii, feria quarta, horis quatuor post meridiem.

[c] Similia de peste quæ Romæ atque in suburbiis et castris hoc tempore grassata est pene ad verbum habet Anastasius, in sancto Agathone. Ticinum etiam regiam Langobardorum urbem eadem calamitate desolatam addit Paulus, donec allatis ab urbe Roma beati Sebastiani martyris reliquiis, atque altare constituto in basilica beati Petri ad Vincula, dira lues cessavit. Appellationem sancti Petri ad Vincula utrique Romanæ ac Ticinensi basilicæ commune in eam sententiam traxisse puto doctiss. Baronium, aliosque, ut ab hoc Pauli capite dedicatio altaris ad honorem sancti Sebastiani martyris in Romana sancti Petri ad Vincula basilica repetatur, astipulante potissimum varia lectione quam in margine adnotaverat ad ea verba *ab urbe Roma*, quorum vice posuit *ad urbem Romam*, ut sensus sit a catecumbis allatum fuisse in Urbem corpus sancti Sebastiani, ut interpretatur Sigonius, lib. II de Regno Italiæ; ea vero neque in Lindebrogianis, neque in nostris Mss. occurrit. Ticinensium rerum scriptores uno ore asserunt sanctum Damianum episcopum, quem paulo ante noster memoravit, sancti martyris reliquias a Romano pontifice impetrasse, et solemni pompa, erecto in ejus honorem altari, in ecclesia sancti Petri ad D Vincula collocasse, addito voto, quo se clerumque astrinxit, ut tribus diebus ante festum, ipsoque festo die, episcopus cum clero solemnibus institutis supplicationibus accederet sacra facturus. Asserit etiam Baronius exstare adhuc in Romana basilica ex musivo opere imaginem ejusdem sancti, ut vere nostris etiam diebus aspicitur, promissa barba, unde commune pictorum error arguitur. At ego licet de Romani altaris antiquitate discordare non ausim, facile quippe in ea calamitate Paulo ante hoc Ticinense dedicatum fuit, hic Paulum de Ticinensi locutum fuisse crederem, doctissimique viri conjecturæ subscribo, ab eo usque tempore propagatam ad posteros fuisse religionem, ut pestis tempore ad eam propulsandam sancti martyris nomen invocetur.

[d] Al., *de aviculis musca consedit*. Lind.

[e] Verba *quæ prope palatium sita est*, non leg. in Amb.

[f] Al., *ausus esset*. Lind.

Digitized by Google

eos ad quid in locum sanctum confugium fecissent? A Qui respondentes dixerunt: Quia nuntiatum est nobis quod nos dominus rex occidere vellet. Iterato rex misit ad eos, sciscitans quis fuit ille qui eis nuntiaverit, mandans ut nisi ei nuntiatorem proderent, ejus gratiam invenire non possent. Tunc illi sicut factum fuerat regi [a] narraverunt, dicentes claudum hominem obvium se habuisse, qui unum pedem truncatum habebat, et genu tenus crure ligneo utebatur, et hunc fuisse sui interitus nuntium. Tunc intellexit rex muscam illam cui pedem truncaverat malignum spiritum fuisse, et ipsum sui [b] secreta consilii prodidisse. Qui statim Aldonem et Grausonem in sua fide de eadem basilica suscipiens, eisdem culpam pepercit, et in reliquum eosdem in loco habuit [c] filiorum. B

## CAPUT VII.

*De Felice diacono grammatico.*

Eo tempore floruit in arte grammatica Felix, patruus Flaviani præceptoris mei, quem in tantum rex dilexit, ut ei baculum argento auroque decoratum inter reliqua suæ largitatis munera condonaret.

## CAPUT VIII.

*De Joanne Bergomensi episcopo.*

Per idem quoque tempus [d] Joannes episcopus Bergomatis Ecclesiæ, vir miræ sanctitatis exstitit. Qui cum regem Cunibertum in convivio dum sermocinarentur offendisset, rex ei ad hospitium revertenti equum ferocem et indomitum, qui immenso fremitu super se sedentes terræ allidere solebat, præparari C fecit. Cui cum episcopus supersedisset, ita mansuetus exstitit, ut eum blando incessu usque ad domum propriam deportaret. Quod rex audiens, et episcopum ex eo die honore debito coluit, et ei ipsum equum, quem sua sessione dedicaverat, dono largitus est.

## CAPUT IX.

*De stella obscura quæ tunc apparuit, et de eructatione Vesuvii montis.*

Hac tempestate noctu stella juxta [e] Vergilias, cœlo sereno, inter Domini Natalem et Theophaniam, apparuit, omnimodo inumbrata, veluti cum luna sub nube est constituta. Post hæc, mense Februario [f], die media, stella ab occasu exiit, quæ cum magno fulgore in partes orientis declinavit. Dehinc, mense Martio, [g] Vesuvii eructavit incendium per dies aliquot, et omnia virentia circumquaque præ pulvere et cinere illius exterminata sunt.

## CAPUT X.

*Quomodo gens Saracenorum Africam cepit, et Carthaginem diruit.*

Tunc Saracenorum gens infidelis, et Deo inimica, [h] ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine pergens, obsessam Carthaginem cepit, captamque crudeliter depopulata est, et ad solum usque prostravit.

## CAPUT XI.

*De morte Constantini, et regno Justiniani, et victoria ejus de Saracenis.*

Inter hæc Constantinus imperator apud Constantinopolim moritur, et ejus minor filius Justinianus Romanorum regnum suscepit, [i] cujus per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam a Saracenis abstulit, et cum eisdem pacem [k] terra marique [l] fecit. Hic Sergium pontificem, quia in erroris illius synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere et subscribere noluit, misso Zacharia [m] protospathario suo, jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium, jussa principis nefanda contemnens, eumdem Zachariam cum contumeliis ab urbe Roma et injuriis pepulit [n].

[a] Amb., *mandaverunt.*
[b] Amb., *secreti nuntium fuisse.*
[c] Amb. et Mod., *fidelium.*
[d] Interfuit sanctus Joannes episcopus Bergomensis concilio Romano contra Monothelitas sub sancto Agathone papa; « et cum Cuniperto Longobardorum regi (scribit Ughellus) ducique Grimoaldo, quem ab Ariana secta traduxit ad Christum, unice charus esset, ab iisdemque in favorem suæ Ecclesiæ quamplura privilegia retulisset, demum cum Cuniperto contra Alachium ducem Tridentinum Arianæ sectæ sequacem profectus ad bellum, ab improspero fortunæ eventu irreparabili cum rege detrimento D accepto, haud longe a Bergomo post exquisita tormenta carcerisque squalorem, ob catholicam fidem, a superbo impioque victore cæsus est in ipso divi Alexandri templo, ibique tumulatus, etc. »
[e] Amb., *vigilias*, ut in editis Anastasii exemplaribus: placet prima lectio; nam quæ Πλειάδες Græcis, *Vergiliæ* Latinis dicuntur notissimæ stellæ.
[f] Addit Anastasius et diem, nempe « post natale sancti Valentini. »
[g] Mod., *Veserus eructavit per*, etc. Al., *Bebius eructavit*. Ita Lindenbrog. et editæ Anastasii Vitæ Pontiff. Cumque is auctor hæc evenisse referat sub Benedicto II, unicus illius annus in pontificatu, nempe Christi 684, designatur. At hæc non bene Paulus illigat cum irruptione Saracenorum in Africam, de qua capite sequenti.

[h] *Ex Ægypto et Africa*. Mod. et Lind.
[i] Abdulmelicus calipha, post subjectam Arabiam, Felicem Hasanum ad hanc expeditionem dimisit, eumque ducis Occidentis titulo insignivit. Is Carthaginem obsidione cinxit, et impressione facta occupavit, murosque nobilissimæ urbis ad solum usque destruxit, anno Christi 696, ut ex Noweirio Arabe firmat Pagius in dicto anno.
[j] Constantinus Pogonatus, ex Anastasii testimonio in Joanne V, defunctus est initio mensis Septembris indict. 14, quæ ab eo mense inceperat, anno Christi 685. Successorem in imp. reliquit Justinianum, hujus nominis II, annos sexdecim vix attingentem, ut scribunt Theophanes, Zonaras, et Nicephorus, neque alia de causa Paulus minorem appellat, nisi legendum sit: *et ejus filius Justinianus minor*, etc.
[k] Mod. et Lind., *trans maria.*
[l] Pacem hanc scriptores omnes Byzantini, et præcipue Theophanes, Romanæ reipublicæ valde perniciosam improbant, quod Justinianus, dimissis Mardaitis, imperii vires fregerit.
[m] *Spatharii* erant corporum custodes. Cedrenus: Ὅτι σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ ἐστίν. Inde *protospatharius*. Curopalata: Ὁ πρωτοσπαθάριος λέγεται, ὅτι ἦν κατὰ μὲν τὸ παλαιὸν πρῶτον τῶν σπαθαρίων παραμονῶν· νῦν δὲ οὐδεμίαν ὑπηρεσίαν ἔχει. Lind.
[n] Fusius hæc narrat Anastasius, in Sergio. Trullana hæc synodus, quinisexta etiam appellata paucis post annis, celebrata fuit in Trullo magni palatii.

Digitized by Google

## CAPUT XII.

*Quomodo Leo Justiniani in exsilium trusi regnum invasit.*

Contra hunc Justinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum regno privavit; regnumque Romanorum tribus annis regens, [a] Justinianum exsulem in Ponto servavit.

## CAPUT XIII.

*Quomodo Tiberius Leonem superans, et in carcerem conjiciens, imperator effectus est.*

Rursumque Tiberius contra hunc Leonem [b] insurgens, [c] regnum ejus invasit, eumque toto quo ipse regnavit tempore in eadem civitate in custodia tenuit.

## CAPUT XIV.

*Quomodo papa Sergius Aquileiensem synodum, nolentem sanctam quintam synodum suscipere, correxit.*

Hoc tempore synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei, [d] quintum universale concilium suscipere dif- A fudit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit [e]. Facta autem est hæc synodus Constantinopoli, temporibus Vigilii papæ, sub Justiniano principe, contra Theodorum et omnes hæreticos qui beatam Mariam solum hominem, non Deum et hominem, genuisse affirmabant. In qua synodo catholice est institutum ut beata Maria [f] semper virgo Θεοτόκος diceretur, quia, sicut catholica fides habet, non hominem solum, sed vere Deum et hominem genuit.

## CAPUT XV.

*De Theodaldo rege Anglorum, quomodo Romam veniens baptizatus est, statimque obiit.*

His diebus [g] Cedoaldus rex Anglorum Saxonum, B qui multa in sua patria bella gesserat, ad Christum conversus Romam properavit. Qui ad Cunibertum regem veniens, ab eo mirifice susceptus est: is cum

Constantinopolitani, ad supplendam, ut Græci præferebant, quintam et sextam synodos, in quibus nulli canones editi erant ad disciplinæ restaurationem et reformationem morum. De anno celebrationis illius maxima inter eruditos controversia, sed plures anno Christi 691 assignant. Vide Baronium, anno sequenti, ubi causas omnes refert cur Sergius synodo subscribere recusavit.

[a] Exacto anno decimo imperii, ut scribit Nicephorus, Justinianus II a Leontio patricio, quem noster Leonem appellat, ab imp. exturbatus est. Hunc Justinianus Orientalibus copiis præfectum honore privaverat, et integro triennio in custodia habuerat, mox dimissum Græciæ præfecerat. Memor Leontius injuriarum, juvante Callinico patriarcha, quem imp. paulo ante occidi mandaverat, in Justinianum insurgit, exosumque populis ob nimiam sævitiam facile deponit, lingua nasoque mutilatum in Chersonensem urbem deportat. Justiniano ab ea calamitate cognomen Rhinotmeti, Græco vocabulo est additum.

[b] Amb., *rebellans*.

[c] Apsimarus militari favore in imperium sublimatus, mutato nomine Tiberius appellatus, comitante navali classe, quæ ab Africa postquam eam Saraceni occupaverant re infecta redibat, Constantinopolim veniens, Leontium anno imperii sui tertio cepit, nasoque mutilatum in Monasterio Dalmatæ servandum militibus tradidit, ut Theophanes et Zonaras narrant.

[d] Al., *quæ tunc universale concilium*. Lind.

[e] Hæc Paulus ad verbum ex Beda, lib. vi de Ætatibus mundi, et firmat Anastasius in Sergio, hæc scribens: « Hujus temporibus Aquileiensis Ecclesiæ archiepiscopus, et synodus quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale concilium ut pote errantes suscipere diffidebant, ejusdem beatissimi papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt, iidemque venerabile concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui prius sub erroris vitio tenebantur, doctrina apostolicæ sedis illuminati cum pace consonantes veritati ad propria relaxati sunt (vel, ut alias legitur, reversi sunt). » Id autem quo pacto evenerit fusius explicat eminentissimus Norisius, ex quo præcedenti lib. iv, cap. 34, schismatis historiam usque ad divisionem Aquileiensis diœceseos repetii. Prosequitur laudatiss. auctor cap. 1, § 6, ea quæ per schismaticos gesta sunt post Agilulphi mortem, cum Theodolinda regina, accepta a divo Gregorio Mag. v synodo, monitisque satis edocta catholicis manifesto adhæsit; unde Firminus, Petrus, Providentius, aliique Istriæ episcopi ad nos accesserunt, eoque exemplo nonnulli Venetiæ antistites sub Langobardorum ditione constituti, solis Aquileiensibus in rebellione perseverantibus, eo potissimum tempore quo pauci admodum in orbe universo v synodum recipere recusabant. Schismaticis paulo post sub Adaloaldo rege accessit Agrestinus ille monachus Luxoviensis monasterii, qui per Aureum, ejusdem regis notarium, ad sanctum Attalam Bobiensem abbatem litteras mittere non erubuit, ad detestandum schisma sollicitaturus. Postremo Fortunatus episcopus Gradensis, quem supra notavi ad schismaticos aufugisse, sublato Gradensis Ecclesiæ thesauro. Hæc perdurasse schisma usque ad notata ferme Sergii tempora indubie demonstrant. At uterque citatus cardinalis observat sub Martino papa Aquileiensem antistitem anno 649 synodo Lateranensi interfuisse, itemque sub sancto Agathone subscripsisse litteris ad imperatorem datis, et cum eo plures ipsius episcopi suffraganei. At non unica hæc difficultas : C emergit altera ex Pauli nostri verbis, imo Bedæ, quem ille transcripserat, scilicet, an synodus quæ in hoc Pauli capite Aquileiæ facta dicitur eadem illa sit quæ Pelagii papæ I tempore, an altera iterum Sergii tempore coacta. Priorem sententiam secuti sunt Baronius et Norisius, postremus ea potissimum nixus conjectura, « quod ex illo adverbio DONEC non obscure colligatur, quod ille error, ac pravum de synodo v judicium diu ante Sergium apud Aquileienses invaluerat. » Alteram Bollandus in notis ad Vitam sancti Honorati, Pagius in Critica chronol. ad annum Christi 699, et alii plures. Palladius junior in historia Forojuliensi vernacule scripta Bedæ ac Pauli nostri lectionem corrigit, et loco Sergii Pelagium reponit, ita ut ad primos accedat, sed huic, Bedæ et Pauli nostri Codices repugnant. Bollandius incongruum credidit Sergium synodum illam correxisse d… quæ CL et amplius annos præcesserat, Pagiusque putat Paulum Bedæ proximiorem illius D mentem tenuisse, maxime cum citatis Anastasii verbis, sub Aquileiensi episcopo, qui Sergii tempore sedebat, synodus coacta dicatur, congruitque temporis ratio cum Pauli chronotaxi hæc ad Tiberii Absimari tempora referentis. Inter omnes convenit schisma quod Vigilio papæ factum est sub Sergio tandem, Deo juvante, cessasse.

[f] Ms. Lind.: *Semper virgo, non sicut Theodorus dicebat, sed sicut Catholica*, etc.

[g] Cedoaldum quem vocat noster, Beda Cedvald, Cedvallam, vel Ceadvallam nominat, et Angli quos recenset Baronius ad annum 689 Cedvaldradum. Nonnulli Britannorum, non vero Saxonum, regem fuisse contendunt, quos inter Sanderus ab eodem cardinale citatus, isque Paulum erroris arguit, quem, si revera fuisset, in Bedam vertere debuerat, cum ex eo noster hæc de Cedvalla rege, ut alia plura, exscripserat: ad emendationem Galfridi auctoritate nituntur, qua ut se Baronius expediat, tres uno tempore Ce…

Digitized by Google

Romam pervenisset, a Sergio papa baptizatus, Petrusque est appellatus, [a] et adhuc in albis constitutus, ad regna cœlestia migravit. Cujus corpus in basilica beati Petri sepultum est, et hoc super se epitaphium descriptum habet :

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæque patrum virtus et quæ congesserat ipse
[b] Cedoald armipotens, liquit amore Dei,
Ut Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,
[c] Cujus fonte meras sumeret almus aquas,
Splendificumque jubar radianti carperet haustu,
[d] Ex quo vivificus splendor ubique fluit,
Percipiensque alacer recidivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen et inde suum.
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius antistes jussit ut ipse pater.
[e] Fonte, renascentis quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit [f] in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
[g] Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides [h].

## CAPUT XVI.

*Quomodo regnum Francorum apud Gallias sub majoribus domus regiæ esse cœperit.*

Hoc tempore apud Gallias Francorum regibus a solita fortitudine et scientia degenerantibus, hi qui [i] majores domus regalis esse videbantur admini-

vallas ex ipso Beda recenset : primum eumque regem Britonum anno 633, alterum a Beda memoratum anno 678, diversum a nostro, quique successorem habuit postremum Cedvallam. « Verum Alfordus (ut notavit Pagius in Critica) anno 687, num. 10, ostendit cardinalem doctissimum falli tam in numero quam in patria et genere Cedvallarum ; duo enim tantum Cedvallæ fuere, et Cedvallæ secundi successor, non Cedvalla, sed Ina, seu Ine, appellatus fuit. Ex duobus Cedvallis unus revera Britannus, alter Saxo fuit, nec solum titulo tenus Saxonum rex, quia Saxones debellavit, ut arbitratur Baronius, sed quia de regio Saxonum genere editus est, ut scriptores Angli constanter asserunt. » Annum baptismatis Cedvallæ ita notat citatus Beda : « Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto Sabbati paschalis, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono ; et in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Maiarum die solutus est a carne, etc. » Martyrologio Anglicano Cedvallæ regis nomen inscribitur, et inter sanctos numeratur.

[a] Causa hujus ritus explicatur distinctione 4, tit. *Quare cand. vest. trad. Christ.* : « Post baptismum traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam et puritatem Christianam, quam post ablatas veteres maculas studio sanctæ conversationis immaculatam servare debet, ad repræsentandam ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus ad ministerium resurgentis Ecclesiæ. Item utuntur baptizati albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ regenerationis gloriæ præferat indumentum ; legitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri. » Huc pertinent l. v C. Theodos. de spectacul. illa verba : « Quinquagesimæ diebus, quandiu cœlestis luminis lavacri imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur. » Lind.

[b] Baronius notavit Anglos qui Cedvallam Cedvaldradi nomine vocant, versum hunc ita legere : *Rex Cedvaldradus liquit amore Dei.*

[c] Al. : *Cujus fonte sacras sumeret albus aquas.* Lind.

[d] Amb. : *Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.*

[e] Al. : *Unda renascentem* (*quem Christi gratia*) *purgans.* Lind.

[f] Al., *in alta poli.* Lind.

[g] *Hospes enim veniens suprema ex urbe Britanni.* Lind.

[h] Post versus hosce, quorum auctor fertur sanctus Benedictus Mediolanensis archiepiscopus, de quo infra, capite 29, Beda refert et alteram soluta oratione inscriptionem, nempe : HIC DEPOSITUS EST CEADVALLA, QUI ET PETRUS, REX SAXONUM, SUB DIE DUODECIMO KALENDARUM MAIARUM, INDICTIONE SECUNDA, QUI VIXIT ANNOS PLUS MINUS TRIGINTA, IMPERANTE DOMINO JUSTINIANO PIISSIMO AUGUSTO, ANNO EJUS CONSULATUS QUARTO, PONTIFICANTE APOSTOLICO VIRO DOMINO SERGIO PAPA ANNO SECUNDO.

[i] Glossæ Isidori : *Architriclinius major domus* ; dicitur etiam *provisor regis aulæ*, vel *præfectus palatii*. Cedrenus eum πρόοικον vocat ; cujus locum, quia unice huc facit, totum ascribam. In Leone Iconomacho, p. 373 : Ἱστορῆτε [F. ἱστορήθη] δὲ, ὅτι ἔθος τὸν ῥῆγα Φραγγίας κατὰ γένος ἄρχειν, καὶ μηδὲν διοικεῖν πλὴν ὅτι ἀλόγως ἐσθίειν καὶ πίνειν. Κατὰ δὲ τὸν Μαΐου μῆνα προκαθέζεσθαι ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους, καὶ προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ ἀντιπροσκυνεῖσθαι ὑπὸ αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί τε κατὰ συνήθειαν, καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς, ἔχειν δὲ πρόοικον γνώμῃ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἔθνους εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα. Annales Francorum a P. Pithœo j. c. editi : « Reges quidem dicebantur, sed potestas regis tota apud majorem domus habebatur, excepto quod chartæ et privilegia regis nomine scribebantur, et in Martis campum, qui rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno a populis visus, publica dona solemniter sibi oblata accipiebat, stante coram majore domus, et quæ deinceps eo anno agenda essent populis annuntiante. Sicque rege domum redeunte, cætera regni negotia major domus administrabat. » Lind. Post pugnam Textricianam scriptores rerum Francicarum notant ad majores domus regiam auctoritatem fuisse delatam, ita ut « exin reges (ut scribit Erchanbertus) nomen, non honorem, habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus erat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possent. » In ea pugna, quæ anno 687 communiter tribuitur, Theodoricus rex victus, et Bertharius pessimi consilii auctor profligatus est, Pippinus sancti Arnulfi nepos ad altiorem potentiam elevatus. Hinc turbatam a nostro chronologiam observare licet ; cum enim jungat sancti Arnulfi tempora cum obitu Cedvallæ regis, qui anno 689 e vivis excesserat, quando Pippinus Heristallensis major domus hoc munere fungebatur, et ad annum usque 714 cum vita dimisit. Sanctus vero Arnulfus jam ante annum 614, quo ad episcopatus ordinem promotus in regia Francorum regum floruerat, nescio an major domus dignitate, quam Fredegarius Pippino tribuit, etsi sanctum episcopum consiliorum participem faciat. Hoc unum Paulo concesserim, vel ab eo tempore Francos reges in desidiam sensim incidisse, quod et Eginhardus in Vita Caroli Magni scribit : « Merovingorum, de qua Franci reges creare soliti erant, usque in Childericum regem, qui jussu Stephani Rom. pontificis depositus, ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse perhibetur : quæ licet in illo finita possit videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane regis vocabulum, præferebat, » et cætera, quibus infelicem regum tunc temporis conditionem, non secus ac Erchanbertus, describit.

Digitized by Google

strare regni potentiam, et quidquid regibus agere mos est, cœperunt, quippe cum cœlitus esset dispositum [a] ad horum progeniem Francorum transvehi regnum. Fuitque eo tempore major domus in regio palatio Arnulfus, vir, ut postmodum claruit, Deo amabilis, et miræ sanctitatis. Qui post gloriam sæculi Christi servitio se subdens, mirabilis in episcopatu exstitit, ac demum eremiticam vitam eligens, leprosis universa præbens obsequia, continentissime vixit. De cujus mirabilibus apud Mettensem Ecclesiam, ubi episcopatum gessit, liber exstat, ejusdem miracula et vitæ abstinentiam continens. Sed et ego in libro, quem de Episcopis ejusdem civitatis conscripsi, flagitante [b] Angilramno viro mitissimo, et sanctitate præcipuo, præfatæ Ecclesiæ archiepiscopo, de hoc sacratissimo viro Arnulfo quædam ejus [c] miranda composui, quæ modo superfluum duxi replicare.

## CAPUT XVII.

*De morte Cuniberti regis, et regno filii ejus Liutberti.*

Inter hæc Cunibertus [d] cunctis amabilis princeps, postquam duodecim annos Langobardorum regnum post patrem solus obtinuit, tandem [e] ab hac luce subtractus est. Hic in campo Coronatæ, ubi bellum contra [f] Alachis gessit, in honorem beati [g] Gregorii martyris monasterium construxit. Fuit autem vir elegans, et omni bonitate conspicuus, audaxque bellator. Hic cum multis Langobardorum lacrymis juxta basilicam Domini Salvatoris, quam quondam avus ejusdem Aripertus [h] construxerat, sepultus est, regnumque Langobardorum Liutberto filio, adhuc puerilis ætatis, reliquit, cui tutorem Anspraudum virum sapientem et illustrem [i] contribuit.

[a] Ad ea respicit hic Paulus quæ in libro de Episcopis Mettensibus scripserat, Caroli Magni genus ab hoc sancto episcopo deducens, cui et Carolum trinepotem facit per Anchisum sancti Arnulfi minorem filium, Pippinum Heristallensem, Carolum Martellum, et Pippinum Brevem Caroli Magni patrem, qui, ut ipse in eodem libro scribit, « Langobardorum gentem bis jam a patre devictam, altero eorum rege, cui Desiderius nomen erat, capto, alteroque qui dicebatur Aldegisus, et cum genitore suo [*Fortasse addendum* regnabat], Constantinopolim pulso, universam Italiam sine gravi prælio suæ subdidit ditioni, et (quod raro fieri assolet) clementi moderamine victoriam temperavit. » Hæc de sancti Arnulfi filiis et nepotibus exploratissima, licet aliqui tertium eidem filium, Walchisum nomine, sancti Wandregisili abbatis patrem ascribant: de parentibus magna inter viros eruditos controversia, de qua vide Mabillonium, sæcul. II Benedictin., in Vita ejusdem sancti, et stemma gentilitium ejusdem ad initium ejusdem tomi.

[b] Al., *Angelramno*; al., *Ageltramo*. Lind. Mod., *Angellamno*. Amb., *Angelranno*.

[c] Amb., *miracula*.

[d] Amb. et Mod., *cunctis amabillimus, postquam* etc.

[e] Mortem Bertaridi regis Cuniberti patris lib. V, cap. 37, n. 155, in ann. Christi 688 incidisse notavi, cumque noster asserat Cunibertum post mortem patris duodecim annos regnasse, illius obitus cum anno Christi 700 est alligandus.

[f] Al., *Alahim*. Lind.

[g] Amb. habet *Georgii*, ut in aliis etiam Editionibus quibus Baronius utebatur, isque ad hunc Pauli locum notavit monasterium a Cuniberto rege constructum in suburbiis Ferrariæ positum credi, nobile illud et vetustissimum sub hac sancti martyris Georgii appellatione, eumque secutus est Mabillonius in sæculo Bened., pag 600, tom. I; sed viri doctissimi non animadverterunt ad ea quæ noster habet de campo Coronatæ, ubi exstructum fuisse monasterium haud obscure narrat; illum quippe lib. V, cap. 40, ita designat, ut ad Abduam fluvium positum fuisse dubitari non possit, in itinere ab Istria Ticinum venientibus, eaque positione longe a Ferraria dissitum. Exstat adhuc ad Pontem Aureolum pagus nomine Coronatæ, vulgo, leviter corrupto vocabulo, *Cornate*, in latissimis campis ad Abduam fluvium. Incolæ servant adhuc Langobardicæ victoriæ memoriam, insque frequens in sanctum Georgium cultus. Quidni credam et ibi olim conditum fuisse monasterium?

[h] In urbe regia Ticinensi, ubi legitur adhuc in eadem basilica apud Cassinenses monachos fragmentum epitaphii ad illius tumulum appositi, quod refert doctiss. Murator. noster in lib. Antiquitatum Estensium, part. pr., cap. 10, pag. 73:

Aureo ex fonte quiescunt in ordine reges
Avus, pater, hic filius hejulandus tenetur
Cuningpert florentissimus ac robustissimus rex,
Quem dominum Italia, patrem, atque pastorem,
Inde flebile maritum jam viduata gemet.
Alia de parte si originem quæras,
Rex fuit avus, mater gubernacula tenuit regni;
Mirandus erat forma, pius; mens, si requiras,
Miranda. . . . . . . . . . . . .

Exstat apud eumdem Muratorium epitaphium alterum reginæ Raginthrudæ positum Ticini in atrio sanctæ Mariæ ad Perticas; sed illius memoriam in Paulo nostro non inveni. Rattrudæ sancti Rachisii filiæ, quæ cum matre Tasia non longe a Casino monte monasterium condidit puellarum, meminit Leo Ostiensis, cap. 8; an ad eam pertineat inscriptio illa mihi non satis persuasorim, multoque minus cui regum uxor fuerit divinare velim; reticuit enim Paulus nomina uxorum Adaloaldi, Arioaldi, Rotharis, Ariberti I, Grimoaldi, Liutberti, et Ariberti II. Lapis ita est inscriptus:

Condita priorum,
Raginthruda piis semper
Memoranda loquillis,
De vita cunctorum quam
Mors surgentibus annis
Abstraxit subito regalia sceptra tenentem,
Quæ, licet in paucis finisset jura diebus,
Taliter ornabat concessi exordia regni
Templa Dei venerans, sacerdotesque ministros
Ecclesiæ sancto devota colebat honore,
Purpureas totiens simul et diademate vestes
Deposuit famulans Christo in paupere certe,
Sicque suis manibus jejuna ministrat egenis
Ut regale decus vilis mutaret amictus
Das mis. . . recreavit inanes.

[i] Mod., *constituit*. Sigebertus, in Chronico, ad annum 699, cum Paulo nostro scribit: « Mortuo Cuniperth Langobardorum rege, Luitperth filius ejus puer in regnum succedit, Anspraudum habens tutorem. » Sed is auctor initium regni ejus, ut antecedentium regum, anno uno antevertit, et recte cum nostra chronotaxi concordat Hermannus Contractus Cuniberti mortem anno 700 assignans.

Digitized by Google

A

## CAPUT XVIII.

*De Ragunberto duce Taurinensium, quomodo superato Liutberto regnum invasit, et eo anno occubuit.*

Dehinc elapsis octo mensibus, Ragunbertus dux Taurinensium, quem quondam rex Godebertus cum extingueretur a Grimoaldo reliquerat parvulum, de quo et superius diximus, cum valida manu veniens adversus Ansprandum, et Rotharit Bergomensium ducem, apud Novarias conflixit, eosque in campo exsuperans, regnum Langobardorum invasit, sed [a] eodem anno mortuus est.

## CAPUT XIX.

*Quomodo Aripertus regnum invasit, et Liutbertum vivum comprehendit, et postea exstinxit.*

[b] Tunc filius ejus Aripertus, iterum bellum parans, pugnavit cum Liutberto rege apud Ticinum, B cumque Ansprando, et [c] Ottone, et Tazone, nec non et Rotharit, ac [d] Farone. Sed omnes hos bello exsuperans, Liutbertum infantulum vivum [e] in bello comprehendit. Ansprandus quoque fugiens, in insulam se Commacinam communivit.

## CAPUT XX.

*Quomodo Rotharit apud Bergamum regnans, ab Ariperto captus, vitaque privatus est.*

At vero Rotharit dux, Bergamum civitatem suam rediens, regnum arripuit. Contra quem rex Aripertus cum magno exercitu proficiscens, [f] expugnata primum et capta Laude, [g] Bergamum obsedit, eamque cum arietibus et diversis belli [h] machinis, sine aliqua difficultate, oppugnans, mox cepit, comprehensumque [i] Rotharit pseudo-regem, ejus caput [j] barbamque radens, Taurinis in exsilium retrusit, quique ibidem post aliquot dies peremptus est. Liutbertum vero, quem ceperat, pari modo in balneo vita privavit.

## CAPUT XXI.

*Quomodo Ansprandus in Bojoariam fugiens, cum Theudeberto eorum duce permansit.*

Misit quoque exercitum adversus Ansprandum in [k] insulam Commacinam. Quo comperto, Ansprandus fugit Clavennam, deinde per Curiam Rethorum civitatem venit ad Theudebertum Bojoariorum ducem, [l] et fuit cum eo per novem annos. Exercitus

[a] Paulo item astipulatur Sigebertus, anno 700 : « Ragunbertus dux Taurinensium Ansprandum tutorem regis Luithperthi bello superat, et anno uno regnat, » qui pro incompleto accipiendus est ita ut anno 701 Ragunberti obitus ab utroque auctore assignetur, reluctante solum in Sigeberto continuati unius anni errore.

[b] Al. : *Tunc filius Godeberti regis, nomine Aribertus, rex factus est, iterum bellum parat.* Lind. et Mod., qui, pro *Ariberto*, semper habet *Ariperto*.

[c] Al., *Totone;* al., *Zotone, et Tarzone.* Lind.

[d] Al., *Pharaone*, vel *Pharone*. Lind., *Faraone*.

C

[e] Pugna hæc Ariperti, hujus nominis II, Langobardorum regis, ejusque de Liutperto rege victoria, lucem accipit ab iis quæ doctissimus Baronius excerpsit ex Vita sancti Boniti exepiscopi Arvernensis, et hic ad uberiorem historiæ copiam transcribo : « Denique in Italiam ingressus (sanctus nempe Bonitus) a rege Longobardorum et devote et amanter acceptus est; qui cum viri Dei colloquiis frueretur, audivit ad se referri urbem (Ticinum) ab exercitu obsideri. At ille mox exsiliens, jubet suos arma capessere, secumque contra hostes dimicaturos esse paratos ad pugnam. Conversus autem humiliter ad virum Dei : Quæso te, Pater, inquit, ut pro me Domino preces offeras. Nam mihi res est cum hostibus meis. Liceat mihi tua intercessione ex illis palmam referre. Mox inde urbem egressus, prælium cum hostibus iniit. Adeo vero partibus Ariperti (ita enim ille rex Longobardorum vocabatur) favit victoria, ut multis cæsis atque prostratis, rege quoque in inguine vulnerato et capto, cum magno tripudio ad virum Dei redierit, eique pro precum illius suffragiis gratias agens, denuo se ejus orationibus commendarit multa cum humilitate, et in regno suo res necessarias illi præberi curaverit. »

[f] Al., *expugnata Laude Pompeia.* Lind. Mod., *expugnata Laude*, etc.

[g] Al., *Pergamum;* al., *Bergomum.* Lind. Amb., *Pergamum* et *Pergamensem*, semper.

[h] Variæ harum machinarum appellationes. Erant enim quas λέσας vocabant. Earum sic meminit Cedrenus, pag. 644 : Αὐτὸς δὲ σκηνὰς ἐκ λύγων ἔχων πεπλεγμένας, βοείαις βύρσαις ἄνωθεν εὐσκεπασμένας, καὶ τροχοὺς ἐχούσας ὑπὸ τὰς τῶν βασταζόντων κιόνων βάσεις (λέσας τὰς τοιαύτας κατονομάζουσι μηχανὰς) λαοῦ πλήσας δικέλλας φέροντος καὶ σκαπάνας, καὶ ἄλλα γεωργικὰ ὄργανα, ὥστε κατὰ μικρὸν ὑποθεῖν τὰς λέσας, καὶ τοῖς τείχεσι προσαρμόσαι. etc. Erant etiam quæ dicebantur elitæ. Auctor Vitæ Caroli Magni a P. Pithœo j. c. editus : « Præparaverunt clitas ad debellandum præ virtute castrum. » Alia quoque genera Turpinus enumerat, cap. 9 : « Septimo mense, aptatis juxta murum petrariis, et mangatellis, et troiis. » Mangatellis significari putabat vir doctus eas machinas quas Galli Mantellos, seu Mantellettos, vocant, id est, vineas. De reliquis judicet lector. Lind.

[i] Al., *Rotarithum, et Freodonem regem.* Lind.

[j] Mos erat priscus captivos, et bello victos radere, quod et Sidonius Apollinaris tangit, lib. VIII, epist. 9 :

> Sic tonso occipiti senex Sicamber,
> Postquam victus es, elicis retrorsum
> Cervicem ad veterem novos capillos.

Et alibi, in eodem scriptore. Sic capio versum Ovidii :

> Jam tibi captivos mittet Germania crines,
> Culta triumphatæ munere gentis eris.

Morem autem hunc multis ante sæculis etiam apud alias gentes usitatum fuisse puto, conjecturam ducens ex Deuteronom. XXI, ubi de puella captiva ait : *Quæ radet cæsariem et circumcidet ungues, et deponet vestem, in qua capta est*, etc. Sed et supplicii genus erat caput tondi; unde sæpissime illa verba leguntur *decalvari, verberarique.* Cedrenus, in Justino, p. 320 : Τύψας αὐτὸν καὶ τὴν κεφαλὴν κείρας, καὶ γυμνὸν ὄνῳ ἐπικαθίσας, διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐθριάμβευσε. Ubi etiam vides asino eum impositum; usitatum enim hoc antiquis fuit, supplicio jam jam afficiendos, asinis, aut aliis animalibus, impositos, in spectaculum D per plateas ducere. Agathias de Gabaræ interfectoribus, lib. IV : Καὶ οἱ μὲν ἐπὶ τοῖς ὀρεῦσιν ἡμμένοι, καὶ ἀνὰ τὰς λεωφόρους περιενεχθέντες, μέγιστον θέαμα τοῖς Κόλχοις εἶναι καὶ πλείστης ἄξιον εὐλαβείας. Sic Nicetas Choniates Andronicum camelo impositum narrat, lib. II : Μεθ' ἡμέρας δέ τινας καὶ τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν ἐξορύττεται, καὶ καθεθεὶς ἐπὶ καμήλου ψωριώσης, διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐθριαμβεύετο. Sed hæc sunt alterius loci. Lind.

[k] Al., *insulam Comacinam. Illi vero per Coriam Rhedonum civitatem venit ad Theodebertum.* Lind. et M.

[l] Ex his Pauli verbis, aliisque sequenti cap. 35, quibus annum nonum a fuga Ansprandi conjungit cum decimo Theodeberti, Pagius, in Critica, ad ann. 712 initium tetrarchiæ Teodeberti ducis colligit, et cum ineunte anno 702 conjungit, fugam vero cum exeunte, ita ut altera Ariberti victoria de Liutberto bene cum eodem anno ineunte alligetur.

Digitized by Google

vero Ariperti insulam in qua Ansprandus confugerat invadens, ejus oppidum diruit.

## CAPUT XXII.

*Quomodo Aripertus Ansprandi uxorem filiamque ejus et filiam diversis modis deturpavit, et quomodo Liutprandum ad patrem suum in Bojoariam ire permisit.*

Rex igitur Aripertus, confirmato regno, Sigibrandum Ansprandi filium oculis privavit, omnesque qui ei consanguinitate juncti fuerant diversis modis afflixit. Minorem quoque Ansprandi filium Liutprandum in custodia tenuit, [a] quem quia despicabilem personam et adhuc adolescentulum esse perspexit, non solum in ejus corpore vindictam aliquam minime ingessit, sed eum, ut ad patrem suum pergeret, abire permisit. Quod Dei omnipotentis nutu factum fuisse, qui eum ad regni gubernacula præparabat, dubium non est. Igitur Liutprandus ad patrem suum in Bojoariam profectus, ei de suo adventu inæstimabile gaudium fecit. Uxorem vero Ansprandi [b] Theuderadam nomine, rex Aripertus comprehendi fecit. Quæ cum se voluntate feminea reginam futuram esse jactaret, naso atque auribus abscissis, decore suæ faciei deturpata est. Pari etiam modo et germana Liutprandi, nomine [c] Aurona, deformis effecta est.

## CAPUT XXIII.

*Quomodo apud Gallias major domus Anschis Arnulfi filius tunc erat.*

Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum, [d] Anchis, Arnulfi filius, qui de nomine Anchisæ quondam Trojani creditur, appellatus, sub nomine majoris domus, gerebat principatum [e].

## CAPUT XXIV.

*De morte Aldonis apud Forum-Julii, et ducatu Ferdulfi, qui a Sclavis occisus est.*

Mortuo quoque apud Forum-Julii [f] Aldone, quem dixeramus loci servatorem fuisse, Ferdulfus ducatum suscepit, [g] qui de partibus Liguriæ exstitit homo lubricus, et elatus. Qui dum victoriæ laudem de [h] Slavis habere [i] cupiens, magna sibi et Forojulianis detrimenta invexit. Is præmia quibusdam Slavis dedit, ut exercitum Slavorum in eamdem provinciam

A sua adhortatione immitterent. Quod ita quoque effectum est. Causa autem magnæ in eadem Foro-Julii provincia perditionis ista fuit: irruerunt latrunculi Slavorum super gregem, et pastores ovium, quæ in eorum vicinia pascebantur, et de eis prædas abegerunt. Subsecutus est hos rector loci illius, quem [j] sculdahis lingua propria dicunt, vir nobilis, animoque et viribus potens, sed tamen eosdem latrunculos assequi non potuit. Cui exinde revertenti dux Ferdulfus obviam factus est. Quem dum interrogaret quid de illis latrunculis factum esset, [k] Argaid (sic enim nomen habebat) eosdem fugisse respondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus est: Quando tu aliquid fortiter facere poteris, qui Argaid ab [l] arga nomen deductum habes? Cui ille,

B maxima stimulatus ira, ut erat vir fortissimus, ita respondit: Sic velit Deus, ut non antea [m] ego et tu, Ferdulfe, exeamus de hac vita, quam cognoscant alii quis ex nobis magis est arga. Hæc cum sibi invicem vulgaria verba locuti fuissent, contigit non post multos dies ut exercitus Slavorum, pro quorum adventu dux Ferdulfus præmia dederat, cum magnis viribus adventaret. Qui cum castra in summo montis vertice posuissent, et pene ex omni parte difficile esset ad eos accedere, Ferdulfus dux cum exercitu [n] veniens, cœpit eumdem montem circuire, ut per loca planiora super eos posset irruere. Tunc Argaid, de quo præmisimus, ita Ferdulfo dixit: Memento, dux Ferdulfe, quod me esse inertem et inutilem dixeris, et vulgari verbo arga vocaveris. Nunc autem ira Dei

C veniat super illum qui posterior e nobis ad hos Slavos accesserit. Et hæc dicens, verso equo per asperitatem montis, unde gravis erat ascensus, ad castra contendere cœpit Slavorum. Ferdulfus vero opprobrium ducens, si non ipse per eadem difficilia loca super Slavos irrueret, eum per aspera quæque et difficilia inviaque loca secutus est. Quem suus exercitus turpe ducens ducem non sequi, subsequi et ipse cœpit. Videntes itaque Slavi eos per [o] devexa loca supervenire, præparaverunt se viriliter, et magis lapidibus ac securibus quam armis

[a] Al., *Quem quia vilem sibi personam habuit, et adhuc adolescentem esse conspexit, non solum in corpus ejus non sævit*, etc. Lind. et Mod.

[b] Amb., *Theodorata*.

[c] Amb., *Arona*. Mod., *Auruna*. Ms. Lind., *Aurora*.

[d] Al., *Achises*. Lind. Mod., *Ansis* Amb., *Anscis*.

[e] Hæc item leguntur in libro de Episcopis Mettensibus a Paulo nostro scripta; nam fortasse Francos a Troja deductos ipse quoque legerat in historiis gentis illius, et Caroli Magni generi plaudens ubique recantavit. Notandus tamen præsenti capite continuatus illius error ex antecedenti sancti Arnulfi præpostera chronotaxi, quippe Anchis, vel Ansegisus, ut aliis dicitur, ante filium Pippinum ad superiora tempora est retrahendus.

[f] Al., *Adone*. Lind., et ita Mod. et Amb.

[g] Ms. Lind., *qui de partibus Liguriæ laudem*, etc.

[h] Amb. et Mod., *Sclavis*, semper.

[i] Amb. et Mod., *cupit*.

[j] Ms. Lind., *schulduizo*; al., *sculdabem*. Mod., *sculdohus*. Habetur sæpe hæc vox in legibus Langob.: tit. 115, § *Si quis schulthais, aut actorem regis occiditur*; Legibus Langobardorum Liutprandi regis, tit. 20, § 1, et alibi. Servatur etiam nunc in plurimis Germaniæ locis. Lind. In additionibus etiam ad leg. Salicas, § 14: « Et si gastaldius, aut sculdhais,

D vel loci præpositus, » ubi doctiss. Eccardus: « Heischen est *quærere*, *exigere*, et schuld *debitum*. Hinc compositum *sculdahus*, *sculletus*, Belg. *schout*, Germ. *schultheis*, et *schultze*, quæstorem, aut exactorem, proprie designat. Glossæ veteres: Sculdasius, *pedaneus judex*. »

[k] *Arga ait ei (sic enim nomen habebat): Num Slavos frustra secutus es? Qui eosdem fugisse respondit.* Lind.

[l] Legum Langobardorum, tit. 120, § 1: « De eo qui alii arga dixerit. Si quis alium arga per furorem clamaverit, et negare non poterit, et dixerit, quod per furorem dixisset, tunc jurans dicat quod eum arga non cognoverit. » Necdum exolevit hæc apud Germanos vox, quam ego e Græco deductam puto, nam illi ἀργὸν, pigrum et socordem dicunt. Lind.

[m] Amb. et Mod., *ego et tu, dux Ferdulfe*.

[n] Amb. et Mod., *superveniens*.

[o] Mod., *diversa*.

Digitized by Google

contra eos pugnantes, pene omnes dejectos equis peremerunt, sicque victoriam non viribus, sed casu, adepti sunt. Ibi omnis nobilitas periit Forojulianorum, ibi Ferdulfus dux cecidit, ibi et ille qui eum provocaverat exstinctus est. Tantique ibi viri fortes per contentionis malum et [a] inprudentiæ debellati sunt, quanti possent per unam concordiam et salubre consilium multa millia sternere æmulorum. Ibi tamen unus e Langobardis, nomine Munichis, qui pater post Petri Forojulianorum et Ursi Cenetensis ducum exstitit, solus fortiter et viriliter fecit. Is cum de equo dejectus esset, et eum unus de Slavis subito invadens ejus manus fune colligasset, ipse manibus ligatis lanceam ab ejusdem Slavi dextera extrahens, eum cum ipsa percussit, et ligatus per aspera se loca dejiciens evasit. Hæc ideo vel maxime in hac posuimus historia, ne quid alicui per contentionis malum simile contingat

## CAPUT XXV.

*De ducatu Corvuli apud Forum-Julii, qui a rege excæcatus est.*

Mortuo itaque Ferdulfo duce hoc modo, in ejus loco ordinatus est Corvulus, qui pauco tempore ducatum tenens, dum regem offendisset, evulsis oculis dedecorose vixit.

## CAPUT XXVI.

*De Pemmone Forojulianorum duce, et de nativitate trium filiorum ejus.*

Deinceps vero Pemmo ducatum promeruit, qui fuit homo ingeniosus, et utilis patriæ. Hic patre genitus [b] Billonense, qui de Belluno fuerat: sed propter seditionem quam illic fecerat, in Forum-Julii post veniens, ibi pacifice vixit. Hic Pemmo habuit conjugem Ratbergam nomine. Quæ cum esset facie rusticana, sæpe maritum deprecabatur, ut, se dimissa, aliam uxorem duceret, quam tanti ducis conjugem esse deceret. Sed ipse, ut erat vir sapiens, plus ejus mores, et humilitatem, verecundamque pudicitiam, quam corporis pulchritudinem, sibi complacere dicebat. De hac ergo conjuge tres Pemmo filios, hoc est, Ratchis, et Ratchait, et [c] Ahistulfum viros strenuos genuit. Quorum [d] nativitas humilitatem matris ad gloriam erexit. Qui dux, congregatis omnium nobilium qui in bello de quo diximus obierant filiis, sic eos cum suis natis pariter nutrivit, ac si et ipsi ab eo geniti fuissent.

## CAPUT XXVII.

*De Gisulfo Beneventanorum duce, quomodo Suram et alia castra invasit.*

Hac denique ætate, Gisulfus Beneventanorum [e] ductor, Suram Romanorum civitatem, [f] Hirpinos, atque [g] Arcem, pari modo oppida cepit. Qui Gisulfus tempore Joannis papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia et deprædationes faciens, multos captivorum cepit, et usque in locum qui Horrea dicitur castrametatus est, nullusque ei resistere potuit. Ad hunc pontifex missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, ipsumque ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit.

## CAPUT XXVIII.

*De donatione quam Aripertus Romanæ Ecclesiæ fecit et de duobus Anglorum regibus.*

Hoc tempore Aripertus rex Langobardorum, donationem patrimonii Alpium [h] Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant apostolicæ sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, et hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit. His etiam diebus, duo reges Saxonum, ad vestigia apostolorum Romam venientes, sub velocitate, ut optabant, defuncti sunt.

## CAPUT XXIX.

*De Benedicto Mediolanensi archiepiscopo.*

Tunc quoque venit Benedictus archiepiscopus Mediolanensis Romam, et causam egit pro Ecclesia Ticinensi. Sed victus est, eo quod a priscis temporibus [i] Ticinenses episcopi a Romana fuerant Ecclesia consecrati. Fuit autem isdem venerabilis Benedictus archiepiscopus, vir egregiæ sanctitatis, de quo per universam Italiam bonæ opinionis fama flagravit.

[a] Amb., *imprudentiam.*

[b] Al., *Billione, qui de Billione non fuerat, sed propter*, etc. Lind.

[c] Al., *Ahistolfum*; al., *Aistulfum.* Lind.

[d] Al., *quavitas.* Lind.

[e] Al., *dux Orsuram.* Lind.

[f] Al., *Hirpinum, atque Auxinium.* Lind.

[g] Restituit Baronius vitiatam horum nominum lectionem, ac pro Sura, Soram; pro Hirpinos, Arpinum; pro Arcem, Arcanum reponit: loca, ut ipse patria Soranus ait, parum inter se distantia, et adhuc notissima. De hac Gisulfi ducis deprædatione Anastasius, in Joanne VI: « Gisulfus dux gentis Langobardorum Beneventi, cum in omni sua virtute in Campaniam veniret, incendia et deprædationes multas exerceret, cumque captivos non paucos cepisset, et usque ad locum qui Horrea dicitur fossatum fecisset, nullusque exstitisset qui ei potuisset resistere, denominatus pontifex, missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, et illum cum suo stolo ad propria repedare fecit. » Acta hæc laudatus cardinalis anno 702 putavit, nec ego illius chronotaxim quoad hanc Gisulfi excursionem loco movere ausim ex continenti Anastasii narratione.

[h] Amb., *Cuttiarum.* Vide Anastas. in Joanne VII, Bedam, Adonem Viennensem, et Hermannum Contractum, a quo insignis hæc donatio cum anno 707 alligatur.

[i] Ms. Lind.: *Ticinensis episcopatus Romæ fuerat Ecclesia consecrata.* Antiquissimæ hujus controversiæ rationes, quibus Mediolanenses archiepiscopi metropolitanorum jura in Ticinenses episcopos exercere irrito conatu non semel sibi asseverarunt, clamantibus integram libertatem Ticinensibus, accuratissime collegit vir cl. Ludovicus Antonius Muratorius noster, in aurea sua dissertatione, quam appendicis nomine apposuit ad tom. I Anecdotorum: in eam penitiora veterum monumenta vir antiquitatum peritissimus, et publici boni amantissimus, collegit, quæ commentarii vires rependent ad hunc Pauli locum. Exstat etiam peculiaris alter libellus auctore P. Eustachio a sancto Ubaldo, utrumque consulat lector; nam propositus notarum modus tanta non patitur.

Digitized by Google

## CAPUT XXX.

*De morte Trasemundi Spoletani ducis, et ducatu filii ejus Faroaldi.*

Igitur defuncto [a] Trasemundo duce Spoletanorum, Faroaldus ejus filius in loco patris est subrogatus. Denique [b] Wachilapus germanus fuit Trasemundi, et cum fratre pariter eumdem rexit ducatum.

## CAPUT XXXI.

*De Justiniano imperatore, quomodo iterum regnum invasit, et suos rebelles occidit.*

At vero Justinianus qui amisso principatu in Ponto [c] exsulabat, auxilio [d] Terebelli Bulgarum regis regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant patricios occidit. [e] Leonem quoque et Tiberium, [f] qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio circo coram omni populo jugulari fecit. [g] Gallicinum vero patriarcham Constantinopolitanum, erutis oculis, Romam misit, Cyrumque abbatem, qui eum in Ponto exsulem aluerat, episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum papam ad se venire jubens, honorifice suscepit, ac [h] remisit. Quem prostratus in terram pro suis peccatis intercedere rogans, cunctas ejus Ecclesiæ privilegia [i] renovavit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum isdem venerabilis papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit [j].

## CAPUT XXXII.

*Quomodo Philippicus Justinianum peremit, et Augustale decus invasit.*

Exercitus qui missus contra Philippicum fuerat ad partem Philippici se contulit, eumque imperatorem fecit. Qui Constantinopolim contra Justinianum veniens, cum eo ab urbe milliario duodecimo pugnavit, vicit, et occidit, regnumque ejus adeptus est. Imperavit autem Justinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice [k] annos sex, quem Leo in expulsione illius naribus detruncavit. Qui post iterum assumpto imperio, quoties defluentem [l] guttam rheumatis manu

[a] Al., *Trasimuldo*. Lind.

[b] Mod., *Vulchilla*. Al., *cum quo Wolchila ejus frater eumdem rexit ducatum*. Lind.

[c] *Exsulaverat*. Mod.

[d] Al., *Trebellii*. Lind.

[e] Al., *Leontium*. Lind.

[f] Leontium nempe qui Justinianum, Tiberium qui Leontium imperio exturbaverant: cum his Heraclius Tiberii frater, aliique plures ex primoribus urbis. Vide Cedrenum, Zonaram, Theophanem, aliosque Græcos scriptores, ex Latinis Anastasium, in Joanne VII, Histor. Miscell. lib. XX, ubi hæc leguntur: « Anno 7 imperii Absimari, etc., Justinianus cum ad regiam urbem una cum Trebelli venisset, cum subjectis Bulgaris castrametatus est ad portam Carsii, et usque ad Blacernas, et per tres dies alloquens eos qui erant de civitate, conviciis dehonestabatur ab illis, qui eorum nec saltem verbum admittebant. At vero Justinianus cum paucis contribulibus bello excepto, per aquæductum ingressus, et tumultum excitans, fodiendo urbem obtinuit, et post paululum tabernaculum in palatio Blacernarum tetendit. Igitur imperii sui primo anno, id est, quo imperium suum Justinianus recepit, multa dona Trebelli tribuens, simul et regalia vasa, dimisit eum in pace. Cæterum Absimarus urbem Apolloniadem fugiens adiit; insecutionem tamen perpessus apprehenditur, et ad Justinianum deducitur. Porro Heraclius vinctus a Thrace adductus est cum omnibus qui ei opitulabantur, quos in muro omnes suspendio interfecit. Cum autem ad Mediterranea destinasset, multos ex eis inventos, tam actores quam privatos, similiter interemit. Porro Absimarum atque Leontium vinctos catenis per totam urbem pompis fecit dehonestari. Cumque ludi equestres agerentur, ipseque in solio resideret, ducti sunt publice tracti, et projecti proni ad pedes ejus: quorum ille colla usque ad solutionem primi bravii calcavit, universa plebe acclamante: « Super aspidem « et basiliscum ambulasti, et conculcasti leonem, et « draconem. » Et ita hos destinatos in vivario animantium capitis animadversione punivit, etc. »

[g] Al., *Callinicum*, et sic infra. Lind.

[h] Τὸ *remisit* non leg. in Mod. Tempus migrationis Constantini pontificis ad urbem C. P. ex Anastasio discimus. Scribit ille in Vita ejusdem: « Hisdem temporibus, misit suprafatus imp. ad Constantinum pontif. sacram, per quam jussit eum ad regiam ascendere urbem. Qui sanctiss. vir, jussis imperialibus obtemperans, illico navigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur marinum, et egressus est a portu Romano die 5 mensis Octobris, indictione 9, etc., » quæ exeunte anno 710 currere incœperat.

[i] Mod., *condonavit*. Anastasio, ubi hæc item leguntur, *renovavit*.

[j] Motus est Justinianus in Chersonenses, quod sibi exsulanti paravissent insidias, et ut sævissimi erat animi, expedita contra illos classe, præceperat ut universi gladio trucidarentur, quod nemine resistente factum est, solis infantibus ad captivitatem servatis. Classis in reditu prope Byzantium tempestate fracta: inde ab imperatore in primores miseræ gentis et innoxios infantes crudelissime sævitum est, ut Theophanes, Cedrenus, aliique Græci narrant scriptores. His minime contentus, altero anno classem iterum paravit, ut omnia Chersonensium ædificia solo æquaret, et aratro proscinderet. Metu perculsi, qui a cæde supererant Chersonenses, Chajani Gazarorum principis auxilio freti, ab imp. manifesto rebellarunt, et cum iis Elias Spatharius, atque Bardanes genere Pergamæus, filius Nicephori, qui, mutato nomine, Philippicus appellatus, imperium arripuit. Hunc Justinianus cæsum, et tonsum, atque ferreis vinculis alligatum, in Cephaleniam insulam relegaverat, quod ex pseudo-monachi vaticinio imprudenter sibi summam rerum potestatem pollicitus fuerat, mox utrumque revocatum classi præfecerat. At accedentibus iis ad Chersonenses, Justinianus, audita rebellione, primum in Eliæ familiam iram explevit, inde classem ad capiendum Bardanem direxit; sed cum in militum manus venire non potuisset, ii, vel metuentes re infecta ad imp. redire, vel, ut in Agathonis diaconi peroratione legitur, fanatico quodam tumultu insanientes, Philippicum acclamantes, contra Justinianum eamdem classem imperante Philippico moverunt. Acta hæc dum Constantinus in urbe regia moraretur facile ab universo scriptorum consensu elicimus, eumque mitiora consilia suggessisse auctor est noster, unde supplendus Anastasius in Vita ejusdem pontificis.

[k] Modoet., *annos septem*; sed servanda Editorum lectio, etsi Baronius octo etiam annos Justiniano post recuperatum imperium assignet; nam error evincitur ex Anastasio, qui postquam Constantini pontificis reditum in urbem secutum fuisse scribat die 24 mensis Octobris, ind. 10, sequitur: « Post menses tres lugubre nuntium insonuit quod Justinianus Christianissimus imp. et orthodoxus imp. trucidatus est; », unde anno 711 nondum completo, indictione 10, a Septembri ejusdem inchoata, Justinianus e vivis sublatus est, cumque anno 705 restitutus fuerit, ut supra notavi, sex tantum annos iterum imperavit.

[l] Al., *guttam emanantem manu detersit*. Lind. et Mod.

Digitized by Google

detersit, pene toties aliquem ex iis qui contra eum fuerant jugulari præcepit [a].

## CAPUT XXXIII.

*De obitu Petri archilæ, et sacerdotio Sereni.*

Mortuo denique his diebus patriarcha Petro, Aquileiensis regimen Ecclesiæ suscepit Serenus, qui fuit vir simplicitate præditus, et ad Christi servitium pronus [b].

## CAPUT XXXIV.

*Quomodo Philippicum Anastasius superavit.*

At vero Philippicus, qui et Bardanis dictus est, postquam in imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo diximus, de pontificatu ejectum, ad gubernandum monasterium suum, [c] Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino papæ litteras pravi dogmatis direxit, quas ille cum apostolicæ sedis [d] consilio respuit. Et hujus rei causa fecit picturas in portico sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum synodorum universalium retinent. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, Philippicus [e] jusserat auferri, statuitque populus Romanus, ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi, susciperent. Unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, [f] nec nomen ad missarum solemnia prolatum. Hic cum [g] annum unum et sex menses regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui et Artemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius litteras Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium et exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei et sancti sexti concilii prædicatorem esse declaravit [h].

## CAPUT XXXV.

*Quomodo Ansprandus, auxiliante sibi Theudeberto, cum Bojoariis Aripertum superavit, et de morte Ariperti in flumine; et de fuga germani ejus Cuniberti, et regno Ansprandi, et Luitprandi filii ejus.*

Igitur postquam Ansprandus apud [i] Bojoariam jam novem expletis annis exsulasset, promoto tandem Theudeberto decimo anno Bojoariorum, ductor exercitu venit Italiam, pugnavit cum Ariperto, et facta est ex utraque parte multa strages populorum. Sed quamvis ad extremum nox prælium diremisset, certum tamen est Bojoarios terga præbuisse, et Ariperti exercitum victorem ad castra remeasse. Sed dum Aripertus in castris manere noluisset, sed potius Ticinum civitatem introisset, et suis hoc facto desperationem, et adversariis audaciam, præbuit. Qui postquam in civitatem ingressus est, et sensisset quia pro hoc facto suum exercitum offensum haberet, mox [j] arrepto consilio ut in Franciam fugeret, quantum sibi utile duxit, e palatio aurum sustulit. Qui dum trans fluvium Ticinum gravatus auro natare voluisset, ibi corruens suffocatus aquis exstinctus est. Cujus in crastinum diem corpus inventum, in palatio [k] ornatum, ac deinde ad basilicam Domini Salvatoris, quam antiquitus Aripertus construxerat, perlatum, [l] ibique sepultum est. Hic in

[a] Addit Theophanes sævissimum imp. quoties a prandio vel cœna surgeret, aliquem morti tradidisse, ita ut catholicæ religionis laudem innumeris cædibus deturpaverit.

[b] Ex hoc Pauli capite emendanda in Ughello Aquileiensium patriarcharum chronologia; ibi enim Petrus ante annum 694 non producitur, et hic manifesto noster asserit eumdem anno 711 e vivis excessisse; unde ante hunc omnino reposuerim Agathonem, et male tributam schismatici notam a Petro deleverim; etenim si Sergio Rom. pontif. sedente schisma cessavit, ut inter historicos convenit, quomodo Petrus, qui sub Constantino Sergii, post utrumque Joannem VI et VII ac Sisinnium, successore sedebat, in schismate perseverasse dicitur? multoque minus laus hæc Sereno tribuenda, quam alter ante ipsum, et fortasse hic Petrus, si revera sedere cœpit anno 670 abjurato errore sibi comparaverat. Neque Serenus synodo interfuit quæ Aquileiæ celebrata est (si tamen satis id constare credatur, ut supra notavi), cum « salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa (Aquileiensis) cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit. » Sereno quidem conveniunt quæ refert idem Ughellus de pallio a sancto Gregorio II eidem, rogante Liutprando rege, transmisso, et hortatoria epistola ne jura Gradensis Ecclesiæ invadere tentaret. De hac vide quæ notavit doctiss. Lucentius ad eumdem Ughellum.

[c] Al. deest τὸ *Pontum*. Lind. In Beda, lib. VI de Ætat. mundi, legitur, atque inde fortassis hæc noster exscripsit, Cyro ejecto, « Joannem quemdam improbitatis et pravæ opinionis consortem in locum ejus promovit, » scribit Theophanes, in Chronico. Philippicus enim, Stephani abbatis discipulus, qui fuerat Macarii, vix ad imp. elevatus, sextæ synodo contrariam hæresim professus, ita insanire cœpit, ut « ejusdem VI synodi imaginem ab annis jam aliquot prope, ac inter quartam sextamque scholam, in imperialis palatii vestibulo expositam dejici jusserit, alioquin, inquiens, non sustinens ingredi in regiam non suam, etc., » ut legitur in peroratione Agathonis diaconi a Combefisio vulgata, unde lucem accipiunt quæ infra narrantur de synodis in portico sancti Petri a Constantino depictis.

[d] Amb., *concilio*.

[e] Al.: *Jusserat deleri et sanctorum statuas, et imagines ex omnibus templis erudi, jussitque ut de Homousio Romanus clerus Constantinopolitanæ Ecclesiæ consentiret. Quapropter statuunt cum papa populus Romanus.* Lind. At nihil de prima lectione mutandum, ut ab imperito quodam in ista factum puto, repugnantibus Mss. nostris, et notissimæ historiæ chronotaxi.

[f] Hæc item Beda, loco citato. Anastasius, in Constantino, addit ex hoc Romanorum decreto civile bellum exortum fuisse, recusantibus plerisque Petrum ducem ab imperatore datum recipere, sed illico pontificis opera sedatum, paulo post, nuntiata morte Philippici, penitus exstinctum.

[g] Theophanes, et Zonaras, aliique, a Paulo nostro dissentiunt, et Philippico annos duos imperii tribuunt, sed jam ante notaverant viri doctissimi ex aliis etiam historicis monumentis a Paulo minime recedendum. Baronius exhibuit apertissimos characteres in Actis publicis de miraculo sanatæ puellæ arreptitiæ imagine sancti Anastasii. Pagius addit et aliud testimonium ex citata peroratione Agathonis diaconi, qua Philippicum ipso sancto Pentecostes Sabbato, 11 indictionis (anno 713) comprehensum, excæcatumque cognoscimus, atque inde ad illius initium retrocedendo vera quæ Paulus asserit comperiemus.

[h] Vide Anastas., in Constantino.

[i] Amb., *Bojoariam*, semper.

[j] Amb., *accepto*.

[k] Al., *ordinatum*, et ita Mod. Al., *in palatium perlatum*. Lind.

[l] Anno 712 Aripertum e vivis sublatum fuisse, mani este probant ratio temporis quo regnum tenuit, et initium Liutprandi regis; is enim eodem

Digitized by Google

diebus quibus regnum tenuit noctu egrediens, et hac illacque pergens, quid de eo a singulis civitatibus diceretur per semetipsum explorabat, ac diligenter qualem justitiam singuli judices populo suo facerent investigabat. Hic advenientibus ad se exterarum gentium legatis, vilibus coram eis vestibus, sive pelliciis, utebatur, atque minus Italiæ insidiarentur, nunquam eis [a] pretiosa vina, vel cæterarum rerum delicias ministrabat. Regnavit autem cum patre [b] Ragumberto, sive solus, usque ad annum duodecimum. Fuit quoque vir pius, eleemosynis deditus, ac justitiæ amator. In cujus temporibus, terræ ubertas nimia, sed tempora barbarica. Hujus germanus [c] Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens, ibidem usque ad suæ mortis diem permansit. Huic fuerunt filii tres, quorum qui major natu exstitit, Raginbertus nomine, nostris in diebus Aurelianensem civitatem rexit. Post cujus Ariperti funus, [d] Anspraudus, Langobardorum regno potitus, tres menses solummodo regnavit : vir per omnia egregius, et cujus sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Langobardi hujus interitum, [e] Liutprandum ejus filium in regali constituunt solio. Quod Ansprandus dum adhuc viveret audiens, valde lætatus est.

## CAPUT XXXVI.

*Quomodo Theodosius Anastasium superavit, et regnum invasit, et de inundatione Tiberis.*

Hoc tempore Anastasius imperator classem in Alexandriam contra Saracenos direxit. Cujus exercitus ad [f] aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam urbem regressus, Theodosium orthodoxum inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in solio imperii confirmavit. Qui Theodosius apud [g] Aream civitatem Anastasium gravi prælio vicit; datoque sibi sacramento, eum clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipse vero ut regnum accepit, mox in regia urbe imaginem illam venerabilem [h] in qua sancta synodus erat depicta, et a Philippico fuerat dejecta, pristinum in locum erexit. His diebus Tiberis fluvius ita inundavit, ut, alveum suum egressus, multa Romanæ fecerit exitia civitati, ita ut in via [i] Lata ad unam et semis staturam excresceret, atque a porta sancti Petri usque ad pontem [j] Milvium aquæ se distendentes conjungerent.

## CAPUT XXXVII.

*De gente Anglorum, et rege Francorum Pippino, et bellis ejus, et quia ei Karolus suus filius successit.*

His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et feminæ, [k] duces et primates, divini amoris [l] instinctu Romam venire consueverunt. Apud regnum Francorum tunc temporis [m] Pippinus

anno quo Aripertus excessit regnare cœpit, ut Paulus aliique scribunt, etsi Sigebertus id referat ad annum 710, Paulo in reliquis consentiens. « Anspranđus, ait ille, cum Bajoariis Italiam repetit; cum Ariperto confligit, eoque fugiente, et in fluvium demerso, regnum Langobardorum recipit; Ansprando post tres menses mortuo, Liutprandus filius ejus regnat annis XXXII. » Baronius hoc loco Paulum hallucinatum scribit, et Aripertum non annos XII, sed tantum VIII, regnasse. Verum cardinalis doctiss. initium Ariperti loco suo moverat, atque inde regnum ipsius decurtaverat. Liutprandi vero initium ab hoc anno demonstrant characteres in charta relata a Margarino, tomo II Bullarii Cassinensis, quæ data dicitur « anno regni ejus nono decimo, die Kalendarum Decembrium, indictione 12, » qua annus 731 a Kal. Septembris notatur. Ego addo et aliam donationis factæ a Senatore filio Albini et Theodolinda ejus uxore monasterio monialium intra urbem Ticinensem erecto, in propria donantium domo, quam integram dabimus, Deo annuente, in Collectione diplomatum. In ea legitur : « Regnante Domino nostro Liutprando, viro excellentissimo rege, anno in Dei nomine tertio, V Kalendarum Decembrium, indictione tertia decima. » Cumque indictione tertiadecima annus 715 notetur, primus regni Liutprandi 712 in hac pariter indicatur. Similes chronologicæ notæ in diplomate Liutprandi apud Ughellum, tom. I, p. 411.

[a] Mod., *pretiosam cœnam*.

[b] Al., *Ragimberto*, et ita in Amb. Al., *Godiberto*, *seu Tangiberto*, *quem solus*, etc. Lind.

[c] Mod., *Gunipertus*.

[d] Al., *Lansprandus*, et sic infra. Lind.

[e] Ansprando adhuc vivo, Liutprandus ejus filius in regno successor datus est a Langobardis, dum imminentem illius obitum cognoscerent, postremum hoc officii genus in optimum regem persolventibus. Ticini sepultus est Ansprandus in sacello divi Adriani martyris, quod ipse construxisse fertur. Tumulo hæc epigraphes inscripta :

> Ansprandus honestus moribus, prudentia pollens,
> Sapiens, modestus, patiens, sermone facundus.
> Astantibus qui dulcia favi mellis ad instar
> Singulis promebat de pectore verba,
> Cujus ad æthereum spiritus dum pergeret axem,
> Post quinos undecies vitæ suæ circiter annos,
> Apicem reliquit regni præstantissimo nato
> Lynthprando inclyto et gubernacula gentis.
> Datum Papiæ, die Iduum Junii, indictione decima.

Atque hinc etiam firmatur regni Liutprandi epocha citatis characteribus conveniens, imo et prologo ejus edicti in legibus Langobardorum, ut notavit eminentissimus Baronius.

[f] Al. : *Aliud adversis eum cupiens consilium ab itinere medio*, etc. Lind. Amb., *ad alium veniens consilium*, etc.

[g] Amb. et Mod., *Nicæam* ; ita quoque Lind., eaque lectio emendatior; constat enim ex Græcis Latinisque scriptoribus Anastasium in urbem Nicæam confugisse, ibique frustra se contra Theodosium munivisse, ut Theophanes anno Incarn. secundum Alexandrinos 707 narrat, Nicephorus, Cedrenus, Historia Miscella, et Anastasius in Gregorio II. De anno quo Theodosius imperator est dictus vix adhuc liquet : Pagii mihi arridet sententia hæc omnia, scilicet Tiberis inundationem, et initium Theodosii, uno tempore a Paulo alligata, invictis rationibus ad annum 716 referentis.

[h] Amb. : *In qua sanctæ synodus erant depictæ, et a Philippico fuerunt dejectæ*. Anastas., loco citato : *In qua sanctæ erant sex synodi depictæ*, etc.

[i] Amb., *Lateranensi*, sed servanda prima lectio, ut peritus quisque regionum urbis noverit.

[j] Amb., *Molvium*.

[k] Amb., *duces, et privati*, et ita in aliis. Lind.

[l] A. et M., *instinctu de Britannia Romam*, etc. Et ita Lind.

[m] Notavit Pagius Pippinum hunc Heristallum post pugnam Textricianam principatum totius Franciæ occupasse, ac majorem domus trium regnorum fuisse, atque inde, ab anno scilicet 687, originem potentiæ Pippini deduxit ad annum usque 714, quo non diu post occisum Grimoaldum filium e vivis excessit.

Digitized by Google

obtinebat principatum. Fuit autem vir miræ audaciæ, qui hostes suos aggrediendo statim conterebat. [a] Nam supra suum quemdam adversarium Rhenum transgressus, cum uno tantum satellite suo irruit, eumque in suo cubiculo residentem cum suis trucidavit. Bella quoque multa cum Saxonibus, et maxime cum [b] Rathodo Frisionum rege, fortiter gessit. Hic et [c] alios filios habuit, sed ex his Carolus præcipuus exstitit, qui ei post in principatu successit.

## CAPUT XXXVIII.

*Quomodo Liutprandus rex Rotharit suum rebellem occidit, et de audacia ejusdem regis.*

At vero Liutprandus rex cum in regno confirmatus esset, eum Rotharit ejus consanguineus perimere voluit. Is enim convivium ei in domo sua apud Ticinum præparavit, in qua domo viros fortissimos, qui regem convivantem exstinguerent, armatos abscondit. Quod cum Liutprando nuntiatum fuisset, eum ad palatium suum evocari præcepit; quem, sicut ei dictum fuerat, loricam sub veste indutum ipse manu pertractans reperit. Qui Rotharit cum se detectum cognovisset, statim post se exsiliens spatam evaginavit, ut regem percuteret. E contra rex suum ensem vagina exemit. Tunc unus e regiis satellitibus, nomine Subo, Rotharit a tergo comprehendens, ab eo in fronte vulneratus est. Super quem Rotharit et alii insilientes eum ibidem occiderunt. Quatuor vero ejus filii qui non aderant, ubi inventi ibi perempti sunt. Fuit autem rex Liutprandus, vir multæ audaciæ, ita ut cum eum duo armigeri ejus occidere cogitarent, et hoc ei perlatum fuisset, in profundissimam silvam cum eis solus [d] egressus est, mox evaginatum gladium contra eos tenens, eisdem quia eum occidere cogitaverunt improperavit. Quod ut facere deberent hortatus est. Qui statim ejus pedibus provoluti, ei sunt cuncta quæ machinati erant professi. Et de aliis quoque similiter fecit. Sed tamen confessis mox tantæ malitiæ culpam pepercit.

## CAPUT XXXIX.

*De morte Gisulfi ducis Beneventani, et ducatu filii ejus Romouldi.*

Defuncto itaque Gisulfo Beneventanorum duce, Samnitum [e] populus Romoaldum ejus filium ad regendum se sublimavit.

## CAPUT XL.

*Quomodo beatus Petronax monasterium sancti Patris Benedicti apud Cassinum reparavit, et de monasterio sancti Vincentii.*

Circa hæc tempora [f] Petronax civis Brexianæ urbis, divino amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc [g] Gregorii apostolicæ sedis papæ, Cassinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus beati Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus [h] simplicibus viris, jam ante residentibus, habitare cœpit, [i] qui eumdem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerunt. Hic non post multum tempus, cooperante misericordia, et suffragantibus meritis beati Benedicti patris, jamque evolutis fere [j] centum et decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat, multorum ibi monachorum, nobilium et mediocrium, ad se concurrentium, Pater effectus, sub sancto regulæ jugo, et beati Benedicti institutione, reparatis habitaculis, vivere cœpit, atque hoc sanctum cœnobium in statum quo nunc cernitur erexit. Huic venerabili viro Petronaci in sequenti tempore sacerdotum præcipuus, et Deo dilectus pon-

[a] Mod. : *Per Ilinum fluvium, qui juxta Danubium fluit transgressus*, etc., et ita leg. al. Lind.

[b] Amb., *Ratpodo*. Lind. Al., *Ruboto*.

Annalista Mettensis eum vocat Radbodum, Beda Radbedum. Victus is a Pippino anno circiter 590, filiam suam nomine Theudsindam Grimoaldo, Pippini filio, in matrimonium dedit.

[c] Pippino filii fuere Drogo et Grimoaldus ex Plectrude, Carolus et Childebrandus ex Alpaide. Carolus cognomento Martellus post patrem summa rerum potitus est, præmortuis jam ante Drogone ac Grimoaldo.

[d] Amb., *ingressus est*.

[e] Amb. et Mod., *populum Romoaldus ejus filius regendum suscepit*. Lind. Al. leg. *suscepit*, pro *sublimavit*. Revocanda in hunc locum sunt quæ Paulus de Gisulfo I scripsit, cap. 2 hujus libri, annos ducatus ejus enumerans, qui, si post Grimoaldi triennium initium habuerunt, ab anno 690 sunt deducendi usque ad 707, ita ut Liutprandum regem Gisulfus non viderit. Turbat ordo historiæ Pauli, in qua cum rebus a Liutprando gestis obitus Gisulfi alligatur, sed pluries id in ejus historia quisquis notaverit.

[f] Al., *Petronas*. Lind.

[g] Leo Ostiensis, in sui Chronici lib. I, cap. 4, Gregorium hunc tertium designat; sed, ut supra, lib. IV, cap. 18, num. 62, notavi, pro tertio secundus est reponendus, argumento Vitæ sancti Willibaldi Eistetensis episcopi, quam primus ad hanc rem adduxit Camillus Peregrinius in sua serie abbatum Cassinensium : eidem subscripserunt Bollandus in sancto Gregorio II, Angelus a Nuce in suo Excursu chronologico ad Leonem Ostiens., n. 481 et seqq., Mabillon. in An., Bacchinius in dissert. de ætate Petri Senioris, aliique. Petrus Diaconus ad Zachariæ pontificis tempora Petronacis in Cassinum adventum refert; sed noster huic manifeste repugnat. Ad Peregrinii argumentum addit Mabillonius, et cultum Cassinatium in sanctum Gregorium II, non vero III, et rationem temporis, XXXII nempe annorum, quibus Petronax instaurato Cassinensi monasterio præfuit, eaque retrocedendo a tempore Optati Petronacis successoris an. 752 a Stephano II ad Aistulfum regem Langobardorum legati, circa 720 venit, quo in pontificatu sedebat sanctus Gregorius hujus nominis II.

[h] Simplicium virorum appellatione eremitas interpretatur Nuceus ad hæc verba, quæ in suum Chronicon., lib. I, cap. 4, pene ad verbum transcripsit Leo, hoc unum addens, Petronaci socios a Gregorio datos « aliquantos de Lateranensi congregatione fratres, » eam scilicet quæ, fugatis e Cassino monachis, sancti Pelagii papæ II et Tiberii Mauricii imp. concessione juxta Lateranum coaluerat.

[i] *Atque ab eisdem fratribus in Abbatem prælatus*, scribit Leo, cit. cap.

[j] Numerum CX annorum legit Nuceus etiam in ms. Codice Leonis Ostiensis lit. B. Breviorem etiam numerum notarunt Adrevaldus Floriacensis, de mir. sancti B., lib. I, cap. 113, et Ab. Uspergensis in Chronico. Leonis Codex alter signatus A., et Editio Veneta, ipsaque Parisiensis Nucei habet CXXX, Regestrum Petri ab ipso citatum CXX, at in omnibus cum Mabillonio reponendi ad minimum CXXXV. Bacchinius, loco cit., Paulum parachronismi excusare tentat, sed et ipse sibi parum fidens in aliorum venit sententiam.



Digitized by Google

tifex Zacharias plura adjutoria contulit, libros [a] scilicet sanctæ Scripturæ, et alia quoque quæ ad utilitatem monasterii pertinent; insuper et [b] regulam, quam beatus Pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit. Monasterium vero beati Vincentii martyris, quod juxta Vulturni Fluminis fontem situm est, et nunc magna congregatione refulget, a tribus nobilibus fratribus, hoc est, Tato, [c] Taso, et Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti ejusdem monasterii abbatis, [d] in volumine quod de hac re composuit, scripta significant. Superstite sane adhuc beato papa Gregorio Romanæ sedis, Cumanum castrum a Langobardis Beneventanis pervasum est; sed a duce Neapolitano noctu superveniente quidam ex Langobardis capti, quidam perempti sunt; castrum quoque ipsum a Romanis est receptum. Pro cujus castri redemptione pontifex septuaginta libras auri, sicut primitus promiserat, dedit [e].

## CAPUT XLI.

*Quomodo defuncto imperatore Theodosio, Leo ei successit in regno.*

Inter hæc [f] defuncto imperatore Theodosio, qui A uno solummodo imperium rexerat anno, ejus in locum Leo Augustus subrogatur.

## CAPUT XLII.

*Quomodo Carolus Francorum princeps Reginfridum superavit.*

Apud Francorum quoque gentem Pippino vita exempto, ejus filius [g] Carolus, de quo præmiseramus, licet per multa bella, et certamina, de manu [h] Reginfridi principatum sustulit. Nam cum in custodia teneretur, [i] divino nutu ereptus aufugit, ac primum contra Reginfridum [j] cum paucis bis terque certamen iniit, novissimeque eum apud [k] Vinciacum magno certamine superavit. [l] Cui tamen unam, hoc est, Andegavensem civitatem ad habitandum concessit. B Cunctam vero Francorum gentem, ipse gubernandam suscepit [m].

## CAPUT XLIII.

*Quomodo Liutprandus rex donationem Ecclesiæ confirmavit, et quomodo filiam Theudeberti in conjugium accepit.*

[n] Eo tempore Liutprandus rex, donationem patrimonii Alpium Cottiarum Romanæ Ecclesiæ confir-

[a] Amb., *etiam*.

[b] Sacrum hunc regulæ Codicem anno 896 incendio crematum fuisse cum Teanensi monasterio, auctor est Leo, lib. I, cap 48. Nuceus tamen postremum libri caput ab igne servatum in suo Cassinensi monasterio gratulabatur n. 497.

[c] Nomina *Tato, Taso, et Paldo*, non leguntur in Amb.; Modoetiensis habet *Tassone, Catone, et Tato*; Lind. *Rhasone*, etc., ut in Mod.; sed nihil variandum ab Editorum lectione; constat enim illustres hosce fratres generis nobilitate ac morum splendore ita C fuisse appellatos. « Hi ex nobili genere orti, et jure consanguinitatis propinqui erant, ut pote ex duobus fratribus. Paldo quidem ex uno, Taso vero et Tato ex altero procreati, » ut narrat sanctus Autpertus abbas, in Vita sancti Paldonis. Relicta Beneventana urbe paternisque opibus, ad sanctum Thomam Farfensis monasterii instauratorem confugerunt, eoque monente ad Vulturni fluminis ripam monasterium sancti Vincentii non sine miraculo construxerunt. In eo sanctus Paldo primus abbas, qui susceperat sacri cœnobii regimen an. ab Incarnat. Domin. 707, sub sancto papa Sisinnio, secundus Taso, postremus Tato. De iis plura in citata Vita apud Ughellum, Bolland. et Mabillon.

[d] Memoratam sancti Paldonis Vitam a sancto Autperto abbate ejusdem monasterii sancti Vincentii scriptam innuit Paulus : eam publici juris fecit Ferdinandus Ughellus, tom. VI Italiæ sacræ. Cæterum D de insigni monasterio sancti Vincentii hæc Nuceus ad Leonem Ostiensem, num. 495 : « Distat hoc monasterium a Cassinensi duodecim plus minus passuum millibus; crevitque ad amplissimam opulentiam et sanctitatem. Nunc undique solitudinem spirat, et horrorem, omni monachorum cultu destitutum, abbati tantum, ut vocant, commendatario commissum, etc. »

[e] Vide Anastasium, in sancto Gregorio II, et Baronium, ad an. Christi 715.

[f] Minime vero *defuncto Theodosio*. Regnavit is quidem anno uno, ut noster habet; sed vivens, lubensque sese imperio abdicavit. Θεοδόσιος δὲ σὺν τῷ υἱῷ αὐτοῦ κληρικοὶ γεγονότες τὸν ὑπόλοιπον χρόνον τῆς ζωῆς αὐτῶν ἐν εἰρήνῃ διῆξαν, « Theodosius autem cum filio ejus clericorum albo ascripti reliquum vitæ in pace transegere, » inquit Theophanes. Occasionem repetit Nicephorus a corrupto reipublicæ statu, quo impune bellis undique lacessebatur, irruentibus in regiam urbem terra marique Saracenis. « Quibus rebus cognitis, tam militiæ præfecti, quam civiles magistratus, cum Theodosii imperitiam animadverterent, neque tantis hostium viribus sustinendis parem esse scirent, instare atque hortari cœperunt, ut imperio sese abdicaret, ac tuto se in ordinem cogi pateretur. Nec conditionem abnuit ille, sed anno imperii vertente sponte se abdicavit, etc. »

C [g] Cognomento Martellus, Pippini Heristalli filius.

[h] Al., *Raginfridi*, et sic infra. Lind.

[i] Continuator Fredegarii, cap. 104 : « His diebus Carolus dux a præfata femina Plichtrude sub custodia detentus, Dei auxilio liberatus est. » Ea Pippino cum Alpaide Caroli Martelli matre uno tempore duplicique conjugio uxor, Theudoaldum ex Grimoaldo filio nepotem, majorem domus, Austrasiorum auxilio et auctoritate sua tuebatur, Carolo infensa. Theudoaldo, paulo post pugnam silvæ Cottiæ mortuo, Ragenfridus apud Neustrasios major domus constitutus est, eaque belli causa cum Carolo.

[j] Primo prælio inter Carolum et Ragenfridum pugnatum est in loco qui dicitur Amblava a flumine Amblava, vulgo *Ambles*, anno 716. Secundo in « loco nuncupato Vinciaco in pago Cameracensi, » anno sequenti, XII Kal. April. Continuator Fredegarii, cap. 106. Postremo in pago Suessionensi, anno 719 Cit. auctor, cap. 107.

D [k] Al., *Provinciam*. Lind. et Mod. *Vincentiacum*. Amb.

[l] Verba, *Cui tamen unam, hoc est, Andegavensem civitatem, ad habitandum concessit*, al. desunt. Lind.

[m] Pagius in Critica chronolog. Baron. anno 719 : Paulus « recte quidem scribit Carolum tribus præliis de manu Raginfredi principatum Francorum sustulisse, sed perperam ait : *Novissime eum apud Vinciacum*, etc. Pugna enim Vinciacensis secunda fuit, non tertia. Præterea Carolus nonnisi anno 724 civitatem Andegavensem Raginfredo concessit. » Id ex Annalista Mettensi, aliisque Francicarum rerum scriptoribus firmissime probat, etc.

[n] Anastas., in sancto Gregorio II : « Eo tempore Liutprandus rex donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione, reddit, confirmavit. » Post hæc de lunari eclipsi, et

Digitized by Google

mavit. Nec multum post idem regnator Guntrudam [a] filiam Bojoariorum ducis, apud quem exsularat, in matrimonium duxit, de qua unam solummodo filiam genuit.

## CAPUT XLIV.

*Quomodo Faroaldus classem invasit, et quia Theudo Bojoariorum dux ad apostolorum limina Romam venit.*

Per hæc tempora Faroaldus Spoletanorum ductor [b] classem [c] Ravennatium civitatem invasit; sed jussu regis Liutprandi, eadem Romanis reddita est. Contra hunc [d] Faroaldum ducem, filius suus Trasemundus insurrexit, eumque clericum faciens, locum ejus invasit. His diebus Theudo Bojoariorum gentis dux, orationis gratia, Romam ad beatorum apostolorum [e] vestigia [f] venit.

## CAPUT XLV.

*Quod defuncto Sereno patriarcha, Calistus regimen Ecclesiæ suscepit; et de bello Pemmonis adversus Slavos.*

Apud Forum-Julii igitur, sublato e rebus humanis patriarcha Sereno, Calistus vir egregius, qui erat Tarvisianæ Ecclesiæ archidiaconus, annitente Liutprando principe, Aquileiensem Ecclesiam regendam [g] suscepit. Quo, ut diximus, in tempore, Pemmo Forojulianis præerat [h] Langobardis. Is cum jam nobilium, quos cum suis nati nutrierat, filios ad juvenilem perduxisset ætatem, repente ei nuntius venit, immensam Slavorum multitudinem, in locum qui [i] Lauriana dicitur adventasse. Cum quibus ille juvenibus super eosdem Sclavos tertio irruens, magna eos clade prostravit, nec amplius ibi aliquis a parte Langobardorum cecidit, quam [j] Sigualdus, qui erat jam ætate grandævus. Iste namque in superiori pugna, quæ sub Ferdulfo facta est, duos filios amiserat. Qui cum prima et secunda vice, juxta voluntatem suam, se de Sclavis ultus esset, tertia vice, prohibente duce, et aliis Langobardis, non potuit inhiberi, sed ita eis respondit: Jam satis, inquit, meorum filiorum mortem vindicavi, etiam si advenerit, lætus suscipiam mortem. Factumque est; et ipse solus in eadem pugna peremptus est. Pemmo vero cum multos inimicorum prostravisset, metuens ne aliquem suorum amplius in bello perderet, cum eisdem Sclavis in eodem loco pacis concordiam iniit, atque ex illo jam tempore magis ac magis cœperunt Sclavi Forojulianorum arma formidare.

## CAPUT XLVI.

*De adventu Saracenorum in Hispaniam, et quomodo eos Carolus et Eudo in Gallia superaverunt.*

Eo tempore gens Saracenorum in loco qui [k] Septem dicitur ex Africa transfretantes, universam Hispaniam invaserunt. Deinde post decem annos cum uxoribus et parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ provinciam, quasi [l] habitaturi, ingressi sunt. Carolus siquidem cum Eudone Aquitaniæ principe tunc discordiam habebat. Qui tamen in unum se conjungentes, contra eosdem Saracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos, trecenta septuaginta quinque millia Saracenorum interemerunt. Ex Francorum vero parte, mille et quingenti tantum ibi ceciderunt. Eudo quoque cum suis super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia devastavit [m].

## CAPUT XLVII.

*Quomodo Saraceni Constantinopolim obsederunt, et a Bulgaribus devicti sunt.*

Hoc etiam tempore eadem Saracenorum gens cum immenso exercitu veniens, Constantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obsedit, donec multa instantia ad Deum clamantibus civibus, plurimi eorum fame et frigore, bello et pestilentia, perirent,

adventu Theudonis Bajoariorum regis, de quo cap. sequenti; quamobrem ante 716, eodem auctore, donatio hæc est retrahenda.

[a] Al., *filiam Thodeberti*. Lind. Amb., *filiam Theutperti*. Mod., *Theoperti*.

[b] Al., *classe*. Lind.

[c] Non semel tentatam Langobardorum armis Ravennam sub rege Liutprando facile arguimus ex subsequenti cap. 49, et Anastasio, cui nulla de Faroaldi invasione mentio; sed tam nostro, quam Anastasio, concinniori quam par erat stylo, hæc tradentibus, integram rerum seriem reddere mihi quidem impossibile.

[d] Faroaldi hujus ducis tempore farfense monasterium a Langobardis antea dirutum opera sancti Thomæ Mauriennæ presbyteri iterum instauratum fuit, atque in historia DCCCC monachorum a Saracenis decollatorum multa huic monasterio Faroaldus iste concessisse dicitur.

[e] Al., *vestibula*. Lind.

[f] Anno 716 Theudonis II, Bajoariorum ducis, peregrinatio tribuenda ex Anastasio, qui eam cum lunari eclipsi ejusdem anni alligat, ut supra notavi. Accidit enim die 13 mensis Januarii, feria secunda, post horam quintam a meridie, ut scribit Calvisius in opere chronologico. Cæterum Theudo hic ille est quem sanctus Rudbertus Salisburgensis episcopus ad fidem Christianam convertit.

[g] Anno circiter 730, ut asserit Ughellus. Ad eumdem sancti Gregorii II litteræ a Baronio ex chronico Danduli relatæ anno 729.

[h] Amb., *et Langobardis*.

[i] Al., *Laurina*. Lind.

[j] Al., *Siraldus*. Lind. *Sicualdus*. Mod.

[k] Al., *Septa*. Lind. Anastas. Bibliothec., in Codic. regio Mazarin. et Thuan. habet: *Agarenorum gens a loco qui Cepta dicitur ex Africa transfretantes, Hispaniam ingressi*, etc., fere ad verbum cum nostro. Addit hoc unum: Eudoni victoriam non sine miraculo datam, divisis in milites spongiis quas anno præcedenti sanctus Gregorius cum benedictione miserat, de quo Flodoradus etiam lib. de Pontif. Roman.

[l] Al., *habitatores perpetui ingressi sunt*. Lind.

[m] Baronius ex Chronico Pithœi, seu, ut communiter vocant, ex Annalibus Fuldensibus, et Continuatore Fredegarii, quibus accedunt Annalista Mettensis, aliique recent., Saracenos in Galliis ex Hispaniis ab ipso Eudone in odium Caroli, vocatos narrat, insignemque victoriam, qua rex perfidæ gentis Abdirama occisus est, communi calculo cum anno 725 illigavit. At Pagius, anno 732, n. 1 et seq., putat Continuatorem Fredegarii, qui jussu Childebrandi, Caroli fratris, historiam scripserat, ob redintegratas post victoriam Carolum inter et Eudonem inimicitias, in odium Eudonis, vocatos ab eodem Saracenos scripsisse, adductisque pluribus horum temporum scriptoribus, tum in Baronio ipso, cum in Paulo et Anastasio, errorem notat, diversa enim cum Saracenis prælia simul miscent, et victoriam quæ anno 732 obvenit cum anno 725 male illigant.

Digitized by Google

[a] ac sic pertæsi obsidionis, abscederent. Qui inde A egressi, Bulgarum gentem, quæ est [b] super Danubium, bello aggrediuntur. Et ab hac quoque victi, ad suas naves refugiunt, quibus cum altum peterent, ingruente subito tempestate, plurimi, etiam mersis sive contritis navibus, perierunt. Intra Constantinopolim vero trecenta millia hominum pestilentia interierunt.

## CAPUT XLVIII.

*Quomodo Liutprandus rex corpus beati Augustini Ticinum advexit.*

Liutprandus vero audiens quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca illa ubi ossa Augustini episcopi, propter vastationem barbarorum olim translata, et honorifice fuerant condita, fœdarent, misit eo, et, dato magno pretio, accepit, [c] et transtulit ea in urbem Ticinensem, ibique cum debito tanto Patri honore condidit. His diebus [d] Narnia civitas a Langobardis pervasa est.

## CAPUT XLIX.

*Quas civitates Romanorum Liutprandus rex invasit, et de deterioribus factis Leonis Augusti.*

Eo tempore rex Liutprandus Ravennam [e] obsedit, classem invasit atque destruxit. Tunc [f] patricius Paulus ex Ravenna misit qui pontificem interimerent. Sed Langobardis pro defensione pontificis repugnantibus, Spoletanis in [g] Salario ponte, et ex aliis partibus Langobardis Tuscis resistentibus, consilium Ravennatium dissipatum est. Hac tempestate Leo imperator apud Constantinopolim sanctorum imagines depositas incendit. Romano quoque pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandavit, sed pontifex hoc facere contempsit [h]. Omnis quoque Ravennæ exercitus, vel Venetiarum, B talibus jussis uno animo restiterunt, et nisi eos [i] prohibuisset pontifex, imperatorem super se constituere fuissent aggressi. Rex quoque Liutprandus castra Æmilia, [j] Feronianum, et [k] Montem Bellium, Buxeta et Persiceta, Bononiam et Pentapolim, [l] Auxiniumque,

[a] Al., *ac si per tempus obsidionis*, etc.; al., *ac si perterriti ab obsidione*. Lind. *Ac si a parte suæ obsidionis*. Amb. Beda, quem transcripsit totidem verbis Paulus, habet ut in Edito : id tantum a nostro additum de peste C. P. urbis. Anno 717 ex Theophane colligimus regiam urbem Saracenos obsedisse, at re infecta, multisque acceptis cladibus, anno sequenti discessisse, ita ut Beda simul et noster hoc loco sit emendandus. Liberatæ urbis memoriam notavit Baronius ex Menologio Græco. Exstat etiam oratio historica in Auctario Bibliothecæ Patrum, tomo II.

[b] Amb., *super Danubium posita*.

[c] Paulo astipulatur Beda, in libro de sex Ætatibus, Liutprandum regem e Sardinia corpus divi Augustini Hipponensis episcopi Ticinum transtulisse : annum translationis quamplures frustra investigarunt. Mabillonius in Musæi Italici tomo I, ex ejusdem regis diplomate, relato in Chronico ms. archivii Ecclesiæ sancti Petri in Cœlo aureo, putavit ejusdem regis anno primo id factum ; sed in Annalibus animadvertit basilicam illam inter ædificatas ab hoc rege connumerari, unde in tanta temporis angustia magnificum opus absolutum ibique reconditum sancti Augustini corpus vix credibile. Baronius alia utitur conjectura, et in annum 725 remisit, quod hoc anno Beda translationis narratione libro suo finem fecerat. Rei gestæ seriem ex Petri Oldradi epistola recenset, sed illa inter supposititias jamdiu est amandata. Non minor doctorum hominum conatus, post inventionem sacri pignoris, die prima Octobris anni 1695, circa illius, ut aiunt, identitatem. Doctissimus noster Saxius dissertationes plures de hac re diligentia sua collegit, et in Ambrosianam bibliothecam contulit, XXXIV diversorum auctorum in utramque partem admittentibus calamis. Hos inter D. Joannes Gaspar Berretta Cassinensis, cui Lindenbrogianam Pauli Editionem debeo, et doctrinæ penitioris frequentissimas delicias. Is peculiari libello rem integram exegit.

[d] Al. hæc verba, *Narnia civitas*, etc., usque ad finem cap., desunt. Lind. Amb. et Mod. habent ; et in Amb., pro *Narnia*, legitur *Narina*. Anastasius, in sancto Gregorio II, ubi hæc cum Ravennæ obsidione, de qua in cap. sequenti, conjungit, bene habet *Narnia*.

[e] Al., *obsedit classe, atque destruxit*; sed vitiata lectione, ut in Anastasio loco cit. Ibi legendum : *Castrum pervadens classes, captos abstulit plures, et opes abstulit innumeras*. Ravennam an. 726 a Liutprando occupatam communiter scribunt. Modum actæ rei ab uno tantum discimus Agnello, in sancto Joanne XXXIX Raven. episc. « Et Liutprandi regis regnum Langobardorum regentis (Græcorum more genitivo usus, pro ablativo absoluto), ab ipsius exercitu prædicta civitas corona cincta, et devastata est, a suis decepta civibus, simulata fraude a porta quæ dicitur Vicus salutaris, quæ erat juxta fluvium Pantheum. Omnes cives cucurrerunt illuc, unus autem ex illis infensus suis civibus, promissa pecunia allatis clavibus, subductis modis Portæ, quæ pergit ad vicum Leprosum, ubi est pons ex basibus factus, reseratis claustris, omnibusque patefactis portis, inimici ingressi civitatem, et eam subverterunt. Nam judicio Dei ipse qui insidiator suorum civium fuit, et C pilæ claustra aperuit, quamprimum ligni stipite perfossus interiit, etc. » Capta Urbe, Gregorius pontifex ad Venet. ducem eas litteras dedit, quas recenset Baronius anno prædicto, eorumque opera Græcis iterum restitutam innuit noster infra, cap. 54.

[f] Non unus Paulus patricius summo pontifici paraverat insidias, nec semel ipse ; incitabat enim jussionibus suis Leo Isaurus, quod sibi sacras in imagines furenti apostolica fortitudine resisteret.

[g] Al., *Solariopara*. Lind.

[h] Ex Anastasio narrata fusius repete, quæ occasione mandatorum Leonis in Italia evenerunt, cædesque illustrium virorum, « tam in Campania quam in partibus (Ravennæ) : alii (quippe) consentientes impietati imperatoris, alii cum pontifice et fidelibus se tenentes, » in partes discesserunt. Sacrarum imaginum destructores muneribus ad se trahere Langobardos nitebantur ; sed hi religionis zelo cum Romanis « una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt, D desiderantes cuncti mortem pro defensione pontificis sustinere gloriosam. » Hinc frequentes hoc tempore inimicitiæ ac reconciliationes Romanos inter et Langobardos, non alia de causa, ut mihi persuadeo, nisi ut Græcis communibus inimicis pro necessitate temporis resisterent, eorumque fractis viribus, jam Langobardi armis iterum in Romanos insurgebant.

[i] Græci scriptores injuria Romanos pontifices accusant, Italiæ populos contra Leonem imp. excitasse, ita ut ab imperio defecerint. At hæc Pauli verba, quibus concors est Anastasius, ex diametro, ut dicimus, oppositum evincunt.

[j] *Fenonianum*. Amb. et Mod. Al., *Fenorianum*. Lind.

[k] Mod., *montem Vellum*. Lind., *Pellium*.

[l] Amb. et Mod., *Auximumque*. De his Cluver., Italiæ antiquæ lib. I : « Oppidum Buxeta, quod pluralis numeri est vocabulum, in ipsa Æmilia regione est prope Padum circa Cremonam, vulgari nunc voca-

Digitized by Google

invasit.[a] Pari quoque modo tunc et Sutrium pervasit; A sed post aliquot dies[b] iterum Romanis redditum est. Per idem tempus Leo Augustus ad pejora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi quam blanditiis, ut deponerent, ubicunque haberentur, imagines tam Salvatoris quam sanctæ ejus Genitricis, vel omnium sanctorum, easque in medium civitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique ex populo tale scelus fieri[c] præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alii corporis parte multati sunt. Cujus errori Germanus patriarcha non consentiens, a propria sede depulsus est, et ejus in loco Anastasius presbyter ordinatus est.

## CAPUT L.

*De Romoaldo Beneventano duce, et Gisulfo filio ejus.* B

Romoaldus denique dux Beneventi uxorem sortitus est, Guntbergam nomine, quæ fuit filia Auronæ Liutprandi regis sororis. De qua filium genuit, quem nomine sui patris Gisulfum appellavit. Habuit rursum post hanc et aliam conjugem, nomine[d] Ravigundam, filiam Gaidualdi[e] Brexiani ducis.

## CAPUT LI.

*De inimicitiis Pemmonis contra Calistum patriarcham.*

Gravis sane per idem tempus inter Pemmonem ducem et Calistum patriarcham discordiæ rixa surrexit. Causa autem hujus[f] discordiæ ista fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius episcopus de castro[g] Juliensi, cum voluntate superiorum ducum C intra Forojuliani castri muros habitavit, ibique sui episcopatus sedem statuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco[h] ordinatus est. Usque ad eumdem enim diem superiores patriarchæ, quia in Aquileia, propter Romanorum incursionem, habitare minime poterant, sedem non in Foro-Julii, sed[i] in Cormones, habebant[j]. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, ut in ejus diœcesi, cum duce et Langobardis habitaret episcopus, et ipse tantum vulgo sociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eumdem Amatorem episcopum egit, eumque de Forojulii expulit, atque in illius domo sibi habitationem statuit. Hac de causa Pemmo dux, contra eumdem patriarcham cum multis nobilibus Langobardis consilium iniit, apprehensumque eum ad castellum[k] Pontium, quod supra mare situm est, duxit, indeque eum in mare præcipitare voluit. Sed tamen, Deo inhibente, minime fecit, intra carcerem tamen eum retentum pane tribulationis sustentavit. Quod rex Liutprandus audiens, in magnam iram exarsit, ducatumque Pemmoni auferens, Ratchis ejus filium in ejus loco ordinavit. Tunc Pemmo cum suis disposuit ut in Sclavorum patriam fugeret; sed Ratchis ejus filius a rege supplicando obtinuit patri veniam, eumque in regis gratiam reduxit. Accepta itaque Pemmo fiducia quod nihil mali pateretur ad regem cum omnibus Langobardis cum quibus consilium habuerat perrexit. Tunc rex in judicio residens Pemmonem et ejus duos filios, Ratchait et Ahistulfum, Ratchis concedens eos post suam sedem consistere præcepit. Rex vero, elevata voce, omnes illos qui Pemmoni adhæserant nominative

bulo Busseto. Persiceta item oppidum, sive castrum, memoriam antiqui nominis servat, vulgo nunc S. Gioanni in Persiceto dictum, ab eodem viæ Æmiliæ latere ix circiter millia a Mutina. Meminit ejus etiam Chronicon Cassinense, lib. i, cap. 57, his verbis: « In comitatu Mutinensi, fundo, qui Persiceta « dicitur. » Ab altero viæ latere, quod Apenninum spectat, haud procul a Bazano atque Saviniano oppidis est castrum Mons Pellius, vulgo nunc Monte Veglio, et Vejo, appellatum. Foronianum castrum dubito an is locus fuerit qui nunc vicus apud Nuram flumen supra Placentiam vulgo dicitur Fugliano, sive Fuliniano; et vehementer suspicor scriptum fuisse ab ipso Paulo diacono Foronovanum castrum, quod oppidum antiquitus dicebatur Forum Novum, nunc autem vulgo Fornuovo, apud Tari Cervique amnium confluentes, x mil. pas. a Parma, dissitum, etc. » D

[a] Mod. *Pari modo quo tunc et Sutriam pervasit.*

[b] Plura de occupato restitutoque Sutrio narrat Anastas., in sancto Gregorio II: « Eodem tempore per indictionem 11 dolo a Longobardis pervasum est Sutriense castellum, quod per centum quadraginta dies ab eisdem Longobardis possessum est. Sed pontificis multis continuis scriptis atque commonitionibus ad regem missis, quamvis multis datis muneribus, saltim omnibus suis nudatum opibus, castrum, donationem beatissimis apostolis Petro et Paulo antefatam emittens, Longobardorum rex restituit, atque donavit. » Hinc annum actæ rei cognoscimus, nempe 728, quo indictio 11 currebat. Post hæc supplendus est noster ex eodem Anastasio res gestas indictione 12 narrante, quas consulto fortasse Paulus præteriit. Fœdus nempe initum inter Eutychium Patricium et Liutprandum, « ut, congregatis exercitibus, rex subjiceret duces Spoletanum et Beneventanum, et exarchus Romam, et quæ pridem de Pontificis persona jussus fuerat (nempe ut occideretur) impleret. Qui rex Spoletum veniens, susceptis ab utrisque ducibus sacramentis, atque obsidibus, cum tota sua cohorte in Neronis campum successit. Ad quem egressus pontifex, eique præsentatus, studuit, ut potuit, regis mollire animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus, et promitteret se nulli inferre læsionem; atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus exueret, et ante corpus apostoli poneret mantum, armillas et crucem argenteam. Post orationem factam obsecravit pontificem ut memoratum exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod et factum est. »

[c] Amb., *perpediabant.*

[d] Amb., *Ranigundam*. Lind., *Raingundam*, et *Ragimundam.*

[e] Al., *Brixiani*. Lind.

[f] Al., *Discordiæ fuit Fidentius episcopus Forojuliensis. Anteriori tempore de voluntate superiorum ducum intra Forojuliani castri muros habitavit*. Lind.

[g] Amb., *Julianensi*. Mod., *Forojuliensi.*

[h] Mod., *episcopus*

[i] Al., *in Commune*. Lind. et Mod.

[j] Juliensium episcoporum antiquam sedem Julii Carnici vulgo nunc Zuglio ex hoc Pauli capite contra Baronii sententiam restituit eminentissimus Norisius in sua dissertatione de v synodo, cap. 9, § 1, invictisque rationibus ostendit Forum-Julii peculiarem episcopum non habuisse, at ibi precario Juliensem resedisse, idque Ughellus etiam non animadvertit, sed error expunctus est in additione episcopatuum antiquatorum, quam vide.

[k] Amb., *Nottum.*

Digitized by Google

comprehendere jussit. Tunc Ahistulfus dolorem non ferens, evaginato pene gladio regem percutere voluit, nisi eum Ratchis suus germanus cohibuisset. Hoc modo iis Langobardis comprehensis, Hersemar, qui unus ex eis fuerat, evaginato gladio, multis insequentibus, ipse se viriliter defensans, in basilicam beati Michaelis confugit. Ac deinde solus regis indulgentia impunitatem meruit, cæteris longo tempore in vinculis excruciatis.

## CAPUT LII.

*Bellum Ratchis contra Sclavos.*

Ratchis denique apud Forum-Julii dux, ut dixeramus, effectus, in [a] Carniolam, Sclavorum patriam, cum suis ingressus, magnam multitudinem Sclavorum interficiens, eorum omnia devastavit. Ubi cum Sclavi super eum subito irruissent, et ipse adhuc lanceam suam ab armigero non abstulisset, eum qui primus ei occurrit, [b] clava quam manu gestabat, percutiens, ejus vitam exstinxit.

## CAPUT LIII.

*Quomodo Rex Liutprandus Pippino Caroli regis filio capillum totondit.*

Circa hæc tempora Carolus, [c] princeps Francorum, [d] Pippinum suum filium ad Liutprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus, genitori remisit [e].

## CAPUT LIV.

*Saraceni rursum Gallias repetentes a Francis superantur, et quomodo Liutprandus in solatium Francorum ivit.*

Per idem tempus Saracenorum exercitus, rursum in Galliam introiens, multam devastationem fecit. Contra quos Carolus non longe a Narbona bellum committens, eos sicut et prius, [f] maxima cæde prostravit. Iterato Saraceni Gallorum fines ingressi, usque ad Provinciam venerunt, [g] et capta Arelate, omnia circumquaque demoliti sunt. Tunc Carolus legatos cum muneribus ad Liutprandum regem mittens, ab eo contra Saracenos auxilium poposcit. Qui nihil moratus, cum omni Langobardorum exercitu in ejus adjutorium properavit. Quo comperto, gens Saracenorum mox ab illis regionibus aufugit. Liutprandus vero cum omni suo exercitu ad Italiam rediit. Multa idem regnator contra Romanos bella gessit, in quibus semper victor exstitit, præter quod semel in Arimino, eo absente, ejus exercitus cæsus est, et alia vice cum apud vicum Pilleum, rege in Pentapoli demorante, magna multitudo horum qui regi munuscula, vel xenia, vel singularum Ecclesiarum [h] dona deferebant a Romanis irruentibus cæsa vel capta est. Rursus cum Ravennam Hildebrandus regis nepos et Peredeo Vincentinus dux obtinerent, irruentibus subito Veneticis, Hildebrandus ab eis captus est, Peredeo viriliter pugnans occubuit. In sequenti quoque tempore Romani solita elatione turgidi, congregati universaliter, habentes in capite Agathonem Perusinorum ducem, venerunt ut Bononiam [i] comprehenderent, ubi tunc Walcari, Peredeo et Rothari morabantur in castris. Qui super Romanos irruentes, multam de eis stragem fecerunt, reliquosque fugam petere compulerunt [j].

## CAPUT LV.

*De Trasemundo duce Spoletano, et Gisulfo Beneventano, et Gregorio et regno Hilprandi.*

His diebus [k] Trasemundus contra regem rebellavit.

[a] Al., *Carmolam*. Lind.

[b] Al., *elevata securi, quam manu*, etc. Lind.

[c] Mod., *rex*.

[d] τὸ *Pippinum* al. deest. Lind.

[e] Notavi supra, lib. IV, cap. 40, num. 198, veterum hunc morem incidendi capillos ab Adriano Valesio illustratum: eidem addendus hic Mabillonius in præfatione primæ partis sæculi III Benedictini, ubi observat morem hunc, qui Græcis etiam fuit, nam Constantinus Pogonatus *mallones capillorum*, hoc est, cirros, seu cincinnos, a Græco μαλλὸς, Justiniani, et Heraclii filiorum ad Benedictum Papam II direxit, teste Anastasio: observat, inquam, morem hunc Pippino primum fortasse introductum apud reges Francorum, atque inde capillos in orbem compositos gestasse, ut in cereis Carolovingorum iconibus capilli in orbem æquati ad humeros usque apparent; nam antea Agathiæ testimonio, qui superiori sæculo vixerat, solemne erat regibus iis intonsam habere comam a pueris.

[f] Non tribus tantum his præliis a Carolo Martello cum Saracenis bellatum, in Aquitania nempe, Narbona et Provincia, sed et in aliis etiam Galliæ partibus, variisque temporibus, ut ex rerum Francicarum Scriptoribus apparet. Insigniores victorias noster memorat. Eghinardus, in Vita Caroli Magni, de Carolo Martello loquens, primas duas his verbis et ipse narrat: « Carolus, etc., Saracenos Galliam occupare tentantes duobus magnis præliis, uno in Aquitania apud Pictavium, altero juxta Narbonam apud Byrram fluvium ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret. » Narbonense prælium, quod anno 737 gestum, fuse describitur a Continuatore Fredegarii in sua appendice. Postremum in Provincia ab Eghinardo præteritum narrant Annalista Mettensis, Continuator idem Fredegarii, et Annales Nazariani anno 739. Eidem interfuisse Liutprandum regem omnes consentiunt, atque in ipsius epitaphio legitur:

Deinceps tremuere feroces
Usque Saraceni, quos dispulit impiger, ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente juvari.

[g] Cætera quæ sequuntur usque ad verba: *Qui Gisulfus cum propter ætatem*, etc., in A. desiderantur.

[h] Mod., *benedictionem*.

[i] Al., *caperent*. Lind.

[j] Tam pauca delibavit Paulus ex rebus a Romanis feliciter gestis, ut vix aliquid ad historiæ usum vertere liceat, quodque magis dolendum, a scriptoribus aliis supplere minime possumus, nullo, quod sciam, de his verba faciente. Anastasius multa quidem ad Langobardicas res conducentia præbuit, sed et ipse memoratas in hoc capite silentio præterivit.

[k] De rebellione Trasemundi ducis a rege Liutprando, plura scripsit Anastasius quam noster. Postremas ille res a sancto Gregorio III gestas describens narrat in sancto Zacharia Gregorii successore. « Hic invenit totam Italiam provinciam valde turbatam, etc., persequente Liutprando Longobardorum rege ex occasione Trasimundi ducis Spoletini, qui in hac Romana urbe, eodem rege persequente, refugium fecerat. Et dum a prædecessore ejus beatæ mem. Gregorio papa, atque a Stephano quondam patricio

Digitized by Google

Super quem rex cum exercitu veniens, ipse Trasemundus Romam fuga petiit. In cujus loco Hildericus ordinatus est. Mortuo autem Romualdo juniore Beneventanorum duce, qui viginti et [a] sex ducatum tenuerat annis, [b] Gisulfus ejus filius adhuc parvulus remansit. Contra quem aliqui insurgentes, eum moliti sunt exstinguere. Sed Beneventanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis exstitit, eos peremerunt, sui ducis vitam servantes. Qui Gisulfus cum propter ætatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non esset, Liutprandus rex Beneventum tunc veniens, eum exinde abstulit, et apud Beneventum suum nepotem Gregorium ducem ordinavit. Cui in matrimonio uxor sociata Giselberga nomine fuit. Ita rex Liutprandus [c] rebus compositis, ad suum solium remeavit. Gisulfumque suum nepotem paterna pietate erudiens, [d] ei Conibergam, nobili ortam progenie, in matrimonium junxit. Ipse rex eo tempore in languorem decidens, morti approximavit. Quem Langobardi vita excedere existimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras [e] muros civitatis, ad sanctæ Dei genitricis ecclesiam, quæ ad Perticas dicitur, [f] in regem levaverunt. Cui dum contum, sicut moris est, traderent, in ejus [g] conti summitate,

et duce, vel omni exercitu Romano, prædictus Trasimundus redditus non fuisset, obsessione facta, pro eo ab eodem rege ablatæ sunt a Romano ducatu civitates quatuor, id est, Amoria, Hortas, Polimartium et Biera. Et sic idem rex ad suum palatium est reversus per mensem Augustum, indictione 7. Trasimundus vero dux, habito consilio cum Romanis, collectoque generali exercitu ducatus Romani, ingressi sunt per duas partes in fines ducatus Spoletani. Qui continuo timore ducti, præ multitudine exercitus Romani, eidem Trasimundo se subdiderunt Marsicani, et Forconini, atque Balvenses, seu Pinenses. Deinde ingressi per Sabinense territorium venerunt in Reatinam civitatem. Qui Reatini continuo et ipsi se subdiderunt. Exinde pergentes ingressi sunt Spoletum per mensem Decembrem, prædicta indict. » Addit Paulus infra tunc exstinctum a Trasimundo Hildericum, qui in illius locum a Liutprando suffectus fuerat. « Eratque magna turbatio inter Rom. et Longobard., quoniam et Beneventani, et Spoletani cum Romanis tenebant. Sed dum idem Trasimundus Spoletinus dux noluit implere quæ prædicto pontifici et patricio simul et Romanis promiserat pro recolligendis quatuor civitatibus, quæ pro eo perierant, et aliis quæ spoponderat capitula, et prænominatus rex ad motionem contra ducatum Romanum se præpararet, in his prædictus b. m. Gregorius papa divina vocatione ex hac luce subtractus est, et divino nutu prænominatus sanctiss. Zacharias in Pontificatum est electus, etc. Missa igitur legatione apud jam dictum regem Longob. salutaria illi prædicavit. Cujus sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor quas a ducatu Romano abstulerat civitates reddere promisit. Dumque motione militum facta ad comprehendendum Trasimundum ducem Spoletinum conjungeret se, exhortatione sancti viri exercitus Romanus in adjutorium prædicti regis egressi sunt. Et dum ipse Trasimundus suam deceptionem conspiceret, egressus e Spoletana civitate, sese prædicto tradidit regi. » Is eum clericum fecit, addit Paulus seq. cap. 57. At in bis Anastasii numeralibus notis error irrepsit; quippe si mense Augusto, indictionis 7, quæ anno 739, decurrebat, Liutprandus a Romano ducatu in suum palatium reversus est, jam *secundo mense*, nempe Aprili ejusdem anni, quo Carolus, teste Continuatore Fredegarii, in Provinciam properavit, bello huic adesse non potuit, nisi quis putaverit, quod vix possibile, tam brevi temporis curriculo duobus his bellis expeditum, Saracenico primum, inde Romano Ticinum remeasse. Insuper mense Decembri, quo Trasimundus Spoletum ingressus est, eadem septima indictio non currebat, sed octava, ut bene plures notaverunt. Ex ipso igitur Anastasio locum corrigo, et pro septima octavam indict. pono; sequitur enim ipse res postea gestas indiction. 10 narrans: « Et prædictis quatuor civitates, quas ipse ante biennium per obsessionem factam pro prædicto Trasimundo duce Spoletino abstulerat, etc., redonavit. » Hinc anno 740 illigo urbis obsidionem, et sequenti 41 mortem Hilderici, Trasemundi restitutionem in ducatu, Beneventanorum rebellionem, ac legationem ad Carolum a sancto Gregorio III missam, ut auxilio esset Romanis contra Langobardos; tunc enim « Liutprandus talia de Spoleto, sive Benevento, audiens rursum cum exercitu Spoletum petiit, » ut scribit noster, cap. sequenti: anno tandem 742, Trasemundi deditionem, Zachariæ cum Liutprando colloquium, et urbium restitutionem, ut narrare prosequitur Anastas. loco cit.

[a] Mod., *septem*.

[b] Ejus initium supra, cap. 2, num. 8, cum anno 707 conjunxi, ergo an. circiter 733 Romualdus e vivis excessit.

[c] Al., *rebus Beneventanis compositis*. Lind.

[d] Amb., *Scaunipergam*. Ita vocat eam Ostiensis, lib. I, cap. 5, laudatque piæ feminæ pietatem, quæ templum idolorum in castro Casino constructum in honorem beati Petri dedicavit.

[e] Al., *muros Ticinensis civitatis*. Lind.

[f] Annum quo Hildeprandus in regni consortium cum Liutprando est vocatus designat instrumentum in archivio Lucensi a Fiorentinio in comment. de Rebus ad comitiss. Mathildem spect., lib. III, Ughello, in Italia Sacra, aliisque relatum his chronologicis notis: « Regnante domino Liutprando excellentissimo rege, regni ejus vigesimo quarto, et excellentissimo nepote ejus domino Hilprand rege anno primo, mense Martio, indictione quarta, » quæ Christi anno 735 in cursu fuit. Mabillonius, in Musæo Italico, et tom. II Sæc. Bened., exhibet ejusdem Hildeprandi regis diploma, « Actum Ticini in palatio, sub die II Kal. April., anno felicis regni nostri uno, per indictionem 12, » hoc est anno 744, quo Liutprandus e vivis excessit. Ex concordia istarum notarum nil hæsitandum puto quin Paulum confuso temporum ordine plura tradidisse dicamus. Nam Liutprandi morbus et Hildebrandi consortium in regno, præcesserant Trasemundi rebellionem, cum qua præsenti capite cuncta copulavit. In illius tamen excusationem ejus mentem ita interpretor, ut ubi præsenti capite de Romualdo Beneventano verba facit, ad priora tempora illius retrahenda sit oratio, quod et indicat ipse in fine iis verbis: « Evolutis dehinc aliquot annis Trasemundus, etc.; » iisque ad continuationem incœptæ historiæ iterum redit, ac postmodum cap. 57 absolvit, ab Anastasii tempore minime recedens, nam utrique Trasemundi finis paulo ante obitum Liutprandi.

[g] Hasta, sive conto, de quo hic sermo, traditi Langobardici regni veteribus signo pugnant acerrime qui Modoetiensis coronæ vetustatem a Gregorianis temporibus, ejusque Langobardorum regibus impositionem ante Caroli Magni successores impetunt, inaugurationem regiam per solam hastæ traditionem ex hoc loco indicantes. Penitioris antiquitatis thesauros dissertationibus suis in alterutram partem de hac re in medium adduxerunt viri cl. Muratorius noster, t. II Anecdotorum, et Fontaninus peculiari libello, Blondi, Sigonii, Cointii, Mabillonii, aliorumque judicia expendentes. Non est locus hic eorum argumenta repetere, neque animus in partem venire. In gratiam eruditorum imaginem lapidis in eadem Mo-

Digitized by Google



Digitized by Google



cuculus avis volitando veniens, insedit. [a] Tunc aliquibus prudentibus hoc portento visum est significari, ejus principatum inutilem fore. Rex autem Liutprandus cum hoc cognovisset, non æquo animo accepit; tamen de infirmitate convalescens, eum regni sui consortem habuit. Evolutis dehinc aliquot annis, Trasemundus, qui Romam fugerat, Spoletum rediens, Hildericum exstinxit, rursumque contra regem rebellionis audaciam sumpsit.

## CAPUT LVI.

*Quia mortuo Gregorio Gothschalcus in Benevento dux factus est; et quomodo rex Liutprandus bellum in Pentapoli gessit.*

At vero Gregorius dum apud Beneventum annis septem ducatum gessisset, vita exemptus est. Post cujus obitum [b] Godeschalcus dux effectus, annis tribus Beneventanis præfuit; cui in conjugio uxor sociata nomine Anna fuit. Rex ergo Liutprandus talia de Spoleto, sive Benevento, audiens, rursum cum exercitu Spoletum petiit. Qui Pentapolim veniens, [c] dum a Fano civitate forum Sempronii pergeret, in silvam quæ in medio est, Spoletani se cum Romanis sociantes, magna incommoda regis exercitui intulerunt. Qui rex in novissimo loco [d] Ratchis ducem et ejus fratrem Ahistulfum, cum Forojulianis constituit. Supra quos Spoletani et Romani irruentes, aliquos ex eis vulneraverunt. Sed tamen Ratchis cum suo germano et aliquibus viris fortissimis omne illud pugnæ pondus sustinentes, viriliterque certantes, multisque trucidatis, se suosque inde, præter, ut dixi, paucos sauciatos, exemerunt. Ibi quidam Spoletanorum fortissimus, Berto nomine, nominative Ratchis acclamans, armis instructus super eum venit. Quem Ratchis subito percutiens, equo dejecit. Cumque ejus socii eum perimere vellent, eum pietate solita fugere permisit. Qui manibus pedibusque reptans silvam ingressus evasit. Super Ahistulfum vero in quodam ponte duo fortissimi Spoletani a tergo venientes, unum eorum adversa cuspide feriens, de eodem ponte dejecit; alterum vero subito ad eum conversus, [e] vita privatum post socium mersit.

## CAPUT LVII.

*Liutprandus quid Spoleti egerit. Godeschalcus, audiens adventum ejus Beneventum, fugiens a Beneventanis exstinctus est.*

At vero Liutprandus, Spoletum perveniens, Trasemundum ducatu expulit, eumque clericum fecit. Cujus in loco [f] Agibrandum suum nepotem constituit. Cum vero Beneventum properaret, Godeschalcus, audito ejus adventu, navem conscendere atque in Græciam fugere molitus est. Qui postquam uxorem et cunctam supellectilem suam in navim imposuisset, et novissime ille ascendere vellet, irruentibus Beneventanis Gisulfi fidelibus, exstinctus est. Uxor sane illius cum omnibus quæ habebat Constantinopolim perlata est

## CAPUT LVIII.

*Idem quid Beneventi egerit. De Baodolino miræ sanctitatis viro. Huic par Theudelapius, et Petrus Ticinensis episcopus.*

Tunc rex Liutprandus Beneventum perveniens, Gisulfum suum nepotem iterum in loco [g] proprio ducem constituit. Rebusque ita compositis, ad suum palatium remeavit. Hic gloriosissimus rex multas in Christi honore per singula loca ubi degere solebat basilicas construxit. Hic monasterium beati Petri, quod foras muros Ticinensis civitatis situm est, et cœlum Aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis alpe monasterium quod Bercetum dicitur [h] ædificavit. In Olonna nihilominus [i] suo prohastio miro opere, in honorem sancti Anastasii martyris, Christo domicilium statuit, in quo et monasterium fecit. Pari etiam modo multa per loca singula divina templa instituit. Intra suum quoque palatium oraculum Domini Salvatoris ædificavit, et

...doetiensi basilica positi e posteriori parte ambonis vulgandam curavi; in eo sedentis regis coronatio repræsentatur astantibus clericis, et proceribus gentis.

[a] Amb.: *Tunc aliquibus prudentibus viris hæc portenta visum.* Cætera usque ad finem capitis desiderantur.

[b] Godeschalci hujus Beneventani ducis, qui successorem habuit Gisulfum II, meminit etiam Leo Ostiensis, lib. I, cap. 5, eumque sequenti cap. 8, inter Gregorium dictumque Gisulfum non recensuit, cum extremos tantum pontifices et duces eo loco notaverit, ut bene animadvertit ibidem Nuceus. Hujus tamen rationem temporis, quo duces isti Beneventanis præfuerunt, minime probo. Cumque Romualdi initium anno 707 alligaverim, ejusdem annos XXVI numerans ad 733 venio, quo Gisulfum II ætate adhuc puerili e ducatu exturbatum puto. Inde Gregorii septem annis numeratis, ut noster habet, initium Godeschalci anno 740 tribuo, ejusque triennio expleto restitutionem Gisulfi II paulo ante 744 repono, quo Liutprandus rex e vivis excessit; meamque rationem ob id potissimum cum Paulo convenire puto, quod is restitutionem Gisulfi extremis Liutprandi temporibus narret.

[c] Al., *dum a Fano Fortunæ forum Sempronii pergeret*. Lind.

[d] Uterque hic frater in Langobardorum solium defuncto Liutprando evectus fuit, sed Ratchis, abdicato regno, in Cassinensi monasterio sanctitatis coronam promeruit.

[e] Al., *vita privavit, et fluvio immersit*. Lind.

[f] Al., *Ansprandum*. Lind.

[g] Al., *pristino*. Lind.

[h] Non conditorem, sed auctorem, monasterii Berceti in monte Bardonum Liutprandum regem ex gestis Moderamni episcopi Rhedonensis a Frodoardo narratis, lib. I, cap. 20, probat optime Mabillonius in Annalibus, tom. II, an. 718, illudque in honorem sancti Abundii martyris antea constructum, postea in honorem sancti Remigii, cujus reliquias e Rhemensi monasterio Moderamnus in Italiam contulerat, et miraculo monitus ibidem deposuerat, ita Liutprandus regia liberalitate per suum diploma bonis et ædificiis ditavit, ut a nostro conditoris loco habeatur.

[i] Hæc verba *suo prohastio*, alias desunt. Scriptum est more isti sæculo usitato; sic *hostium* dicebant quod nos *ostium*, et *harenam* ἀντὶ τοῦ *arenam*. Prohastium ergo est προάστειον, id est πρὸς τῆς πόλεως, Latine *suburbanum*. Nec aliter hic locus intelligendus. Lind.

Digitized by Google

quod nulli alii reges habuerant, sacerdotes et clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent. Hujus regis temporibus fuit in loco cui Forum nomen est, juxta fluvium Tanarum, vir miræ sanctitatis [a] Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragante, refulsit. Qui sæpe futura prædixit, absentia quoque quasi præsentia nuntiavit. Denique cum rex Liutprandus in Urbem silvam venatum isset, unus ex ejus comitibus, cervum sagitta percutere nisus, ejusdem regis nepotem, hoc est, sororis ejus filium, Aufusum nomine, nolens sauciavit. Quod rex cernens, valde enim eumdem puerum amabat, cum lacrymis ejus incommodum lamentari cœpit, statimque unum e suis equitem misit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret, eumque peteret, ut pro vita ejusdem pueri Christum supplicaret. Qui B cum ad servum Dei pergeret, puer defunctus est. Cui Christi famulus ad se pervenienti, ita dixit : Scio quam ob causam veneris, sed illud [b] quod postulas jam fieri non potest, quia puer ille defunctus est. Quod cum is qui missus fuerat regi quod a servo Dei audierat renuntiasset, rex licet doluerit quod effectum supplicationis suæ habere non potuit, tamen quia vir Domini Baodolinus spiritum prophetiæ habuerit, aperte cognovit. Huic quoque non dissimilis A apud Veronensem civitatem [c] Theudelapius nomine fuit, qui inter miranda quæ patrabat præsago etiam spiritu multa quæ erant ventura prædixit. Eo quoque tempore floruit [d] vita, vel actibus, Ticinensis Ecclesiæ episcopus Petrus, qui quia regis erat consanguineus, ab Ariperto quondam rege apud Spoletum exsilio fuerat retrusus. Huic beati martyris Sabini ecclesiam frequentanti isdem venerabilis martyr prænuntiavit, quod episcopus apud Ticinum futurus esset. Qui postea, cum id fuisset factum, basilicam eidem beato martyri Sabino, in solo proprio, apud eamdem civitatem construxit. Hic inter reliquas optimæ vitæ quas habuit virtutes, etiam virginitatis flore decoratus enituit. Cujus nos aliquod miraculum, quod posteriori tempore gestum est, [e] in loco proprio ponemus. At vero Liutprandus, postquam triginta et uno anno, septemque mensibus, [f] principatum obtinuit, jam ætate maturus, [g] hujus vitæ cursum explevit. Corpusque ejus [h] in basilica beati Adriani martyris, ubi et ejus requiescit genitor, sepultum est. Fuit autem vir multæ sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, et pacis amator; bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator pervigil, eleemosynis largus, litterarum quidem ignarus, sed philosophis æquandus, nutritor gentis,

[a] Al., *Baudolinus*. Lind.

[b] Mod., *quod postulare missus es*.

[c] Al., *Theolapius*. Lind.

[d] Al., *vitalibus actibus*. Lind.

[e] Al., *suo loco in episcoporum vitis ponemus*. Lind. De sancto Petro Ticinensi episcopo plura Henschenius die 7 Maii, apud eumdem ex Grutero epitaphium, in quo de regia cognatione pariter hæc leguntur :

> Inclytus prosapia, regumque stemmate tangens,
> Nobilis eloquio, moribus nobilior.

[f] Mod., *Regnum*.

[g] Annus emortualis Liutprandi regis 744 ab omnibus notatur, ita ut in eo minime sit elaborandum, dies incerta, sed ante Kal. Junii vivere desiisse, aperte indicat Anastasius, in sancto Zacharia, unde supplenda est Pauli narratio. Noster enim omisit postremos Liutprandi conatus in urbem Ravennam, et Cæsenatis castri occupationem, quibus acti Eutychius exarchus et Joannes archiepiscopus, precibus suis ita summum pontificem ad opem ferendam illexerunt, ut, relicta Roma, Ravennam, atque inde D Ticinum, ad Liutprandum properaverit; atque in vigiliis sanctorum apostolorum Petri et Pauli benigne, ut par erat, exceptus, paternis monitis id tandem obtinuit, ut a bello cessaret, atque « prædictus rex post multam duritiem inclinatus est fines Ravennatis urbis dilatare, sicut primitus detinebantur. Et duas partes territorii Cæsenæ castri ad partem reipublicæ restituit. Tertiam vero partem de eodem castro sub obtentu retinuit, inito constituto, ut usque ad Kalendas Junii dum ejus missi a regia reverterentur urbe, idem castrum, et tertiam partem, quam pignoris causa detinebat, parti reipublicæ restitueret. » Acta hæc indictione 11 scribit Anastasius, nempe anno Christi 743. Hinc sequitur : « Regressus autem (sanctus Zacharias) in urbem Romanam cum omnibus C qui secum erant, gratias agentes Deo, denuo natale beatorum principum apostolorum Petri et Pauli cum omni populo celebravit, et sese in orationibus dedit, petens, ab omnipotenti Deo misericordiam et consolationem fieri populo Ravennatium et Romano ab insidiatore et persecutore illo Liutprando rege. Cujus preces non despiciens divina clementia eumdem regem ante diem superius constitutum de hac luce subtraxit, etc. »

[h] Nostris diebus Liutprandi regis tumulus non in basilica divi Adriani, martyris, ut Paulus hic scribit, sed in altera sancti Petri in Cœlo Aureo. Scriptores Ticinenses inde translatum putant; imo iterum loco motum scribunt in eadem basilica sancti Petri; quippe olim ad ingressum confessionis columnis quatuor impositus conspiciebatur, nunc vero ex decreto sac. conc. Triden. humi stratus ante proximam aram sancto Severino Boetio dicatam. Hæc ibi legitur epigraphes :

> Flavius hoc tumulo Lymprandus conditur, olim
> Langobardorum rex inclytus, acer in armis
> Et bello victor, Sutriumque Bononia firmant
> Hoc et Ariminum, necnon invita Spoleti
> mœnia, namque sibi hæc subjecit fortior armis.
> Roma suas vires jampridem hoc milite multo
> Obsessa expavit; deinde tremuere feroces
> Usque Saraceni, quos dispulit impiger, ipso
> Cum premerent Gallos Karolo poscente juvari.
> Ungarus a solo hoc adjutus, Francus, et omnes
> Vicini grata degebant pace per omnes.
> Rege sub hoc fulsit, quod mirum est, sancta frequensque
> Religio, ut recolunt alpes, Ecclesia quarum
> Hanc habuit vincente ipso, et prægrandia templa
> Quæ vivens struxit, quibus et famosus in orbe
> Semper et æternus lustrabit sæcula cuncta
> Præcipue Petro cœlesti hac sede dicata
> Clavigero statui, cœlo quam providus aureo
> Augustinus ubi hunc aliunde abductus eodem
> Rege jacet, cujus doctrina Ecclesia fulget.

Digitized by Google

[a] legum augmentator. Hic initio regni sui, Bojoariorum plurima castra cepit, plus semper orationibus, A quam armis fidens, maxima semper cura Francorum Avarumque pacem custodiens.

[a] Exstant adhuc in collectione legum Langobardicarum eæ quas Liutprandus rex prædecessorum regum edictis addidit. Imo urbi huic adhuc in usu mensura *Liutprandi pes* appellata, in stillicidiorum controversiis dirimendis usurpata. Longum esset singula pietatis monumenta repetere, quæ rex inclytus posteris reliquit, donationum liberalitate de monasteriis et ecclesiis optime meritus. Has inter Comensis exhibet regia diplomata, quibus amplissima prædia dono accepit. Laudatur etiam Liutprandus in inscripto carmine ad lapidem tumuli beati Cumiani episcopi, e sancti Columbani familia, in monasterio Bobiensi, ubi hæc leguntur :

Hic sacra beati membra Cu-
 miani solvuntur
Cujus cœlum penetrans animas
 Angelis gaudet
Iste fuit magnus dignita-
 te genere forma
Hunc misit Scotia fines ad
 Italicos senem
Locatur Ebovio Domini con-
 trictus amore
Ubi venerandi dogma Colum-
 bani servando
Vigilans jejunans indefes-
 sus sedule orans
Olimpiadis quattuor
 Uniusque circolo anni
Sic vixit feliciter ut felix
 Modo credatur
Mitis, prudens, pius, fratribus
 Pacificus cunctis
Huic ætatis anni fuerunt
 Novies deni
Lustrum quoque unum menses-
 que quatuor simul
At pater egregie potens
 Intercessor existe
Pro gloriosissimo Liutprando
 Rege qui tuum
Pretioso lapide tymbum
 Decoravit devotus
Sit ut manifestum almum ubi
 Tegitur corpus.
Depositus est hic D. Cumianus
 Episcopus XIIII. Kal. Septemb. Fecit
 Joannes Magister.

Addam postremo nummum aureum illius imagine signatum, de quo ante sermonem habui, Camilli Peregrinii conjecturam sequens in antecedenti tabula ænea col. 663 insculptum. Quo vero ad Paulum nostrum, qui suam historiam ad subsequentes reges, Hildeprandum, Rachisium, Aistulsum, et postremum gentis illius Desiderium minime produxit, repeto verba Erchemperti in ipso initio Hist. suæ Langobar- B dorum, quibus causam mutilatæ narrationis ita rudi stylo exponit : « Langobardorum seriem, egressum, situmque regni, hoc est originem eorum, vel quomodo de Scandinavia insula egressi ad Pannoniam, et iterum a Pannonia in Italiam transmigraverunt, regnumque susceperunt, Paulus vir valde peritus compendiosa licet brevitate, sed prudenti composuit ratione, extendens nihilominus a Gammara, et duobus liberis ejus, Historiam Ratchis pene usque regnum. In his autem non frustra exclusit ætas loquendi, quoniam in eis Langobardorum defecit regnum : mos etenim historiographi docteris est, max me de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur. » Si quid vero in hisce meis notis imprudenter exciderit a catholica veritate alienum, quod abomino, et maxime cavi, omne id irritum, cassum, non scriptum, indictumque volo.

Digitized by Google

# SANCTI GREGORII MAGNI VITA, AUCTORE PAULO DIACONO,

MONACHO CASSINENSI.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXV, col. 42-62.*)

# LIBELLUS DE ORDINE EPISCOPORUM METENSIUM.

## PROLEGOMENA.

## Dissertation SUR L'ORIGINE APOSTOLIQUE DE L'EGLISE DE METZ,

PAR M. CHAUSSIER,

SUPÉRIEUR DU PETIT SÉMINAIRE DE CETTE VILLE.

L'Eglise de Metz, appuyée sur une tradition ancienne et constante, avait toujours cru que son origine remontait aux temps apostoliques, et que saint Clément, son fondateur et son premier évêque, avait reçu sa mission du prince des apôtres lui-même, lorsque, durant le siècle dernier, cette antique tradition fut contestée par des savants, dont les travaux et les opinions ne permirent plus de reporter les commencements du Christianisme à Metz au delà du milieu du III$^{e}$ siècle. La critique moderne, dont le zèle était excité par les récits apocryphes que des siècles d'ignorance avaient mêlés aux faits incontestables des siècles plus anciens, opérait alors une révision totale de l'histoire, pour la débarrasser, par la discussion des monuments, de toutes les erreurs qui obscurcissaient et souvent même dénaturaient la vérité des événements.

Mais il arrive ordinairement, aux époques de réactions vives, que l'application d'un bon principe ne se maintient pas dans les limites qu'une raison calme aurait fixées. Il y a toujours à craindre de l'entraînement, et, par suite, des excès, qu'il appartient à l'avenir d'apprécier et de réparer. Aujourd'hui l'on commence à comprendre que la critique du XVIII$^{e}$ siècle a pu avoir aussi les siens, et il est des questions décidées par elle qu'il est permis de remettre en discussion. Il nous a paru que la question de l'origine apostolique de l'Eglise de Metz pouvait être de ce nombre (a). Nous nous proposons donc de la soumettre ici à un nouvel examen, dans le but de dé-

(a) L'histoire de la religion, tout en reconnaissant les services incontestables que lui ont rendus les travaux de la critique moderne, a eu à lui reprocher des exagérations. Les origines des Eglises ont été traitées par les savants avec des préventions qui, dans bien des cas, il est vrai, n'étaient pas sans fondement, mais qui, dans beaucoup d'autres cas, auraient dû faire place au respect. Les traditions les plus antiques et les plus constantes, dès qu'elles n'étaient pas appuyées sur des monuments incontestables et aussi anciens que ces traditions elles-mêmes, étaient regardées comme non avenues, et confondues dans une commune réprobation avec les opinions les plus controuvées et les plus dénuées d'autorité. Mais c'est surtout pour les miracles des saints que la critique a montré une défiance excessive et bien injuste. Il semblerait qu'à ses yeux il ne fût plus vrai que Dieu se plaise à glorifier ses saints par des miracles, et que l'on dût douter de tous les prodiges qui ne sont pas inscrits dans les pages de l'Evangile. Sans doute, tous les faits miraculeux rapportés dans l'histoire des saints ne sont pas certains à l'égal des articles de foi; souvent même ils n'ont pas tous les caractères de certitude qui pourraient les mettre hors de toute discussion aux yeux de l'incrédulité. Mais quand ils sont appuyés sur une tradition et sur des monuments respectés dans l'Eglise, quand surtout ils sont reçus dans sa liturgie, ils présentent des motifs de crédibilité suffisants pour édifier les enfants fidèles de l'Eglise. Au reste, cette proscription des miracles des saints n'a pas été sans soulever des réclamations de la part de savants distingués. Baronius, dans une dissertation placée en tête du Martyrologe romain publié par lui, fait voir que les Actes des

Digitized by Google

fendre les anciennes traditions de l'Eglise de Metz, et de faire voir que toutes les attaques de la critique moderne sont insuffisantes pour leur enlever le caractère de haute probabilité qui leur a concilié pendant tant de siècles les justes respects de nos ancêtres.

Nous ne nous dissimulons pas qu'il y a quelque hardiesse de notre part à entrer dans une discussion où nous rencontrons pour adversaires des savants de premier ordre, tels que D. Calmet, D. Cajot, et les auteurs érudits de l'Histoire de Metz (*a*). Mais heureusement nous n'y serons pas abandonnés à nos propres forces : nous aurons de puissants soutiens dans d'autres savants non moins distingués, et spécialement dans les Bollandistes, qui depuis longtemps ont pris, dans leur immortel ouvrage des *Acta sanctorum*, la défense de nos traditions antiques (*b*).

Le P. Longueval, dans sa dissertation sur le temps de l'établissement de la religion chrétienne dans les Gaules (*c*), a établi quelques principes qui vont nous servir de point de départ. Il prouve, 1° qu'il paraît certain que la religion chrétienne a été établie dans les Gaules dès le premier siècle par les disciples des apôtres ; 2° que la religion chrétienne, quoique établie dès sa naissance dans les Gaules, n'y fit que peu de progrès dans les deux premiers siècles. Ces propositions, qui nous paraissent une conséquence exacte de l'étude impartiale des monuments de la tradition, répondent déjà à un grand nombre de difficultés générales faites contre notre thèse par nos adversaires. Nous renverrons donc à la dissertation du P. Longueval pour cette partie de notre discussion, et nous entrerons tout de suite dans la question tout à fait spéciale de l'antiquité de l'Eglise de Metz.

Pour que le premier principe du P. Longueval soit vrai, il faut bien reconnaître que quelques villes des Gaules ont reçu des prédicateurs qui leur furent envoyés par les apôtres. Conçoit-on, en effet, que saint Pierre, qui, dans les premières années de son apostolat, parcourut une partie de l'Asie et de la Grèce pour y semer l'Evangile, ayant une fois établi au centre de l'Empire le siége de son gouvernement spirituel, soit resté pendant vingt-cinq ans à Rome sans s'occuper des provinces de l'Occident ? A peine est-il fixé dans cette ville, qu'il s'empresse d'envoyer saint Marc en Egypte avec le titre d'évêque d'Alexandrie : et il aurait négligé la région des Gaules, une des plus voisines et des plus importantes par son étendue et sa population ! Comment supposer aussi que saint Paul, qui, après avoir évangélisé tant de peuples divers, se proposait de pousser ses conquêtes évangéliques jusque dans les Espagnes (*Rom.* xv, 24), ait tout à coup laissé son zèle se refroidir dans la capitale du monde, au point de ne plus songer à envoyer au moins des prédicateurs aux provinces de l'Occident, qu'il ne pouvait évangéliser par lui-même? Evidemment ces suppositions sont inadmissibles, et la première proposition du P. Longueval, n'eût-elle d'autre preuve que ces considérations, nous paraîtrait encore incontestable. La question se réduit donc à rechercher si l'Eglise de Metz n'est pas une de celles qui, dans les Gaules, ont eu l'honneur d'être fondées par les disciples des apôtres.

Le P. Longueval admet comme à peu près certaine la mission de saint Trophime à Arles vers le milieu du premier siècle. Dans la foule des Eglises qui prétendent à la même antiquité d'origine, il en distingue encore trois qui peuvent s'en glorifier avec plus de vraisemblance que les autres. « Il n'y a guère, dit-il, que les villes de Trèves, de Cologne et de Metz, où l'on trouve assez d'évêques pour continuer cette succession depuis le temps des apôtres. Mais, ajoute-t-il, les catalogues de ces Eglises et de quelques autres n'ont pas toute l'autorité nécessaire pour nous rassurer (*Pag.* 54). » Si cette dernière observation s'applique avec vérité aux Eglises de Trèves et de Cologne, dont les catalogues offrent en effet des lacunes assez longues et beaucoup d'incertitudes, il n'en est pas de même de l'Eglise de Metz. Les difficultés de chronologie qui ont surtout servi de fondement aux attaques des critiques contre la tradition de cette Eglise, et qui ont été la source des incertitudes qui arrêtaient le P. Longueval, peuvent recevoir une solution satisfaisante, comme nous le verrons bientôt. Exposons d'abord les raisons que nous avons de croire que parmi les anciennes Eglises des Gaules, qui, selon la doctrine du P. Longueval, ont dû avoir le privilége d'être fondées par les disciples des apôtres, l'Eglise de Metz est une de celles qui ont le plus de titres pour revendiquer cette antique origine.

Les bénédictins de Saint-Vanne, dans leur Histoire de Metz, et plus particulièrement encore D. Cajot, bénédictin de Saint-Arnoul de Metz, dans son ouvrage intitulé Les Antiquités de Metz, après avoir montré ce qu'étaient les villes de la Gaule-Belgique lors de l'invasion des Romains, combien elles étaient rares, et combien peu elles méritaient le nom de villes, reconnaissent et prouvent que l'ancienne Metz, la ville capitale des Médiomatriciens, que Ptolomée, dans sa Géographie, nomme *Divodurum Mediomatricorum* (*d*), se distinguait cependant entre toutes les autres villes de la province, soit par son antiquité, étant un des principaux et des plus anciens établissements celtiques de cette partie de la Gaule, soit

martyrs, dont les miracles ont été si généralement dédaignés par certains critiques, ont des caractères d'authenticité et de vérité qui doivent suffire aux esprits sans prévention ; et les Bollandistes, non-seulement discutent sagement et recueillent avec respect les miracles des saints, dans leur immense ouvrage, mais souvent ils reprochent aux critiques leur partialité et quelquefois même leur mauvaise foi. Pour en citer un exemple, voici en quels termes ils réclament contre le silence de notre légendiste touchant le miracle arrivé dans l'église de Saint-Etienne de Metz, lorsque sainte Glossinde, s'y étant réfugiée, reçut le voile de religieuse des mains d'un envoyé céleste : *Hoc miraculum dissimulat ac propemodum negat in Vita sanctæ Glodesindis nuperus quidam legendista Gallus. Crisi dicam, an fide pessima? Certe locum hunc nullibi sic scriptum reperit ut eum ipse tradit. Vide Acta sancti Joannis Gualberti, ad diem 12 Julii, pag. 314, ubi gravius ejus delictum in hoc genere castigavimus.* (*Acta SS. Julii, die 25, ad Vitam S. Glodesindis, pag.* 205, B.)

(*a*) D. Calmet, dissert. sur les évêques de Metz, en tête de son Histoire de Lorraine. — D. Cajot, Antiquités de Metz. — Histoire de Metz, par les Bénédictins de Saint-Vanne, t. I.

M. l'abbé Clouet, bibliothécaire de la ville de Verdun, a commencé la publication d'une Histoire ecclésiastique de la province de Trèves, où il s'attache à reproduire, sur l'origine des Eglises de cette province, les opinions des savants Bénédictins, sans soumettre leurs arguments à aucune discussion, et par conséquent sans faire faire un pas de plus à la question. Il est bien à regretter que les travaux, d'ailleurs si remarquables de M. Clouet, soient restés en dehors du mouvement de révision et de réparation qui se manifeste à notre époque.

(*b*) Voyez, dans les *Acta sanctorum*, les articles saint Patient, au 8 janvier; saint Servais, au 13 mai; saint Autor, au 10 août; saint Adelphe, au 29 août, etc. Notre tâche eût été moins difficile et moins laborieuse, si ces savants eussent déjà eu traité l'article de saint Clément, premier évêque de Metz.

(*c*) *Hist. de l'Eglise gallicane*, t. I, p. 45.

(*d*) Μεδιομάτρικες, ὧν πόλις Διουοδουρον (*Ptolom.*, *Cosmogr.*, l. xi, c. 9).

Digitized by Google

par son étendue et sa population, étant le principal centre de la grande nation des Médiomatriciens.

Après les premiers chocs des légions de César et des peuples de la Gaule, les Médiomatriciens, ayant compris qu'ils ne pouvaient longtemps résister aux armes de ce conquérant, préférèrent subir volontairement le joug des Romains plutôt que de s'y laisser contraindre par la force. Ils offrirent leur alliance à César, qui l'accepta. Au milieu des embarras que lui suscitaient d'autres tribus, il aima mieux sans doute avoir cette puissante nation pour alliée, que pour ennemie. La fidélité constante et loyale des Médiomatriciens, et aussi l'étendue et la population de leur ville, engagèrent les Romains à en faire un des principaux siéges de leur puissance : en sorte que *Divodurum*, devenue leur alliée, loin de rien perdre de son état primitif, avait acquis, au premier siècle, une nouvelle et plus grande importance, comme point central de la domination romaine dans la Gaule-Belgique. C'est ce qu'attestent différents faits. 1° Des routes romaines convergeaient de divers points sur *Divodurum*. 2° Dès le premier siècle, les Romains l'embellirent de monuments remarquables. On peut citer un palais dans l'intérieur de la ville, et dans les faubourgs un amphithéâtre, et une naumachie alimentée par les eaux de Gorze. Ces eaux y étaient conduites par un aqueduc de vingt-deux kilomètres de longueur, passant, à Jouy, au-dessus de la Moselle, sur des arches d'une hauteur prodigieuse et d'une construction qui atteste les plus beaux jours de la puissance romaine (*a*). 3° On lit dans Tacite que ce fut dans cette ville que les légions romaines vinrent, des environs de Trèves, chercher un asile, après les malheurs qu'elles éprouvèrent durant la guerre contre Civilis (*b*). 4° Le même auteur nous dit que les légions de Vitellius y ayant été accueillies avec cordialité, *omni comitate*, se trouvèrent, dans une soirée, sur de faux bruits, saisies d'une terreur panique qui les fit courir aux armes, et que, dans leur fureur, elles se jetèrent sur les habitants paisibles et inoffensifs et en égorgèrent quatre mille (*c*). Une ville qui peut essuyer une aussi grande perte dans ses habitants, sans diminuer d'importance, doit certainement avoir une population considérable. 5° Les Romains avaient établi à *Divodurum* leurs magasins militaires et leurs manufactures de draps pour les légions. Les empereurs y avaient fait transporter et y faisaient conserver le dépôt de l'ameublement et des vêtements qui étaient à leur usage, lorsque les affaires du pays rendaient leur présence nécessaire dans la province (*d*).

Il est donc constant qu'au premier siècle, Metz était un point central des opérations des Romains dans la Gaule-Belgique, et que dès lors cette ville a dû se trouver par là même en relation continuelle avec la capitale de l'empire. Si Trèves rivalisa avec Metz sous ce rapport et devint la métropole de la province, ce ne fut que plus tard lorsque les empereurs jugèrent nécessaire de se fixer plus près du Rhin, pour s'opposer plus efficacement aux invasions devenues sans cesse menaçantes de la part des peuples Germains (*e*).

Toutes ces circonstances, comme on le voit, permettent de conclure, non sans quelque probabilité, que lorsque saint Pierre a envoyé des prédicateurs dans les Gaules, Metz dut être une des premières, et peut-être la première dans la Gaule-Belgique, qui eût part à un si grand bienfait.

Mais venons-en aux preuves positives de cet événement. Nous les trouvons dans la tradition de l'Eglise de Metz, et dans les monuments qui viennent à l'appui de cette tradition. A partir du siècle dernier, où la critique moderne est venue jeter du doute sur l'époque de la mission de saint Clément, et en remontant jusqu'aux temps les plus reculés, nous trouvons dans l'Eglise de Metz une croyance ferme, une tradition antique, constante, non interrompue, et consignée dans sa liturgie, qui nous apprend que saint Clément, son premier évêque, lui fut envoyé vers le milieu du premier siècle par l'apôtre saint Pierre, qui avait établi son siége à Rome, l'an 47 de Jésus-Christ; qu'étant arrivé à Metz, il jeta parmi les Médiomatriciens les premières semences de la foi, et parvint à y former un troupeau assez nombreux (*f*); qu'il eut pour successeur sur le siége de Metz saint Céleste d'abord, et après celui-ci saint Félix, qui tous deux avaient été ses coopérateurs dans l'accomplissement de sa mission apostolique; qu'enfin, depuis ces premiers prédicateurs, la série de nos évêques n'a éprouvé aucune interruption jusqu'à nos jours. A l'appui de cette tradition, l'Eglise de Metz nous montre le catalogue de tous les pontifes qui l'ont gouvernée depuis le Iᵉʳ siècle jusqu'au XIXᵉ, et qui se sont succédé sans autres interruptions que de rares et courtes vacances. Or voici quelques remarques, qui feront apprécier la valeur de cette tradition et des monuments qui servent à la constater.

1° Elle a été fixée dans un ouvrage authentique que nous possédons, et qui est antérieur aux siècles que l'on est convenu d'appeler siècles d'ignorance. Nous avons une Histoire des évêques de Metz écrite vers l'an 778 par Paul Warnefride, diacre d'Aquilée, connu dans les lettres sous le nom de Paul Diacre. Cet écrivain, un des plus distingués de l'époque de Charlemagne, et dont nous possédons plusieurs ouvrages estimés, était ministre secrétaire d'État de Didier, roi des Lombards, lorsque Charlemagne vainquit et détrôna ce prince. Le docte conquérant sut

(*a*) Les Bénédictins citent en outre un grand nombre de bas-reliefs, d'inscriptions, et de pierres tumulaires d'origine romaine, trouvés à Metz et dans les environs (*Voy.* l'*Histoire de Metz, t. I*, et les *Antiquités de Metz*).

(*b*) *Legiones in Mediomatricorum sociam civitatem abscessere* (*Tacit. Histor. l.* VI, *c.* 70.)

(*c*) *Divoduri, Mediomatricorum id oppidum est, quanquam omni comitate exceptos subitus pavor exterruit, raptis repente armis ad cædem innoxiæ civitatis : non ob prædam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis; donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere. Cæsa tamen ad quatuor millia hominum* (*Tacit. Historiar. l.* I, *c.* 63).

(*d*) Voyez l'Histoire de Metz, t. I, et les Antiquités de Metz.

(*e*) Le nom latin de Trèves, *Augusta Trevirorum*, prouve même que cette ville doit sa véritable fondation aux empereurs romains; et, en effet, à l'époque de César, Trèves était si peu de chose qu'Inducioniare, chef des Trévires, se préparant à la guerre contre les Romains, ne jugea pas qu'il fût possible de s'y défendre : il en fit même sortir les vieillards et les enfants, et chercha à les mettre en sûreté au fond de la grande forêt des Ardennes.

(*f*) Ce troupeau assez nombreux en lui-même pouvait n'être pas très-apparent pour les infidèles : car il ne se trouvait pas concentré dans *Divodurum*; il appartenait à toute la nation des Médiomatriciens, comme le prouvent les anciennes limites du diocèse de Metz. En effet, cette nation s'étendait à l'est des Trévires jusqu'aux Triboques, aux Némètes et aux Vangions, qui habitaient les bords du Rhin, et aux environs de Spire, de Worms et de Strasbourg. Or telle était aussi l'étendue primitive du diocèse de Metz, qui s'avançait par Vic, Dieuze, Blamont, jusqu'à Sarrebourg et Saverne. Saint Clément et ses successeurs ont donc étendu leurs prédications à toute la nation des Médiomatriciens, et en ont été regardés comme les pasteurs, à une époque où les Médiomatriciens n'avaient pas encore perdu leur caractère de peuple particulier et distinct des nations circonvoisines.

Digitized by Google

apprécier le mérite de Warnefride et l'attirer à sa cour. Il le plaça quelque temps à Metz pour y fonder une école, et c'est là que Paul, à la prière de saint Angelramne, a écrit son Histoire des évêques de Metz sur les documents qui lui furent communiqués, et avec une sagesse de critique que n'ont pas imitée depuis les chroniqueurs qui ont traité le même sujet. Il est évident qu'en travaillant à cet ouvrage Paul Diacre avait sous les yeux : 1° les diptyques de l'Eglise de Metz, pour établir l'ordre de succession des évêques; 2° des documents anciens, qu'il désigne dans son livre sous le nom de *relatio prisca*, *relatio antiqua*; 3° qu'il s'est entouré autant que possible de ce que l'histoire générale de l'Eglise pouvait lui fournir, pour compléter l'histoire particulière qu'il avait à traiter. C'est ainsi qu'il suit pas à pas Grégoire de Tours dans tout ce qu'il raconte de saint Autor et du sac de Metz. Ce serait donc tomber dans une erreur manifeste que de dire, comme quelques auteurs ont voulu l'insinuer, que c'est de Paul Diacre que date cette tradition de l'Eglise de Metz. La critique et la probité de Warnefride, le soin qu'il a de se taire et de nous prévenir quand ses do-

A cuments ne lui fournissent point de détails, l'état des lettres à l'époque et dans le pays où il vivait, nous donnent l'assurance qu'il n'a recueilli que des faits qui lui étaient attestés par des autorités graves, ou dont l'Eglise de Metz était en possession depuis longtemps. A l'Histoire des évêques de Metz de Paul Diacre est annexé un catalogue exprimant la durée de l'épiscopat de chaque évêque. Ce catalogue n'est autre chose évidemment que la copie des diptyques de l'Eglise de Metz, que Paul Diacre a eue sous les yeux en composant ce petit ouvrage. Comme il a écrit son opuscule en style soutenu, et qu'il a voulu présenter au saint évêque Angelramne une œuvre édifiante plutôt que scientifique, il n'a pas voulu sans doute la parsemer de chiffres, que du reste l'Eglise de Metz possédait déjà. Mais pour que tout fût réuni en un seul corps, il a fait extraire des diptyques et transcrire à la suite de son manuscrit le catalogue que l'on y trouve et qui par conséquent doit avoir
B l'autorité d'un document authentique (*a*).

Outre l'ouvrage de Paul Diacre et le catalogue qui y est annexé, nous avons encore une histoire de nos évêques, intitulée *Chronique des évêques de Metz*. Cette

(*a*) L'opuscule *De Episcopis Metensis Ecclesiæ* de Paul Diacre est imprimé, avec les autres ouvrages qui nous restent de cet auteur, dans le tome XIII° de la *Maxima Bibliotheca veterum Patrum*, éditée à Lyon, 1677. Le manuscrit d'après lequel cette Edition a été faite, était du IX° siècle, ou du moins conforme à un manuscrit du IX° siècle; car le catalogue qui y est annexé s'arrête au quatrième successeur de Saint Angelramne, à Walla, mort en 883.

D. Calmet, dans le I^er volume de son Histoire de Lorraine, donne, d'après un manuscrit du couvent de Saint-Arnoul de Metz, un texte de cet opuscule, bien différent, en ce qui concerne l'histoire de saint Clément, de celui qui est reproduit dans la *Maxima Bibliotheca veter. PP.* Mais le manuscrit de Saint-Arnoul a évidemment subi une énorme interpolation, qui a introduit dans l'œuvre de Paul Diacre, à la suite de ce qu'il a écrit sur saint Clément, un morceau contenant une grande partie des récits apocryphes qui ont eu cours aux X° et XI° siècles, sur la vie de l'apôtre de Metz. En voici les preuves :

1° Le manuscrit de Saint-Arnoul n'est, selon D. Calmet, que du XI°, ou, tout au plus, du X° siècle; or, c'était là l'époque de ces sortes d'altérations, dont on peut dire que souvent elles ont été faites par des hommes plus pieux qu'éclairés, qui pensaient compléter l'œuvre d'un auteur plus ancien, en y insérant les récits populaires qui étaient en vogue de leur temps. Les *Gesta Trevirorum*, édités dans le même volume par D. Calmet, ont, de l'aveu de ce savant, subi de semblables interpolations.

2° Le manuscrit, beaucoup plus ancien, d'après lequel a été faite l'Edition publiée dans la *Maxima Bibliotheca veter. PP.*, ne contient rien de ces récits apocryphes. Or, autant il est facile d'expliquer leur insertion dans le manuscrit de Saint-Arnoul, autant il serait difficile d'expliquer leur retranchement dans un manuscrit du IX° siècle, si elles se fussent trouvées dans l'autographe de Paul Diacre.

3° Paul Diacre dit un mot de l'opinion de quelques personnes, relativement à l'absence de serpents dans le lieu où saint Clément fixa d'abord sa demeure : mais ce n'est qu'avec précaution, et en laissant à d'autres la responsabilité d'une assertion qui ne lui semblait pas avoir tous les motifs désirables de crédibilité. *Asseverant*, dit-il, *qui ejusdem loci habent cognitionem, quod ubi primitus habitavit, nec serpens consistere queat, sed et omnino noxiæ pestes locum illum refugiant unde olim veræ salutis emanarunt insignia.* Voilà tout ce que l'on trouve dans Paul Diacre, qui puisse avoir quelque rapport avec ces prétendues merveilles racontées dans le manuscrit de Saint-Arnoul à la suite du passage que nous venons de citer. Mais qu'il y a loin de ce passage si réservé, et où la cause d'un phénomène, *affirmé par des personnes qui connaissent les lieux*, n'est pas même cherchée dans les actes personnels de saint Clément, à cette ridicule histoire de serpents insérée dans le manuscrit de Saint-Arnoul! Il y a même une véritable contradiction entre l'esprit dubitatif du passage précédent et le ton affirmatif du fragment interpolé. Le même auteur, et Paul Diacre surtout, ne peut avoir écrit dans la même page des choses aussi disparates.

4° Le style du fragment interpolé n'est pas celui de Paul Diacre : on n'y retrouve ni son goût ni son genre raisonnable; les pensées en sont exagérées,
C les superlatifs et les épithètes s'y entassent; enfin on y rencontre fréquemment des expressions telles que *præfatam urbem*, *amphitheatrum superius dictum*, ou *jam crebro nominatum*, *inibi*, *parvissimus*, etc. Ces locutions, qui ne sont nullement familières à Paul Diacre, indiquent une dégénérescence qui sent au moins le X° siècle. Que l'on en juge par le commencement de ce morceau que nous donnons ici : *Ferunt namque antiquiores nobis a senioribus priscis cultui sanctæ religionis admodum deditis veracissimo per varios temporum successus relatu vulgatum hujus sanctissimi præsulis atque apostolici viri tam ingens quod occuli non decet miraculum. Eo namque temporis articulo quo idem venerabilis pontifex ad præfatam devenerat urbem, maxima ejusdem pagi clades devastabat plebem. Amphitheatrum enim jam superius dictum tanta erat serpentium multitudine plenum*, etc. Le reste est dans le même goût.

5° Enfin, on remarque même que l'altération de
D l'ouvrage de Paul Diacre a été progressive et s'est accrue avec le temps. C'est ce qu'ont reconnu les Bénédictins de Saint-Vanne (*Hist. de Metz, t.* I, *p.* 263, *note*), en collationnant les manuscrits des couvents de Saint-Arnoul, de Saint Symphorien et de Saint-Clément de Metz.

Il nous est donc démontré par toutes ces raisons que le manuscrit de Saint-Arnoul a été réellement interpolé, et que pour avoir l'œuvre authentique de Paul Diacre, il faut recourir à l'Edition qui a été publiée dans la *Maxima Bibliotheca veter. PP.* Il est étonnant que les Bénédictins de Saint-Vanne, qui soupçonnaient l'altération du manuscrit de Saint-Arnoul, n'aient pas eu, non plus que D. Calmet, connaissance du vrai texte de Paul Diacre. Du moins ces savants ne raisonnent que d'après le texte altéré de Saint-Arnoul, sans supposer qu'il en existe un autre. Cette remarque est importante pour le sujet que nous avons entrepris de discuter.

Digitized by Google

chronique donne aussi la durée de l'épiscopat de chaque évêque ; mais elle n'est que du XII^e siècle (a). Enfin, nous possédons encore d'autres catalogues de même genre, mais ils sont tous postérieurs à celui de Paul Diacre (b).

2° Cette série d'évêques ne saurait être attaquée dans son intégrité. Ceux des premiers siècles, sur lesquels la critique aurait pu chercher à soulever des difficultés, sont la plupart honorés comme saints dans l'Eglise ; leur tombeau a été vénéré, et leurs reliques ont été transférées et honorées dans divers lieux, jusqu'à la fin du siècle dernier. Aussi les savants dont nous combattons l'opinion, n'ont-ils jamais révoqué en doute l'existence d'aucun de ces évêques (c).

3° On ne saurait non plus attaquer par des raisons directes la durée assignée à l'épiscopat de chacun de ces évêques dans les divers catalogues cités plus haut. Car tous ces catalogues sont généralement d'accord sur la durée des épiscopats ; les différences que l'on y rencontre viennent de fautes de copistes, ou bien de ce que les uns emploient des nombres ronds, tandis que les autres ajoutent aux années les mois et les jours.

Pendant les premiers siècles, où elle paraît suspecte à nos adversaires, la durée de ces épiscopats n'a rien que de conforme à la loi ordinaire de la succession, dans toute la série de nos évêques. Car durant les cinq siècles écoulés depuis le milieu du premier siècle jusqu'à l'an 550 où siégeait saint Villicus, vingt-quatre évêques sont montés sur le siége de Metz ; et dans les cinq siècles suivants, c'est-à-dire de saint Villicus à Adalbéron III, qui fut élevé sur le siége de Metz en 1047, on en compte vingt-cinq. La différence d'un évêque ou deux, dans le même espace de cinq cents ans de part et d'autre, pourrait même, sans recourir à la combinaison fortuite des âges de l'ordination et de la durée inégale de la vie humaine, s'expliquer par le défaut de succession immédiate, qui dut se présenter plus fréquemment durant les premiers siècles, où l'administration des Eglises ne pouvait être aussi régulière qu'elle le fut depuis, lorsque la religion fut devenue dominante dans l'Etat.

Or, en mettant au bout l'un de l'autre tous ces épiscopats, à partir de celui de saint Hespérius, qui siégeait certainement à Metz en 535, la durée assignée dans nos catalogues à l'épiscopat de chaque évêque nous conduit jusqu'au milieu du premier siècle, pour le commencement de l'épiscopat de saint Clément : résultat qui confirme complétement l'antique tradition de l'Eglise de Metz.

Voilà donc une tradition et des monuments à l'appui, qui en saine critique ne peuvent assurément pas être méprisés, et l'on doit bien se garder de la confondre avec ces traditions et ces documents sans autorité que les savants ont eu trop souvent, nous en convenons, à combattre et à faire disparaître. Il nous semble que pour ébranler une tradition si ancienne, si imposante, si solidement appuyée par des monuments authentiques, si bien en harmonie avec l'état de notre patrie durant les premiers siècles de la domination romaine dans les Gaules, il faut des arguments puissants et bien positifs. Voyons donc les preuves de nos adversaires : si nous parvenons à montrer, comme nous l'espérons, qu'elles ne sont nullement péremptoires, notre thèse restera debout avec toute l'autorité que nous venons de lui revendiquer.

Les arguments de nos adversaires se rapportent à différents chefs. Nous allons les exposer de suite, et les réunir en un seul faisceau, afin que l'on ne puisse pas nous soupçonner d'en dissimuler la valeur. Nous y répondrons ensuite article par article.

I. Saint Victor I^er, cinquième évêque de Metz, a assisté à un concile de Cologne tenu en 345, ou du moins a souscrit au concile de Sardique tenu en 347, comme on le voit par les Actes de ces conciles ; or, en donnant vingt ans d'épiscopat à chacun de ses quatre prédécesseurs, on arrive à peine au milieu du III^e siècle, pour y placer la mission de saint Clément et les commencements de l'Eglise de Metz. En outre, d'après Grégoire de Tours suivi par Paul Diacre, saint Autor, treizième évêque de Metz, a été emmené captif par Attila, lorsque ce prince barbare est venu saccager Metz en 451. Voilà donc deux dates qui fixent les commencements de l'Eglise de

(a) Cette Chronique a été imprimée dans le Spicilége de d'Achéry (*Edit. in-fol.*, *t. II*, *p.* 224).

(b) Voyez le *Monitum* du Spicilége de d'Achéry, placé en tête de la Chronique citée plus haut. Voyez aussi les Bollandistes (*Acta sanct.*, *t. XXXVII*, *29 août*, *art.* S. Adelphe).

(c) Saint Clément a été inhumé dans la crypte de l'oratoire qu'il s'était fait près de l'amphithéâtre. Cet oratoire fut, depuis, un lieu sacré pour les chrétiens de Metz, et la plupart de nos anciens évêques y furent inhumés à côté de saint Clément. Plus tard on bâtit sur cet oratoire, sous le titre de Saint-Félix, une grande église qui, au XI^e siècle, fut rebâtie et prit le nom de Saint-Clément. Aux environs de Saint-Clément, dans la partie du Sablon qui avoisine la ville, entre la Seille et la Moselle, se trouvaient plusieurs autres magnifiques églises, dont la plus célèbre fut celle qui, dédiée primitivement à saint Jean l'évangéliste, avait pris dans la suite le nom de Saint-Arnoul, lorsque le saint évêque de ce nom y fut inhumé et honoré. De là vient que ce lieu était désigné par les mots *ad Basilicas*. En 1552, toutes ces belles églises furent rasées par ordre du duc de Guise, et à leur place furent construites des fortifications, dans le but de mettre Metz en état de défense contre l'agression de Charles-Quint. Les reliques de saint Clément avec les reliques des saints évêques Victor I et II, Sambace, Phronime, Legonce et Explèce, furent alors transférées *intra muros*, et déposées plus tard dans une église qui prit le nom de Saint-Clément. Les reliques de saint Siméon avaient été données, en 770, à l'abbaye de Senones par saint Angelramne. L'évêque Drogon, au IX^e siècle, avait également retiré de Saint-Clément les reliques de saint Ruffe, qu'il avait accordées à l'abbaye d'Otternheim, près Worms ; celles de saint Adelphe, qu'il avait données à l'abbaye de Neuvillers, au diocèse de Strasbourg, et celles de saint Céleste et de saint Autor, dont il enrichit l'abbaye de Maurmoutier. L'église de Many, près Faulquemont, possède de temps immémorial des reliques de saint Céleste et de saint Autor, qui lui ont sans doute été données à l'époque de leur translation à Maurmoutier. Enfin, l'empereur saint Henri avait, au commencement du XI^e siècle, transféré en Allemagne les reliques de saint Félix. Le corps de saint Patient avait été inhumé dans l'église de Saint-Jean *ad Basilicas*, et fut, en 1552, transféré *intra muros* dans l'église de Saint-Arnoul. Le corps de saint Urbice fut d'abord déposé dans l'église de Saint-Maximin au delà de la Seille, puis dans une chapelle construite en son honneur hors de la ville et près de la porte des Allemands, d'où, en 1552, il fut transféré dans l'église paroissiale de Saint-Eucaire. La plupart de ces reliques ont été perdues pendant la révolution de 1793. L'église de Saint-Martin de Pont-à-Mousson conserve encore quelques os de saint Clément, qui lui avaient été donnés depuis longtemps, et dont elle vient de rendre quelques fragments à la cathédrale de Metz. Telle est l'histoire des reliques de nos quinze premiers évêques. Comme l'existence des évêques suivants ne peut en aucune manière être révoquée en doute, nous ne pousserons pas plus loin ces indications.



Digitized by Google

Metz au moins deux siècles plus tard que ne le font nos catalogues.

II. Nous avons une lettre de saint Ruffe, neuvième évêque de Metz, à saint Nicétius, archevêque de Trèves, son métropolitain. Or, saint Nicétius n'a occupé le siége de Trèves que vers 532, et saint Ruffe, selon nos catalogues, aurait dû vivre au commencement du IIIe siècle : autre difficulté de chronologie (a).

III. Il paraît bien qu'on a allongé la durée de l'épiscopat de plusieurs anciens évêques de Metz, pour atteindre les temps apostoliques ; car on doit regarder comme exorbitante et bien improbable la durée de l'épiscopat des évêques suivants, choisis parmi les plus anciens : saint Clément, qui a siégé 25 ans, saint Félix 42 ans, saint Siméon 30 ans, saint Ruffe 29 ans, saint Firmin 45 ans, saint Légonce 31 ans, saint Autor 49 ans, et saint Urbice 29 ans (b).

B IV. Il est à croire aussi que, toujours dans le but d'atteindre à cette antiquité, on a inscrit dans le catalogue des évêques de Metz des noms pris dans les catalogues des Églises voisines. Car saint Clément, saint Légonce et saint Autor sont nommés dans le catalogue des évêques de Trèves, et saint Firmin dans celui des évêques de Verdun.

V. L'histoire de saint Clément est remplie de détails apocryphes, qui ne méritent aucune croyance. Comment admettre qu'arrivant à Metz vers l'an 50, il se soit établi dans les cavernes de l'amphithéâtre qui, à cette époque, ne pouvait être abandonné et encore moins être en ruine, vu qu'il ne devait être construit que depuis une vingtaine d'années? Comment admettre que Metz, si peuplée alors, et cet amphithéâtre nouvellement construit, fussent des repaires de dragons et de serpents, que saint Clément aurait emmenés comme un troupeau se noyer dans la Seille? Comment admettre qu'il ait dédié un autel à saint Pierre du vivant de cet apôtre, qu'il ait fait construire plusieurs églises à une époque où les chrétiens n'en bâtissaient pas encore, etc.?

VI. Le culte de saint Clément était inconnu à Metz avant l'évêque Hériman, qui, en 1090, releva ses reliques, les renferma dans une châsse et les fit honorer dans une église qu'il fit bâtir et qu'il dédia en l'honneur de saint Clément (c).

VII. Comment croire que saint Patient, quatrième évêque de Metz, fût Grec d'origine, et envoyé par saint Jean l'évangéliste, vu que son nom même est latin? Et l'histoire de la dent de saint Jean, que saint Patient aurait reçue de cet Apôtre, et qu'il aurait fait honorer comme une relique, n'est-elle pas controuvée?

VIII. On ne voit point de conciles tenus à Metz avant le VIe siècle, « ce qui montre évidemment que A cette Église est très-récente, puisque partout on voit la célébration des conciles suivre de près l'établissement des grandes Églises (*Hist. de Metz, t. I, p.* 199). »

IX. Enfin, si l'Évangile a été prêché et a eu des sectateurs à Metz dès le Ier siècle, comment supposer que la chose soit restée inconnue aux autorités de la ville qui, étant païennes, auraient dû s'en préoccuper? Comment se persuader que les Romains aient permis que l'on exerçât publiquement et paisiblement au milieu d'eux, dans la ville de Metz, une religion contraire à la religion de l'État et prohibée par les édits des empereurs? Car on ne cite à Metz ni martyrs, ni confesseurs de la foi durant les persécutions qui en ont tant fait ailleurs, et notamment à Trèves. Cependant l'empereur Maximien-Hercule, à qui le nom chrétien était si odieux, a certainement visité Metz. C'est ce qu'atteste l'inscription d'un monument trouvé dans cette ville (d).

Voilà les objections. Nous ne les avons point dissimulées, ni affaiblies : reprenons-les successivement pour y faire nos réponses.

I. Nous dirons d'abord avec les Bollandistes (e), que s'il fallait suivre la chronologie assignée par nos adversaires pour l'épiscopat de saint Victor et pour celui de saint Autor, on tomberait dans de graves difficultés. Cherchons d'abord dans la chronologie de nos anciens évêques une date sûre qui puisse nous servir de point de départ. L'épiscopat de saint Hespérius nous la fournit. Cet évêque a assisté et souscrit au premier concile de Clermont tenu en 535 (f), et nous devons regarder comme exacts les documents qui le font monter sur le siége épiscopal en 531. Or, 1° en faisant assister saint Autor, treizième évêque de Metz, au sac de cette ville par Attila en 451, et saint Hespérius, le vingt-troisième, au concile de Clermont en 535, on ne trouve que 84 ans de saint Autor à saint Hespérius, ce qui ne laisse, terme C moyen, qu'environ 8 ans d'épiscopat pour chacun des dix évêques qui remplissent cet intervalle : tandis que, dans les cinq siècles suivants, aussi bien que dans toute la suite de nos évêques, la durée moyenne des épiscopats est d'environ 20 ans. Cette irrégularité dans la loi de succession de nos évêques accuse certainement une erreur dans la première de ces deux dates, puisque la seconde est incontestable. 2° D'après nos catalogues, les évêques, de saint Victor à saint Autor, ont dû siéger l'espace de près de 200 ans, et il n'y a que 104 ans du concile de Cologne à l'invasion d'Attila. Les mêmes catalogues donnent au moins 225 ans pour la somme des épiscopats de saint Autor à saint Hespérius, et il n'y a que 84 ans du sac de Metz par Attila au premier concile de Clermont. Il faut donc, d'un côté, regarder comme non avenue une tradition antique et constante, aussi

(a) Voyez ces difficultés de chronologie proposées par D. Calmet, dans sa dissertation sur les évêques de Metz (*Hist. de Lorraine, t. I, p.* 18 *et suiv.*). Nous ne parlons pas de saint Firmin ou Phronime, qu'un anachronisme de Baronius, dans le Martyrologe romain, fait assister au concile d'Agde en 506. On ne peut voir dans cette erreur que le résultat d'une distraction, car les Actes de ce concile portent : *Firminus presbyter, missus a domino meo Pappolo episcopo, subscripsi.* Cette souscription, comme on le voit, n'est pas même celle d'un évêque.

(b) Voyez D. Calmet à l'endroit cité plus haut, et l'abbé Clouet (*Hist. ecclésiast. de la province de Trèves, p.* 55, *note*).

(c) Histoire de Metz par les Bénédictins de Saint-Vanne, t. I. p. 210.

(d) Voyez D. Cajot (Antiquités de Metz, p. 167). — Nous ne parlons pas de l'absence d'antiquités monumentales, telles que pierres tumulaires, débris de constructions, etc., qui indiqueraient dans ces premiers siècles la présence du christianisme à Metz. Cet argument négatif n'est objecté par aucun savant. Car on sait que l'on ne bâtissait point encore d'églises D dans les premiers siècles, et que les Médiomatriciens n'étaient guère dans l'usage d'élever des monuments sur les tombeaux de leurs défunts. Toutes les pierres tumulaires qui datent de cette époque, portent en effet le cachet du paganisme romain, que les chrétiens ne pouvaient imiter. Au reste cet argument prouverait trop, car on ne connaît dans le diocèse aucun monument d'origine chrétienne qui remonte au VIe siècle : et cependant le christianisme, de l'aveu de tout le monde, y était établi au moins dès le commencement du IVe siècle.

(e) Sur cette première difficulté, voyez les *Acta SS. Tom. XIV, art.* S. Servais, *au* 13 *mai; Tom. XXXVII, art.* S. Autor, *au* 10 *août, et art.* S. Adelphe, *au* 29 *août.*

(f) *Hesperius in Christi nomine episcopus Ecclesiæ Metensis consensi et subscripsi* (*In Actis concilii Arvernensis I, apud Sirmund., Concilior. Gallicanor. T. I, ad annum* 535).

Digitized by Google

bien que des documents qui datent du VIIIe siècle, et qui ne portent en eux-mêmes aucun caractère de fausseté ni de supposition, et de l'autre reconnaître pour une suite de dix évêques une interruption de la loi historique des successions épiscopales. Ces deux conséquences sont bien graves en critique, et, pour être admises, elles ont besoin d'être appuyées sur des monuments tout à fait incontestables. Voyons donc si tels sont ceux qu'allèguent nos adversaires.

D'abord les Actes du concile de Cologne, auquel on prétend que saint Victor assista, ne peuvent être présentés comme un document d'une valeur irrécusable. Les Bénédictins de Saint-Vanne (*Histoire de Metz*, *t. I*, *p.* 216), avec Baronius, Tillemont, et d'autres savants, les regardent au contraire comme supposés, vu, disent-ils, que les noms des Pères qui y ont souscrit sont évidemment copiés sur les Actes du concile de Sardique tenu l'année suivante, et qu'Euphratas, évêque de Cologne, contre qui ce concile aurait été convoqué et qui y aurait été déposé et flétri, a cependant assisté l'année suivante au concile de Sardique, et a même été député par ce concile vers l'empereur Constance. Le P. Henschénius, dans sa savante dissertation sur saint Servais, évêque de Tongres, tout en admettant comme réelle l'existence de ce concile, en regarde cependant les Actes comme gravement altérés, au moins en ce qui concerne les noms propres. Ainsi, 1° il fait remarquer, d'après le P. Sirmond, que le mot *Laticlavo* est substitué au mot *Articlavo* qui est le nom ancien de la ville de Verdun. 2° Il cite comme mal à propos insérée dans ces Actes la souscription de Simplicius, évêque d'Autun, qui n'a vécu qu'au siècle suivant, tandis qu'en 346 c'est saint Cassien qui lui paraît avoir dû occuper le siége d'Autun. 3° Il penserait également que quelque demi-savant, ou quelque ignorant copiste, y aurait aussi inséré, à tort, ou au moins y aurait formé par l'altération d'un autre nom, celui d'Euphratas, évêque recommandable par sa science et sa vertu, et qu'il crut le successeur immédiat de celui qui aurait été déposé dans le concile. Les Pères du concile auraient tu le nom de celui-ci, pour ne point imposer à sa mémoire une flétrissure trop solennelle, ou bien peut-être le nom de cet évêque déposé avait-il quelque rapport avec celui d'Euphratas, que le correcteur ou le restaurateur inhabile aura cru devoir y substituer. Telles sont les principales altérations que Henschénius remarque dans les Actes de ce concile (*a*). Certes l'autorité d'un tel document est bien loin d'être irrécusable, quelle que soit d'ailleurs l'opinion que l'on adopte sur l'existence du concile de Cologne.

Le second monument que l'on oppose à nos catalogues est le texte des Actes du concile de Sardique tenu en 347, et auquel on prétend que saint Victor aurait également souscrit. Mais les souscriptions des évêques, dans les Actes de ce concile, parmi lesquelles on lit en effet le nom de Victor, même deux fois, sont données sans aucune indication de la ville épiscopale de chaque signataire. Ce n'est que par une supposition assez gratuite qu'on prétend que l'une de ces souscriptions, Victor, est celle de l'évêque de Metz. Une induction aussi conjecturale suffi- A rait-elle pour ruiner l'autorité de nos preuves positives?

En troisième lieu, le témoignage de Grégoire de Tours n'offre pas un argument plus solide; car cet historien se contredit manifestement lui-même sur le fait qui nous occupe, et le sens le plus raisonnable que l'on puisse donner à son texte est en faveur de nos catalogues, comme nous le verrons bientôt.

Enfin, la lettre de saint Ruffe, quatrième document que l'on allègue, n'est absolument d'aucune valeur, si ce n'est contre nos adversaires, comme nous nous réservons aussi de le démontrer plus bas.

Voilà donc les arguments les plus péremptoires de nos adversaires, qui ne se trouvent fondés que sur des monuments apocryphes ou falsifiés, sur des monuments contradictoires, ou d'une autorité purement conjecturale : documents que l'on doit, par conséquent, regarder en saine critique comme tout à fait impuissants contre la tradition de l'Eglise de Metz, B l'autorité de nos catalogues, et la loi régulière des successions épiscopales.

Que si, cependant, l'on veut que l'évêque de Metz ait véritablement souscrit au concile de Cologne, nous allons voir que cet évêque doit être saint Autor, et non saint Victor.

En effet, dans son récit du sac de Metz et de la captivité de saint Autor par Attila, Grégoire de Tours, suivi sur ce point par Paul Diacre, fait saint Autor contemporain de saint Servais, évêque de Tongres. Il raconte comment saint Autor a été prévenu par saint Servais de l'arrivée prochaine des barbares et du désastre futur de sa ville épiscopale (*Hist. Franc. l.* II, *c.* 5). Or saint Servais est un des Pères du concile de Cologne tenu en 346, et probablement aussi du concile de Sardique tenu en 347. Il est donc antérieur d'un siècle à Attila. D'un autre côté, en suivant les catalogues de nos évêques, saint Autor aurait occupé le siége de Metz depuis vers l'an 326 jusque vers l'an 375. C'est donc ce dernier qui C aurait souscrit au concile de Cologne avec son contemporain et son ami saint Servais; et dans les Actes que nous avons de ce concile, il faudrait lire *Autor* au lieu de *Victor*. Une erreur de copiste aurait ainsi substitué ce dernier nom à la place du nom véritable dans les souscriptions des Pères du concile. Après les autres falsifications ou corrections signalées dans les Actes de ce concile par le P. Sirmond et par le P. Henschénius, et que nous avons mentionnées plus haut, les Bollandistes n'hésitent pas à admettre ici une erreur de même genre, qui a dû introduire dans ces Actes le nom de Victor à la place de celui d'Autor; ils citent même des auteurs plus anciens qui ne doutent nullement de cette altération (*b*). D. Cajot se récrie, il est vrai; mais pour rejeter cette correction d'un texte fautif, il est obligé de faire une hypothèse semblable, tout à fait gratuite et bien plus difficile à expliquer, en mettant Aravatius ou Arvatius pour Servatius dans le texte D de Grégoire de Tours. Entre les noms Autor et Victor la différence n'est pas grande, surtout dans les écritures antiques. C'est à peu près le même nombre de traits presque identiques; et l'on conçoit

(*a*) Voici un extrait des propres paroles du P. Henschénius : *Simplicio datur episcopatus Augustodunensis, cum ibidem videatur tunc sedisse sanctus Cassianus, et post hunc Egemonius, ac dein sæculo sequenti Simplicius, uti diximus ad Vitam sancti Amatoris, 1 Maii. Liceat nobis ergo, cum venia lectoris, indicare quod arbitremur aliud nomen quoque in eumdem textum irrepsisse, aut falso suppositum a sciolo aliquo, aut ab imperito librario longe deformatum, ipsius scilicet episcopi Agrippinensis, ab aliis autem in concilio episcopis forsan alto silentio involutum ut famæ illius consuleretur, aut pro nomine Euphraxii, Euprasiive aut alio simili deformatum; Euphratæ, inquam, viri et eruditissimi et integerrimi, ut mox patebit : imo quem arbitramur nequitias alterius detexisse et in ejus depositi locum fuisse subrogatum.* (*Acta SS.*, *de S. Servatio, die 13 Maii, p.* 210, *C.*)

(*b*) *Consederat hic Autor cum sancto Servatio in concilio Agrippinensi; sed littera unica mutata per amanuensium inadvertentiam in Actis scribitur Victor : qui error jam ante observatus fuit a Meurissio, episcopo, in Historia episcoporum Metensium; ab Ægidio Gelenio, lib.* I *de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis, syntagmate 6, notatione 3; Claudio Roberto, in Gallia Christiana, aliisque* (*Acta SS. mensis Maii ad diem 13, de S. Servatio, p.* 214, *E*).

Digitized by Google

sans peine qu'ayant probablement sous les yeux un manuscrit de six à sept cents ans, altéré de vétusté, tels que devaient être les Actes du concile de Cologne au x<sup></sup>e ou xi<sup></sup>e siècle, un manuscrit où sans doute les caractères des signatures étaient mal formés, comme c'est l'ordinaire, un copiste aura pu facilement être conduit à lire Victor au lieu d'Autor, qui est un nom propre rare dans l'Eglise, et qui peut-être lui était inconnu. Ce mot d'ailleurs ne se rencontrait qu'une fois dans son manuscrit; tandis que dans l'ouvrage de Grégoire de Tours le mot Servatius se trouve répété un trop grand nombre de fois pour que l'on puisse admettre la possibilité d'une erreur de copiste qui l'aurait substitué au mot Arvatius.

Quant aux Actes du concile de Sardique, les souscriptions qu'on y lit ont tant de rapport avec les souscriptions du concile de Cologne, que celles-ci une fois altérées, on conçoit aisément que cette prétendue correction soit passée dans les Actes du concile de Sardique, si toutefois on veut admettre que l'évêque de Metz y ait souscrit : ce que du reste rien ne prouve incontestablement, comme nous l'avons dit plus haut.

Pour compléter nos explications sur ce premier argument de nos adversaires, il nous reste, 1° à rendre compte de la captivité de saint Autor autrement que par l'invasion d'Attila, et 2° à faire voir que le sens le plus raisonnable du texte de Grégoire de Tours est conforme à la chronologie de nos catalogues.

1° A l'époque où nos catalogues fixent l'épiscopat de saint Autor, l'histoire mentionne une grande invasion des barbares de la Germanie dans les provinces septentrionales des Gaules. L'empereur Constantin venait de mourir : ces barbares, que la terreur de son nom avait maintenus jusqu'alors, ne tardèrent pas à traverser le Rhin, pour porter leurs ravages sur les provinces de la Gaule. Le César Julien fut envoyé en Occident pour les combattre, et ayant remporté sur eux une célèbre victoire en 357, il parvint à les repousser au delà du fleuve et à en délivrer les provinces de l'empire. Durant cette invasion, Metz et son territoire furent saccagés et le saint évêque Autor emmené captif jusqu'à un lieu appelé *Decempagi*, que l'on croit être la ville de Dieuze.

2° Puisque Grégoire de Tours fait saint Autor tout à la fois contemporain de saint Servais et d'Attila, il y a dans son récit un anachronisme évident, quelle que soit l'époque admise pour l'épiscopat de saint Autor. Il est vrai que D. Calmet, pour éviter l'anachronisme de saint Servais contemporain d'Attila, admet un second saint Servais, évêque de Tongres, inventé par Pagi ; mais ce saint Servais II, tout à fait inconnu dans l'histoire, est rejeté par les autres critiques. Nous avons vu tout à l'heure que l'hypothèse qui substitue Arvatius à Servatius est également inadmissible. Nous pouvons ajouter que le mot Arvatius ne s'est rencontré dans aucun manuscrit de Grégoire de Tours, et qu'au VIII<sup></sup>e siècle Paul Diacre lisait déjà *Servatius*. C'est donc bien saint Servais, contemporain des conciles de Cologne et de Sardique, que désigne Grégoire de Tours au chapitre cinquième du livre second de son Histoire des Francs.

Dans l'interprétation d'un auteur, entre deux hypothèses renfermant chacune un anachronisme, la critique veut que l'on admette celle qu'exigent les plus grandes autorités, et dont l'anachronisme trouve plus facilement sa raison dans les idées de l'auteur que l'on explique. Or, nous avons d'un côté nos catalogues, qui font saint Autor contemporain de saint Servais, et non d'Attila : et de l'autre, nous n'avons que le récit de Grégoire de Tours, qui implique contradiction. En outre, on explique facilement l'erreur de Grégoire de Tours dans le sens de nos catalogues. Les Bollandistes (*a*) ne trouvent rien d'étrange à supposer que cet auteur ait confondu ensemble diverses dévastations que Metz a eu à subir de la part des barbares d'au delà du Rhin, et qu'il ait attribué à Attila la captivité de saint Autor, quoiqu'elle ait eu lieu dans une invasion plus ancienne. En cela il n'aura fait que subir les idées de son temps et l'impression de terreur qui restait encore des ravages d'Attila.

« L'invasion d'Attila, dit l'auteur des Annales du moyen âge, fut un événement prodigieux qui frappa vivement l'imagination des contemporains et de la postérité; à tel point que le souvenir ne put s'en effacer. Il semble même qu'on y rattache la désolation de plusieurs provinces, le sac d'une multitude de villes qui, peut-être, furent ruinées dans un autre temps et par d'autres invasions (*b*). » Grégoire de Tours n'est pas d'ailleurs d'une exactitude à faire éloigner cette supposition, surtout en ce qui concerne les faits qu'il n'a point vérifiés par lui-même ou recueillis sur des documents sûrs. C'est ainsi que dans son Histoire des Francs, il intervertit et confond l'ordre de succession des rois Vandales, attribuant même à l'un ce qui appartient à l'autre (*c*). Rien donc de plus naturel dans son récit que l'anachronisme par lequel il fait saint Autor contemporain d'Attila.

Ainsi tout s'explique. L'erreur de Grégoire de Tours une fois reconnue et la rectification des Actes du concile de Cologne admise, les événements et les personnages reprennent leur place naturelle dans la chronologie. Mais il nous reste encore un document à discuter, la lettre de saint Ruffe à saint Nicétius son métropolitain.

II. Nous sommes étonné, nous l'avouons, que le savant abbé de Sénones ait jugé cette prétendue lettre de saint Ruffe digne de figurer parmi les pièces du procès qu'il intente à l'antiquité de l'Eglise de Metz. Car, pour adopter et défendre un pareil document, il faut se jeter dans les contradictions les plus palpables. Comment, en effet, saint Ruffe, neuvième évêque de Metz, a-t-il pu exister en 532, si, comme le prétend D. Calmet, saint Autor, treizième évêque de Metz et quatrième successeur de saint Ruffe, a vécu 70 ans plus tôt et a été emmené captif par Attila en 451? Que faire en outre des treize évêques intermédiaires entre saint Ruffe et saint Hesperius, si le premier a écrit à saint Nicétius en 532, et si le second a assisté au concile de Clermont en 535? Le fait est que, dans cette lettre, l'on ne trouve rien qui prouve qu'elle soit de saint Ruffe, évêque de Metz. Elle est intitulée : *Epistola Rufi episcopi ad Nicetium papam*, sans aucune indication d'époque ni de lieu (*d*). Si l'on ne trouve pas dans l'histoire un autre Ruffe que l'évêque de Metz auquel on puisse l'attribuer, ou un autre Nicétius, pape ou archevêque, que celui qui gouvernait l'Eglise de Trèves au VI<sup></sup>e siècle, à qui elle ait pu être adressée par notre saint évêque, il faut conclure que c'est un document supposé, ou que l'on ne connaît pas tous les personnages de l'histoire : car il est bien évident que, dans aucune hypothèse, cette lettre n'a pu être écrite en 532 par saint Ruffe, évêque de Metz, à saint Nicétius, archevêque de Trèves.

On voit maintenant de combien peu de valeur sont les documents invoqués par nos adversaires contre

(*a*) *Acta SS. Augusti, ad diem* 10, *de S. Auctore*, *n.* 5.

(*b*) Annales du moyen âge, t. II, l. v, p. 212, Edit. in-8°, Paris, 1825.

(*c*) Voyez les *Acta sanctor.*, *Maii die* 13, *de S. Servatio*, p. 213, n. 14, et l'Histoire des Francs de Grégoire de Tours dans la collection des mémoires relatifs à l'Histoire de France, publiés par M. Guizot.

(*d*) Voyez l'Histoire de France de Duchesne, où cette lettre est rapportée, tom. I, p. 863.

Digitized by Google

l'origine apostolique de l'Eglise de Metz, et dans quelle confusion, dans quelles contradictions, dans quelles inextricables difficultés on est entraîné en les admettant. Aussi aucun de nos adversaires n'a tenté de coordonner la chronologie de nos évêques selon ces documents : c'eût été chose impossible. En suivant, au contraire, la chronologie de nos catalogues, avec les explications bien simples que nous venons de donner, tout se conçoit, tout devient clair, tout se coordonne et s'accorde parfaitement. Ce n'est pas saint Victor qui a assisté au concile de Cologne, mais saint Autor, contemporain, non d'Attila, mais de saint Servais qui, comme lui, a souscrit au même concile. C'est par ce dernier qu'il a été prévenu de l'invasion des barbares qui ont saccagé Metz vers le milieu du IV^e siècle et qui l'ont emmené captif. Enfin, la loi historique de la durée des épiscopats se soutient dans toute la série de nos évêques, et l'on n'est pas obligé de fouler aux pieds des monuments anciens et dignes de respect.

B

L'article de la chronologie éclairci et fixé, les autres difficultés n'étant que des preuves négatives ou des obscurités de détail, sont trop secondaires pour ébranler notre thèse. Nous allons cependant y répondre.

III. C'est bien gratuitement, pouvons-nous dire avec les Bollandistes, que l'on regarde comme exorbitante et improbable la durée de l'épiscopat de plusieurs de nos anciens évêques, et que D. Calmet suppose qu'on l'a allongée, pour plusieurs d'entre eux, dans le but d'atteindre aux temps apostoliques. Nous avons déjà fait voir que, pendant les cinq premiers siècles de nos catalogues, auxquels ce reproche s'applique, la durée moyenne des épiscopats est la même que dans les cinq siècles suivants, où les successions épiscopales sont tout à fait sûres. L'inspection de nos catalogues suffirait d'ailleurs pour faire tomber la supposition de D. Calmet. Car un faussaire de ce genre aurait-il laissé des épiscopats de 3 ans 2 mois, de 3 ans 6 mois, etc., comme ceux de saint Victor II, de saint Bonnole, à côté d'épiscopats de 42 ans 6 mois, de 34 ans, etc., comme ceux de saint Firmin et de saint Légonce? N'aurait-il pas réparti ses additions d'une manière moins inégale et plus vraisemblable? Enfin, pourquoi voudrait-on que ce qui a eu lieu plus tard n'ait pu exister dans les siècles anciens? Du VIII^e au XI^e siècle, sans sortir de nos catalogues, nous trouvons que saint Sigisbauld a siégé 24 ans; saint Chrodegang, 23 ans; saint Angelramne, 23 ans; Drogon, 33 ans; Robert, 34 ans; saint Adalbéron I, 35 ans; Thierry II, 43 ans; Adalbéron III, 26 ans; et Etienne, 44 ans. Ce dernier fut sacré en 1021, plus d'une année après son élection, par le pape Calixte II son oncle, et mourut le 29 décembre 1065. Nos quatre derniers évêques d'avant la révolution de 1793 ont été évêques, M. de Feuillade, 28 ans; M. de Coislin, 36 ans; M. de Saint-Simon, 27 ans; et M. de Montmorency, 55 ans. Ce dernier fut fait évêque d'Orléans, en 1753; de Condem, en 1757; et de Metz, en 1760; il a vécu jusqu'en 1808 (a). D. Calmet et ses disciples ne sont donc pas fondés à porter contre nos catalogues une accusation de fausseté, parce qu'ils présentent quelques longs épiscopats dans les premiers siècles, puisque cette difficulté n'en est pas une pour les siècles suivants.

C

IV. De ce que les noms de quelques-uns de nos anciens évêques se trouvent dans les catalogues d'autres Eglises, faut-il conclure que nos catalogues ont été falsifiés par l'introduction d'évêques étrangers à l'Eglise de Metz? Nous ne le pensons pas. Le même nom, en effet, n'a-t-il pas pu être porté par différents personnages dans ces siècles anciens, comme cela a eu lieu plus tard et a lieu encore aujourd'hui? Dira-t-on que saint Abbon, qui siégeait à Metz au commencement du VII^e siècle, a été inséré à tort dans nos catalogues, parce que, vers la même époque, un évêque nommé aussi Abbon occupait le siége de Verdun? La certitude de l'histoire de ces temps-là s'y oppose. Reconnaissons donc que cette identité de nom ne prouve rien contre l'autorité de nos catalogues. Ce qui le fait bien voir, c'est qu'elle tombe précisément sur des personnages bien connus, et dont l'existence comme évêques de Metz est indubitable. Personne, en effet, ne peut révoquer en doute que saint Clément ne soit le premier évêque de Metz; l'épiscopat de saint Autor se lie à l'histoire de Metz par des faits incontestables; saint Firmin est mentionné comme évêque de Metz dans le Martyrologe romain, et, enfin, les reliques de tous ces saints évêques ont été conservées jusqu'à ces derniers temps à Metz, ou dans les églises auxquelles elles ont été données (b). Que si l'on insistait sur la réalité des emprunts de ce genre, il faudrait les attribuer, non à l'Eglise de Metz, dont la série des évêques est trop inattaquable, mais aux Eglises voisines dont les catalogues, tout à fait insuffisants pour remonter aux temps apostoliques, sont d'ailleurs loin d'offrir la même certitude que celui de l'Eglise de Metz. Peut-être aussi que les soins donnés par quelques-uns de nos évêques à des peuples voisins dont les Eglises se trouvaient privées de pasteurs, auraient été la cause de l'insertion de leurs noms dans les diptyques de ces Eglises. Cette conjecture n'est pas tout à fait improbable, lorsqu'on se rappelle l'usage assez reçu parmi les premiers évêques des Gaules, de se regarder comme les missionnaires de toute une province, quand cette province manquait d'autres pasteurs. L'objection que nous réfutons ne peut donc fournir aucun argument sérieux contre l'autorité des catalogues de l'Eglise de Metz.

D

V. Mais en voici une autre qui paraît d'un plus grand poids aux yeux de nos adversaires, et sur laquelle ils insistent longuement. L'histoire de saint Clément est remplie de détails apocryphes qui ne méritent aucune croyance.

Des vérités historiques peuvent, nous n'en disconvenons pas, être embarrassées et obscurcies par des récits apocryphes. Le devoir d'une sage critique est alors, non pas d'abandonner la vérité avec l'erreur, mais de chercher à dégager l'une de l'autre, pour conserver la vérité et rejeter l'erreur. En reconnaissant des caractères de vérité à nos anciennes traditions, nous sommes loin de vouloir donner la même autorité à tout ce que des récits populaires, accueillis par de crédules auteurs, ont pu y ajouter. Nous nous en tenons, pour l'histoire de saint Clément, à l'œuvre authentique de Paul Diacre, c'est-à-dire à cette œuvre, telle qu'elle est reproduite dans la *Maxima Bibliotheca veterum Patrum*. Nous rejetons le texte altéré du manuscrit de Saint-Arnoul et des autres manuscrits du X^e siècle, dont nous avons prouvé l'interpolation (c). Or, c'est dans ces manuscrits falsifiés que se sont accumulées aux X^e et XI^e siècles, toutes ces légendes incroyables, souvent ridicules, et auxquelles nos adversaires ont recours pour attaquer la vérité de l'histoire de saint Clément. Le texte véritable de Paul Diacre est grave, raison

(a) L'histoire contemporaine nous offre des exemples non moins remarquables de longs épiscopats. Monseigneur le cardinal de la Tour d'Auvergne, actuellement évêque d'Arras, a été institué par le concordat en 1802, et a, par conséquent, déjà 45 ans d'épiscopat. Monseigneur Droste de Vischering, évêque de Munster, frère de l'illustre archevêque de Cologne, est venu, en 1844, visiter la sainte Robe à Trèves, dans sa 49^e année d'épiscopat; il a célébré, en 1845, le 50^e anniversaire de son sacre, et est mort en 1846, après 51 ans d'épiscopat.

(b) Voir, plus haut, la note de la col. 681.

(c) Voir, plus haut, la note de la col. 679.

Digitized by Google

nable, et exempt de ces histoires controuvées, que nous abandonnons volontiers à toutes les rigueurs de la critique. Ainsi, ce cinquième chef d'objections tombe de lui-même, sans qu'il soit nécessaire de nous y arrêter. Nous discuterons seulement quelques circonstances du récit de Paul Diacre, qui paraissent offrir de l'obscurité.

L'amphithéâtre étant de construction récente, comment Paul Diacre a-t-il pu dire que saint Clément s'y fit une demeure et un oratoire? — Cet auteur n'exprime cette circonstance qu'en en laissant la responsabilité à d'autres. *In cavernis, ut ferunt, amphitheatri hospitium habuit*; voilà ses expressions. Si on les pèse bien, on verra même qu'elles ne supposent nullement l'amphithéâtre en ruines, et qu'on a évidemment abusé des mots *in cavernis*, pour en venir à cette supposition. Que faut-il, en effet, entendre par ces cavernes de l'amphithéâtre? N'étaient-ce pas des chambres pratiquées sous les gradins, dont les unes étaient réservées pour les animaux employés dans les spectacles, et dont les autres servaient d'habitation aux gardiens ou à d'autres personnes auxquelles saint Clément, en partant de Rome, aurait bien pu être adressé et recommandé? Ou bien ces cavernes étaient-elles des espèces d'échoppes adossées à l'amphithéâtre, ou, enfin, d'autres cavités ou constructions voisines, qui tiraient leurs noms de ce monument? Quoi qu'il en soit, rien dans ces expressions ne suppose que saint Clément ait pris sa demeure dans l'intérieur même de l'amphithéâtre, et encore moins que ce monument fût en ruine.

Une autre circonstance que l'on objecte, c'est la consécration que fit saint Clément de son oratoire, sous le nom de Saint-Pierre, quoique cet apôtre fût encore vivant. Cela nous étonne, parce que nous attachons à ces mots, *præceptoris sui nomine consecravit*, l'idée d'un culte rendu à saint Pierre, selon que cela se pratique aujourd'hui dans l'Eglise, à l'égard des saints auxquels on dédie des temples. Mais est-il bien sûr que saint Clément ait eu la même pensée, et que cette dédicace sous le nom de saint Pierre ne se bornait pas à donner à son oratoire le nom de son maître vénéré, dont il voulait rendre le souvenir présent à son troupeau, comme moyen de maintenir l'unité catholique? Plus tard sans doute, et peut-être même du vivant de saint Clément (car il survécut à saint Pierre), ce souvenir d'unité et de piété filiale se changea en un véritable culte, que la tradition nous a transmis. Quoi qu'il en soit, plus ou moins d'obscurité sur ces circonstances secondaires ne peut infirmer la vérité du fait principal, tel que nous l'avons établi.

VI. Supposons que le culte de saint Clément ait été, avant le XIe siècle, aussi inconnu à Metz qu'on l'affirme, que s'ensuivrait-il relativement à la question qui nous occupe? Rien évidemment. Car il ne s'agit pas ici du culte rendu à saint Clément, mais bien de son existence et de l'époque de cette existence. Or, de cette prétendue absence de culte, on pourrait tout au plus inférer que sa sainteté n'aurait pas été authentiquement constatée par l'Eglise, mais non qu'il n'aurait pas existé, ou bien qu'il n'aurait existé qu'au IIIe ou au IVe siècle. La circonstance de l'époque à laquelle un personnage florissait, n'est nullement ce qui détermine le culte qu'on lui rend; et supposé que saint Clément ait vécu au IVe siècle, il aurait pu être honoré comme saint après sa mort, si l'Eglise l'eût jugé digne, aussi bien que s'il eût vécu au Ier siècle. Ainsi cette objection tombe à faux, et nous n'avons pas à la résoudre pour défendre notre thèse (a).

(a) Quoique ce ne soit pas ici le lieu de traiter des fondements du culte de saint Clément, comme l'objection que nous venons de réfuter attaque directement ce culte, nous ferons rapidement les observations suivantes.

De ce qu'avant l'élévation et la translation des reliques de saint Clément par l'évêque Hériman, on ne trouve pas dans l'histoire d'autre fait aussi saillant pour attester le culte rendu par l'Eglise de Metz à son premier évêque, conclure que ce culte n'existait pas et le faire dater de cet événement, c'est une manière fausse de raisonner, que l'on reproche à juste titre à la critique du XVIIIe siècle. C'est, en effet, assez sa méthode de rejeter des fastes de l'Eglise tout ce qu'elle ne trouve pas autorisé et appuyé par des monuments matériels, sans respect pour le témoignage des anciennes traditions des Eglises. Et cependant, en fait de culte, et spécialement à l'appui du culte des saints des premiers siècles, que peuvent présenter les Eglises, sinon leurs traditions, leurs usages, leurs pratiques immémoriales? Ne semble-t-il pas qu'aux yeux de la critique, les traditions, les usages, le culte des Eglises pouvaient être anéantis, changés, ou formés subitement, selon le caprice ou la piété mal entendue d'un évêque? A-t-on jamais vu dans l'Eglise aucun évêque s'aviser un jour d'établir le culte inconnu d'un personnage mort depuis des siècles? Porter une semblable accusation sans preuves, comme on le fait ici, contre un évêque éclairé et aussi zélé qu'était Hériman, n'est-ce pas faire une injure bien grande et bien gratuite à sa mémoire? et si, par impossible, une telle tentative eût été faite, comment admettre que tout le clergé et tous les fidèles d'un diocèse, sur la simple parole d'un évêque, se soient courbés sans réclamation, et aient rendu un culte solennel à un personnage inconnu jusqu'alors dans le catalogue des saints et dans la liturgie de leur Eglise? Il nous semble au contraire qu'on raisonnerait tout à fait juste en prenant le contre-pied de l'objection, et en disant: Hériman a relevé les reliques de saint Clément et les a placées sur les autels, où, depuis, elles n'ont cessé d'être l'objet du culte du clergé et des fidèles du diocèse; donc le culte de saint Clément était en usage et admis de temps immémorial dans l'Eglise de Metz, à l'époque de Hériman: autrement l'honneur rendu à ces reliques eût été, dans cette Eglise, une innovation bien étrange, et dont il serait impossible de rendre raison.

Nous trouvons, en effet, le culte de saint Clément, comme celui de la plupart de nos autres saints évêques, établi dans les plus anciens monuments de notre liturgie. Il est vrai que ces monuments sont postérieurs à Hériman; mais l'office de saint Clément y a les mêmes caractères d'antiquité que celui des autres évêques, et il n'y a aucun doute que s'il nous était parvenu quelques documents qui nous fissent connaître l'état de la liturgie dans notre diocèse durant les siècles précédents, nous trouverions le nom de saint Clément en tête du catalogue des saints évêques de Metz honorés dans la liturgie de cette Eglise. Tout ce que nous apprenons, par l'histoire, des honneurs rendus à nos saints évêques, nous les montre groupés autour de saint Clément.

En effet, la crypte où saint Clément a été inhumé n'a-t-elle pas été le premier lieu sacré des chrétiens de Metz? N'a-t-elle pas été constamment l'objet de leur vénération pendant des siècles, à cause des saintes reliques qu'elle contenait? N'est-ce pas dans cette crypte comme dans un sanctuaire à part, qu'on déposait, pour être honorées d'un culte commun avec celles de saint Clément, les reliques de ses saints successeurs, dont quelques-uns sont nommés dans le Martyrologe romain? Ces derniers, qui ont certainement droit au culte public de l'Eglise, n'étaient pas honorés autrement que saint Clément dans cette antique sépulture, et Paul Diacre ne loue pas moins la sainteté de l'apôtre de Metz que celle de nos autres saints pontifes. Si plus tard, lorsque les miracles de saint Félix de Nole firent tant du

Digitized by Google

VII. Venons à saint Patient. Nous n'avons pas pour son histoire l'autorité de Paul Diacre, qui ne fait que le nommer, en lui donnant part à une phrase d'éloge commune à plusieurs successeurs de saint Clément. Nos chroniques le font Grec d'origine, envoyé par saint Jean l'évangéliste à une époque où l'Eglise de Metz, après avoir été gouvernée successivement par les deux compagnons de saint Clément, saint Céleste et saint Félix, était enfin restée sans pasteur. Cette mission de saint Patient par saint Jean l'évangéliste, est, dans l'histoire de ce saint évêque, le seul fait que nous croyons ne devoir pas être abandonné, sans toutefois y attacher aucune importance relativement à notre thèse générale. Son nom latin n'est point une difficulté réelle : car l'Asie mineure était devenue une province de l'empire depuis assez longtemps, pour que des familles romaines aient pu s'y être fixées en y conservant leurs noms latins. La plus grande difficulté, soulevée par les Bollandistes eux-mêmes (a), est dans la chronologie.

En suivant nos catalogues, on ne peut guère dater le commencement de l'épiscopat de saint Patient que de l'an 130 ; or, comment a-t-il pu être alors envoyé par saint Jean, qui avait cessé de vivre la troisième année du règne de Trajan, c'est-à-dire en l'an 100 ? Nous inclinerions à croire qu'il s'est glissé une erreur de chiffre dans la durée de l'épiscopat de saint Félix, prédécesseur de saint Patient. Les catalogues A lui donnent 42 ans et 6 mois d'épiscopat, ce qui, sans être impossible, paraît peu probable. Car si on le suppose âgé de 25 ou 30 ans lorsqu'il vint chez les Médiomatriciens, avec saint Clément et saint Céleste, ses 42 ans d'épiscopat joints aux 25 années de saint Clément et aux 15 années de saint Céleste, lui assignent une vie de 105 à 110 ans. Si l'on suppose au contraire qu'il n'ait siégé que 13 années au lieu de 42, et qu'un copiste ait écrit par erreur XLII au lieu de XIII, tout s'arrange, tout devient facile (b). Ce saint évêque aurait tenu le siége jusque vers l'an 100 ; et, dans sa vieillesse, rencontrant des difficultés à recevoir de Rome un successeur, il se serait adressé à saint Jean, qui vivait encore. Cet apôtre lui aurait envoyé saint Patient, qui alors aurait siégé plus longtemps que ne le portent nos catalogues. S'il était permis de supposer une seconde faute ou une correction maladroite, on verrait qu'il n'était pas difficile à un copiste d'assigner 14 années d'épis-
B copat à saint Patient au lieu de 45, en écrivant XIV au lieu de XLV ; en sorte que ce serait ce dernier, et non saint Félix, qui aurait eu un épiscopat de plus de 40 ans. La vétusté des manuscrits peut avoir mis les copistes dans des incertitudes qui auraient été la cause de ces erreurs de dates.

On peut encore résoudre la difficulté autrement, et admettre que saint Félix, âgé et infirme, ayant demandé un coadjuteur à saint Jean vers la fin du Ier siècle, aurait encore vécu longtemps après avoir

bruit dans l'Eglise et rendirent son culte si populaire, on adjoignit à la crypte de saint Clément une Eglise sous l'invocation du Thaumaturge de la Campanie, ce fut sans préjudice pour le culte rendu à nos saints évêques que cette crypte toujours vénérée renfermait. Ce fut de là, en effet, comme d'un trésor sacré, qu'à différentes époques on tira des corps saints pour enrichir d'autres Eglises de ces précieuses reliques, et que celui de saint Clément lui-même fut enfin extrait aussi pour être placé sur les autels.

Mais pourquoi avoir attendu si tard pour rendre aux reliques de saint Clément l'honneur qui ne leur a été décerné qu'au XIe siècle par l'évêque Hériman? Pourquoi ne les avoir pas relevées plus tôt de terre pour les exposer sur les autels? La réponse à cette question est évidente pour les personnes qui connaissent le profond respect dont l'Eglise d'Occident était pénétrée pour les reliques des saints. Ce respect allait jusqu'au point de n'oser toucher à ces ossements sacrés. Aussi se gardait-on bien de les déranger du lieu où ils avaient primitivement été déposés. Nous voyons un exemple de ce respect dans l'invention des reliques de saint Saturnin, apôtre de Toulouse. Lorsque au IVe siècle, Hilaire, évêque de cette ville, eut découvert le lieu de la sépulture de saint Saturnin, il eut grand soin de ne pas toucher à ces ossements précieux ; il se contenta de faire creuser à l'entour les fondations de la petite chapelle qui devait les renfermer. Le pape saint Grégoire le Grand, au VIe siècle, nous exprime toute l'étendue de cette vénération, dans sa réponse à l'impératrice Constantine, qui lui avait demandé des reliques de saint Paul, pour en enrichir l'église qu'elle faisait construire en l'honneur de l'Apôtre des nations. Saint Grégoire refuse positivement d'envoyer des ossements sacrés à cette pieuse princesse, « parce que, dit-il, ce n'est pas l'usage à Rome, quand on donne des reliques, de jamais toucher au corps des saints; on se contente de donner quelques morceaux des étoffes qui les enveloppent. C'est, ajoute-t-il, une chose tout à fait défendue et même sacrilége à Rome et dans tout l'Occident, d'avoir seulement la volonté de toucher les ossements des saints. » *Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur..... In Romanis namque vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit* (*S. Greg. Magni epist.* 30, *ad Constantinam Augustam; in ejus operibus, t. II, p.* 708).

Ce n'est guère qu'au VIIIe siècle que l'on commença à faire céder ce religieux respect pour les
C corps des saints à l'avantage que la piété des fidèles devait retirer de leur exposition solennelle dans les églises. Nous lisons dans l'histoire de saint Chrodegang (VIIIe siècle), qu'ayant été député par Pépin le Bref près du pape saint Etienne, pour l'engager à passer en France et à se soustraire ainsi à la tyrannie d'Astolfe, roi des Lombards, ce souverain pontife fit don à notre pieux évêque des corps des martyrs saint Gorgon, saint Nazaire et saint Nabor, bienfait extrêmement rare à cette époque. Ce fut sans doute à l'imitation du pape Etienne que saint Angelramne se permit, quelques années plus tard, de retirer de la crypte de saint Clément le corps de saint Siméon, pour le donner à l'abbaye de Sénones ; que Drogon, vers le milieu du IXe siècle, osa aussi en retirer quatre corps, ceux de saint Ruffe, de saint Adelphe, de saint Céleste et de saint Autor, pour en gratifier d'autres abbayes ; qu'au milieu du XIe siècle, le corps de saint Félix en fut également retiré et donné à
D l'empereur saint Henri ; et qu'enfin l'évêque Hériman, vers la fin du même siècle, crut qu'il serait plus convenable d'exhumer le corps de saint Clément lui-même, et des autres saints évêques ensevelis à ses côtés, pour leur donner une place d'honneur sur les autels, selon l'usage qui avait prévalu dans l'Eglise. Sa piété lui inspira alors le dessein de remplacer la modeste crypte de saint Clément par une basilique qui lui fut dédiée. Y a-t-il dans tout cela rien qui prouve que le culte de saint Clément fût jusqu'alors inconnu à Metz, et n'est-ce pas plutôt la conclusion tout opposée qu'il faut admettre?

(*a*) *Acta SS. mensis Februarii, die* 21, *de S. Felice, p.* 236, E.

(*b*) L'usage des chiffres romains rendait ces erreurs faciles et communes, et les Bénédictins de Saint-Vanne admettent dans leur Histoire de Metz plusieurs corrections de ce genre. Voyez tom. I, p. 121, 178.

Digitized by Google

remis à ce coadjuteur le soin de son troupeau, qu'il ne pouvait plus désormais gouverner par lui-même; et sa mort, arrivée enfin vers l'an 130, aurait causé cette espèce de contradiction que nous trouvons entre les chiffres de nos catalogues et la tradition qui nous apprend que saint Patient reçut sa mission de l'Apôtre saint Jean. Mais, encore une fois, ce ne sont là que des obscurités de détail sur lesquelles il peut rester des difficultés, sans que notre thèse générale en soit ébranlée. Quant au fait de la mission de saint Patient par saint Jean l'évangéliste, la tradition qui l'atteste a bien pu s'altérer sur les circonstances : mais il nous semble qu'elle a dû avoir son origine dans la réalité du fait principal; et nous ne pensons pas qu'il faille l'abandonner comme fausse sur ce point, pour une incertitude de chronologie, qui, comme on vient de le voir, ne demeure pas sans solution. Parmi les circonstances dont le fait de cette mission a été surchargé, les unes nous semblent mériter peu de confiance, et les autres nous paraissent tout à fait inadmissibles (*a*).

VIII. Il n'y a point eu de conciles célébrés à Metz avant l'an 538, où une chronique manuscrite citée par Meurisse (*Histoire des évêques de Metz*, *p.* 76) en mentionne un qui paraît être le premier qui fut tenu dans cette ville. Ce qui montre *évidemment*, dit-on, que cette Eglise était *très-récente*, puisque *partout* on voit la célébration des conciles suivre de près l'établissement des *grandes Eglises*. — Pour nous, cette évidence ne nous frappe nullement : nous voyons même assez clairement, au contraire, que les auteurs de cet argument en ont senti tout le faible, puisqu'ils ont cru devoir, pour le rendre plus spécieux, faire de l'Eglise de Metz une *grande Eglise*, et généraliser un fait qui n'est point constaté pour toutes les grandes Eglises. Il est bien difficile, en effet, de se persuader que l'Eglise de Metz fût *très-récente* au VI[e] siècle, quand on voit son *vingt-troisième* évêque, saint Hespérius, assister au concile de Clermont en 535. Cette objection d'ailleurs prouverait trop; car s'il était incontestable que la tenue des conciles eût toujours suivi de près l'établissement des grandes Eglises, et si l'on admettait pour celle de Metz le titre de *grande Eglise* qu'on veut bien lui décerner ici, on ne pourrait pas même faire remonter au IV[e] siècle l'origine de cette Eglise, puisque ce n'est que vers le milieu du VI[e] qu'elle fut, pour la première fois, honorée de la présence d'un concile.

Mais répondons directement par les observations suivantes : 1° Les savants de Saint-Vanne n'exigeront pas sans doute, en preuve de l'origine apostolique de notre Eglise, qu'il y ait eu des conciles tenus à Metz durant les trois premiers siècles : l'état d'oppression où se trouvait la religion chrétienne ne permettait pas ces éclatantes manifestations du gouvernement de l'Eglise. Dans les Gaules surtout, les Eglises étaient encore trop peu nombreuses et trop peu florissantes, pour que l'on pût songer à y célébrer des conciles. 2° Durant les IV[e] et V[e] siècles, les provinces de la Gaule septentrionale furent si souvent dévastées par les barbares d'au delà du Rhin, que la tenue des conciles y rencontrait encore de très-grands obstacles. Dans ces temps de troubles et de calamités publiques, les voyages étaient dangereux et les communications très-difficiles. D'un autre côté, les hérésies qui agitaient les provinces centrales de l'empire n'atteignirent point le corps épiscopal dans le nord de la Gaule; et ces hérésies, comme on sait, étaient, dans ces siècles anciens, la cause ordinaire de la tenue des conciles. Aussi l'histoire nous apprend-elle qu'autant ces assemblées A étaient alors fréquentes dans les provinces rapprochées du centre de l'empire, autant elles étaient rares dans nos provinces reculées. 3° En établissant l'origine apostolique de l'Eglise de Metz, nous n'avons pas eu la prétention de la présenter comme une *grande Eglise*, comme une Eglise mère d'autres Eglises, puisqu'au contraire il est notoire qu'elle est restée Eglise de second ordre, tandis que Trèves sa voisine est devenue métropole de la province. Si donc la nécessité d'un concile provincial se fût manifestée, c'est à Trèves, siége de l'autorité spirituelle et temporelle de la province, qu'il eût dû être convoqué, à moins que la nécessité d'instruire sur les lieux la cause d'un accusé n'eût exigé que l'assemblée se tînt ailleurs, comme cela est arrivé, en 545, pour l'Eglise de Cologne. L'Eglise de Metz n'a pas eu la douleur de voir se présenter pour elle une semblable nécessité.

Concluons donc que, s'il n'y a pas eu de conciles B célébrés à Metz avant le VI[e] siècle, ce n'est nullement parce que l'Eglise de Metz était très-récente; mais c'est que, vu la difficulté et la rareté de la célébration des conciles dans nos provinces avant cette époque, il ne s'est point présenté de circonstances assez graves pour motiver la réunion à Metz d'aucune de ces saintes assemblées.

IX. Reste, enfin, à discuter l'absence de persécutions suscitées par les païens dans l'Eglise de Metz. Nous convenons que nos annales ne contiennent aucun document qui atteste que les chrétiens de Metz aient été persécutés pour leur religion, soit par leurs compatriotes païens, soit par les Romains qui ont fait ailleurs tant de généreux martyrs; et quoique l'on puisse dire peut être que les documents de ce genre ont été anéantis avec bien d'autres au milieu des ruines dont Metz a été si souvent le théâtre durant les cinq premiers siècles de notre ère, nous admettrons volontiers tout de suite qu'il n'y a pas eu dans C l'Eglise de Metz de persécutions contre les chrétiens. — Mais on conviendra que cet argument est tout à fait sans valeur dans la question qui nous occupe, si l'on veut bien peser les considérations suivantes.

1° A Metz, aussi bien que dans le reste des Gaules, les progrès du christianisme ont été lents et sans éclat, comme le prouve le P. Longueval. 2° Metz étant une ville grande et populeuse, le christianisme a pu se propager et y former un troupeau assez nombreux en lui-même, mais faible eu égard à la population, et par conséquent peu capable d'attirer l'attention de l'autorité. 3° Les Médiomatriciens, qui restaient attachés au culte des idoles, avaient vu s'introduire parmi eux, avec les armées romaines, une si grande variété de dieux et de cultes inconnus à leurs ancêtres, qu'ils durent devenir assez indifférents en matière de religion, et ne voir pendant longtemps, dans le christianisme, qu'un D dieu et qu'un rite de plus. 4° Les Romains n'étaient pas tous persécuteurs des chrétiens : il y avait souvent, dans les armées, des chrétiens, même parmi les chefs; l'exécution des décrets dépendait beaucoup des gouverneurs particuliers des villes, de la tranquillité et de l'union des habitants; et, dans un grand nombre de villes, des gouverneurs humains trouvaient toujours moyen de faire taire les dénonciateurs et de pallier la présence des chrétiens, en faisant disparaître pour un temps ce qu'il y avait d'ostensible dans leur culte. 5° Metz, étant une ville alliée, possédait une plus grande part d'autorité dans son administration que les villes qui, comme Trèves, ayant été réduites par les armes, étaient devenues

(*a*) Le fragment de la Vie de saint Céleste, recueilli par les Bollandistes (*Acta SS. Januarii, t. I, p.* 469), nous paraîtrait presque une amplification faite par son auteur, dans le but d'exercer son imagination sur un sujet pieux, plutôt que dans le but d'écrire la vie d'un saint.

Digitized by Google

presque entièrement romaines (a). 6° Les habitants de Metz, soit païens, soit chrétiens, naturellement paisibles (b), humains, et composés d'une seule nation indigène, étaient unis entre eux par des relations de société et souvent par des liens de famille, et devaient, par conséquent, tous concourir à éviter tout ce qui pouvait amener l'effusion du sang de leurs concitoyens, surtout après qu'ils eurent été avertis par le cruel exemple de Trèves, à quels affreux excès pouvaient conduire d'imprudentes dénonciations. 7° Il est impossible d'admettre une Eglise nombreuse et florissante à Trèves à la fin du IIIe siècle, sans convenir du même fait pour Metz, soit à cause du commerce réciproque de ces deux villes, soit parce que les relations avec Rome étaient au moins aussi faciles et aussi fréquentes pour Metz que pour Trèves. 8° La plupart de nos adversaires admettent que Metz eut des chrétiens et des évêques vers le milieu du IIIe siècle; c'est par conséquent à eux aussi bien qu'à nous de dire pourquoi l'empereur Maximien-Hercule et son ministre Rictius Varus n'y firent point de martyrs comme à Trèves. 9° Enfin, Metz n'est pas le seul exemple que l'on puisse citer d'une ville qui, renfermant une Eglise dans son sein, aurait cependant traversé les premiers siècles sans martyrs, malgré la publication des édits de persécution et la présence des princes persécuteurs. L'Eglise d'Arles, que le P. Longueval regarde comme fondée par les disciples des apôtres, n'a eu non plus aucun martyr, si l'on excepte saint Génès qui, étant greffier lorsque Maximien-Hercule vint à Arles, fut décapité par ordre de cet empereur, pour avoir refusé de transcrire l'édit de persécution que faisait publier ce mortel ennemi du nom chrétien.

Il n'est donc pas impossible qu'entourée de certaines circonstances, une Eglise particulière ait traversé les époques de persécutions païennes sans voir couler le sang de ses enfants; et cette dernière objection, ainsi que les précédentes, reste sans force pour ébranler les traditions de l'Eglise de Metz sur son origine apostolique.

Résumons enfin, et concluons. Le P. Longueval a prouvé le fait général de l'établissement du christianisme dans les Gaules dès le temps des apôtres; il met l'Eglise de Metz au nombre de celles qui peuvent, avec le plus de raison, prétendre à cette antiquité. L'état de Metz, dès les premiers temps de la domination romaine, rend cette assertion vraisemblable; et la tradition de cette Eglise, appuyée sur des A monuments respectables par leur antiquité et leur authenticité, revendique pour elle cet honneur avec une grande force de raison. La critique moderne a émis, il est vrai, une opinion contraire; mais en soumettant ses arguments à une discussion impartiale, nous n'en avons, ce nous semble, laissé aucun sans y répondre d'une manière, sinon toujours péremptoire, du moins toujours plausible et suffisante pour montrer leur inefficacité contre nos preuves positives.

Nous avons fait voir, en effet, que les monuments allégués contre la chronologie qui résulte de nos catalogues n'ont point dans la question présente, la valeur qu'on leur attribue; que le texte de Grégoire de Tours, en ce qui concerne saint Autor, doit s'interpréter en faveur de notre opinion; que les détails apocryphes, qui ont pris cours au Xe siècle, touchant l'histoire de saint Clément, ne peuvent en ébranler la vérité historique, telle que Paul Diacre B l'avait recueillie dès le VIIIe siècle. Nous avons montré que le culte de l'apôtre de Metz n'est point aussi récent qu'on voudrait le faire croire, quoique d'ailleurs cette circonstance ne soit d'aucun poids pour fixer l'époque de sa prédication; que la série de nos évêques n'a pu être allongée par l'insertion d'aucun nom qui y serait étranger; qu'enfin on ne peut tirer aucun argument solide contre la thèse que nous défendons, ni de la mission de saint Patient par saint Jean l'évangéliste, ni du défaut de persécution contre les chrétiens dans le pays messin durant les premiers siècles, ou du défaut de conciles célébrés dans la ville de Metz durant les deux siècles suivants.

La tradition, qui atteste l'origine apostolique de l'Eglise de Metz, demeure donc revêtue de tous les caractères d'une haute probabilité; et nonobstant les obscurités qui peuvent rester encore sur quelques circonstances d'un fait aussi difficile à éclaircir à cause de son antiquité et du défaut de documents détaillés, nous sommes en droit de conclure qu'on C est plus près de la vérité historique en admettant la tradition de l'Eglise de Metz, qu'on ne le serait en la rejetant, pour suivre les enseignements opposés de la critique du XVIIIe siècle. En deux mots, cette tradition se présente à nous avec une autorité imposante, que n'ont pu ébranler toutes les attaques de la science moderne, et qui doit la rendre chère et digne de respect à tous les enfants de cette antique Eglise

(a) Suétone nous assure que les villes alliées, et selon Tacite Metz était de ce nombre (*Voir la note* b *col.* 677), ne furent point réduites en provinces romaines comme les autres villes conquises par César. *Omnem Galliam, præter socias civitates, in provinciæ formam redegit* (*Suet. in Jul. Cæs.*, *cap.* 25).

(b) Une preuve du caractère pacifique et humain des Médiomatriciens, c'est que, nonobstant leur valeur guerrière bien connue, ils eurent la sagesse de se tenir constamment en dehors de toutes les révoltes des nations voisines, qui firent tant de fois couler le sang sur le sol gaulois, pendant les premiers temps de la domination romaine.

# MONITUM IN LIBELLUM SEQUENTEM.

(Pertz, Monumenta Germaniæ historica.)

Paulus Warnefridi, Aquileiensis Ecclesiæ diaconus, vir inter sæculi sui primos, cujus Historiam Langobardorum proxime edituri sumus, dum genti suæ superstes in Francia degebat, (a) anno 784, petente Angilrammo Mettensi episcopo et Caroli regis archicappellano (*Hist. Langobard.* VI, 16), Mettis ut videtur, libellum de Gestis episcoporum Mettensium conscripsit. Imitatus est in eo Gesta pontificum Ro- D manorum, jam tunc a longo tempore inclyta, et jejunos pontificum Mettensium catalogos ex antiquis Patrum traditionibus, Gregorio Turonensi, Vita sancti Arnulfi, Fredegarii chronico, et ipsius Caroli regis narrationibus ita adornavit, ut locum inter sæculi octavi fontes obtinere mereatur. Cujus in editione instituenda usi sumus.

1. Fragmento Chesniano, quod an. 1636 tomo II

(a) Fastrada jam uxore Caroli, sed nulla ex ea prole edita, igitur post annum 783, ante Angilramni obitum, anno 791, et, si anonymo Salernitano fides, nonnunquam ante bellum Caroli contra Arigbisum, ducem Beneventi, an. 786, gestum.

Digitized by Google

Scriptorum Francicorum, pag. 201-206, insertum, ab Agiulfo episcopo initium capit. Usus erat Chesnius Codice optimæ notæ et integro, sed qui aliquot in locis lectu difficilis videretur: quare in universum quidem lectiones ejus retinui, nonnullas tamen ope

2. Codicis olim sancti Symphoriani Mettensis emendavi, versusque qui exciderant supplevi. Usus sum eo Parisiis, ubi in bibliotheca Regia numero 5294 signatus (Colbert. 2509, regius olim 4187, 5, 5) asservatur. Est membranaceus in-folio, sæculo XI exeunte vel initio XII jussu Constantini « Bettonis harundine » exaratus; atque jam olim a Labbeo evolutus erat, qui inde Vitas Adelberonis Mettensis episcopi, Adelphii abbatis, et sancti Romarici edidit. Lectiones ejus manum a Warnefridiana diversam jam eo produnt, quod nomina Germanorum propria, Rotheid, Adelheid, Hildegard, Romanam in eo terminationem induerunt. Contra

3. Editio princeps an. 1613 cura Marquardi Freheri in Corpore hist. Franciæ, pag. 171-177, prodierat e Codice qui Chesniano proximus, eo tamen ab illo differebat, quod epitaphia operi inserta non contineret. Subjungit pontificum Mettensium catalogum usque ad obitum Walæ porrectum.

4. Codex sancti Arnulfi Mettensis, quem Calmetus in Historiæ Lotharingiæ probationibus, col. 51-60 expressit, epitaphiis caret, atque pessimas aliquot lectiones exhibet; cæterum proxime ad alterum Mettensem accedit.

Itaque in prima operis parte, quæ minime ad historiam facit, Editionem Freheri cum Calmetiana contuli, in altera textum Chesnianum ope præsertim Codicis sancti Symphoriani emendare, et ad antiquam scribendi rationem referre conatus sum. Illustrationibus nonnisi paucis opus erat.

---

## [a] INCIPIT LIBELLUS

# DE ORDINE EPISCOPORUM

## QUI SIBI AB IPSO PRÆDICATIONIS EXORDIO IN METTENSI CIVITATE SUCCESSERUNT.

## *Textus primus.*

*(Ex Pertz, in Monumentis Germaniæ historicis.)*

Postquam, peractis omnibus quæ cum Patre pro mundi salute gerenda disposuerat, Christus Dominus migravit ad cœlos, statim ut promisso sancti Spiritus munere beati apostoli potiti sunt et confirmati, illico quam unusquisque eorum provinciam vel regionem prædicaturus aggredi deberet, communi consilio juxta divinam provisionem sorte decernunt. Singulis igitur ad sibi delegata loca pergentibus, beatus Petrus, qui in eorum numero primus erat et quasi dux fortissimus eminebat, ad eam quæ totius tunc mundi caput erat, hoc est urbem Romuleam, tota alacritate contendit, fundata prius apud Antiochiam ecclesia ac suæ sedis nomine dedicata.

Igitur cum Romam pervenisset, illico qui summas quasque urbes in occiduo positas Christo Domino per verbum fidei subjugarent, optimos eruditosque viros ex suo consortio direxit. Tunc denique Apollinarem Ravennam, Leucium Brundisium, Anatolium Mediolanum misit. Marcum vero, qui præcipuus inter ejus discipulos habebatur, Aquilegiam destinavit, quibus cum Hermagoram, suum comitem, Marcus præfecisset, ad beatum Petrum reversus, ab eo nihilominus Alexandriam missus est.

Ea igitur tempestate cum apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Mettis appellatur, civitas in ipsa Mosellæ amnis ripa posita copiosis populorum turbis abundaret, ad eamdem beatus Petrus apostolus urbem Clementem nomine, virum egregium ac meritis probatum, sublimatum pontificali dignitate, direxit, cum quo pariter, sicut antiqua tradit relatio, ad eas quæ præcipuæ erant Galliarum urbes verbo fidei obtinendas, alii quoque religiosi doctores ab eodem apostolorum principe missi sunt.

Cum ergo pervenisset beatus Clemens Mediomatricum civitatem, in cavernis, ut ferunt, amphitheatri quod extra eamdem urbem situm est, hospitium habuit; in quo etiam loco oratorium Domino construens, altare in eo statuit, ac beati Petri apostoli præceptoris sui nomine consecravit. Is igitur venerandus sacerdos dum sedula admonitione ejusdem urbis populis prædicaret, cooperante sibi divina misericordia, maximam ex eis multitudinem a sordidis idolorum cultibus et erroris cæcitate liberatam ad veræ fidei splendorem perduxit, primusque in illis regionibus ostensor justitiæ et index veritatis emicuit.

Denique asseverant qui ejusdem loci cognitionem habent, quod in amphitheatro, ubi primitus adveniens habitavit, usque in præsentem diem [b] nec serpens consistere queat, sed et omnino noxiæ pestes locum illum refugiant, unde olim veræ salutis emanarunt insignia.

Successit huic vir Deo plenus Cœlestis nomine, qui cœlestem vitam cum regni cœlorum annuntia-

NOTÆ.

[a] Ita 3. *Incipit Vita beati Clementis Mettensium primi pontificis* 2.

[b] Hoc loco in Codicibus 2 et 4 amplior de miraculis sancti Clementis narratio inseritur, quam, ut valde incertæ auctoritatis, nulliusque in historia Germaniæ momenti, omittendam duxi.

Digitized by Google

tione ducens', exemplis pariter et doctrinis credentium numerum dilatavit.

Post hunc denique regendam suscepit Ecclesiam Felix. Deinde Patiens. Post hæc quintus in ordine Victor. Deinde alius Victor. Posthæc Simeon septimus. Post quem Sambatus [1] octavus. Quorum omnium studiis certum est, crevisse Dei Ecclesiam, quamvis eorum nobis specialiter occulta sunt [2] gesta.

Rufus [3] vero et Adolfus, qui sunt in numero nonus et decimus, magnis absque dubio in vita meritis fulsisse credendi sunt, quando quidem tali etiam post obitum fulsere miraculo. Horum denique corpora cum in basilica beati Felicis martyris essent humata, sicut ad nos usque decurrit relatio, vir quidam erat religiosus ac de animæ suæ cura sollicitus, qui nocturno tempore, ut privatis orationibus se Domino commendaret, universa quæ extra muros ejusdem civitatis sita erant oratoria indesinenti studio circumire solebat. Hic itaque dum ad prædictam beati Felicis martyris pervenisset basilicam, nec tamen ingrediendi ei [4] esset concessa facultas, accessit juxta murum forinsecus ad eam partem qua prædictorum sacerdotum corpora requiescebant, atque ibi se in orationem tota mentis intentione prostravit. Qui dum post effusas preces ab oratione surrexisset, et in eorum sanctorum honorem ad quorum e regione sepulcra oraverat psalmi versiculum, id est : *Exsultabunt sancti in gloria*, pronuntiaret, mox ab intus vocem subjungentis audivit : *Lætabuntur in cubilibus suis.*

Successit his sacris viris Firminus, deinde Legontius, de quorum aliquid vita præter nomina nihil ad nos deduxit relatio prisca.

Accepit deinde tertius decimus venerandus præsul Auctor gubernandam Ecclesiam, ea tempestate, quando non solum Gallia, sed universus pene Occidens barbarorum sævientium est perpessus sævitiam. De quo viro, quamvis et alia ab eo insignia facta credantur, duo tantum ad nostram memoriam ejus miracula pervulgata sunt. Eo igitur tempore cum reverendus hic præsul vitam cunctis virtutibus decoratam duceret, Attila rex Hunnorum, omnibus belluis crudelior, habens multas barbaras nationes suo subjectas dominio, postquam Gundigarium, Burgundionum regem, sibi occurrentem protriverat, ad universas deprimendas Gallias suæ sævitiæ relaxavit habenas. Hujus [a] adventu, beatus Servatius [5] Tungrorum episcopus, præcognito, Romam ad beatorum apostolorum, Petri et Pauli sacratissima corpora perrexit, ut per eorum sublime meritum specialiter a Domino impetraret, [6] quatenus iræ suæ indignationem averteret, et Tungrensis urbis populum a tanto exitio liberaret. Tunc ei divinitus per eumdem beatum Petrum apostolum revelatum est,

A quod ita cœlesti esset judicio definitum, ut universa Gallia barbarorum foret infestationi tradenda, præter beati Stephani levitæ et protomartyris situm apud Mettis oraculum, in quo ipsius erat pretiosus cruor absque corruptionis labe reconditus. Hæc dum sancto Servatio revelata fuissent, festinus ad Gallias repedavit, invenitque jam Hunnorum examina per universas Gallias debacchari. Qui cum ab obsidione [7] Mettensium, pro eo quod eorum civitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudinem cernerent, recessissent, contigit beatum Servatium ipso tempore dum a Roma reverteretur Mettis devenire. Qui dum universa, sicut revelatione didicerat, sancto consacerdoti suo Auctori retulisset, ad civitatem propriam, hoc est Tungris, reversus est. Nec mora, B post ejus egressionem murus civitatis Mettensis corruit [b], ingressumque hostibus superna dispositione patefecit. Mox vero beatus Auctor traditam civitatem inimicorum gladiis advertens, universos parvulos qui necdum sacri fontis ablutionem perceperant, baptizari præcepit. Igitur audientes Hunni, qui duodecimo exinde milliario situm castrum quod Scarponna [c] dicitur obsidebant, Mettensis urbis mœnia corruisse, iterato ad eam festina celeritate regressi sunt, incendiisque et rapinis universa vastantes, plures e civibus, cum eis qui baptizati fuerant, parvulos interemerunt, reliquos vero qui exitio superesse poterant, simul cum sancto Auctore episcopo captivos abducunt. Impletum sane est super C beati Stephani levitæ et protomartyris domicilio, quod a beatissimo Petro apud Romam Christi famulo Servatio fuerat ante prædictum. Nam cum eamdem basilicam procul furentes barbari aspicerent, ad eam cursim quasi opima spolia capturi properabant, cumque propius accederent, eorum oculis velut ingens saxum ac moles solida apparebat. Quam cum, cæcati mentibus, manibus per gyrum palparent, aditumque ingrediendi quærerent, nihil omnino eis aliud quam naturalis saxi durities videbatur. Denique sæpius abscedentes, rursumque revertentes, cum se nihil proficere cernerent, tandem fatigati discesserunt, suæque iniquitatis effectu frustrati sunt.

Quid etiam de hoc oratorio beatus Gregorius, D Turonorum episcopus, in suis libris [d] narraverit, non silebo. Refert enim : « Priusquam hi hostes venirent, vidisse virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis apostolis Petro ac Paulo beatum levitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem : « Oro, domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Mettensium urbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est in quo parvitatis meæ pignora continentur ; sed potius sentiant se populo aliquid me posse coram Domino. Quod si tantum facinus po-

VARIANTES LECTIONES.

[1] Sambatius 4. [2] sint 4. [3] ruffus 3. [4] *deest* 3. [5] servasius 3. [6] quatenus i. s. i. a. *deest* 4. [7] ad obsidionem 3.

NOTÆ.

[a] Ex Gregorii Turon., Hist. eccl., II, 5.
[b] Cf. Fredegarii Chron. lib. III, cap. 11.
[c] Charpeigne, seu Sampeigne, ad Mosellam.
[d] Lib. II, cap. 6.

Digitized by Google

«puli supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi «civitas tradatur incendio, saltem vel hoc oratorium non cremetur.» Cui illi aiunt: «Vade in pace, dilectissime frater, oratorium tantum tuum «carebit incendio. Pro urbe vero non abstinemus, «quia dominicæ sanctionis super eam sententia jam «præcessit. Invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Domino. Ideo «civitas hæc cremabitur incendio.» Unde non dubium est quod horum obtentu, urbe vastata, oratorium permansit illæsum.»

Igitur exinde hostes [1] dum ad oppidum quod appellatur Decempagos [a], quod a Mettensi urbe triginta millibus abest, pervenissent, quia Deo nostro semper de suis servulis cura est, et in ira misericordiam, sicut ait Psalmista, non continet, tantæ subito eosdem Hunnos tenebræ circumvallaverunt, ut quid agerent, vel quo se verterent, omnino nescirent. Tunc causam tantæ calamitatis, ut in tali re opus erat, sollicite inquirentes, ab uno ex captivis [2] quos ducebant audiunt, quia propter servum cœlestis Domini, Auctorem episcopum, quem in captivorum numero se vidisse dicebat, talia paterentur. Mox igitur facta inquisitione, beatum Auctorem reperiunt; quem dum percunctarentur quod in munere vellet accipere, ut a tanto eos periculo liberaret, ille ad hæc respondit sibi nullum aliud gratius posse munus offerri, quam si omnes quos ducebant captivos sinerent ad propria remeare; quod illi si facerent, promittit se sine dubio a suo Domino impetraturum, ut ab illis quibus tenebantur tenebris eruerentur: factumque est. Et mox in universo suo Hunni exercitu captivos quos ducebant requirentes, eos beato Auctori reddiderunt, a suis, ut eis promissum fuerat, cessantibus tenebris, luce reddita, angustiis liberati sunt. Sicque venerabilis Christi famulus, dum ad modicum in captivorum sorte deputatus est, multos pariter a captivitate resolvit. O quantum potiori gloria de reductis iste civibus triumphavit, quam crudeles barbari, qui eos antea victores abduxerant, triumphare potuissent!

Veniamus et ad aliud miraculum, quod ejusdem meritis cœlesti est virtute patratum. Quodam denique tempore cum in oratorio beati protomartyris Stephani, de quo supra retulimus, trabis [3] ab ipso culminis fastigio dissoluta corruisset, marmor quod in altari eximii candoris erat, ita confregit, ut in duabus illud partibus omnino divideret. Adest beatus Auctor, et cunctis qui aderant pro illato dispendio contristatis, ipse vero fidens in Domino, præcepit easdem fracturas sibi invicem copulari, pararique sibi ministeria; quo desuper more solito A divini sacrificii munus offerret. Stupentibus itaque illis, et quid esset facturus intendentibus, mox salutarem hostiam Deo obtulit. Illico omnis illa confractio ita solidata est, quasi antea divisa minime fuisset. Est tamen in eodem marmore, quod non mediocriter usque in præsentem diem possit admirari. Nam ita apparet hactenus attentius cernentibus quasi divisum, sed studiose contrectatum digitis [b], ita probatur solidum, ut nullius in eo divisionis sentiatur indicium. Non est dubium et plura eum miranda patrasse, sed quantus qualisque fuerit, ex his quæ relata [4] sunt plene [5] potest agnosci.

Successit huic quartus ac decimus Æpletius [6]. Deinde quintus decimus Urbicius. Sextus decimus B Bonolus. Septimus decimusque Terentius. Octavus decimus Gunsolinus [7]. Exinde Romanus. Vicesimus denique Fronimus. Post quem Cromatius [8]. Deinde Agathander [9]. Tres itaque isti quos præmisimus, sicut in eorum nominibus attenditur, de origine credendi sunt emanare [10] Græcorum.

Post hos rexit Ecclesiam Sperus. Deinde Villicus [11]. Tum vicesimus quintus Petrus. Vicesimus ac sextus Agiulfus [12], qui fertur, patre ex nobili senatorum familia orto [13], ex Clodovei regis Francorum filia procreatus. Post istum exstitit nepos ipsius [14], nomine Arnoaldus. Quem secutus est Pappolus.

Post hos ad regimen [15] Ecclesiæ beatissimus Arnulfus ascitus est, vir per omnia lumine sanctitatis et splendore generis clarus. Qui ex nobilissimo for-C tissimoque Francorum stemmate [16] ortus, ita Dei Ecclesiæ præfuit, ut et palatii moderator [17] existeret. Hic denique et in corpore permanens, simul et post vitæ exitum multa admiranda perpetravit [18], quæ si quis nosse desiderat, libellum qui de ejus specialiter actibus conscriptus est, legat. Unum tamen ejus admirabile factum referam, quod satis miratus sum quo ordine prætererit [c] is qui ejus contexuit Vitam. Hic denique cum pœnitentiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit ut per Mosellæ fluminis pontem transiret. Cumque subterfluentium aquarum profundas nec visu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ spei fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarum profun-D ditatem projecit: «Tunc, inquiens, me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem projicio recepero annulum.» Post aliquot vero annos cum ad episcopatus ascendisset officium, ei die quadam piscator quidam piscem attulit, quem ille sibi, quia carnibus abstinebat, ad refectionem vespertinam jussit præparari. Cumque [19] eum [20] minister ejus officii more solito exenterasset [21], eumdem annulum

VARIANTES LECTIONES.

[1] igitur rex atque hostis 4. [2] captis 3. [3] trabs 4. [4] revelata 3. [5] plenius 4. [6] æplitius 4. [7] gonsolonus 4. [8] grammatius 4. [9] agathimber 4. [10] manare 3. [11] vilicus 4. [12] aigulfus 2. [13] ortus 1. 4. ortu 3. [14] istius 4. [15] rigimen 2. [16] stemate 2. [17] sub honore maiordomatus 1. [18] patravit 2. [19] cum 1. 2. 3. [20] *deest* 2. [21] exinterasset 2.

NOTÆ.

[a] Duose, seu Dieuze, duodecim mil. passibus a Mettis distans.

[b] Igitur Paulus ipsum inspexisse videtur.

[c] Habetur in Codice Vitæ sancti Arnulfi Vindobonensi.

Digitized by Google

intra ipsius piscis intestinum reperit. Ille factum admiratus, sed rem nesciens, beato Arnulfo detulit. Quem ille ut vidit, statim recognovit, ac Deo omnipotenti, jam de remissione delictorum fidus, gratias retulit, ac deinceps non remissius vitam duxit, sed majori se potius abstinentia coarctavit. Nec dissimiliter pater hic venerabilis quam olim Gedeon ille signum a Domino poposcit. Ille etenim ,[1] indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset; iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem projiciens, experiri cupiit [2] utrum de inimicis jam victoriam cepisset. Fortes quidem erant quos ille devicerat, sed hi quos iste superaverat fortiores. Hæc ego non a qualibet [3] mediocri persona didici, sed ipso totius veritatis assertore, præcelso rege Carolo, referente cognovi; qui de ejusdem beati Arnulfi descendens prosapia, ei in generationis linea trinepos exstabat. Nam venerandus iste vir, ut ad superiora redeam, juventutis [a] suæ tempore ex legitimi matrimonii copula duos filios procreavit, id est, Anschisum [4] et Chlodulfum [5]; cujus Anschisi [6] nomen ab Anchise patre Æneæ, qui a Troja in Italiam olim venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum, sicut a veteribus [7] [b] est traditum, a Trojana prosapia trahit exordium. Cum igitur hos duos, de quibus præmisimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat misericors et ad pietatis opera semper intentus, utrisque filiis suis cœpit suadere ut ei assensum præberent, quatenus omnes suas facultates ad usus pauperum dispertiret. Tunc major filius, id est, Chlodulfus, se hoc posse facere, id est, ut portionem sibi debitam patri [8] largiretur, omnimodis denegavit; at vero minor filius, id est, Anschisus, fidens de Christi pietate sibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet se libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, et prædicit ei pluriora eumdem quam reliquerat habiturum; insuper benedixit eum ejusque cunctam progeniem nascituram in posterum. Factumque est. Nam et pluriores Anschiso quam reliquerat divitiæ accesserunt, et ita in eo paterna est constabilita benedictio [9], ut de ejus progenie tam strenui fortesque viri nascerentur, ut non immerito ad ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum.

Et ut hoc agnoscere possis, paucis, adverte[10], docebo. Anschisus genuit Pippinum, quo nihil unquam potuit esse audacius; Pippinus genuit Carolum, viris omnino fortissimis conferendum, qui inter cætera et A magna bella quæ gessit ita præcipue Saracenos detrivit, ut usque hodie gens illa truculenta et perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum, sapientia nihilominus et fortitudine satis clarum, qui, inter reliqua quæ patravit, Wascones jamdudum Francorum ditioni rebelles cum Waifario suo principe felicitate [11] mira debellavit et subdidit. Hujus item filius magnus rex Carolus exstitit [12], qui Francorum regnum, sicut nunquam ante [13] fuerat dilatavit. Denique inter plura et miranda quæ gessit, Langobardorum gentem bis jam a patre devictam, altero eorum [14] rege, cui Desiderius nomen erat, capto, alteroque [15], qui dicebatur Adelgisus et [16] cum genitore regnantem suo, Constantinopolim pulso, universam [17] sine gravi prælio suæ subdidit ditioni, B et, quod raro fieri assolet, clementi moderatione victoriam temperavit. Romanos præterea, ipsamque urbem Romuleam, jampridem ejus præsentiam desiderantem [18], quæ aliquando mundi totius domina fuerat, et tunc a Langobardis [19] depressa gemebat, duris augustiis eximens, suis addidit sceptris; cunctaque nihilominus Italia mi.i dominatione potitus est. De quo viro nescias utrum virtutem in eo bellicam, an sapientiæ claritatem omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

Hic ex Hildegard conjuge quatuor filios et quinque filias procreavit. Habuit tamen, ante legale connubium [20], ex Himiltrude [21] nobili puella, filium nomine Pippinum. Natorum sane ejus quos ei Hildegard [22] peperit, ista sunt nomina: primus dictus est C Carolus, scilicet patris ac proavi vocabulo nuncupatus; secundus item Pippinus, fratri atque avo æquivocus; tertius Lodobich [23] qui cum Hlothario [24], qui biennis occubuit, uno partu est genitus; ex quibus jam Deo favente minor Pippinus regnum Italiæ, Lodobich Aquitaniæ tenent [25].

Mortua autem Hildegard, rex excellentissimus Carolus Frastradam duxit uxorem. Quæ Hildegard apud urbem Mettensem in beati Arnulfi oratorio [26] requiescit. Pro eo denique, quod a beato Arnulfo jam fati [27] reges originem ducerent, suorum ibi charorum defuncta [28] corpora posuere. Nam ibi humatæ sunt duæ regis Pippini [c] filiæ, quarum una Rodthaid [29], altera Adelaid [30] appellata est; ibi quoque et junioD ris regis Caroli duæ nihilominus tumulatæ sunt natæ, scilicet Adelaid et Hildigard; quæ Hildigard materno nuncupata nomine, matrem morientem citius subsecuta est[31]. Quarum omnium epitaphia a nobis [32] jussu gloriosi regis Caroli composita [33], ut de eis liquido lectori satisfieret, subter annotare curavi.

## VARIANTES LECTIONES.

[1] verum 4. [2] cupit 1 – 3. [3] quolibet 2. [4] anchisum 4. [5] clodulfum 2. 4. [6] anchisi 2. 4. [7] ab autoribis 4. [8] *pater* 1. [9] sunt c. beneficia 2. [10] animadvertens 2. animadverte 4. [11] facilitate 1. 3. [12] fuit 2. [13] antea 4. [14] græcorum 4. [15] alterumque 3. [16] ut 1. 3. [17] universa 2. [18] desideratam 2. [19] languobardis 2. [20] conubium 2. [21] himiltruda 2. [22] hildegardis 2. *ita deinceps, plane contra Pauli morem.* [23] lodobic 4. lodowicus 1. ludouuicus 2. [24] lothario 2. [25] tenet 1. tenuit 2. [26] oratorium 2. [27] præfati 2. [28] *deest* 2. [29] rothaidis 2. [30] adhelaidis 2. [31] est. Sed his *media desunt* 4. [32] a nobis *deest* 2. [33] composita sunt. Epithaphium Robaidis 2. *media desunt.*

## NOTÆ.

[a] Quæ sequuntur, in genealogias regum Francorum derivata sunt.

[b] I e., Fredegario.

[c] Patris Caroli M.

Digitized by Google

*Epitaphium Rothaidis* [1], *filiæ Pippini regis.*

Hic ego quæ jaceo Rothaid de [2] nomine dicor,
Quæ genus excelso nimium de germine duco;
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Carolus virtute Tonantis;
Pippinus pater est, Carolo de principe cretus [3],
Aggarenum stravit magna qui cæde [4] tyrannum.
Pippinus proavus, quo non audacior ullus;
Ast abavus Anschise [5] potens [6], qui ducit ab illo
Trojano Anchisa [7] longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer præsulque beatus
Arnulfus, miris gestis qui fulget ubique,
Hic me spe cujus freti posuere parentes.

*Epitaphium Adheleidis, filiæ cujus supra* [8]

Perpetualis amor capiendæ et causa salutis,
Pectore quem vigili huc properare facit,
Nosse cupis cur busta sacer numerosa retentet
Hic locus, astrigeri qua patet aula poli?
Iste sacer Domini qui post servavit ovile,
Legitimi fuerat germinis ante pater;
Cujus posteritas atavo confisa patrono,
Hoc cupit in sancto ponere membra loco.
Pippini hic proles Adheleid pia virgo quiescit,
Quam simul et reliquas sancte tuere pater.

*Epitaphium Hildegardis reginæ.*

Aurea quæ fulvis [9] rutilant elementa figuris,
Quam clara exstiterint membra sepulta, docent.
Hic regina jacet regi præcelsa potenti
Hildegard Carolo quæ bene nupta fuit.
Quæ tantum claræ transcendit stirpis alumnos,
Quantum, quo genita est, Indica gemma solum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Qua nec in [10] Occiduo pulchrior ulla foret.
Cujus haut tenerum possint [11] æquare decorem
Sardonix Pario [12], lilia mista rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
Simplicitasque animæ, interiorque decor;
Tu mitis, sapiens, sollers [13], jucunda fuisti,
Dapsilis et cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cum non sit grandior ulla
Laus tibi, quam tanto complacuisse viro!
Cumque vir armipotens sceptris junxisset avitis
Cigniferumque [14] Padum Romuleumque Tibrim [15],
Tu sola inventa es, fueris quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea sceptra manu [16].
Alter ab undecimo jam te susceperat annus,
Cum vos mellifluus consotiavit amor;
Alter ab undecimo rursum te sustulit annus,
Heu genitrix regum! heu decus atque dolor!
A Te Francus, Suevus, Germanus et ipse [17] Britannus,
Cumque Getis [18] duris [19] plangit ibera cohors.
Accola te Ligeris, te deflet et Italia tellus,
Ipsaque morte tua anxia Roma gemit.
Movisti ad fletus et fortia corda virorum,
Et lacrymæ clypeos inter et arma cadunt.
Heu quantis sapiens et firmum robore semper
Ussisti flammis pectus herile viri!
Solatur [20] cunctos spes hæc sed certa [21] dolentes,
Pro dignis factis quod [22] sacra regna tenes.
Jesum [23] nunc precibus, Arnulfe, exores eorum
Participem fieri hanc, pater alme, tuis.

*Epitaphium Adeleidis filiæ Caroli regis quæ in Italia nata est, quando sibi eam ipse subegit* [24].

B Hoc tumulata jacet pusilla puellula busto,
Adeleid amne sacro quæ vocitata fuit.
Huic sator est Carolus, gemino diademate pollens,
Nobilis [25] ingenio, fortis ad arma satis.
Sumpserat hæc ortum prope mœnia celsa Papiæ,
Cum caperet genitor Itala regna potens [26]:
Sed Rhodanum properans rapta est [27] de limine [28] vitæ,
Ictaque sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos;
Nunc Patris æterni regna beata tenet.

*Epitaphium Hildegardis filiæ cujus supra* [29].

Hildegard, rapuit subito te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere ligustra novo.
Explevit necdum vitæ tibi circulus annum,
Annua nec venit lux geminata [30] tibi.
C Parvula non parvum linquis virguncula luctum,
Confodiens jaculo regia corda patris,
Matris habens nomen renovas de morte [31] dolorem
Postquam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos mœsto lacrymarum fundimus amnes,
Tu nimium felix gaudia longa petis [32].

Sed his quæ pretereunda non erant admodum [33] breviter prælibatis, ad narrationis tramitem revertamur.

Post beatissimum denique Arnulfum Mettensi [34] Ecclesiæ Goericus tricesimus, qui et Abbo vocitatus est, præfuit.

Deinde Godo [35] primus atque tricesimus episcopalis officii curam gessit.

Quo de mundo excedente [36] Chlodulfus cujus supra D mentionem fecimus, beati patris Arnulfi genitalis filius, Anschisi quoque, a quo semen propagatum est regium, germanus, ad episcopale culmen ob paternæ sanctitatis gloriam tricesimus atque secundus ascen-

VARIANTES LECTIONES.

[1] rohaidis 2. [2] rotaith nomine 1. rothaidis *Meurisse hist. des evesques de Metz*, *ex cod. S. Arnulfi Mett.* [3] ortus 2. [4] clade *conj. Ch.* [5] anschisa 2. [6] *deest* 2. [7] anschisa 2. [8] item e. alterius filiæ A. 1. [9] fultis 2. [10] qua non 1. [11] possunt 1. [12] patrio 2. [13] solers 2. [14] Liniferum 1. [15] tybrum 2. [16] *duos versus proxime sequentes ex codice suppleri, desunt apud Ch.* [17] G. teque B. 2. atque B. *Meuriss.* [18] gentis 2. [19] *deest* 2. [20] celatur 2. [21] creta 2. [22] quo 2. [23] *versus deest* 1. *in* 2. *nonnisi* Iesum.......... exores : orum *legitur; reliqua restituere conatus sum.* [24] E. f. K. magni A. q. n. de thalamo eius quando isdem I. s. 1. [25] mobilis 1. [26] petens 1. [27] *deest* 1. [28] lumine 1. [29] eiusdem Karoli 1. [30] genuina 2. [31] renovans de matre 2. de corde *Meur.* [32] petis. EXEMPLAR DE DATIONE PALLEI Iohannes episcopus servus servorum dei (*etc.*) wale (*corr.* waloni) venerabili episocpo mediomatricorum (*etc.*) sept. indict. 12. Data 8. Idus sept. . . . . anno pontificatus . . . . sexto. indict. 12. † Bene valete. Sed his *ita in codice* 2. *carta textui inserta legitur.* [33] *deest* 1. 3. 4. [34] mettensis 2. [35] p. a. t. Godo 2. [36] de hoc m. recedente 2.

Digitized by Google

dit, de quo nihil ad nos amplius, præter quod a tali radice exortus est, fama perduxit.

Quo decedente [1], fidelem populum moderaturus tertius atque tricesimus Abbo ascitus est.

Post quem [2] Aptatus, deinde Felix, gregi feliciter dominico pastores exstiterunt.

Dehinc Sigebaldus, generosis ortus natalibus, religioso cœtui antistes effectus est, vir per omnia utilitatibus Ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum solertissimus restitutor. Hic de animarum statu sollicitus, duo monasteria condidit, e quibus unum Eleriacum [3] vel etiam Nova-cella [a] dicitur, alterum quoque Novum-quod-Villare [4] [b] vocitatur. Hunc diris podagræ dolor vehementer afflixit; sed ille in æternis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientissime toleravit.

Jam hinc vir egregius et omnibus præconiis efferendus, Chrodegangus antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigramno, matre Landrada, Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris Caroli ab ipso enutritus, ejusdemque [5] referendarius exstitit, ac demum Pippini regis temporibus pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quamque etiam Latino sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non solum altor [6] sed et clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples, a [7] Pippino rege omnique Francorum cœtu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic clerum adunavit, et ad instar cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent; quibus annonas vitæque subsidia [8] sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Ipsumque clerum abundanter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit, quod usque ad id tempus in Mettensi Ecclesia factum minime fuit. Hic fabricare jussit una cum adjutorio Pippini regis rebam [9] [c] sancti Stephani protomartyris, et altare ipsius atque cancellos, presbyterium arcusque per gyrum. Similiter et in ecclesia beati Petri majori presbyterium fieri jussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, et arcus per gyrum throni ante ipsum altare. Ædificavit præterea monasterium in parochia beati Stephani in pago Mosellensi, in honore beatissimi Petri apostoli, et ditavit illud opibus magnis, monachosque ibi constituit [10] atque sub regula sancti Patris [11] Benedicti in una charitate conjunxit. Construxit etiam alterum monasterium quod Gorzia [12] [d] vocitatur [13], ubi pari modo non modicam multitudinem adunavit monachorum. Expetiit denique a Paulo Romano pontifice tria corpora sanctorum martyrum, id est, beati Gorgonii, quod in Gorzia requiescit, et beati Naboris, quod in Hilariaco monasterio conditum est, et beati Nazarii [14], quod ultra fluvium Rhenum [15] in monasterio quod vocatur Lorishaim [16], ædificata in honore ipsius martyris miri decoris basilica, collocavit. Hoc siquidem prædium Chilliswindis quondam, religiosa femina, et Cancro [17] ejus filius, eidem Chrodegango antistiti ad partem beati Stephani tradiderant [18]. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum; sed quoniam longum est bona quæ gessit ex ordine retexere, satis sit hæc pauca prælibasse de plurimis. Hic consecravit episcopos quam plurimos per diversas civitates, presbyteros nihilominus aut diaconos, cæterosque ecclesiasticos ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit [19] Ecclesiam Mettensem annis viginti tribus, mensibus v, diebus v. Obiit [20] pridie Nonas Martias in diebus Pippini regis. Requiescit in Gorzia monasterio, quod ipse a fundamentis exstruxit.

Hic jam, Pater sanctissime Angilramne [21], narrationis serie [22] vestram beatitudinem locus exspectat. Sed ego meæ tenuitatis non immemor, attentare minus idonee non audeo quæ de vestræ vitæ cursu laudabili majori stylo promenda sunt [23].

VARIANTES LECTIONES.

[1] decidente 2. [2] quem denique est a. 2. [3] elanacum 1. 3. bilariacum 4. [4] nova villa 1. 3. novum villare 4. [5] eiusdem ipse 4. [6] *deest* 2. [7] *deest* 2. [8] necessaria 4. [9] sedem 1. 3. [10] instituit 2. 4. [11] *deest* 2. [12] gorgia 4 *ita deinceps.* [13] vocatur 2. 4. [14] beatique nasarii 2. [15] reni 2. [16] lorsau 2. lorsam 4. [17] cangro 2. [18] tradiderunt 2. 4. [19] r. quoque 2. [20] obiitque 2. [21] angelramne 2. angilramme 4. [22] seriem. [23] Expliciunt pauca de gestis pontificum 2. *Quæ sequuntur ex eodem codice descripsi.*

NOTÆ.

[a] Saint Avold.
[b] Neuviller.
[c] Feretri operculum, umbraculum.
[d] Gorze, in pago Scarponensi.

# GESTA EPISCOPORUM METENSIUM.

## *Textus secundus* [a].

*(Ex D. Calmet in Historia Lotharingiæ, tom. II.)*

Postquam, peractis omnibus quæ cum Patre pro mundi salute gerenda disposuerat, Christus Dominus

[a] Duo textus ejusdem opusculi a Paulo Diacono exarati recudimus, quia in multis locis sunt diversi. Ex Monito Pertz judicabit lector quisnam sit interpolatus. EDIT.

Digitized by Google

migravit ad cœlos, statim ut promisso sancti Spiritus munere beati apostoli potiti sunt et confirmati, illico quam unusquisque eorum provinciam vel regionem prædicaturus aggredi deberet, communi consilio juxta divinam provisionem sorte decernunt. Singulis igitur ad sibi delegata loca pergentibus, beatus Petrus, qui in eorum numero primus erat, quasi dux fortissimus eminebat, ad eam quæ totius tunc mundi caput erat, hoc est, urbem Romuleam, tota alacritate contendit, fundata prius apud Antiochiam Ecclesia, ac suæ sedis nomine dedicata.

Igitur cum Romam pervenisset, illico qui summas quasque urbes in Occiduo positas Christo Domino per verbum fidei subjugarent optimos eruditosque viros ex suo consortio direxit. Tunc denique Apollinarem Ravennam, Leucium Brundusium, Anatholium Mediolanum misit. Marcum vero, qui præcipuus inter ejus discipulos habebatur, Aquileiam destinavit. Quibus populis cum Hermagoram suum comitem Marcus præfecisset, ad beatum Petrum reversus, ab eo nihilominus Alexandriam missus est.

Ea igitur tempestate, cum apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Metis appellatur, civitas in ipsa Mosellæ amnis ripa posita, copiosis populorum tribus abundaret, ad eam beatus Petrus apostolus Clementem nomine, virum egregium, ac meritis probatum, sublimatum pontificali dignitate, direxit; cum quo pariter, sicut antiqua tradit relatio, ad eas quæ præcipuæ erant Galliarum urbes verbo fidei obtinendas, alii quoque religiosi doctores ab eodem apostolorum principe missi sunt.

Cum ergo pervenisset beatus Clemens Mediomatricum civitatem, in cavernis, ut ferunt, amphitheatri, quod extra eamdem urbem situm est, hospitium habuit, in quo etiam loco oratorium Domino construens, altare in eo statuit, ac beati Petri apostoli præceptoris sui nomine consecravit. Is igitur venerandus sacerdos dum sedula admonitione ejusdem urbis populis prædicaret, cooperante sibi divina misericordia, maximam ex eis multitudinem a sordidis idolorum cultibus et erroris cæcitate liberatam, ad veræ fidei splendorem perduxit, primusque in illis regionibus ostensor justitiæ et index veritatis enituit.

Denique asseverant, qui ejusdem loci cognitionem habent, quod in amphitheatro ubi primitus adveniens habitavit, usque ad præsentem diem, nec serpens consistere queat, sed et omnino noxiæ pestes illum locum refugiunt, unde olim veræ salutis tali emanarunt modo insignia. Ferunt namque antiquiores nobis a senioribus priscis cultui sanctæ religionis admodum deditis, veracissimo per varios temporum successus relatu vulgatum, hujus sanctissimi præsulis atque apostolici viri tam ingens quod occuli non decet miraculum. Eo namque temporis articulo, quo isdem venerabilis pontifex ad præfatam devenerat urbem, maxima ejusdem pagi clades devastabat plebem. Amphitheatrum quippe jam superius dictum tanta erat serpentium multitudine

A plenum, ut non solum venire quisquam, sed nec appropinquare ad eumdem auderet locum; nam ex eorum flatibus veneniferis mortalitas efferbuerat, non modo hominum, verum etiam equorum, boum, pecorum, cæterarumque bestiarum nimis crudelis.

Jam vero beatissimo Clemente mœnia ipsius propinquante civitatis, eadem ita se dilataverat pestis, ut nullus adeundi eam ac redeundi cursus fieret cuiquam salubris. Si quis namque portas ejus maxima coactus necessitate vellet exire, vel etiam appropinquare, confestim vi attactus veneni interibat miserrime. Nec mirum sane si anguis lubricus per dilecta sibi vascula corpora eorum prosternebat, de quorum mentibus jus proprium adhuc minime per
B sacri fontem baptismatis amiserat.....

Postquam ergo admirabilis Trinitatis deificæ cultor delegatum sibi prædicationis officium omni cœpit mentis conamine explere, mox multitudo innumerabilis languentium ad ejus studuit quem verum audiebant prædicare Dominum auxilium confluere, cognoscentes ab ore egregii pastoris non immerito serpentino se infectos veneno fuisse. Qui ubi eorum vidit indicibilem miseriam, statim saluberrimam non distulit conferre medicinam. Spopondit igitur veri Dei citius adfore eis clementiam, si detestabilem idolorum abjicere non renuerent culturam. Tandem ergo non solum languentes, sed insuper pauci qui supererant, salubri inito consilio, sospites cunctis se promisere renuntiare simulacris, si beneficiis non
C fraudarentur a summi Dei præsule promissis.

Talia autem tamque diu a se desiderata vir Dei plenus audiens affamina, omnia paratus pro eis discrimina ferre, extemplo laudes cunctorum persolvit creatori præcipuas. Denique paucis secum aggregatis fratribus, sacræ obtulit munus oblationis, quod in sui commemorationem fidelibus devote Dominus præcepit peragere Christus. At vero posteaquam se suosque sacro munivit libamine, antiqui hostis veritus non est certamina adire, sed spe sua commissa cœli terræque Domino, cavernas adiit Theatri intrepide, pugnaturus cum antiquo serpente, videlicet diabolo. Ut autem sonitum pedum senserunt appropinquantium serpentes, mox ex cavernis cœ-
D perunt prodire, certatim cupientes devorare hominem Dei. Ille vero facto signo crucis, cominus ad eos properabat intrepidus, cujus dum virtuti resistere non valerent amplius, tumentia colla protinus deposuerunt.

Vir autem Dei, sicut refert antiquitas, stolam quam sanctissimo gerebat in collo statim deposuit, maximumque eorum, ea cuncto spectante populo, alligavit, atque usque ad fluvium Saliæ, qui juxta decurrit, vinctum, manibus adduxit propriis, cumque ibi solvens dixit: In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, quam ex beatissimi magistri mei Petri apostolorum principis prædicatione verum Deum agnovi, præcipio tibi ut nulli hominum ac bestiarum nocens, hoc flumen ocius cum omni cohærente tibi

Digitized by Google

pestifera multitudine pertranseas, atque eas partes A adeas, quo nullus habitationis humanæ usus haberi valeat. Vix ergo sanctus sacerdos verba compleverat, et ecce serpens immanissimus cum cæteris omnibus cœpit festinus abire, ut sibi antistes jusserat egregius; atque post illum diem ita prælatus ab omni immunditia serpentium mundatus est locus, ut vix aliquando ibi, uti supra notificatum est, parvissimus vermiculus reperiatur.

Tunc vero cunctus populus tam magnam per Dei hominem cernens impleri virtutem, ab ejus ore avide satagebant audire veritatis verbum, cupientes sponsionis propriæ exsequi promissum. Beatissimus igitur Clemens tantam populi cernens devotionem, maximas largitori totius boni reddidit gratias, eosque juxta morem instruens ecclesiasticum, admonuit ut B se devotissime præpararent ad percipiendum sacri donum baptismatis; qui jussis illius in omnibus obedientes, unicæ sanctæ matris Ecclesiæ filii meruere effici participes. Denique cunctis abrenuntiantes sordibus idolorum, per aquam et Spiritum sanctum ipsius sanctis abluti manibus, universis non solum corporum, sed etiam, quod majus est, animarum caruere languoribus. Tunc ergo nobilissima gemma præsulum, quotidieque, juxta Psalmographi dictum, de virtute studens proficere in virtutem, donec Domini deorum cernere mereretur visionem, post illam, quam supra diximus beati Petri apostoli ecclesiam, aliam, ut fertur, in honore sanctissimi Baptistæ Joannis construxit basilicam, in qua multas diabolo abstrahens, Deo acquisivit animas, ipsamque fidelium C instituit baptisterium fieri populorum per succedentia annorum curricula: in qua etiam tantus sacræ religionis inolevit usus, ut postea non modico tempore sanctissimum inibi monachorum sub regulari tramite Christo militaret collegium. Tertiam nihilominus affirmatur ædificasse ecclesiam, in cujus fundamentis fecit miræ pulchritudinis cryptam, fontemque inferius composuit mirificum, qui non modo habilis est ad potandum, sed insuper valde salutifer, si quis cum fide biberit, ad omnem expellendum ægritudinis morbum. Ante ostium vero ipsius fontis consecravit aram in honorem præceptoris sui jam crebro nominati beati Petri apostoli, apostolorumque principis, ubi ipse venerandus antistes sepulcrum sibi quemadmodum usque hodie cernitur, fecit, in D quo etiam non parvo tempore humatus jacuit.

Nos ergo non solum hæc quæ paucis memoravimus credere, verum etiam multa alia et fere innumerabilia debemus non ambigere, quia nequaquam nimium ferocia ac indomabilia gentilium colla Christo valeret subigere, nisi ipso, quod dixit Christus, *Sine me nihil facere potestis*, cooperante, ut ipsi principes sanctæ Dei Ecclesiæ, scilicet sancti apostoli, sequacesque eorum apostolici viri, quemadmodum in gestis illorum audivimus creberrime, hic quoque vir egregius et apostolicus, mira et magnifica credatur egisse. Ipse nempe Auctor noster ac Redemptor Dominus Jesus Christus in Evangelio omnibus suis fidelibus legitur dixisse: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* Sed ut ad hæc quæ dicimus credenda incitemus animos fidelium, immittere hic visionem fidelis cujusdam, cujus nomen, quia adhuc superest, melius fore credimus reticendum, non duximus supervacuum. Hic itaque cum se post expletum diuturni temporis officium, postque effusas devotissime Domino preces sopori dare vellet, in mente ei talis beatissimi devenit memoria Clementis; cœpit namque nimis præcordiorum perturbationibus de sæpe dicto præsule anxiari, videlicet qui tot millia hominum Christo potuit eo annuente subjugare, ut quid nullo pene virtutum fulgeret jubare? Hæc eo cogitante, vix aliquando ea valuit nocte somno opprimi: sed cum necdum dormiret, nec omnino disvigilaret, vir ante illum nimiæ claritatis astitit, eique dixit: Quare, frater charissime, tam longo noctis spatio de almi præsulis, velut infidelis dubitare videris virtutibus Clementis? Scito absque aliqua ambiguitate, maximis illum in carne viguisse miraculis, adeo ut opinio virtutum illius tantum se dilataverit, quo ad Romanas arces non modo cæteris fidelibus, sed etiam ipsi apostolorum primo gratiam Dei in illo admiranti, clara pervenerit: peccatis vero Christiani populi exigentibus, sæpe rerum creator Dominus immitem barbarorum gentem super eos venire, atque illos, ecclesiasque, in quibus præcepta ejus audiebant et contemnebant, exterminare, cum ipsis sacræ Scripturæ passus est voluminibus. Idcirco que istius, quemadmodum et plurimorum sanctorum, gesta omnino fere oblivioni sunt tradita. Sed quid mirum si magnis, dum adviveret, fulserit virtutibus, cum adhuc, si peccantium fides non deficit, locus reliquiarum ejus non mediocribus coruscat miraculis? Temporibus namque nostris claudum unum omni penitus debilem corpore sanatum, tresque dæmoniacos mundatos ante sanctissimum corpus illius, oculis propriis, non sine ingenti admiratione, vidimus.

Transivit vero nono die Calendarum Decembrium ab hac ærumnosa et instabili vita ad felicem et angelicam patriam princeps maximus et Sacerdos, conjunctus magnis principibus Sacerdotum, assistens nunc Domino cœlorum, paratus intercedere apud illum pro peccatis fidelium populorum, ubi cum eo lætatur feliciter in sæcula sæculorum. Amen.

Successit huic vir plenus Deo Cœlestis nomine, qui cœlestem vitam cum regni cœlorum annuntiatione ducens, exemplis pariter et doctrinis credentium numerum dilatavit. Post hunc denique regendam suscepit Ecclesiam Felix, deinde Patiens. Post hæc quintus in ordine Victor, deinde alius Victor. Post hos, Simeon septimus; post quem Sambatius octavus, quorum omnium studiis certum est crevisse Dei Ecclesiam, quamvis eorum nobis specialiter occulta sint gesta. Rufus vero et Adelphus, qui sunt in numero nonus et decimus, magnis absque dubio in vita meritis fulsisse credendi sunt; quando quidem tali etiam post obitum fulsere miraculo. Illorum de-



Digitized by Google

nique corpora cum in basilicam beati Felicis martyris essent humata, sicut ad nos usque decucurrit relatio, vir quidam erat religiosus, ac de suæ animæ cura sollicitus, cui nocturno tempore, ut privatis orationibus se Domino commendaret, universa quæ extra muros ejusdem civitatis sita erant oratoria, indesinenti studio circuire solebat. Hic itaque dum ad prædictam beati Felicis martyris pervenisset basilicam, nec tamen ingrediendi ei esset concessa facultas, accessit juxta murum forinsecus ad eam partem qua prædictorum sacerdotum corpora requiescebant, atque ibi se in oratione tota suæ mentis intentione prostravit; qui dum post effusas preces ab oratione surrexisset, et in sanctorum honorem ad quorum e regione sepulcra oraverat, psalmi versiculum, id est : *Exsultabunt sancti in gloria*, pronuntiaret, mox ab intus voce subjungentis audivit : *Lætabuntur in cubilibus suis*.

Successit his sacris viris Firminus, deinde Legontius, de quorum aliquid vita, præter eorum nomina, nihil ad nos reduxit relatio prisca. Accepit deinde tertius decimus venerandus præsul Auctor gubernandam Ecclesiam ea tempestate, quando non solum Gallia, sed universus pene Occidens barbarorum sævientium est perpessus sævitiam; de quo viro, quamvis et alia ab eo insignia facta credantur, duo tamen ad nostram memoriam ejus miracula pervulgata sunt. Eo igitur tempore cum reverendus hic præsul vitam cunctis virtutibus decoratam duceret, Attila rex Hunnorum omnibus belluis crudelior, habens multas barbaras nationes suo subjectas dominio, postquam Gundigarium Burgundionum regem sibi occurrentem protriverat, ad universas deprimendas Gallias suæ sævitiæ relaxavit habenas. Hujus adventu beatus Servatius Tungrorum episcopus præcognito, Romam ad beatorum apostolorum Petri et Pauli sacratissima corpora perrexit, ut per eorum sublime meritum specialiter a Domino impetraret, et Tongrensis urbis populum a tanto exitio liberaret. Tunc ei divinitus per eumdem beatum Petrum apostolum revelatum est, quod ita cœlesti esset judicio definitum, ut universa Gallia barbarorum foret infestationi tradenda, præter beati Stephani levitæ et protomartyris situm apud Metas oraculum, in quo ipsius erat pretiosus cruor absque corruptionis labe reconditus. Hæc dum sancto Servatio revelata fuissent, festinus ad Gallias repedavit, invenitque jam Hunnorum examina per universas Gallias debacchari : qui cum ab obsidione Metensium pro eo quod eorum civitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudinem cernerent, recessissent, contigit beatum Servatium ipso in tempore dum a Roma reverteretur, Metis devenire ; qui dum universa sicut revelatione didicerat, sancto consacerdoti suo Auctori retulisset, ad civitatem propriam, hoc est Tungris, reversus est. Nec mora, post ejus egressionem, murus civitatis Metensis corruit, ingressumque hostibus superna dispositione patefecit. Mox ut beatus Auctor traditam civitatem inimicorum gladiis advertens, univer-

A sos parvulos, qui necdum sacri fontis ablutionem perceperant, baptizari præcepit.

Igitur audientes Hunni, qui XII milliario exinde situm castrum quod Scarponna dicitur obsidebant, Metensis urbis mœnia corruisse, iterato ad eam festina celeritate regressi sunt, incendiisque et rapinis universa vastantes, plures e civibus, cum eis qui baptizati fuerant parvulos, interemerunt; reliquos vero, qui exitio superesse poterant, simul cum sancto Auctore episcopo, captivos abducunt. Impletum sane est super beati Stephani levitæ et protomartyris domicilio quod a beatissimo Petro apud Romam Christi famulo Servatio fuerat ante prædictum. Nam cum eamdem basilicam procul furentes barbari aspicerent, ad eam cursim quasi optima spolia capturi properabant. B Cumque propius accederent, eorum oculis velut ingens saxum ac mobilis solida apparebat; quem cum, cæcati mentibus, manibus per gyrum palparent, aditumque ingrediendi quærerent, nihil omnino eis aliud quam naturalis saxi durities videbatur. Denique sæpius abscedentes, rursumque revertentes, cum se nihil proficere cernerent, tandem fatigati discesserunt, suæque iniquitatis effectu frustrati sunt.

Quid etiam de hoc oratorio beatus Gregorius Turonum episcopus in suis libris narravit, non silebo. Refert enim prius quam hi hostes venirent, vidisse virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis apostolis Petro ac Paulo beatum levitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem : Oro, domini, ut non C permittatis obtentu vestro Metensem urbem ab inimicis exuri, quia locus meus est, in quo parvitatis meæ pignora continentur; sed potius sentiant populi aliquid me posse cum Deo. Quod si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit nisi civitas tradatur incendio, saltem hoc oratorium non cremetur. Cui illi aiunt : Vade in pace, dilectissime frater; oratorium tantum tuum carebit incendio, pro urbe vero non obtinebimus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia jam præcessit; invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Domino; idcirco civitas hæc cremabitur incendio. Unde non dubium est quod horum obtentu, urbe vastata, oratorium permansit illæsum.

Igitur rex atque hostis, dum ad oppidum quod D appellatur Decempagos, quod a Metensi urbe XXX millibus abest, pervenissent, quia Domino nostro semper de suis servulis cura, et mira misericordia, sicut ait Psalmista, non continet, tantæ subito eosdem Hunnos tenebræ circumvallarunt, ut quid agerent, vel quo se verterent, omnino nescirent. Tunc causa tantæ calamitatis, ut in tali re opus erat, sollicite requirentes, ab uno ex captivis quos ducebant audiunt, quia propter cœlestis Dei Auctorem episcopum, quem in captivorum numero se vidisse dicebat, talia paterentur. Mox igitur facta inquisitione, beatum Auctorem reperiunt : quem dum percunctarentur quid in munere vellet accipere, ut a tanto eos periculo liberaret, ille ad hæc respondit sibi nullum

Digitized by Google

aliud gratius posse munus offerri quam si omnes A quos ducebant captivos, sinerent ad propria remeare; quod illi si facerent, promittit se sine dubio a suo Domino impetraturum, ut ab illis quibus tenebantur tenebris eruerentur. Factumque est, et mox in universo suo Hunni exercitu captivos quos ducebant requirentes, eos beato Auctori reddiderunt. Mox a suis, ut eis promissum fuerat, cessantibus tenebris, luce reddita, angustiis liberati sunt, sicque venerabilis Christi famulus dum ad modicum in captivorum sorte deputatur multos a captivitate resolvit. O quantum potiori gloria de reductis iste civibus triumphavit, quam crudeles barbari, qui eos antea quasi victores abduxerant, triumphare potuissent!

Veniam ad aliud miraculum, quod ejusdem meritis cœlesti virtute patratum est. Quodam denique B tempore, cum in oratorio beati protomartyris Stephani, de quo supra retulimus, trabs ab ipso fastigio culminis dissoluta corruisset, marmor quod in altari eximii candoris erat, ita confregit, ut in duabus illud partibus omnino divideret. Adest beatus Auctor, et cunctis qui aderant pro illato dispendio contristatis, ipse vero fidens in Domino, præcepit easdem fracturas sibi invicem copulari, pararique sibi ministeria quo desuper more solito divini sacrificii munus offerret. Stupentibus itaque illis, et quid esset facturus intendentibus, mox salutarem hostiam Deo obtulit. Illico omnis illa confractio ita solidata est, quasi antea minime divisa fuisset. Est tamen in eodem marmore, quod non mediocriter usque in C præsentem diem possit admirari; nam ita apparet hactenus cernentibus quasi divisum; sed studiose contrectatum digitis, ita probatur solidum, ut nullius in eo divisionis sentiatur indicium. Non est dubium et plura eum miranda patrasse, sed qualis quantusque fuerit ex his quæ relata sunt plenius potest agnosci.

Successit huic quartus ac decimus Æplitius; deinde quintus decimus Urbicius. Sextus decimus Bonolus. Septimus decimus Terentius. Octavus decimus Gonsolonus; exinde Romanus; vicesimus denique Fronimus; post quem Grammatius, deinde Agathimber. Tres itaque isti quos præmisimus, sicut in eorum nominibus attenditur, de origine credendi sunt emanare Græcorum. Post hos rexit Ecclesiam D Sperus, deinde Vilicus, tum vicesimus quintus Petrus; vicesimus ac sextus Agiulphus, qui fertur patre ex nobili senatorum familia ortus, ex Clodovæi regis Francorum filia procreatus. Post istum exstitit nepos istius, nomine Arnoaldus, quem secutus est Pappolus. Post hos ad regimen Ecclesiæ beatissimus Arnulphus ascitus est, vir per omnia lumine sanctitatis et splendore generis clarus; qui ex nobilissimo fortissimoque Francorum stemate ortus, ita Dei Ecclesiæ præfuit, ut et palatii moderator existeret. Hic denique et in corpore permanens, simul et post vitæ exitum multa admiranda patravit, quæ si quis nosse desiderat, libellum qui de ejus specialiter actibus est conscriptus, legat.

Unum tamen ejus admirabile factum referam, quod satis miratus sum quo ordine præterierit is qui ejus contexuit Vitam. Hic denique cum pœnitentiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit ut per Mosellæ fluminis pontem transiret, cumque subterfluentium aquarum profundos nec visu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ spei fiduciam in mente gerens, extracto digito, annulum in illam aquarum profunditatem projecit. Tunc, inquiens, me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem projicio annulum recepero. Post aliquot vero annos, cum ad episcopatus ascendisset officium, ei die quadam piscator quidam piscem attulit, quem ille sibi, quia a carnibus abstinebat, ad refectionem vespertinam jussit præparari; cumque ejus minister officii, more solito, exenterasset, eumdem annulum intra ipsius piscis intestinum reperit. Ille factum admiratus, sed rei nesciens, beato Arnulpho detulit: quem ille ut vidit, statim recognovit, ac Deo omnipotenti, jam de remissione peccatorum fidus, gratias retulit, ac deinceps non remissius vitam duxit, sed majori se potius abstinentiæ coarctavit. Nec dissimiliter Pater hic venerabilis quam olim Gedeon ille signum a Domino poposcit. Ille verum indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset; iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem projiciens, experiri cupiit utrum de inimicis victoriam jam cepisset. Fortes quidem erant quos ille devicerat, sed hi quos iste superaverat fortiores. Hæc ego non a qualibet mediocri persona didici, sed ipso totius veritatis assertore præcelso rege Carolo referente cognovi, qui de ejusdem beati Arnulphi descendens prosapia, et in generationis linea trinepos exstabat.

Nam venerandus iste vir, ut ad superiora redeam, juventutis suæ tempore, ex legitimi matrimonii copula duos filios procreavit, id est, Anchisum et Clodulphum, cujus Anchisi nomen ab Anchise patre Æneæ, qui a Troja in Italiam olim venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum, sicut ab auctoribus est traditum, a Trojana prosapia trahit exordium. Cum igitur hos duos de quibus præmisimus, venerabilis Arnulphus filios haberet, quoniam erat misericors, et ad pietatis opera semper intentus, utrisque filiis suis cœpit suadere ut assensum præberent quatenus omnes suas facultates ad usus pauperum dispertiret. Tunc major filius, id est, Clodulphus, se hoc posse facere, id est, ut portionem sibi debitam patri largiretur, omnimodis denegavit. At vero minor filius, id est, Anchisus, fidens de Christi pietate sibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet se libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, et prædicit ei pluriora eumdem quam reliquerat habiturum; insuper benedixit eum ejusque cunctam progeniem nascituram in posterum, factumque est: nam pluriores Anchiso quam reliquerat divitiæ accesserunt, et ita in eo paterna est stabilita benedictio, ut de ejus progenie tam strenui fortesque viri nascerentur, ut non immerito ad

Digitized by Google

ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum. Et ut hoc agnoscere possis, paucis animadverte docebo.

Anchisus genuit Pippinum, quo nihil unquam potuit esse audacius; Pippinus genuit Carolum, viris omnino fortissimis conferendum, qui inter cætera et magna bella quæ gessit, ita præcipue Saracenos detrivit, ut usque hodie gens illa truculenta et perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum, sapientia nihilominus et fortitudine satis clarum, qui, inter reliqua quæ patravit, jam Wascones dudum Francorum ditioni rebelles, cum Waisario suo principe, felicitate miranda, debellavit et subdidit. Hujus item filius magnus rex Carolus exstitit, qui Francorum regnum, sicut numquam antea fuerat, dilatavit. Denique, inter plura et miranda quæ gessit, Langobardorum gentem bis a patre devictam, altero Græcorum rege, cujus Desiderius nomen erat, capto, alteroque qui dicebatur Adelgisus, et cum genitore regnante suo Constantinopolim pulso, universam sine gravi prælio suæ subdidit ditioni, et, quod raro fieri assolet, clementi moderatione victoriam temperavit. Romanos præterea, ipsamque urbem Romuleam jam pridem ejus præsentiam desiderantem, quæ aliquando totius mundi domina fuerat, et tunc a Langobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens, suis addidit sceptris, cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus est; de quo viro nescias utrum virtutem in eo bellicam, an sapientiæ claritatem, omniumque liberalium artium magis admireris peritiam. Hic ex Hildegard conjuge quatuor filios et quinque filias procreavit. Habuit tamen ante legale connubium ex Dimiltruda nobili puella, filium nomine Pippinum. Natorum sane ejus quos ei Hildegard peperit, ista nomina. Primus dictus est Carolus, scilicet patris ac proavi vocabulo nuncupatus; secundus item Pippinus fratri atque avo æquivocus. Tertius Lodohic, qui cum Lothorio qui biennis occubuit, uno partu est genitus. Ex quibus jam, Deo favente, minor Pippinus regnum Italiæ, Lodohic Aquitaniæ tenent. Mortua autem Hildegard regina, rex excellentissimus Carolus Fasteradam duxit uxorem, quæ Hildegard apud urbem Metensem in beati Arnulphi oratorio requiescit. Pro eo denique quod a beato Arnulpho jam fati reges originem ducerent, suorum ibi charorum defuncta corpora posuere. Nam ibi humatæ sunt duæ regis Pippini filiæ, quarum una Rotald, altera Adelaid appellata est. Ibi quoque et junioris regis Caroli duæ nihilominus tumulatæ natæ, scilicet Adelaid et Hildegard, quæ Hildegard, materno nuncupata nomine, matrem morientem citius subsecuta est.

Sed his quæ prætereunda non erant breviter prælibatis, ad narrationis tramitem revertamur. Post beatissimum denique Arnulphum, Metensi Ecclesiæ Goericus, trigesimus, qui et Abbo vocitatus est, præfuit. Deinde Godo primus atque trigesimus, episcopalis officii curam gessit; quo de mundo recedente, Clodulphus, cujus supra mentionem fecimus, beati Arnulphi genitalis filius, Anchisi quoque, a quo semen propagatum est regium, germanus, ad episcopale culmen ob paternæ sanctitatis gloriam trigesimus atque secundus ascendit; de quo nihil ad nos amplius, præter quod a tali radice exortus est, fama perduxit : quo decedente, fidelem populum moderaturus, tertius atque trigesimus Abbo ascitus est; post quem Aptatus, deinde Felix gregi feliciter dominico pastores exstiterunt. Dehinc Sigibaldus generosis ortus natalibus, religioso cœtui antistes effectus est, vir per omnia utilitatibus Ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum solertissimus restitutor. Hic de animarum statu sollicitus, duo monasteria condidit, e quibus unum Hilariacum, vel etiam Nova-Cella dicitur, alterum quoque Novum-Villare vocitatur. Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit. Sed ille internis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientissime toleravit.

Jam hinc vir egregius, et omnibus præconiis efferendus, Chrodegangus antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigrano, matre Landrada, Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris Caroli ab ipso enutritus, ejusdem ipse referendarius exstitit; ac demum Pippini regis temporibus, pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quamque etiam Latino sermone imbutus est. Servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non solum altor, sed et clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples, a Pippino rege omnique Francorum cœtu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic clerum adunavit, et ad instar cœnobii, intra claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent; quibus annonas vitæque necessaria sufficienter largitus est, ut, perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent; ipsumque clerum abundanter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit, quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minime fuit. Hic fabricare jussit, una cum adjutorio Pippini regis, * rebam sancti Stephani protomartyris, et altare ipsius atque cancellos, presbyterium arcusque per gyrum. Similiter et in ecclesia beati Petri majore presbyterium fieri jussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, et arcus per gyrum throni ante ipsum altare ædificavit.

Præterea monasterium in parochia beati Stephani in pago Mosilensi in honorem beatissimi Petri apostoli, et ditavit illud opibus magnis, monachosque ibi instituit; atque sub regula sancti Patris Benedicti

* Al., *repam* (*Vide Vitam S. Elijii, l. II, c. 39, in fine t. V Spicileq.*). *Repa*, ou *reba* signifie un ciel, un Dais, un couvercle qu'on mettait sur les autels et sur les tombeaux des saints (*Du Cange.* REPA).

Digitized by Google

in una charitate conjunxit. Construxit etiam alterum monasterium quod Gorgia vocatur, ubi pari modo non modicam multitudinem adunavit monachorum. Expetiit denique a Paulo Romano pontifice tria corpora sanctorum martyrum, id est, beati Gorgonii, quod in Gorgia requiescit; beati Naboris, quod in Hilariaco monasterio conditum est; beatique Nazarii, quod ultra fluvium Rhenum in monasterio quod vocatur Lorsam, ædificata in honorem ipsius martyris miri decoris basilica, collocavit. Hoc siquidem prædium Chillisiundis quondam religiosa femina et Cangro ejus filius eidem Chrodegango antistiti ad partem beati Stephani tradiderunt. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum.

A Sed quoniam longum est bona quæ gessit ex ordine retexere, satis sit hæc pauca relibasse de plurimis. Hic consecravit episcopos plurimos per diversas civitates, presbyteros nihilominus ac diaconos, cæterosque ecclesiasticos ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit Ecclesiam Metensem annis xxiii, mensibus v, diebus v. Obiit ii Nonas Martias, in diebus Pippini regis. Requiescit in Gorgia monasterio, quod ipse a fundamentis construxit. Hic jam, pater sanctissime Angilramne, narrationis serie vestram beatitudinem locus exspectat; sed ego meæ tenuitatis non immemor, attentare minus idonee non audeo quæ de vestræ vitæ cursu laudabili majori stylo promenda sunt. B

---

# DE ORDINE METENSIUM EPISCOPORUM.

## *Textus metricus.*

(*Ex D. Calmet Historia Lotharingiæ.*)

Qui sacra vivaci studio domicilia lustras,
Noscendi tua tangit amor si pectora, quorum
Hæc fuerit procerum Christo acquisita labore,
Urbs præclara viris, seu quis has primus ad oras
Advexit lumen sublato errore vetusto;
Almifluæ solers de vero Oriente fidei,
Perlege subjectum, breviterque docebere, carmen.
Cum Petrus æterni dux summus Romula Regis,
Quæ caput orbis erat, ad mœnia finibus omni
Schemate virtutum plenus venisset Eois,
Claros quosque viros summas cœlestibus armis
Qui caperent arces, ad vitæ gaudia mittit,
E quorum numero [a] Clemens vocitatus, ut ille
Qui Romæ Petro successerat, intulit urbi
Huic, quam olim Mettis veteres dixere coloni.
Egregius præsul divina voce salutem,
Primusque hic Domini digne fundavit ovile,
Aurea transmittens populi exempla futuris.
Justi successit merito, cui vita vocamen
Cœlestis tribuit, cœlesti dogmate pollens.
Tertius Ecclesiam [b] Felix feliciter auxit.
Quartus adest [c] Patiens, bene quem patientia com-
[psit.
Hinc fulsit [d] Victor, cui dat victoria nomen.
Hunc sequitur [f] sextus simili cognomine præsul.
Septimus Hebræo est [f] Simeon de sanguine cretus.
[g] Sambatus octavus bene mystica Sabbata servat.
Post hos, [h] Ruffe, venis, flammis rubicundus amo-
[ris.
[i] Adelphus decimus fratrum dilector opimus.
Hinc [j] Firminus erat, cui firmum robore pectus.
Hos tu subsequeris duodecimus, alme [k] Legonti.
Floruit hinc [l] Auctor donis cœlestibus auctus.
[m] Epletus hanc decimus tenuit quartusque cathe-
C [dram.
Claruit hac decimus quintusque [n] Urbicius urbe.
Post [o] Bonulus, bonitatis opus de more peregit.
Trivisti assidue post limina sancta, [p] Terenti.
Octavus decimus [q] Lamgunsolonis habetur.
Inde capis, [r] Romane, decus venerabilis aulæ.
Post [s] Fronimus sanctum sapienter rexit ovile.
[t] Grammatus instruxit large de grammate plebem
Emicat Ecclesiæ [u] Danaus Agatimber in æde
Post hos [v] Sperus erat, quem spes fulcibat ab altis.
[x] Villicus internas servat moderamine villas.
Vicenus quintusque [y] Petrus dat famina plebi.
Et genus et fulgens [z] Agiulfum vita decorat.
Hinc fuit Arnoaldus manans a stirpe Sicambra.
Chrifaculum servanda capis post, [aa] Papule, septa.
D Splenduit [bb] Arnulphus dehinc ampla luce beatus.

[a] Obiit ix Kal. Decemb.
[b] Obiit ii Id. Octob.
[c] Obiit viii Kal. Mart.
[d] Obiit vi Id. Januar.
[e] Obiit x Kal. Octob.
[f] Obiit xv Kal. Mart.
[g] Obiit xviii Kal. Octob.
[h] Obiit vii Id. Novemb.
[i] Obiit iv Kal. Septemb.
[j] Obiit xv Kal. Septemb.
[k] Obiit xii Kal. Mart.
[l] Obiit iv Id. Aug.
[m] Obiit iii Kal. Aug.
[n] Obiit xiii Kal. April.
[o] Obiit vii Id. Octob.
[p] Obiit iv Kal. Novemb.
[q] Obiit ii Kal. Aug.
[r] Obiit Idib. April.
[s] Obiit vi Kal. Aug.
[t] Obiit vii Kal. Maii.
[u] Obiit iv Id. Maii.
[v] Obiit x Kal. Sept.
[x] Obiit xiv Kal. Maii.
[y] Obiit v Kal. Octob.
[z] Obiit x Kal. Sept.
[aa] Obiit ii Kal. Decemb.
[bb] Obiit xvii Kal. Sept.

Digitized by Google

Inde [a] Goericus præest, vocitatus et Abbo.
Post [b] Godo terdenus servat pia culmina primus.
Subsequitur sancto [c] Chlodulphus germine cretus.
Alter adest rursus præsul venerabilis [d] Abbo
Aptis [e] Aptatus clerum moderatur habenis.
Ostendit [f] Felix populis felicia regna.
Eximius claret factis [g] Sigibaldus opimis.
Nobilis in cunctis papa [h] Chrodegangus habetur.

[a] Obiit XIII Kal. Octob.
[b] Obiit VIII Id. Maii.
[c] Obiit VIII Id. Maii.
[d] Obiit XVIII Kal. Maii.
[e] Obiit XII Kal. Febr.
[f] Obiit XI Kal. Januar.
[g] Obiit VII Kal. Novemb.

A Jam nunc tricenus pastorque octavus herili
Auxilio fultus traxit ad pia pascua vitæ
[i] Angelramnus oves : quo tempore maximus armis
Rex Carolus sensu, formaque, animoque decorus,
Italiæ accepit Christi de munere sceptrum.
Quos simul excelsi, Stephano pascente beato,
Protegat atque regat felices dextra per ævum !.

[h] Obiit II Non. Martii.
[i] Obiit VII Kal. Novemb
Addendi sunt hi quinque : Gundulphus. Decessit VII Id. Sept. Drogo archiepiscopus. VI Id. Decemb. Adventius. Pridie Kal. Septemb. Wala. III Idus Aprilis. Ruotpertus. Ordinatus est episc. X Kal. Maii.

# APPENDIX.

## CATALOGUE DES ÉVÊQUES DE METZ.

(Chaussier, supérieur du petit séminaire.)

Dans ce catalogue, nous suivrons, pour nos an- B ciens évêques, la chronologie de Meurisse, dans son Histoire des évêques de Metz, quoiqu'elle soit susceptible de rectification sur quelques points que notre intention ne peut être de discuter ici. — Un grand nombre de nos anciens évêques sont honorés du titre de saint. Pour la plupart ce titre est fondé sur l'autorité la plus grande que puissent présenter les Eglises particulières, quand il s'agit de personnages qui ont vécu dans les premiers siècles : leur culte a été admis de temps immémorial dans la liturgie de l'Eglise de Metz (*a*) ; il est même, pour quelques-uns, passé dès l'antiquité, dans la liturgie des diocèses voisins ; et les noms de plusieurs se trouvent avec le titre de saint dans le Martyrologe romain. — Pour un certain nombre de ces anciens pontifes, le titre de saint n'est pas fondé sur des autorités aussi respectables. On ne trouve point de traces de leur culte dans les monuments de notre ancienne liturgie : seulement leurs noms sont inscrits dans le Martyrologe de Metz, ou dans le Martyrologe gallican de Du Saussay, qui, à cause de son défaut C de critique, est de peu de poids, quand il s'agit d'attribuer à quelque personnage le titre de saint. — Dans le catalogue que nous donnons ici, à côté de chaque nom de saint, nous indiquerons l'autorité la plus grave qui lui attribue ce titre. La lettre L signifie ancienne liturgie ; R, Martyrologe romain ; M, Martyrologe de Metz ; et G, Martyrologe gallican.

L'an de J.-C.
47 1. S. Clément. . . . . . . . . L.
72 2. S. Céleste. . . . . . . . . L.
87 3. S. Félix. . . . . . . . . L. R.

L'an de J.-C.
130 4. S. Patient. . . . . . . . L. R.
143 5. S. Victor I. . . . . . . . . L.
152 6. S. Victor II.
154 7. S. Siméon. . . . . . . . . . L.
184 8. S. Sambace. . . . . . . . . L.
202 9. S. Ruffe. . . . . . . . . L. R.
230 10. S. Adelphe. . . . . . . . L. R.
246 11. S. Fremin, ou plutôt Phronimius (*b*) L. R.
292 12. S. Légonce. . . . . . . . . L.
326 13. S. Autor. . . . . . . . . . L.
375 14. S. Expléce. . . . . . . . . G.
391 15. S. Urbice. . . . . . . . . . L.
420 16. S. Bonnole. . . . . . . . . G.
423 17. S. Térence. . . . . . . . . L.
443 18. S. Consolin. . . . . . . . . G.
460 19. S. Romain. . . . . . . . . L.
489 20. S. Fronime. . . . . . . . . L.
496 21. S. Grammace. . . . . . . . M.
519 22. S. Agatimbre. . . . . . . . L.
531 23. S. Hespérius. . . . . . . . G.
548 24. S. Villicus. . . . . . . . . M.
572 25. S. Pierre. . . . . . . . . M.
582 26. S. Ayulphe (*c*).
594 27. S. Arnoald. . . . . . . . . M.
621 28. S. Pappole. . . . . . . . . L.
624 29. S. Arnoul. . . . . . . . L R.
638 30. S. Goéric. . . . . . . . . L.
656 31. S. Godon. . . . . . . . . L.
664 32. S. Clodulphe. . . . . . . L. R.
703 33. S. Abbon. . . . . . . . . G.
712 34. Aptatus.
719 35. S. Félix II. . . . . . . . . L.
720 36. S. Sigisbauld. . . . . . . . L.

(*a*) On trouve dans la bibliothèque du grand séminaire diocésain, un Bréviaire de Metz manuscrit, du commencement du XIVe siècle (vers 1325) ; un autre Bréviaire de Metz, imprimé en 1546 ; et un supplément pour les saints de Metz, à ajouter au Bréviaire romain, lorsque ce Bréviaire fut adopté dans le diocèse de Metz, en 1610. La bibliothèque de cette ville possède également six ou sept Missels ou autres livres liturgiques du diocèse, ou de maisons religieuses de la ville de Metz. Ces manuscrits sont du XIVe et du XVe siècle : sur deux des plus anciens on trouve la date de 1324, sur un autre celle de 1348, et sur un des plus récents la date 1458. — Ce sont là les divers monuments qui nous ont servi à constater D quels sont ceux de nos évêques qui ont été honorés comme saints dans notre ancienne liturgie.

(*b*) Voir Meurisse (*Page* 40). Le Martyrologe romain le nomme *Firminus*. C'est sous ce dernier nom que nous avons parlé de lui dans cet opuscule.

(*c*) Saint Ayulphe ne reçoit le titre de saint que dans quelques anciennes chartes.

Digitized by Google

| L'an de J.-C. | | | |
|---|---|---|---|
| 744 | 37. | S. Chrodegang. | L. |
| 797 | | *Vacance.* | |
| 769 | 38. | S. Angelramne (*a*). | |
| 762 | | *Vacance.* | |
| 819 | 39. | S. Gondulphe. | L. |
| 825 | 40. | Drogon. | |
| 858 | 41. | Advence. | |
| 876 | 42. | Walla. | |
| 883 | 43. | Robert. | |
| 917 | 44. | Wilgeric. | |
| 927 | 45. | Bennon. | |
| 929 | 46. | S. Adalbéron I. | G. |
| 964 | 47. | S. Thierry I. | G. |
| 984 | 48. | Adalbéron II. | |
| 1005 | 49. | Thierry II. | |
| 1047 | 50. | Adalbéron III. | |
| 1073 | 51. | Hériman (*b*). | |
| 1090 | 52. | Poppon. | |
| 1104 | 53. | Adalbéron IV. | |
| 1118 | 54. | Théoger. | |
| 1120 | 55. | Etienne. | |
| 1164 | 56. | Thierry III. | |
| 1172 | 57. | Frédéric. | |
| 1174 | 58. | Thierry IV. | |
| 1179 | 59. | Bertrand. | |
| 1212 | 60. | Conrad. | |
| 1225 | 61. | Jean d'Aspremont. | |
| 1239 | 62. | Jacques. | |
| 1261 | 63. | Philippe. | |
| 1264 | 64. | Guillaume. | |
| 1270 | 65. | Laurent. | |
| 1280 | 66. | Jean II. | |
| 1283 | 67. | Bouchart. | |
| 1297 | 68. | Gérard. | |

| L'an de J.-C. | | |
|---|---|---|
| 1302 | 69. | Regnault. |
| 1316 | | *Vacance.* |
| 1319 | 70. | Henri. |
| 1324 | 71. | Louis de Poitiers. |
| 1327 | 72. | Adémar. |
| 1362 | 73. | Jean de Vienne. |
| 1366 | 74. | Thierry de Boppart. |
| 1384 | 75. | Le bienheureux Pierre de Luxembourg (*c*). |
| 1387 | 76. | Raoul de Coucy. |
| 1416 | 77. | Conrad Bayer de Boppart. |
| 1459 | 78. | George de Baden. |
| 1485 | 79. | Henri de Lorraine. |
| 1506 | 80. | Le cardinal Jean de Lorraine. |
| 1554 | 81. | Nicolas de Lorraine. |
| 1548 | | *Vacance.* |
| 1550 | 82. | Le cardinal Charles de Lorraine. |
| 1551 | 83. | Robert de Lénoncourt. |
| 1556 | 84. | François de Beauquère. |
| 1568 | 85. | Le cardinal de Guise. |
| 1578 | 86. | Le cardinal Charles II de Lorraine. |
| 1608 | 87. | Le cardinal de Givry. |
| 1612 | 88. | Henri de Bourbon de Verneuil. |
| 1652 | 89. | Le cardinal Mazarin (*d*). |
| 1658 | 90. | François Egon de Furstemberg. |
| 1668 | 91. | Guillaume Egon de Furstemberg. |
| 1669 | 92. | D'Aubusson de la Feuillade. |
| 1697 | 93. | Du Cambout de Coislin. |
| 1733 | 94. | De Saint-Simon. |
| 1760 | 95. | Le cardinal de Montmorency (*e*). |
| 1802 | 96. | Bienaimé. |
| 1807 | 97. | Jauffret. |
| 1824 | 98. | Besson. |
| 1843 | 99. | Du Pont des Loges. |

(*a*) Nous ne trouvons le titre de saint donné à cet illustre évêque que chez les religieux du couvent de Saint-Nabor (aujourd'hui Saint-Avold). Sur l'époque de sa mort et la durée de la vacance qui l'a suivie, voir les Bollandistes (*Acta SS.*, 6 *Septembris*, *art.* S. Gondulphe).

(*b*) Il est qualifié de vénérable par le Martyrologe gallican.

(*c*) Il est mort à Avignon où l'avait appelé Clément VII, que la France reconnaissait comme pape légitime, durant le grand schisme qui affligeait alors C l'Eglise. Il a été béatifié en 1527, par Clément VII le vrai pape de ce nom.

(*d*) Le cardinal Mazarin et les deux Egon de Furstemberg, n'ayant pu obtenir leurs bulles du souverain pontife, ont abdiqué après quelques années.

(*e*) Le cardinal de Montmorency, ayant émigré pendant la révolution de 1793, n'est point rentré en France au rétablissement du culte: il est mort à Altona en 1808.

# S. CYPRIANI PASSIO

## PAULO DIACONO ATTRIBUTA.

(Ex S. Cypriani Opp. Edit. Felli Oxon.)

[a] Imperatore Valeriano quartum, et Gallieno tertium consulibus [1], tertio Kalendarum Septembrium,

### VARIANTES LECTIONES.

[1] *Tusco et Basso coss.* Vet. Martyr. Saris. Gal. Foss. *Nobilium imperatorum scripta ad me venerunt, ut hi qui cæremonias execrantur, diis immolare, et ad sacrificandum compellantur inviti.* Act. Pass.

### FELLI NOTÆ.

*Imperatore Valeriano.* Actus passionis Cypriani secundum Editiones Manutii et Morellii, egregiam fabulam prologi loco præmittit, quæ sæculum in quo nata est satis profitetur, et sic se habet. « Cum gloriosum nomen Christi a gentilibus exosum, intentione maxima conaretur auferri, et esset persecutio apud urbem Romam: beatissimus Cornelius pontificatum prædictæ urbis summis virtutibus præditus tunc regebat; comprehensusque a præside, et diuturnis tormentis afflictus gladio finivit temporalem vitam, D percepturus a Deo sine fine perpetuam. Sed cum hoc odium fuisset etiam in Libycis terminis irrogatum, multi Christianorum populi malentes transitoriam vitam amittere, et illa quæ a Deo promissa sunt adipisci, diversis tormentis afflicti consummabantur. Ferunt etiam tunc a præside clibanum calcis accensum, et in ore illius prunas cum thure exhibitas; præsidem dicere Christianis: Eligite e duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati,

Digitized by Google

Carthagine [a] in secretario, Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit : Sacratissimi Imperatores Valerianus et Gallienus, litteras ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos qui [1] Romanam religionem non colunt, debere Romanas cæremonias recognoscere. [2] Exquisivi ergo de nomine tuo ; quid mihi [3] respondes ? Cyprianus Episcopus dixit : Christianus sum, et Episcopus. [4] Nullos alios deos novi, nisi unum et verum Deum, qui fecit cœlum et terram, mare et quæ in eis sunt omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, [5] pro nobis, et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum imperatorum. Paternus proconsul dixit : In hac ergo voluntate [6] perseveras ? Cyprianus episcopus respondit : Bona voluntas, quæ Deum novit, [7] immutari non potest. Paternus proconsul dixit : Poteris ergo secundum præceptum Valeriani et Gallieni, exsul ad urbem Curubitanam proficisci ? Cyprianus episcopus dixit : Proficiscor. Paternus proconsul dixit : Non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris mihi scribere dignati sunt. Volo ergo scire ex te qui sint presbyteri qui in hac civitate consistunt. Cyprianus episcopus respondit : Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, [8] [b] delatores non esse. [9] Itaque detegi et

A deferri a me non possunt : in civitatibus autem suis invenientur. Paternus proconsul dixit : Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit : Cum disciplina prohibeat, ut quis [c] se ultro offerat, et [d] tuæ quoque censuræ hoc displiceat ; nec offerre seipsi possunt : sed a te exquisiti invenientur. Paternus proconsul dixit : A me invenientur [10]. Et adjecit : Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus Episcopus respondit [11] : Fac quod tibi præceptum est [12]. Tunc Paternus proconsul jussit beatum Cyprianum episcopum in exsilium deportari. Cumque diu ibidem moraretur, successit Aspasio Paterno proconsuli Galerius Maxi-B mus proconsul, qui sanctum Cyprianum episcopum ab exsilio revocatum sibi jussit præsentari. Cumque Cyprianus sanctus martyr, electus a Deo, de civitate Curubitana, in qua exsilio præcepto Aspasii Paterni tunc proconsulis datus fuerat, regressus esset, ex sacro præscripto in hortis suis manebat. Inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut illi ostensum fuerat. Et cum illic demoraretur, repente Idibus Septembris, Tusco et Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo [13] : Unus [e] strator officii Galerii Maximi

## VARIANTES LECTIONES.

[1] *Romanam religionem colunt, debere cæremonias recognoscere.*

[2] *Exquiro ergo* Gal. Saris. *Exquiro tibi de nomine tuo, quid mihi respondeas.* Cod. Conch.

[3] *Respondens*, Gal. Saris.

[4] *Nullos alios deos colo*, Saris. Gal.

[5] *Pro nobis, et pro incolumitate*, Saris. Gal.

[6] *Perseveras ut non sacrifices*, Act. Pass.

[7] *Mutari non potest. Non solum de episcopis*, Gal. Saris. Act. Pass.

[8] Sic. Gal Saris. *Nos delatores non esse*, Act. Pass. Impr.

[9] *Itaque eos exhibere non possumus ; sed nec ipsi se ultro offerunt, cum hoc Scriptura sancta prohibeat. A te enim quæsiti invenientur. Proconsul dixit : Jussum est ut nulla conciliabula faciant*, Act. Pass.

[10] *In civitatibus suis invenientur. Paternus proconsul dixit : A me invenientur.* Saris. Gal.

C [11] *Cæmeteria ingrediantur, quod qui facere deprehensus fuerit, capite plectatur. Sanctus Cyprianus respondit : Fac quod tibi præceptum est. Et post hæc ductus est in exsilium B. Martyr per præceptum Aspasii proconsulis in civitatem Curubitanam. Post dies autem multos egressus*, Act. Pass.

[12] *Fac quod tibi præceptum est. Cumque Cyprianus electus a Deo de civitate Curubitana*, Saris. Gal.

[13] *Principes duo ex officio proconsulis Galerii Maximi ; et levantes*, Act. Pass.

## FELLI NOTÆ.

se ictu rapidissimo, Christum Dei Filium Deum fatentes, jecerunt in ignem et inter vapores calcis pulverei sunt demersi ; quos sibi Christus consecravit. In his autem diebus cum talia gererentur, beatus antistes Cyprianus Carthaginensem regebat Ecclesiam, qui comprehensus a gentilibus, sedente Paterno proconsule in civitate, iniquis tribunalibus præsentatur. » In Martyrologio veteri incipit, *Tusco et Basso Coss. in secretario :* quem in modum legunt Cod. Saris. et Gal. Nimirum cum in unum Actus exsilii et passionis, in usus Ecclesiæ, commemorationis anniversariæ ergo, compingebantur ; character temporum qui ad passionem solummodo pertinebat, utrique præfigebatur. Fell.

[a] *In secretario.* Gloss. Græc. Σέκρετον, δικαστήριον, χαρτοφυλάκιον. Σέκρετον, συνέδριον. Hesych. Id.

[b] *Delatores non esse.* Illis per rescripta principum urbe exactis, et a tribunalibus depulsis. Exinde *Delator habuit, quod dedit exsilium.* Unde recte Cyprianus ad leges provocat, et frigide diceretur, *nos delatores non esse.* Id.

[c] *Se ultro offerat.* Epist. ult. Cypr. ait, « Dominus nos confiteri magis voluit, quam profiteri. » Fell.

[d] *Tuæ quoque censuræ hoc displiceat.* Sic Arrius Antoninus, Christianis quasi manu facta mortem deposcentibus dixit, Ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρεμνοὺς ἢ βρύχους ἔχετε. Tert. ad Scapul. Id.

[e] *Strator officii.* Perinde est sive stratorem, sive statorem dixeris ; codices enim utrumque agnoscunt ; altera vox Græcæ originis ; altera Latinæ. Illi fere videntur esse qui postea *commentarienses* dicti. Egregia Constantini lex ad Florentium Rationalem, litteris aureis scribenda, hominum istorum indolem graphice depingit. Veniam dabit lector si locum integrum D exhibeam, siquidem mutilari minime debeat. Cod. I, IX, tit. 4. De custodia reorum. « In quacunque causa reo exhibito, sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura perduxerit, statim debet quæstio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum præsentia necessaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro exhibito non ferreas manicas et inhærentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, ut cruciatio desit, et permaneat fida custodia. Nec vero sedis intimæ tenebras pati debet inclusus, sed usurpando lucem vegetari : et ubi nox geminaverit custodiam, vestibulis carcerum, et salubribus locis recipi, ac revertente iterum die, ad primum solis ortum, illico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur, quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse cognoscitur. Illud etiam observabitur, ut neque his qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatori-

Digitized by Google

A proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, et alius [a] equistrator [1] a custodiis ejusdem officii [2], qui et in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, et in Sexti perduxerunt, ubi idem Galerius Maximus proconsul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia secesserat. Et ita idem Galerius Maximus proconsul, in aliam diem Cyprianum sibi reservari præcepit. Et eo tempore beatus Cyprianus ductus ad principem et stratorem ejusdem officii Galerii Maximi proconsulis clarissimi viri secessit, et in hospitio ejus, cum eo in vico qui dicitur Saturni, [b] inter Veneream et Salutariam [3], mansit. Illuc universus populus fratrum convenit. Et cum hoc sanctus Cyprianus comperisset, [c] custodiri puellas [4] præcepit, quoniam omnes in vico ante januam hospitii principis manserant. Et ita altera die, octava decima Kalendarum Octobrium, [5] mane, multa turba convenit ad Sexti, secundum præceptum Galerii Maximi proconsulis. Et ita idem Galerius Maximus proconsul, eadem die Cyprianum sibi offerri præcepit, in atrio Sauciolo sedenti. Cumque oblatus fuisset, Galerius Maximus proconsul Cypriano episcopo dixit: Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus episcopus respondit: Ego sum. Galerius Maximus proconsul dixit: Tu papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Cyprianus episcopus respondit: Ego. Galerius Maximus proconsul dixit: Jusserunt te sacratissimi imperatores cæremoniari. Cyprianus episcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Consule tibi. Cyprianus episcopus respondit: Fac quod tibi præceptum est: in re tam justa nulla est consultatio. Galerius Maximus [d] collocutus cum consilio, sententiam vix ægre dixit verbis hujusmodi: Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis Romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi principes Valerianus et Gallienus Augusti, et [e] Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his quos scelere tuo tecum aggregasti; sanguine tuo sancietur disciplina. B Et his dictis, decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus episcopus dixit: [6] Deo gratias. [7] Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipso decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, et multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus [f] in agrum Sexti productus est, et ibi se [g] lacerna birro exspoliavit [8], et genu in terra flexit, et in orationem se Domino prostravit. Et cum se dalmatica exspoliasset, et diaconibus tradidisset, in linea [9] stetit, et cœpit spiculatorem sustinere. Cum

## VARIANTES LECTIONES.

C [1] *Proconsularis equester*, Gal., *sequestrator*, Saris., *equestrator*, Ms. vet a Gothof. laudat.

[2] *Sed et custodes ejusdem officii, et ambo*, Saris.

[3] *Inter Veneria et Salutaria* Coll. Mombrit. *Inter duas pluteas Veneriam et Salutariam* Germ. 1. Gal. *salariam*, Imp. *saltuariam*, alii Mss., *Regressus de exsilio habitabat in hortis suis, cumque ibidem moraretur, venerunt ad eum duo principes ex officio proconsulis Galerii Max. et levantes eum in curriculum suum, duxerunt ad proconsulem, ad locum ubi pro reparanda sanitate degebat. Et collectus ab adstatore officii, secessit ad hospitium ejus, in vicum qui dicebatur Saturni, et habitabat ibi; convenit autem ad eum universus populus fratrum*, Act Pass.

[4] *Castigari puellas*, Gal. Saris. *in vico orantes*, Gal. *quæ advenerant audire verbum Dei, quoniam ante ostium principis manebant, ob amorem martyris gloriosi.*

[5] *Mane autem facto*, Act. Pass. *Mane multo*, Gal. *Mane autem facto, oblatus est B. Cyprianus proconsuli, quem intuitus, ait illi: Es Thascius Cyprianus qui te papam sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Jusserunt te sacratissimi imperatores sacrificare. Consule tibi ne pereas. Tunc iratus proconsul dixit: Diu*, Act. Pass.

[6] *Gratias ago Deo omnipotenti, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere*, Gal. Act. Pass.

[7] *Et cum duceretur, populus plangens et ejulans dicebat: Nos cum ipso decollemur*, Act. Pass.

[8] *Productus autem gloriosus martyr, exuit se lacernum birrum, quem indutus erat, complicans; et posuit ad genua sua, dein tunicam tulit et diaconibus tradidit*, Act. Pass. *Tunicam tulit*, Saris.

[9] *Ad lineam*, Saris. *Stans in linea*, Act. Pass. *Lineis vestibus*. Gal.

## FELLI NOTÆ.

bus vendere, et innocentes intra carcerum septa letho dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere. Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus judici imminebit, si aliquem ultra debitum tempus inedia aut quocunque modo aliquis stratorum exhauserit, et non statim eum penes quem officium custodiæ est, atque ejus ministros capitali pœnæ subjecerit. » Id.

[a] *Equistrator*. Ἀναβολεύς, mareschalcus, apud scriptores Latino-Barbaros; qui imperatorem aut ducem armatum in equum imponit. De horum genitura ait Manilius,

Hic curru celsior ibit,
Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma.

Ammianus Marcell. lib. xxx, cap. 5, *Stratorem militem* appellat. Id.

[b] *Inter Veneream et Salutariam*. Forte Veneris et Salutis fana. Fell.

[c] *Custodire Puellas*. Rigaltius ait, « Castigari, hoc est, admonuit ut castissime sese haberent; castitatis, D sanctitatis, et pudicitiæ memores. » Id.

[d] *Collocutus cum consilio*. Ut mos erat Romanis præsidibus, pone siparium consiliarios sedentes, de sententia ferenda consulere. Vid. Act. xxv, 12. Id.

[e] *Valerianus nobilissimus Cæsar*. Quem Pater ejus in Persiam properans Cæsarem renuntiavit, ubi infelicissimus senex, hanc Christianorum persecutionem, miserrima captivitate, et miseriore, si fieri potuit, morte luebat. Id.

[f] *In agrum Sexti*. Martyrologium Rom., *Agrum sexti in sextum milliare a Carthagine juxta mare*, permutabat. Id.

[g] *Lacerna birro*. Lacerna sive birro; altera ex duabus vocibus pro additamento habenda. Eminentissimus cardinalis Baronius multis agit ut hinc doceamur « qualis esset episcoporum habitus: » et quidem, lynceus ille nobis ostendit, lineam ad quam stetit Cyprianus, « commune illud omnibus episcopis lineum indumentum quod Ephod alii dicunt, Italice vero Rochetto, » fuisse. Birrum « vero esse rubri co-

Digitized by Google

venisset autem spiculator, jussit suis, ut eidem [a] spiculatori xxv aureos darent [1]. Linteamina vero et manualia a fratribus ante eum mittebantur [2]. Postea vero beatus Cyprianus manu sua oculos sibi texit. Qui cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus presbyter, et Julianus subdiaconus ei ligaverunt. Et ita beatus Cyprianus passus est. Ejusque corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est [b] cum cereis et scholacibus, in areis Macrobii Candidi procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas, cum voto et triumpho magno. Post paucos autem dies Galerius Maximus proconsul decessit. Passus est autem beatissimus Cyprianus martyr die octava decima Kalendarum Octobrium, sub Valeriano et Gallieno imperatoribus: [c] regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIANTES LECTIONES.

[1] *Dare præcepit*. Saris.
*Fratres vero flentes, linteamina et oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur a terra*. Act. Pass.

FELLI NOTÆ.

loris, et sericum habitum clericalem. » Proinde exhiberi « exploratum antiquum episcoporum habitum, ut post vestem superinduerent lineam, et desuper eam solutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens lacernum birrum: quo genere indumenti hodie videmus uti, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales atque episcopos illos qui a regularibus ad eam dignitatem provecti sunt. » Ita jam porro discimus, Cyprianum aut cardinalem Ecclesiæ Romanæ fuisse, aut ex Regularibus ad dignitatem episcopalem provectum. Nihil certe est, de quo partium studio addicti sibi non possunt persuadere, et etiam sperare ut aliis persuadeant. Itane veste sua spectabiles in publicum procedunt clerici Ecclesiæ Romanæ, quando in regionibus agunt ubi sibi metuunt: gladiis cincti, et, ut Campiani nostratis utar verbis, *habitu dementissimo induti?* Inepte proconsul de episcopis et presbyteris detegendis fuisset sollicitus, si ex habitu essent omnibus conspicui. Obesæ prorsus est naris, qui in his quæ sequuntur, librariorum interpolationes, sæculis et ingeniis suis dignas, non deprehenderit. Illi quidem cum *tunicam* dignitati Episcopali non satis respondere crediderant, officiosissimi homines, *dalmaticam* subministrabant. Fell.

[a] *Spiculatori* xxv *aureos darent*. Largitio hæc videtur ex librariorum munificentia facta. Sed si singuli aurei monetæ nostræ quinque solidos valeant, summula data conficiet sex libras, et quinque solidos, pecuniarum quas sterlingas vocamus. Id.

[b] *Cum cereis et scolacibus*. Cardinalis Baronius, ad Ann. Chr. 261, num. 36, ait: « Pristinus hic mos reseratur Christianos sepeliendi, præcedente clero diversarum classium atque scholarum, accensas faces gestantibus singulis magna plane pompa. » Ita Valeriano imperium obtinente, diversas classes et scholas habuerunt Christiani; et martyrum funera procedentes instructo agmine, ad hodiernum supplicationum ritum, celebrabant. Desideramus hic, ut alibi passim, historiæ Ecclesiasticæ fidem et dignitatem. Rigalt. ait: « In exemplaribus legitur, *Ad cereos et scolaces*. Rectissime. Scolaces Græcæ originis vocabulum, sirpos aut funes intortos significat, ex quibus ceratis funalia, in usum nocturni luminis. Funales et scolaces erant candelæ, quæ quoquoversus arcte vinciebant thecam librorum Numæ. Erant enim sequacis ad vincula lentitiæ, et sub terram depositæ non computrescebant, stipatæ cedro ceraque. » Intempesta nocte ad corpus amovendum perrexerant fratres, ne id attentarent in Cyprianum Afri quod in Polycarpum perpetrarunt gentiles Asiatici. De qua re vid. Euseb. l. iv, c. 15. Judæi Joan. xviii dicuntur venisse μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων. Id.

[c] *Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Hanc formulam serius in Ecclesiam introductam, satis norunt eruditi. Id.

# S. ARNOLFI EPISCOPI
# VITA ET MIRACULA
## SECUNDUM SURIUM A PAULO DIACONO SCRIPTA

(Ex Ven. Bedæ Opp. Coloniæ Edit.)

Beatus Arnolfus episcopus, prosapia gentis Francorum altus satis et nobilis parentibus, atque opulentissimus in rebus sæculi fuit, sed nobilior deinceps et sublimior fide fuit. Hujus itaque laudabilia facta quæ gessit, nonnulla ego familiaribus illius narrantibus, pleraque per memetipsum cognoscens, operæ pretium reor, ut jam ab ortu nativitatis ejus locutionis meæ sumam exordium. Erat igitur quidam peregrinus servus Dei, nomine Stephanus, qui a partibus Italiæ veniens, habitavit in loco contiguo parentibus hujus beati viri. Cumque revelata fuisset per Spiritum eidem peregrino nativitas pueri, silentio paulisper interposito, præsaga tandem voce sic exorsus est: Scitote omnes quomodo puer iste qui natus est summis honoribus exaltandus, magnus erit apud Dominum et homines: quod ita rei probavit eventus. Laudabilis enim indolis puer, gratia Dei præventus, cum litterarum studiis imbuendus traditus fuisset, cæteris contubernalibus suis sagaci ingenio et capaci memoria præcellebat, ac de die in diem per gradus virtutum ascendendo proficiebat. Cum autem jam bene edoctus ad perfectam venisset ætatem, Gundolfo subregulo consiliario videlicet regis, exercitandus in virtuosis actibus commendatur: quem ille per multa experimenta probatum, Theodeberti regis ministerio dignum adaptavit: in cujus servitio commorans, quanta potentia belligerando præcesserit omnes, quis enarrare sufficiat, præsertim cum

Digitized by Google

sæpe phalanges adversariorum suo viriliter abegisset mucrone? Quapropter effectus est in brevi omnium primus, ita ut sex provinciæ, quas ex tunc et nunc totidem agunt officiales, sub solius ejus arbitrio regerentur. Interea cum strenuus miles iste quæ Dei sunt redderet Deo sedulo, scilicet in oratione, in jejuniis, in eleemosynis, et quæ Cæsaris sunt Cæsari, fortis scilicet in bello, providus in consilio, cogentibus amicis atque parentibus, a nobilissima gente puellam quamdam, præclaris moribus ornatam, duxit uxorem. Quo in facto speciale quoddam munus gratiæ suæ eidem viro Dominus indulsit, ut ex eadem videlicet egregia femina duorum filiorum gaudia suscipere mereretur : qui quasi duarum gemmarum splendidum decus, in mundo postmodum clarescere cœperunt. Temporibus illis erat in ministerio regis vir egregius, nomine Romaricus, familiari affectu beato Arnolfo copulatus. Hic cum ex assiduitate secum commanendi, desiderium beati viri quo circa monasteria vel loca sancta jugis illi meditatio fuit, agnovisset, habito inter se consilio, disponunt secundum Evangelii præceptum, relinquere omnia sua, et peregrinari pro Christi amore : sed voluntas Domini obstitit in hac causa proposito utriusque. Nec enim fas censuit fore providentia Christi, ut hi duo viri, qui quandoque veluti duæ lampades fulgerent in sæculo, sub unius modii occultarentur articulo, sed potius super candelabrum positi, lucerent omnibus operatione sua fideli. In illis siquidem diebus accidit ut civitas Metensis viduata suo pastore, una voce parique consensu Arnolfum, domesticum atque consiliarium regis, peterent sibi ordinari episcopum. Qui licet lacrymans ac multum renitens, compulsus tandem, quia sic placitum fuit Deo, præfatam urbem gubernandam suscepit. Nec tamen primatum, quem in palatio gerebat, deserere permissus est. Sublimatus igitur episcopali dignitate, tanta tamque perfecta munificentia indigentiam pauperum revelabat [*Al.*, relevabat], ut etiam de longinquis regionibus fama beati viri audita, innumerabilis virorum ac mulierum caterva ad eum refocillanda festinaret. Porro normam abstinentiæ ejus quis enarrare valeat, cum interdum post triduana vel etiam amplius protracta jejunia, pane hordeaceo seu lymphæ poculo victitaret? Indutus quoque jugiter infra tunicam suam occulto cilicio, geminum ingerebat cruciatum membris vigiliis atque jejuniis vehementer exesis. Inter has assiduas corporis afflictiones, quibus ob amorem cœlestis patriæ beatus Arnolfus semet spontanea voluntate castigabat, multas per eum Dominus dignatus est virtutum operationes demonstrare, de quibus hic aliquas aggrediar enarrare. Cum in contiguis partibus Vosagi, in prædiis scilicet sancti Stephani patroni Metensis loci vir Domini moraretur, et mulier quædam, nomine Becila, a dæmonio correpta, graviter ante conspectum ejus vexaretur, ut erat omni pietate suffultus, cum altis suspiriis dixit : Heu miserum humanum genus, in quo tantum prævaluit inimicus, ut domicilium ipsius existat, quod potius Christus inhabitare debuerat! Et hæc dicens, dedit se cum lacrymis in orationem : qua finita, fugato dæmonio, sanam illico reddit mulierem. Eo tempore quo triduanum jejunium universalis celebrare consuevit Ecclesia, vir sanctus extra civitatem cum crucibus atque promiscua populi multitudine, orandi gratia secundum morem urbis processit : et ecce mulier ex mediis catervis voces emisit in cœlum. Quod audiens vir Domini, cum cognovisset eam arreptam a dæmonio, opposito crucis vexillo, liberavit eam ab hoste maligno. Alio quoque tempore cum infra urbem orationis causa ab basilicam sanctæ crucis accessisset, ibique puellam nequiter debacchantem reperisset, misericordia motus, archidiacono suo ait : Hac nocte, frater, pro ista paupercula vigilias agamus, ut si per gratiam Dei sanata fuerit, crastina die læti domum redeamus. Et ita factum est. Temporibus Dagoberti regis, cum in palatio ejus maneret beatus Arnolfus, leprosus quidam clamavit ad eum, deposcens victum sive vestitum : at ille statim jussit eum ad hospitium suum duci. Ubi cum erga languidum secundum morem suum paternam exhiberet pietatem, sciscitatus est ab eo si sacra unda baptismatis ablutus esset. Nequaquam, ait, domine mi, nam infelici mihi abjecto a populo quis hanc gratiam tribueret? Sanctus episcopus dixit : Modo, dilecte frater, crede in Dominum Jesum Christum, et continuo recipies corporis animæque medelam. Accepto igitur leprosus a beato viro baptismi sacramento, liberatus est ab omni corporis incommodo, atque de reliquo factus est in utraque substantia sanus, qui prius fuerat peccator et maculosus. Post hæc cum ad partes Thuringorum in comitatu præfati regis sanctus episcopus venisset, accidit ut quidam procerum nomine Nutilo, puerum suum, quem satis diligebat, jam extremum spiritum trahentem, magno ejulatu defleret. Cujus doloribus compatiens beatus Arnolfus, cum ille desperatus de salute dilecti pueri, nihil aliud intenderet, nisi ut amputato capite ejus, more gentilium cadaver ignibus comburendum traderetur : accessit ad lectulum languentis, et facta oratione, his eum alloquitur verbis : Pœnitere, fili, si quid male gessisti, et restitueris illico pristinæ sanitati. Quid plura? Premens ille potius singultibus quam verbis confessionem cujuslibet suæ transgressionis, perunctus est oleo benedicto per manus sacerdotis Christi, atque eadem hora ita convaluit, ac si nullam prorsus infirmitatem jampridem passus fuisset. Quidam homo scelestus nomine Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis episcopo sancto injuriam, asserens scilicet eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem deditum voluptati : ad cujus lectum nocturnis horis, non solum rex, verum etiam regina, tanquam consilium flagitantes interdum properarent. Cum ergo vir ille die quadam alvo referto vino una cum detrahente socio suo strata petisset, jubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur undique flamma. Quibus illico cum ingenti clamore prosilientibus, et aquam circa nates ac genitalia loca, ubi camisiæ illorum acerrime cremaban-

tur, injicientibus, nec omnino flammam divinitus missam exstinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese pariter involvunt: et ibi diu vociferantes, vix ad ultimum pœnam, quam merito patiebantur, evaserunt. In quibus profecto impletum est hoc quod scriptum est in Psalmo: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequar*: in tantum ut et illud divina censura factum esse non ambigamus, quod detractores isti vehementissime cremabantur in partibus illis, ubi libido de qua calumniabantur virum justum, regnare non dubitatur. Nec multo post auctor hujus detractionis, præfatus videlicet Notto, in hujusmodi criminibus diffamatus apud regem, ut scelera ejus una cum vita regalis gladius amputaret, necnon et filius ejus eidem sententiæ subjaceret. Per idem tempus cum beatus Arnolfus jam pene omnes thesauros Ecclesiæ in usus pauperum erogasset, supererat adhuc discus argenteus, habens libras LXXII. Hunc quidam Hugo primas procerum dato pretio comparavit, sed omnipotens Deus non passus est ut laicus illo frueretur qui in honore beati Stephani protomartyris jam olim consecratus habebatur. Prædicto siquidem Hugone præpeti morte prostrato, discus ille Lothario regi allatus est; qui cum, referentibus quibusdam, comperisset hunc a beato Arnolfo ob alimoniam pauperum venundatum fuisse, mox tanquam cœlitus inspiratus, jubet eum velociter superpositis centum aureis, ad Metensem civitatem sancto pontifici deferri. Cum igitur quamplures virtutes per beatum virum crebrescere cœpissent, soli Deo vacare volens, remotiora quædam loca juxta Vosagium expetiit: et ibi retrusus in cellula quadam, diebus ac noctibus cœlum sanctissimis precibus pulsavit. Sollicitari vero cœpit interea, ne plebs sibi a Domino credita, eo remoto, de æternæ vitæ pabulo aliquid jam minus acciperent: mittensque per internuntios epistolas ad regem, rogabat intentissime ut alium loco suo subrogare vellet pontificem, qui prædicationis verbo dignius se erudiret Christi plebem. Qua legatione accepta, Lotharius non modicis repletur angoribus, et quæritans se ab omni consilio destitutum, si beatus Arnolfus a frequentia palatii remotus fuisset, rescribit ei sic inter cætera: « Hoc quod per epistolam vestram, domine Pater, rogare voluistis, ut in loco vestro alter substituatur episcopus, nullatenus nostra præsumptio facere præsumit: sed potius omni devotione rogamus ut si in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere deliberatis, apud populum vobis commissum, sicut cœpistis conversando, exemplum ei sitis promerendæ salutis. » Nec mirum quod tanta dilectione Lotharius rex beatum virum amplexatus sit, cui et filium suum Dagobertum in principatu sublimatum, quasi propriam sobolem erudiendum commisit: et ipse quandiu vixit, per ejus consilium et providentiam quæque regni negotia disponere satis utile duxit. Defuncto itaque Lothario rege, cum adhuc beatus Arnolfus episcopus eodem desiderio quo prius, conversandi videlicet in eremo flagraret,

A iterum atque iterum a Dagoberto principe, quem ipse diligentissime nutrierat, licentiam hujus rei postularet, instinctu diaboli commotus adversus eum rex, cum ei die quadam nimis importunus in petendo fuisset, arrepto mucrone voluit eum sauciatum a se removere. Tunc ille parvipendens iram morituri regis, constanter dixit: Quid agis, miser? Mala pro bonis mihi rependere vis? Nunc autem, quandoquidem ita placet, sævias in me quantum velis: ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi vitam dedit, et pro me mortuus est. Hæc eo dicente, cum unus astantium procerum blandis verbis redargueret temeritatem regis, sedatus est furor ipsius, et mediante gratia Dei, caruit effectu sceleratus affectus. Interea superveniente regina, ut audivit commotionem quæ
B contra virum Dei sine causa incanduerat, prostravit se una cum rege pedibus ejus: et ut sui misereatur remittendo illatam injuriam, cum lacrymis postulavere dicentes: Perge, domine, ad eremum, sicut desideras: tantum te placatum habeamus quem injuste offendimus. Data igitur illis venia, cum egrederetur a palatio beatus Arnolfus episcopus, ecce pro foribus claudorum, cæcorum et universorum pauperum astans multitudo elevatis vocibus clamabant ad eum dicentes: O sancte pastor, cur nos miseros derelinquis? Quis miserebitur nostri, vel quis tribuet nobis victum aut vestitum? His et hujusmodi lacrymosis vocibus, respondit eis pius Pater, et ipse flendo dicens: Nolite contristari, filioli: dabit enim vobis Deus pastorem qui vos pascat in miseratione et misericor-
C dia. Estote pacati invicem, benigni, misericordes, ut dum in hac præsenti vita paupertate et miseria angustiemini, in futura vita felices cum Christo regnare mereamini, et his dictis statim ad orationum pergit certamina. Post hæc pauco evoluto tempore, sanctus Goericus, cognomento Appo, hujus successor eligitur, vitæ sanctitate admirabilis, et omnibus sibi commissis amabilis. Quo audito, vir egregius Romaricus, scilicet beatum Arnolfum solitariam vitam elegisse, a partibus Vosagi egressus, pergit ad eum, atque ex convenientia utriusque infra vastæ eremi solitudinem, aptum sibi idem præparat locum. Sed antequam urbem exirent, ut ad eremum pergerent, quid miraculi per beatum Arnolfum in eadem urbe sit gestum, silere non debeo. Casu namque contigit ut in una
D nocte jam promptuarium regis ignis vorans vexaret, atque eructans flamma domum circumquaque minaciter lamberet. Repente exsurgens omnis civitas, cum sui videret exitium, in ejulatum atque clamorem conversa est. Quo audito, præpeti gressu ad viri Dei domum pervenimus, et eum, sicut illi jugiter moris erat, psalmodiæ vacantem reperimus. Statim apprehensa manu illius, ait Romaricus: Egredere, domine, ecce adsunt pro foribus equi nostri: egredere, inquam, ne, quod absit, te in hac urbe ignis iste absumat. Ad hæc ille: Nequaquam, inquit, dilectissime, sed ducite me illo: et ponite prope ignem, ut videamus hoc impium quod grassatur incendium: et si ita vult Deus ut ardeam, ecce in manu ejus sum. Nos

Digitized by Google

itaque tenentes manus illius, ad larem ardentem pervenimus, et jubente illo, statim in orationem prostrati, capitulo dicto omnes exsurgimus. Tum ille elevans manum, signum crucis contra flammas opposuit, moxque mirum in modum tanquam cœlitus percussus, nil alibi nocens, infra parietes totus retorsus ignis interiit. Quod nos videntes gratias Deo egimus, et dictis matutinis ad lectulos nostros remeavimus. Eadem hora uni e fratribus talis apparuit visio : intuens in cœlum, vidit tanquam flammam ignis depictum signaculum crucis, et vox facta est de cœlo dicens : Cernis hoc signum? Hac nocte Arnolfus episcopus per ipsum totam civitatem istam ab incendio liberavit. Mirantibus autem nobis omnibus virtutem quam vidimus de igne superius ab eo exstincto, frater ille hanc visionem narravit, omnesque nos in majorem admirationem adduxit. His ita gestis, beatus Arnolfus relictis cunctis sæculi rebus, et facultatibus suis pauperibus erogatis, jam fidus et securus de thesauro in cœlo recondito, pauper quidem propter Christum in sæculo effectus, sed jam dives de virtute Dei, veluti novus Elias ad eremum properat, et inter bestias et feras quotidiana meditatione laudes Deo personat, ascitis secum aliquantis monachis, quibus propriis manibus fidelissimam servitutem jugiter impendebat, calciamenta a pedibus detrahens atque detergens, capita et pedes illorum crebrius abluens, nec non et lectos ipsorum singulis diebus studiosissime componens : coquinæ etiam servitium non abhorrens, cocus ipse sæpe esuriens, suos contubernales pascebat. Sed et lectum stratus ipsius, vilem quidem in oculis hominum, sed pulcherrimum in obtutibus angelorum, spretis mollibus et pretiosis vestibus, cilicio exornabat. In his igitur atque cæteris innumerabilibus bonis, dum angelicam duceret vitam, jamque Deus omnipotens athletam suum ad destinatum bravium vellet vocare, astante sibi religioso viro Romarico, familiari suo cum cæteris monachis, et gloriosum ejus transitum de hoc sæculo præstolantibus, electus Dei pontifex his eos alloquitur verbis. Amabiles domini, obsecrate Christum pro me. Jam enim adest dies in quo judici meo præsentandus apparebo. Quid faciam? Nihil boni gessi in hoc sæculo. Omnibus sceleribus et peccatis vallatus coarctor, pro quibus Dominum, ut veniam merear, obsecro, postulate. Interea venit hora ut sancta illa anima manibus angelorum ad Christum gestaretur. Fit illico gaudium magnum supernarum virtutum in cœlo, sed ingens luctus pauperum Christi atque monachorum in sæculo. Audiens autem venerabilis Goericus episcopus transitum beati pontificis Arnolfi, assumptis secum duobus aliis episcopis, et coacervata ingenti caterva clericorum et laicorum pergit ad eremum, et cum magna reverentia tollentes corpus viri Dei, regrediuntur ad urbem. Cumque venissent ad quemdam fluvium, cujus ripæ tenera tellus exesa fluentibus lubricum præbebat meatum, posteriores qui feretrum portabant, lapsi corruunt : sed, ut reor, ibidem statim angeli adsunt. Nam priores nullo

A retardati gressu, libere gradiuntur ante se, donec illi qui lapsi fuerant, evidenter coram omnibus assurgentes, et iterum se feretro subjicientes ministerii sui locum, sicut antea, suppleverunt. Accidit et aliud in eodem itinere miraculum. Quidam siquidem homo in pago Calvomontinse, nomine Centa, incestuosus fuit : quem beatus Arnolfus cum in hac vita positus esset, sæpius ad emendationem perducere volens, nec valens, sine pœnitentia reliquit. Venientibus igitur illis qui beati viri funus portabant, ad terminos hujus incestuosi hominis, repente membra portantium obriguerunt, ita ut ulterius nullo modo procedere possent. Quo viso sacerdotes et universi populi, cum non modicum angustiari cœpissent, quid facerent, quo diverterent, præsertim cum jam dies de-
B clinata esset ad vesperam, Notto dux, qui unus erat de simul gradientibus ait : Manifestum est quia sanctus iste terram hujus incestuosi hominis ingredi despiciat, et ideo, si ad mansionem meam, quæ aliquantulum hinc remota est, ante quam nox initium sumat, venire possemus, de his quæ mihi de instanti suppetunt, licet diffidam tantam multitudinem me jam posse reficere, ut pote ex improviso advenantem, et me prorsus imparatum invenientem, necessaria ministrarem. His auditis, universus populus arripiunt iter versus oppidum ejusdem ducis : et portitores feretri tanta sunt velocitate donati, ut ad destinatum locum ante terminum diei pervenientes, potius semetipsos portari sentirent, quam ipsi portarent. Tunc Notto ait : Quia parum quid in promptu
C habemus, sanctus Arnolfus nocte hac provideat nobis, cujus fidei verba secuta est rerum efficacia. Tanta namque abundantia cibi et potus excrevit, ut medietas illius omnibus ad sufficientiam satiatis, adhuc in crastinum superesset. Post hæc cum magna prosperitate et lætitia ad urbem perveniunt. Hac fama provocati cives, cum crucibus et cereis, atque ingenti gaudio et admiratione obviam currunt, pastoremque suum, quem dudum judicio Dei fugacem amiserant, cœlo jam regnantem recipiunt, atque sacrum corpus illius in basilica sanctorum apostolorum cum magna reverentia recondunt. Quo sepulto, quid apud Christum in eremo mercatus fuerit civibus suis miraculis demonstravit. Nam mulier quædam nomine Julia, luminibus olim cæcata, cum ad sepulcrum viri Dei ac-
D cedens fiducialiter orasset, absque mora lumen longo tempore desideratum recepit, atque per exitus viarum, quos non nisi aliena manu auxiliante calcare consueverat, propriis cernens luminibus, ad diversorium læta remeabat. Aliud rursum miraculum non sileam, quod nuper narrante viro religioso Arnegaudio abbate cognovi. Cum per idem tempus mulier quædam in suburbano degens, Dominica die operari ausa fuisset, judicio Dei tacta, utraque manu contracta est; unde illa nimiis vallata angoribus ad prædictum abbatem pervenit, misericordiamque ab eo flebiliter postulavit. Qui mox præcepit ei quatenus ad sepulcrum sancti antistitis cum fide festinaret. Quo cum pervenisset, ostia monasterii clausa invenit, sedue

Digitized by Google

cum lacrymis in orationem dedit orans sanctum Arnolfum ut se sanaret. Cumque diutius illa Dominum deprecata fuisset, suffragantibus meritis beati pontificis, contracti digiti resolvuntur, et optata remedia celerrime subsequuntur. Per idem quoque tempus homuncio quidam nomine Cero, ita contractos habens pedes, ut ex utroque latere sustentatus baculis, miserabilem pedetentim regeret gressum, sanatus est ad viri Dei sepulcrum : et revertitur ad domicilium suum solidatis plantis naturalibus, qui illuc venerat non innatis sibi pedibus. Hæc pauca de plurimis hujus beati pontificis miraculorum exhibitionibus scriptis, utcunque potuimus, indidimus : cæterum si omnia quæ egit, stylo prosequente chartis inserere statuissemus, enorme volumen et nimis fastidiosum composuissemus. Nunc interim ista sufficiant benevolo lectori, qui pro beneficiis circa multorum salutem per merita sancti præsulis exhibitis benedicat nomen Domini nostri Jesu Christi, cui est potestas et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

# HISTORIA MISCELLA

## AB INCERTO AUCTORE CONSARCINATA,

### COMPLECTENS

# EUTROPII HISTORIAM,

### QUAM

## PAULUS DIACONUS

MULTIS ADDITIS, ROGATU ADELBERGÆ [Al., ADHILBERGÆ] BENEVENTANÆ DUCIS,

A VALENTINIANI IMPERIO USQUE AD TEMPORA JUSTINIANI DEDUXIT,

## ET LANDULPHUS SAGAX,

SEU QUISQUAM ALIUS CONTINUAVIT USQUE AD ANNUM CHRISTI 816.

(Ex Muratorio Rerum Ital. Script., tom. I.)

## PRÆFATIO MURATORII.

Primum locum in Collectione nostra dare mihi placuit Historiæ quæ vulgo Miscella dicitur. Cum enim consilium meum fuerit eos aggregare scriptores qui ab anno ferme quingentesimo post Christum natum Italicam historiam sunt persecuti, scriptor hic visus est viam reliquis, ut ita dicam, sternere posse, quando usque ab Urbe condita res gestas in Italia enarrare pergit, easque ad finem usque sæculi æræ Christianæ octavi deducit. Ita lectores conjuncta habebunt cum veteri Romanorum historia subsequentium sæculorum gesta, eaque ab antiquo scriptore collecta, quo et rerum series ordinatior evadet, uno nempe narrationis filo comprehensa, et a vetustis temporibus ad recentiora facilior, atque amœnior fiet legentium progressio. Miscellam autem Historiam ideo appellarunt eruditi, quod decerpta sit e variis auctoribus, mistis eorum narrationibus in unum corpus. Sed quis istius Miscellæ auctor fuit? Vossium audiamus lib. II, cap. 30, de Histor. Latin. « Primi, inquit ille, undecim libri iidem sunt ac decem libri Eutropii, nisi quod aliqua subinde de suo addat Paulus (nempe diaconus) quod ab eo jussu factum est Adelbergæ, sive Adhilbergæ Beneventi ductrice, cui maritus erat Arichis, pater Desiderius ultimus Longobardorum rex. Exinde Eutropium continuat Paulus, cujus sunt quinque libri sequentes. Cæteri, nempe septimus decimus, et qui consequuntur, a Landulpho Sagace additi sunt, in primis ex Theophane, sive Anastasio Bibliothecario, qui Theophanem vertit. » Paria Caveus habet. Dupinius vero in Biblioth. Auctor. Ecclesiastic., tom. VI, de Paulo diacono agens, hæc scribit : « Ei quoque, sed perperam, tribuitur compendium Historiæ Romanæ deductæ e pluribus scriptoribus; quamvis enim is additionem fecerit ad Breviarium Historiæ Romanæ ab Eutropio compositum, auctor tamen non est hujus Collectionis, quæ potius Anastasium Bibliothecarium auctorem habuit. » Contra magnus Annalium parens Baronius, ad ann. 719, citat « Annales Græcorum, Auctore Theophane, qui Græce scripsit Historiam illam quæ inscribitur Miscella, et sub titulo Pauli Diaconi errore circumfertur. »

Verum cautius aut accuratius procedendum erat tantis viris in investigando auctore Miscellæ. Primo siquidem a veritate longe abiit Baronius, qui Miscellam integram Theophani tribuit. Eum quidem ab hujusmodi opinione absolvere nititur Vossius, inquiens, ipsum Baronium, post Frontonem Ducæum, non hoc de tota Historia Miscella Theophani, vel Anastasio tribuenda sensisse, sed « de postremis duntaxat libris. » Sed aperta sunt Baronii verba ad annum 719 quæ supra citavimus. Exstat autem Theophanis Chronographia Græca, ac ejus versio, simulque Historia Ecclesiastica e Græco per Anastasium conversa; et luce

Digitized by Google

meridiana clarius elucet Miscellam in postremis quidem potissimum libris ex eodem Theophane atque Anastasio coaluisse, simul vero superiores libros aliunde fuisse consarcinatos. Quod vero Dupinius ejusce Collectionis auctorem potius arbitretur Anastasium, id quoque sine tabulis affirmatum video. Nam ut ex Historia quam de Græco in Latinum vertit Anastasius posteriores Miscellæ libri sint, et plerumque de verbo ad verbum deducti, attamen scriptorem neminem vetustum nullumque Codicem habemus testantem Anastasii Bibliothecarii studio Miscellam Historiam deberi. Sed nunquid dicendus ejusdem auctor Paulus Diaconus, quod sensere non pauci? Ne hoc quidem, si de integro opere sit sermo, sustineri potest. Perducitur enim Historia illa ad annum usque 813, nempe ad annum I Leonis Armeni imperatoris, non autem ad 806, ut Canisius scripsit, minime animadvertens septem annis æram Dionysianam ab Alexandrina, qua usus est Theophanes, discordare. At Paulus Diaconus circiter annum Ch. 799 e vivis excessisse creditur, ac proinde recentiori auctori tribuendam esse intelligimus Miscellæ structuram. Accedit quod a libro XVII ad XXIV omnia fere desumpta sunt ex translatione Græcæ Historiæ quæ extra omnem dubitationem ab Anastasio Bibliothecario concinnata est, hoc est ab auctore qui post mortem Pauli Diaconi ultra sesquisæculum vixit et scripsit. Qui ergo totius Miscellæ consarcinationem Paulo tribuas? Parum dixi. Et in iis libris qui eruditorum consensu parentem habuisse Paulum creduntur, nempe XII et sequentibus, uti ex collatione didici, multa occurrunt ex laudata versione Anastasii desumpta. Ergo ne illa quidem portio Miscellæ, quam eruditi appendicem ad Eutropium appellant, et Paulo Diacono inscribunt, ejus nomini, et curæ attribuenda videtur.

Inter hasce difficultates opinionem quæ mihi magis probatur eruditi accipiant. Statuendum primo est negari nequaquam posse quin Paulus Warnefridi, sive diaconus, nonnulla additamenta ad Breviarium Eutropii contulerit. Hac de re dubitare nos vix sinit Leo Marsicanus episcopus Ostiensis, scriptor plane antiquus, atque eruditus. Ita vero scribit ille, lib. I, cap. 15, Chron. Cassin., de Paulo Diacono agens. « Ejusdem Adelpergæ (quam filiam Desiderii regis supra appellaverat) rogatu in Historia Romana, quam Eutropius breviter composuerat, plurima hinc inde de Historiis Ecclesiasticis addidit. Ad ultimum vero duos libellos a tempore Juliani Apostatæ, in quem ipsam Historiam Eutropius terminaverat, usque ad tempora primi Justiniani imperatoris eidem annexuit. » Secundo cum et in iisdem libris, quos Eutropio Paulus adjecisse de suo penu dicitur, occurrant nonnullæ laciniæ ex Anastasiana versione desumptæ, certum mihi videtur Miscellam hanc Historiam compactam fuisse non a Paulo Diacono, non ab Anastasio Bibliothecario, sed quidem ab aliquo, vetustissimo sane, posteriore tamen scriptore, qui et Eutropii, et Pauli, et Anastasii laboribus, aliisque antiquis libris defloratis, compagem totius Miscellæ perfecerit. Imo, liceat mihi dicere, miror, cur nondum eruditi animadverterint a libris quos Eutropio Paulus addidit nimium discedere vulgatos Miscellæ libros. Habeo Eutropii Breviarium integritati suæ restitutum per Eliam Vinetum, atque editum Amstelodami anno 1625, una cum aliis Romanæ Historiæ Breviatoribus. Ibi post decem Eutropii libros, a quibus absunt multa quæ contra in Miscella leguntur, sequitur Pauli Diaconi de gestis Romanorum ad Eutropii Historiam additus liber XI. Procedit autem Paulus usque ad librum XVII, quem ita concludit: « Quia vero restant adhuc quæ de Justiniani Augusti felicitate dicantur, in sequenti, Deo præsule, libello promenda sunt. » Liber XVIII subsequens narratione ad Leonem usque Isauricum pertingit; sed nihil affert quod in Historia Langobardica non occurrat huc illuc sparsum, ut dubitari possit utrum Paulus hæc a se scripta in Historiam quoque Langobardicam intulerit, an alius quisquam ex illinc decerptis librum XVIII Miscellæ confecerit. Attamen cum in antiquissimo Codice ms. Bibliothecæ Ambrosianæ in fine libri XVII legantur verba quæ antea retuli, indicantia nempe librum subsecuturum, quanquam is in eodem Codice desideretur, conjici potest a Paulo compositus, isque esse qui a Vineto est editus, quem postea aut ipse Paulus, aut quisquam alius, per frusta divisum in Langobardorum Historia rursus exhibuerit. Itaque in Editione Vineti continetur germana ac primigenia Pauli appendix ad Eutropium, quam subinde Miscellæ auctor aliis additis pinguiorem effecit. Ac proinde maxima diversitas quæ inter appendicis Paulinæ Editionem a Vineto procuratam et Miscellæ libros ab eruditis Paulo diacono inscriptos intercedit, jam tandem evincit ne ullam quidem Miscellæ ejusdem portionem uni Paulo Diacono posse tribui. Ad hujus etiam rei certiorem indaginem consulendum curavi laudatum Codicem Ambrosianum per doctissimum Saxium bibliothecæ præfectum, qui ad me scripsit, cum Vineti Editione quidem, non autem cum Editis Miscellæ libris concordare ibi additamenta ad Eutropium, librumque XI ita incipere: « Anno ab Urbe condita millesimo centesimo octavo decimo (Vinetus habet 1119) Valentinianus tricesimus octavus e Pannonia Cibalensi editus, etc. »

Postremo itaque loco tanquam verosimilius statuendum puto, Miscellam Historiam, aliquo curante, post Anastasii Bibliothecarii tempora ex diversis auctoribus coaluisse, nempe ex Eutropii, Flori, Suetonii, Victoris, Eusebii, Rufini, Orosii, Jordanis, aliorumque libris, ac potissimum ex Historia ecclesiastica quam e Græco conversam ad posteros emisit supralaudatus Anastasius. Collectorem autem istum fuisse Landulphum cognomento Sagacem, sunt qui scribant, alicujus fortasse ms. Codicis auctoritate freti. Ciacconius contra, in Vitis Romanorum pontificum auctorem Miscellæ vocat Paulum, vel potius Joannem Diaconum. Sed quicunque is fuerit, sive Landulphus Sagax, sive Joannes Diaconus, nihil de hujusmodi auctore dicendum restat, cum præter nudum illius nomen nil aliud de ipso veterum monumenta nobis reliquerint. Id solum monere juvat, temporibus supra memorati Anastasii, hoc est circiter ann. 875, floruisse Joannem Ecclesiæ Romanæ Diaconum, inter scriptores ecclesiasticos recensitum, cujus studio habemus sancti Gregorii Magni Vitam IV libris comprehensam, ac sæpe recusam. Is potuit esse auctor Miscellæ; sed num fuerit, incertum puto. Ac proinde meliori fortasse consilio utemur in posterum, si cum occasio se tulerit adhibendæ hujus Historiæ, prætermisso nomine, tantummodo auctorem Miscellæ citabimus. Ambrosiana bibliotheca, ut supra innuimus, ms. Codicem membranaceum possidet, magni sane faciendum, ut pote qui, ni mea me conjectura fallit, ante octingentos annos, aut saltem septingentos, scriptus fuisse videtur, minutis ac rotundis characteribus. Ibi primo occurrit Historia Anglorum auctore Beda presbytero; tum Dictis Cretensis de bello Trojano, absque epistola illa ad Rufinum, quæ in Editis habetur. Deinde sequitur Historiæ Romanæ liber primus: « Primus in Italia, ut quibusdam placet, regnavit Janus, etc. » Hæc ad Eutropium minime ibi nominatum spectant. Subinde annectuntur libri a Paulo Diacono additi, et a Miscellæ textu diversi, ipsius etiam Pauli nomine omisso. Porro ex his conjunctis conficiuntur libri XVI, desinentes in mortem Justini I Augusti, post quem Paulus se locuturum pollicetur de imperio Justiniani I Augusti; sed hic liber ibi desideratur. Post hæc ejusdem Pauli Historia Langobardorum legitur, desinens in cap. 55 lib. VI; tum incipit prologus Historiæ Gothorum, sed tacito Jordanis, sive Jornandis nomine, quod tamen recenti manu Puricellius vir cl. addidit. In fine habentur præter fictas Senecæ epistolas ad Paulum apostolum Gesta

Digitized by Google

Apollonii Tyrii, Romanensibus fabulis accensenda. Hæ autem non eadem manu, ac superiora, atque adeo minus antiqua, scripta fuerunt.

Cæterum Miscellæ Historiæ dignitatem atque utilitatem nihil attinet pluribus commendare. Habet ibi eruditorum respublica universalis historiæ, et Romanæ in primis, atque Italicæ continuatam seriem, collectaque in unum, quæ ex aliis auctoribus cum labore, et frustra interdum, petantur. Neque enim ideo parvi facienda est Collectio ista, quod auctorem habeat a florente Romanorum republica remotum nimis. Nam et vetustissimus est ipse consarcinator, iisque temporibus scripsit quibus complures historiæ supererant, quarum irreparabilem interitum nos serius nati inani querela dolemus. Excidere profecto tot Livii, Taciti, Trogi Pompeii, aliorumque chronographorum libri; at fortasse non exciderant omnes, cum ad Miscellam concinnandam scriptor iste se contulit. Sicubi ergo nos deficiunt egregia veterum monumenta, ad illos confugere juvat, qui quanquam nonnullis post sæculis floruere, veterum tamen libros felicius quam nos terere manibus potuerunt. Itaque Miscellæ quoque suus honor futurus est, eamque, ubi vetustiores historiæ aut silent, aut inter se dissentiunt, advocare testem, atque illius ope uti, erit eruditi simulque prudentis critici. Edita autem hæc Historia fuit Parisiis anno 1531, tum Basileæ anno 1569. Prodiit deinde Ingolstadii Henrici Canisii cura cum variantibus lectionibus anno 1603, et cum emendationibus et notis Jani Gruteri Hanoviæ anno 1611. Illata quoque est in tomum XIII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis anno 1077

# LECTORI MONITUM.

Quanta sint Historiæ huic, quam Miscellam appellavere, decursu temporum superaddita nunquam melius didicimus, quam cum paranda fuit nova isthæc Editio: quinque nos enim Codices pergamenos antiquæ notæ in refertissima bibliotheca Ambrosiana servatos ad manus habuimus, omnesque diligenter perlustratos, uno ferme contextu exaratos invenimus, quin immensam illam rerum seriem e Græcis potissimum auctoribus decerptam contineant, quæ in Editis ut plurimum occurrit. Ea de causa collationi nostræ vetustiorem selegimus probatissimum Codicem a doctiss. Muratorio in præfatione ad hanc Historiam laudatum, et eruditorum gratiam inire credidimus, integram illius lectionem exhibentes, ut uno ferme ictu oculi lector dignosceret quidquid subsequentibus temporibus Miscellæ huic accesserit. Id vero ita ordinavimus, ut quod in nostro Codice legitur, antiquo, ut vocant, communi charactere, reliqua Italico, vulgo cursivo, imprimerentur. Si quid autem in Editis omissum est, et in nostro legebatur, id omne adjectis in calce cujuscunque pagellæ notis una cum variis lectionibus, ubique inseruimus. Atque ita factum est ut integer Ambros. Codex editus sit continuata per notas nostras et antiquam characterum formam illius lectione. Quoniam vero in altero ex Codicibus Ambrosianis reperimus partem eam quæ Landulpho Sagaci tribuitur, atque omnino diversam ab impressa observavimus, ideo ad calcem Historiæ dare placuit, ne lectores longo notarum numero fatigarentur. Hoc minime silentio prætereundum Landulphum Sagacem, vel quemquam alium in hujusmodi additamento nihil aliud egisse, quam Pauli Diaconi Historiam compendiario repetere, illius ut plurimum verbis.

Litteræ initiales, quæ notas antecedunt hoc ordine distributæ sunt, ut littera A Codicem Ambrosianum designet, B Bongarsii Bodryæi varias lectiones. H Hersfeldense Ms. a Canisio editum, cujus præfatiunculam in suis variis lectiones hic describimus:

« Varias lectiones in Miscellam notavit cl. Jacobus Bongarsius Bodryæus ex Ms. Paulo Diacono, item ex Ms. Pithæi, et aliorum. Quas varias lectiones nacti sumus. Et quia etiam Pauli Diaconi membranas Ms. monasterii Hersfeldensis habui, ideo illas etiam contuli. Ut autem quis videre possit quid ultimus auctor Miscellæ addiderit, ideo notamus in variis lectionibus quomodo differat Eutropius, et Paulus Diaconus, et nostra Miscella; et hoc potissimum quousque finit Eutropius. Nam cæteri libri Pauli Diaconi quibus Eutropium continuat, ibique sunt obvii. Nam Paulus Diaconus primus est qui Historiam Miscellam collegit, et Eutropium pene descripsit, additis subinde quibusdam ex aliis auctoribus, deinde Landulphus Sagax auxit. Ms. Hirsfeld. de P. Diacono hæc habet: « Hic Paulus monachus erat montis Cassini ordinis sancti Be« nedicti, qui etiam contexuit Vitam sancti Gregorii papæ, ut idem dicit in libro de Longobard. Composuit « etiam idem hymnum *Ut queant laxis*, et quædam alia non inutilia. »

# [a] HISTORIA MISCELLA.

## LIBER PRIMUS.

Primus in Italia, ut quibusdam placet, regnavit Janus, deinde Saturnus, Jovem filium e Græcia fugiens in civitatem quæ ex ejus nomine Saturnia dicta est, *latuit*: cujus ruinæ hactenus cernuntur in finibus Tusciæ haud procul ab Urbe. Hic Saturnus, quia in Italia latuit, ab ejus latebra Latium appellata est. Ipse etenim adhuc rudes populos domos ædificare, terras incolere, plantare vineas docuit, atque humanis moribus vivere, cum antea semiferi glandium tantum modo alimentis vitam sustentarent, aut in speluncis, aut frondibus virgultisque contextis casulis habitarent. Ipse etiam eis nummos æreos primus instituit. Pro quibus meritis [b] ab *incolarum* [c] rustica multitudine deus appellatus est. Post hunc Picus ejus filius, de quo fabulose dicitur, quod a quadam famosissima maga, Circe nomine, ob contemptum ejus amorem in avem sui nominis sit mutatus. Post hunc ejus filius Faunus, qui fuit pater Latini cujus mater Carmentis Nicostrata creditur Latinas litteras reperisse. Quibus regnantibus *concili inc.*

[a] Codex Ambrosianus ita inscribitur: *Eutropii Breviarium Historiæ Romanæ.*

[b] In A. et H. leg. *ab indocili, et rust.* B., *ab indo-*

[c] Hæc verba usque ad illa: *Post hunc ejus filius Faunus,* desunt in Ms. Paulo Diacono Hersfeld.

Digitized by Google

tum quinquaginta anni referuntur evoluti. Regnante tamen Latino, qui Latinam linguam correxit, et Latinos de suo nomine appellavit, Troja a Græcis capta est, cum apud Hebræos Labdon tertium sui principatus annum ageret, et apud Assyrios [a] Teutanes, apud Ægyptios [b] Theos regnaret, expletis a mundi principio annis quatuor millibus, et decem et novem, [c] a diluvio mille septingentis septuaginta septem, [d] a nativitate Abrahæ, tertio anno Nini regis Assyriorum, anno octingentesimo quinto, a nativitate Moysi annis quadringentis decem, ante Urbem autem conditam annis quadringentis quatuor, ante primam quoque Olympiadem annis quadringentis sex. Capta igitur Troja, Æneas Veneris et Anchisæ filius ad Italiam venit anno tertio post Trojæ excidium, cum Turno Dauni Tuscorum regis filio dimicans eum interemit, ejusque sponsam Laviniam regis Latini filiam in conjugium accepit, de cujus etiam nomine Lavinium oppidum, quod construxerat, appellavit. Regnavit igitur Æneas Latinis annis tribus.

Quo vita decedente regnum suscepit Ascanius, qui et Iulus, ejusdem filius, quem apud Trojam ex Creusa conjuge [e] *filia Priami regis* genuerat, et secum in Italiam veniens adduxerat. Qui Ascanius, relicto novercæ suæ Laviniæ regno, Albam Longam condidit, et Silvium Posthumum fratrem suum, *qui post eum regnavit*, Æneæ ex Lavinia filium summa pietate educavit, [f] *deosque Penates patris sui Æneæ ex Lavinio in Albam longam transtulit. Simulacra vero Lavinium sponte redierunt. Rursus transducta in Albam Longam, iterum repetivere antiquiora delubra.* Ascanius deinde [g] Iulum filium procreavit, a quo familia Juliorum exorta est [h] parvulum, et, qui necdum regendis civilibus *curis* idoneus erat. Cum autem [i] triginta et octo annis regnasset Ascanius, Silvium Posthumum fratrem suum regni reliquit hæredem.

*Silvius ergo* Posthumus regnavit annis XXIX, qui Posthumus inde appellatus, quia post mortem patris est natus; Silvius, quia ruri fuerat educatus, a quo omnes Albanorum reges Silvii vocati sunt. Post quem regnavit Æneas Silvius annis triginta uno. Deinde Latinus Silvius *regnavit* annis L, quo etiam tempore apud Hebræos David regnabat. Post cujus obitum Alba Silvius [k] regnavit annis XXXIX. Post hunc Ægyptus, sive Atys, ejus filius, annis XXIV. Deinde Capis Silvius superioris regis filius annis XXVIII, qui Capuam in Campania condidit. Item [l] Capetus Silvius Capis filius, annis XIII. Post Tiberinus Capeti filius annis IX. Ab hujus nomine Tiberinus fluvius dictus est, eo quod in eum decidens exstinctus est, qui prius Albula dictus est. Successit huic Agrippa Silvius regnans annis XL, cujus temporibus Homerus fuisse in Græcia perhibetur. Dehinc Remus Silvius Agrippæ superioris *regis* filius regnavit annis XIX. Iste præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit, qui ob impietatem fulmine ictus interiit. Post hunc regnavit Aventinus Silvius annis XXXVII, qui fuit [m] Remi superioris regis filius, quique in eo monte, qui nunc pars urbis est, mortuus ac sepultus æternum loco vocabulum dedit. Successor *hujus* exstitit Procas Silvius, ejusdem [n] Aventini filius, qui regnavit annis XXII. Quo regnante [o] Phidon Argivus mensuras et pondera reperit, cum apud Hebræos [p] Aza in Judæa et Jerusalem regnaret. *Et dum Procas obisset, testamentum suum duobus filiis suis Amulio et Numitori reliquit, ut unus pecuniam protinus, alter regnum susciperet. Amulius vero fratri suo Numitori electionem dedit, ut quod desideraret acciperet; Numitor vero pecuniam tulit, Amulius autem regnum obtinuit, in quo regnavit annos* XLIII. *Et dum regnum obtineret, consuluit deos, responsumque est ei quod a stirpe fratris sui occideretur, et regnum perderet. Statimque eum de regno expulit. Numitor autem abiens, in agro suo vixit. Erant autem ei duo filii, Sergestus, et Rhea, quæ et Ilia dicta est. Metuens ergo Amulius rex responsum, Sergestum secum ad venationem duxit, et eum in silva occidit. Rheam vero, quæ et Ilia, adimendi partus gratia, virginem vestalem fecit.* Quæ cum septimo patrui anno geminos edidisset infantes, juxta legem in terra viva defossa est. Verum parvulos prope ripam [q] *Tiberis* expositos, Faustulus regii pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit, [r] quæ ob pulchritudinem et rapacitatem corporis quæstuosi lupa a vicinis appellata est. Unde et ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri cum adolevissent, collecta pastorum et latronum manu, [s] interfect*oque apud Albam* Amulio, avum Numitorem in regnum restituunt.

[t] Romanum igitur imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto orbe

[a] A., B. et H., *Tautanes.*
[b] B. et H., *Thous.*
[c] H., *a diluvio annis* MDCCLXXXII.
[d] A. et H., *a nativitate Abraham et quadragesimo tertio anno Nini regis Assiriorum annis* DCCLXXXV.
[e] Non leg. in citatis Ms. A., B. et H.
[f] Item hæc omnia diverso charactere notata.
[g] B., *Julium suum.*
[h] A., *parvulus, et qui necdum regendis civibus idoneus erat.* B. et H., *Parvulus, quia necdum regendis civibus idoneus erat. Ascanius cum* XXXVIII *annis.*
[i] A., XXXIX.
[j] A., XXXIX. item B. et H.
[k] *Regnavit.* Ita corrigo ex B. et H. Ms. cum vulg., vitiose, *regnum suscepit* CANIS.
[l] A., B. et H., *Carpentus.*
[m] A. et B., *Aremuli.* H., *Remuli.*
[n] A., XXIII. B., *Adventini fil. qui regn. an.* XXIII. H. cum A.
[o] B., *Sidon.* H., *Fidon.*
[p] In A., B. et H., *Azarias in Juda, et Jeroboam in Israel* [Al., *Jerusal.*] *regnarent. Isti quoque Amulius succedens ejus junior filius regnavit annis* XLIII. *Numitor Procæ regis major filius a fratre Amulio regno pulsus in agro suo vixit. Filia ejus, adimendi partus gratia, virgo vestalis electa est*, etc.
[q] A., *fluminis.*
[r] A., *Qui ob pulchritudinem et rapacitatem corporis lupi a vicinis appellabantur.* B., *lupica vicinis appellabatur.*
[s] A., *interfecto Alba Amulio.*
[t] Ab his verbis incipit Historiam Eutropius major. Unde patet præcedentia a Paulo Diacono addita. Canisius.

amplius humana potest memoria recordari, a Romulo habet exordium, qui Rheæ Silviæ vestalis virginis, ut præmissum est, filius, et, quantum putatus est, Martis, eum Remo fratre uno partu editus est. Is cum inter pastores latrocinaretur XVIII annos natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit X Kalendas Maias, Olympiadis sextæ anno *quarto* [a], post Trojæ excidium 419, sive, ut placet Orosio, 404, ante sex annos quam decem tribus Israel a Sennacherib rege Chaldæorum transferrentur in montes Medorum. Condita ergo civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, a qua et Romanis nomen inditum est, hæc fere eg t. Condito templo quod Asylum appellavit, pollicitus erat cunctis ad eum confugientibus impunitatem. Quam ob causam multitudinem finitimorum qui aliquam apud suos cives offensam contraxerant, ad se confugientem in civitatem recepit. [b] Latini denique, Tuscique pastores, etiam transmarini Phryges, qui sub Ænea, et Arcades, qui sub Evandro duce, *venerant*, influxerunt. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum effecit. Centum ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curæ nominavit. Mille etiam pugnatores elegit, quos a numero milites appellavit. Tum, cum uxores ipse et populus ejus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbis Romæ nationes, atque virgines earum rapuit anno ab Urbe condita [c] quarto. Tunc virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Thalassio duci Romuli decernitur. Unde in nuptiarum [d] *adhuc* solemnitatibus *Thalassio* vulgo clamitant, quod scilicet talis nupta sit, quod Thalassium habere mereatur. Commotis bellis propter raptarum injuriam, [e] Ceninenses vicit, Antemnates, Crustumios, Sabinos, [f] Fidenates. Hæc omnia oppida urbem cingunt. Tunc etiam Tarpeia virgo Sabinorum clypeis in monte obruta est, qui ab ejus nomine Tarpeius est appellatus, in quo postea Capitolium est constructum. Pepigere tamen Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerunt, amicitias, adeo ut Sabinorum rex *Titus* Tatius senex [g] regnaret *pariter* cum Romulo, A *quem mox, ut in societatem regni ejus assumpsit, occidit;* Sabini quoque, et Romani unus populus efficerentur. Quo tempore Romani ad confirmandam conjunctionem nomina illorum suis præponebant nominibus, et invicem Sabini Romanorum. Et ex illo consuetudo tenuit, ut nemo Romanus sit absque prænomine. Propter hanc etiam societatem, cum Sabinorum more Romulus hastam *longam* ferret, quæ eorum lingua [h] quiris appellatur, Quirinus est dictus. Romani vero sive a quiribus, id est hastis longis, sive a Quirino, Quirites nominari cœperunt. Remus denique a Fabio [i] duce Romuli fratris sui, ejusdem, ut fertur, voluntate, rutro pastorali exstinctus est. Causa autem interitus *ejus* hæc fuit, quod ad tutelam novæ urbis vallum, [j] *quem fecerant*, non B posse sufficere increpaverat, ejusque angustias saltu transilierat. *Cum Veientibus populis adhuc prælium parvo nomine, sed magnis viribus agitatum, Ceninensium captum ac dirutum oppidum: assumptis semel armis nunquam quies, quippe quibus egestas turpis atque obscena fames domi timerentur, si unquam acquievissent paci, aut fœderi.* [k] Romulus vero, cum VII Kalendas Augusti apud paludem Capreæ *fulmine ictus* nusquam comparuisset, anno regni 39 ad deos transisse creditus est, et Quirini nomine consecratus. Deinde Romæ per quinos dies senatores imperaverunt, et his regnantibus annus unus expletus est.

Postea Numa Pompilius rex creatus est, cum apud Hebræos Ezechias regnaret. Qui bellum quidem nullum gessit, sed non minus civitati quam Romulus C profuit. Nam [l] *et cultus deorum*, et leges Romanis moresque constituit, qui consuetudine præliorum jam latrones, et semibarbari videbantur; et annum [m] descripsit in decem menses prius sine aliqua supputatione confusum, et infinita Romæ sacra ac templa constituit. Morbo decessit XLI imperii anno. Regnante Numa Glaucus primus ferri inter se glutinum excogitavit.

Huic successit Tullus Hostilius, qui primus Romanorum purpura et fascibus usus est, Manasse in Judæa regnante. Hic bella [n] reparavit, *fiducia bene exercitæ juventutis, et Anis bellum, qui nunc Albani*

[a] Ms. codex Pithœi habet ita ut vulgo editum est. Ms. vero Fr. Fabr. legit CCCCXIV. Ms. A. B. et H., conveniunt etiam cum vulgata Editione, nisi quod vocem *quarto* non habeant. Eutropius Merulæ ita legit : *XI Kalendas Maii, Olympiadis sextæ anno tertio, post Trojæ excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt*, 3.4.

[b] In H. non legitur. A. habet : *Latinos denique, Tuscosque pastores, etiam transmarinos Phryges, qui sub Ænea, Arcades, qui sub Evandro duce influxerant, ita ex variis quasi elementis congregavit corpus, ut unum pop. Rom. efficeret.*

[c] H., *tertio.* Dionysius, lib. II, ait hoc contigisse anno quarto Romuli, numerumque fuisse DCLXXXIII virginum. Canis.

[d] In Ms. B. et H. hæc vox abest.

[e] In A., *Cecinenses.*

[f] B. et H., *Fidenates, Bicentes.* Item A. noster. Canis. leg. *Veientes*, sicut et Eutropius.

[g] A. legit : *regnaret cum Romulo; Sabinique*, etc. B. et H., *regnaret, pariter cum Romulo, Sabinique*, etc.

[h] A., *Ciris, et Cirinus.* B. et H., *Cyris appellabatur, Quirinus.* B. *tamen* habet *Cirinus.*

[i] A. et B., *dubium an fratris voluntate, rutro*, etc.

D [j] Hæc duo verba absunt in B. H. et A., sicut et sequentia *cum Veientibus* usque *Romulus vero.*

[k] B. et H. : *Romulus vero, cum apud Paludem Capræ nusquam comparuisset.* Vide Dionysium, lib. II, et Valerium, lib. V, cap. 3.

[l] Hæc non sunt in eit. Mss.

[m] Vitiosa hujus loci interpunctio Vineto imposuit hoc loco, eam tamen agnoscit Ms. Bongarsii. Sed H. ita : *Descripsit in decem menses. Prius sine aliqua supputatione confusus erat, et infinita*, etc. Eutropius, et ex hoc Paulus Numæ tribuit, quod omnes Romulo. Nam Romulus divisit annum in X menses. Numa duos adjecit. Vide Macrob., I Saturnal., cap. 1.

[n] In A. et H. post verbum *reparavit* legitur, *Albanos vicit, qui ab urbe Roma XII milliario sunt, Veientes, et Fidenates, quorum alii VII milliario absunt ab urbe Roma, alii XVIII, bello superavit. Urbem ampliavit*, etc. B. habet pro *Veientes, Vogentes.*

Digitized by Google

*dicuntur, et qui ab urbe* XII *milliario sunt, intulit, eosque vicit sexta congressione, pessima clade.* Veientes, et Fidenates, quorum alii *sex milliaria* ab urbe Roma absunt, alii XVIII, bello superavit. [a] *Rursus pace dirupta, Metius Suffetius Fidenate bello meditatus dolum, dum contracta temporali pace ascitus fuerat a Romanis, ita eos deseruit ac decepit infidus, ut in medio certamine cum exercitu suo in proximo colle consideret. Tum ingenio usus est rex Romanus Tullus Hostilius, ut diceret suo eum secessisse consilio, ob hoc ut dato signo hostilibus superveniret agminibus. Sic erectis suorum animis, qui jamjam desperaverant, separatione subsidii, et Albanis territis, vicit Fidenates. Metium vero Suffetium curribus illigatum, pro animi infidelitate divisit. Hic* Urbem ampliavit adjecto Cœlio monte. Cum vero XXXII annis regnasset, fulmine ictus cum domo sua arsit. His temporibus Byzantium civitas condita [b] *est a Pausania rege Spartanorum*, quæ postea Constantinopolis appellata est.

Post hunc Ancus Martius Numæ ex filia nepos, suscepit imperium, quo etiam tempore Josias regnabat apud Hebræos. *Hic* contra Latinos dimicavit, *et vicit omnes finitimos, et potentes tunc Tusciæ* XII *populos innumeris concidens conflictibus.* Aventinum montem civitati adjecit, et Janiculum. [c] Hostiam civitatem supra mare XVI milliario ab urbe Roma condidit. *Vigesimo quarto* anno imperii morbo periit. Hoc etiam regnante [d] Epidamnus est condita, quæ postea Dyrachium est appellata.

Deinde regnum Priscus Tarquinius accepit. Hic numerum senatorum duplicavit, Circum Romæ ædificavit. [e] Ludos Romanos instituit, qui ad nostram usque memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos, et non parum agrorum sublatum [f] idem Romæ urbis territorio junxit, primusque triumphans Romam intravit. Muros fecit, et cloacas, Capitolium inchoavit. Trigesimo septimo imperii anno per Anci filios occisus est, regis ejus, cui ipse successerat. Regnante Tarquinio Arion Methymnæus a Delphino [g] in *Tænarum* dicitur transportatus. Tunc etiam Massilia condita est. Eo tempore Jerusalem a Nabuchodonosor rege *Chaldæorum* subversa est.

Post hunc Servius Tullius suscepit imperium, genitus ex nobili femina, captiva tamen et ancilla, regnavitque annos XXXIV. [h] *Huic Tarquinii Prisci gremio dormienti, caput ardere visum est. Quod prodigium cum Tanaquil uxor regis vidisset, eum inter liberos educavit, pro qua re ad regnum pervenit.* Quo regnante Balthassar imperabat [i] Chaldæis, sub quo Daniel scripturam mysticam in pariete legit, et interpretatus est. Hic quoque [j] Sabinos subegit, *Veientes prælio victos, nec domitos fregit*, montes Quirinalem, Viminalem, *Esquilinum* Urbi adjunxit, fossas *circum* murum duxit : primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma omnibus in censum delatis, habuit capita LXXXIV millia civium Romanorum cum his qui in agris erant. Occisus est scelere generi sui Tarquinii Superbi, filii ejus regis, cui ipse successerat, et filiæ, quam Tarquinius habebat uxorem. [k] *Eodem tempore Claudia quinta virgo vestalis ob crimen stupri accusata est. At illa sese purgare dedignata humaniter in vado Tiberis adiit navim, eamque ascendit. Ligavit zonula proram, et ait : Si virgo sum, sequere me. Moxque navis mota, ingressaque est Romam.*

Lucius deinde Tarquinius Superbus septimus atque ultimus invasit imperium. Quo tempore ad relaxationem Cyri regis Persarum reversi sunt [l] Jerusalem XLII millia quadringenti. Iste excogitavit primus vincula, taureas, fustes et [m] *laminas*, compedes, catenas, exsilia, metalla, carceres. Volscos, quæ gens ad Campaniam euntibus non longe ab Urbe est [n] vicit : *oppida valida in Latio, id est, Ocriculum ;* Gabios, Suessamque, Pometiamque subegit. Cum Tuscis pacem fecit, ac templum Jovi in Capitolio ædificavit. Postea Ardeam oppugnans in XVIII milliario ab urbe Roma positam civitatem, imperium perdidit. Nam, cum [o] filius ejus *Sextus* Tarquinius *nocte armatus* nobilissimam *Lucretiam Lucretii Tricipitini filiam*, Collatini uxorem *per vim* stuprasset, *ea de injuria maritum, patrem, et amicos accivit e castris, vimque, quam oppressa pertulerat, flens ac pudibunda conquesta est. Solantibus illis non pertinere ad pudicitiam illatæ violentiæ crimen extraneum, non enim animum honestæ, sed corpus tantum fuisse corruptum : Nulla, inquit, impudica ex in Lucretiæ se defendet exemplo. Tum ferrum, quod veste celabat, subito visceribus immersit.* Propter quam causam Brutus parens *etiam ipsius* Tarquinii populum concitavit, et Tarquinio ademit imperium. [p] Mox exercitus eum quoque reliquit, qui civitatem Ardeam cum ipso rege

[a] In B. et H. sicut et in Eutropio hæc non sunt usque ad *urbem ampliavit*

[b] Hæc absunt in A., B. et H., sicut et illa paulo post : *vicit omnes finitimos* usque *Aventinum*.

[c] B. et H., *apud Hostiam civitatem supra mare* XVI *milliario ab urbe Roma condidit. Anno* 23. A., pariter 23.

[d] B. : *Epidaurus est condita, quæ postea Diratium est nominata.* H. : *Epidamnus est condita quæ postea Dyrracium est nominata.* A., *Duratium.*

[e] Sunt verba Eutropii.

[f] B., H. et Eutropius, *iisdem.*

[g] A., *inter marium.* B., *in thermarium.* H., *internarum.*

[h] Reliqua non leguntur in A. et cit. Mss.

[i] B., *Caldæus.* A., *Chaldæus.*

[j] B. : *Sabinos subegit, montes tres Quirinalem Viminalem, Erculinum.* H. : *Sab. subegit, montes tres Quir. Hum. Escul.* A., pro *Esculinum*, *Culinum*, et mox, pro *circ.*, *citra.*

[k] Reliqua non leg. in Ms. et Eutropio.

[l] A., *Jerosolymam Judæi* XLIIII, etc.

[m] A., B. et H., pro *laminas*, *lautumias*

[n] A. habet post : *Vicit. Gabiorum civitates et Suessam et Pometiam subegit.* Similiter H.

[o] A., B., H., et Eutropius : *Filius ejus, et ipse Tarquinius junior nobilissimam Conlatini uxorem stuprasset, eaque de injuria marito, et patri, et amicis, questa fuisset, in omnium conspectu se occidit, propter quam causam Brutus parens et ipse Tarquinii*, etc. A., semper, *Conlat.*

[p] A. : *Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit.* H., *oppugnavit.*

Digitized by Google

impugnabat, veniensque ad urbem rex portis clausis exclusus est. Cumque imperasset annis XXXV, cum uxore et liberis fugit. Ita Romæ regnatum est per VII reges annis CCXLIII, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad XV milliarium possideret. Tarquinii sane temporibus, castissima Judith Holophernem peremit. His etiam temporibus Pythagoras philosophus claruit, qui Samo oriundus [a] Crotonæ deguit, novissime Metapontum adiit, ibique sepultus est. *Sed Romani quanta mala per* CCXLIII *annos continua illa regum dominatione pertulerint, non solum unius regis expulsio, verum etiam abjuratio regii nominis et potestatis ostendit. Nam si unius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, servata dignitate melioribus.*

*Igitur regibus Urbe propulsis, Romani consulendum sibi, quam cuiquam suæ libertati dominandum rati,* consules *creaverunt*. Pro uno rege duo hac causa creati, ut si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret. Et placuit ne imperium longius quam annuum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent esse [b] privandos. Fuerunt ergo primo anno expulsis [c] regibus L. Junius Brutus, qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur: et *Luc.* Tarquinius Collatinus maritus Lucretiæ. Sed Tarquinio Collatino statim sublata est dignitas. Placuerat enim ne quisquam prorsus in urbe maneret qui Tarquinius vocaretur. Ergo accepto omni patrimonio suo, ex urbe migravit, et in loco ipsius factus est [d] P. Valerius Publicola consul. Commovit tamen bellum urbi Romæ rex Tarquinius, qui fuerat expulsus: et collectis multis gentibus *maxime Etruscorum et Veientum*, ut in regnum posset restitui, dimicavit. In prima pugna Brutus consul et Aruns Tarquinii filius invicem se occiderunt: Romani tamen [e] ex ea pugna taliter victores recesserunt. *Uno plus Etrusco cadente Romanus victor abiit.* Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitiæ suæ quasi communem patrem per annum luxerunt. Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucretiæ patrem. Quo morbo mortuo, iterum Horatium Pulvillum collegam sibi sumpsit. Ita primus annus V consules habuit, cum Tarquinius Collatinus propter nomen Urbe cessisset, Brutus in prælio periisset, Sp. Lucretius morbo mortuus esset. Secundo quoque anno, iterum Tarquinius, ut regnum reciperet, bellum Romanis

A intulit, auxilium ei ferente [f] Porsenna *Etruriæ* rege, *tribusque continuis annis trepidam urbem terruit, conclusit, obsedit; et nisi hostem, vel Mutius, qui ad feriendum Porsennam ad ejus castra atque tentorium descenderat, et subregulum ejus stipendia dividentem habitu purpurato occidit, regem arbitratus, captusque illico, locutus est cur venisset, dextram denique, quæ erraverat, igni qui in ara erat urendam superposuit; vel virgo Clœlia, quæ post exiguum temporis intervallum ruptis vinculis admirabili transmeatu Tiberis fluminis, audacia permovissent, profecto Romani perpulsi forent perpeti, aut captivitatem hoste insistente superati, aut servitutem recepto rege subjecti. Eadem Clœlia obses fuerat Porsennæ data, quæ vigiles fefellit, et conscenso equo per Tiberim Romam rediit. Statua*

B *ei equestris ex senatusconsulto data est. Quadam die cum Etrusci in urbem Romam irruerent per pontem sublicium Tiberis, quidam Horatius Cocles in pontis fronte eis obstitit solus, donec dissoluto ponte pars ejus dirueretur; et statim cum armis se in Tiberim dedit, ac pariter et hostium victor, et fluminis, superjecta Etruscorum tela vitavit.* Tertio anno post reges exactos, Tarquinius, cum suscipi non posset in regnum, neque ei Porsenna, qui pacem cum Romanis fecerat, præstaret auxilium, Tusculum se contulit, quæ civitas non longe ab Urbe est, atque ibi per XIV annos privatus cum uxore consenuit. Quarto anno post reges exactos, [g] Sabini *undique corrasis copiis magno apparatu belli Romam contendunt; quo metu consternati Romani bellum paraverunt, et de his triumphatum est.*

C Quinto anno post reges exactos P. Valerius ille Bruti collega, et quater Cos. fataliter mortuus est adeo pauper, ut collectis a populo nummis sumptum habuerit sepulturæ. Quem matronæ, sicuti Brutum, per annum luxerunt. Nono anno post reges exactos, cum gener Tarquinii ad injuriam soceri vindicandam ingentem collegisset exercitum, nova dignitas Romæ creata est, quæ Dictatura appellatur, major quam consulatus. Eodem anno etiam magister equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. Nec quidquam similius potest dici quam dictatura antiqua huic imperiali potestati, quam nunc tranquillitas [h] vestra habet, maxime cum Augustus quoque Octavius, de quo postea dicemus, et ante eum C. Cæsar sub dictaturæ nomine et honore im-

D peraverint. Dictator autem Romæ [i] primus fuit *M. Valerius*; magister equitum primus Sp. Cassius. Sexto decimo anno post reges exactos, j *sequitur*

[a] A., B.: *Et Crotone deguit, novissime Metapontum adiit, ibique sepultus est. Hinc consules cœpere pro uno rege duo hac causa creari.*

[b] H. et Eutropius, *privatos.*

[c] A. post *regibus* leg. *consules.*

[d] A., B. et H., *Lucius Valerius.*

[e] A., B., H. et Eutropius: *Ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Rom.*

[f] A., B., H., et Eutropius: *Porsenna rege Tusciæ, et Romam pene cepit, verum tum quoque victus est. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius*, etc. Cætera enim, quæ interjecta sunt, absunt.

[g] A., H. et Eutropius: *Cum Sabini Romanis bellum intulissent, victi sunt, et de his triumphatum est. Quinto anno Lucius Valerius ille.*

[h] Ita ex B. et H., et ex Eut., corrigo; vulgo vitiose legebatur *nostra* (ut in A.). Valentem imperatorem intelligit Eutropius major, ex quo hæc Paulus Diaconus. Canis.

[i] A., H. et B., *primus fuit Largus*, Eutropius, *Largius.*

j A. habet *seditionem populus Romæ fecit; cumque a Senatu atque a coss. opprimeretur, tum et ipse tribunos plebis.* B. et H. concordant, mutato *cumque* in *tanquam.*

Digitized by Google

*discessio plebis a patribus, cum, M. Valerio dictatore delectum militum agente, variis populus stimulatus injuriis,* tanquam a senatu atque coss. premeretur, *Sacrum montem insedit armatus. Qua pernicie, quid atrocius? cum corpus a capite defectum perditionem ejus per quod spirabat meditabatur.* Tum populus sibi tribunos plebis quasi proprios judices et defensores creavit, per quos contra senatum et coss. tutus esse posset. Eodem tempore Nehemias, concedente Xerxe Persarum rege, Judæam venit, muros, urbemque restituit. Sequenti anno Volsci contra Romanos bellum [a] præparaverunt, et victi acie etiam Coriolos civitatem perdiderunt, quam habuerunt optimam. Anno 18 postquam reges ejecti erant, [b] expulsus ab urbe Romanus dux C. Martius, qui Coriolos ceperat Volscorum civitatem, ad ipsos Volscos contendit iratus, et auxilia contra Romanos accepit. Romanos sæpe vicit, usque ad quintum milliarium Urbis accessit, oppugnaturus etiam patriam suam, legatis, qui pacem petebant repudiatis, nisi ad eum mater Veturia et uxor Volumnia ex Urbe venissent. Quarum etiam [c] precatione removit exercitum, *quem submovere armis Roma non poterat.* Atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset. *In loco autem ubi oraverant, a marito suo ara facta est Fortunæ Muliebri. T. Geganio et P. Minutio coss. duo vel maxima omnium malorum abominamenta fames, et pestilentia fessam Urbem corripuere. Cessatum est paulisper a præliis, sed tamen a mortibus non est. Veientes, et Etrusci graves hostes, adjunctis sibi finitimorum copiis in bella surgentes, obviis M. Fabio, et Cn. Man. coss. excipiuntur. Ubi post sacramentum jurationis, quo se Romani devoverant, nonnisi post victoriam ad castra redituros, adeo atrox certamen fuit, et victis, victoribusque par fortuna, ut amisso plurimo exercitu, occisoque in pugna Manlio consule, M. Fabius consul oblatum sibi a senatu triumphum suscipere recusaret, eo quod frater suus fortiter faciens in illa prælii tempestate cecidisset, inquiens : Quia tantis reip. detrimentis luctus potius debetur, quam triumphus. C. Fabio et L. Virginio coss. gloriosissima illa numero et viribus Fabiorum familia Veientanum sortita certamen, quantam reip. orbitatem occasu suo intulerit, infamibus usque adhuc vocabulis testes sunt fluvius Cremera, qui perdidit, et porta quæ misit. Nam cum CCCVI Fabii vere clarissima*

A *Romani status lumina, speciale sibi adversus hostes Veientes decennii bellum expetivissent, promittentes senatui et populo per se omne certamen implendum ita sunt profecti omnes nobiles, et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent. Dehinc deducti in insidias circumventique ab hostibus omnes ibidem trucidati sunt, uno tantum ad denuntiandam cladem reservato, qui propter ætatem puerilem duci non poterat ad pugnam.* Post hæc census in Urbe habitus, et [d] inventa *per censum* sunt ibi centum et decem et septem millia trecenti XVIII. *Eodem tempore Porphyria virgo vestalis ob stupri crimen viva defossa est. Romæ ergo post Urbem conditam an. 359, suspenso ad modicum bello, gravis pestilentia, quæ semper ibi inducias, aut factas intercepit, aut ut fierent coegit, per universam* B *civitatem incanduit violenter, ut merito præcedente immani prodigio cœlum ardere visum sit, quando caput gentium tanto morborum igne flagravit. Nam eo anno Ebutium et Servilium ambos coss. pestilentia consumpsit, militares copias plurima ex parte confecit, multos nobiles, præcipueque plebem, fœda tabe delevit, quamvis jam etiam superiore quarto anno oborta lues eumdem populum depopulata sit. Proximo dehinc anno cives exsules, servique fugitivi, duce Herdonio viro Sabino, Romam invaserunt, incenderuntque Capitolium. Ubi fortissime quidem Valerio consule et imperatore obstitere juniores, sed adeo atrox et grave discrimen prælii fuit, ut ipse quoque consul Valerius ibi fuerit occisus, et indignum de servis victoriam insuper etiam sua morte fœdaverit. Sequitur annus in quo cum* C *victo exercitu consul obsessus est. Nam Minutium cos. congressi prælio populi Equi Volscique superarunt, et fugientem in Algido monte, qui ab Urbe* XII *ferme milliario abest, fame ferroque cinxerunt : actumque infeliciter foret, ni Quintius Cincinnatus, præcipuus ille dictator, arctatam obsidionem, oppresso hoste, solvisset. Qui repertus in rure,* quatuor jugerum agrum possidens manibus suis colebat. Is cum in opere et arans esset inventus, sudore deterso, *ab aratro accersitus ad fasces,* togam [e] *prætextam* accepit. *Mox sumpto honore, instructoque exercitu,* cæsis hostibus *victor effectus* liberavit exercitum, jugumque boum equis imposuit, victoriamque quasi stivam tenens, subjugatos hostes præ se primus egit. Anno *qui proximus trecentesimo ab Urbe condita fuit, dum legati ab* D *Atheniensibus propter Solonis leges deferendas missi ex-*

[a] A., *reparaverunt.*

[b] A., H. et Eutropius : *Expulsus ex Urbe. Q. Martius dux Romanus, qui Coriolos ceperat Vulscorum*, etc.

[c] A. habet : *deprecatione superatus*, ut Hersfeld. Cætera desiderantur in utroque, usque ad *C. Flavio et L. Virginio coss.* Inde sequuntur *trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant contra Veientes bellum susceperunt soli, promittentes senatui et pop. per se omne certamen implendum ; ita sunt profecti omnes nobiles, et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in prælio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non poterat ad pugnam.* Simile quid de Leonida Lacedæmoniorum rege Herodotus, lib. VII, ubi nota bene quod auctor sequitur hic Livium, quem tamen refutat Dionysius, lib. IX.

[d] A. legit : *Inventa sunt civium* CXVIIII., CCCXIX. *Sequenti tamen anno, cum in Algido monte ab Urbe* XII *fere milliario Romanus obsideretur exercitus, L. Q. Cincinnatus Dictator est factus, qui agrum 4 jug. possidens manibus suis colebat.* H. vero *centum et decem et septem millia trecenti* XIX. In reliquis cum Ambros.

[e] H. habet *prætextatam*, et sequitur cum A. : *Accepit, et cæsis hostibus liberavit exercitum, jugumque boum equis imposuit, victoriamque quasi stivam tenens subjugatos hostes præ se primus egit. Anno trecentesimo et altero ab Urbe condita imperium consulare cessavit, et pro duobus coss. decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, ac decemviri nominati sunt.* H. habet *viri*, pro *Xviri*. *Sed cum primo anno bene egissent.*

Digitized by Google

*spectantur, arma Romana fames, pestilentiaque compescuit.*

*Ipso autem* trecentesimo et altero anno ab Urbe condita imperium consulare cessavit, et pro duobus consulibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent *constituendarum legum Atticarum gratia, qui a numero* decemviri sunt nominati, *quod magnam reip. perniciem invexit. Nam* primus ex Decemviris, *cedentibus cæteris, solus Ap. Claudius sibi continuavit imperium. Statimque aliorum conjuratio subsecuta est, ut more contempto, quo insigne imperii penes unum, potestas autem communis erat omnibus, omnia propriis libidinibus agitarent. Itaque inter cætera, quæ insolentissime cuncti præsumebant, repente singuli cum duodenis fascibus, cæterisque imperatoriis insignibus processerunt. Et novo improbæ ordinationis incœpto, allegata legatione consulum emicuit agmen tyrannorum, duabus tabulis legum ad decem priores additis, agentes insolentissimo fastu plurima. Et die quo deponere magistratus mos erat, cum iisdem insignibus processerunt.* Secundo anno ex his Ap. Claudius [a] Virginii cujusdam, qui honestis jam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem *nomine Virginiam* [b] stupravit. *Quam ob rem adactus Virginius pater dolore libertatis et pudore dedecoris, protractam ad servitutem filiam, in conspectu populi, pius parricida prostravit. Qua populus necessitatis atrocitate permotus, et periculo libertatis admonitus, montem Aventinum occupavit armatus, nec tueri armis libertatem destitit, nisi postquam a* decemviris potestas *ablata est*, ipsique damnati sunt. [c] Anno ab Urbe condita 315 *per totum fere annum tam crebri tamque etiam graves in Italia terræmotus fuerunt, ut de innumeris quassationibus ac ruinis villarum oppidorumque assiduis Roma nuntiis fatigaretur. Dehinc ita jugis et torrida siccitas fuit, ut præsentis tunc futurique anni spem gignendis terra fructibus abnegarit. Et his denique temporibus* Fidenates contra Romanos rebellaverunt maximorum auxiliorum manu stipante. Auxilium bis præstabant Veientes et rex Veientium Tolumnius. Quæ ambæ civitates tam vicinæ Urbi sunt, ut Fidenæ et Veientum XVIII milliario *ab Urbe* absint. Conjunxerunt*que* se his et Volsci. Sed a M. Æmilio dictatore, et L. Quintio Cincinnato magistro equitum victi, etiam regem perdiderunt. Fidenæ captæ, et excisæ. [d] *Tanta in ipsis Fidenis erat malorum animorumque contentio, ut vel domesticas clades superfusa forinsecus bella oblitterarent, vel post damna bellorum inducias relaxatas diversæ pestes cœlo terraque excandescentes incessabili infestatione corrumperent. His denique temporibus gravissimo terræmotu concussa Sicilia insula, exæstuantibus Ætnæ montis ignibus, favillisque calidis, cum detrimento plurimo agrorum, villarumque vastata est. Tunc etiam Atlante civitas Locridis adhærens terræ, continuo repentino maris impetu abscissa, atque in insulam desolata est. Atheniensium quoque civitatem misera pestis invasit, diuque depopulata est.* Post XX annos iidem Veientani rebellaverunt. Dictator contra illos missus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie: mox etiam civitatem diu obsidens, *cuniculis clam* cepit, antiquissimam Italiæ, atque ditissimam. *Inventamque ibi statuam Junonis Monetæ jussit Romam transferri. Unus autem e militibus per jocum interrogavit simulacrum an vellet ire Romam. Respondit: volo.* Postea cepit et Faliscos non minus nobilem civitatem, sed commota est ei domi invidia, quasi prædam male divisisset, damnatusque ob eam causam [e] expulsus est ex civitate.

*Dehinc irruptio Belgicorum Gallorum, et incendium Urbis insequitur. Cui cladi audeat quispiam si potest motus hujus temporis comparare, quamvis non æque pendeat præteriti mali fabula, et præsentis injuria. Igitur* Galli Senones, *duce Brenno, exercitu copioso freti, et robusto nimis, cum urbem Clusium obsiderent, obsidione dimissa, totis viribus Romam contendunt. Hos ita dire irruentes Fabius cum exercitu consul excepit, nec tamen obstitit; imo potius hostis ille impetus Romanos quasi aridas segetes succidit, stravit et transivit. Testatur hanc Fabii cladem fluvius Allia, sicut Cremera Fabiorum. Non enim facile aliquis similem Romanæ militiæ ruinam recenseret, etiamsi Roma insuper incensa non esset. Patentem Urbem Galli penetrant, trucidant rigentes simulacrorum modo in suis sedibus senatores, eosque incendio domorum crematos lapsu culminum suorum sepeliunt universos. Cumque jam humanæ vires eis omnino resistere non possent, Apollinem Delphicum consuluerunt. Respondit deos secum et candidas puellas Gallis pugnaturas. Tunc in Alpibus nivibus oppressus Brenno cumque defendi quidquam nisi Capitolium potuit. Quod cum diu obsedissent, et jam Romani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina civitate exsulabat, Gallis superventum, gravissimeque victi sunt. Postea tamen accepto etiam auro mille librarum, ne Capitolium obsiderent, recesserunt, sed secutus est eos Camillus, ita cecidit, ut aurum quod his datum fuerat, et omnia quæ ceperant militaria signa revocaret. Ita tertio triumphans Urbem impressus est, et appellatus secundus Romulus, quasi et ipse patriæ conditor. Circa hæc tempora Esther putatur historia conscripta. Plato quoque philosophus his temporibus fuisse perhibetur.* Eutropius tamen finit primum lib. his verbis: *patriæ conditor.* Cætera non habet. CANIS.

Ambros. cum iisdem concord. Manuscriptis.

In Hersfeld.: *Explicit lib. primus de Histor. Roman.*

---

[a] H., pro *Virginii*, habet *viri*.

[b] A. et H., pro *stupravit*, *corrumpere voluit*, et omiss. cæt. seq.: *Quam pater occidit, ne stuprum ad decemviros sustineret, et egressus ad milites movit tumultum. Sublata est igitur decemviris*, etc.

[c] In A. et H. intermedia non leguntur usque ad *Fidenates*, et habent: *Anno ab U. C. 312, Fidenates*, etc., usque ad *Tolumnius*. Ita etiam pene ad verbum Eutropius, ut inde facile conjicere sit Miscellam merito dici, ubi tam multa hic inserta et immista. CANIS.

[d] Hinc non leg. cætera in A., H., B., et in Eutropio, usque ad: *Post* XX.

[e] B. et H. ad verbum convenit cum Eutropio: *Expulsus est ex civitate. Statim Galli Senones ad Urbem venerunt, et victos Romanos* XI *milliario a Roma apud flumen Alliam secuti, etiam urbem occupaverunt, ne-*

Digitized by Google

*omni suo exercitu deletus est. Igitur reliquam juventutem, quam constat vix mille hominum tunc fuisse, in arce Capitolini montis latitantem obsidione concludunt, ibique infelices reliquias fame et peste, desperatione et formidine, terunt. Captumque illico Capitolium fuerat, nisi clamore anseris excitatus Manlius restitisset. Qui cum diu eos obsiderent, et jam Romani fame laborarent, fragmenta panum pro lapidibus Galli projecerunt.* Quamobrem, accepto auro mille librarum, ne Capitolium obsiderent, *ex Urbe* recesserunt, sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his A datum fuerat, et omnia quæ ceperant militaria signa revocaret, *quamvis pridem eos gravissime cecidisset.* Ita tertio Camillus triumphans Urbem ingressus est, et appellatus est secundus Romulus, quasi et ipse patriæ conditor. *Igitur cum iidem Galli Capitolium obsiderent, C. Fabius Dorsuo flamen Quirinalis solemni die Gabinatus sacra perferens, per hostium tentoria ad Quirinalem montem contendit, et celebrato sacrificio rediit.* Circa hæc tempora Esdræ putatur historia scripta. Plato quoque philosophus his temporibus fuisse perhibetur.

# LIBER SECUNDUS.

Anno ab Urbe condita 365 [a] *sævissimo terræmotu Achaia universa commota est, et duæ tunc civitates,* [b] *Bura, et Helice abruptis locorum devoratæ.* Igitur post captam Urbem primo dignitates mutatæ sunt, et pro duobus consulibus facti tribuni militares consulari potestate. Hinc jam cœpit Romana res crescere. Nam Camillus eo anno Volscorum civitatem, quæ per LXX annos bellum gesserat, vicit, et Equorum urbem, et Sutrinorum, atque omnes deletis earumdem exercitibus occupavit, et tres simul triumphos egit. Titus etiam Quintius Cincinnatus Prænestinos, qui usque ad Urbis Romæ portas cum bello venerant, persecutus ad flumen Alliam vicit : octo civitates, quæ sub ipsis agebant, Romanis adjunxit, ipsam Prænestem aggressus in deditionem accepit. Quæ omnia ab eo gesta sunt viginti diebus : triumphus ipsi decretus est. Verum dignitas tribunorum militarium non diu perseveravit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri, et quadriennium in Urbe ita fluxit, ut potestates ibi majores non essent. Præsumpserunt tamen tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem, et triennio perseverarunt. Rursus coss. facti. L. Genutio et Q. Servilio consulibus mortuus est Camillus, honorque ei secundus post Romulum [c] delatus est. *Anno ab urbe condita* 384. His temporibus ingens universam Romam pestilentia corripuit : *non, ut assolet, plus minusve solito tempore turbata temperies, hoc est, aut intempestiva hiemis siccitas, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æstatis, vel autumni divitis pinguis et indigesta illecebra, insuper etiam expirata de Calabriæ saltibus aura corrumpens, et repentinos acutarum infirmitatum afferre solita transcursus; sed gravis diuturnaque, et in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium* B *jugiter tabe confecit, ut etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosque dimiserit.* Sequenti anno secutum est satis triste prodigium. Siquidem in medio Urbis [d] *foro* terra dissiluit, vastoque prærupto, hiantia subito inferna patuere. Quod dum diutius ita maneret, cunctisque terrorem inferret, tandem interpretantibus [e] aruspicibus *claudi barathri amplitudinem posse, si in eo quod esset Romæ pretiosissimum mitteretur, voluntarie diu jactatis inaniter monilibus matronarum,* M. Curtius eques Romanus, *domo clarus, militiæ insignibus sumptis, cum equo* se in id barathrum *præcipitavit,* sicque [f] conclusum est. *Post eum sacrificantes in eumdem locum jecere fruges, et mox terra in suam naturam rediit. Anno ab Urbe condita 388 iterum Gallorum terribilis inundatio juxta* C *Anienem fluvium ad quartum ab Urbe lapidem consedit, facile sine dubio, et pondere multitudinis, et alacritate virtutis, perturbatam occupatura civitatem, nisi otio et lenitudine sui* (sic) *torpuisset. Ubi atrocissimam pugnam singulariter inchoavit.* L. Manlius juvenis nobilissimus de senatoribus, provocantem Gallum ad singulare certamen progressus occidit, et sublata torque aurea, colloque suo imposita, in perpetuum Torquati, et sibi, et posteris cognomen obtinuit. *Statimque eos Quintius dictator, cruentissima congressione confecit. Fugati ex hoc prælio plurimi Galli, instauratis iterum copiis in bellum ruentes, a C. Sulpicio dictatore superati sunt. Post paululum quoque Tuscorum pugna sub C. Martio consecuta est, ubi conjici datur quantum hominum cæsum sit, quando* VIII *millia capta sunt Tuscorum.* D Census iterum habitus est. *Tertio anno, in iisdem diebus, Galli se in prædam per maritima loca, subjectosque campos ab Albanis montibus diffuderunt.* Et cum Latini, qui a Romanis subacti erant, milites

[a] A. et H. omnino cum Eutropio convenit: *Anno 365 ab U. C., post captam autem primo, dignitates mutatæ sunt, pro duobus coss.*, etc. Vide Livium, lib. VI.

[b] Al., *Hebra.*

[c] A., B. et H. : *Delatus est. His temporibus immensa per continuum biennium Romanos pestis afflixit, sequentique anno secutum est satis triste prodigium*, etc. Nam cætera absunt.

[d] In A. non legitur *foro.*

[e] A., H. et B. : *Aruspicibus, quod viri hominis sepulturam expeteret, M. Curtius eques Romanus se in barathrum armatus injecit, sicque*, etc.

[f] In iisdem post *conclusum est*, ita legitur : *Interea T. Quintius dictator adversus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab Urbe quarto milliario trans Anienem fluvium consederunt. Ibi nobilissimus de senatoribus juvenis L. Manlius provocantem*, etc. et mox *cognomen accepit. Galli fugati sunt, mox per C. Sulpicium dictatorem victi. Non multo post a C. Marcio Tusci victi sunt : et octo millia captivorum ex his in triumphum ducta.*

Digitized by Google

præstare nollent, [a] a Romanis *novo militum delectu* A *habito*, tirones electi sunt. Factæque legiones x, qui modus LX, vel amplius, armatorum millia efficiebat, *adversus eos processerunt;* parvis adhuc Romanis rebus, [b] tanta tamen in re militari virtus erat. Quæ cum profectæ essent adversus Gallos, duce L. Furio, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus provocabat. Tunc se M. Valerius tribunus militum obtulit, et cum processisset armatus, corvus ei supra dexterum brachium sedit. Mox commissa adversus Gallum pugna, idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset aspicere. Ita a tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Corvinus est dictus, ac propter hæc meritum annorum [c] XIII consul est factus. *Occiso enim provocatore* B *Gallo, alii omnes territi, sparsimque fugientes, graviter trucidati sunt.* Tunc siquidem dilata nox usque ad plurimam partem diei tendi visa est. Tunc etiam [d] saxa *grandini mista* nubibus cecidere. Eodemque tempore Magnus Alexander, *magnus vero ille gurges miseriarum atque atrocissimus turbo totius Orientis,* natus est. *Anno ab Urbe condita* 409 Latini, qui noluerant milites dare, hoc quoque a Romanis exigere cœperunt, ut unus consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum [e] contra eos *intulerunt, Manlio Torquato, et Decio Mure consulibus, in quo bello unus consul interfectus est, alter exstitit impie parricida. Manlius enim Torquatus filium suum juvenem victorem, interfectorem Decii Tusculani nobilis equitis, et præcipue provocantis, atque insultantis hostis occidit. Alius vero* C *consul, cum, iterato conflictu, illud cornu cui præerat, cædi atque affligi videret, inter confertissimos hostes sponte prolapsus occubuit. Manlius quamvis victor, occursum tamen nobilium juvenum Romanorum, qui legitime exhiberi solet in triumphis, parricida non meruit.* Statuæ consulibus ob meritum victoriæ in rostris positæ sunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est. [f] *Anno autem post hunc sequente, Minutia virgo vestalis ob admissum incestum damnata est, vivaque obruta in campo qui nunc Sceleratus dicitur. At vero exin tempore interjecto, horresco referre quod gestum est. Nam Claudio Marcello et Valerio Flacco coss., incredibili rabie et amore* D *scelerum Romanæ matronæ exarserunt. Erat vero fœdus ille ac pestilens annus, infectæ jam undique catervatim strages mortuorum egerebantur. Et adhuc tamen penes omnes de corrupto aere simplex credulitas erat, cum existente quadam ancilla indice, et convincente, primum multæ matronæ ut biberent venena quæ coxerant compulsæ, dein simul quæ hausere consumptæ sunt. Tanta autem multitudo fuit matronarum in his facinoribus consciarum, ut trecentæ septuaginta damnatæ ex illis simul fuisse referantur. Anno ab Urbe condita 442, Alexander rex Epirotarum Alexandri illius Magni avunculus, transjectis in Italiam copiis, cum bellum adversus Romanos pararet, et circa finitimas Romæ urbes firmaret vires exercitus sui, auxiliaque vel sibi acquirere, vel hostibus subtrahere studens bellis exerceretur, a Samnitibus, qui Lucanæ genti suffragabantur, maximo bello in Lucania victus et occisus est.*

*Anno ab Urbe condita* 426, jam Romani potentes esse cœperant. Bellum enim in CXXX fere milliario ab Urbe gerebatur apud Samnitas, qui medii sunt inter Picenum, Campaniam, et Apuliam gentem, si opulentiam eorum quæras, aureis atque argenteis armis, et discolori veste, usque ad ambitum ornatos; si insidiarum fallaciam, saltibus fere, et montium fraude grassantes; si rabiem atque furorem, sacrilegis, humanisque hostiis in exitium [g] Urbis agitatos; si pertinaciam, sexies rupto fœdere ipsis hostibus [h] animosiores, Romani ergo adversum Samnitas pro Campanis et Sidicinis bellum suscepere. Omnium siquidem, non modo Italiæ tantum, sed pene toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. [i] *Nullum hospitalius navibus mare.* Hic illi nobiles portus, Cajeta, [j] Misenus, Lucrinus, et Avernus, quædam maris ostia. Hic [k] *amicti* vitibus montes, [l] Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus cunctorum Vesuvius. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, [m] Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque nominata. Pro hac urbe, [n] et pro his regionibus populus Romanus Samnitas invadit. L. Papyrius Cursor cum honore dictatoris ad bellum id profectus est. Qui cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquerat, præcepit, ne se absente pugnaret. Ille occasione reperta feliciss. [o] dimicavit, et *viginti millia Samnitarum* delevit. Ob quam rem a dictatore capite damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore

[a] A., B. et H., post *Romanis tantum tirones*, etc.

[b] Ita nimirum Paulus Diaconus Ms. semper magis Eutropii verba retinet. Canis.

[c] A. 23, ita B. et H.

[d] A., *saxa de nubibus*, etc.

[e] A. habet, *contra eos susceptum est, et ingenti pugna superati sunt, ac de his perdomitis triumphatum est: Stat.*, etc. Concordant B. et H., præterquam in voce *his*, cujus loco habent *suis perdom.*, etc.

[f] Hinc inserta omnia usque ad verba, *Jam Romani;* in Mss. enim non leguntur, neque in Eutropio:

[g] A., *Orbis.*

[h] H. hic insigni accessione auctior est: *Animosiores: denique priusquam cum Romanis confligerent, Alexandrum regem Epirotarum, germanum Olympiæ matris Alexandri Magni, qui trajectis in Italiam copiis, bellum adversus Romanos parabat, Lucanis suffragium ferentes, maximo bello in Lucania vicere. In quo et ipse Alexander Epirota exstinctus est. Romani igitur adversus Samn.*, etc.

A. concordat cum H. usque ad *in Italiam copiis, bellum;* hinc sequitur *in Lucania vicere, in quo*, etc.

[i] A., B. et H., *Nihil hospitalius mari.*

[j] In omnibus I.: *Misenus, tepentes fontibus Bajæ, Lucr.*, etc.

[k] A., pro *amicti*, *amici.*

[l] A., *Caurus*. B. et H., *Laurus.*

[m] *Hyrcolanum*. B. et H, *Hircolanium.*

[n] Hæc duo verba non sunt in B. et H.

[o] A., B., H., et Eutropius, *dimicavit et Samnitas delevit.*

Digitized by Google

militum et populi liberatus est, tanta Papyrio seditione commota, ut pene ipse interficeretur. [a] *Post hæc Samnites circumspectiore cura, ac majore apparatu instructo, apud Caudinas Furculas consederunt, T. Veturio, et Sp. Posthumio coss., omnesque copias Romanorum ibidem* angustiis locorum, *armisque* conclusas ingenti dedecore vicerunt. Quorum dux Pontius in tantum abusus est victoriæ securitate, ut Herennium patrem consulendum putaret, utrum clausos occideret, an parceret subjugatis, ut vivos tamen dedecori servaret, elegit. [b] *Romanos enim ante sæpissime vinci et occidi, nunquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuisse constabat. Itaque Samnites victoria potiti,* universum Romanum exercitum turpiter captum, armis, vestimentisque nudatum, tantum singulis vilioribus operimentis ob verecundiam corporum tegendam concessis, sub jugo missum, servitioque subjectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obsidatum receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus vacuos consules remiserunt, sub tali tamen conditione pacis, qualis facienda Samnitibus placuit. Sed si fidem fœderis, quam sibi Romani servari a subjectis volunt, ipsi subjecti Samnitibus servassent, hodie, aut omnino non essent, aut Samnio dominante servirent. *Posteriore siquidem anno jubente Senatu* [c] *infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eosque in bellum cogunt. Quod Papyrio cos. insistente commissum magnas strages utriusque populi dedit, cum hinc ira recentis infamiæ, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes instimularent. Tandem Romani pertinaciter moriendo vicerunt, nec cædi pariter, nec cædere destiterunt, nisi posteaquam victis Samnitibus, et capto duce eorum cum septem millibus jugum reposuerunt. Deinde Papyrius Satricum, expulso præsidio Samnitico, expugnavit, et cepit. Hic Papyrius adeo tunc apud* Romanos bellicosissimus *ac strenuissimus* habebatur, ut cum Alexander *Magnus disponere diceretur, ab Oriente descendens, obtinere viribus Africam, atque inde in Italiam transvehi,* Romani inter cæteros duces, *tunc in publica re sua optimos, hunc præcipuum fore,* qui Alexandri *imperium sustinere posset, meditarentur.* Eo tempore Appius Claudius Censor *ingens* aquam Claudiam induxit, et viam Appiam stravit. Circa hæc tempora Jioaddus apud Hierosolymam pontifex exstitit, cujus frater Manasses templum in monte Garizim construxit [d].

*Anno ab Urbe condita 450, Fabio Maximo V, Decio Mure IIII, coss., quatuor florentissimi, fortissimique Italiæ populi in unum agmen fœdusque se collegerunt. Namque Etrusci, Umbri, Samnites et Galli uno agmine* A *conspirantes, Romanos delere conati sunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi, et labefactata fiducia est, nec ausi sibi totum sperare de viribus, dolo divisere hostes, tutius rati pluribus se bellis implicare, quam gravibus. Itaque, cum quibusdam suis ad depopulandos hostiles agros, in Umbriam, Etruriamque præmissis, Umbrorum, Etruscorumque exercitum redire ad tuitionem suorum coegissent, cum Samnitibus, et Gallis bellum inire properarunt. In quo bello, cum Gallorum impetu Romani premerentur, Decius cos. occisus est, Fabius tamen post magnam Decianæ partis stragem, tandem vicit. Eo prælio XI millia Samnitum, sive Gallorum cæsa, Romanorum vero VII millia ex Decii tantummodo parte, qui occisus est, exstincta referuntur.* B *Fuisse autem absque Etruscis, et Umbris, quos astu Romani bello avocaverant, Gallorum et Samnitum peditum CXL millia CCCXXX, equitum vero XLVII millia Livius refert, et carpentarios mille in armis contra aciem stetisse Romanam. Sed, ut sæpe dictum est, semper Romanorum, aut domesticam quietem extraneis bellis interruptam, aut extraneos proventus morbis interioribus aggravatos, tantum ut omnimodis ingentes animi undecunque premerentur: hanc cruentam, tristemque victoriam pestilentia civitatis oneravit, et triumphales pompas obviæ mortuorum exsequiæ polluerunt: nec erat cui de triumpho gaudium suaderetur, cum tota civitas, aut ægris suspiraret, aut mortuis. Sequitur annus, quo instaurato a Samnitibus prælio victi sunt, atque in castra fugerunt. Postea vero Samnites novum animum, habitumque sumentes, hoc est,* C *deargentatis armis, et vestibus, paratoque animo, ni vincant, mori, bello sese offerunt. Adversum quos Papyrius Cos. cum exercitu missus, cum a præliariis auguribus conjectantibus, congredi prohiberetur, irridens eos tam feliciter, quam constanter arripuit bellum, confecitque. Nam in hoc prælio XII millia hostium cæsa, tria millia capta referuntur. Sed hanc quoque istius vere laudandam victoriam, quam aruspices impedire non potuerunt, oborti subito corrupere morbi. Nam tanta ac tam intolerabilis pestilentia per triennium tunc corripuit civitatem, ut propter eam quacunque ratione sedandam libros Sibyllinos consulerent, quibus jubebatur ut ab Epidauro Æsculapius exhiberetur. Missi sunt legati ad urbem Græcam, quos libenter* D *Epidaurii, atque humaniter susceperunt. Ibidem se legatis serpens ostendit, raro ab incolis nisi feliciter visus. Cumque per triduum familiariter apparuisset, cunctis inspectantibus subiit in triremem Romanam et in tabernaculo legati Q. Burgonii collectus quievit. Urbe profecti Romani sunt, anguis in navi semper apparuit: Antium ventum est, descendit serpens ad li-*

[a] *Postea Samnites Romanos T. Veturio et Sp. Posthumio coss. apud Caudinas Furculas angustiis locorum conclusos ingenti*, etc.

[b] A., B. et H., omiss. cæt. seq., *nam universum.*

[c] Post *jubente Senatu* omnes habent *pax cum Samnitibus firmata soluta est. Luciusque Papirius consul adversus eos directus est. Qui adeo tunc apud Romanos bellicosissimus habebatur, ut cum diceretur Alexander in Italiam transgredi, Romani inter cæteros duces hunc præcipue eligerent, qui Alexandri impetum sustineret. Congressi itaque Samnites cum Papirio superati sunt, quorum septem mil. sub jugo missis.* B. et H., *sub jugum. Papirius de Samnitibus triumphavit. Eo tempore Appius Claudius Censor aquam Claud.*, etc.

[d] Hinc Mss., omiss. cæt. usque ad verba *P. Cornelius, Rufinus,* sequuntur cum Eutrop. *Samnites reparato bello Q. Fabium Max. vicerunt, tribus mil. hominum occisis. Postea cum pater ei Fabius Max. legatus datus fuisset, et Samnitas vicit, et plurima ipsorum oppida cepit. Deinde Pub. Cornelius*, etc.

Digitized by Google

*men templi Æsculapii, et triduo inter myrtos latuit, nec ad solitos cibos processit. Dehinc rediit ad navem. Cumque ventum esset ad Tyberim, enatavit in insulam, in qua illi templum est constitutum, et mox sanitas Romanis data est. Præterea altero abhinc anno Fabius Curges cos. male adversum Samnites pugnavit. Namque amisso exercitu, tribusque millibus perditis, victus in Urbem refugit. Itaque cum senatus de summovendo eo deliberaret, pater ejus Fabius Maximus ignominiam filii deprecatus, legatum se filio iturum ultro obtulit, si illi depellendæ ignominiæ, et gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium cos., insistente Pontio Samnitarum duce, et infestis hostium telis conclusum videret, in medium se agmen pius senex equo vectus ingessit. Quo facto permoti Romani, tota ibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium deleto hostili exercitu victum, oppressumque ceperunt. Cæsa sunt in eo prælio* XX *millia, capta autem* IV *millia cum rege suo, plurimaque oppida. Deinde* P. Cornelius Ruffinus, M. Curius Dentatus ambo coss. contra Samnitas missi, ingentibus præliis eos confecere, ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec inveniri facile possit. Tum bellum cum Samnitibus per an. XLIX [a] *multa Romanorum clade* actum, *capti ducis destitutione* [b] finitum est, neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit [c]. *Anno subsequente cum Sabinis a consule bellum gestum est, ubi quot millia hominum interfecta sint, quot capta, ipse consul ostendit. Qui cum in senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, et multitudinem captivorum referre vellet, numerum explicare non potuit. Anno ab Urbe condita* CCCCLXIII *Dolabella, et Domitio coss. Lucani, Brutii, Samnites quoque cum Etruscis, et Senonibus Gallis facta societate, cum redivivum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos. Quos cum Galli interfecissent, Cæcilius Prætor ob ulciscendam legatorum necem, et comprimendum tumultum hostium cum exercitu missus, ab Etruscis Gallisque oppressus interiit. Septem præterea tribuni militum in ea pugna occisi sunt, multi nobiles ibidem trucidati,* XIV *etiam millia militum Romanorum illo bello prostrata sunt.*

*Anno ab Urbe condita 464, Tarentini, qui in Italia ultimi sunt, Romanam classem forte prætereuntem e spectaculo theatri prospectam hostiliter invaserunt, quinque tantum navibus vix per fugam elapsis: cætera retracta in portum classis, et profligata est, præfecti navium trucidati, omnes bello utiles cæsi, reliqui pretio venditi sunt. Continuo missi Tarentum a Romanis legati, ut de illatis quererentur injuriis, pulsati ab hisdem auctas injurias insuper retulerunt. His causis ingens bellum exortum est. Romanos, qui quantique hostes circumstreperent permetientes, ultima adegit necessitas, proletarios quoque in arma cogere, hoc est eos, qui in Urbe semper sufficiendæ prolis causa vacabant, militiæ ascribere, quippe cum frustra de prole cura est, nisi rebus præsentibus consulatur. Itaque irruit in universos Tarentinorum fines cum Æmilio cos. Romanus exercitus, igne, ferroque vastat omnia, plurima expugnat oppida, injuriam insolenter acceptam crudeliter vindicat. Continuo Tarentinos plurimis finitimorum præsidiis fultos, maxime Pyrrhus auxit Epiri rex, qui ex genere Achillis originem trahebat, qui etiam in se ob magnitudinem virium, consiliorumque summam belli, nomenque transduxit. Nam Tarentum, utpote ex Lacedæmoniis conditam, cognatamque Græciæ civitatem vindicaturus, totas vires Epiri, Thessaliæ et Macedoniæ, elephantos etiam usque in id tempus invisos Romanis numero* XX *in Italiam primus invexit, terra, mari, viris, equis, armis, belluis, ad postremum viribus suis, dolisque terribilis; nisi quod Delphici illius spiritus, quem magnum ipsi vatem ferunt, responso circumventus, ambiguum exitum ejus fecit, qui non consuluisset.* Tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicarunt. Missus est contra eum cos. P. Valerius Levinus. Qui cum exploratores Pyrrhi cepisset, jussit eos per castra duci et ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrho, quæ cum Romanis agerentur [d]. *Itaque apud Heracliam Lucaniæ urbem fluviumque Urim prima inter Pyrrhum regem, et Levinum Cos. pugna commissa est. Consumpta est gravissimo certamine dies, utrinque omnibus mori intentis, fugere nesciis. Introductos autem inter currentia agmina elephantos, forma truces, odore graves, mole terribiles, ut videre Romani, novo pugnandi genere circumventi, et territi, equis maxime pavitantibus diffugerunt. Sed postquam Minutius centurio quartæ legionis primus hastatus protentum in se tam ferocis belluæ uncum, quam manum vocant, gladio desecuit, et conturbatam dolore vulneris averti bello, atque in*

[a] Ab hoc loco ms. Hersfel. ad verbum convenit cum Eutropio, quem Merula edidit, usque ad illa verba in Eutropio fol. 20, v. 7, *armis occupaverunt, obtineret*, post quæ verba paulum variat Ms. Sic: *obtineret. Cyneas legatus, postera die quam ingressus Romam fuerat, et equestrem ordinem, et senatum propriis nominibus salutavit. Pax tamen, quam offerebat, displicuit. Remandatum porro est a senatu, eum cum Romanis, nisi ex Italia decessisset*, etc. Nam sequentia ad verbum item Eutropii sunt in Ms., usque ad illa verba in Eutropiana Merulæ editione fol. 21, versu 15, *Argos Græciæ civitatem occisus est*. Post quæ verba ms. H. subdit: *Apud Judæos hoc tempore pontifex max., Simeon, Oniæ filius, claruit, cui cognomentum Justus fuit. Dehinc Tarentini Pyrrhi morte comperta*, etc. CANIS.

[b] A. pro *finitum, sublatum.*

[c] A. Sequitur *Interjectis aliquot annis iterum se Gallorum copiæ contra Romanos Tuscis Samnitibus junxerunt; sed cum Romam tenderent Gneo Cornelio Labella cons. deleti sunt, eodem tempore Tarentinis, qui jam in ultima Italia sunt, bellum indictum est, quia legatis Romanorum injuriam fecissent. Hi Pirrum Epiri regem contra Romanos auxilio poposcerunt, quia ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumque*, etc.

[d] A. post *agerentur. Commissa mox pugna, cum jam Pirrus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt; sed nox prælio finem dedit. Levinus tamen per noctem fugit. Pirrus Romanos* MDCCC *cepit, et cos.*

Digitized by Google

*suos acriter sævire compulit, ejusque immoderato discursu perturbari atque permisceri cœpere, finis pugnæ etiam de beneficio noctis impositus. Levinus tamen per noctem fugit. Romanos victos fuisse turpis fuga perdidit, quorum tunc cecidisse referuntur peditum* XIV *millia octingenti viginti, equites autem cæsi ducenti quadraginta sex, capti septingenti* XII, *signa amissa* XXII. Pyrrhus Romanos, *quos ceperat*, summo honore tractavit, occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere vidisset, tulisse ad cœlum manus fertur, cum hac voce : Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. *Nam quantus e diverso numerus sociorum Pyrrhi fuerit exstinctus, memoriæ traditum non est, maxime quia scriptorum omnium veterum mos est ex ea parte, quæ vicerat, occisorum non commendare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris : nisi forte cum adeo pauci cadunt, ut admirationem, terroremque virtutis augeat paucitas perditorum : sicut in prima congressione Persici belli apud Alexandrum Magnum fuit, cum inter quadringenta ferme millia hostium interfecta centum viginti equites, et novem tantummodo pedites in ejus exercitu defuisse referuntur. Sed Pyrrhus atrocitatem cladis, quam hoc bello exceperat, diis suis omnibus testatus est, affigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo hæc scripsit :*

Qui invicti ante fuere viri, pater optime Olympi,
Hos et ego in pugna vici, victusque sum ab iisdem.

*Et cum a sociis increparetur, cur se victum diceret qui vicisset, respondisse fertur : Næ ego, si iterum eodem modo vicero, sine ullo milite Epirum revertar. Interea Romanus exercitus postquam victus clam fugit de castris, miserabilem belli cladem gravioribus monstris auctam, accumulatamque persensit. Nam pabulatores forte digressos, velut hostilis quædam suborta tempestas, cum horribili fragore cœli correptos diris fulminibus exussit. Quippe triginta quatuor eorum idem turbo prostravit, duo et viginti seminoces relicti, jumenta exanimata, et capta quam plurima, ut merito contigisse non in signum vastationis futuræ, sed ipsa vastatio referatur.* Post id Pyrrhus conjunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brutiisque, Romam perrexit : omnia ferro, ignique vastavit ; Campaniam depopulatus est, atque Præneste venit, milliario ab Urbe XVIII. Mox terrore exercitus, qui eum cum cos. sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati de redimendis captis ad Pyrrhum missi : *Pyrrhus Lyconem et Molossum obviam eis exire jussit. Ipse autem cum exornatis militibus processit ad portam*, et ita ab eo honorifice susceptis, captivos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum Fabricium sic admiratus, cum eum pauperem esse cognovisset, ut quarta parte regni promissa sollicitare voluerit, ut ad se transiret, contemptusque est a Fabricio. [a] *Hincque* cum Pyr- A rhus *propter legatos* Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum *cum eis* misit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuum virum Cyneam nomine : ita ut Pyrrhus partem Italiæ, quam jam suis armis occupaverat, obtineret. Cyneas legatus postero die quam ingressus fuerat Romam, et equestrem ordinem, et senatum propriis nominibus salutavit, pax tamen quam offerebat displicuit. Remandatum est Pyrrho a senatu, eum cum Romanis nisi ex Italia recessisset, pacem non posse habere. Tum Romani jusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi *eo* quod armati capi potuissent, nec ante eos ad [b] *veterem* statum reversuros, quam sibi notorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reversus est. A quo cum quæreret Pyr- B rhus, qualem Romam comperisset, Cyneas dixit, regum se patriam vidisse : scilicet tales illic fere omnes esse, qualis unus Pyrrhus apud Epirum et reliquam Græciam putaretur. [c] *Secunda inter Pyrrhum, et Romanos, P. Sulpicio et Decio coss., pugna in Apuliæ finibus fuit, ubi clades belli ad utrosque, sed maxime ad Pyrrhum, victoria ad Romanos concederet. Nam cum diu, cunctis obnixe in mutuam cædem ruentibus, anceps belli penderet eventus, Pyrrhus transfixo brachio saucius prior cessit e prælio. Sed et Fabricius legatus tunc vulneratus est. Elephanti prima pugna sauciati, atque in fugam cogi posse deprehensi, deinde subjectis inter posteriora et mollia ignibus exagitati, insuper ardentes machinas furore trepido circumferen-* C *tes exitio suis fuere. Cæsa sunt in ea pugna quinque millia Romanorum : de exercitu vero Pyrrhi viginti millia prostrata sunt : regis signa ablata sunt quinquaginta tria : Romanorum undecim amissa sunt.* Pyrrhus Tarentum fugatus est. Interjecto anno contra Pyrrhum Fabricius est missus, qui prius inter legatos sollicitari non poterat quarta parte regni promissa. Tunc cum vicina castra ipse, et rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens veneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci jussit ad propriam domum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc rex admiratus eum dixisse fertur : [d] Iste est Fabricius, qui difficilius honestate, quam sol a cursu suo averti [e] potest. D *Pyrrhus vero victus bello, Agathocle rege Syracusano mortuo, ad Siciliæ accersitus imperium Syracusa concessit.* Fabricius, victis Lucanis et Samnitibus, triumphavit. *Sed Romanorum miseria nullis cessat induciis. Consumitur morborum malis intercapedo bellorum : et cum foris cessatur a prælio, agitur introrsus ira de cœlo. Nam Fabio Gurgite iterum, C. Genutio Clepsina coss., pestilentia gravis Urbem ac fines ejus invasit. Quæ cum omnes, cum præcipue mulieres, pecudesque corripiens, necatis in utero fœtibus futura prole vacuabat, et im-*

[a] A., *ob quæ cum Pirrus Rom. ingenti admirat. teneretur, legatum misit*, etc.

[b] A., *verum.*

[c] A. omiss. cæt. habet. *Missi sunt contra Pirrum ducem Pub. Sulpicius, et Decius conss., certamine commisso Pirrus vulneratus est, elephanti interfecti,* XXM *cæsa hostium, et ex Romanis tantum* VM. *Pirrus Taren.*, etc.

[d] A., *Ille* pro *Iste.*

[e] A., *potest. Tunc rex ad Siciliam profectus est. Fabricius vic.*, etc.

Digitized by Google

*maturis partubus cum periculo matrum exserti abortus projiciebantur: adeo ut defutura successio, et defuturum animantium genus, adempto vitalis partus legitimo ordine crederetur.* Consules deinde Curius Dentatus, et Cornelius Lentulus adversus Pyrrhum [a] missi sunt. *Interea reversum ex Sicilia Pyrrhum Curius Dentatus cos. excepit, tertiumque bellum contra Epirotas apud Lucaniam in Arusinis campis gestum est. Itaque primo concursu cum Pyrrhi milites Romanorum impressione trepidarent, et circumspectantes fugam bello cedere molirentur, Pyrrhus elephantes ex subsidiis jussit induci. Romani assueti jam pugnare cum belluis, cum malleolos stuppa involutos, ac pice oblitos, uncis insuper aculeis tenaces præparavissent, eosque flammatos in terga belluarum, turresque vibrarent, non difficile furentes, ardentesque belluas in eorum excidia, quibus subsidia fuerant, retorserunt. Octoginta millia peditum in illo prælio habere regem dicunt, equitum vero sex millia. Ex his cæsa referuntur viginti tria millia, capti autem sunt quadringenti. Ipse a Tarento fugatus, castra ejus capta sunt.* Curius in consulatu triumphavit, primusque Romæ elephantos quatuor induxit. [b] Pyrrhus XV *anno quam venerat ab Italia, victus aufugit, qui post multa, gravissimaque bella, quæ gessit in Græcia, apud Argos Achaiæ florentissimam urbem, Spartani regni aviditate seductus, saxo ictus occubuit. Cujus pollex de dextero pede remedio erat, si cujus renes tumentes eo tetigisset. Qui cum ab Antigono victore jussus esset exuri, sic arsit, ut idem pollex igni inveniretur intactus. Qui digitus aureo loculo inclusus est, et antiquissimo templo Dodonæi Jovis conditus est.* Hoc tempore apud Judæos pontifex maximus Simon Oniæ filius claruit, cui cognomentum [c] Justus fuit. *Tum quoque apud Romanos Sextilia virgo vestalis convicta, damnataque incesti, ad portam Collinam viva defossa est. Anno ab Urbe condita* 470, Tarentini, Pyrrhi morte comperta, iterum nova adversum Romanos arma sollicitant. Carthaginensiumque auxilia per legatos poscunt, et [d] accipiunt. *Conserto prælio vicere Romani. Ibi jam tunc Carthaginenses* quamvis nondum hostes adjudicati, vinci tamen a Romanis se posse senserunt. [e] *Sequenti anno, magnam viscerum suorum partem severitas Romana concidit. Nam, adventante dudum Pyrrho, octava legio diffidens Romanæ spei, novum scelus ausa, Regienses omnes, quibus tunc subsidio præerat, interfecit, prædam sibi omnem, atque ipsum oppidum vindicavit. Hoc facinus in tam sceleratos defectores puniendum Genutio cos. jussum est. Qui obsessa Reginorum urbe, captisque omnibus, ipse quidem in reliquos perfugas et latrones exercuit digna supplicia, Romanos vero milites integræ legionis Romam misit, qui jussu populi in medio foro virgis cæsi sunt, securique percussi. Tunc sibi visa est Roma vincere, cum legionem suam integram occidit, quæ profecto sine dubio victa fuisset, si eam hostili gladio perdidisset.* C. Fabricio Luscino, C. Claudio Canina coss. legati Alexandrini a Ptolomæo missi Romam venere, et a Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt. *Anno ab Urbe condita* 471, *obscœna et dira prodigia, vel visa Romæ, vel nuntiata sunt. Ac ædes Salutis ictu fulminis dissoluta, pars muri sub eodem loco de cœlo, ut dicunt, tacta est. Lupi tres ante lucem ingressi Urbem semesum cadaver intulerunt, sparsumque membratim in foro ipsi strepitu hominum exterriti reliquerunt. Apud Formiam multis ictibus fulminum mœnia undique ambusta et dissoluta sunt. Apud agrum Calenum repente flamma scisso hiatu terræ eructata, tribus diebus, tribusque noctibus terribiliter exæstuans, quinque agri jugera exhausto penitus ubertatis succo in cinerem extorruit, ita ut non solum fruges, sed et arbores cum imis stirpibus absumpsisse referatur. Sequenti abhinc anno,* Quintio Gulone, et Fabio Pictore coss. Picentes bellum [f] commovere. *Consules P. Sempronius et Appius Claudius adversum Picentes duxerunt exercitum, et cum directæ intra jactum teli utræque acies constitissent, repente ita immaniter cum nimio et horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumque pavefactum agmen hebesceret. Diu attoniti utrique populi hæsitavere, præjudicata incœpti conscientia. Tandem procursu concitato iniere certamen. Triste adeo istud bellum fuit, ut merito dicatur tantum humanum sanguinem susceptura, etiam cum gemitu horrisono tunc terra tremuisse. Romani autem pauci admodum eo prælio, qui evasere, vicerunt,* et de his triumphatum est. Conditæ a Romanis civitates Ariminum in Gallia, et Beneventum in Samnio. Tunc etiam a Romanis [g] Croton invaditur. *Anno ab Urbe condita* 467, *inter multa prodigia sanguis e terra, lac visum est manare de cœlo. Nam et plurimis scaturiens* e fontibus cruor effluxit, et de nubibus *guttatim* in speciem pluviæ *lacte dimisso diri, ut ipsis visum est, terras imbres irrigaverunt.* M. Attilio Regulo, L. Julio Libone coss. Salentinis in Apulia bellum indictum est, captique sunt cum civitate simul Brundusini, et de his triumphatum est.

[h] Cum jam clarum urbis Romæ nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Ut ergo cognosceretur quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus. Tum inventa sunt capita civium ducenta [i] nonaginta millia trecenta triginta quatuor, quan-

[a] A. omiss. cæt. Ita: *missi sunt. Curius contra eum pugnavit, exercitum ejus cecidit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. Ea die cæsa hostium* XXIIII. *Cur.*, etc.

[b] A., *Pirrus etiam a Tarento mox recessit, et apud Argos Græciæ civitatem occisus est. Apud Judæos hoc temp.*, etc.

[c] A., *Justus fuit. Dehinc Tarentini*, etc.

[d] A., post *accipiunt: Carthaginenses a Rom. vincuntur, quamvis*, etc.

[e] Reliqua usque ad *C. Fab.* non sunt in A., neque in duobus aliis mss. B. et H., A. tamen pro *vinci* habet *superari.*

[f] A. et H., *commovere, et ab insequentibus coss. Pul. Sempronio, Appio Claudio victi sunt, et de his triumph.*, etc.

[g] Uterque pro *Croton* habet *Cothrona invaditur. Eo tempore pluribus locis e fontibus cruor fluxit, et de nubibus in specie pluviæ lac descendit. Marc.*, etc.

[h] A. B., H., et Eutropius: *Anno* CCCCLXXVII, *cum jam cl.*, etc.

[i] A. habet XCII.

Digitized by Google

quam a condita Urbe nunquam bella cessassent. [a] *Eo tempore Carthaginenses dato adversum Romanos auxilio Tarentinis, cum per legatos a senatu arguerentur, turpissimam rupti fœderis labem præsumpto accumulavere perjurio. Tunc etiam Vulsinienses Etruscorum florentissimi luxuriæ pœna perierunt. Nam cum licentia in consuetudine prærogata servos suos passim liberos facerent, conviviis allegarent, conjugiis honestarent, libertini in partem potestatis recepti, plenitudinem per scelus usurpare meditati sunt: et liberati servitutis jugo, ambitu dominationis exarserunt: et quos dominos subditi æquanimiter dilexerunt, eos jam liberi, quos dominos fuisse meminerant, execrati sunt. Itaque conspirantes in facinus libertini, quorum tanta manus fuit, ut sine controversia superiores essent, correptam suo tantummodo generi urbem vendicant, patrimonia, conjugia dominorum sibi per scelus usurpant, extorres dominos procul abigunt. Qui miseri exsules, egentesque Romam deferuntur. Ubi ostentata miseria, querelaque defleta, per Romanorum severitatem, et vindicati sunt, et restituti. Anno ab Urbe condita 481, pestilentia ingens apud Romam conflagravit, cujus atrocitatem significare contentus sum, quia verbis explicare non possum. Si enim spatium temporis, quo mansit, inquiritur, ultra biennium vastando porrecta est: si depopulatio quam egerit, census indictus est, qui non quantum hominum deperisset, sed quantum superfuisset, inquireret: si violentia, qua affecerit, Sibyllini libri testes sunt, qui eam cœlesti ira impositam responderunt. Sed ne quemquam quasi tempestute cavillationis offendat, quod Sibylla quasi iratos deos dixerit, nos iram cœlestem dixisse videamur: et audiat, et intelligat, quia hæc, et si plerumque per aerias potestates fiunt, tamen sine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fiunt. Eodem tempore Caparronia virgo vestalis incesti rea suspendio periit; corruptor ejus, consciique servi suppliciis affecti sunt. Anno ab urbe condita 483, Appio Claudio, Quinto Fulvio consulibus, Mamertinis, quorum Messana nobilis Siciliæ civitas erat, et auxilia contra Hieronem Syracusanum regem, et Pœnorum copias Hieroni junctas petierunt, Appium Claudium cos. cum exercitu misere Romani: pugnaque commissa,* Appius Claudius de Pœnis et rege Siciliæ triumphavit Hierone. Insequenti anno M. Valerio, et T. Otacilio coss. in Sicilia a Romanis res magnæ gestæ sunt.

A Tauromienitani, Catinenses, et præterea quinquaginta civitates in fidem acceptæ. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem Siculorum regem *et Pœnos* bellum paratum est, *ab Appio Claudio cos., qui tam celeriter Syracusanos Pœnosque superavit, ut ipse quoque rex rerum magnitudine perterritus, ante se victum quam congressum fuisse prodiderit. Qui exin fractis viribus, amissaque fiducia*, cum omni nobilitate Syracusanorum pacem a Romanis supplex rogavit, jussuque consulum dedit argenti ducenta [b] talenta. *Consules accepto argento, Agrigentum adierunt Siciliæ civitatem, ibique præsidia Pœnorum operibus valloque cinxerunt. Cumque inclusus ea obsidione senior Annibal imperator Pœnorum ad summam egestatem redactus esset, Hanno dux novus Carthaginensium cum equitibus mille*
B *quingentis, et triginta millibus peditum, triginta etiam elephantis ex improviso intercessit, expugnationemque civitatis paulisper distulit, sed continuo civitas capta est. Pœni maximo bello victi, et profligati, undecim elephanti in potestatem redacti, Agrigentini sub corona omnes venditi sunt, et de his secundo Romæ triumphatum est. Annibal senior exinde facta eruptione cum paucis diffugit.* Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur. [c] *Cn. Cornelio Asina, C. Duilio coss. cum Annibal senior oram Italiæ maritimam instructa septuaginta navium classe vastaret, Romani et ipsi classem fabricari atque instrui præceperunt. Quod Duilius cos. celeriter implevit. Nam intra sexaginta dies quam arbores cæsæ essent, centum triginta navium classis deducta in anchoris stetit. Cornelius Asina alter*
C *cos. cum sedecim navibus rostratis, quas liburnas vocant, Liparen insulam petit: ubi ab Annibale, quasi ad colloquium pacis evocatus, punica fraude captus, atque in vinculis necatus est. Quod ubi mox Duilius alter cos. audivit, et ipse cum triginta navibus rostratis,* quas Liburnas vocant, adversus Annibalem profectus est. Commissoque navali prælio, *Annibal amissa navi, qua vehebatur, scapha subductus aufugit. Triginta et una naves ejus captæ, tredecim mersæ, tria millia hominum occisa, septem millia capta referuntur.* Neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, jam etiam mari plurimum possent. Postea Carthaginenses C. Aquilio Floro, L. Cornelio Scipione coss. *Hannonem in locum Annibalis subrogatum pro Sardis et Corsis defensandis navali prælio præfecerunt. Qui a*
D

[a] A. post *cessassent* habet, *et contra Afros bellum susceptum est. Primum Appio Claudio, Q. Fluvio coss. in Sicilia contra eos pugnatum est, et Appius*, etc.

Ms. B., et H. ad verbum in sequentibus conveniunt cum Eutropio editionis Merulæ, nisi quod hæ pauculæ variæ lectiones sint. Ms. H. *Duillum* vocat, quem Eutropius *Duillium*. H., *primum clipeam Africæ civitatis*. Eutropius, *primam Clypeam Africæ civitatem*. Cætera omnia sunt Eutropiana usque ad illa verba: *septuaginta quatuor civitates in fidem accepit*, quæ in Eutropiana edit. Merulæ sunt fol. 23, vers. 17, post quæ verba in ms. B., et H. hæc sequuntur: *Inter hæc apud fluvium Bagrada Regulus serpentem miræ magnitudinis occidit, cujus corium centum viginti pedum longitudinem habuit, Romamque delatum, aliquandiu cunctis miraculo fuit. Tunc victi Carthaginenses pacem a Romanis petiverunt: quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedæmoniis petiverunt, et a duce Xantippo, qui a Lacedæmoniis missus fuerat Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo tantum ex omni Rom. exercitu refugerunt, quingenti cum imp. Regulo capti sunt: triginta millia occisa. Regulus ipse in catenas conjectus. Hac tempestate Ptolomæus Philadelphus*, etc.

[b] A. omis. cæt. post *talenta: Afri in Sicilia victi sunt, et de his triumphatum est: Quinto*, etc.

[c] A. hinc legit: *Primo Romani Gaio Duillio, et Gneo Cornelio Asina coss. in mari dimicaverunt paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant. Consul Cornelius deceptus est, Duillius commisso prælio Carthaginensium ducem vicit, XXXI naves cepit, XIV mersit, VIIM hostium cepit, IIIM occidit. Neque*, etc.

*Scipione Cos. victus, amisso exercitu ipse confertiss. hostibus se immiscuit, ibique interfectus est.* Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multaque millia inde captivorum abduxit, triumphum egit. *Eodem anno tria millia servorum, et tria millia navalium sociorum in urbis Romæ excidium conjuraverunt, et nisi maturata proditio consilium prævenisset, destituta præsidio civitas servili manu perisset. Anno ab hoc proximo Calatinus Cos. Camerinam Siciliæ urbem petens, temere in angustias deduxit exercitum, quas Pœnorum copiæ jamdudum præstruxerant. Cui cum omnino nulla, vel obsistendi, vel evadendi facultas esset, Calphurnii Flammæ virtute et opera liberatus est. Qui lecta trecentorum virorum manu insessum ab hostibus tumulum occupavit, et in se Pœnos omnes pugnando convertit, donec Romanus exercitus obsessas angustias hoste non urgente transiret. Cæsi sunt in eo bello omnes, solus Calphurnius, quamvis confossus vulneribus, et cadaveribus obtectus, evasit. Annibal senior a Carthaginensibus iterum classi præpositus, infeliciter cum Romanis navali prælio congressus et victus, ab exercitu seditione orta, etiam lapidibus coopertus interiit.* L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo coss. bellum in Africam translatum est contra Amilcarem Carthag. ducem. [a] *Attilius cos. Liparen, Melitamque insulas Siciliæ nobiles pervagatus evertit. Coss. in Africam bellum jussi transferre, cum trecentis triginta navibus Siciliam petierunt. Quibus Amilcar Pœnorum dux, et Hanno classi præfectus occurrit. Conserto navali prælio, Carthaginenses in fugam versi, sexaginta et quatuor naves perdiderunt:* Romani viginti duas amiserunt. Victores coss. in Africam transvecti sunt, primamque omnium Clypeam urbem in deditionem receperunt. Inde Carthaginem petentes, trecenta, aut eo amplius castella depopulati sunt, *infesta Carthagini signa circumtulerunt.* [b] Manlius *cos. Africa cum victrice classe discedens,* viginti et septem millia captivorum cum ingentibus spoliis Romam revexit. Attilius Regulus cos. in Africa [c] remansit, *bellum Carthaginensibus instruxit, contra tres Carthaginensium duces dimicans, id est, Asdrubales duos et accitum ex Sicilia Amilcarem, atrocissimum cum eis bellum gessit, in quo cæsa sunt Carthaginensium decem et octo millia, captivavit quinque millia, decem et octo elephantes cepit, octoginta et duas civitates in deditionem accepit. Iter cum exercitu faciens, haud procul a flumine Bagrada castra posuit: ubi cum plurimos militum aquandi necessitate ad flumen descendentes serpens miræ magnitudinis devoraret. Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est. Sed nihil in tergo ejus proficientibus jaculis, atque omni telorum jactu irrito, quæ per horrendam squamarum cratem quasi per obliquam scutorum testitudinem labebantur, mirumque in modum, ne corpus læderent, ipso corpore pellebantur, cum insuper magnam multitudinem morsuum comminui impetu, propter anhelitum etiam pestiferum exanimari videret, balistas deferri imperavit, per quas murale saxum spinæ ejus incussum, compagem totius corporis solvit, ac mox circumventa telis facile oppressa est. Corium autem ejus Romam devectum, quod fuisse centum viginti pedum spatio ferunt,* aliquandiu cunctis miraculum fuit. Igitur Carthaginenses fracti bellis et cladibus exinaniti, pacem a [d] Regulo poposcerunt. *Sed cum intolerabiles, et duras pacis conditiones audissent, tutius rati sese armatos mori, quam miseros vivere, pretio non solum Hispanorum, vel Gallorum auxilia, quæ jamdudum plurima habebant, sed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaque Xantippum Lacedæmoniorum regem cum auxiliis accersitum, ducem bello præfecerunt. Xantippus, inspectis Pœnorum copiis, atque in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conseruit. Ingens ibi Romanorum virorum multitudo fuit. Nam triginta millia Romanorum militum in illa tunc congressione prostrata sunt. Regulus ille dux nobilis cum quingentis viris captus est, et in catenis conjectus. Decimo demum anno Punici belli, nobilem Carthaginensibus triumphum præbuit. Xantippus tam audacis facti conscius, rerum instabilium mutationem timens, illico ex Africa migravit in Græciam.* Hac tempestate Ptolemæus Philadelphus Judæos, qui in Ægypto erant, liberos esse permisit, et vasa Eleazaro pontifici Jerosolymorum votiva transmittens, divinas Scripturas in Græcam vocem ex Hebræa lingua per LXX interpretes transferri curavit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litteraturæ comparaverat. Igitur [e] M. Æmilius Paulus, Servius Fulvius Nobilior coss. audita captivitate Reguli, et clade exercitus Romani, transire in Africam cum classe trecentarum navium jussi, Clypeam petunt. Eo confestim Carthaginenses cum pari classe venerunt, nec differri potuit navale certamen. Æmilius cos. centum et quatuor naves Carthaginensium dimersit, triginta cum pugnatoribus cepit, *præterea triginta et quinque millia* hostium, aut occidit, aut cepit, milites suos ingenti præda ditavit.

[a] A. hinc sequitur *in mari pugnavit, victusque est; nam perditis* LXIV *navibus retro se recepit.*

[b] A. *Manlius victor Romam rediit, et* XXVIII M *captivorum reduxit. Attil.*, etc.

[c] A. post *remansit. Is contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginensium duces dimicans victor fuit,* XVIII M *hostium cecidit,* V M *cum* XVIII *elephantis cepit,* LXXIV *civitates in fidem accepit. Inter hæc apud fluvium Bagradam Regulus serpentem miræ magnitudinis occidit, cujus corium* CXX *pedum longitudinem habuit, Romamque delatum aliquandiu*, etc.

[d] A. pro *Regulo Romanis petiverunt. Quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedæmoniis petiverunt. Et duce Xantippo, qui a Lacedæmoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo tantum ex omni Romano exercitu refugerunt, quingenti cum imp. Regulo capti sunt,* XXX M *occisa. Regulus ipse in catenas conjectus. Hac temp.*, etc.

[e] Hersfeldensis codex, *M. Æmilio, Paulo Servio Fulvio Nobiliore coss. ambo Romani coss. ad Africam profecti,* et cætera, in quibus ad verbum cum Eutropio convenit, nisi quod Ms. legit *ex quadringentis sexaginta navibus*, ubi Eutropius 464. Item ubi Eutropius, et H. legit *quindecim millia hostium, aut occidit, aut cepit,* Bongarsii codex Ms. legit: *quintum decimum hostium.* A. pariter cum C. Bongarsii omissa particula *præterea.*

Digitized by Google

Romanorum autem novem navibus depressis, mille centum periere milites. Consules apud Clypeam castra posuerunt. Duo Hannones Pœnorum duces, eo rursus cum magno exercitu venerunt: prælioque commisso novem millia perdiderunt, et subacta Africa tunc fuisset, nisi quod tanta fames erat, ut diutius exercitus exspectare non posset. Consules et victrices classes, cum ad Italiam prædis onusti remearent, infandum naufragium circa Siciliam passi sunt. Nam de quadringentis sexaginta navibus, octoginta vix abjectis oneribus servari potuerunt, neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt, neque in aliquo animus his [a] *infractior* clade fuit. Hoc tempore nummus argenteus primus in Urbe [b] *signatus est. Deinde Amilcar dux Pœnorum cum exercitu in Numidiam, Mauritaniamque missus, postquam hostiliter, cruenterque in universos egit, quod Regulum libenter suscepisse dicerentur, mille argenti talentis, et viginti millibus boum reliquos condemnavit: principes omnium populorum patibulo affixit. Tertio anno, sicut semper indomitus furor cito periculorum obliviscitur,* Servilius Cepio, et Sempronius Blesus coss. cum ducentis sexaginta [c] navibus *in Africam transvecti, universam oram maritimam, quæ circa Syrtes jacet, depopulati sunt, atque in superiora progressi, captis eversisque civitatibus plurimis, ingentem prædam ad classem duxerunt. Iidem cum ad Italiam redirent, circa Palinuri promontorium, quod a Lucanis montibus in altum excurrit, illisi scopulis centum quinquaginta naves onerarias, nobilemque prædam crudeliter acquisitam, infeliciter perdiderunt.* Itaque cum continuæ calamitates Romanis displicerent, decrevit senatus ut a [d] maritimis recederetur, et tantum sexaginta naves ad præsidium Italiæ salvæ essent. *Quod quidem decretum continuo adacti indomita cupiditate ruperunt. Præterea Cotta Consul in Siciliam transgressus, plurimis præliis adversum Pœnos, et Siculos terra marique pugnavit, et per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum inhumatas strages reliquit.* L. Cæcilio Metello, [e] C. Furio Placido consulibus, [f] *Asdrubal dux novus Carthaginensium cum elephantis centum et triginta, equitum peditumque amplius triginta millibus Lilybæum venit ex Africa, et continuo cum Metello Cos. apud Panormum pugnam conseruit. Sed Metellus vim magnam belluarum timens, prius eas magno usus consilio, vel in fugam, vel in mortem egit, et sic facile, quamvis magnam vim hostium superavit. Viginti millia Carthaginensium in eo prælio cæsa sunt, elephanti quoque viginti et sex interfecti sunt: centum quatuor per Numidas errantes, quos in auxilium habebat, cepit, et per Italiam duxit, qui maximum Italicis populis spectaculum præbuerunt. Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atque absens a Pœnis capite damnatus est. Post hæc fessi tot malis Carthaginenses, petendam esse a Romanis pacem, et permutationem captivorum decreverunt. Ad quam rem Atilium Regulum ante ducem Romanorum, quem jam per quinque annos captivum detinebant, inter cæteros legatos sub sacramento præcipue mittendum putaverunt.* Ille Romam cum venisset, inductus in senatum, nihil quasi Romanus egit: dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, esse Romanum desiisse. Itaque et uxorem a complexu suo removit, et senatui persuasit, ne pax cum Pœnis fieret, illos enim fractos tot casibus spem nullam habere, tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se et senem, et paucos qui ex Romanis capti erant, redderent, itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis ut eum Romæ tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis ultra habere non posset. [g] Igitur regressum ad Africam, resecatis palpebris, ut usque ad mortem cruciatu intolerabili, ac dolore vigilaret, atque ut staret semper radium solis intuens, *illigatum in machina* necaverunt. *Alter deinde Atilius Regulus, et Manlius Volso, ambo bis coss. cum classe ducentarum navium et quatuor legionibus Lilybæum profecti sunt, quod oppidum in promontorio situm Romani obsidere conati, superveniente Hannibale, qui Hamilcaris filius fuit, victi, majore exercitus sui parte perdita, ipsi ægre evaserunt. Post hos Claudius cos. cum classe* CCXX *navium ad Drepani portum contra hostem profectus est. Ubi mox exceptus classe Pœnorum, dum contra auspicia dimicasset, statim superatus est. Et ipse quidem cum triginta navibus Lilybæum in castra confugit: reliquæ omnes, hoc est,* LXXX *cum pugnatoribus captæ sunt, cæteræ demersæ: novem millia militum cæsa, viginti millia capta referuntur. C. quoque Junius cos. collega Claudii Pulchri* universam classem naufragio amisit, exercitum tamen salvum habuit, quia vicina littora erant. Anno etiam sequenti classis Punica in Italiam transiit, ejusque

[a] A. pro *infractior*, *infractus*.

[b] Idem pro *signatus est figuratus est*, et omiss. cæt. *Servilius*, etc. Ita pariter in B. et H., omnesque conveniunt cum Eutropio.

[c] A. post *navibus* habet *ad Africam profecti naufragium passi sunt. Itaque*, etc.

[d] A., *maritimis præliis rec.*, etc.

[e] Eutrop., *C. Furio Pacillo*. A. et H., *C. Furio Placido*.

[f] A. Hinc legit *Metellus in Siciliam Afrorum ducem cum* CXXX *elephantis, et magnis copiis venientem superavit* XXM. *hostium, cecidit* VI, *et* XX *elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat collegit, et Romam deduxit ingenti pompa, cum* CXXX *elephantorum numerus itinera omnia compleret. Post hæc mala Carthaginenses Regulum ducem, quem ceperant petiverunt, ut Romam proficisceretur, et pacem a Rom. obtineret, ac permutationem captivorum faceret. Ille*, etc.

[g] A. et H., *Regressus igitur ad Africam, circumcisis palpebris, ut usque ad mortem cruciatu intolerabili ac dolore vigilaret, demum omnibus suppliciis exstinctus est. Post Claudio Pulchro, Gaio Junio coss.* (H. tamen non habet C.) *Claudius contra auspicia pugnavit, et a Carthaginensibus victus est. Nam ex* CCXX *navibus cum* XXX *fugit,* XC *cum pugnatoribus captæ demersæ sunt. Alius quoque Consul naufragio classem amisit, exercitum tamen salvum habuit, quia vicina littora erant. Atque*, etc.

Digitized by Google

plurimas partes longe lateque vastavit. Dum hæc agerentur, apud Judæam pontificatum post Eleazarum suscepit Manasses avunculus ejus. [a] *Interea Lutacius Catulus cum classe trecentarum navium in Siciliam transvertus est, et ibi dum apud supradictam Drepanum civitatem pugna conseritur, dum inter primores pugnat, transfixo femore ægerrime, cum jam obrueretur ereptus est. Porro autem Pœni cum quadringentis navibus magnisque copiis ad Siciliam duce Hannone concurrunt. Nec Lutacius segnior, imo consilia Pœnorum mira celeritate prævenit. Postquam proximæ sibi utrorumque classes apud Ægades insulas contra Lilybæum civitatem Siciliæ per totam noctem, intertextis propemodum anchoris steterunt, orta luce prior Lutacius signum bello dedit. Crudescente pugna victus Hanno navem avertit, et dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam petiit, alii confugere Lylibæum: septuaginta et tres naves Punicæ captæ sunt: centum triginta demersæ: triginta et duo millia hostium capta, cæsa quatuordecim millia fuerunt. Nunquam in mari tantis copiis pugnatum est.* Infinitum auri, et argenti prædæ in potestatem Romanorum redactæ. Ex classe *autem* Romana duodecim naves mersæ. Pugnatum est VI Idus Martii. *Lutacius deinde ad Erycinam civitatem, quam Pœni tenebant, venit: ibique duo millia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Tunc Carthaginenses præcipiti festinatione ad Lutacium cos., ac deinde Romam mittunt, orant pacem, quam illico consequuntur.* Captivi Romanorum, qui tenebantur a Carthaginensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginenses petivere, ut redimi eorum captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus jussit sine pretio eos dari, qui in publica custodia essent: qui autem in privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem redirent, atque id pretium ex fisco magis, quam a Carthaginensibus solveretur. Carthaginenses sane sub hac conditione cum Romanis pacem fecerunt, *ut Sicilia, Sardiniaque decederent,* et per continuos viginti annos eis persolverent puri argenti tria millia talentorum. His diebus Judæorum pontifex Onias Simonis Justi filius clarus habebatur. [b] *Anno ab Urbe condita* 507, *repentina subversio ipsius Romæ prævenit triumphum Romanorum. Neque enim temere dixerim, quam non vel modicam lætitiam Romæ superveniens repente quando gravissimus luctus oppressit. Siquidem Q. Lutacio Catulo, A. Manlio cos. diversa ignium, aquarumque clades pene absumpsere Urbem. Nam Tiberis insolitis auctus imbribus, et ultra opinionem, et diuturnitate, et magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in plano posita delevit. Diversæ qualitates locorum ad unam convenere perniciem: quoniam, et quod segnior redundatio tenuit, madefacta dissolvit: et quæ cursus torrentis invenit, impulsa dejecit. Aquarum gravissimam cladem, gravior ignis secuta vastatio est. Qui ignis (incertum unde surrexit) plurimas civitatis partes pervagatus, cum hominum, domorumque miserabilem stragem fecit, tum etiam tantum opum uno consumpsit incendio, quantum plurimæ et peregrinæ victoriæ conferre non possunt. Dehinc, cum omnia in circuitu fori depopularet, ædem Vestæ corripuit, unde etiam Metellus cum arsuros deos eripit, vix brachio semiustulatus aufugit. T. Sempronio Graccho, C. Valerio Falcone coss.* bellum Faliscis intulerunt. Quæ civitas Italiæ opulenta quondam fuit, quam ambo coss. intra sex dies, quam venerant, transierunt, XV millibus hostium cæsis, pace concessa, agro tamen ex medietate sublato. *Eodem anno etiam Galli Alpini novi Romani extitere hostes, adversus quos sorte varia bellatum est. Nam in primo conflictu Valerio cos. tria millia cecidere Romanorum: secundo* XIV *millia Gallorum cæsa, duo millia capta sunt. Sed ob priorem cladem* [c] *triumphus consuli denegatus est.*

[a] A. Hinc sequitur, *Gaio Lutatio Catulo, Aulo Postumio Allino coss. anno* 12 *belli Punici a Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum* CCC *navibus in Siciliam, Afri contra ipsum* CCCC *naves paraverunt: nunquam in mari tantis copiis pugnatum. Lutatius Catulus navem æger ascendit, vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybæum civitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum. Nam* LXXIII *Carthaginensium naves captæ sunt,* XXV *demersæ,* XXXIIII *hostium capta,* XIII *occisa, infinitum auri, argenti, prædæ in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Rom.* XII *naves submersæ. Pugnatum est* VI *id. Mart. Statimque Carthaginenses petiverunt, tributaque est his pax. Captivi,* etc. H. concordat cum Ambrosiano, et uterque cum Eutropio, ut notavit Canisius, præterquam in numero navium demersarum et hostium occisorum.

[b] A. et H., *post habebatur. Tunc etiam Q. Ennius poeta Tarenti nascitur; qui post Romæ docuit, contentus unius ancillæ ministerio. Q. Luctatius, A. Mallius coss. creati sunt, bellum Faliscis intulerunt (quæ civitas Italiæ opulenta quondam fuit) quod ambo consules intra sex dies, quam venerant transegerunt,* XVII *hostium cæsis, cæteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.* Quibus verbis etiam finit Eutrop. lib. II.

[c] In edit. Canis. vitiose, *triumphans.*

# LIBER TERTIUS.

Finito igitur Punico bello, [a] quod *viginti tres* annos tractum est, jam Romani clarissima gloria noti, *L. Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco coss.* legatos ad Ptolomæum regem Ægypti miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat. Ille Romanis gratias egit, auxilia non accepit: jam enim fuerat illa pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliæ Hiero Romam venit ad

[a] A. et H., *quod per* XXII *annos transactum est, Romani jam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolomæum,* etc. Eutropius etiam habet annos XXII.

Digitized by Google

... et ducenta millia modiorum tritici populo A dono [a] dedit. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo coss. Sardinia rebellavit auctoribus Pœnis: unde mox Sardi subacti, et oppressi sunt: Carthaginensibus autem violatoribus pacis, quam ipsi poposcissent, inferri bellum decretum est. E contra Carthaginenses pacem suppliciter poposcere: et cum bis missis legatis nihil profecissent, post etiam eorum decem principibus bis æque supplicantibus nil impetrarent, novissime Hannonis minimi hominis inter legatos oratione meruerunt. Hoc anno porta Jani Gemini clausa est, quia nusquam eo anno bellum erat: quod sub Numa Pompilio rege provenerat. Anno ab Urbe condita 517, Amilcar dux Carthaginensium ab Hispanis in bello, cum aliud bellum adversum Ro. clam pararet, occisus est. L. Postumius Albinius, Cn. Fulvius Centimalus coss. bellum B contra Illyricos sequenti [b] gesserunt anno, eo quod legati Romanorum ab Illyriis interfecti sunt. Post cum ipsis Illyriis atrocissimum bellum gestum est, in quo multis oppidis, oppidulisque deletis, reliqui se Fulvio, Postumioque coss. dediderunt: ac tum primum ex Illyriis triumphatum est. Tertio deinceps anno miseram civitatem sacrilegis sacrificiis male petentes funestavere Pontifices. Nam decemviri consuetudinem priscæ superstitionis egressi, Gallum virum, et Gallam feminam, cum muliere simul Græca, in foro Boario vivos defoderunt. Sed obligamentum hoc magicum in contrarium continuo versum est. Namque diras illas, quas fecerant externorum mortes, fœdissimis suorum cædibus expiavere. Siquidem L. Æmilio Paulo, C. Attilio Regulo coss. magna formidine consternatus est senatus C defectione Cisalpinæ Galliæ, cum etiam ex ulteriore Gallia ingens adventare exercitus nuntiaretur, maxime Gesatorum, quod nomen non gentis, sed mercenariorum Gallorum est. Itaque permoti coss. totius Italiæ ad præsidium imperii contraxere vires. Quo facto, in utriusque cos. exercitu octingenta millia armatorum fuisse feruntur, sicut Fabius historicus, qui huic bello interfuit, scripsit. Ex quibus Romanorum et Campanorum fuerunt peditum CCCXLVIII millia ducenti: equitum vero viginti sex millia sexcenti: cætera multitudo sociorum fuit. Commisso prælio apud Aretium Attilius cos. occisus est. Octingenta millia Romanorum, nec saltem tanta, quanta eos terrere debuit, cæsa sui parte, fugerunt. Nam tria millia eorum tunc interfecta historici tradunt. Quod ideo ignominiosius turpiusque est, tam paucis amissis tanta agmina diffugisse, quod se in aliis victoriis non viribus animorum pervaluisse, sed bellorum proventibus prodiderunt. Quisnam enim, rogo, in exercitu Romanorum crederet numerum istum fuisse saltem, non dico fugisse? Post hæc secundum cum Gallis prælium gestum est, in quo plane XL millia Gallorum trucidata sunt, et triumphus Æmilio decretus est. Gallorum quidem animi feroces, corpora plusquam humana erant: sed experimento deprehensum est, quod virtus eorum, sicut primo impetu major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum. Alpina enim corpora humecto cœlo educata habent quiddam simile nivibus suis: cum mox calore exarserint pugnæ, statim in sudorem eunt, et levi motu quasi sole laxantur. Hi Brittomaro duce non prius posituros se baltea juraverunt, quam Capitolium Romæ [c] ascendissent. Quod et factum est. Nam victos eos Æmilius in Capitolio discinxit. Et quia dux eorum de Romano milite Marti suo torquem auream devotasset, de ipsius [d] Ariobistonis, reliquorumque Gallorum torquibus aureum trophæum Jovi erexit [e]. Sequenti anno Manlius Torquatus et Fulvius Flaccus coss. contra Ligures primum trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum est ibi cum Insubribus Gallis, quorum interfecta sunt viginti tria m.; quinque millia capta sunt. Eo deinde anno, qui huic proximus fuit, dira Urbem terruere prodigia. Namque in Piceno flumine sanguis effluxit: apud Faliscos cœlum visum est ardere: et Arimini noctem multa luce claram effulsisse: ac tres lunas distantibus cœli regionibus exortas apparuisse: et Romæ Cn. Domitii bos locutus est, dicens: Cave tibi, Roma. Carnes etiam e cœlo lapsæ sunt, quarum pars ab avibus intercepta est, pars incorrupta diu jacuit. Tunc quoque magno terræ motu Caria et Rhodus insulæ adeo concussæ sunt, ut labentibus vulgo tectis ingens quoque ille colossus rueret. Eodem anno Flaminius cos. contemptis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, adversus Gallos conflixit, et vicit. In quo bello novem millia Gallorum cæsa, septem et decem millia capta sunt. Post hoc M. Claudius Marcellus, Cn. Cornelius Scipio, contra Gallos pugnaverunt. Marcellus cos. deinde

D

[a] A. pro *dedit*, *exhibuit. Hinc Lucio Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco coss., quibus misero Romam venerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum gestum est. Nam iidem coss. primi trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum est ibi cum Insubribus et Liguribus, quorum interfecta sunt viginti tria millia, quinque millia capta, et de his triumphatum est. Sequenti anno in Piceno flumine sanguis effluxit, et apud Tuscos cœlum ardere visum est, et Arimini nocte multa luce fulgente tres simul lunæ apparuerunt. Carthaginenses tamen bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen Romam legatio Carthaginensium, et pacem impetravit T. Mallio Torquato, Caio Attilio vulgo coss. de Sardis triumphatum est, et pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt: quod his post Romam conditam semel tantum Numa Pompilio rege contigerat. L. P.*

H. concordat cum Ambros. paucis exceptis, nam pro COM habet CC *etiam contra Ligures*, legit *etiam Ligures. In Piceno flumine; in Piceno flumen*, etc.

[b] A., *et multis civitatibus captis etiam reges in deditionem acceperunt: ac tum primum de his triumphatum est. Æmilio cos. ingentes Gallorum copiæ Alpes transierunt, traduntque est a Fabio historico, qui eo bello interfuit* DCCM. *hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per cos. tantum prospere gesta* XLM, etc. H. pro DCCM habet LXXM in cæteris cum nostro.

[c] A. et H., *incendissent*.

[d] A., *Aurio bistonis*.

[e] A continuat: *Aliquot deinde annis post contra Gallos in Italia pugnatum est. Finitoque bello M. Claudio Marcello Cn. Corn. Scipione coss. Marcellus, deinde cum impru.* etc. H., *pugnatum est, finitumque bello.*

cum imprudens in manus Gallorum incidisset, omniaque infesta vidisset, nec evadere posset, in medium hostium irrupit. Quibus inopinata audacia perculsis, regem quoque eorum [a] *Virdomarium* nomine occidit. *Atque ubi spes salutis vix fuerat, inde opima detulit spolia. Postea cum collega ingentes copias Gallorum peremit, et inter multa Insubrium, quos ad deditionem coegerat,* oppida, Mediolanum quoque urbem florentissimam expugnavit, et cepit. Grandem prædam Romam pertulit, ac triumphans Marcellus spolia [b] Gallici *regis* stipiti imposita humeris suis vexit. Minutio Rufo, P. Cornelio coss. Histris bellum illatum est, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant, ac multo Romanorum sanguine fuso perdomiti sunt. Hac tempestate Judæorum pontifex Simon Oniæ filius exstitit. [c] *Emergit hic paululum antiquus ille Romanorum improbæ laudis etiam de præsumptis parricidiis appetitus. Nam Fabius Censorius Fabium Buteonem filium suum furti insimulatum interfecit: dignum scilicet facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret, quod ne leges quidem insimulatum pecuniæ, aut summi exsilii circa quemlibet hominum scelus censuerunt.*

*Anno ab urbe condita* 534 bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Annibalem Carthaginensium ducem, qui jamdudum Hamilcari patri ad aras juraverat, cum adhuc novem esset annorum, se, ut primum posset, adversum Romanos pugnaturum: *qui idem tamen hoc somnium præviderat: juvenem humana forma augustiorem, qui se hortaretur in excidium Italiæ, auctore Jove, secuturum. Deinde post tergum respiciens, intueri sibi visus est serpentem vastum cuncta populantem, audire etiam cœli fragorem, necnon et nimbos cum maligna luce cœli visere: interrogavitque juvenem præeuntem quid subsequatur? Ille ad hæc: Vides, inquit, excidium Italiæ, cætera permitte fatis.* Annibal ergo Saguntum florentissimam Hispaniæ civitatem Romanis amicam oppugnare aggressus est, annum ætatis agens [d] vicesimum. Huic Romani per legatos denuntiavere, uti bello abstineret. [e] *Is Legatos Romanorum ad se missos injuriosissime a conspectu suo etiam abstinuit.* Romani etiam Carthaginem miserunt, ut mandaretur Annibali, ne bellum contra socios Romani populi gereret. Dura responsa a Carthaginensibus data sunt. Saguntini interea fame victi sunt, *et octavo demum mense* capti ab Annibale ultimis pœnis afficiuntur. Quibus hoc ante portenderat triste prodigium. Nam cum pene mulier enixa esset, in uterum regressus infans civitatis excidium significavit. Hujus tantæ cladis Annibal auctor poscitur. Tergiversantibus Pœnis, dux legationis Fabius: Quæ, inquit, mora est? In hoc ego sinu bellum, pacemque porto, utrum eligitis? Succlamantibus: Bellum. Igitur, inquit, accipite. Et excusso in media Curia togæ gremio, non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu profectus est in Hispaniam, Tib. Sempronius in [f] Siciliam. Annibal, relicto in Hispania fratre Asdrubale, Pyrenæos *montes* transivit [g], *inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, et nono post demum die a Pyrenæo ad Alpes pervenit. Ubi dum montanos Gallos repellere eum ab ascensu obnitentes bello superat atque invias rupes igni, aceto, ferroque rescindit, quatriduum commoratus, quinto demum die cum maximo labore ad plana pervenit.* Traditur ad Italiam *cum centum millibus peditum et* XX *millibus equitum*, XXXVII simul elephantos adduxisse. Interea multi Ligures et Galli Annibali se junxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Annibalis adventu, ex Sicilia exercitum Ariminum trajecit. P. Cornelius Scipio Annibali apud Ticinum primus occurrit, commissoque prælio, fugatis suis, et pene omnibus exstinctis, ipse a filio Scipione *admodum prætextato, qui post Africanus cognominatus est, qui vix egressus pueritiam fuerat, ab ipsa morte* liberatus *est:* saucius tamen in castra rediit. Pugnatum est deinde eodem Cos. ad Trebiam fluvium, iterumque Romani *pari clade* superati sunt. Sempronius Gracchus et ipse apud eumdem amnem cum Annibale conflixit, amissoque exercitu pene solus evasit. In eo tamen bello etiam Annibal sauciatus est. Tunc se Annibali multi Itali dedere: qui posteaquam in Etruriam [h] *primo* transiret, in summo Apennino tempestate correptus biduo mansit, et continuo immobiliter nivibus cum exercitu conclusus est. Ubi magnus hominum numerus, jumenta quam plurima, elephanti pene omnes frigore perierunt. Diris tunc etiam Romani prodigiis territi sunt. Nam et solis orbis minui visus est, et apud Arpos [i] *parmæ* in cœlo visæ. Sol quoque pugnasse cum Luna. Apud Capenas *interdiu duas* [j] *lunas ortas. Imbre saxatili Picena regio verberata. In Gallia iisdem temporibus lupus e vagina gladium sustulit vigili.* In Sardinia sanguinem duo scuta sudarunt. Faliscis scindi cœlum *velut magno hiatu* visum est. Apud Antium quoque metentibus messoribus cruentas spicas in corbem decidisse visum est, *et pluviæ deciderunt cruentæ.* Igitur Annibal ad Thusciam [k] veniens, *sciens Flaminium Cos. solum in castris esse, quo celerius imparatum obrueret, primo vere progressus arripuit propiorem, sed palustrem viam: et tum forte Sarnus fluvius luto redun-*

[a] A. et H., *Vitrodomarum*.
[b] A., *Galli Stipici*. H. *Galli Stipiti*.
[c] Hinc A. et H., *Eodem anno bellum Punic.*, etc.
[d] A. et H. post *vicesimum*, habent *copiis congregatis* CLM. *Huic*, etc.
[e] Ambo, *Hic legatos admittere noluit. Rom.*
[f] Post *Siciliam* uterque habet *bellum Carthaginensibus indictum est. Annibal*, etc.
[g] Iidem post *transivit: Alpes adhuc tum ea parte invias sibi patefecit. Traditur ad Italiam* LXXXII *peditum*, XII *equitum*, *septem et trig.*, etc.
[h] A., *primo vere*.
[i] A. et H., *palmæ*.
[j] Utrique *duæ lunæ ortæ sunt. In Sard.*, etc.
[k] Post *veniens* leg. in A. et H., *Flaminio Cos. occurrit, ipsum Flaminium interemit, Romanorum* XXVII *cæsa sunt, cæteri diffugerunt. Missus*, etc.

Digitized by Google

dens, pendulos et dissolutos campos reliquerat, de quibus dictum est:

Et quæ rigat æquora Sarnus.

*In quos cum exercitu progressus Annibal, nebulis maxime, quæ de palude exhalabantur, prospectum auferentibus, magnam partem sociorum, jumentorumque perdidit. Ipse autem uni elephanto, qui solus superfuerat, supersidens, vix difficultatem evasit. Sed oculum quo jamdudum in Alpib. æger erat violentia frigoris, vigiliarumque ac laboris amisit. Ubi vero proximus castris Flaminii consulis fuit, vastatione circumjacentium locorum Flaminium in bellum excitavit. Hæc pugna ad Trasumenum lacum facta est, ubi exercitus Romanus infelicissima arte Annibalis circumventus, funditus trucidatus est: ipse quoque Cos. occisus, viginti quinque millia Romanorum in eo prælio cæsa sunt, sex millia capta referuntur, et cæteri diffugerunt. De exercitu Annibalis duo millia ceciderunt, tanta clade Romana: maxime cum ita ad pugnandum intentus ardor exstiterit, ut gravissimum terræ motum, qui tunc forte tam vehemens factus est, ut urbes diruisse, montes transtulisse, discidisse rupes, et flumina retrorsum coegisse referatur, pugnantes omnino non senserint. Quo quidam miles Romanus ita vulneratus est, ut uti manibus non valeret, cui cum quidam Numida detrahere spolia vellet, cervicem hostis invasit ulnis, eique nares atque aures morsu detruncavit.* Interea missus adversus Annibalem postea a Romanis Q. Fabius Maximus, is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit. Nam per summa montium juga, et abditos nemorum saltus castra ponens, Annibalis fervorem [a] elusit. *Cumque in prælium eum evocare Annibal non posset, vastatis agris Italiæ, Maximi cunctatoris villæ pepercit, ut vel sic proditionis suspicionem Romanis de eo afferret. Sed bene nota Fabii fides calliditatem Annibalis irritam dedit Romanis. Interea Maximus, inventa occasione, pugnavit et vicit.* Victus quoque Annibal, fertur de Fabio dixisse suis ita: Nunquid non dixi vobis, quod montana hæc nubes maxima nos in campo vi tempestatis obrueret? Anno ab Urbe condita 540, L. Æmilius Paulus P. Terentius Varro Coss. contra Annibalem mittuntur, Fabioque succedunt. Qui Fabius ambos consules monuit, ut Annibalem callidum et impatientem ducem non aliter vincerent quam prælium differendo. Verum cum impatientia *rerum* Varronis consulis, contradicente altero consule, id est Æmilio Paulo, apud vicum, qui Cannæ appellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo Coss. ab Annibale vincuntur. Nam cum comperisset Annibal [b] *Aufidum* amnem ingentes auras proflare mane, quæ arenarum et pulveris vertices agerent, sic direxit aciem, ut tota vis a tergo suis, Romanis in ora et oculos incideret. Eaque de causa Romanorum exercitum stravit. *Nam in ea* [c] *pugna quadraginta quatuor millia Romanorum interfecta sunt. De exercitu vero Annibalis tria millia cæsa sunt, et magna pars sauciata.* Nullo tamen Punico bello Romani adeo ad extrema internecionis adducti sunt. Periit in eo Cos. Æmilius Paulus: qui dum saucius in quodam saxo resedisset, offerente ei Lentulo equum, quo fugeret, ut cladi superesset, noluit: atque ibi persedit donec ab hostibus peremptus est. Perierunt autem ibi consulares, aut prætorii viginti, senatores capti, aut occisi triginta, [d] nobiliores viri trecenti, *pedestrium* militum quadraginta millia, equitum tria millia quingenti. Varro Cos. cum quinquaginta equitibus [e] Venusium fugit. Nec dubium est ultimum illum diem Romani status futurum fuisse, si Annibal mox ad pervadendam Urbem contendisset. *Sed sic successu belli elatus est, ut neminem civium suorum in castra sua admitteret, sed responsa eis per interpretes daret. Macharbalem quoque Lacedæmonium, et ipsum sæpe contempserat, qui ei creberrime pollicebatur brevi se in Capitolio cœnaturum, si dispositio sua omnimodis audiretur.* Interea Varro Romam rediit, gratiæque ei a Senatu et populo actæ sunt, quod Remp. non [f] desperaret. Non autem vitæ cupiditate, sed Reip. amore se superfuisse, reliquo ætatis suæ tempore approbavit. Nam barbam, capillumque submisit, et postea nunquam recubans cibum cepit. Honores quoque, cum ei a populo deferrentur, renuntiavit, dicens: felicioribus magistratibus Reip. [g] opus esse. Annibal *igitur* Romanis obtulit, ut captivos redimerent: responsumque est ei a Senatu, eos cives non necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit. *Idem quibusdam ima pedum amputavit, alios in castris binos inter seipsos dimicare compulit, maxime fratres aut consanguineos: nec prius spectaculum finiebatur, quam unus cædibus superfuisset, sed et ipse jugulandus, et pro testimonio victoriæ suæ* tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum, senatorumque et militum detraxerat. *Usque adeo autem ultima desperatio Reip. apud residuos Romanos fuit, ut senatores de relinquenda Italia, sedibusque quærendis consilium ineundum putarent. Quod auctore Cæcilio Metello confirmatum fuisset, nisi Cornelius Scipio tribunus tunc militum, idem qui post Africanus est dictus, districto gladio, deterruisset, singulis mortem inferre minitans: ac potius pro patriæ defensione in sua verba omnes jurare coegit. Romani vero ad spem vitæ, quasi ab inferis respirare ausi, dictatorem Decium Junium creant, qui, delectu habito, ab annis decem et septem immaturæ inordinatæque militiæ quatuor legiones undecunque contraxit. Tunc etiam servos spectati roboris ac voluntatis, vel oblatos, vel, si ita*

[a] A. et H., post *elusit*, *moxque inventa occasione vicit. Victus*, etc.

[b] A., *Fidem.*

[c] A. et H. inde continuant. *In ea pugna tria millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Annibalis sauciatur. Nullo tamen*, etc. H., *Nulla.*

[d] H., *nobiles viri* CCC, *militum* XLM.

[e] A., *Venesum.*

[f] A. et H., *desperasset*, et mox, pro *honores*, *honoribus.*

[g] A. et H., post *opus esse*, legunt: *In omnibus his tamen malis nemo Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Servis, quod nunquam ante, manumissis, et milites factis. Post eam pugnam multæ Italiæ civitates, quæ Rom. paruerunt, se ad Annib. transtulerunt: Annib. Rom.*, etc.

Digitized by Google

is fuit, publico pretio emptos, sub titulo libertatis cramento militiæ adegit. Arma quæ deerant, templis detraxerunt, egenti ærario privatæ opes refusæ sunt. Itaque equester ordo, ita plebs trepida, oblita studiorum, in commune consuluit. Junius quoque dictator antiquum Romanæ miseriæ factum recolens, pro supplemento exercitus, edicto velut asylo patefacto, homines, quicunque sceleribus ac debitis obnoxii essent, impunitate promissa, militiæ mancipavit, quorum numerus ad sex M. virorum fuit. Campania vero, vel potius omnis Italia ad Annibalem, desperata penitus Romani status reparatione, defecit. Post hoc L. Postumius prætor adversum Gallos pugnare missus, cum exercitu cæsus est. Deinde Sempronio Graccho, Q. Fabio Max. coss. Claudius Marcellus ex prætore proconsul designatus, Annibalis exercitum prælio fudit primus. Qui post tantas Reip. ruinas, spem fecit Annibalem posse superari. Interea in Hispania, ubi Asdrubal frater Annibalis remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subjiceret, a duobus germanis Scipionibus Romanis ducibus vincitur. Perdit in ea pugna triginta quinque M. hominum, ex his capiuntur decem millia, occiduntur XXV millia. Mittuntur ei a Carthaginensibus ad reparandas vires *copiarum* [a] XXII millia peditum, et IV M equitum, elephanti XX. *Celtiberos milites, quam primam externam manum Romani in castris habere cœperunt, pretio sollicitatos, ab hostium societate in sua castra duxerunt. Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Lucano quodam in insidias inductus occisus est.* [b] Centenius Penula centurio sibi ultro bellum adversus Annibalem petiit. A quo cum octo millibus militum, quos in aciem deduxerat, cæsus est. Post hæc Cn. Fulvius prætor ab Annibale victus, amisso exercitu, vix evasit. [c] Annibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, Brutiamque occupavit. Quo tempore etiam rex Macedoniæ Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos, sub hac conditione, ut, deletis Romanis, ipse quoque contra Græcos ab Annibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, et re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Levinum ire jusserunt, T. Manlium Torquatum proconsulem in Sardiniam. Nam etiam ea sollicitata ab Annibale Romanos deseruerat. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Annibalem, in Hispania contra fratrem ejus Asdrubalem, in Macedonia contra Philippum, in Sardania contra Sardos, et alterum Asdrubalem Carthag. Is a T. Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus captus est, occisa cum eo XII millia, capti mille quingenti; et *sic* a Romanis Sardinia subacta est. Manlius victor Asdrubalem,

A et captivos Romam reportavit. Interea etiam Philippus a Levino in Macedonia vincitur, et in Hispania a Scipionib. Asdrubal, et Mago tertius frater Annibalis. *Pudet recordationis. Quid enim dicam? improbitatem magis, an miseriam Romanorum? imo verius vel improbam miseriam, vel miseram improbitatem. Quis credat eo tempore, quo ærarium populi Romani egenam stipem privata collatione poscebat, miles in castris nonnisi aut puer, aut servus, aut sceleratus, aut debitor, ne sic quidem numero idoneus erat, senatus in curia omnis novitius pene videbatur, postremo cum ita imminutis fractisque omnibus rebus desperabatur, ut consilium de relinquenda Italia subiretur, eo tempore cum unum domesticum, ut diximus, bellum ferri nullo modo posset, insuper tria bella transmarina* B *fuisse suscepta, unum in Macedonia contra Philippum potentissimum Macedoniæ regem, alterum in Hispania contra Asdrubalem Annibalis fratrem, tertium in Sardinia contra Sardos et alterum Asdrubalem Carthaginensium ducem, extra hoc quartum Annibalis, quo in Italia premebantur? Et tamen fortis in alterutrum desperatio in meliora profecit. Nam in his omnibus desperando pugnarunt, pugnando vicerunt. Ex quo evidenter ostenditur non tempora tunc fuisse tranquilliora otiis, sed homines miseri fortiores. Anno ab Urbe condita 543, Claudius Marcellus Syracusam opulentissimam Urbem Siciliæ secunda oppugnatione vix cepit. Quam cum jampridem obsedisset, Archimedis Syracusani civis, mirabili ingenio præditi, machinis repulsus expugnare non potuit.* Decimo anno postquam C Annibal in Italiam venerat, Cn. [d] Fulvio, P. Sulpitio coss., Annibal de Campania movit exercitum, et cum ingenti clade omnium per Sedecinum, Suessanumque agrum via [e] Latina *profectus, ad Anienem fluvium tribus millibus ab Urbe consedit, incredibili totius civitatis metu, cum, senatu populoque diversis curis trepido, matronæ quoque amentes pavore, per propugnacula currerent, et convehere in muros saxa, primæque pro muris pugnare gestirent. Ipse autem cum expeditis equitibus usque ad portam Collinam infestus accessit, deinde omnes copias in aciem direxit. Sed et coss., Fulviusque procos. non detrectavere pugnam. At ubi expositæ utrinque acies constiterunt in conspectu Romæ, præmium victoriæ futuræ,* D *tantus imber se subito e nubibus grandine mistus effudit, ut turbata agmina vix armis retentis in sua se castra colligerent. Deinde cum, serenitate reddita, in campum copiæ atque in aciem rediissent, rursus violentior fusa tempestas, majore mortalium metu, audaciam coercuit, territosque exercitus refugere in tentoria coegit. Tunc conversus* [f] *in religionem Annibal dixisse fertur: Potiundæ sibi Romæ, modo volunta-*

[a] A. H., et E., XIIM.

[b] H., *Centurius Penula cent. decerni sibi ultro bellum.* A., *Centerius*, etc.

[c] Hinc cætera desiderantur in Ms. H. usque ad illa verba *dimisit Hispanos*. A. vero sequitur: *Anno 4, postquam ad Italiam Annibal venit Gn. Ful. proconsulem, XI præterea tribunos, et XVIII M militum interfecit. Marcellus consul cum Annibale apud Nolam triduum continuum dimicavit. Primo die pari pugna discessum est, sequenti victus consul, tertio victor VIII M hostium interfecit, ipsum Annibalem cum reliquis fugere in castra compulit. Annibal*, etc.

[d] A., *Fulvio Sulpicio, Cneo Fulvio coss.*

[e] A., post *Latina* legit: *Ad IV milliarium Urbis accessit, equites ejus usque ad portam; mox consulum cum exercitu venientium metu Annibal ad Campaniam se recepit. In Hispania a fratre*, etc.

[f] A., in *regionem*.

Digitized by Google

*tem non dari, modo vero deesse potestatem.* At vero in Hispania a fratre [a] Asdrubale ambo Scipiones fratres, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur, exercitus tamen integer mansit. Casu enim magis erant quam virtute decepti. *In Campania Capua capta est a Q. Fulvio proconsule. Principes Campanorum veneno sibi mortem consciverant. Senatum omnem Capuæ, etiam prohibente senatu Romano, Fulvius suppliciis necavit. Duæ autem feminæ e Campanis partib., id est Vescia Oppia materfamilias, et Clivia* [b] *Facula meretrix, benignæ fuere pro statu Romano. Quippe una pro salute populi Romani semper deos precata est, altera militibus Romanis captivis alimenta præbuit. Pro quibus meritis, et libertatem in excidio Capuæ, et rem propriam retentarunt, et optandi præmii privilegia assecutæ sunt.* Quo tempore etiam cos. Marcello Siciliæ magna pars capta est, quam tenere Afri cœperant, et nobilissima, *ut dixi*, urbs Syracusana. Præda vero ingens Romam perlata est. Levinus in Macedonia cum Philippo, et multis Græciæ populis, et rege Asiæ Attalo amicitiam fecit, et ad Siciliam profectus est. *In qua* Hannonem quemdam Afrorum ducem apud Agrigentum civitatem cum ipso oppido cepit, eumque Romam cum captivis nobilissimis misit: quadraginta civitates in deditionem accepit, viginti sex expugnavit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, ingenti gloria Romam regressus est. Annibal *itaque* in Italia Cn. Fulvium cos. subito aggressus, cum IX millibus hominum interfecit. Interea, interfectis in Hispania duobus [c] Scipionibus *fratribus, et omnibus incusso pavore cunctantibus, Scipio se admodum adolescens ultro obtulit, et cum in ærario penuria esset pecuniæ, Claudio Marcello, et Valerio Levino auctoribus, qui tum coss. erant, aurum, et argentum signatum ad Quæstores palam omnes senatores in publicum contulerunt, ita ut nihil præter annulos, bullasque, sibi, et filiis, ac deinde per filias, uxoresque suas singulas tantum auri uncias et argenti non amplius quam singulas libras relinquerent. Scipio* annos natus viginti quatuor, vir Roma-

A norum omnium et sua ætate, et posteriore fere primus. Iste *est ille qui*, dum senatores ob metum Annibalis, *ut dixi*, Italiam relinquere [d] deliberarent, districto gladio id fieri vetuit. *Is imperium in Hispania proconsulare sortitus, ultionem præcipue patris et patrui animo intendens, Pyrenæum transgressus, primo impetu Carthaginem novam Hispaniæ cepit, ubi stipendia maxima, præsidia valida, copiæ auri argentique magnæ Pœnorum habebantur, et nobilissimi obsides, quos ab Hispanis acceperant. Ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum cum cæteris Romam misit.* Romæ ingens lætitia post hoc fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. Denique dum quædam adulto flore virgo pulcherrima ab eo comprehensa fuisset, eam paterna pietate servavit, con-
B cedens parentibus ut eam redimerent. Ad se etiam puellæ sponsum nobilissimi generis virum venire persuadens, ei ipsam quasi pius in matrimonio genitor tradidit, dotisque nomine puellæ pretium, quod a parentibus ejus acceperat, condonavit. Pro quibus factis maxime annitente puellæ sponso, ejusque parentibus omnes fere Hispaniæ ad eum transierunt. Post quæ Asdrubalem fratrem Annibalis victum fugat, et prædam maximam capit. [e] *Præterea octoginta civitates, aut deditione, aut bello, in potestatem redegit, Afrisque sub corona venditis, sine pretio dimisit Hispanos.* [f] *Annibal in Italia Cn. Fulvium procos., undecim præterea tribunos, et XVII millia hominum interfecit, Marcellus cos. cum Annibale apud Nolam tri-*
C *duo continuo dimicavit, primo die pari pugna discessum est, sequenti victus cos., tertio victor octo millia hostium interfecit. Ipsum Annibalem cum reliquis fugere* [g] *in castra compulit.* [h] *Interea cos.* Q. Fabius Maximus Tarentum, *quod a Romanis desciverat, iterum expugnavit, et cepit, ibique ingentes copias Annibalis cum ipso duce ejus Carthalone delevit,* [i] triginta millia hominum captivorum vendidit, prædam militibus dispertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multæ civitates, quæ ad Annibalem transierant, rursus se Fabio Maximo [j] subdide-

[a] A., *Asdrubalis.*

[b] Al., *Falcula.*

[c] A.: *Interea ad Hispanias, ubi occisis duobus Scipionibus Mallius Rom. dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, fil. P. Scipionis, qui ibidem bellum gesserat annos natus*, etc.

[d] A.: *Deliberarent, cum Trib. militum esset, districto*, etc. Idem post: *Vetuit, primusque jurans ut patriæ defensor existeret, universos similiter jurare coegit, Romanosque ad spem vitæ, quasi ab inferis, reduxit. Is Carthaginem Hispaniæ capit, in qua omne aurum, argentum, et belli apparatum Afri habebant. Nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperant, Magonem etiam fratrem Annibalis ibidem capit, quem Romam cum aliis mittit. Rom.*, etc.

[e] Hinc sequitur A.: *Interea in Italia cos. Pub. Fabius Max. Tarentum recepit, in qua ingentes copiæ Annibalis erant, et ibi etiam ducem Carthalonem occidit. Trig.*, etc.

[f] H.: *Anno 4 postquam ad Italiam Annibal venit, Cn. Fulvium*, etc.

[g] Hersfeldensis habet *in castra compulit. Annibal multas civitates Rom. per Apuliam*, etc., quæ ad verbum conveniunt cum Eutrop. Merulæ f. 31, usque f.
D 33, *parentibus reddidit*, nisi quod ubi legit Eut. *P. Sulpitio Cn. Ful. consulibus Annibal usque ad IV milliarium Urbis.* Ms. H. copiosius ita habet: *Cn. Ful. coss. Annibal de Camp. movit exercitum, et cum ingenti clade omnium, Parsedecinum, Suessanumque agrum via Latina usque ad IV milliarium Urbis accessit, equites ejus usque ad portam*, etc. Et paulo post Eut., f. 33, legit: *Posteriori tempore fere primus. Is Carth. Hisp. capit, in qua omne aurum, etc.*, et hic Ms. H. copiosior est, et ita legit: *fere.* 1. *Iste etenim, dum senatores ob metum Annibalis Italiam relinquere deliberarent, cum tribunus mil. esset, districto gladio id fieri vetuit; primusque jurans ut patriæ defensor existeret, universos similiter jurare coegit, Romanosque ad spem vitæ quasi ab inferis reduxit. Is Carthag. Hispaniæ capit, in qua omne aurum*, etc.

[h] H., *Interea in Ital. cos.*, etc., a quibus verbis Ms. ad verbum cum Eutropio convenit usque *strenue pugnans occisus est*, nisi quod ubi Eutropius, fol. 34, *apud Senam Piceni civitatem*, Ms. legit cum Miscella *apud Metaurum fluvium.*

[i] A., XXXV.

[j] *Subdiderunt.* A., *dediderunt*, et omiss. cæt. le-

Digitized by Google

runt. *Annibal utrumque consulem Marcellum et Crispinum insidiis circumventos cum exercitu interfecit. Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus fuerat, rursum res inclitas gessit. Regem Hispanorum magno prælio victum in amicitiam accepit, et primus omnium a victo hoste obsides non poposcit. Deinde* desperans Annibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri, fratrem suum Asdrubalem *ad Italiam* cum omnibus copiis evocavit. [a] *Is Ap. Claudio Nerone, et M. Livio Salinatore coss. ex Hispaniis per Gallias ad Italiam veniens, magna secum auxilia Hispanorum Gallorumque sumpta deduxit. Et cum maturato adventu descendisse jam ex Alpib. consulib. proditus fuisset, ab exercitu Romano, ignorante Annibale,* apud Metaurum fluvium in insidias compositas incidit, strenue tamen pugnans [b] occisus est. *Diu quidem incertus belli eventus, elephantis maxime Romanam infestantibus aciem: qui a militibus Romanis, quos a velitando velites vocant, quod genus militiæ paulo ante repertum fuerat, ut lecti agilitate juvenes cum armis suis post terga equitum sederent, et mox cum ad hostem ventum esset, equis desilirent, et continuo pedites ipsi, ex alia parte equitibus, per quos advecti fuerant, dimicantibus, hostem proturbarent. Ab his ergo velitibus elephanti retro acti, cum regi jam a suis non possent, ferro fabrili, id est, scalpro inter aures adacto necabantur, id genus occidendæ, cum opus esset, belluæ idem dux Asdrubal primus invenerat. Fuit hoc prælium penes Metaurum fluvium, ubi Asdrubal victus est, ut Trasumenus lacus, ubi exercitus Romanus, ut Cesena Piceni civitas, ut vicus ille Cannensis. Nam quinquaginta et novem millia de exercitu Asdrubalis ibi grandi strage occisa sunt. Capta quinque millia quadringenti. Quatuor autem millia civium Romanorum inter eos reperta, atque revocata sunt, quod victoribus consulibus solatio fuit. Nam, et de exercitu eorum* [c] *octo millia ceciderunt.* Magnum pondus auri atque argenti Romam relatum est. *Annibali caput fratris sui Asdrubalis ante castra projectum est. Quo viso, et simul clade Pœnorum cognita,* anno tertiodecimo, quam in Italiam venerat, refugit *in* [d] *Brutios. Post hæc anno continuo inter Annibalem et Romanos quies a tumultu bellorum intercessisse visa est, quia inquietudo morborum in castris erat, et gravissima pestilentia uterque exercitus agebatur.* Post hæc Annibal diffidere jam de belli cœpit eventu, Romanis autem ingens animus accessit. Itaque et ipsi evocaverunt ex Hispania P. Cornelium [e] Scipionem, *qui jam universam Hispaniam a Pyrenæo, usque Oceanum in provinciæ formam redegerat. Igitur* Romam cum ingenti gloria venit. Per idem tempus Jerosolymis pontifex Max. Onias filius Simonis fuit. Q. Cæcilio, L. Valerio coss. omnes civitates quæ in Brutiis ab Annibale tenebantur, Romanis se tradiderunt. Anno 14, posteaquam in Italiam Annibal venerat, Scipio, qui multa bene in Hispania egerat, cos. [f] *cum Licinio Crasso creatus, et in Africam missus est*: cui viro divinum quiddam inesse existimabatur, adeo ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. *Et revera, neque publica, neque privata negotia prius unquam attigit, quam in cella Jovis Capitolini diutissime moraretur antequam videretur a quoquam.* Is in Africa contra Hannonem Hamilcaris filium ducem Pœnorum pugnavit, eumque interfecit; exercitum ejus partim cæde, partim captivitate disperdidit; castra ejus cepit. Nam in eo prælio, cum quatuor millibus et quingentis militibus undecim millia Pœnorum occidit. [g] *Sempronius cos. cum Annibale congressus et victus Romam refugit. Scipio in Africa aggressus hiberna Pœnorum, atque alia Numidarum, quæ utraque haud procul ab Utica erant, noctu concubia fecit incendi. Pœni trepidi, cum casu ignem accidisse putarent, inermes ad exstinguendum concurrunt. Qua re facile ab armatis oppressi sunt. In utrisque castris quadraginta millia hominum de Carthaginensibus et Numidis igni ferroque consumpta sunt, capta quinque millia; duces ipsi miserabiliter ambusti sunt, et ægre fugerunt. Asdrubal dux Carthaginem profugus venit. Itaque Syphax, et Asdrubal mox plurimum reparavere exercitum, atque iterum cum Scipione congressi sunt, victique fugerunt. Syphacem fugientem Lælius et Massinissa ceperunt. Porro cætera multitudo ad Cirtam refugit, quam Massinissa oppugnatam in deditionem accepit, Syphacem ad Scipionem catenis vinctum deducit. Quem Scipio cum ingentibus spoliis, plurimisque captivis perducendum Romam Lælio tradidit. Qui, cum Tiburi in custodia defecisset, sumptu publico jussit senatus honorifice sepeliri.* Qua re audita omnis fere Italia Annibalem deseruit: ipse a Carthaginensibus redire in Africam jubetur, quam Scipio vastabat. Ita anno septimo decimo Italia ab Annibale liberata est, quam flens dicitur reliquisse. *omnibus Ita-*

git: *In sequenti anno Scipio in Hispanias egregias res egit, et per se, et per fratrem suum Lucium Scipionem,* LXX *civitates receperunt: in Italia tamen male pugnarunt. Nam Claudius Marcus consul ab Annibale occisus est. Tertio anno postquam Scipio ad Hispanias profectus fuerat. rursus res inclytas gerit. Regem Hispanorum magno prælio victum in amicitiam accepit, et primus omnium a victo obsides non poposcit. Desperans*, etc.

[a] A., *Is veniens a consulibus Appio Claudio Nerone, et M. Livio Salinatore apud*, etc.

[b] Post *occisus est*, A. habet: LVIIII *de ejus exercitu perempta*, VII *capta sunt*, XLIV *civium Romanorum inter eos reperta et revocata sunt. Magnum pondus auri et argenti Romam delatum est. Anno*, etc.

[c] H.: *Quinquaginta et octo millia de ejus exercitu capta sunt*, CCCCIV *civium Romanorum inter eos reperta et revocata sunt. Magnum pondus auri, atque argenti*, etc., quæ ad verbum conveniunt cum Eutropio, usque ad finem, nisi quod sub finem libri tertii legit Eutropius *pondo* CCM, Ms. vero *pondus* XXM, et linea ultima Eutropius: *post annum* 17, Ms. *post annum* 19.

[d] A., pro *Brutios Britiam*, et, omiss. cet.: *Post hæc An.*

[e] A., post *Scipionem*: *Is Rom.*, etc.

[f] A., *cos. est factus*: *cui viro*, etc.

[g] A., sequitur: *Syphacem Numidiæ regem, qui se Afris conjunxerat capit, et castra ejus invadit. Syphax cum nobilibus Numidis et infinitis spoliis Romam a Scipione mittitur. Qua re*, etc.

Digitized by Google

*lici generis militibus, qui sequi nollent interfectis.* Legati Carthaginensium pacem a Scipione petierunt: ab eo ad senatum Romam missi sunt, et quadraginta quinque diebus his induciæ datæ sunt, quousque ire Romam et regredi possent, et triginta millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem jussit cum Carthaginensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quam triginta naves haberent, et quinquaginta millia pondo argenti darent, captivos et perfugas [a] redderent. *Interea Annibal ad Africanum littus propinquans jussit cuidam e nauticis ascendere in arborem navis, atque speculari inde quam regionem tenerent. Sepulcrum dirutum se prospexisse respondit. Abominatus dictum Annibal, deflexo cursu, ad Leptim oppidum copias exposuit. Qui continuo refecta multitudine Carthaginem* B *venit,* et pax turbata est, multaque hostilia ab Afris facta sunt. Legati tamen eorum ex Urbe venientes a Romanis capti, et jubente Scipione dimissi sunt. Annibal quoque frequentibus præliis a Scipione victus petere et ipse jam cœpit [b] pacem, *et colloquium Scipionis. Ubi cum se diu attoniti admiratione mutua duo clarissimi duces torve suspexissent, et colloquium inter utrosque esset, Carthaginensibus conditiones displicuerunt, eo quod hisdem conditionibus,* quibus prius, addita sunt quingentis millibus pondo argenti centum millia librarum propter novam perfidiam: jusseruntque Annibalem pugnare. [c] Annibal tres exploratores ad castra Scipionis misit, quos captos Scipio circumduci per castra jussit, ostenditque eis totum exercitum, *nihil de hostibus percontatus.* Mox etiam prandium dari jussit, eisque refectis, ac recreatis equis redire permisit, ut renuntiarent Annibali, quæ apud Romanos vidissent. Interea prælium ab utroque duce [d] *consertum est, quod diu magnis* A *ducum artibus dispositum, magnis copiarum molibus gestum,* quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri, ut diximus, copias suas ad bellum educerent. Scipio victor [e] *rediit, octoginta elephanti ibi vel capti, vel occisi sunt. Carthaginensium militum interfecti sunt viginti millia quingenti. Annibal omnia, et ante prælium, et in prælio expertus, primum cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremo vix cum quatuor, inter tumultum elapsus Adrumentum confugit. Postea Carthaginem post sex et triginta annos, quam parvus exierat, venit.* Inventa in castris Annibalis argenti pondo viginti millia, auri octoginta: cætera [f] supellectilis copiosa. *Jactet se licet Roma victoriis, Annibalem tamen Campaniæ luxuriis immorantem provincia deliciosa superavit. Dum aquis innatat, dum piscibus, atque ostreis passim inficitur, dum olet, dum potat, dum dormit, aquarum resolutio mollivit Punicam feritatem: et quem alia duraverant, Seplasia Campaniæ oppidum unguentis odoratis labefactavit, et solvit. Igitur post id certamen Carthaginenses nullam esse residuam spem, nisi in petenda pace persuasi, ut pax daretur denuo supplicaverunt. C. Cornelio Lentulo, P. Ælio Pæto coss. Carthaginensibus pax per Scipionem, voluntate senatus, populique concessa est. Nam etiam plusquam quingentæ naves in altum productæ in conspectu civitatis incensæ sunt. Scipio jam tunc cognomento Africanus cum ingenti gloria triumphans Urbem ingressus est. Quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginensium subactorum civibus captus,* C *pileatus, quod insigne indultæ libertatis fuit, post currum triumphantem secutus est. Anno ab Urbe condita quingentesimo quadragesimo quinto bellum Punicum secundum finitum est,* post annum nonum decimum, quam cœperat.

[a] A., post *redderent: Interim Annibale veniente ad Africam pax,* etc.

[b] A. post verb. *pacem, cum ventum esset ad colloquium iisdem conditionibus data est, quibus prius, additis quingentis mil. ponderibus argenti centum millia libr. propter novam perfidiam. Carthaginensibus conditiones displicuerunt, jusseruntque,* etc.

[c] Hinc A., *Infertur a Scipione, et Massinissa rege alio Numidarum, qui amicitiam cum eo fecerat Carthagini bellum. Annibal,* etc.

[d] A., *instructum, quale vix,* etc.

[e] A., pro *rediit, recedit,* et sequitur *pene ipso Annibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum* XX, *postremo cum* IV, *evasit. Inventa,* etc.

[f] A., *supellex copiosa,* inde legit, *Post id certamen pax cum Carthaginensibus facta est. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit, et Africanus ex eo vocari cœptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum post annum* XIX *quam cœperat.*

# LIBER QUARTUS.

Transacto igitur Punico bello, secutum est Macedonicum contra regem Philippum. Quingentesimo et quinquagesimo primo anno ab Urbe condita T. Quintius Flaminius [a] adversus Philippum Macedonum regem missus est. *Qui post multa, et gravissima prælia, quibus Macedones vicit, pacem Philippo dedit,* his legibus, ne Græciæ civitatibus, quas Romani contra D cum defenderant, bellum inferret, ut captivos et transfugas redderet, L solas naves haberet, reliquas Romanis daret: per annos X quaterna M pondo argenti præstaret, et obsidem filium suum Demetrium [b] daret. *Deinde cum Lacedæmoniis pugnavit: victoque Nabide duce eorum,* et quibus voluit conditionibus in fidem accepit, et ingenti gloria triumphavit. Duxit

[a] H. et Eutropius, *adversus Philippum regem prospere gessit, et pax ei data est his legibus,* etc.
A. post *missus est,* continuat, *et pax ei data est his leg.*, etc.

[b] A. post *daret. Titus Quinctius etiam Lacedæmoniis intulit bellum, ducem eorum itidem vicit, et quibus,* etc.

Digitized by Google

A ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, et Armenem Nabidis Ro. captivi. Qui sub Annibale per Græciam venditi fuerant, universi recepti, capitibus rasis ob detersam servitutem, currum triumphantis secuti sunt. Eodem tempore [a] Insubres, et Boii, a quibus Ticinum condita est, atque Cenomani, contractis in unum viribus, Amilcare Pœnorum duce, qui in Italia remanserat, Cremonam urbem, Placentiamque vastantes, difficillimo bello a L. Fulvio prætore superati sunt. Consul Marcellus in Etruria a Boiis oppressus magnam partem exercitus perdidit. Cui postea Furius alter cos. auxilio accessit, atque ita universam Boiorum gentem igni ferroque vastantes propemodum usque ad nihilum deleverunt. [b] *Postea Flaminius procos. Philippum regem,* B *et cum eo Thracas, Macedonas. Illyrios præterea, multasque gentes, quæ in auxilium ei venerant, bello subegit. Victi Macedones castra amiserunt. Octo millia hostium eo die cæsa, quinque millia capta Polybius scribit. Valerius dicit quadraginta millia trucidata: Claudius vero triginta duo millia interfecta commemorat. Sed hæc varietas scriptorum utique fallacia est. Fallaciæ autem causa profecto adulatio est, dum victoris laudes accumulare, virtutemque patriæ extollere, vel præsentibus, vel posteris student. Alioquin, si inquisitus non fuisset numerus, nec qualiscunque fuisset expressus. Quod si gloriosum est duci et patriæ plurimos hostium peremisse, quanto magis lætum patriæ, et ducibus beatum potest videri, suorum, vel nullos, vel paucissimos perdidisse? Ita lucidissima re patet, quia simili impuden-* C *tia mentiendi, qua occisorum hostium numero adjicitur, sociorum quoque amissorum damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur. Igitur Sempronius Tuditanus in Hispania citeriore bello oppressus, cum omni exercitu Romano interfectus est.*

Transacto bello Macedonico secutum est Syriacum: [c] *L. Valerio Flacco, et M. Portio Catone coss. Antiochus rex Syriæ bellum contra populum Romanum struens in Europam transiit ex Asia. Tunc etiam Annibal propter excitandi belli rumores, qui de eo apud Romanos ferebantur, exhiberi Romanis a senatu jussus, clam ex Africa metu profectus, ne Romanis traderetur, ad Antiochum migravit. Quem, cum apud Ephesum cunctantem invenisset, mox in bellum impulit. Tunc etiam lex, quæ ab Oppio tribuno plebis prolata fuerat,* D *ne qua mulier plusquam semunciam auri haberet, nere versicolori vestimento, nec vehiculo per Urbem, nec foras uteretur plusquam mille passibus, nisi sacrorum causa exegisset, post xx annos abrogata est. Sublato hoc edicto in quantam licentiam matronæ venerint, quid attinet dicere, cum sicut et viri luxuriarentur? P. Cornelio Scipione, M. Acilio Glabrione coss. Antiochus, quamvis Thermopylas occupasset, quarum munimine tutior propter dubios belli eventus fieret, tamen commisso bello a cos. Glabrione in Achaia superatus. Castra ejus nocturna pugna sunt capta, ipse dux vix cum paucis fugit e prælio, Ephesumque pervenit. Is habuisse fertur armatorum* LX *millia, e quibus* XL *millia cæsa, plusquam* V *millia fugisse referuntur. Alter cos. Scipio cum Boiorum gente conflixit, in quo prælio viginti millia interfecit.* Philippo, quia contra Antiochum Romanis fuisset auxilio, filius Demetrius redditus est. Deinde P. Scipione Africano iterum, T. Sempronio Longo coss. apud Mediolanum x millia Gallorum cæsa sunt. Sequenti autem prælio xi millia Gallorum cæsa: Romanorum vero quinque millia occisa sunt. Minutius a Liguribus in extremum periculi adductus, et insidiis hostium circumventus, vix Numidarum equitum industria [d] liberatus est. *Post hæc Digitius prætor Celtiberos cum proximis gentibus vicit, regemque eorum cepit. In utraque Hispania per Flaminium, Fulviumque prætores bella multum horrida cruentaque utrisque populis gesta sunt.* L. Cornelio Scipione, et C. Lælio coss. Scipio Africanus fratri suo L. Cor. Scipioni cos. legatus contra Antiochum profectus est, [e] *qui cum Annibale colloquium familiare habuit. Sed infecto pacis negotio ab Antiocho discessit. Sequenti anno Scipio Africanus Annibalem, qui cum Antiocho erat, navali prælio vicit.* Ipse postea Antiochus circa Sipulum Magnesiam Asiæ civitatem a L. Cornelio Scipione cos. ingenti prælio prostratus est. Auxilio fuit in ea pugna Romanis Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. Quinquaginta M peditum, et tria M equitum in eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex pacem petiit, *filiumque Africani, quem utrum explorantem, an in prælio cepisset, incertum est, ultro remisit. Pax autem* iisdem conditionibus data est a senatu, quanquam victo, quibus antea offerebatur, ut ex Europa et Asia recederet, atque intra Taurum se contineret: XM talentorum, et XX obsides præberet: Annibalem concionatorem belli traderet. Eumeni regi donatæ sunt a senatu omnes Asiæ civitates, quas Antiochus bello perdiderat, et Rhodiis, qui auxilium Romanis contra Antiochum regem tulerant, multas concesserunt. Scipio Romam rediit, et ingenti gloria triumphavit. Nomen et ipse, ad imitationem fratris, [f] Asiatici accepit, quia Asiam vicerat, sicut frater ipsius pro-

[a] H., *Insubres Boii.*

[b] Hinc cætera non leg. in A., neque in H. usque ad *transacto bello.*

[c] H. et Eutropius lib. IV: *P. Cornelio Scipione, M. Atilio Glabrione Coss. Huic Antiocho Annibal se junxerat, Carthaginem patriam suam; ne Romanis traderetur, relinquens*, etc., in quibus ms. codex H. ad verbum convenit cum Eutropio, nisi quod ubi legit Eutropius fol. 58. XXXM *peditum*, IVM *equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt* legit. Ms H. LM *peditum* LM *equitum*. Item Scipionem, quem Eutrop. vocat *Asiaticum*, H. vocat *Asiagenem*. A. etiam cum Hersfel. Nos vero notamus hic variam lectionem C. nostri post verbum *relinquens*, ne cum Canisio lectores ad alterum laborem remittamus, *relinquens. Aulius Glabrio in Achaia bene pugnavit, castra regis Antigoni pugna nocturna capta sunt, ipse fugatus. Philippo quia*, etc.

[d] A. post *liberatus est. L. Corn.*, etc.

[e] A. inde sequitur: *Annibal, qui cum Antigono erat navale prælio victus est. Ipse*, etc. Post verbum *petiit* omiss. cæt. *iisdem condit.*, etc.

[f] A. etiam, *Asiagenis*,

Digitized by Google

pter Africam Africanus appellatur. [a] *Interea in Hispaniæ provincia ulteriore L. Æmilius procos. a Lusitanis cum omni exercitu cæsus interiit.* Deinde L. Bebius in Hispaniam proficiscens, a Liguribus circumventus, cum universo exercitu occisus est : unde adeo ne nuntium quidem superfuisse constat, ut internecionem ipsam Romæ Massilienses nuntiare curaverint. [b] *Fulvius cos. de Græcia in Gallogræciam, quæ nunc est Galatia, transvectus, ad Olympum montem pervenit, ad quem universi Gallogræci cum conjugibus et liberis confugerant, ibique acerbissimum bellum gessit. Namque de superioribus locis, sagittis, grandibus saxis, cæterisque telis Romani graviter contriti, tandem usque ad congressum hostium prorupe-runt. Quadraginta millia Gallogræcorum eo prælio interfecta referuntur.* [c] Marcius cos. adversus Ligures profectus, superatusque quatuor M militum amisit, *et nisi victus celeriter refugisset in castra, eamdem internecionis cladem, quam Bebius dudum ab iisdem hostibus acceperat, pertulisset. M. Claudio Marcello cos. Philippus rex, qui legatos populi Romani interfecerat, propter Demetrii filii sui, quem legatum miserat, verecundissimas preces veniam meruerat: eumdem continuo velut Romanis amicum, suique proditorem, fratrem quoque ipsius parricidium patris ministro patrante, nihil de utroque miserum mali suspicantem veneno necavit. Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo coss.*, M. Fulvius de Ætolis [d] triumphavit. *Eisdem etiam diebus* Annibal, victo *a Romanis* Antiocho, ad Prusiam Bithyniæ regem fugit, ne Romanis traderetur. Repetitus autem ab eo est per Q. Flaminium : et cum tradendus esset Romanis venenum bibit, et apud Lybissam in finib. Nicomediensium sepultus est. [e] *Philopœmenes dux Achivorum a Messanis captus et occisus est.* Eodem anno Scipio Africanus ab ingrata sibi Urbe diu exsulans, apud Liternum oppidum morbo periit, [f] *jussitque sepulcro suo inscribi : Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes. In Sicilia* tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente mari edita, cum miraculo omnium usque ad nunc permanet. His quoque diebus actum est, quod de Heliodoro in libro Machabæorum narrat historia [g]. *Q. Fulvius Flaccus prætor in citeriore Hispania maximo prælio* XXIIII *hominum fudit*, IVM *captivavit. Tiberius Sempronius Gracchus in Hispania ulteriore centum quinque oppida vacuata et quassata bellis ad deditionem coegit. Eadem tempestate L. Postumius in citeriore Hispania* XLM *hostium bello fudit : Gracchus prætor ibidem iterum ducenta oppida expugnavit et cepit.*

Igitur Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui adversum Romanos bellum gesserat, et postea Romanis contra Antiochum auxilium præbuit, filius ejus Perseus in Macedonia rebellavit ingentibus copiis [h] adunatis. *Gens enim Basternarum ferocissima, Lepido et Mutio coss., spe prædarum sollicitata, et transeundi Istri fluminis facultate, sine ulla pugna deleta est. Nam tunc forte Danubius, qui et Ister, crassa glacie superstratus pedestrem facile transitum patiebatur. Itaque, cum improvide toto et maximo simul agmine inæstimabilis multitudo hominum et jumentorum transirent, enormitate ponderis et concussione gradientium concrepans gelu, et glacialis crusta dissiluit, et universum agmen, quod diu sustinuerat, mediis gurgitibus victa tandem, et comminuta destituit, atque eadem rursus fragmentis impedientibus superducta submersit : pauci ex omni populo per utramque ripam concisis visceribus vix evaserunt. P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino coss., Macedonicum bellum gestum est, merito inter maxima bella referendum. Nam in auxilio Romanorum tota prius Italia : deinde Ptolemæus rex Ægypti, et Ariarates Cappadociæ, Eumenes Asiæ rex, Massinissa Numidiæ fuerunt.* Prusias autem Bithyniæ rex, quanquam Persei sororem haberet, utrisque tamen se æquum [i] præbuit. *Itaque advenienti Licinio Crasso cos. Perseus cum [j] Cotye rege Thraciæ et rege Illyrici Gentio nomine, quos in auxilio habebat, occurrit, commissoque prælio miserabiliter victi fugere Romani. Sequenti pugna pari clade partis utriusque in hyberna discessum. Deinde Perseus, profligato multis præliis exercitu Romano, in Illyricum transgressus, [k] Uscanium oppidum defensum a præsidiis Romanis pugnando cepit. Ubi magnam Ro. præsidum multitudinem captam partim occidit, partim sub corona vendidit, partim*

[a] Ab hoc verbo usque ad *Deinde L. Bebius*, absunt in H., a quo loco Ms. H. cum Miscella convenit usque ad *curaverint*.

[b] Ab hoc verbo usque ad *Martius cos.* omnia absunt in H. et A.

[c] H., *Martius Cos. adversus Ligures profectus, superatusque quatuor millia militum amisit. Spurio Posthumio Albino, Marco Philippo coss., Marcus Philippus de Ætolis triumphavit*, et sequentia, in quibus cum Eutropio convenit usque ad *sepultus est*. A. pro *Albino, Alvino*.

[d] A., *triumphavit. Annibal, qui, victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam Bithiniæ regem fugerat. Repetit*, etc.

[e] Reliqua usque ad *eodem anno* absunt in A. et H.

[f] A., post *periit* continuat : *Tunc Vulcani*. H.: *Amiternum oppidum morbo periit. Tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente mari est edita. His quoque diebus actum est, quod de Heliodoro in lib. Machab. narrat historia. Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui et adversus Rom. bellum gesserat, et postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius ejus Perseus in Macedonia rebellavit ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adjutores*, etc. In quibus cum Eutropio convenit ad verbum usque *Nicomedem senatu commendavit*, ubi confer quæ in Miscel. sint hinc inde immista et addita. CANIS.

[g] A., omiss. cæt. post verbum *historia* sequitur : *Igitur Philip.*, etc.

[h] A., *adunatis. Nam adjutores habebat istum Thraciæ regem, et regem Illyrici Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erat Eumenes Asiæ rex, Ariaratus Cappadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Massinissa Numidiæ. Prusias autem*, etc.

[i] A., post verbum *præbuit* legit : *Dux Romanorum Publius Licinius cos. contra eum missus est, et a rege gravi prælio victus; neque tamen Romani, quanquam superati, regi petenti pacem præstare voluerunt, nisi his conditionibus, ut se et suos senatui et populo Rom. dederet.*

[j] A., *Cotto*.

[k] A., *Sulanum*.

Digitized by Google

*secum in Macedoniam duxit.* Mox missus est contra eum L. Æmilius Paulus cos., et in Illyricum [a] C. Anicius prætor contra Gentium. Sed Gentius facile uno prælio victus, mox se dedidit. Mater ejus, et uxor, et duo filii, frater quoque simul in potestatem Romanorum venerunt. Bello intra triginta dies peracto, ante cognitum est Gentium victum, quam bellum cœptum nuntiaretur. Cum Perseo autem Æmilius Paulus cos. tertio Nonas Septemb. dimicavit, vicitque eum. Viginti millibus peditum ejus occisis, equitatus cum rege interfugit. Romanorum exercitus c milites amiserat: Macedones vero Romanis se dediderunt. Ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. Sed honorem ei Æmilius Paulus cos., non quasi victo præbuit. Nam, et volentem sibi cadere ad pedes non permisit, et juxta se in sella collocavit. *Quin P. Vacienus ad urbem Romam nocte vadens, vidit duos juvenes at is equis sedentes, qui jusserunt ut die sequenti senatui nuntiaret, Perseum regem Macedonum a Paulo esse captum. Vacienus quidem læta executus est, sed jussu senatus missus est in carcerem, tanquam temerarius incertorum loculor. Mox litteris Pauli de die, victoriaque certa res patuit. Vacienus statim de custodia solutus agrum dono accepit. Et Vacieno iidem gemini visi ad lacum postea Juturnæ sudorem suum, equorumque abluentes.* Interea Macedoniis et Illyriis a Ro. hæ leges datæ, ut liberi essent, et dimidium eorum tributorum præsentarent, quæ regibus præstitissent, ut appareret populum Ro. pro æquitate magis, quam pro avaritia pugnare. Itaque in conventu finitimorum populorum Paulus hoc pronuntiavit, et legationes multarum gentium, quæ ad eum venerant, magnificentissimo convivio pavit, dicens ejusdem hominis esse debere, et bello vincere, et in convivii apparatu elegantem esse. Mox LXX civitates Epiri, quæ contra se rebellaverant, cepit, prædam militibus distribuit, Romam ingenti pompa rediit, in nave Persei, quæ nimis inusitatæ magnitudinis fuisse traditur, adeo ut XVI ordines remorum habuisse dicatur: triumphavit autem magnificentissime in curru aureo cum duobus filiis utroque latere astantibus. Ducti sunt ante currum duo filii regis, et ipse rex Perseus XLV annos natus: [b] *et postea apud Albam in custodia defecit. Senatus quæstorem misit ad ejus exequias, qui eum impensa populi Ro. regie sepeliret. Filius ejus junior fabricam ærariam ob tolerandum inopiam Romæ didicit, ibique consumptus est.* Post eum etiam Anicius de Illyriis triumphavit: Gentius rex cum fratre suo, et filiis ante currum ejus ductus. Ad hoc spectaculum reges multarum gentium Romam venerunt, inter quos etiam Attalus atque Eumenes reges Asiæ: et Prusias Bithyniæ *gratulatum venit*, et magno honore [c] excepti sunt. *Prusiæ autem senatus quæstorem P. Cornelium Scipionem Capuæ jussit occurrere, hospitiumque Romæ, et largissimum præbuit sumptum, ut alii armis subditi, alii capti moribus deservirent. Igitur*, permittente senatu, dona, quæ reges attulerunt, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem senatui commendavit. *Plurima præterea, et satis diversis proventibus bella multarum ubique gentium gesta sunt, quæ brevitatis causa prætermisi.* Anno ab Urbe 600, [d] Lucinio Lucullo, A. Postumio Albino coss., cum omnes Romanos ingens metus Celtiberorum invasisset, et ex omnibus non esset, qui in Hispaniam vel miles, vel legatus ire auderet, P. Scipio, qui [e] posterior Africanus erit, ultro se militaturum in Hispaniam obtulit, cum jam in Macedoniam sorte deputatus esset. Itaque profectus in Hispaniam magnam stragem gentium dedit, sæpius etiam militis quam ducis usus officio. Nam et barbarum se provocantem singulariter congressus occidit. Sergius autem Galba prætor a Lusitanis magno prælio victus est, universoque exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus evasit. In sequenti anno L. Minutius in Lusitania bene pugnavit. Marcellus cos. postea ibidem res prospere [f] gessit. *Eodem tempore Messala censor primus theatrum in Urbe constitui censuit. Quod ne tunc fieret, Scipio dictus Nasica gravissima oratione obstitit, dicens, inimicissimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam desidiam, lasciviamque convenientum: adeoque movit senatum, ut non solum omnia theatro comparata tolli jusserit, sed etiam subsellia ludis prohibuerit poni, ut neque urbani, neque qui [g] a foris mille passibus abessent, sedentes ludos spectarent, ne fortitudo illorum mollesceret. Igitur in Hispania Sergius Galba prætor Lusitanos citra Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit. Simulans enim de commodis se acturum fore, ac circumpositis militibus cunctos inermes et incautos interfecit. Quæ res postea universæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam causa maximi tumultus fuit. Eodem tempore Tucia virgo Vestæ arguebatur incesti. At illa, argumentis purgare se dedignata mortalibus, ad Tyberim cribrum detulit, ibique submersit, prece addita: O Vesta, inquit, si pia et casta sum, hanc e Tiberi aquam ad templum tuum perferam: et pertulit.*

*Anno ab Urbe condita* 602, *L. Manlio Censorino et M. Manlio coss., tertium Punicum bellum exortum est. Igitur cum senatus delendam Carthaginem censuisset, profecti in Africam coss., et Scipio, tunc tribunus militum, prope Uticam majoris Africani castra tenuerunt. Ibi* Carthaginensibus evocatis, jussisque ut arma et naves [h] traderent, *nec moratis*, tanta copia armorum

[a] H., *Gajonicius*.

[b] Hinc cætera non leg. in A. usque ad verba *Post eum*.

[c] A., pro *excepti* legit, *suscepti sunt*, et *permittente*, etc.

[d] H.: *Lucio Licinio Lucullo, Postumio Altinio coss.* A., *Postumio Altino.*

[e] H., *post.*

[f] A. et H., post *gessit*: *Tertium deinde bellum contra Carthaginem suscipitur sexcentesimo, et altero anno ab V. C., Lucio Mallio Censorino, et M. Mallio coss. anno 51 postquam secundum Punicum transactum. Hi profecti sunt Carthaginem. Carthaginensibus*, etc.

[g] In editione Canisiana, *afforis*.

[h] A. et H., post *traderent*: *Tanta vis armorum re-*

Digitized by Google

repente tradita est, ut facile tota ex his Africa potuisset armari. *Sed Carthaginenses*, postquam arma tradiderunt, et, derelicta urbe, recedere procul a mari x millibus passuum jussi sunt, dolorem ad desperationem contulerunt, aut defensuri civitatem, aut cum ipsa per ipsam sepeliendi. Mox Asdrubales duos duces creaverunt, armaque facere aggressi, postquam æs, ferrumque defecit, aurea, argenteaque fecerunt. Coss. cum aliquantam muri partem machinis diruissent, tamen a Carthaginensibus victi sunt, atque [a] oppressi. Quos fugientes Scipio tunc tribunus militum, repulso intra muros hoste, defendit. [b] Phanea dux alius equitatui Carthaginensium præerat. Igitur Scipio tunc Scipionis Africani nepos, tribunus, ut dictum est, militum ibi militabat. [c] *Huic apud omnes gentes* metus et reverentia erat. Nam et paratissimus ad dimicandum, et consultissimus habebatur. Itaque per eum multa a consulibus gesta sunt, nec quidquam magis vel Phanea, vel Asdrubal vitabant, quam contra eam partem Romanorum committere, ubi Scipio dimicaret. Per idem tempus Massinissa rex Numidarum per annos LX fere amicus populi Ro. anno vitæ nonagesimo septimo [d] mortuus est, *valentissimo corpore semper perseverans. Hic est vir, qui nunquam in* [e] *imbre, vel maximo, caput texit, aut frigore. Tandiu in uno vestigio stetit, ut prius juvenes lassitudine cederent, quam ille loco, in quo steterat moveretur. Si stetisset, nec membrum quidem tota die movebat: si iter fuerat ingressus eques, non descendebat pedes, pedes non ascendebat. Solebatque equitans nocti sæpissime diem jungere, et sui custodiam tutelamque sævissimis canibus committebat. Post annum 86 filium genuit, cui nomen Mechinia fuit, nihil quod juvenis fecerat, ævi ultimo prætermisit. Igitur Massinissa mortuo*, 44 filiis relictis, Scipionem inter filios suos divisorem esse jussit. *Scipio postquam Massinissæ filiis Numidiæ regnum divisit, Carthaginem est reversus. Manlius Thegalam urbem expugnavit atque diripuit*, XIIII *ibi Afrorum cæsa, sex* M *capta sunt. Asdrubal Pœnorum dux Massinissæ nepos subselliorum fragmentis in curia a suis propter Scipionis proditionem occisus est. Anno ab Urbe cond.* 606, *id est, anno* LI *post bellum Punicum secundum, Cn. Lentulo Cornelio, L. Memmio coss.* Cum igitur clarum

A Scipionis nomen esset, juvenis adhuc cos. [f] factus, *et delere Carthaginem* [g] *suppocte molitus, Cottonem ingreditur, ubi cum* sex diebus noctibusque *pugnaret*, ultima Carthaginenses desperatio ad deditionem traxit, petentes ut quos belli clades reliquos fecit, saltem servire liceret. [h] Primum *igitur* agmen mulierum satis miserabile, post virorum *magis deforme* descendit. Nam fuisse mulierum triginta quinque M, virorum triginta M, *memoriæ* traditum est. Rex Asdrubal se ultro [i] dedidit, *suam tantum salutem obtinuit*. Transfugæ, qui Æsculapii templum occupaverunt, voluntario præcipitio dati, igne [j] consumpti sunt. *Quosquos habere potuit Romanos transfugas, Scipio crucibus affixit, Latinos securi percussit.* Uxor Asdrubalis *cum ardentem Carthaginem aspexisset, oc-*
B *currit viro suo una cum duobus liberis, eique dixit: Vive tu, qui superstes esse Carthaginis potis es. Nam frustra pro nobis rogasti. Et tum cum volentibus filiis, virili dolore*, furore femineo, in medium se jecit incendium, *eumdem nunc mortis exitum faciens novissima regina Carthaginis, quem quondam prima fecisset*, ipsa autem civitas XVII continuis diebus arsit, miserumque spectaculum *de varietate conditionis humanæ* victoribus suis [k] præbuit. Diruta est autem Carthago omni [l] murali lapide in pulverem comminuto, cujus fuisse situs hujusmodi dicitur. Viginti duo M passuum amplexa muro, tota pene mari cingebatur, absque faucibus, [m] quæ a tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum XXX pedes latum habuit,
C saxo quadrato, in altitudine cubitorum [n] XL. *Arx* cui Byrsæ nomen erat, paulo amplius quam duo M passuum tenebat. Ex una parte murus *fuerat* communis urbis, et Byrsæ, imminens mari. Quod mare stagnum dicitur, quoniam objectu protentæ linguæ [o] *tranquillatur.* Spolia ibi inventa, quæ variarum civitatum excidiis Carthago collegerat, et ornamenta urbium civitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit, quæ sua recognoscebant. *Ita Carthago* DCC *annis postquam condita erat deleta est* [p]. *Multitudo omnis captivorum, exceptis paucis principibus, venundata est.* In quarto, quam cœptum fuit, anno, bellum *Punicum* tertium terminatum est. Scipio nomen, quod avus ejus acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus [q] *minor* [r] vocaretur. *Igitur a Ro. Car-*

*pente tradita est, ut facile ex ea tota Africa potuisset armari. Qui postquam arma Rom. tradiderunt, relicta urbe, recedere procul a mari* XII *passuum jussi sunt. Carthaginenses dolorem ad desperationem contulerunt*, etc.

[a] H., *oppressi atque repulsi.* A., *victi sunt atque repulsi.*

[b] A., *Famea* pro *Phanea*. Ita in H. et Eutrop.

[c] A., *Hujus apud omnes ingens metus*, etc.

[d] A. et H., *mortuus* XLIIII *fil. relictis*, etc., et post verbum jussit, omiss. cæt. legunt: *Cum igitur clar.*, etc.

[e] In editione Canisiana, *ymbri.*

[f] Utrique post v., *factus, et contra Carthaginem est missus: contra quam dum sex diebus noctibusque pugnasset.*

[g] *Suppocte.* Locus vitiosus et mutilus, forte legendum *sub noctem.* Canis.

[h] A. et H.: *Ac primum agmen mulierum satis mi-*

D *serabile, post virorum descendit. Nam fuisse mulierum* XXVII, etc.

[i] A., *dedidit. Transfugæ*, etc.

[j] A. et H.: *consumpti sunt. Uxor Asdrubalis se suosque filios secum femineo furore in medium jecit incendium. Ipsa autem civitas* XVI *diebus continuis arsit*, etc.

[k] Post verbum *præbuit* ambo leg.: *Multitudo omnis captivorum, exceptis paucis principibus, venundata est. Diruta*, etc.

[l] H., *mirabili.*

[m] H., *quæ tribus.* Item A. noster.

[n] A., post XL, A., *Saxo, cui nomen Byrsæ erat.*

[o] A., *strangulatur.*

[p] A. Hinc legit: *Ita quarto quam cœptum fuit bellum tertium*, etc.

[q] A., *junior.*

[r] A. et H., post *vocaretur*, omiss. cæt., statim subdunt: *Interim*, etc.

Digitized by Google

*thagine capta, spoliatus est a quibusdam Apollo veste* A *aurea. Postea inventæ sunt cum crustis tunicæ manus eorum qui abstulerant.*

Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma movit, et Ro. prætorem Pub. Juventium contra se missum ad internecionem vicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est, et [a] viginti millibus occisis, Macedoniam recepit : ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.

*Anno ab Urbe condita 606,* [b] *hoc est, eodem anno quo Carthago deleta est, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss., ruinam Carthaginis eversio Corinthi subsecuta est : duarumque potentissimarum urbium parvo unius temporis intervallo per diversas partes mundi miserabile colluxit incendium.* B *Nam cum Metellus Prætor Achæos, Bœotiosque convictos duobus bellis, hoc est, primo apud Thermopylas, iterum postea in Phocide vicisset, eorum priore bello occisa esse viginti millia, secundo* VII *millia cæsa Claudius historicus refert. Valerius etiam Antias in Achaia pugnatum, et viginti millia Achæorum cum duce suo Dieuco cecidisse confirmat. At vero Polybius Achivus, quamvis in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domesticam cladem ignorare non potuit, semel in Achaia pugnatum Critolao duce asserit. Dieucum vero adducentem ex Arcadia milites ab eodem Metello oppressum cum exercitu docet. Sed de varietate discordantium historicorum aliquanta jam diximus, quorum sufficiat detecta hæc, et male nota mendaciorum nota, quia parum credendum* C *in cæteris evidenter ostendunt, qui in his quoque, quæ ipsi videre, diversi sunt. Igitur post exstincta totius Achaiæ præsidia destitutarum eversionem urbium Metello prætore meditante, Cos. Mummius repentinus cum paucis venit in castra. Qui, dimisso statim Metello, Corinthum nobilissimam civitatem Græciæ propter injuriam legatorum Romanorum sine mora expugnavit, toto tunc orbe longe clariss. Omnium enim artificum atque artificiorum officina, et emporium commune Asiæ, atque Europæ, per multa retro sæcula fuit. Permissa igitur crudeliter est captivos prædandi licentia : sicque omnia cædibus, ignibusque consumpta sunt, ut de murorum ambitu, quasi e camino in unum apicem coarctatum exundaret incendium. Itaque plurima parte populi ferro, flammisque consumpta, reli-* D *qua sub corona vendita est. Urbe incensa, muri funditus diruti sunt, muralis lapis in pulverem redactus : præda vero ingens erepta est. Sane, cum propter multitudinem et varietatem statuarum, simulacrorumque in illo civitatis incendio permixta in unum auri, argenti, atque æris, omniaque simul metalla fluxissent, novum genus metalli factum est. Unde usque in hodiernum diem, sive ex ipso, sive ex imitatione ejus, æs Corinthium, sicut memoriale traditum est, et Corinthia vasa dicuntur. Eodem tempore simul tres* Romæ celeberrimi triumphi fuerunt : Africani ex Africa, et ante currum ejus ductus est Asdrubal : Metelli ex Macedonia, cujus currum præcessit [c] Andriscus, idem qui et Pseudophilippus : Mummii vero ex Corintho, ante quem signa ænea, et pictæ tabulæ, et alia urbis clariss. ornamenta prælata sunt. Iterum in Macedonia [d] Pseudoperseus, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servis rebellavit, et cum jam XVIII armatorum haberet, a Tremellio quæstore [e] superatus est. *Interea Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss., Viriatus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis, et latro, primum infestando vias, deinde vastando provincias, postremo exercitus prætorum, et coss. Romanorum vincendo, fugando, subigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Hiberum, et Tagum, maxima, et diversissimorum locorum flumina, late transgredienti, et pervaganti C. Vetelius prætor occurrit. Qui continuo ad internecionem pene omni exercitu suo deleto, vix ipse prætor cum paucis fuga lapsus evasit. Deinde C. Plancium prætorem idem Viriatus multis præliis fractum fugavit. Post etiam Claudius Unimanus cum magno instructu belli contra Viriatum missus, quasi pro abolenda superiore macula, turpiorem ipse auxit infamiam. Nam congressus cum Viriato, universas, quas secum deduxerat copias, maximasque vires Ro. exercitus amisit. Viriatus trabeas, fasces, cæteraque insignia Romana, in montibus trophæum præfixit. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua* LXX *Lusitanos, Romanos autem trecentos viginti interfectos Claudius refert. Cum victores Lusitani sparsi ac securi abirent, unus ex his longe a cæteris segregatus, cum, circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus, unius eorum equo lancea perfosso, ipsius gladio ad unum ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, ut prospectantibus cunctis, ipse liber atque otiosus abscederet. Appio Claudio, Q. Cæcilio Metello coss., Ap. Claudius adversus Salassos Gallos congressus, et victus* V *millia militum perdidit : sequenti pugna* V *millia hostium occidit. Sed cum juxta legem, qua constitutum erat, ut quisquis* V *millia hostium peremisset, triumphandi potestatem haberet ; iste quoque triumphum expetisset, propter superiora vero damna non impetrasset, infami imprudentia atque ambitione usus, e suis privatis sumptibus triumphavit. L. Cæcilio Metello, Q. Fabio Maximo Serviliano coss., inter cætera prodigia* Androgynus Romæ visus jussu haruspicum in mare mersus est. [f] *Sed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tanta*

[a] A. pro XXII habet XXV.

[b] Hæc absunt in A. et H. qui breviter habent post verbum *redegit : Corinthiis quoque bellum indictum est nobilissimæ Græciæ civitati propter injuriam legatorum Rom. Hanc Mummius consul cepit et diruit. Tres igitur Romæ simul celebr.*, etc.

[c] A., *Andaristus.* H., *Andariscus.*

[d] A., *Pseudoperses.*

[e] A. et H., post verbum *superatus est*, omiss. cæt., statim legunt : *His diebus Androgynus*, etc.

[f] A. et H. hinc legunt : *Eodem tempore Metellus in Celtiberiam missus apud Hispanos res egregias gessit, successit ei Q. Pompeius, nec multo post Q. quoque Cæpio ad idem bellum missus est, quod quidem Viriatus contra Rom. in Lusitania gerebat, quo metu Viriatus a suis interfectus est, cum* XIV *annos Hispaniam adversus Romanos movisset. Pastor primo fuit, mox latronum dux, postremo tantos ad bellum popu-*

Digitized by Google

subito pestilentia orta est, ut ministri quoque faciendorum funerum primum non sufficerent, deinde non essent. Jamque etiam magnæ domus vacuæ vivis, plenæ mortuis remanserunt : largissimæ introrsum hæreditates, et nulli penitus hæredes. Denique jam non solum in Urbe vivendi, sed etiam appropinquandi ad Urbem negabatur facultas : tam sævi per totam Urbem tabescentium sub tectis, atque in stratis suis cadaverum putores exhalabantur. Expiatio illa crudelis, et viam mortis hominum, mortem hominis instruens, tandem Romanis inter miserias suas erubescentibus quam misera et vana esset innotuit. Ante enim in suffragium præveniendæ cladis est habita, et sic pestilentia consecuta est : quæ tamen sine ullis sacrificiorum satisfactionibus tantummodo secundum mensuram arcani judicii expleta correptione sedata est. Quam si artifices illi circumventionum aruspices sub ipsa, ut assolet, declinatione morborum forte celebrassent, procul dubio sibi, diis, et ritibus suis reductæ sanitatis gloriam vendicassent. Igitur Metellus cos. in Celtiberia contra Lusitanos et Viriatum dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriatus obsidebat, depulsis hostibus, liberavit, et in deditionem cum pluribus aliis castellis recepit. Fecit autem facinus, etiam ultimis barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei et moderationi, exsecrabile. Quingentis enim principibus eorum, quos societate invitatos deditionis jure susceperat, manus præcidit.

Q. Pompeius cos. sequentis anni, fines Numantiorum ingressus, accepta maxima clade discessit, non solum exercitu pene profligato, verum etiam plurimis nobilium, qui ejus militiæ aderant interemptis. Viriatus autem cum per XIIII annos Romanos duces atque excercitum protrivisset, insidiis suorum interfectus est : in hoc solo Romanis circa eum fortiter agentibus, quod percussores ejus indignos præmio judicaverunt, dicentes, Romanis nunquam placuisse a suis militibus interfici imperatores. [a] At ego non modo nunc, verum etiam sæpe intertexere Orientis illa inextricabilia bella poteram, quæ raro unquam nisi sceleribus aut incipiunt, aut etiam terminantur, sed Romanorum, cum quibus nobis actio est, tanta sunt, ut jure fastidiantur aliena. Mithridates tunc siquidem rex Parthorum sextus ab Arsace, victo Demetrii præfecto, Babylonem urbem, finesque ejus universos victor invasit. Omnes præterea

A gentes, quæ inter Hydaspen fluvium, et Indum jacent, subegit. Ad Indiam quoque cruentum extendit imperium. Demetrium ipsum secundo sibi bello occurrentem vicit et cepit. Quo capto, Diodotus quidam cum Alexandro filio regnum ejus et regium nomen usurpavit. Qui postea ipsum Alexandrum filium, quem participem periculi in pervadendo regno habuerat, ne in obtinendo consortem haberet, occidit. M. Æmilio Lepido, C. Hostilio Mancino Coss., prodigia apparuere diversa, et quantum in ipsis fuit, ex more curata sunt : sed non semper aucupatoribus eventuum, et structoribus fallaciarum aruspicibus opportuni casus suffragantur. Namque Mancinus cos., postquam a Pompeio apud Numantiam suscepit exercitum, adeo infeliciter prælia cuncta gessit, atque in id suprema desperatione perdu-B ctus est, ut turpissimum fœdus cum Numantinis facere cogeretur : quamvis et Pompeius aliud æque infame fœdus cum eisdem Numantinis paulo ante pepigisset, senatus dissolvi fœdus, et Mancinum dedi Numantinis præcepit. Qui, nudato corpore, manibusque post tergum revinctis, ante portas Numantinorum expositus, ibique usque ad noctem permanens a suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lacrymabile utrisque spectaculum præbuit. Is contra Numantinos bellum acturus, Laviniique sacrificaturus cum esset, emisit cavea pullarius pullos, qui in sylvam evolaverunt, nec reperti sunt diu, multumque quæsiti. Navigaturus idem e portu Herculis, sine auctore vocis audivit : Mancine mane. Cumque scapham conscendisset, immensum anguem illic exhorruit. Tribus prodigiis nuntiata sunt C infelicia tria, pugna, fœdus, deditio. Interea Brutus in ulteriore Hispania LXM Gallæciorum, qui Lusitanis auxilio venerant, asperrimo bello, et difficili, quamvis incautos circumvenisset, oppressit. Quorum in eo prælio XL millia occisa, sex M capta referuntur, pauci fuga evaserunt. In citeriore Hispania Lepidus procos. Vacceos innoxiam gentem, et supplicem, etiam senatu prohibente, pertinaciter expugnare tentavit, sed mox accepta clade gravissima, improbæ pertinaciæ pœnas luit. Sex mil. quippe Ro. in hoc injusto bello prius invictiss. cæsa sunt; reliqui, exustis castris, armis etiam perditis, evaserunt. Nec minus turpis hæc sub Metello clades, quam sub Mancino fuit. Ser. Fulvio Flacco, Q. Caphurnio Pisone coss., Romæ puer [b] ex

los concitavit, ut assertor contra Romanos Hispaniæ putaretur. Huic namque primum Sex. Vetilius H., Vecilius prætor occurrit, qui, toto exercitu cæso, vix fuga lapsus evasit, deinde Gaium Plautium prætorem idem Viriatus fractum fugavit. Post hæc Claudium Unimannum, H., Unimammium, alii Unimanum, cum omni exercitu superavit. Denique cum interfectores ejus præmium a Cæpione (Eutropio Scipione) cos. peterent, responsum est, nunquam Romanis placuisse imperatores a suis militibus interfici. Hæc ad verbum pene cum Eutropio conveniunt, nisi quod plura Mss. habeant inserta, ut vides, quam Eutropius. CACI.

[a] Reliqua, usque ad verba Romæ puer, absunt in H. et A.

[b] Hæc quæ sequuntur usque ad verba, Tunc Scipio Tyresium longe aliter, et brevius habent Codices mss. H. et A. his verbis : Eo tempore Romæ puer ex ancilla natus est, quadrupes, quadrimanus, oculis

D quatuor, auribus totidem, naturam virilem duplicem habens. In Bononiensi agro fruges in arboribus natæ sunt. Q. Pomp. deinde cos. a Numantinis, quæ Hispaniæ civitas fuit opulentissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum C. Hostilius Mancinus cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem, quam populus, et senatus jussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi, ut in illo, quasi auctorem fœderis vindicarent. Cumque per continuos annos XIV cos. IV (H. cum solis IV millibus) XL millia Rom. protrivissent, post tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis bis Romani exercitus fuerant subjugati, Publius Scipio Africanus sec. consul factus est, et ad Numantiam missus est. Is primum militem vitiosum et ignavum, exercendo magis quam puniendo, sine aliqua acerbitate correxit. Mox pugna cum Numantinis commissa, exercitus Rom., etc.

ancilla natus, quadripes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplex. *In Sicilia mons Ætna vastos ignes eructavit, ac fudit, qui torrentum modo per prona præcipites, proxima quæque corripientibus exussere flammis : longinquiora autem favillis calidis cum vapore gravi late volitantibus torruerunt. Quod Siciliæ semper vernaculum genus monstri, non portendere malum assolet, sed inferre. In Bononiensi agro fruges in arboribus natæ sunt. Igitur in Sicilia bellum servile ortum est, quod adeo atrox, et grave multitudine servorum instructum, magnitudine copiarum, et virium fuit, ut non dicam prætores Romanos, quos penitus profligarit, sed consules quoque terruerit; nam septuaginta millia servorum tunc in arma conspirantium fuisse referuntur, excepta urbe Messana, quæ servos liberaliter habitos in pace continuit. Cæterum in hoc solo Sicilia miserior, quia insula, et nunquam erga pactum sui juris idonea, nunc tyrannis subjecta, nunc servis : vel illis dominatu improbo exigentibus servitutem, vel istis præsumptione perversa commutantibus libertatem, maxime quia clausa undique mari, egerere foras non facile potest. Quæ intestinum malum viperinam quoque conceptionem perditionis suæ aluit, sua libidine auctam, sua morte victuram. In hoc autem servilis tumultus excitatio, quanto rarior exstat cæteris, tanto truculentior est, quia qua intentione commovetur libera multitudo, ut patriam augeat, ea servilis ut perdat. Anno ab Urbe condita 620, cum major pene infamia facta de fœdere apud Numantiam facto, quam apud Caudinas quondam furculas, pudorem Romanæ frontis oneraret, Scipio Africanus consensu omnium tribuum secundo consul creatus, atque ad oppugnandam Numantiam cum exercitu missus est. Numantia autem citerioris Hispaniæ haud procul a Vacceis et Cantabris in capite Gallitiæ sita, ultima Celtiberorum fuit. Hæc per annos quatuordecim cum solis quatuor millibus suorum, quadraginta millia Romanorum, non solum sustinuit, sed etiam vicit, pudendisque fœderibus affecit. Post tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis Romani exercitus bis fuerant subjugati, P. Scipio Africanus ad expugnandam, ut diximus, Numantiam missus est. In Hispaniam ingressus, non se illico ingessit hostibus, ut quasi incautos circumveniret, sciens nunquam id genus hominum adeo in otio torpere, atque animo resolutum, ut non ipsa qualitate habitudinis suæ apparatus aliorum præcelleret. Sed aliquandiu militem suum vitiosum, et ignavum exercendo magis quam puniendo sine aliqua acerbitate, in castris velut in scholis exercuit. Deinde omnia quæ voluptatis causa haberentur in castris, se-*A *vero submoveri jussit edicto. Denique scortorum duo millia cum lixis e procinctu loci ejus ejecta sunt. Tantumque subito sub districto duce profecit exercitus, ut Numantiam diu perniciosissimam Romani brevi solo exæquarent. Igitur cum partem æstatis, totamque hyemem, ne adepta quidem pugna transegisset, sic quoque parum propemodum hæc profecit industria. Namque ubi copia pugnandi facta est*, exercitus Romanus oppressus impetu Numantinorum, terga convertit. Sed increpatione et minis objectantis se consulis, *manuque retinentis*, tandem indignatus in hostem rediit, et quem fugiebat, fugere [a] compulit. *Difficilis tunc in relatu fides, Numantinos fugere, et fugientes videre Romani.* Unde quamvis Scipio, *quia præter spem acciderat*, lætatus et gloriatus esset, tamen ultra bel-B lum adversus eos audendum non esse professus est. Itaque urbem obsidione [b] conclusit. *fossa etiam circumdedit, cujus latitudo pedibus decem, altitudo viginti pedum fuit. Ipsum deinde vallum sudibus præstructum, crebris turribus communivit. Numantia autem in tumulo sita, haud procul e flumine Durio, tria millia passuum ambitu muri amplexabatur, quamvis aliqui asserant eam et parvo situ, et sine muro fuisse. Unde credibile est, quia hoc spatium cura alendorum, custodiendorumque pecorum, vel etiam exercendi ruris commodo, cum Romano bello premerentur, incluserint, ipsi arcem parvam natura munitam obtinentes : alioquin paucitatem hominum, tam amplum muri spatium non munire magis quam prodere potius videbatur. Igitur* C *conclusione diu Numantini, et fame trucidati, deditionem sui obtulerunt, si tolerabilia juberentur. Sæpe enim orantes justæ pugnæ facultatem, ut tanquam viris mori liceret, ultimo omnes subito duabus portis erumpunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum a calefaciendo cæliam vocant. Suscitatur enim ignea vis illa germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, et post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermento sapor austeritatis, et calor ebrietatis adjicitur. Hac igitur potione post longam famem recalescentes, bello sese obtulerunt.* Atrox diu certamen, et usque ad periculum Romanorum fuit. Iterumque Romam, pugnare se adversum Numantinos fugiendo probavissent, nisi sub Scipione pugnas-D sent. Numantini, interfectis suorum fortissimis, bello [c] recedunt, compositis tamen ordinibus, nec sicut fugientes in urbem revertuntur. Corpora interfectorum ad sepulturam oblata accipere [d] noluerunt. *Novissima spe desperationis in mortem omnes destinati, clausam urbem ipsi introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atque igne consumpti sunt.* [e] Ro-

[a] Post *compulit*. In cit. Mss. A. et H., *Unde quamvis*, etc., omiss cæt., quæ diverso charactere notavimus.

[b] Post *conclusit* iidem legunt, *vallo circumdedit. Cumque diu conclusi fame laborarent, pugnæque facultatem exposcerent, ut mori eis quasi viris liceret, novissime larga prius potione calefactis, quæ maleficiis frugibus confici solet, subito super Romanos irrupere. Atrox diu*, etc.

[c] A., *cedunt.*

[d] Post *noluerunt* uterque Codex, *clausaque urbe, cuncti pariter*, etc.

[e] *Romani ex his nihil aliud quam securitatem adepti sunt, seque magis evasisse Numantinos, quam vicisse dixerunt. Unum Numantinum victoris catena non tenuit, quidquid*, etc. Confer hæc, lector, cum Eutropio, et videbis quid Paulus Diaconus Eutropio, et quid auctor Miscellæ Paulo Diacono addiderit. CANIS.

Digitized by Google

mani nihil ex his *penitus* habuere *victis*, præter securitatem suam. Neque eversa Numantia, vicisse se magis Numantinos quam evasisse dixere. Unum Numantinum victoris catena non tenuit, *unde triumphum viderit Roma*, quidquid supellectilis fuit, ignis absumpsit. *Igitur ea tempestate, cum hæc apud Numantiam gesta sunt, apud Romam Gracchorum seditiones agitabantur.* Tunc Scipio Tyresium quemdam Celticum principem consuluit, qua de causa Numantia prius invicta durasset, et post eversa fuisset. Tyresius respondit: Concordia victoriam, discordia excidium præbuit. *Quod Romani tanquam sibi, ac de se dictum exempli loco acceperunt. Quippe quibus de seditionibus discordantis totius Urbis nuntiabatur.* Hac tempestate apud Judæos, occiso Juda Machabæo, frater ejus Jonathas pontifex habetur. Tunc etiam claruit apud Brundusium Pacuvius tragœdiarum scriptor. Igitur Scipio multas Hispaniæ civitates, partim cepit, partim in deditionem accepit. Numantiam a solo evertit, reliquam provinciam in fidem accepit. Eodem tempore Attalus rex [a] *Syriæ*, frater Eumenis mortuus est, hæredemque populum Romanum reliquit. Ita Romano imperio per testamentum Asia accessit. [b] *Igitur Carthagine, Numantiaque deleta, oritur apud Romanos utilis de provisione collatio, et oritur infamis de ambitione contentio. Gracchus trib. pleb. iratus nobilitati, cur inter auctores Numantini fœderis notatus esset, agrum a privatis eatenus possessum, populo dividi statuit. Octavio trib. pleb. obsistenti ademit imperium, et successorem Minutium dedit. His causis senatum ira, populum superbia invasit. Gracchus gratiam populi pretio appetens, invidam legem tulit, uti pecunia, quæ fuisset Attali, populo distribueretur. Obsistente Nasica, etiam Pompeius spopondit se Gracchum, cum primum magistratu abisset, accusaturum. Gracchus, cum niteretur, ut ipse trib. pleb. subsequenti anno permaneret, pullarium domi consuluit, et ab eo ire in campum prohibitus est. Sed cum pertinaciter pergeret, sic illisit mox extra januam pedem, ut ejus excideretur articulus. Deinde prodeunti ei tres corvi cum vocibus adversis involaverunt, et compugnantes tegulam ante pedes ejus dejecerunt. Cumque in Capitolio consuleret, similia auspicia audivit. Et cum comitiorum die seditiones populi accenderet, auctore Nasica inflammata nobilitas, fragmentis subselliorum plebem fugavit. Gracchus per gradus, qui sunt super Calphurnium fornicem, detracto amiculo fugiens, ictus fragmento subsellii corruit: rursusque assurgens, alio ictu clavi cerebro impacti exanimatus est. Ducenti præterea in ea seditione interfecti, eorumque corpora in Tiberim projecta sunt. Ipsius quoque Gracchi inhumatum cadaver extabuit. Interea orta in Sicilia belli servilis contagio, multas late infecit provincias. Nam et Minturnis quadringenti quinquaginta servi in crucem acti: et Sinuessæ ad septem millia servorum a Q. Metello, et Cn. Servilio Cepione oppressi sunt. In Metallis quoque Atheniensium idem tumultus servilis ab Heraclito prætore discussus est. Apud Delon etiam servi novo motu intumescentes, oppidanis prævenientibus, pressi sunt: absque illo primo Siciliensis mali fomite, a quo istæ velut scintillæ micantes, diversa hæc incendia seminaverunt. In Sicilia enim post Fulvium consulem Piso consul Mamertium oppidum expugnavit, ubi octo millia fugitivorum interfecit, quos autem capere potuit, patibulo affixit. Cui cum Rutilius Cos. successisset, idem quoque Taurominium, et Ennam, firmissima fugitivorum refugia, bello recepit: amplius quam viginti millia tunc servorum trucidata referuntur. Misera profecto talis belli, et inextricabilis causa pereundi utique dominis erat, nisi insolescentibus servis ferro obviam iretur. Sed tamen in ipsis quoque infelicissimis damnis pugnæ, et infelicioribus lucris victoriæ, quanti periere victi, tantum perdidere victores. Anno ab Urbe condita 622.* Motum interim in Asia bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina susceptus fuerat. Ipse [c] *Eumenes* frater Attali fuerat. [d] Missus est *adversus eum cum instructissimo exercitu* P. Licinius *Crassus cos. et pontifex max.*, habens *insuper* infinita regum auxilia. Nam et Bithyniæ rex Nicomedes Romanos juvit, et [e] Mithridates, *rex Ponti et Armeniæ*, cum quo bellum postea gravissimum fuit, et Ariarates Cappadox, et Pylemenes [f] Paphalagon, *eorumque maximis copiis adjutus, conserto* tamen *bello* [g] victus *est* Crassus, et *cum exercitu post plurimam cædem in fugam acto, ipse* ab hostibus captus est: qui magis mori eligens, quam a barbaro abduci, virgam, qua equum agitabat, in oculum se tenentis [h] injecit. *Barbarus autem, cum ira et dolore exarsisset, latus Crassi gladio transverberavit.* Ita ille, excogitato genere mortis, effugit cum dedecore servitutem. Caput ejus ab Aristonico sublatum, corpus Smyrnæ sepultum est [i]. *Iste tam cito Græce in castrensibus expeditionibus studuit, ut sociis Aristonici Græce omni parte illius linguæ sine interprete responderet.* Postea Perpenna cos. Romanus, qui Crasso successor veniebat, audita belli fortuna ad Asiam [j] *properavit. Aristonicum recenti victoria feriatum, improviso bello adortus, nudatumque omnibus copiis*

[a] Ambrosianus, *Asiæ*.

[b] Ambros. et Hersfel. hinc legunt: *Mox etiam Decius Junius Brutus de Callecis et Lusitanis magna gloria triumphavit, et post Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit anno 14 postquam de Africa egerat. Interea in Sicilia bellum servile exortum, ac per Fulvium, et Rutilium amplius quam* XX *millia tunc servorum trucidata sunt. Minturnis* CCCCL *servi in cruce suspensi sunt. Apud Sinuessam vero* IV *millia servorum a Q. Metello et Cneo Servilio oppressa narrantur. Motum interim*, etc.

[c] Ambros. legit, *Eumenis*.

[d] Idem, *Missus est post L. Crassus habens infinita*, etc.

[e] A., *Mitridates Ponticus, cum quo*, etc.

[f] Ambros., Hersfeld. et Eutropius habent, *Polemenes*.

[g] A. brevius *victus tamen Crassus, et ab*, etc.

[h] A. post *injecit*, *moxque ab eo confossus est*.

[i] Reliqua diverso charactere notata non leguntur in Ambros. et Hersf.

[j] A., *acceleravit, et acie victum Aristonicum apud Stratonicensium civitatem, quo fugerat, fame ad deditionem compulit. Aristonicus*, etc.

Digitized by Google

*in fugam convertit. Cumque Stratonicem urbem, ad quam ille confugerat, obsidione cinxisset, trucidatum fame ad deditionem coegit.* Aristonicus jussu senatus in carcere strangulatus est. Triumphari enim de eo non poterat, quia Perpenna cos. apud Pergamum Romam rediens diem obierat. [a] *Eodem anno Ptolemæi Alexandrinorum regis misera vita miseriorem vitæ exitum dedit. Is enim sororem suam stupro cognitam, ac deinde in matrimonium assumptam, novissime turpius quam duxit, abjecit. Privignam vero suam, hoc est, filiam sororis, et conjugis, conjugem ascivit: filium suum, quem ex sorore susceperat, necnon et filium fratris occidit. Quam ob rem tantis incestis, parricidiisque exsecrabilis, ab Alexandrinis regno pulsus est. Iisdem temporibus Antiochus non contentus Babylonia, atque Eybathana, totiusque Mediæ imperio, adversus Phrahatem Parthorum regem congressus et victus est; qui cum in exercitu suo centum millia armatorum habere videretur, ducenta millia amplius calonum atque lixarum immixta scortis et histrionibus trahebat. Itaque facile cum universo exercitu suo Parthorum viribus oppressus interiit. C. Sempronio Tuditano, et M. Acilio coss., P. Scipionem Africanum pridie pro concione de periculo salutis suæ contestatum, quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis denuntiari cognovisset, alio die mane exanimem in cubiculo suo repertum, non temere inter maxima Romanorum mala recensuerim, præsertim cum tantum in ea urbe Africani vigor et modestia valeret, ut facile vivo eo, neque sociale neque civile bellum posse existere crederetur. Hunc quidam uxoris suæ Semproniæ, Gracchorum autem sororis, dolo necatum ferunt, ne scelerata, ut credo, familia, ad perniciem patriæ suæ nata, inter impias seditiones virorum, non etiam facinoribus mulierum esset immanior. Causa autem interitus ejus hæc fuit: C. Carbo trib. pleb. cupiens necem vindicare Gracchorum, et excitare seditionem sopitam, P. Scipionem Africanum eruta Numantia, revertentem in concione interrogavit quid de Gracchi morte sentiret? Cui Africanus, jure cæsum videri dixit. M. Æmilio, L. Orest. coss., Ætna vasto tremore concussa exundavit igneis globis. Rursusque alia die Lipare insula, et vicinum circa eam mare in tantum efferbuit, ut adustas quoque rupes dissolverit, tabulata navium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos pisces, supernatantesque excoxerit. Homines quoque* A *nisi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris, adustis introrsum vitalibus, suffocabat. M. Plautio Hypseo, M. Fulvio Flacco coss., vix dum Africa a bellorum excidiis quiescente, horribilis et inusitata perditio consecuta est. Nam cum per totam Africam immensæ locustarum multitudines convaluissent, et non modo jam cunctam spem frugum abrasissent, herbasque omnes cum parte radicum, folia arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, verum etiam amaras cortices, atque arida ligna prærroderent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aerem, Africano pelago immersæ sunt. Harum cum immensos acervos, longe undis urgentibus, fluctus per extenta late littora propulissent, tetrum nimis atque ultra opinionem pestiferum odorem tabida,* B *et putrefacta congeries exhalavit. Unde omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, ut avium, pecudum, ac bestiarum corruptione aeris dissolutarum, putrefacta passim cadavera, vitium corruptionis augerent. At vero quanta fuerit hominum lues, ego ipse dum refero, toto corpore perhorresco. Siquidem in Numidia, in qua tunc Micipsa rex erat, octinginta millia hominum: circa oram vero maritimam, quæ maxime Carthaginensi atque Uticensi littori adjacet, plusquam ducenta millia periisse traditum est. Apud ipsam vero Uticam civitatem triginta millia Romanorum militum, quæ ad præsidium totius Africæ ordinata fuerant, exstincta atque abrasa sunt. Quæ clades tam repentina ac tam violenta institit, ut tunc apud ipsam Uticam sub una die per unam portam ex illis junioribus* C *plusquam mille quingentos mortuos elatos fuisse narretur. Veruntamen pace, et gratia omnipotentis Dei dixerim, de cujus misericordia, et in cujus fiducia hæc loquor, quamvis et temporibus nostris exoriantur aliquando, et hoc diversis terræ partibus locustæ, et plerumque etiam, sed tolerabiliter lædant, nunquam tamen temporibus Christianis tanta vis inextricabilis mali accidit, ut pernicies locustarum, quæ nullo modo ferri viva potuisset, mortua plus noceret: et qua diu vivente peritura erant omnia, ea perdita, pereuntibus magis omnibus, optandum fuerit ne periret. Anno ab Urbe condita* 627, L. Æmilio Cæcilio Metello, et T. Quintio Flaminio coss. Carthago in Africa [b] *restitui jussa, vigesimo secundo demum anno, quam fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis, quæ eam incole-* D *sunt cives Romani. Anno 627 ab U. C., Caius Cassius Longinus, et Sex. Domitius Calvinus coss.* (H., *Calvi*) *Gallis transalpinis bellum intulerunt, et Arbenorum* (H., *Arbennorum*) *tunc nobilissimæ civitati, atque eorum duci Vituito, infinitamque multitudinem juxta Rodanum fluvium interfecerunt. Denique cum Vituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse jactaret, et ipse* CLXXX *millia armatorum haberet, conserta pugna a Romanis superatus est, ex cujus exercitu partim in bello, partim submersi* (H., *submersa*) *cum ponte, quem sibi junctis navibus supra Rodanum exstruxerunt,* CL *millia perierunt. Præda ex torquibus Gallorum ingens Romam perlata est. Vituitus se Domitio dedidit* (H., *dedit*) *atque ab eo Romam deductus est, magnaque gloria coss. ambo triumphaverunt. M. Portio Catone, et Q. Marcia Rega* (H., *Martio*) *Coss. anno 633 ab U. C. Narbonæ in Gallia colonia deducta est, annoque post a Licinio Me-*

[a] Ambros. et Hersf. hinc legunt: *His diebus tanta per totam Africam locustarum multitudo convaluit, ut simul fruges, herbas, arborum folia, corticesque corroderent, quæ, repentino vento sublatæ, in Africano sunt pelago demersæ. Sed cum earum acervos fructus per extenta littora pertulissent, pestiferum odorem putrefacta congeries exhalavit. Unde omnium animantium, avium, pecudumque ac bestiarum pestis existens vitium corruptionis ampliavit, qua pestilentia in Numidia* DCCC *millia hominum, circa Carthaginem vero plusquam* CC *millia perierunt. Romanorum vero militum, qui ibi ad præsidium erant* XXX *millia exstincta sunt. Lucio Metello Cæcilio et T. Q. Flaminio coss.* (*H. L. Cæcilio Metello*).

[b] A. et Hersfeld. paucis admodum inter se discordantes habent: *Carthago jussu senatus reparata est, quæ manet* (Hersf., *nunc manet*) *annis duobus, et* XX *evolutis, postquam a Scipione fuerat eversa. Deducti*

Digitized by Google

rent, restituta et repleta est, magno ante prodigio præcedente. Nam cum mensores ad limitandum Carthaginensem agrum missi, stipites terminorum indices fixos nocte a lupis revulsos mordicus, corrososque reperissent, aliquandiu hæsitatum est utrum Romanæ paci expediret Carthaginem reformari. Eodem anno Caius Gracchus, Gracchi illius, qui jam occisus in seditione fuerat, frater, tribunus pleb. per tumultum creatus, magna Reip. pernicies fuit. Nam cum sæpe populum Romanum largitionibus, promissisque nimiis in acerbissimas seditiones excitavisset, maxime legis agrariæ causa, pro qua etiam frater ejus Gracchus fuerat occisus, tandem a tribunatu, Minutio successore, decessit. Minutius tribunus plebis, cum maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta convulsisset, legesque abrogasset, Gracchus cum Fulvio Flacco ingenti stipatus agmine, Capitolium, ubi concio agitabatur, ascendit. Ibi maximo tumultu excitato, quidam præco a Gracchianis interfectus, velut signum belli fuit. Flaccus duobus filiis armatis cinctus, comitante etiam Graccho togato, brevemque gladium sub sinistra occultante, quamvis et præconem frustra præmisisset, qui servos ad libertatem vocaret, Dianium, tanquam arcem, occuparit. E contra Decius Brutus, vir consularis, cum C. Publio, cum ingenti certamine irruit, ibique Flaccus diu obstinatissime dimicavit. Gracchus vero postquam in templum Minervæ secesserat, gladio incumbere volens, interventu Letorii retentus est. Itaque cum diu anceps bellum agitaretur, tandem sagittarii ab Opimio missi, confertam multitudinem disturbaverunt. Duo Flacci pater filiusque, cum ex æde Lunæ in privatam quamdam domum desiluissent, foresque objecissent, rescisso craticeo pariete confossi sunt. Gracchus, diu pro se amicis pugnantibus, ac pereuntibus, ægre ad pontem Sublitium pervenit, ibique ne vivus caperetur, cervicem servo suo præbuit. Caput Gracchi excisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem, Misenum oppidum, devectum est. Hæc autem Cornelia Africani majoris filia, Misenum, ut dixi, prioris filii morte secesserat. Bona Gracchi publicata sunt. Flaccus adolescens in robore necatus est. Ex factione Gracchi ducenti quinquaginta in Aventino monte cæsi fuisse referuntur. Opimius cos., sicut in bello fortis fuit, ita in quæstione crudelis. Nam amplius quam tria millia hominum suppliciis necavit, ex quibus plurimi, nec dicta quidem causa, innocentes interfecti sunt. Iisdem temporibus Metellus Baleares insulas bello pervagatus edomuit, et piraticam infestationem, quæ ab eisdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde compressit. Cn. quoque Domitius procos. Allobrogas Gallos juxta oppidum Vindalium gravissimo bello vicit, maxime cum elephantorum nova forma equi hostium hostesque conterriti diffugissent. Viginti millia ibi Allobrogum cæsa referuntur, tria millia capta sunt. Eodem tempore Ætna mons ultra solitum exarsit, et torrentibus igneis superfusis, lateque circumfluentibus, Catinam urbem, finesque ejus oppressit, ita ut tecta ædium calidis cineribus præusta, et prægravata corruerent: cujus levandæ cladis causa senatus decem annorum vectigalia Catinensibus remisit. Anno ab Urbe condita 628, Fabius Cos. Bituito regi Arvernorum Galliæ civitatis bellum maximo instructu comparanti, adeo cum parvo exercitu occurrit, ut Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse jactaret. Qui cum sibi ad transferendas copias unum pontem Rhodani fluminis parum esse intelligeret, alium compactis lintribus catenisque connexum, superstratis confixisque tabulis instruxit. Conserta pugna, et diu graviter agitata victi Galli, conversique in fugam, dum sibi quisque timet, coacervatis inconsulte agminibus, præpropero transitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt. Centum quinquaginta octo millia armatorum in exercitu Bituiti fuisse traduntur, ex quibus centum quinquaginta millia, vel cæsa, vel mersa sunt. Q. Marcius cos. Gallorum gentem sub radice Alpium sitam, bello aggressus est. Qui cum se Romanis copiis circumseptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occisis conjugibus ac liberis, in flammas sese projecerunt. Qui vero, præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captique fuerant, alii ferro, alii suspendio, alii abnegato sibi cibo sese consumpserunt, nullusque omnino, vel parvulus superfuit, qui conditionem servitutis vitæ amore toleraret. Et Narbone colonia deducta est Romana, et de his triumphatum est. Anno ab Urbe condita 635, C. Cato cos. [a] Scordiscis bellum intulit, ignominioseque pugnavit, C. Cæcilio Metello et Cn. Carbone coss. duo Metelli fratres eodem die, unum ex Thracia, alterum ex Sardinia, triumphum egerunt [b].

Publio Scipione Nasica, et L. Calphurnio Bestia coss. Jugurthæ Numidarum regi [c] bellum consensu populi Ro. senatus indixit. Igitur Jugurtha Micipsæ

tello, et Q. Mutio Scævola coss. de Dalmatia triumphatum est. Anno 635 ab U. C., C. Cato, etc., ubi H. iterum convenit cum Miscella per paucula tantum lineas; convenit vero omnino ad verbum cum Eutropio, usque ad finem libri IV, quem his verbis concludit: *ductus est catenatus:* post quæ verba hæc codex Ms. H. subjungit: *et mox jussu Consulis in carcere strangulatus est. His apud Hierosolymam diebus Joannes dux Judæorum, et pontifex exstitit, qui ab eo, quod Hircanos bello vicerat, Hircani nomen accepit. Per id etiam tempus Cicero Arpinis nascitur, matre Elvia nomine, patre equestris ordinis ex regio Vulscorum genere. Eodemque tempore quædam virgo Romana in Apuliam pergens, ictu fulminis exanimata est, omnibus sine scissura aliqua vestimentis ademptis, ac pudoris pedumque vinculis dissolutis, monilibus etiam annulisque discussis, illæsa corpore, nuda jacuit, equus quoque ejus pari modo frenis et vinculis peremptus jacuit dissolutis.* Hæc de suo Hersfeld. codice Canisius, quæ conveniunt etiam cum Ambrosiano. Nos vero lectionem nostri continuamus, ne lectoribus ad Eutropium remissis incommodi simus.

[a] A., *Cordiscis.*

[b] A., post *egerunt, nuntiatumque Romæ est Cimbros e Galliq in Italiam transisse.* Post *Scipione Nasica,* etc.

[c] Idem post *bellum illatum est, quod Adherbalem et Hiemsalem Micipsæ filios fratres suos reges, et pop Rom. amicos interemisset. Missus adversus eum cos. Calpurnius Bestia, corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, et a senatu improbata est. Postea contra eumdem in sequenti anno Sp. Postumius*



Digitized by Google

*Numidarum regis adoptivus hæres inter naturales ejus filios factus, primum cohæredes suos Hiempsalem occidit, Adherbalem bello victum ab Africa expulit : deinde Calphurnium Bestiam coss. adversum se missum pecunia corrupit, atque ad turpissimas conditiones pacis adduxit, quæ a senatu improbata est. Præterea cum ipse Romam venisset, omnibus pecunia corruptis, aut attentatis, ad seditiones dissensionesque male permiscuit. Quam cum egrederetur, infami satis notavit elogio dicens,* O URBEM VENALEM, *et mature perituram, si emptorem inveniret. In sequenti anno Sp. Postumium Albinum Postumii alterius cos. fratrem, quem is quadraginta millium armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam urbem thesauris regis ibi conditis inhiantem bello oppressit. Cui victo ignominiosum fœdus exegit, et universam pene Africam a Romanis deficientem regno suo junxit. Postea* missus Q. Cæcilius Metellus cos. Is exercitum ingenti severitate et moderatione correctum, cum nihil in quemquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Jugurtham [a] *duobus* prœliis vicit, elephantes ejus occidit, vel cepit, [b] multas civitates *ejus evertit. Et cum jam vidit se præsente vastari Numidiam suam, et non posse defendi, ab eo ad deditionem coactus, trecentos obsides dedit : insuper frumentum, atque alios commeatus persoluturum se spopondit : tria millia amplius perfugarum reddidit. Exin cum incertus in pace improbos non prohiberet excursus, C. Marii cos., qui non minore pene quam ipse præditus erat astutia, Romanisque viribus fractus est, maxime postquam Marius urbem Capsam ab Hercule Phœnice, ut ferunt, conditam, regiis thesauris confertissimam, dolo circumvenit, et cepit. Diffidens deinde propriis rebus et viribus, Jugurtha societatem cum Boccho Maurorum rege fecit, cujus equitatu in immensum auctus Marianum exercitum creberrimis incursionibus fatigavit. Postremo apud Cirtam urbem antiquam Masinissæ regiam adversum Romanos expugnationem ejus parantes, sexaginta millibus equitum instructus occurrit. Nunquam ulla Romano militi tumultuosior pugna et terribilior fuit, adeo ut discursu et fremitu circumcursantium, et impetentium equitum suscitatus pulvis cœlum obtexerit, diem ademerit, noctemque obduxerit : tantus autem telorum nimbus ingruerit, ut nulla pars corporis ab ictu tuta esset. Quippe quibus, et visus ad prospiciendum impedimento caliginis, et expeditio ad cavendum compressione multitudinis deerat. Nec laborabat eques Maurus, ac Numida, ut bene collocatum hostem opportuno teli impetu rimaretur, sed potius in incertum tela mittebant, certi quod vulnera incerta non essent : ita coacti in unum Romani equites, in unum pedites densabantur. Intercapedinem tanti periculi nox interveniens prœlium diremit. Eadem postera die, et belli periculi facie erupere in hostem, quamvis stricto miles gladio ferire non valebat, eminus jaculo repellebatur, fugere non poterat; undique enim velocior ad persequendum eques incluserat. Jam tertia dies, et nullum undecunque suffragium, dira undique mortis facies objiciebatur. Tandem Marius cos. forti desperatione spei viam fecit, universo simul agmine prorupit e vallo, campoque se simul et prœlio dedit. Et cum iterum circumfusi hostes, non solum agminis extrema laniarent, verum etiam media excussis telis procul cæderent, turbatosque Romanos, insuper etiam æstus solis, intolerantia sitis, mortis circumstantia, usque ad extremum desperationis defatigaret, subito notum illud Romanorum adversus Afros tempestatum imbriumque suffragium cœlo missum insperatæ saluti fuit; siquidem repentina pluvia sitientibus Romanis, et æstuantibus refrigerium potumque præbuit. Porro autem Numidis hastilia telorum, quæ manu intorquere sine amentis solent, lubrica ac per hoc inutilia reddidit. Scuta etiam, quæ elephanti corio extento, atque durato habilia, et tuta gestabant, cujus ea natura est, ut acceptum imbrem tanquam spongia ebibat, ac per hoc intractabile repentino pondere fiat, quia circumferri non poterant, defendere nequiverunt. Ita ex insperato conturbatis, destitutisque Mauris ac Numidis, Bocchus et Jugurtha fugerunt. Post hoc nonaginta millia armatorum novissimo bello ab iisdem regibus sunt objecta. Hæc quoque usque ad internecionem vincentibus Romanis cæsa referuntur. Ex hoc Bocchus spem belli abjiciens, pacem petivit, atque in pretium pacis Jugurtham dolo captum, catenisque obrutum per Cornelium Syllam quæstorem legatum Marii, misit ad Marium. Interea nuntiatum est Romæ Cimbros e Gallia in Italiam transire meditari, qui a M. Junio Syllano cos. collega Q. Metelli, in Gallia victi sunt. Ipso eodemque rursus tempore etiam* a Minutio Rufo in Macedonia Scordisci, et Triballi, et a Servilio Cepione in Hispania Lusitani victi sunt, et duo triumphi de Jugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium, acti sunt. Ante currum tamen Marii in triumphum Jugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus, et mox jussu cos. in carcere strangulatus est. His diebus apud Jerosolymam Joannes dux Judæorum et pontifex exstitit, qui ab eo quod Hircanos bello vicerat, Hircani nomen accepit. Per id etiam tempus Cicero Arpini nascitur ex matre Elvia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere. [c] *Eodemque tempore obscœnum prodigium ac triste visum est. L. Clavius eques Romanus cum uxore et filia de Roma in Apuliam rediens, tempestate correptus, cum filiam consternatam*

*Albinus profectus est. Is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit. Tertio missus est Q. Cecilius Metellus Cons. Is*., etc.

[a] A., *variis*.

[b] Noster legit, *multas civitates ipsius cepit, et cum jam finem bello positurus esset, successum est ei a Caio Mario. Is Jugurtham et Boccum Mauritaniæ regem, qui auxilium Jugurthæ ferre cœperat, pariter superavit,* XC *millia armatorum ad internecionem occidit, aliquanta et ipse oppida Numidiæ cepit, belloque terminum posuit, capto Jugurtha per Quæstorem suum Cornelium Sillam, ingentem virum, tradente Bocco, Jugurtham, qui pro eo ante pugnaverat. A M. Junio Sillano collega Q. Metelli Cimbri in Gallia victi sunt, et a Minutio Rufo*, etc,

[c] A. prosequitur : *Eodemque tempore quædam virgo*, etc., ut notavit Canis. in Hersfeldensi supra pag. 29. n. 70, iisdemque verbis explicit in codice nostro lib. IV.

Digitized by Google

*videret, ut citius propioribus tectis succederet, relictis vehiculis, arreptisque equis, filiam virginem equo insidentem in medium agmen accepit. Puella continuo ictu fulminis exanimata est : sed omnibus sine scissura aliqua vestimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis dissolutis, monilibus etiam, annulisque discussis, ipso quoque corpore illæso, nisi quod obscœnum in modum nuda, et lingua paululum exerta jacuit. Equus quoque ipse quo vehebatur, straturis, frenis, et cingulis dissolutis, phaleris quoque scissis passim, ac dispersis, exanimus procul jacuit. Parvoque post temporis intercessu, L. Veturius eques Romanus Æmiliam virginem vestalem furtivo stupro polluit. Duas præterea virgines vestales eadem Æmilia ad participationem incesti sollicitatas contubernalibus sui corruptoris exposuit, ac tradidit. Indicio per servum facto supplicium de omnibus sumptum est. Iisdem præterea Jugurthini belli temporibus L. Cassius cos. in Gallia Tygurinos usque Oceanum persecutus est. Rursusque ab eisdem insidiis circumventus, occisus est. L. quoque Piso legatus Cassii cos, vir consularis, occisus est. C. Publius alter legatus, ne residua exercitus portio, quæ in castra confugerat, deleretur, obsides et dimidium partem omnium rerum Tygurinis firmissimo fœdere dedit. Qui Romam reversus, a Cœlio tribuno pleb. die dicta, eo quod Tygurinis obsides dederat, in exsilium profugit. Cepio procos. e capta urbe Gallorum, cui nomen est Tholosa, centum millia pondo auri, et argenti centum decem millia e templo Apollinis sustulit. Quod cum ad Massiliam amicam populi Romani urbem cum præsidiis misisset, interfectis clam, sicut quidam contestantur, quibus ea custodienda et pervehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur : unde etiam magna quæstio post Romæ acta est.*

# LIBER QUINTUS.

Dum [a] bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, *anno ab Urbe condita* 642, *M. Manlius cos. et Q. Cepio proconsul, adversum Cimbros, et Teutonas, et Tygurinos, et Ambronas, Gallorum, Germanorumque gentes, quæ tum imperium Romanorum exstinguere conspiraverant, missi, provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt. Ubi dum inter se gravissima invidia et contentione discordant, cum magna ignominia, et periculo Romani nominis victi sunt. Siquidem in ea pugna M. Manlius cos. captus atque interfectus est, duoque filii ejus cæsi : octoginta millia Romanorum, sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta millia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantum homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. Hostes binis castris atque ingenti præda potiti, nova quadam, atque insolita exsecratione, cuncta quæ ceperant pessumdederunt. Vestes scissæ, aurum argentumque in flumen abjectum, loricæ virorum concisæ, phaleræ equorum dispersæ, equi ipsi gurgitibus immersi, homines laqueis in collo inditis ex arboribus suspensi sunt : ita ut nihil prædæ victor, nihil misericordiæ victus, cognosceret. Maximus tunc Romæ non solum luctus, verum etiam metus fuit,* quantus vix Annibalis tempore Punicis bellis, [b] *ne confestim Cimbri Alpes transgrederentur, Italiamque delerent. Iisdem temporibus Q. Fabius Maximus filium suum adolescentem rure relegatum cum duobus servis parricidii ministris interfecit, ipsosque continuo servos in pretium sceleris manumisit. Die dicta, Cn. Pompeio accusante damnatus est. Igitur* Marius post victoriam Jugurthinam, secundo cos. est factus, bellumque ei contra Cimbros et Teutones decretum est. Tertio quoque ei et quarto delatus est consulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur. Sed in quarto consulatu collegam habuit Q. Lutacium [c] Catulum, *et cum juxta Isare Rhodanique flumina, ubi in sese confluunt, castra posuissent Teutones, Cimbri, et Tygurini, et Ambrones, postquam continuo triduo circa Romanorum castra pugnarunt, si quo pacto eos excuterent vallo, atque in æquor effunderent, tribus agminibus Italiam petere destinarunt. Marius post digressum hostium castra movit, et collem occupavit, qui campo, et fluvio, ubi hostes sese diffuderant, imminebat. Cumque exercitui ejus aquæ ad potandum deessent, querelisque omnium coargueretur, aquam quidem in conspectu esse respondit, sed eam ferro vindicandam. Primis itaque calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, subsecutus exercitus; mox justo certamine compositis ordinibus bellum gestum est*; et vicere *Romani. Quarto die rursus productæ utrinque acies in campum, usque ad meridiem pene simili pugnavere discrimine. Post ubi, incalescente die, fluxa Gallorum corpora, in modum nivium tabuerunt, usque in noctem cædes potius quam pugna protracta est. Ducenta millia armatorum Gallorum in eo bello interfecta sunt, octoginta millia capta, vix tria millia fugisse referuntur. Dux quoque eorum Theutobodus occisus est. Mulieres eorum constantiore venirent. Ergo Marius post victoriam,* etc.

[a] In H., libri v initium ad verbum convenit cum Eutropio, usque *ad Catuli exercitus* xxi. A. noster quibusdam in locis variam habet lectionem ab utroque, unde notamus. Post *agitur : Romani consules M. Manlius, et Q. Cæpio a Cimbris, a Teutonis, et Tugurinis, et Ambronibus, qui erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt juxta flumen Rodani, et ingenti internecione etiam castra sua, et magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romæ grandis fuit, quantus vix*, etc.

[b] A., et Eutropio Merulæ : *ne iterum Galli Romam*

[c] Post *Catulum : Cum Cimbris itaque conflixit, et duobus præliis* CC *m. hostium cecidit*, LXXX *m. cepit, et ducem eorum Teutomodum perpulit. Propter quod meritum absens consul est factus. Interea Cimbri, et Teutones, quorum copia adhuc infinita erat ad Italiam transierunt. Iterum a Caio Mario, et Q. Catulo contra eos dimicatum est, sed a Catuli parte felicius, nam prælio, quod simul ambo gesserunt,* CXI *m. aut in pugna aut in fuga cæsa sunt*, LX *m. capta. Romani*, etc.

Digitized by Google

*animo, quam si vicissent, consuluere coss., ut si inviolata castitate virginibus, sacrisque diis serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque cum petita non impetravissent, parvulis suis ad saxa collisis cunctæ sese ferro ac suspendio premerunt. Hæc de Tygurinis et Ambronibus gesta sunt. Teutones autem, et Cimbri integris copiis Alpium nives emensi, Italiæ plana pervaserunt: quorum adeo feritas erat, læti perire in bello, in morbo cum lamentis, amisso duce vivere illicitum eis videbatur. Igitur cum plana Italiæ pervasissent, et ibi cum rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis ac lavacris emolliretur, Marius* V *cos. et Q. Catulus adversus eos missi sunt. Die ad pugnam, et campo dato, Annibalis secuti ingenium, in nebula disposuere pugnam, in sole pugnarunt. Prima siquidem perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius offendere dispositam, quam adesse senserint: cumque illico vulnerati equites retro in suos cogerentur, totamque multitudinem indisposite adhuc adventantem conturbarent, et sol cum vento ortus emicuisset, ex adverso visus eorum pulvis opplevit, et splendor hebetavit. Ita factum est, ut tanta, ac tam terribilis multitudo, minima Romanorum clade, sua autem ultima internecione cæderetur;* CXL *millia eorum tunc in bello cæsa,* XI *millia capta dicuntur.* Romani milites ex utroque exercitu trecenti periere. Tria et triginta Cimbris signa sublata sunt, ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli exercitus [a] XXXI. Sed ab eorum mulieribus graviorem pene quam ab ipsis pugnam, Romani experti sunt. Hæ etenim plaustris [b] in modum castrorum dispositis, ipsæ desuper pugnantes, diu obsistere Romanis. Sed cum ab eis novo cædis genere terrerentur: abscissis enim cum crine [c] *verticibus*, inhonesto satis vulnere turpes relinquebantur, ferrum, quod in hostes sumpserant, in se suosque vertere. Namque, [d] *quædam* concursu mutuo jugulatæ, aliæ apprehensis invicem [e] faucibus strangulatæ; aliæ [f] funibus *per equorum crura consertis, ipsisque continuo equis exstimulatis, postquam suas iisdem funibus, quibus equorum crura nexuerant indidere cervices, protractæ atque exanimatæ sunt;* aliæ laqueo de subrectis plaustrorum temonibus pependere. [g] *Inventa est etiam quædam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad suos pedes vinxerit, et cum seipsa suspendio moritura dimisisset, secum traxerit occidendos. Inter hæc multa et miserabilia mortis genera, Reguli quoque duo strictis in se gladiis concurrisse referuntur. Lucius et Bojorix reges in acie ceciderunt. Clondicus et Cesorix capti sunt.* Ita *in* his duobus præliis CCCXL millia Gallorum cæsa, et CXL millia capta sunt, absque innumera multitudine mu-

A lierum, quæ se suosque parvulos femineo furore, *vi autem virili*, necaverunt. [h] *His bellis hic fuit finis.* Triumphus utrique decretus est. [i] *Igitur post talem Marii triumphum Romanamque victoriam, incredibile facinus et nunquam antea auditum vel cognitum Romanæ perpetratum est, quod versum in horrorem, gaudium in tota Urbe funestavit. P. Malleolus quidam, servis annitentibus, matrem suam interfecit, damnatusque parricidii, insutusque in culeum, in mare projectus est. Impleveruntque Romani et facinus, et pœnam: unde et Solon Atheniensis decernere non ausus fuerat, dum fieri posse non credidit: et Romani, qui se ortos a Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes, supplicium singulare sanxerunt. Anno post Urbem conditam 645, post Cimbricum et Teutonicum* B *bellum, et quintum Marii consulatum quo status imperii Romani jure conservatus judicatur, sexto consulatu ejusdem C. Marii ita labefactatus est, ut pene usque ad extremum intestina clade conciderit. Evolvere ac percurrere discordiarum ambages, et inextricabiles seditionum causas incommodum simul, ac longum videtur. Sane breviter me dixisse sufficiat; quia primus L. Apuleius Saturninus excitati tumultus auctor exstiterit, Q. Metello Numidico, viro sane primario, acerrimus inimicus, qui eum censorem creatum, protractum domo atque in Capitolium fugientem, armata multitudine obsedit. Unde Romanorum equitum indignatione dejectus est, plurima ante Capitolium cæde facta. A. Nunnium deinde competitorem suum Saturninus et Glaucia fraude C. Marii cos. occidere. Subsequenti anno Marius* VI *cos., et* C *Glaucia prætor, et Saturninus trib. pleb. conspiraverunt Metellum Numidicum in exsilium quacumque vi agere. Die dicta, suppositis eisdem judicibus per scelus innocens Metellus damnatus, in exsilium cum totius urbis dolore discessit. Idem Saturninus Memmium virum acrem et integrum fieri cos. timens, orta subito seditione fugientem per P. Metium satellitem informi stipite comminutum interfecit. Fremente pro tantis Reip. malis senatu populoque Ro., Marius cos. accommodato ad tempus ingenio, consensui bonorum sese immiscuit, commotamque plebem leni oratione sedavit. Saturninus infamibus ausibus concionem domi suæ habuit, ibique ab aliis rex, ab aliis imperator est appellatus. Marius manipulatim plebe conscripta alium cos.* D *cum præsidiis in colle disposuit, ipse portas communivit, in foro prælium commissum. Saturninus a Marianis foro pulsus, in Capitolium confugit. Marius fistulas, quibus eo aqua deducebatur, incidit. Bellum deinde in atrio Capitolii horrendum satis actum est. Multi circa Saufejum et Saturninum cæsi. Saturninus palam clamitans Marium esse auctorem omnium molitionum suarum contestatus est. Cum autem ipse Saturninus, et*

[a] A. XXXVI m.

[b] Hæc sunt etiam in Ms. Hersfeldensi.

[c] A. et Eutrop., *cervicibus*.

[d] A., *aliæ*.

[e] A. et Eutrop., *faciebus*.

[f] A., *funibus ad suum collum ligatis, equorumque crinibus protractæ interierunt.*

[g] A., *pependerunt. Quædam dum se suspenderet, duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad suos pedes vinxit. Ita*, etc.

[h] A. brevius, *Is belli finis fuit.*

[i] A. hinc legit: *Sex. Julio Cæsare, et Lucio Marcio Philippo coss. anno* 659 *ab Urbe condita*, etc. Hæc absunt in H. usque ad verba, *Anno ab U. C.* 649. *Sex. Julio*, a quo loco convenit H. cum Eutropio, nisi quod, ubi legit Eutropius, *Quinto demum anno.* H. legit, *quintodecimo anno finem accepit.*

Digitized by Google

*Saufejus, et Labienus, cogente Mario in curiam confugissent, per equites Romanos effractis foribus occisi sunt. C. Glaucia extractus de domo Claudii trucidatus est. Furius tribunus pleb. bona omnium publicanda decrevit. Cn. Dolobella Saturnini frater per forum olitorium fugiens cum L. Gegenio interfectus est. Itaque auctoribus tantæ seditionis occisis, quies populo fuit. Tunc Cato, atque Pompeius rogationem de reditu Metelli Numidici totius Urbis gaudio promulgarunt, quæ ne perficeretur, Marii cos. et Furii tribuni pleb. factionibus intercessum est. Rutilius vir integerrimus adeo fidei atque innocentiæ constantia usus, ut die sibi ab accusatoribus dicta, usque ad cognitionem, neque capillum, barbamve demiserit, neque sordida veste humilive habitu suffragatores conciliarit, inimicos permulserit, judices tentaverit, orationem quoque a prætore concessam, nihilo submissiore animo habuerit, cum evidenti oppugnaretur calumnia, et opinione bonorum omnium jure absolvendus putaretur, perjurio judicum condemnatus est. Qui Smyrnam commigrans, litterarum studiis contentus consenuit.*

Anno ab Urbe condita 649, Sex. Julio Cæsare et L. Martio Philippo coss., cum prope alia omnia bella [a] cessarent, *intestinis causis sociale bellum totam commovit Italiam.* Qui cum annis numerosis jam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi æquam asserere cœperunt, perniciosum admodum hoc bellum fuit. Rutilius cos. in eo occisus est, et Cepio nobilis juvenis, ac Portius Cato alius cos. [b] *Interea Livius trib. pl. Latinos omnes spe libertatis illectos, cum placitum explere non posset, in arma excitavit.* [c] *Eo accessit, ut mœstam urbem prodigia dira terrerent.* Nam sub ortu solis globus igneus a regione septentrionis cum maximo fragore cœli emicuit. Apud Aretinos, *cum panes* in convivio *frangerentur*, cruor e *mediis* panibus, quasi e vulneribus corporum fluxit. *Præterea* per septem continuos dies grando lapidum, immistis etiam testarum fragmentis terram latissime verberavit. In Samnitibus vastissimo terræ hiatu flamma prorupit, et usque in cœlum extendi [d] visa est. *Complures præterea in itinere videre Romani globum coloris aurei de cœlo ad terram devolvi, majoremque factum, rursus a terra oriente sole in sublime ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse. Drusus tantis malis anxius domi suæ, incerto quidem auctore, interfectus est. Igitur Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marsucini, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Servium prætorem legatum ad se missum apud Asculum occiderunt, statimque*

A *clausa civitate, omnes Romanos cives in dicta cæde jugularunt. Continuo atrocissimam perniciem infandissima præcessere prodigia. Namque* omnium generum animalia, quæ *manus hominum blande perpeti atque* inter homines vivere solita erant, relictis stabulis, pascuisque, cum balatu, hinnitu, mugituque miserabili, ad silvas montesque fugerunt. Canes quoque, quorum natura est extra homines esse non posse, lacrymosis ululatibus vagi luporum ritu oberrarunt. Nec mora, post hæc tam gravia prodigia, civilia bella secuta sunt. Ea tempestate apud Judæos primus Aristobulus [e] rex et pontifex pariter diadematis sumpsit [f] insigne. *Igitur Cn. Pompeius prætor cum Picentibus jussu senatus bellum gessit, et victus est. Post quæ sibi Samnites Papium Mutilium ducem præ-*
B *fecerant. Marsi autem Agamemnonem archipiratam præoptaverant, Julius Cæsar Samnitium pugna victus cæso fugit exercitu. Rutilius cos. Marium propinquum suum legatum sibi elegit, quem assidue submonentem moram bello utilem fore, paulisper in castris exerceri militem oportere tironem, dolo id agere ratus, contempsit, seseque in insidias Marsorum cum universo agmine exercitus sui incautus injecit, ubi ipse cos. occisus est, et multi nobiles interfecti, et octo millia militum Romanorum cæsa sunt. Arma et corpora interfectorum in conspectu Marii legati Telonus fluvius pertulit, atque in testimonium cladis evexit. Marius, raptis continuo copiis, victores insperatus oppressit, octo millia et ipse Marsorum interfecit. Cepio autem a Vestinis et Marsis*
C *deductus in insidias, cum exercitu trucidatus est. L. vero Julius Cæsar, postquam apud Eserniam victus aufugerat, contractis undique copiis, adversum Samnitas et Lucanos dimicans, multa millia hostium interfecit. Cumque ab exercitu imperator esset appellatus, Romamque nuntios de victoria misisset, senatus saga, hoc est, vestem mœroris, quam exorto sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperavit. Marius deinde vi millia Marsorum occidit, septem millia armis exuit. Idem Marius Syram mulierem in castris habebat sacricolam, ex cujus auctoritate asserebat se omnia aggredi. Interea L. Cornelius Sylla prætor cum viginti quatuor cohortibus Eserniam missus, ubi arctissima obsidione Romani cives, milites-*
D *que premebantur, maximo bello, et plurima cæde hostium, urbem sociosque servavit. Cn. Pompeius Picentes gravi prælio fudit, qua victoria senatus laticlavia et cætera dignitatis insignia recepit, cum togas tantummodo victoria Cæsaris primo respirante sumpsisset. Portius Cato prætor Etruscos, Plotius legatus Umbros,*

[a] A. et Eutrop.: *Cessarent, in Italia gravissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique moverunt. Qui cum*, etc.

[b] A. post *consul: Duces autem adversus Rom. ex Picentibus et Marsis fuerunt Titus Vectius, Hierius, Asianus, Titus Legennius, Alvus Duentius. A Romanis contra eos bene pugnatum est. A Caio Mario, qui sex cos. fuerat, et a Cneo Pompeio, maxime tamen a Lucio Cornelio Sylla, qui inter alia egregia, ita Duentium hostium ducem cum magnis copiis fudit, ut ex suis unum amitteret. Quadriennio cum gravi tamen calamitate hoc bellum tractum est, quintodecimo anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam cos. cum antea in eodem bello ipse multa strenue, sed prætor gessisset. Ipso in tempore dira prodigia visa sunt. Nam sub*, etc.

[c] H.: *Ipso in tempore dira prodigia visa sunt. Nam sub ortu solis*, etc.

[d] A. et H., post *visa est*, omiss. cæt., habent: *Tunc etiam omnium generum anim.*, etc.

[e] A., *rex pariter et pont. diadem.*, etc.

[f] A. et H., post *insigne*, continuant: *Anno U. C. 662, primum Romæ.*

Digitized by Google

plurimo sanguine impenso, et difficillimo labore vicerunt. Sylla præliatus simulacrum Apollinis Delphis ablatum suppliciter orabat in conspectu militum, ut promissa præstaret, et videbatur fretus inire bellum. Igitur Cn. Pompeio, L. Portio Catone coss. Pompeius diu obsedit Asculum civitatem, nec tamen expugnavisset, nisi populum in campum prorumpentem gravissima oppressione vicisset. Decem et octo millia Marsorum in ea pugna cum Franco duce suo cæsa sunt, capta tria millia. Quatuor autem millia Italici viri ex ea cæde profugi jugum montis, coacto in unum agmine, forte conscenderant: ubi exanimati, oppressique nivibus miserabili morte riguerunt. Namque ut attoniti timore hostium steterunt, alii stipitibus vel saxis reclines, alii armis suis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusque nudatis, viventium in modum visebantur. Nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium, nisi diuturna immobilitas, quam nullo modo humanæ vitæ vegetatio diu perpeti potest. Eodem die Picentes congressi et victi sunt, quorum dux Judacilius, convocatis ducibus suis, post magnificas epulas, largaque pocula, cunctos ad exemplum sui provocans, hausto veneno absumptus est, cunctis factum ejus laudantibus, sed nemine subsequente. Anno ab Urbe condita 661, cum ad obsidendos Pompeios Romanus exercitus isset, et Postumius Albinus vir consularis, tunc L. Syllæ legatus, intolerabili superbia omnium in se militum odia suscitasset, lapidibus occisus est. Sylla cos. civilem cruorem nonnisi hostili sanguine expiari posse testatus est. Cujus rei conscientia motus exercitus, ita pugnam adorsus est, ut sibi unusquisque pereundum videret, nisi vicisset. Decem et octo millia Samnitum in illo prælio cæsa sunt. Juventium quoque Italicum ducem, et magnum ipsius populum persecutus occidit. Portius Cato cos. copias Marianas habens, cum aliquanta strenue gessisset, gloriatus est non majora C. Marium fecisse; et ob hoc, cum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, a filio C. Marii in tumultu belli, quasi ab incerto auctore prostratus est. C. Gabinius legatus in expugnatione hostilium castrorum interfectus est. Marrucini Vestinique, Sulpicio legato Pompeii persequente, vastati sunt. Propedius et Obsidius Italici imperatores ab eodem Sulpicio apud flumen Theanum horribili prælio oppressi et occisi sunt. Pompeius Asculum ingressus præfectos, centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecidit, securique percussit, servos prædamque omnem sub hasta vendidit: reliquos liberos quidem, sed nudos et egentes, abire præcepit; et cum de hac præda opitulationem aliquam in usum stipendii publici senatus fore speraret, nihil tamen Pompeius ex ea egenti ærario contulit. Namque eodem tempore, cum penitus exhaustum esset ærarium, et ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica quæ in circuitu Capitolii pontifi- A cibus, auguribus, decemviris, et flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia, vendita sunt, et sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc in sinum ipsius civitatis eversarum omnium urbium nudatarumque terrarum abrasæ undique opes congerebantur, cum ipsa Roma turpi adigente inopia præcipuas suas partes auctionabatur. Quam ob rem consideret tunc tempora sua, cum quasi inexplebilis venter cuncta consumens, et semper esuriens, cunctis urbibus, quas miseras faciebat, ipsa miserior, nihil relinquens, nihil habebat, et stimulo domesticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis trudebatur. Iisdem temporibus rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingressus cunctos fines Macedoniæ depopulatus est, tandemque a B C. Sentio prætore superatus redire in regnum suum coactus est.

Anno ab Urbe condita 662, *nondum finito sociali bello, quod per quinque annos gestum est*, Romæ primum civile bellum [a] commotum est. Eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello civili C. Marius [b] *sexto consulatu* dedit. Nam cum Sylla cos. contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam et Achaiam occupaverat, mitteretur: isque cum exercitum in Campania paulisper teneret, ut belli socialis, de quo diximus, quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ tollerentur, Marius affectavit *septimum consulatum*, et ut ipse ad bellum Mithridaticum [c] mitteretur. *Quo Sylla cognito impatiens revera, et pertinax, intemperataque ira percitus, cum quatuor legionibus, primum* C *ante Urbem consedit, ibi Gratidium Marii legatum quasi primam victimam belli civilis occidit. Mox Urbem cum exercitu irrupit, fasces ad inflammandam Urbem poposcit, omnibus metu abditis per sacram viam citato agmine in forum venit. Marius cum permovere nobilitatem, inflammare plebem, equestrem denique ordinem perarmare frustra attentasset, postremo servis spe libertatis et prædæ ad arma sollicitatis, nequaquam pugnare ausus, tamen in Capitolium concessit. Sed cum in eum Syllanæ cohortes irruissent, magna suorum cæde diffugit. Ibi tunc Sulpicius Marii collega servo suo prodente prostratus est. Servum vero ipsum, quod hostem indicaverat, manumitti, quod dominum vero prodiderat, saxo Tarpeio dejici coss. decreverunt. Marius fugiens,* D *cum persequentium insania circumseptus esset, in Minturnensium paludibus sese abdidit. E quibus infeliciter luto oblitus, ignominioseque extractus, turpi autem spectaculo Minturnas deductus, retrususque in carcerem, percussorem ad se missum solo vultu exterruit. Deinde lapsus e vinculis in Africam transfugit, sollicitatoque ex Utica filio, ubi in custodia observabatur, continuo Romam regressus, Cornelio Cinnæ cos. societate scelerum conjunctus est. Igitur Sylla* ad Asiam profectus

[a] A., post *commotum est*, addit: *Exortum est eodem*, etc.

[b] A., *Sexies cos.*

[c] A., post *mitteretur*: *Quare Sylla commotus, cum exercitu ad Urbem venit, illic contra Marium et Sulpicium dimicavit. Prius in Urbe armatus ingressus est; Sulpicium interfecit, Marium fugavit, atque ordinatis coss. in futurum annum Gneio Octavio et Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est.* Hersfeldensis ab hoc loco non cum Miscella, sed cum Eutropio ad verbum convenit usque ad illa verba, *contra Marium Juniorem*, ubi H. legit, *contra Marium Juniorem dimicavit, et* XVII *ejus occisis*, CCCC *de suis perdidit, et cætera* usque ad finem. Hersfeld. est copiosior Eutropio, sed contractior tamen quam Miscella.

Digitized by Google

est. Mithridates, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, et totum Ponticum mare in circuitu [a] *cum* Bosphoro tenebat, primo Nicomedem amicum populi Romani Bithynia voluit expellere, senatuique mandavit, *et populo Romano*, bellum se ei propter injurias, quas passus fuerat, illaturum. A senatu responsum Mithridati est, si id faceret, quod bellum a Romanis et ipse pateretur. Quare iratus Cappadociam statim occupavit, et ex ea Ariobarzanem regem et amicum populi Romani fugavit. Mox etiam Bithyniam invasit, et Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus amicis populi Romani Pylemene et Nicomede. Inde in Ephesum contendit, et per omnem Asiam litteras misit, ut ubicunque inventi essent cives Romani, uno die occiderentur. *Quod et factum est. Nam octoginta millia civium Romanorum per omne regnum morantium* B *sub una die interfecta sunt. Quis mœror plurimarum provinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerat, cum singuli quique, aut prodere innocentes hospites, et amicos, aut ipsi periclitari pœna hospitum cogerentur?* Interea etiam [b] *Methone* civitas Achaiæ ab Aristone Atheniense Mithridati tradita est. Miserat enim jam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem suum cum [c] *centum et triginta millibus* equitum ac peditum, per quem etiam *Athenæ* et reliqua Græcia occupata est. Sylla, *cui post consulatum Mithridaticum bellum obvenerat*, Archelaum apud [d] Piræum *Atheniensium portum septemplici muro communitum diu* obsedit, *ipsam Atheniensium urbem vi* [e] cepit. Postea *justo prælio cum Archelao conflixit. Centum decem millia de exercitu Archelai interfecta, vix* C *decem millia superfuisse referuntur. Ex Syllæ exercitu, res mira, tredecim tantum homines interficiuntur. Comperta clade Mithridates lectissima septuaginta millia militum Archelao in subsidium misit ex Asia. Secundo prælio quinquaginta millia ex his interfecta sunt, ibique Diogenes Archelai filius trucidatus est. Tertio bello omnes copiæ, quas Archelaus habebat, exstinctæ sunt. Nam viginti millia militum ejus in paludem pulsa, cum Syllæ fidem implorarent, insatiabili victoris ira interfecta sunt, totidemque alia in flumen coacta ac necata, reliqui miserorum passim trucidati sunt. Porro autem Mithridates in Asia nobilissimarum urbium principes occidere, bonaque eorum publicare animo intenderat. Cumque jam mille sexcentos ita interfecisset, Ephesii exemplum verentes, excluso præsi-* D *dio ejus, portam objecerunt. Similiter Smyrnæi, Sardii, Colophonii, Trallianique fecerunt. Perturbatus* Mithridates jussit cum Sylla de pace agi. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, A et Mœsos, partim vicit, partim in fidem recepit. Sed cum legati a rege Mithridate, qui pacem petebant, venissent, non aliter se daturum Sylla esse respondit, nisi rex, relictis his quas occupaverat *civitatibus*, ad regnum suum rediisset. Postea tamen ad colloquium ambo venerunt: pax inter eos ordinata est, ut Sylla ad bellum civile festinans a tergo periculum non [f] haberet. *Igitur Marius et Cinna, dum Sylla decertans in Asia Mithridatem vicit, ad profligandam universam remp. exercitum sibi in quatuor partes diviserunt. Tres siquidem legiones Mario datæ: parti copiarum Cn. Carbo præpositus est; partem Sertorius accepit, ille scilicet Sertorius jam hic civilis belli incentor, et particeps, qui etiam, hoc finito, aliud post in Hispania bellum excitavit, quod per multos annos* B *maximis Romanorum cladibus traxit. Cætera vero exercitus portio Cinnam secuta est. Porro autem Cn. Pompeius, qui a senatu cum exercitu accersitus erat, ut reip. opitularetur, et diu sese novarum rerum aucupatione suspenderat, contemptus a Mario vel Cinna, ad Cn. Octavium alterum cos. sese contulit, et mox cum Sertorio conflixit. Infelicem pugnam interventus noctis diremit. Sexcenti ex utraque parte milites trucidati sunt. Postera die cum permista corpora ad sepulturam discernerentur, miles Pompeianus fratris sui, quem ipse interfecerat, corpus dum spoliat, cognovit. Dictis in deos conviciis corpus rapuit, et sub Pompeianis castris rogo indidit, illico pectus gladio transverberans, simulque lacrymas et sanguinem fundens, super fraternum sese cadaver igni adjecit. Igitur Marius Colo-* C *niam Ostiensem vi ingressus omnia ibi genera libidinis, avaritiæ et crudelitatis exercuit. Pompeius fulmine afflatus interiit; exercitus vero ejus pestilentia correptus, pene totus absumptus est. Nam undecim millia virorum de castris Pompeii mortua, sex millia autem de parte Octavii desiderata sunt. Marius Antium et Ariciam civitates hostiliter irrupit, cunctosque in his præter proditores interfecit, bona suis diripienda permisit. Post Cinna cos. cum legionibus et Marius cum fugitivis Urbem ingressi*, nobilissimos *quosque* [g] *et plurimos* e senatu viros consulares interfecerunt, multos proscripserunt, ipsius Syllæ domo eversa, filios et uxorem ad fugam [h] compulerunt. *Igitur Marius cum interfectorum civium capita illata conviviis, oblata Capitoliis, collata rostris, ad spectaculum ornatumque* D *congereret, maxime caput M. Antonii eximii oratoris abscissum, cum inde sanies manaret, in ipso convivio manu pertractavit, insultans insuper, illudensque conviciis, complexusque P. Annium, qui caput illud cruentus attulerat. Ac idem cum septimo consulatum cum*

[a] A., *in.*

[b] A., *Mutone.*

[c] A., CXX *m.*

[d] A.: *Piræum, non longe ab Athenis obsedit, et ipsas cepit. Postea*, etc.

[e] A.: *Cepit. Postea commisso prælio contra Archelaum, ita eum vicit, ut ex* CXX *m. vix* X *Archelao superessent. Ex Syllæ exercitu* XIV *tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita*, LXX *m. electissima ex Asia Archelao misit. Contra quem Sylla iterum commisit. Primo prælio* XV *m. hostium interfecta sunt, et filius Archelai Diogenes; secundo omnes Mithridatis copiæ exstinctæ sunt, Archelaus ipse nudus in paludibus latuit. Hac re audita Mithridates jussit*, etc.

[f] A.: *Haberet. Nam dum Sylla in Achaia atque Asia Mithridatem vicit, Marius, qui fugatus erat, et Cornelius Cinna unus ex coss. bellum in Italia reparaverunt, et ingressi urbem Romam, nobiliss.*, etc.

[g] A., *et viros coss.*

[h] A.: *Compulerunt. Universus reliquus senatus ex Urbe fugiens ad Syllam in Græciam venit, orans ut patriæ subveniret. Ille*, etc

Digitized by Google

*Cinna tertio cos. pervasisset, in exordio consularis imperii sera tandem morte præreptus est. Quis non jure miretur septem ejus consulatus et duos triumphos? Quis non in eum merito stupeat amplissimum testimonium Scipionis? Namque Scipio interrogatus in cœna si quid de ipso Scipione fataliter actum fuisset, quem magnum imperatorem resp. habitura esset, cum circumtulisset oculos: Vel hic, inquit. Ad Marium enim tota animositate respexerat. Interea Cinna bonorum neces malorum cæde supplevit. Nam cum introducta primarium fugitivorum manus insatiabilis prædandi esset, nullamque partem auctoribus prædæ consulibus ministraret, in forum quasi stipendii causa sollicitata, militibusque circumdata inermis exstincta est. Cæsa sunt in illa die in foro Urbis octo millia fugitivorum, idemque Cinna quarto cos. ab exercitu suo interfectus est. Igitur residui senatorum, qui potentiam Cinnæ, sævitiam Marii, insaniam Fimbriæ, Sertorii audaciam fugam evaserunt, transvecti in Græciam coegerunt precibus Syllam, ut periclitanti, imo jam pene perditæ patriæ opem ferret.* Ille in Italiam trajecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum et Scipionem coss. *Mox ut Campanum littus attigit,* primo prælio contra Norbanum dimicavit, non longe a Capua. [a] *Tunc septem millia Romanorum Romani interfecerunt, sex eorumdem ab hisdem capti sunt. Centum viginti quatuor suorum amisit.* Inde etiam ad Scipionem se convertit, et ante prælium totum ejus exercitum sine sanguine in deditionem accepit. Sed cum Romæ mutati essent coss., et Marius Marii filius, ac Papirius Carbo consulatum [b] accepissent, *Syllæ duces plura prælia adversus Marianas partes infelicissima felicitate gesserunt. Nam et Q. Metellus Carrinatis copias cecidit, et castra pervasit, et Cn. Pompeius Carbonis equitatum graviter trucidavit. Damasippus prætor, incentore Mario cos., Q. Scævolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antistium in curiam quasi ad consulendum vocatos crudelissime occidit. Corpora interfectorum per carnifices unco tracta atque in Tiberim missa sunt. Sylla deinde contra Marium Juniorem dimicavit. In quo prælio de exercitu Marii cæsa sunt viginti quinque millia, sicut Claudius scribit, et ex parte Syllæ quadringenti perierunt. Pompeius Carbonem etiam castris exuit, fugientemque insecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus ejus parte privavit. Metellus Norbani agmen oppressit, ubi novem millia Marianæ partis occisa sunt. Lucullus cum a Quintio obsideretur, erupit, et repentina* pagina obsessorem **delevit** *exercitum. Nam plusquam decem millia ibi tunc cæsa referuntur. Fabius vero Arianus, cui imperium pro prætore erat, regnum Africæ manu servorum affectans, a dominis eorum apud Uticam conjectis sarmentis cum omni familia vivus incensus est. Sylla deinde, cum Lamponio Samnitum duce et Carrinatis reliquis copiis, ante ipsam Urbem portamque Collinam ad horam diei nonam signa contulit, gravissimoque prælio tandem vicit. Octoginta millia hominum ibi fusa dicuntur, duodecim millia sese dedidere, reliquam multitudinem in fugam versam insatiabilis victorum civium ira consumpsit. Sylla mox, ut Urbem victor intravit, tria millia hominum, qui se per legatos dediderant, contra fas et fidem datam, inermes securosque interfecit. Plurimi tunc quoque, ut non dicam innocentes, sed etiam ipsius Syllanæ partis occisi sunt, quos fuisse plusquam novem millia ferunt. Ita liberæ per urbem cædes, percussoribus passim vagantibus,* Q. Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? *Tunc L. Sylla, auctore Furfidio primipilari, primus infamem illam tabulam proscriptionis induxit. Prima siquidem proscriptio octoginta hominum fuit, in quibus quatuor consulares erant, Carbo, Marius, Norbanus et Scipio, et inter eos Sertorius tunc maxime pertimescendus. Item alia cum quingentis hominibus proposita est. Quam cum Lolius, quippe securus, nihilque sibi conscius, legeret, ubi suum repente nomen offendit, dum se trepidus adoperto capite foro subtrahit, interfectus est. Sed ne ipsis quidem tabulis fides, ac finis malorum videbantur. Namque alios, quos proscripserant, jugulabant, alios autem postquam jugulaverant, proscribebant: nec ipsius mortis erat via simplex, aut una conditio, ut in nece civium saltem jus hostium servaretur, qui nihil a victis præter vitam exigunt. Marcium Marium siquidem de caprili casa extractum vinciri Sylla jussit, ductumque trans Tiberim ad Lutatiorum sepulcrum, effossis oculis, membrisque minutatim confractis, trucidari. Post hunc P. Letorius senator, et Venuleius triumvir occisi sunt. M. Marii caput Præneste missum. Quo viso C. Marius ultima desperatione correptus, ubi a Lucretio obsidebatur, ne in manus inimicorum incideret, cum Telesino mutua morte concurrit. Cumque violentius ipse in concurrentem manus adigit, circa suum vulnus manus percutientis hebetavit. Ita eo interfecto ipse leviter vulneratus cervicem servo suo præbuit. Carrinatem prætorem Sylla jugulavit. Inde Præneste profectus omnes Marianæ militiæ principes, hoc est, legatos, quæstores, præfectos, et tribunos jussit occidi. Rursus pugnam*

[a] A.: *Tum* VI *m. ejus occidit, sex cepit,* XXIV *suos amisit. Inde*, etc.

[b] A: *Accepissent. Sylla contra Marium Juniorem dimicavit, et* XV *m. ejus occisis* CCC *de suis perdidit. Sylla deinde cum Campaniæ duce, et reliquis copiis ad portam Collinam signa contulit,* LXXX *m. hominum occidit. Mox etiam Urbem ingressus,* III *m. hominum contra fidem datam inermes peremit. Cumque magna crudelitate adversus sontes insontesque sævirent, Q. Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Sylla dehinc Marco Marium de caprili casa extractum vinciri jussit, ductumque trans Tiberim, effossis oculis, membris minutatim exsectis vel fractis, trucidare. Marium Marii filium Præneste persecutus obsedit, et ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium et Carrinatem, duces partis Marianæ ad portam Collinam* LXX *m. hostium in eo prælio contra Syllam fuisse dicuntur,* XII *m. se Syllæ dediderunt, cæteri insatiabili ira victoris consumpti sunt. Caius quoque Carbo cos. alter ab Arimino in Siciliam fugit, et ibi per Gneum Pompeium interfectus est. Quem adolescentem Sylla, atque annos unum et viginti natum, cognita ejus industria, tantis exercitibus præfecit eum, ut*, etc.

Digitized by Google

*uarissimam habuit contra Lamponium et Carrinatem* A *ıces partis Marianæ ad portum collinam.* Septuanta millia hostium in eo prælio contra Syllam stesse dicuntur. Duodecim millia se Syllæ dediderunt; eteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira vioris consumpti sunt. *Cn. Pompeius Carbonem alteım consulem fugientem ab Arimino, et ad Cossuram sulam fugere conantem cepit, et in Siciliam retraım, compluresque cum eo socios ejus occidit; Sylla, gnita Pompeii adolescentis industria, annos viginti et ıum nati, tantis exercitibus præfecit eum,* ut secundus Sylla haberetur. Occiso ergo Carbone, Siciliam ompeius [a] recepit, *et in Africam transgressus, cruione facta circa Uticam, decem et octo millia homiım interfecit. Quo bello Domitius dux Marianus, ım inter primores pugnat, occisus est. Idemque Pomius Jarbam Numidiæ regem persecutus fugientem a ogude Bocchi Maurorum regis filio spoliari omnibus pıiis fecit. Quem continuo Bullam reversum, tradito bi oppido, interfecit.* Post hæc Sylla de Mithridate genti gloria triumphavit. Cn. etiam Pompeius, uod nulli Romanorum tributum erat, quartum et igesimum annum agens de Africa [b] triumphavit. *Sylla dictator creatus est, ut dominationis et crudeliatis libido, honesti et præcipui nominis reverentia, et armaretur, et velaretur, visus est tandem privatus. Creatis itaque P. Servilio et Appio Claudio coss., hoc fine conclusa sunt* duo bella funestissima, [c] sociale Italicum, et civile *Syllanum.* Hæc per annos decem tracta sunt. Consumpserunt autem ultra centum quinquaginta millia [d] Romanorum, viros consulares [e] triginta tres, prætorios septem, ædilitios sexaginta, senatores [f] ducentos, absque innumeris Italiæ totius populis, qui sine consideratione deleti sunt. Post hæc tamen, Sylla mortuo, Lepidus Marianæ partis assertor adversus Catulum Syllanum ducem [g] *surgens, redivivos bellorum cineres suscitavit.* Bis tunc acie concertatum est, plurimi [h] Romanorum *ipsa jam paucitate miserorum, et adhuc illo furore insanientium cæsi sunt.* Albanorum civitas, pro eo quod illuc B Scipio Lepidi filius confugisset, *obsidione* [i] *oppugnata est, atque excruciata fame, ultima miserabilium reliquiarum deditione servata est.* Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, *persequente Pompeio,* apud Regium interfectus est. *Ita hoc bellum civile non magis clementia Catuli quam tædio Syllanæ crudelitatis, ut ignis in stipula, eadem celeritate qua exortum est evanuit.* Hoc tempore Jerosolymis Alexandra uxor Alexandri regnabat, ex cujus ætate Judæos rerum confusio et variæ oppressere clades.

[a] A., post *recepit : Transgressus inde ad Africam Domicium Marianæ partis ducem, et Jerdam regem Mauritaniæ, qui Domicio auxilium ferebat, occidit.*

[b] A., post *triumphavit : Hunc finem habuerunt uo, etc.*

[c] A : *Italicum, quod et Sociale dictum est, et Civile, uæ ambo tracta sunt per annos x.* C

[d] A., *hominum.*

[e] A., XXIII.

[f] A., *fere.*

[g] A., *consurgens bellum reparavit*

[h] A., *Rom. exstinc.i.*

[i] A., *expugnata, et capta est.*

# LIBER SEXTUS.

[a] Marco Æmilio Lepido, Q. Catulo [b] coss., *anno b Urbe condita* 673, *sonantibus undique novis belloım fragoribus, quorum* unum in Hispania *erat,* aliud Pamphylia, et Cilicia, tertium in Macedonia, uartum in Dalmatia. Nam [c] Sertorius, *vir dolo atque udacia potens, cum partium Marianarum fuisset,* tmens fortunam cæterorum, qui interempti [d] erant, *ugiens ex Africa, delapsus in Hispanias, bellicosissiıas gentes Hispaniæ in arma excitavit. Adversum unc, ut breviter definiam, duo duces missi:* Q. [e] Cæılius Metellus, filius ejus, qui Jugurtham regem icit, et L. Domitius [f] prætor. *Quorum Domitius ab Hirtuleio Sertorii duce cum exercitu oppressus est. Manlius procos. e Gallia in Hispaniam cum tribus leionibus, et mille quingentis equitibus transgressus,* D *niquam cum Hirtuleio pugnam conseruit. A quo castris, copiisque nudatus, in oppidum Ilerdam pene solus refugit. Postea cum impar pugnæ solus Metellus pugnaret, Cn. Pompeius ad Hispaniam missus est. Metellus multis præliis fatigatus, per devia oberrans, hostem mora fatigabat, donec Cn. Pompeii castris sociaretur. Ita duobus ducibus adversis, Sertorius fortuna varia sæpe pugnavit. Pompeius, contracto apud Palentiam exercitu, Lauronem obtinuit civitatem, quam tunc Sertorius, superato fugatoque Pompeio, captam vi cruentissime depopulatus est. Reliquum agmen Lauronensium, quod cædibus superfuerat, miserabili captivitate in Lusitaniam transduxit. Pompeium autem, hoc est illum Romanorum ducem a se victum fuisse gloriatus est, quem magna præditum fiducia ad hoc bellum non pro consule, sed pro consulibus Roma misisset. Fuisse tunc Pompeii triginti millia peditum, mille equites*

[a] Herzfeldensis ad verbum convenit cum Eutropio b initio, usque ad fol. 38. vers. *gladiatores enim:* et æterа : in quibus, et a Miscella et ab Eutropio variat. Sed statim iterum redit, et cum Eutropio ad erbum convenit usque ad *Danubium penetravit.*

[b] A., *Coss. cum Silla rempublicam composuisset, bella nova exarserunt.*

[c] A., *Sertorius, qui partium Mariannrum fuerat.*

[d] A., *erant, ad bellum commovit Hispanias. Missi sunt contra eum duces* Q., etc.

[e] A., *Cæcilius, et Met.*, etc.

[f] A., *Prætor a Sertorii duce Hirtuleio dormiens occisus est. Metellus vario successu contra Sertorium dimicavit. Postea cum impar pugnæ solus Metellus putaretur, Cn. Pomp. ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus adversis Sertorius fortuna varia sæpe pugnavit. Octavo decimo anno per suos occisus est, et finis, etc.*

Digitized by Google

*Galba scribit: Sertorium autem septuaginta millia peditum, octo millia equitum habuisse commemorat. Postea vero Hirtuleius cum Metello congressus apud Italicam Bæticæ urbem, viginti millia militum perdidit, victusque in Lusitaniam cum paucis refugit. Pompeius Belgidam Celtiberiæ urbem cepit. Sertorius deinde cum Pompeio congressus, decem millia militum ejus interfecit, ex alio cornu, vincente Pompeio, tantumdem ipse perdidit. Multa præterea inter eos prælia gesta sunt. Memmius Quæstor Pompeii, idemque vir sororis ejus, occisus est: Hirtulei fratres interfecti. Perpenna, qui se Sertorio junxerat comminutus est. Postremo ipse Sertorius octavo decimo anno belli inchoati, iisdem, quibus et Viriatus, suorum dolis interfectus est.* Finis huic bello datur per Cn. Pompeium adolescentem, et Q. Metellum Pium, atque omnes prope Hispaniæ *civitates* in deditionem populi Romani [a] redactæ: *Romanisque victoriam sine gloria dedit. Quamvis Perpennam postea pars exercitus ejus secuta sit, qui a Pompeio victus cum universo exercitu suo interfectus est. Civitatibus vero cunctis ultro, ac sine mora per deditionem receptis, duæ tantum restiterunt, hoc est Uxamia, et Calaguris: quarum Uxamiam Pompeius evertit: Calagurim Afranius jugi obsidione confectam, atque ad infamem escam miseranda inopia coactam, id est, uxorum cadavera, atque liberorum facientes sibi cibos, ultima cæde, incendioque delevit. Percussores Sertorii præmium ne petendum quidem a Romanis esse duxerunt, quippe qui meminissent antea Viriati percussoribus denegatum. Interea Macedonicum bellum Appius Claudius sortitus,* levia prælia habuit contra varias gentes, quæ Rodopam provinciam [b] incolebant, *et Macedoniam crudelissime depopulabantur: nam inter cætera dictu, audituque horrenda, quæ in captivos agebant, raptis, cum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus cruentis, capillatisque adhuc, ac per interiores cavernas male effuso cerebro oblitis utebantur: quarum cruentissimi, atque immanissimi Scordisci erant. Has itaque, ut aixi, Claudius pellere Macedoniæ finibus bello putavit, magnisque se molibus objecit malorum. Unde cum animo æger, et curis circumseptus, morbo insuper correptus esset, interiit.* Missus est ei successor C. Scribonius Curio post [c] consulatum, *qui attentatarum superiore bello gentium vim declinans, in Dardaniam arma convertit, eamque superavit,* et usque ad Danubium [d] penetravit, et intra triennium bello finem dedit. Ad Ciliciam et Pamphyliam missus est [e] P. Servilius ex consule vir [f] strenuus. *Is ergo Ciliciam et Pamphyliam crudelissime adortus, dum subdere studet, pene delevit, Cili-*

A *ciam, et urbes ejus obsessas, oppressasque cepit. Præterea Olympum montem pervagatus, Phaselidem evertit, Coricum diruit. Tauri quoque montis latera in Ciliciam vergentia pervagatus, Isauros bello fractos in deditionem redegit,* atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium [g] Romanorum *per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit.* Is revertens triumphum accepit, et nomen Isaurici meruit. At in Illyricum missus est C. Cosconius pro [h] consule. Is *protrita subactaque Dalmatia,* Salonas *urbem florentissimam* post biennium *tandem expugnavit,* et cepit, et composito bello Romam rediit. Iisdem temporibus cos. M. Æmilius Lepidus Catuli collega civile bellum voluit commovere; intra unam tamen æstatem motus ejus oppressus est. Ita uno tempore multi simul
B triumphi fuerunt: Metelli de Hispania, Pompeii secundus de Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria. Anno Urbis conditæ 676, L. Licinio Lucullo, et M. Aurelio Cotta coss. mortuus est Nicomedes rex Bithyniæ, et testamento populum Romanum fecit hæredem. [i] *Interea Fimbria Marianorum scelerum satelles, homo omnium audacissimus, Flaccum consulem, cui legatus erat, apud Nicomediam occidit: ac mox, arrepto exercitu Mithridatis, filium ex Asia ad Nicopolim fugat, stationem Mithridatis invadit, ipsumque e Pergamo pellit, fugientemque insecutus, apud Bithyniam obsedit. Et profecto capisset, si L. Lucullus civilibus discordiis curam reipublicæ prætulisset, eumque mari coarctare objecta classe voluisset. Inde Fimbria Iliensibus iratus, a quibus pro*
C *Syllanæ partis studio objectu portarum repulsus videbatur, ipsam urbem Ilium, antiquam illam Romæ parentem, funditus cæde incendioque delevit. Sed eam Sylla continuo reformavit. Idem Fimbria apud Thyatiram cum suo exercitu, Fimbriæque profugi Mithridati sese adjunxerunt, quorum hortatu Mithridates cum Sertorio per legatos in Hispaniam missos fœdus pepigit. Sertorius ad eum M. Marium firmandi fœderis causa misit quem rex apud se retentum brevi ducem fecit in locum Archelai, qui se jam ad Syllam cum uxore et liberis contulerat. Interea* Mithridates, rupta pace, Bithyniam, et Asiam rursus voluit [j] invadere: *Marium, et Eumachum duces suos adversum Lucullum, et Cottam coss. misit cum magno exercitu. Sed ambo consules adversus eos* non unam habuere fortunam. Cotta
D apud Chalcedonem victus ab [k] *eis* acie, *plurimis perditis,* etiam intra oppidum coactus est, et [l] obsessus. *Mithridates Cizicum obsidendo fossa cinxit,* ut, Cizico capto, totam Asiam invaderet [m] Lucullus *eum alter cos.* a tergo obsedit, et multis præliis vicit, fameque

[a] A., *redactæ. Ad Macedoniam missus est Ap. Claudius post consulatum.*

[b] A., *incolebant, atque ibi morbo mortuus est.*

[c] A., *consulatum. Is Dardanos vicit, et usque,* etc.

[d] A., *penetravit, triumphum meruit, et intra trien.*, etc.

[e] A., *post.*

[f] A., *strenuus. Is Siciliam subegit, Liciæ urbes clarissimas oppugnavit, et cepit: in his Faselidam, Olympum, Coracum Ciliciæ, Isauros quoque aggressus ad deditionem redegit, atque intra,* etc.

[g] A., *Romanorum in Tauro iter fecit. Is revertens,* etc.

[h] A.: *Proconsul. Is multam partem Dalmatiæ subegit, et Solonas cepit, et composito bello Romam post biennium redit.*

[i] Hinc A. omiss. cæt. sequitur *Mithridates,* etc.

[j] A.: *Invadere; adversus eum ambo coss. missi, non unam,* etc.

[k] A., *Ea.*

[l] A.: *obsessus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut,* etc.

[m] A.: *Lucullus ei alter cos. occurrit, ac dum diu Mi-*

Digitized by Google

[a] *consumpsit, eumque quod faciebat, pati compulit, atque ad ipsos Cizicenos, ut bono animo essent, nuntium misit, unum ex militibus natandi peritum, qui duobus utribus suspensus, mediam ipse regulam tenens, plantisque subremigans, septem millia passuum transmeavit. Mithridates, inopia laborans, classis partem copiarum instructam armis domum abire præcepit. Quam Lucullus excipiens, universam disperdidit. Nam amplius quam quindecim millia hominum tunc interfecisse narratur. Tunc etiam Fannius, qui se Mithridati junxerant, et Metrophanes regius prætor a Mamerco victi, cum duobus millibus equitum in Mesiam profugerunt, atque a via digressi in campos, collesque arenosos inciderunt: ubi, non solum montes vasti, vel saxa, quasi quadam fuligine obfuscata cernuntur, verum etiam ambusto solo squalidi per quinquaginta millia passuum campi sine ullo ignis, vel fornacis incendio, et pendulo in profundum cinere putres jacent: tribus etiam locis torridæ voragines ostenduntur, quas Græci Pisas vocant, in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, et clam in regis castra venerunt. Dejotarus rex Gallogræciæ præfectos regis bello trucidavit. Interea Mithridates apud Cizinum eadem hora qua obsidebat obsessus, in magnam penuriam, pestilentiamque exercitum suum coarctavit. Nam plusquam CCC m. hominum fame et morbo in eadem obsidione amisisse fertur. Ipse cum paucis, arrepta navi, clam fugit e castris. Lucullus incruento milite spectator cladis alienæ, novum genus victoriæ adeptus est, mox Marium adortus vicit, fugavitque. In quo prælio plusquam undecim millia Marianorum militum interfecta referuntur. Lucullus postea cum eodem Mario navali prælio congressus, triginta et duas naves regias, et complures onerarias, aut cepit, aut demersit. Multi ex his quos Sylla proscripserat, ibi interempti sunt. Marius postera die de spelunca, ubi latebat, extractus, meritas hostilis animi pœnas luit. Eodem vero impetu Lucullus Apamiam vastavit, et sub monte Olympo Prusiada munitissimam civitatem captam, expugnatamque diruit. Mithridates adversus Byzantium instructa classe navigans, tempestate correptus, octoginta rostratas naves perdidit. Ipse autem cum quassata navi jam mergeretur, in myoparonem Seleuci piratæ, ipso pirata juvante transilivit. Inde Sinopen, ac post Amison cum magna difficultate pervenit. Eodem anno apud Romam Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia vestali virgine commisisse arguebatur, Catuli gratia fultus evasit.*

Anno ab Urbe condita 678, Macedoniam provinciam [b] M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus ejus, qui contra Mithridatem bellum gesserat: et in Italia novum bellum subito commotum est. [c] *Gladiatores enim septuaginta et quatuor Capuæ a ludo Cn. Lentuli, effracto capite, diffugere, qui continuo ducibus Crixo, et Tinomao Gallis, et Spartaco Thrace* Vesuvium montem occupaverunt. Unde erumpentes, Clodii prætoris, qui eos obsidione cinxerat, castra expugnaverunt, ipsoque fugato, cuncta illius in prædam verterunt. Inde per Consentiam et Metapontum circumducti, ingentia brevi agmina collegerunt. *Nam Crixo decem millium multitudo, Spartaco autem triplex numerus fuisse fertur. Tinomaus enim jam in superiore bello fuerat occisus. Hi* itaque cum cædibus, incendiis, rapinis, stuprisque omnia miscerent, [d] *in exsequiis captivæ matronæ, quæ se dolore violati pudoris necaverat, munus gladiatorum ex quadringentis captivis, scilicet, et quod spectandi fuerant spectaturi, utpote lanistæ gladiatorum potius quam militum principes, ediderε. Deinde coss. Gellius et Lentulus adversus eos cum exercitu missi: quorum Gellius Crixum acerrime pugnantem prælio oppressit, Lentulus a Spartaco duce superatus aufugit. Post etiam, collatis frustra ambo coss. copiis, accepta clade fugerunt. Dehinc C. Cassium proconsulem idem Spartacus bello oppressum interfecit. Itaque, exterrita civitate, non minore propemodum metu, quam sub Annibale circa portas fremente trepidaverat, senatus M. Licinium Crassum cum legionibus consulum, novoque supplemento militum misit. Is mox, ut pugnam fugitivorum iniit, sex millia eorum interfecit, octo vero millia cepit. Inde priusquam ipsum Spartacum ad caput Silari fluminis castra metantem bello aggrederetur, Gallos auxiliatores ejus, Germanosque superavit, e quibus triginta millia hominum cum ipsis ducibus occidit. Novissime ipsum Spartacum in Apulia, disposita acie congressum, maximasque cum eo fugitivorum copias perculit. Nam sexaginta millia eorum cæsa, sex millia capta referuntur, tria millia civium Romanorum recepta sunt. Cæteri qui ex hoc bello lapsi oberrabant, per complures duces frequenti indagine attriti sunt,* et post multas calamitates Italiæ, tertio anno bello huic finis impositus. Anno ab Urbe cond. 681 [e] duo tantum gravia bella in imp. Romano erant, Mithridaticum, et Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant, L. Lucullus, et M. Lucullus. L. vero Lucullus post [f] *pugnam* Cizicenam, [g] *quia* vicerat Mithridatem, et navalem, qua duces ejus oppresserat, persecutus est eum, et recepta Paphlagonia et Bithynia etiam regnum ejus invasit. Sinopen et Amison civitates Ponti nobilissimas [h] cepit. *Sed Sinopem Seleucus archipirata, et Leochares spado, qui præsidii causa præerant, expilatam atque incensam reliquerunt. Lucullus miserorum hostium*

*thridates in obsidione Cyzici commoratur ipse eum a tergo,* etc.

[a] A.: *consumpsit, et multis præliis vicit. Postremo Bizantium, quæ nunc Constantinopolis est, fugavit. Navali quoque prælio duces ejus Lucullus oppressit. Ita uno hyeme, et æstate a Lucullo a centum ferme millia regis exstincta sunt. Anno,* etc.

[b] A., *Mallius.*

[c] A., LXX *enim, et quatuor gladiatores, ducibus Spartaco, Crixo, et Ænomao, effracto Capuæ Ludo, fugerunt.*

[d] A.: *multæque se matronæ ob dolorem pudoris violati necarent, pene non levius bellum in ea, quam Annibal moverunt. Nam multis ducibus, et multis et duobus simul Romanorum coss. victis,* LX *fere millium armatorum exercitum congregaverunt. Victique sunt in Apulia a M. Licinio Crasso procos.*

[e] A.: *Sub P. Cornelio tantum gravia,* etc.

[f] A., *fugam.*

[g] A., *qua.*

[h] A., post *cepit,* omiss. cæt.: *Secundo prælio,* etc.

Digitized by Google

*intestina clade permotus, celeri occursu immissum restinxit incendium. Ita misera civitas, versa vice hostium, sociorumque, unde defendenda, disperdita, et unde disperdenda, servata est. Præterea Lucullus transgressus Euphraten et Tigrim,* secundo prælio apud [a] *Cabira* civitatem *Tigranis,* quo ingentes copias ex omni regno adduxerat [b] Mithridates, *cum Mithridate et Tigrane congressus parvissima suorum manu magnum hostium numerum occidit. Nam triginta millia hominum eo bello interfecit. Mithridates vix sexcentis equitibus comitatus aufugit.* Castra ejus direpta, *diademate et thiara, ne agnosceretur, abjectis.* Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane rege Armeniæ, qui tunc ingenti gloria imperabat, et Persas sæpe vicerat, Mesopotamiam, et Syriam, et Phœnicis partem occupaverat. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, *imminente hieme,* etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est, *Tigranocertam* civitatem [c] *Arzianæ* nobilissimam regni Armenii cepit. Ipsum regem cum septem millibus quingentis clibanariis, et centum millibus sagittariorum et armatorum venientem, cum decem et octo millibus militum vicit, ita ut magnam partem Armeniorum deleverit. Inde Nisibin profectus, eam quoque civitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat cum exercitus parte, ut regiones victas Romanorum tuerentur, negligenter et avare se agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt. Atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti post captam Nisibin contra Persas expeditionem, successor est [d] missus. *Eodem tempore Metellus Siciliæ prætor, cum fœdissima illa C. Verris prætura Siciliam afflictam invenisset, maxime Pirganionem archipiratam nefariis cædibus lacerantem, qui pulsa classe Romana Syracusanum portum obtinuerat, mox eum navali pedestrique prælio comminutum Sicilia decedere compulit.* Alter autem [e] Lucullus, *qui Curioni successerat,* Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prælio in monte Hæmo superavit, oppidum [f] Uscudamam quod Bessi inhabitabant, eodem die quo aggressus est vicit. Cabulen cepit, et usque ad Danubium penetravit. Expugnavit etiam gentes quæ Rhodopeis [g] montibus A *erant circumfusæ, quas Claudius jam Macedoniæ finibus pellere putavit.* Inde multas supra Pontum positas civitates aggressus est. Illic Apolloniam evertit, [h] *Calatin,* Parthenopolim, [i] Thomos, Istrum, [j] *Burchaonem* cepit, belloque confecto, Romam redit. Ambo *coss. magnifice* triumphaverunt. Lucullus, qui contra Mithridatem pugnaverat, majore gloria, cum tantorum regnorum victor rediisset. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lucullo, rex collectis auxiliis reparaverat, bellum Creticum ortum est. Ad id missus Cæcilius Metellus, ingentibus præliis, intra triennium [k] *totam insulam* cepit, [l] *legesque Minois Romanis legibus permutavit,* appellatusque est Creticus, atque ex insula *Crete* triumphavit. Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamen- B tum Appionis, qui rex ejus fuerat, accessit, in qua inclytæ urbes erant, [m] *Berenice,* Ptolemais, et Cyrene. Dum hæc aguntur, piratæ *per* [n] omnia *sparsi maria, et jam intercipientes navium commeatus, sed etiam insulas provinciasque vastantes, impunitate scelerum et cupiditate prædæ vulgo sese associantibus, in immensum augebantur.* Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est, qui id *post multam vastationem, quam terra marique diu egerant,* intra paucos menses ingenti felicitate et *mira* celeritate [o] confecit. *Postea successor Luculli factus, in minore Armenia juxta montem Dastracum, castra Mithridatis obsidione conclusit. Rex cum omnibus copiis, eruptione per noctem facta, insuper etiam persequentem bello repellere statuit, sed Pompeius fugientem persequi intendit. Itaque bellum* C *nocte commissum est. Luna tunc orta a tergo Romanis erat, et milites Mithridatis longitudine umbrarum proximitatem hostium rati, cuncta in irritum tela fudere. Romani velut inermes postea aggressi, sine labore vicerunt, castraque ceperunt. Namque de exercitu Mithridatis quadraginta millia cæsa vel capta sunt. Romani mille vulnerati, vix autem quadraginta interfecti, et duo centuriones. Mithridates inter tumultus belli fuga lapsus, adjutus etiam beneficio sublustris noctis, evasit. Relictusque ab omnibus amicis, philosophis, scriptoribus rerum, vel carminum, ac medicis, solus per devia, equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos strepitus trepidans, in quoddam castellum divertit, atque in Armeniam inde perrexit. Pompeius Mithridatem inse-*

[a] A., *Caveram.* H., *Cavera.* Eutrop., *Cabira.*

[b] A.: *Mithridates cum* XXX *lætissima regis a quinque mil. Romanorum vastata essent. Mithridates fugatus, et castra ejus direpta. Armenia quoque,* etc.

[c] A., *Arzianen.* Eutrop.: *Tigranocertam civitatem Armeniæ nobilissimam cepit.* H.: *Tigranocertam civitatem Yrzianenæ nobilissimam regni Armeni accepit, ipsum regem cum* viiii *glibanariis.*

[d] A., post *missus,* seq.: *Alter,* etc.

[e] A., post *Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis,* etc.

[f] Al., *Muscumada.*

[g] A.: *Montibus circumfugæ, inter cætera dictu audituque horrida, quæ in captivos agebant, raptis, cum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus, cruentis capillatisque adhuc, ac per interiores caverras male effosso cerebro oblitis, avide, ac sine horrore tanquam veris poculis, utebantur. Inde,* etc. H. cum A., sed pro *circumfugæ,* habet *circumfusæ.*

D [h] A., *Galathiam.*

[i] H., *Tonos.*

[j] A., *Burziaonem.* H., *Burtiaonem.*

[k] A., *omnem provinciam.*

[l] Cætera, usque ad verbum *appellatusque,* non leg. in A. et H.

[m] A., *Vernica.*

[n] A.: *Omnia maria infestabant, ita ut Romanis toto orbe victoribus, sola navigatio tuta non esset. Quare,* etc.

[o] A., post *confecit: Mox ei delatum etiam bellum contra regem Mithridatem in Armenia minore, nocturno prælio vicit, castra diripuit,* XLM *ejus occidit,* XX *tantum de exercitu suo perdidit, et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, et duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos sæviret, et complures amicos suos, necnon Exipodram Magaremque, filios suos, trucidasset, Pharnaces,* etc.

Digitized by Google

*cultus, inter duo flumina, quæ ab uno monte diversis specubus exoriuntur, hoc est, Euphratem et Araxen, urbem Nicopolim senibus, lixis, et ægris volentibus, condidit. Horodis Albanorum regis exercitum, præfectosque ejus ter prælio vicit. Postea Horodis epistolas, et munera pro pace cum Albanis instauranda libenter accepit, veniamque ei et pacem dedit. Artacem regem Iberiæ prælio fudit, totamque Iberiam in deditionem accepit. Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ regi donavit, quia socius belli Mithridatici fuit. Attalo et Pylemeni Paphlagoniam reddidit. Aristochum Colchis imposuit. Mox de Ponto promovens Parthiam Ecbatana urbem, caput Parthici regni, quinquagesimo die pervenit. In Bosphoro Mithridate Cerealia sacra celebrante, terræmotus adeo gravis repente exortus est, ut magna clades ex eo urbium atque villarum secuta narretur. Eodem tempore Castor Mithridatis præfectus, qui Phanagoriæ præerat, interfectis amicis regis, arcem occupavit, et quatuor filios Mithridatis ad præsidia Romana transmisit. Mithridates accensus ira in scelera exarsit.* [a] *Nam cum plures tunc amicos suos, necnon Hypodran filium suum interfecisset, cum antea jam alio Macharem parricidio trucidasset*, Pharnaces alter filius ejus exemplo fratrum territus, exercitum ad persequendum se missum sibi conciliavit, et mox adversus patrem duxit. *Justo judicio, quia ille adversus patrem suum de regni jure certavit. Interea* Mithridates diu ex altissimo muro filium frustra precatus, ubi inexorabilem vidit, *moriturus* exclamasse fertur: Quoniam Pharnaces, inquit, mori jubet, vos, si estis, patrii dii, precor, ut quandoque et ipse hanc vocem a filiis suis audiat. Statimque descendens ad uxores, pellices, ac filias suas, venenum omnibus dedit. Quod cum ipse novissimus hausisset, [b] *nec tamen propter remedia, quibus vitalia sua adversus noxios succos sæpe obstruxerat*, veneno confici posset, *frustraque quæreretur, si quo tandem modo infusa pestis per venas vegetatione corporis acta discurreret*, Gallum quemdam militem *jam fracto muro discurrentem* invitavit, eique jugulum præbuit. Hunc exitum vitæ Mithridates habuit, *nobisque scientiæ suæ fortissimum argumentum reliquit, homo omnium, ut fertur, studiosissimus: qui duarum et viginti gentium linguis, quas sub regno habuit, locutus est, ita ut nunquam legationes sub interpretibus audiret.* Periit apud Bosphorum vir ingentis industriæ consiliique: regnavit annis [c] *quadraginta; alii dicunt* [d] *triginta. Anno ab Urbe condita* 689, *M. Tullio Cicerone oratore et C. Antonio coss., Pompeius occisi Mithridatis nuntio accepto, Tigrani* bellum intulit. Ille *autem statim* se ei dedidit, et in castra Pompei sexto decimo milliario ab Artaxata venit, ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeii, in manibus ipsius collocavit. Quod ei Pompeius [e] *reposuit*, magnificeque eum habitum, regni tamen parte multavit et grandi pecunia. Adempta est ei [f] Syria, *Cœlen, Phœnices, Sophene.* Sex millia præterea talentorum *auri, et* [g] argenti *populo Romano dedit*, quia bellum sine causa Romanis [h] commovisset. Mox Ituræos et Arabas vicit, *urbemque eorum, quam Petram nominant, cepit;* et cum venisset in Syriam, Seleuciam vicinam Antiochiæ civitatem libertate donavit, quod regem Tigranem non recepisset; Antiochensibus obsides reddidit; aliquantulum agrorum Damascensibus dedit, quo locus ipsi spatiosior fieret, delectatus loci amœnitate et aquarum abundantia. Inde ad Judæam [i] transgressus, *quibus Aristobolus, expulso fratre Hircano, primus ex sacerdote rex præerat, atque ad Jerosolymam urbem eorum Gabinium cum exercitu mittit. Ipse continuo subsecutus, et a Patribus urbe susceptus, sed a plebe muro templi expulsus, oppugnationem ejus intendit. Id* non solum natura loci, verum etiam cum ingenti muro, fossaque maxima munitum, cum alias aliis legiones dies noctesque succedere juberet, sine requie, vix tertio mense expugnavit: [j] quatuordecim millibus Judæorum interfectis, [k] *cætera multitudo se dedidit;* muros civitatis everti, æquarique solo imperavit, cujus circuitus quatuor millia passuum dicitur fuisse. Cumque aliquantos principes Judæorum securi percussisset, Hircano sacerdotium restituit, Aristobulum captivum Romam perduxit. Hoc bellum Orientis cum viginti et duobus regibus sese gessisse ipse Pompeius *pro concione* [l] narravit.

[a] H. ab illis verbis: *Inde multas supra Pontum*, usque ad *Cum in suos sæviret*, ad verbum convenit cum Eutropio, a quo jam variat, et ita legit: *Cum in suos sæviret, et complures amicos suos trucidasset, Pharnaces alter filius ejus exemplo fratrum territus exercitum ad persequendum se missum sibi conciliavit, et mox adversus patrem duxit. Mithridates diu ex altissimo muro filium frustra precatus, ubi inexorabilem vidit, ita fertur exclamasse: Quoniam, inquit, Pharnaces mori jubet, vos, si estis dii patrii, precor, ut quandoque hanc vocem ipse audiat a liberis suis; statimque descendens ad uxores, pellices, ac filias suas, venenum omnibus dedit: quod cum ipse novissimus hausisset, nec tamen propter remedia, quibus se præmunierat, veneno confici posset, Gallum quemdam Vitigis militem invitavit, eique jugulum præbuit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosphorum, vir ingentis industriæ consiliique. Regnavit ann.* LX. *Vixit* LXXII. *Contra Rom. bellum habuit annis* XL. *Tigrani deinde Pompeius bellum intulit*, etc., ubi pergit Miscella. Ambros. cum Hersfeld., ut suo quoque loco notavimus.

[b] A.: *Nec tamen propter remedia, quibus se præmunierat, veneno*, etc.

[c] A., LX.

[d] Ambros.: *Vixit* LXXII. *Contra Romanos bellum habuit annis* XL. *Tigrani deinde Pompeius bellum*, etc.

[e] A., *reimposuit.*

[f] A. et H.: *Syria, Fenicis, Osene*, abest etiam verbum *Cœlen*, in Eutrop.

[g] A., *argenti, quæ pop. Rom. daret.*

[h] A.: *Commovisset. Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, et eorum regem prudenter vicit. Postremo per epistolas ac munera rogatus, veniam ei ac pacem dedit. Iberiæ quoque regem vicit acie, et in deditionem accepit. Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ regi donavit, qui socius belli Mithridatici fuerat. Attalo et Polemini Paphlagoniam reddidit, Aristarchum Colchis regem imposuit. Mox Ituræos*, etc. Hersfeld. etiam cum nostro hic est copiosior, et ad verbum convenit cum Eutropio, usque ad *Inde ad Judæam*, nisi quod ubi Eutropius *Daphnensibus*, H. *Damucensibus.*

[i] A.: *Transgressus. Jerosolymam caput gentis obsedit non solum*, etc.

[j] Eutrop. XIII, Hersfeld. XXIII.

[k] A., *cæteros in fidem accepit*, etc.

[l] A., post *narravit: His gestis in Asiam se recepit*

*Interea* L. Sergius Catilina, nobilissimi generis, sed ingenii pravissimi, ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam claris quidem, sed audacibus viris. *Cujus conjuratio per eosdem dies in Urbe habita ac prodita est; in Etruria vero civili bello exstincta est, sed* a Cicerone *Catilina* Urbe expulsus est, socii ejus comprehensi, et in carcere strangulati sunt. *Ab Antonio altero consule Catilina ipse in bello victus, et interfectus est. Sed hanc historiam* [a] *agente Cicerone, et describente Sallustio satis omnibus notam, nunc a nobis fuisse perstrictam sat est. Motus etiam in Pelignis ortus a Marcellis patre, et filio, per L. Betium proditus, patefacta Catilinæ conjuratione, quasi succisa radice compressus est, et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutiis vindicatum.* Anno ab Urbe cond. 690, D. Junio Syllano, et L. Muræna consulibus, Metellus de Creta triumphavit: Pompeius de bello [b] piratico Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante currum ejus [c] filii Mithridatis, et filius Tigranis, et Aristobolus rex Judæorum. Prælata est ingens pecunia, et auri, atque argenti infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

Anno ab Urbe condita 693, C. Julius Cæsar, qui postea imperavit, cum L. Bibulo cos. est factus. Decreta est ei Gallia *transalpina, et cisalpina*, et Illiricum cum legionibus [d] denis *in quinquennium datis: Galliam comatam postea senatus adjecit. Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cujus nos competentes portiunculas decerpsimus. Helvetiorum animos fortissimos Gallorum omnium gentis, ea vel maxima causa, quod perpetuo pene cum Germanis bello altercabantur, a quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam princeps gentis, spe totas invadendi Gallias in arma accenderat. Quo cæteri optimates correpto, et ad mortem coacto, cohibere tamen animatas semel in prædam plebes nequiverunt. Qui conjuratione facta, ac die dicta exustis vicis, et domibus suis, ne quod desiderium, et spes revertendi foret, profecti sunt. Quos cum ad Rhodanum fluvium Cæsar obvios habuisset, magno difficilique bello bis vicit, victos ad deditionem coegit. Horum fuit, cum primum progressa est omnis multitudo, Helvetiorum, Tulingorum, Latobrigum, Rauracorum, et Bojorum, utriusque sexus, ad centum quinquaginta septem millia. Ex his quadraginta et septem millia in bello cecidere: cæteri in terras proprias remissi sunt. Postea Cæsar contra Ariovistum regem pugnans, excitantem, invehentemque secum incredibiles Germanorum copias, quibus nuper universos Galliarum populos se subegisse jactabat, apud Sequanos fugere compulit. Cumque diu exercitus Cæsaris Germanorum multitudine, et virtute perterritus, pugnam detrectasset, Ariovistus in Germaniam arrepta navicula Rhenum transvectus aufugit. Uxores ejus duæ, totidemque filiæ captæ sunt. Fuerunt autem in exercitu Ariovisti, Arudes, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemetes,* [e] *Sebusii, et Suevi. Pugna maxime gravis ex phalange* B *Germanorum fuit, quam coacto in unum agmine, scutisque supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti, undique præstruxerant. Sed postquam Romanorum aliqui militum, agilitate, audaciaque insignes, supra obductam saliere testudinem, scutisque velut squamis singillatim revulsis, desuper nudos deprehensorum detectorum humeros perfoderunt: territi hostes novo mortis periculo terribilem dissolvere compagem. Exinde in fugam versi, per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt. Neque conjici numerus Germanorum potuit, vel quantus pugnæ affuerit, vel quantus fuerit occisorum. Post hæc Belgarum gens, quæ tertia pars Galliarum est, adversus Cæsarem exarsit, quorum distributim copia hæc fuit. Bellovaci, qui cæteris numero et virtute præstare viderentur, habuere* C *lectissima sexaginta millia armatorum; Suessiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia: Nervii, quorum adeo feritas prædicabatur, ut nunquam mercatores ad se accedere sinerent, vina, cæteraque venalia deferri, quibus inducta jucunditas torporem virtutis afferret, habuere similiter quinquaginta millia:* [f] *Atrebates etiam, et Ambiani decem millia: Morini viginti quinque millia: Menapii decem millia: Caleti decem millia: Velocasses, et Veromandi decem millia: Atuatici* XVII *millia: Condures, et Eburones, atque* [g] *Cercesi, et Pemani, qui uno nomine Germani vocantur,*

*et finem antiquissimo bello dedit. M. Tullio Cic. oratore et Cn. Antonio coss., anno U. C. 689, Lucius Sergius,* etc.

[a] Hæc usque ad *vindicatum* non sunt in H., qui cum Eutropio convenit ad verbum in sequentibus usque ad *Oceanum Britannicum processit: Expugnavit namque in ea Helvetios, Tulingos, Latobojos, Rauracos, et Bojos, ex quibus* XLVIII M, *perempta sunt, cætera diffugerunt. Dein Aurivovistum regem, cui auxiliabantur Arudes, Marcomanes, Tribuci, Vangiones, Nemetes, Eduses, et Suevi fugere compulit, duasque uxores ejus, totidemque filias cepit, omnemque exercitum per* LM *passuum insatiabiliter cecidit. Post hæc gentem Belgarum, cui adhæserant Bellovacui* (aliter *Bellovagui*) *cum* LXM *armatorum, Suessones* LM *stravit. Imbervi* (corrigo *Nervii*) *præterea, quorum adeo indomita feritas, ut nunquam ad se mercatores accedere sinerent, hii nihilominus* LM *armatorum habentes. Atrepates etiam et Ambiani, Menappi, Caleti, Velocasses, Velomandi, Aduatuci, Condurses, Eburones, Cerosicemani, qui uno nomine Germani vocantur, quorum omnium cum his, quos supra diximus,* CCLXXIII M *fuisse referuntur, hi cum repente e sylvis erumpentes exercitum Cæsaris perterritum in fugam vertissent, tandem hortatu Cæsaris exercitus restitit, eosque usque ad internecionem pene delevit. Dehinc Titurius Albinus* D *legatus Cæsaris Albercos, Eburonices, Lixoviosque incredibili cæde delevit. Pub. Crassus alter leg. ex Aquitonis, et Cantabris* XXXVIII M *interfecit. Cæsar rursus Germanos, qui Renum transierant, et totas Gallias sibi subjicere parabant,* et cætera, in quibus H. cum Miscella convenit fol. 42, c. 2 B. Ex quo loco notabis, lector, varias lectiones, et ut conferre possis addam et has ex alio ms. Codice. CANIS.

[b] A., *Piratico et Mithridatico.*

[c] A., *filius Mithrid.*

[d] A.: *denis. Primus vicit Helvetios, qui nunc Squedi appellantur. Deinde vincendo bella gravissima usque ad oceanum Brittannicum processit Expugnavit namque Helvetios, Tulingos, Lutabolos, Sauracos, et Bojos*, ut in Hersf. legit Canis. supra not. num. 55.

[e] Al., *Edures, Eudeses.* CANIS.

[f] Al., *Atuacii.*

[g] Al., *Ceroceromani.*

Digitized by Google

*quadraginta millia. Ita omnes in simul fuisse referuntur ducenta octuaginta* [a] *duo millia armatorum lectissima. His igitur repente e sylvis erumpentibus, exercitus Cæsaris perturbatus, atque in fugam actus, plurimis suorum amissis, tamen hortatu ducis restitit, victoresque agressus, usque ad internecionem pene delevit. Igitur Cæsar, magnis in Gallia rebus gestis, cum in Italiam proficisci decrevisset, Galbam cum legione duodecima ad Veragros, Sedunosque misit. Qui cum hiemandi causa in vico Veragrorum, cui nomen erat Octodurus, consedisset, mediumque oppidi, quod torrente distinguebatur, accolis concessisset, quadam die eosdem decessisse pariter per noctem, ac proximo insedisse colli videt. Quippe illi paucitatem vix mediæ legionis despectui habentes, ultroneam nullo cessuram negotio victoriam arbitrabantur, finitimosque suos in hanc cædis, et prædæ societatem vocaverant. Igitur Galba, tam præsentibus, et gravibus periculis circumsepto, ac trepido atque inter varias consultationes certi consilii incerto, repente Galli descensu montis effusi, castra imperfecta circumdant, raros per vallum propugnatores saxis telisque onerant. Cumque jam castra irrumperentur Pacuvii primipilaris, et Voluseni tribuni consilio, cunctis Romani portis eruperunt, incautosque subito aggressi hostes primum perturbaverunt : deinde in fugam versos miserabili strage fuderunt : nam amplius quam* XXX *millia barbarorum tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar, cum jam pacatas universas Galliarum gentes putaret, ad novum et maximum bellum retractus est. Namque cum P. Crassus adolescens cum legione septima* [b] *Oceano vicinus apud Andegavos hiemaret,* [c] *Veneti, cæterique confines repente in arma conjurant, legatos Ro. vinciunt, eosque ita demum se reddituros, si obsides suos recipiant, Romanis indicant. Socios ad id bellum* [d] *Osismios, Lexovios, Nannetes, Ambibaritos, Morinos, Diablintes, et Menapios adsciscunt : auxilia quoque a Britannia arcessunt. Cæsar per Crassum de rebellione deditarum gentium certior factus, quamvis intelligeret quanta ineundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotii non negligendam ratus est, ne cæteri exemplo hujusmodi audendi licentia laxarentur. Itaque terrestri prælio persecuti hostes frustra aggressus, quippe cum hostes per interfusa ex Oceano æstuaria, atque in accessos recessus, tutis terrarum finibus munirentur : naves longas ædificari in Ligeri flurio jubet, per quem in oceanum mitterentur. Quæ mox ut hostibus visæ sunt continuo ducentæ* XX *naves eorum paratæ, atque omni genere armorum instructissimæ progressæ portu ex adverso restiterunt. Bruto circumspicienti imparem longe navium esse conflictum, quia barbarorum naves solido robore intextæ, saxorum modo adactos rostrorum ictus re-* A *tundebant, hoc primum auxilio fuit, quod falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas paraverat, quibus cum opus esset, apprehensos eminus rudentes, subductis hastilibus, per funem falcem retrahendo succiderent. His celeriter expeditis, disrumpi hostilium antennarum armamenta præcepit : ita antennis ruentibus, complures illico naves velut captas immobiles reddidit. Alii hoc periculo territi suspensis velis, qua ventus intenderet, fugere conati sunt. Cessante vento ludibrio fuere Romanis. Itaque incensis omnibus navibus, et interfectis qui pugnaverant, Galli reliqui sese dediderunt. Sed Cæsar maxime ob injuriam legatorum, et ut genti ad omnia consilia mobili, terribilis exempli notam inureret, cunctis principibus tormentis interfectis, reliquos sub co-* B *rona vendidit.* His diebus Titurius [e] Sabinus legatus Cæsaris, Aulercos, Eburonices, Lexoviosque, *qui primates suos, cum auctores belli resuscitandi esse nollent, interfecerant, eruptione facta* incredibili cæde delevit. P. vero [f] Crassus, *cum in Aquitaniam pervenisset, bello exceptus est. Namque Sociates magno equitatu, pedestribusque copiis prævalidis Romanos adorsi, diu graviter perturbaverunt. Post victi, atque in oppidum Sociatum coacti, obsessique, cum se expugnari viderent, armis traditis, in deditionem recepti sunt. Aquitani clade permoti undique exercitum contrahunt, de citeriori quoque Hispania auxilia accersunt. Duces eos bello præficiunt, qui cum Sertorio militaverant. Hi omnes dum obsidionem Crasso parant, in castris suis Crasso obruente deleti sunt.* C *Nam ex Aquitanis, et Cantabris, quorum quinquaginta millia tunc in auxilium venerant, triginta et octo millia cæsa referuntur.* Cæsar Germanos, qui Rhenum cum immensis copiis transierant, simul et totas Gallias subjicere sibi parabant, bello adorsus, usque ad internecionem cecidit, quorum fuisse numerum ad quadringenta quadraginta millia ferunt. Tunc Cæsar in Germaniam facto ponte Rhenum transgreditur [g] Sicambros, et Ubios obsidione liberat : Suevos maximam, et ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos, et populos multi prodidere, totamque Germaniam adventu suo terret. Mox in Galliam rescisso ponte se recepit. Domuit autem annis novem omnem Galliam, quæ inter Alpes, flu- D menque Rhodanum, Rhenumque, et Oceanum est, et circuitu patet ad bis tricies centena millia passuum. *Inde ad Morinos venit, unde ad Britanniam proximus, et brevissimus transitus est. Navibus circiter onerariis, atque actuariis octoginta præparatis in Britanniam transvehitur*, Britannisque bellum infert, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. [h] *Ibi acerba pugna primum fatigatus,*

[a] Al., LXX.

[b] Al., *Oceantenus. Andegavos*, al. *Caudicavos.*

[c] Al., *Deditiani.*

[d] Al. *Osismos Namnetes deditiarum.*

[e] Al., *Albinus legatus Cæsaris Alvernos, Eburovices, Luxoviosque.*

[f] Al., *Crassus alter Legatus ex Aquitanis, et Cantabris* XXXVIII M, *interfecit.*

[g] Al., *Sugam, et Vitibios.*

[h] Hersfeldensis ab hoc loco cum Eutropio ad verbum convenit, nisi quod ubi Eutropius legit : *anno U. C.* 699, *M. Licinius Crassus*, H. legit 697, et ubi Eutropius *Surena Orodis regis*, H. *Herodis*; et ubi legit Eutropius *dimissis exercitibus ad urbem redire, propter quam injuriam ab Arimino*, etc., H. copiosius ita habet : *ad urbem redire, et ex Marcelli cos. auctoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Pompeius cum imperio missus est. Propter quam injuriam*

Digitized by Google

*deinde adversa tempestate correptus, plurimam classis partem, et non parvum numerum militum, equitatum vero pene omnem disperdidit. Regressus in Galliam legiones in hiberna dimisit, ac xx naves utriusque commodi fieri imperavit. Quibus iterum in Britanniam primo vere transvectus, dum ipse in hostem cum exercitu pergit, naves in ancharis stantes tempestate correptæ, vel collisæ inter se, vel arenis illisæ, ac dissolutæ sunt, ex quibus* XL. *perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Interea Sceva miles Cæsaris cum quatuor commilitonibus navicula ante transvectus est ad scopulum insulæ propinquum, atque interea recessu Oceani destitutus est: complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt; cæteri tamen qui perrari comites ipsius fuerant, navigio redeunt. Sceva imperterritus manet, undique telis obrutus: ac primo pilo restitit, postremo gladio rem gerit solus in plures. Cumque fessus, vulneratusque esset, et galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natavit ad castra Cæsaris, et poposcit ab imperatore veniam pro temeritate: quem Cæsar centurionatus honore subvexit. Igitur Cæsaris equitatus primo congressu a Britannis victus, ibique Labienus tribunus occisus est. Secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Britannos in fugam vertit. Inde ad flumen Tamesim est profectus, quem uno tantum loco transmeabilem ferunt. In ulteriore ripa fluminis cum Cassobellauno duce immensa hostium multitudo considerat, ripamque fluminis, ac pene totum sub aqua vadum acutissimis sudibus præstruxerant. Quod ubi a Romanis deprehensum, ac vitatum est, barbari legionum impetum non ferentes, silvis se abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos graviter ac sæpe lacerabant. Interea Trinovantum firmissima civitas, cum Androgorio duce, datis quadraginta obsidibus, Cæsari se dedidit. Quod exemplum secutæ urbes aliæ complures in fœdus Romanorum venerunt, obsidibusque datis, stipendiariæ factæ sunt: iisdemque demonstrantibus, Cæsar oppidum Cassobellauni ducis inter duas paludes situm, obtentu silvarum munitum, omnibusque rebus confertissimum, gravi tandem pugna cepit. Exin Cæsar a Britannis reversus in Galliam, postquam legiones in hiberna misit, repentinis bellorum tumultibus undique circumventus et con-*

A *flictatus est. Namque Ambiorix cum Eburonibus, e[t] Atuaticis conspirans, animatus Trevirorum consilio Titurium Sabinum et Aruncul[e]ium Cottam legatos apu[d] Eburonas cum tota funditus legione insidiis circum[ventos] interfecit. Ambiorix hac victoria elatus Atua[ticos], et Nervios, plurimosque alios raptim in arm[a] contrahit, atque ad Ciceronem legatum, qui simili[ter] tunc legioni præerat, in hibernis contendit. Multitud[o] ex hoc hostium colligi potuit, quia cum obsidione ca[strorum] vallum circumdandum esse a captivis Roma[nis] docerentur, et instrumenta ruralia non haberent, gladiis concidendo [ter]ram, et sagulis exportando, vi[x] tribus horis vallu[m] x pedum, et fossam* XV *pedum pa[ssuum] millia passuum* XV *in circuitu perfecerunt. Prætere[a] centum viginti turres miræ altitudinis exstruxerant. E[t]*

B *cum jam septem dies noctesque succidui hostium cun[cti] pugnarent, ac ventus subito exortus esset plurimus, te[sta]s ferventes intorsere fundis, flammataque facis tel[a] ac mox concepto igne rutilantia intra castra jecerunt. Quo facto, per culmea culmina raptim ventus insistens sparsum animavit incendium. Sed nec sic quidem Romani, cum undique obruerentur vulneribus, laboribus, jejuniis, vigiliis, incendiisque cesserunt. Tandem Cæsari nuntiatum est unam legionem deletam esse, alte[ram] jam pene confectam. Adventante cum duabus le[gionibus] Cæsare, deserunt hostes obsidionem, atque i[n] eum cuncti raptis copiis ruunt. Cæsar parvissimis [in] castris consulto condidit, equitibusque præmissis, [ut] fugam fingerent imperavit, ut ad transitum vallis, qu[æ] media erat, sibique periculosa videbatur, hostes con[]*

C *temptu sui invitaret. Quibus adventantibus, insuper ob[s]trui portas præcepit. Quo viso Galli, quasi jam vici[s]sent, ad obducendum extrinsecus vallum conversi sunt. Cæsar totis repente portis paratum effudit exercitum acriterque cum eis dimicans, tandem vidit unum e militibus suis segnius præliantem, scutumque ejus rapuit, et in adversos ruit. Quo facto erubuit exercitus versosque in fugam Gallos, vastissima cæde confecit. Nam sexaginta millia tunc fuisse referuntur, e quibus pauci per paludes invias evaserunt. Inducionarus Tre[virorum] princeps, magnas armatorum copias haben[s] postquam de consensu totius Galliæ certior redditus Labieni castra, legionemque cui præerat, quod facil[e]*

*ab Arimino*, etc. Item ubi Eutropius *apud Pharsalium*. H. *apud Paleofarsacum productis*, etc. Eutrop. *Equitum in sinistro cornu* VII *m.* H.: *Equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos.* Eutrop.: *ingenti contentione.* H. copiosius ita legit: *ingenti contentione cumque diu utrinque dubia sorte cederentur, atque ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret: Parce civibus; nec tamen faceret, ex alia vero Cæsar hoc faceret, quod urgeret dicens: Miles faciem feri, tandem universus Pompeii fugit exercitus, castraque ejus direpta*, etc., in quibus iterum convenit cum Eutropio, usque ad illa verba *amicitiam secutus, spadonibus missis, occidere Pompeium jussit, caput ejus, et annulum Cæsari misit. Quo conspecto Cæsar etiam lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam sui. Mox Cæsar Alexandriam venit, ipsi quoque Ptolomæus insidias paravit. Cæsar vi insistentium hostium pressus, scapham ascendit, qua mox pondere subsequentium gravata, ac mersa, per ducentos passus ad navem una manu elata qua castas* (corrige

D ex Miscella fol. 46, c. 2 B *chartas*) *tenebat, natand[o] pervenit. Mox navali certamine*, et cætera, in quibu[s] cum Miscella fol. 46 ibidem convenit usque ad illa verba *Cæsar Alexandria potitus*: a quibus verb[is] H. convenit cum Eutropio pene ad verbum usque a[d] finem, nisi quod post ultimum verbum lib. VI Eutropii *confossus est.* Adjicit illa: *Vir, quo nullu[s] unquam*, etc., quæ sunt in Miscella, fol. 47, c. 2, usque ad finem.

Hæc de suo Hersfeld. Codice Canisius, nos Ambrosianam lectionem notis perpetuis continuamus unde post verbum *cognitum erat* annectimus etia[m] et nostram. *Eos quoque victos, obsidibus acceptis stipendiarios fecit: Galliæ autem tributi nomine an[]nuum imperavit Sestertium, Germanosque trans Rh[e]num aggressus immanissimis præliis vicit. Inter to[t] successus ter male pugnavit apud Avernos, semel præsens, et absens bis. Circa eadem tempora anno U. C.* 697, etc.

*facto arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonibus, Nerviisque conjunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus, quibus potest artibus, timorem simulat, atque ita Induciomarum negligentiorem cum insultantibus copiis pro vallo oberrantem repentina eruptione prostravit. Hac victoria Labieni reliqui Gallorum conatus repressi sunt, et Cæsar paulo quietior reliqua parte hiemis fuit. Sed intelligens sibi majora belli superesse negotia, maxime quia plurima exercitus parte amissa, aliisque graviter sauciatis, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum videretur, a Cn. Pompeio procos. conscribi legiones, sibique mitti in auxilium fecit. Itaque ante hiemem exactam tres ad eum legiones in castra venerunt. Igitur Cæsar priusquam in unum hostium copiæ coirent, ineunte verno aggredi trepidos et opprimere sparsos in suis finibus parat. Primum itaque Nerviorum fines diripit, prædam vero, quæ copiosissima erat, exercitui permittit. Deinde Menapios, qui sibi propter immensas paludes atque impeditissimas silvas munitissimi videbantur, tribus agminibus invadit, nimiaque cæde vulgo agitata residuos supplices in deditionem accepit. Labienus sequenti prælio omnes Trevirorum copias interfecit, arte in bellum provocatas, priusquam Germanis adventantibus jungerentur, et continuo ipsam civitatem cepit. Cæsar, ulcisci mortem Sabini et Cottæ legatorum volens, in Ambiorigem et Eburones deletæ legionis auctores, postquam in Arduennam silvam refugisse comperit, quæ silva totius Galliæ maxima est, atque a ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios, usque pertingit, et in longitudinem plusquam quinquaginta millibus passuum patet, permetiens rem suis maximi periculi fore, si per obstructas spatiosas silvas ignoti dividerentur, hostemque loci notissimum quærerent, omnem Galliam per nuntios invitat, ut quisque secundum placitum suum reconditas in Arduenna silva prædas quærant, diripiantque. Quo facto, Gallis utrinque morientibus, maximas Romanorum injurias, sine cujusquam Romani discrimine vindicavit. Ita hoc tutissimo vincendi genere securus in Italiam rediit. Igitur Cæsare in Italiam reverso, rursus Gallia in arma conjurat, multique simul populi coeunt. Dux his Vercingetorix fuit, cujus consilio statim omnes Galli civitates suas ultro incenderunt, prima a suis incensa Biturico. Inde ad Cæsarem, qui magnis itineribus per Narbonensem provinciam clam ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæsar tunc oppidum nomine Cenapium obsidione concluserat, quod diu oppugnatum tandem post multas Romanorum clades, pluvio die, magna cum hostilium machinarum armenta, nervique languerent, applicitis turribus captum atque deletum est. Quadraginta millia hominum ibi fuisse referuntur : e quibus vix LXXX homines per fugam lapsi ad castra proxima Gallorum venerunt. Præterea Arverni, cæterique confines, sollicitatis etiam ad se Eduis, multis adversum Cæsarem præliis bellaverunt. Qui cum se pugnando fatigati in quoddam oppidum recepissent, milites prædæ inhiantes ad expugnationem oppidi animum intendunt, frustra Cæsare de loci iniquitate cau-*

A

*sante. Itaque ibi Cæsar erumpentibus desuper hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita victus aufugit. Dum hæc ad Halesiam geruntur, Vercingetorix, quem omnes consensu pari regem præoptaverant, suadet uti ex tota Gallia, omnes qui arma ferre possent, huic bello præsto sint ; hoc enim esse unum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna servitus, aut mors omnium consequantur. Itaque absque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo millia, peditum ducenta quinquaginta millia contracta sunt. Dehinc duos colles sibi invicem obversos Romani, Gallique ceperunt. Unde multis sæpe eruptionibus et variis proventibus præliantes, tandem Romani præcipua Germanorum equitum, quos sibi jamdudum amicos nunc in auxilio asciverant, virtute vicerunt. Vercingetorix alia die congregatis*

B

*omnibus qui fuga evaserant, dixit se auctorem bona fide defendendæ libertatis atque irrumpendi fœderis fuisse. Et nunc, sive Romanis sese ad mortem omnes offerant, sive se solum pro omnibus dandum paratum animo fore. Itaque Galli voluntatem, quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, illico sibi veniam precantes, eum solum, velut auctorem magni sceleris dediderunt. Bellovaci omnibus Gallorum gentibus ipsorum opinione fortiores habebantur. Hi Chorreo duce bellum instaurant, sibique in hanc suscepti belli societatem Ambianos, Aulercos, Caletos, Bellocasses, Atrebatasque conjungunt, et locum quemdam cinctum, atque impeditum undique paludibus capiunt. Commissoque prælio, magnam Rhemorum ma-*

C

*num, quæ auxilio Romanis erat, trucidant. Deinde cum opportunum ipsi locum insidiis provisum occupavissent, atque hoc comperto Romani ad insidiarum locum instructi ordinatique venissent, commisso prælio Romani Gallos fugientes iisdem locorum munitionibus quibus clausi fuerant incluserunt, cunctosque ad internecionem ceciderunt. Ibi Chorreus, vel fugam, vel deditionem detrectans, Romanos, ut vivus caperetur instantes occidendo, ut occideretur coegit. Igitur cum pacatam Galliam universam Cæsar, neque ausuram fore ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hiberna dimisit. Ipse autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitaverat, hominum horrenda strage vastavit. At vero C. Caninius legatus bellum apud Pictonas invenit, ubi magna hostium multitudo impeditam iti-*

D

*nere legionem circumdedit, atque ad extremum discrimen adduxit. Porro autem Fabius legatus, acceptis Caninii litteris, in Pictonas proficiscitur, ibique a captivis de opportunitate locorum certior factus inopinantes hostes opprimit, magnisque stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde cum Caninio signum adventus sui dedisset, Caninius totis castris subito insiluit, seseque injecit hosti. Ita Fabio ex una parte, et Caninio ex altera insistente, maximo et diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ sunt. Inde Fabius in Carnutes profectus est. Sciebat enim Deonacum ducem antiquissimum totius rebellionis incentorem ab hoc bello elapsum, si Aremoricis gentibus adjunctus esset, maximos iterum tumultus esse in Gallia moturum. Sed eos adhuc ipsa novitate trepidantes mira vir-*



Digitized by Google

tute et celeritate perdomuit. Interea Draptes unaque Lucterius, cum adesse Caninium et legiones in finibus suis viderent, undique collectis copiis, oppidum Lugdunum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non parvo flumine cingebatur; medio deinde descensu largissimo fonte securum, plurimaque introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romana provisione potuit, ambos duces cum parte copiarum plurima in campum evocatos, maximo prælio superavit. Nam uno e ducibus interfecto, alter cum paucissimis fugit, nullus in oppidum rediit. Sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Cæsar occurrit, circumspectisque omnibus videt, si expugnare vi moliatur, ludo et spectaculo hostium delendum esse exercitum suum: unum solum esse præsidii, si quoquomodo hostes aqua arceantur. Sed et hoc quoque, nisi Cæsar, non potuisset. Siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio devexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoveri vineas turrimque exstrui jubet. Fit magnus illico concursus ex oppido, quibus sine periculo præliantibus, Romani, quamvis pertinaciter obsisterent, crebriusque succederent, tamen complures trucidantur. Igitur exstruitur agger, et turris pedum LX, cujus vertex adæquare ad fontis locum possit, ut vel ex æquo tela conjici queant, vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem, ubi exanimari siti non solum pecora, verum etiam infirmiores hominum ætates vident, cupas pice, sevo et scindulis repletas, ac deinde immisso igne in prona præcipitant, easque ipsi toto oppido fusi subsequuntur. Ardentibus machinis, cum grave prælium suis Cæsar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter per occultum imperat, atque undique subito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris vel demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus per multa dividendo tenuari in semetipsis consumique fecerunt. Oppidani, fonte siccato, ultima desperatione correpti, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus, qui arma tulerant, manus sustulit, et vitam reliquit, quo testatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri præsens forma viventis, et ad recordationem admonet conscios, et ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis itaque atque edomitis Gallis securus Cæsar cum legionibus in Italiam rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens, certo se

A sciens, minime aliquos, qui vel moveri audeant, vel, si moveantur, timendi sint, reliquisse. Anno ab Urbe condita 697, M. Licinius Crassus collega Cn. Pompeii magni in consulatu secundo [a] provinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hierosolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquit, in Palæstinam divertit, Hierosolymam adiit, templum perradit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit sociis civitatibus auxilia indixit, pretia exegit. Mox ut Euphratem transit, illico Bajesen ab Herode rege Parthorum ad se missum obvium habuit: a quo vehementer increpatus est, cur contra fœdus Luculli et Pompeii, avaritia inductus, Euphratem transierit. Quamobrem sine mora futurum ut pro auro Parthico Serico ferro oneB raretur. Inde cum prope Carras contra omina et auspicia ventum esset, Parthi subito ingruentes cum Surena et Sylace præfectis, sagittis oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi senatores, aliquot etiam consulares, et prætorii viri. Crassus quoque filius Crassi lectissimus juvenis in acie occisus est. Præterea quatuor cohortes cum Vargunteio legato mediis deprehensæ campis, et interfectæ sunt. Surcenas rapto equitatu Crassum persequi intendit, eumque circumventum, ac frustra colloquium ejus petentem cepit, et in castra perduxit, ac postremum auro in os ejus infuso interfecit. Pauci noctis beneficio liberati, Carras confugere. Cognita clade Romanorum multæ Orientis provinciæ a societate vel fide populi Romani defecissent, nisi Cassius Quæstor collectis ex
C fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi virtute ac moderatione pressisset: qui et Antiochum copiasque ejus ingentes prælio vicit et interfecit, Parthos quoque ab Herode in Syriam missos, jamque ingressos Antiochiam bello expulit, ducemque eorum Hosagen interfecit. Igitur Romani status agitur semper alterna mutatio, et velut forma Oceani maris, quæ omni die dispar, nunc succiduis per septem dies tollitur incrementis, nunc insequentibus totidem diebus, naturali damno et defectu interiore subducitur. Anno ab Urbe condita 700, incertum unde concretus, plurimam urbis partem ignis invasit. Neque unquam antea tanto incendio correptam atque vastatam civitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos cum vico jugario consumptos fuisse memoriæ
D proditum est. Hinc jam bellum civile committitur, quod magnis jam dudum dissensionibus ac molitionibus parabatur. Nam Cæsar rediens victor ex Gallia, decerni sibi absenti alterum consulatum [b] poposcit. Contradictum est a Marcello consule, a [c] Bibulo, a Catone, annitente Pompeio. Deinde decretum est a senatu, ut in Urbem Cæsar nonnisi dimisso exercitu veniret: et ex Marcelli cos. au-

[a] A.: Contra Parthos missus est, et cum circa Carras contra omen et auspicia dimicasset, a Surena Orodis regis duce victus ad postremum interfectus est cum filio, clarissimo ac præstantissimo juvene. Reliquiæ exercitus per Cassium quæstorem servatæ sunt. Qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas rediens trans Euphratem crebris præliis vicerit. Hinc jam bellum civile successit, exsecrandum et lacrymabile, quo præter lacrymabiles calamitates, quæ in præliis acciderunt, etiam pop. Rom. fortuna mutata est.

[b] A. post verbum poposcit, addit cum Eutropio, atque, cum sine dubietate aliqua ei deferretur, contradictum, etc.

[c] A Pompeio, a Catone, jussusque, ut dimissis exercitibus ad Urbem rediret.

Digitized by Google

ctoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Cn. Pompeius cum imperio [a] missus est, *Cæsar Ravennam sese contulit. M. Antonius, et P. Cassius tribuni pleb. pro Cæsare intercedentes, interdicente Lentulo cos., curia, foroque prohibiti ad Cæsarem profecti sunt, Curione simul Celioque comitantibus. Cæsar, Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est : quid facto opus esset edocuit : deplorans injurias suas, causam belli civilis pro restituendis in patriam tribunis esse testatus est. Inde per Antonium septem cohortes, quæ apud Sulmonem morabantur, a Lucretio recepit. Tres legiones, quæ cum Domitio apud Corfinium morabantur, ad suas partes transduxit.* Consules cum Cn. Pompeio, senatusque omnis, atque universa nobilitas ex urbe fugit, atque in Græciam transiit. Apud *Dyrachium Epirumque :* Macedoniam, et Achaiam, Cn. Pompeio duce senatus contra Cæsarem bellum paravit.

Cæsar vacuam urbem ingressus dictatorem se [b] fecit, *negatamque sibi ex ærario pecuniam fractis foribus invasit, protulitque ex eo auri pondo quatuor millia centum triginta et quinque, argenti pondo prope* [c] *nongenta millia. Inde digressus Ariminum ad legiones, mox Alpes transvectus, Massiliam venit : ob quam oppugnandam, cum receptus non esset, Trebonium cum tribus legionibus reliquit. Quo bello miles duodecimæ legionis adversus eos navali certamine pro Cæsare dimicans, hostilem navem dextera apprehendit. Qua amputata, lævam injecit, neque ante dimisit, quam mergeretur. Cæsar deinde ad Hispanias contendit, quas L. Afranius, et M. Petreius, et M. Varro, Pompeiani duces cum legionibus obtinebant, ibi multis præliis Petreium, Afraniumque superatos, composita pactione dimisit. In ulteriore Hispania duas legiones a M. Varrone suscepit. Similiter et duces ejus, hoc est Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem ab Africa Varus ejecit. Cæsar rediens Massiliam obsidione domitam, vita tantum et libertate concessa, cæteris rebus abrasit. At vero Dolabella partium Cæsaris in Illyrico per Octavium, et Libonem victus, copiisque exutus, ad Antonium fugit. Basilius et Sallustius, ducentes singulas legiones, quibus præerant, similiter et Antonius, Hortensius quoque ab infimo mari cum classe concurrens, omnes pariter adversus Octavium et Libonem profecti et victi sunt. Antonius cum se Octavio cum quindecim cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium a Libone deducti sunt. Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est : quem Juba rex continuo exceptum cum omnibus copiis trucidavit. Octavius Salonas oppugnare conatus, omnes copias quas duxit, amisit. Cælius a Cæsare de civit, ac se Miloni exsuli junxit. Cumque ambo servorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt. Bibulus apud Corciram pudore victus, quod custodiæ ejus, quam pelago et oppido prætendebat, hos is illuserat, inedia sese, vigiliisque confecit. Appius Claudius Censorinus, qui jussu Pompeii Græciam tuebatur, jam abolitam Pythici oraculi fidem voluit experiri. Quippe ab eo adacta vates descendere in specum, respondisse fertur de bello consulenti : Nihil ad te hoc, Romane, bellum pertinet ; Eubœa Cœla obtinebis. Cœla autem vocant, Euboicum sinum. Ita Appius perplexa sorte incertus discessit. Interea apud Dyrachium multi Orientis reges ad Cn. Pompeium cum auxiliis venerunt. Quo cum Cæsar venisset, Cn.* B *Pompeium obsidione frustra cinxit, ipse terram quindecim millium passuum fossa prætruens, cum illi paterent maria. Pompeius castellum quoddam propinquum mari, quod Marcellinus tuebatur, evertit : præsidiaque Cæsaris, quæ ibidem morabantur, occidit. Cæsar Torquatum, legionemque unam, ut expugnaret aggressus est. Hoc periculo sociorum Pompeius cognito, omnes copias eo traxit, et signa eo movente, fulmina adversa occurrerunt. Apes quoque obsedere vexilla. Quo viso subitus mœror confudit exercitum, fugerunt hostiæ in templis, conversa simulacra, alia fleverunt, alia sudarunt. Tantus vero in aere armorum strepitus fuit, ut Antiochiæ quasi adventu hostium in muros concurrerent. Interea Cæsar, omissa obsidione, ad Pompeium se convertit. Torquatus autem e vestigio pro-* C *rumpens, aversum insecutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente, fugerunt.* Evasit tamen *Cæsar*, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit. Dixitque Cæsar, nec Pompeium scire vincere, et illa tantum die se potuisse [d] superari. *Cæsaque sunt in eo prœlio quatuor millia militum Cæsaris, centuriones viginti duo, equites Romani complures. Cæsus est et in eo prælio Scæva Cæsaris miles fortissimus. Quem cum milites Pompeii, ut se traderet hortarentur, respondisse fertur se esse fessum. Accurrit unus, velut accepturus arma. Percutitur, plures simul sternuntur. Ipse autem vulnera accepit capite, humero, femore, oculumque amisit. Scutum ejus satis constitit centum viginti ictibus petitum fuisse.* Deinde Cæsar *tacito agmine per Epirum in* D *Thessaliam perrexit. Pompeius cum maximis copiis est secutus, bellumque commissum est. Itaque instruitur utrinque acies. Pompeius octoginta et octo cohortes triplici ordine locavit : fuere autem peditum plusquam quadraginta millia :* equites in sinistro cornu sexcenti, in dextro [e] quingenti : *præterea reges multi, senatores, equitesque Romani plurimi, absque levium*

[a] A., *missus est ; propter quam injuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat adversum patriam cum exercitu venit. Consules*, etc.

[b] A., post *fecit : Inde Hispanias petiit, ibi Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. Barsone superavit. Inde regressus in Græciam transiit, adversum Pompeium dimicavit, primo prælio victus est et fugatus. Evasit*, etc.

[c] Forte leg., *nonaginta millia.*

[d] Post *superari : Deinde in Thessalia apud Paleofarsaeum cum productis utrinque ingentibus copiis dimicaverunt. Pompeii acies habuit* XL *millia pedites, equites*, etc.

[e] A. : *quingenti, præterea totius Orientis auxilia, totamque nobilitatem, innumeros senatores, et qui magnorum jam bellorum victores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditum non integra* XXX *millia, equites mille.*

Digitized by Google

*armaturarum magna copia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit, cui fuere minus quam quadraginta millia peditum, equites mille. Videre ibi, et gemere erat, contractas Romanorum vires in campis Pharsalicis ad occisionem mutuo constitisse, quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Prima congressione equitatus Pompeii pulsus sinistra latera nudavit. Deinde, cum* diu utrinque dubia sorte cæderentur, atque ex alia parte [a] Pompeius diceret : Parce civibus, nec tamen faceret; ex alia vero Cæsar [b] hoc *faceret, quod* urgeret dicens : Miles, faciem feri : tandem universus Pompeii fugit exercitus, castraque ejus [c] direpta sunt. *Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum militum quindecim millia, Centuriones triginta tres. Hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit. Pompeius fugiens in ostio Penei amnis onerariam navim nactus in Asiam transiit. Inde per Cyprum* fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Ægypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter juvenilem ejus ætatem, acciperet auxilia : qui fortunam magis quam amicitiam secutus, occidit Pompeium, atque caput ejus et annulum Cæsari misit. Quo conspecto Cæsar etiam lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam [d] sui, *et inundatum odoribus cremari imperavit. Pompeii uxor, filiique ejus fugerunt, cæteraque Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erant crudelissime trucidatis; ibique et Pompeius Bithynicus occisus est. Lentulus vero vir consularis apud Pelusium interfectus est. Cæsar, compositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam venit. Cumque se in regiam recepisset, eludebatur a tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus, ut et regios thesauros vacuos esse ostenderent, et in invidiam Cæsaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius imbutus semel Pompeii sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam jussus exercitum dimittere, cui præerat, viginti millia armatorum, non modo sprevit imperium, verum etiam aciem direxit. In ipso prælio regia classis ad terram subducta jubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque urbis invasisset, quadraginta millia librorum proximis forte ædibus condita exussit : singulare profecto monimentum studii, curæque majorum, qui tot, tantaque illustrium ingeniorum opera congesserant. Unde quamlibet hodieque in templis existant, quæ et nos vidimus armaria librorum, quibus direptis exinanita ea a nostris hominibus, nostris temporibus memorent, quod quidem verum est, tamen honestius creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorum curas æmularentur, quam aliam ullam tunc fuisse bibliothe-*

A *cam, quæ extra quadringenta millia librorum fuisse, ac per hoc evasisse credatur. Postea Cæsar insulam, ubi pharus est, cepit. Eo Achillas cum Gabinianis militibus venit, ingens pugna commissa est. Magna ibi Cæsarianorum militum multitudo cecidit : omnes etiam interfectores Pompeii interfecti sunt. Cæsar quoque vi insistentium* hostium pressus scapham ascendit, qua mox pondere subsequentium gravata ac mersa, per ducentos passus ad navem una manu elevata, qua chartas tenebat, natando pervenit. Mox navali certamine pulsatus, magna felicitate classem regiam aut depressit, aut cepit. Alexandrinis petentibus reddidit regem, monuitque, ut amicitiam Romanam quam arma experiri studeret. Qui tamen illico, ut liber fuit, bellum *Cæsari* intulit : sed con-
B tinuo cum toto exercitu suo, et ipse deletus est. Nam et xx millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecim millia cum [e] *septuaginta* longis navibus dedita, quingenti ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus ut fugeret, multis insilientibus mersus, necatusque est. Corpus ejus ad littus devolutum, indicio loricæ aureæ cognitum [f] fuit. *Qua Cæsar præmissa Alexandriam, Alexandrinos omnes ad deditionem, desperationemque compulit, regnumque Ægypti* Cleopatræ dedit Ptolemæi sorori, cum qua stupri consuetudinem habuerat. Quæ postea regio comitatu urbem [g] ingressa est. *Inde Syriam pervagatus* Pharnacem Mithridatis Magni filium, qui Pompeio auxilio apud Thes-
C saliam fuerat, rebellantem in Ponto, et multas populi Romani provincias occupantem vicit acie, ac postea in mortem coegit. Inde Romam regressus, tertio se *dictatorem*, et consulem fecit, cum M. Æmilio Lepido, [h] qui et magister equitum *dictatoris causa* ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas Romanorum cum Juba Mauritaniæ rege *apud Tapsum* bellum reparaverant. Duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani : hic etiam socer Magni Pompeii fuerat : M. Petreius, Varro, M. Portius Cato, L. Cornelius Faustus Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso [i] *bello*, post multas dimicationes, *maxima hominum multitudo cæsa*, victor fuit [j] Cæsar : *castra utrorumque direpta sunt, sexaginta*
D *elephanti capti. Cato apud Uticam sese occidit; Juba percussori jugulum præbuit, pretio dato : Petreius eodem gladio se perfodit : Scipio in navi, qua ad Hispanias fugere contendens, vento coactus, in Africam redierat, semetipsum jugulavit : in eadem navi T. Torquatus occisus est. Faustum Syllæ quondam dictatoris*

*Nunquam adhuc Romanæ copiæ in unum, neque majores, neque melioribus ducibus convenerant, totum terrarum orbem subacturæ, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum est ingenti contentione. Cumque diu*, etc.

[a] A., *Pompeius inter hortandum.*

[b] A., *hoc facere urgeret.*

[c] A., post *direpta sunt : Ipse*, etc.

[d] A., post *sui : Mox Cæsar Alexandriam venit, ipsi quoque Ptolomæus insidias paravit. Cæsar vi incipientium hostium pressus*, etc.

[e] A., LX.

[f] A., post *fuit : Cæsar Alexandria potitus regnum Cleopatræ*, etc.

[g] A., *ingressa est. Rediens inde Cæsar Pharnacem*, etc.

[h] A., *qui ei mag. equitum dictatori ante*, etc.

[i] A., *prælio.*

[j] A., *Cæsar : Cato, Scipio, Petreius in via ipsi se occiderunt, Faustus Sillæ quondam dictatoris filius, Pompeii gener, a Cæsare interfectus est. Post*, etc.

Digitized by Google

*filium, Pompeii generum, nepotes, filiamque Pompeiam, et Afranium, et Petreium filium Cæsar præcepit occidi.* Post annum *inde* Cæsar Romam cum quatuor triumphis ingressus. [a] Quarto *dictator et cos. creatus, disposito reparatoque Reip. statu, continuo in Hispaniam contra Pompeios Pompeii filios profectus, septimo decimo quam egressus ab Urbe fuerat, die Sagunthum pervenit; statimque adversus Pompeios duos, et Labienum atque Accium Varum multa bella varia sorte gessit. Ultimum bellum apud Mundam flumen gestum est, ubi tantis viribus dimicatum est, tantaque cædes acta, ut Cæsar quoque veteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cum cogi cædique aciem suam cerneret,* se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentium natus annos sex et quinquaginta veniret. Denique reparatis suis, [b] *tum versus subito in fugam Pompeianorum fugit exercitus. Equidem eo die hoc bellum gestum est, quo Pompeius pater ab Urbe bellum gesturus aufugerat. Quatuorque annis hoc bellum civile toto orbe indesinenter intonuit. T. Labienus et Accius Varus in acie occisi sunt. Sextus Pompeius cum centum equitibus aufugit. Cn. Pompeius frater ejus contracta celeriter non parva Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus et victus, fugiensque interfectus est. Munda civitas cum immensa hominum cæde, Cæsare oppugnante, vix capta est.* Inde Cæsar bellis civilibus toto orbe compositis Romam rediit, agere insolentius cœpit contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo honores ex sua voluntate præstaret, qui a populo antea referebantur, nec senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac pene tyrannica faceret, conjuratum est in eum a ducentis sexaginta vel amplius senatoribus *equitibusque* Romanis. Præcipui fuerunt inter conjuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti qui primus Romæ cos. fuerat, et reges expulerat, et C. Cassius, et Servilius Casca.

A Ergo Cæsar, cum inter cæteros senatus quadam die venisset ad curiam, viginti et tribus *cultris senatoriis confectus,* vulneribus*que* [c] confossus *interiit. Quo facto senatores strictis pugionibus in Capitolium secesserunt. Diu deliberatum est utrum Capitolium cum auctoribus cædis oporteret incendi. Corpus ejus raptum populus dolore stimulatus in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremavit. Eadem igitur nocte Calphurnia uxor, videlicet ejus, vidit in somnis eum fossum vulneribus in sinu suo jacere; oravit Cæsarem, ne eo mane abiret in senatum. Sed ille auspiciorum sæpe negligens, contempsit somnium, sed exitu probavit. Igitur ante paucos dies quam Cæsar occideretur, in curia bove ex more mactato, cor in extis non est repertum. Quod cum Spurina aruspex pronuntiasset ad vitæ periculum*
B *pertinere, ait Cæsar constantiæ memor : Miraris si bos non habet cor? sed mox ei finis vitæ fuit. Idem Spurina ante paucos dies eidem Cæsari dixerat cavendum ei esse Idus Martias. Quo die viso Spurinæ ait Cæsar : Idus Martiæ venerunt. Ille respondit : Sed nondum transierunt. Eodem die Cæsar confossus est*, vir quo nunquam ullus *homo* magis bellis enituit. Ejus siquidem ductu undecies centum nonaginta et duo millia hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis civilibus fuderit, noluit adnotare. Signis collatis quinquagies dimicavit, M. Marcellum solus supergressus, qui triginta novem vicibus pari modo fuerat præliatus. Ad hoc nullus celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas etiam epistolas simul dictavit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, magis clementia
C vicerit. Eodem tempore Romæ tres simul exorti soles, paulatim in eumdem orbem coierunt. Inter cætera portenta quæ toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se urgeri; non enim frumenta, sed homines [d] defuturos.

[a] A. : *Quarto se consulem fecit, et statim ad Hispanias est profectus, ubi Pompeii filii Cn. et Sex. ingens bellum præparaverunt. Multa prœlia fuerunt. Ultimum apud Mundam civitatem, in quo adeo Cæsar pene victus est, ut fugientibus suis se voluerit*, etc.

[b] A. : *Suis vicit, et Sex. Pompeii filius major occisus est, minor fugit. Inde Cæsar*, etc.

[c] A., *confossus est vir*, etc.

[d] A., *brevi.*

# LIBER SEPTIMUS.

Anno ab Urbe condita 700 fere ac nono, interfecto *Julio* Cæsare, civilia bella reparata sunt. Percussoribus enim Cæsaris senatus [a] favebat. *Antonium* cos. partium Cæsaris civilibus bellis opprimere conabatur. Ergo turbata [b] Republica *inter multa scelera, quæ Antonius committebat, D. Brutum apud Mutinam obsidione concluserat, pro qua re* a senatu hostis judicatus est. Missi [c] ad eum *expugnandum liberandumque*
D *Brutum* duo coss. Hircius et Pansa, [d] et *cum his Octavius*, adolescens annos natus decem et septem, patre Octavio senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Juliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, *Acciæ sororis ejus filius*, quem ille testamento hæredem reliquerat, et nomen suum ferre jusserat. Hic est qui postea Augustus est dictus, et [e] rerum potitus. [f] *Nam, ut breviter coacervationem malorum explicem, bella ci-*

[a] A. : *Favebat. Sed Antonius cos.* etc. H. et Eutrop. cum Ambrosiano.

[b] A. : *Republica, multa Antonius scelera committens a senatu*, etc.

[c] A., *ad eum persequendum duo coss.*

[d] A., H. et Eutrop., habent : *Et Octavianus adolescens*, etc.

[e] A. : *Rerum summa potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces vicerunt eum apud Mutinam, evenit tamen ut victores coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Cæsari Augusto paruerunt. Fugatus*, etc.

[f] Hæc usque ad *fugatus Antonius* non sunt in Hersfeldensi.

Digitized by Google

*vilia quinque gessit, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus duo, hoc est, primum ac novissimum, adversus M. Antonium, secundum adversus Brutum et Cassium, tertium adversus L. Antonium, quartum adversus Sextum Pompeium Cn. Pompeii filium. Igitur Pansa primo veniens exceptus insidiis, inter suorum clades ipse quoque pilo graviter vulneratus, et ab eodem vulnere interpositis diebus mortuus est. Hircius auxilium collegæ ferens, magnas Antonii copias vasta cæde delevit. Cæsar eatenus castra custodivit. Secunda adversus Antonium pugna magnæ utrinque strages actæ sunt. Namque tunc ibi Hircius cos. occisus est, Cæsar victoria potitus est. Cui D. Brutus de conjuratione occisi Julii Cæsaris confessus preces pœnitentiæ fudit.* Fugatus Antonius amisso exercitu confugit ad Lepidum, qui Cæsaris equitum magister fuerat, et tum militum copias grandes habebat: a quo [a] susceptus est. *Dolobella Trebonium unum ex interfectoribus Cæsaris Smyrnæ interfecit. Consulum occisorum uterque exercitus Cæsari paruit. Postea Decius Brutus in Gallia a Sequanis captus et occisus est. Basilus autem eques unus de percussoribus Cæsaris manu servorum suorum necatus est. Interea Lepido satis operam dante, Cæsar Antonium recepit in gratiam, atque ob fidem reconciliatus est gratia Dinæ filiæ ejus, quam matrimonio sortitus est;* et ut vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu [b] profectus *est. Cumque in Urbe rumor de futura proscriptione ortus esset, C. Toranius vir Prætorius nihil tale metuens, incursu militum domi suæ interfectus est, aliique complures trucidati sunt. Per hos etiam Cicero Orator occisus est, multique alii nobiles; et cum Antonio ac Lepido Cæsar remp. armis tenere cœpit. Itaque ne latius atque effrenatius incircumscripta cædes ageretur, centum triginta et duo senatorum nomina in tabula proposita sunt, primum Lepidi præcepto et nomine, deinde Antonii, tertio Cæsaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum proscripserat, ibi Lepidus Paulum fratrem suum in eumdem proscriptorum gregem conjecerat. Adjecti sunt postea ad numerum proscriptorum triginta equites Romani, multæ diu ac variæ cædes actæ, domus proscriptorum direptis omnibus dirutæ sunt. At Dolobella in Syria multa cum Cassio interfectore Julii Cæsaris bella gessit, a quo victus sese interfecit.* Interea Brutus et Cassius interfectores [c] *Cæsaris magnis exercitibus comparatis per Macedoniam et Orientem apud Athenas convenerunt, totamque Græciam depopulati sunt. Rhodios Cassius terra marique oppugnatos ad deditionem coegit, quibus præter* A *vitam nihil reliquit.* Igitur profecti sunt contra eos Cæsar Octavianus Augustus et M. Antonius. Remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus. Apud Philippos Macedoniæ urbem contra eos *magnis bellorum apparatibus* [d] pugnaverunt, *eosque persecutos ad mortem compulerunt, quamvis manifestissime tunc illa pugna, non virtute partis Antonii, sed Cæsaris felicitate confecta sit. Cæsar enim tunc æger, cum se in castris Pharsalicis capiendæ quietis causa tenere statuisset, et apud Philippos luce ventura certaturæ civile bellum inter se Romanæ manus essent, hortatu et precibus medici sui Antonii, qui per somnium a Minerva admonitum sese fatebatur, ut ea die e castris Cæsarem salutis ipsius causa duceret in campum, cum lectica ægre inter copias egressus est. Sed intento eo in even-* B *tum victoriæ, unus ex interfectoribus Cæsaris Brutus castra ejus cepit. Sed rursus Cæsariani milites Bruti et Cassii castra ceperunt. Qua re ad desperationem adacti Brutus et Cassius immaturam sibi mortem ante belli terminum consciverunt. Nam invitatis percussoribus Cassius caput, Brutus latus præbuit. Igitur in eo bello, quod apud Philippos gestum est, visum est L. Cassio, quod purpuratum Julium Cæsarem avunculum suum equo incitato in se irruentem videret, qui mox gemens exclamavit: Cedamus, quando nec occidisse prodest. Interea inter Augustum et Antonium sic est Respublica divisa*, ut Augustus Hispanias, Gallias et Italiam teneret, Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed in Italia L. Antonius consul bellum civile com- C movit, frater ejus qui cum Cæsare contra Brutum et Cassium dimicaverat. Is apud Perusium Thusciæ civitatem victus et captus, [e] *atque* occisus est. *At Romæ uxor Antonii Fulvia, Cæsaris socrus, dominatum ut mulier agitabat. Incertum in hac mutatione consularis regiique fastigii utrum deficientis potentiæ ultima, an incipientis prima nominanda, certe etiam in eos insolens, per quos ut insolesceret agebatur. Nam et Cæsarem reversum apud Brundusium contumeliis, et factionibus, atque insidiis, petit. A quo propulsata ad Antonium concessit in Græciam. Sex. Pompeius Cn. Pompeii filius, postquam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conversus in latrocinia omnem oram maritimam Italiæ cædibus rapinisque vastavit. In Sicilia præterea ingens bellum commovit,* cum his qui super- D erant ex partibus Bruti et Cassii, *qui* [f] *ad eum confluxerant, commeatibusque impeditis Romam fame affecit. Tunc per Cæsarem Octavianum et M. Antonium superatus est bello. Mox cum eo pacem Triumviri, ut non dicam Tyranni, id est, Lepidus, Cæsar, Antoniusque fecerunt. Sed continuo, cum contra pactum Pom-*

[a] A.: *Susceptus est Mox Lepido operam dante Cæsar pacem cum Antonio fecit, et quasi vindicaturus*, etc.

[b] A.: *Profectus, ex orsit, ut sibi anno 20 consulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio et Lepido remp. armis tenere cœpit: per hos etiam Cicero orator occisus est, multique alii nobiles. Interea*, etc.

[c] A.: *Cæsaris ingens bellum moverunt. Erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus, quos occupaverant. Profecti*, etc.

[d] A.: *Pugnaverunt. Primo prælio victus est Antonius, et Cæsar, periit tamen dux nobilitatis Cassius. Secundo Brutum et infinitam nobilitatem, quæ cum illis bellum gesserat, interfecerunt. Ac sic inter eos divisa est respub., ut Aug.*, etc.

[e] A.: *Neque occisus est. Interim a Sex. Pompeio. Cn. Pompeii filio ingens bellum in Sicilia commotum est, his*, etc.

[f] A.: *Ad eum confluentibus. Bellatum per Cæsarem Aug. Octavianum et M. Antonium adversus Sex. Pompeium, pax postremo convenit.*

Digitized by Google

peius fugitivos allegeret, ut hostis habitus est. Mena libertus Pompeii cum sexaginta navium classe ad Cæsarem defecit, eidemque classi ipse jussu Cæsaris præfuit. Idemque continuo cum Statilio Tauro adversum Menecratem Pompeianum ducem navale bellum gessit. Deinde ipse Cæsar adversus eosdem Pompeianos cruentissimum bellum confecit. Sed continuo victricem classem pene universam apud Scyllaceum naufragio amisit. Eodem tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit. Et L. [a] Ventidius Bassus Persas et Parthos in Syriam irrumpentes tribus maximis bellis fudit, regemque eorum Pacorum Horodis regis filium in acie interfecit, ea scilicet die, qua olim Horodes rex per [b] duces Surenam et Sulacem Crassum occiderat. Hic primus de Parthis justissimum triumphum Romæ [c] egit. Interea Antonius, vix uno castello expugnato, pacem cum Antiocho fecit, ut ipse tantam rem consummasse videretur. Ventidium Syriæ præfecit, jussitque ut Antigono bellum inferret, qui Judæos tum forte debellaverat, captaque Hierosolyma, regnum Herodi dederat, quem continuo victum in deditionem recepit. Mena libertus cum sexaginta navibus ad Pompeium rediit, a quo clementer acceptus Cæsaris classem incendit, quamvis alteram nuper Cæsar secundo naufragio perdidisset. Idemque Mena postea ab Agrippa navali prælio circumventus, cum sex triremibus ad Cæsarem transiit. Sed hunc Cæsar tertio transfugam, indulta tantum vita, segnem reliquit. Deinde Agrippa inter Mylas et Liparam insulam adversum Democham et Pompeium navale prælium gessit et vicit; ibique tunc naves triginta, aut demersit, aut cepit, reliquis laceratis Pompeius Messanam confugit. Cæsar interea Tauromininm trajecerat, quem Pompeius repentino impetu afflixit. Unde multis navibus suis demersis, ac magna multitudine suorum militum perdita, in Italiam Cæsar aufugit. Nec interveniente mora in Siciliam rediit, ibique Lepidum ex Africa adventantem obvium habuit, summas sibi partes terrore, minis, ac superbia vindicantem. Post dies paucos Agrippa jussu Cæsaris e littore cum acie instructa prospectantis, atrocissimo navali prælio adversus Pompeium conflixit, et vicit. Nam centum sexaginta et tres naves aut demersit, aut cepit. Pompeius cum decem et septem navibus vix elapsus evasit. Lepidus magna viginti legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam diripuisset, ipsum Cæsarem ad se venientem semel, atque iterum sprevit, ac potius telis appeti jussit, quæ ille, collecta in lævum brachium lacerna, se protegendo vitavit. Mox immisso equo ad suos reversus, instructoque exercitu adversum Lepidum veniens, plurimas legiones Lepidi, paucis interfectis, transire in suam partem compulit. Lepidus tandem intelligens, quo vanitas sua intenderet, deposito paludamento, assumptaque veste pulla, supplex Cæsari factus vitam et bona impetravit, perpetuo quidem multatus exsilio. Taurus præfectus Cæsaris totam pene Siciliam ferro pertentatam, contritamque in fidem recepit: XLIV legiones sub unius tunc imperio Cæsaris erant. Milites multitudine ferociores quosdam pro accipiendis agris tumultus concitaverunt. Sed Cæsar animo ingens viginti millia militum exauctoravit, triginta millia servorum dominis restituit, sex millia, quorum domini non exstabant, in crucem egit. Ovans urbem ingressus, ut in perpetuum tribunitiæ potestatis esset, a senatu decretum est. His diebus trans Tyberim e taberna meritoria fons olei de terra emanavit, ac per totum diem largissimo rivo profluxit. Antonius vero contra Parthos profectus, postquam Araxem transmisit, omnibus undique malis circumventus, vix tandem Antiochiam cum paucis rediit. Nam cum multitudinem equitum, et sagittariorum ab omnibus præliis, quæ plura tentavit, semper victus effugerit. tum præterea incertis, et ignotis regionis locis impeditus, gravissima fame ad nefandos cibos coactus est. Plurimi militum sese hostibus dediderunt. Inde in Græciam transiit, jussitque Pompeium, qui victus a Cæsare exercitum, bellumque reparabat, cum paucis ad se venire. Pompeius fugiens a Tito, et Furnio Antonianis ducibus sæpe terrestri, navalique bello victus, et captus, atque occisus est. Cæsar Illyricum, Pannoniam et partem Italiæ bellis subegit et domuit. Antonius Artabasem Armeniæ regem proditione et dolo cepit, quem argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum regiorum coegit, expugnatoque præsidio, in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri, argentique abstulit. Qua elatus pecunia, denuntiari bellum Cæsari præcepit, atque Octaviæ sorori Cæsaris uxori suæ repudium indici jussit, et Cleopatram sibi ab Alexandria occurrere imperavit. Ipse Actium profectus, ubi classem construxerat, cum prope tertiam partem nautarum fame absumptam offendisset, nihil motus, remi, inquit, modo salvi sint; nam remiges non deerunt, quousque Græcia homines habuerit. Contra Persas et Parthos ipse pugnavit, primis eos præliis vicit, regrediens tamen fame et pestilentia laboravit, et cum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit. Hic quoque ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra regina Ægypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in Urbe [d] regnare. Cæsar igitur ducentis triginta rostratis navibus in Epirum a Brundusio profectus est. Agrippa vero præmissus a Cæsare multas onerarias naves frumento armisque graves, ab Ægypto, Syria, Asiaque ad subsidium Antonio venientes, cepit: peragratoque Peloponnensium sinu, Methonam urbem validissimo Antoniano præsidio munitam expugnavit. Inde Corcyram cepit,

[a] A.: Bentilius Bassus irrumpens in Syriam Persas tribus præliis vicit. Pastorium regis, etc.

[b] A., ducem Surenam Crassum, etc.

[c] A.: Egit. Interim Pompeius pacem rupit, et navali prælio victus, fugiens ad Asiam interfectus est. Antonius, qui Asiam et Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octaviani, Cleopatram reginam Ægypti duxit uxorem. Contra Persas et ipse pugnavit, primis eos præliis vicit. Regrediens tamen fame et pestilentia laboravit; et cum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit. His temporibus ingens bellum, etc.

[d] A.: regnare, victus est ab Augusto navali pugna, clara et illustri apud Actium, qui locus in Epyro est, ex quo fugit in Ægyptum, et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, et ipse se interemit. Cleopatra, etc.

Digitized by Google

A *fugientes navali prælio persecutus profligavit, multisque rebus cruentissime gestis ad Cæsarem venit. Antonius defectu et fame militum suorum permotus, bellum maturare instituit, ac repente instructis copiis ad Cæsaris castra processit, et victus est. Tertio post pugnam die Antonius castra ad Actium transtulit, navali prælio decernere paratus. Ducentæ triginta rostratæ fuere Cæsaris naves, et triginta sine rostris triremes, velocitate pares, et octo legiones classi superpositæ absque cohortibus quinque prætoriis. Classis Antonii* CLXX *navium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine a mari aberant. Famosum et magnum hoc bellum apud Actium fuit, qui locus in Epiro est : ab hora quinta usque in horam septimam incerta vincendi spe, gravissimæ utrinque cædes actæ. Reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinavit. Prior regina Cleopatra cum sexaginta velocissimis navibus fugit. Antonius quoque, detracto insigni prætoriæ navis, fugientem secutus est uxorem. Illucescente autem die victoriam Cæsar consummavit. Ex victis duodecim millia cecidisse referuntur, sex millia vulnerata sunt, e quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius quoque, et Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad Rubrum mare præmittendos censuerunt : ipsi præsidiis circa duo Ægypti cornua, Pelusium, Parætoniumque dispositis, classem et copias instaurando bello paraverunt.*

*Cæsar sextum imperator appellatus, et quartum ipse cum M. Licinio Crasso cos. Brundusium venit, ubi orbis terrarum præsidia divisis legionibus composuit. Inde in Syriam profectus, mox Pelusium adiit, ubi ab Antonianis præsidiis ultro susceptus est. Interea Cornelius Gallus præmissus a Cæsare quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas præsidii loco constituerat, suscepit in fidem : atque inde Parætonium primam Ægypti a Libyæ parte civitatem victam cepit, ipsumque Antonium continuo apud Pharum vicit. Antonius equestre adversum Cæsarem iniit bellum, in eo quoque miserabiliter victus aufugit. Kalendis Sextilibus prima luce Antonius, cum ad instruendam classem in portum descenderet, subito universæ naves ad Cæsarem transierunt. Cumque unico præsidio spoliatus esset, trepi-* B *dus se cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Cæsare, turbataque civitate, idem Antonius sese ferro transverberavit, ac semianimis ad Cleopatram, in monumentum, in quod illa se morituram certa condiderat, perlatus est.* [a] Cleopatra exornata diversis ornamentis ad Cæsarem venit, sperans eum, ut cæteros sua specie ad libidinem illicere. Sed ille se intra [b] *se* coarctans ad ejus concupiscentiam minime inflexus, eam mox custodiri mandavit. [c] *At illa, postquam se ad triumphum servari* intellexit, e custodia elapsa, in pretioso *suo* sepulcro juxta Antonium se suum collocans, sibi aspidem in *sinistro brachio* admisit, et ejus

[a] H. cum Eutropio ad verbum convenit ab initio, usque ad hæc verba Eutropii : *ipse se interemit :* ubi H. ita variat : *Ipse se interemit; Cleopatra exornata diversis ornamentis ad Cæsarem venit, sperans eum, ut cæteros, sua specie ad libidinem illicere. Sed ille se contra pudicitiam coarctans, ad ejus concupiscentiam minime inflexus, eam mox custodiri mandavit, quæ ex custodia elapsa, in pretioso sepulcro juxta Antonium suum se collocans, sibi aspidem admisit,* et cætera, in quibus iterum cum Eutropio convenit usque ad illa verba (*cum Antonio, et Lepido tenuerat*) ubi ita variat : *Lepido tenuerat. Denique cum de Oriente victor reversus esset, urbemque triplici triumpho ingressus esset, tunc primum Augustus, eo quod remp. auxerit, consalutatus est, atque ex tunc summam rerum potestatem, quam Græci monarchiam vocant adeptus est. His diebus trans Tiberim de taberna meritoria fons olei e terra exundavit, ac per totum diem largissimo fluxit rivo, significans ex gentibus gratiam Christi. Tunc etiam circulus ad speciem cœlestis arcus circa solem apparuit. Igitur cum anno 42 firmissimam, verissimamque pacem Cæsar composuisset, Christus Dominus in Bethlehem natus est, cujus adventui pax ista famulata est. Nullo tempore ante Cæsarem magis Romana res floruit. Nam exceptis*, etc., in quibus H. cum Eutropio iterum convenit, nisi quod H. legit *Windilicos, et Talassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates. In his nobilissimus Bosphorum, et Ponti Cappadocem.* In cæteris, inquam, convenit H. cum Eutropio, usque ad illa verba : *currum ipsius cucurrerunt :* ubi H. ita variat : *cucurrerunt. Adeo denique turbas, bella, simultates exsecratus est, ut nisi justis de causis nunquam genti cuiquam bellum indixerit. Jactantisque esse ingenii et levissimi dicebat, ardore triumphandi, et ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium præcipitare : neque imperatori bono, quidquam minus, quam temeritatem congruere : satis celeriter fieri, quidquid commode gereretur; armaque nisi majoris emolumenti spe nequaquam movenda esse, ne compendio tenui, jactura gravi, petita victoria similis sit in hamo aureo piscantibus, cujus abrupti, amissique detrimen-* C *tum nullo capturæ lucro pensari potest. Avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui milites commilitones novo, blandoque more appellans, dum affectat charior fieri, auctoritatem principis emolliverat. Denique erga cives clementissime versatus est : in amicos fidus exstitit, quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mecænas, ob patientiam laboris, modestiamque Agrippa; diligebat præterea Virgilium, Flaccumque poetas. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret; auxitque, ornavitque Romam ædificiis multis, isto glorians dicto : Urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, gratus, civilis animi, et lepidi, corpore toto pulcher; sed oculis magis, quorum acie clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam solis radiis ab aspectu suo, a cujus facie, dum quidam miles oculos averteret, et inter-* D *rogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit : Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Nec tamen vir tantus vitiis caruit. Fuit enim paululum impatiens, leniter iracundus, occulte invidus, palam facinorosus. Porro autem dominandi supra quam æstimari potest, cupidissimus, studiosus aleæ lusor; cumque esset cibi, ac vini multum, aliquatenus vero somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famæ, nam inter* XII *catamitos, totidemque puellas accubare solitus erat. Abjecta quoque uxore Scribonia, amore alienæ conjugis possessus, Liviam, quasi marito concedente, sibi conjunxit : cujus Liviæ jam erant filii Tiberius et Drusus, cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. Annos* VII *et* LXX *ingressus Nolæ morbo interiit*, etc. fol. 52, c. 2, C.

[b] A., *pudicitiam*, pro *se*.

[c] A., *quæ ea custodia elapsa*.

Digitized by Google

*veneno* [a] *exanimata est, frustra etiam Cæsare admovente Psyllos, qui venena serpentium e vulneribus hominum haustu revocare atque exsugere solent. Cæsar Alexandria urbe omnium longe opulentissima et maxima victor potitus est, cum tota Ægypti regione, præpositusque est ei Cn. Cornelius Gallus datus; nam et Roma intantum opibus ejus aucta est, ut propter abundantiam pecuniarum duplicia quam usque ad id tempus fuerant, possessionum, aliarumque rerum venalium pretia statuerentur. Et ut annonæ urbis copiam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit, et urbi annua ex Ægypto ducenties centena millia frumenti inferebantur. Interea jussu Cæsaris occisi sunt major Antonii filius, et P. Canidius, infestissimus quidem Cæsari, sed et Antonio infidus, et Cassius Parmensis, ultima violati patris Cæsaris victima, et Quintus Ovinius, ob eam maxime notam, quod obscœnissimæ lanificio, textrinoque reginæ senator populi Romani præesse non erubuerat. Dehinc Cæsar pedestribus copiis in Syriam venit, deinde in Asiam ad hiberna concessit, ac post per Græciam Brundusium pervectus est.*

## AUGUSTUS.

*Anno ab Urbe condita 725, ipso imperatore Cæsare Augusto V, et L. Apuleio coss., Cæsar victor ob Oriente rediens VIII Idus Januarii, Urbem tripl ci triumpho ingressus est. Ducti sunt ante ejus currum Sol et Luna Cleopatræ liberi: ac tum primum ipse portas Jani, sopitis finitisque omnibus bellis civilibus, clausit. Hodie primum Augustus, quod remp. auxerit, consalutatus est: quod nomen cunctis antea inviolatum, et hucusque cæteris inausum, dominis tantum orbis licite usurpatum, apicem declarat imperii, atque ex eadem die summa rerum ac potestatum penes unum esse cœpit, et mansit, quod Græci* μοναρχίαν *vocant. Nec ullo tempore ante Cæsarem Augustum magis Romana res floruit. Nam cum primo, C. Cæsare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens Urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente puro ac liquido sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit: quasi eum unum, ac potentissimum in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum et fecisset et regeret. Deinde cum secundo in Sicilia receptis a Pompeio et Lepido legionibus, triginta millia servorum dominis restituisset, et quadraginta quatuor legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset, ovansque urbem ingressus esset, omnia* A *populi Romani debita donanda, litterarum etiam monumentis abolitis censuit. Anno ab Urbe condita 726 imperatore Augusto Cæsare sexies, et bis M. Agrippa coss., Cæsar parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros atque Astures, duas fortissimas Hispaniæ gentes, suis uti legibus sineret, aperuit Jani portas atque in Hispanias ipse cum exercitu profectus est. Cantabri et Astures Gallæciæ provinciæ portio sunt, qua extentum Pyrenæi jugum haud procul secundo oceano septentrione deducitur. Hi non solum propriam libertatem tueri parati, verum etiam finitimorum præripere ausi, Vacceos, et Turmogos, et Aurigonas assiduis eruptionibus depopulabantur. Igitur Cæsar apud Segissamam castra posuit, tribus agminibus totam pene amplexus Cantabriam.* B *Diu fatigato frustra atque in periculum sæpe ducto exercitu, tandem ab Aquitanico sinu per Oceanum incautis hostibus admoveri classem atque exponi copias jubet. Tum demum Cantabri sub mœnibus Atticæ maximo congressi bello, et victi, in Vinnium montem natura tutissimum confugerunt, ubi fame obsidionis ad extremum pene consumpti sunt. Tracilium deinde oppidum magna vi ac diu repugnans, postremo captum ac dirutum est. Præterea ulteriores Gallæciæ partes, quæ montibus silvisque consitæ Oceano terminantur, Antistius et Firmius legati magnis gravibusque bellis perdomuerunt. Nam et Medullium montem Minio flumini imminentem, in quo se magna multitudo hominum tuebatur, per quindecim millia passuum fossa circumseptum, obsidione cinxerunt. Itaque ubi se gens hominum* C *trux et ferox natura, neque tolerandæ obsidioni sufficientem, neque suscipiendo bello parem intelligit, ad voluntariam mortem servitutis timore concurrit. Nam se pene omnes igne, ferro ac veneno necaverunt. Astures vero, positis castris apud Asturam flumen, Romanos, nisi provisi præventique essent, magnis consiliis et viribus oppressissent. Tres legatos cum legionibus suis in tria castra divisos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, suorum proditione detecti sunt. Eos postea Carusius bello exceptos non parva etiam Romanorum militum clade superavit, pars eorum prælio elapsa Lanciam confugit. Cumque milites circumdatam urbem incendio adoriri pararent, dux Carusius, et a suis cessationem impetravit incendii, et a barbaris voluntatem deditionis exegit. Studiose enim nitebatur* D *integram atque incolumem civitatem victoriæ suæ testem relinquere. Cantabricæ victoriæ hunc honorem Cæsar detulit, ut tunc quoque belli portas claustro co-*

[a] A.: *extincta est. Ægyptus per Octavianum Aug. imperio Rom. adjecta est, præpositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum judicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis Octavianus Aug. Romam rediit anno 12, quam cos. fuerat, ex eo temp. per XIV annos solus obtinuit. Ante enim XII annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Denique, etc.*, ut legit in H. Canisius num. 17, usque ad verba *Nullo tempore*, post quæ Ambros. habet *ante Cæsarem magis Rom. res floruerunt. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus victor fuit, Romano adjecit imp. Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos et Thalassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates. In his nobiliss. Bosphorum et Ponti Cappadociæ. Vicit autem præliis Dacos, Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Albem fluvium submovit, qui in barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc bellum tamen per Drusum privignum suum administravit, sicut per Tiberium privignum alterum Pannonicum. Quo bello CCCC millia captivorum ex Germania transtulit, et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam a Parthis recepit, obsides, quod nulli antea, Persæ ei dediderunt. Reddiderunt et signa Romana, quæ Crasso victo ademerant. Scythæ et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera, legatosque ad eum miserunt. Galatia. etc.*

Digitized by Google

*hiberi juberet. Ita tunc secundo per Cæsarem, quarto post Urbem conditam clausus est Janus. Post hoc Claudius Drusus, privignus Cæsaris Galliam, Rhætiamque sortitus, maximas fortissimasque gentes Germaniæ armis subegit. Nam tunc veluti ad constitutum pacis diem festinarent, ita omnes ad experientiam belli, decisionemve fœderis undatim gentes commovebantur, aut suscepturæ conditiones pacis, si vincerentur, aut usuræ quieta libertate, si vincerent. Norici, Illyrici, Pannonii, Dalmatæ, Mœsii, Thraces, Daci, Sarmatæ, plurimique et maximi Germaniæ populi, per diversos duces, vel superati, vel repressi, vel etiam objectu maximorum fluminum Rheni Danubiique seclusi sunt. Drusus in Germania primo Usipetes, deinde Tencteros, et Chattos perdomuit: ipsos quoque trans Albim fluvium submovit, qui in Barbarico longe ultra Rhenum sunt. Marcomannos quoque pene ad internecionem cecidit. Postea fortissimas nationes, et quibus natura vires, consuetudo experientiam virium dabat, Cheruscos, Suevos et Sicambros pariter uno bello etiam suis aspero superavit. Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque, si quando præventu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo uti furor posset, parvos filios collisos humi, in hostium ora jaciebant, in singulis filiorum necibus bis parricidæ. Tunc etiam in Africa Massulanos et Getulos latius vagantes Cossus dux Cæsaris* [a] *artibus finibus coercuit, atque a Romanis limitibus abstinere metu compulit. Interea Cæsarem apud Tarraconem citerioris Hispaniæ legati Indorum et Scytharum, toto orbe transmisso, tandem ibi invenerunt, ultra quod quærere jam non possent; refuderuntque in Cæsarem Magni Alexandri gloriam, quem sicut Hispanorum, Gallorumque legatio in medio Oriente apud Babyloniam contemplatione pacis adiit, ita hunc apud Hispaniam in Occidentis ultimis supplex cum gentilico munere Eous, Indus et Boreus Scytha oravit. Cantabrico bello per quinque annos acto, totaque Hispania in æternam pacem cum quadam respiratione lassitudinis reclinata, ac reposita, Cæsar Romam rediit, quibus etiam diebus multa per se, multaque per duces et legatos bella gessit. Nam inter cæteros Piso adversus Vindelicos missus est. Quibus subactis victor ad Cæsarem Lugdunum venit. Pannonios novo motu intumescentes Tiberius privignus Cæsaris cruentissima cæde delevit. Idemque continuo Germanos bello arripuit, e quibus quadraginta millia captivorum victor abduxit. Quod revera bellum maximum et formidolosissimum quindecim legionibus per triennium gestum est; nec fere ullum majus bellum, sicut Suetonius attestatur, post Punicum fuit. Sub eodem vero tempore Quintilius Varus proprætor cum tribus legionibus trans Rhenum fluvium a Germanis rebellantibus, mira superbia atque avaritia in subjectos agens, funditus deletus est cum tribunis et quæstoribus. Quam reipub. cladem Cæsar Augustus adeo graviter tulit, ut veste, capilloque, ac reliquis lugentium indiciis, deformis, et sæpe per vim doloris caput parieti collidens clamaret, Quintili Vare, redde legiones. Bosphoranos vero Agrippa superavit, et signis Romanis, quæ illi quondam sub Mithridate abstulerant, bello recuperatis ad deditionem coegit. A Parthis Armeniam recepit. Parthi, quasi toto orbe terrarum, vel domito, vel pacato, omnium oculis signarentur, atque in se solos omnis vigor Romani imperii vertendus esset; quippe quos pristina ulciscendæ Crassianæ cædis conscientia mordebat, ultro signa, quæ Crasso abstulerant, ad Cæsarem remiserunt, obsidibusque regiis traditis, firmum fœdus fidelissima supplicatione meruerunt.* Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset, primusque eam M. Lolius pro prætore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem ejus conderent civitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritania a rege Juba, et in Palæstina, quæ nunc est urbs clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, et habitu Romano, togati, scilicet, ad vehiculum, vel ad equum ipsius cucurrerunt. Adeo denique turbas, bella, simultates, exsecratus est, ut, nisi justis de causis, nunquam genti cuiquam bellum intulerit, jactantisque esse ingenii et levissimi dicebat, ardore triumphandi, et ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium præcipitare; neque imperatori bono quidquam minus quam temeritatem congruere; satis celeriter fieri quidquid commode gereretur; armaque, nisi majoris emolumenti spe, nequaquam movenda esse, ne compendio tenui, jactura gravi potita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cujus abrupti amissique detrimentum nullo capturæ lucro pensari potest. Avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectabat charior fieri, auctoritatem principis emolliverat. [b] *Iste in imperio positus tribunitiam potestatem per se exercuit.* Denique erga cives clementissime versatus, in amicos fidus exstitit: quorum præcipui erant, ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam laboris modestiamque Agrippa. Diligebat præterea Virgilium, Flaccumque poetas: rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus; liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ, intantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies quin legeret, scriberet, declamaret. *Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine.* Auxit ornavitque Romam ædificiis multis, isto glorians dicto: Urbem latericiam reperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, gratus, civilis animi et lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis [c] magis, quorum acies clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam solis radiis aspectu suo. A cujus acie, dum quidam miles averteret oculos, et interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre

[a] Corrigendum forte *arctis*.

[b] Hæc in A., B. et Eutropio Merulæ, non leguntur, sed post *emolliverat*, habent *Denique*, etc.

[c] Ambros., *magis*.

Digitized by Google

non possum. Nec tamen vir tantus [a] *carere vitiis potuit*. Fuit enim paululum impatiens, leviter iracundus, occulte invidus, palam factiosus. Porro autem dominandi, supra quam æstimari potest, cupidissimus, studiosus aleæ lusor. Cumque esset [b] *vini, ac cibi multum*, aliquatenus vero somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos totidemque puellas cubare solitus erat. Abjecta quoque uxore Scribonia, amore alienæ conjugis obsessus, Liviam, quasi marito concedente, sibi conjunxit. Cujus Liviæ jam erant filii Tiberius et Drusus. Cumque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum qui in ulciscendis vitiis quibus ipsi vehementer indulgent [c] acres sunt. *Nam po tam Ovidium, qui et Naso, pro eo quod tres libellos artis Amatoriæ scripserat, irrevocabili damnavit exsilio. Quodque est læti animi, vel amœni, delectabatur omni genere spectaculorum, præcipue ferarum incognita specie et infinito numero. Nam et in adipiscendo principatu oppressor libertatis est habitus, et in gerendo cives sic amavit, ut tridui frumento in horreis viso quodam, statuisset veneno emori, si e provinciis classes interea non venirent: quibus advectis, felicitati ejus salus patriæ est attributa. Itaque anno ab Urbe condita 752, Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tertio ipse tunc clausit, quas ex eo per duodecim fere annos, quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo signavit. Nec unquam, nisi senectute Augusti, pulsante Atheniensium seditione et Dacorum, commotione patuere. Clausis igitur Jani portis remp., quam bello quæsierat, pace nutrire, et amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverentia disciplinæ morem gereret, domini appellationem ut opprobrium declinavit. Nam cum eo spectante ludos, pronuntiatum esset in mimo: O dominum æquum, et bonum, universique, quasi de ipso dictum esset, exsultanter approbavissent, et statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, et in sequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco, passus est. Hujus temporibus Romæ sapientes insignes erant, Virgilius, Flaccus, Sallustius, Livius, Hortensius, Terentius, Horatius, Athenodorus Tarsensis, et Sotio Alexandrinus. Idem vero Augustus habitatoribus Romanæ urbis, per facies dinumeratis, invenit virorum habitantium in ea centies tricies et semel millia triginta septem. Igitur eo tempore, id est, quadragesimo secundo imperii sui anno, quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cujus adventui pax famulata est. In cujus ortu, audientibus hominibus, exsultantes angeli cecinere: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Anno ab Urbe condita 760, quatuordecim vicos ejus, incertum unde consurgens, flamma consumpsit. Nec unquam, ut ait Livius, majore incendio vastata est, adeo ut post aliquot annos Cæsar Augustus ad reparationem eorum quæ tunc exusta erant magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus sit. Postquam Redemptor mundi Dominus Jesus Christus venit in terras, et Cæsaris censu civis Romanus ascriptus est, cum per duodecim, ut dixi, annos clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cohiberentur, Caium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias misit. Qui præteriens ab Ægypto fines Palæstinæ, apud Jerosolymam in templo Dei tunc sancto et celebri adorare contempsit, sicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Augustus ubi per eum comperit, pravo usus judicio, prudenter eum fecisse laudavit. Itaque anno imperii Cæsaris 48, adeo dira fames Romanos consecuta est, ut Cæsar lanistarum familias, omnesque peregrinos, servorum quoque maximas copias, exceptis medicis et præceptoribus, trudi Urbe præceperit. Ita peccante principe in sanctum Dei, et correpto per famem populo, quantitatem offensionis qualitas ultionis ostendit. Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes sæpe ex usu, et aliquando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium. Interea Cæsar Augustus annos natus octo et septuaginta, ingressus Nolam*, morbo interiit, quamquam alii scribant dolo Liviæ exstinctum, metuentis [d] ne quia *privignum* Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas daret. Sepultus Romæ est in campo Martio. Igitur mortuum, seu necatum, multis novisque honoribus senatus censuit decorandum. Nam præter id quod antea Patrem patriæ dixerat, templa tam Romæ quam per urbes celeberrimas ei consecravit, cunctis jactantibus vulgo: Utinam, aut non nasceretur, aut non moreretur vir, qui non immerito ex maxima parte deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. Quadraginta et quatuor annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus, quos tantis evexerat honoribus, ut pene æquaret fastigio suo. Imperavit [e] annos quinquaginta et sex: duodecim cum Antonio *et Lepido*, quadraginta quatuor solus. Qui certe nunquam reipubl. ad se potentiam traxisset, aut tam diu ea potiretur, nisi magnis naturæ et studiorum bonis abundasset. Remp. beatissimam Tiberio successori [f] reliquit.

## TIBERIUS.

*Anno ab Urbe condita 767, Tiberius Cæsar Liviæ*

[a] A., *vitiis caruit.*

[b] A., *cibo ac vino multum deditus.*

[c] A. cum H., post *acres sunt: Annum 7 et 70 ingressus, Nolæ morbo interiit, quanquam*, etc.

[d] A.: *Ne quia Scriboniæ privignæ filium Agrippam*, etc.

[e] H. habuit: *Annos* XL *et sex, duodecim cum Antonio, triginta vero et quatuor solus;* sed in Ms. manus anonymi correctoris fecit, ex *quadraginta sex*, *quinquaginta sex.*

[f] A., post *reliquit*, continuo egit *qui privignus*, etc.

Digitized by Google

*filius secundus imperium adeptus est :* qui privignus Cæsaris, mox gener, postremo adoptione filius fuerat. Iste, quia Claudius Tiberius Nero d cebatur, eleganter a [a] *jocularibus Caldius* Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est. Satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit, ut non immerito reip. dominatus ei committeretur. Inerat ei scientia litterarum multa : eloquio clarior, sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle, quæ nollet, his quasi infensus, quibus consultum cupiebat : his vero, quos oderat, quasi benevolus apparens. Repentinis responsionibus aut consiliis melior, quam [b] *quæsitis. Denique delatum a patribus principatum, quod quidem astu perfecerat, finxit se abnuere, quod singuli dicerent, vel sentirent atrociter explorans, quæ res bonos quosque pessumdedit. Æstimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis molestiæ magnitudinem declinare, cum sententias ad ejus voluntatem promunt, incidere exitia suprema.* Nusquam ipse [c] pugnavit, *sed ne per legatos quidem aliqua gravia bella gessit : nisi quod tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium rumores comprimebantur. Sane quarto imperii ejus anno Germanicus Drusi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto sene missus fuerat, triumphavit.* Quosdam reges per blanditias ad se evocatos, nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit, et maximam civitatem appellari suo nomine jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum antea [d] *Mazaca* diceretur. *Getulorum latrocinia repressit. Marobodum Suevorum regem callide circumvenit. Plurima sui parte imperii, cum magna et gravi modestia reip. præfuit, adeo ut in quibusdam provinciis augenda præsidibus tributa suadentibus scripserit, boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. Et postquam passus est Dominus Jesus Christus, et a mortuis resurrexit, et discipulos suos ad prædicandum misit, Pilatus præses Palæstinæ provinciæ ad Tiberium imperatorem, atque ad senatum retulit de passione, et resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, et de eo, quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad senatum, ut Christus deus*

A *haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos : præcipue cum et Sejanus præfectus Tiberii suscipiendæ religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Nam et plurimos senatorum proscripsit, et in mortem coegit. Viginti sibi patritios viros consilii causa legerat, horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diversis causis necavit. Sejanum præfectum suum res novas molientem interfecit : filios suos Drusum, et Germanicum, qui adoptivi erant, manifestis veneni signis perdidit. Filios Germanici filii sui interfecit.* Hic tertio et vigesimo B imperii sui anno, ætatis vero septuagesimo octavo, *et mense quarto,* cum immani furore insontes, noxios, suos pariter, ut diximus, externosque puniret, resolutis militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœsia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a finitimis gentibus direptæ sunt. Ipse *cum* ingenti omnium gaudio, *insidiis Caligulæ* in Campania [e] exstinctus est. *Hujus etiam imperii anno duodecimo, nova et incredibilis clades apud Fidenatium urbem accidit. Nam amphitheatri cavea, populo gladiatorum munus spectante, collapsa est, et plusquam viginti millia hominum occidit.* Deinde anno ejusdem septimodecimo, *cum Dominus Jesus Christus voluntarie quidem se tradidit passioni, sed impie a Judæis apprehensus, et patibulo* C *affixus est, maximo terræ motu per orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumque urbium plurimæ partes plus solita concussione ceciderunt. Eadem quoque die, a sexta hora diei usque in horam nonam, sol in totum obscuratus, tetraque nox subito obducta est terris; et sicut dictum est :*

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

*Usque adeo autem, neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, ut quartam decimam eo die lunam, tota cœli regione interjecta longissime a conspectu solis abfuisse, et stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulsisse referatur, quod non solum sanctorum Evangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Quanquam nonodecimo anno Tiberii hæc facta referuntur. Scribens inter cæteros autem, et Phlegon, qui* D

[a] A. pro *jocularibus, joculatoribus.*

[b] A. pro *quæsitis, meditatis,* et omiss. cæt. sequitur : *Nusquam,* etc.

[c] Hersfeld. : *pugnavit, bella per legatos gessit suos. Quosdam reges ad se per blanditias evocatos, nunquam remisit,* etc., in quibus cum Eutropio convenit usque ad illa verba : *mortuus est in Campania. Hujus imperii anno 15 D. Jesus Christus prædicationis suæ sumpsit initium. Octavo quoque, et decimo ejusdem anno Jesus Christus Filius Dei pro nobis sese morti offerens crucifixus est. Successit Tiberio C. Cæsar cognomento Caligula Drusi privigni Augusti, et ipsius Tiberii nepos sceleratissimus, et qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. Bellum contra Germanos,* etc., in quibus cum Eutropio convenit usque ad illa verba : *obiit ætatis anno* 32, ubi H. : *obiit ætatis anno* 31 *imp.* 14, *atque in eo omnis Augusti familia consumpta est. Denique omnibus flagitiis suis etiam hoc addidit, quod sanctos Dei apostolos Petrum, Paulumque trucidavit. Huic Servius Galba successit,* etc., in quibus iterum cum Eutropio H. convenit usque ad finem libri VII. Ambros. ab Hersfeld. et Eutropio Merulæ nonnullis in locis variam habet lectionem, easque suis locis notabimus; hic tamen post *remisit,* concordat cum utroque usque ad verba, *quæ nunc Cæsarea dicitur,* etc.

[d] A., *Muzaga.*

[e] A., *in Campania mortuus est,* et omiss. cæt. continuat : *Hujus imperii anno 15 Joannes prædicationis suæ sumpsit initium. Octavo quoque decimo ejusdem anno* Jesus Christus *Filius Dei pro nobis sese morti offerens crucifixus est. Successit Tiberio C. Cæsar cognomento Caligula. Drusi,* etc.

Digitized by Google

Olympiadas super ipsis enumerat, in tertio decimo sermone eisdem verbis asserit hæc: Porro quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis facta est defectio solis maxima, et nox hora sexta diei facta est, ita ut etiam stellæ in cœlo apparerent. Terræmotus etiam magnus in Bithynia factus plurimam Niceæ partem urbis subvertit.

### C. CALIGULA.

Anno ab Urbe condita 790, tertius ab Augusto Caius cognomento Caligula regnare cœpit, Germanici filius, Drusi privigni Augusti, et ipsius Tiberii [a] nepos, et quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris idem Caligula sortitus est, homo omnium ante se [b] sceleratissimus, et qui etiam Tiberii dedecora [c] purgaverit. Ante principatum charus omnibus acceptusque fuit: in principatu vero talis, ut non immerito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuisse. Nam, ut breviter magnitudinem crudelitatis ejus exponam, exclamasse fertur: Utinam populus Ro. unam cervicem haberet! Sæpe etiam de conditione temporum suorum conquestus est, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Bellum ipse contra Germanos suscepit, et ingressus Sueviam nihil strenue fecit. Stupra tribus sororibus suis intulit: ex una etiam natam filiam cognovit. Incedebat habitu deorum suorum, Jovem ob incestum, de choro autem Bacchanali Liberum se asserebat. De quo nescio, an decuerit memoriæ prodi, nisi forte quia juvat de principibus nosse omnia, ut improbi, saltem famæ metu, declinent talia. In palatio matronas nobiles publicæ libidini subjecit. Primus diademate imposito, dominum se appellari jussit. In spatio trium millium, quod in sinu Puteolano intra molem jacet, duplici ordine naves contexens, arenæ aggestu ad terræ speciem viam solidatam, pha-

A lerato equo insignis quernea corona quasi triumphans indutus aureo paludamento, curruque bijugi decucurrit. Iisdem autem diebus Judæi, qui jam tunc, ob passionem Christi, meritis ubique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam, seditione excitata, profligati cæde, atque ex urbe propulsi, expromendarum querelarum causa Philonem quemdam virum sane in primis eruditum, secunda vice legatum ad Cæsarem miserant. Is Romam veniens locutus est cum apostolo Petro, ejusque amicitias habuisse fertur. Sed Caligula cum omnibus hominibus, tum præcipue Judæis infestissimus, spreta legatione Philonis, omnes Judæorum sacras ædes, atque in primis antiquum illud Jerosolymis sacrarium profanari sacrificiis gentilium, ac repleri statuis, simulacrisque imperavit, seque ut deum coli

B præcepit. Pilatus autem præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquam plurimas seditiones Jerosolymis excepit, ac fecit, tantis, irrogante Caio, angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Igitur Caius, cum adversus cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate sæviret, interfectus est a militibus in palatio, anno [d] 38 ætatis suæ, imperii 3, mense 10, dieque 8. Qui postquam occisus est, duo libelli in secretis ejus reperti sunt, quorum alteri Pugio, alteri gladius pro scripto nominis ascriptum erat; ambo lectissim. virorum utriusque ordinis, senatorii videlicet, et equestris nomina, et notas continebant, morti destinatorum. Inventa est et arca ingens variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæsare jubente

C demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium magno exitio, quos enecatos per proxima littora passim æstus ejecit.

[a] A., filius.
[b] A., sceleratissimus, et qui, etc.
[c] A, pro purgaverit, purgaret. Bellum contra, etc.

[d] A.: 29, imperii 4, mense 10, dieque 7. Post quæ verba liber VII continuat usque ad illa, ignobiliter est sepultum.

# LIBER OCTAVUS.

### CLAUDIUS.

[a] Anno ab Urbe condita 795 Claudius ab Augusto quartus regnum adeptus est, patruus Caligulæ, Drusi filius privigni Cæsaris Augusti, cujus Caligula nepos erat, qui apud Mogontiacum monumentum habet. Iste cum senatus censuisset gentem Cæsarum exterminari, deformi latebra latere repertus, quia vecors erat et mitissimus videbatur imprudentibus, a militibus imperator est effectus. Hic ventri, vino, libidini fœde obediens, vecors et prope hebes, ignavus et pavidus, libertorum et conjugis imperiis subditus fuit. Hujus tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias imperator creatus, continuo occiditur. Mauri provinciis a Cæsare pulsi, cæsa Musulaniorum manus. Aqua Claudia Romæ introducta. Igitur in exordio regni ejus Petrus apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit, et

D salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimeque virtutibus approbavit, atque exin Christiani Romæ esse cœperunt. Sensit hoc collatum fidei suæ Roma beneficium. Accidit enim eodem tempore præsentis gratiæ Dei grande miraculum. Siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum civile molitus, legiones multas, fortissimasque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque, die dato, ut in unum undique ad novum imperatorem conveniretur, neque aquilæ ornari, neque convelli quoquomodo signa,

[a] A.: Post hunc Claudius fuit patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Moguntiacum monumentum habet, filius, cujus Caligula nepos erat. Hic Modiæ imp., etc. Eutropius: Claudius, patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Maguntiam cum filio monimentum habet, cujus et Caligula nepos erat, frater. Hersfeld. cum Ambros., ubi nota, quod neque Eutropius, neque Mss. novum hic librum inchoant, sed in VII libro hæc continuantur.

Digitized by Google

*moverive potuere. Exercitus tanta, et tam inusitata miraculi fide motus, et conversus in pœnitentiam, statim quinta die Scribonianum destitutum interfecit, seseque sacramento prioris militiæ continuit. Igitur Claudius medie* imperavit, multa gerens tranquille, atque moderate, quædam crudeliter et inconsulte. *Idem* xxxv *senatores et* ccc *simul equites Romanos minimis causis interfecit.* Britannis bellum intulit, quos nullus Rom. post C. Cæsarem attigerat, eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium illustres, et nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam etiam insulas ultra Britannias in oceano positas imperio Romano addidit, quæ appellantur Orcades, Filio autem suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium, lævus [a] incederet. *Hujus uxor Messalina primo passim quasi jure adulteris utebatur, ex quo facto plures metu abstinentes exstincti sunt. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas, et virgines scortorum modo secum proposuerat: coacti mares, ut adessent. Quod si quis talia horruerat, afficto crimine, in ipsum omnemque familiam sæviebat, ut magis videretur ipsa imperare viro, quam imperatori nupta esse. Ita liberti ejus summam potestatem adepti, stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Judææ præfecit. Posidonio eunucho post triumphum Britannicum inter militarium fortissimos, arma insignia tanquam participi victoriæ dono dedit. Polybium inter Consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominum se gerens ipsius domini, palamque prætoriis ornamentis sublimatus, adeo dives ut, causante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio vulgatum sit, abunde ei pecuniam fore, si a duobus libertis in societatem reciperetur. Hic cives Romanæ urbis describens, invenit sexies decies centena millia nongentos et quadraginta unum. Hujus imperii anno quinto inter Theram et Therasiam in mari Ægæo insula de profundo emicuit, triginta stadiorum spatio extenta. Anno ejus septimo sub procuratore Judææ Cumano in Jerosolymis tanta seditio in diebus Azymorum exorta est, ut in portarum exitu populo coarctato triginta millia Judæorum cæde prostrata, et compressione suffocata referantur. Tunc et apud Athenienses suprascripta est ara Ignoto Deo. Veruntamen anno ejus 8 tanta fames Romæ fuit, ut medio foro imperator correptus a populo conviciis, et fragminibus panis turpissime infestatus, ægre per pseudothyrum in palatium refugiens, furorem excitatæ plebis evaserit. Hujus temporibus visus est apud Ægyptum phœnix, quam volucrem fertur anno sexcentesimo quinquagesimo quarto ex Arabia memorato loco advolare. Et Apollonius ex Tyanensibus Italiæ ortus,* A *Pythagoricus philosophus Romæ pollebat, ita ut hunc ipso quoque Pythagora, Philostratus, et alii, acrioris ingenii fuisse describant. Hic Agrippinam Germanici fratris sui filiam duxit uxorem, quæ filio imperium procurans, primo privignum Britannicum in palatio insidiis multiformibus appetiit, dehinc ipsum conjugem veneno interemit.* Vixit annos sexaginta quatuor, imperavit *annos* quatuordecim. Post mortem consecratus est, Divusque [b] appellatus. *Cujus funus, ut quondam in Tarquinio Prisco diu occultatum est, dum arte muliebri custodes corrupti ægrum simulant. Nero privignus ejus imperii jura suscepit.*

## NERO.

*Anno ab Urbe condita* 808, *Domitius Nero, patre Domitio Ænobarbo genitus, ab Augusto quintus, prin-* B *cipatum adeptus est. Iste quinquennio tolerabilis fuit; unde quidam prodidere Trajanum solitum dicere procul distare cunctos principes Neronis quinquennio; postea in omnibus* Caligulæ avunculo suo simillimus, qui Romanum et deformavit imperium, et minuit. Inusitatæ luxuriæ, sumptuumque, ut qui, exemplo Caligulæ, in calidis frigidisque lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quæ [c] *blateis* funibus extrahebat. [d] *Plurimos senatorum nulla existente causa bonis privavit. Necatorum omnium sub una die, tormentis quoque adhibitis, omnem penitus censum abstersit. Crudelitatis autem rabie ita effrenatus est, ut plurimam senatus partem interficeret, equestrem ordinem pene destitueret.* Bonis omnibus hostis fuit. *Libidinibus porro tantis exagitatus est, ut ne a matre quidem, vel sorore,* C *ullave consanguinitatis reverentia, abstinuisse referatur; virum in uxorem duxerit; ipse a viro amictus nubentium virginum specie, palam convocato senatu, dote dicta, cunctis festa more frequentantibus, ut uxor acceptus est.* Ad postremum tanto se dedecore prostituit, ut *omnia pene Italiæ ac Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varii vestitus dedecore,* saltaret, cantaret in scena citharœdico habitu, vel tragœdico. Parricidia multa commisit, fratre, matre, [e] *sorore* interfectis. Urbem Romam *per sex dies septemque noctes* incendit, ut spectaculi ejus imagine cerneret qualiter olim Troja capta arserat. *Et ipse ex altissima illa Mæcenatiana turre prospectans, lætusque flammæ pulchritudine, tragico habitu Iliada decantabat. Horrea quadro structa lapide, magnæque illæ veterum insulæ,* D *quas discurrens flamma adire non poterat, magnis machinis ad externa quondam bella præparatis labefactatæ atque inflammatæ sunt. Avaritiæ autem tam præruptæ exstitit, ut post hoc incendium neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta quæ flammæ quoquomodo superfuerant ipse abstulit. Centies centena millia H. S. annua ad expensas senatum sibi conferre imperavit. Octaviam et Sabinam cognomento Pompeam in matrimonium duxit, viris earum trucidatis.* In re militari nihil omnino [f] *auxit.* Britanniam pene ami-

[a] A. post *incederet: Vixit*, etc.
[b] A., post *appellatus: Successit huic Nero Caligula avunculo suo simillimus, qui*, etc.
[c] A., *blattinis.*
[d] A.: *Infinitam senatus partem interfecit, bonis*, etc.
[e] A., pro *sorore, uxore.*
[f] A., *ausus.*

Digitized by Google

sit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic capta A atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub jugo miserunt. Duæ tamen sub eo provinciæ factæ sunt : Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, et Alpes *Cottiæ*, rege [a] Cotta [b] defuncto. *Tunc Galba præter Hispaniæ, et C. Julius imperium corripuere. At ubi advenientem Nero Galbam didicit, senatusque sententia constitutum est* ut nudus per publicum ductus, furca [c] *collo* ejus inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita saxo præcipitaretur : *igitur desertus undique* e palatio fugit, *noctis medio Urbem egressus, sequentibus eum Phaone, Epaphrodito, Neophytoque, et spadone Sporo, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat,* [d] *et* in suburbano *se* liberti sui, quod est inter Salariam et Nomentanam viam, ad quartum B Urbis [e] milliarium, *ictu gladii transegit, adjurante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho, cum sane prius, nullo reperto a quo feriretur, exclamaret : Itane nec amicum, nec inimicum habeo? Dedecorose vixi, turpius peream.* Ædificavit Romæ thermas, quæ antea Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obiit ætatis trigesimo primo anno, imperavit XXIV, atque in eo omnis Augusti familia consumpta est. *Hujus temporibus poetæ pollebant Romæ, Lucanus, Juvenalis, et Persius, Senecaque Tragicus, Musonius atque Plutarchus philosophi. Hunc Persæ tantum dilexerant, ut legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenti. Cæterum adeo cunctæ provinciæ omnisque Roma in interitu ejus exsultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sævo exempta domino, triumpharet.* Denique omnibus flagitiis suis C hoc etiam addidit, [f] quod *primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit. Ipsum quoque nomen exstirpare conatus, beatissimos Apostolos Petrum cruce affixit, Paulum capite gladio secuit. Mox autem acervatim miseram civitatem obortæ undique oppressere clades. Nam subsequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem libitinæ venirent.*

GALBA.

*Anno ab Urbe condita* 822, *de Hispania Ser.* Galba *surrexit, et ab Augusto sextus, principatum adeptus est, antiquissimæ* nobilitatis senator, *Sulpiciorum gente progenitus*, cum ætatis ageret annum 73, ab Hispanis D et Gallis imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. *Qui mox ut Neronis mortem comperit, Romam venit, et Pisonem nobilem industriumque adolescentem sibi in filium atque in regnum adoptavit. Iste in adolescentia infamis, ad vescendum intemperans fuit : trium amicorum consilio, id est, Junii, Cornelii, Icelii, cuncta disponens adeo, ut intra Palatinas ædes pariter habitarent, et vulgo pædagogi dicerentur.* Nam privata ejus vita insignis fuit militaribus, et civilibus rebus; sæpe cos., sæpe proconsul, frequenter dux, gravissimis bellis *militem suum ita severissime tractavit, ut ingresso eo castra, vulgaretur statim : Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.* Hujus breve imperium fuit, quod haberet bona exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. Insidiis Othonis occisus est, imperii mense 7 jugulatus in foro Romæ, sepultus in hortis suis, qui sunt Aurelia via, non longe ab urbe Roma.

OTHO.

Lucius *Salvius* Otho, [g] *occisis* Galba *et Pisone, ab Augusto septimus*, invasit imperium, *splendidis ortus majoribus ex oppido Ferentano. Attamen* materno genere nobilior quam paterno, neutro tamen obscuro. In privata vita mollis, *maxime in adolescentia omni turpis*, et Neronis familiaris, in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius a Germanicis exercitibus imperator factus esset, belloque *civili* contra eum suscepto, *tribus primum levibus bellis, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum quemdam, quem Castores appellant, contra Vitellianos duces congressus victor exstitisset, quarto* cum apud [h] *Bebriacum* in Italia levi prælio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semet occidit, petentibus militibus ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum bellum civile oriretur, voluntaria morte obiit ætatis anno 38, imperii [i] die 95. *Adeo militibus propriis amabilis fuit, ut plerique corpore ejus viso, suis manibus interirent.*

VITELLIUS.

Dein Vitellius, *VIII ab Augusto*, imperio potitus est, familia honorata magis quam nobili. Nam pater ejus *L. Vitellius* non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic *tumens, crudelis, avarusque cum profusione fuit, et* cum multo dedecore imperavit, gravique sævitia notabilis, præcipue ingluvie et voracitate, quippe [j] *cum die* sæpe quarto vel quinto feratur epulatus, notissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua supra cæteros sumptus II millia piscium, et VII millia avium apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, ut etiam [k] *reliquias* Neronis, quæ humiliter sepultæ

[a] A., *Cottio.*

[b] A., post *defuncto : Propter hoc Romanæ urbi exsecrabilis, et ab omnibus simul destitutus, et a senatu hostis judicatus, cum quæreretur ad pœnam, quæ pœna erat talis, ut nudus,* etc.

[c] A., *capiti.*

[d] A., *et in suburbano liberti sui, quod est,* etc.

[e] A., post *mil. se interfecit : Ædificavit,* etc.

[f] A. : *Quod sanctos Dei apostolos Petrum Paulumque trucidavit. Huic Servius Galba successit antiquæ nobilitatis senator, cum,* etc.

[g] A., *occiso Galba invasit,* etc.

[h] Ita vocat Eutropius. H., *Betriacum*, cum quo Ambrosianus.

[i] A., post *die : Deinde Vitellius,* etc.

[j] A. et Eutrop., *de die.*

[k] A. : *Exseonias Neronis, quæ humiliter curatæ fuerant honoraret, a Vespasiani ducibus occisus est; interfecto in Urbe prius Sabino Vespasiani fratre, quem cum Capitolio incendit. Interfectus autem est magno dedecore, tractus per urbem Romam publice nudus, erecta coma, et capite, subjecto ad mentum gladio ster-*

Digitized by Google

fuerant, honoraret, *ab omnibus exosus est. Postquam autem de Vespasiano comperit, primum deponere molitus est imperium; deinde a quibusdam animatur, Sabinum Vespasiani fratrem, nil tum mali suspicantem, cum cæteris Flavianis in Capitolium compulit, succensoque templo, et mista simul flamma, ruinaque, omnes in unum pariter interitum ac tumulum dedit. At vero Vespasianus postquam apud Palæstinam imperator creatus est, in Græciam venit, gaudens, ut Græci fatentur, in his quæ audiebat a Tyanensi Apollonio de tempore imperii sui, ac cæteris bonis fortioribus, loquens cum eo apud Ægyptum ab Indis, et Bragmanis, et Gymnosophistis illic diligentibus redeunte. Igitur Vitellius a Vespasiani militibus sub muris Urbis certamine habito superatus, ab exercitu suo destitutus est, appropinquantibusque hostibus jam trepidus, cum se in quamdam proximam palatio cellulam contulisset, turpissime*

A *inde protractus, vinctis post tergum manibus, circumducitur ad spectaculum vulgi. Cumque per sacram viam publice nudus duceretur, ne impudens in extremis saltem malorum quæ gesserat rubore faciem demitteret, erecta coma, et capite, subjecto in mentum gladio, seminudus, multo cœno fimoque, et cæteris dictu turpioribus purgamentis ore et pectore involutus, in forum deductus est, atque per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum Vespasiani fratrem permiserat necari, minutissimorum ictuum crebris ictibus excarnificatus, atque inde unco tractus in Tiberim mersus,* etiam communi caruit sepultura. Periit autem ætatis anno 57, [a] imperii mense 8 et die primo. *Multis autem et nefariis modis per complures dies a Vespasiani militibus adversum senatum P. Q. R. indiscreta cæde sævitum est.*

B *Huic Vespasianus successit nonus ab Augusto.*

*core involuto, et pectus, ab omnibus obviis appetitus. Postremo jugulatus, et in Tiberim dejectus, etiam*, etc.

[a] Eutropius, *imperii mense 10 et die uno*. H., *mense 8 et die uno*; cum H. Ambros.

# LIBER NONUS.

## VESPASIANUS.

[a] *Anno ab Urbe condita* 815, *brevi illa quidem, sed turbida tyrannorum caligine discussa, tranquilla sub Vespasiano serenitas rediit. Is* obscure quidem natus, sed optimis comparandus, privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde Britanniam missus, tricies et bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gentes, viginti oppida, insulam Vectam Britanniæ proximam imperio Romano [b] adjecerit. *Namque, ut paulo altius repetam, Judæi post passionem Christi destituti in totum gratia Dei, cum omnibus undique malis circumvenirentur, quibusdam in Carmelo monte seducti sortibus, quæ portenderent exortos a Judæa duces rerum potituros fore, prædictumque ad se trahentes in rebellionem exarserunt, exstinctisque Romanis præsidiis, legatum quoque Syriæ (cui Palæstina nomen est) suppetias ferentem, rapta aquila, et cæsis copiis fugaverunt. Ad hos Vespasianus a Nerone missus Titum filium suum majorem in itinere habuit. Nam multas, et validas legiones viginti et octo secum in Syriam trajecit. Itaque cum Judæos multis eorum oppidis captis in urbe Jerosolymorum, præcipue ob diem festum congregatos, obsidione clausisset, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum et ducum, maxime Josephi ducis Judæorum sententia, qui captus, cum in vincula conjiceretur, constantissime dixerat, sicut Suetonius refert, continuo se ab eodem, sed imperatore solvendum, imperium adeptus est, relictoque in castris ad procurationem obsidionis Jerosolymorum filio Tito, profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellii, paulisper Alexandriæ substitit. Titus vero magna, ac diuturna obsidione Judæos premens,* *machinis, cunctisque bellicis molibus, non sine multo suorum sanguine tandem muros civitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam reclusam multitudo sacerdotum, ac principum tuebatur, majore vi et mora opus fuit. Nam intra viginti dies*

C *capta est. Quod tamen, postquam in potestatem redactum, opere mirandum atque antiquitate suspexit, diu deliberavit utrum tanquam incitamentum hostium incenderet, an in testimonium victoriæ reservaret. Itaque cum nuntiatum ei a Roma fuisset, quod pater ejus imperio potiretur, ex hilaritate nimia, sura ejus dextra crementum carnis accepit, ita ut calceamentum non reciperet. Quæ Josephi ducis Judæorum consilio, ut alia restituta est, qui jusserat ante eum transire, in quem plurimum odii habebat. Igitur Titus imperator ab exercitu pronuntiatus templum Jerosolymis incendit ac diruit, quod a die conditionis primæ, usque ad diem eversionis ultimæ manserat annis mille centum et duobus. Muros urbis universos solo æquavit. Sexcenta millia Judæorum eo bello interfecta Cornelius et Sue-*

D *tonius referunt. Josephus vero dux Judæorum, qui eo bello tunc præfuit, et apud Vespasianum propter prædictum imperium veniam gratiamque meruerat, scribit undecies centena millia gladio et fame periisse: reliquias vero Judæorum, diversis actas conditionibus, toto orbe dispersas, quorum numerus ad nonaginta millia hominum fuisse narratur. Quibus ante obscœna et dira prodigia, ut idem Josephus dicit, vel visa, vel nuntiata sunt. Etenim stella præfulgens gladio similis per omnia, imminere desuper civitati, et cometes præterea exitialibus flammis ardere per totum visa est annum. Sed et ante tempus excidii ac belli, cum populi*

[a] In A. hæc usque ad verbum *obscure* non leguntur, neque novus liber incipit, sed post verb. *uno* habet: *Vespasianus huic successit, factus apud Palæstinam imperator, obscure*, etc.

[b] A. post *adjecerit*, omis. intermediis, statim legit *Romæ se*, etc.

Digitized by Google

ad diem festum azymorum convenirent, octavo die mensis Aprilis noctis tempore hora nona, tantus fulgor luminis aram templumque circumdedit, ut putarent omnes diem clarissimum factum, et permansit spatio horæ dimidiæ. Quod imperitis quidem et ignaris prosperum videbatur, sed legisperitos et probos quosque doctores non latuit exitiale portentum. In eadem quoque festivitate victima sacrificiis admota, et aris assistens inter ipsas ministrorum manus enixa est agnum. Sed et janua interioris ædis, quæ respiciebat Orientem, cum esset ære solido induta, ac perinde immensi ponderis, quæ vix a viginti viris summo conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoque vectibus, et seris munita, ac pessulis in altum dimissis teneretur obstricta, hora noctis sexta apparuit repente patefacta. Sed et transacto die festo, post aliquot dies prima et vicesima die mensis Maii prodigiosus apparuit visus, et fidem pene excedens, quod vere falsum putaretur, nisi oculorum fides confirmasset. Etenim prope solis occasum visi sunt currus, et quadrigæ in omnem regionem per aerem, et armatorum cohortes misceri nubibus, et urbem circumdare agminibus improvisis. In alio itidem die festo, qui Pentecoste appellatur, nocte sacerdotes ingressi templum ad ministeria ex more complenda, primo quidem motus quosdam, strepitusque senserunt, tum deinde voces subitas audiunt dicentes, Migremus hinc. Additur etiam his aliud terribilius. Etenim quidam Ananiæ filius Jesus nomine, vir plebeius, et rusticus, ante septimum belli annum, dum adhuc civitas in abundantia duraret, in die festo Tabernaculorum repente clamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolymam et templum, vox super sponsos et sponsas, vox super populum. Et indesinenter die, noctuque per omnes plateas circuiens hæc declamabat, usquequo quidam ex populo primores viri, velut infausti prodigii indignatione commoti, correptum hominem multis verberibus afficiunt. At ille nequaquam pro se aliquid loquens, sed neque eos quidem, qui se circumsteterant, deprecans, easdem voces pari obstinatione et clamore repetebat. Tunc principes numinis aliquid intelligentes (ut res erat) esse in viro, producunt eum ad judicem Romanum. Apud quem flagris ad ossa usque laniatus, neque preces, neque lacrymas fudit, sed eamdem vocem miserabiliter, et cum quodam ululatu emittens, per singula pene verbera proferebat addens etiam hoc: Væ væ Hierosolymis. Igitur Vespasianus, et Titus imperatores magnificum de Judæis triumphum agentes, urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus, inter trecentos viginti triumphos, qui in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit: patrem, et filium uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his, qui patrem et filium offenderant, victoriam re-

A portasse. Igitur Vespasianus Romæ se in imperio moderatissime gessit, pecuniæ tantum avidior fuit, ita ut eam nonnullis injuste auferret. Quam cum omni diligentiæ provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, [a] maxime indigentibus. Nec facile ante eum cujusquam principis vel major est liberalitas comperta, vel justior. Placidissimæ lenitatis, ut qui [b] majestatis contra se atrociores reos non facile punierit ultra exilii [c] pœnam. Hujus inter cætera bona illud singulare fuit, oblivisci inimicitias, adeo ut Vitellii hostis filiam locupletissime dotatam splendidissimo conjungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, ut erat facetissimus, jocularibus verbis respondens. Namque Licinium Mu-
B tianum, quo adjutore ad imperium pervenerat, fiducia meritorum insolentem, lepide flectebat, adhibito aliquo utrique familiari, id unum dicens: Nosti me virum esse? Sed quid mirum in amicis, cum etiam offensarum et inimicitiarum [d] immemor fuerit? Obliqua causidicorum in se dicta, et philosophorum contumaciam leniter tulit, diligens tamen coercitor disciplinæ [e] militaris. Iste exsanguem diu, fessumque terrarum orbem brevi refecit, prudentissime ratus nefaria ministeria a pluribus metu curari. Præterea legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie vitiorum plura aboleverat: infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversum pecuniam, cum satis constet, ærarii inopia, et clade urbium novas eum neque postea habitas vectigalium pensiones exquisisse. Hic Romam
C deformem incendiis veteribus, ac ruinis, permissa, si domini deessent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, ædem Pacis, Claudii monumenta reparavit, multaque nova instituit: per omnes terras, qua jus Romanum est, renovatæ urbes cultu egregio, viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cavati montes per Flaminiam sunt prono transgressui, quæ vulgariter Pertusa petra vocitatur. Mille gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia tyrannorum plerisque. Rex Parthorum Vologeses metu solo in pacem coactus est. Tunc deinde sine ullis bellorum tumultibus in immensum respub. Romana provehitur. Siquidem Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, quæ liberæ ante id tempus fuerant: item Trachea Cilicia, Comagene, quam hodie Augustofratensem nominamus,
D quæ sub regibus amicis erant, tunc primum redactæ in provinciarum formam, judicibus Romanis, legibusque paruerunt. Nono autem anno Imperii ejus, tres civitates Cypri terræmotu corruerunt, et Romæ magna pestilentia fuit. Hic monentibus amicis, caveret a Metio Pomposiano, de quo sermo percrebruerat regnaturum fore, cos. fecit, alludens tali cavillo: Quandoque memor erit tanti beneficii. Institutum vero uniforme omni Imperio tenuit, vigilare de nocte, publicisque actibus

[a] A., præcipue.

[b] A., post majestatis, quoque contra, etc.

[c] A. post pœnam legit: sub hoc Judæa, Rom. accessit imp., et Hierosolyma, quæ fuit urbs nobilissima Palestinæ, Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante id tempus fuerant. Item Thraciam, Ciliciam, Comagenem, quæ sub regibus amicis. Orant, in provinciarum formam redegit egerant offensarum, etc.

[d] A., immemor fuit. Convicia a causidicis et philosophis in se, etc.

[e] A. post militaris: Hic cum filio Tito de Hierosolymis triumphavit. Per hæc cum senatui, etc.



Digitized by Google

*absolutis, charos admittere, dum salutatur calceamenta sumens, et regium vestitum. Post autem negotiis, quæcunque advenissent, auditis, exerceri vectatione: deinde requiescere. Postremo ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat. Plura dicere studium coegit Imperatoris boni, quem ab Augusti morte post annos quinquaginta et sex, Romana resp. exsanguis tyrannorum sævitia, quasi fato quodam ne rueret penitus, assecuta est.* Post hæc cum Senatui, populo, postremo cunctis amabilis, ac jucundus esset, *seriis joca, quibus delectabatur, admiscens interiit. Quippe primo cum crinitum sidus, quod Græci κομήτην vocant, apparuisset; Istud, inquit, ad regem Persarum pertinet, cui est capillus effusior: deinde* profluvio ventris [a] *fessus*, in villa propria circa [b] Sabinos, *assurgens, Stantem, ait imperatorem terris excedere decet.* Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multæ conjurationes contra eum fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixerit, aut filios sibi successuros, aut neminem [c].

## TITUS VESPASIANUS.

*Anno ab Urbe condita* 828, *Titus Vespasiani et Domicillæ libertæ filius, decimus ab Augusto post mortem patris*, successit, qui et ipse Vespasianus dictus. *Iste a puero præclaris probitatis studiis, militiæ, litterarum, instantissime delitus, quid contenderit, animi, et corporis muneribus ostendit. Hic ubi patriæ curam suscepit, incredibile est, quantum, quem imitabatur, patrem anteierit, præcipue clementia*, liberalitate, honorificentia ac pecuniæ *contemptu. Quæ eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis a privato adhuc patratis asperior, luxuriæque, et avaritiæ amans credebatur fore. Nam præfecturam prætorianam, patre imperante, adeptus suspectum quemque, et oppositum sibi, immissis qui per theatra, et castra, invidiosa jactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis convictos oppressit. In queis Cecinam consularem adhibitum cœnæ, vix dum triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenicis uxoris suæ jugulari jussit. Jurgia autem ab eo sub patre venundata, rapinarum quoque cupidus erat. Unde Neronem cuncti opinantes, vocantesque, summam rerum nactum graviter acceperant. Sed hæc in melius conversa, adeo ei immortalem gloriam contulere, ut deliciæ atque amor humani generis appellaretur. Denique, ut subiit pondus regium, Berenicen nuptias suas sperantem regredi domum, et enervatorum greges abire præcepit. Quo facto, quasi signum protulit mutatæ intemperantiæ prioris. Et cum donata, concessave a principibus prioribus firmare insequentes solerent, simul ut imperium cœpit, talia possidentibus edicto sponte cavit. Iste* facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus *fuit.* Causas Latine

A egit, poemata, et tragœdias Græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, duodecim propugnatores duodecim sagittarum ictibus confixit. *Tantam autem pietatem ergo Judæos habuit, ut circuiens Hierusalem, et repletos cadaveribus valles, et humani corporis tabe patriam eorum terram rigori videns, cum ingenti gemitu elevatis ad cœlum manibus, Deum invocaret testem, hoc opus suum non esse.* Romæ tantæ civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret. *Clementiam vero usque eo perduxit, ut* convictos adversum se conjurationis causa dimiserit, et in eadem familiaritate *habuerit*, qua ante [d] habuerat. *Nam, ut breviter ejus clementiam depromam, cum adversus eum duo amplissimi ordinis conjurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuit primo: post* B *deductos in spectaculo se utrinque assidere jussit: petitoque mirmilonum ex industria, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem uni atque alteri commisit. Quibus perculsis, et constantiam mirantibus dicebat: Videtisne potestates fato dari, frustraque tentari facinus, potiundi spe, vel amittendi metu? Fratrem quoque Domitianum parantem insidias, militumque animos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod et se volente esset obventurum ei, et jam haberet, cum sit particeps potestatis.* Facilitatis et liberalitatis tantæ fuit, ut cum nulli quidquam negaret, et ab amicis reprehenderetur, responderit nullum tristem debere discedere ab imperatore. Præterea cum quadam die recordatus in cœna fuisset nulli se illo die quidquam C [e] præstitisse, *venerando, cœlestique dicto ait: O amici, hanc* diem perdidimus. Hic Romæ amphitheatrum ædificavit, et quinque millia ferarum in dedicatione ejus [f] occidit. *Hujus tempore repentinum incendium Romæ sine nocturna requie per triduum fuit, plurimæque ædes publicæ concrematæ sunt. Abrupto tunc etiam vertice Vesevi montis Campaniæ magna profusa incendia ferunt, torrentibusque flammarum vicina regionis, cum urbibus hominibusque, deleta esse. Lues quoque Romæ, quanta vix unquam ante, fuit: quibus tamen malis, nullo vexato, pecunia propria subvenit cunctis remediorum generibus, nunc ægrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Post* hæc, inusitato favore dilectus, morbo periit, in ea, qua pater villa, post biennium, et menses octo, D [g] diesque viginti, quam *post patrem imperaverat*, ætatis anno altero et [h] quadragesimo. *Hujus mors credi vix potest quantum luctum Urbi provinciisque intulerit, adeo* ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus, obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, et tantas ei mortuo laudes gratiasque [i] concessit, quantas nec vivo

[a] A., pro *fessus, exstinctus est.*

[b] A., post *Sabinos, annum agens ætatis* 69, *imperii nonum, et diem septimum, atque inter divos relatus est. Genituram*, etc.

[c] A. post verbum *neminem* legit. *Huic Titus filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut amor et deliciæ humani generis diceretur. Facundissimus*, etc.

[d] A., *habuerit.*

[e] A., post *præstitisse, dixerit amici. Hodie*, etc. Eut.: *Amici hodie diem perdidi.* H., *amicis. Hodie diem perdidi.*

[f] A., post *occidit: Per hæc*, etc.

[g] A., post *viginti, quam imperator erat factus.*

[h] A., post *quadragesimo: Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes*, etc.

[i] A., *congessit*, et post *egerat. Nec inter divos præsenti relatus est.*

Digitized by Google

unquam egerat, et præsenti : inter divos [a] translatus est.

## FL. DOMITIANUS.

*Anno ab Urbe condita* 830 *Domitianus Vespasiani et Domicillæ libertæ filius, germanus Titi junior, undecimus ab Augusto suscepit imperium. Iste* Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio similior *fuit*, quam patri aut fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingentia vitia [b] *profusus*, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avaritiæ, tantum in se odii concitavit, ut merita fratris et patris aboleret. Interfecit nobilissimos e senatu, dominum se et deum primus appellari, *scribi colique* jussit. *Segnisque ridicule, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur furens libidine, cujus fœdum exercitium Græcorum lingua* κλινοπάλην *vocabat.* B *Hinc percunctanti cuidam quisquamne in palatio esset, responsum : Ne musca quidem.* Nullam sibi nisi auream aut argenteam statuam *in Capitolio* passus est poni. Consobrinos suos interfecit. Superbia quoque in eo exsecrabilis fuit. *Iste apud Romanos eunuchizari viros jussit, ut in palatio haberet, uxoremque suam Augustam nuncupari.* Expeditiones quatuor habuit : unam adversus Sarmatas, alteram adversus Chattos, duas adversus Dacos. *Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fusco duce prælia, quantaque Romanorum clades, ubi Oppius Sabinus consularis et Cornelius Fuscus præfectus prætorii cum magnis exercitibus occisi sunt, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo interfectorum numero,* C *et Sallustium Crispum, et alios auctores, quam plurimos sanxisse, et seipsum idem potissimum elegisse dixisset. Domitianus autem pravissima elatus jactantia,* de Dacis, [c] Chattisque, *sub nomine superatorum hostium, de exstinctis suis legionibus triumphavit.* De Sarmatis solam lauream [d] usurpavit, ubi legio ejus cum duce [e] interfecta est. *Verum, cum ob scelera universis exosus esset, Antonius accensus maxime injuria verborum Domitiani, qua se scortum vocari dolebat, cum curans Germaniam superiorem* A *esset, imperium corripuit, et Domitianus eum per Norbanum Appium acie stravit.* Romæ quoque multa [f] *ædificia vel cœpta, vel a fundamentis construxit.* In his *Pantheum*, Capitolium, forum transitorium, [g] *odeum*, porticus, Isium, ac Serapium, et [h] stadium, *horrea piperata, Vespasiani templum, Minervam Calcidicam, Ludum matutinum, Micam auream, Metam sudantem, bibliothecas incendio consumptas, petitis undique, præsertim Alexandria, exemplis reparavit. Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi spicula transvolarent. Iste persecutionem in Christianos agi secundus a Nerone imperavit, qua multi martyrio coronati sunt, ut Orosius scribit. Inter quos et Flavia Domicilla, Flavii Clementis cos. ex sorore neptis, in insulam Pontiam ob fidei testimonium exsiliatur. Quo tempore etiam beatissimus Joannes apostolus in Patmum insulam relegatus fuit. Inter Judæos quoque acerbitate tormentorum et cruentissimæ quæstionis exquiri genus David atque interfici præceptum est, quasi adhuc futurus esset ex semine David, dum prophetis sanctis et invidetur, et creditur, qui regnum possit adipisci. Igitur Domitianus metu crudelitatis et conscientiæ suæ perculsus est : conjuravere plerique, impulsoribus Parthenio procurante cubiculum, Stephanoque, et tum ob fraudem interceptæ pecuniæ supplicium suspectante Clodiano, ascita etiam in consilio tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis a principe cruciatus formidante. Domitianum multis vulneribus confodiunt, post* [i] *annum vitæ quintum et quadragesimum, imperii quintum decimum. At senatus gladiatoris more funus ejus ignominiose, et cum dedecore per vespillones efferri jussit, radendumque nomen decrevit, et ignobiliter est sepultus. Hujus tempore sæculares ludi celebrati sunt. Hactenus Romæ seu per Italiam orti imperium rexere. Hinc advenæ. Unde compertum est urbem Romam externorum virtute crevisse. Quid enim Nerva prudentius aut moderatius? quid Trajano divinius? quid præstantius Adriano?*

[a] A., post *relatus est : Domitianus mox accepit imperium frater ipsius junior, Neroni*, etc.

[b] A., *progressus*.

[c] A., *Catthisque duplicem triumphum egit*.

[d] A., post *usurpavit : Multas tamen calamitates iisdem bellis passus est; nam in Sarmathia legio*, etc.

[e] A., post *interfecta est : Et a Dacis Oppius Sabinus consularis, et Cornelius Furcus præf. prætor. cum magnis exercitibus occisi sunt. Romæ*, etc.

[f] A., *multa opera fecit in his*, etc.

[g] A., *divorum porticus*, etc.

[h] A., *Stadium. Verum, cum ob scelera universis exosus esse cœpisset, interfectus est suorum conjuratione in palatio, anno ætatis trigesimo quinto, imper.* 15. *Funus ejus ingenti dedecore per vespillones exportatum et ignobiliter est sepultum.*

D

[i] Eutrop., *anno ætatis* 45. H., *anno ætatis* 35.

# LIBER [a] DECIMUS.

## NERVA.

[b] Anno ab urbe condita 846, Vetere et Valente coss., resp. ad prosperrimum statum rediit, bonis principibus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim exitiabili tyranno *interfecto, Cocceius* [c] Nerva *oppido Narniensi genitus, duodecimus ab Augusto im-*

[a] In A. liber hic inscribitur VIII, nam usque huc continuat VII.

[b] Eutrop. lib. VIII. Et H. : *anno octingentesimo et quinquagesimo ab U. C., Vetere et Valente coss.* Alias H. cum Eutrop. ad verbum convenit ab initio, exceptis pauculis variis lectionibus, quas noto. Canis. A. etiam legit 850.

[c] A., *Nerva successit in privata*, etc.

Digitized by Google

*perator electus est. Is* in privata vita moderatus, et strenuus, nobilitatis [a] mediæ, senex admodum, operam dante Petronio Secundo præfecto prætorio, item Parthenio interfectore Domitiani, [b] imperator factus, æquissimum se et civilissimum [c] præbuit. *Iste cum imperium suscepisset, mox, rumore orto, vivere atque adfore Domitianum, perinde trepidavit, ut, colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. Sed a Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad solemne deliniamentum conversus est. Qui cum in curiam a senatu gratanter acceptus esset, solus ex omnibus Arius Antoninus, vir acer, eique amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari se ait senatui, populo, provinciisque, ipsi autem nequaquam; cui satius fuerat malos semper principes eludere, quam tanti oneris vim sustinentem, non modo molestiis periculisque subjici, sed famæ etiam inimicorum pariter, et amicorum, qui cum se mereri omnia præsumant, si quidquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus. Iste quidquid ante pœnæ nomine tributis accesserat indulsit, afflictas civitates relevavit, puellas, puerosque natos egestosis parentibus, sumptu publico per Italiæ oppida ali jussit. Hic primo edicto suo cunctos exsules revocavit. Unde et Joannes apostolus hac generali indulgentia liberatus Ephesum rediit. Hic, ne accessu malevolorum terreretur, Junii Maurici constantis viri dicto sic admonetur. Qui convivio familiari adhibitus, cum Veientonem consulari honore functum quidem apud Domitianum, tamen multos occultis criminationibus persecutum, adesse vidisset, inter colloquia mentione Catuli facta, calumniatoris præcipui, dicente Nerva: Quid nunc faceret, si Domitiano supervixisset? Nobiscum, inquit,* [d] *Mauricus, cœnaret. Hic jurgiorum disceptator maximus, et frequens fuit, et scientissimus. Calphurnium Crassum promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum confessumque Tarentum cum uxore removit, Patribus lenitatem ejus increpantibus. Cumque interfectores Domitiani ad exitium poscerentur, tantum consternatus est, ut neque vomitum, neque impetum ventris valuerit differre, et tamen vehementer obstitit, dictitans æquius esse mori, quam auctoritatem imperii fœdare, proditis sumendæ potentiæ auctoribus. Sed milites, neglecto principe, Petronium uno ictu, Parthenium vero, demptis prius genitalibus, et in os conjectis, jugulavere, redempto magnis sumptibus Casperio, qui scelere tam truci insolentior, Nervam compulit referre apud populum gratias militibus, quod pessimos nefandissimosque omnium mortalium peremissent.* Reip. divina provisione consuluit, Trajanum *in liberi locum et partem* [e] adoptando. *Qui dum, suggerente ira, voce quam maxima contra quemdam Regulum nomine incla-*

A

*maret, sudore correptus est. Quo refrigescente, horror corporis nimius initia febri præbuit, nec multo post vitam finivit,* post annum et quatuor menses imperii et dies octo, ætatis septuagesimo atque altero anno, atque inter divos [f] relatus est. *Corpus a senatu, ut quondam Augusti, humeris delatum, in sepulcro Augusti in campo Martio sepultum est. Eo die quo interiit solis defectio facta est.*

## TRAJANUS.

*Anno ab Urbe condita* 847, *Ulpius Crinitus Trajanus ex urbe Tudertina, Ulpius ab avo dictus, Trajanus a Trajo, paterni generis auctore, vel de nomine Trajani patris sic appellatus, decimus tertius ab Augusto imperium adeptus est, natus in Hispania,* familia antiqua magis quam clara. Nam pater ejus primum cos. fuit.

B

Imperator autem apud [g] Agrippinam, *nobilem Galliæ urbem,* factus est, *habens diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in sublevandis civitatibus largitionem. Cumque duo sint quæ ab egregiis principibus exspectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, tantus in eo erat maximarum rerum modus, ut quasi temperamento quodam virtutes miscuisse videretur, nisi quod cibo vinoque paululum deditus erat.* Remp. ita administravit, ut omnibus principibus merito præferatur, inusitatæ civilitatis et fortitudinis. Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit. Urbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam Decibalo victo subegit: provincia trans Danubium facta, in his agris, quos

C

nunc Thaiphali, nunc [h] *Victophali,* et Tervingi habent. Ea provincia decies centena millia passuum in circuitu tenuit. Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, [i] *Pharmatasire* occiso, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Hiberorum regem, et Sauromatarum, et Bosphoranorum, Arabum, et Hosdroenorum et Colchorum in fidem accepit. [j] *Carduenos* [k] *Mardomedos,* occupavit. Et Antemusium magnam Persidis regionem, Seleuciam et Ctesiphontem, [l] Babylonem *et Edessam,* vicit ac tenuit. Usque ad Indiæ fines, et ad mare rubrum accessit, atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam cum his gentibus quæ Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciæ formam redegit, in mari Rubro classem instituit, ut

D

per eam Indiæ fines vastaret. Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romæ et per provincias æqualem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, vel ægrotantes, vel cum festos dies habuisset, convivia cum eisdem indiscreta vicissim habens, sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum lædens, nihil injustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctos, pu-

[a] A., *post mediæ, qui.*

[b] A., *imp. est factus. Æquis.*, etc.

[c] A., post *præbuit: Reip. divina*, etc.

[d] Al., *Maturicius.*

[e] A., post *adoptando: Mortuus est Romæ post annum*, etc.

[f] A.: *Relatus est. Successit ei Ulpius Crinitus Trajanus, natus Italiciæ in Hispania, familia*, etc.

[g] *Agrippinam in Galliis.*

[h] *Victophali.* Ita et Eut.; sed H., *Victoali.* A., *Victohali.*

[i] A., *Farmatosiriæ.*

[j] A., *Corduenos.*

[k] Eutrop., *Marchomedes.* H., et A., *Marcomedes.*

[l] A., *Babylonem, Messenios vicit*, etc.

Digitized by Google

blice privatimque ditans omnes, et honoribus augens, A quos vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum ædificans, multas immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum placidumque agens, adeo ut in omni ejus ætate unus tantum senator damnatus sit, atque is tamen per senatum, ignorante Trajano. Ob hæc per orbem deo proximus nihil non venerationis meruit, et vivus, et mortuus. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium. Amicis enim culpantibus quod nimium circa omnes communis esset, respondit talem se imperatorem esse privatis, [a] *qualem sibi imperatorem privatus* optasset. *Hic ob honorem Suræ, cujus studio imperium arripuerat, lavacra condidit. De quo supervacaneum videtur cuncta velle nominatim promere, cum satis sit excultum atque emendatum dixisse. Fuit enim patiens laboris, studiosus* B *optimi cujusque ac bellicosi, magis simpliciora ingenia quam eruditissimos (cum ipse parcæ esset scientiæ, moderateque eloquens) diligebat. Justitiæ vero ac juris humani divinique, tam repertor novi quam inveterati custos. Quæ omnia eo majora visebantur, quod per multos atque atroces tyrannos perdito atque prostrato statu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus, usque eo, ut adveniens imperium ejus pleraque mirifica denuntiaverint. In queis præcipuum, cornicem e fastigio Capitolii Atticis sermonibus effatam,* ἔσται καλῶς. *Hic in persequendis sane Christianis errore deceptus, tertius a Nerone, cum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detrectantes interfici, præcepisset, et plurimi interficerentur,* C *Plinii Secundi, qui inter cæteros judices, ut Tertullianus refert, persecutor datus erat, relatu admonitus est eos homines nihil morte gerere dignum, nisi quod diis non immolarent, et Christum veluti Deum ante lucem surgentes laudarent, a malis omnibus abstinentes. Ad quem Trajanus rescribit Christianos pro fide nullatenus inquirendos. Verumtamen continuo Romæ aurea domus a Nerone totis privatis publicisque rebus impensis condita, repentino conflagravit incendio, ut intelligeretur missa etiam ab alio persecutio in ipsius potissime monimentis, a quo primum exorta esset, atque in ipso auctore puniri. Terræmotu quatuor urbes Asiæ subversæ, Elæa, Myrina, Pytanæ, Cyme; et Græcæ civitates duæ, Opuntiorum et Oriciorum. Tres Galatiæ civitates eodem terræmotu dirutæ. Pantheum Romæ a* D *Domitiano constructum fulmine concrematum est. Terræmotus in Antiochia pene totam subruit civitatem. Incredibili deinde motu sub uno tempore Judæi quasi rabie efferati per diversas terrarum partes exarsere. Nam per totam Libyam adversus incolas exarserunt, et atrocissima bella gesserunt: quæ adeo tunc interfectis cultoribus desolata est, ut nisi postea Adrianus imperator collectas undique aliunde colonias deduxisset, vacua penitus terra, abraso habitatore mansisset. Ægyptum vero totam, et Cyrenen, et Thebaidam, cruentis seditionibus turbaverunt. In Alexandria tunc commisso prælio victi et attriti sunt. In Mesopotamia quoque rebellantibus jussu imperatoris bellum illatum est. Itaque multa millia eorum vasta cæde deleta sunt. Sane Salaminam urbem Cypri, interfectis omnibus accolis, deleverunt. Igitur Trajanus* post ingentem gloriam belli, domique quæsitam, e Perside rediens, apud Seleuciam Isauriæ profluvio ventris exstinctus est. [b] Obiit autem ætatis anno sexagesimo tertio, et mense uno, die quarto, imperii nono decimo, mense sexto, die quinto decimo. Inter divos [c] relatus est. *Hujus exusti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humatique in Trajani foro sub ejus columna,* cujus altitudo centum quadraginta pedes habet: *et imago superposita, sicut triumphantes solent, in Urbem invecta, senatu præeunte et exercitu. Eo tempore multo perniciosius quam sub Nerva Tiberis inundavit, magna clade ædium proximarum; et terræmotus gravis per provincias multas, atroxque pestilentia, famesque et incendia facta sunt. Quibus omnibus Trajanus per exquisita remedia multipliciter opitulatus est, statuens ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles et sumptus, si quando talia contigerint, exitiosos. Unde merito Pater patriæ dictus est.* Hujus tantum memoriæ delatum est, ut usque [d] ad nostram ætatem non aliter in senatu principibus acclamaretur, nisi, Felicior Augusto, melior Trajano. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel assentantibus, vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi præstet [e] exempli.

## ADRIANUS.

*Anno ab Urbe condita* 867, *Ælius Adrianus stirpis Italicæ ex Hispania, Ælio Adriano, Trajani principis consobrino, Adriæ orto, genitus, quod oppidum agri Piceni, etiam mari Adriatico cognomen dedit, quartus decimus ab Augusto imperator est creatus. Hic sine aliqua voluntate Trajani imperator est factus,* operam dante *tamen* Plotina uxore Trajani. Nam eum Trajanus, quanquam [f] *consobrini sui* filium, vivus noluerat adoptare. Qui Trajani gloriæ invidens, statim provincias tres [g] *abstulit,* [h] quas Trajanus addiderat, id est, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, revocavit exercitus, ac finem imperii esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conantem amici terruerunt, ne Romani cives [i] multi traderentur, propterea, quia Trajanus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas

[a] A.: *Quales esse sibi imperatores privatus optasset. Post ingentem*, etc.

[b] Eutrop.: *Obiit autem ætatis anno* 62, *mense* 9, *et die quarto inter divos relatus est.* H.: *Obiit autem ætatis anno* 63, *mense Junio, die* 4, *imp.* 19, *mense sexto, die* 15, *inter divos relatus est.*

[c] A.: *Relatus est. Solus omnium intra Urbem sepultus est. Ossa collata in urnam auream in foro, quod ædificavit, sub columna posita sunt, cujus*, etc.

[d] *Ad nostram ætatem.* Sunt verba Eutropii, quæ et Paulus Diac. Ms. H., et Miscella, retinuit. CANIS.

[e] A.: *Exempli. Defuncto Trajano Helius Adrianus creatus est princeps sine aliqua quidem voluntate Trajani, sed operam*, etc.

[f] Spartianus, Eut., Hersfel. et Amb., *consobrinæ suæ*, etc.

[g] A., *natus et ipse Italiciæ in Hispania.*

[h] A., *reliquit.*

[i] A., *multi barbaris traderentur.*

Digitized by Google

eo copias transtulerat, ad agros et urbes colendas. Daciæ enim diuturno bello *Decibali* [a] *vires* fuerant exhaustæ, pacem tamen omni sui imperii tempore habuit. Semel tantum per præsidem *cum Sauromatis* dimicavit, *et vicit*. Urbem Romanum circumivit, multa ædificavit. *Hic per Quadratum discipulum apostolorum, et Aristidem Atheniensem virum fide sapientiaque plenum, et per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis instructus, atque eruditus, præcepit, per epistolam ad Minutium Fundanum proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare, idemque continuo Pater patriæ in senatu ultra morem majorum appellatur, et uxor ejus Augusta. Textus autem epistolæ hic est: « Accepi litteras ad me scriptas a decessore tuo Serenio* [b] *Germano clarissimo viro, et non placet mihi relationem silentio præterire, ne et innoxii perturbentur, et calumniatoribus latrocinandi occasio tribuatur. Itaque si evidenter provinciales huic petitioni suæ adesse valent adversum Christianos, ut pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exsequi non prohibeo. Precibus autem in hoc solis, et acclamationibus, uti eis non permitto. Etenim multo æquius est, si quis volet accusare, te cognoscere de objectis. Si quis igitur accusat, et probat adversum leges quidquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam supplicia statues. Illud mehercle magnopere curabis, ut, si quis calumniæ gratia quemquam horum postulaverit reum, in hunc pro sui nequitia suppliciis sævioribus vindices. » Igitur Adrianus remp. justissimis legibus ordinavit. Judæos sane perturbatione scelerum suorum exagitatos et Palæstinam provinciam quondam suam depopulantes ultima cæde perdomuit, excidio Hierosolymis novissime desolatis, ita ut nec lapis super lapidem secundum divinam vocem sit in ea relictus, ultusque est Christianos, quos illi* [c] *Chozbea duce, quod sibi adversus Romanos non assentirentur, excruciabant. Præcepitque ne cui Judæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum civitate permissa, quam ipse in oppidi statum murorum exstructione reparavit, et Æliam de prænomine suo vocari jussit. Per idem tempus Romæ Favorinus et Palæmon rhetores insignes, necnon et Herodes Atheniensis et Marcus habebantur. Iste fa*cundissimus Latino sermone, Græcis litteris eruditissimus fuit, *ita ut a plerisque Græculus appellaretur. Atheniensium studia moresque auxit, peritus non solum sermone, sed et cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictorque ex ære, et marmore, proxime Polycletus, et Euphranoras. Proinde omnino ad ista est factus, ut elegantius nunquam quidquam humanæ res expertæ videantur. Memor supra quam cuiquam credibile est, locos, negotia, milites, absentes quoque nominibus recensere; rem immensi laboris, quippe qui provincias omnes pedibus circumierat, agmen comitantium prævertens, cum oppida universa restitueret, augeret ordinibus. Namque ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum mœnium, seu decorandorum, in cohortes centuriaverat. Varius, multiplex, multiformis, atque ad vitia et virtutes quasi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium invidum, triste, lascivum, et ad ostentationem sui insolens, callide tegebat, continentiam, clementiam, facilitatem simulans, contraque dissimulans ardorem gloriæ quo flagrabat; acerrimus ad lacessendum et respondendum seriis joco maledictis, referre carmen carmini, dictum dicto, prorsus præmeditatum crederes adversus omnia. Hujus uxor Sabina, dum prope servilibus injuriis afficitur, ad mortem voluntariam compulsa, quæ palam jactabat se, quod immane ingenium probavisset, elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur. Hic morbo subcutaneo, quem diu placide sustinuerat, victus, dolore ardens impatiensque, plures e senatu exstinxit. A regibus multis pace occultis impetrata muneribus, jactabat palam plus se otio adeptum quam armis cæteros. Officia sane publica, et Palatina, necnon militiæ, in eam formam statuit, quæ paucis permutatis, hodie permanet. Dehinc miserabili exitu consumptus est, cruciatu membrorum omnium confectus, in tantum ut crebro sese interficiendum ministrorum fidissimis precans offerret, ac ne in semetipsum sæviret, charissimorum custodia servaretur. Hic* non magnam clementiæ gloriam habuit, diligentissimus tamen circa ærarium et militum disciplinam. Obiit [d] in Campania *apud Bajas*, imperii anno vigesimo primo, mense decimo, et die vigesimo: [e] *ætatis sexagesimo et altero anno*. Senatus ei tribuere noluit divinos honores. Tamen, cum successor ipsius Titus Aurelius Antoninus Fulvius hoc vehementer exigeret, et universi senatores palam resisterent, tandem obtinuit.

## ANTONINUS PIUS.

Ergo Adriano successit *quintus decimus ab Augusto* M. Antoninus Fulvius Bojonius, idem etiam Pius *postea* nominatus, genere claro, sed non admodum vetere. *Iste ab Adriano in filium adoptatus, cujus gener fuerat*, vir insignis, qui merito Numæ Pompilio confertur, ita ut Romulo Trajanus æquaretur. Vixit ingenti [f] honestate, *privato major* imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari moderata gloria, defendere magis provincias quam ampliare studens, viros æquissimos ad administrandam remp. quærens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans [g] regibus *amicus esse studens; cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres sola auctoritate rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus, nationibusque, et populis, ut parentem, seu patronum, magis quam dominum imp-*

[a] A., pro *Decibali*, habet *civili res*.
[b] Al., *Graniano*. Vide Zonaram.
[c] Euseb. Chron., *Chorebas*.
[d] A.: *In Campania major sexagenario, imperii anno 21, mense 10, die 22. Senatus nolebat ei*, etc.
[e] Ita et H., sed Eutrop. 29.

[f] A., *honestate privatus, in majori imp.*
[g] A.: *Regibus amicis venerabilis non minus quam terribilis, adeo ut barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controversias suas, litesque deferrent, sententiæque parerent. Hic*

Digitized by Google

A *ratoremve, reputarent, omnesque in morem cœlestium propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent. Quin etiam Indi, Bactri, Hircani legatos misere, justitia tanti imperatoris comperta, quam ornabat* [a] *vultu serie pulchro, procerus membra, decenter validus; priusquam salutandus prodiret, degustans panis aliquantum, ne frigescente circum præcordia sanguine, per jejunium viribus exesis interciperetur, eoque actui publicorum minime sufficeret, quem incredibili diligentia ad speciem optimi patrisfamilias exsequebatur, appetentia gloriæ carens, et ostentatione, adeo mansuetus, ut instantibus Patribus ad eos qui contra eum conjurarant, persequendos compresserit quæstionem, profecto sciens necesse non esse sceleris in semetipsum cupidos pertinacius indagari, quia si plures reperirentur, quantis odio esset intelligeretur.* Hic ante imperium ditissimus *fuit;* omnes quidem opes suas stipendiis militum et circa [b] amicos liberaliter *erogando* comminuit. Verum ærarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam [c] dictus est. *Hujus temporibus Justinus philosophus librum pro Christiana religione compositum eidem Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos homines fecit. Qui non longe post suscitante se persecutione, et crescente, scripsit universis plebibus Asiæ epistolam in his verbis: « Ego quidem non ambigo, etiam ipsis diis curæ esse, ne qui noxius lateat; multo enim magis ipsis convenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quam vobis. Sed vos confirmatis eorum quos persequimini sententiam, quam de vobis habent dicentes vos impios, et sine deo esse. Unde et optabilius habent animam ponere pro Deo suo, et mortem libenter amplecti, quam vobis acquiescere, et in vestræ religionis jura concedere. De motibus autem terræ, qui vel facti sunt, vel etiam nunc fiunt, absurdum non erit mœrorem vestrum justa commonitione solari. Quoniam quidem comperi, quod in hujuscemodi rebus ad illorum invidiam communes casus transfertis. In quo illi quidem majorem fiduciam accipiunt apud Deum. Vos autem in omni tempore, quo de talibus ignoratis, cæteros quidem deos negligitis, cultum vero immortalis Dei, quem Christiani colunt, expellitis et deturbatis, usque ad mortem cultores illius observantiæ persequentes: super quibus plurimi ex provinciis judices etiam venerabili patri nostro scripserant. Quibus rescriptum ab eo, ut nihil molestiæ hujuscemodi hominibus generarent, nisi forte arguerentur, aliquid adversum Romani regni statum moliri. Sed et mihi ipsi de his quamplurimi retulerunt, quibus ego paternum secutus sententiam pari moderatione rescripsi. Quod si quis persistit hujuscemodi hominibus absque ullo crimine movere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absolvatur, etiamsi probetur id esse, quod ei objicitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius quam objecit existat. » Proposita Ephesi publice in conventu Asiæ. Per idem tempus Romæ agnoscitur Arianus philosophus Nicomediensis prætor, necnon et Maximus Tyrius, Apollonius Stoicus, Chalcedonius, Basilides,* [d] *Citopolitanus. Isti etiam magistri verissimi Cæsaris extitere. Igitur Antonius* [e] *apud Lorias villa propria, millibus passuum duodecim ab Urbe, febri paucorum dierum, post vitæ annum septuagesimum septimum, imperii vicesimum tertium consumptus est,* atque inter divos relatus est et merito consecratus, [f] *ita ut in honorem ejus templa, sacerdotes, atque infinita alia decreta sint. Usque adeo autem mitis fuit, ut cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus a populo Romano perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quam ulcisci seditionem.*

B

## M. AURELIUS.

*Anno ab Urbe condita* 911, *M. Aurelius* Antoninus Verus, *sextusdecimus ab Augusto, Imperium adeptus est,* haud dubie nobilissimus: quippe cum ejus origo paterna a Numa Pompilio, materna a Salentino rege penderet, et cum eo [g] L. Annius Antoninus Verus. [h] Tumque Romana Resp. duobus æquo jure Imperium administrantibus paruit, cum C usque ad eum singulos semper habuisset Augustos. Hi, et genere conjuncti inter se fuerunt, et affinitate. Nam [i] Verus *nepos,* Antoninus gener Antonini Pii fuit, per uxorem i Galeriam Faustinam minorem consobrinam suam. Hi bellum [k] contra *Vologesum regem Parthorum* gesserunt, qui post victoriam Trajani primum [l] rebellaverat, et *gravi eruptione Armeniam, Cappadociam, Syriamque vastabat. L. Verus Antonius* Antoninus ad id bellum profectus est. *Qui dum Athenis sacrificaret, ignis in cœlo ab Occidente in Orientem ferri visus est.* Qui, Antiochiæ et circa Armeniam agens, multa per duces suos ingentia patravit. Seleuciam Assyriæ urbem nobilissimam, *super Hydaspen fluvium sitam* cum quadringentis millibus hominum cepit. Parthicum triumD phum [m] revexit. Obiit tamen in [n] Venetia *inter Altinum et Concordiam civitatem,* cum proficisceretur,

[a] Bongars., *vultu invicto, et sereno, et pulchro.*
[b] A., *amicos liberalitatibus minuit.*
[c] A., post *dictus est: Obiit apud Orium villam suam milliario ab U.* xii, *vitæ anno* 77, *imp.* 23, *atque*, etc.
[d] Eusebius Ms., *Syropolitanus;* impressus, *Cytopolitanus.*
[e] Eutrop. et Euseb.: *Obiit apud Lorios villam suam.* H., *apud Orium.*
[f] A., omis. cæt.: *Post hunc imperavit M. Antoninus Verus.*
[g] Ita et Eutrop. Sed H., *L. Annius Antonius Severus.*
[h] A., *Tumque primum Rom.*, etc.
[i] A., *Verus Annius Antoninus gener*, etc.

i Ita et Hersfeld. Sed Eutrop., *Valeriam.* Vide Orosium, epitomen Victoris, et Capitolinum, ex quibus Miscella hic texit sua. Ab hoc loco, sicut alias fere semper, sicut P. Diaconus plura quædam habet, quam Eutrop., ita auctor Miscellæ subinde plura addit Diacono, ut conferenti singulos patebit. Canis.
[k] A., *contra Parthos gesserunt. Qui*, etc.
[l] A., *rebellaverant. Verus Antoninus ad id profectus est. Qui Antiochiæ*, etc.
[m] A., post *revexit: Cum fratre eodemque socero triumphavit. Obiit*, etc.
[n] A.: *Venetia, cum de Concordia civitate Altinum proficisceretur, et cum fratre*, etc.

Digitized by Google

et cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Græci ἀπόπληξιν [a] vocant: *carminum maxime tragicorum studiosus, ingenii asperi, atque lascivi*, reverentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Cumque obiisset undecimo anno imperii, inter divos relatus est. Post eum *Marcus* Antoninus *Verus* remp. solus tenuit, quem mirari facilius quisquam quam laudare possit: a principio vitæ tranquillissimus, adeo ut ab infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore [b] putaverit, philosophiæ deditus Stoicæ. Ipse etiam non solum vitæ moribus, sed etiam eruditione philosophus, tantæ admirationis adhuc juvenis, ut eum successorem paraverit Adrianus relinquere; adoptato tamen Antonino Pio, [c] *generum* ei idcirco esse voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium, ad scientiam litterarum Græcarum [d] per *Sextum Cheronensem*, Plutarchi nepotem. Latinas autem litteras eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit, ad nullam insolentiam [e] elatus est. Imperii fastigio *liberaliter usus est, et promptissime*. Provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe feliciter res gestæ sunt. *Iste virtutum omnium cælestisque ingenii exstitit, ærumnisque publicis quasi defensor objectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe armis quies nunquam erat; perque omnem Orientem, Illyricum Italiamque bella fluebant. Terræmotus, non sine interitu civitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum acies in agris infestæ, prorsus ut prope nihil quo summis angoribus atteri mortales solent dici seu cogitari queat quod non illo imperante sævierit. Credo divinitus attributum, ut dum mundi lex, seu natura, aliquid hominibus incognitum gignit, rectorum consiliis tanquam medicinæ remediis, leniatur. Hic permisit viris clarioribus ut convivia eodem cultu quo ipse et similibus ministris exhiberent. His in diebus Parthici belli persecutionem Christianorum quarta jam post Neronem vice agi imperavit, quæ tam graves ejus præcepto exstitere, ut in Asia et Gallia multi sanctorum martyrio coronati sint.* Bellum unum ipse gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. Nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant. Sub hoc tantus casus pestilentiæ fuit, ut post victoriam Persicam, Romæ, ac per Italiam, provinciasque, maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ, languore defecerint. Ingenti ergo labore et moderatione cum apud Carnuntum jugi triennio perseverasset, Marcomannicum bellum confecit: [f] quod *cum his* Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque [g] omnis *pene Germania, gerebant; et in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumventusque ab hostibus, propter aquarum penuriam, cum tam sitis, quam hostis periculum sustineret, ad invocationem Christi nominis, quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palam fecerunt, tanta vis pluviæ effusa est, ut Romanos quidem largissime, ac sine injuria refecerit, barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam, et omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Igitur multa millia hominum interfecta*; ac Pannoniis servitio liberatis, [h] *Romæ rursus* cum Commodo Antonino filio suo, quem Cæsarem fecerat, triumphavit. Ad hujus belli sumptum, cum, ærario exhausto, largitiones, *quas militibus impenderet*, nullas haberet, neque indicere senatui aut provincialibus aliquid vellet, instrumentum regii cultus, facta in foro Trajani *diu* sectione, distraxit, vasa aurea, pocula crystallina, et murrina, uxoriam, ac suam sericam, et auream vestem, multa ornamenta gemmarum, ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretium restituit, qui reddere comparata voluerunt, molestus nulli fuit, qui maluit semel empta [i] retinere. *Hic* in editione [j] munerum adeo magnificus fuit, ut centum [k] *semel* leones exhibuisse tradatur. *Hujus tempore Cassius tyrannidem arripiens exstinctus est. Hic etiam præteriti temporis per omnes provincias tributa donavit, omniaque simul fiscalium negotiorum calumniosa monimenta conjecta in foro jussit incendi, severioresque leges novis constitutionibus temperavit. Per idem tempus Romæ pollebat Galenus optimus medicus, genere Pergamenus. Et Salvius Julianus Romæ leges promebat, et Fronto rhetor, et Aristides Smyrnæus sophista, Oppianusque poeta, et Atticus Platonicus philosophus Romæ erant.* Igitur, cum fortunatam remp. virtute et mansuetudine reddidisset, obiit *in Campania apud oppidum Vendobonam* duodevigesimo imperii anno, ætatis [l] sexagesimo primo. *De ejus morte nuntio Romam pervecto, confusa luctu publico Urbe, senatus in curiam veste tetra amictus convenit, et quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu præsumpsere, Marcum cœlo receptum esse, ob cujus honorem templa, columnæ, multaque alia decreta sunt.*

[a] A., *vocant. Vir ingenii parum civilis.*

[b] A., *mutaverit.*

[c] A., *genero ejus. Idcirco*, etc.

[d] A., *per Chersonensis Plut.*, etc.

[e] A.: *Elatus est imp. fastigio. Liberalitatis promptissimæ. Provincias*, etc.

[f] A., *quod Squadi.*

[g] A.: *omnis barbaria commovit, multa millia hominum interfecit, ac Pannoniis*, etc.

[h] A., *Romam reversus.*

[i] A.: *retinere. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu quo ipse et ministris similibus exhiberent. In editione*, etc.

[j] A., *munerum post victoriam adeo*, etc.

[k] A., *simul.*

[l] A., 61 *et ab omnibus certatim adnitentibus inter divos relatus est.*

Digitized by Google

## COMMODUS.

[a] Huic successit L. Aurelius Commodus filius ejus, qui et ipse Antoninus dictus, et ab Augusto decimus septimus imperator est creatus. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostendit. Namque cum in supremis moneretur a patre suo attritos jam barbaros, ne permitteret vires recipere, responderat : Ab incolumi quamvis paulatim [b] negotium perfici posse, a mortuo nihil. Iste nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter et ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed [c] luxuriæ et obscenitatis dedecore plurimo depravatus, gladiatoris quoque armis sæpissime in ludo depugnavit. Deinceps etiam in amphitheatro cum hujusmodi [d] hominibus, et cum feris decertavit. Interfecit etiam plurimos Senatores, maxime quos animadvertit nobilitate industriaque excellere flagitia regis, [e] inter quos etiam Salvium Julianum legislatorem occidit. Pœna Urbis insequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bibliothecam illam majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas, rapaci turbine concremavit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum, et ædem Vestæ, et palatium, plurimamque Urbis partem, solo æquavit. Huic Martia generis libertini uxor fuit, forma tamen meretriciisque artibus pollens, quæ cum animum ejus penitus devinxisset, egresso e balneo veneni poculum obtulit. Ad extremum ab immisso validissimo palæstrita compressis ejus faucibus, expiravit in domo Vestiliani, cum annis duodecim post patrem et octo mensibus imperasset, vitæque anno vigesimo secundo.

## PERTINAX.

Huic successit Helvius Pertinax, qui octavus decimus ab Augusto imperium adeptus est. Iste grandævus, et qui [f] septuagenariam attigisset ætatem, præfecturam Urbe tunc agens ex senatusconsulto, [g] coactus imperium repugnansque suscepit. Proinde tale cognomentum sortitus est. Octogesimo primo die imperii prætorianorum militum seditione, et Salvii Juliani [h] scelere, multis vulneribus obtruncatur. Hujus caput tota Urbe vectum est. Hoc exitu obiit, vir, ad humanæ conversationis exemplum, per laboris genera universa ad summos usque provectus honores, usque eo, ut Fortunæ vocaretur pila. Is origine ortus sordida, nam libertino genitus patre, apud Ligures in agro squalido Lollii Gentiani, cujus in præfectura quoque se clientem esse liberalissime fatebatur, fuit doctor litterarum, quæ a grammaticis traduntur. Blandus magis quam beneficus. Unde eum Græco nomine χρηστόλογον appellavere. Nunquam injuria accepta ad ulciscendum ductus. Amabat simplicitatem. Communem se affatu, convivio, incessu, præbebat. Huic mortuo divi nomen decretum est. Ob cujus laudem ingeminatis ad vocis usque defectum plausibus acclamatum est : Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus, Patri pio, Patri senatus, Patri omnium bonorum !

## DIDIUS JULIANUS.

Post eum Didius [i] Salvius Julianus ortu Mediolanensis, nonus decimus ab Augusto remp. invasit, vir nobilis, et jure peritissimus, nepos Salvii Juliani, qui sub divo [j] Antonino perpetuum composuit [k] edictum, factiosus, præceps, regni avidus. Hoc tempore Niger Pescenninus apud Antiochiam et [l] in Sabario Pannoniæ oppido Septimus Severus creantur Augusti. Ab hoc Severo Julianus victus est apud Milvium pontem bello civi i, et fugiens in palatio captus, et in abditas palatii balneas ductus, extenta damnatorum modo cervice decollatur, caputque ejus in rostris ponitur, post septem menses quam imperare cœperat.

## SEPT. SEVERUS.

Anno ab Urbe condita [m] 947, [n] Septimus Severus, vigesimus post Augustum, Romani imperii administrationem suscepit. Iste ex Africa oriundus, provincia Tripolitana, oppido Lepti fuit. [o] Solus omni memoria, et ante, et postea, ex Africa imperator fuit. Hic primum fisci advocatus fuit, mox militaris tribunus, per multa deinde et varia officia, atque honores, usque ad administrationem totius reip. [p] venit. Bella multa et feliciter gessit. [q] Pescenninum Nigrum, hominem omnium turpitudinum, qui in Ægypto et Syria rebellaverat, apud Cizicum interfecit : Parthos vicit, et Arabas interiores, et [r] Adiabenos. Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus, Arabicus, [s] Adiabenicus dictus est. Multa toto orbe Romano reparavit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Juliano, Cæsarem se in Gallia fecit, victusque apud Lugdunum, et interfectus est. Hic fuit bellicosissimus omnium qui ante eum fuere : acer ingenio, et ad omnia quæ intendisset usque in finem perseverans, benevolentia, quo inclinasset mirabili ac perpetua. Ad acquirendum diligens, ad largiendum liberalis, in amicos inimicosque vehemens pariter, quippe qui Lateranum Cilonem, [t] Anulinum Bassum,

[a] A. : Hujus successor L. Antoninus Commodus.

[b] Victor legit negotia.

[c] A., uxoria obscenitate.

[d] A. : Hominibus dimicavit. Obiit morte subita, adeo ut strangulatus, vel veneno interfectus putetur, cum annis XII post patrem, et VIII mensibus imperasset, tanta exsecratione omnium, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur.

[e] Locus transpositus restituendus ex Orosio. CANIS.

[f] Ita Euseb. Capitolin., et Victor sexagenariam.

[g] A., S. C. imperare jussus die 80 imperii.

[h] A., scelere occisus est.

[i] A., Sabinus.

[j] A., Adriano.

[k] A., post edictum : Victus a Severo apud Milvium pontem interfectus in palatio. Vixit mensibus septem postquam, etc.

[l] Victor, in Pannonia Sabatia.

[m] Orosio 944.

[n] A. legit : Hinc Sept. Severus Rom., etc.

[o] A., Solus omnium.

[p] A. : Venit. Pertinacem se appellari voluit in honorem ejus Pertinacis, qui a Juliano fuit occisus. Parcus admodum fuit, natura sævus. Multa, etc.

[q] A., Fescennium. Victor, Pescennium.

[r] A., Azabenos.

[s] Item, Azabenicus.

[t] Victor, Anulinum.

Digitized by Google

*cæterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus Parthorum, quæ dicuntur ac Laterani. Hic nulli in dominatu suo permisit honores venundari. Iste Judæos et Samaritas rebellare conantes ferro coercuit. Quinta post Neronem persecutione Christianos excruciavit, plurimique sanctorum per diversas provincias martyrio coronati sunt. Igitur* Severus, præter bellicam gloriam, etiam civilibus studiis clarus fuit, et litteris *Latinis* doctus, philosophiæ scientiam ad plenum adeptus, *Græcis sermonibus eruditus, punica eloquentia promptior.* Novissimum bellum in Britannia habuit, [a] *atque* receptas provincias omni securitate [b] *munivit. Itaque magnam fossam, firmissimumque* vallum, *crebris insuper turribus* per *centum et triginta duo* millia passuum a mari ad mare [c] deduxit. *Ibique apud Eboracum oppidum, cum membrorum omnium, maxime pedum dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibos gravis ac plurimæ carnis avidius invasit. Quos cum conficere non posset, cruditate pressus expiravit, anno imperii* 18, *menseque decimo, vitæ anno sexagesimo quinto, divusque* appellatus est. Nam filios duos successores reliquit, Bassianum, et Getam. Sed Bassiano Antonini nomen a senatu [d] *petiit* imponi.

## CARACALLA.

Itaque dictus est M. Aurelius Antoninus [e] Bassianus Caracalla, *patrique successit, Lugduni genitus. Hic Bassianus ex avi materni nomine dictus est. At cum e Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque Caracallas fecisset, coegissetque plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine hujuscemodi vestis, Caracalla cognominatus est. Hic fratrem suum Getam peremit, ob quam causam furore pœnas dedit, dirarum insectatione, quæ non immerito Ultrices vocantur, a quo post furore convaluit. Hic corpore Alexandri Macedonis conspecto, Magnum Alexandrum se jussit appellari, assentantium fallaciis eo usque perductus, ut truci fronte, et ad lævum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Iste* morum fere paternorum fuit, paulo asperior, et minax. Opus Romæ egregium fecit [f] *lavacri, quæ Antonianæ appellantur*, nihil præterea memorabile. Impatientis libidinis, qui novercam suam Juliam uxorem [g] duxerit. *Is dum moliens adversus Parthos expeditionem movisset, cum Carras iter faceret, apud Edissam in Osdroena secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est*, anno imperii sexto, mense secundo, vix [h] *vitæ* egressus quadragesimum tertium annum. *Corpus ejus* funere publico [i] *Romam relatum.*

## MACRINUS.

Deinde Opilius Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cum filio Diadumeno, *ab exercitu* imperatores creati, nihil memorabile ex temporis brevitate gesserunt. Nam imperium eorum duorum mensium et unius anni [j] fuit. *Ambo pariter ab eodem exercitu apud Archelaidem obtruncantur, pro eo quod Macrinus militarem luxuriam et stipendia profusiora comprimeret.*

## HELIOGABALUS.

*Anno ab urbe condita* 972 post hos creatus est Marcus Aurelius Antonius *Varius, vigesimus tertius ab Augusto imperator.* Hic Antonini Caracallæ [k] *ex Semea consobrina sua occulte stuprata filius.* Sacerdos autem Heliogabali templi erat. *Proinde Heliogabalus dictus. Hujus matris Semeæ avus Bassianus nomine fuerat, Solis sacerdos, quem Phœnices, unde erat, Heliogabalum nominabant, a quo iste Heliogabalus dictus est.* Is, cum Romam ingenti et militum et senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit, impudicissime et obscenissime vixit. *Cupiditatem stupri quam assequi naturæ defectu non poterat, in se convertens, Bassianam se, pro Bassiano jusserat appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio jungens suo, abscisisque genitalibus, Magnæ matri se sacravit. Hic Marcellum, qui post Alexander dictus est, consobrinum suum, Cæsarem fecit.* Biennioque post, et octo mensibus, *quam imperare cœperat, Romæ* tumultu militari interfectus est, *anno vitæ sexto decimo*, et cum eo mater [l] sua *misera. Hujus corpus per Urbis vias more canini cadaveris a militibus tractum est, militari cavillo appellantium indomitæ rabidæque libidinis catulam. Novissime cum angustum foramen cloacæ corpus minime reciperet, usque ad Tiberim deductum, adjecto pondere, ne unquam emergeret, in fluvium projectum est, atque ex his quæ acciderant Tiberinus Tractitius appellatus est.*

## ALEX. SEVERUS.

*Anno ab Urbe condita* 975 huic successit *in imperium vigesimus quartus ab Augusto* [m] *Aurelius Severus* Alexander, ab exercitu Cæsar, a senatu Augustus appellatus, juvenis admodum. Susceptoque adversus Persas bello, [n] Xerxen eorum regem gloriosissime vicit. Militarem disciplinam severissime rexit, quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Assessorem habuit, vel scriniorum magistrum, Ulpianum juris [o] conditorem. *Cujus mater Mammea Christiana Origenem presbyterum audire curavit. Bonus*

[a] A., *Utque.*

[b] A., *muniret vallum per* XXIIM *passuum*, etc.

[c] A.: *Deduxit. Decessit Eboraci admodum senex imp. anno* 16, *mense* 3, *et divus*, etc.

[d] A., *voluit.*

[e] A., *Bassianus, itemque Caracalla morum*, etc.

[f] A., *lavacrum, quod Antonianum appellatur.*

[g] A.: *Duxerit. Defunctus est in Osdroena apud Edessam moliens adversus Parthos expeditionem anno*, etc.

[h] A., *ætatis.*

[i] A., *elatus est.*

[j] A., *fuit. Seditione militari ambo pariter occisi sunt.*

[k] A., *filius putabatur.*

[l] A., *Suriasera.*

[m] A., *Aurelianus.*

[n] Lamprid., *Artaxercen.*

[o] A., *Conditorem. Romæ quoque favorabilis fuit. Periit in Gallia militari tumultu imp. anno* 13: *et dic*, etc.

Digitized by Google

*quoque reip. fuit, ærumnosus sibi. Hujus temporibus Taurinus in Oriente Augustus effectus, ob timorem ipse se Euphrate fluvio abjecit. Tunc etiam Julius Maximinus apud Gallias regnum arripuit, pluribus de exercitu corruptis. Alexander vero cum deseri se a stipatoribus apud Magontiam vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans, accurrente percussore, obvoluto capite, cervices manibus valde compressas præbuit, anno vitæ vigesimo sexto,* imperii decimo tertio, et die octavo. In Mammeam matrem suam unice pius *fuit, et ob id omnibus amabilis. Hæc eo filium coegerat, ut et illa ipsa permodica, si mensæ prandioque superessent, quamvis semesa, alteri convivio reponerentur.*

## MAXIMINUS.

Post hunc [a] *Julius Maximinus genere Thrax ad imperium accessit, vigesimus quintus ab Augusto, anno ab Urbe condita* 988. *Is primus ex corpore militari imperator factus,* sola militum voluntate, cum nulla senatus intercessisset auctoritas, neque ipse senator esset. Hic bello adversum Germanos feliciter [b] gesto, *dum pecuniosos persequitur, insontes pariter, noxiosque, apud Aquileiam* a Pupieno occisus est, deserentibus eum militibus suis, cum filio *Diadumeno nomine,* adhuc puero, cum quo imperaverat triennio, et paucis diebus, *cunctis militari joco conclamantibus: Ex pessimo genere ne catulum habendum. Iste persecutionem in Christianos sextus a Nerone exercuit. Hujus imperio duo Gordiani, pater et filius, principatum arripientes, unus post unum interierunt.*

## GORDIANUS.

[c] *Deinde Gordianus, nepos Gordiani ex filio, vigesimus sextus ab Augusto imperator creatus est, ortus Romæ clarissimo patre, qui,* consensu militum, cum proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante [d] *fuit princeps* electus. Itaque cum Romam venisset, Balbinus atque Pupienus [e] *fratres* interfecti sunt. Gordianus admodum puer, cum Tranquillinam Romæ duxisset uxorem, Jani Gemini portas aperuit, *quas utrum post Vespasianum et Titum apertas constet, neminem scripsisse memini.* Et ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui jam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, præliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longe a Romanis finibus *apud Ctesiphontem civitatem Persidis* interfectus est fraude Philippi *præfecti prætorii,* qui post eum imperavit, *accensis in seditionem militibus, anno vitæ vigesimo, imperii sexto.* Miles ei tumulum vigesimo milliario a [f] Circeso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædificavit, *nomenque loco dedit Sepulcrum Gordiani,* exsequias vero Romam revexit, ipsum divum appellavit. *Hujus temporibus Porphyrius Plotini Platonici philosophi auditor Romæ habetur, Theopompus philosophus apud Cheroniam et Nicanor Sophista apud Athenas pollebant.*

## PHILIPPUS.

[g] *Anno ab Urbe condita* 997, *M. Julius Philippus vigesimus septimus ab Augusto, una cum filio* [h] *Caio Julio Saturnino Philippo imperium invasit,* atque exercitu incolumi reducto ad Italiam, ex Syria profecti sunt. *Isti primi omnium imperatorum Christiani Romæ facti sunt, et in die Paschæ, id est, in ipsis vigiliis, cum interesse voluissent, et communicare mysteriis, a Fabiano episcopo Romano non prius est permissum, nisi confiteretur peccata sua, et inter pœnitentes staret, nec ullo modo copiam sibi mysteriorum futuram, nisi prius per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluisset. Fertur igitur libenter eum quod a sacerdote sibi imperatum fuerat suscepisse, divinum sibi inesse metum, et fidem religionis plenissimam, rebus atque operibus comprobans.* His *tertio anno* imperantibus, millesimus annus urbis Romæ ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronæ, *medio capite supra ordines dentium præciso;* junior Romæ, postquam annos quinque imperaverunt. Inter divos tamen relati sunt. Ex quibus junior Philippus duodecim annorum interfectus est, qui adeo severi *et tristis* animi fuit, ut *jam tunc a quinquenni ætate* nullo *prorsus* commento cujusquam ad ridendum solvi potuerit, patremque ludis sæcularibus petulantius cachinnantem, *quanquam adhuc tenere,* vultu aversato notaverit. *Is Philippus humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore.*

## DECIUS.

[i] *Anno ab Urbe condita* 1003, Decius e Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, *vigesimus Octavus ab Augusto, interfecto Philippo,* imperium [j] *invasit. Hic septimus post Neronem ad persequendos interficiendosque Christianos feralia dispersit edicta, plurimosque sanctorum ad coronas Christi de cruciatibus suis misit. Iste* bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit, Decium filium Cæsarem fecit. Romæ lavacrum [k] ædificavit *vir artibus, cunctisque virtutibus instructus, placidus et communis domi, in armis promptissimus. Hujus temporibus, cum plurimi Gothi Istrum fluvium transmeassent Romanorum civitates devastan-*

[a] Illis verbis incipit Eutrop., et P. Diaconus, lib. IX, et A. noster, qui habet *Maximinus ex consortio militari primus ad imp. accessit sola,* etc.

[b] A.: *Gesto, cum a militibus imp. esset appellatus, a Pupieno Aquileiæ occisus est, deferen,* etc.

[c] A.: *Postea tres simul fuerunt Augusti, Pupienus, Balbinus, et Gordianus, duo superiores obscurissimo genere. Gordianus nobilis quippe, cujus pater senior Gordianus consensu,* etc.

[d] A., *fuisset electus.*

[e] A: *In palatio interfecti sunt, soli Gordiano imp. reservatum. Gordianus,* etc.

[f] A., *Cirgesso.*

[g] A.: *Philippi duo, filius ac pater, Gordiano occiso, imp. invaserunt, atque exerc.,* etc.

[h] Victor, *Gallo.*

[i] A.: *Post hos Decius,* etc.

[j] A., *sumpsit.*

[k] A.: *Ædificavit. Cum biennio ipse et filius ejus imperassent, uterque in barbarico bello interfecti sunt e quibus senior gurgite,* etc.

Digitized by Google

*tes, Misam et Nicopolim capientes vastaverunt. Decius autem una cum filio illos bello aggressus, apud Abritum, qui locus Foroterebronii dicitur, triginta millibus barbarorum interfectis, de suis plurimis perditis maxime Thracibus, ipse quoque eodem bello inter confusas turbas* gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus potuerit [a] inveniri, *filiusque ejus bello exstinctus est, anno imperii secundo. Scythæ vero cum plurimis spoliis et captivis reversi sunt, desertam dimittentes Philippopolim civitatem Macedoniæ. Hujus temporibus Valens Licinianus imperator effectus illico occiditur.*

## GALLUS.

[b] Mox *exercitus imperatores creavit Virium Gallum, et filium Galli Volusianum. Horum temporibus Hostilianus Perpenna a senatu imperator creatus, nec multum post pestilentia consumptus est. Sub his etiam Æmilianus in Misia imperator effectus est. Contra quem imperatores ambo profecti, apud Interamniam bellum civile molientes, ab exercitu suo cæduntur, anno ætatis patris septimo circiter et quadragesimo, imperii anno secundo, creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. Isti* nihil omnino clarum gesserunt, sola pestilentia, et morbis, atque ægritudinibus [c] *noti, quod nulla fere provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atque vastata sit.*

## ÆMILIANUS

[d] Æmilianus *vero Maurus genere, obscurissime natus, obscurius imperavit. Siquidem avarus fuit, ac quarto mense damnatus apud Spoletium, sive pontem, quem ab ejus cæde Sanguinarium accepisse nomen ferunt, inter Otriculum Narniamque, Spoletium et urbem Romam regione media positum, exstinguitur anno vitæ quadragesimo septimo.*

## VALERIANUS.

[e] *Anno ab Urbe condita* 1008, Licinius Valerianus, *cognomento Colobius, tricesimus ab Augusto,* in Rhetia et Norico agens, ab exercitu imperator et mox Augustus est factus. Gallienus quoque *filius ejus* Romæ a senatu Cæsar est [f] appellatus. *Is parentibus est ortus splendidissimis, stolidus tamen, et multum iners, neque ad usum aliquem publici negotii consilio seu gestis accommodatus. Hic Cornelium Valerianum Gallieni filii sui filium Cæsarem fecit. Sub his etiam Germani Ravennam usque pervenerunt. His imperantibus Regilianus in Mœsia, Cassius Labienus Posthumus in Gallia, Gallieni filio interfecto, imperatores effecti sunt. Pari modo* [g] *Lolianus apud Moguntiacum in Ægypto Æmilianus, apud Macedonas Valens, Mediolani Aureolus invasere. Tunc Gothi rursus Istrum transeuntes, Thessalonicam urbem Illyrici vastaverunt, et prædis onustati ad propria remearunt. Tunc et Heruli quingentis navibus per Mæotidas paludes ad pontum navigantes, Byzantium et Chrysopolim ceperunt.* Valerianus *igitur* in Mesopotamia bellum gerens a Sapore Persarum rege superatus est: mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam quandiu vixit, rex ejusdem provinciæ, incurvato eo pedem cervicibus imponens, equum conscendere solitus erat. *Hic mox ut arripuit imperium octavus a Nerone adigi per tormenta Christianos ad idololatriam, abnegantesque interfici jussit, fuso per omnem Romani regni latitudinem sanctorum sanguine.*

## GALIENUS.

*Galienus igitur filius ejus in loco Cornelii filii sui Saloninum alterum filium subrogavit, amori diverso pellicum deditus, Saloninæ conjugis, et concubinæ, quam per pactionem, concessa parte superioris Pannoniæ, a patre Marcomannorum rege matrimonii specie susceperat,* [h] *Pipam nomine. Interea* Galienus, cum adolescens factus esset Augustus, [i] imperium feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam juvenis in Gallia et in Illyrico multa strenue fecit: occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumpserat, [j] *Regilliano,* diu placidus, et quietus, mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendæ reip. habenas probrosa ignavia et desperatione laxavit. Alemanni vastatis Galliis Italiam penetraverunt. Dacia, quæ a Trajano ultra Danubium fuerat adjecta, tum amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia vastata per Gothos: Pannonia a Sarmatis Quadisque depopulata est. Germani, usque ad Hispanias penetraverunt. Parthi, Mesopotamia occupata, Syriam sibi cœperunt vendicare. Jam desperatis rebus, et [k] deleto pene imperio Romano, Posthumus in Gallia obscurissime natus, purpuram sumpsit, et per annos decem ita imperavit, ut consumptas pene provincias ingenti virtute et moderatione reparaverit. Qui seditione militum interfectus est, quod Mogontiacum, quæ adversus eum rebellaverat *cum* Loliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eum Marius vilissimus opifex purpuram accepit, et secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus. Sed cum libidinis nimiæ esset, et matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occisus est, [l] actuario quodam dolum machinante, imperii sui anno se-

[a] A.: *Inveniri, digno damnatus judicio, qui persecutionem in Christianos movens, inter cæteros beatiss. Laurentium levitam et martyrem exstinxit.*

[b] A.: *Mox impp. creati sunt Gallus Hostilianus, et Galli filius Volusianus. Sub his Æmilianus in Mœsia res novas molitus est, ad quem opprimendum, cum ambo profecti essent, Interamne interfecti sunt, non completo biennio. Nihil,* etc.

[c] A., *notus eorum principatus fuit.*

[d] *Æmilianus obscurissime natus, obscurius imperavit, siquidem Maurus fuerat, ac tertio mense exstinctus est.*

[e] A.: *Hinc Licinius Valerianus in Rhetia,* etc

[f] A.: Appellatus. *Horum imperium Rom. nomini perniciosum, et pene exitiabile fuit, ita ut, vel infelicitate principum, vel ignavia, Germani Ravennam usque venirent. Valerianus,* etc.

[g] Victor, *Ælianus.*

[h] Pollio: *Piparam.*

[i] A., *imp. primum feliciter,* etc.

[j] A., *et Trebelliano diu,* etc.

[k] A., *deleto postmodum pene imp.,* etc.

[l] A., *Octoario.*

Digitized by Google

cundo. Huic successit Tetricus senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens a militibus imperator electus est, et apud Burdegalam purpuram sumpsit, seditiones multas militum pertulit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, in Oriente per [a] Odenatum Persæ victi sunt, defensa Syria, recepta Mesopotamia, usque ad Ctesiphontem Odenatus penetravit. Igitur Gallieno remp. deserente, Romanum imperium in Occidente per Posthumum, per Odenatum in Oriente servatum est. Gallienus [b] interea *adversus Aureolum profectus est, quem cum apud pontem, qui ex ejus nomine Aureolus appellatur, obtentum detrusumque Mediolanum obsedisset, ejusdem Aureoli ducis sui commento, una cum Valeriano fratre a suis occiditur. Regnavit annis quindecim, sex cum patre, novem solus. Vixit annos quinquaginta.*

## CLAUDIUS.

*Anno ab Urbe condita* 1024, Claudius *ab Augusto trigesimus primus*, ei successit electus a militibus, a senatu Augustus *est* appellatus. *Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adolescens a muliere matura institueretur ad uxorem. Hic Claudius Galieni morientis sententia imperator designatur, ad quem Ticini positum per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat.* Hic Gothos, *qui sub Decio dispersi* Illyricum [c] Macedoniamque *per quindecim annos vastaverant*, ingenti prælio *et incredibili strage delevit :* Parcus vir, ac modestus, et justitiæ tenax, ac reip. [d] *gerendæ* idoneus. *Exstinctoque a suis Aureolo, receptis legionibus*, adversus trecenta millia Alemannorum haud procul a lacu [e] Benaco dimicans, tantam [f] multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit. *Claudius vero, cum ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognovisset pestilentiæ in senatu primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc primus erat, se offerente, ipse vitam suam, haud responsa frustrari, dono reip. dedit.* Qui tamen intra imperii sui biennium, *apud Sirmium* morbo interiit, divusque [g] appellatus est : *præfatus neminem tanti ordinis primatem haberi quam imperatorem. Ea res sicut erat cunctis grata, non divinum vocabulum modo, sed ex auro quoque statuam prope ipsum Jovis simulacrum in Capitolio, atque in curia clypeum ipsi aureum, proceres sacravere.*

## QUINTILIUS.

Quintilius post eum, Claudii frater, consensu militum imperator electus est, unicæ moderationis vir, et civilitatis, æquandus fratri, vel præferendus, consensu senatus appellatus *est* Augustus, decimo septimo imperii die occisus est.

## AURELIANUS.

[h] *Anno ab Urbe condita* 1027, Aurelianus *trigesimus secundus ab Augusto imperator creatus est. Iste genitus patre mediocri, et, ut quidam ferunt, Aurelii clarissimi senatoris colono*, Dacia Riponsi, *quæ est inter Daciam et Macedoniam*, oriundus *fuit*, vir in bello potens, animi tamen immodici, et ad crudelitatem propensioris, quique Gothos *in Danubio* strenuissime vicit, *ditionemque Romanam antiquis terminis statuit. Iste* haud dissimilis fuit magno Alexandro, seu Cæsari dictatori. Nam [i] *Romanum orbem* triennio ab invasoribus receptavit, cum Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiam pervenerit, et C. Cæsar decennio subegerit Gallos, adversus cives quadriennio congressus. Iste in Italia tribus præliis victor fuit, apud Placentiam, et juxta amnem Metaurum, ac Fanum Fortunæ, postremo Ticinensibus campis. Hujus temporibus apud Dalmatas [j] *Septimius* imperator effectus, mox a suis obtruncatur. Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque et omni aurata veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est. Hic muris validioribus *et latioribus* Urbem sepsit, templum Solis ædificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Porcinæ carnis usum populo instituit. Superavit in Gallia Tetricum apud Catalaunos, ipso Tetrico prodente exercitum suum, cujus assiduas seditiones ferre non poterat. Quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia versu Virgiliano uteretur :

Eripe me his invicte malis.

Quem [k] *Aurelianus correctorem* Lucianæ provexit, aspergens hominem eleganti joco : Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare. Zenobiam quoque, occiso Odenato *marito*, qui Orientem tenebat, haud longe ab [l] Antiochia, *magis prælii terrore quam prælio cepit.* Ingressus Romam nobilem triumphum, quasi receptor Orientis Occidentisque egit, præcedentibus currum Tetrico et Zenobia. Hoc imperante etiam in Urbe monetarii rebellaverunt, vitiatis pecuniis et Felicissimo [m] *rationali* [n] interfecto. Quos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit, plurimos nobiles capite damnavit, sævus, et sanguinarius, ac necessarius magis [o] in quibusdam, *in nullo* amabilis imperator, trux omni tempore, etiam [p] *filio sororis interfecto*, disciplinæ tamen militaris et morum dissolutorum magna ex parte corrector. Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermisit, vastata omni Illyrico

[a] A., *Odenachum* semper vocat.

[b] A. : *Interea fraude Aureoli ducis sui, Mediolani cum fratre Valeriano occisus est, imperii anno* 9.

[c] A., *Macedoniamque vastantes ingenti prælio vicit.*

[d] A., *tenendæ.*

[e] A., *Benaco, in silva quæ Ligana dicitur dimicans*, etc.

[f] A., *multitudinem exercituum fudit*, etc.

[g] A. : *Appellatus est. Senatus eum ingenti honore decoravit, scilicet ut in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur.*

[h] A. : *Post eum Aurelianus suscepit imp.*

[i] A., *Romanam urbem.*

[j] A., *Septiminus.*

[k] A., *Claudius correptorem.*

[l] A., *Antiochia sine gravi prælio vicit.*

[m] A., *rationabili.*

[n] Vopiscus dicit : *auctore.*

[o] A., *quam in bello.*

[p] A., *filiorum interfector.*

Digitized by Google

et Mœsia, desperans eam posse retineri. Abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciæ in Mœsia media collocavit, appellavitque eam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit, et est dextera Danubio in mare fluenti, cum ante fuerit læva. *Iste cum persecutionem agi adversus Christianos nonus a Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pavore circumstantium ruit; ac non multo post in itinere* occiditur servi sui fraude, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius nomina pertulit annotata, falso manum ejus imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Itaque ut præveniretur, ab iisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Byzantium et Heracliam est, stratæ veteris locus Ceuophrurium appellatur. Mors tamen ejus inulta non fuit, meruit quoque inter divos referri. Imperavit annos quinque et menses sex.

### TACITUS.

Post hunc Tacitus *trigesimus tertius ab Augusto* imperium suscepit, vir egregie moratus, et reip. gerendæ idoneus; nihil tamen potuit ostendere. [a] *Intra sucentesimum enim imperii diem apud Tarsum febre moritur.*

### FLORIANUS.

Florianus, qui Tacito successerat, duobus mensibus et diebus viginti in imperio [b] fuit. *Sed cum magna pars exercitus equitum Probum militiæ peritum legisset, Florianus quasi per ludum imperio usus, incisis a semetipso venis, effuso sanguine consumptus est.*

### PROBUS.

[c] *Anno ab Urbe condita* 1033, Probus *trigesimus quintus ab Augusto imperium adeptus est. Hic genitus patre agresti, hortorum studioso, Dalmatio* [d] *nomine* gloria militari ad administrationem reip. accessit, Gallias a barbaris occupatas ingenti præliorum felicitate [e] restituit. *Bella deinde civilia, et quidem plurimo sanguine, duo gessit contra quosdam imperatores ab exercitu creatos. Unum in Oriente adversus Saturninum, alterum adversus* Proculum et Bonosum Agrippinæ, *quos magnis* certaminibus oppressit. Vineas Gallos et Pannonios habere permisit; opere militari Almam montem apud Sirmium, et Aureum apud Mœsiam superiorem, vineis conseruit, et provincialibus colendos dedit. Hic cum bella innumera gessisset, pace reparata, dixit brevi milites necessarios non futuros, vir acer, strenuus, justus, et qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum autem civilitate superaret, interfectus tamen est Sirmio, tumultu militum, in turri ferrata. Imperavit annos sex et menses quatuor.

### CARUS.

[f] *Anno ab Urbe condita* 1040, Carus Narbonæ natus in Gallia, *trigesimus sextus ab Augusto imperavit.* Iste confestim Carinum et Numerianum filios Cæsares fecit, cum quibus regnavit annis duobus. Sed dum bellum adversus Sarmatas gerit, nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus *est. Qui cum Antiochiæ degeret, Numerianus filius ejus voluit intrare in ecclesiam, explorare mysteria Christianorum. At vero sanctus Babylas prohibuit eum dicens: Non licet tibi videre divina Christianorum mysteria, cum sis pollutus idolicis sacrificiis. Qui indignatus occidit eum. Hic* contra Persas res nobiles gessit, ipsos prælio vicit, [g] *Seleuciam* et Ctesiphontem urbes [h] *nobilissimas* cepit. Et cum castra super Tigridem haberet, vi divini fulminis periit. Numerianus quoque filius ejus, quem secum Cæsarem duxerat ad Persas, adolescens egregiæ indolis, cum oculorum dolore correptus in [i] *lectulo* veheretur, impulsore Apro, qui socer ejus *fuerat*, per insidias occisus est. Et cum dolo occultaretur ipsius mors, quousque Aper invadere posset imperium, fetore cadaveris *scelus est* [j] *proditum.* Milites enim, qui eum sequebantur, putore commoti, deductis lecticulæ palliis, post aliquot dies mortem ejus notam habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæsarem ad Parthos proficiscens Carus in Italia, Illyrico et Gallia reliquerat, *Sabinum Julianum imperium invadentem, in campis Veronensibus occidit*, omnibusque se sceleribus inquinavit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit. Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio [k] *versuta fatigatione* taxaverant, perniciosus fuit atque omnibus bonis invisus. Non multo [l] post *interficitur, præcipue ejus tribuni dextera, cujus dicebatur conjugem polluisse.* Nam de Perside victor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Cæsarem insidiis perdidisset, Diocletianum imperatorem creavit.

### DIOCLETIANUS.

*Anno ab Urbe condita* 1042, *Diocletianus trigesimus septimus ab Augusto imperator creatus*, Dalmatia [m] *oriundus*, vir obscurissime *natus*, adeo ut a plerisque scribæ filius, a nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur, *matre, oppido pariter atque nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles est appellatus. Ubi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem convertit.* Is primum militi in concione juravit Numerianum nullo suo dolo interfectum, et cum juxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus, manu Diocletiani percussus est gladio. Postea Carinum, *quem Carus Cæsarem in Illyrico reliquerat*, omnium odio, et [n] *ex-*

[a] A., *intra mensem 6 imperii morte præventus.*
[b] A., *fuit, neque quidquam dignum memoria egit.*
[c] A.: *Post hunc Probus vir illustris gloria*, etc.
[d] Victor, *sanguine.*
[e] A.: *Restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in Oriente, Proculum*, etc.
[f] A.: *Post hunc Carus est factus Aug. Narbonæ.*
[g] A. *Sokonem.* al., *Sohenem.* Oros. Cochen. C. M.. Fabri, *Sokænen.*
[h] A., *notissimas.*
[i] Victor, *lecticula.* A. item.
[j] A., *est prodita.*
[k] Victor, *verbi.* Ita et A.
[l] A., *post pœnas dedit.*
[m] A., *oriundum, virum obcuriss. natum.*
[n] A., *detestatione.*

Digitized by Google

*errratione* viventem, apud [a] *Murgum* ingenti prælio A vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat, certe desertum inter Viminatium et Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum Rusticani in Gallia concitavissent, et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum, et Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit, qui levibus præliis agrestes domuit, et partem Galliæ reformavit. Per hæc etiam tempora Carausius, qui vilissime natus, [b] serenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ et Armoricæ pacandum *Oceanum* mare accepisset, quod Franci, et Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra, aut provincialibus reddita, aut imperatoribus missa, *sed sibi* B *soli vendicata*, cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, et Britannias occupavit. Ita, cum per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, Carausius in Britannia [c], Achilleus in Ægypto, *Julianus in Italia imperatores effecti, diverso exitu perierunt. E quibus Julianus, adacto per costas pugione, in ignem se abjecit. Narseus rex Persarum Orientem debellabat.* Africam Quinquegentiani [d] *infestabant.* Diocletianus *mox Aurelium* Maximianum *cognomento* Herculium ex Cæsare fecit Augustum. Constantium et Galerium *Maximianum cognomento Armentarium* Cæsares *creavit.* Quorum Constantius C per filiam nepos Claudii *imperatoris* [e] traditur, *Maximianum Galerium etiam affinitate conjunxerat.* Constantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit. Galerius [f] *fidam* Diocletiani Valeriam *accepit uxorem.* Ambo [g] uxores *prius habuerant, sed eos repudiare compulit.* Cum *a* Carausio, tamen bella [h] *frustrata* essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit. Eum post septennium socius Adlectus suus occidit, atque ipse post eum Britannias triennio habuit, qui [i] *dolo* Asclepiodoei præfecti prætorio oppressus est. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idem tempus a Constantio Cæsare in Gallia bene pugnatum est circa Lingonas. Die una adversam et secundam fortunam expertus est. Nam D cum repente barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate, ut clausis portis [j] *in* murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis, adventante exercitu, LX fere millia Alemannorum occidit. Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis et ad pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexandriæ Achilleum nono mense superavit, eumque interfecit. Victoria acerbe usus est, totam Ægyptum gravibus proscriptionibus cædibusque fœdavit. Ea tamen occasione ordinavit proinde multa, et disposuit, quæ ad nostram ætatem manent. *Erat autem cum ipso et Constantinus filius Constantii. Qui cum adhuc valde juvenis esset, fortiter agebat in præliis, et cum Christianis sentiebat. Quem* [k] *indutuens Diocletianus intellectu animæ, et corporis robore, atque ingenio circa eruditionem proficere, et deprehendens hunc futurum tyrannidis et ejus dogmatis destructorem, invidia ductus, dolo perimere satagebat. Deus autem hunc inopinate salvavit, et patri restituit. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari ecclesias, affligi interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus fere actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Sequitur terræmotus in Syria, ex quo apud Tyrum et Sidonem passim labentibus tectis multa millia hominum prostrata sunt.* Galerius Maximianus primum adversus Narseum prælium secundum habuit, *inde* inter Gallinicum, Carrasque congressus, cum inconsulte magis quam ignave dimicasset (admodum enim parva manu cum copiosissimo hoste commisit) pulsus, et ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia a Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot millia passuum purpuratus tradatur ante vehiculum *ejus* cucurrisse. Mox tamen per Illyricum Mœsiamque contractis copiis, rursus cum Narseo Hormisdæ et Saporis avo in Armenia [l] *Minore* pugnavit successu ingenti, nec minore consilio simul et fortitudine, quippe qui etiam speculatoris munus cum altero et tertio equite susceperit. Pulso Narseo, castra ejus diripuit, uxores, sorores liberos cepit, infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem *abduxit*, gazam Persicam copiosissimam, ipsum [m] in *ultimis regem in* solitudines egit. Quare ad Diocletianum in Mesopotamia cum præsidiis tum morantem ovans regressus, ingenti honore susceptus est. Varia deinceps, et simul, et viritim bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis. Quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt. Diocletianus morigeratus callide fuit, sagax præterea, et admodum subtilis ingenio, et qui severitatem suam aliena invidia vellet [n] *obtegere*, diligentissimus tamen et solertissimus princeps, et si imperio Romano primus regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexerat, adorarique se jussit, cum ante eum cuncti *imperatores ut judices* salu-

[a] A., *Margum.* Vopiscus, *Martium.*
[b] Ms. Francisci Pithœi, *Severæ.*
[c] A., *rebellaret.*
[d] A., *infestarent. Narseus Orienti bellum inferret.*
[e] A. : *Traditur, Maximiani Galerius, qui ut etiam affinitate conjungeretur. Constantius*, etc.
[f] A.; *filius.*
[g] A., uxores, *quas habuerant repudiare compulsi.*
[h] A., *cum bella frustra tentata essent.*
[i] A., *ductu.*
[j] A., *per.*
[k] In Edit. Canis., *indutuens*, forte legendum *intuens* vel *inde autumans.*
[l] A., *Majori.*
[m] A., *in ultimi regni solitud.*, etc.
[n] A., *explere.*

Digitized by Google

tarentur. Ornamentum gemmarum vestibus calceamentisque indidit. Nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliquaque communia. Herculius autem propalam ferus, et incivilis, ingenii asperitatem vultus horrore significans. Hic naturæ suæ [a] *indulgens*, Diocletiano in omnibus etiam severioribus consiliis obsecutus est. Cum tamen ingravescente ævo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in vitam privatam concederent, et stationem reipublicæ tuendæ viridioribus junioribusque mandarent. Cui ægre collega obtemperavit, tamen uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus *egerant*, pompa [b] *ferculorum* illustri, qua Narsei conjuges, sororesque et liberi, ante currum ducti sunt. Concesserunt tamen, Salonam unus, alter in Lucaniam. Diocletianus privatus in villa quæ haud procul a Salonis est præclaro otio A senuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: Utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum judicaretis. Vixit annos sexaginta octo, e quibus *post imperium in* communi habitu prope novem *egit*. Morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem voluntaria. Quippe, cum a [c] *Constantino* atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam quo minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur, Maxentio favisse, ac Maximiano favere, suspectans necem dedecorosam, dicitur venenum hausisse, inusitata virtute usus, ut solus omnium post conditum Romanorum imperium B ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei quod nulli post natos homines, ut cum privatus obiisset, inter divos tamen referretur.

[a] A., *indigens*.
[b] A., pro *ferculorum*, *fecerunt*.
[c] A., *Constantio*.

# LIBER UNDECIMUS.

## CONSTANTINUS ET GALERIUS.

[a] His igitur obeuntibus, in administrationem reip. [b] *Constantinus* et Galerius Augusti creati sunt, divisusque est [c] inter eos Romanus orbis, ut Gallias, Italiam, Africam Constantius, Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus, *Severo per Italiam, Maximo Galerii sororis filio per Orientem. Eodemque tempore Constantinus Cæsar efficitur.* Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ sollicitudinem recusavit, vir egregius et præstantissimæ civilitatis, divitiis provincialium ac privatorum studens, fisci commoda non admodum affectans, dicensque melius publicas opes privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari. Adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum ei argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed venerabilis fuit. Gallis etiam præcipue, quod Diocletiani suspectam prudentiam et Maximiani sanguinariam temeritatem, imperio ejus evaserant. Obiit in Britannia Eboraci, principatus anno 13, atque inter divos relatus est. Galerius vir, et probe moratus, et egregius in re militari, cum Italiam quoque, sinente Constantio, administrationi suæ accessisse sentiret, [d] Maximum *Cæsarem in Orientem direxit, et Severum in Italia reliquit.* Ipse in Illyrico moratus est.

## CONSTANTINUS.

*Anno ab Urbe condita* 1061, Constantio mortuo, Constantinus ex obscuriore matrimonio ejus filius, in Britannia *trigesimus octavus ab Augusto* imperator C creatus est, et *sexto Kalendas Augusti* in locum patris exoptatissimus moderator accessit. *Hic dum juvenculus a Galerio in urbe Roma religionis specie vice obsidis teneretur, fugam arripiens, atque ad frustrandos insequentes publica jumenta, quaqua iter egerat interficiens, ad patrem in Britanniam pervenit. Et forte eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ultima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui circa eum erant annitentibus, sed præcipue Alamannorum rege* [e] *Eroco auxilii gratia cum Constantino comitato, imperium capit. Hic sororem suam Constantiam Licinio Mediolano accito conjungit, filiumque suum Crispum nomine, ex Minerva concubina susceptum, idem Constantinus eisdem diebus natum oppido Arelatensi, Licinianumque Licinii filium mensium fere viginti Cæsarem* D *fecit.*

## MAXENTIUS.

Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, Maxentium Herculii filium, qui in villa publica [f] morabatur, *sex millibus ab Urbe discreta itinere Lavicano*, Augustum nuncupaverunt. Quo nuntio Maximianus Herculius ad spem arrectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens. Diocletianum quoque etiam per litteras

[a] Ita incipit Eutropius et P. Diaconus librum decimum, qui Eutropii ultimus est.
[b] A., *item Constantius*.
[c] A., *inter eos ita Rom.*, etc.
[d] A., *Maximianum, quem Orienti præfecit, et Severum, cui Italiam dedit, ipse*, etc.
[e] Ms. *Croco*.
[f] A., *haud procul ab Urbe*.

Digitized by Google

adhortatus est, ut [a] depositas resumeret potestates, quas ille irritas habuit. Sed adversum motum prætorianorum atque Maxentii Severus Cæsar missus Romam a Galerio, cum exercitu venit, obsidensque Urbem, militum suorum scelere [b] desertus, *ab Herculio ad Tres Tabernas exstinguitur, funusque ejus Gallieni sepulcro infertur, quod ab Urbe abest per viam Appiam millibus novem. Post hæc Herculius Maximianus solatio exercituum, filium Maxentium imperio nudare conatus, seditionem et convicia militum tulit.* Auctæ Maxentio opes, [c] confirmatum *est* imperium. *Herculius* ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam a filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur, moliens tamen Constantinum reperta occasione interficere, qui in Galliis, et militum, et provincialium ingenti jam [d] *favore* regnabat, cæsis Francis, atque Alemannis, captisque eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit. Detectis igitur insidiis per [e] Faustam, quæ dolum viro nuntiaverat, profugit Herculius, Massiliæque *a Constantino* oppressus est. Ex ea enim navigare ad filium præparabat, *sed a Constantino captus* pœnas [f] dedit, *mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus*, vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivis, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers, *stolidus, ortu agresti, Pannonioque, nam etiam nunc haud longe Sirmio eminet locus, palatio ab eo ibidem constructo, ubi parentes ejus exercebant opera mercenaria. Interiit ætate sexaginta annorum, viginti imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, et Faustam conjugem Constantini, cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam.*

## LICINIUS.

Per hoc tempus a Galerio Licinius imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, et in bello, quod adversum Narseum gesserat, strenuus laboribus, et officiis [g] *acceptus. Interea Galerius persecutionem, quæ a Diocletiano et Maximiano in Christianos fuerat missa, ipse atrocioribus edictis accumulavit. Ac postquam per annos decem omni genere hominum provincias exhausit, putrefacto introrsum pectore, et vitalibus dissolutis, cum ultra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, medicique jam ultra fetorem non ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, a quodam medico constantiam ex desperatione sumente increpitus, iram Dei esse pœnam suam, atque ideo a medicis non posse curari, edictis late missis, Christianos de exsilio revocavit, ipse autem cruciatus non sustinens, finem vitæ suæ attulit. Fuit, licet inculta agrestique justitia satis laudabilis, pulcher corpore, eximius et felix bellator, ortus parentibus agrariis, pastor armentorum, unde ei cognomen Armentarius fuit, ortus Dacia Ripensi, ibique sepultus est, quem locum Romulianam ex vocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est matrem, more Olympiadis Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse. Interea* respub. tum a novis quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino, Maxentio, filiis Augustorum, Licinio, Maximino, novis hominibus. Quinto tamen imperii sui anno Constantinus bellum adversus Maxentium civile commovit [h], *pro eo, quia senatorum, et maxime nobilium, matronas publice abstrahi atque ad suam libidinem deduci imperabat, et post contaminationem viris suis reddi jubebat, non tam expleta adulterii libidine quam immutata. Tantus vero metus Patres plebemque oppresserat, uti nec hoc ipsum quidem, quod in metu erant, palam ostendere auderent. Sed ferebant insuetam servitutem gementes, et aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur, cum ille non jam ira, sed libidine cædis, agitaretur. Denique quadam die imperabat militibus suis exire per plateas totius urbis, et omnes qui occurrissent, cujuscunque ætatis, et cujuslibet sexus, gladiis cæderent. Innumeræque multitudines populi Romani, non hostium, sed civium telis dejectæ sunt. Senatores vero, et hi maxime qui vel honoribus, vel opibus, clariores in curia videbantur, confictis criminibus, tanquam rei puniti proscriptique sunt. Magicæ quoque artis industriam summis studiis excolebat, ad quæ ministeria explenda perquirebantur mulieres nobiles gravidæ, et adhibitæ mediæ scindebantur, rapiebantur et parvuli infantes, eorumque exta visceribus revulsa perscrutabantur. Jugulabantur et leones, et nefandis quibusdam commentis, ac precaminibus dæmonica arte compositis, bella per hæc dicebantur arcere, et credebantur jus sceptri regni per nefas posse servare. His vero malis omnibus etiam illud additur, quod illi qui per cæteras urbes vel agros fuerant tyrannica crudelitate deterriti, dum sibi nihil ad vitam tutum putant, relictis agris, per loca abdita latebris eunt, omnique studio arandi serendique cessante, tanta fames urbem atque omnia loca invaserat, ut nihil reliqui ad vitæ subsidium fieret. Constantinus igitur ejus copias multis præliis fudit, tamen propter magicas artes eum valde metuebat. Cumque in hæsitatione multa consisteret, multaque secum de imminentis belli necessitate pervolvens iter ageret, atque ad cœlum sæpius oculos levaret, et inde sibi auxilium divinum precaretur, vidit per soporem ad Orientem partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare. Cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu, astare sibi videt angelos dicentes :* ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *Constantine ; quod est : In hoc vince. Fertur autem et ipsum Christum apparuisse*

[a] A., *depositam potestatem.*

[b] A., *desertus est. Auctæ*, etc.

[c] A. : *Confirmatumque imp. Severus fugiens Ravennæ interfectus est. Herculius tamen Maximianus post hæc in concione exercituum filium Maxentium enudare conatus, seditionem et convicia militum tulit. Inde ad Gallias*, etc.

[d] A., *pavore.*

[e] A., *Faustam filiam.*

[f] A., *dedit justissimo exitu. Vir*, etc.

[g] A. : *Acceptus. Mors Galerium confestim secuta est. Ita Resp.*, etc.

[h] A. : *Commovit ; copias ejus multis præliis fudit, ipsum postremo Romæ adversus nobiles omnibus exitiis sævientem apud pontem Milvium vicit, Italiaque est potitus. Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis auspicio, gratissimi partus cœpti a puero. Non multo deinceps*, etc.



Digitized by Google

A *ei, et signum monstrasse crucis, ac præcepisse ut figuram similem faceret, et in præliis hoc auxilium haberet, quo victoriæ jura conquireret. Eusebius itaque Pamphilus jurejurando ipso imperante dicente audisse se refert, quia circa meridiem, declinante jam sole, crucis signum ex lumine factum, et scripturam consertam ei dicentem : In hoc vince; vidisset ipse, et milites, qui cum eo tunc essent. Pergenti namque cum aliquo exercitu pariter in loco, hoc, inquit, ei miraculum ostensum. Dumque cogitaret quid esset, nox supervenit, et dormienti Christus cum signo, quod vidit in cœlo apparuit, jussitque ut fieret ejus signi figuratio, quæ foret auxilium in congressionibus præliorum. Tum vero lætus redditus, et de victoria jam securus, signum crucis quod in cælo viderat in militaria vexilla transformat,* B *ac* [a] *labarum, quem dicunt, ex auro et lapidibus pretiosis in speciem crucis dominicæ. Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius, eo quod imperatorem præcederet, et adorari id a militibus moris esset. Unde præcipue Constantinum reor nobilissimum decus imperii Romani in signum mutasse crucis, ut frequenti visione atque cura desuescerent a priore more subjecti, et eum solum arbitrarentur Deum, quem coleret imperator, vel quo duce atque auxiliatore veheretur adversum hostes. Semper enim hoc signum proponebatur ante ordines universos, quod maxime laborantibus aciebus in præliis adesse præcipiebat. Constituit itaque certos signiferos, qui in eo laborarent, quorum opus erat ut vicibus humeris cum veherent, et omnes acies ita lustrarent. Fertur enim quod aliquando quidam* C *ferens hoc signum repente hostibus invadentibus expavisset, dedissetque alteri devehendum. Cumque se de prælio subtraxisset, et jacula declinasset, subito percussus interiit. Ille vero qui sacrum suscepit tropæum, multis se jaculantibus permansit illæsus. Mirabiliter enim divina regente virtute, sagittæ hostium figebantur in signo, a signifero aut m inter pericula protinus evolvebantur. Dicitur autem neque alium unquam hujusmodi ministrum, ut solet in bello, vulnere mortuum, aut cladem captivitatis perpessum. Igitur, cum jam Constantinus haud procul a ponte Milvio castra posuisset, subito Maxentius agitur in occursum, et proruens urbis Romæ sequi se reliquum exercitum jubet, prior ipse præcurrit armatus. Jusserat autem navibus ad decipulam compositis fluvium sterni, et superpositis* D *pontibus exæquari. Tunc Constantinus crucem auream, quam formaverat, ante se jussit portare, factaque congressione superati sunt, qui circa Maxentium fuerant, plurimis ex his interemptis. Maxentius autem fugiens, paulo superius a ponte Milvio, in pontem navigiis compositum a latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est, voratumque limo pondere thoracis corpus vix repertum. Erat is annus imperii Constantini septimus. Inter hæc Diocletianus Salonæ defunctus est. Fertur autem Maxentium suppositum arte muliebri, tenere mariti animum laborantis, auspicio gratissimi partus cœpti a puero* (sic). *Is Maxentius nulli unquam charus fuit, nec patri, aut socero quidem Galerio. Interea cives Romani, qui Constantinum poposcerant, ut in eorum exsurgeret adjutorium, a maligni Maxentii tyrannide liberati, civitatem coronant, et cum gaudio victorem Constantinum una cum vivifica cruce suscipiunt, et Deum collaudantes, necnon et per septem dies adorantes, et Constantinum victorem laudibus magnificantes.*

## MAXIMINUS.

Non multo *post* deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximinus *Cæsar* res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum *Ciliciæ et simplici* morte [b] prævenit. *Hic sorore Armentarii progenitus, veroque nomine ante imperium Daza dictus, post imperium Galerius Maximinus appellabatur. Cæsar quadriennio dehinc per Orientem Augustus triennio fuit, ortu quidem atque instituto pastorali, verum sapientissimi cujusque, ac litterarum cultor, ingenio quieto, avidior vini, quo ebrius quædam corrupta mente aspera jubebat, quod cum pigeret factum, differri quæ præcepisset in tempus sobrium ac matutinum statuit.*

## VALENS.

*Valens interea in Oriente ab exercitu imperator appellatus, ab eodem Licinio morte mulctatur.*

## ALEXANDER.

*Deinde Alexander, qui apud Carthaginem imperator est factus, a Constantini exercitu jugulatur. Iste fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior adversus laborem vitio senectæ ætatis. Igitur Constantinus decimo quarto imperii sui anno totius Romani imperii Monocrator effectus, omnem curam transtulit ad divina, ecclesias erigens, et liberaliter has ex ratione publica ditans. Iste primam legem scripsit, idolorum templa his tradi, qui Christo sunt deputati, cum eo sane leges proferebat Crispus filius ejus; secundam vero, Christianos solos militare, gentibusque ac exercitibus principari; tertiam, duas paschales hebdomadas, unam scilicet ante, et alteram post Resurrectionem, sine labore cujusquam operis celebrandas. His ita gestis, pax profunda et tranquillitas obtinuit orbem, et exsultatio fidelis, concurrentibus assidue omnibus nationibus ad fidem Christi, et baptizatis, ac patria conquassantibus simulacra. Verum enim vero, ut imperia difficile concordiam custodiunt, Constantinus vir ingens, et omnia efficere nitens quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quanquam necessitudo et affinitas cum eo esset, ac primo eum in Pannonia vicit, secundo apud Cibalas juxta paludem Hiulcam nomine, Constantino castra Licinii nocte irrumpente, Licinius fugam petiit, Byzantiumque fuga voluceri pervenit, ubi Martinianum officiorum magistrum Cæsarem creat. Constantinus omni* Dardania, Mœsia,

[a] Ms., *lebarum.*

[b] A. : *Prævenit. Constantinus tamen vir ingens, et omnia efficere nitens quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quanquam necessitudo et affinitas cum eo esset, nam soror Constantia nupta Licinio erat, ac primo eum in Pannonia, secundo ingenti apparatu bellum apud Cibalias instruentem repentinus oppressit, omnique Dardania,* etc.

Digitized by Google

Macedonia potitus, numerosas provincias occupavit. Varia deinde inter eos bella, et pax reconciliata [a] ruptaque est. *Denique Licinius denuo pugnaturus contra Constantinum, spem victoriæ habebat per divinationes et sacrificia. Denique etiam Græci dicunt tunc eum expertum divinationem Delphici Geminique Apollinis, eique consulenti de bello respondisse fertur dæmonium: O senex, valde te juvenes pugnatores observant, tuaque vita soluta est, sævaque senectus te excipiet. Interea Constantinus acie potior, Licinium navali, et terrestri prælio vicit, et eum apud Nicomediam Bithiniæ urbem indumentum regium deferentem in deditionem cepit, et contra sacramenti religionem Thessalonicæ in custodiam missum, privatum una cum Martiniano jussit occidi, metuens, Herculii Maximiani soceri sui exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reip. sumeret.* Hic Licinius annum dominationis fere post decimum quartum, vitæ proxime sexagesimum, occiditur: avaritiæ omnium cupidine pessimus, neque alienus a luxu venereo, asper admodum, haud mediocriter impatiens, infestus litteris, quas per inscientiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam. Agraribus plane, ac rusticantibus, quod ab eo genere [b] ortus *esset et altus*, satis utilis, ac militiæ custos ad veterum instituta severissimus. Spadonum et aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricesque palatii eos appellans. *Eodem* tempore res Romana sub uno Augusto, et tribus Cæsaribus, quod nunquam alias fuit, cum liberi Constantini Galliæ, Orienti Italiæque præessent. Verum insolentia rerum [c] *secularium* aliquantum [d] Constantinum ex illa favorabilis animi docibilitate *mutavit*. Primum necessitudines persecutus, egregium virum, *et bonæ* indolis juvenem, sororis filium, [e] *Commodum* interfecit; mox *Crispum, Fausta conjuge, ut putant, suggerente, necari jubet, dehinc uxorem suam Faustam in balneas ardentes conjectam interemit, cum eum dolore nimio nepotis, mater Helena increparet,* post numerosos *interfecit* amicos, vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruere, militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bellis prospera fuit, verum ita ut non superaret industriam. Nam etiam Gothos, *fortissimas gentes et copiosissimas*, post civile bellum, *in illo* [f] *barbaricissimo solo, hoc est, in Sarmatarum regione*, varie profligavit, pace his ad postremum data, ingentemque apud Barbaras gentes memoriæ gratiam [g] collocavit. *Calocerum quemdam in Cypro aspirantem novis rebus oppressit. Tricennalibus suis Dalmatium fratris sui Dalmatii filium Cæsarem legit. Fuit vero ultra quam æstimari potest laudis avidus. Hic Trajanum herbam parietariam ob titulos multis ædibus inscriptos appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit, habitum regium gemmis, et caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen multis rebus fuit, calumnias sedare legibus severissimis, civiles nutrire artes, præcipue studia litterarum, legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, et querimonias provinciarum,* affectator justi amoris, quem omni sibi et liberalitate et docilitate quæsivit, sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius, nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret. Multas leges [h] *erogavit*, quasdam ex bono, et æquo, plerasque superfluas, nonnullas severas. Primusque urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romæ æmulam faceret. *Nam cum ei omnia prospere cederent, propriam voluit habere civitatem. Veniensque ad campum ante Ilium positum juxta Hellespontum super* [i] *Ajacis tumulum, ubi Achivi contra Trojam pugnantes habuerunt castra, civitatem designavit, portasque fecit, quæ hactenus videntur a navigantibus. Hæc agenti per noctem Deus apparuit, monens ut alium quæreret locum, eumque monens pergere ad Byzantium Thraciæ, illic eum habitare jussit. Quam, cum primitus Byzantium vocaretur, auxit, et maximo circumdedit muro, et diversis ornatam fabricis, æquam imperiali Romæ constituit, et denominatam Constantinopolim appellari secundam Romam lege firmavit, sicuti lex ipsa in marmorea platoma noscitur esse conscripta, et juxta equestrem statuam ejus in Strategio est constituta. Eaque summa liberalitate data, in illustribus domibus eos qui ab urbe Roma erant viros rationabiles collocavit, et ex aliis locis secundum genus eligens, et domos magnas eis distribuens, ut habitaretur civitas, egit. Tunc etiam templum sanctæ Sophiæ, et sanctæ Irenæ, et apostolorum, et sancti Motii, et archangeli, Dei amicus princeps ædificavit. Tunc funditus templo Asclepii penes Ægas, et Veneris in Affacis situ destructo, multisque aliis eversis, horum reditus donavit Ecclesiis. Simulacra namque ornata, publice in Constantinopolitana urbe proposuit, et tripodas Delphicos in circo ad spectaculum dedit, quæ cum ipso videantur aspectu, superfluere feruntur. Tunc multæ gentes ad baptismum accesserunt miraculis actæ, quæ patrata sunt a captivis sacerdotibus, qui fuerant sub Gallieno captivati. Interea mater imperatoris, Helena nomine, in somnis admonita Jerosolymam properavit, et sepulcrum Christi, quod licet difficile, tamen invenit sordibus coopertum, et desuper templum Veneris ædificatum, ubi virgineis cantibus insultabant, præcepitque destrui sceleratissimum templum, ipsumque pulverem funestis sacrificiis violatum ejici, et procul a civitate dispergi. Exin locum purgari præcipiens, statim palam monumentum Domini apparuit. Apparuerunt et circa illud suffossæ tres cruces, et*

[a] A.: *Ruptaque est. Postremo Licinius navali et terrestri prælio victus apud Nicomediam se dedidit, et contra religionem sacramenti Thessalonicæ privatus occisus est. Hic*, etc.

[b] A., *ortus, altusque erat.*

[c] A., *secundarum.*

[d] A., *Constantinus ex illa favor. animi docilitate mutatus.*

[e] A., *Commodæ.*

[f] Ms., *barbarico sinu solis.*

[g] A.: *collocavit. Civilibus artibus, et studiis liberalibus deditus, affectator justi*, etc.

[h] A., *irrogavit.*

[i] Ms., *Eantis.*

Digitized by Google

*clavi, simul et titulus litteris Hebræis, Græcis et Latinis, conscriptus,* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Dicitur autem quia mortuus crucis tactu surrexit. De hoc ligno Sibylla dixit apud Paganos : O ter beatum lignum, in quo Deus extensus est. Tunc ergo, quæ crux Domini esset, quæ latronum, dubitare cœperunt. Proinde Macarius civitatis præsul hujusmodi tractatu dubitationem solvit. Mulieri namque nobilitate claræ longa ægritudine fatigatæ unam illarum crucium cum oratione promptissima adhibens, virtutem Salvatoris agnovit. Mox enim ut mulierem attigit crux, passionem sævissimæ ægritudinis effugavit, et feminæ salutem restituit. De clavis quidem, quibus manus Christi fuerant perforatæ, alios in galeam misit imperatoris, filii capitis providentiam gerens, ut jacula bellica submoveret, alios freno equino permiscuit, et cautelam imperatoris agens,* B *veterem philosophiam adimplens. Olim enim Zacharias propheta clamaverat dicens : Et erit quod in freno est sanctum Domino omnipotenti. Salvatoris vero crucis partem quidem aliquam filio distribuit, quam Constantinus suscipiens, et credens salvari civitatem ubi hæc particula servaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini posita super columnam porphyreticam, devote condidit. Reliquam vero partem in argentea theca clausam, Macario sacerdoti civitatis reliquit, et undique congregans artifices, maximas illic ornatasque ecclesias ædificavit. Post hæc imperator curam habens maximam Christianorum, Paganorum superstitionem aversabatur, removitque monomachias et suas imagines in templis poni præcepit, et cubitum, quo mensuratur Nilus, non jam in* C *templum Serapidis annis singulis, sed in ecclesiis portari sancivit. Igitur Constantinus* bellum adversus Parthos moliens, qui jam Mesopotamiam [a] fatigabant, *trigesimo et secundo anno imperii, ætatis vero sexagesimo et sexto ægritudine captus, ex urbe Constantinopolitana, quasi ad calidas aquas egressus est Nicomediam. In villa publica morbo consumptus est, facto testamento tribus filiis, consulatu Feliciani et Taciani, undecimo Kalendas Junii. Fuit irrisor potius quam blandus, unde proverbio vulgari* [b] *Trachala dictus. Decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus, ob profusiones immodicas nominatus.* Mors ejus etiam *ante biennium* denuntiata est per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquandiu fulsit : eam Græci κομήτην vo-D cant; atque inter divos meruit [c] referri. *Corpus autem ejus in aureo locello collocatum, Constantinopolim est devectum, et in palatii celso loco repositum. Quod in multis honoribus atque veneratione, quasi viveret, habebatur, donec aliquis filiorum ejus assisteret. Postea vero ab Oriente Constantio veniente, cum imperialibus*

A *exsequiis funus ejus sepultum est in ecclesia apostolorum in sepulcro porphyretico.*

Is successores filios reliquit, atque unum *Dalmatii* fratris filium. *Hi singuli has partes regendas habuerunt. Constantinus filius ejus primus; in decennali suo ejus genitor fecit eum habere principatum super cuncta trans Alpes. Secundum Constantium in vicennali suo in Oriente constituit, a freto Propontidis in Asiam, atque Orientem. Constantem vero juniorem in tricennalibus suis in Illyricum, Italiamque et Africum ordinavit; Dalmatium in Thraciam, Macedoniamque et Achaiam; Annibalianum Dalmatii Cæsaris consanguineum in Armeniam nationesque circum socias.* Verum Dalmatius Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est [d] *factione militari*, et Constantio patrueli suo sinente potius quam [e] jubente. *Constantinus igitur dum ulcitur partes junioris fratris invadere, bellum contra eum commovit, et dum inconsultius apud Aquileiam bellum aggressus est, a Constantis ducibus interfectus est, et in fluvium projectus est, cui nomen Alpha est, non longe ab Aquileia, consulatu Acindini et Procli. Quam ob rem Romani imperii principatus Occidentalium quidem partium pervenit ad Constantem, Orientalis autem ad Constantium. Eodem tempore etiam remp. contigit valde turbari. Gens namque Francorum circa Gallias constituta Romanis erat infesta, quam Constans oppressit, et Rom. imperio subjecit. Tunc etiam terræmotus maximus in Oriente factus est, et præcipue in Antiochia, quæ anno jugiter est commota, et Neocæsarea civitas Ponti cecidit.*

## CONSTANTIUS.

*Constantius autem et Constans leges ediderunt, Judæum non emere servum, alioquin auferri eum, et publicis rationibus tradi. Porro, si et circumcidere ausus fuerit servum, gladio puniri talia præsumentem.*

## CONSTANS.

*Igitur* Constantis imperium strenuum aliquandiu et justum fuit. Mox cum et valetudine improspera et amicis [f] *gravioribus* uteretur, ad gravia vitia conversus, cum intolerabilis provincialibus, militi injucundus [g] esset, *et cum circa Gallias venandi cupidine per silvas saltusque erraret, conspiravere aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Crestio et Marcellino, simulque Magnentio. Qui, ubi patrandi negotii dies placuit, Marcellinus natalem filii simulans plerosque ad cœnam vocat. Itaque in multam noctem convivio celebrato, Magnentius quasi ad ventris solita secedens, apud Augustudunum habitum imperialem* [h] *capit. Ea re cognita Constans fugere conatus, apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum non longe ab Hispaniis, a Gaisone cum lectissimis misso interficitur,* anno imperii decimo se-

[a] *Fatigabant. Uno et trigesimo anno imp., ætatis sexto et sexagesimo, juxta Nicomediam in villa publica obiit. Mors, etc.*

[b] Ms., *Trochela.*

[c] A. : *Referri. Is successores filios tres reliquit, atque unum fratris filium. Verum, etc.*

[d] A., *facinore.*

[e] A. : *Jubente. Constantinum porro bellum fratri inferentem, et apud Aquileiam inconsultius prælium aggressum, Constantis duces interemerunt. Ita resp. ad duos Augustos redacta. Constantis, etc.*

[f] A., *pravioribus.*

[g] A. : *Esset, factione Magnentii occisus est. Obiit haud longe ab Hispaniis, in castro cui Helenæ nomen est, anno, etc.*

[h] Vide Victorem.

Digitized by Google

primo, ætatis tricesimo. *Nam Cæsar triennio fuit. Hic fuit debilis pedibus manibusque articulorum dolore, fortunatus cœli temperie, fructuum proventu, nulla a barbaris formidine* per omne tempus, sine gravi crudelitate terribilis. Diversa Constantii fortuna fuit. A Persis enim multa et gravia perpessus, sæpe captis oppidis, urbibus obsessis, cæsis exercitibus, nullumque ei contra Saporem prælium fuit prosperum, nisi quod apud Singarum, haud [a] *dubiam* victoriam militum ferocia amisit, qui pugnam seditiose et stolide contra rationem belli die jam præcipiti poposcerunt. *Per idem tempus Dyrachium Dalmatiæ terræmotu collapsum est. Interea terræmotu magno, et in civitate Beryto Phœnices facto, plurima pars ejus corruit, ita ut multi gentiles ingrederentur ecclesiam, se ritum Christianorum servaturos spondentes. Igitur* post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias obtinente, etiam Illyricum res novas [b] habuit. *Vetranio enim magister militum ad imperium in Pannonia apud Mursam consensu militum electus est.* Quem grandævum jam, et cunctis amabilem diuturnitate, et felicitate militiæ ad tuendum Illyricum principem creaverunt, virum probum, et veterum morum, ac jucundæ civilitatis, sed omnium liberalium artium expertem, adeo ut ne elementa quidem primarum litterarum nisi grandævus, et jam imperator [c] acceperit. *Tunc Constantius imperator Gallum patruelem suum Cæsarem facit, cui nomen suum imponens, Syriam Antiochiæ habitandam destinavit, ut partes per eum custodirentur Orientales. Quo ad Antiochiam veniente, circa Orientem signum apparuit in cœlo die Pentecostes. Columna namque sub specie crucis in cœlo visa est, speciem luminis habens extensam a Golgotha usque ad montem Olivarum. In circuitu autem ejus corona erat, velut Iridis speciem habens. Hoc et Constantius Gallus vidit. Interea Constantius Augustus* ad ultionem fraternæ necis bellum civile [d] commoverat *castrametatus in Illyricum. Cogebat enim eum fraternæ necis ultio, et maxime Vetranionis, qui per milites Augustus fuerat factus. Cumque venisset Sirmium, mutuo fœderibus habitis Vetranionem vidit. Factumque est ut milites qui eum constituerant transirent ad favorem Constantii : quo facto, solum Constantium imperatorem Augustum voce missa clamaverunt. Cumque de Vetranione nulla memoria fieret, ille repente sciens se traditum, ad pedes se prostravit imperatoris. Porro Constantius auferens ei coronam, simul et purpuram, clementer ei locutus est, monens ut sub schemate privato quiesceret, quod ejus utique ætati convenientius quam habere nomen sollicitudinibus onustatum. Jussitque ei sumptus uberrimos ex publicis functionibus exhiberi,*

A *fuit enim prope ad stultitiam simplicissimus. Cumque in Prusa Bithyniæ Vetranio moraretur, Constantius scripsit ei dicens quia multorum bonorum ei causa fuisset, quem a tantis cogitationibus et malis sibi provenientibus liberasset; nec se bene fecisse, quia quæ sibi præstare debuerat, illi potius impendisset. His diebus Romæ Nepotianus, Eutropiæ Constantii sororis filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapit. Quem octavo die vigesimoque Magnentius oppressit.* Caput ejus pilo per Urbem circumlatum est, gravissimæque proscriptiones et nobilium cædes [e] fuerunt.

## MAGNENTIUS.

*Hoc tempore Constantius cum Magnentio apud Mursam dimicans vicit, in quo bello pene nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusque imperii fortuna pessumdata.* B *Dehinc enim, cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit, et, ut victoria solet, audacius persequentes, venientesque Romanos, multos peremit senatores et populos. Ibique agnoscens vicinos esse contra se milites Constantii, accessit ad Galliæ partes occidentalis. Cumque multa et gravissima inibi prælia in alterutros exercerent, modo isti, modo illi victores esse videbantur. Novissime autem devictus Magnentius fugit, vidensque milites, quasi de perditione tristes, stans excelsiori eos nitebatur allocutionis consuetudine confortare. Tunc illi favorem solitum Magnentio exhibere parati, inviti, et nolentes clamaverunt omnes una voce : Constanti Auguste, tu vincas. Hoc augurium Magnentius traxit ad semetipsum, tanquam ei divinitus concederetur imperium, et propterea* C *ad ulteriora tendebat. Sequentibus autem Constantii militibus circa montem Seleucum facta congressione, solus fugiens venit in Lugdunensem urbem, comprehendensque suam matrem, et fratrem seniorem, quem ad tuendas Gallias Cæsarem constituerat, occidit. Nec multo post a Constantii militibus ibidem coangustatus, gladio occulte proviso, ictum pulsu parietis juvans transfosso latere, ut erat vasti corporis, naribusque, et ore cruorem effundens, mense imperii quadragesimo secundo, ætatis prope quinquagesimo, exspiravit, anno imperii Constantii sexto, et Galli Constantii consulatus anno secundo, XVIII Kalendas Septembris. Fuit is ortus parentibus barbaris, qui Galliam inhabitabant. Legendi studio promptus, sermone acer, animi tumidi et immodici,* D *timidus, artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Ejus morte audita, Decentius frater ejus laqueo fascia composito vitam finivit. In his* ergo præliis ingentes Romani imperii [f] vires consumptæ sunt, ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multum triumphorum possent securitatisque [g] conferre. *Sed neque sic circa rempub. quies evenit. Nam*

a A., *dubium.*

b A. : *Habuit, Vetranione ad imp. consensu militum electo. Quem,* etc.

c A. : *Acceperit. Sed a Constantio, qui ad,* etc.

d A. : *Commoverat, abrogatum est Vetranioni imperium, novo inusitatoque more, consensu militum deponere insigne compulso. Romæ quoque tumultus fuit Nepotiano Constantini sororis filio per gladiatoriam manum imperium vindicante, qui sævis exordiis dignum exitium nactus est; vigesimo enim et octavo die a Magnentianis ducibus oppressus pœnas dedit. Caput,* etc.

e A. : *Fuerunt. Non multo post Magnentius apud Nursam profligatus acie est, ac pene captus. Ingentes,* etc.

f A. : *Vires ea dimicatione consumptæ,* etc.

g A. : *Conferre. Orienti mox a Constantio Cæsar est datus patrui filius Gallus, Magnentiusque diversis præliis victus vim vitæ suæ apud Lugdunum attulit imperii*

Digitized by Google

*post paululum apud occidentales Gallias, Silvanus quidam res novas molitus, tyrannus est exortus, quem duces Constantii vigesimo octavo die perimunt. Fuit ingenio blandissimus, quanquam barbaro patre genitus, tamen institutione Romana satis cultus, et patiens. Porro Judæi in Diocæsarea Palæstinæ residentes vicina loca turbabant, et sumentes arma tentabant resultare Romanis. Post hæc itaque Gallus Cæsar cum Antiochiæ degeret, exercitu destinato eos interfecit, civitatemque vastavit. Cumque sibi videretur prospere gessisse, felicitatem non ferens, accessit ad tyrannidem, et insinuans imperatori suam intentionem, quæstorem vocabulo Magnum, et Domitianum præfectum Orientis occidit. Ob quam rem Constantius indignatus, evocavit eum. Qui cum contemnere non valeret, pergebat ad principem. Cumque contra insulam Falconensem venisset, illic eum Constantius præcepit interimi, anno imperii sui septimo, et consulatus ipsius Galli anno tertio.* Vir *fuit* natura ferus, et ad tyrannidem [a] *promptior,* si suo jure imperare [b] licuisset. Solus in imperio Romano eo tempore Constantius princeps et Augustus [c] fuit. *Nunc igitur de Claudio Juliano pauca dicenda sunt, ejusque genere, ac disciplina, et quomodo venerit ad imperium. Constantinus, qui Byzantium suo nomine Constantinopolim appellavit, duos habuit ex eodem patre, non ex eadem matre, germanos. Quorum unus Dalmatius, alter Constantius vocabatur. Constantius autem duos habuit natos, Gallum et Julianum. Post mortem Constantini conditoris Constantinopolitanæ civitatis, dum milites juniorem Dalmatium peremissent, tunc, et isti, functo jam patre, pene mortis periculum sustinuerant cum Dalmatio, nisi Gallum quidem ægritudo, quæ putabatur inevitabilis, liberasset, Julianum ætas infantilis, erat enim annorum octo. Cumque ab eis fervor imperatoris quievisset, Gallus circa Ephesum apud doctores erat, ubi etiam a progenitoribus possessiones habebat. Porro Julianus crescens in auditoriis Constantinopolitanæ urbis, exercebatur in basilica, ubi doctores erant, habitu privato procedens, habebatque pædagogum eunuchum nomine Mardonium, grammaticum Nicoclem Laconensem, rhetoricam vero legebat apud* [d] *Ecybolium Sophistam. Erat enim Julianus ab initio Christianus. Cumque lectione proficeret, etiam fama per populum volitabat, quia posset etiam rempub. gubernare. Quod dum latius panderetur, æstuationes induxit Constantio imperatori. Quamobrem abstinuit eum ab urbe regia, et misit Nicomediam, præcipiens ne conveniret apud Libanium Sophistam Syrum. Tunc enim Libanius a pædagogis Constantinopoli expulsus, Nicomediæ morabatur. Prohibebatur ergo Julianus apud Libanium legere, eo quod paganus esset, verumtamen librorum ejus lectionibus utebatur, cumque proficeret in rhetorica, supervenit in Nicomedia Maximus philosophus, non ille Byzantius pater Euclidis, sed Ephesius, quem postea quasi artes magicas exercentem Valentinianus imperator præcepit occidi. Tunc igitur non ob aliam causam Nicomediam venerat, nisi Juliani fama protractus. Apud quem, cum Julianus verba philosophica prægustasset, cœpit etiam doctoris imitari religionem. Is enim etiam imperii cupidinem in animum ejus immiserat. Cumque hæc non laterent aures imperatoris, inter metum spemque constitutus, suspicionem celare volens, quia qui dudum integer fuerat Christianus, postea proditor est effectus, tonsus monachicam simulabat vitam, et latenter quidem exercebatur in philosophica, in manifesto autem sacros Christianorum legebat libros. Denique in Ecclesia Nicomediæ lector est constitutus, et divinos Codices in ecclesia audiente populo legebat. Porro sub hoc habitu furorem declinavit imperatoris. Hæc equidem pro timore faciebat, nequaquam a spe recedens, quam mente conceperat. dicebatque plurimis amicorum suorum, felicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur. Post paulum vero perempto Gallo Julianus repente fit suspectus imperatori, qui etiam eum custodiri præcepit, et dum fuga lapsus fuisset, diversa circumeundo salvatus est. Vixque sero uxor imperatoris Eusebia celatum inveniens, supplicavit imperatori, quatenus nihil mali pateretur, sed ut potius ad philosophandum mitteretur Athenas. Cœpit igitur Julianus imperialia sceptra desiderare. Quamobrem discurrens universam Helladam, vates quærebat responsa reddentes, consulens si ad suum imperium perveniret, invenitque virum, qui ei desiderata se dicere fatetur. Is eum perducens ad quemdam idolorum locum, et intromittens in adytum, seductores dæmones evocavit, quibus solemniter apparentibus, terrore compellitur Julianus in fronte sua crucis signaculum formare. Tunc dæmones tropæi dominici figuram respicientes, repente disparuerunt. Quod agnoscens magus, cœpit culpare Julianum. At ille terrorem significavit, et crucis se dixit obstupuisse virtutem, eo quod videntes hoc signum dæmones evanuerunt. Porro magus: Non hoc suspiceris, o bone vir, quia timuerunt, sicut ais, sed abominati hoc signum potius recesserunt. Et ita capiens miserum, odio replevit Christiani signaculi Julianum. Post hæc igitur Constantius evocavit Julianum, et constituit Cæsarem septimo Idus Novembris, dansque ei conjugem Helenam sororem suam, quæ Constantia dicta est, contra barbaros eum destinavit, ad Gallias. Hi namque barbari, quorum imperator Constantius contra Magnentium solatia petierat, cum nihil profuissent contra tyrannum, Romanorum vastabant urbes, alias expugnabant.* Ubique fœda vastitas [e] erat, Romanumque imperium non dubia jam cala-

*anno tertio, mense septimo, frater quoque ejus Senonis, quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat. Per hæc tempora etiam a Constantino multis incivilibus estis Gallus Cæsar occisus est. Vir,* etc.

[a] A., *Ironior.*

[b] A. : *Licuisset. Silvanus quoque in Gallia res novas molitus ante diem XXX exstinctus est. Se-iusque,* etc.

[c] A. : *Fuit. Mox Julianum Cæsarem ad Gallias misit, patruelem suum Galli fratrem, tradita ei in matrimonium sorore sua, cum multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent. Ubique,* etc.

[d] Ms., *Ecybolum.*

[e] A., *esset.*

Digitized by Google

mitate [a] nutabat. Cum esset ergo juvenculus Julianus, jussit ei imperator ut præter consilium ducum nihil moliri præsumeret. Cumque duces accepta potestate negligerent, et propterea barbari superarent, tunc Julianus duces quidem deliciis vacare permisit: sumens autem milites, eisque spolia interemptorum hostium compromittens, initium vincendi barbaros fecit, et amorem suum apud milites collocavit. Fertur itaque quod dum in quamdam civitatem fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent civitates ornari, inter columnas pendens, rupto fune, super caput ejus decidit, eumque aptissime coronavit. Quo facto, cuncti clamavere quia ei signum foret imperii. Interea Julianus, cum apud imperatorem de ducum negligentia quereretur, alter armorum mittitur magister, ejus alacritati conveniens, cujus ministerio cum barbaris fiducialiter est congressus. Et dum illi per legatos litteras imperatoris eos ad provincias invitantis ostenderent, tunc ille legatos eorum misit in vincula; factaque congressione cum modicis copiis Romanorum apud Argentoratum Galliæ urbem ingentes copias hostium exstinxit. Stabant acervi montium similes, fluebat cruor fluminum modo, captus rex nobilis [b] Chonodomarus, et Constantio missus, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis. Ac postmodum cum Alamannis apud Rhenum fluvium residentibus dimicans, potentissimum eorum regem Bodomarium cepit, claraque victoria decoratus, cum mediocritate vitæ, atque mansuetudine militibus præesset, ab eis appellatur Augustus. Cumque corona deesset imperialis, unus signa portantium, torquem quem habebat in collo sumens, Juliani capiti circumposuit.

## JULIANUS.

Hoc ergo modo Julianus imperator est factus. Hoc facto, nihil de Constantio cogitans, judices ab illo factos honoribus mulcebat, et ad illius invidiam litteras proferebat, quibus ostenderet eum, propter bellum contra Magnentium gestum, in Romanorum terras barbaros induxisse. Hunc Constantius urgere legationibus, ut in statum nomenque pristinum revertatur. Julianus mandatis mollioribus refert se sub nomine celsi imperii multo officiosius pariturum. Igitur Julianus repente religione mutata, cum prius Christianus esse putaretur, semetipsum pontificem nominabat, et veniens ad templa paganorum sacrificabat, suadebatque subjectis talia colere, et Christianorum baptisma, sacrificiis, et innovationibus, quas expiationes pagani vocant, et sanguine immolationum studebat abluere, et abrenuntiare Christianæ professioni. Cumque Constantius propter bellum Persicum Antiochiæ moraretur, sperans ille quia sine bello posset Illyricum detinere, ad eos agebat iter, dicens se velle Constantio satisfacere, tanquam non sponte, sed voluntate militum infulas imperii suscepisset. Dicitur itaque, dum ad hos terminos accessisset, vindemia jam collecta circa occasum Pleiadum, uvas denuo fuisse prolatas, insuper etiam imbrem ex aere descendentem in ejus vestem simul, ac cæterorum, singulas crucis signacula guttulas formasse. Hoc facto videbatur et ipsi, et aliis, quia botris extra tempus illatis, bonum ei panderetur indicium, imber autem cadens vestem super quam ceciderat roboraret. Alii vero dicebant uvarum signum præter tempus significare perditionem imperatoris, ad instar hujusmodi botrorum, et parvi temporis fore ejus imperium. Porro de cruce dicebant, præminitare hoc signum, quia sit cœleste dogma Christianorum, et oporteat signari cunctos crucis signaculo. Cum audisset itaque Constantius contra se venire Julianum, instructione belli Parthici derelicta, Constantinopolim veniebat. Cumque iter faciens magis magisque ardens dolore, atque ut erat talium impatiens, acriter festinaret, in radicibus Tauri montis, apud oppidum Mopsocrenen inter Ciliciam et Cappadociam febri acerrima, quam indignatio nimia vigiliis augebat, interiit III Nonas Novembris, consulatu Tauri et Florentii, anno imperii tricesimo octavo, ætatis quinto et sexagesimo. Ex quibus tredecim cum patre regnavit, viginti quatuor post illum, id est, septem solus, cum fratribus atque Magnentio sedecim, meruitque inter divos referri. Eodem tempore, magno terræmotu Constantinopolis pars diruta est. Iste fuit vir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimium amicis et familiaribus credens, mox etiam uxoribus deditior, qui tamen in primis se imperii annis ingenti modestia egerit. Familiarium etiam locupletator, neque [c] inhonorans, quorum laboriosa expertus fuisset officia. Ad severitatem tamen propensior, si suspicio imperii moveretur, [d] mitis fuit alias, felix bellis civilibus, externis lacrymabilis, mirus artifex in sagittis, a cibo, vinoque, et somno multum temperans, patiens laboris, facundiæ cupidus, quam cum assequi ingenii non valeret tardi ate, aliis invidebat, spadonum, aulicorum, vernaculorumque amori deditus, uxorumque, quibus contentus, nulla libidine transversa, aut injusta polluebatur. Sed ex conjugibus, quas plurimas sortitus est, præcipue Eusebiam dilexit, decoram quidem, verum per Adamantias, et Gorgonias, et alia importuna

[a] A.: Nutaret, a quo modicis copiis apud Argentoratum Galliæ urbem ingentes Alemannorum copiæ exstinctæ sunt. Rex nobilis captus, Galliæ restitutæ. Multa postea per eumdem Julianum egregia adversus barbaros gesta sunt, submoti ultra Rhenum Germani, et finibus suis Rom. imp. restitutum, neque multo post cum Germaniciani exercitus a Galliarum præsidio tollerentur, consensu militum Julianus factus est Aug. Interjectoque anno ad Illyricum obtinendum profectus est, Constantio Parthicis præliis occupato, qui rebus cognitis ad bellum civile conversus in itinere obiit inter Ciliciam Cappadociamque, anno imp. octavo et tricesimo, ætatis 45, meruitque inter divos referri Vir, etc.

[b] Ms., Nodomarus.

[c] A., inhonoros sinens.

[d] A.: Mitis alias, et cujus in civilibus, magis quam in externis bellis sit laudanda fortuna. Hinc Julianus rerum potitus est, ingentique apparatu Parthis intulit bellum, cui expeditioni ego quoque interfui, aliqua oppida, et castella Persarum in deditionem accepit, vel vi oppugnavit, Assyriamque populatus castra apud Ctesiphontem stativa aliquandiu habuit, remeansque victor, dum se inconsultius præliis inserit, hostili manu interfectus est VI Kal. Julias, imp. anno 7, ætatis altero et trigesimo, atque inter divos relatus est. Vir egreg., etc.

Digitized by Google

*ministeria, vexantem famam viri contra quam feminis modestioribus mos est, quarum sæpe præcepta maritos juvant. Namque, ut cæteras omittam, Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quantum auxerit gloriam Trajani, cujus procuratores cum calumniis provincias agitarent, adeo ut unus ex his diceretur locupletum quemque ita convenire : « Quæ habes? Unde habes? » tertium, « Pone quod habes, » illa conjugem corripuit, atque increpans quod laudis suæ esset incuriosus, talem reddidit postea, ut exactiones improbas detestans, fiscum lienem vocaret, quod eo crescente reliqui artus tabescant.*

*Igitur defuncto Constantio, Julianus jam Thracas obtinebat, et deinceps Constantinopolim veniens appellatus est Augustus. Interea dum Constantinopolim fuisset ingressus, cœpit cogitare sibi populum complacare, et eorum favorem decenter acquirere : quod hac arte fecit. Bene namque sciebat Constantium ab omnibus populis nomen consubstantialitatis amplectentibus odiri : ob quam rem ab ecclesiis videbantur exclusi, et episcopi confiscati, exsilioque directi. Simul etiam noverat et paganos fuisse contristatos prohibitione sacrificiorum, et desiderare adipisci tempus, quo eorum aperirentur templa, ut haberent idolis immolandi licentiam. Sic igitur utrumque populum mœroribus vulneratum a defuncto cognoscens, et communiter omnes eunuchorum violentia, et præcipue Eusebii Nicomediensis episcopi rapinis ingemiscentes, qui suam sedem reliquerat, et Constantinopolitanam invaserat : Julianus ita apud omnes semetipsum artificioso velamine commendabat. Et aliis Christianis quidem amare se fingebat, aliis autem paganis per vanam gloriam largus erat, omnibus tamen qualis esset in commune religione monstrabat. Et primum quidem crudelitati Constantii circa subjectos derogans, et eam coram universo populo redarguens, jubet episcopos exsilio deportatos revocari, et confiscatas eorum reddi substantias. Templa quoque paganorum velociter suos necessarios præcepit aperire, eos autem qui fuerant ab eunuchis oppressi, recipere, quæ male ab eis fuerant abjecta sancivit. Eusebium vero præsidentem imperiali cubiculo morte damnavit, non solum quia multos oppresserat, sed quia Gallum quoque fratrem ejus consilio audierat interemptum. Et corpus quidem Constantii regio honore sepelivit. Ejecit vero e palatio eunuchos, tonsores, et coquos : eunuchos quidem, quia uxor ejus obierat, post quam non duxit aliam ; coquos autem, eo quod cibis simplicibus uteretur ; tonsores vero, quia multis, inquit, sufficit unus. Scriptorum autem plurimos antiquæ fortunæ restituens, reliquis eorum mercedem scripturæ dare præcepit. Abscidit quoque etiam publicum cursum mularum et caballorum. Hæc ejus opera laudant pauci, vituperant multi. Is enim etiam noctibus vigilans conscribebat libros, et descendens in senatu publice recitabat. Solus enim imperatorum a Julio Cæsare in curia senatus recitavit orationes. Honorabat disciplinarum cultores, maxime philosophantes. Habebat autem plurimum vanæ gloriæ vitium, et in oratione, quam de Cæsaribus scripserat, cunctos ante se principes lac*eravit. Hac ergo arrogantia motus, etiam contra Christianos conscripsit libros. Ut ergo coquos atque tonsores expelleret, opus philosophi, non tamen imperatoris egit ; ut detraheret, atque laceraret, nec philosophi, nec principis fuit. Igitur Julianus dudum studens Paganitatem in omni sua ditione dilatari, et Christianitatem exterminari, primum quidem Galilæorum filiis (sic enim Salvatoris nostri cultores denominabat) præcepit ne poetarum aut philosophorum legerent disciplinas. Propriis, inquit, pennis vulneramur secundum proverbium, ex nostris enim armati conscriptionibus, contra nos bella suscipiunt. Et templa quidem erant aperta, sacrificiaque Paganorum per civitates secundum voluntatem illius procedebant ; ipse autem æstuabat, ne fervor ejus Christianorum abundantia frustraretur. Et maxime pulsabatur, quia multi sacerdotum suorum Christianas habebant uxores, et filios et servos. Arbitratus autem Christianitatis statum ex vita bona et conversatione consistere, studuit ubique templa paganorum instructione et ordine Christianæ religionis ornare sedibus atque processionibus : Paganorum dogmatibus atque monitionibus lectores suæ superstitionis instituit, adinstar clericorum, ut horas certas, et dies, et orationes solemniter observarent, præcipiens pariter habere curas virorum atque mulierum philosophare scientes, habitaculis peregrinorum et pauperum, aliaque providentia circa egenos exhibita, paganorum religionem componere, et pietatis habere nomen. Si quis autem sponte vel invitus peccaret, secundum traditionem Christianorum instituit, ut post pœnitentiam mediocrem constitutam sustineret correptionem. Præcipue vero zelatus dicitur notas litterarum episcopalium, quibus solent alterutris scribentes commendare peregrinos, et ubi proficiscuntur, et a quibus veniunt modis omnibus indicare, et solatia promereri, tanquam noti et amici sint, testimonio directi signaculi. Hæc considerans festinabat, ut pagani Christianorum consuescerent officiis. Scribens enim Arsabo pontifici Galatiæ tali modo epistolam : « Paganorum, inquit, ritus nondum agitur secundum intentionem nostram, propter cultores ejus in negligentia positos. Nam deorum claritas, magnitudo, atque sublimitas, omni ratione, omnique spe major est ; sed propitii sint nostris animis dii, propter negligentiam quam habemus, cum illorum providentia in parvo tempore tanta facta mutatio sit, quantam nec orare primitus quicumque præsumpserat. Cur ergo credimus hoc posse sufficere, neque respicimus quemadmodum superstitionem Christianorum auxit cura peregrinorum, et circa sepulturas, et mortuos multa solatia, honestaque conversationis studia, non vera, sed ficta. Quas res arbitror sub veritate apud nos debere geri. Non itaque fas est te solum talem esse, sed omnes absolute circa Galatiam sacerdotes, quos aut deprecare, aut oratione flecte, aut certe festinanter a sacerdotali ministerio remove, nisi diis cum conjugibus, et filiis, atque servis, colla submiserint, non ferentes ulterius eorum servos aut filios hoc facere, contemnentes autem Galilæos impie contra deos agentes, et impietates pietatibus præponentes. Deinde cunctos admone, ut sacerdos neque ad specta-*

Digitized by Google

culo procedat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti, aut operibus turpibus, aut impudentibus præsit. Qui obediunt honorentur, inobedientes expelle. Xenodochia constitue per singulas civitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur, non tantum nostri, sed etiam extranei pecuniis indigentes. Ut autem habeas unde fiat, interim decrevi singulis annis triginta millia modios tritici per universam dari Galatiam, et sexaginta millia vini sextarios. Horum quinta pars pauperibus templa observantibus debet expendi, reliqua peregrinis, indigentibusque distribui. Turpe namque est ut Judæos quidem non abjiciant, sed potius nutriant impii Galilæi et suos pariter et nostros, nostri vero nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumque vicos offerre diis primitias frugum, eosque hujusmodi benefactis institue, docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat, introducens Eumenum talia facientem. Nos ergo neque bona nostrorum imitamur, sed aliis remittimus, negligentia non confusi, magis autem deorum reverentiam respuentes. Si igitur hæc te facientem cognovero, ego lætitia plenus ero. Præsides provinciarum rarius domi suscipe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis civitatem, nullus sacerdotum occurrat. Cumque ad templa venerint deorum, intra januas eis nemo præcedat militum, aut forte præcedentium officiorum, sed qui voluerit subsequatur. Cumque ad ipsum limen templi pervenerit, privatus existat. Tu enim, sicut nosti, judex intus es. Hoc enim etiam sacra sanctio videtur exigere. Obedientes igitur pro veritate pii sint, reluctantes vanæ gloriæ comprimantur. Quid enim patiatur, aut quod mereatur auxilium, qui matrem deorum propitiam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt. Neque enim fas est ut illi parcatur, qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis ut si mea voluerint frui tuitione, omnes matri deorum studeant offerre culturam. » Hæc itaque faciens imperator ad destructionem Christianorum, neque subjectis prævaluit, et aperte Christianis vim parare erubuit. Inter hæc ut ad paganitatem milites insuescerent, studuit ad priscum schema reformare signum illud labarum sublimius Romanorum, quod Constantinus, sicut prædictum est, in crucis formam mutaverat. Verum in publicis imaginibus depingebat Jovem quasi de cœlo sibi coronam et purpuram deferentem, Mercurium et Martem in se respicientes, velut pro testimonio sapientis et fortis. Et hoc agebat imaginibus, ut sub occasione imperii latenter adorarentur dii, et hoc modo subjecti clanculo fallerentur. Arbitrabatur enim quia si hoc sponte eis imponeret, postea quæ vellet impleret; si vero respuentes agnosceret, venia sublata torqueret, tanquam circa Romana solemnia reluctantes, et in republica, atque ipso imperio delinquentes. Pauci siquidem etiam pœnis subditi, cognoverunt dolum, quia, sicut moris erat, adorare noluerunt. Turba vero, ut assolet, per ignorantiam simpliciter imagines adorabat, quod tamen imperatori nihil profuit. Cumque multa excogitaret, quibus paganorum ritus extolleret, invenit modum qui plurimis Christianis militibus claræ virtutis coronam dedit. Cum venisset itaque tempus quo imperialia milites solent dona percipere (hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januariarum, et natali principum, et urbium regiarum), exquisivit quatenus eos simpliciter ex prisca consuetudine fallere potuisset. Jussitque ut unusquisque ad manus imperatoris accedentium, ab officiis admonitus, primo incensum offerret (erat enim ante eum thus positum, et ara) secundum antiquam Rom. consuetudinem. Tunc alii quidem licenter suam ostenderunt fortitudinem, et neque incensum offerre, neque donum accipere passi sunt. Alii vero, occasione legis et antiquitatis, neque mente perceperunt, quod commisere peccatum. Verum alii propter lucrum capti, aut timore perturbati, seu jussione repentina conclusi, licet intellexerint, tamen paganitatem declinare non potuerunt. Plurimi siquidem per ignorantiam decepti, dum inter cibos, ut assolet, et pocula invocarent in alterutros Christum, respondens quidam dixit : Quid patimini invocantes Christum, quem ante paululum denegastis, dum donum ab imperante percipientes, thus in ignem mitteretis? Cumque hoc milites audissent, et quod gesserant agnovissent, statim exsilientes, publice currebant, atque impetu facto clamabant, Deumque suum et cunctos homines testabantur se Christianos esse, et in eo nomine permanere, atque per ignorantiam se fecisse, et, si dici posset, solam manum paganam esse, conscientiam vero nihil simul egisse. Cumque venissent ad principem, projecerunt aurum quod acceperant, et forti voce poscebant ut reciperet quod dedisset, et occideret illos. Sic enim pœnitentiam agere fatebantur, eo quod improvide eorum dextera peccasset, et studere propter Christum totum corpus pœnæ tradere. Cumque Julianus talia audisset, furore commotus, præcepit capita eorum incidere, et cum ducerentur ad mortem, sequente populo, et mirante virtutem eorum pro pietate susceptam, venerunt ad locum quo rei puniri solent. Tunc spiculatorem rogavit senior omnium, ut ante omnes caput cujusdam nomine Romani adhuc adolescentis abscinderet, ne dum aliorum respiceret mortem, frangeretur. Cumque ille genua fixisset in terra, et spiculator gladium evaginasset, venit repente nuntius clamore prohibens necem. Porro juvenculus ille occisione privatus ait : Non fuit Romanus dignus ut Christi martyr appellaretur. Et licet sanguinem malignus imperator prohibuisset effundi, ductus invidia, verumtamen non eos in civitatibus habitare permisit, sed ad ultima Romanorum loca exsilio destinavit. Postea vero præcepit ut qui sacrificare noluerint, in palatio non intrarent, et neque collegio, neque foro eos, neque arbitrio, neque ulla dignitate, nec qualibet communione participare jussit. Interea Julianus, dum Constantinopoli apud Fortunam sacrificaret, accessit ad eum Mares episcopus Chalcedone, et publice impium, ac sine Deo, apostatamque vocavit. Ille vero solam ei improperasse fertur cæcitatem. Erat enim senex, et pro imbecillitate oculorum manu alterius agebatur. Super hæc etiam volens lacerare eum, consuete dixit : Neque Galilæus Deus tuus curare te potest. Respondens vero

Digitized by Google

*Mares: Ego quidem Deo meo gratias ago pro cæcitate, quia hoc ideo gestum est in me, ne te videam pietate nudatum. Imperator autem nihil respondens abscessit. Sic enim putabat potius roborari paganitatem, si se patientem ac mitem erga Christianos demonstrasset. Igitur dum Persæ mortuum cognovissent fuisse Constantium, capta fiducia venerunt ad terminos Romanorum, denuntiantes bellum. Ob quam rem Romanas vires contractas undique Julianus adrexit, ut ad destinatam secum traheret perditionem, misitque in Delphos, et Delum, atque Dodonem, ad percipienda responsa, si expediret ei bella suscipere. Tunc universi vates, et pugnandi fiduciam dabant, et victoriam promittebant. Unum vero responsum pro exemplo mendacii vel seductionis inserere non pigebit. Est enim hujusmodi: Nunc omnes aggredimur dei victoriæ tropæa referentes circa fluvium Tigrem. Horum ego dux ero belligerator Mars. Horum itaque carminum ridiculum convenit divulgare, qui rationalem dominum Musarumque principem Pythium eum vocant. Ego autem mendacium seductionibus ejus inveniens inditum, ingemisco. Tigrem namque fluvium Tigrim voluit appellare; quoniam Tigris ejus est nominativus, et per Assyriorum arva discurrens, in Persicum sinum descendit. Per hæc ergo responsa deceptus infelix et victoriam mente somniabat, et post Parthicum triumphum pugnam Galilæis inferre parabat. Multos itaque vicos, castraque detinens jam etiam civitates cupiebat, Assyriamque depopulatus, castra apud Ctesiphontem civitatem habuit. In qua in tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suæ patriæ partem, si soluto bello discederet, quod ille noluit, neque supplicantibus est misertus, neque mente percepit, quia vincere quidem bonum est, supervincere autem nimis invidiosum, credens præcipue magicis artibus, quas ei Maximus philosophus exhibebat, et arbitratus Alexandri Macedonis se gloriam percepturum, aut certe potiorem. Putabat enim, secundum Pythagoream Platonisque sententiam, ex mutatione corporum Alexandri animam possidere, aut esse potius in alio corpore alium Alexandrum. Ob hanc itaque causam Persarum regis noluit preces admittere. Interea cum in deserto loco captivorum primo habuisset ducatum, postea quidam senior transfuga, sub schemate proditoris, se ei compendiosum iter ostendere compromisit. Cumque tribus diebus ambulantes ad majorem solitudinem venissent, in insidias inciderunt. Statim illum quidem senem fustibus occiderunt, confitentem se hoc fecisse pro patriæ libertate, et libenter omnia tormenta sustinere. Cumque eum Parthi hinc urgerent, e castris jam positis, arrepto tantum clypeo procurrit. Cumque sic inconsulte ardore nititur ordines ad prælium componere, ab uno ex hostibus, et quidem fugiente, conto percutitur. Relatusque in tabernaculum, rursum ad hortandos suos egressus, paulatim sanguine*

A *vacuatus, circa noctis fere medium defecit. Quidam autem dicunt jaculum repente delatum discurrens per brachium ejus in latus immersum esse. Qui vero justissimum intulit vulnus, hactenus ignoratur. Sed alii quemdam invisibilium virtutum esse ferunt, alii vero unum pastorem Ismaelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo, sive angelus fuerit, palam est quod divinis jussionibus ministravit. Calistus autem, qui inter familiares tunc imperatoris militabat, et heroico versu ejus conscripsit historiam, ait eum vulneratum a dæmone. Libanius vero Sophista Syrus, inter cæteras laudes, quas de vita ejus scripsit, in fine libri, sic ait: O Dæmonum alumne, dæmonumque discipule, et dæmonum observator! Julianus ergo quarto consulatu suo, quem egerat cum Sallustio,* VII *Kalendas*
B *Julii interiit, anno imperii sui tertio, septimo vero ex quo Cæsar a Constantio fuerat ordinatus, vitæ anno trigesimo primo. Post cujus mortem ejus magiæ Carris compertæ sunt. Per hanc agens, quoniam per Edessam pro piæ religionis cultu transire noluerat, in templum, quod a paganis colitur, est ingressus. Ubi dum quædam cum suis consortibus sacrilega celebrasset, januas et claustra disposuit, et quosdam ibi milites observare præcepit, ut interius nullus accederet, donec ipse remearet. Cumque mortuus fuisset Julianus, et Jovianus pius successisset, ingredientes in templum, invenerunt mulierem a capillis appensam extensas habentem manus, cujus uterum aperuerat, ut Persarum victoriam in jecore ejus inspiceret. In qua urbe, cum ejus nuntiatus*
C *fuisset interitus, publicam cuncti habuere festivitatem, et non solum in ecclesiis, et sepulcris martyrum exsultabant, sed etiam in theatris victoriam prædicabant cum sacerdotibus exsultantes. Communiter enim clamabant omnes: Maxime fatue, ubi sunt vaticinia tua? Vivit Deus, et Christus ejus. Hic fuit vir egregius,* et rempub. insigniter moderaturus, si per fata licuisset, liberalibus disciplinis apprime [a] eruditus. *Æquaverat enim philosophos et Græcorum sapientissimos, facundia ingenti,* usu [b] *promptior,* memoriæ tenacissimæ, atque [c] amplissimæ, in amicos liberalis, sed minus diligens quam principem [d] decuit, *corpore validus quidem, sed brevis fuit, barba prolixa, oculi currentes huc illucque directi,* in provinciales justissimus, et tributorum, quantum fieri posset, repressor, civilis
D in cunctos, mediocrem habens ærarii curam, gloriæ avidus, ac per eam animi plerumque immodici, nimius Christianæ religionis insecutor, perinde tamen, ut a cruore abstineret. [e] M. Antonino non absimilis, quem etiam æmulari studebat, [f] *cultu numinum superstitiosus. Præfatus consulto sese de imperio nihil mandare, ne (uti solet in multitudine discrepantibus studiis amicorum) ex invidia regni præ discordia exercitus periculum pararet. Audax plusquam imperatorem decet, cui salus propria, cum semper ad securitatem*

[a] A.: *Eruditus, Græcis doctior, atque adeo ut Latina eruditione quanquam cum Græca scientia conveniret, facundia*, etc.

[b] A., *et prompta.*

[c] A.: *Amplissimæ. In quibusdam philosophis propior in amicos*, etc.

[d] *Decuit. Fuerunt enim nonnulli qui vulnera gloriæ ejus inferrent. In provinciales*, etc.

[e] A., *Marcio Antonio.*

[f] A., *Jovianus genitus*, etc.

Digitized by Google

*omnium, tum in bello maxime servanda est. Ita illum cupido gloriæ flagrantior perv:cerat, ut neque terræmotu, neque plerisque præsagiis, quibus vetabatur Persidem petere, adductus sit finem ponere ardori, ac ne noctu quidem visus ingens globus cœlo lapsus ante diem belli, cautum præstiterit.*

JOVIANUS.

*Igitur altera die absque omni dilatione Joviano infulas imperatoris imponunt. Erat enim vir fortis, et nobilis, et illo tempore Millenarius, quo Julianus electionem militibus lege proposuit, ut aut sacrificarent, aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere quam imperatoris præceptionibus impiis obedire. Hunc ergo tunc Julianus propter belli necessitatem inter viros militares habebat, qui cum violenter a militibus ad imperium traheretur, clamabat dicens non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse Christianus existeret. Cumque vox omnium communiter proclamasset, dicentium se quoque esse Christianos, suscepit imperium. Is exercitu in Perside inopia laborante, pacem cum Sapore rege Persarum, necessariam quidem, sed ignobilem, fecit, mutatis finibus, ac nonnulla imperii Romani parte tradita, quod ante eum, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones nostræ, ita et apud Caudium per Pontium ducem Samnitium, et in Hispania apud Numantiam, et in Numidia sub jugum missæ sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem, tum cum integrum fuit, mutare voluisset, sicut a Romanis omnibus his bellis, quæcunque memoravi, factum est. Nam et Samnitibus,* A *et Numantinis, et Numidis confestim bella illata sunt, neque pax rata fuit. Sed dum æmulum sui imperii vereretur, intra Orientem residens, gloriæ parum consuluit. Tunc imperator discessit ab Antiochia, et venit ad Tarsum Ciliciæ, ibique corpus Juliani sepelivit honorifice. Et cum cuncta solemnia funeri ejus exhibuisset, designatus est consul una cum Varroniano filio suo. Dumque Constantinopolim festinaret, venit ad prædium nomine Dadastam, inter Galatiam et Bithyniam, ubi Themistius philosophus cum aliis senatoribus occurrens, consularem recitavit orationem. In prædicto namque prædio hiemis tempore languore constrictus repentina morte obiit. Multi* [a] *exanimatum crapulitate opinantur, inter cœnandum enim nimium epulis indulserat; alii odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave* B *quiescentibus erat; quidam nimietate prunarum quas gravi frigore adoleri jusserat multas. Decessit imperii mense septimo,* [b] XIII *Kalend. Martii, ætatis, ut qui plurimum vel minimum tradunt, trigesimo et tertio anno, ac benignitate principum qui ei successerunt, inter divos relatus est. Hic fuit* genitus patre Varroniano incola agri Singidonensis, provinciæ Pannoniæ. Ejus patri, cum liberos crebro amitteret, præceptum est somnio, eum qui jam instante uxoris partu edendus foret diceret [c] Jovianum. *Fuit enim* insignis corpore, lætus ingenio, litterarum [d] studiosus, *nam et civilitati propior, et natura admodum liberalis, vir inter alias virtutes neque imprudens, neque iners. Cumque in Niceam Bithyniæ venisset exercitus, Valentinianum ordinavit imperatorem,* V *Kalend. Martii, virum optimum,* C *et apice principali dignissimum* [e].

[a] A., *exanimatum nimia cruditate*, etc.

[b] A., XIV *Kal.*

[c] A., *Jovianum. Hic insignis*, etc.

[d] A.: *Studiosus ad obtinendum imperium, consensu exercitus lectus est. Commendatione patris militibus quam sua notior, qui jam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno a Persis atque altero prælio victus, pacem cum Sapore necessariam quidem, sed ignobilem, fecit, multatus finibus, ac nonnulla imp. Rom. parte tradita, quod ante eum annis trecentum et duobus de viginti fere, ex quo Rom. imp. conditum erat, nunquam accidit; quin etiam legiones nostræ, et ita apud Samnium per Pontium Thelesinum, et Hispania apud Numantiam, et in Numidia, sub jugum missæ sunt, ut nihil tamen finium traderetur; ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem tum cum integrum fuit mutare voluisset, sicut a Romanis omnibus his bellis quæcunque memoravi factum est. Nam et Samnitibus, et Numantinis, et Numidis confestim bella illata sunt, neque pax rata fuit, sed dum æmulum imperii vereretur intra Orientem residens, gloriæ parum consuluit. Isque iter aggressus, atque Illyricum petens in Galatiæ finibus repentina morte obiit. Vir alias neque iners, neque imprudens.* D *Multi*, etc., ut legitur supra, usque ad verba *relatus est*, quæ in Ambrosiano seqq. postposita leguntur, iisque statim addit: *Nam et civilitate propria, et natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romanæ rei Joviano eodem et Varroniano coss., anno U. C. 1118. Quia autem ad inclytos principes venerandosque perventum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stylo majore dicenda sunt, quæ nunc, non tam prætermittimus quam ad majorem scribendi diligentiam reservamus.*

[e] In A.: *Explicit lib. X. Hucusque historiam Eutropius composuit, cui tamen aliqua Paulus Diaconus addidit.* Hic decimus, et ultimus est Eutropii, quos Paulus Diaconus suos fecit, additis tamen subinde quibusdam. In Codice Ms. Hirsfelden., hæc erant subjuncta: *Hucusque historiam Eutropius composuit; cum tamen aliqua Paulus Diaconus addidit, jubente domna Adilperga Christianissima Beneventi ductrice, conjuge domni Arichis sapientissimi et catholici principis. Deinceps quæ sequuntur idem Paulus ex diversis auctoribus proprio stylo conjunxit.* Hæc in Ms. Porro Eutropium continuans P. Diaconus exstat, quem conferre poteris, lector, et videbis quantum auctor Miscellæ addiderit. CANISIUS.

# LIBER DUODECIMUS.

VALENTINIANUS.

Anno ab Urbe condita [a] 1118, Valentinianus *quadragesimus secundus ab Augusto imperator appellatus est, Iste fuit* [b] *Pannonius genere, de Cibala civi*

[a] A.: 38, *e Pannonia Cibalensi editus, cum esset tribunus scutariorum apud Niceam Augustus appellatus fratrem Valentem Constantinopoli in commu-nionem*, etc.

[b] Ms., *Paulus a Pannonia Ciralensi*. Ed. vulg. *Cibalensi*.

Digitized by Google

*tate.* Cum esset tribunus scutariorum, *tunc ei militum cura fuit commissa, eo quod probatissime noverat militarem disciplinam. Fuit enim vir magnanimus, et semper præsenti fortuna melior apparebat, non modo fortitudine tantum, quantum prudentia, temperantia, atque justitia, et corporis magnitudine præfulgebat. Sic enim fuit regalis, et urbanus, ut dum exercitus tentasset alium sociare consortem, ille respondisset, quod cantatur ab omnibus: Vestrum, inquit, fuit, o milites, imperatore non existente, mihi dare regimen imperii; verum ubi hoc ego suscepi, meum jam est, non est vestrum de rebus cogitare communibus. Cujus verba mirati milites, ejus secuti sunt voluntatem.* Cumque Constantinopolim venisset post dies triginta imperii sui, fratrem Valentem in communionem regni assumpsit, *largitus ei partes Orientales, sibi retentis Occidentalibus.* Hujus pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cibalas, Funarius appellatus est, eo quod venalitium funem portanti quinque milites nequiverint extorquere. Eo merito ascitus in militiam, usque ad præfecturæ prætorianæ potentiam ascendit. Ob cujus apud milites commendationem Valentiniano [a] imperium allatum est. Qui cum sub Juliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret, cum, ut dictum est, scutariorum tribunus [b] esset, *ingressus est cum Juliano in templum Fortunæ, et ministri templi ex utraque parte januarum stantes, aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant, purgarent ingredientes, Valentinianus præcedens principem, aspersionis guttam suæ vidit in chlamyde, et indignatus pugno percussit templi ministrum, dicens se maculatum potius quam mundatum. Quod respiciens Julianus, jussit eum in custodiam retrudi, dicens: Aut sacrifica idolis, aut militia excede. Qui sponte* discessit. Nec mora, Juliano interfecto, Jovianoque mortuo, qui pro nomine Christi amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. Qui cum jam anno tertio imperium cum fratre Valente ageret, Gratianum filium, necdum plene puberem, hortatu socrus et uxoris, Augustum creavit. *Igitur Valentinianus, dum in initio regni sui de urbe Constantinopolitana per Thracias properaret Romam, tunc episcopi Hellesponti, Bithyniæ, et quicunque consubstantialem Patrem et Filium prædicabant, legatum miserunt ad eum Hypatium Heracleæ Perinthi episcopum, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Is cum adisset imperatorem, et episcoporum legationem intimasset, respondens Valentinianus: Mihi, inquit, cum subjecto populo de hujusmodi negotiis curiose agere fas non est. Ut ergo videtur vobis sacerdotibus, facite. Tunc venientes apud Lampsacum, et duobus illic mensibus commorati, novissime irrita fecere, quæ ab Eudoxio et Acacio Constantinopoli sunt patrata, tenendamque fidem apud Seleuciam expositam decreverunt. Sed impius Valens, quæ apud Lampsacum gesta sunt, destruxit, et episcopos qui ibi convenerant, exsilio relegavit. Interea Valens in Antiochia plurimo tempore commoratus, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare, gentilibus scilicet, atque Judæis, necnon et omnibus hæreticis. Nam et gentiles festivitates agebant, dæmonibus ministrantes. Et post Julianum a Joviano idololatriæ vanitates exstinctas, rursus florere permisit, et Jovis cultum, atque Dionysii, sacraque Cereri jam non in occulto tanquam sub pio imperatore celebrabant, sed per mediam plateam bacchantes ubique currebant. Illis tantummodo tunc princeps erat inimicus, qui apostolicam doctrinam prædicare videbantur.* Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubibus pluviæ mista defluxit, et Constantinopolim IV *Nonas Junii* grando miræ magnitudinis decidens nonnullos homines [c] exstinxit. *Quidam sane aiunt de Valente quod Dominica uxor ejus persuaserit ei ab orthodoxa fide, quam suus germanus credebat, recedere, et tam valenter Arii sensum sectari. Porro alii scribunt, quod postquam imperaverit, et ab Eudoxio rebaptizatus sit, juramento ei firmaverit in ipso baptismate cum Ario se sensurum, et Homousion minime recepturum. Interea Valente in Syria moram faciente, surrexit Constantinopoli tyrannus Procopius nomine, qui parvo tempore multam sibi militiam catervans, festinabat adversum imperatorem, quod dum ei nuntiatum fuisset, paululum suum impetum retinuit. Cumque belli eventus interea parturiret,* terræmotus factus est per universum orbem, [d] ita ut Siciliæ, et multarum insularum urbes concussæ et subrutæ, innumerabiles etiam populos ruinis [e] oppresserint. *Circa Bithyniam vero tam ingens fuit, ut Nicæam subverteret urbem; sed etiam mare terminos suos immutavit, et in quibusdam locis tanto impetu influxit, ut loca quæ pridem ambulari poterant rigarentur. Ab aliis vero locis tantum recessit, ut arida tellus inveniretur. Sequenti autem anno Gratiani, Dagalaisique consulatu bella parantur. Cumque tyrannus Procopius de Constantinopoli egressus, castra moveret adversum imperatorem, audiens Valens venit ob Antiochia, et cum eo congressus est circa civitatem Phrygiæ Nacoliam. Et prima quidem pugna devictus est. Post paululum vero Procopium cepit, tradentibus eum Agelone, Gomarioque militibus, quos etiam postea inopinatis quibusdam suppliciis jussit expendi. Despiciens enim jusjurandum, quod eis præbuerat, serris divisos crudeliter interemit. Tyrannum vero duabus vicinis arboribus flexis, singulos in eis pedes ejus ligari fecit, quæ dimissæ aerem repetentes, Procopium diviserunt. Eodem tempore dæmon quidam erroneus crudelitate*

[a] A. *Imperium resistenti illatum*, etc.

[b] A. *Esset, jussus ab imp. sacrilego, aut immolare idolis, aut militia excedere, sponte*, etc.

[c] A.: *exstinxit. His diebus Procopius apud Constantinopolim tyrannidem invadens, apud Phrygiam Salutarem exstinctus est, plurimique ejus partis cæsi, atque proscripti sunt. Circa hæc tempora terræmotus*, etc.

[d] A.: *Ita mare littus egressum, ut Siciliæ*, etc.

[e] A.: *Oppresserint. Valens interea ab Eudoxio Arianæ hæreseos episcopo baptizatus in sævissimam hæresim dilapsus est, conatusque Catholicos persequi fratris auctoritate compressus est. Ea tempestate Athanaricus rex Gothorum Christianos in gente sua crudelissime persecutus, ad coronam martyrii sublimavit. Valentinianus* etc.

Digitized by Google

*Valentis abusus, ei persuasit ut perscrutaretur quis* A *post eum esset suscepturus imperium. Quam ob rem necromantiam fecit. Quibus artibus adimpletis, plurimos ille dæmon, non quidem aperte, sed obliqua fraude responsa proferens interemit. Nam cum de imperio consuleretur, quatuor litteras demonstravit* ΘΕΟΔ *dicens, hoc nomen post Valentem imperii culmen accipere. Quod dum ad aures pervenisset imperatoris, zelo ductus multos peremit, quos tyrannidem assumere judicavit. Occidebantur itaque Theodori, Theoduli, Theodoti, et quicunque has litteras in capite sui nominis habuisset. Inter quos etiam Theodosius, vir fortis, ex Hispania provincia genus ducens, pater Theodosii, qui post imperio præfuit, occisus est. Hoc ergo timore plurimi sua nomina mutaverunt, quæ prius habuissent, negantes cum juramento, ut pericula declinarent.* B *Interea Auxentio Ariano Mediolanensi episcopo defuncto, Valentinianus convocans episcopos, hujusmodi verba apud eos locutus est: Nostis aperte, eruditi quippe divinis eloquiis, qualem oporteat esse pontificem, quia non decet eum verbo solum, sed etiam conversatione gubernare subjectos, et totius se imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conversationem bonam habere. Talem itaque eligite, et in pontificali constituite sede, cui et nos qui gubernamus imperium, sincere capita nostra submittamus, et ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario veluti curantis medicamenta suscipiamus. Hoc cum dixisset imperator, petiit synodus ut magis ipse decerneret, sapiens, et pius existens. At ille: Super vos, inquit, est talis electio. Vos enim gratia divina potiti, et illo* C *splendore fulgentes, melius poteritis eligere. Tunc sacerdotes congressi, de episcopali sede tractabant. Verum civitatis habitatores, ut assolet, tumultus faciebant, alii hunc, alii illum ordinari cupientes. Qui enim erant de Ariani Auxentii secta, similem sibi fieri concertabant, rursum orthodoxi sui dogmatis nitebantur habere episcopum. Hanc seditionem Ambrosius, cui tunc fuerat præsidialis cura commissa, cognoscens, et metuens ne quid in urbe consurgeret, ad ecclesiam confestim accessit. At illi cessante seditione communem dederunt vocem, petentes ut pastor gregis ordinaretur Ambrosius, qui nondum fuerat baptizatus. Hoc imperator agnoscens, repente jussit baptizari, et tanquam dignum virum ordinari pontificem. Noverat enim ejus certiorem* D *omni pondere voluntatem, et totius regulæ decreta subtiliora, arbitratus etiam divinum in eo esse judicium, dum in ejus electione etiam pars contraria consonaret. Is ergo sacri baptismatis dono potitus, gratiam quoque simul suscepit episcopatus. Quo facto optimus imperator hunc hymnum Salvatori, et Domino obtulisse fertur: Gratias, inquit, tibi ago, Domine omnipotens et Salvator noster, quia huic viro ego quidem commisi corpora, tu autem animas, et meam electionem ostendisti justitiæ convenire. Cumque post paucos dies sanctus Ambrosius cum multa fiducia apud imperatorem quereretur quia male a judicibus agebatur, tunc imperator ait: Hanc, inquit, confidentiam tuam dudum novi, et aperte probans non solum non restiti, sed etiam in electione ordinationis tuæ socius fui. Festina itaque sanare, sicut in divina lege præcipitur, delicta animarum nostrarum. Igitur* Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus et paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, *periculosam* Romanis finibus, eruptionem *magna mole* meditantem, in *ipsis* Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque *novorum hostium cœpit nomen novum, qui* plusquam LXXX millia, *ut fertur*, armatorum ripas Rheni fluminis insederunt. *Hos quondam subacta Germania interiore a Druso et Tiberio adoptivis filiis Cæsaris, per castra dispositos in magnam coaluisse gentem atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta Burgos vulgo vocant, eorumque esse prævalidam, et perniciosam manum, Galliæ hodieque testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt,* qui tamen non multo post tempore Christiani effecti sunt. Valentinus [a] inter hæc antequam tyrannidem invaderet, oppressus est. Valentinianus vero anno imperii sui undecimo, [b] cum *Sauromatarum gens, quæ pusilla, et infima gens est, contra eum insurgens, sese per Pannonias diffudisset,* easque [c] *devastaret, belloque ab eo superata,* apud Brigitionem oppidum [d] *Quadorum legatis missis pacem expostularet: cum a legatis eorum sciscitaretur utrum Sauromatæ tales, et tam vilium corporum omnes existerent, respondentibus imperatori: Quia meliores eorum hic habes, et vides; tum validissime ille clamans ait: Atrox in Romanum imperium sustinet ad Valentinianum pertingens, si Sauromatæ tales existentes contra Romanos insurgunt. Ex animositate autem nimia, et plausu manuum vena corporis recisa, et plurimo erumpente sanguine,* quæ Græce ἀπόπληξις vocatur, voce amissa, sensu integer expiravit: quod quidem intemperantia cibi ac [e] *securitate* plures retulere; *anno ætatis quinquagesimo et quinto, consulatu Gratiani et Equitii,* XV *Kalend. Decembris.* Fuit autem imperator egregius, vultu [f] *decorus*, solers ingenio, animo [g] gravis, Aureliano similis, sermone cultissimus, quanquam esset ad loquendum parcus, severus, vehemens, [h] infestus vitiis, maximæque [*F. leg.* maxime] avaritiæ. Severitatem tamen ejus nimiam et parcitatem quidam crudelitatem et avaritiam interpretabantur. Acer in his quæ *me moraturus sum*, Adrianoque proximus, pingere venustissime, meminisse, nova arma meditari, fingere cera seu limo simulacra, prudenter uti locis, temporibus, sermone, atque, ut breviter concludam, si ei [i] *infidis* hominibus, quibus se quasi fidissimis prudentissimisque dederat, cavere aut probatis *eruditisque*

[a] A., *inter hæc in Britannia antequam*, etc.

[b] A., *cum Sarmatæ sese*, etc. *diffudissent.*

[c] A., *vastarent bellum in eos parans, dum apud*, etc.

[d] A.: *Squadorum legationi responderet, anno ævi quinto et quinquagesimo subita effusione sanguinis, quæ Græce apoplexis*, etc.

[e] A., *saturitate.*

[f] A., *decens.*

[g] A., *gravis, moribus Aureliano*, etc.

[h] Ms., *infectus.*

[i] A., *fœdis.*

*monitoribus* uti licuisset, perfectus haud dubie princeps [a] enituisset. *Itaque eo mortuo Italiæ milites sexto die post mortem ejus Valentinianum puerum ejus, filium adhuc quadriennem, auctore Equitio, et Merobaude e propinquo, ubi cum matre fuerat allatum, creant imperatorem. Cujus imperium frater, et patruus, licet ingrate, quod eis ignorantibus factum sit, tamen postea susceperunt.*

## VALENS.

Anno ab Urbe condita [b] 1128, Valens *quadragesimus tertius* imperium Orientis quatuor annis Valentiniano mortuo tenuit, Gratiano Valentiniani filio in Occidentali parte [c] regnante, *una cum Valentiniano fratre parvulo.* Hic enim Valentinianus de Justina secunda uxore Valentiniani natus [d] erat, *quem, jubente Severa conjuge priore, Valentinianus hoc modo duxisse probatur. Justus Justinæ pater, cum esset Piceni judex Constantii temporibus, vidit in somniis quomodo ex dextero femore imperialem purpuram genuisset. Cumque visio per multos recitaretur, ad aures Constantii pervenit. At ille considerans somnium, tanquam imperator ex eo nasceretur, mittens occidit Justum, cujus filia Justina virgo permansit. Posteriore vero tempore pervenit ad notitiam Severæ, ad quam frequentius veniebat, et amabatur ab ea, ita ut etiam balneis cum ea uteretur. Cumque Severa secum lavantem Justinam diutius inspexisset, pulchritudine virginis oblectata, et amore capta, dixit imperatori, quod sic esset speciosa Justina virgo, ut etiam ipsam deceat esse uxorem imperatoris. Valentinianus vero ejus sermone concepto, Justinam ducere tractabat uxorem, non tamen Severam abjicere, ex qua natus fuerat Gratianus. Legem itaque publice protulit per civitatem dispositam,* ut omnes qui voluissent impune bina matrimonia susciperent. Nam ideo populosas fore gentes, quia hoc apud eas [e] solemne est. *Cumque posita lex haberetur, ipse Justinæ conjunctus est, ex qua natus est Valentinianus iste, et filiæ tres, Justa, Grata, Galla. Quarum duæ quidem in virginitate permanserunt. Gallam vero postea major Theodosius imperator duxit uxorem, ex qua Placidia ejus filia noscitur esse progenita, quæ postea de matris nomine Gallæ cognomentum accepit.* Valens *interea* impietatem, quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data, ut monachi militarent, nolentes per tribunos et milites fustibus interfici jussit. Quorum innumera multitudo, *quæ* per vastas tunc Ægypti [f] solitudines *habitabat, arenasque diffusas, qua propter sitim, ac sterilitatem, periculosissimamque serpentium abundantiam, conversatio humana non* A *esset, magna habitantium monachorum multitudo compleverat,* præcipueque apud Nitriam martyrii consecuta est palmam. Ac per singulas ubique provincias adversus catholicas Ecclesias, et rectæ fidei populos, diversa sunt illata incommoda. Interea in partibus Africæ *quidam* Firmus sese, excitatis Maurorum gentibus, regem constituens, Africam Mauritaniamque vastavit. *Cæsaream urbem nobilissimam Mauritaniæ dolo captam barbaris in prædam dedit.* Contra quem Theodosius pater Theodosii, qui postmodum imperio [g] præfuit, [h] *comes*, a Valentiniano *majore* missus, effusas Maurorum gentes multis præliis [i] *fudit*, ipsum Firmum afflictum et oppressum ad mortem coegit. Qui postquam experientissima providentia *totam cum Mauritania* Africam composuisset, stimulante invidia B jussus a Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum [j] præoptavit. *At postquam sacramentum Christi, quod quæsierat, assecutus est, post gloriosam sæculi vitam, de vita æterna securus,* percussori ultro jugulum præbuit. *Circa hæc tempora Gothi trans Istrum constituti, civile bellum inter se duabus partibus commoverunt. Unius præerat Fridigernus, alterius Athalaricus. Fridigernus autem cum suis omnibus Arianus erat, Athalaricus vero cum suis paganus. Cumque prævaluisset Athalaricus, Fridigernus auxilium a Valente postulat, per Ulfiam episcopum suum Arianum, qui moratus sub Constantio fuerat cum Eudoxio et Acacio Arianis, qui etiam litteras Gothicas primus adinvenit, et Scripturas divinas* C *in eam linguam convertit. Statim Valens præcepit Thraciæ militibus, ut Fridigerno auxilia commodarent. Hoc solatio victus Athalaricus etiam in fugam est conversus. Non post multum vero tempus denuo Gothis inter se compactis, Ulfias non solum Fridigerni Gothos, sed etiam Athalarici edocebat. Tunc Athalaricus religionem propriam violari dolens, multos ex suis Arianos factos suppliciis tradidit, quos hactenus Ariani martyres appellant. Quam ob rem Fridigernus cum suis occidentalem partem petiit, Athalaricus vero cum suo exercitu ibidem remansit. Hi vero, qui cum Fridigerno occiduas petierant regiones, ab Occidente lingua patria Visigothi, id est, Occidentales Gothi, sunt appellati, hi vero qui cum Athalarico in propriis sedibus remanserant, Ostrogothi, id est, Orientales Gothi, sunt dicti.* D Ea tempestate gens Hunnorum diu *in propriis, et* inaccessis clausa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque conturbatos ab antiquis sedibus expulit. *Nam hos, ut refert antiquitas, ita exstitisse comperimus, Filimer rex Gothorum Gadarici magni filius, post egressum Scanticæ insulæ jam quinto*

[a] A., post *enituisset. Anno*, etc.

[b] A., 39.

[c] A.: *Regnante, qui sibi Valentinianum fratrem parvulum admodum socium creavit imperii.*

[d] A.: *Erat; nam Valentinianus senior, dudum laudante uxore sua pulchritudinem Justinæ, sibi eam sociavit in matrimonio legesque propter illam concessit*, etc.

[e] A.: *Solemne est. Accepta ergo, ut diximus, Valentinianus Justina, edidit ex ipsa quatuor filios, Valentinianum, quem sibi, ut præmisimus, Gratianus sociavit in regno, et Gratam, Justamque, et Gallam, Valens igitur impietatem*, etc.

[f] A., *solitudines effusa, præcipueque*, etc.

[g] A., *præfuit, pater, a Valentiniano*, etc.

[h] Ms. Francisci Pithœi: *Cum comitacensi auxilio Theodos. magist. equitum.*

[i] A., *fregit.*

[j] A.: *Præoptavit, ac demum gloriosa morte occumbens, percussori*, etc.

Digitized by Google

*loco tenens principatum Getharum, qui et terras Scythias cum sua gente introiit, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gothico sermone Alyrumnas vocant, easque habens suspectas, de medio sui proturbavit, longeque ab exercitu suo fugatas, in solitudine coegit errare. quas silvestres homines, quos nonnulli faunos phicarios vocant, per desertum vagantes dum vidissent, et earum complexibus in coitum emiscuissent* [*F.* emicuissent], *hoc genus ferocissimum ediderunt. Quod fuit primum inter paludes Mæotidas, minutum, tetrum, atque exile, quasi inhumanum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat. Tali igitur stirpe Hunni creati, Gothorum finibus advenerunt. Nam et quos bello forsitan minime superabant, vultus sui terrore nimium pavorem ingerebant, et terribilitate fugabant. Eo quod erat ejus species pavendæ nigredinis, et velut quædam, si dici fas est, offa deformis, non facies, habensque magis puncta quam lumina, quorum animi fiduciam torvus prodit aspectus, qui etiam in pignora primo die nata desæviunt. Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, et sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam in cicatrices absumit. Exigui quidem forma, sed argutis motibus expediti, et ad equitandum promptissimi, scapulis latis, et ad arcus sagittasque parati, firmis cervicibus et superbia semper erecti. Hi vero sub hominum figura vivunt belluina sævitia. Quod genus expeditissimum multarumque nationum grassatorium, ut viderunt* Gothi, transito Danubio, fugientes, a Valente sine ulla fœderis pactione [a] suscepti sunt: *tribuens eis terras Thraciarum ad habitandum, arbitratus præparatum solatium ab eis habere contra omnes barbaros, hac pro re milites de cætero negligebat, et eos qui dudum contra hostes elaboraverunt imperator despiciebat. Etiam collatores suos præcepit provinciæ per vicos et civitates, per unumquemque militem octoginta solidos exigere. Hoc ergo fuit initium, ut in illo tempore Romana resp. calamitatibus subderetur. Barbari namque cum Thracias continuissent, licenter Romanorum vastabant provincias, depopulantes vicinas civitates. Interea Valens ab Antiochia Constantinopolim veniens, apud Bosphorum cognoscens Gothorum gentem commotam fuisse ad bellum, mox ad Valentinianum fratrem misit, solatia petens. At ille rescripsit ei quia religiosum non esset nec justum talem virum jura imperii regere, qui Deo rebellis existeret, sed magis esset justum ut ejus superbia sedaretur. Quod dum ille miserrimus agnovisset, licet majori necessitate constrictus, non tamen a sua nimietate cessavit, sed fuit veritati rebellis. Terentius igitur interim victor reversus est ab Armenia, vir optimus, et pietate*

A *decenter ornatus. Tunc ei jussit Valens poscere dona quæ vellet. At ille, quod decebat pium virum cogitare, respondit non aurum, non argentum, non prædium, non cingulum, se petere, neque domum, sed ut eis qui pro apostolica doctrina pericula sustinuerint una præberetur ecclesia. At ille petitionem ex scripto susceptam cognoscens disrupit, eumque alia postulare præcepit. Verum ille: Verba precum, inquit, suscipe, o imperator, et habeo donum, aliud vero non postulo. Intentionis meæ judex est universorum Judex. Cum ergo Valens, Bosphoro trajecto, venisset in Thraciam, primum quidem Constantinopoli commoratus est, præparans bellum, deinde Trajanum magistrum cum expeditis contra Gothos destinavit, qui victus ignominiose est reversus, cui cum Valens mollitiem exprobraret,* B *respondit: Non ego victus sum, imperator, sed tu, qui contra Deum pugnas, et barbaris nutum ejus concilias. An nescis quos ob Ecclesiis expulisti, et quibus eas tradidisti? Interim barbari per Thracias discurrentes etiam Constantinopoleos suburbana incendiis cædibusque vastabant, non existente qui eis fortiter resistere prævaleret. Qui dum usque ad muros venissent urbis, afflicta civitas contra imperatorem murmurat. Ille sera* peccati pœnitentia stimulatus, episcopos, cæterosque sanctos revocari de exsiliis [b] imperavit. *Circenses igitur agebantur ludi, et illic Valentem conviciis accumulabant invalidum, et bellorum fugacem, clamabant dicentes: Da arma, et nos pugnamus. Hinc ira accensus imperator III Idus Junii a Constantinopoli egressus est,* C *interminans se pœnas pro injuriis, cum rediret, a Constantinopolitanis civibus exacturum, quod primi ut videbantur Procopio præbuisse solatium, ita ut civitatem aratro vertere minaretur. Isacius vero sacer monachus tenens frenum equi regis Valentis, cum novissime egrederetur in prælium, ait ad eum: Quo vadis, imperator, adversum Deum pugnans, et Deum adversarium habens? Quem iratus carceri tradidit, mortem illi minatus si rediret, quemadmodum Michææ quondam Achab. Post congressionem autem ejus quidam ex suis confessi sunt, quod præceperit divinationes fieri de impetu belli, quod sibi imminebat. Deduxit igitur Constantinopolitanos usque ad urbem Adrianopolim, quæ est in confinio Macedoniæ. Denique quinto decimo imperii sui anno, lacrymabile cum Gothis bellum commisit.* D Ad primum Gothorum impetum perturbatæ sunt Romanorum equitum turmæ, nudatosque pedites deseruere. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti, cum amentes metu huc illucque fugitarent, [c] funditus *cæsi insequentum gladiis contisque periere.* Ipse imperator sagitta [d] saucius, versusque in fugam, ob dolorem [e] nimium, *dum de equo laberetur,* in vilissima deportatur casa. *Ubi* supervenientibus Gothis, igne supposito, *incendio*

[a] A.: *Suscepti sunt. Deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi Ducis, fame compulsi, in arma surgentes, victo Valentis exercitu, sese per Thracias infudere, omnia cædibus incendiisque vastantes. Quibus cognitis, Valens Antiochia egressus cum adversus Gothos exercitum aptaret sera*, etc.

[b] A.: *Imperavit. Denique lacrymabili cum Gothis bello commisso, ad primum*, etc.

[c] A., *funditus interiere. Ipse*, etc.

[d] A., *saucius est.*

[e] A., *nimium, sæpe equo*, etc.

Digitized by Google

[a] crematus est, v *Idus Augusti, anno vitæ quinquagesimo, imperii anno cum fratre Valentiniano decimo tertio, post mortem ejus, annos duos, menses quinque, dies tredecim. In quo probanda hæc fuere. Fuit possessoribus, et cultoribus bonus, mutare judices rarus, in amicos fidus, irasci sine noxa, ac periculo cujusquam, sane valde timidus. Quidam autem dicunt quod divinus Isacius in carcere, dum cremaretur, fetores ejus divina gratia et munditia animo deprehenderit, prædixeritque interemptionem ejus his qui secum erant, antequam nuntii advenissent, qui gesta prælii nuntiarent.* Justo itaque Dei judicio ab illis igne crematus est, quos igne perfidiæ succenderat, *namque petentibus Gothis ut eis episcopos mitteret, a quibus fidei rudimenta susciperent, ille doctores Ariani dogmatis misit. Sicque universa gens illa Ariana effecta est.* B Gothi vero imperatore occiso *denuo* jam [b] *securi, usque ad muros Constantinopoleos venientes, ejus suburbana vastabant. Quapropter cives qui arma tulerant, et portare valebant, quæ invenissent, hostibus, ut poterant, resistebant. Dominica vero uxor Valentis, præmia ex ærario publico bene pugnantibus secundum consuetudinem militum ministrabat. Quibus etiam Saraceni præbuere solatia, quæ eorum Regina nomine Mavia Romanorum fœderata direxerat.*

## GRATIANUS.

Anno ab Urbe condita 1132, Gratianus [c] XLIV ab Augusto post mortem Valentis sex annis imperium [d] tenuit. Igitur Gratianus admodum juvenis, cum inæstimabilem multitudinem hostium Rom. finibus infusam cerneret, fretus Christi potentia, longe impari militum numero sese in hostem dedit, et continuo apud [e] *Argentoratum* oppidum Galliarum formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plusquam xxx millia Alamannorum, minimo Romanorum detrimento, in eo prælio interfecta [f] narrantur. Eo tempore in Galliis apud Turonos beatissimus Martinus multis lampadabat virtutibus, totoque orbe [g] doctrinis, et *scientiæ lumine clari*, apud Bethlehem civitatem [h] Palæstinæ Hieronymus *presbyter, apud Hipponem civitatem Numidiæ Augustinus episcopus, radiabant.* Porro Gratianus cum animadvertisset Thraciam Daciamque tanquam genitales terras possidentibus Gothis, Thayfalisque, atque omni pernicie atrocio- A ribus Hunnis, et Alanis, [i] extremum *omni Rom. imperio* periculum instare, *relicta Italia in Pannoniam venit. Ea tempestate Theodosius, tam propter parentum nobilitatem quam pro fortitudine propria nominatissimus habebatur, et ob hanc causam invidia similium judicum fatigatus, in Hispania morabatur, ubi et ortus fuerat, et nutritus. Cumque imperator quid faceret hæsitaret, quippe cum barbari elevati victoria inexpugnabiles esse viderentur,* eadem provisione, qua quondam elegerat Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem Resp. reparata est, ascivit et ipse nihilominus æque ab Hispania [j] Theodosium, *et ejus ducatu credens Barbaros posse superari. Repente siquidem eum magistrum militum esse denuntians, cum exercitu ad barbaros destinavit.* Itaque Theodosius afflictam Remp. ira Dei, credidit misericordia Dei reparandam. Omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidatasque cunctis majoribus, Alexandro quoque illi magno, *sicut Pompeius, Corneliusque testati sunt*, evitatas, [k] *extunc* exstincto Romano exercitu, Romanis armis, equis instructissimas, hoc est Alanos, Hunnos, Gothos, incunctanter [l] aggressus *est. Barbari vero impetum non ferentes, suas acies reliquerunt, et illi quidem fugiebant, hi vero sequebantur, immensæque cædes tunc facta est barbarorum. Pauci vero, qui evaserant, latenter Istrum fluvium transierunt. Mox dux optimus, exercitu disperso per vicinas urbes, ipse velociter remeavit ad principem, ita ut ipse triumphorum suorum nuntius exstitisset, quod tamen ipsi imperatori, dum miraretur factum,* C *incredibile videbatur. Invidi siquidem etiam eum fugisse dicebant, et exercitum perdidisse. At ille derogantes sibi petiit dirigi, qui viderent multitudinem hostium peremptam. His verbis imperator flexus, direxit qui res actas inspicerent, atque nuntiarent. Porro dux optimus inter hæc divinam visionem vidit, et ab ipso omnium Deo aperte sibi monstratam conspexit. Viderat enim in somnis, quia sanctus Meletius Antiochiæ civitatis episcopus eum chlamidem vestiret imperialem, et corona caput ornaret. Hæc cum nocte vidisset, cuidam mane retulit amicorum. At ille clarum esse somnium dixit, et nihil ænigmaticum, nihil dubium continere. Cumque pauci transissent dies, qui pro victoriæ inspectione missi fuerant, remearunt, peremptaque hostium multa*

[a] A.: *Crematus est. Denique petentibus Gothis ut eis episcopos mitteret, a quibus fidei rudimenta susciperent, Valens doctores ad eos Ariani dogmatis misit, sicque universa illa gens effecta est Ariana. Justo*, etc.

[b] A.: *Securi, ad urbem properant Constantinopolitanam, ubi tunc Dominica Augusta Valentis uxor, multa pecunia plebi largita, ab urbis vastatione hostem submovit, regnum cognatis fideliter viriliterque servavit. Anno*, etc.

[c] A., *XL.*

[d] A.: *Tenuit, quamvis jamdudum ante eum patruo Valente, et cum Valentiniano fratre regnaret. Igitur*, etc.

[e] A., *Argentariam.*

[f] A.: *Narrantur. Hoc denique ei recta fidei cultura tribuit. Nam cum usque ad id tempus Italiæ Arianæ perfidiæ morbo langueret, post Auxentii seram mortem, cum Ambrosius ex pagano judice, subito apud Medio-* D *lanum divino nutu episcopus cunctis fuisset electus, moxque catholico baptismate tinctus, præsul esset ordinatus, cumque pro fide catholica libros Gratiano imp. porrexisset, ac veneratione, qua debuerat susceptus esset, universa statim ad rectam fidem Italia repedavit. Eo tempore*, etc.

[g] A., *doctrinis et scientia clarus.*

[h] A.: *Palæstinæ situs radiabat Hieronymus. Porro*, etc.

[i] A., *extremum Romano omni.*

[j] A.: *Theodosium, faventibus cunctis, apud Syrmium purpura induit, ætatis annum tertium trigesimumque agentem, Orientisque et Thraciæ simul imperio præfecit. Itaque*, etc.

[k] A., *at tunc*, etc.

[l] A.: *aggressus, magnis, multisque præliis vicit. Urbem Constantinopolim victor intravit.*

Digitized by Google

*millia narraverunt. Quam ob rem lætatus princeps Gratianus Theodosium, cunctis faventibus, apud Sirmium purpura induit, ætatis annum tricesimum et tertium agentem, Orientisque, et Thraciæ simul imperio præfecit, consulatu Ausonii, et Olibrii*, XVIII *Kal. Febr. Igitur Theodosius urbem Constantinopolim triumphans* intravit. Et ne parvam ipsam Romani exercitus manum assidue bellando deterreret, fœdus cum [a] *Athalarico* rege Gothorum percussit. Athalaricus Constantinopolim venit ad Theodosium, quem ille mira animi jucunditate suscepit, et affectione. Denique cum urbem Athalaricus intrasset, et tam ædificia civitatis, quamque exornati quasi ad diem festum populi frequentiam cerneret, ac per singula inhæreret mente, cumque deinceps imperatoris regiam ingressus obsequia, officiaque diversa conspiceret : Sine dubio, inquit, deus terrenus est imperator, contra quem quicunque manum levare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus erit. Nec mora tamen, superveniente invaletudine, rebus excessit humanis. Cujus exsequias imperator ipse præcedens, digne eum tradidit sepulturæ. At universæ Gothorum gentes, rege defuncto, aspicientes virtutem, benignitatemque Theodosii, Romano sese imperio dediderunt. In his etiam diebus [b] Parthi *qui Juliano interfecto, aliisque imperatoribus sæpe victis, nunc etiam Valente acto, recentissimæ victoriæ satietatem cruda insultatione ructabant, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt, junctumque cum eis fœdus est. Interea Theodosius, causa fœderis a Gothis acceptis obsidibus, Thessalonicam venit. Ubi, cum in ægritudinem incurrisset, baptizari cupiens, Acolium ejus civitatis Episcopum requisivit, cujus fidei esset, quo respondente, quod Ariana pestis in Illyricum non voluisset accedere, sed inviolatam ab initio Nicæni concilii fidem conservarent, ille libenter verba ejus suscipiens, baptizatus atque ab ægritudine liberatus est. Inter hæc imperator Theodosius filium suum Arcadium designavit Augustum, consulatu Merobaudis secundo, et Saturnini*, XIV *Kalen. Februarii. In Italia vero puero satis existente Valentiniano, rerum curam Probus ex Consule præfectus habebat. Justina vero Valentiniani mater cum esset Ariana, vivo quidem marito lædere non præsumpsit orthodoxos; eo mortuo, et filio*

A *valde juvenculo, Mediolanum veniens Ambrosio erat infesta, ita ut eum juberet exsilio destinari. Cumque de ecclesia juberetur exire, Ambrosius ait : Ego sponte hoc non ago, ne lupis septa contradere videar, atque blasphemantibus Deum. Hic si placet occide, hoc loco mortem prona voluntate suscipiam. Ea tempestate* Maximus, vir quidem [c] strenuus, et Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britannia ab exercitu invitus imperator creatus, in Galliam transiit. At vero Gratianus, dum exercitum negligeret, et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, adeoque barbarorum comitatu, et prope amicitia captus esset, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Maximus igitur ab infensis Gratiano *militibus*, et legionibus exceptus, eumdem subita incursione perterritum atque in Italiam transire cupientem, dolis [d] circumventum *interemit. Causa autem interfectionis ejus hæc fuit : Maximus enim opinionem misit in vulgus, quia uxor Gratiani suo viro festinaret occurrere, in Lugduno Galliæ civitate fluvium transeunti. Gratianus autem credens conjugem Creusam venire, quam nuper acceperat, non præcavens insidias, et veluti cæcus in foveam immanis hostis incurrit. Dum ergo venisset Gratianus quasi ad uxoris vehiculum, ex improviso exsiliens Andragatius Gratianum interemit. Mortuus est autem consulatu Merobaudis et Saturnini, anno imperii decimoquinto, vitæ vicesimo nono. Mox Maximus Valentinianum Augustum cum matre Justina Italia expulit in Illyricum. Deinde Constantinopolim venit*, *et a* Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam imperio restitutus est. Fuit autem Gratianus *Sirmii genitus*, litteris haud mediocriter institutus : carmen facere, ornate loqui, explicare controversias Rhetorum more : nihil aliud die, noctuque agere, *nisi* [e] *spiculis* meditari, summæque voluptatis, divinæque artis credere, destinata ferire, parcus cibi, somnique *et vini*, ac libidinis victor, cunctisque esset plenus bonis, si ad cognoscendam Reip. gerendæ scientiam animum intendisset, a qua prope alienus, non modo voluntate, sed etiam exercitio fuit, *id est, plus fere lætus, quam sufficiebat, et plus verecundus, quam Reip. intererat.*

[a] A., *Athanarico*, quem semper ita nominat.

[b] A. : *Parthi, cæteræque barbaræ nationes Rom. prius nomini inimicæ ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt, junctumque cum eis fœdus est. Interea cum Theodosius in Oriente, subactis barbarorum gentibus, Thracias tandem liberas ab hoste reddidisset, et Arcadium* D *filium suum consortem fecisset imperii, Maximus, vir*, etc.

[c] A., *strenuus, et probus, atque Aug.*

[d] A. : *circumventum interfecit ætatis annos novem et viginti habentem, fratremque ejus Valentinianum Aug. Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens a Theodosio paterna*, etc.

[e] A., *quam spiculas meditari.*

# LIBER DECIMUS TERTIUS.

### THEODOSIUS.

Anno ab Urbe cond. [a] 1139, Theodosius genitus patre [b] Theodosio, matre Thermantia, [c] *quadragesimus quintus ab Augusto*, interfecto per Maximum Gra-

[a] A., 38. Ita et Ms. Paul. et vulgati.

[b] Al., *Honorio*.

[c] Al., 41 *imperatorum, interfecto*, etc.



Digitized by Google

tiano, imperium Romani orbis solus obtinuit, mansitque in eo annis undecim, cum jam in Orientis partibus sex annis Gratiano *largiente et simul imperante* [a] *regnasset*. Necessariisque causis ad bellum civile permotus, cum e duobus Augustis fratribus, unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret, sese adversus Maximum tyrannum sola fide major, nam longe minor universi apparatus bellici comparatione, proripuit. Aquileiæ tunc Maximus insedebat. Andragatius comes ejus summam belli administrabat, qui cum largissimis militum copiis astuto consilio omnes Alpium ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem prævenire parat, et obruere, sponte eadem claustra, quæ obstruxerat, deseruit. Ita ergo Theodosius, nemine sentiente, vacuas Alpes intravit, atque Aquileiam improvisus adveniens, magnum hostem, ac trucem Maximum, et ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exigentem, sine controversia [b] clausit. *Cumque Maximi milites impetum imperatoris sustinere non prævalerent, apprehendentes tyrannum, vinctum ei protinus obtulerunt. Qui eorum consulatu peremptus est* VI *Kal. Septembris*. Hanc Maximo perditionem beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus recepto Italiæ potitus imperio est. Andragatius comes, *qui peremerat Gratianum*, cognita Maximi nece, [c] præcipitem e navi *in vicino fluvio semetipsum projiciens* suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam Deo procurante suscepit. Victorem quoque Maximi filium, quem imperatorem pater Galliis infantili ætate reliquerat, [d] exstinxit. *Tunc igitur imperatores Valentinianus et Theodosius peracta victoria Romam venere. Erat enim cum eis Honorius adhuc puer, quem pater post victoriam contra Maximum gestam ab urbe Constantinopolitana evocaverat. Theodosius igitur imperator in Urbe Roma consistens multum profuit civitati, alia præbendo, alia utiliter auferendo. Duas tamen res dignas confusione prohibuit. Erat ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata, in qua panis fiebat, qui universæ civitati ministrabatur. Horum mancipes, tempore procedente, pistrina publica latrocinia esse fecerunt. Cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum domuum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos reciperent, alios, qui pro pane veniebant, alios, qui pro luxuriæ turpitudine ibi festinabant. Arte namque mechanica in molam de taberna cadebant, et hoc patiebantur maxime peregrini, et ita latebant clausi, ut multi usque ad senectutis tempus laborantes, inde non permitterentur exire, æstimantibus eorum propinquis esse defunctos. In hujusmodi laqueos miles quidam Theodosii incurrit. Cumque fuisset clausus ad molam, nec dimitteretur exire, evaginato gladio prohibentes occidit. At illi terrore detenti militem dimiserunt. Hoc agnoscens imperator, et mancipes suppliciis occidit, et ipsam pistrinam destruere funditus præcepit. Aliam rursus abrogavit hujusmodi causam. Si qua mulier in adulterio capta fuisset, hoc non emendabatur, sed potius ad augmentum peccandi contradebatur. Includebant eam in angusto prostibulo, et admittentes, qui cum ea fornicarentur, hora, qua turpitudinem agebant,* [e] *tintinnabula percutiebant, ut eo sono illius injuria fieret manifesta. Hæc audiens imperator permanere non est passus, sed ipsa prostibula jussit destrui. His actis relicto Valentiniano Romæ, ipse cum Honorio Constantinopolim remeavit, consulatu* [f] *Datiani et Symmachi,* IV *Idus Novembris. Igitur Theodosius Imperator habuit passionum quoque permotionem, justoque furori immensam permiscens crudelitatem, injustam operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium est, et pro utilitate legentium, et pro memorabili opinione virtutum. Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua dum orta fuisset seditio, quidam judicum lapidati sunt atque tracti. Hinc indignatus Theodosius, iracundiæ non refrænavit infirmitatem, sed ad ludos circenses invitari cives jussit, et super omnes* [g] *injustos gladios evaginari præcepit, et una cum nocentibus innocentes interimi:* [h] *septem millia hominum, sicut fertur, non præcedente judicio, sed tanquam in messe omnes simul occisi sunt. Hujusmodi cladem gemitibus plenam audiens Ambrosius, cum princeps Mediolanum venisset, et solemniter in sacrum voluisset intrare templum, occurrit foris ad januas, et ingredientem his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit dicens: Nescis, imperator, perpetratæ necis quanta sit magnitudo, neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii. Decet tamen ut vincat hic ratio potestatem. Scienda quippe natura est, ejusque mortalitas, atque resolutio, et pulvis progenitorum, ex quo facti, ad quem redigendi sumus; et non flore purpureo confidentem, infirmitates operti corporis ignorare.* [i] *Coæqualium hominum es imperator et conservorum. Unus enim omnium Dominus rex et creator. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? quibus calcabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies Domini corpus? Qua præsumptione ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, cum furore sermonum tantus injuste sit effusus sanguis? Recede igitur, recede, ne secundo peccato, priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum,*

[a] A.: *Gratiano vivente regnasset. Itaque justis, necessariisque*, etc.

[b] A., *clausit, cepit, occidit. Hanc*, etc.

[c] A.: *præcipitem sese e navi in undas dedit, ac suffocatus*, etc.

[d] A.: *exstinxit. Igitur Valentinianus junior cum in Gallias transiisset, ibique tranquilla Reip. in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui strangulatus, atque ut*, etc.

[e] Cedreno, κώδωνα.

[f] Marcellino, *Tatiani*.

[g] Ἄδικα ξίφη κατὰ πάντων ἐγύμνωσε. Cedrenus, quem vide.

[h] Zonaras, *XV millia*.

[i] Ὁμοφύλων βασιλεύεις.

*quo te omnium Dominus nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus imperator obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus) et aperte sciens quæ sint propria sacerdotum, quæ regum, gemens et deflens, ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuorum transissent tempora, appropinquavit Nativitas Salvatoris nostri. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus magister, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns in lamentatione principem prostratum, accessit lacrymarum causas inquirere. At ille amarissime ingemiscens et vehementius lacrymas fundens: Tu, inquit, Rufine, ludis, et mea mala non sentis. Ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia servis quidem mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum licenter exorant, mihi vero ingressus ad eum non est. Insuper, et cœli sunt clausi. Hæc dicens, verba singula singultibus rumpebat. Rufinus: Curro, inquit, si tibi placet, et pontifici precibus persuadeo ut solvatur vinculum quod ligavit. At imperator: Non, inquit, suadebis Ambrosio. Novi ego decretum illius esse justum, neque reverebitur imperialem potentiam, ut legem possit prævaricare divinam. Cumque Rufinus verbis plurimis uteretur, ut promitteret Ambrosium esse flectendum, imperator eum cum festinatione pergere præcepit. Ipse vero spe data post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus. Porro vir mirandus Ambrosius, mox ut vidit Rufinum, ait: Impudentiam canum imitatus es, o Rufine; tantæ videlicet necis auctor existens, pudorem ex fronte detergens, nec erubescis, nec metuis contra imaginem latrare divinam. Cumque Rufinus supplicaret, et imperatorem diceret esse venturum, superno zelo accensus, ait: Ego tibi, Rufine, prædico quoniam eum ingredi limina prohibebo; si vero imperium in tyrannidem mutavit, necem ego libenter suscipio. Hæc et alia Rufinus audiens nuntiavit imperatori votum antistitis, monens ne de palatio forte procederet. At imperator in media platea jam cognoscens: Pergo, inquit, et justas in facie suscipio contumelias. Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non præsumpsit intrare, sed veniens ad antistitem, et inveniens eum in* [a] *Salutatorio residentem, supplicabat ut ejus vincula resolveret. At ille tyrannicam ejus dicebat esse præsentiam, et contra Deum insanire Theodosium, ejus calcare leges. Verum imperator: Non assurgo, inquit, adversus Ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo, sed te solvere vincula mea deposco, et communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi januam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes: Quam pœnitentiam, inquit, ostendisti post tantas iniquitates? quibus medicaminibus incurabilia vulnera, plagasque curasti? At imperator: Tuum, inquit, opus est edocere, et mea medicamina temperare, meum vero oblata suscipere. Tunc sanctus Ambrosius: Quomodo furori, inquit, tuum judicium commisisti, et non ratio protulit sententiam, sed potius iracundia? scribe legem, quæ legem furoris evacuet, et triginta diebus sententia necis atque proscriptionis tantummodo in litteris maneat, et judicium rationis exspectet. Quibus transactis diebus, ira videlicet jam cessante, ratio causam judicans apud semetipsum, quæ cognoverit, sub veritate disponat. In his enim diebus cognoscitur, si justa sit quam protuleris sententia, aut injusta. Et si quidem ratio probaverit injusta quæ sunt prolata, disrumpet; si vero justa, firmabit. Dierum vero numerus ad hæc examinanda sufficiet. Hanc admonitionem imperator licenti animo suscipiens, et optimam esse confidens legem, conscribi repente præcepit, et propriæ manus litteris confirmavit. Quo facto, vincula ejus solvit Ambrosius. Quæ lex hactenus observatur. Est autem hujusmodi: Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Augusti, Flaviano prætorio præfecto Illyrici. Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem jusserimus, pro causæ intuitu, nolumus statim eos, aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statuta eorum sors et fortuna suspensa sit. Reos sane accipiant vincla, atque custodia et excubiis solertibus vigilanter observentur. Sic igitur sacratissimus imperator, ingredi limina præsumens, non stans Domino supplicavit, neque flexit genua, sed pronus in pavimento jacens, Davidicam proclamavit vocem:* [b] *« Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum. » Manibus barbam capillosque evellens, frontem percutiens, et pavimento lacrymarum guttas aspergens, veniam impetrare poscebat. Cumque tempus accederet quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lacrymis est ingressus. Cum vero obtulisset, sicuti solitus erat, intra* [c] *cancellos stetit. Rursus autem Ambrosius non quievit, sed differentiam locorum edocuit. Et primo quidem requisivit quid ibidem exspectaret. Imperatore dicente sustinere se sacrorum perceptionem mysteriorum, per archidiaconum remandavit: O imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ cæteri nec contingere nec ingredi permittuntur. Egredere igitur, et hanc exspectationem cum cæteris habe communem.* [d] *Purpura namque imperatores, non sacerdotes, facit. Tunc fidelissimus imperator etiam hanc traditionem gratanti animo suscipiens, remandavit: Non audaciæ causa intra cancellos steti, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognovi. Unde gratias ago pro hujusmodi medicina. Tanta igitur et tali virtute præsul et imperator pollebant. Ego namque utriusque opus admiror. Illius fiduciam, hujus autem obedientiam; illius zeli fervorem, hujus fidei puritatem. Porro regulas pietatis, quas a magistro sacerdote recepit, etiam reversus in Constantinopolitana urbe servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altare muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius tunc præsul Ecclesiæ mandasset, cur intus stare noluisset, mandavit princeps: Vix, inquit, potui discere quæ distantia sit*

[a] Ἐν τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ. Pith.
[b] Cedren., ἐκολλήθη τῷ ἐδάφει, etc.

[c] κιγκλίδων.
[d] Ἀλουργίς.

Digitized by Google

*imperatoris et sacerdotis. Vix enim inveni veritatis magistrum. Ambrosium namque solum novi vocari digne pontificem. Habebat igitur imperator, et aliam utilitatis causam, et occasionem, per quam de bonis operibus triumpharet.* [a] *Conjux enim ejus divinas leges eum sæpius admonebat, seipsam tamen prius erudiens perfecte. Non enim regni fastigiis elevata est, sed potius divino amore succensa. Beneficii namque magnitudo majus ei desiderium benefactoris adhibebat. Repente namque ut venit ad purpuram,* [b] *claudorum atque debilium maximam habebat curam, non servis, non ancillis, non aliis ministris utens, sed per semetipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, et unicuique quod opus haberet præbens. Sic per Ecclesias, et per ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, offerens coclearia, panem frangens, cibosque ministrans, calicem diluens, et alia cuncta faciens, quæ servis ac ministris mos est solemniter observare. His autem qui eam rebus talibus nitebantur prohibere, dicebat: Aurum distribuere opus imperii est. Ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam viro suo sæpe dicebat: Oportet te semper, marite, cogitare qui dudum fuisti, qui modo sis. Hæc si semper cognoveris, ingratus Creatori benefactori non eris, sed imperium quod suscepisti legaliter gubernabis, et harum rerum auctorem placabis. His ergo sermonibus velut optimam quamdam utilitatem, virtutisque abundantiam, conjugis sui sermonibus offerebat. Igitur grammaticus quidam nomine Eugenius litterarum Latinarum doctor, relinquens scholas, in palatio militabat, eratque imperatoris Valentiniani antigraphus, et propter eloquentiam a multis honoratus. Tunc ergo fertur, non mediocriter cogitans, cooperatorem assumpsisse Arbogastem de minoribus Gallis ortum, militaris ordinis ducem, virum sævum, et necibus præparatum, cultoremque sordidissimum idolorum.* [c] *Quo facto declinavit ad tyrannidem, et contra Valentinianum necem machinabantur, cubicularios apud Viennam Galliæ urbem corrumpentes eunuchos. At illi dormientem principem suffocaverunt,* atque ut voluntariam sibi mortem conscivisse putaretur, laqueo suspensus est. Quo exstincto Arbogastes tyrannum creavit Eugenium, eligens hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium, vir barbarus animo, consilio, manu, audacia potentiaque nimius. Contraxit undique innumeras et invictas copias, vel Romanorum præsidiis, vel barbarorum auxiliis, aliis potestate, aliis cognatione [d] subnixus. *Hæc audiens imperator Theodosius, rursus sollicitudinibus obstrictus, secunda certamina post Maximum præparabat. Congregansque militarem virtutem, et Honorium filium designans imperatorem, consulatu suo,*

A *et Abundantii, IV Idus Januarii, denuo ad partes Occidentis magno studio festinabat. Interea eventum belli considerans, mittit ad Thebaida, ad Joannem monachum perspicientem clara. Ad quem destinavit Eutropium eunuchum sibimet fidelissimum, ut, aut eum, si vellet venire, deduceret, aut nolentem, de eventu belli requireret. At ille Joannem quidem deducere non prævaluit, sed mandatum retulit ejus, quod vinceret, et perimeret tyrannum, et post victoriam in Italia moreretur. Igitur Theodosius, relictis ambobus filiis in urbe Constantinopolitana, cum pergeret contra Eugenium bellaturus, plurimi trans Istrum fluvium barbari sunt secuti, cum eo pugnaturi contra tyrannum, parvoque tempore cum manu maxima venit ad Gallias. Illic enim præparabat bellum, ubi jam multa millia habebat*

B *exercitus.* Eugenius, *igitur,* atque Arbogastes cum *omni* instructa acie Alpium transitus tenerent, et Theodosius *in summis alpibus constitutus esset,* expers cibi ac somni, *cum lacrymis* orationi [e] incumbens, *et circa galli cantum sopore compressus, vidit in somnis, quasi jaceret in campo, et astarent ei duo quidam viri in vestibus albis, et equis candidissimis residentes, eumque jubentes habere fiduciam, et diluculo armare milites ad victoriam, dicebantque se pro solatio destinatos. Quorum alter Joannem evangelistam, alter se Philippum dicebat apostolum. Hac visione comperta nequaquam ab oratione cessavit, sed lacrymas uberiores effudit. Quæ visio etiam alicui militum revelata est, et per diversos venit ad principem. At ille, Non propter me, inquit, iste hæc vidit, sed ne quis crederet quia*

C *finxi quod ego vidi, ideoque etiam isti monstratum est. Nam primum mihi hoc Dominus communis ostendit. Cumque se a suis distinctum sciret,* ab hostibus circumseptum nesciret, fiducialiter arma corripiens, signo crucis signum belli dedit, ac se in prælium, etiamsi nemo sequeretur, *immisit,* victor [f] futurus. *Prima salutis via exstitit Arbitio hostilium partium comes. Qui cum ignarum imperatorem* circumpositis excepisset insidiis, conversus mox ad reverentiam [g] *imperatoris,* eum non solum periculo liberavit, verum etiam auxilio [h] instruxit. *Fit ergo congressio circa fluvium vocabulo Frigidum. Igitur in parte qua Romani contra Romanos confligebant, bella erant æqualia, unde vero barbari auxiliatores imperatoris,*

D *pars Eugenii potior esse videbatur. Imperator autem videns barbaros deperire, in maximam veniens æstuationem, et stans in edita rupe, unde et conspicere, et conspici posset ab utroque exercitu, projectis armis ad solita se vertit auxilia, et prostratus in terra jacuit, adjutorem Deum invocans et dicens: Omnipotens Deus, tu nosti quia in nomine Christi Filii tui ultionis jus æ ista prælia suscepi. Si sæviis, in me vindica, si vero*

[a] Σύζυγος ἡ Πλακίλλα ὄνομα. Cedren.

[b] Cedren., λελωβημένων, καὶ πεπηρωμένων.

[c] Aliter Zonaras et Cedrenus. Vide paulo post Marcellinum com. ex quo Miscella.

[d] A.: *Subnixus. Denique exstabat genere Francus, cultorque sordidissimus idolorum. Igitur Eugenius,* etc.

[e] A.: *Incumbens, totam noctem pervigil exegit, cum tamen se esse a suis destitutum sciret,* etc.

[f] A.: *Futurus immisit. Nam consultus Joannes Anachoreta eum victorem spoponderat. Quem cum Arbitio hostilium partium comes ignarum circumpositis,* etc.

[g] A., *Augusti.*

[h] A.: *Instruxit. Cumque ad congressionem ventum esset, vehemens turbo,* etc.

Digitized by Google

*cum causa probabili, et in te confisus huc veni, porrige dextram tuis, « ne forte dicant Gentes : Ubi est Deus eorum? » Et statim petitione frustratus non est. Quidam enim Barbarius nomine, magister militum ejus, vir fide et pietate, et virtute animi pollens, repente sic confortatus est, ut cum primis ducibus concurreret ad eam partem, qua barbari præliabantur. Quo facto, disrupit acies, et in fugam mox vertit inimicos.* Fitque *denuo ex hora miraculum.* Turbo ventorum vehemens a parte Theodosii, in ora [a] hostium, *pectoraque illisis graviter scutis everberabat, nunc impressis pertinaciter obstricta claudebat, nunc avulsus violenter destituta nudabat, nunc oppositis jugiter in terga trudebat. Tela etiam, quæ ipsi vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinato, ac retrorsum coacto, in ipsos infeliciter confligebat, et ea, quæ ab ejus parte spicula erant missa, ultra mensuram humani jactus per magnum inane portata, valenter hosti infigebat. Hoc itaque modo dimicatione consumpta, tyrannus concurrens ad pedes imperatoris exorabat promereri salutem. Qui circa pedes ejus a militibus capite secatus est,* XVI *Kalend. Octobris, consulatus Arcadii anno tertio, et Honorii secundo. Arbogastes autem tantorum causa malorum, post duos congressionis dies fuga lapsus, cum cognovisset quia vivere non posset, proprio gladio se peremit.* Præmiserat denique prius Theodosius decem millia Gothorum auxiliatorum, quæ ab Arbogaste comite funditus deleta sunt. Quos utique Theodosio perdidisse, magis lucrum quam detrimentum fuit. Ad cujus laudem ob insignem victoriam poeta quidam *nomine Claudianus,* eximius, sed [b] *paganus,* inter cætera [c] *hujusmodi Deo et homini testimonium* cecinit :

> O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti.

[d] *Ea tempestate in Orientis partibus, apud Palæstinam provinciam in castello Emaus, natus est puer, perfectus ab umbilico, et sursum divisus, ita ut haberet duo pectora, et duo capita, et unusquisque suos sensus : et unus edebat, et bibebat, et alter non edebat ; unus dormiebat, et alter vigilabat, nonnunquam insimul dormiebant. Insimul tamen ludebant ad alterutrum, et flebat uterque, et percutiebant invicem. Porro vixerunt annis ferme duobus. Et unus quidem mortuus est, alter supervixit diebus quatuor. Igitur Theodosius imperator post laborem publicum corpore fatigatus in ægritudinem incurrit, et sperans se ægritudine moriturum, potius de rep. cogitabat, considerans quæ solent provenire hominibus imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantinopoli evocavit, et imperatorem Romæ ornavit. Cumque Honorius Mediolanum venisset, Theodosius ex ægritudine relevatus, Circum de victoria celebrabat, et ante prandium quidem spectaculum quasi sanus exhibuit, post prandium repente prægravatus est, et ad spectaculum venire non potuit, filium tamen ludis adesse præcepit. Superveniente vero nocte defunctus est, consulatu Olibrii, et Probini* XVI *Kal. Februarii, anno imperii decimo septimo, vitæ vero* [e] *quinquagesimo.* Huic fertur nomen somnio parentes monitos sacravisse, quod in Latinum a Deo datum potest [f] intelligi. Fuit autem propagator reip., ac defensor eximius, moribus et corpore Trajano similis, quantum scripta veterum, et picturæ docent, a quo et originem traxit. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os, absque eo quod illi aliquantum evellendo steriles genæ, neque tam ingentes oculi erant, nescio an et tanta gratia, tantusque [g] flos *in facie,* seu tanta dignitas [h] in incessu. Mens vero prorsus similis, adeo ut nihil *de illo* dici queat, quod non ex libris in istum videatur [i] transferri. In omnes *homines* honorificus, verum effusius in bonos. Simplicia ingenia diligere, erudita [j] mirari, præsertim quorum erga se, [k] *vel parum* aspero casu officia probaverat. Illa tamen *vitia* quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam scilicet, et cupidinem triumphandi, usque adeo detestabatur, ut bella non moverit, sed invenerit ; ministeria lasciva, psaltriasque commessationibus adhiberi lege prohibuit, *tantum pudori tribuens, et continentiæ, ut* consobrinarum nuptias tanquam sororum interdixerit. *Si nimium perfectos contemplemur,* litteris mediocriter doctus, sagax plane, multumque diligens ad noscenda gesta [l] majorum. *E quibus non desinebat exsecrari, quorum facta superba, crudelia, libertatique infesta legeret, ut Cinnam, Marium, Syllam, atque universos dominantium, præcipue tamen ingratos, et fastiosos.* Irasci sane rebus indignis, sed subito flecti. Unde quoque dilatione modica [m] emolliebat *interdum præcepta severa, habuitque a naturæ munere, quod Augustus a philosophiæ doctore. Qui* cum vidisset eum facile commoveri, ne asperum ali-

[a] A. : *Hostium ruit, qui ab ejus parte spicula missa valenter hosti infigeret, et hostili manu missa repelleret. Nec mora, parva suorum data strage, victori se Theodosio hostilis exercitus prostravit. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes sua se manu percussit, præmiserat denique prius,* etc.

[b] A., *infidelis.*

[c] A., *hos versiculos.*

[d] Locus translatus est ex Cedreno.

[e] Aurel. Victor 60.

[f] A. : *intelligi. De hoc etiam oraculo in Asia divulgatum est eum Valenti successurum, cujus nomen Θ, atque Δ litteris initiaretur. Qua cognatione principii deceptus Theodorus, cum sibi imperium deberi præsumeret, scelestæ cupidinis supplicia persolvit. Fuit autem Theod. propagator.*

[g] A., *flos infantiæ.*

[h] A., *in incessu fuisset.*

[i] A. : *transferri : clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se cæteris putans. In omnes,* etc.

[j] A. : *mirari sed innoxia. Largiri magno animo magna, amare cives, vel privato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis cæteris munerare, præsertim,* etc.

[k] Aliter *velut patrem.* Francisci Pithœi ms., *vel patrem.*

[l] A. : *majorum. Exsecrabatur cum legisset superbiam dominantium, præcipue perfidos et ingratos.*

[m] A. : *emolliebatur. Interdum severa præcepta habuit, quæ a naturali munere, quo Augustus excellebat abhorrebant. Unde quoque aliquando correptus est a quodam philosophiæ doctore, qui,* etc.

Digitized by Google

quid statueret, monuit, ubi irasci cœpisset, quatuor atque viginti Græcas litteras memoria recenseret, ut illa concitatio, quæ momenti est, mente alio traducta, parvi temporis interjectu languesceret. Melior haud dubie, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem, *multoque maxime post civilem victoriam. Nam, et annonæ curam sollicitius attendere, et* auri, argentique grande pondus, sublati, *atque expensi a* tyrannis, multis ex suo [a] *restituere, cum benigni equidem principum vix fundos solerent nudos ac deformata prædia concedere. Jam illa minutiora et, ut dicitur, intra aulam, quæ quia occulta sunt, magis naturæ hominum curiosæ oculos auresque ad se trahunt.* Inerat ei *etiam* cura pietatis eximiæ, patruum colere tanquam genitorem, fratris mortui, sororisque liberos habere pro suis, cognatos, [b] affinesque, *et parentes* animo complecti, elegans, lætumque convivium magis, quam sumptuosum dare, miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone cum gravitate jucundo. Blandus pater, concors maritus. Exercebatur, neque ad illecebram, neque ad [c] lassitudinem. Ambulationibus *magis*, cum esset otium, reficiebat animum, ac vescendi continentia valetudinem regebat. *Igitur VI Idus Novembris mensis eodem anno Theodosii corpus delatum est cum solemni honore Constantinopolim, et ab Arcadio filio sepulturæ traditur. Post paucos vero dies, IV Kal. Decemb. etiam exercitus, qui cum imperatore Theodosio fuerat contra tyrannum, reversus est. Et dum imperator Arcadius secundum consuetudinem ad portas occurrisset exercitui rem anii, tunc milites Ruffinum præfectum imperatoris peremerunt. Erat enim suspectus quasi tyrannidem meditaretur assumere. Dicebatur autem, quia Hunnos ipse in Romanorum provincias evocasset, qui tunc Armeniam et partes Orientis valde vastabant.*

## ARCADIUS, HONORIUS.

*Anno ab Urbe condita* [d] 1146, Arcadius *Theodosii filius* in Oriente, Honorius frater ejus in Occidente, [e] *quadragesimo sexto loco ab Augusto communi* impe rium divisis tantum sedibus tenere cœperunt. Quorum pater curam potentissimis viris mandarat habere, id est Rufino Orientalis aulæ, *qui ab exercitu interfectus est*, et Stiliconi [f] *Occidentale imperium. Honorius itaque suscipiens Occidentis imperium, ludum gladiatorum, qui dudum Romæ celebrabatur, hujusmodi causa removit. Quidam Telemachius conversatione monachica pro hac causa Romam venit. Cumque nefandum*

A *illud spectaculum ageretur, et ipse intravit in stadium, et descendens nitebatur pugnantes adversum se gladiis separare. Cumque spectatores adversum eum sævirent, et in effusione sanguinis grassarentur, provisorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc agnoscens mirabilis imperator, illum quidem inter victores martyres numeravit, nefandum vero spectaculum prorsus abscidit. Eo tempore Hunni transeuntes Istrum fluvium, Thraciam devastabant. Isauriæ quoque latrones maxima multitudine congregata, usque ad Carenos et Phœniciam venientes, urbes et vicos in medio positos depopulati sunt. Per idem tempus Stilico Patricius magister armorum erat apud Honorium, magna præditus potestate, habebatque sub se plurimos Romanorum atque gentilium, qui contractis inimicitiis cum Arcadii ducibus, cogita-*
B *bat congredi contra eos. Tunc ergo agens cum Honorio Alaricum* [g] *regem Gothorum fecit ordinari magistrum militum, et accessit adversus Illyricum, eique Jovium præfectum constituit, ut arma contra Romanos attolleret, et provincias Honorii subderet ditioni. Et cum Alaricus barbaros sub se constitutos, et per Dalmatias habitantes congregasset, venit ad Epirum, ubi multo tempore commoratus, in Italiam reversus est. Qui cum discedere voluisset, Honorii litteris retentus est, sicut ipse confessus est. Interea ingens terræmotus Constantinopoli factus est, ita ut subtus terra tremeret, et desuper fusa cœlitus flamma penderet, tandiuque mansit, donec orationibus Arcadii principis, et populi Christiani, præsentem perditionem Deus exoratus averteret,*
C *probans se solum esse, et conservatorem humilium, et punitorem malorum. Arcadius itaque imperator erat vir mitis, ac quietus, et circa finem vitæ pro hujusmodi causa venerabilis æstimatus. In urbe Constantinopoli domus est maxima, habens cognomen Caryæ, id est, nucis. Est enim in ejus domus vestibulo arbor nucis, in qua, ut sermo est, fuerat appensus martyr Acacius, et defunctus. Ob quam rem etiam oratorium illic est ædificatum. Hanc Arcadius videre volens ad orationem venit, votoque completo revertebatur. Proinde cuncti circa oratorium habitantes, volentes imperatorem videre currebant. Et alii quidem foris domum præcesserant, ut melius aspectum principis, et ordinem viderent obsequii, alii vero sequebantur. Dumque omnes cum mulieribus, atque filiis, simulque mancipiis extra domum*
D *fuissent egressi, repente maxima domus oratorio cohærens subito tota corruit. Clamor cum admiratione secutus est, quomodo oratio principis tantos a ruinæ immi-*

[a] A., *restituit. Inerat*, etc.

[b] A., *affinesque parentis animo*, etc.

[c] A. : *lassitudinem ambulationibus, cum esset otium. Animum reficiens, regebat valetudinem continentia vescendi. Hujus et apud homines mansuetudo, et quanta exstiterit apud Deum devotio hoc uno monstratur exemplo. Nam cum apud Mediolanum missarum fruituris solemniis ecclesiam vellet intrare, eumque B. Ambrosius pro quodam facinore, nisi publice pœniteret, non admissurum se diceret, et prohibitionem humiliter pertulit, et satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum devotus excepit. Huic sociata in conjugio Flacilla fuit, ex qua Arcadium, et Honorium genuit. Qua defuncta Gallam, Valentiniani majoris et Justinæ filiam, Valentiniani quoque junioris sororem in matrimonio duxit, quæ ei Placidiam peperit, cui postea de matris nomine Gallæ cognomentum accessit. Itaque quinquagesimum Theodosius annum agens ætatis, in pace apud Mediolanum rebus excessit humanis, utramque remp. utrisque filiis Arcadio et Honorio quietam relinquens. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim translatum, atque sepultum est.* Anno, etc.

[d] A. 1149.

[e] A. 42.

[f] A. : *Occident. imperii, vixitque Arcadius post patris excessum annis* 12, *imperiique summam Theodosio filio parvo admodum moriens tradidit. Interea Gildo*, etc.

[g] *Gothum exarchum Vandalorum ait* C..DRENUS.

*nentis periculo liberavit.* Interea Gildo comes Africæ cognita Theodosii morte arbitratus minimam in parvulis spem fore, Africam jure proprio cœpit usurpare. Hujus frater [a] *Macezil* perfidiam germani perhorrescens in Italiam rediit: Gildo *autem* duos ejus filios *adolescentes*, quos pater *in Africana militia* reliquerat, occidit dolo circumventos. Ad hunc jam ut hostem bello insequendum, Macezil frater *ejus* missus est. *Igitur* Macezil jam *inde* a Theodosio sciens quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi clementiam Dei impetraret, Caprariam insulam adiit, inde [b] secum *servos Dei aliquos permixtos suis precibus abducens,* cum quibus, orationibus, ac jejuniis dies aliquot continuavit, et [c] noctes, *pro qua re victoriam sine bello meruit, et sine cæde vindictam. Igitur Ardealio fluminis nomen est, quod fluit inter Tevestem et Amedaram civitates. Ubi cum parva manu, hoc est, cum quinque millibus, ut aiunt militum, contra septuaginta millia hostium castrametatus, cum interjecta mora excedere loco, appositasque vallis præjacentis angustias transgredi vellet, incurrente nocte beatum Ambrosium episcopum Mediolani, paulo ante defunctum, per somnium sibi videre visus est, significantem manu, et impacto ad humum ter baculo dicentem: Hic, hic, hic. Quod prudenti conjectura intellexit, merito annuntiantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem significari, et substitit.* Ac tertio demum die post noctem orationibus, hymnisque [d] pervigilem *ab ipsis cœlestium mysteriorum sacramentis in hostem circumfusum processit, et cum ad eos, qui primo occurrerant, pia pacis verba jactaret, signiferum quemdam insolenter obsistentem gladio percussit in brachio, eumque manu debilem ipso vulnere coegit inclinare vexillum.* Quo viso auxiliarii Gildonis barbari illico terga dederunt. Gildo et ipse fugiens, ascensa navi cum in Africam rediisset, post aliquot dies strangulatus interiit. Sane idem Macezil *elatus* rerum secundarum insolentia, *et* tumens, *posthabito sanctorum consortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam* Ecclesiam Dei temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere. Secuta mox pœna sacrilegum est. Nam *iisdem superstitibus atque insultantibus, quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat,* post aliquantum tempus *solus* ipse [e] punitus est. *Probavitque in se uno ad utrumque semper divinum vigilare judicium, quando, et cum speravit, adjutus est, et cum contempsit, occisus est. Arcadius itaque cum se mori cerneret, videns Theodosium filium suum parvulum esse (erat enim annorum octo), consideransque ne a quoquam insidiis appeteretur, hunc imperat. appellavit, et ei curatorem per testamentum fore statuit Hisdigerdem regem Persarum. Hisdigerdes autem Arcadii testamento suscepto, paceque sine invidia erga Romanos usus, Theodosio imperium conservavit, et Antiochum quemdam mirabilem, atque rationabilem virum ei tutorem et pædagogum mittens, hæc Romano senatui scribit: Arcadio dormiente, meque curatorem filii constituente, qui suppleat locum meum direxi. Ne quis ergo insidias puero conetur, ne prælium* [f] *intolerabile contra Romanos insurgat. Antiochus vero cum Constantinopolim venisset, ab Honorio imperatore libenter susceptus est, et erat pax inter Romanos et Persas, ipso Antiocho maxime pro Christianis multa scribente. Sicque dilatata est in Perside Christianitas, Maruntha episcopo Mesopotamiæ mediante. Arcadius vero defunctus est Kalendis Maii mensis, consulatu Bassi et Philippi, anno vitæ trigesimo primo, imperii cum patre annis tredecim, solus* [g] *quatuordecim. Interea* Stilico *Patricius* Occidentis tutor Imperii, immemor collatorum beneficiorum, *immemor* affinitatis (nam socer exstabat Honorii) regnum et ipse Eucherio filio affectans, ingentia reip. intulit mala. Nam cum sæpe delere posset barbaros, [h] fovit, *et regem Scytharum* cum Gothis *suis* vicit, et sæpe conclusit, semperque dimisit. Cui quis fuerit exitus, suo melius in loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum, præsentiumque hostium longe immanissimus [i] *Radagaisus*, rex Gothorum, totam repentino impetu inundavit Italiam. Nam fuisse in ejus populo plusquam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic super hanc incredibilem multitudinem, indomitamque virtutem, barbarus erat, et Scytha, qui omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare devoverat. Invadit illico Romam pavor infinitus, fit omnium paganorum in urbe concursus, acclamatur a cunctis, se ideo hæc perpeti, quod neglecta fuerint magnorum sacra deorum, magnis querelis ubique agitur, ac continuo de repetendis sacris agitur. Fervent tota Urbe blasphemiæ. *Vulgo* nomen Christi, tanquam lues aliqua, probris ingravatur. Conducuntur a Romanis adversum Radagaisum *Gothorum regem* duo pagani [j] duces Sarus et [k] Uldin Hunnorum. Sed non sinit Deus rem suæ potentiæ infidelium virtutem videri. Contritus namque divinitus Radagaisus in aspero Fesulani montis jugo, urgente undique timore, concluditur, agminaque, quibus angusta dudum videbatur Italia, latendi spe, in unum ac parvum verticem truduntur. [l] *Ubi* cum fame et siti conficerentur, rex Radagaisus solus

[a] A. semper *Mascyzel*. Aliter *Masoezel*. Diacon. Ms. *Mascelzel*.

[b] A.: *secum sanctos viros adducens, cum quibus*, etc.

[c] A.: *noctes. Ante triduum quoque cum hosti continuus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium paulo ante defunctum, quo vel quando victoriam caperet diem sibi indicantem, et locum, ac tertio*, etc.

[d] A.: *pervigilem, cum quinque solummodo millibus adversus 80 millia hostium pergens, eos nutu Dei, sine bello in deditionem accepit. Quo viso*, etc.

[e] A.: *punitus est. Interea Rufinus, cui a Theodosio orientalis aulæ cura commissa est, malo perfidiæ depravatus, cum barbarorum solatiis regnum tentaret invadere, morte justissima pœnas luit. Stilico quoque Occidentis*, etc.

[f] Ἄσπονδον.

[g] Marcellinus, *tredecim*.

[h] A., *fovit, sæpe Alaricum cum Gothis vicit*, etc.

[i] A., *Ragodaisus*, semper.

[j] A., *duces, Gothorum Sarus, et*, etc.

[k] Ms., *Huldin et Suarus*. P. Diaconus, *Sarus et Virdinus*.

[l] A., *Quo cum*, etc.

Digitized by Google

spem fugæ sumens, captus a Romanis in vincula conjicitur, ac paulisper retentus vita privatur. Tanta vero multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut vilissimarum pecudum modo singulis aureis passim greges hominum [a] venderentur. *Ea tempestate* Alaricus *rex Gothorum, qui ditioni Romanæ et Theodosio imperatori subjectus, atque contra Eugenium tyrannum solatia præbens, propterea Romanis dignitatibus fuerat honoratus, felicitatem suam non ferens, imperare quidem non elegit, sed discedens ab Urbe Constantinopolitana, venit ad partes Occidentis. Cumque venisset in Illyricum omnia subvertebat, et transiens Thessaliam, habita congressione circa fluvium* [b] *Pinum, apud Nicopolim Epiri, pene tria millia virorum ejus Thessali peremerunt. Post hæc autem* Italiam ingressus, cum ab Honorio sedes, quo cum suo exercitu consistere posset, expeteret, Honorius deliberato consilio Gallias *eisdem* concessit. Qui dum ad Gallias pergens ob recuperationem jumentorum apud [c] Pollentiam resedisset, Stilico *Patricius* in perniciem reip. Gothos pertentans, dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Sauli pagano duci commisit. Qui ipso sacratissimo die Paschæ Gothis *supplicantibus*, nihilque [d] tale *sperantibus*, super eos irruit, magnamque eorum partem prostravit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito se [e] cohortantur, virtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deserentes, Romam contendunt petere, cuncta per quæ ierant igne ferroque vastantes. Nec mora, venientes Urbem capiunt ac devastant, *plurima miraculorum ejus incendunt, multosque senatorii ordinis diversis subdidere suppliciis*, dato tamen prius præcepto, ut si qui in sancta loca, præcipueque in sanctorum apostolorum basilicas Petri et Pauli confugissent, hos in primis inviolatos securosque esse sinerent : deinde, in quantum possent, prædæ inhiantes a sanguine temperarent. *Romanum tamen imperium deridentes, imperatorem fecerunt quemdam nomine Athalum. Quem una die tanquam imperatorem fecerunt procedere, altera vero servi schemate ministrare.* [f] Captaque est Roma IX *Kalend. Septemb.* anno 1164 conditionis suæ. Die tertia *instante*, Gothi sponte discedunt *ab* [g] Urbe. *Fertur itaque quia cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis, conversatione monachus, cum monuisset ut mala talia facere non auderet, neque necibus gaudere, aut sanguine; at ille : Non, inquit, ego volens Romam proficiscor, sed quidam quotidie molestus est, torquens et dicens : Perge, et Romam destrue civitatem.* Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamque, simili strage *Gothi* bacchantes, Rhegium pervenerunt, in Siciliam transfretare cupientes. Quo cum transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium, plures suorum *ibi* amisere. Inter hæc Alaricus dum deliberaret quid ageret, apud Consentiam subita morte defunctus est. Gothi [h] *Basentium* amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, captivos qui interfuerant exstinguunt. Regem deinceps Athaulfum, Alarici affinem, Gothi constituentes, Romam redeunt, si quid residuum fuit, more locustarum, eradunt, auferentes exinde Gallam Placidiam, Theodosii principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Athaulfus apud forum Cornelii conjugio sociavit, quæ multo post reip. commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibus blandimentis inflexit, ut ultro a Romanis pacem expeteret, qui ad Gallias proficiscens, deinde apud [i] Barcinonem fraude suorum occisus est. Post quem Segericus regnum capiens, dum pacem Romanis servare disponit, et ipse a suis peremptus est. Deinde [j] Vallia regnandi jura suscepit, ad hoc electus a Gothis, ut pacem frangeret, ad hoc a Deo ordinatus ut confirmaret. Interea [k] Stilico *patricius* Vandalorum perfidæ et dolosæ gentis genere editus, Eucherium, ut dictum est, *filium* jam a puero Christianorum persecutionem meditantem, ut in imperium substitueret, ante biennium Romanæ irruptionis, gentes copiis viribusque intolerabiles, hoc est, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, Burgundionum, *multasque cum his alias gentes*, ultro in arma [l] suscitavit, *et mox Rhenum fluvium transeunt, Francosque fugare Gallia volunt, directoque impetu Pyrenæum usque perveniunt*, ut sub hac necessitate a genero in filium extorquere posset imperium. Tandem ubi imperatori Honorio exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta sunt, commoto justissime exercitu, occisus est Stilico, qui ut unum puerum purpura indueret, totius *fere* generis humani sanguinem fudit. Occisus *est, et* Eucherius filius ejus, paucique cum eisdem satellites tantarum molitionum puniti sunt. Eodem tempore clarissima Urbis loca fulminibus diruta sunt, quæ ab hostibus inflammari nequiverunt. Inter hæc apud Britannias Gratianus, *municeps ejusdem insulæ*, tyrannus mox creatus occiditur. In hujus locum Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur. Qui ad Gallias transiens, sæpe a barbaris incerto fœdere illusus, detrimento reipub. magis fuit quam augmento. Tunc duo juvenes locupletes Didymus et Viridianus, assumptis servulis et vernaculis, sese patriamque a barbaris et tyranno defensare

[a] A., *venderentur. Interea Alaricus Italiam*, etc.
[b] Ms. *Peneum.*
[c] A. : *Pollentiam aliquantulum resedisset, Stilico comes.*
[d] A., *tale suspicantibus super*, etc.
[e] A., *cohortantur, victoremque virtute*, etc.
[f] Aliter Cedrenus et Marcellin.
[g] A. : *Urbe, facto aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, quantum olim a Cæsare factum est. Deinde*, etc.
[h] A., *Basentum.*
[i] A., *Barcilonem.*
[j] A., *Gallia*; semper sic nominat.
[k] A., *comes Stilico.*
[l] A. : *Suscitavit, easque pulsare Gallias voluit, ut sub hac*, etc.

moliti sunt. Adversum hos Constantinus Constantem A filium ex monacho Cæsarem factum, cum quibusdam fœderatis barbaris in Hispaniam misit. Constans, barbarorum fultus auxilio, eos primo prælio peremit. Quibus barbaris dum claustra Pyrenæi montis commissa fuissent, ab eis tota illa quæ per Gallias bacchabatur ferocitas gentium, Hispaniarum provinciis intromissa est. Itaque post multas strages, incendia et rapinas, tandem [a] *diversis* sedibus Barbari ad aratra conversi, Romanorum residuos cœperunt ut socios et amicos fovere [b].

[a] A., *divisis.*

[b] A.: *Explicit l. XII. Incipit l. tertius decimus. Igitur*, etc.

# LIBER DECIMUS QUARTUS.

*Anno ab Urbe condita* 1165, *Theodosius Junior in Oriente imperator, cujus imperii anno secundo Atticus episcopus Constantinopolitanus Judæum quemdam paralyticum monens, suadens atque baptizans, sanum ex B lavacro eduxit, secundum Deum dicitur provectus fuisse.* Igitur imperator Honorius, dum vires reipublicæ quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum strenuum, et bellicosum [a] Constantium cum exercitu ad Gallias mittit. Is mox *ut* Gallias ingressus est, continuo Constantinum tyrannum apud Arelatem exstinxit. Constans vero filius ejus a Gerontio suo comite Viennæ peremptus est. In cujus locum Gerontius Maximum quemdam substituens, ipse a suis militibus jugulatus est. Maximus deinde purpura exutus, in Hispania exsulans, egens obiit. Exinde Jovinus apud Gallias mox assurgens cecidit. Sebastianus tyrannus frater ejus continuo creatus occisus est. Tertullus consul, qui futurum se [b] principem in C senatu gloriatus est, pari nihilominus exitu periit. Athalus, qui a Gothis imperator fuerat factus, captus a Constantio, missus *est* Honorio, truncataque manu, vitæ relictus est. Heraclianus quoque [c] *Africæ comes missus, cum idem Athalus umbram gestaret imperii, Africam strenue adversum judices ab eo missos tutatus, consulatum assecutus est. Qua superbia elatus, Sabinum domesticum suum ingenio validum, industriaque solertem et sapientem nominandum, si animi vires tranquillis studiis accommodasset, generum adlegit. Cum quo quorumdam periculorum suspiciones dum patitur, fecit, atque aliquandiu Africana annona extra ordinem detenta, ipse tandem cum immensa satis incredibili classe navium Romam contendit. Nam habuisse hunc tria millia navium, et septingentas dicitur, D quem numerum, nec apud Xersen quidem præclarum Persarum regem, et Alexandrum magnum, vel quemquam alium regem, fuisse historiæ tradunt. Is simul ut cum agmine militum ad Urbem pergens littore egressus est,* occursu comitis Marini territus, et in fugam versus, arrepta navi, solus Carthaginem rediit, atque ibi *continuo militari manu* interfectus est. Hos omnes Honorius optima religione, magnaque Constantii industria superavit. Merito sane. Nam his diebus præcipiente Honorio, favente Constantio, sopitis apud Africam hæreticis, pax Ecclesiæ redditur. In qua fulgentissimus tunc apud Hipponem regium totius magister Ecclesiæ florebat Augustinus. Interea Vallia rex Gothorum Dei judicio territus *Gallam* Placidiam apud se honeste habitam, exigente Constantio, fratri Honorio reddidit, pacemque cum eo, datis lectissimis obsidibus, pepigit, seque pro Romanis adversus barbaros, qui Hispanias invaserant, pugnaturum spopondit. Mittunt e contrario Vandalorum, Alanorum Suevorumque reges principi Honorio legationes in his verbis: Tu cum omnibus pacem habe, omnium obsides accipe. Nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus, tuæ erit quæstus reipublicæ si utrique pereamus. His ita tantis incommodis, Deo favente, sopitis, Honorius Gallam Placidiam germanam suam Constantio suo comiti, fide integerrimo, et *viribus* ingenti viro, jamdudum promissam, magno cunctorum gaudio sociavit, ex qua Valentinianum filium Constantius genuit, qui postea Reip. imperium gessit. Hoc in tempore fœdus firmissimum cum rege Gothorum Vallia pepigit, tribuens ei ad habitandum [d]Aquitaniam provinciam, ejusdemque provinciæ *etiam* quasdam civitates vicinas. Cernens itaque Honorius ubique se Constantii virtute, et ingenio, seu per bella, seu pacis moderatione tueri, eum, cunctis annitentibus, apud Ravennam in regni consortium ascivit. Qui necdum septem mensibus evolutis ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethlehem Palæstinæ beatus Hieronymus, expletis [e] nonaginta uno *annorum* ad Christum migravit. Sequenti tempore Maximus apud Hispanias, factione *autem* Joviani, qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidem [f] *assumpsit*. Nec multo post superati utrique et capti ab exercitu Honorii, eidem, cum apud Ravennam tricennalia sua perageret, præsentantur. Hac tempestate Britanni Scotorum, Pictorumque infestationem non ferentes, Romam mittunt, ac sui subjectione promissa, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio magnam barbarorum multitudinem stravit, cæterosque Britanniæ finibus expulit. Sed mox ut discessere Romani, advecti iterum navibus hostes,

[a] A., *Constantium comitem, cum*, etc.

[b] Oros. VII, c. 42, *pontificem.*

[c] A.: *Cum Sabino genero, cum tribus millibus et septingentis navibus, ex Africa Romam tendens, occursu comitis*, etc.

[d] A., *Aquitaniam Galliæ prov.*, etc.

[e] A., 91 *vitæ annis*, etc.

[f] A., *arripuit.*

obvia quæque sibi conculcant ac devorant. Rursumque advolant Romani, cæsumque hostem trans maria fugant. Hoc tempore cum Vandali Alanique Hispanias infestarent, Honorius ad eas defensandas Castinum ducem cum exercitu mittit. Qui Castinus præclarum virum Bonifacium, ac bellicis rebus exercitatum, inepto et injurioso imperio ab expeditionis suæ societate avertit. Bonifacius vero periculosum sibi, indignumque ratus eum sequi, quem discordem, superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum Urbis, atque inde in Africam prorupit, magnumque postmodum reip. detrimentum, totiusque Africæ causa exitii fuit. Castinus vero tanto [a] collega privatus, nihil dignum in Hispaniis gessit. Inter hæc Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio et Valentiniano filiis profecta, a Theodosio Augusto, Arcadii alterius germani sui [b] fil o suscepta est. [c] Honorius annis quindecim cum imperasset, *et jam* [d] *cum fratre antea* annis tredecim, ac sub patre duobus regnasset, remp. ut cupierat pacatam relinquens, apud urbem Romam vita exemptus est, corpusque ejus juxta beati Petri [e] apostoli in mausoleo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id est Maria, et [f] *Thermantia*, una post alteram ejus conjugio sociatæ, utræque Dei judicio inopinata morte præventæ ex hac [g] luce migravere. Fuit sane Honorius moribus et religione patri Theodosio non valde absimilis. Cujus temporibus, quamvis multa externa et civilia bella surrexerint, aut nullo, aut minimo sanguine quievere. Exempto *igitur* rebus humanis Honorio, fultus præsidio Castini magistri militum, Joannes *quidam ex imperialibus subscriptoribus* imperium invadit.

## THEODOSIUS.

Anno ab Urbe condita 1177, Theodosius Arcadii filius [h] quadragesimus septimus *ab Augusto* regnum Romanorum Orientale regebat [i] imperium. *Ad quem legationem mittit Joannes, in imperatorem suscipi deprecans, et ipsum deprecans Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcere, quia ad defensionem sui infirmior factus est. At vero Theodosius legatis Joannis in carcere trusis, Ardaburium prætorem mittit adversus eum, quem tyrannus apud Ravennam aggressus inclusit. Quo Theodosius agnito*, Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem effectum, cum matre Augusta ad recipiendum Occidentis imperium [j] dirigit, *et Asparem Ardaburii filium mittit ante eum contra Joannem. Angelus autem Domini apparens in habitu pastoris deduxit Asparem et eos qui cum illo erant, et ducit eos per paludem inviam, quæ Ravennæ adjacet, qua Deus pervium operatus est. Et transmeantes per aridam, apertis portis civitatis invenientis, tyrannum quidem occidere, Ardaburium autem a vinculis absolverunt, et Ravennam crudeliter* depopulati sunt, eo quod illius cives maxime tyrannicæ parti favissent. Castinum vero magistrum militum damnant exsilio, cujus factione arripuisse Joannes tyrannidem credebatur, data Aetio venia, eo quod Hunni, quos per ipsum Joannes *in adjutorium* acceperat, ejus studio ad propria remeassent. Valentinianus igitur consensu totius Italiæ imperator efficitur, itemque ex decreto Theodosii Augustus appellatur. Dum hæc geruntur, [k] Achilas *nomine* oppidum Galliarum a Gothis [l] *militari* vi oppugnatum est, donec imminente Aetio, non impuniti [m] discederent. *Sequenti autem anno, id est decimo sexto imperii Theodosii, Maruthas episcopus Mesopotamiæ filium regis Persarum Hisdegerdis a dæmonio vexatum sanavit. Interea Theodosius imperator multa benignitate motus, licet Persas potentissimos vicerit, parcens tamen Christianis, qui habitabant in Perside, pacem amplectitur, cujus rei gratia mittit legatos Helionem patricium, quem valde honorandum dicebat, et Anatolium Orientis prætorem. Vararanes autem sciens superationem suam, suscepit legationem, et ita persecutio cessavit, quæ in Christianos agitabatur. Victoria siquidem auxilio Dei de Persis collata, Romani plurimi pollentes eloquiis conscribebant laudes imperatoris. Cujus uxor heroico metro poemata multa confecit. Erat enim eloquens, filia Leontii sophistæ Atheniensis, a patre omnibus lectionibus erudita. Quam dum imperator ducturus esset uxorem, Christianam Atticus fecit episcopus, et in baptismate cum prius vocaretur Athenias, Eudoxiæ nomen imposuit. Eodem tempore erant Gothi, et aliæ gentes multæ, ac maximæ trans Danubium in Hyperboreis locis habitantes, ex quibus rationabiliores quatuor sunt, Gothi scilicet, Hypogothi, Gepides, et Vandali, nomen tantum, et nihil aliud mutantes, unaque lingua utentes: omnes autem fidei erant Arianæ malignitatis. Isti sub Arcadio et Honorio Danubium transeuntes, locati sunt in terra Romanorum. Et Gepides quidem, ex quibus postmodum divisi sunt Longobardi, et Avares, villas, quæ sunt circa Singidonem et Sirmium, habitavere. Hypogothi vero post Alaricum Romam depopulantes, in Gallias abierunt, et quæ ibidem sunt obtinuere. Gothi autem Pannoniam habuerunt primum: deinde decimo octavo anno Theodosii*

[a] A.: *Collega ob suam intemperantiam privatus*, etc.

[b] A., *filio honorifice, libenterque*, etc.

[c] A.: *Honorius vero postquam cum minore, de quo præmissum est Theodosio Arcadii germani sui filio, annis*, etc.

[d] A., *cum jam antea cum fratre.*

[e] A., *Apostoli martyrium.*

[f] A., *Hermantia.*

[g] A., *luce virgines*, etc.

[h] *Quadragesimus tertius.*

[i] A.: *Imp. Qui comperto patrui sui Honorii funere, mox Valentinianum*, etc.

[j] A.: *dirigit. Quo tempore Joannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est. Denique veniens Placidia Aug. et Valentinianus Cæsar, mira cum felicitate continuo opprimunt, regnique gubernacula victores arripiunt, quorum tunc milites crudeliter Ravennam depopulati*, etc.

[k] A., *Achilas nobile oppid.* P. Pith., *Aurelia.*

[l] A., *multa.*

[m] A.: *discederent. Bonifacius inter hæc apud Africam potentia, gloriaque augebatur. Adversus eum Mabortius et Gallio*, etc.

Digitized by Google

*imperatoris junioris Thraciæ villas habitaverunt, et per annos quinquaginta et octo in Thrace morantes, Occidentis quoque obtinuerunt Imperium. Porro Vandali, Alanis sibi sociatis, et Germanis, qui nunc Franci dicuntur ascitis, transeuntes Rhenum fluvium Modogisclo duce, habitaverunt in Hispania, quæ est prima Europæ provinciarum ab Occidentali oceano. Interea Valentinianus non solum Britanniam, et Galliam, et Hispaniam salvare nequivit, sed et occidentalem Libyam, quæ videlicet regio vocatur Afrorum, amisit hoc modo. Duo prætores erant quos diximus, Aetius, et Bonifacius, quos Theodosius postulante Valentiniano Romam direxerat. Cumque Bonifacius principatum occidentalis Libyæ percepisset, et apud Africam potentia gloriaque augeretur, invidia flammatus Aetius accusationem facit adversus Bonifacium, tanquam rebellionem meditantem, et obtinere Lybiam satagentem, et hæc quidem Placidiæ fatebatur, quæ fuit mater Valentiniani. Cæterum Bonifacio scribit : Si accersitus fueris, accedere noli : incusatus enim es, et te dolose vocant imperatores. Hæc suscipiens Bonifacius, et veluti proprio servo Aetio credens, accersitus accedere distulit. Tunc imperatores Aetium quasi devotum recipiunt, et adversum Bonifacium Mavortius* et Gabio mittuntur. Qui dum Bonifacium obsidere parant, ab eo interempti [a] sunt. Rursus contra Bonifacium [b] *Suuldus* comes dirigitur. Bonifacius igitur sentiens se non posse tuto Africam tenere, cernensque sibi periculum instare, in perniciem totius reip. [c] effervescens, *transfretans a Libya in Hispaniam ad Vandalos Alanosque venit. Cumque Modogisclum invenisset mortuum, et filios ejus Guntharium, et Gensericum imperium moderantes, hortatus est ut Hesperiam, Libyamque in tres partes dividerent. Qui polliciti sunt unicuique parti se una cum ipso principaturos, in communi tamen in quemlibet hostem ulturos. In talibus ergo professionibus Vandali, Alanique fretum transmeantes, Libyam habitaverunt, et* cunctam pene Africam ferro, flamma, rapinis crudelissime devastantes, insuper Catholicam fidem Ariana impietate subvertere. Sub hoc turbine beatissimus Augustinus, de quo præmissum est, Hipponensis episcopus, ne civitatis suæ ruinam cerneret, tertio ejusdem obsidionis mense, septuaginta et sex vitæ annis expletis, ex quibus quadraginta in clericatu seu episcopatu transegerat, ad Christum [d] perrexit. *Eodem tempore quidam senatus Romani amici Bonifacii falsam accusationem Aetii intimaverunt Placidiæ, ostendentes quoque et Aetii ad Bonifacium directam pridem epistolam, quam ad eos idem miserat Bonifacius. At* A *stupefacta Placidia Aetium quidem in nullo læsit : Bonifacio vero cum juramentis verbum misit exhortatorium. Porro Gunthario mortuo, Gensericus Alanorum, Vandalorumque factus est imperator. Bonifacius ergo verbo suscepto contra Vandalos armatur exercitu magno sibi veniente tam e Roma, quam a Constantinopoli, cujus Aspar erat magister. Inito autem contra Gensericum prælio, superatus est Romanorum exercitus. Sicque Bonifacius cum Aspare Romam veniens, suspicionem dissolvit, rei veritate monstrata, et accepta ab imperatore* Magistri militum dignitate. Qui cum resistentem sibi Aetium prælio superasset, paucis diebus interjectis morbo exstinctus est. *Porro Africa taliter a Vandalis subacta est. Tunc et Martianus, qui postmodum imperavit, cum miles esset, et Aspari deserviret,* B *vivus a Genserico deprehenditur.* Aetius vero cum deposita dignitate in agro suo degeret, ibique eum quidam æmulus repentino incursu opprimere tentasset, profugus ad Urbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde in Pannonias ad Hunnos venit : quorum amicitiis et auxiliis usus, pacem [e] principum *Aetius cum receptu* interpolatæ potestatis obtinuit, nec multo post patriciatus etiam dignitatem adeptus est. Post eam igitur, quæ præmissa est, Africæ cladem, data per [f] Trigetium ad habitandum Vandalis Africæ portione, pax cum eisdem necessaria magis quam utilis facta est. His etiam temporibus Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aetius Patricius bello obtrivit, pacemque ei C supplicanti concessit. Interea Gothi pacis placita perturbant, et pleraque municipia vicina sedibus suis occupant. Cumque essent oppido [g] *Narniensi* maxime infesti, civesque ejus *extrema* [h] obsidione et fame affligerent, adveniens comes Litorius hostes in fugam convertit, et civitatem allata frumenti copia a fame liberavit. Dehinc anno sequenti bellum adversum Gothos Hunnis auxiliantibus gestum est. Hac tempestate Gensericus apud Africam intra habitationis suæ limites, cupiens Catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam nostrorum episcopos eatenus persecutus est, ut eos privatos jure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia [i] *minime* superbissimi regis terroribus [j] cederet. *Circa eadem tempora multi Judæorum* D *in Creta Christiani facti sunt propter hujusmodi passionem. Quidam Judæus seductor finxit semetipsum esse Moysen, et cœlitus destinatum, ut Judæos illam insulam habitantes per mare deduceret, ipsum se esse dicens, qui olim filios Israel per mare rubrum deduxerit. Circuibat itaque toto anno unamquam-*

[a] A. : *sunt. Exinde gentibus, quæ uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est. Rursus*, etc.

[b] A., *Sigisvuldus* ; ita in cod. Franc., et P. Pith.

[c] A. ; *effervescens, Vandalorum, Alanorumque gentem cum Geiserico* (semper) *suo rege ab Hispanis evocato Africæ intromisit, qui cunctam pene Africam ferro*, etc.

[d] A. : *perrexit. Eodem tempore pace totius Orbis, et concussione mirabili, Bonifacius ab Africa ad Italiam per Urbem rediit accepta magistri*, etc.

[e] A., *principum, et jus interpolatæ.*

[f] Male apud Prosperum : *per triennium.*

[g] A., *Narbonensi.*

[h] A., *longa.*

[i] A., *nullis.*

[j] A. : *cederet. His denique diebus Valentinianus Aug. ad Theodosium principem suum fratruelem Constantinopolim profectus est, filiamque ejus in matrimonium accepit : per idem tempus*, etc.

Digitized by Google

que illius insulæ civitatem, suadebatque Judæis ut crederent, monens ut omnes pecunias atque possessiones relinquerent, cum eo utique deducti per siccum mare ad repromissionis gaudia pervenirent. At illi hac spe capti, omne opus proprium negligebant, contemnentes etiam possessiones suas, et dimittentes eas quibuscunque personis. Cumque venisset dies quam designaverat Judæus seductor ille, eo præcedente, sequebantur omnes cum conjugibus et parvis ætatibus, deduxitque eos ad quamdam rupem declivius incumbentem, jussitque ut comarum schemate semetipsos involverent. Hoc ergo faciebant priores, et cum venirent ad rupes, repente moriebantur, tam dilacerati acutis rupibus, quam in aqua necati; plus tamen mori potuerunt, nisi, providente Deo, quidam viri Christiani supervenissent piscatores atque negotiatores, qui alios, cum necarentur, eripientes recreaverunt; tum malum suæ stultitiæ sentientes, alios, ne semetipsos jactu interficerent, tenuerunt, nuntiantes eorum mortem qui primo ceciderant. Qui etiam cognoscentes seductionem, culpant se, eo quod facile ei credidissent. Cumque voluissent illum seductorem perimere, comprehendere nequiverunt, repente namque disparuit, deditque suspicionem quod fuerat olim dæmon erroneus, humano schemate circumamictus. Pro hac itaque re atque passione multi tunc Cretensium Judæorum ad Christianam conversi sunt fidem. Interea incendium in civitate Constantinopolitana factum paulatim pervenit ad thermas, quæ vocantur [a] Achilleæ, deinde ad locum qui dicitur Pelargus, ita ut Novatianorum comprehenderetur ecclesia. Tunc fertur Paulum episcopum eorum intra flammas ecclesiæ restitisse, supplicantem Deo, ne ecclesia pariter cremaretur. Qui locus ereptus est, et hactenus XVI Kal. Septemb. apud Novatianos collectio celebratur. Hunc tamen locum non solum Christiani, sed etiam Pagani venerantur. Exigit nunc locus edicere de hac hæresi unde exorta videatur. Novatus igitur presbyter Ecclesiæ Romanæ, qui propter persecutionem quæ sub Decio fuerat facta se episcopum facere et Cornelium volebat ejicere, faciens oblationes, et dispertiens unicuique portionem, et tradens, hoc jurare pro benedictione miseros homines coegit, tenens utramque manum accipientis, et non dimittens, donec jurans hæc dicat: Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi quod nunquam aliquando me derelinquas, et ad Cornelium redeas, et infaustus homo non prius gustat quam sibi antea maledicat, et pro eo ut dicat, accepto pane illo, Amen, dicit: Ulterius non redeam ad Cornelium. De hac religione volens imperator Constantinus pacisci Ecclesias, Acesium episcopum ad concilium Nicænum evocavit. Quem post definitionem fidei requisivit, si et ipse consentiret in fide et decreto Paschalis festivitatis. At ille: Nihil, inquit, novi, o imperator, quod synodus definivit. Sic enim olim et a temporibus apostolorum ipse percepi, et terminum fidei, et tempus paschalis festivitatis. Porro imperatore denuo requirente: Cur ergo te a communione separas?

A ille ea quæ sub Decio gesta sunt replicavit, et subtilitatem acerbissimæ regulæ deduxit ad medium, dicens quia non oporteat eos qui post baptisma peccant peccato quod ad mortem esse Scripturæ divinæ pronuntiant communicatione sacramentorum fieri dignos, sed invitandos quidem ad pœnitentiam, spem vero remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo solummodo sustinere, qui potestatem habet peccata dimittere. Hæc cum dixisset Acesius, imperator ait: O Acesi, pone scalam, et si potes ascendere in cœlum solus, ascende. Igitur Valentinianus Augustus, Constantii et Gallæ filius, ad Theodosium principem suum consobrinum Constantinopolim profectus est, filiamque ejus Eudoxium nomine, quam sibi [b] Eudoxia genuerat, in matrimonium accepit, et Romam rediit, consulatu Isidori et Senatoris.
B Sequenti vero anno Theodosius imperator Eudoxiam uxorem suam Jerosolymam misit gratificos hymnos oblaturam Deo. Quæ plurima dona ecclesiis contulit, et adoratis tam sancta cruce, quam colendis locis, reversa est ad regalia. Trigesimo deinde imperii Theodosii anno, terræmotus magni facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita ut timentes Byzantii extra civitatem in loco qui dicitur Campus essent perseverantes una cum episcopo ad Deum precibus et litaniis vociferantes. Quadam ergo die fluctuante terra, et omni plebe attentius clamante Κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam, omnibus videntibus, a divina contigit virtute sustolli quemdam adolescentulum in aerem, et audiri divinam vocem admonentem eum episcopo ac populo nuntiare ut litanias sic facerent et dicerent:
C Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, nihil aliud apponentes. Proclus autem episcopus hac suscepta litania, præcepit populo sic facere, et statim terræmotus cessavit. Porro beata Pulcheria super miraculo una cum fratre supra modum admirata, sanxit per universum orbem divinum hunc psallere hymnum; ex tunc receperunt omnes Ecclesiæ per singulos dies hunc canere Deo. Per idem tempus piratæ multas insulas, præcipueque Siciliam, depopulati sunt. Inter hæc Litorius, qui secunda ab Aetio potestate Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aetii gloriam superare appetit, dumque aruspicum responsis et dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, ac primum ma-
D gnam hostium stragem dedit, postmodum suis pene omnibus trucidatis, ipse a Gothis turpiter captus est. Postremo pax cum iisdem facta est, cum eam Romani post hujus lacrymabilis belli perniciem humilius quam unquam antea poposcissent. Aetio itaque in Galliis rebus quæ componebantur intento, Gensericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit, nec ab ecclesiarum despoliatione abstinens, quas sacris vasis exinanitas, et sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula, in universum

[a] Niceph. Cal., lib. XIV, cap. 41; Socrates VII, cap. 39: Τὸ δημόσιον ᾧ Ἀχιλλεὺς ἐπώνυμον ἦν.
[b] Cedren, et Marc., Eudocia.

Digitized by Google

captivi populi ordinem sævus, sed præcipue nobilitati A et religioni infestus, ut discerni omnino non possit hominibus magis an Deo bellum intulisset. Igitur Carthago a Vandalis hoc modo capta est, annis quingentis octoginta quinque evolutis, postquam Romano cœperat juri parere. Deinde anno sequenti Gensericus ad Siciliam transiens, dum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuntio de [a] *Sebastiano,* qui ab Hispaniis ad Africam tenderet, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quam hostem videri volens, dum de regis barbari amicitiis improvise præsumeret, infelici morte peremptus est. Post hæc imperator Theodosius bellum contra Vandalos movit, [b] *Ariundo*, et Ansila, atque Germano ducibus B magna cum classe directis. Qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri quam Africæ præsidio fuere. Per hæc [c] tempora *Attila rex Hunnorum, vir fortis atque superbus, dum cum fratre Bleba super Hunnos principaretur, Thracias et Illyricum sæva depopulatione vastabat, omnia castella et civitates in servitutem redigens, præter Adrianopolim et Heracliam, quæ quondam Perinthus vocabatur. Tunc* exercitus *Romanorum*, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem orientalium provinciarum revertitur. *Cogitur ergo Theodosius legationem Attilæ mittere, et sex millia librarum ei pro recessu præbens, mille librarum annuum tributum persolvere pollicetur.* Sub his fere diebus tam terribili terræmotu Roma concussa est, ut [d] *plurimæ* ædes ejus et ædificia C corruerint. Britanni itaque, de quibus præmissum est, cum rursus Scotorum, Pictorumque incursionibus premerentur, mittunt Aetio epistolam lacrymis ærumnisque plenam, ejusque quantocius auxilium efflagitant. Quibus dum Aetius minime annuisset, eo quod contra vicinos hostes occupatus existeret, quidam Britannorum strenue resistentes hostes abigunt, quidam vero coacti hostibus subjiciuntur. Denique, subacta Picti extrema ejusdem insulæ parte, eam sibi habitationem fecere, nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli. At vero residui Britannorum, dum continuo Scotorum impetus formidarent, ultra jam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglorum gentem cum suo rege Vertigerno ad defensionem suæ patriæ invitavere, quos cum amicali societate exceptos, versa in contrarium vice, hostes pro adjutoribus impugnatoresque sensere. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum, sive Saxonum, Britanniam tribus longis navibus advehitur. Quorum dum iter prosperatum domi fama retulisset, mittitur nihilominus exercitus multiplex, qui sociatus prioribus primum hostes, propter quos petebatur, abigit; deinde in Britones arma convertit, conficta occasione, quasi pro se eis militantibus, minus stipendia præparassent, totam prope insulam ob orientali ejus plaga usque in occidentalem incendio vel gladio sibi subegit. At vero Theodosius, cum absque uno et viginti superioribus annis, quos cum Honorio patruo regnaverat, septem et viginti annis imperium gessisset, ex quibus cum Valentiniano genero viginti quinque transegit, apud Constantinopolim morbo obiit, ibique sepultus est. [e] *Fuit autem Theodosius sic sapiens, ut inter confabulantes experimentum omnium crederetur habere causarum. Perdurabat in frigore, similiter et in æstu, plerumque jejunabat, et maxime quarta et sexta feria, studio Christianitatis, nec aliter quam monasterium regalia videbantur. Ipse namque matutino ad suas sorores pergens, divinas dicebat laudes. Quamobrem etiam sacras litteras sine Codice recitabat. Loquentibus episcopis velut olim sacerdos factus ex divina lectione respondebat. Aggregabatque sacros Codices, et quodcunque eorum interpretes seu expositores conscripsisse videbantur, plusquam Ptolemæus studuerat Philadelphus. Patientia namque et clementia universis hominibus eminebat. Nam Julianus imperator, licet philosophus fuerit, non tamen Antiochensium portavit injuriam, sed maxima Theodoro tormenta indignatus imposuit. Porro Theodosius multum gaudens syllogismis Aristotelis, philosophiam exercebat operibus, iram, tristitiam, libidinemque devincens, et in nullo se ulcisci desiderans. Cum igitur a quodam familiarium interrogaretur, cur nullum se lædentium morti subjiceret? Utinam mihi, inquit, esset possibile ad vitam mortuos revocare! Sic enim fuit clemens, ut si quando quispiam dignum aliquid morte committeret, nec usque ad civitatis portas moriturus perveniret, sed ex ejus clementia revocatio sequebatur continuo. Dum aliquo tempore ipse in amphitheatro Constantinopoleos spectaret, cœpit clamare populus: Crudeli bestiæ artifex parabolis pugnet. At ille: Nescitis, inquit, quia consuevimus nos clementer spectare. Tanta enim pietate præcellebat, ut omnes quidem Deo consecratos honoraret, præcipue tamen quos audiebat veneranda actione pollere. Fertur autem quod cum Constantinopoli episcopus Chebronensis fuisset mortuus, sagum ejus valde sordidissimum quæsierit, et eo circumamictus sit, credens aliquid se ex defuncti sanctitate promereri. Cum aliquando acris tempestas esset, et ille circa populum spectaret, pleno* D *circo tempestas vehementius agebatur, multo imbre diffuso. Cumque hoc fieret, suam voluntatem imperator aperuit, fecitque per præconem clamari quod melius esset spectaculum contemnere, et omnes rogare Deum, ut illæsi ab imminente tempestate servarentur. Quo dicto, cuncti populi magno gaudio supplicantes, hymnos concorditer offerebant, et tota civitas velut una psallebat Ecclesia. In medio autem eorum imperator existens, privato schemate properabat, nec spe sua frustratus est. Repente namque aer ad serenitatem rediit, divina cle-*

[a] A., *Sebastuno.*
[b] A., *Ariovindo.*
[c] A.: *tempora. Hunnis Thracias et Illyricum sæva populatione vastantibus, exercitus, qui*, etc.
[d] A., *primæ.*
[e] Ambros., his verbis: *Explicit lib. XIII.* Cætera non leguntur.

Digitized by Google

*mentia revocatus, annum præbuit frugibus universis uberrimum. Si quando bella moverentur, secundum David ad Deum confugiebat, sciens eum præliorum auctorem, et inimicos orationibus superabat* [a]. *Nec tamen iste vitiis carebat. Fuit enim mobilis omni vento circumdatus, unde et in chartis non lectis se subscribebat. Interea beata Pulcheria nondum cuiquam fratris morte Theodosii imperatoris comperta, Martiano*

A *accersito, in religione ac pudicitia conversante, sene videlicet et idoneo viro, dicit ei: Quoniam imperator mortuus est, et ego te elegi, tanquam bene placentem ex omni senatu, da mihi verbum quod custodias virginitatem meam, quam Deo commisi, et pronuntiabo te imperatorem. Quod illo sacramento pollicente, accersito patriarcha Anatolio pariter et senatu, pronuntiavit eum imperatorem Romanorum.*

[a] Hactenus Socrates, VII, cap. 2.

# LIBER DECIMUS QUINTUS.

Anno ab Urbe condita 1204 Theodosio defuncto, *Martianus* [a] *quadragesimus octavus ab Augusto* Orientali aulæ præficitur imperator. Cæterum Valentiniani tempora, hujus vel superioris imperatoris curriculis adscribuntur. Igitur Valentinianus occidui rector imperii, ea tempestate pacis fœdera cum Genserico rege Vandalorum firmavit, certisque spatiis Africa inter utrosque divisa est. Gensericus vero, dum de rerum successu tumidus etiam apud suos superbiret, valida [b] conspiratio adversus eum facta est. Quorum molitione detecta, diversis ab eo excruciati periere suppliciis. Horum siquidem funeribus non minus virium amisit, quam si exsuperatus belli certamine fuisset. Interea rex Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleba regnum intra Pannoniam Daciamque gereret, Macedoniam [c] *Mœsiamque* et Achaiam, utrasque etiam [d] *Græcias* immanissima rabie, *ut dictum est*, devastaret, Blebam germanum suum, regnique consortem peremit, ejusque sibi parere populos compulit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subjugaverat præsidio, ad occidentale demoliendum animum intendit imperium, *cujus exercitus septingentorum millium numero ferebatur, vir in concussionem orbis in mundo natus, terrarum omnium metus, quo vulgatus erat. Namque superbus incessu huc se atque* B *illuc circumferens, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret; bellorum quidem amator, sed manu temperans ipse, consilio validissimo, supplicantibus exorabilis, propitius in fidem semel receptis, forma brevis, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barba rarus, canis aspersus, simus naso, teter colore, originis suæ signa referens.* Erant siquidem ejus subjecti dominio, rex ille Gepidarum famosissimus [e] *Andaricus.* Walamir etiam Gothorum regnator, ipso cui tunc serviebat rege nobilior, fortissimæ nihilominus gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi: præterea Heruli, [f] Turcilingi, sive Rugi cum propriis regulis, aliæque præter hos barbaræ nationes in finibus Aquilonis commanentes. Horum omnium Attila superbus imperio, [g] quanquam robore facile se posse adipisci C putaret, quod [h] cuperet, tamen consilii [i] [j] astutia, quam armorum fortitudine hostes aggredi satagebat; prævidens itaque sagacitate, qua callebat, non sibi fore tutum, si Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis

[a] A., *44 in numero Martianus Orientali*, etc.
[b] A., *conspiratio suorum*, etc.
[c] A., *Mysiam.*
[d] A., *Thracias*; ita Pith.
[e] A., *Ardaricus.*
[f] A., *Turci Lingi.*
[g] A., *quanquam virium robore*, etc.
[h] A., *cuperet: non minori tamen*, etc
[i] A., *studio.*
[j] A.: *simulans, adversum Romanos se asserit præliaturum, Romanorumque e diverso quasi amicitias appetens in Gothos, eorum videlicet hostes, se pollicetur arma moturum. Agebat itaque hoc versuta barbaries, quatenus si hos posset a societate dividere, facilius utrosque singulari certamine proculcaret. Quas ejus astutias Aetius non minori acumine prævidens, legatos ad Theodoricum, qui eo tempore Gothis apud Tolosam regnabat, dirigit, qui cum eo pacis fœdera sociarent. Annuit juxta Aetii votum Romanorum legatis Theodoricus, jungitque cum eis non minus sibi prospiciens firmissimum fœdus, promittitque se pariter pugnaturum. Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones, Alani, cum Sangibano suo rege; Franci, Saxones, Riparioli, Bariones, Sarmathæ, Armoricani, Luteciani, ac pene totius populi Occidentis, quos omnes Aetius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat societatem. Conveniunt ex utraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudinem leucis, et ex latitudine* LXX *leucis, ut Gallis mos est metiri, feruntur. Attila itaque, primo impetu, mox ut Gallias introgressus est, Gundicarium Burgundionum regem sibi occurrentem protrivit. Deinde cum ad locum certaminis ventum esset, inquirit aruspicem, si quid sibi de belli sorte venturum prædiceret. Qui arte dæmoniaca exta pecudum perscrutans, Attilæ infausta denuntiat, hoc tamen quantulumcunque solatium fore, quod summus de parte hostili in certamine ductor occumberet. Attila vero dum hæc de Aetii interitu, cujus mortem sitiebat denuntiari putaret, non dubitavit, vel cum suorum perditione bellum committere, dummodo Aetium suis motibus fortiter obsistentem* D *possit exstinguere. Committit itaque pugnam, jam in vesperum die vergente, ut si superaretur ab hostibus, imminentis se noctis tenebris occultaret. Conveniunt hinc inde fortissimæ nationes, conseruntur acies, fit bellum acre nimis et pertinax, quale vix ulla narratur historia, nec antea præliandi ardore quievere, quam eis nox superveniens pugnandi voluntatem adimeret. Eo siquidem prælio,* CLXXX *millia hominum cæsa referuntur. Tantumque est sanguinis effusum, ut parvulus, qui ibidem labebatur rivulus, immodicus subito torrens effectus, cadavera secum traheret peremptorum. Attilam sane de morte Aetii sua suspicio fefellit. Nam incolumi Aetio rex ibi Gothorum Theodoricus occubuit. In quo prælio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum, qui cum die altera intra plaustrorum munimenta se continens erumpere non auderet, nec tamen cessaret tubis, et clamore perstrepere, Turismundus Theodorici regis filius, dolens de paterno funere, statuit Attilam obsidione coarctare, ut eum, ejusque exercitum ad internecionem*

Digitized by Google

jungerentur auxilio, amicum se Gothis simulans, adversum Aurelianis urbem concitus pergit, regem Visigothorum sollicitare nisus, ut pariter cum eo Romanum invadens imperium, æqua sorte possideret. Ad

*usque deleret. Tunc Attila de vitæ fiducia jam desperans ex equitatoriis ingentem pyram sellis construxit, ut ibidem se Gothis imminentibus, supposito igne cremaret, ne aut quisquam de ejus lætaretur vulnere, aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deveniret. Aetius vero incante perpendens Romanos a Gothis, perempto Attila, deprimi, nec non deinceps adversum Gothos, si necessitas incumberet, habere solatium, Torismundo quasi ejus rebus consulens persuadet, ut domum reverteretur, regnum paternum arriperet, ne, si ab ejus invaderetur germanis, acerbius ei esset cum suis, quam cum hostibus dimicare. Hoc ille consilium tanquam pro sua salute prolatum libenter amplectens, domum suam reversus est, regnumque paternum accepit. Cæterum Aetius ob hoc talia machinatus est, ut Attilam ab ejus impressione subduceret. Inscia, heu mens hominum, quantum hac provisione detrimentum patriæ, dum avertere cupit, ingessit! At vero Attila cernens se relicto hostem ad propria remeasse, erectis animis, ac spe salutis elevatus, Pannonias repedavit, multumque potiorem exercitum coacervans Italiam furibundus introiit, ac primum Aquileiam civitatem in ipso Italiæ sitam principio expugnare aggressus est. Quam continuo triennio obsidens, cum adversus eam, strenue civibus repugnantibus, nihil prævaleret, jamque murmur sui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret, cum die quadam civitatem circuit, ut ex qua parte eam facilius posset expugnare inquireret, cernit repente aves in ædificiorum fastigiis nidificare solitas, quæ ciconiæ vocantur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusque suos sublatos rostris per rura forinsecus deportare. Aspicite, inquit ad suos, aves futurorum præscias perituram relinquere civitatem. Statimque adhibitis machinis, tormentisque, hortatur suos, acriter expugnat urbem, ac sine mora capit: diripiuntur opes, captivantur, vel trucidantur cives, residuum direptioni igni supposito flamma consumit. Fuerat siquidem in ea civitate feminarum nobilissima Digna nomine, forma quidem eximia, sed candore pudicitiæ amplius decorata; hæc dum habitacula supra ipsa urbis mœnia haberet, turremque excelsam suæ domui imminentem, subter quam Natissa fluvius vitreis labebatur fluentis, ne sordidissimis hostibus ludibrium fieret, animoque pulchritudinem vel vi illata libidine vitiaret, mox ingressum hostium, captamque urbem præsensit, e summa se eadem turre obvoluto capite in gurgitem præcipitem dedit, metumque amittendæ pudicitiæ memorabili exitu terminavit. Plura præterea ejusdem regionis castella immanis hostis, exstinctis, vel captivatis civibus succendit ac diruit. Concordiam, Altinum, sive Patavium vicinas Aquileiæ civitates illius instar demoliens solo coæquavit. Exinde per universas Venetiarum urbes, hoc est Vincentiam, Veronam, Brixiam, Pergamum, seu reliquas, nullo resistente Hunni bacchantur, Mediolanum, Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen abstinentes et ferro. Deinde Æmiliæ civitatibus similiter exspoliatis, novissime eo loco, quo Mincius fluvius in Padum influit, castrametati sunt. Ubi Attila consistens erat, dum, utrum adiret Romam, an desisteret, animo fluctuaret, non Urbi, cui infestus erat consulens, sed Alarici exemplum pavens, qui captæ a se Urbi non diutius supervixit. Dum ergo has animo tempestates revolveret, repente illi legatio placidissima a Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo papa ad eum accessit. Qui cum ad regem barbarum ingressus esset, cuncta, ut optaverat obtinens, non solum Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit; territus namque nutu Dei Attila fuerat, nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse præoptabat. Fertur itaque post discessum pontificis interrogatum esse Attilam a suis, cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano papæ exhibuerit, quandoquidem pene ad omnia, quæ ille imperasset obtemperaret, tum regem respondisse, non se ejus, qui advenerat personam reveritum esse, sed alium se virum juxta eum in habitu sacerdotali adstantem vidisse, forma augustiorem, canitie venerabilem, illumque evaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem, nisi cuncta, quæ ille expetebat explesset. Igitur Attila tali modo a sua sævitia repressus, relicta Italia, Pannonias repetit, ad quem Honoria Valentiniani principis germana, dum a fratre ob decus pudicitiæ districte servaretur, suum eunuchum dirigit, quatenus eam sibi a fratre in matrimonium extorqueret. Accepto itaque hoc Attila nuntio, quia jam Italiæ fines excesserat, nec statim fatigato exercitu regredi poterat, mandat Valentiniano imperatori, minitans pejora se proxime illaturum Italiæ, nisi mox ei suam germanam cum parte regni debita transmisisset. Qui reversus ad proprias sedes, supra plures quas habebat uxores, puellam valde decoram, Ildicco nomine, sibi in matrimonium junxit. Ob cujus nuptias profusa convivia exercens, dum tantum vini, quantum nunquam antea insumel bibisset, cum supinus quiesceret, eruptione sanguinis, qui ei de naribus solitus erat effluere, suffocatus, exstinctus est. Eadem denique apud Constantinopolim nocte Martiano imperatori in somnis Dominus apparens, arcum Attilæ fractum ostendit. Quo scilicet armorum genere gens illa fidere in bello maxime solet. Dum hæc geruntur, apud Britanniam Pelagianæ hæreseos assertores Britannorum tentabant subvertere fidem, qui a Gallorum episcopis auxilium petentes, ad rectæ fidei defensionem sanctissimum virum Germanum, multisque jam virtutibus clarum Altissiodorensis ecclesiæ Episcopum accipiunt, et Lupum Trecassinum præsulem, atque apostolicæ gratiæ virum, qui non minus signorum miraculis, quam doctrinæ verbis, omnes ad sanæ fidei confessionem reduxere. Ecce autem adhuc ibidem sanctis episcopis consistentibus, valida Saxonum Pictorumque manus Britanniam advehitur. Nihilominus Britones mox arma corripientes hostibus obviam pergunt, cum quibus beatissimus Germanus sponte se offerens una pergit ad prælium. Cumque ipse dux belli ante consertam aciem constituisset, jamque hostes conglobati propius advenirent, non turbæ clangoribus, non gladiis fidens, imperat solummodo sanctus antistes, ut cum ipse prior inclamasset, omnes voce consona eumdem responderent sermonem. Moxque elevata magna voce Alleluia sonuit; cumque omnis exercitus sublato ad sidera clamore Alleluia respondisset, cunctaque per circuitum loca resultassent, continuo tantus hostes pavor invasit, ut dissoluta acie fugam arripientes, ac si singulorum cervicibus gladius immineret, tremebundi ad propria refugerent. Igitur, quia semper virtus invidiam parit, Valentinianus imperator, quantum res edocuit, prosperos Aetii successus, ut supra præmissum est, pertimescens, eum, simulque Boetium senatorem nobilissimum gladio peremit. Ita vir bellicosissimus Aetius, et quondam Attilæ regis potentissimi terror occubuit, cum quo pariter, et Occidentis imperium, salusque reip. corruit, nec ultra hactenus valuit relevari. Sed nequaquam Valentiniano mors Aetii impune cessit, nam et ipse anno sequenti a Transila Aetii milite, cum triginta annis imperium gessisset, confossus interiit, ex quibus cum Theodosio socero viginti quinque, cum Martiano quinque imperavit. Mortuo Valentiniano regni jura Maximus apud Urbem invadens, necdum duobus expletis mensibus, a Romanis peremptus est. Continuo advectis ex Africa navibus adest Geisericus cum validissimo suæ gentis exercitu, fultus insuper præsidio Maurorum, cum adhuc Romanæ Ecclesiæ beatissimus Leo ageret pontificatum. Perculsis itaque Romanis tam terribili nuntio, nobilibusque simul ac popularibus ex Urbe fugientibus, Urbem omni præsidio vacuam Geisericus obtinuit, occurrente sibi extra portam eodem sancto Leone episcopo, cujus supplicatio ita eum, Deo adjuvante, lenivit, ut cum omnia potestati ejus essent tradita, ab igni tamen, et cæde, atque suppliciis abstineretur. XIV interim dies secura et libera scrutatione*

Digitized by Google

*Valentinianum vero imperatorem legatione missa pacem simulat, ad ulciscendos Romanos de Gothis, et restituendas Reip. Gallias, et Hispanias pergere se dolose denuntiat. Sed imperatorem doli ejus minime latuerunt.*

*omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captivorum, prout cuique ætate, aut arte placuerant, cum regina Eudoxia, quæ Geisericum ad hoc facinus invitaverat, duabusque ejus filiabus, Carthaginem abducta sunt. Capta itaque hoc modo a Geiserico Roma est, postquam eam primo Alaricus invaserat. Secunda jam vice expletis ab eo tempore* XLIV *annis, a conditione sua* MCC *atque* VIII *evolutis. Relicta itaque Roma per Campaniam sese Vandali, Maurique effundentes, cuncta ferro, flammisque consumunt, quidquid superesse potest diripiunt. Captam nobilissimam civitatem Capuam ad solum usque dejiciunt, captivant, prædantur. Nolam nihilominus urbem ditissimam, aliasque quamplures pari ruina prosternunt. Neapolim præterea, quasque ob firmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt. Quicunque gladio superfuerunt, captivitatis jugo subjiciuntur. Inter has procellas vir piissimus Paulinus Nolanæ urbis episcopus, postquam quidquid habere poterat in captivorum redemptionem expendit, novissime cum nihil ei aliud, nisi ipse sibi solummodo superesset, pro cujusdam viduæ filio, maternas non valens piis ferre visceribus lacrymas, cum eadem ad Africam proficiscens, qua jam hostes discesserant, sese barbaro viro vice vicaria in servitium tradidit, cujus sanctitas, cum apud eamdem barbarum gentem Dei nutu cognita fuisset, demum cum omnibus suis civibus ad urbem propriam remeavit. At vero Geisericus postquam ditatus Italiæ opibus ad Africam regressus est, Valentiniani principis natam, quam ab Urbe captivitatis sorte abduxerat, Trasamundo filio suo in matrimonium copulavit, ex qua videl. Hildericus natus est, qui quartus postmodum a Geiserico Vandalis apud Africam regnavit. Recedente igitur ab Urbe Geiserico, Romani sequente mense exinanitæ reip. imperatorem Avitum præficiunt. Visigothæ quoque circa hæc tempora cum rege suo Theoderico Theodorici filio, transcensis Pyrenæi jugis, Hispanias invadunt. Ast vero Martianus imperator cum apud Constantinopolim* VII *annis regnum administrasset, facta suorum conspiratione peremptus est.*

## LIBER QUINTUS DECIMUS.

*Anno ab Urbe condita 1211, post Martiani imperatoris interitum, Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regum apud urbem Constantinopolim Augustali potitus est dignitate, qui deinceps sequenti tempore Leonem filium suum imperii consortem effecit. Exempto quoque in Italia humanis rebus Avito, Majorianus apud Ravennam invadit imperium, quod cum prope* IV *annis obtinuisset, haud procul a Dertonensi civitate juxta Iram flumen occisus est. Statimque Severus apud Ravennam imperator efficitur, atque Augustus appellatur. Tertio hujus anno imperii Biorgor rex Alanorum cum exercitu adveniens, occurrente patricio Ricimero superatus non longe a Bergomo civitate Venetiæ, atque exstinctus est. Severus vero cum quatuor annis imperasset, morte propria apud Urbem occubuit. Eodem tempore egresso inopinate igni magna Constantinopolis ædium strage cremata est. Deinde totius consensu militiæ post Severi mortem jura imperii Anthemius suscepit: sequenti anno Servandus Galliarum præfectus imperium tentans invadere, jussu Anthemii principis in exsilium trusus est. Rursus annali emenso spatio, Romanus patricius imperatoriam fraudulenter satagens arripere dignitatem, præcipiente Anthemio capite cæsus est. His quoque diebus Geisericus iterum ad Italiam navibus advenire cupiens, a Basilisco patricio navali superatus certamine, Carthaginem inglorius repedavit. At vero in Orientis partibus Aspar patricius Leoni Augusto insidias moliens, suum filium Cæsarem efficit. Leo victorem exercitum statim e Sicilia vocans, Asparem patricium cum novello Cæsare, filioque alio ejus germano, digno vitæ mulctavit excidio.*

*Hoc denique ipso in tempore inter Anthemium principem, ejusque generum Ricimirum patricium, qui tunc Mediolani positus præerat Liguriæ, magnus discordiarum fomes exortus est, quibus se vir sanctitate conspicuus Epiphanius Ticinensis episcopus interponens, eos primum ad concordiam revocavit: deinde barbarica perfidia fœdus Ricimirus irrumpens, erat enim Gothus prosapia, cum manu mox valida Urbem contendit, atque apud Anicionis pontem castra composuit. Divisa itaque Roma est, et quidam favebant Anthemio, quidam vero Ricimirii perfidiam sequebantur. Inter hæc Olibrius a Leone Augusto missus ad Urbem venit, vivoque adhuc Anthemio regiam adeptus est potestatem.*

*Bilimer Galliarum rector, cognita adversus Anthemium conspiratione Ricimirii, Anthemio ferre præsidium cupiens, Romam properavit. Is cum Ricimirio apud Adriani pontem prælium committens, continuo ab eo superatus atque occisus est. Exstincto Bilimere mox victor Ricimirus Urbem invadens, quarto jam anno agentem jura imperii Anthemium gladio trucidavit.*

*Præter famis denique, morbique penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, insuper etiam gravissime deprædata est, et excepto duabus regionibus, in quibus Ricimirus cum suis manebat, cætera omnia prædatorum sunt aviditate vastata, sed non diutius de perfidia lætatus est Ricimirus. Nam post mensem tertium excruciatus languoribus et ipse interiit. Mortuo Ricimiro Olibrius imperator Gundibarum ejus nepotem patricium effecit.*

*Olibrius quoque dum septem menses imperium gessisset, morte propria defunctus est Romæ. Post hujus funus Licerius domesticus a Gundibaro Patricio, totius etiam voluntate exercitus, apud Ravennam imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinate nepos patricius cum exercitu veniens Licerium regia exuit potestate, eumque apud Salonas Dalmatiarum urbem episcopum ordinavit. Eo tempore cum apud Tolosam Visigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ, Galliæque fines inter nepotem et Euricum litium fomenta crevissent, bellumque et diversi utrique præpararent, interveniente Epiphanio, de quo præmissum est, Ticinensi episcopo, fœderis inter eos jura firmata sunt. Haud procul ab his temporibus Theodericus cognomento Strabo Triarii filius, cum magna Ostrogothorum multitudine, usque ad quartum Urbis milliarium armatus advenit. Nulli tamen Romanorum noxius, continuoque in Illyricum reversus exstinctus est. Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gothorum alii Ostrogothi, alii vero Visigothi sint dicti, opportunumque est aliquantulum ad superiora tempora regredi, quatenus horum ratio vocabulorum possit exponi.*

*Temporibus Valentiniani superioris Augusti, cum intra Thraciæ fines Gothor. tunc populi communiter habitarent, et bifarie per Alaricum regiones ab Occidente Visigothi id est Occidentales sunt appellati. Leo igitur Augustus, postquam Orientale decem et septem annis rexit imperium, diem clausit extremum.*

*Mortuo Leone Zeno continuo Augustalem nactus est dignitatem. Leonem itaque, de quo præmissum est, quem pater Leo in regni asciverat potestatem, mater sua Zenonis impetum formidans, occulte clericum fecit. Exigenteque vehementer Zenone ut filium proderet, pro eo alium forma similem obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Justiniani usque tempora vixit. Ipso denique anno Augustulus apud Italiam adversus nepotem cum exercitu veniens, effugato eo imperio, regimen invasit. Annali deinceps circulo evoluto cum rege Vandalorum Geiserico fœdus initum est ab Oreste patricio. Hæc dum apud Romanos geruntur, Odoacer cum fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Turcilingorum, sive Scirorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit, qui dum adhuc*

Digitized by Google

*Itaque celerrime Theodoricum Visigothorum regem per Aetium Patricium conveniens, in suæ partis favorem traxit, atque cum eodem Patricio contra Attilam post vastatam fere omnem Galliam Aurelianis jam ob-*

*per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Severini fama Christi Domini servi, qui illis tunc degebat in locis, ad eum sibi benedictionem petiturus accessit, qui dum, benedictione percepta, ab ejus egredi cellula vellet, et caput ne in superliminari ostii, eo quod proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset, a Dei viro futurorum præscio mox talia audivit. Vade nunc ad Italiam, vade, Odoacer, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus. Hæc ille verba rerum exitu comprobavit; nam aliquantis postmodum annis totius Italiæ, insuper et Urbis usus est potestate.*

*Ingresso ergo Italiam Odoacre, statim ei apud Liguriæ terminos Orestes patricius occurrit, qui adversus fortissimam multitudinem nihil se prævalere conspiciens, maxime cum eum jam quidam suorum deseruissent, metu trepidus intra Ticinum se munitionis fiducia concludit. Mox adveniens cum exercitu Odoacer expugnatam fortiter ingreditur civitatem, vastantur universa rapinis, sævit ubique gladius, divina quoque, privataque ædificia ignis absumit. Captus demum Orestes ab hostibus Placentiam usque perducitur, ibique gladio detruncatur. Exinde per universas iidem barbari urbes diffusi, cunctam sine aliqua tarditate Italiam juri proprio subdidere, multasque tunc civitates parantes resistere, exstinctis habitatoribus, ad solum usque dejecere. Odoacer itaque prosperos sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit potestatem.*

*Augustulus siquidem, qui imperii præsumpserat potestatem, cernens universam Italiam Odoacris viribus subdi, inopinabili metu perterritus, sponte miserabilis purpuram abjiciens, cum vix XI mensibus remp. obtinuisset, imperialem deposuit majestatem. Ita Romanorum apud Romam imperium toto terrarum orbe venerabile, et Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octaviano cœpta est, cum hoc Augustulo periit, anno Urbis conditæ 1209, a Caio vero Cæsare, qui primo singularem arripuit dignitatem anno 517, ab Incarnatione autem Domini anno quadringentesimo septuagesimo quinto.*

*Igitur dejecto ab Augustali dignitate Augustulo, Urbem Odoacer ingressus totius Italiæ adeptus est regnum, quod dum annos XIV nullo inquietante tenuisset, ab Orientis tunc partibus adveniens Gothor. rex Theodericus Italiam possessurus intravit. Sed ut ad liquidum ob quam causam, vel unde advenerit possit agnosci, necesse est aliquantisper ad superiora repedare. Walamir Ostrogothorum rex, de quo superiori libello præmissum est, quod Attilæ Hunnorum regi subjectus exstiterit, mox ut Attila occubuit, ab Hunnorum se suosque dominio, avitæ libertatis memor, excussit. Idem quoque et Gepidarum rex Ardaricus, cæteræque hujus subjectæ faciunt nationes. Hunni vero dolentes Walamir, ejusque exercitum, non solum se a suæ ditionis jugo excussisse, sed etiam cæteris nationibus, ut similia facerent, incentores fuisse, mox ut fugitiva mancipia eos insequentes ad servitutem pristinam armis aggressi sunt revocare. Conglobatis itaque suis super Hunnos Walamir irruit, tantaque in eos cæde grassatus est, ut de reliquo, qui superfuerant Hunni, Ostrogothorum arma formidarent. Leo enim imperator cum Gothis post hæc Illyricum vastantibus fœdus iniit, ac Theodericum Theodemiris filium ex Arileva concubina genitum, Walamire ejus patruo obsidem accepit. Occiso deinde a Sciris Walamire, Theodemir ejus germanus regia jura suscepit. Diviso deinceps regno Theodemirus Orientis, Windimirus vero occidui sortitur imperium devastandum. Sed mox ut Italiam ingressus est rebus excessit humanis, successorem regni Windemerum filium relinquens. Windemerus vero, acceptis a Licerio tunc imperat. muneribus, Gallias contendit, seseque cum parentibus Visigothis jungens,*

*unum populum effecit. Interea dum suavi patrata victoria Windemirus domum revertitur, Theodericum filium a Leone imperat. remissum gratanter excepit, qui Theodericus dum jam octavum decimum annum ætatis ageret, inscio patre, aliquantis secum satellitibus ascitis, vicinam sibi Sarmatharum gentem invadens, opima ex eorum manibus patri spolia, prædamque copiosam reportavit. Theudimero itaque vita decedente, universis annitentibus ad regni gubernacula Theodericus ascendit. Quod factum cum ad Zenonem Augustum perlatum esset, gratanter accepit, eumque ad se rursus evocatum Constantinopolim, magno simul honore et divitiis extulit, intantum ut etiam consularibus eum fascibus sublimaret, quæ dignitas post imperiale fastigium prima est, æneamque illi equestrem statuam ante suum palatium collocaret. At vero dum hujuscemodi Theodericus deliciis apud Constantinopolim afflueret, gens illius, id est Ostrogothæ, dum eis propter fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret, nec tamen ab imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœpere non minimam egestatis penuriam pati. Exsecrantur fœdus compositum, vituperant inutilem pactionem, mittuntque continuo ad Theodericum, qui dicerent, quas, cum ipse Græcorum epulis superflueret, inopiæ miserias sustinerent. Hortantur ut si suis sibique consulere velit, citius redeat, quatenus ne cuncta gens pessumdetur, novas ad habitandum terras exquirant.*

*His Theodericus cognitis, ad Augustum Zenonem accedit questus, penuriamque suorum exponit, Italiam sibi dari postulat, absolutionem efflagitat, adjiciens quia si superare Odoacrem posset, Italiamque obtinere, ad ejus redundaret gloriam, a quo directus fuisset; si in bello superatus foret, ejus nihilominus lucris accresceret, quandoquidem quotidianorum stipendiorum exactoribus careret. Talia Zeno audiens contristatus quidem est, eo quod eum nollet amittere: attamen deliberato consilio, reip. utilitati prospiciens, ejus petitionibus annuit, Italiamque ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmavit, et senatum illi, populumque Rom. commendans abire permisit. Egressus igitur Constantinopoli Theodericus ad Ostrogothas revertitur, hortaturque continuo, ut quamprimum parati sint, quatenus possessuri Italiam proficiscantur. Attamen priusquam Italiam adventaret, Triopstilam Gepidarum regem insidias sibi molientem bello superans exstinxit, Busam quoque Vulgarorum regem magna simul cum suis agminibus cæde prostravit. Egressus itaque a Mysia cum omni Ostrogothorum multitudine, universaque supellectili per Sirmium, Pannoniasque iter faciens, ad Italiam venit. Ac primum juxta Sontium flumen, quod non longe ab Aquileia labitur, castra componens, dum uberrimis, quæ eo loco habentur, pascuis fatigata aliquantulum ex itineris longitudine jumenta reficeret, ibi mox ei cum grandi suorum exercitu totisque Odoacer Italiæ viribus occurrit, quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum prælio, postremo in fugam convertit. Exinde Theodericus movens cum Veronam venisset, iterum adversus eum Odoacer non minori quam prius belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodericus haud procul a Veronensi urbe confligens, nimia ejus exercitum cæde contrivit, ipsumque pariter, et omnem illius multitudinem dare terga coegit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Adesim fluvium mergunt, ex magna parte rapidissimis ejus gurgitibus implicati suffocantur. Theodericus vero dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam illico, pavore civibus consternatis, invadit. Odoacer autem cum his qui evaserant fugiens, Romam contendit. Sed obseratis continuo portis, exclusus est, qui dum sibi denegari introitum cerneret, omnia quæque attingere potuit, gladio, flammisque consumpsit. Inde quoque egrediens Ravennam ingressus est. Ibique, quibus se tueri adversus hostes posset, munitionum præparare*

*sidentem direxit. Nec mora, congregatis undique bellatoribus Aetius cum rege Theodorico et ejus filio Thorismundo obviam Hunnis fortissime pergit. Ubi conserta incredibili pugna, cui vix post hominum memoriam ullum simile prælium reperitur, vicere Romani, fugato Attila, et Gothorum rege interfecto. Hoc certamen circa nonam diei horam cœptum, de utrisque partibus centum octoginta millia occisorum dedit. Sed post modicum Valentinianus Augustus Aetium singularem populi Romani spem suis manibus, alienis autem fraudibus interemit, cum quo simul omnis fortuna et virtus Hesperiæ corruit. Attila enim continuo, resumpta fiducia, cruentus Italiam petit, Aquileiam captam funditus eradit. Ticinum atque Mediolanum regias urbes excidit. Inde vastatis circumquaque locis, cum Romam quoque pararet irrumpere, Leo magnus papa missu ad eum Valentiniani imperatoris accessit: eumque adeo mitem reddidit, ut illico promissa pace firmissima, ultra Danubium non rediturus abierit. Continuo enim rebus humanis excessit, et humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus attulit. Gothi quoque non contenti provincia, quam superius a Romanis habitandam penes Galliam acceperant, Arvernos et Narbonam cum suis finibus captas invadunt, ruina videlicet Romani status, et frequenti mutatione principum animati. Nam Valentinianus imperator ab amicis Aetii, quos sibi delegerat satellites, interficitur, et Maximus quidam, cujus dolo id perpetratum fuerat, imperator creatur. Qui cum viduam ejus Eudoxiam Augustam invitam suis nuptiis adegisset, illa Gensericum, ut dicitur, Africæ regem, ut mariti vindex adveniret, invitavit. Cujus adventu Maximus, vix altero imperii sui mense [a] comperto, cum passim nobilitas ejus licentia, et popularium*

*obstacula cœpit. Theodericus itaque a Verona digrediens Mediolanum pervenit, ubi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum, pluresque Italiæ populi convenere. Sed paucis interjectis diebus, rursus deditius exercitus, Tuffa quodam nomine instigante, Odoacris se partibus reddidit. Ea res Theodericum in tantum perterruit ut se suumque exercitum apud Ticinensem urbem muniret. Talium rerum varietates Burgundionum rex Gundobatius aspiciens, Liguriam cum ingenti exercitu ingressus, cuncta quæ reperire poterat pro voluntate diripiens, infinitam secum ad Gallias captivorum multitudinem abduxit. Theodericus itaque aliquandiu intra munitiones exercitum retinens, demum relictis ibi matre, sororibus, universi vulgi multitudine, nihil plane dubius de Epiphanii viri sanctissimi fide, cum expeditis armatorum cuneis ad Odoacris obsidionem Ravennam perrexit, dumque eo loco, cui Pinetum nomen est, non procul ab urbe castra posuisset, per continuum pene triennium Odoacrem obsedit, qui dum frequenter ex urbe cum suis egrediens ejus exercitum inquietaret, novissime noctu in castra irruens, magna Theoderici exercitum strage prostravit. Victus ad extremum, fortissime Gothis resistentibus, in urbem confugit. Nec multo post a Theoderico in fidem susceptus, ab eo truculente peremptus est. Egressis denique a Ticinensi urbe post triennium Gothis, eamdem mox urbem Rugi invasere, cuncta per circuitum loca, simulque et civitatem per continuum biennium populatione vastantes, cum adhuc beatissimus Epiphanius superesset, cujus in tantis periculis sanctitate cives replebantur afflicti. Hic a Theoderico Gallias ad Gundobatium pro captivis redimendis directus, excepta innumera multitudine, pro quibus pretium tribuit, sex millia captivorum ob solam sanctitatis suæ reverentiam concessa secum reduxit. Igitur Theodericus, exstincto apud Ravennam Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionem. Nec multo post Romam profectus, a Romanis magno gaudio susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidium annis centum viginti millia modiorum concessit. Dum hæc apud Italiam geruntur, a Bulgaris universa Thracia crudeliter devastatur. Constantinopolis etiam ipsis diebus maximo conflagravit incendio. At vero apud Africam Hunericus, qui, mortuo Geiserico, in regnum successerat, Arriana perfidia trusis in exsilium, effugatisque amplius quam 334 Catholicis episcopis, ecclesiis eorum clausis, plebem variis suppliciis affecit. Et quidem innumeris manus abscindens, linguas eorum præcidit, nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuit. Apud Britannias quoque Ambrosius Aurelianus, qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit, victoresque Saxones, Britonum ducens exercitum, sæpe superavit, atque ex eo tempore nunc hi, nunc illi, palmam habuerunt. Donec Saxones potentiores effecti, tota per longum insula potirentur.*

*Theodericus interea, ut sui regni vires constabiliret, Audefledam Jodoin Francorum regis filiam sibi in matrimonium junxit, Amalafredam germanam suam Vandalorum regi Hunerico, ejusdem Amalafredæ filiam Malabergam Turingorum regi Ermenfredo, Teodicodo quoque, et Ostrogotho ex concubina filias, alteram Alarico Visigotharum regi, alteram Sigismundo Burgundionum consociavit. Amalasvintham vero tertiam filiam Eutharico ex Halamalorum stirpe venienti evocato ab Hispania tradidit. Nec ulla fuit Italiæ gens quæ Theoderico, aut conjunctionis affinitate, aut pactionis fœdere sociata non fuerit. Zeno itaque Augustus cum per annos XVII reip. præfuisset, apud urbem Constantinopolim vitæ terminum accepit.*

## LIBER DECIMUS SEXTUS.

*Cessante jam Romanæ urbis imperio, utilius aptiusque mihi videtur ab annis Dominicæ Incarnationis supputationis lineam deducere, quid, quo tempore actum sit, possit agnosci. Anno ab incarnatione Domini 492 post Zenonis excessum, Anastasius purpuram induit, qui XLVII in regum numero exstitit. Hic Romani decus imperii Eutichianæ hæreseos illuvie maculavit. Hujus temporibus tanta propter Symmachi ac Laurentii electionem Romæ dissensio facta est, ut Festus, senatorum nobilissimus, et exconsul, et alius exconsul Probinus, Laurentii partibus faventes, adversus Faustum exconsulem cæterosque, qui Symmacho adhærebant, pontifici bellum inferrent, multasque cædes et homicidia in medio Urbis facientes, plerosque ex sacerdotali numero, multos etiam clericorum, perplures civium Romanorum exstinguerent. Eo tempore Trasamundus, qui fratri Hunerico apud Africam in Vandalorum regna successerat, fratris, vel patris Geiserici secutus perfidiam, clausis Catholicorum ecclesiis, ducentos viginti episcopos in Sardinia exsilio relegavit, quibus beatus papa Symmachus quotidiana subsidia ministrare non desiitit. Inter has tempestates beatus Fulgentius in confessione fidei et scientia floruit. His ipsis apud Africam diebus, dum Arianus quidam, Olympius nomine, corpus aquis balnearibus abluens, indigna quædam, et blasphema de sanctæ Trinitatis fide verba evomeret, veniente subito ignito cœlitus jaculo, visibiliter combustus est. Barbas quoque quidam Arianus episcopus dum, contra regulam fidei, minorem scilicet Patri Filium sanctum quoque Spiritum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: Baptizo te, Barbas, in nomine Patris, per Filium in Spiritu sancto, statim aqua, quæ ad baptizandum allata fuerat, nusquam comparuit. Quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad Ecclesiam Catholicam fugiens juxta morem fidei baptismum Christi suscepit.*

[a] Forte, completo.

Digitized by Google

*cœtus ex Urbe profugeret, ipse quoque trepido animo sese parabat ad fugam. Sed a ministris regiis illico dilaniatus, et membratim dissectus, in Tiberim projectus est. Gensericus continuo vacuam præsidio civitatem capit, et occursu Leonis papæ mitigatus, ab incendio, cædibus atque suppliciis Urbem immunem servavit: omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captivorum millia cum Augusta Eudoxia et ejus filiabus Carthaginem revexit. Hujus papæ Leonis auctoritate, et jussu Martiani principis Chalcedonensis synodus celebrata est. Romæ post Maximi necem, Avitus suscepit imperium, quod post modicum deponens, episcopus Placentiæ ordinatur. Apud Constantinopolim vero Martianus imperator obiit sexto imperii sui anno, et sexto mense completo.*

## LEO.

*Anno ab Urbe condita 1210, Leo quadragesimus nonus ab Augusto sortitur imperium. Romæ vero post Avitum Majorianus Cæsar effectus, quarto imperii anno apud Dertonam Hispaniæ civitatem, fraude Severiani, occiditur, qui tertio imperii anno Romæ occubuit. In cujus locum a Leone principe missus Arthemius, sexto imperii anno cum summa clade Romanæ Urbis occiditur, succedente Olibrio, quem Glicerius apud Ravennam sumpto imperio removit, et ipse mox a Nepote privatus, Portuensis episcopus ordinatur. Leo imperator Orientis anno imperii decimo sexto defunctus, Zenoni reliquit imperium.*

## ZENO.

*Anno ab Urbe condita 1226, Zenon quinquagesimus ab Augusto imperat. Nepotem vero Cæsarem Orestes patricius imperio privat, et filium suum Augustulum imperatorem creat. Sed continuo Odoacer rex Turcilingorum et Rugorum, pervasa Italia, Romam capit, quarta jam vice a conditione sua, et Augustulo imperatore exsiliato, ipse Romæ tyrannice regnat, quem Theodoricus rex Gothorum missus a Zenone obsedit, cepit, interemit, et ipse Romæ consensu Zenonis Augusti regnavit.*

## ANASTASIUS.

*Zenoni vero post sexdecim annos mortuo, successit Anastasius, qui inimicos Chalcedonensis synodi fovens, Orthodoxos persequebatur. Eodem tempore Romæ Symmachus et Laurentius discordantibus inter se civibus electi, et ex utrisque partibus innumeræ strages et rapinæ patratæ sunt; plerique ex sacerdotali numero, multi etiam clericorum, plures civium Rom. exstincti sunt per tres circiter annos, usque quo videlicet Theodoricus princeps veniens, tunc Romam tenens, quanquam Arianus esset, synodo celebrata, locari Symmachum quidem episcopum Romæ firmavit: Laurentium vero in Nucerina civitate locare episcopum præcepit. Qui tamen nullo pacto quiescens, sed seditiones commovens, a Symmacho deponitur, et in exsilium in Dalmatiam mittitur, et ita simultas cessavit.* Eodem tempore Transamundus, qui fratri [a] *Honorio* apud Africam in Vandalorum regnum successerat, fratris

A vel patris Genserici secutus perfidiam, clausis Catholicorum ecclesiis, ducentos viginti episcopos, [b] exsilio relegavit. Quibus beatus papa Symmachus quotidiana subsidia ministrare non destitit. Inter has tempestates beatus Fulgentius in confessione fidei et doctrina floruit. His ipsis apud Africam diebus, cum Arianus quidam, Olympus nomine, *in Elysorensium balneo lavaretur*, indignaque quædam et blasphema de sanctæ Trinitatis fide verba evomeret, veniente subito [c] *desuper* igneo jaculo, visibiliter combustus est. *Cæterum Deuterius episcopus Arianorum Byzantii baptizans quemdam virum Barban nomine*, cum, contra regulam fidei, minorem scilicet Patre Filium sanctumque Spiritum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: Baptizo te, Barbas, in nomine

B Patris per Filium in Spiritu sancto, statim aqua quæ ad baptizandum fuerat allata nusquam comparuit. Quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad catholicam Ecclesiam fugiens, juxta morem fidei baptismum Christi suscepit, *et omnibus notum fecit miraculum.* Theodericus vero, dum per idem tempus pacifice apud Italiam regnaret, per singula quæque celebriora loca regia sibi habitacula construxit. *Interea Saracenorum incursus in Phœnicen et Syriam rursus effectus est post mortem Agari, Vadicarimo fratre ejus instar turbinis, et adhuc velocius, discurrente per loca. Hoc etiam anno, id est, imperii Anastasii undecimo, Bulgares per Illyricum et Thraciam discurrunt priusquam agnoscerentur, eam crudeliter devastant. Constantinopolis etiam ipsis diebus*

C *maximo conflagravit incendio. Deinde Neocæsarea, apud quam cum futuram esset ut fieret terræmotus, miles iter faciens duos milites super eam vidit, et alium militem post terga clamantem: Conservate domum in qua sepulcrum Gregorii est. Cum autem terræmotus factus fuisset, plurima pars civitatis corruit, excepta domo Gregorii Thaumaturgi, id est, miraculorum operatoris. Interea Juliana, illustrissima femina, quæ templum Dei Genitricis apud Honoratas construxerat, valde pro Chalcedonensi synodo satagebat, ita ut si nec imperator quidem, multas adversus eam versutias adinveniens, Timotheo communicare persuadere valuerit, sed nec ipse Timotheus frequenter ad eam pergens hoc potuerit ei persuadere. Pompeium quoque consobrinum illius, et ejus uxorem, quæ mulier erat ornata, multis*

D *imperator Augustus humiliabat, ut ablegaret veneratores synodi, et eos qui in exsilio Macedonio episcopo largiebantur quæ necessaria erant. Deinde quosdam ex principibus præcepit in templo sancti Theodori Sparatii super ambonem Trisagii additamentum admittere, id est: Qui crucifixus est pro nobis, ita ut multitudines indignatæ per diem litaniæ illinc egrederentur, quando et Timotheus per* [d] *commentorium scriptum omnibus Ecclesiis præcepit trisagion in litaniis dicendum cum additamento, quod multi metuentes fecerunt. Monachi vero alium psalmum psallendo venerunt. Hos autem populus videns, clamavit: Benevenerunt Orthodoxi!*

[a] *Hunerico.*
[b] A., *in Sardinia.*
[c] *Cœlitus.*
[d] *Commonitorium.*

Digitized by Google

*Simultas etiam facta est multa, et incendium domorum multarum, ac homicidia dena millia, turba vociferante adversus Anastasium, et Vitalianum imperatorem petente, ita ut fugeret Anastasius, et latitaret, ab ipsaque Ariadne laceraretur injuriis, ut puta multorum causa malorum Christianis effectus. Alamundaro autem principe Saracenorum gentis baptizato, Severus duos episcopos macula suæ pravitatis infectos direxit causa communicandi. Dei autem providentia ille baptizatus erat ab Orthodoxis qui recipiebant concilium. Cumque Severi episcopi subvertere principem a vero dogmate festinarent, mirabiliter eos arguit Alamundarus hujuscemodi fabula; ait enim ad illos: Litteras accepi hodie, quia Michael archangelus mortuus. Illis vero dicentibus, hoc impossibile fore, ait princeps: Et quomodo Deus secundum vos nudus crucifixus, nisi naturarum esset duarum Christus, quandoquidem nec angelus est moriturus? Et ita cum confusione Severi recesserunt episcopi. Itaque Vitalianus, quem populus imperatorem expetierat, excepta tota Thracia, Scythia et Mysia, Bulgaros habens secum, et multitudinem Hunnorum, cepit Anchialum et Odyssopolim. Comprehendit autem et Cyrillum magistrum militum Thraciæ, et pervenit prædas gerendo Byzantium. Parcens vero civitati, apud Sostenium castrametatus est. Anastasius autem desperatione consternatus, mittit ex senatu quosdam, rogans eum pacisci, et jurare una cum senatu quod ab exsilio revocaret episcopos apud Heracleam Thraciæ. Porro Vitalianus addidit ut et principes uniuscujusque scholæ jurent istud, sed et Macedonius, et Flavianus, qui nequiter pulsi fuerant, suos reciperent thronos, similiter et reliqui omnes episcopi, et ita celebraretur synodus Romana, et cunctis episcopis convenientibus, communi judicio reprobarentur quæ adversus Orthodoxos sunt præsumpta. Itaque cum hæc imperator, senatus et reliqui principes, populique, jurassent et confirmassent ita fiendum, facta est pax, et ad propria rediit. Hormisda vero Rom. episcopus, fatigatus a Theodorico, Vitaliano favente, [a] Evodium episcopum misit, et Vitalianum archidiaconum ad synodum celebrandam apud Heracleam. Venerunt autem et episcopi ex diversis locis fere ducenti, qui illusi ab imperatore, et Timotheo episcopo Constantinopolitano, recesserunt inefficaces. Impius quippe imperator, pacta transgrediens, clam intimavit Romano papæ ne veniret. Miserat enim Vitaliano sacram, quo transmitteret eam Romam, ut papa proficisceretur ad celebrandam synodum apud Heracleam. Omnis autem populus atque senatus in præsentia maledicebat Anastasio tanquam perjuro. Porro Vitalianus indignatus adversus Anastasium ob perjurium, multa mala exercitibus Anastasii et reliquæ reip. demonstravit, occidens, rapiens, armis exuens, et postremo ad injurias ejus unumquemque militum uno æreo nummo vendens. Interea Hunni, qui dicuntur Saber, transeuntes Caspias* A *portas, Armeniam, et Cappadociam, Galatiam et Pontum, depopulati sunt, ita ut Euchaitam quoque pene pervaderent. Unde et fugiens Macedonius episcopus propemodum periclitatus, salvatus est apud* [b] *Gangras. Quo comperto, Anastasius illic eum amare custodiri præcepit, mittens, ut aiunt, qui eum occiderent. Defunctus autem apud Gangras, positus est in ecclesia sancti martyris Callinici juxta reliquias ejus, multas sanitates efficiens. Qui cum exanimis jaceret, manu fertur se signaculo crucis signasse. Theodorus autem unus ex his qui cum eo erant vidit eum in somnis dicentem sibi: Excipe, abiens lege, et dic Anastasio: Ego quidem ad patres meos vado, quorum fidem servavi: non cessabo autem increscens Domino, usquequo venias, et ingrediamur judicium. Eodem anno Alexan-* B *driæ multi viri, ac mulieres, et pueri, atrociter a dæmonibus obsessi repente latrabant. In somnis autem quidam vidit quemdam dicentem quia propter anathematismos synodi Chalcedonensis patiuntur isti. Vicesimo deinde et septimo imperii Anastasii anno, vidit idem imperator in visu virum terribilem portantem Codicem, qui hunc aperiens, et inveniens nomen imperatoris, dicit ei: Ecce propter malam fidem tuam deleo decem et quatuor, et delevit eos. Expergefactus autem, et advocato præfecto Adamantio, dixit ei visionem. Et ego, ait ille, vidi hæc ista nocte, quia assistenti mihi imperio tuo porcus magnus veniens, et comprehensa prætexta mea, projecit me in terram, et interemit. Convocato ergo Proculo conjectore, dixit ei* C *quæ visa fuerant, qui quod ambo forent post paululum morituri prædixit.* Anastasius itaque cum in hæresi in quam delapsus fuerat perseveraret, duasque in Christo naturas, deitatis videlicet et humanitatis, Eutychium hæresiarcham sequens, denegaret, Hormisda papa, qui Symmacho successerat, direxit *Evodium* Ticinensem episcopum, aliosque cum eo [c] Constantinopolim cum catholicæ fidei scripto, quatenus Anastasium ad Ecclesiæ gremium reducerent, qui non solum salubria eorum monita sprevit, sed insuper etiam a suis conspectibus non sine contumelia expulit, navique fragili impositis, mandat ne uspiam per totam Græciam ad aliquam civitatem accederent. Quam ejus impiam temeritatem divina ultio continuo subsecuta est. Nam cum vicesimum D et septimum annum imperii [d] ageret, *mortuus est, et imperavit pro eo pius Justinus, vir senior, et multum peritus, qui a militibus incipiens, usque ad senatum profecit. Quidam autem aiunt quod divino fulmine Anastasius percussus perierit.*

## JUSTINUS.

Anno ab Incarnatione Domini [e] 511, Justinus *Caropazates, Illyricus genere, vir* catholicus, Augustali potitus est solio. Ad hunc ob causam redintegrandæ fidei directus ab Hormisda pontifice, vir sanctitate præcipuus, Germanus Capuanæ urbis episcopus,

[a] A, *Ennodium*, semper.
[b] A., *Grangas*.
[c] A., *Constantinopolim legatos*, etc.
[d] A., *ageret, ictu fulminis percussus interiit. Anno*, etc.
[e] A., 518, *punito Anastasio hæretico, Justinus catholicus*, etc.

Digitized by Google

digne susceptus est, multorumque dubia corda in fide solidavit. Eo tempore apud Africam, defuncto [a] *Transmundo* Vandalorum rege, Arianæ perfidiæ, [b] *Childericus*, ejus filius ex *Eudoxia* captiva, Valentiniani principis filia, ortus, Vandalorum regnum adeptus est, qui non patrem hæreticum, sed matris catholicæ monita sequens, cultor rectæ fidei enituit. Hunc pater Transmundus ad mortem veniens, quia [c] *tenebat* eum catholicæ parti favere, sacramenti nodis astringere curavit, ne unquam in suo regno Catholicis *faveret, atque* consuleret. Qui mox ut suus genitor vita caruit, priusquam etiam regni jura assumeret, universos episcopos, quos Transmundus in exsilium coegerat, regredi fecit, eisque ecclesias reformari præcepit, septuaginta jam et quatuor annis evolutis, ex quo a Genserico *avo suo* primitus apud Africam ecclesiæ fuere destructæ. *Tertio Justini principis anno moto bello inter Romanos et Persas, misit idem Justinus legatos et munera ad* [d] *Zeliobem regem Hunnorum, et repromisit ille cum juramento, se imperatori contra Persas auxilium præstiturum. Mittentem autem deinde ad se regem Persarum admisit, et suadenti promisit, etiam ipsi hoc præstiturum contra Romanos. Sane Justinus hæc ediscens tristatus est valde. Porro direxit Zeliobes ad Persas viginti millia ad expugnandos Romanos. At vero Justinus destinavit Chuadi regi Persarum legationem pro pace, et quasi super alio quodam scribens, etiam de Zeliobe significavit, quia opitulationis juramenta cum Romanis habet, et quia munera accepit multa, et vult proditor Persarum fieri et quia oportet nos cum simus fratres, ad amicitiam venire, et non a canibus istis illudi. Tunc Chuades accersens secreto Zelioben, sciscitatus est, si accepisset a Romanis munera, hortatus eos adversum Persas. Qui dixit: Etiam. Et iratus Chuades occidit eum, et per noctem missa multitudine Persarum, interfecit populum ejus, suspicatus quod dolo ad illum venissent. Quotquot autem potuerunt fugere, redierunt ad propria. Quinto anno imperii Justini Zatus rex Lazorum recedens a regno Persarum, regnante Cabade, et Zatum amante, qui etiam illum in regem provexerat Lazorum, venit Byzantium ad Justinum, et rogavit eum, ut fieret Christianus, et ab ipso appellaretur imperator Lazorum. At imperator grandi cum gaudio illo suscepto, illuminavit eum, et filium appellavit. Profectus autem Lazorum imperator a Justino, portavit coronam, et* [e] *chlamydem imperatoriam albam. Quo comperto Cabades Persarum rex, significavit Justino dicens: Quia cum amicitia, et pax sit inter nos, quæ inimicorum sunt agis, et eos qui sub potestate Persarum erant a sæculo, assumis. Qui remisit ei: Nos quemquam subjectorum imperio tuo neque assumpsimus, neque subvertimus, sed ascendens Zatus ad imperia nostra, procidens deprecatus est, ut ab scelesto, et pagano dogmate, impiisque sacrificiis, et errore dæmonum liberaretur, et accederet ad creatorem omnium Dominum, et fieret Christianus. Hunc nos baptizantes absolvimus ad propriam regionem. Ex tunc ergo facta est amicitia inter Romanos et Persas.* At vero in Orientis partibus, cum adhuc eo tempore per singula loca hæresis Ariana vigeret, Justinus *sexto imperii sui anno*, orthodoxæ fidei studio omnimodis satagere cœpit, ut hæreticorum nomen exstingueret, statuitque ut ubique eorum ecclesias catholica religione consecraret. Quod dum in Italia rex Theodoricus Ariana lue pollutus audisset, Joannem papam, simulque cum eo Theodorum [f] *Hypatium*, atque Agapitum consulares viros, *atque* [g] Agapitum patricium Constantinopolim ad Justinum principem misit. Mandat quoque per eos, interminans, quod nisi quantocius hæreticis suas ecclesias redderet, eosque in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio exstingueret. Qui pervenientes ad Augustum, cum ab eo, ut dignum erat, suscepti essent, magnis cum de sua suorumque salute sollicitati fletibus postulant, ut suæ legationis seriem, quanquam esset injusta, libenter exciperet, Italiæque perituræ consuleret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis quod petebant concessit, Arianosque sui juris reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodoricus, rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum exconsulem, ac patricium, et Boetium senatorem et exconsulem Catholicos viros, gladio trucidavit. His diebus exstincto a Francis Alarico Visigothorum rege, Theodoricus per [h] *Hyppam* suum comitem plusquam triginta millia Francorum cædens, [i] *Thiodem* suum armigerum post mortem Alarici [j] *generi, tutorem Athalarici* constituit. Joannes vero pontifex revertens a Constantinopoli, dum cum his ierat, cum quibus *erat* profectus ad Theodoricum Ravennam venisset, Theodoricus malitia commotus, quod eum Justinus catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit. Sed hanc ejus immanissimam crudelitatem mox animadversio divina secuta est. Nam post hoc facinus [k] nonagesimo nono die subitanea morte defunctus est. Cujus animam solitarius quidam apud Liparam insulam, vir magnæ virtutis, aspexit inter Joannem papam, et Symmachum patricium deduci, et in ollam Vulcani, quæ ei loco proxima [l] *est*, demergi. Igitur Theodorico tali modo punito, Gothi sibi Athalaricum, de quo præmissum est, ex Theodorici regis filia procreatum, cum eadem Amalasuinta matre sua in regnum [m] præficiunt. *Interea Cabades rex Persarum, filius Perozi, multa millia*

[a] A., *Trasamundo.*
[b] A., *Hildericus.*
[c] A., *cernebat.*
[d] Ms., *Zeliorhe.*
[e] Χλαμίδα βασιλικὴν ἄσπρην.
[f] A., *Importunum.*
[g] A., *aliumque.*
[h] A., *Ibbam.*
[i] A., *Theodem.*
[j] A., *nepotis.*
[k] A., *nonagesimo octavo.*
[l] A., *erat.*
[m] A., præficiunt. *At vero Justinus cum*, etc.

Digitized by Google

*Manichæorum cum episcopo eorum*, [a] *Indagaro*, uno die peremit, una cum senioribus Persis, qui consensus eorum erant. Filium enim ejus nomine Phatuarsan Manichæi a puero instruentes, repromittebant ei dicentes: Quia pater tuus senuit, et si contigerit eum mori, principes magorum unum fratrum tuorum faciunt imperatorem, eo quod teneat dogma ipsorum. Nos autem possumus per orationes nostras suadere patri tuo abrenunciare imperio, et te promovere, ut ubique confirmes dogmata Manichæorum. Qui repromisit hoc facere si imperasset. Cum autem hæc Cabades cognovisset, jussit conventum fieri, quasi facturus filium suum imperatorem; omnes jubens Manichæos una cum episcopo eorum, et mulieribus, et liberis adesse conventui, similiter et principem magorum Glonazem, et magos, et Christianorum episcopum Boazanem, dilectum a Cabade, ut medicum optimum. Et convocatis Manichæis ait: Gaudeo super dogmate vestro, et volo vobis dare dum vivo filium meum Phatuarsan, ut consentaneum vestrum, sed segregate vosmetipsos ad recipiendum eum. Qui freti fiducia semetipsos segregaverunt. Cabades autem præcipiens exercitus suos ingredi, omnes cecidit gladiis cum episcopo eorum, sub conspectu magorum principis, et Christianorum antistitis. [b] Igitur terræmotus cum apud Antiochiam adhuc teneretur, Euphrasius episcopus obrutus est, et mortuus a terræmotu, et omnis domus, et ecclesia cecidit, et pulchritudo civitatis exterminata est. Non enim facta est divinitus talis ultio in alia civitate per omnes generationes. Ac piissimus imperator Justinus, his cognitis, plurimum animo doluit, ita ut ablato diademate a capite suo, et purpura, lugeret in sacco, sedens per multos dies, adeo ut in die festo procedens ad ecclesiam, non sit passus portare coronam, vel chlamydem. Porro mense Aprili ejusdem [c] indictionis ægrotus imperator Justinus effectus, provexit, dum adhuc viveret, in imperatorem Justinianum filium sororis suæ, qui et coimperavit ei mensibus quatuor. Mense autem Augusto ejusdem indictionis [d] quinto Justinus obiit apud Constantinopolim cum Augustalem dignitatem undecim annis [e] administrasset.

[a] A., *Indazaro*.
[b] A., *Mundi anno* 6017, *Divinæ Incarnationis* 518, *motus terræ apud Antiochiam*.
[c] A., *quintæ indictionis*.
[d] Puto legendum *quintæ*.
[e] A.: *Administrasset, apud Constantinopolim in pace quievit*.

# LIBER SEXTUS DECIMUS.

## JUSTINIANUS.

Anno ab Incarnatione Domini [a] 521, Justinianus Romanorum *solus* Augustalem adeptus est principatum. Qui mox ut imperialia jura suscepit, ad reparandum reipub. statum animum intendit, ac primum per [b] Bilisarium patricium, ingentem virum, Persas aggressus est, qui, transgressis Romanorum terminis, eorum regiones graviter depopulabantur. Quos Bilisarius magnis præliis fudit, atque ex voluntate principis Constantinopolim triumphans ingressus est. [c] *Interea rex Herulorum Gethes nomine venit Constantinopolim cum populo suo, et petiit imperatorem quod fieret Christianus. Qui baptizatum in Theophaniis suscepit eum ex baptismate, repromittentem auxiliari ei in quibuscunque voluisset. Eodem anno adhæsit mulier quædam Romanis ex Hunnis, qui dicuntur Saber, nomine Boazer, vidua, habens secum Hunnorum centum millia. Tum et rex Hunnorum, qui sunt juxta Bosphorum, nomine Gorda, accessit ad imperatorem, et factus Christianus susceptus est ab imperatore, et multis ei præstitis donis, misit eum in regionem ipsius ad custodiendas Romanas res, et Bosphorum civitatem, quæ pro eo quod Romanis per singulos annos boves pro pecuniis inferebat, Bosphorus appellata est. Locavit autem et militum Romanorum numerum, et tribunorum custodire civitatem, propter Hunnos, et exigere tributa boum. Promulgavit autem formam de episcopis, et œconomis, et orphanotrophiis, et xenodochiis, ne hæreditate possiderent aliqua, nisi quæ priusquam proveherentur habuisse probarentur, de quibus et testamentum emittere possent. Ab hac vero hora, qua promoveretur, neminem habere licentiam disponendi, sed omnia ipsius venerabilem domum hæreditari. Exposuit imperator leges validas contra libidinosos, et multi puniti sunt, et factus est timor multus, et cautela. Renovavit etiam contrarias leges, faciens singularem Codicem, et vocans eum Novellas constitutiones, in quibus non permittit principem in locis, quibus præest, emere possessionem, aut ædificare domum, aut hæreditari extraneam personam, nisi qui sibi cognatus existat. Eodem anno passa est a divina indignatione rursus Antiochia post duos annos prioris passionis, et factus est terræmotus magnus, et tempestas gravissima, et litanias faciebant qui remanserant, omnes* [d] *discalceati clamantes,* κύριε ἐλέησον. *Apparuit autem in visu Dei cultori homini, ut diceret omnibus residuis, quod superscriberent in superliminaribus suis: Christus nobiscum, state. Quo facto stetit ira Dei, et rursus imperator, et Augusta multas pecunias donaverunt in recuperationem, et ædificationem Antiochensium civitatis, quam cognominavit Theopolim. Porro duodecima Kalendarum Aprilium septimæ*

[a] A., 529, *Justinianus sororis Justini filius Rom. principum nonus, et quadragesimus Augustalem*, etc.
[b] *Bellisarium* semper Amb.
[c] Ms. Fr. Pithœi: *Eodem anno singulare imp. Justinianus imp. obtinuit: rex autem Herulorum Gretes nomine*, etc.
[d] Fr., Pithœi *et projicientes se super nives*.

Digitized by Google

*indictionis, irruit Alamundarus Zerices regulus Sarracenorum, et deprædatus est Syriam primam, usque ad terminos Antiochiæ, in locum qui dicitur Litargum, et occidit multos, et incendit exteriora Chalcedonis. Et audientes primores Romanorum, exierunt adversus eos. Quo comperto, Sarraceni una cum Persis sumpta, seu captivis, vel præda, fugere. Præterea Samaritæ, et Judæi in Palæstina, imperatorem quemdam Julianum coronantes, et arma contra Christianos commoventes, rapinas, homicidia, et incendia operati sunt, quos Deus tradidit in manus Justiniani, et interemit eos, et decollavit Julianum tyrannum. Tertio namque imperii sui anno Justinianus imperator promulgavit legem, ut non* [a] *essent pagani, nec hæretici, nisi soli orthodoxi Christiani, datis illis induciis usque ad menses tres ad conversionem.* Interea Athalaricus rex Gothorum, cum necdum expletis [b] *pueritiæ* annis regnasset, immatura morte præventus, vitæ subtractus est. Cujus mater [c] *Amalasuinta* post ejus funus Theodatum sibi [d] adscivit in regnum. Sed Theodatus idem, collati sibi immemor beneficii, post dies aliquot eam in balneo strangulari præcepit. Et quia ipsa, dum adhuc viveret, se, suumque filium commendarat principi, audita Justinianus Augustus ejus morte, gravi mox adversus Theodatum iracundia exarsit. Sentiens se Theodatus infensum habere principem, beatum papam Agapitum Constantinopolim misit, quatenus ei apud Justinianum facti impunitatem impetraret. Qui sanctus pontifex cum Justinianum principem adiisset, facta cum eodem de fide collocutione, reperit eum in Eutychetis dogma corruisse. A quo pridem graves minas beatus Antistes perpessus est. Sed cum illius inconcussam in fide catholica *se invenisse* constantiam cerneret (siquidem ad hoc usque progressum fuerat, ut talia a præsule audiret : Ego ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi, sed *nunc* Diocletianum inveni), tandem ex voluntate Dei ejus monitis acquiescens, ad catholicæ fidei confessionem, pariter cum multis, qui simul desipiebant, reversus est. Anthimum quoque ejusdem regiæ civitatis episcopum, præfatæ hæreseos defensorem, convictum publice communione privavit, ac persuaso principe in exsilium coegit. Nec multo post idem pontifex apud eamdem urbem [e] obiit. *Septimo deinde imperii Justiniani anno facta sunt Vandalica bella, episcopus autem quidam Orientalis partis deterruit Justinianum imperatorem, ex Deo sibi visionem factam, jubentem sibi ad imperatorem accedere, et postulare Christianos, qui erant in Libya, liberare a tyrannis. Quibus imperator auditis, retinere mentem ultra non potuit, sed tum exercitum quam naves circumdedit*

A *armis, et victualia præparavit : Bilisariumque in procinctu esse præcepit, in Libyam prætorem mittendum, quem, et prætorem imperator principaliter in omnibus statuit. Erat autem cum eo, et Procopius harum rerum conscriptor. Trajicientes autem a Pegia urbe abierunt Abydum. Bilisarius autem curabat, quatenus universus stolus simul navigaret, et in prælium idem ipsum diverteret : cumque ad Siciliam pervenissent, misit Procopium conscriptorem Syracusam, si forte inveniret quosdam qui se in Libyam ducerent. Ipse vero stolo accepto ad Caucanam properavit, villam ducentis a Syracusa stadiis differentem. Procopius vero Syracusam ingressus escas emit, consecutus quoque inopinate virum, qui sibi fuerat a puero amicus, quique habens experimentum Libyæ locorum, et maris iter,* B *tres tantum dies transierant, ex quo Carthaginem venerat, et asseverabat omnem securitatem illos habere, et non metuere quemquam eorum, quod adversus se moverent exercitus, ita ut a quatuor mansionibus malis* [f] *Gelimer moraretur.* [g] *Hunc ergo assumptum Procopius ad Caucana perveniens, Bilisario præsentavit, et exiit in quoddam prædium, aggeremque, ac vallum profundum facientes, castrametati sunt. Ubi et cum locus inaquosus esset, vallo effosso, terra protulit aquam ad omnem utilitatem animantibus, et exercitibus. Sequenti vero die populus ad prædam prorupit. Prætor autem his accersitis, hæc ad eos locutus est : Violentiam quidem inferre, alienisque pasci, injustitia est in omni tempore, maximeque nobis in periculis constitutis. Ego* C *enim in hoc fisus, vos in hanc terram transvexi, ut justitia, et opere bono tam Deum placemus quam Afros ad nosmetipsos attrahere procuremus. Hæc autem vestra intemperantia in contrarium nobis proveniat, et aget ut Afri Vandalis auxilientur ; sed acquiescentes verbo meo, ementes escas apportate, et neque injusti esse videamini, neque amicitiam Afrorum in inimicitiam convertatis, sed Deum potius studete placare, cessate insilire in aliena, et lucrum excutere periculis plenum. Mittens autem Bilisarius electum exercitum, urbem sine labore comprehendit. Nocte enim ad eam accedentes, et una cum introeuntibus plaustris rusticorum ingredientes, hanc obtinuerunt, et cum dies factus fuisset, tam sacerdotem quam hujus civitatis primos captantes ad prætorem destinaverunt. Belisarius itaque, Carthagine capta, com-* D *monebat milites dicens : Videte, commilitones, quam prospera facta sint nobis, quomodo sobrietatem ergo Afros ostendamus : videte, et honestatem in Carthagine conservate, et ne quis quemquam opprimat, nec quidquam ipsius subripiat. Cum enim multa mala fuissent a Vandalis barbaris viris perpessi, imperator noster misit nos eis ad libertatem donandam. Hæc commonens Carthaginem introivit, et ascendens palatium in Geli-*

[a] Ms. *militarent.* Vide hanc constitutionem C. de Hæreticis l. XVIII, edit. Contii.

[b] A., pro *pueritiæ*, *quatuor.*

[c] A., *Malasvinta.*

[d] A., *socium.*

[e] A., *diem obiit. Interea ad Africam, quam jam multis labentibus annis Vandali possidebant, a Justiniano cum exercitu Bellisarius missus est, qui mox prælio cum Vandalis commisso, eorum magnas copias fudit, regemque ipsorum Gelismerum vivum capiens Constantinopolim misit. Carthago quoque post annum suæ excisionis 96 recepta est. Porro dum Agapitus,* etc.

[f] Ms. Pith., *Segilbum.*

[g] A., *quibus compertis, Belisarius transmeavit.*

*meris solio sedit. Ad quem negotiatores Carthaginis venerunt, et quotquot juxta mare manebant, queritantes se rapinam a classibus pertulisse. At vero Caloninum navium principem juramento constrinxit, quatenus omnia quæ rapta fuerant apportaret, et propriis dominis redderet. Qui defraudans ex eis, et perjurans, non post multum vindictam exsolvit. Nam extra sensum effertus, suam ipsius linguam comedens obiit. Ita vero prætor sine tumultu urbem possidebat, ut nec injuriam cuiquam inferret homini, nec in foro quemquam observare domum contingeret, sed ementes milites manducabant. Eos vero Vandalos, qui ad sacra confugerant, fide præstita educebat. Murorum vero civitatis diligentiam exhibebat, cum antea per negligentiam ruerent. Porro dicebant et vetus verbum Carthagine dictum, videlicet, Gamma persequebatur Beta, nunc Beta Gamma, quod videtur esse perfectum. Prius enim Gensericus Bonifacium insecutus est, nunc vero Belisarius Gelimerem. Præterea tot pecunias multitudo reperit, quot in nullo loco unquam esse contigerat. Denique Romanorum principatum depopulantes pecunias multas in Libyam transtulerunt. Et cum ipsa civitas, et regio optima, et fecunda esset, pecuniarum reditus eis effecti sunt multi. Nonaginta quippe et quinque annis Vandali Libyam tenuerunt. At cum multas divitias collegissent, in illa die in manus Romanorum omnes divitiæ redierunt. In tribus enim mensibus, cum pugnasset Bilisarius, id est, a Kalendis Septembribus usque ad Kalendas Decembrias, totam Libyam subdidit. Misit autem Joannem Armenium cum ducentis electis persequi Gelimerem, donec eum vivum aut mortuum comprehenderent. Qui præoccupans Gelimerem comprehensurus erat, nisi res contigisset hujusmodi. Uliares quidam ex Bilisarii armigeris erat cum Joanne, qui vino inebriatus in reprobum sensum venit. Videns autem avem super arborem sedentem, tenso arcu jecit adversum avem, et avem quidem consecutus non est, Joannem vero retro in cervicem percussit, qui plagatus mortuus est, multum luctum tam imperatori Justiniano, quam Belisario, et cunctis Romanis, et Carthaginensibus derelinquens. Taliter Gelimeres aufugiens illa die ad Maurusios properavit. Quem Bilisarius persecutus, in* [a] *parvo monte in novissimis Numidiæ circumclusit, hunc obsidens per hiemem, deficientibus ei omnibus necessariis. Panis enim apud Maurusios non fit, neque vinum, neque oleum, sed far et hordeum immaturum, ut irrationabilia animalia comedunt. Hos incidens Gelimerus, scribit ad Pharan, quem Bilisarius ad custodiendum cum dereliquerat, ut mitteret sibi citharam, et panem unum, et spongiam. Pharas autem hæsitabat quidnam esset hoc, donec qui detulerat epistolam dixit quia panem desiderat videre Gelimer, non videns panem ex quo ascendit in montem; spongiam autem propter oculos non lotos, ac per hoc læsos, quatenus hos sinceros spongia reddat; porro citharam, ut calamitatem lamentetur et defleat. His auditis, Pharas condolens, et fortunam humanam deplorans, secundum ejus scripta faciebat, et multa ei misit, quibuscunque Gelimer egebat. Præterea cum hiems transisset, metuens Gelimer obsidionem Romanorum et cognatorum misertus filiorum, qui vermes in obsidione et miseria fecerant, dissolutus est mente, et scripsit ad Pharan, quod fidei verbo recepto, ipse et qui secum essent, ad Bilisarium preperarent. Quo hoc certum jurejurando reddente, assumptis omnibus, Carthaginem venit: Bilisarius autem hunc gratanter accepit. At vero Gelimer ridendo ad Bilisarium introivit. Quem alii quidem superfluitate passionis excessisse, quæ sunt naturæ, delirumque suspicabantur effectum. Amici vero hujus, et sagacem hominem hunc esse cogitabant, et cum fuerit rex, et regii generis, et virtutem validam, pecuniasque magnas habuerit, quomodo in fugam versus est, et multa mala pertulit, et nunc ut captivus ductus est, nihilque præter multum risum, dignaque hominum a bitratu circa eum esse perhibebantur. Bilisarius autem eum cum principibus omnibus Vandalorum non in dehonoratione custodiebat, ut ad imperatorem Justinianum Bizantium duceret. Cyrillo vero statim Bilisarius cum capite* [b] *Zatinonis fratris Gelimeris in Sardum insulam misso, quæ Kirnus vocabatur, hanc primum Romanis subegit. In Cæsaream vero, quæ est in Mauritania, Joannem alium destinavit, quæ triginta dierum itinere a Carthagine distans, penes Gadira et solis occasum jacet, aliumque Joannem ex protectoribus unum in fretum, quod est in Gadiris, et in castellum quod Septum vocant direxit. Porro in insulas quæ juxta Oceanum sunt, Majoricam scilicet et Minoricam, Apollinarium destinavit virum bonum. Misit autem et in Siciliam quosdam Afrorum, et castrum Vandalorum comprehendere jussit. Gothi quoque, qui hoc custodiebant, matri Athalarici hæc nota fecerunt. Quæ scripsit ad Bilisarium, ne idem castrum tyrannice obsideret, quousque imperator Justinianus sciret, et quod sibi visum esset efficeret. In his ergo Vandalicum bellum finem accepit. Verum invidia, ut in magna felicitate fieri contigit, etiam in Bilisarium cecidit. Quidam enim derogaverunt ei penes imperatorem, quod tyrannidem meditaretur. At imperator misso Salomone tentat Bilisarii voluntatem, utrum cum Gelimere et Vandalis veniret, an manens eos illuc transmitteret. Bilisarius autem Byzantium profectus est, Salomone prætore apud Libyam derelicto. Cumque Bilisarius una cum Gelimere et Vandalis pervenisset, magna præmia percipere meruit, quibus nimirum temporibus priscis Romanorum in maximis victoriis digni efficiebantur. Sexcentis enim annis transactis nemo ad talem pervenit honorem, nisi Titus, Trajanus, et alii imperatores, qui magistratus contra barbaricas nationes obtinentes, mirabiliter triumphaverunt. Exuviisque ostensis, et ex bello mancipiis, in media urbe pompis hæc publicavit, quod triumphum Romani vocant, sic, veteri quidem modo, sed pedestri incedens, in domum suam, usque ad Hippodromum. Erant autem exuviæ quidquid administratorio principis ordini competebat, id est throni aurei, et essedæ, quibus regum uxores vehebantur, ornatus etiam de lapidibus pretiosis compo-*

[a] Ms. Pith., *Pappua.*

[b] Ms. Pith., *Lazonis.*

Digitized by Google

*situs, argenti quoque multa millia talentorum, et diversorum imperialium vasorum, quæ Gensericus despoliato Romano palatio in Africam tulit, inter quæ erant et Judæorum vasa, quæ Titus Vespasiani filius post captam Hierosolymam Romam detulerat. Mancipia vero erant ex triumpho, tam ipse Gelimer vestimentum quoddam portans purpureum, et cognatio ejus universa. Vandalorum quoque quotquot valde prolixæ staturæ ac boni corporis erant. Cumque Gelimer in Hippodromum pervenisset, et tam imperatorem supra tribunal sedentem, quam ex utraque parte vulgus astans vidisset, non quiescebat clamans: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Pertingentem autem eum juxta imperatoris tribunal, purpura ejus ablata pronum cadere et adorare imperatorem coegerunt. At vero imperator Gelimeri prædia in Galatia multa contulit, et amœna, et cum omnibus suis cognatis in his habitare permisit. Verum in ordinem patricii non provexit, eo quod ab Arii secta discedere minime consentiret. Salomone præterea remp. moderante, Maurusi prælium adversus Afros moverunt. Porro Maurusii ex gentibus descendunt, quas Jesus Nave ex regione Phœnicum a Sidone ad Ægyptum usque habitantes abegit. Qui pervenientes Ægyptum, et non recepti ab eis, ad Libyam veniunt, et hanc inhabitantibus eis, novissimo tempore imperatores Rom. terram obtinentes hanc, Hoen nominaverunt, statuentes titulos duos supra magnum fontem ex lapidibus candidis concavos habentes litteras Phœniceas dicentes hæc: Nos sumus qui fugimus a facie Jesu latronis, filii Nave. Erant autem et aliæ gentes in Africa primum indigenæ, habentes regem Asclepium, qui Herculi conregnavit, quem terræ filium esse asseveraverant, qui Carthaginem condiderunt. Salomon autem a Carthagine sumptis exercitibus contra Maurusios properavit. Qui in fugam versi, et in præcipitia se demergentes, semetipsos interficiunt. Mortui vero in hoc bello sunt Maurusiorum* [a] *quinquaginta millia, Romanorum vero nullus penitus. Quin nec ictum quisquam eorum ullum accepit, sed prorsus omnes incolumes victoriam consecuti sunt. Plurimi vero principum ipsorum Romanis adjuncti sunt. Virorum, mulierum, atque puerorum tantam multitudinem Romani ceperunt, ut ovis unius pretio servum Maurusium emere volentibus venundarent. Et tunc eis vetus eloquium cujusdam divinæ feminæ contigit, quæ maledicens eis sic ait: Multitudo eorum a viro sine barba peribit. Salomon quippe a puero eunuchus præter voluntatem est effectus, præ passione genitales partes amittens. Porro tota Libya recepta, Carthaginem rediit. Præterea vere incipiente missus est Bilisarius Siciliam Romanis facere tributariam. Ubi eo hiemante, Romani Libyæ contra Salomonem simultates fecerunt hoc modo. Acceptis enim interemptorum uxoribus Vandalorum, habebant et agros eorum ut suos, et solvere pro eis tributa nolebant imperatori. At vero Salomon commonebat eos dicens ne contradicerent imperatori, sed huic omnia quæ deliberata*

A *fuissent penitus redderent. Ceciderunt autem quidam eorum, maxime Gothorum in Arii sectam, quos sacerdotes Ecclesiæ segregabant, et nec liberos eorum baptizare volebant. Unde et in die festo simultas facta est. Consiliati sunt vero milites Salomonem in templo perimere. Qui, hoc audito, suadebat eis a seditione recedere. Quod non post pauca obtinuit.* Porro dum Agapitus *Romanus* pontifex, qui a Justiniano principe pacem Theodato postularat, apud Constantinopolim obiisset, Justinianus Bilisarium patricium multis jam præliis gloriosum adversus Theodatum dirigit, ut etiam Italiam a Gothorum servitio liberaret. Bilisarius itaque, dum aliquantum temporis apud Siciliam moram faceret, rex Gothorum Theodatus exstinctus est. Hujus in locum [b] *Vithegis* successit, B qui mox ut regnum invasit, Ravennam profectus Amalasuintæ reginæ filiam per vim auferens sibi in matrimonium junxit. Conceptas ergo contra Theodatum Bilisarius belli vires in Vithegim convertit, egressusque de Sicilia ad Campaniam, Neapolim adiit. Quem Neapolitani cives noluerunt excipere. Qui indignatus acriter ad ejusdem urbis expugnationem totis se viribus erexit, aliquantisque fortiter impugnatam diebus, tandem per vim capiens ingressus est, tantaque non solum in Gothos, qui ibi morabantur, sed etiam in cives ira desæviit, ut non ætati, non sexui, postremo non sanctimonialibus, vel ipsis etiam sacerdotibus parceret. Viros in conspectu conjugum, miserabile visu, perimens, superstites matres C ac liberos captivitatis jugo [c] *abduxit*, cuncta rapinis diripiens, nec a sacrosanctis ecclesiis exspoliandis abstinuit. Indeque egrediens Romam properavit. Quo Romam ingresso, Gothi, qui in Urbe morabantur, noctu egressi, relictis patentibus portis, Ravennam confugiunt. Vithegis, ut talia comperit, mox adversum Bilisarium Romam cum ingenti exercitu venit. Bilisarius *autem* non aptum sibi bellandi tempus conjiciens, intra Urbis mœnia se clausit, eamque munitionibus circumsepsit. Gothi *vero* Urbem obsidentes universa per circuitum direptionibus et incendiis absumunt. Quoscunque Romanos reperiunt, gladio exstinguunt, cuncta loca sacra denudantes, ipsis etiam venerabilium martyrum tumulis manus impias inferunt, continue Ur- D bem impugnant, sed cauta Bilisarii industria defensatur. Præter belli instantiam angebatur insuper Roma famis penuria. Tanta siquidem per universum mundum eo anno, maximeque apud Liguriam, fames excreverat, ut sicut vir beatus Datius Mediolanensis antistes retulit, pleræque matres infelicium natorum comederent membra. Cumque per annum *continuum* Gothi Romam obsedissent, demum territi Ravennam rediere. Bilisarius [d] vero *sedule a papa Silverio acriter increpatus, cur tanta, ac talia homicidia Neapoli perpetrasset, tandem correptus, et pœnitens, rursus proficiscens Neapolim, et videns domus civitatis depo-*

[a] Ms. Pith., *quingenta.*
[b] A., *Vitigis*, itaque semper.
[c] A., *adduxit.*

d A.: *Vero proficiscens Neapolim, eamque, ut competebat, ordinatam*, etc.

Digitized by Google

*pulatas, ac vacuas, tandem reperto consilio recuperandi populi, colligens per diversas villas Neapolitanæ civitatis viros ac mulieres, domibus habitaturos immisit. id est Cumanos, Puteolanos, et alios plurimos Liguria degentes, et Playa, et Sola, et Piscinula, et Locotroccla, et Summa, aliisque villis: nec non Melanos, et Surentinos, et de villa quæ Stabii dicitur, adjungens viros ac mulieres, simulque et de populis Cymiterii adjunxit. Non post longum tempus rursum pugnaturus cum Vandalis in Africam pergens, victoriam de eis adeptus est. Ex quorum reliquiis Africæ terræ captivorum, nec non Siciliæ, et Syracusæ civitatis, simulque civitatum Calabriæ, id est Maliti, Consentiæ, villarumque earum populos, atque totius Apuliæ colligens, depopulatam implevit. Tamen sæpissime in collectione populorum de singulis urbibus venientium solet accrescere stultiloquium, ac propterea annualiter illis dirigebat præter Siciliæ virum nobilem, ac sapientem, qui judicaret et discerneret ea quæ illi minime sciebant. At vero Bilisarius Neapolim* ordinatam relinquens, Romam [a] *ingressus* est. Statimque ei a Theodora Augusta præceptio allata est, ut papam Silverium convictum accusatione falsorum testium in exsilium truderet, eo quod Anthimum hæreticum Constantinopolitanum episcopum [b] *recuperatione recipere* noluisset. Quod Bilisarius, licet nolens, nihil moratus effecit. Pulsus denique est papa Silverius ad Pontiam insulam, in qua et exsulans obiit. *Vithegis* vero, coacto rursus in unum magno Gothorum exercitu, cum Bilisario confligit, factaque maxima suorum cæde in fugam conversus est. Quem Joannes magister militum, cognomento Sanguinarius, noctu fugientem persequens, *vivum* comprehendit, Romamque ad Bilisarium adduxit. Patrata Bilisarius victoria, Constantinopolim rediit secum Vithegim deferens. Quo viso Justinianus valde lætatus est, eique non multo post patricio effecto administrationem, [c] illi Persarum tribuit terminos. Ibique Vithegis degens vitam finivit. Bilisarius *vero* dignis evectus honoribus, iterato ad Africam adversus Vintarith mittitur, qui Vandalos rursus sollicitans [d] apud eos *regnavit*, qui ut Africam attigit, Vintarith sub dolo pacis illico peremit, residuos Vandalorum reip. jugo substravit. Exinde Bilisarius victor Romam venit, auream crucem centum librarum, pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus papæ Vigilii obtulit. His ipsis temporibus apud Cassinum post solitariam vitam sancto degens cœnobio, stupendus [e] beatus Benedictus, nec minus futurorum præscius, radiabat virtutibus. Hac etiam ætate gens Longobardorum, A amica tunc populi Romani apud Pannonias degebat, quibus in regni gubernaculo Audoin præerat. Is eo tempore cum Turisendo Gepidarum rege confligens, per Alboin filium suum juvenem strenuum victoriam nactus est. Denique inter ipsas Alboin acies Thurismodum Turisendi regis filium appetentem alacriter aggressus exstinxit, perturbatisque hac occasione Gepidis, suis victoriam peperit. At vero apud Urbem Romam papa Vigilius, ob eamdem quam et antecessor suus causam indignationis Augustæ, per Anthimum scribonem ductus Constantinopolim, indeque in exsilium actus est. Capto itaque Vithegi, Gothi Transpadani [f] *Ildebaldum* sibi regem constituunt, qui eodem anno perimitur, cui successit [g] *Eutarius*, et ipse, necdum anno expleto, jugulatur. Dehinc Badvillam, B qui et Totila dicebatur, sibi in regnum præficiunt. Moxque collecto undique [h] exercitu universam Italiam *invadit*. Exinde per Campaniam et viri Dei Benedicti patris cœnobium [i] iter *faciens, audire ab eo talia meruit: Multa mala facis, multa fecisti, jam ab iniquitate compescere. Equidem mare transiturus es, Romam ingressurus, novem annis regnabis, decimo morieris. Dein a monasterio descendens, per Lucaniam ac Brutiorum fines Rhegium proficiscens, nec mora Siculum transgressus fretum Siciliam invadit. Indeque revertens, Romam petiit, eamque obsidionibus cinxit.* Quæ tantam famis penuriam passa est, ut præ magnitudine inopiæ natorum suorum carnes comedere vellent. Fessis nimium Romanis, nec valentibus mœ- C nia tueri, Totila porta Ostiensi Urbem ingressus est. Qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccina jussit, quo se a Gothorum gladiis, aut in ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque modis occulerent. Habitavitque aliquantum cum Romanis, quasi pater cum filiis. Hanc illi, ut conjici datur, animi benignitatem, qui nimiæ ante crudelitatis exstiterat, beati Patris Benedicti monitio, quem olim adierat, contulit. Elapsi sane aliqui e numero senatorum Constantinopolim properant afflicti, quibus calamitatibus subjiceretur Roma, [j] *Augusto* narrant. Qui statim Narsen eunuchum cubicularium suum *Exarchum Italiæ fecit, Romam* cum manu valida misit, ut afflictæ Romæ quantocius subveniret. Is ad Italiam [k] veniens *cum Longobardis fœdus iniit, et ad Alboin* D *legatos dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Alboin electa e suis manu, direxit, qui Romanis adversum Gothos suffragium ferrent. Qui per maris Adriatici sinum transvecti, sociati Romanis, magnum cum Gothis certamen iniere.* Quibus ad internectionem pene consumptis, regem Totilam, qui ultra decem annos jam regnaverat, in-

[a] A., *regressus est.*
[b] A., *recuperare noluisset.*
[c] A., *juxta Persarum terminos tribuit, ibique*, etc.
[d] A.: *Apud eos arripuerat regnum. Belisarius ut Africam Guntharitæ*, etc
[e] A., *Pater Benedictus.*
[f] Fr. Pith., *Elpebadum.* A., *Heldebadum.*
[g] A., *Erarius.*
[h] A., *rursus Italiam invadunt.*
[i] A.: *Iter facientes; perque Lucaniæ ac Brutiorum fines Rhegium proficiscuntur; nec mora, Siculum transgressi fretum Siciliam invadunt. Inde quoque revertentes Romam petunt, eamque obsidionibus circumcludunt. Quæ*, etc.
[j] A., *Principi.*
[k] A.: *Veniens magno cum Gothis certamine confligit. Quibus*, etc.

Digitized by Google

terfecit, *et vestimenta ejus cruenta cum corona lapidibus pretiosis exornata misit in regiam urbem, et jacta sunt ad pedes imperatoris coram senatu. Deinde urbes eorum munitas duas capiens, Veronam et Brixiam et Romanam civitatem*, universamque Italiam ad reip. jura [a] reduxit, et Longobardos honoratos multis muneribus ad propria remisit, omnique tempore, quo Longobardi possederunt Pannonias, Romanæ reipub. adversus æmulos adjutores fuerunt. Interea Salomon Libyæ commorans, universos muros civitatis illius muniit, et quoniam Maurusii discesserunt a Numida victi, Zaben regionem, atque Mauritaniam, et [b] Sitiphim metropolim, sub tributo Romanis effecit. Alterius enim Mauritaniæ Cæsarea prima Metropolis est. Interea Iberum rex, Zamanardus nomine, Constantinopolim ascendit ad Justinianum imperatorem cum uxore ac senatoribus suis, rogans eum ut esset Romanorum concertator, et germanus amicus. At imperator hujusmodi proposito ejus accepto, multis eum et senatores ejus munificentiis honoravit. Similiter et Augusta uxori ejus variata gemmis ornamenta donavit, et dimiserunt eos pacifice ad regnum suum. Octavo anno imperii Justiniani, passa a divina indignatione Pompeiopolis Mysiæ, scissa est terra a terræmotu, et obrutum medium civitatis cum habitatoribus, et erant subtus terram, et voces eorum audiebantur clamantium ut sibi misericordiâ præstaretur. Et multa donavit imperator ad educendos et adjuvandos, viventesque liberaliter juvit. Eodem anno tradidit Justinianus ad psallendum in ecclesia illud quod canitur: *Unigenitus filius, et Verbum Dei.* Anno imperii Justiniani duodecimo, moti sunt Bulgarum duo reges, Vulger, et Droggo, cum multitudine in Scythiam et Mysiam, cum esset magister militum Mysiæ Justinus, et Scythiæ Blandarius. Qui exeuntes, contra Bulgares inierunt prælium, et occisus est magister militum Justinus in bello, et factus est pro eo Constantinus Florentii, et venerunt Bulgares usque ad partes Thraciæ, et egressus est contra eos magister militum [c] Williriaci cum Hunnis, quem suscepit imperator ex sacro baptismate, et in medium missis Bulgaribus conciderunt eos, et occiderunt multitudines copiosas, et receperunt omnem prædam, et vicerunt potenter, occisis duobus regibus eorum. Eodem anno cepit Chosdroes rex Persarum magnam Antiochiam Syriæ. Anno decimo tertio imperii Justiniani, sociatus est Romanis Mundus ex genere Gepidum derivatus. Anno imperii Justiniani decimo quarto Chosdroes rex Persarum in Romanorum terras quartum fecit ingressum, quem Bilisarius ab Hesperiis veniens, sapientia sua inefficacem redire coegit ad propria. Anno decimo quinto imperii Justiniani, mense Octobre, facta est mortalitas Byzantii. Et eodem anno [d] Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium, secunda die Februarii mensis. Anno decimo sexto imperii Justiniani, contigit debellare invicem reges Azumitensium, Indorum, et Judæorum, ex causa hujusmodi. Azumitensium rex ultra Ægyptum est judicans. Romanorum autem negotiatores per Homeritensem ingrediuntur Azumitensem, et ad interiores partes Indorum atque Æthiopum. Negotiatores autem secundum consuetudinem ingressi sunt terminos Homeritarum. Damianus eorum rex occidit illos, et abstulit omnia eorum dicens: Quoniam Romani malefaciunt Judæis, qui in regione sua sunt, et occidunt eos, et ex hoc solverunt negotiationem interiores Indorum Azumitæ. Et indignatus est Azumitensium rex Adad, mittens Homeritensi: Quia læsisti regnum meum, et interiorem Indiam, prohibens mercatores ad nos ingredi. Et venerunt in inimicitiam magnam, et inierunt bellum in alterutrum. Et cum pugnaturi essent, Adad Azumitensium rex votum vovit, dicens: Quia si vicero Homeritensem, Christianus efficiar, quia pro Christianis pugno. Deique operatione vicit potentissime, et accepit captum vivum Damianum regem eorum, et regionem ipsorum, et regna. Gratiasque referens Adad rex Azumitensium, misit ad Justinianum imperatorem, ut acciperet episcopum, et clericos, et doceretur, et fieret Christianus. Et gavisus est super hoc Justinianus plurimum, et jussit eis dare quemcunque voluissent. Et elegerunt iidem legati, cum curiose quæsissent, mansionarium sancti Joannis magnæ Alexandriæ, virum venerabilem, et virginem, nomine Joannem, qui sexaginta et duorum erat annorum: quo suscepto abierunt in propriam regionem ad Adad regem suum. Et ita crediderunt Christo, et illuminati sunt. Anno decimo septimo imperii Justiniani, factus est terræmotus magnus in universo mundo. Eodemque anno apparuit quidam ex regione Italorum, per villas discurrens, nomine Andreas, habens secum canem rufum, et cæcum, qui jussus ab eo faciebat miracula. Cum enim staret ipse in foro, et turba in circuitu adesset, clam eodem cane deferebantur astantium annuli aurei, et argentei, et ferrei, et ponebantur in pavimento, quos ille cooperiebat, et præcipiebat cani, et tollebat, et dabat unicuique suum. Similiter et diversorum imperatorum numismata mista porrigebat per nomina. Sed et præsto turba astante, vi-

[a] A.: *Reduxit. Quia vero restant adhuc quæ de Justiniani Aug. felicitate dicantur, in sequenti, Deo præsule, libello promenda sunt.* Hisque verbis explicit in A. liber ultimus Eutropii. Unde nos variæ lectioni finem ponimus. Verum quia in Ambrosiana Bibliotheca alter exstat hujus Miscellæ Codex pergamenus recentioris ætatis, fortasse XV sæculi, in quo ea quæ desunt in altero antiquiori, quem dedimus, descripta reperiuntur concinniori stylo, multumque a Canisii Miscella diverso, quippe plura in ea sunt interpolata, opportunum duximus integras pagellas ab hoc loco ad calcem hujus Editionis attexere, ut quisque pro suo genio Miscellæ sortem per varia tempora cognoscat.

[b] Fr. Pith., *Japhin.*

[c] Al., *Illiricia cum Hunnis.*

[d] Ecclesiæ Romanæ dies festus Purificationis beatæ Mariæ virginis. Græcæ, ac Ambrosianæ dies festus Domini. Plura de ipsius institutione eruditissimus Saxius in sua dissertat. apolog. sanctorum Gervasii et Protasii, num. 14.

Digitized by Google

rorum scilicet et mulierum, ostendebat in utero habentes, et fornicarios, et adulteros, et avaros, et magnanimos, ostendebat omnes cum veritate. Unde dicebant, quia spiritum habet Pythonis. Anno imperii Justiniani decimo octavo diffusum est mare per Thracem milliariis quatuor, et cooperuit eam terram circa partes Odyssei, et Dionysiopoleos, et multi necati sunt in aquis, et iterum præcepto restitutum est mare idem in loca sua. Anno imperii Justiniani decimo nono facta est inopia frumenti, vini, et olei, ac pluvia magna. Et factus est terræmotus magnus Constantinopoli, et eversio, die sancto Paschæ, et cœpit vulgus abstinere a carnibus mense Februario, die quarto; imperator autem præcepit alia hebdomada carnem apponi, et omnes carnium venditores occiderunt, et apposuerunt, et nemo emebat, aut edebat. Porro Pascha factum est ut imperator jussit, et inventus est populus jejunans hebdomada superflua. Anno vicesimo primo imperii ejus facti sunt terræmotus magni, et pluviæ, mortuaque est Theodora Augusta. Similiter et sequenti anno facta sunt fulgura, et tonitrua, ita ut dormientes ex tonitruo læderentur, atque incendia penes Byzantium. Anno imperii Justiniani vigesimo tertio legatus Indorum venit Constantinopolim ducens elephantem, et ingressus est Hippodromum. Mense autem Martio exsiliit elephas e stabulo noctu, et interfecit multos, alios vero debilitavit. Porro Junio mense facta sunt encænia sanctorum apostolorum apud Constantinopolim, et recondita sunt λείψανα Andreæ, et Lucæ apostolorum, et transiit Menas episcopus cum sanctis λειψάνοις sedens in carruca aurea imperatoria lapidibus insignita, tenens tres thecas sanctorum apostolorum in genibus suis, et ita encænia celebravit. Anno vigesimo septimo imperii Justiniani, factus est terribilis terræmotus Constantinopoli, et per alias urbes, qui tenuit dies quadraginta. Et paulatim homines compuncti sunt, litaniam agentes, et frequentantes, atque in ecclesiis commanentes. Cumque multa misericordia Dei facta fuisset, homines ad pejora delapsi sunt. Fit autem memoria terræmotus hujus per singulos annos, in campo litaniam populo agente. Vicesimo octavo imperii Justiniani anno, facta sunt tonitrua, et fulgura horrenda, et ventus Africus terribilis, [a] ita ut caderet crux quæ stabat intra portam Rhesii. Anno vigesimo nono imperii Justiniani, seditionem concitaverunt Judæi, et Samaritæ Cæsareæ Palæstinæ, et facti quasi in ordine Prasino, et Veneto, irruerunt in Christianos ejusdem civitatis, et multos interfecerunt, et ecclesias combusserunt, et Stephanum ipsius civitatis præfectum in prætorio peremerunt, et substantiam ejus diripuerunt. Uxor vero illius fugiens in urbem, adiit imperatorem, qui jussit Adamantio magistro militum descendere in Palæstinam, et occisionem exquirere Stephani. Qui veniens eorum quos reperit alios suspendit, alios decollavit, alios vero debilitavit, et publicavit. Et

A factus est timor magnus in omnibus partibus Orientalibus. Tricesimo imperii Justiniani anno apparuit in cœlo cometa ardens, quasi species lanceæ, a Septentrione, usque ad Occidentem. Tricesimo primo imperii Justiniani anno, factus est terræmotus horribilis valde, qualem nullus hominum memorabat in generatione illa super terram effectum. Concutiebatur enim terra nocte ac die, diebus decem, postea cessavit. At vero imperator non gestavit coronam per dies decem. Sed et sancta Christi nativitate, absque illa processit in ecclesiam, ita ut etiam [b] prandia, quæ ex more fiunt in decem et novem accubitus, cessare faceret, et eorum expensas egenis tribueret. Eodem anno ingressa est gens Byzantium inopinata, eorum qui dicuntur Avares, et tota civitas B cucurrit ad visionem eorum, tanquam qui nunquam viderint hujusmodi gentem. Habebant enim retrorsum comas prolixas valde, atque perplexas, junctas prandeis, reliquus vero vestitus eorum similis erat cæterorum Hunnorum. Isti fugientes ex regione sua venerunt in partes Scythiæ, ac Mysiæ, et direxerunt ad Justinianum legatos petentes ut reciperentur. Tricesimo vero secundo imperii Justiniani anno, ædificatus est trullus magnus ecclesiæ Constantinopolis, et exaltatus plusquam viginti pedibus in superioribus, supra ædificium, quod antea fuerat. Anno tricesimo tertio imperii sui cœpit imperator ædificare pontem [c] Agorcos fluminis, convertens eumdem amnem in alium alveum, volvitque arcus mira- C biles quinque, et fecit eum meabilem, cum antea ligneus fuerit. Anno tricesimo quarto imperii Justiniani, diffamatum est apud Constantinopolim, quod mortuus esset imperator. Venerat enim a Thrace, et neminem videbat. Ergo plebes rapuerunt subito panes ex locis in quibus fiebant, et vendebantur, et circa horam tertiam non inveniebatur panis in tota urbe. Clausa quoque sunt ergasteria, et susurrabat palatium, quia nemo ex senatu videbat imperatorem, eo quod dolorem capitis pateretur. Et ex hoc crediderunt, quod esset defunctus imperator. Interea circa horam vesperi fecit senatus consilium, et miserunt præfectum, et fecit luminaria in tota urbe, quoniam sanus factus est imperator, et hoc modo erepta est civitas a turbatione. Postquam autem sanus factus D est imperator, Eugenius, qui fuerat præfectus, detraxit Georgio et Etherio curatoribus, quasi voluissent Theodorum facere imperatorem, filium Petri magistri. Cumque fuisset causa quæsita, et nullatenus comprobata, in iram incidit imperatoris Eugenius, et domus ejus publico fisco collata est. Facta est autem et mortalitas vasta in Cilicia, et Anazarbo, et Antiochia magna, nec non et terræmotus, et congressi sunt adversus alterutrum Orthodoxi, et Severiani, et multa homicidia facta sunt. Et misso imperator Zimarcho comite Orientis inhibuit inordinatos, et multos in exsilium misit, et publicavit, ac membris debilitavit. Anno tricesimo quinto imperii Justiniani,

[a] Cedren., ἔσωθεν τῆς χρυσῆς πόρτης.
[b] Suidas, κλητώρια.
[c] Al., *Sangareos*.

vicesimo quinto die Novembris mensis, sero insidias meditati sunt quidam, ut occiderent imperatorem. Erant autem Ablavius et Marcellus, pecuniarum venditores, et Sergius. Meditatio autem eorum erat hujusmodi. Cum sederit in triclinio sero, priusquam licentia detur, occidant eum habentem homines suos sibi [a] cooperantes intus absconditos in silentiario, et angulo incurii, ut cum facta fuerit machinatio turbationem faciant. Porro Ablavius etiam aurum accepit a Marcello argenti venditore, libras quinquaginta, ut sibi cooperaretur. Sed Deo volente fisus est Ablavius Eusebio exconsuli, qui erat comes fœderatorum, et Joanni Logothetæ, dicens : Quia hodie vesperi volumus imperatorem aggredi. Qui cum hoc nuntiassent imperatori, tenuit eos, et invenit eos ferentes absconditos gladios. Et Marcellus quidem argenti venditor spe frustratus, exempto gladio, quem portabat, [b] dedit sibi tres ictus in triclinio comprehensus, et moritur. Sergius autem fugit ad Blachernas. Quo [c] educto, et interrogato, persuasum est ei confiteri quod et [d] Isacius argenti venditor, et Bilisarius gloriosissimus patricius, conscii fuerint hujusmodi machinamenti, et Vitus pecuniarum venditor, et Paulus curator, ejusdem Bilisarii consilium sciverint. Qui comprehensi et traditi Procopio præfecto, confessi sunt, et dixerunt de Bilisario, qui mox factus est imperatoris sub ira. Multi vero et fuga usi sunt. Interea quinta die mensis Decembris fecit imperator silentium, adducens Eutychium patriarcham, et jubens eorum recitari confessiones. Quo audito, Bilisarius ingenti est mœrore gravatus. Et emittens imperator comprehendit omnes homines ejus, et ipsum domi sedere præcepit custodiendum. Interea vicesima die mensis Decembris capta sunt quædam Africæ a Mauritanis insurgentibus adversus Africam, ita : [e] Chutinas quidam nomine, ex ipsa gente exarchus Mauritanorum, habebat consuetudinem accipiendi a [f] principe Africæ certam quantitatem auri, qui per tempus erat; cumque venisset ut acciperet illud, Joannes princeps Africæ occidit illum. Porro insurrexerunt filii Chutinæ vindicantes paternum acceptum, et erecti contra illam, cœperunt ejus partes aliquas deprædare. Imperator itaque, hoc agnito, misit in auxilium Martianum magistrum militum, nepotem suum, cum exercitu ad pacificandos Mauros, et confluxerunt ad eum. Sicque pace potita est Africa. Eodem anno imperator quibusdam perturbatoribus Constantinopolim concitantibus pollices abscidit, eorum duntaxat, qui cum gladiis pugnaverunt. Nona decima vero die mensis Martii, dimissus est Bilisarius Patricius, receptis omnibus dignitatibus

A suis. Eodem anno venerunt legati Ascelti regis [g] Hormetionorum, qui positus est intra Barbarorum gentem juxta Oceanum, Constantinopolim. Justinianus imperii sui anno trigesimo septimo perrexit causa orationis ad [h] Mirangulos, id est, Germanicias urbem Galatiæ. Novembri vero mense introivit Byzantium Arethas patricius, et [i] princeps Saracenorum, debita deferre imperatori filiorum suorum, et debiti gratia, ut scilicet post obitum suum tenerent principatum tribus suæ. Tricesimo octavo imperii sui anno Justinianus de corruptibili et incorruptibili dogmate commonens, edicto ubique alieno a pietate transmisso, Deo præoccupante defunctus est, cum imperasset triginta octo annis, mensibus septem, et diebus decem, et efficitur ei hujusmodi successor, B Justinus Curopalates.

## JUSTINUS II.

Anno ab Incarnatione Domini 558, Justinus imperator, nepos Justiniani, [j] coronatur ab Eutychio patriarcha. Erat autem natione Thrax, magnanimus, ad omnia prosper. Habebat autem et uxorem Sophiam nomine, quam et coronavit Augustam. Cum autem esset pius, adornavit ecclesias, quas Justinianus ædificaverat, tam videlicet magnam ecclesiam, et Sanctos Apostolos, quam alias ecclesias et monasteria, donans eis thesauros, et omnem reditum. Eratque orthodoxus valde, et misit Photinum monachum, privignum Bilisarii Patricii, dans ei potestatem contra omnem causam et personam, pacificans Ecclesias universas Ægypti et Alexandriæ. Anno C vero secundo imperii Justini, Etherius et [k] Avitus, ac medicus qui cum ipsis erat, insidiati sunt eidem imperatori Justino, qui cogniti, interfecti sunt gladio. Tertio imperii Justini anno, accersitis Sophia piissima Augusta pecuniarum venditoribus, et notariis, jussit deferri cautiones debitorum, et breves, et præbuit eos debitoribus, et reddidit dominis suis, et laudata est super hoc magnopere ab universa civitate. Anno vero imperii Justini septimo, Romani ac Persæ pacem corruperunt, et iterum Persicum renovatum est bellum, eo quod Homeritæ [l] in dilectione ad Romanos miserint, et imperator Julianum [m] magistrum cum sacra destinaverit ad Archetem regem Æthiopum per Nilum fluvium ab Alexandria et Indico mari. D Qui receptus est ab Archeta rege Æthiopum cum gaudio magno, appetente nimirum amicitiam Romanorum imperatoris. Enarrabat autem, cum rediisset idem Julianus, quod quando receperit eum rex Archeta, nudus esset, habens circumcincturam, et in lumbis linea vestimenti auro contexta. Circa ventrem vero portavit indumenta scissa cum

[a] Al., *cooperantes absconditos in archangulo, et in turru.*
[b] Al., *dati sunt.*
[c] Al., *educto ab ecclesia.*
[d] Al., *Hisaucius.*
[e] Al., *Cuatinas.* Al., *Cutzinus.*
[f] Al., *proconsule.*
[g] Al., *Ermechionorum.*
[h] Al., *Miriangelos, id est Germanias.* Francisc. Pith. *Mariangelos, id est Germias.* P. Pith., *Mariangelos, id est Gernias.*
[i] Al., *princeps tribus.*
[j] Al., *coronatus a Joanne.* Ita et Cedren.
[k] Al., *Audius.* Evagrius, lib. v, cap. 3. *Addens.*
[l] Al., *Indi legionem.*
[m] Al., *Magistrianum cum Sacra destinaverit ad Aretam.*

Digitized by Google

margaritis pretiosis, et in brachiis quinos circulos, et aureas armillas in manibus suis; in capite autem pannum gemmatum, habentem ex utroque ligamento plectas quatuor, et torquem aureum in collo suo, et stabat super quatuor elephantes stantes, et habentes jugum, et rotas quatuor, et superius [a] currum velatum petalis aureis, ut sunt [b] principum currus, et stans supra illos ferebat scutum parvissimum rotundum, et duas lanceolas aureas, et senatus omnis ejus erat cum armis canentes modulationes musicas. Introductus autem legatus Romanorum, cum adoravisset, jussus est erigi, et adduci ad se. Cum autem suscepisset imperatoris sacram, osculatus est signaculum, quod habebat pectusculum imperatoris. Susceptis autem et muneribus, gavisus est valde. Porro cum legisset sacram, invenit ut se contra regem Persarum armaret, et proximorum sibi Persarum perderet regionem, et ulterius cum Persis fœdera non iniret. Protinus ergo collecto exercitu rex Archetas coram legato Romanorum adversus Persas prælium movit, subjectos sibi Saracenos præmittens. Profectus autem et ipse ad regionem Persarum, depopulatus est omnia quæ in illis locis erant. Tenens autem rex Archetas caput Juliani, et dans ei pacis osculum, dimisit eum in multa benevolentia, multisque muneribus. Porro facta est et alia causa, quæ turbavit Chosdroen; Hunni quippe per illud tempus, quos Turcos dicere consuevimus, legationem dirigunt ad Justinum, per Alanorum regionem mittentes. Hoc timens Chosdroes, excusationem prætendebat rebellionem Armeniorum in se factam per accessum, quo Justino adhæserant. Sed et profugos repetebat. Impendebat enim Romanorum imperator per singulos annos quingentas libras auri, ut castra, quæ loco proxima erant, Persæ custodirent, ne ingressæ gentes utramque remp. destruerent, communibusque sumptibus castella muniebantur. At vero Justinus pacem dissolvit, asserens opprobrium esse Persis solvere tributa Romanos. Propterea locum magnum hoc Persarum et Romanorum reperit bellum. Porro Justinus Martinum Patricium, et cognatum suum prætorem creans Orientis, contra Persas direxit. Octavo imperii sui anno Justinus infirmatus est, et contristatus adversus Biduarium fratrem suum, et hunc injuriis laceravit. Novissime vero præcepit cubiculariis pugnis cæsum educere illum in conspectu concilii senatorum: erat enim comes imperialium stabulorum. Quo comperto Sophia tristata est, et conquesta imperatori, qui se pœnituit, et descendens ad eum in stabulum, introivit subito cum præposito cubiculariorum. Biduarius autem, viso imperatore, fugit a loco in locum per superiora præsepis præ timore imperatoris. At imperator clamabat: Adjuro te per Deum, frater mi, exspecta me. Et cum cucurrisset, tenuit eum, et amplexatus osculatus est eum, dicens: Peccavi tibi, frater mi, sed suscipe me, ut fratrem tuum primum, et imperatorem. Ex diabolica enim operatione novi quod factum sit hoc. Qui cecidit ad pedes ejus, et flens ait: Veraciter, domine, potestatem habens veruntamen in præsentia senatus deformasti servum tuum; modo, domine, his rationem redde, et ostendit ei equos. At vero imperator rogavit eum secum manducare, et pacificati sunt.

Eodem vero anno factum est bellum circa Sagarthon Romanorum atque Persarum magnum, et vicerunt Romani. Nono anno imperii Justini Hormisda rex Persarum Arimardanem ducem Persarum ordinans misit in Romanorum regionem depopulari, qui præda multa capta reversus est. Quo comperto Justinus consternatus mole calamitatis, capti sensus languorem incurrit, et pactum facere Hormisdam petit, qui fieri annuum consentit. Justinus imperator Tiberium comitem [c] excubitorum sibi faciens, Cæsarem appellavit, et consessorem suum constituit, tam in [d] hippodromis, quam in ædibus insignibus. Erat enim imperator pedibus captus, et per hoc magis in lectulo jacens. Anno undecimo imperii sui construxit Justinus magnum aquæductum Valentis, et largitus est urbi dapsilitatem aquarum. Anno duodecimo imperii sui Justinus imperator synagogam Judæorum, quæ erat Constantinopoli in [e] Chalco, pretiis ablatam ab eis, fecit ecclesiam Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, quæ proxima est magnæ ecclesiæ. At vero imperator infirmatus, et pauxillum a languore dimissus, advocavit tam Eutychium pontificem, et senatum, quam omnes sacerdotes, et cives, et adducto Tiberio Cæsare coram omnibus appellavit eum imperatorem, his sermonibus usus: Ecce Deus qui benefecit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, ut tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam, quæ aliquando domina tua fuit. Nosti quod primum servus ejus fueris, nunc autem filius. Ne gratuleris in sanguinibus, ne communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ similis mihi efficiaris. Ego enim ut homo culpavi. Etenim culpabilis factus sum, et recepi secundum peccata mea, sed causam habebo cum his qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Christi. Non elevet te habitus, quemadmodum me. Sic attende de omnibus, sicut tibi. Scito quis fueris, et quis modo existas. Ne superbias, et non peccabis. Nosti quis fuerim, et quis factus sim, exstiterim, et existam. Omnes isti filii tui sunt, et servi. Scis quod pro visceribus meis honoraverim te. Hos tu cum videas omnes, quæ reip. sunt vides. Intende militi tuo, [f] nec milites suscipies ad prandia, ne dicant tibi quidam quia decessor tuus conversatus est, hæc enim dico a quibus passus sum. Qui habent substantias, fruantur eis. His vero qui non habuerunt, dona. Et facta oratione a patriarcha, cum dixissent omnes Amen, cecidit Cæsar ad pedes imperatoris, et dixit ei: [g] Si vis, non sum. Et imperator: Deus, ait, qui

[a] Al., *ut currum excelsum.*
[b] Al., *provinciarum præsidum.*
[c] Al., *filium sibi.*
[d] Al. *hippodromiis, quam in diebus.*
[e] Al., *Chalcopratiis.*
[f] Al., *ne molles suscipias, ne dicant.*
[g] Al., *Si vis, sum; si vis, non sum.*

Digitized by Google

fecit cœlum et terram, ipse omnia, quæ dicere oblitus sum, in cor tuum mittat. Porro dum hæc prosequeretur imperator, replebat lacrymis totum collegium. Quod cum solutum fuisset, dona subditis impertitus est, et quæcumque in imperatoris appellationibus moris existunt. Hic Justinus in initio imperii sui bonus fuit, post in omnem avaritiam incidit, id est, [a] exemptor pauperum, senatorum exspoliator. Cui tanta cupiditatis fuit rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat auri talenta congregaret. Hujus imperii anno undecimo, qui est annus divinæ Incarnationis 568, indictione prima in ipsis Kalen. April. egressi sunt Longobardi de Pannonia, et secunda indictione cœpere prædari in Italia, tertia vero indictione dominari cœperunt in Italia.

[a] Al., *contemptor*.

# [a] LIBER DECIMUS SEPTIMUS

## TIBERIUS II.

Anno Incarnationis Domini 571, [b] imperare cœpit Tiberius coronatus ab Eutychio patriarcha, cum esset et ipse genere Thrax: cumque imperare cœpisset, clamabant [c] partes: Anastasia Augusta, tu vincas, salva, Domine, quos imperare jussisti. Audiens autem Sophia Justini conjux, perculsa est animo. Volebat namque nubere Tiberio, ut et permanere Augusta: nesciebat enim quod haberet uxorem; quidam autem dicebant, quod et in vita Justini adamicata ei fuerit, et ipsa persuasit Justino ut eum Cæsarem faceret. Verum Tiberius timens duxit Anastasiam uxorem suam, et coronavit eam Augustam, et jactavit [d] rogam multam. Erat autem Tiberius justus, utilis, strenuus, sapiens, in eleemosynis largus, in judicio justus, in victoria clarus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens. Hic cum multum de thesauris, quos Justinus aggregaverat, pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod remp. redegisset in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregavi, tu infra paucum tempus dispergis. Aiebat autem ille: Confido in Domino quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum ut pauperes eleemosynas accipiant, aut ut captivi redimantur. Hoc est magnus thesaurus, dicente Domino: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, nec tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ Dominus tribuit, demus pauperibus, et congregemus thesauros in cœlo, et Dominus nobis augere dignabitur in sæculo. Quadam autem die deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux Domini sculpta, et ait: Cruce Domini nostri frontem nostram, et pectora munire debemus, et ecce eam sub pedibus calcamus. Et hoc dicto citius jussit ipsam tabulam auferri, defossaque tabula, atque erecta inveniunt subter et aliam, hoc signum habentem. Qui et ipsam jussit auferri. Qua amota inveniunt et tertiam. Jussuque ejus cum hæc fuisset ablata, inveniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius quam consueverat largitur. Narses quoque Patricius Italiæ cum multis thesauris ab Italia ad supra memoratam urbem advenit, et ibi in domo sua occulte cisternam fodit magnam, in qua multa millia centenariorum auri argentique deposuit. Interfectis autem omnibus consciis, uno tantummodo seni hæc pro juramento ab eo exigens commendavit. Defuncto quoque Narsete supradictus senex ad Tiberium Cæsarem veniens dixit: Si mihi aliquid prodest, magnam tibi rem, Cæsar, dicam. Cui ille respondit: Quid vis? proderit enim tibi, si quid nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quem in extremo vitæ positus, celare non possum. Tunc Tiberius gavisus, mittit usque ad locum pueros suos: præcedente vero sene, hi sequuntur attoniti, pervenientesque ad cisternam, deopertam ingrediuntur, in qua tantum auri argentique repertum est, ut per multos dies vix a deportantibus posset evacuari. Quæ ille pene omnia secundum suum morem erogatione largiflua dispensavit egenis. Denique et cum Roma temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia per circuitum Longobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti navibus ab Ægypto dirigens, eam suæ studio eleemosynæ relevavit. Hic cum Augustalem coronam accepturus esset, eumque juxta consuetudinem ad spectaculum Circi populus exspectaret, insidias ei præparant alii adversarii, ut Justinianum Justini nepotem in dignitatem imperatoriam sublimarent. Ille per loca sancta procedens ibat. Dehinc vocato ad se pontifice urbis, cum coss. ac præfectis ingressus palatium, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, et immensis laudibus in gloria regni est confirmatus. Quod ejus adversarii audientes, nihilque ei, quia in Deo spem suam posuerat, nocere valentes, magna sunt confusione et pudore cooperti. Transactis autem paucis diebus, adveniens Justinianus

[a] In reliquis Miscella potissimum sequitur Theophanem, ex quo pleraque ad verbum. Nos vidimus Theophanem Græcum Ms. Vidimus etiam Ms. Anastasium Bibliothecarium Rom. Theophanis interpretem. Notavit etiam ex Theophane Græco Ms. varias lectiones Jacobus Bongarsius. Nos aliquas seligimus. Forte enim brevi Theophanes Græcus integer unà cum Anastasio lucem videbit; quare quas in posterum citamus varias lectiones Græcas, etiam non addito nomine, scias esse Theophanis. CANISIUS.

[b] Theophanes, μηνὶ ὀκτωβρίῳ ἰνδικτιῶνι β'.

[c] Τὰ μέρη Δ. Δ. τοῦ βάκχις.

[d] Ὑπατίαν.

pedibus se projecit imperatoris, ob meritum gratiæ quindecim auri centenaria deferens. Quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, sibi in palatio assistere jussit. Sophia quoque Augusta immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentavit ingerere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam jucundaretur, vocato clam Justiniano, voluit eum sublimare in regno. Quo comperto, Tiberius cursu veloci Constantinopolim rediit, apprehensamque omnibus thesauris spoliavit, solum ei victum quotidiani alimenti relinquens, segregatisque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus suis posuit, qui ei pararent, mandavitque prorsus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum: Justinianum vero verbis solummodo objurgatum, tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam promitteret suam, rursumque filio suo filiam ejus expeteret. Sed hæc res nescio ob quam causam minime ad effectum pervenit. Secundo imperii sui anno, misit rex Tiberius ad regem Persarum secundum morem suum, nuntians promotionem suam. Quo pacem non admittente, Tiberius magnas virtutes congregavit, et disseminatis regiis thesauris multos fecit exercitus, creans magistrum Orientis quemdam supradictum Justinianum. Anno tertio imperii sui rex Persarum, sumptis virtutibus suis, in Armeniam properat. Audiens autem dux Romanorum regem Persarum per semetipsum initurum prælium expeditus est. Timor enim ingressus est in populum Rom., et idcirco Justinianus ad virtutes sermonibus usus, compescuit formidinem pugnæ. Cum autem bellum fieret, et sagittatio multa Persarum facta fuisset, ita ut etiam solares radii celarentur, tunc videlicet clypeis jacula, quæ ex arcubus mittebantur, continuatis projicere nitebantur. Cum autem profunda consisteret Romanorum acies, Persæ ferre non poterant, sed in fugam vertitur Babyloniorum caterva, et intereunt multitudines copiosæ. Accipiunt et interea Persarum supellectilem, et regium tabernaculum, totumque clarissimum apparatum. Tenent autem et elephantes Romani, et ad Tiberium mittunt insignes, et regias illas exuvias. Itaque ponit legem Persarum rex confusionem non ferens, nunquam jam regem Persarum in prælium egressurum. At vero Romanus exercitus post Persicas ærumnas, etiam ad intima Persidis properavit, et multum illic excidium perpetravit, et captivitatem, perveniens etiam in medium Hyrcanici maris. Cum autem hiems adesset, non remearunt Quirites ad propria, sed in Perside hiemem transegerunt. Porro eodem anno cœpit ædificare Tiberius publicum thermarum Blacernarum, et renovavit multas ecclesias, et xenodochia, et gerocomia, jussitque se scribi in phœniceis litteris Tiberium Constantinum. Interea Tiberius imperator emptis corporibus gentilium constituit militiam in nomen proprium, amiciens, et armans eos, in millia

A quindecim, dans ei ducem Mauricium comitem fœderatorum, et subducem Narsen, et misit eos contra Persas. Bello autem facto magno valde, Romani victores efficiuntur, et abstulerunt a Persis civitates, et regiones, quas sub Justiniano et Justino ceperant. Abiens autem Mauricius Constantinopolim susceptus est ab imperatore cum ingenti honore, et publicavit Tiberius victorias Mauricii, et generum hunc admisit ad Constantiam suam filiam Charito, utrumque Cæsarem creans. Mense vero Augusto mora comedens matutina visu digna, sed corrupta, φθίσιν incurrit. Et cum esset moriturus, accito patriarcha Joanne, atque senatu in tribunalium lectica est deportatus, et quia loqui non poterat, per epagnosticum, quæ rebus Romanorum erant utilia, manifesta fecit poB pulo, et una cum consilio Augustæ Sophiæ Mauricium generum suum pronuntiavit imperatorem. Itaque cum omnes imperatoris collaudassent consilium, atque Mauricium imperatorem, conversus Tiberius in lecto suo obiit, cum regnasset annis sex, mensibus decem, diebus octo.

## MAURICIUS.

Anno ab incarnatione Domini 577, Mauricius imperat., genere Cappadox, eodemque anno legatione funguntur Avares ad imperatorem Mauricium, qui ante breve tempus Sirmium subegerant, insignem civitatem Europæ, postulantes octoginta millibus auri, quæ per annos singulos accipiebant a Romanis, alia superaddi viginti. Imperator vero pacem affectans, hoc admisit. Petivit autem [a] Chajanus ad C videndum sibi elephantem animal Indicum mitti, cui imperator majorem omnibus misit. Quem ille visum remisit ad imperatorem. Similiter et lectum aureum mitti sibi petivit, sed et hoc imperator misit ad eum. Ipse vero et hunc contemplatum misit ad eum. Postulabat autem iterum super alia viginti millia centum addi. Quod imperatore non admittente, Chajanus Sigidonem civitatem subvertit, et multas alias urbes cepit Illyrico subjacentes. At vero imperator Helpidium patricium cum Commentiolo legatos ad Cajanum transmisit. At vero barbarus in sponsionibus pactorum agere se pacem professus est. In Oriente Joannem Mystaconem prætorem Armeniæ fecit, qui veniens ad Nymphium amnem, ubi Tigris misceri dignoscitur, bello congreditur [b] cum D Carthariga Persarum prætore, et prævalent Romani adversus barbaros. Cardarigas vero non est proprium nomen, sed dignitas maxima apud Persas. Anno secundo imperii sui, cos. Mauricius appellatur, et multos thesauros urbi donavit. Provehit autem Philippicum prætorem Orientis, cui et Gordiam [c] filiam in conjugem tradidit. At Philippicus Persicas arripiens partes appropinquavit Nisibin, et ingressus repente in Persidem, multam prædam sumpsit, quam per montes salvam ducens, in Medorum transtulit regionem, et multis illic villis exterminatis, ad Romana rura reversus est. Porro Chajanus Ava-

[a] Χαγάνος.
[b] Μετὰ Καρδαρίγαν στρατηγοῦ.
[c] Τὴν ἰδίαν ἀδελφήν.

Digitized by Google

rum pacem solvere festinabat. Nam Sclavinorum gentes contra Thracem armavit, qui pervenerunt usque ad longos muros multum facientes excidium. At imperator palatii eductis militiis et plebibus a civitate longos muros custodiri præcepit, et Commentiolum ducem ordinans, et armans contra barbaros misit, qui ex insperato in barbaros ruens, copiosas multitudines interfecit, hosque repulit. Cum autem pervenisset Adrianopolim, occurrit Andragasto multitudo Sclavinorum prædam ducenti, et in hunc irruens, et captivitatem eripuit, et victoria nudatus est. Anno tertio imperii Mauricii Philippicus, sumptis exercitibus, ad Persicam regionem profectus est, et capta Arscennene, prædam magnam obtinuit, et formidinem Persicis operatus est exercitibus. Interea Constantinopolim languens remeat, militesque sine læsione ad propria repedarunt.

Quarto imperii Mauricii anno Philippicus egressus a regia urbe, hostili sumpto apparatu, ad civitatem Amidam properat. Et collectis armatis percontabatur eos, si in promptu haberent properandi ad bellum. At Romanis juramentis credulum eum reddentibus se alacriter bellaturos, venit ad [a] Anazarbon. At vero Cardarigas hoc comperto, risui auditionem mandavit, somnium esse quod dicebatur opinans. Accersitisque magis interrogavit : Quis erit victoriæ dominus? Ast dæmonum placatores Persas astruebant a diis victoriam laturos. Consultabant igitur Persæ majorum læti promissionibus facti, et parabant continuo [b] compedes ex ligno ferroque, quibus Romanos vinciant compeditos. Prætor autem commonet Romanos, ne agrorum exterminent labores, ne justitia Dei, quæ [c] malum odit, victoriam ad barbaros transferat. Postera ergo die prætor duos dirigit phylarchos Sarracenorum, et capiunt Persas viventes, per quos motus adversariorum didicerunt, qui asseruere Deum velle [d] quotidie barbaros in Romanos irruere. Porro Philippicus diluculo valedicens Romanis, tribus phalangibus occurrit ad prælium, ipseque assumpta [e] Dei virili forma, quam ἀχειροποίητον, id est non manufactam, Romani prædicant, discurrens per acies, armatis divinam impertiebatur virtutem. Et stans post aciem hæc retinens arma, lacrymis multis Deum placabat, qui cœlestium ordinum principes auxiliatores assumpsit. Cum autem bellum ageretur, Vitalianus princeps aciei præ omnibus audacius motus, phalangem disrupit Persarum, et sarcinam tulit. Romani autem circa spolia cœpere vacare. Quos aspiciens Philippicus, ne ad exuvias etiam reliqui reversi, prælii obliviscerentur, conversique barbari perderent eos, Theodoro Ilibino galea sua imposita, misit gladio percutere hos qui circa exuvias vacabant. Quem videntes, et æstimantes esse Philippicum, dimissis spoliis properarunt ad bellum. Cum autem bellum per multas horas ageretur, vox fit a prætore, Persarum equos lanceis percutere. Quo facto in fugam versus est Persarum exercitus, et triumpho ingenti potiti sunt Romani, et multos ex eis peremerunt, et spoliaverunt. Postera vero die, sumptis virtutibus suis, Cardarigas rursus ad bellum armatur, et secundo prælio gesto, denuo vincunt Romani, et occiduntur Persæ multi. Comprehenduntur etiam vivi duo mille, et Byzantium mittuntur. Aufugit quoque Cardarigas, quem Persæ cum injuriis respuunt. Porro Philippicus Heraclium Heraclii patrem, qui post imperio præfuit, [f] subprætorem, exploratoremque barbarorum transmisit, sumptisque militiis Babyloniam adiit, et [g] Clomanuorum castellum obsidet. At vero Cardarigas elegit milites idiotas, cum [h] subjugalibus, et turba collecta exercitum sese movere jactabat, et per munita loca obscura nocte in dorsa Romanorum efficiunt, nequaquam fidentes se manus in eos missuros. Timore autem importuno cadente in Philippicum, fuga [i] mirabili usus est. Quo comperto Romani in fugam vertebantur per loca ad meandum difficilia, incurrentes multa pericula. Cumque sol ortus esset, a calamitate liberantur, nemine persequente, et pervenientes ad prætorem, hunc injuriis pessimis blasphemabant. Verum Persæ fictam æstimantes fugam, persequi ausi non sunt. Porro Heraclius transmeans Tigrim, quæ Mediæ regionis erant insignia [j] præsidia igni tradebat, et sic ad Philippicum rediit cum spoliis multis. Anno quinto imperii Mauricii [k] Chajanus Avarum fœdere dissoluto, Mysiam et Scythiam atrociter expugnabat, subvertens Ratiarnam, et [l] Bonomiam, et Aquas, et Dorostolum, et Zandapa, et Martianopolim. Commentiolus vero ad maritima venit, et separato exercitu improbabiles discrevit ab optimis, et inutiles quidem virtute quadraginta millia custodire vallum jubet : electorum autem sex millia sumens, ex his duo millia Casto tradidit, et duo millia Martino, et ipse duobus millibus sumptis contra barbaros properat. Castus autem [m] veniens Zardapa, et Emon, repertis barbaris in desidia constitutis, multos ex eis disperdidit, prædamque multam obtinens, armigero ad salvandum tradidit. Martinus [n] circa Nean civitatem effectus, et in Chajanum ex insperato incurrens, multos virtutis ejus exstinxit, ita ut ille salutem suam fuga mercatus sit. Martinus victoria gloriosus ad prætorem revertebatur, ubi se promiserat eos exspectaturum. Commentiolus autem formidine pressus Martianopolim rediit. Qui non invenientes eum, collegerunt exercitus suos, [o] et per arctum locum Emi castra movent. At vero

[a] Ἄρξαβον.
[b] Ξυλοπόδας.
[c] Μισοπόνηρος.
[d] Τῇ κυριακῇ ἡμέρα.
[e] Θεανδρικὴν μορφήν.
[f] Ὑποστράτηγον ἐπὶ κατασκοπῇ.
[g] Χλώμαρον.
[h] Ἱπποζυγίων.

[i] Ἀλόγως.
[j] Χωρία.
[k] Aliter *Chaganus Avarus ubique fœdere.*
[l] Κωνωνίαν καὶ Ἄκυς.
[m] Ἐπὶ τὰ Τζαπάρδα καὶ Αἷμον.
[n] Εἰς τὰ περὶ Τομαΐαν.
[o] Ἐπὶ τοὺς στενωποὺς τοῦ Αἵμου στρατοπεδεύονται.



Digitized by Google

Martinus videns Chajanum transeuntem fluvium, ad prætorem rediit: Castus vero transito flumine appropinquans his qui præcucurrerant Avarum, obtinet pugnis. Porro Castus [a] cujusdam ducis repromissionibus deceptus non rediit ad prætorem, posteraque die tenens transitus Chajanus conclusit eum. Scinditur igitur populus, et unusquisque ut vires habebat per nemora fugiebat. Capiuntur itaque a barbaris quidam, et indicant ubi latitet Castus et hoc capto exsultabant. Chajanus sane per meridiem iter agens contra Thracem properat, longosque muros accepit. Ast Commentiolus, qui in sylvis Emi latitabat, cum Martino exivit, et perveniens ad Chajanum invenit imparatum, eo quod Avarum multitudo diffusa est per Thracem. Et prima vigilia noctis properat adversus illum, essetque profecto opus ingens patratum, nisi eventus quidam falleret ejus conatus. Uno quippe animante onus subvertente, quidam domino animantis acclamat onus erigere, patria voce dicens: [b] Torna, torna, frater. Et dominus quidem multas voces minime sentiebat, sed populi, hoc audito, hostes imminere existimantes, in fugam conversi sunt, torna, torna, maximis vocibus exclamantes. Chajanus autem ingenti formidine indutus penitus fugiebat, et videbantur Romani, et barbari invicem fugere nemine persequente. Præterea Chajanus, sumptis virtutibus suis, Aperiam civitatem obsedit, inventumque Busan urbis [c] magnarium interficere nitebatur, qui pecunias rogabat ei multas præbere, si vitam sibi donaret. Ille vero hunc ligatum urbi præsentavit. At ipse quærebat habitantes urbem, ut emeretur, narrans, quam sæpe pro civitate certaverit. Civis autem quidam persuasit multitudini hoc minime faciendum. Quia ergo parvipensus est Busan, repromittit Chajano tradere civitatem. Et [d] exterminatorio instrumento facto, quod arietem nominant, civitatem adeptus est. Discedentesque barbari argumentoso ingenio, et alias urbes in servitutem redegerunt, et cum multa captivitate reversi sunt. Audientes autem Byzantii, quod Castus captus esset a barbaris, magnis conviciis contra Mauricium convertebantur, et hunc in manifesto blasphemiis appetebant. Per idem quoque tempus Heraclius Heraclii pater Persicum aggressus est castrum, quod et accepit. Similiter et Theodorus [e] castrum Mazarorum, et ambo [f] Bavides veniunt. Et cum castrum munitissimum esset, miles quidam Saphires nomine, stimulos operatus, et contra compagines lapidum hos figens, per eos aditum fecit. Cum autem fortis ille ascendisset muri coronam, vir Persa hunc expulit. Cadit autem Saphires deorsum, et suscipiunt eum in scutis suis Romani, et rursus opus audenter arripit et denuo a

A firmitate repellitur. Iterumque Romani hunc suscipiunt scutis, et tertio ad machinamentum conatus est. Cumque ad muri caput ascendisset, Persam occidit. Dehinc caput ejus Romanis præbens, hos fiducia magna replevit, multisque imitantibus virum fortem, et per palos ascendentibus murum, Romanis traditur castrum, et alios quidem Persarum occiderunt, alios vero captivos duxerunt, una cum supellectilibus igni tradito castro. Interea Philippicus rursus Byzantium iter egit, Heraclio Romanorum duce relicto. Veniens autem Tarsum, et discens quod imperator Priscum Orientis prætorem creatum direxerit, scribit Heraclium, dimisso exercitu, in Armeniam venire ad Narsetem, et Prisci ei præsentiam facere manifestam. Imperator enim Philippico B jusserat quarta rogæ parte privare militiam. Philippicus autem timens, ne occasio tyrannidis fieret, super hoc imperatori non paruit, ideoque a prætura deponitur. Priscus autem perveniens Antiochiam, præcepit milites apud [g] Monetarium colligi. Advocant autem, et Germanum, cui Edessenorum principatus creditus erat una cum episcopo, et una cum eis ad exercitum ibat, solemnitatem Paschæ cum illis facturus. At vero duces exercitus obviam ei venerunt cum [h] duobus bandis signis procul ab exercitu. At Priscus secundum morem non descendit ab equo, nec consuetis salutationibus usus est. Hinc ergo odii exordium factum est, in communibus namque injuriis multitudines severius patiuntur. Post festum autem diem demonstrabantur tetricæ imperatoris C litteræ. Confluunt itaque multitudines ad prætoris fixuram tabernaculi, aliis quidem gladios portantibus, aliis lapides, vel ligna jactantibus. Fit igitur pavidus Priscus, et ascendens equum fuga evasit periculum. Illi ergo scindentes fixum hujus tabernaculum, omnia, quæ ipsius erant, diripuerunt. At ille Constantiam perveniens, a medicis de percussionibus lapidum et vulneribus curabatur, et mittit episcopum civitatis, rationem faciens, ac pollicens exercitui se persuasurum imperatori, ne illos privet aliqua conferendarum consuetudinum participatione. At exercitus episcopum cum injuriis respuerunt, et Germanum invitum pronuntiaverunt prætorem super scutum elatum, imperatoriamque statuam subver- D terunt, et hujus imagines demoliti sunt, et [i] in tyrannidem prorumperent, et urbes despoliarent, nisi Germanus id agere multa comminatione, ac exhortatione vetuisset. Priscus autem hæc imperatori manifesta fecit, et imperator Philippicum denuo prætorem Orientis constituit. Priscus vero Byzantium rediit. Porro exercitus se juramentis affirmabat, nullatenus a Mauricio imperari. Barbari sane Romanis [j] calamitatibus delectabantur. Verum Aristobolum

[a] Aliter *vani cujusdam dæmonis.*

[b] Τόρνα, τόρνα, φράτρε.

[c] Μαγγάναρ. Aliter *Manganarium.*

[d] Πολιορκητικὸν ὄργανον.

[e] Τὸ μάζαρον φρούριον.

[f] Εἰς τὸ βειοῦδες.

[g] P. Pith., *Monocerium colligi.*, Franc. Pith., *Monocarium collegit.* Ms. Gr.: Μονόχαρτον.

[h] Μετὰ τῶν βάνδων· ἀπὸ δύο σημείων τοῦ στρατοπέδου.

[i] Διαχωρεῖν ἤμελλον καὶ τὰς πόλεις κυκλεύειν, forte, σκυλεύειν.

[j] Ταῖς βαρβαρικαῖς.

Digitized by Google

imperator [a] curatorem imperialium domorum ad A exercitum misit, quatenus juramentis, et donis tyrannidem solveret, quod et fecit. Tyrannide vero destructa, fit Persarum, atque Romanorum circa Martyropolim maximum bellum. Romanis vero potentia et ducum virtute expugnantibus Persas, interficitur [b] Maruzas Persarum prætor. Comprehenduntur etiam viventium tria millia et Persicorum [c] principum agmina, mille tantum reversis in Persidem. Porro Romani transmittunt e Perside ad imperatorem ex Persicis exuviis multa, et captos universos una cum bandis. Mense Decembrio, indictione sexta, Longobardi bellum adversus Romanos intulerunt, et Romanam civitatem graviter depopulantes, et exarchatum Ravennæ deprædantes, sed et Maurusiorum gentes adversus Africam magnas perturbationes perpetraverunt. In Perside autem est carcer, qui dicitur Lethe, et rex Persarum multos a diversis gentibus in hoc conclusit, una cum captivis civitatis Daræ. Illi autem desperati, insurgunt contra eos qui se custodiebant, et occiso [d] Marusa, caput ejus Byzantium attulere. Ast imperator cum gaudio magno illos suscepit, et Philippicum denuo vix prætorem recepit exercitus. Cum autem Persarum, Romanorumque bellum circa Martyropolim fieret, superantur Romani. Imperator a prætura rursus Philippico amoto, Commentiolum Orientis prætorem direxit. Heraclius autem prosperatus in bello peremit Persarum prætorem. [e] Asarthato autem interempto fugiunt Persæ, et insequuntur Romani. Cum autem multum fuisset in eis excidium factum, comprehendunt etiam custodiam, et multas exuvias Byzantium mittunt. Denique imperator equestribus speculationibus, commerciisque urbem splendidam reddidit. Hormisda vero rex Persarum prætorem Baram promotum, una cum potentibus multis contra Suaniam mittit. Ex improviso autem huic instans ad Araxem fluvium castra commovit. Siquidem expugnatis Turcis, a Persis adeo Hormisda crevit, ut etiam tributa quadraginta millia auri a Turcis acciperet, cum prius annualia Turcis ipse persolveret. Verum Mauricius hoc comperto, Romanum provehit prætorem, et in Suaniam cum potentia transmittit. Cumque pervenisset Romanus in [f] Laziceen, et ad Phasin fluvium accessisset, in Albaniam exercitum movit. Bara autem audiens Romanum profectum rem deridebat. Cupiebat etiam Romanam aciem manu capere. Non enim adversus Romanos bellum inierat. At vero Romanus Romanam multitudinem separavit, non probatis penes sarcinas derelictis. Decem millia etiam secum accipiens, adversus barbaros properavit, et eo duo millia præcedere jubet exercitum. Qui venientes obviam his qui præcesserant, Persas hos in terga vertunt, et omnes interimunt. Facta quippe fuga, et [g] prædio sibi obstante conclusi omnes interierunt. Ast Romani usque ad barbarorum vallum venerunt, ita ut Bara super hoc obstupesceret. Quod audiens Romanus, animare cœpit exercitum, et prœliaturi parantur in campo Albaniæ. Bara autem nitebatur furari bellum, frustratus tamen consilio est. Surrexit enim Romanus, et comptissime parabatur. Cum autem invicem conflictus agitaretur, et multi barbarorum occisi fuissent, maxima Romanis accessit victoria. Despoliantur igitur barbari, et sepultura carentes efficiuntur bestiis esca. Hoc audito Hormisda Persarum rex, confusionem non ferens, muliebrem vestem Baræ transmisit, et hunc prætura privavit. Parat e contra rebellionem Bara, et B progreditur in tyrannidem, et reciprocis injuriis per litteras Hormisdam laces it, superscribens epistolæ ita: [h] Hormisdæ filio Chosdrois Bara hoc mittit. Collectis vero militiis asserebat Hormisdam indignatum adversus militias, utpote quæ a Romanis fuerint superatæ. Ostendebat autem et fictas litteras quasi ab Hormisda missas ad minuendas militum rogas, ad memoriam eis reducens atrocitatem Hormisdæ, seu crudelitatem, avaritiam, et violentiam. Et qualiter homicidiis delectatus, et a pace esset alienus, qualiterque optimates vinculis dediderit: quorum quidem alios gladio reciderit, alios autem necaverit tigride, et qualiter cogebat Persas in magnis prœliis separari, quo disperderentur, et non contra illum tumultuarentur. Talibus igitur verbis Bara militias C affatus, tyrannidem maximam adversus Hormisdam succendit: juramentis Baran munientes, deliberabant pariter omnes, se depedituros Hormisdam. Hormisda autem [i] Ferrochanem magistrum suum armatum cum virtute destinat adversus Baran. Bara vero significavit Ferrochani, quia non convenit arma Persis inferre, et ad memoriam eis reducebat Hormisdæ asperitatem, injustitiam, in sanguinibus gaudium, in homicidiis amorem, infidelitatem, jactantiam, et violentiam. Hæc sentientes ab eo veraciter dicta fuisse populi, qui circa Ferrochanem erant, occidentes eum se ad Baran uniunt, et contra Ctesiphontem abeunt. Hormisda autem in vinculis habebat Byndoen magnæ dignitatis virum. Itaque D cum in magna fluctuatione negotia degerent, [j] Besta frater Byndois in custodiam insiliens, educit Byndoen fratrem suum, et congregata multitudine rustica, seu civili, tertia hora diei regalia intrant, et invento Hormisda super solium regio more sedente, multis hunc injuriis subdunt. Byndoes autem tenens Hormisdam abstulit diadema a capite ejus, et hunc in carcerem tradiderunt, rogabantque Chosdroen patrio solio tribui. Præterea Hormisda e custodia

[a] Τὸν κυράτωρα τῶν βασιλικῶν οἴκων.
[b] Βάρουζας.
[c] Al., *principes agminum*, τῶν περσικῶν ταγμάτων ταξίαρχοι.
[d] Μαρουσᾶν καὶ τὴν τούτου ἀδελφὴν λαβόντες εἰς τὸ Βυζάντιον ἧκαν.
[e] Al., *Asrathato*.
[f] Al., *Jasicen*.
[g] Al., *præsidio*, χρημνοῦ.
[h] Ὁρμίσδα τῇ θυγατρὶ Χοσροου ὁ βαρὰμ ταῖεα.
[i] Φερογάνην τὸν μάγειρον αὐτοῦ.
[j] βεσδᾶν.

Digitized by Google

sua nuntium suum misit Persis, petens loqui [a] præsidi quæ expedirent. In crastinum igitur collectus senatus Persarum in regalibus, una cum multitudine vinctum Hormisdam ducunt. Ast Hormisda commonebat Persas quod non oporteat hujuscemodi in reges committere, et quanta ex quo regnaverit tropæa fecerit, et in quibus erga Persas bona patraverit, et qualiter Turcos Persidi tributa solvere, Romanos pacem amare coegerit, qualiterque Martyropolim ceperit, quin et paterna beneficia narravit. Rogabat autem hæc Chosdroen a regno deponi, ut litis amicum, et ambitiosum, et sanguinis amatorem, superbum, ac injuriosum, et præliis inhiantem. Esse autem sibi alterum filium perhibebat, quem in regem provehi flagitabat. Byndoes vero ad Hormisdam respondebat, et hujus excessus in medium proponens, omnes erexit contra Hormisdam; et ducunt in medium uxorem ejus, ac filium, et [b] serra hos dividunt, et partiti sunt in medium coram Hormisdæ visibus. Hormisdam quoque oculis privantes, in carcere posuerunt. Et Chosdroes quidem aliquantulum benigne patrem tractavit in custodia, tribuens illi omnem escam. At Hormisda ex adverso injuriis hunc lacerabat, conculcans ea, quæ a rege mittebantur. Unde Chosdroes iratus, fustibus hunc sylvestribus jussit per ilia cæsum obire. Quod factum et Persas tristes reddidit, et contra Chosdroen odium auxit. Chosdroes vero, congregatis virtutibus regnorum suorum, egressus contra Baram venit in campum Zabam fluminis, ubi Bara vallum habebat. Suspicatus autem Chosdroes, quod aliqui principum adjacerent Baræ, hos occidit. Cum autem populus turbaretur, fugam iniit Chosdroes cum paucis quibusdam, et omnes qui erant cum Chosdroe, ad Baram accesserunt. At vero Chosdroes hæsitabat quidnam agere debuisset, nonnullis sane consilium sibi ad Turcos secedere dantibus, nonnullis autem ad Romanos. Chosdroes equum ascendens, freno laxato equi motus omnibus sequi jubet. At vero equus ad Romanas partes motus suos direxit, et apud [c] Cercesium invenitur, et legatos suos mittit, adventum suum faciens manifestum. Contigit autem ut eum Probus patricius, qui illic erat, susciperet, et de eo imperatori per litteras indicaret. Bara autem misit legatos ad Mauricium, petens ne auxiliaretur Chosdroi. Porro imperator Mauricius jubet Commentiolo prætori apud Hierapolim Chosdroen suscipere, et imperialibus obsequiis honorare. Eodem anno demonstravit imperator Mauricius in memoria Dei genitricis litaniam in Blachernis fieri, et laudes dicere Dominæ nostræ, nominans eam Panegyrim. Mauricius filium sibi Chosdroen regem Persarum faciens, Domitianum episcopum Militinensem ad eum direxit, cognatum suum, una cum Narse, cui ducatum belli commisit. Qui venientes ad Chosdroen, omnes

A potentatus Romanicos in Persidem ducunt. Bara autem, hoc cognito, sumptis virtutibus suis in loco qui Alexandrinus nominatur, castrametatus est, prohibere ratus militias ab Armenia venientes, ne Narsi unirentur. Jusserat autem Mauricius Musticoni magistro militiæ Armeniæ Joanni accipere militias, et se Narsi unire pariter contra Baram bellum constituendo. Per noctem autem unitæ sunt Romanæ virtutes, et contra Baram aciem direxerunt. Porro Bara in monte castrametatus est, pavore detentus. Cumque bellum ageretur horribile, Narses Indicis bestiis parvipensis, mediam barbarorum dissolvit phalangem. Et hoc facto cæteræ quoque Baræ infirmatæ sunt phalanges, et fit magna fuga tyranni. Narses vero sine ulla retentione persequens

B Persas cæde sternebat, et sex millia vincta ad Chosdroen adduxit. Ast hos omnes Chosdroes mucrone peremit. Quotquot autem Turci erant, ad imperatorem Byzantium misit. Sane cum Turci signum haberent in fronte [d] ex cruce, interrogabantur ab imperatore, quonam modo hoc signum in fronte portarent? At vero Turci asserebant ante multos annos pestilentiam factam in Turcia, et quosdam Christianorum hoc adinvenisse, et hinc salus in patria facta est. Porro exercitus Romanorum tabernaculum Baræ, et supellectilem accipientes cum elephantis, attulere ad Chosdroen. Bara autem ad interiores partes Persidis fugam fecit, et sic eorum dissolvitur bellum. Itaque Chosdroes magna victoria circumdatus solium suum recepit. Verum Narses rediturus ad propria

C Chosdroi dicebat: Memor sis, Chosdroe, præsentis diei, Romani tibi regnum donant. At ille fraudulentam occisionem metuens, petiit a Mauricio mille Romanos in custodiam sui habendos. Porro Mauricius cum dilectionem haberet erga [e] Barbarum, multam postulationem ejus complevit, sicque Persicum, et Romanorum bellum cessavit. Interea solemnitate Paschali veniente, coronatus est Theodosius filius Mauricii a Joanne patriarcha Constantinopolitano. Eodemque anno imperator Mauricius ecclesiam sanctorum quadraginta Martyrum, quam Tiberius cœpit ædificare, consummavit. Interea, cum profunda pax Orientem occupasset, bellum circa Europam [f] Avaricum incumbebat. Ideoque imperator potentatus, ab Oriente

D in Thracem transduxit. Anno imperii sui nono, cum ver inciperet, et agmina pervenissent ad Thracem, exivit cum eis Mauricius videre quæ a barbaris essent eversa. Augusta vero et patriarcha, et senatus rogabant imperatorem ne per semetipsum bellum iniret, sed potius id prætori committeret. Ast imperator non acquievit. Exeunte autem eo ad Septimium, solis eclipsis facta est. Cumque esset apud Rhegium multitudines pecuniis animavit. Cum autem venatum pergeret, sus sylvestris valde grandis impetum contra Cæsarem fecit. Equus vero ob terrorem

[a] Al., *Persi*. Ms. Græc., τῇ Περσίδι.

[b] Ἐδιχοτόμησαν.

[c] Κερκίσιον.

[d] Τοῦ σταυροῦ κεντητοῦ διὰ μέλανος. Al., *frontes scaratas*. P. Pith. *cum haberent frontes exaratas*.

[e] Βάρμαδον.

[f] Leg. videtur, *Avarum*. Locus in Theophane depravate legitur.

Digitized by Google

miraculi ejicere Cæsarem nitebatur. Diutius ergo tumultuatus Cæsarem jactare nequivit. Itaque sus a nemine [a] actus abscessit. In Perinthum præterea navigio iter faciens, ventis vehementibus, et pluvia facta, nautisque desperantibus, scapha imperatoris asportabatur, ita ut inopinate salvus ad locum, qui dicitur Daonium, vix veniret. Nocte vero illa muliercula pariebat, et voces miserabiles emittebat. Cumque mane factum fuisset, misit imperator videre, quod acciderat. Et invenerunt puerum natum, oculorum et palpebrarum exsortem, manusque ad brachia non habentem, a lumbo autem erat ei ut cauda piscis naturaliter hærens. Quo viso, imperator præcepit ut occideretur. Hac denique die imperatoris equus, qui aureo erat circumdatus ornatu, repente scissus est cadens. At imperator his omnibus auguriatus tristis erat. Postera vero die viri tres, Sclavini genere, nil aliquid ferreum bajulantes, a Romanis detenti sunt, citharas tantum ferentes. Imperator autem interrogabat, tam unde essent, quam ubinam habitatio eorum consisteret. Qui genere quidem aiunt se esse Sclavinos, circa finem vero occidentalis habitare Oceani. Chajanum autem ad se legationem misisse, et munera principibus gentis suæ, auxiliandi sibi contra Romanos gratia. Taxiarchas autem suos se direxisse rationem reddituros Chajano, quia non possunt propter itineris longitudinem mittere illi auxilia. Decem enim et octo menses asserebant in itinere se fecisse, et ita Romanos adiisse. Porro citharas se ferre, tanquam non videntes quemquam suorum armis indutum, regione sua quid sit ferrum ignorante. Imperator autem tam ætatem admirans, quam moles corporis eorum laudans, hos misit Heracliam. Cum autem venisset ad maritimam, et didicisset, quod legati Persarum, atque Francorum venissent, ad regalia remeavit. Anno decimo imperii Mauricii Chajanus quærebat augmenta pactorum accipere. Imperator vero sermones barbari non recipiebat, et idcirco Chajanus iterum bellum agit, et devastat Sigidonem, et contra Sirmium castra movet. Imperator autem prætorem Europæ Priscum ire jubet. At vero Priscus [b] Sylvianum subprætorem factum præcurrere jussit, et contra barbaros procedentes bellum ineunt, et vincunt Romani. Quo audito Chajanus, potentatibus sumptis, properabat ad bellum. At vero Sylvianus visis multitudinibus, stupefactus ad Priscum se contulit. Chajanus autem comperiens Romanorum recessum ad maritima se contulit, deinceps ad Sanctum Alexandrum, et hunc omnia devoranti tradidit igni. Transiens autem in [c] Diripera, conatur exterminare remp. devastatoria operatus instrumenta. Hi vero qui Diriperæ habitant, diutius e diverso aciem direxerunt. Nam et portas ambientes, minabantur barbaros debellare, cum essent in ingenti formidine. Tunc ergo

A divina eis consuluit quædam virtus. Media namque die videre putaverunt barbari, Romanorum virtutibus egredientibus ab urbe, futurum sibi fore, ut cum eis conflictum consererent, et consternati fuga infatigabili fugiunt, et apud Perinchum efficiuntur. Priscus autem, nec visu quidem ferre multitudines barbarorum valens, Zurulum ingressus castrum muniebat. Ast barbarus Priscum obsidere conabatur. His auditis Mauricius quid foret agendum hæsitabat. Tum optimo inito consilio armatur contra infinitum numerum barbarorum, et uni excubitorum magnis donis, atque promissionibus persuadet, ut sponte in barbaros irruat, eique dat litteras ad Priscum continentes hæc: Gloriosissimo prætori Prisco. Noxium barbarorum conatum ne formides, ad perditionem B enim eorum factum est hoc. Scito enim, quia cum multa confusione revertetur Chajanus in regionem suam, quæ sibi a Rom. deputata est. Propterea perseveret gloria tua penes Zurulum circumvagari faciens illos. Mittemus enim per mare naves, et captivabimus familias eorum, et cogetur ad propria confusione refertus atque jactura remeare. At vero Chajanus litteris comprehensis, ac lectis, pavens efficitur, et sponsionibus pacificis ad Priscum dispositis in muneribus paucis, atque indignis in suam terram cum fuga potenti regressus est. Undecimo anno imperii Mauricii, idem imperator Priscum cum omnibus Romanicis potentatibus ad Istrum fluvium misit, ut Sclavinorum nationes transire prohiberet. C Quo apud Dorostolon habito Chajanus comperit. Qui legatis ad eum directis, calumniam inferebat, Romanis exordium dantibus belli. Priscus autem excusabat, quod non venerit adversus barbaros belligeratum, sed quod ad Sclavinorum nationes a principe fuerit destinatus. Audiens autem Priscus, quod Ardagastus multitudines Sclavinorum ad prædandum disperserit, transiens Istrum media nocte inopinate [d] Ardagastum adortus est. At vero Ardagastus discrimine senso, [e] nondum ascenso equo vix salvus evasit. Romani multitudinibus Sclavinorum occisis, et Ardagasti regione eversa, prædam copiosam captam Byzantium per Tatemerem direxerunt. Porro cum [f] Tatemer expeditus iter faciens, ebrietati, atque deliciis sese traderet, Sclavinorum in eum irruunt multitudines. Qui D formidine pressus fugiendo Byzantium venit. Ast Romani, qui cum ipso fuisse videbantur, Sclavinis valde infensi obtinent gloriosissime barbaros, et captivitatem salvam imperatori præsentant: qui lætatus gratificos Deo hymnos, una cum tota obtulit urbe. Priscus vero, fiducia fretus, ad interiores Sclavinorum partes accessit. [g] Gipes vero vir Christianæ religionis, transfugiens ad Romanos, et ingressum Romanis ostendit, et barbaros tenuit. Itaque Gipedis proditione transfretato flumine, Priscus media nocte reperit [h] Musacium barbarorum regem

[a] Legend. *ictus*; τρωθείς.
[b] Σαλβιανὸν ὑποστράτηγον.
[c] Al., *Diriz pera*. Ms. Græcus, Δριζίπερα.
[d] Al., *Ardagasto conjunctus est*.

[e] Leg., *nudo*: ἵππου τε γυμνοῦ ἐπιβάς.
[f] Ταττίμερ ἐκλύτως.
[g] Γήπαις.
[h] Μουσώκιον τὸν ῥῆγα τῶν βαρβάρων.

Digitized by Google

ebrietate corruptum : funebrem quippe proprii fratris celebrabat festivitatem. Quo comprehenso vivo, cædem in barbaros operatus est, multaque præda, et copiosa capta, ebrietati sese tradunt, et crapulæ. Tum barbari coacervati victoribus imminent, foretque vicissitudo reciproca præcedenti virilitate sævior, ni Genzo eum pedestri virtute Rom. insistens pugna forti prohibuisset impetus barbarorum. Anno 12 imperii Mauricii, cum Priscus iterum ad Istrum pervenisset, gentesque Sclavinorum deprædatus fuisset, haud modicam imperatori deduxit prædam. Imperator autem misso ad Priscum Tatemere, jubet toto illic hiemali tempore commorari Romanos. Quo comperto Romani contradicebant, asseverantes id non posse fieri propter copias barbarorum, et pro eo quod regio esset sibi satis adversa. Priscus vero verbis suasoriis flexit eos ibidem hiemare, jussioremque principis consummare. Tredecimo imperii Mauricii anno, nascuntur prodigia in suburbanis Byzantii, puer videlicet quadrupes, et alter duos vertices habens. Aiunt autem hi qui historias diligenti studio scribunt, non significare bona civitatibus, in quibus nascuntur hujusmodi. At vero imperator Priscum prætura privat, et Petrum fratrem suum prætorem facit Romanæ virtutis. Itaque Priscus quidem virtutibus sumptis, priusquam Petrus pervenisset, transmeat amnem. Chajanus autem transitu Romani exercitus audito valde miratus est, et ad Priscum misit dicere, causam quærens, et prædæ sumere partem, sicque amnem transire. Nimis enim sæviebat super felicitatibus Romanorum. Priscus ergo Chajano misit super hoc legatum, Theodorum videlicet medicum, sagacitate, atque intelligentia perornatum. Iste videns Chajanum magna sapientem, responsionesque jactantius facientem, minas etiam protendentem, cunctarum gentium se esse dominum jactantem, narratione veteri mitigavit barbaricum typhum, ait enim : Audi, Chajane, proficuam narrationem. Sesostris rex Ægyptiorum, illustris, et oppido felix, opibus clarus, et inexpugnabili potentatu, plurimas, et ingentes nationes servituti subegit. Unde et in arrogantiam ruens, curru ex adhærenti sibi auro, et lapidibus pretiosis constructo, sedit super eum, et subjecit jugo de exsuperatis regibus quatuor trahere currum. Cumque hoc fieret in insigni festivitate, unus ex quatuor regibus frequenter vertebat oculum retrorsum, et contemplabatur cum volveretur rota. Quem percontatus Sesostris ait : Cur post tergum obfirmas oculos? Hanc, inquit ille, rotam miror instabilem, atque taliter se moventem, et alias modo excelsa humiliantem, rursusque humiliata exaltantem. At vero Sesostris parabolam intelligenter animadvertens, legem posuit, ne currum reges ulterius traherent. His Chajanus auditis subrisit, et ait se pacem sectari. Priscus autem Chajano reddidit prædam pro transitu, et exuviis omnibus sumptis, sine dispendio amnem transivit. Porro Chajanus his susceptis magnifice laudabatur. Priscus Byzantium venit, et Petrus præturam suscepit. Quartodecimo imperii Mauricii anno,

A jussit imperator Petro prætori, ut tertiam portionem rogæ in auro Romanis acciperet, et tertiam in armis, et aliam tertiam in vestimentis diversis. Itaque Romani hoc audito, ad tyrannidem vertebantur : prætor vero timens satisfaciebat militibus hoc verum non esse, et exhibebat exercitibus alias litteras jubentes sibi, quatenus hi, qui fortia gesserant, et de periculis triumphaverant, in urbe summa requie potirentur, de publicis sumptibus inter senes alendi, pueri vero militum in locis propriorum parentum inscriberentur, talique suadela populum mitigavit, et Cæsarem bonæ famæ præconio laudavere. Hæc autem Petrus imperatori denuntiavit. Cumque venisset Martianopolim, dirigit mille præcessuros, qui repertis Sclavinis, multam ducentibus Romanam
B prædam, hos insequentes occiderunt, multaque præda recepta, Romanica redditur ad rura. Eodem vero anno construxit imperator solarium Manauræ rotundum, et in medio atrio ejus statuam suam statuit, et illic posuit armamentum. Quindecimo imperii Mauricii anno Petro venationem exercenti sus agrestis obviam occurrit, pedemque illius ad arborem conquassavit, et importabilibus doloribus multo tempore languit. Ast imperator litteris pessimis, et improperiis gravibus ei detraxit, audito, quod multæ gentes Sclavinorum contra Byzantium motæ fuerint. Petrus vero coactus Novas pervenit. Illi vero, qui erant de civitate, una cum ignobilibus militibus, et episcopo obviam veniunt, quos prætor intuitus, et arma eorum, ac formidinem admiratus,
C jubet urbe dimissa Romanæ misceri catervæ. Milites autem ad civitatis custodiam ordinati hoc agere renuerunt. Tum prætor in furorem versus destinavit Genzonem, una cum multitudine militum. Qui hoc agnoscentes confugerunt in ecclesiam, et clauso ostio templi perseverabant. Genzo vero pro reverentia templi recessit inefficax. Petrus autem iratus Genzonem a prætura deponit, et misso Scribone ignominiose ad se episcopum jubet adduci. Porro cives collecti Scribonem cum dedecore urbe depellunt. Cujus obseratis portis, Mauricium quidem imperatorem laudibus efferunt, prætorem autem conviciis cumulant, sicque cum opprobrio Petrus inde recessit. Præmittit præterea
D mille ad explorandum, qui Bulgares consequuntur numero mille. Verum Bulgares confisi super pace Chajani securi pergebant. Romani autem in Bulgares impetum fecerunt. Qui mittunt viros septem, commonentes pacem minime dissolvendam. Hoc audientes hi qui præcucurrerunt, significant hæc prætori, qui dixit : Nec si imperator venerit, his parcam. Congressione vero belli facta Romani vertuntur, sed barbari non sunt persecuti eos, ne vincentes discrimen incurrerent. Porro prætor taxiarchum præcurrentium flagellavit. Et hoc comperto Chajanus destinavit legatos ad Petrum, inceptionem incusans, et quod Romani justam pacem sine causa dissolverent. At vero Petrus verbis seductoriis usus, non se scisse motionem affirmat, duplicia tamen dare spolia pro

Digitized by Google

curat. Sicque barbari amissis spoliis dupla sorte recepti, paci consulunt. Petrusque contra exarchum Ardagastum properat, et barbari circa ripam fluminis huic obvii facti prohibebant transire. Romani vero a fretis sagittantes, hos vertunt, quibus in fugam conversis, percutitur illico Ardagastus, et moritur. Transeuntes autem Romani prædam multam ceperunt, et ad propria remeabant, errantibusque ductoribus, et in inaquosa incidentibus loca, periclitabatur exercitus. Porro cum iter agerent, noctu veniunt ad amnem Helicium dictum. Cum vero trans flumen essent barbari ripis absconditi, eos qui hauriebant aquam, jaculabantur. Igitur magna molestia Romanis effecta militiis, in fugam vertuntur a barbaris debellati. Verum Mauricius his auditis, Petrum prætura privavit, et Priscum prætorem Thraciæ denuo misit.

Anno decimo sexto imperii Mauricii, Priscus prætor egressus in Thracem, virtutes enumeravit exercitus, et invenit quod ex eis multitudo fuerit consumpta. His autem sumptis, venit ad Istrum flumen, et Novas. Quo cognito Chajanus misit legatos, causam ipsius sciscitatus adventus. Priscus autem venationis causa se venisse fatebatur. Ast Chajanus : Non est justum, inquit, in alieno loco venari. E contra Priscus suum dicebat locum, et ei fugam ex Oriente improperabat egisse. Barbarus autem Sigidonis muro destructo, ad Romanorum terras profectus est. Quo cognito Priscus venit ad insulam Istri, et dromonibus sumptis ad Chajanum apud Constantiolam venit volens loqui cum eo. Cumque Chajanus ad oram fluminis venisset, Priscus eum tristis alloquitur. Chajanus autem dixit ad eum : Quid tibi, Prisce, ac terræ meæ? An hanc vis accipere [a] de manibus meis? Judicet Deus inter me et Mauricium imperatorem, et requirat sanguinem exercitus Romanorum, et exercitus mei de manibus ejus. E contra Priscus : Sigidonem, inquit, civitatem redde Romanis. Qui ait : Unam civitatem a nobis conaris accipere? Videbis post paululùm quinquaginta civitates Romanas Avaribus servitute redactas. Priscus autem per amnem navibus Sigidoni exhibitis, hanc depopulatus est, et ex ea Bulgares pepulit. Septimo decimo imperii Mauricii anno coacervatis virtutibus Chajanus in Dalmatiam properat, et cum venisset Balcham, quadraginta civitates, quæ circa eam sunt omnes, depopulatus est. Quibus Priscus agnitis, Gudoni ad explorationem rerum direxit, qui in valle occultabatur pusilla, et diluculo in dorsa eorum advectus, illico cunctos peremit, et acceptam prædam adduxit ad Priscum. Porro Chajanus, infortunio comperto, in regionem suam regressus est, et Priscus ad propria. Anno decimo octavo imperii Mauricii, sumptis virtutibus, Priscus Sigidonem venit. Chajanus vero, congregato proprio potentatu, subito Mysiæ adest, et Comeam urbem capere nititur. Propterea Priscus, Sigidone relicta, huic efficitur proximus. Cum autem Paschalis festivitas haberetur, et Romani fame tabe-

A scerent, audiens Chajanus, Prisco significabat ut sibi plaustra mitteret ad deportanda illis alimenta, quatenus cum hilaritate propriam festivitatem celebrarent. Quadraginta itaque plaustra plena his mittit. Pari modo et Priscus species Indicas barbaro quasdam remisit, piper videlicet, et folium Indicum, et costum, et casiam, atque alia ex his quæ quæruntur, cum Chajanus apud Sirmium resideret, qui receptis his, gavisus est valde in eis, et donec compleretur dies festus, Romani ac barbari simul habitabant, et non erat in utrisque virtutibus timor. Cumque fuisset dies festus, barbari separati sunt a Romanis, et Diriziperam venientes civitatem depopulati sunt, et Sancti Alexandri ecclesiam incenderunt, sepulcrumque illius argenteo tecto coopertum spoliant. Sed et
B injuriis quoque martyris corpus afficiunt, multamque in Thrace prædam capientes epulabantur splendide contra Romanos elati. Cumque Commentiolus venisset Byzantium, maxima urbi turbatio et æstus incubuit, ita ut timore detenti, consilium caperent Europam deserendi, et in Asiam, et Chalcedoniam migrandi. Quin et imperator excubitoribus, armatoque ac electo cuneo sumpto murum munivit. Vulgus autem urbem custodiebat, et senatus commonebat imperatorem legationem ad Chajanum mittendi. Deus autem vindictam martyris faciens Alexandri, pestilentiam languoris barbaris intulit, et in uno die septem filios Chajani per febrem, et inguinariam passionem occidit, una cum aliis [b] turpibus multis,
C ita ut post triumphale gaudium cum carminibus, et canticis, lamentationes, et lacrymæ, et luctus sine consolatione possideret barbaros. At vero senatus rogabat Cæsarem legationem ad Chajanum mittendi. Imperator autem Armazonem misit ad Chajanum cum mulieribus multis Dirizipera, qui verbis militibus blandiretur. At ille nolebat dona suscipere, lamento intolerabili filiorum morte detentus. Dicebat autem ad legatum : Judicet Deus inter me et imperatorem Mauricium. Ego vero captivos ei reddo, per unam animam [c] unum numisma percepturus ab eo. Mauricius autem id dare minime passus est. Iterum Chajanus petiit, per singulas animas unum accipere nummum. At imperator nec sic dare consensit. Sed [d] nec in quatuor siliquis. Tunc Chajanus, commotus
D furore, omnes occidit, et ad propria rediit, cum quinquaginta millia aureorum pactis Romanis imposuisset. Quin et Istrum flumen non se transiturum professus est. Ex hoc itaque contra Mauricium imperatorem multum commotum est odium, et cœperunt hunc subjicere maledictis. Similiter et populus apud Thracem conviciis contra imperatorem commotus est. Exercitus autem procuratores ad imperatorem contra Commentiolum direxit, quod proditionem in prælio fecerit. Inter quos etiam erat Phocas, qui imperatorem allocutus severius, huic in concilio contradicebat, ita ut quidam ex patriciis hunc alapa percuteret, et barbam ejus evelleret. Verum impera-

[a] Al., *per mendacium, et de.*
[b] Al., *turbis.*

[c] Niceph., *duo.*
[d] Ἀνὰ κεράτια δ'.

Digitized by Google

tor non suscepit adversum Commentiolum populi querimoniam, sed hos inefficaces deseruit, propter quod insidiarum in principem exordium sumitur. Præterea per idem tempus apud Ægyptum in Nilo flumine, Mena præfecto, una cum populo deambulante, in loco qui Δέλτα nominatur, sole orto animalia humanæ formæ apparuerunt in flumine, vir scilicet et mulier. Et vir quidem erat pectorosus, vultuque terribilis, ruffa coma, canisque permistis, et usque ad lumbos denudabat naturam, et cunctis demonstrabatur nudus, reliqua autem corporis membra cooperiebat aqua. Hunc præfectus juramentis constrinxit ne destrueret aspectum, priusquam omnes saturati fierent hoc inopinato spectaculo. Porro mulier, et mamillas habebat, et femineum vultum, cæsariesque prolixas, et usque ad horam nonam omnis populus mirabatur, videntes hæc animantia, quæ hora nona in flumen demersa sunt. Sane Menas imperatori Mauricio hæc scripsit. Anno imperii Mauricii decimo nono, die autem Paschæ, Sophia Augusta uxor Justini, una cum Constantina Mauricii conjuge, stemma constructum attulerunt imperatori. Qui hoc contemplato pergens in ecclesiam, id obtulit Deo supra sancta in mensa suspendens in triplicibus catenulis lapidibus, et auro contextis. At vero Augustæ, hoc comperto, tristatæ sunt valde, et in jurgio adversus imperatorem Constantina festum diem fecit Augusta. Cum autem imperator non attenderet militiarum querelas in Thrace positarum, iterum Commentiolus assumptis armatis venit ad Istrum, et unitur Prisco apud Sigidonem, et solvitur pax, quæ ad Avares erat. Qua dissoluta veniunt in Viminacium, quod est insula magna Istri. Quibus auditis Chajanus collectis potentatibus ad Romanica procedit rura. Quatuor ergo filios suos traditis aliis virtutibus ad custodienda vada Istri constituit. At vero Rom. ratibus factis, fluvium transmearunt, et prætore Prisco bellum cum filiis Chajani inierunt. Commentiolus enim infirmatus in Viminacio sedebat insula. Cumque multas horas bellum tenuisset, et trecentis jam Rom. interemptis sol occubuisset, quatuor millia barbarorum intereunt. Similiter et tertia die præliantes, ab excelsioribus Rom. ad barbaros accesserunt, hosque vertentes ad stagnum, atque pellentes Avares, multos necaverunt ex illis. Inter quos, et filii Chajani necati sunt, illustremque victoriam Rom. induerunt. Chajanus vero coacervatis viribus copiosis contra Rom. progreditur. Bello autem manente, vertunt Romani barbaros, et hanc omnibus insigniorem retulere victoriam. Interea Priscus quatuor millibus præmissis, Tyrso amne transmisso, barbarorum explorare motus præcepit. At vero nil eorum quæ facta fuerant barbari cognoscentes festum diem concelebrant, et pariter convivantur. In hos clanculo Romani incidentes maximum operati sunt metum. Triginta quippe millia Gepidorum, barbarorumque aliorum occiderunt, et copiosa præda comprehensa revertentur ad Priscum. Chajanus autem rursus potentatibus cumulatis, venit ad Istrum, et inito bello

A barbari superantur, et in amnis fluentis necantur, pereuntque cum his plurimi quoque Sclavinorum. Vivos autem obtinuerunt Avarum quidem tria millia, Sclavinorum vero octingentos, et Gepidum tria millia ducentos, nec non et duo millia barbarorum. Porro Chajanus ad imperatorem Mauricium legatos misit captos recipere nisus. At ille nondum comperta inclyta Romanorum victoria, scribit Prisco, ut Avares tantum Chajano redderet. Eodem anno quidam vir monachico circumamictus habitu, et in religione clarus, spata denudata a foro usque ad æneam gladiatoris statuam discurrens, imperatorem omnibus in occisione gladii moriturum prædixit. Similiter et Herodianus Mauricio manifeste quæ sibi fuerant ventura prædixit. Imperatore vero noctu discalceato lita-

B niam cum tota urbe agente, et transeunte ad Carpiana loca, tumultuantes quidam ex multitudine contra imperatorem lapidibus jaciunt, ita ut vix imperator cum Theodosio suo salvaretur, et orationes compleret apud Blacernas. Anno vero imperii sui vicesimo, Mauricius in se reversus, et sciens, quod nihil Deum lateat, sed omnibus reddat secundum opera ipsorum, et recogitans excessum, quem in captivitate perpetraverat, non redimens eam, expedire judicavit in hac vita se recipere pœnam pro peccato, et non in futura, et factas preces in scriptis transmisit ad omnes patriarchales sedes, et ad omnes civitates sibi subjectas, et ad monasteria quæ sunt in eremo, et in Jerosolymis, et ad lauros pecunias, et cereos, et incensa, ut orarent pro se, quod hic reci-

C peret, et non in futuro sæculo. Scandalizabatur autem et in Philippicum generum suum, quod in philiteram nominaretur. Porro Philippicus diverse jurabat imperatori, quod purus esset in servitio ejus, et apud se nullum dolum haberet. Cumque Mauricius supplicaret Deo misericordiam præstandi animæ suæ, quadam nocte dormiens, in visu ante æneam palatii portam imagini Salvatoris se vidit assistere, et copiosum populum pariter assistentem. Tunc facta est vox ex charactere magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, dicens : Date Mauricium. Et tenentes eum judiciorum ministri, exhibuerunt ante purpureum umbilicum, qui illic erat, et ait ad eum propria voce : Ubi vis reddam tibi, hic, an in futuro sæculo? Quo audito, ille respondit : Amator hominum Do-

D mine, et judex juste, hic potius, et non in illo sæculo. Et jussit divina vox tradi Mauricium, et Constantinam uxorem ejus, et filios, et omnem cognationem domus ipsius Phocæ militi. Expergefactus ergo Mauricius, vocatum eum qui coram se dormiebat, misit ad Philippicum generum suum, ut celeriter eum duceret ad se. Cumque ille abiisset, vocavit eum. Qui consurgens advocata uxore sua Gordia osculatus est dicens : Salve, jam non me videbis. Quæ exclamavit cum fletu magna voce ad paracœmumenum dicens : Adjuro te per Deum, quæ est hæc causa, ob quam quærit hac hora? At ille juravit se ignorare, quia repente de somno exsurgens imperator misit me. Philippicus ergo quæsivit corpus Christi perci-

Digitized by Google

pere, et sic ad imperatorem properare. Uxor autem ejus jacebat in terra se volutans, et plorans, et Deum exorans. Ingressus vero Philippicus cubiculum regium, projecit se ad pedes imperatoris. Imperator autem dicit ei : Ignosce mihi propter Dominum, quia peccavi tibi. Nam usque nunc scandalizabar in te; et jubens exire paracœmumenum surrexit, et cecidit ad pedes Philippici, dicens : Ignosce mihi, quia modo certissime scio, quia nihil peccaveris in me. Sed dic mihi : Scis aliquem inter agmina nostra Phocam militem? At vero Philippicus recogitans dicit ei : Unum agnosco, qui ante modicum tempus procurator ab exercitu destinatus, contradicebat imperio tuo. Ast imperator ait : Cujus est qualitatis? Qui ait : Juvenis, et temerarius, sed tamen timidus. Tunc Mauricius : Si timidus, inquit, profecto et homicida. Et referebat Philippico somnii revelationem. Porro nocte illa visa est stella in cœlo, quæ dicitur cometa. In crastino autem venit Magistrianus, qui missus fuerat ad sanctos eremi Patres, ferens responsa ab eis hujusmodi : Deus recepta pœnitentia tua salvabit animam tuam, et cum sanctis cum tota domo tua te constituet : ab imperio vero cum ignominia et discrimine discedes. His auditis Mauricius glorificavit magnifice Deum. Igitur autumni tempore accedente, cum Mauricius imperator jussisset Petro, ut in Sclavinorum regione hiemaret populus, restiterunt Romani hoc facere non consentientes, tam propter equorum humiliationem, quam quod copiosam circumducerent prædam, necnon et ob multitudines barbarorum, quæ per regionem diffusæ noscebantur, et seditionem meditati sunt. Prætor autem indignatus contra populum [a] indemnatione eos dimisit. Incidunt itaque pluviæ creberrimæ super populum, et frigus multum. Petrus autem viginti millibus procul ab exercitu morabatur. Mauricius autem Petro per litteras molestus erat, ut Istrum transiret, et hiemales escas populi de Sclavinorum sumeret regione, ne alimenta publica cogeret præstare Romanis. Prætor vero accersito Gadim ait : Nimis mihi gravia videntur imperatoris præcepta in aliena terra hiemare Romanos jubentis. Nam illi non obaudire sævum est, et rursus obaudire sævissimum. Nullum bonum parat avaritia, mater autem omnium malorum consistit, qua imperator languens, horum causa maximorum malorum Romanis efficitur, accersitisque populi taxiarchis, imperatoris intentionem eis aperuit. Populus autem, hoc audito, seditiones concitaverunt, et insignes quidam principes ex eis fugientes ad prætorem venerunt. Porro multitudines in unum congregatæ provehunt Phocam centurionem exarchum, et super clypeum hunc exaltatum, laudibus exarchum acclamaverunt. His Petrus auditis in fugam versus est, et omnia imperatori manifestavit. Ast imperator his difficilibus auditis, ea multitudines celare tentabat. Secunda vero die ludum

A celebravit equestrem, incommoda infelicitatis occultans. Vulgus autem Prasinorum clamabat, Constantinus, inquiens, et Commentiolus, Romanorum ter Auguste, plebi tuæ molestias ingerunt, ut cruces his ponantur in ea quæ habemus peccata. Deus, qui omnia condidit, subjiciat tibi omnem inimicum, et hostem tam intestinum, quam externum sine sanguine. At vero imperator plebibus intimabat : Nil vos, inquiens, turbet irrationabilium militum immoderatio, et inquietudo. Veneti autem dixerunt : Deus, qui sivit te imperare, subdat tibi omnem, qui imperium tuum impugnat. Et si Romanus est, qui fide rupta terga vertit a te, hunc tibi in servitutem redigat absque sanguine. Hos imperator armans, et sermonibus blandis compescens, una cum
B demarchis muros urbis custodire præcepit. Præterea filio imperatoris Theodosio, una cum Germano socero suo, apud Callicratiam venationes exercente, mittunt Romani litteras ad Theodosium ab eo imperari poscentes : sin autem, saltem Germanum imperatorem pronuntiandum. Neque enim nos, aiunt, imperari a Mauricio de cætero patiemur. His Mauricius compertis accersit ad se filium. Commentiolum vero muros observare præcepit, Germanum autem una cum filio accusabat harum fuisse calamitatum auctores. Cumque Germanus se excusare niteretur, Mauricius ait : O Germane, duo sunt argumenta suspicionis meæ, populi scilicet ad te litteræ, et quod cuncta depasti sunt, et nullis, exceptis tuis, pepercerunt. Parce, Germane, prolixum
C faciendi sermonem. Nihil suavius quam per gladium mori. Sane Germanus templum Dei Matris, quod appellatur Cyri, fugit. Quod cum imperator didicisset, Stephanum eunuchum direxit ad Germanum ab ecclesia educendum. Cumque Stephanus violenter hunc educere voluisset, fautores Germani resistentes expellunt Stephanum, et accipientes Germanum in ecclesiam magnam effugiunt. At vero imperator cædebat virgis filium suum Theodosium, asserebat enim Germanum per eum fuisse fugatum, et mittit excubitores a magna ecclesia educendi Germanum. Hinc magnus rumor urbi incubuit. Germanus autem egredi, et dare se voluit. Verum hunc multitudines exire minime permiserunt, sed magnis conviciis
D imperatori derogaverunt dicentes : Non habeat pellem, qui te amat, [b] Marcionista. Igitur qui muros custodiebant, his compertis, custodiam negligentia prodiderunt. Mauricius autem exutus media nocte imperatoria stola, et privata circumamictus, dromonem ingressus cum uxore, filiisque suis, et Constantino, fugam arripuit. Copiæ vero per totam noctem pessimis injuriis imperatorem appetebant, sed et Cyriacum patriarcham reprehendebant. Turbine itaque ingenti sæviente, cum ingentibus periculis apud sanctum Autonomon salvatur Mauricius. Nocte vero superveniunt ei etiam dolores arthritici, quos manuum dolores vocant, et pedum. Porro mittit

[a] Fr. Pith., *in dementationem*. P. Pith., *in dementationi*.

[b] Al., *Maurici*.

Theodosium filium suum cum Constantino ad Chosdroen regem Persarum, ut recordaretur eorum quæ sibi facta fuerant a se, et vicissitudinem beneficii sui rependeret filio suo. Germanus autem mittit ad Sergium demarchum Prasinæ partis, ut auxiliaretur sibi gratia imperandi, repromittens se partem Prasini honoraturum, ipsumque magnis dignitatibus elaturum. At vero Sergius hoc insignibus vulgi confessus est, qui minime id admiserunt, fatentes nunquam Germanum ab amore recedere Venetorum. Prasini vero exeuntes in regiam magnis laudibus tyrannum Phocam efferebant, et persuadent ei venire Septimium. Dirigit igitur Phocas Theodorum a secretis, qui ingressus magnam ecclesiam, coram populo legit, ut tam patriarcha, quam senatus, et vulgus venirent in Septimium. Hoc igitur facto, et cunctis convenientibus apud Septimium, tunc patriarcha Cyriacus a tyranno de orthodoxa fide, et ut sine perturbatione servaret Ecclesiam, extorsit professionem. Visus vero est Germanum tyrannus adhortari. Cumque Germanus nolle se simularet, et vulgus tyrannum laudaret, pronuntiatur malus, et dominus sceptrorum tyrannus provehitur: et prævalet adversus felicitatem calamitas, et sumunt principium magna infortunia Rom. Denuntiatio vero tyranni in templo Sancti Joannis Baptistæ effecta est, ubi duobus moratus diebus, tertia die introivit regalia, super imperialem sedens carrucam. Porro quinta die coronavit Leontiam uxorem suam Augustam. Hac igitur die tumultuantur partes ad invicem propter stationes locorum. Tyrannus vero Alexandrum correbellem suum misit partes compescere. Alexander vero in Cosman Venetorum demarchum manus immittens pepulit eum, et contumeliis laceravit. Porro Veneti indignati clamabant: Vade, disce ordinem, Mauricius non est mortuus. At vero tyrannus his auditis in necem Mauricii commovetur, et missis militibus, duxit eum Chalcedonem ad Eutropium portum, et primo quidem cruciavit eum in cædibus filiorum, post imperatorem punit. Nam quinque filii ejus mares coram visibus illius præocciduntur. Verum Mauricius patienter infelicitatem sustinens, Deum in omnibus invocabat, et crebro pronuntiavit dicens: Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Fit itaque mors filiorum epitaphium patris, præostendens virtutem in mole calamitatis. Cumque nutrix unum ex imperatoris pueris furata fuisset, suumque pro eo interemptioni obtulisset, Mauricius non annuit, sed suum requisivit. Aiunt itaque quidam, quod eo occiso lac cum cruore fluxerit, ita ut omnes inspicientes dire lamentarentur. Sic ergo imperator naturæ legibus etiam celsior factus, vitam commutat. Porro ex illo tempore non defuerunt imperio variæ, ac ingentes ærumnæ. Denique et Chosdroes Persarum rex pacem dissolvit, et Avares Thracem devastarunt, atque Romanorum exercitus uterque depopulatus est. Ita ut cum Heraclius regnaret, et inquisitionem armatorum cum summa diligentia faceret, ex omni multitudine illa, quæ inventa fuerat in tyrannide Mauricii cum Phoca, neminem exceptis duobus ullatenus inveniret.

## PHOCAS.

Anno ab Incarnatione Domini 595, Phocas tyrannus peremit Mauricium, ut prædictum est, una cum masculis quinque pueris ejus, et horum capita jussit poni [a] in campo tribunali diebus multis, et exivit ab urbe, et contemplabatur ea, usquequo fetorem dederunt; interficitur autem et Petrus frater ejus, et alii proceres multi. Theodosium vero filium ejus sermo tenet lapsum, et ita salvum repertum. Præterea Chosdroes Persarum rex famam hanc augmentavit, aliud aliterque mentitus, et hunc apud se dicens quasi providere se, Romanorum sperans obtinere imperium. Et convictus est multis modis, maxime vero ex eo, quod bella repentina moveret, et Romanas res magnopere devastaret. Interea Calligraphus quidam Alexandriæ, venerabilis vir, ex matutina vigilia domum vadens media nocte videt statuas [b] ex metallo æris abstractas, et voce grandi dicentes interemptum Mauricium, et filios ipsius, atque omnes casus, qui apud Byzantium fuerant gesti. Mane vero facto pergens hæc [c] Augustali retulit, qui præcepit ei nulli hæc manifesta facere, scribensque diem præstolabatur exitum: die vero nona prætereunte, ecce nuntius venit indicans Mauricii interemptionem. Tunc Augustalis dæmonum vaticinium coram populo publicavit. Narses autem prætor quondam Romanus contra tyrannum rebellionem paravit, Edessamque obtinuit. Scribit itaque Phocas Germano prætori Edessam obsidenti. Narses vero scribit Chosdroi regi Persarum congregandi virtutes, et bellum constituendi contra Romanos. Porro Phocas fratrem Domentiolum fecit magistrum, et Priscum comitem excubitorum. Anno imperii Phocæ secundo Chosdroes rex Persarum collectum copiosum potentatum adversus Romanos direxit. Germanus autem timuit, verum coactus prælium inivit. Qui cum in eo vulneratus fuisset, hunc ministri, usque ad civitatem Constantiæ duxerunt, superanturque Romani. Sed et Germanus undecima die spiritum exhalavit. Phocas autem potentatus ab Europa in Asiam transtulit, Chajano pactis additis, arbitratus Avarum quiescere nationes. His ergo divisis, quosdam contra Persas misit, quosdam vero ad obsidionem Edessæ contra Narsen cum Leontio spadone, et magnate suo direxit. Chosdroes autem, collectis potentatibus, apud Daras efficitur. Porro Narses egressus Edessam Hierapolim fugit. Interea Chosdroes cum Romanis fit penes Ardumum, et munitione de elephantis constructa, bellum iniit, et victoria magna potitus est, captis Romanis non paucis, quos et capitis recisione punivit. His itaque gestis, Chosdroes ad terram suam regressus

[a] Ἐν τῷ κάμπῳ τοῦ τριβουναλίου.

[b] Vide Niceph. xviii, c. 11 et Cedren. Codex Ms., ex æris. F. Pith. Ms., *ex metallo*, *æris*.

[c] Αὐγουσταλίῳ.

est, Zongoi potentatibus relictis. Hoc comperto Phocas contra Leontium furit, et manicis ferreis eum ignominia Byzantium ducit, et creat prætorem Domentiolum nepotem suum, et curatorem palatii facit. Anno imperii Phocæ tertio, misit Chosdroes Cardarigam et Rusmaysan, qui depopulati sunt terras Romanorum. Domentiolus vero verbo dato Narsi, juramentisque non paucis credere persuasit, quod nullam injuriam apud Phocam esset passurus, et direxit eum ad Phocam. At vero Phocas hoc verbum minime servans, igne cremavit eum. Romani ergo hinc plurimum tristes effecti sunt, quod timorem magnum in Persas idem Narses haberet, adeo ut filii Persarum audito ipsius nomine tremerent. Porro Persæ gavisi sunt gaudio magno. Anno imperii Phocæ quarto, Scolasticus eunuchus, vir gloriosus palatii, Constantinam dominam cum tribus filiabus ejus accipiens, ad magnam ecclesiam confugit, consilio Germani patricii desiderantis imperium. Fit igitur seditio magna in urbe. Germanus autem demarcho Prasinorum talentum auri misit, ut cooperaretur ei, primores autem vulgi id admittere noluerunt. At vero tyrannus in ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinavit. Sane patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minime passus e templo tyrannice abduci mulieres. Verum juramentis certo eo reddito a Phoca, quod non læderet eas, educuntur e templo, et clauduntur in monasterio. Præterea eodem anno Persæ ceperunt Daras cum tota Mesopotamia, et Syria, captivitate multa, cujus non est numerus, facta. Anno imperii quinto Phocas filiam suam Domentiam Prisco patricio, et comiti excubitorum junxit, et factis in palatio Marni c nuptiis jussit fieri ludum equestrem. [a] Demarchi autem utriusque partis apud quatuor columnas cum imperialibus signis statuerunt Prisci, ac Domentiæ signa. Quibus auditis imperator iratus est, et mittens adduxit demarchos, Theophanem scilicet et Pamphilum, et statuens nudos, jussit eos decollari. Cum enim misisset protocursorem, ut interrogaret eos, quo præcipiente fecerint hoc, dixerunt, quia secundum consuetudinem [b] lineatoris fecerunt. Porro lineatores, sive mensores interrogati, quam ob rem id fecerint, dixerunt, quia cum imperatores ab omnibus nominati sunt, hoc a nobis ipsis fecimus. Sane Priscus timore tenebatur, ne forte imperatoris iram incideret. Turbis autem clamantibus veniam concedi sibi, veniam dedit Phocas. Ex tunc ergo Priscus indignationem passus, non erat recte cum Phoca. Interea quædam mulier Petronia nomine, fit imperatrici Constantinæ ministra, quæ ad Germanum responsa ferebat. Porro cum fama dilataretur, quod Theodosius Mauricii filius viveret, spem bonam tam Constantina, quam Germanus habebat. At vero scelesta Petronia hæc tyranno manifesta fecit. At tyrannus Constantinam [c] Theoprepio exarcho ad torquendum prodidit. Quæ dum torqueretur, Romanum patricium nosse interlocutiones suas confessa est. Qui comprehensus, atque discussus, etiam alios fore in insidias tyrannidis sibi cooperatores perhibuit. Comprehensus est autem Theodorus Orientis præfectus, quem tyrannus interemit, Helpidiique [d] pedes præcidens, hunc tradidit igni, Romanumque decollavit. Porro Constantinam cum tribus filiabus in loco ubi Mauricius interemptus est, gladio trucidavit. Germanum autem, et ejus filiam ore machæræ occidit. Similiter et Joannem Gizan patricium, et Theodosium, qui [e] Subdivæ dignitate habebatur insignis, et Andream [f] Sanctocrobem, et David chartophylacem Hormisdæ. Eodem anno Persæ transmeantes Euphraten, totam Syriam, et Palæstinam, et Phœnicen depopulati sunt, multo in Romanis excidio perpetrato. Anno vero imperii Phocæ sexto Priscus intueri non sustinens tam injusta homicidia, quam cætera mala, quæ a Phoca patrabantur, scripsit ad Heraclium patricium, et prætorem Africæ, quo Heraclium filium suum et Nicetam filium Gregoræ patricii subprætorem suum mitteret, quatenus contra Phocam tyrannum venirent. Audiebat enim eum rebellionem meditari in Africa, unde nec navigia hoc anno Constantinopolim conscenderunt. Occidit autem Phocas omnem cognationem Mauricii, et Commentiolum Thraciæ prætorem, et alios multos. Facta est etiam mortalitas in anno isto, et inopia omnis speciei. Præterea Persæ, una cum Cardariga egressi ceperunt Armeniam, et Cappadociam, pugnantesque Romanorum verterunt militias, ceperuntque Galatiam, et Paphlagoniam, et venerunt usque Chalcedonem, sine parcitate depopulantes omnem ætatem. Et hi quidem foris portam Romanis tyrannidem inferebant. Phocas vero his pejora intrinsecus patrabat occidens, atque captivans. Anno imperii Phocæ septimo Antiocheni Judæi, simultate inquieta commissa contra Christianos, occidunt Anastasium Magnum patriarcham Antiochiæ, mittentes naturam ejus in os ejus, et post hæc trahentes eum in plateam urbis. Interfecerunt autem et civium multos, et incenderunt eos. Phocas vero fecit comitem Orientis Bonosum, et Cbotin magistrum militum, et transmisit eos adversus illos, et non valuerunt sedare inquietudinem illorum. Coacervantes vero exercitus irruerunt in illos, et plurimos occiderunt, et quosdam eorum detruncatis artubus, ab urbe reddiderunt extorres. Phocas autem fecit Circensem ludum, et Prasini conviciis eum lacessere clamantes: Iterum in [g] gabasta bibisti? iterum sensum perdidisti? Et jussu Phocæ Comas præfectus urbis multos ex eis detruncavit, quosdam vero decollavit, nonnullos autem in saccos missos mari necavit. Porro Prasini coacervati miserunt ignem in prætorium, et incenderunt curiam,

[a] Zonar. δημάρχους interpretatur *tribunos plebis*, male.
[b] Al., *lineatiræ*.
[c] Al., *Theoprecepio*.
[d] Al., *verberans manus, ac pedes*.
[e] Al., *Subadiuvæ*.
[f] Al., *Scombram*. Al., *Scombrum*.
[g] Niceph., xviii, c. 43, *Gabatha*.

et scrinia, et carceres, ex quibus egressi vincti fugerunt. Hinc iratus Phocas, [a] non eos militare jubet. Porro Heraclius prætor Africæ molestias perpetiens a senatu, vocavit filium suum Heraclium contra Phocam tyrannum mittendum. Verum et subprætor ejus Gregoras misit per aridam Nicetam filium suum, statuentes ut quicunque ex his præveniret, et tyrannum superaret, imperium sumeret. Hoc vero anno hiems enormis efficitur, ita ut maris mollities in glaciei duritiam verteretur. Tum Phocas Macrobium [b] Scribonium jussit sagittari apud Septimium, pendentem in lancea, in qua tirones exercebantur, quasi conscium insidiarum suarum. Theodorus enim præfectus Cappadox, et Helpidius præpositus armamenti, et alii diversi consilium fecerunt in hippodromo Phocam occidendi. Et facto prandio Theodorus [c] præpositus prætori cœpit eis texere intentionem suam.

A Contigit autem illic inveniri Anastasium comitem largitionum. Prandio ergo facto, et enarratis his quæ insidiarum erant, pœnituit Anastasium illic se repertum, et non dixit quæ cordi suo inerant, sed siluit. At vero Helpidius perdurabat dicens : Non vultis ut cum sederit in solio super hippodromum, hunc comprehendam, et evellam oculos ejus, et sic eum interficiam? Et pollicebatur eis dare currus. Re præterea Phocæ nota ex proditione Anastasii facta, jussit præfectum, et Helpidium, et primores qui sciverant rem, cum omni diligentia discuti. Cumque discuterentur quæ insidiarum fuerant confessi sunt, et quod Theodorum voluerint facere principem. Porro Phocas jussit decollari Theodorum, Helpidium, Anastasium, et cæteros qui insidias suas co- B gnoverant.

[a] Al., *non militare Prasinos jubet.*
[b] Al., *Scribonem.*
[c] P. Pith., *præfectus prætorio.*

# LIBER DECIMUS OCTAVUS.

## HERACLIUS

Anno ab Incarnatione Domini 602, Heraclius in Africa imperator appellatus, venit cum navibus castellatis, habentibus intra se arculas, et imagines Dei matris, quemadmodum pyxides. [a] Georgius quoque perhibetur ducens exercitum copiosum ab Africa et Mauritania venisse. Similiter et Niceta filius Gregoræ patricii per Alexandriam et Pentapolim, habens secum multum populum pedestrem. Desponsaverat autem Heraclius Eudochiam filiam Rogati Afri, quæ illo tempore Constantinopoli erat, una cum Epiphania matre Heraclii. Audiens autem Phocas quod mater Heraclii in civitate esset, nec non et Eudochia, quæ sibi fuerat desponsata, tenuit eas, et observavit in dominico monasterio, quod cognominatur Novæ pœnitentiæ. Cum autem abisset Heraclius Abidum, invenit Theodorum comitem Abidi, et sciscitatus ab eo, didicit quæ Constantinopoli movebantur. At vero Phocas misit fratrem suum Domentiolum magistrum ad custodiendos muros longos. Cumque comperisset Heraclium Abidum abiisse, muris dimissis fugit, et introivit Constantinopolim. Porro Heraclius apud Abidum recepit omnes exsules principes, quos ibidem Phocas relegaverat in exsilium, et ascendit cum eis Heracliam. Stephanus autem Cizici metropolites acceptum stemma sanctæ Dei genitricis Mariæ de ecclesia detulit Heraclio. Præterea cum Constantinopolim pervenisset, divertit ad portum Sophiæ, initoque bello, vicit gratia Christi tyrannum. Vulgus autem hunc comprehensum interfecerunt, et igne apud Taurum cremaverunt. Ingressus ergo Heraclius regalia, coronatus est a Sergio patriarcha in oratorio sancti Stephani in palatio sito. Coronata est vero eodem die Eudochia sponsa ejus in Augustam, et accepit uterque a Sergio patriarcha nuptiarum coronas, et uno eodemque die imperator simul et sponsus ostenditur. Mense vero Maii castra moverunt Persæ contra Syriam, et [b] ceperunt Capessam, et Edessam, et venerunt usque Antiochiam. C Porro Romani occurrentes eis superati sunt, et periit omnis populus Romanorum, adeo ut valde pauci ex his evaderent. Anno vero imperii Heraclii secundo, ceperunt Persæ Cæsaream Cappadociæ, et plurima ex ea captiva duxerunt millia. Heraclius autem imperator invenit dissoluta reip. negotia. Siquidem Europam Avares reddidere desertam : Asiam vero totam Persæ exterminaverunt, et civitates desolaverunt, et Rom. in bellis exercitum interemerunt. Quibus visis hæsitare cœpit quid ageret : scrutans exercitum si forte salvus existeret, duos tantum invenit ex omnibus his, qui cum Phoca contra Mauricium in tyrannide militarunt. Eodem anno natus est imperatori filius de Eudochia Heraclius minor, qui et Novus Constantinus appellatus est, et mortua est D Augusta eadem indictione quinta decima. Tertio anno imperii Heraclii coronata est Epiphania filia Heraclii a Sergio patriarcha in Augustam in oratorio palatii. Eodem vero prima indictione coronatus est Heraclius junior filius Heraclii, qui et Constantinus, a prædicto patriarcha. Eodem anno Saraceni etiam aciem contra Syriam direxerunt, et exterminatis nonnullis vicis reversi sunt. Anno imperii Heraclii 4, ceperunt Persæ Damascum, et captivum duxerunt populum multum. Heraclius autem imperator, legatis ad Chosdroen missis, rogavit eum ut parceret hominum sanguinem immisericorditer fundere, et definiret tributa, et acciperet pacta, qui legatos inefficaces dimisit, nulla eis reddita ratione, sperans compre-

[a] Al., *ut Georgius quoque perhibet.*
[b] Al., *ceperunt Apamiam.*

hendere Rom. modis omnibus principatum. Porro Heraclius eodem anno duxit inceste Martinam neptem suam uxorem, et pronuntiavit eam coronatam a Sergio patriarcha. Anno quinto imperii Heraclii ceperunt Persæ Jordanem bello, et Palæstinam, et sanctam civitatem, et multos in ea per Judæorum manus interfecerunt, id est, ut quidam aiunt, millia nonaginta. Isti enim ementes Christianos, prout unusquisque habere poterat, occidebant eos. Zachariam vero Jerosolymitanum præsulem comprehensum, et pretiosa, et vivifica ligna cum multa præda adduxerunt in Persidem. Eodem anno natus est imperatori Constantinus alius, et baptizatus est in Blacernis a Sergio patriarcha. Anno imperii Heraclii sexto ceperunt Persæ totam Ægyptum, et Alexandriam, et Lybiam usque ad Æthiopiam, multaque præda consumpta, et exuviis quamplurimis, et pecuniis, ad propria remearunt. Carthaginem autem minime valuerunt capere, sed custodia dimissa, obsidendi eam recesserunt. Anno septimo imperii Heraclii castrametati sunt Persæ contra Carthaginem, quam et bello ceperunt. Eodem anno eos. factus est Constantinus junior, qui et Heraclius Heraclii filius, et provexit in Cæsarem Constantinum minorem fratrem suum ex Heraclio genitum, et Martina. Anno octavo imperii sui rursus Heraclius misit in Persidem legatos ad Chosdroen postulans pacem. At Chosdroes iterum eos sprevit, asseverans: Non parcam vobis, donec Crucifixum abnegetis, quem Deum fatemini esse, et adoretis Solem. Anno imperii Heraclii nono, aciem direxerunt Avares contra Thracem, et missis Heraclius legatis, ad eos pacem poscebat. Cumque Chajanus hanc facere spopondisset, exiit imperator foras murum longum cum omni obsequio regio, ac muneribus multis ad suscipiendum Chajanum, recepturus ab eo juramenta faciendi invicem sponsiones pacificas. At vero barbarus ille tam sponsionibus quam quæ jurata fuerant spretis, subito tyrannice contra imperatorem profectus est. Stupefactus ergo imperator super insperatæ rei molimine, fuga lapsus, in civitatem reversus est. Barbarus autem omni regio apparatu adepto, et supellectile, et quotquot ex hominibus capere potuit, subvertit villas multas depopulans ex improviso spe pacis deceptos. Anno decimo imperii sui, missis Heraclius ad Chajanum Avarum legatis, queritur super his, quæ nequiter acta fuerant ab eo, et ad pacem hortatur. Acies quippe disponens contra Persidem dirigendas, pacisci cum Chajano volebat, qui reveritus dilectionem imperatoris, se pœnituisse pollicebatur, et pacem fieri repromisit, pangentesque fœdera legati in pace reversi sunt. Eodem anno ceperunt Persæ Ancyram Galatiæ. Anno undecimo imperii Heraclii, durus Chosdroes jugum suum super omnes homines fecit in effusione sanguinis, et ratione tributorum. Elatus enim triumpho, nullo modo in constantia esse poterat. Tunc Heraclius, zelo Dei suscepto, et cum Avaribus pace, ut putabat, contracta, transtu-

A lit militias Europæ in Asiam, et putabat Dei cooperatione contra Persidem properare. Anno 12 imperii Heraclii, mense Aprili, die 4, indictione 10, imperator Heraclius celebrata solemnitate Paschali, mox secunda feria vesperi motus est contra Persidem. Sumptis autem mutuo venerabilium domorum pecuniis aporia coarctatus, accepit etiam Ecclesiæ magnæ multa candelas ferentia, simul et alia vasa ministratoria. Quibus conflatis exarari fecit in his [1] nummos aureos, et argenteos plurimos, dimisitque filium suum cum Sergio patriarcha in urbe disponendi negotia, una cum Bonoso patricio viro sagaci, et per cuncta sapienti, atque perito. Scripsit autem et ad Chajanum Avarum preces curam agendi super Romanorum negotiis, tanquam qui fuerit secum amicitiam pactus, tutorem filii sui compellans.

B Motus autem a regia urbe, exivit per locum, qui dicitur Portæ, navigio iter agens: illinc vero per cæteras regiones sibi subjectas profectus, elegit exercitum novum. Hos autem exercere orsus in hostilibus operibus erudivit. Diviso enim dupliciter exercitu, acies, et congressiones invicem sine sanguine fieri jussit. Clamorem bellicum, et impetum in alterutrum surgendi hos docebat, ut reperti in bellis nil mirarentur, sed fidenter proficiscerentur in hostem. Accipiens vero imperator in manibus Dei figuram virilem, quam manus non depinxerunt, sed in εἰκόνος verbum, quod omnia firmat, atque componit, sine pictura formam, velut sine semine eduxit partum, et in hac fisus a Deo picta figura,

C cœpit agones juramenta dans populo, quod cum ipsis usque ad mortem esset certaturus, et tanquam propriis filiis adhæsurus. Volebat enim potestatem non tantum timore, quantum amore possidere. Cumque invenisset exercitum in desidia multa, et formidine, inquietudine, ac dedecore constitutum, et per multas terræ partes disseminatum, actutum in unum collegit, et omnes ex una quasi consonantia laudavere imperium, et fortitudinem principis. Ipse autem verbis hos corroborans perhibebat: Videte, fratres, et filii, quod inimici Dei conculcaverunt regionem nostram, et urbes exterminaverunt, et altaria concremaverunt, et mensas incruentorum sacrificiorum sanguinibus et homicidiis repleverunt, et Ecclesias, quæ flagitia non admittunt, flagitio-

D sissimis repleverunt voluptatibus. Itaque rursus cuneos ad bellicum exercitium armans, agmina duo armata ordinans, tubas quoque, ac clypeorum phalanges efficiens, et populus thorace indutus astabat. Nam cum acies statuisset cautius, congressiones agere invicem jussit. Impulsiones autem vehementer, ac percussiones in alterutrum efficiebantur, et habitus belli ostendebantur, eratque horribile visu spectaculum, sine timore periculum, et ad strages impetus sine sanguine, sed adveniente necessitate, quatenus unusquisque percepta occasione cædis innocuæ permanere tutior. Taliter autem armatis omnibus præcepit ab injustitia penitus abstinen-

[1] Νομίσματα, καὶ μιλιαρίσια.

Digitized by Google

dum, et pietatem sectandam. Porro cum pervenisset ad partes Armeniæ, præcurrere jussit electos. Sarracenorum vero tunc sub pactis Persarum constitutorum multitudo equitum clam in imperatorem irruere meditabantur. Viri autem imperatoris qui præcurrerant, his occurrentes prætorem ipsorum vinctum Heraclio adduxerunt, illisque in fugam versis, multos interemerunt. Quia vero, hieme accedente, imperator in Ponticum clima divertit, visum est barbaris obsidere illum in hoc hiemantem. At ille Persas latens, atque divertens in Persidem properat. Hoc barbari cognito in rancorem causa insperati auditus devenerunt. Sarbarus vero Persarum Prætor, accepto potentatu suo, venit in Ciliciam, quatenus in Romaniam ingressus, hunc dare terga compelleret. Timens autem, ne per Armeniam imperator ingressus, Persidem turbaret, coactus est sequi post Romanum exercitum, furari volens bellum, et per obscuram aggredi noctem. Sed e contra plenæ lunæ tota nocte fulgente luce cavillatione frustratus est, et lunam, quæ sibi prius in cultu fuerat, infamabat, quæ videlicet eclipsin ex accidente tulisset. Ex hoc ergo formidabat Sarbarus cum imperatore conflictum aggredi, et montem quasi dorcades petiit, intuitus ab excelso, bonam, et sapienti arte compositam militiam Romanorum. Comperta vero imperator horum formidine, in locis morabatur requietionis, hunc ad bellum instigans. Descendentes autem de monte clam sæpe conflictum concitabant, sed Romani in cunctis primatum tenebant, fiduciamque amplius exercitus eorum obtinebant, videntes imperatorem præsilientem, et in omnibus belligerantem. Persa vero quidam ante breve tempus profugus, inter imperatoris exercitum annumerabatur. Hic fugiens ad Persas abiit, existimans eos Romanorum exterminaturos exercitum. Cumque formidinem eorum videret, post decimum diem iterum ad imperatorem venit, et liquido omnem barbarorum pavorem edixit. At vero Sarbarus ultra commorationem non ferens in monte, coactus est ad prælium proficisci. In tres autem partes divisis exercitibus descendit repente, illucescente die, ante solis ascensum præparatus ad bellum. At imperator præsciens hoc, ordinavit exercitus in tres æque phalanges ad pugnam. Orto autem sole, et imperatore ad Orientem reperto, Persas obtenebravit radius, quem ut deum adorabant. Imperator autem finxit populum suum quasi in fugam versum. At illi solventes phalanges hos sine retentione persequi existimabant. Conversi ergo Romani, hos æquo animo verterunt, ex his multis peremptis. Insequentes autem eos in monte, in præcipitia et loca devia immiserunt, cunctis illic contritis. Inter ea præcipitia instar caprarum sylvestrium morabantur. Multos autem viventes comprehenderunt. Ceperunt quoque et horum castra, et omnem supellectilem ipsorum. Porro Romani, extensis in cœlum manibus, Deo gratias referebant, et pro imperatore, qui se bene probaverat, indeficienter orabant. Qui enim antea

A nec Persicum audebant pulverem videre, nunc immota eorum inventa tabernacula spoliant. Quis enim speret Persarum inexpugnabile genus dorsa daturum Romanis? Itaque imperator exercitu cum prætore ad hiemandum in Armenia derelicto, ipse Byzantium rediit. Anno vero imperii sui decimo tertio, Heraclius profectus a regia urbe celeriter in Armeniam properavit. Chosdroes autem rex Persarum, misit Sarmanzarim cum exercitu suo in Romanorum terram intrandi. Heraclius autem scribebat Chosdroi, ut aut pacem amplecteretur, aut se sciret cum exercitu suo Persidem ingressurum. Chosdroes autem nec pacem amplectebatur, nec verum sermonem Heraclii arbitrabatur. Non enim audere illum Persidi appropinquare putabat. Sane imperator B duodecima Kalendarum Maiarum ingressus est Persidem. Quo Chosdroes comperto Sarmanzarim reverti jussit, et collectis ex tota Perside militibus suis, et traditis eis Sathin, velociter eas adunari Sarmanzarim jussit, et ita contra imperatorem procedere. Heraclius autem, advocato exercitu suo, verbis exhortatoriis incitabat eos dicens: Viri fratres, Dei amorem in mente sumamus, injuriam hujus requirere satagamus. Stemus igitur fortiter adversus inimicos, quia multa dira in Christianos operati sunt, revereamur Romanum imperium, quod sui ipsius est Domini, et non alterius, et stemus adversus hostes impiis telis armatos. Induamus fidem, nec formidemus interemptionem, et interemptricem gentem. Recogitemus, quia intra Persarum terram consisti- C mus, et ingens fuga fert periculum. Vindicemus corruptiones virginum, rescissa commilitonum membra nostrorum videntes corde doleamus. Non sunt hæc ullam mercedem habentis, sed vitæ perennis præmia. Stemus viriliter, et Dominus Deus cooperabitur, et perdet inimicos nostros. Cumque imperator his, et aliis quamplurimis commonitionibus populum exhortatus esset, respondit ei unus pro omnibus: Expandisti angustiam cordis nostri, Domine, os tuum in admonitione dilatans. Acuerunt sermones tui gladios nostros, et hos animos, qui vinci nequeant, operati sunt. Expeditos nos tuis verbis exhibuisti, erubescimus in pugnis te aspicientes nos præcedere, et jussiones tuas in omnibus sequimur. D Imperator autem, sumptis militiis, mox ad Persidem interiorem accessit, igne comburens urbes, et castra. Fit etiam terribile hic quoddam miraculum. In æstivali quippe solstitio æther sudore factus est madidus, animos Romani exercitus recreans, adeo ut hinc spem optimam sumerent. Audiens præterea Heraclius, quod Chosdroes apud Gazacreon civitatem cum quadraginta millibus bellicosorum esset virorum, cum impetu adversus illum perrexit, et præmissi quidam ab eo Sarracenorum sibi subjugatorum Chosdroes occurrunt vigiliæ, et horum quosdam occiderunt, quosdam vero vinctos compedibus cum prætore ipsorum imperatori præsentarunt. Hoc comperto Chosdroes derelicta, tam civitate, quam militia, fuga usus est. At vero Heraclius insecutus,

Digitized by Google

quosdam præoccupatos occidit, cæteri autem hac, A illacque palantes dissipati sunt. Cumque pervenisset imperator ad Gazacensium civitatem, in suburbanis hujus reficiebat exercitum suum: Persæ vero qui confugerant ad eum, perhibebant, quod Chosdroes fugiens igne consumpserit omnia sata in locis illis, et pervenerit ad civitatem Thebarmam in Oriente sitam, in qua erat templum ignis, atque pecuniæ [a] Erisilidorum regis, et error prunarum, et his acceptis ad partes [b] Damastager iter egerit. Imperator autem profectus a Gazacensium civitate pervenit [c] Thebarmam, et ingressus in eam igne consumpsit templum Ignis, et tota civitate combusta, persecutus est Chosdroen in angustiis regionis Medorum. Chosdroes autem in his duabus regionibus de loco ad locum peragrans latitabat, et Heraclius B hunc persequens, multas civitates vastavit, et regiones. Hieme vero accedente consilium faciebat ubinam hiemaret cum populo, et quidam in Albania perhibebant: quidam vero contra ipsum properare Chosdroen. At imperator jussit populum tribus diebus divinum oraculum præstolantem caste, ac pure conversari, sicque, responso accepto, in Albania decrevit hieme commorari. Dum vero abiens illuc iter ageret, habens secum copiosam Persarum prædam, haud paucos incursus a Persicis cuneis pertulit, ipse vero divina cooperatione triumphum de omnibus tulit. Præterea, cum vehemens tempestas cecidisset super eum in via, et hunc gelu præoccupasset in Albania, haberetque quinquaginta millia C vinculatorum, compatienti corde suo misertus vincula dissolvit, indulgentiam tribuit, et requiem impertitus est, ita ut omnes cum lacrymis exorarent, etiam eum Persidis fieri liberatorem a mundi exterminatore, et trucidatore Chosdroe.

Anno decimo quarto imperii Heraclii Chosdroes Sarrablagan prætorem constituit, virum facinorosum, et typho multo elatum, tradensque ei exercitum, eos videlicet qui dicuntur [d] Chosdroetæ ac Perozitæ, in Albaniam eum direxit ad Heraclium. Cumque ingressi essent fines Albaniæ, non sunt ausi ad bellandum ante faciem imperatoris stare; sed clausuras tenuere, quæ ducunt in Persidem, æstimantes in obsidendo insidiari. At vero Heraclius mox ut ver accessit, profectus de Albania per apertos campos, et escis largiter affluentes, transitum D in Persidem faciebat, licet longinquitas multæ viæ spatium transegerit. Sarrablagas vero per arctum iter, utpote compendiosum satagebat, ut comprehenderet eum in Persidis regione. Heraclius autem monebat populum dicens: Novimus, fratres, quod militia Persarum in deviis locis pererrans, tam equum eorum dissolvat, quam ipsos enervet. Nos autem festinemus contra Chosdroen properare valde celeriter, ut ex improviso irruentes in eum turbemus illum. At vero populus hujusmodi spernebat consilium, et maxime Lazorum, et Abasgorum, atque Hiberorum concertatores. Hinc in ærumnas incidunt. Pervenit autem et [e] Sarbaras cum populo suo, quos omni virtute armavit Chosdroes, et destinavit per Armeniam adversus Heraclium. Sarrablagas vero sequebatur post tergum Heraclii, et non est cum eo in conflictum congressus, exspectans uniri Sarbaræ, et ita constituere prælium. Cognito autem Romani Sarbaræ impetu, ad metum conversi sunt, ad pedes imperatoris prociderunt cum lacrymis, scientes quale sit malum non cedere servum domini voluntatibus, et pœnitentiam agentes super inobedientia sua, quam nequiter perpetraverant, dicentes: Manum tuam, domine, priusquam pereamus miseris da. Cedimus enim tibi, in quibuscunque præceperis. Tunc imperator acceleravit congredi cum Sarrablaga, priusquam uniretur populo Sarbaræ, et multis incursionibus adversus eum factis nocte, ac die, hunc in formidinem pepulit, et retro utrisque dimissis contra Chosdroen velociter insecutus est. Duo vero ex Romanis ad Persas se conferunt, et persuadent eis credere, Romanos ex formidine fugere. Contigit autem eos, et alium audire [f] Romanum. Sathin scilicet prætoris Persarum adventum cum alia militia in auxilium, et hoc comperto, Sarrablagas et Sarbaras decertabant Heraclium instigare ad prælium, priusquam veniret Sathin, et in se transferret victoriæ gloriam. Credentes quoque profugis, properant adversus Heraclium, et appropinquantes ei castrametati sunt, volentes in eum simul irruere. Ast Heraclius profectus a vespera iter fecit per totam noctem, et profectus ab eis invento herbifero campo, castrametati sunt in eo. Porro barbari existimantes eum formidine fugere incomposite sequebantur, ut comprehenderent illum. Ipse autem occurrens eis bellum iniit adversus illos, et apprehenso quodam colle nemoroso, coacervatoque populo in ipso, cooperatione Dei barbaros vertit, et per fauces hos insecutus multitudinem copiosam occidit. Cadit autem et Sarrablagas, ense vulneratus in dorso, et cum hi in agone essent, pervenit etiam Sarbaras cum exercitu suo, et hoc imperator verso, et ex his multis occisis, reliquos fugientes dispersit. Cepit quoque et apparatum [g] sarcinæ ipsorum. Porro Sarbaras unitus [h] Sathin collegit barbaros qui salvati fuerant, et iterum disponebant contra Heraclium proficisci. Ast imperator in regionem Hunnorum, et per horum loca difficilia festinabat in asperis locis, ac deviis. Barbari vero sequebantur post eum. Porro Lazi, una cum Abasgis formidantes, subduxerunt se ab auxilio Romanorum, et in regionem suam reversi sunt. Sathin vero hoc advertens, furore multo, una cum Sarbara persequebatur Heraclium. Sane imperator collecto exercitu, hos verbis exhortatus est, et munimine deliniivit di-

[a] Al., *Crœsi Lydorum.*
[b] Al., *Dastarger agebat.*
[c] Al., *Thebarmeson.*
[d] Al., *Chosdrogetæ.*

[e] Al., *Sarbarazas.*
[f] Al., *Rumorem.*
[g] Τοῦλδον.
[h] Al., *Sain.*

Digitized by Google

cens, multitudo vos, fratres, inimicorum non conturbet, Deo quippe volente unus persequetur mille. Mactemus ergo nosmetipsos pro salute fratrum nostrorum, et sumamus coronam martyrii, quo et futurum tempus nos laudet, et Deus reddat mercedes. His et aliis quampluribus verbis audaciam exercitui conferens, hilari vultu prælium ordinat, et distantes ab invicem intervallo pusillo, a mane usque ad vesperam aggressi non sunt in alterutrum. Vespere vero imperator, arrepto itinere, pergebat. Barbari vero iterum post eum sequebantur [a] comitantes viam, hunc præoccupare volentes, incidunt in loca palustria, et oberrantes in magnum discrimen deveniunt. Imperator autem transiens fines Persarum, per Armeniam peragrabat. Cum autem terra illa teneretur a Persis, multi cum Sarbara concurrerunt, ac per hoc populus ejus crevit. Præterea, hieme accedente, dispersit multitudinem per loca ipsorum, ut requiescerent in domibus suis. Quo comperto Heraclius nocte furari meditabatur bellum. Cumque turbo tempestatis adesset, et Sarbaræ nulla suspicio incumberet, electis fortissimis equis, et robustioribus ab exercitu, hos dupliciter armans, quosdam ex eis præcedere jussit contra Sarbaram, ipse vero cum aliis post eos subsecutus est. Accelerantibus ergo per noctem, et pervenientibus ad prædium, cui vocabulum erat Lasbanum, hora noctis nona, Persæ, qui in eo erant, et impetum cognoverant, insurrexerunt in eos. Ipsi autem interfecerunt hos omnes, excepto uno qui hoc Sarbaræ nuntiavit. At vero Sarbaras ascendit equum nudus, atque discalceatus, fuga salutem mercatus. Hujus autem mulieres, et omnem Persicum florem, principesque, ac satrapas cum electis militibus, qui in domorum tecta conscenderant, et bellum contra se præparaverunt, per ignem deposuit, et alios quidem occidit, alios vero igne consumpsit, alii vero manicis et compedibus colligati sunt, ita ut pene nullus ex his qui Sarbaræ fuerant, salvaretur. Acceperunt autem et arma Sarbaræ, aureum videlicet clypeum, machæram etiam ejus, et lanceam æque auream, et comptam lapidibus pretiosis zonam, nihilominus et calceamenta ejus. His omnibus sumptis, procedit contra dispersos per villas, qui scilicet comperta Sarbuti fuga, sine retentione fugiebant. Ipse autem insecutus multos eorum occidit, et vinctos accepit, reliquique cum confusione repedarunt in Persidem. Porro imperator, exercitu suo collecto, cum gaudio in illis locis intrepidus hiemavit. Anno 15 imperii Heraclii, Arabum princeps Muhammad habebatur. Heraclius autem coacervato exercitu suo consilium faciebat quanam via pergeret. Duæ namque viæ sibi adjacebant angustæ, ac deviæ, una quidem Tarentum ducens, altera autem in terram Syrorum. Verum illa, quæ Tarentum ducebat, differentior quidem erat, sed egestatem cunctarum habebat escarum; quæ vero in terram ducit Syrorum, Taurum transit, et abundantiam, et dapsilitatem præstat alimentorum. Hanc præferunt omnes, licet abruptior esset, et nive multa severior. Hac itaque multo labore transacta in VII diebus perveniunt ad fluvium Tigris, et hunc cum transmeassent, veniunt Martyropolim, et Amidam, et quiescunt tam exercitus quam captivitas. Hinc et litteras Byzantium imperator potuit mittere, et quæ circa se erant omnia indicare, et ingens facere gaudium civitati. Sarbaras autem, populo suo qui fuerat dispersus collecto, insurrexit in illum, imperator vero electam militum alam ad custodiendum misit clausuras, quæ ad se ducebant, et aditus qui ad Orientem erant. Ipse vero discurrens, in faciem efficitur Sarbaræ. Cumque transmeasset Nymphion amnem, ad Euphratem pervenit, in quo erat pons nexus e funibus simul et navibus. At vero Sarbaras dissolutis funibus pontis, ab altera ripa in totum in alteram transtulit pontem. Cumque imperator venisset, nec valuisset transire per pontem, discurrens invenit meatum, et hunc Martio mense inopinate sine discrimine transmeavit, et Samosatam pervenit. Rursusque cum Taurum præterisset, in Germaniciam profectus est, et cum transisset Adana, venit ad amnem Saron. Sarbaras autem pontem rursus in proprium locum extenso, absque obstaculo transfretavit Euphraten, et sequebatur post eum. Ast imperator cum transisset pontem Sari, inventa requie tam exercitus quam animalium, circa ipsum castrametatus est reficiens eos. Pervenit autem et Sarbaras in partem quæ contra ex altera parte esse videbatur. Invento vero ponte, et propugnaculis quæ in eo erant a Rom. obtentis, castrametatus est. Excurrentes autem multi Romanorum per pontem inordinate, cum Persis contulere conflictum, multa in ipsis cæde commissa. Verum imperator hos inordinate prohibebat discurrere, ne forte iter fieret adversariis cum illis conveniendi ad pontem, et pariter commeandi. Populus autem non acquiescebat imperatori. Porro Sarbaras quibusdam exercitibus suis clam in locis abditis collocatis, ostendit se quasi fugientem, ac sic abstraxit multos Romanos præter votum imperatoris, ad insecutionem sui transeuntes. Reversos autem, et his in fugam versis, quotquot extra pontem occupavit occidit, vindictam perpessus inobedientiæ. Imperator vero, cum barbaros vidisset insecutione ordines dissolvisse, et ex Rom. stantibus in antemuralibus multos exstinctos, contra eos prosecutus est. Porro vir quidam Persa giganteus imperatori occurrens hunc in medio pontis aggreditur. Ast imperator, hoc percusso, in amnis fluenta projecit. Hoc vero ruente barbari in fugam versi sunt, et præ angustia pontis [b] utraque parte semet in fluvium jaciebant, alii autem gladiis trucidabantur. Porro multitudo barbarorum per fluminis ripas sagittabat, ac resistebat, non sinens transire Rom. Verum imperator transiens viriliter barbaris resistit cum paucis quibusdam societatis suæ superagonizans, ita ut etiam Sarbaras super hoc obstupesceret, et ad

[a] Al., *et commutantes.*

[b] Al., *ut ranæ.*

Digitized by Google

Cosmam quemdam juxta se stantem Rom. [a] perfugam Margarita diceret. Vides, inquiens, Cæsarem, o Cosma, quam audax ad pugnam stet, et contra tantam multitudinem solus decertet, et velut incus jacula renuat? [b] Ex rubris enim ocreis agnoscebatur, multasque plagas, licet nullam in hoc prælio periculosam acceperit, dedit. Tota vero die cum in hoc bello pugnassent, accedente vespera ab invicem separati sunt, et Sarbaras quidem timens per noctem reversus est. Imperator autem populo suo coacervato ad urbem properavit Sebastiam, et cum Alon fluvium transmeasset, in hoc gaudio totius hiemis tempore demoratus est. Porro Chosdroes furens misit, et tulit thesauros cunctarum ecclesiarum regionis quæ sub Persis est constituta, et cogebat Christianos Nestorii sectatores fieri ad perstringendum, sive percellendum imperatorem. Anno 16 imperii Heraclii, Chosdroes Persarum rex novam fecit militiam prælium initurus, peregrinos, et cives, ac servos, ex omni natione facta electione coacervans. Qua electione Sathin tradita prætori, alia L millia ex phalange Sarbaræ electa tollens, huic sociavit, nominavitque illos [c] Cumulos aureos, et hos adversus imperatorem direxit. Porro Sarbaram cum reliquo exercitu suo Constantinopolim misit quatenus Hunnos qui essent in Occidente, quos Avares vocant, cum Bulgaribus et Sclavinis, atque Gepidibus, concordia sociarent, sicque adversus urbem properarent, et hanc unanimiter obsiderent. Cum autem hoc didicisset imperator, exercitum suum triplici parte divisum, transmisit ad custodiendam urbem. Quibusdam vero traditis Theodoro fratri suo, contra Sathin bellare præcepit. Humiliore vero parte ipse accepta in Lazicam properat, et in ipsa degens Turcos ab Oriente, quos Cazaros vocant, in auxilium advocat. Sathin vero, una cum noviter electo exercitu perveniens ad fratrem imperatoris Theodorum, bellavit contra eum. Deo autem per intercessiones superlaudabilis Dei Genitricis opitulante, bello commisso, grando miræ magnitudinis contra barbaros cecidit, eorumque plurimos perculit. At vero acies Rom. tranquillitate potita est. Vertunt autem Romani Persas, et interficiunt multitudinem copiosam. Hoc comperto, Chosdroes irascitur contra Sathin, qui ex multo animæ defectu languorem incidens moritur, cujus corpus, Chosdrois jussu salsum, ad eum delatum est, quem ille mortuum submittit multis verberibus. Porro Cazari, disruptis Caspiis portis, Persidem adeunt in regione Adragiæ, una cum prætore Zeibil, qui dignitate secundus a Chajano erat, et in quæcunque loca peragrabant, tam Persas deprædabant, quam civitates, et villas igni tradebant. Profectus vero et imperator his occurrit a Lazica. Zeibil autem, hoc viso, accelerans complectitur collum ejus, et adorat eum Persis civitatis aspicientibus. Universus autem populus Turcorum in terram cadentes proni, super faciem extenti, imperatorem honore honorant,

A qui est apud gentiles extraneus. Similiter et principes eorum supra saxa conscendentes, eodem schemate procidunt. Obtulit autem et Zeibil imperatori filium suum primogenitum. Hujus sermonibus delectatus tam vultum quam prudentiam ejus admiratur. Electisque Zeibil XL millibus virorum fortium dedit imperatori in auxilium. Porro ipse reversus est in regionem suam. His autem imperator acceptis, statim contra Chosdroen procedit. At vero Sarbaras Chalcedonem properans, Avaresque Thraci urbi appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis adversus eam commotis, et navium [d] sculptarum ex Istro multitudine infinita, seu innumerabili deleta, [e] sinum repleverunt maris. Decem sane dies urbem obsidentes bellum terra marique gerentes, Domini

B virtute pariter et cooperatione, necnon et intemeratæ Dei genitricis et virginis Mariæ intercessionibus, superati sunt. Quin et multitudine copiosa suorum tam in terra deposita quam in mari, cum ingenti confusione ad loca sua reversi sunt. Porro Sarbaras Chalcedonem obsidens, non emigravit, sed ibidem hiemavit, tam incursiones agens, quam deprædans confinales partes, et civitates igne disperdens. Anno decimo septimo imperii sui Heraclius mense Septembri ingressus Persidem, una cum Turcis inopinate propter hiemem, in ecstasin misit Chosdroen, cum hoc didicisset. At vero Turci tam hieme, quam frequentibus Persarum incursibus contemplatis, non ferentes pariter cum imperatore sustinere, cœperunt paulatim diffluere, et omnes, dimisso eo,

C reversi sunt. At imperator allocutus est populum suum dicens: Scitote, fratres, quia nemo nobis vult auxiliari, nisi solus Deus, et quæ hunc peperit sine semine Mater, ut ostendat potentiam suam, quoniam non in multitudine populorum seu armorum est salus, sed in eos qui sperant in misericordia ejus, mittit adjutorium suum. At vero Chosdroes coacervatis militiis prætorem provehit super illos Razatem, virum bellicosum, ac fortissimum, et hunc adversus Heraclium destinat. At imperator civitates Persidis atque castella igni tradit, et accedentes Persas romphæa consumit. Septimo vero Idus Octobris pervenit in regionem Chamaita, et refocillat populum per integram hebdomadam. Razates autem veniens Ganza post eum secutus est. Romanis autem pergentibus, et

D consumentibus escas, ipse vero post tergum ut canis famem patiens, vix [f] decimis eorum nutriebatur, et cum non invenisset sumptus, multa ex animantibus consumpta sunt. Kalendis Decembribus venit imperator ad fluvium magnum Zaban, et cum hunc transisset, castrametatus est juxta Ninivem civitatem. Venit autem Razates, et penes vadum secutus est, et cum venisset a tribus milliariibus, reperit aliud vadum, et transivit. At imperator, misso Bathano magistro militum cum paucis electis militibus, invenit bandum prætoris Persarum et cum ejus co-

[a] *Transfugam appellabant Margaritum.*
[b] Ἐκ τῶν βασιλικῶν παρασήμων.
[c] Χρυσολόχας.

[d] Al., *scultarum.*
[e] Al., *sinistrum cornu.*
[f] Al., *de micis.*



Digitized by Google

mitem occidisset, detulit caput ejus, et totam auream A spatam ejus, nonnullisque peremptis, vivos duxit ad imperatorem sex et viginti, in quibus erat spatarius Razatis, qui nuntiavit imperatori quod Razates contra eum pugnare vellet, sic a Chosdroe jussus, et tria millia armata in auxilium miserit ei, quæ tunc nondum venerant. His compertis imper. præmisit sarcinam ante se, ipseque subsecutus est, tractans qualiter inveniret locum in quo pugnare deberet, priusquam unirentur eis illa tria millia. Reperto itaque campo apto ad prælium, allocutus populum, prælium ordinavit. Razates vero cum pervenisset illuc, et ipse prælium dirigit, in cuneis tribus contra imperatorem procedit. Pridie sane Idus Decemb. gestum est bellum, et ante omnes prosiliens imperator, principique Persarum occurrens, divina virtute, Dei- B que genitricis opitulatione, hunc dejecit, et qui cum eo erant, exsilientes antea fugerunt. Rursusque imperatori alius occurrit, et hunc quoque deposuit. Irruit etiam adversus eum tertius, qui dedit ei cum mucrone ictum in labium, et hanc illi plagam inflixit. Ast imperator et hunc exstinxit, et tubis clangentibus utræque acies invicem congressæ sunt. Et cum pugna valida gereretur, plaga valida vulneratus est a peditibus imperatoris [a] equus, qui dicebatur Dorcon in femore lanceæ ictu percussus. Multas autem et spatarum in facie percussiones accepit, sed ferens tegimen ex nervis contextum, plagam mortiferam non accepit. Cadit autem in hoc bello Razates, et tres turmarchæ Persarum, et principes fere cuncti, atque major pars exercitus ipsorum. Occisi autem sunt C etiam Romani numero quinquaginta, et vulnerati nonnulli, ex quibus decem mortui sunt. Porro bellum gestum est a mane usque ad horam nonam. Tulerunt interea Romani banda Persarum viginti octo, exceptis his quæ confracta sunt, et despoliatis mortuis acceperunt loricas eorum, et cassides, necnon et omnes currus eorum, et manserunt ab invicem sequestrati, quantum duplex est jactus sagittæ. Fuga namque facta non est. Verumtamen Romani animalia sua nocte et adaquaverunt, et acceperunt. Equites vero qui ultra erant, steterunt usque ad horam septimam noctis, et moti repedaverunt ad castra sua. Et his acceptis abierunt, et castrametati sunt ad pedem asperi montis metuentes. Multas præterea spatas auro circumclusas, et zonas aureas cum gemmis, et scutum D Razatis totum aureo respersum acceperunt, habens petalam centum viginti, et loricam ipsius auro contextam, et [b] scaramaggin ejus detulerunt cum capite ipsius, atque dextraria, et sellam totam ex auro fabrefactam. Porro tentus est unus Barsumes princeps Iberorum sub Persis degentium. Nemo autem recolit hujusmodi bellum inter Romam et Persas, quod videlicet per totum diem habuit statum, viceruntque Romani. Verum hoc factum est solo Dei juvamine. Imperator vero a se conformatum exercitum contra Chosdroen minabat, quatenus hunc deterreret. Porro decimo tertio Kalendas Januarias comperto imperator, quod populus Razatis, qui ex bello evasit, unitus fuerit tribus millibus, quæ a Chosdroe destinata fuerant, et sequeretur post se, cepit illico Niniven. Transmeansque magnum Zaban, mittit Georgium turmarchen cum mille militibus, quo curreret ad retinendum pontes minoris Zaban, priusquam id Chosdroes cognosceret. Cumque Georgius cucurrisset noctu milliariis quadraginta et octo, tenuit pontes minoris Zaban quatuor, et inventos in castellis Persas obtinuit. Decimo præterea Kalendas Januarias perveniens imperator ad pontes, transfretavit, et divertit in domos Hyesdem, et refecit tam exercitum, quam animantia, fecitque festivitatem Nativitatis Christi in eodem loco. Chosdroes vero comperto quod Romani tenerent pontes minoris Zabæ, misit ad Persicum populum, cui Razates præerat, ut oppido festinantes prævenirent imperatorem, et ad ipsum pergerent. Accelerantes autem illi, et transmeantes minorem Zaban, in aliis locis prævenerunt imperatorem, atque præibant. Cumque imperator palatium, quod dicebatur Dezeridan, cepisset, hoc destruxit atque combussit. At vero Persæ, cum pontem Tornæ fluminis pertransissent, ibidem castrametati sunt. Ast imperator comprehenso alio palatio Chosdrois, quod vocabatur Rusa, et hoc subvertit. Cæterum [c] vertebat quod in ponte Tornæ fluminis hostes forent contra se bellaturi. Sed et hoc illi scientes, relicto ponte, fugerunt. Imperator vero cum sine impedimento transisset, apprehendit aliud palatium cognomento [d] Beibal, ubi et hippodromum ædificaverat, sed et istud casui dedit. Sane quidam Armeniorum qui cum Persis aderant, venerunt ad imperatorem noctu dicentes : Chosdroes cum elephantis, et exercitu suo quinque millibus contra palatium suum vocabulo [e] Damastager in loco nuncupato Bastaroth castrametatus est, et mandavit totum illuc exercitum convenire, ut adversus te præliatur. Est enim illic et fluvius meatibus carens, qui arctum pontem habet, et angustias præ habitationibus multas, nec non et fetidos rivos. Imperator ergo, consilio cum principibus inito, cum exercitu sedit in palatio Bechal. Reperit quippe in una ex porticibus saginatas aves trecentas, et in alia porticu capreas saginatas quingentas : porro in alia onagros saginatos centum, eaque cuncto populo donavit, et Kalen. Januarias illic fecerunt. Denique inventis ovibus, et porcis, et bubus, quorum non erat numerus, requievit populus universus epulantes, et glorificantes Deum. Præterea comprehensis his quæ ista deferebant, didicerunt ab illis liquidius, quod Chosdroes a vicesimo tertio die Decembris mensis, comperto quod imp. pontem transisset Tornæ, confestim motus fuerit de palatio, quod erat in

[a] Al., *Phalba equus.*
[b] P. Pith., *charrure.* Al., *chamare.* Cedr., *Scaramangium.*
[c] Al., *verebatur.*
[d] Al., *Berlam.*
[e] Al., *Dagestro.* Al., *Distagerd.* Cedren., *Dastagerd.*

Digitized by Google

Damastager cum pugna Ctesiphontem petiturus, omnibus ex omnibus pecuniis, quas habebat in palatio tam elephantis, quam camelis, atque burdonibus ministris suis scribens, et populo Razatis, ut ingrederentur idem palatium, et domus principum, et quidquid in his inveniretur auferrent. Itaque imperat. dimidium quidem exercitum misit ad Damastager, ipse vero per aliam viam abiit ad aliud palatium, quod cognominabatur Beddarach, et his ruinis, et igni traditis, gratias egerunt Deo, qui per intercessiones Dei genitricis talia miracula patrat. Quis enim speravit unquam Chosdroen fugere a facie Rom. principis de palatiis suis, quæ erant in Damastager, et petere Ctesiphontem, dum a XXIV annis passus Ctesiphontem videre non fuerit, sed in Damastager regalia ejus erant. Invenerunt itaque populi Rom. in palatiis ejus apud Damastager trecenta Robanda, quæ per diversa ceperunt tempora. Invenerunt etiam species quæ remanserant multas, aloen scilicet multam, et ligna aloes magna, e quibus unumquodque XXX pondera habebat, vel octoginta librarum, et sericum copiosum, ac piper, et ᵃ calbasias camisias multas, sacchar quoque, atque zinziber, et alias species ultra numerum. Quidam vero, et argentum, et holoserica vestimenta lectisternia, seu contexta tapetia, quorum erat copia multa, erantque omnia bona valde, quæ propter quod gravia essent penitus incenderunt. Sed et tentoria Chosdrois, et cortinas, quas in modum tenebat porticuum, quando in campo castrametabatur, cuncta cremarunt, quin et statuas multas. Invenerunt autem et in his palatiis aviaria, et dorcades, et asinos agrestes, et pavones, et phasiones infinitæ multitudinis, nec non in vivario ejus leones, ac tigrides miræ magnitudinis vivos. De cætero confugerunt ad imperatorem plurimi ex captivis, Edesseni scilicet, et Alexandrini, sed et aliæ multitudines copiosæ. Interea fecit imperator festivitatem luminum penes Damastager lætatus, et recreans tam populum, quam jumenta. Quin et Chosdroi palatia destruens, ædificia videlicet comptissima, et admiranda, domusque stupendas, quæ usque ad pavimentum deposuit, quatenus Chosdroes disceret quam durum Rom. habuerint dolorem urbibus suis desolatis ab eo nihilo minus, et incensis. Tenti autem sunt ex aulicis palatii multi, qui interrogati quando discesserit Chosdroes a Damastager, asserunt, ante novem dies priusquam vos veniretis, audito adventu vestro, latenter pertuso muro civitatis, qui est juxta palatium, temere per ᵇ crates exivit ipse, et uxor, et filii ejus, ne fieret tumultus in civitate, et neque milhiæ ipsius cognovere, neque principes ejus, usque quo milliariis quinque perrexit. Si quidem tunc mandavit, quod sequerentur Ctesiphontem tendentes, et is qui non poterat facere V milliaria per diem, fugiens fecit XXV millia. Mulieres, ac filii ejus, qui se prius alterutros non videbant, tunc mixtim fugiebant invicem impellentes. Cumque nox accessisset, introiit

A iit Chosdroes in domum agricolæ nihili, in cujus hospitio vix manere prævaluit. Quod videns Heraclius postmodum admiratus est. Per tres autem dies adiit Ctesiphontem. Sane Chosdroes responsa acceperat a maleficis, atque astrologis ante XXIV annos, quando Daras depopulatus est temporibus Phocæ Rom. principis, quod tempore, quo adiret Ctesiphontem, periret. Et idcirco non est passus a Damastager ex tunc in partem illam, uno saltem milliario pergere, sed hinc fugiens ad hanc abiit. Verum nec in ipsa persistere ausus est, sed transiens pontem Tigridis fluminis ultra positam civitatem adiit, quæ quidem apud nos ᶜ Seleucia, apud ipsos vero Guesor vocitatur. In qua omnes pecunias reposuit, seditque illic cum Syra uxore sua, et aliis tribus mulieribus,

B quæ filiæ ipsius erant. Reliquas vero uxores suas, multosque liberos suos XL millibus longe transmisit ad interiorem partem Orientis in munitissimum locum. Quidam sane Persarum derogaverunt Sarbaræ penes Chosdroen, quod cum Romanis sentiret, et illi detraheret. Et misit spatarium suum cum jussione ad Chardarigam comprætorem Sarbaræ Chalcedonem, scribens ei ut Sarbaram interficeret, et ipse populo Persarum accepto acceleraret in Persidem in auxilium sui. Is autem qui litteras deferebat circa Galatiam comprehenditur a Romanis. Qui comprehenso eo, nescientibus Persis, hunc Byzantium deduxerunt, et imperatoris filio tradiderunt. At imperator cognita veritate protinus Sarbaram accersit, qui cum introisset, addidit imperatori, Imperator autem huic epistola,

C quam Chosdroes ad Cardarigam miserat, tradita, missoque ostenso, legit epistolam. At ille certus rei veritate effectus, continuo conversus fœdera cum filio principis, et patriarcha facit. Qui falsa Chosdrois epistola facta, addit in ea etiam alios quadringentos satrapas, et tribunos, et centuriones interimendos, et invento ingenio adimposito signaculo, congregatisque ducibus, et ipso Cardariga, et lecta epistola dixit ad Cardarigam : Perspicis ut hæc facias? At vero principes furore commoti, abdicato Chosdroe, imperatori pacifica patrarunt, et mutuo inito consilio, placuit ut discederent a Chalcedone, et ad propria remearent, nil exterminaturi. Præterea Heraclius scripsit ad Chosdroen : Ego persequor, et ad

D pacem curro. Non enim voluntarius igne consumo Persidem, sed vim passus abs te. Projiciamus ergo saltem nunc arma, et pacem amplectamur : exstinguamus ignem, priusquam universa inflammet. Cumque Chosdroes hoc non admisisset, magnopere odium populi Persidis crevit adversus eum. Movit ergo Chosdroes homines principum suorum, et omne obsequium suum, et mulierum suarum, et hos armatos direxit exercitui muniendos Razatis, et staturos apud Narbam fluvium XII millibus a Ctesiphonte distantem, et jussit eos, ut dum amnem transiret imperator, inciderent pontes. Ast imperator VII Idus Januarias motus a Damastager, cum abiisset tribus diebus ea-

ᵃ Μετάξαν καρβάσια καμίσια.
ᵇ Al., *hortos*.

ᶜ P. Pith., *Gueserseleucia*.

Digitized by Google

stramelatus est, duodecimque millibus procul erat a Narba flumine, ubi erat Persarum exercitus, inter quos etiam habebant elephantes ducentos. Et imperator misit Georgium turmarchen Armeniacorum, ut iret usque ad flumen, et disceret utrum Narbas vadum haberet. Et cum invenisset, quod pontes incidisset, et vadum non esset, ad imp. reversi sunt, qui motus, Ziturон adiit incendens regiones, et urbes per totum Februarium mensem. Martio vero mense cum venisset in prædium, quod dicebatur Barsan, fecere VII dies, et misit Mezelium prætorem in cursum, et adjunctus est ei Gundabundas chiliarcus milnitiæ Sarbaræ cum aliis quinque, tribus comitibus, duobus vero axiomaticis, et duxit eos ad imperatorem, qui videlicet Gundabundas res necessarias imperatori nuntiavit, dicens: Quando fugiebat Chosdroes a Damastager, ac adiit Ctesiphontem, atque Seleuciam, dysenteriæ languorem incurrit, et voluit filium suum Merdasan, quem genuit ex Syra, coronare, atque regressus amnem iterum transivit, et secum duxit Merdasan, atque Serem, ac filium ejus alium Adar. Primogenitum autem suum Syroen, et fratres ejus, nec non et mulieres suas dimisit ultra flumen. Compertoque Syroes, quod Merdasan fratrem suum coronare vellet, turbatus est, et misit collactaneum suum ad Gundabundam, mandans ei et dicens: Veni cis flumen, et loquar tecum. At ille timuit Chosdroen, et non transivit, sed mandat ei: Scribe, inquiens, mihi per collactaneum meum quidquid volueris, et scripsit ei Syroes: Quomodo nosti qualiter respubl. Persarum per nequam hominem istum Chosdroen pereat, et vult coronare Merdasan, et primogenitum suum contempsit, et si locutus fueris ad exercitum, ut recipiant me, et rogas eorum augebo, et pacem cum Rom. imperatore, ac Turcis faciam, et bene vivemus, et stude cum populo tuo, ut ego regnem, et omnes vos promoveam, et auxiliabor, et præcipue te. Gundabundas autem remisit ei per collactaneum suum dicens: Quidquid possum loquar cum prætore, et sollicitus fui, et locutus sum cum viginti duobus comitibus, et feci eos esse meæ voluntatis, sed et alios principes multos. Et hæc quidem Gundabundas mandavit Syroi. At ille remisit ei dicens, ut decimo Kalendarum Aprilium sumeret juniores, et occurreret ei apud Pontem Tigridis fluminis, et susciperent eum in exercitum, et moverentur adversus Chosdroen. Referebat autem quod cum Syroe essent duo filii Sarbaræ, et filius Hiesdem, et alii multi principum filii, atque filius Aram, omnes electi; et quod si potuerint Chosdroen perimere, bene et optime; sin autem, omnes cum Syroe confluerent ad imperatorem. Et venit Gundabundas ad imperatorem dicens: Misit me Syrois ad te, domine, veretur enim imperium Romanum, quod Chosdroen quondam salvavit, et multa mala e contra ab eo Romanorum terra passa est, et quia propter illius ingratitudinem nec mihi credere habet imperator. Verum ille hunc rursus ad Syroen absolvit, mandans ei ut carceres aperiret, et retentos in eis Rom. educeret, et arma eis tribueret, sicque contra Chosdroen se moveret. Porro Syroes obediens imperatori, [a] retrusi educ i sunt, et properavit contra patrem, Chosdroen scilicet. Cumque ille fugere tentasset, nec valuisset, tentus est, et valide vinctus ferreis compedibus colligatis, cui et circa collum ferrea pondera imponunt, et mittunt eum in domum tenebrarum, quam ipse munivit a novitate construens ad recondendas pecunias, panisque parum ei et aquæ tribuentes hunc fame necabant. Ait enim Syroes: Comedat aurum quod incassum collegit, propter quod etiam multos fame necavit, mundumque delevit. Porro misit Satrapas Syroes ad eum injuriis impetendum, et conspuendum, et ductum Merdasan, quem coronare volebat, filium ejus, ante se occidit, et reliquos filios ejus in conspectu ipsius peremerunt, et misit omnem inimicum ejus injuriis eum cumulare, et percutere, et conspuere illum. Denique per quinque dies hoc facto, jussit Syroes hunc arcubus interficere, sicque paulatim in malis nequissimam animam suam tradidit. Tunc Syroes scripsit ad Heraclium, evangelizans ei scelerati Chosdrois interitum, pacemque cum eo jugem firmissimam pepigit, omnibus Christianis qui in carceribus et in omni Perside captivi tenebantur ei remissis, una cum Zacharia Jerosolymitano præsule, ac pretiosis, et vivificis lignis, quæ fuerant a Sarbara, cum Jerusalem cepisset, ablata. Anno decimo octavo imperii Heraclii rex habetur Persarum Syroes, qui anno regnavit uno, quando et Muhammath Arabum, seu Saracenorum princeps sub Persis degens, sextum agebat annum perventurus ad nonum. Interea facta pace cum Persis et Romanis, direxit imperator Theodorum fratrem suum cum litteris et hominibus Syrois regis Persarum, quatenus Persæ qui in Palæstina, et Jerosolymis, et Edessa, cæterisque urbibus Romanorum essent, cum pace reverterentur in Persidem, et innocue terram Romanorum transirent. Postremo imperator, cum sex annis Persidem expugnasset, septimo anno, pace recepta, cum ingenti gaudio Constantinopolim remeavit, mysticam quamdam in hoc θεωρίαν adimplens. In sex quippe diebus Deus universa condidit, septimum requiei diem vocavit; ita et ipse in sex annis multis laboribus impensis, septimo anno reversus ad urbem cum pace ac tripudio requievit. Porro populus civitatis, audito adventu ipsius, intolerabili cuncti desiderio in [b] Leriam obviam illi, una cum patriarcha et Constantino imperatore filio ejus egressi sunt portantes ramos olivarum, et lampades, laudantes eum cum gratulatione et lacrymis. Accedens autem filius ejus cecidit ad pedes ejus, et cum amplexatus eum esset, infuderunt ambo lacrymis terram. Hoc autem populus inspecto, universi Deo hymnos gratificos retulerunt, sicque demum suscepto imperatore urbem exsultantes ingressi sunt. Anno imperii Heraclii de-

[a] Al.: *Retrusis eductis, properavit contra parricidam patrem.*

[b] Al., *Jeriam.*

cimo nono Persis rex Adhesyr septem mensibus præfuit. Imperator autem profectus a regia urbe, mox ut ver accessit, Jerosolymam tendit, pretiosa illuc, et vivifica ligna reportans, ad gratiarum Deo actiones reddendas. Cumque Tiberiadem adisset, accusavere Christiani Benjamin quemdam nomine, Hæbreum, quasi sibi mala facientem, erat enim admodum opulentus, qui suscepit imperatorem et exercitum ejus. Ast imperator damnavit eum. Quamobrem, inquiens, molestus es Christianis, et fidei meæ? Tunc imperator admonitum hunc, et ad credendum suasum baptizavit in domo Eustachii Neapolitani, qui et ipse cum Christianus esset, suscepit imperatorem. Ingressus itaque imperator Jerosolymam, restituto tam Zacharia pontifice quam almæ crucis honorandis ac vivificis lignis in proprium locum, plurimasque gratias Deo egit, pulsisque ab urbe sancta Hebræis, jussit illos non habere potestatem propius almæ civitati, quam tribus millibus appropinquandi. Cum autem pervenisset ad Edessam, Orthodoxis Ecclesiam reddidit, quæ a Nestorianis a Chosdrois tempore tenebatur, et veniens Hieropolim, audivit quod Syroes rex Persarum diem clausisset extremum, et Adhesyr hujus filius ei in regni regimine successisset. Qui cum septem tenuisset mensibus principatum, insurrexit adversus eum Sarbaras, qui, eo percusso, imperavit Persis mensibus sex. Hoc autem Persæ interfecto, [a] Bornaim prætulerunt in regem filium Chosdrois, qui tenuit regnum Persarum septem mensibus. Porro huic successit Hormisdas, quo a Saracenis pulso, factum est regnum Persarum [b] sub Arabibus usque in hodiernum diem. Anno vigesimo imperii Heraclii, Hormisda regnat in Persis. Cum autem Heraclius esset apud Hieropolim, venit ad eum Athanasius patriarcha Jacobitarum, vir acris, et nequam ingenii, Syrorum inditas versutias possidens, et moto de fide ad imperatorem sermone, repromisit ei Heraclius, si Chalcedonensem synodum suscepisset, patriarcham illum Antiochiæ se fore facturum. At ille simulate suscepit synodum, confitens duas unitas in Christo naturas. Interrogavit autem imperatorem de operatione ac voluntatibus, qualiter has in Christo oportet dici, duplas an simplas. Tunc imperator vocis novitate consternatus, scripsit Sergio Constantinopoleos episcopo. Advocat etiam Cyrum Phaselidis episcopum, et hoc interrogato, reperit eum consentientem Sergio in unam voluntatem et unam operationem. Sergius enim ut pote Syrus genere, ac parentibus Jacobitis existens, unam naturalem voluntatem et unam operationem in Christo rescripsit, atque confessus est. Ast imperator utriusque acquiescens consilio, reperit et Athanasium eis consentientem. Noverat enim quia ibi una operatio reperitur, ubi et una natura cognoscitur. Certus autem imperator super hoc factus scribit ad Joannem papam Romanum prædictorum sententiam, qui nequaquam eorum sectam admisit. Porro Georgio Alexandrino defuncto, mittitur Cyrus episcopus Alexandriæ præferendus. Qui unitus Theodoro episcopo Pharan, fecit decoloratam hydram illam, unitatem, imo vanitatem, unam et ipsi scribentes in Christo operationem. His ita prosequentibus, in ingens opprobrium Chalcedonense concilium et catholica corruit Ecclesia. Gloriabantur enim Jacobitæ ac Theodosiani, perhibentes : Quia non nos Chalcedonensi synodo, sed potius Chalcedonensis synodus nobis communicavit, per unam operationem unam confitendo naturam Christi. Inter hæc Sophronius consecratur episcopus Jerosolymitanus, qui, congregatis sub se degentibus episcopis, impium Monothelitarum dogma mucrone anathematis perculit, et synodicam Sergio Constantinopolitano, et Joanni Romano papæ transmisit. His vero auditis, Heraclius confusus est, et destruere quidem propria nolebat, et rursus opprobria non ferebat. Tunc Heraclius, ut magnum quiddam facere arbitrans, exponit scriptum illud, quod nuncupatur Zenonis edictum, continens neque unam neque duas operationes in Christo fatentes, quo lecto hi quoque qui sectatores Severi sunt, et ita sapiunt, in popinis et balneis catholicam detrahebant Ecclesiæ, perhibentes. Primum quidem quæ sunt Chalcedonitæ Nestorii sentientes resipuerunt ad veritatem conversi, et uniti nobis sunt per unam operationem in unam Christi naturam. Nunc autem pœnitentes super hoc, nec se habentes sensu, amiserunt utrumque, neque unam neque duas in Christo operationes confitentes. Post mortem vero Sergii Pyrrhus Constantinopolitanum suscepit thronum, qui quæ prædicta sunt a Sergio et Cyro impie roboravit. Heraclio vero mortuo, cum Constantinus filius ejus imperaret, Pyrrhus una cum Martina veneno hunc necavit, et imperat Heraclonas Martinæ filius. Porro senatus et tota civitas Pyrrhum ut impium cum Martina et filio ejus repulerunt, et imperat Constans filius Constantini, et consecratur Paulus episcopus Constantinopoleos et ipse hæreticus. Joannes autem Romanus præsul, collecto episcoporum concilio Monothelitarum hæresin anathematizavit. Similiter et in Africa penes [c] Byzantium, Numidiam, et Mauritaniam, diversi episcopi convenientes, Monothelitas anathemate perculerunt. Joanne sane dormiente Theodorus constituitur pro eo papa. Pyrrhus vero cum pervenisset ad Africam mutuis cum sanctissimo Maximo videtur aspectibus, Abbæ videlicet religiosissimo in monachicis correptionibus, necnon et divinorum illic consistentium pontificum præsentatur obtutibus. Qui hunc redargutum ac persuasum, Romam ad papam Theodorum direxerunt. Qui orthodoxiæ libello tradito papæ, ab eo receptus est. Interea cum Roma discessisset, Ravennamque pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo papa comperto Theodorus, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis apostolorum accessit, et divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi ex-

[a] Al., *Beranim*. Al., *Baraman*. P. Pith., *Doram*.
[b] Al., *sub Michammulh*.

[c] Al., *Byzacium*.

communicari facit. Præterea cum Pyrrhus Constantinopolim pervenisset, obeunte Paulo, audaces hæretici Pyrrhum denuo throno Constantinopolitano præficiunt. Theodoro autem papa defuncto, Martinus sanctissimus Romæ consecratur antistes. Cum autem Maximus Romam pervenisset, papamque Martinum ad æmulationem accendisset, synodo centum decem episcoporum collecta, Sergium, et Pyrrhum, et Cyrum, et Paulum anathematizaverunt, duasque voluntates et operationes Christi Dei nostri expressius prædicarunt, atque firmarunt. Cæterum nono anno imperii sui Constans nepos Heraclii, indictione octava, his agnitis furore repletus, sanctum Martinum et Maximum Constantinopolim ductos, et cruciatos apud Chersonam, et alia climata exsilio relegavit, multos etiam Hesperiarum punivit. Qui mori zelo Dei, synodo sacra et ipsi convocata, Monothelitarum hæresim abdicant, duas voluntates et operationes explanant. Taliter ergo Ecclesia tunc per imperatores et impios sacerdotes turbata, surrexit desolatorius Amalech persequens populum Christi, et fit prima ruina terribilis Romani exercitus, illa scilicet quæ secundum Gabatham, et Hermucham, ac Demitharum, ad effusionem sanguinis est effecta, post Palæstinarum, et Cæsariensium, et Jerosolymorum excidia; dein Ægyptius interitus, ac deinceps Mediterraneorum, et insularum, totiusque Romaniæ captivatio, sed et patrata in Phœnice omnimoda Romani exercitus, et classis perditio, omniumque Christianarum plebium, atque locorum destructio, quæ non cessavit, donec Ecclesiæ persecutor peremptus est in Sicilia. Anno vigesimo primo imperii Heraclii moritur Muhammat Saracenorum, qui et Arabum princeps, et pseudo-propheta, promoto Ebubezer cognato suo ad principatum suum. Ipsoque tempore venit auditio ejus, et omnes extimuerunt. At vero decepti Hebræi in principio adventus, æstimaverunt illum esse qui exspectatur ab eis Christus, ita ut quidam eorum qui intendebant ei, accederent ad ipsum, et ejus religionem susciperent, Moysi lege inspectoris Dei dimissa. Erant autem numero decem qui hoc faciebant, cum ipso quoque degebant usque ad cædem ejus. Porro cum eum comedentem aspicerent de camelo, cognoverunt, quod non esset quem æstimabant, et hæsitabant quid agerent, et utrum religionem ejus dimitterent, et formidantes miseri, docent eum contra nos Christianos illicita, et ita illi conversabantur cum ipso. Necessarium autem reor enarrandum de generatione hujus. Ex una generalissima tribu oriundus erat Ismaelis filii Abrahæ. Nizarus enim Ismaelis pronepos, pater eorum omnium dicitur. Hic genuit filios duos, Muhdar scilicet, et Rabian. Muhdar genuit [a] Iliez et Ziason, et Theomilnen, et Asydum, et alios ignotos. Hi omnes habitaverunt Madianitem eremum, et in eo nutriebant pecora, et in tabernaculis conversantes. Sunt autem

A et his interiores, qui non sunt de tribu ipsorum, sed ex Getham, videlicet hi qui vocitantur Amonitæ, qui et Homeritæ. Quidam sane eorum negotiantur in camelis suis. Cum autem inops, et orphanus esset prædictus Muhammat, visum est sibi ad quamdam introire mulierem locupletem, et cognatam suam, nomine [b] Esdigam, mercenarius ad negotiandum cum camelis ejus apud Ægyptum et Palæstinam. Paulatim autem fiducia penes ipsam mulierem percepta, quæ vidua erat, accepit eam uxorem, et habebat camelos illius atque substantiam. Cumque veniret in Palæstinam, conversabatur cum Judæis et Christianis. Capiebat autem ab eis quasdam scripturas. Porro habebat passionem epilepsiæ. Quo comperto conjux ejus valde tristabatur, utpote nobilis, et
B quæ se hujusmodi copulasset, egeno scilicet, et epileptico. Procurat vero et ipse placare illam taliter dicens: Quia visionem quamdam angeli Gabrielis dicti contemplor, et haud ferens hujus aspectum mente deficio, et cado. Ipsa vero cum haberet quemdam monachum alterum, propter infidelitatem ibidem exsulem habitantem, amicum suum, indicavit ei omnia, et angeli nomen. At ille volens eam reddere certam, dixit ei: Veritatem locutus est. Etenim iste angelus mittitur ad cunctos prophetas. Ipsa ergo primo suscepto pseudomonachi verbo, credidit ei, et prædicabat id aliis mulieribus contribulibus suis, Prophetam eum esse, et taliter ex feminis fama pervenit ad viros, primo duntaxat ad [c] Ebubezer, quem successorem suum reliquit. Et tenuit hæresis
C ejus partem eremi, postremo per bellum. Nam primum quidem occulte decem annis, et bello decem similiter, manifeste novem. Docuit autem auditores suos, quod qui occidit inimicum, vel ab inimico occiditur, in Paradisum ingrediatur. Paradisum vero dicebat carnalis cibi, et potum, et commistionis mulierum, fluviumque vini, et mellis, et lactis, et feminarum non præsentium, sed aliarum commisturam multorum annorum futuram, et affluentem voluptatem, necnon et alia luxuria, et stultitia plena. Compati tamen debebat invicem, et auxiliari patienti. Porro eodem anno natus est in Oriente David filius ejus, eademque die natus est Heraclius filius Heraclii junioris, qui et Constantinus appellatus est,
D et baptizatus est a Sergio patriarcha.

Anno vigesimo secundo imperii Heraclii, Ebubezer dux Arabum habetur, qui tribus principatus est annis. Persæ vero insurrexerunt invicem, et se mutuo debellarunt. Per idem quoque tempus rex Indorum mittit munera congratulatoria Heraclio in Persarum victoria, margaritas scilicet et lapides pretiosos multos. Mortuus est autem Muhammat, qui statuerat quatuor amireos expugnandi Christianos, qui ex genere Arabum fuerant, qui venerunt contra Mucheas castellum, in quo erat Theodorus [d] Begarius, volentes irruere in Arabas die qua idolis immolaturi erant. Comperto autem hoc Begarius collegit

[a] Al., *Curasum, et Raydon.*
[b] Al., *Chaldi.*

[c] Al., *Abubacharo.*
[d] Al., *bligarius, id est cubicularius.*

Digitized by Google

omnes milites eorum, qui eremum observabant, et A diligenter sciscitans a Sarraceno diem, et horam qua erant aggressuri eos, ipse irruens in eos in prælio, quod dicebatur μόθος, occidit tres amireos, plurimamque populi turbam. Exsiluit autem unus amiras, Chalegus nomine, scilicet quem Gladium Dei dicunt. Erant autem Arabum juxta positorum quidam, qui accipiebant ab imperatoribus rogas pauxillas ad custodiendum stoma eremi. Eodem tempore venit quidam spado daturus militum rogas. Et cum venissent Arabes secundum consuetudinem accepturi rogas suas, eunuchus eos ad iras impulit dicens : quia dominus vix dat militibus rogas, quanto minus canibus istis? Videntes ergo Arabes hoc abierunt ad generis sui viros, et ipsi duxerunt eos in regionem Gazæ, quæ aditus erat eremi contra Sida montem, locuples valde. Anno vigesimo tertio imperii Heraclii cum misisset Eububezer quatuor prætores, qui ducti fuerant ab Arabibus, ut prætuli, venerunt, et acceperunt Ran, et totam regionem Gazæ, tandemque aliquando cum venisset prætor a Cæsarea Palæstinæ cum militibus paucis, inito bello perimitur primus cum exercitu, qui trecentorum erat virorum, et multis captivis acceptis, et exuviis plurimis, reversi sunt cum victoria splendida. Porro eodem anno terræmotus factus est in Palæstina et apparuit signum in cœlo quod dicitur δοκίτης, contra meridiem, prænuntians Arabum potestatem. Perduravit autem diebus triginta extentum a Mesembria usque ad Arcturum : erat autem in modum gladii. Anno vigesimo quarto imperii Heraclii, Ebubezer moritur, qui principatus est annis duobus et dimidio; et sumit principatum Haumar, qui destinat exercitum adversus Arabiam, capitque Bostra civitatem una cum aliis civitatibus. Profecti sunt autem usque Gabata. Cum his bellum aggressus Theodorus imperatoris Heraclii frater, victus est, et ad imperatorem Edessam venit. Ast imperator ordinat alium prætorem nomine [a] Bahanem, et Theodorum sacellarium cum virtute Romaica, et adversus Arabes mittit. Cumque venisset Emesam occurrit multitudo Sarracenorum. Quibus occisis una cum his, qui eis principabantur, reliquos abigit usque Damascum, et illic juxta Bardanensium fluvium latebras fovent. Heraclius autem Syria derelicta in desperationem ruens, sublatis pretiosis lignis a Jerosolyma, Constantinopolim adiit. Bahanes autem a Damasco Emesam rediit una cum Theodoro sacellario, cum haberet exercitus quadraginta millia, et insequuntur Arabes ab Hesma usque Damascum. Anno vigesimo quinto imperii Heraclii, Sarraceni aciem direxerunt in Arabiam contra Damascum, cum essent multitudinis infinitæ. Quo Bahanes comperto, ad imperialem sacellarium mittit, ut veniret cum exercitu suo in auxilium sibi, cum plurima esset Arabum copia. Venit ergo sacellarius ad Bahanem. Qui profecti ab Emesa occurrerent Arabibus, et conflictu facto, prima die, quæ tertia feria hebdomadis erat mensis Augusti die vigesima tertia, superantur hi, qui circa sacellarium sunt inventi. Simultate autem facta, hi qui cum Bahane erant, Bahanem provehunt imperatorem, et Heraclium respuunt, tunc hi qui cum sacellario erant, discesserunt, et Sarraceni, aditu reperto, bellum ineunt. Inter hæc vento Noto spirante contra Romanos, non valentes in faciem occurrere propter pulverem superantur, et semetipsos immittentes in arctam viam Hermuctani fluminis, illic penitus interierunt. Erant autem utriusque prætoris quadraginta millia. Tunc Sarraceni splendide triumphantes contra Damascum veniunt, et hanc capiunt, et regiones Phœnices capiunt, et habitant illic, et in Ægyptum aciem dirigunt. Cyrus autem Alexandrinus episcopus, cum horum impetum cognovisset, operam dedit, et pactis firmatis pollicetur, B timens avaritiam eorum, ducenta millia denariorum per singulos annos illis collaturam Ægyptum, sed et diffinitarum eis induciarum fore aurum missurum. Quibus præstitis per tres annos, Ægyptum liberam ab exterminio statuit. Accusatur interea Cyrus apud imperatorem, quod aurum Ægypti Sarracenis tribueret, qui cum iratus misisset, hunc accersivit. Manuelem vero quemdam Armenium genere destinavit Augustalem. Cum autem annus adimpletus esset, Sarracenorum actores venerunt aurum accipere. Ast Manuel inefficaces eos expellit. Non sum, inquiens, Cyrus inermis, ut tributa vobis tribuam, sed armatus sum. Cumque isti abissent, confestim armantur Sarraceni adversum Ægyptum, et Manueli C bello illato, hunc abigunt. Ipse vero cum paucis quibusdam Alexandriæ solus recipitur. Tunc Sarraceni Ægyptum sub tributo reddidere. Ast imperator, auditis his quæ gesta sunt, mittit Cyrum persuadendum eis ab Ægypto sub priori placito recedendi, et abiens Cyrus ad castra Sarracenorum, rationem reddit, se esse perhibens prævaricationis obnoxium, et si vellent priorem concordiam, juramentis affirmaturum. Porro Sarraceni nullatenus his acquiescentes dixerunt episcopo : Potes hanc maximam columnam devorare? Qui ait : Non potest fieri. At illi : Nec nobis, inquiunt, possibile est ulterius ab Ægypto recedere. Anno vigesimo sexto imperii Heraclii, aciem direxit Haumar contra Palæstinam, et obsidens sanctam civitatem biennii tempore cepit eam verbo. D Sophronius namque Jerosolymitanus summus sacerdos verbum accepit ad totius Palæstinæ securitatem. Cumque Haumar sanctam civitatem fuisset ingressus, ciliciniis ex camelis, et sordidis indumentis amictus, simulationemque satanicam ostentans, templum exquisivit quod Salomon construxerat, ad blasphemiæ suæ oratorium. Hoc advertens Sophronius ait : In veritate istud est abominatio desolationis quæ dicta est per Danielem prophetam, stans in loco sancto, multisque lacrymis hic pietatis propugnator Christianam deflevit plebem. Dum vero illic Haumar esset, rogavit eum episcopus accipere sindonem cum indumento, et indui, at ille non patiebatur ea portare. Vix ergo persuasit his vestiri, donec sua lava-

[a] Al., *Bahantem*. Al., *Buhanem*.

rentur, et iterum reddidit ea Sophronio, et vestitus est propriis. Verum inter hæc Sophronius obiit, qui verbo et actu Jerosolymitanam adornavit Ecclesiam, et contra Heraclii, et fautorum ejus Monothelitarum, Sergii scilicet et Pyrrhi, decertavit errorem. Eodem quoque anno misit Haumar in Syriam, et subegit totam Syriam Sarracenis. Anno vigesimo septimo imperii Heraclii venit Joannes cognomento [a] Chatheas procurator Hozroenæ ad Hyaidum apud Chalcedonem, et spopondit ei dare per singulos annos centum millia numismatum, ne transiret Euphraten, neque ad pacem, neque ad bellum armatus, quousque auri quantitatem persolvant. Præterea Joannes Edessam venit, et annuum censum delatum ad Hyaidum transmisit. Heraclius, hoc audito, Joannem obnoxium judicabat, quod absque imperiali hoc fecerit notione, et quem accersitum exsilio damnavit. Porro pro eo destinant Ptolemæum quemdam, magistrum militum. Anno vigesimo octavo imperii Heraclii ceperunt Arabes Antiochiam, et missus est Muhavias ab Haumaro prætor, et amiras totius regionis, quæ sub Sarracenis erat, ab Ægypto videlicet usque Euphraten.

Anno vigesimo nono imperii Heraclii, transmeavit Hyaidus cum omni militia sua ad Euphraten, et venit Edessam. Edesseni autem aperientes acceperunt verbum, una cum regione, magistroque militum, ac Romanis, qui cum ipso erant. Ast illi Constantiam abeunt, depopulantesque illam accipiunt bello, et trecentos Romanos interimunt, et illinc abierunt A Daras, et hanc bello comprehenderunt, et in illa plurimos perdunt, taliterque Mesopotamiam Hyaidus cepit. Anno trigesimo imperii Heraclii Sarraceni aciem direxerunt in Persidem, et ineunt cum eis bellum, potenterque vincentes, omnes sibi Persas subditos reddunt. Hormisdas autem, qui Persis imperabat, ad interiores Persas fuga lapsus evasit, et dimisit regalia. At vero Sarraceni captivas duxerunt filias Chosdrois cum omni apparatu regio, et detulerunt ad Haumar. Eodem quoque anno jussit Haumar universum describi orbem, qui sub ipso erat. Facta est autem descriptio tam hominum, quam jumentorum, et frugum.

### CONSTANTINUS.

Anno trigesimo primo imperii sui Heraclius imperator moritur, hydropicus factus, cum imperasset B annis triginta. Imperat autem post eum Constantinus filius ejus mensibus quatuor, venenoque propinatus a Martina noverca sua, et Pyrrho patriarcha, moritur, et imperat Heraclonas Martinæ filius cum matre Martina.

### HERACLONAS.

Anno primo imperii Heraclonæ, capit Muhavias Cæsaream Palæstinæ post septennium obsidionis ejus, et occidit in ea septem millia Romanorum. Eodem anno senatus repulit Heraclonam, una cum Martina matre illius, ac Valentino, lingua Martinæ, et naso Heraclonæ abscisso. Eisque in exsilium destinatis ad principatum Constantem filium Constantini, nepotem Heraclii provehunt, qui imperavit annis viginti septem.

[a] Al., *Catxas*. Ms. Græcus καττᾶς.

C

# LIBER UNDEVIGESIMUS.

### CONSTANS.

Anno ab Incarnatione Domini 631 Constans imperare cœpit. Cum primo videlicet imperii sui anno regnare cœpisset, dicebat ad synclitum: Patris mei Constantini qui me genuit, quique in vita proprii genitoris, avi mei scilicet Heraclii, sufficienti tempore cum eo imperavit, post hæc vero etiam nimis brevi, suavissimam spem Martinæ novercæ ipsius invidia concidens vita privavit, et hoc propter Heraclonam, qui ex ea et Heraclio nefarie natus est, quam Martinam cum nato vestrum cum Deo decretum jure ab imperio repulit, ne violaret tam nequam Romanorum imperium, valde provida cum esset amplissima vestra, et honesta magnificentia. Propter quod rogo vos habere vos consiliarios, et peritos ex communi subjectorum obsequio. Et his dictis dimisit senatum, hunc donis dapsilibus honorans. Anno imperii Constantis secundo cœpit Haumar ædificare templum in Jerusalem, et non stabat, sed ruebat structura. Sciscitanti autem ei causam, dixerunt Judæi, quia nisi crux, quæ est supra templum montis Olivarum, tollatur, haud stabit structura, et propter hanc causam, sublata est crux illinc, et ita constitit illic ædificium. Propter hanc etiam causam multas [a] cruces fecerunt hi qui adorant Christum. Anno tertio imperii Constantis, seditionem excitavit Valentinianus patricius, mittensque imperator hunc occidit, et populum ad sui reduxit benevolentiam. Anno quarto imperii Constantis, fraude occisus est Haumar Sarracenorum dux a quodam Perse Margarita. Denique inventum cum adoraret, pupugit eum in ventre gladio affixo, et sic vivere desiit, cum amiras fuisset annis duodecim, et post eum statuitur Hoamen hujus cognatus, filius Tufan. Anno quinto imperii Constantis Hoamen Arabum princeps habetur, et simultatem concinnat Gregorius patricius Africæ, una cum Afris. Anno sexto D imperii Constantis, factus est in terra ventus vehemens, qui multa germina evulsit, arboresque ingentes radicitus extirpavit, atque multas columnas, et chorum deposuit monachorum. Eodem vero anno Sarraceni hostiliter Africam adierunt, et conflictu agitato adversus tyrannum Gregorium, hunc in fugam vertunt, et eos qui cum ipso erant, interimunt, et hunc ab Africa pellunt, atque tributis cum Afris ordinatis et pactis reversi sunt. Anno septimo im-

[a] Al., *cruces deposuerunt hi qui oderant Christum.*

Digitized by Google

perii Constantis, exercitum movit Muhavias per mare adversus Cyprum. Habebat autem scaphas mille septingentas, et cepit Constantiam cum insula tota. Cum vero hanc cepisset, exterminavit. Porro audiens Carcorizum cubicularium contra se cum plurima virtute Romaica venientem, navigavit adversus Aradum, et applicans cum navigio suo apud municipium insulæ, castrum conabatur capere, variis machinamentis usus. Cum autem nil agere valuisset, mittit episcopum quemdam Thomaricum nomine, deterrens eos quo dimitterent civitatem, et sub fœdere suo essent, exirentque ab insula. Cum itaque ingressus ad eos episcopus fuisset, tenuerunt eum. Porro Muhaviæ cedere noluerunt. Igitur obsidione, quam adversus Aradum constituerat, nullius momenti effecta, Damascum reversus est. Nam hiems accesserat. Anno octavo imperii Constantis movit Muhavia exercitum valenter adversus Aradum præliaturus, et hanc obtinuit verbo, ad habitandum dimittens cives ubicunque voluissent. Civitatem vero muris dissolutis incendit, et insulam usque ad præsens inhabitabilem statuit. Anno nono imperii Constantis, Busor princeps exercitus, una cum Arabibus acies direxit adversus Isauriam, et occisis multis cum quinque millibus captivorum reversus est. Mittit autem Imperator Constans Procopium quemdam ad Muhaviam quærens pacem. Quod et factum est annis duobus, Gregorium filium Theodori sumente Muhavia loco pignoris in Damascum. Anno decimo imperii Constantis, simultatem excitavit imperatori Fasagnates Armeniorum patricius, et fœdera pepigit cum Muhavia dans ei filium suum. Quo audito imperator venit usque ad Cæsaream Cappadociæ, et desperatus ab Armenia rediit. Anno undecimo imperii Constantis cinis e cœlo descendit, et timor magnus super omnes homines cecidit. Anno duodecimo imperii Constantis Muhavias Rhodum rediens, destruxit colossum ejus post mille trecentos sexaginta stabilitatis ipsius annos, quem cum Judæus quidam Emesenus negotiator emisset, nongentos camelos ex ejus ære oneravit. Eodem anno Avidus Arabum prætor adversus Armeniam movit, qui consecutus Maurianum prætorem, insecutus est eum usque ad Caucasios montes, et regionem deprædatus est. Anno decimo tertio imperii Constantis, præcepit Muhavias armaturam fieri magnam navium, quo ascenderet ad regiam urbem classis eorum. Omnis autem apparatus eorum apud Tripolim Phœnices consistebat. Verum hoc viso, duo fratres quidam Christi amici Tripoli manentes, filii buccinatoris cujusdam, zelo Dei sauciati ad carcerem civitatis cucurrerunt impetu, habebat autem multitudinem Romanorum vinculatorum, et disruptis portis, vinclisque solutis, in amiram irruerunt. Quo perempto una cum his qui cum eo erant, præparaturaque omni igni tradita, in Romaniam navigio transierunt. Verumtamen nec sic illi ab eadem præparatura cessaverunt. Sed Muhavias quidem militat contra Cæsaream Cappadociæ. Ablulathar vero fabrum navalis structuræ constituit, qui

A veniens in locum divertit, vocabulo Phœnicem Lyciæ, ubi erat Constans imperator, atque Romaicus stolus, cum eo navaliter pugnaturi. Cumque futurum esset, ut imperator cum ipso navigio præliaretur, contemplatur nocte illa visum videlicet apud Thessalonicenses esse. Porro cuidam conjectori somniorum expergefactus narrat visionem, qui ait : O imperator, utinam nec dormisses, nec somnium aspexisses! Nam esse Thessalonicæ θὲς ἄλλῳ νίκην innuit, quod interpretatur : Pone alii victoriam, id est, ad inimicum tuum victoria vertitur. Sane imperator nihil inveniens ad prælium navalis pugnæ, Romanorum classes præstruxit ad bellum. Quibus in alterutrum irruentibus superantur Romani, et commixtum efficitur mare sanguine Romanorum. Induit autem
B imperator alium veste sua, et insiliens prædictus buccinatoris filius in regiam scapham imperatorem arripuit, et in aliam navim transductum inopinate salvavit. Porro ipse fortissimus viriliter insistens imperatoriæ navi multos occidit, mortique seipsum pro imperatore contradidit. Hunc præterea hostes circumdantes, et in medio retinentes, putabant ipsum esse imperatorem. Postquam autem multos occiderunt, interfecerunt hostes, et ipsum, una cum eis qui portabant imperatoriam vestem. Ast imperator taliter in fugam versus salvatur, et derelictis omnibus navigavit Constantinopolim. Anno decimo quarto imperii sui dolo necatus est Hoamen Arabum dux, cum amiras decem fuisset annis. Fit interea duellum
C in medio ipsorum. Quotquot enim penes eremum erant, alii volebant consobrinum, alii generum existentem quondam Muhammath. Hic vero qui in Syria, et Ægypto, Muhaviam cupiebant, qui et vicit, et obtinuit annis viginti quatuor. Anno quinto imperii Constantis, Arabum princeps Muhavias habetur, qui exercitum congregavit adversus Halim, et congrediuntur ambo in terra Balissum juxta Euphraten. Hi vero qui erant Muhaviæ cum essent validiores, aquam obtinuerunt. Unde in sitim venientes hi, qui erant Halim, defecerunt. Porro Muhavias bellare noluit, sed sine labore victoriam tulit. Anno decimo sexto imperii Constantis exercitum movit contra Sclaviniam imperator, et captivos duxit plurimos, et subegit. Anno decimo
D septimo imperii Constantis facta est conventio inter Romanos et Arabes, Muhavia legationem mittente ob rebellionem, ut tribuant Romanis Arabes per singulos dies numismata mille, et equum, et servum. Eodem vero anno exsilio ductus est Martinus sanctissimus papa Romanus, pro veritate fortiter agonizans, et confessor factus, in climatibus Orientis defunctus est.

Anno decimo octavo imperii Constantis, Constans occidit Theodosium proprium fratrem suum. Cum autem essent Arabes apud Saphin, dolo necatus est Hali prædictus, et singulariter imperat Muhavias regio more Damascum inhabitans, pecuniarum illic thesauros recondens. Anno decimo nono imperii Constantis apparuit hæresis Arabii, eorum videlicet

Digitized by Google

qui dicuntur Caurargitæ. Muhavias autem hos aggressus, eos qui erant in Perside humiliavit: eos vero qui in Syria erant, exaltavit, et alios quidem vocavit Hisamitas, alios autem Heraclitas, et Hisamitarum quidem donativa sublimavit usque ad ducenta numismata: porro Heraclitarum deposuit usque ad triginta. Anno vigesimo primo imperii sui, exercitum moverunt Arabes contra Romaniam, et multos deprædati sunt, et loca nonnulla depopulati. Anno vigesimo secundo imperii Constantis prædæ patuit Ciliciæ pars, et habitaverunt Damasci voluntate sua. Anno vigesimo tertio imperii Constantis factus est error Jejuniorum, et exercitum movit Habdinarramen [a] Chaldæus adversus Romaniam, et in ea hiemavit, et multas demolitus est regiones. Porro Sclavini ad hunc confluentes cum ipso descenderunt in Syriam numero quinque millia, et habitabant in Apamiensium regione in castello Seleucobri. Anno vigesimo quarto Busur exercitum in Romaniam movit, et mortuus est Thomaricus episcopus Apamiæ, et incensus est episcopus Emesenus. Anno vigesimo quinto imperii Constantis exercitum rursus movit Busur in Romaniam, et exterminavit partes Hexapoleos, et Phadalæ, illicque hiemavit. Anno vigesimo sexto imperii Constantis, Armeniacorum prætor Saporius, Persa genere, tumultuatus est contra Constantem imperatorem, mittitque ad Muhaviam Sergium magistrum militum, pollicens Muhaviæ subjugare Romaniam, si ipse sibi auxiliaretur adversus imperatorem. Quo comperto Constantinus filius imperatoris, mittit et ipse ad Muhaviam Andream cubicularium cum muneribus, ne rebelli cederet. Cumque venisset Andreas Damascum, reperit Sergium [b] prævenisse, et cum ingressus fuisset Andreas, intuitus eum Sergius surrexit. At vero Muhavia Sergium reprehendit, dicens. Quid formidasti? Qui respondit se juxta morem fecisse. Conversus præterea Muhavia, dicit Andreæ, Quid quæris? Qui ait, ut des auxilium contra rebellem. At ille: Ambo, inquit, inimici estis, sed ego ei [c] qui præbuerit, dabo. Et Andreas ad eum: Ne ambigas, infit, amiras, quomodo tibi imperatoris meliora sunt, quam plura rebellis. Verumtamen quod amabilius tibi fuerit age. Et his dictis Andreas tacuit. At vero Muhavias ait: Tractabo super hoc, et ambos jussit exire. Porro advocato Muhavias secreto Sergio, dicit ei: Ne ulterius adores Andream, alioquin nihil proficies. In crastinum vero perveniens Sergius coram Muhavia sedebat, et ingresso Andrea, non ei assurrexit ut heri. Andreas vero intuitus Sergium, hunc conviciis laceravit, et commotus est ei dicens, Si vixero, demonstrabo tibi qui sim. Cui Sergius, Non assurgo tibi, inquit, quia neque vir es, neque femina. Porro Muhavia utrumque compescens, Andreæ dixit: Assentire dare, quemadmodum Sergius dat. Et quantum est? ait Andreas. Muhavia dixit: Illationem publico-

A rum præbere Arabibus. Ast Andreas: Væ tibi, ait, Muhavia, qui consilium tribuis corpus dandi, et solam umbram retinendi. Quemodocunque volueris cum Sergio conveni, hoc enim ego minime facio. Verumtamen te dimisso ad Deum qui te potentior est, ut Romanis opituletur confugimus, et in eo spem posuimus. His dictis Muhaviæ infit: Salve; et exivit a Damascensium civitate, et abiit Melitenen, eo quod tyrannus esset in partibus illis, ad quas Sergius erat iturus. Cumque adisset Arabessum, incurrit clausurarum custodem, non enim consentiebat tyranno. Huic ergo præcepit observare Sergium redeuntem ut adduceret ad se: ipse vero pergebat non immemor, Sergium præstolans. Quæ vero gesta sunt, nuntiavit imperatori. Interea Sergius tractans cum B Muhavia quæ visa fuerant, accepit Phadalam prætorem Arabum cum ope barbarica concertaturum, et auxiliaturum Sapori. Cum autem præcederet Sergius Phadalam, et ad Sarem gratulanter abiret, devenit ad clausuras, et in Andreæ incidit turbas, et hunc retinentes, vinctum ad Andream advehunt. At vero Sergius, viso Andrea, jactat semetipsum ad pedes ejus, obsecrans parcere sibi. Ille autem ad eum, Tu, inquit, es Sergius, qui gloriabaris in virilibus coram Muhavia, meque mulierculam appellabas. Ecce amodo virilia tua tibi nihil proderunt, quin potius et morte afficient. His dictis præcepit virilia ejus abscindi, et suspendi eum in ligno. Constantinus autem audito Phadalæ adventu in Saporis auxilium, Nicephorum C patricium destinat cum Romana virtute resistendi Sapori. Erat autem Sapor Adrianopoli degens, et cum Nicephorum ad se venire comperisset, exercebat semetipsum ad prælium. Verum die quodam contigit hunc secundum consuetudinem de civitate super equum sedentem exire, cumque portæ civitatis appropinquasset, equum flagello percussit, qui jactanter saliens, et hujus caput in portam allidens, hunc vita male privavit, et sic Deus victoriam imperatori contulit. Phadalas autem veniens in Hexapolim, et hæc omnia discens turbatus est, et mittit ad Muhaviam postulans adjutorium, eo quod Romani ad concordiam convenissent. Mittit autem Muhavias filium suum Gizid, armans eum contra multitudines Romanorum. Convenerunt autem utrique apud Chalcedo- D nem, et [d] captivos duxerunt multos. Ceperunt autem et Amorium Phrygiæ, et quinque millibus armatorum virorum dimissis in custodiam, diverterunt in Syriam. Cum autem hiems accessisset, mittit imperator eumdem Andream cubicularium, et cum nix multa esset, noctu venit, et per lignum ascendit in murum, et ingrediuntur Amorium, et omnes interficiunt Arabes, ita ut ex quinque millibus illis nullus penitus remaneret. Anno vigesimo septimo imperii sui Constans occisus est dolo in Sicilia apud Syracusam, in balneo, cui nomen erat Daphne; fuerat autem causa hæc: post interemptionem fratris sui

[a] Al., *Chaledi.*

[b] P. Pith.: *prævenisse. At vero Mauchias simulabat se imperatori compati. Sedebat autem Sergius.*

[c] Al., *qui plus præbuit.*

[d] Al., *captivos Arabes duxerunt.*

Digitized by Google

Theodosii odio habitus est a Bizantiis, et maxime quia Martinum sanctissimum papam ignominiose Constantinopolim duxit, et exsilio relegavit penes Chersonis climata, et maximi et sapientissimi confessoris linguam, manumque truncavit, et multos Orthodoxorum verberibus, et exsiliis, et proscriptionibus, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescerent, condemnavit. Quin et duos Anastasios, qui fuerant discipuli Maximi confessoris, et martyris, tormentis, et exsiliis tradidit; propter talia ergo exosus effectus est. Cum autem valde metueret, voluit in urbem Romam imperium transferre. Unde imperatricem, et tres filios suos tollere a Byzantio voluit, nisi Andreas cubicularius, et Theodorus patricius Coloniæ hujus prohibuissent consilium. Sane in Sicilia fecit annos sex. Cumque prædictum balneum ingressus esset, introivit cum eo quidam Andreas filius Troili, obsecundans illi, et cum cœpisset [a] sapore gallico deliniri, sumens Andreas situlam, dedit eam in verticem imperatoris, et protinus fugit. Ast imperator cum tardaret in balneo, insiliunt hi qui foris erant, et reperiunt imperatorem occisum. Quo sepulto, Mitium quemdam Armenium imperatorem faciunt, vi cogentes eum: erat enim valde decorus, et speciosus. Audito prætεrea Constantinus patris obitu, cum multo navigio in Siciliam venit, et aggressus Mitium hunc interfecit cum occisoribus patris sui. Et ordinatis Hesperiis Constantinopolim rediit, et Romanis una cum Tiberio et Heraclio fratribus imperat.

## CONSTANTINUS.

Anno ab Incarnatione Domini 660 Constantinus imperat. Sarraceni autem moverunt exercitum in Africam, et captiva duxerunt millia, ut ferunt, octoginta. Porro hi qui Orientalium partium erant, Chrysopolim venere dicentes: Si in Trinitatem credimus, omnes tres coronemus. Turbatus ergo est Constantinus eo quod ipse solus redimitus, fratres autem ejus nullam dignitatem habebant, et misso Theodoro Patricio Coloniæ mitigavit eos, superlaudans illos, et assumptis majoribus natu, ut urbem ingrederentur rogavit, et cum senatu inirent consilium, ut fiat voluntas eorum. Imperator autem hos deceptos confestim in patibulo suspendit trans fretum in Syce. At illi, hoc viso, confusi abierunt dolenter ad propria. Constantinus ergo fratrum suorum nares abscidit. Anno secundo imperii Constantini [b] tempestas magna effecta est, et multi periclitati sunt, tam homines, quam bestiæ. Phadalas autem hiemem fecit apud Cizicum. Anno tertio imperii Constantini profectus est cum hostili apparatu, et plurimis captivis ductis reversi sunt. Anno vero 4 Constantini, apparuit iris in cœlo mense Martio, et tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quod consummatio est. Eodem anno, stolo magno constructo, negatores Christi, Muhammat scilicet, et Caysus navigaverunt in Ciliciam, [c] et Lyciam, et

A facta est mortalitas in Ægypto. Missus est autem Sævus Amires cum alio quoque stolo in auxilium ipsorum, utpote congruentissimus, et audax ad prælium. At vero prælatus Constantinus, hujuscemodi Deum impugnantium adversus Constantinopolim motu comperto, construxit et ipse trieres miræ magnitudinis ignem ferentes, atque dromones. Anno quinto imperii Constantini prædictus Deum impugnantium stolus ascendens applicavit in Thracensibus partibus, a summitate videlicet Septimii, quæ vergit ad Occidentem, id est, a domo quæ Magnaura dicitur, et rursus usque ad arcem, quam Cyclobium dicunt, quæque spectat ad Orientem. Per totum itaque diem congressio belli tenebatur, id est, a mane usque ad vesperam, a brachialio aureæ B portæ usque Cyclobium, invicem utraque parte in uno pulvere impellente. In his ergo degnerunt ab Aprili mense usque ad Septembrem, et reversi Cizicum pergunt, et hac comprehensa illic hiemabant, et omni vere ascendentes similiter conflictum cum Christianis habebant. Per septem sane annos eisdem gestis, divina, Deique genitricis ope multitudine virorum bellicosorum amissa, et vulneratione maxima in eis effecta confusi, ac reversi cum ingenti mœstitia sunt. Cum autem discessisset idem demergendus a Deo stolus, ab hiemali æstu, ac spiritu procellarum circa partes Scillei comprehenditur, et contritus totus omnino disperiit. Suphian autem filius Aruph secundus frater commisit bel- C lum cum Floro, et Petrona, et Cypriano habentibus Romaicam virtutem, et occiduntur triginta millia. Tunc Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos profugus venit, qui marino igne confecto Arabum vasa exussit, et una cum animalibus incendit, et ita Romani cum triumpho reversi sunt, marino igne adinvento. Anno sexto imperii Constantini Cadallus filius Chaisi, et Phadalles hieme apud Cretam morati sunt. Anno septimo imperii Constantini apparuit signum in cœlo in die Sabbati. Anno octavo imperii Constantini facta est locusta magna per Syriam, et Mesopotamiam. Anno nono imperii Constantini ingressi sunt [d] Mardaitæ Libanum, et tenuerunt a Mauro monte usque ad sanctam civitatem, et ceperunt cacumina Libani, et D multi captivi, et servi, et indigenæ confugerunt ad eos, ita ut multa millia in brevi tempore fierent. Quibus compertis Muhavias, et consiliarii ejus timuerunt valde, colligentes quod imperium Romanum divinitus muniatur, et dirigit legatos ad principem Constantinum postulans pacem, et pollicitus annualia se imperatori pacta laturum. Ast imperator hujuscemodi susceptis, eorumque petitione audita, destinavit cum eis in Syriam Joannem Patricium cognomento Pitzigaudin, tanquam antiquæ prosapiæ virum, Reipublicæ, et multorum negotiorum exspertum, atque magnam consecutum prudentiam,

[a] Al., *Sapone.*

[b] *Hiezor tempestas.*

[c] *Et Lyciam, et hiemaverunt penes Smyrnam.*

[d] In veteri Codice Dionysii Hugonis Floriacensis scriptum erat in margine: *Marduitas Græci Piratas appellant.*

Digitized by Google

ad disputandum aptissime cum Arabibus, et quæ pacis sunt consone præstruendum. Qui cum venisset in Syriam, coacervatione Muhavias tam Amireorum, quam [a] Girasinorum effecta, suscepit eum cum honore magno. Multis ergo inter eos verbis pacificis edictis, convenit inter utrumque in scriptis fieri pacis cum jurejurando sermonem super consonantia annui pacti præbendi, videlicet Romanæ Reipublicæ ab Agarenis auri librarum tria millia, viros captivos quinquaginta, et equos nobiles quinquaginta. His ex communi placito inter utramque partem firmatis, et in triginta servandis annos mutuo repromissis, amplissima pax inter Romanos et Arabes est effecta. Sicque generalibus duobus inscriptis verbis ad alterutrum cum jurejurando patratis, et invicem traditis, sæpedictus famosus vir ad imperatorem cum muneribus quoque multis reversus est. Cum autem hæc didicissent hi qui Hesperias partes inhabitant, tam videlicet, Chajanus Avarus, et ulteriores reges, quam Exarchi, et Castaldi, nec non et principes nationum ad Occidentem sitarum, per legatos muneribus imperatori transmissis pacificam erga se dilectionem poposcere firmandam. Annuens itaque imperator postulationibus eorum, confirmavit etiam circa illos donatoriam pacem, et facta est securitas magna in Oriente, nec non et Occidente. Anno decimo imperii Constantini factus est terræ motus magnus per Mesopotamiam. Corruit Edessenæ ascensus, et trullus Ecclesiæ, et construxit cum Muhavias Christianorum studio. Anno undecimo imperii Constantini mortuus est Muhavias protosymbolus Sarracenorum, qui fuit prætor annis viginti, et amiræ functus officio annis viginti quatuor, et principari cœpit Gizid filius ejus. Hoc quoque anno Bulgaris gens supervenit in Thracem. Verum inter hæc necesse est dicere de antiquitate quoque Onogundurensium Bulgarum, et Contragensium. In septentrionalibus namque Euxini ponti partibus, quæ meabiles sunt, et in paludibus, quæ dicuntur Mæotides, in eas immittitur fluvius maximus ab Oceano per Sarmatarum terram dilapsus, nomine Atel, cui Tanais amnis est junctus, et ipse ab Iberibus portis exiens, quæ in Caucasiis montibus esse feruntur, et in eumdem Atel fluens infertur. A mixtura vero Tanais, et Atel, quæ fit supra jam dictas Mæotidas paludes, dum scinditur Atel, venit is qui dicitur Eucthis fluvius in Mæotidas paludes, et redit in terminum pontici maris, juxta Necropela, et [b] acroma, quod dicitur arietis facies. A præsignatis vero paludibus simile flumen mari est, et fertur in Euxini ponti mare per terram Bosphori Cimmerii, ex quo flumine capitur id quod dicitur Murzilin, et huic similia, et in partibus quidem adjacentium paludum quæ spectant ad Orientem, usque ad Phanagoriam, seu Iberos qui ibidem sunt, plurimæ nationes consistunt. Ab eisdem autem paludibus usque in amnem cui dicitur Cuphis, ubi Xyxtus capitur, qui dicitur Bulgaricus piscis, antiquitus Bulgaria est magna, et hi qui dicuntur Contragi, ejusdem cujus et ipsi tribus existunt. Temporibus autem Constantini, qui in Occidente regnavit, cum [c] Orbatus dominus jam dictæ legionis Bulgariæ, seu Contragorum vitam commutaret, ac filios quinque relinqueret, testatus est ne ullo modo a mutua cohabitatione separarentur, ipsique nulli alteri nationi servirent. Post breve autem tempus mortis illius, in divisionem venientes quinque filii ejus altrinsecus sequestrati sunt una cum populo, quem unusquisque eorum ditioni suæ subjectum habebat. Et primus quidem filius ejus qui dicebatur Buthajas, mandatum proprii custodiens patris, in progenitorum suorum terra permansit usque in præsens. Secundus vero hujus frater nomine Contaragus Tanaim transiens fluvium, ex adverso primum habitavit fratri. Quartus autem, et quintus Istrum, id est Danubium fluvium transmeantes, unus eorum in Avariæ Pannonia Chajano Avaro se subdens, mansit illic cum potentatu suo: alter vero haud procul ab urbe Ravenna in Pentapolim veniens, sub Christianorum imperio factus est. Deinde horum tertius Hasparuch dictus, Danaprin, et Danastrin transiens, et Honglon adiens, boreos interiores Danubio fluvios, inter hunc et illos habitavit, tutum et difficilem locum hinc et inde conspiciens, dum enim esset palustris, et hinc illincque fluminibus coronatus, copiosam genti propter hostium participationem humilitate præstabat quietem. His autem ita in quinque divisis, et ad paucitatem devenientibus, exivit gens magna Gazarorum ex interiori profundo Berziliæ primæ Sarmatiæ, et dominata est omni perviæ terræ usque ad Ponticum mare, et primum fratrum Buthajam primæ Bulgariæ principem substituit, ordinatis vectigalibus, quæ ab eo deferunt usque nunc. Ast imperator Constantinus comperto quod ex Triplo gens immunda et sordida ultra Danubium apud Honglon tabernaculum fixerit, et appropinquans Danubio discurrit per regionem, quæ nunc tenetur ab illis, quæque tunc a Christianis possidebatur, tristatus est vehementer, et jubet transire omnes exercitus in Thracem. Et construens classem tam per terram, quam per mare, contra eos motus est, hos bello persequi volens, et contra Hoglon atque Danubium per Epirum pedites in aciem dirigens, et appropinquans littori naves adesse præcepit. Porro Bulgares hac celeritate, seu maxima multitudine visa, super salute sua desperati ad præsidium prædictum confugiunt, et sese circumquaque muniunt. Per tres autem dies et quatuor, ex hujuscemodi munitione nec illis exire audentibus, nec Romanis propter adjacentium paludum occasionem prælium construentibus, animadvertens polluta gens remissos Romanorum animos, recreata et alacrior facta est. Porro cum imperator pedum dolorem acrius pateretur, et meri-

[a] Al., *Corasinorum*.
[b] Al., *nacroma*.
[c] Al. *Crobatus*.

Digitized by Google

diem cogeretur ob balnei usum, una cum quinque dromonibus et propriis hominibus suis reverti, deseruit magistratus, et populum, jubens cum lanceis vibrantibus exercitari, et impetum in eos movere si fortassis exirent. Sin autem, obsiderent eos, et obcluderent munitionibus. At vero hi qui erant equestris militiæ, imperatorem fugisse diffamantes, metuque oppressi, eadem tergiversatione abusi sunt nemine persequente. Porro Bulgares, hoc viso, insequebantur post terga ipsorum, et plures quidem gladio peremerunt, multos vero vulneraverunt, persecuti eos usque ad Danubium. Quem transeuntes, et venientes usque ad eam quæ dicitur Barnan circa finem Odissi, et mediterraneo illic posito perspecto, quod in multa cautela consisteret, in posterioribus quidem propter Danubium fluvium, in anterioribus autem, et ex lateribus ob clausuras, et ponticum mare, præsertim cum dominarentur adjacentium Sclavinorum generationibus, quæ dicebantur septem: Severos quidem locaverunt ab anteriore clausura Veregaborum ad partes Orientales: in locis autem quæ sunt ad Meridiem et Occidentem usque ad Avariam, residuas septem generationes quæ sub pacto erant. Ergo cum dilatati fuissent in his, elati sunt et cœperunt ea quæ sub Romana rep. erant castra, seu prædia destruere, atque prædari. Unde vi coactus imperator fecit pacem cum eis, annua illis præbere pacta pollicitus in confusionem Romanorum ob multitudinem delictorum. Mirabile quippe ipso auditu erat his qui longe et qui prope degebant, quod is qui omnes tributarios sibi statuerat, tam videlicet eos qui ad Eoum et Occasum, quam ad Arctum et Mesembriam commorabantur, ab ista detestabili gente fuerit superatus. Verum imperator ita quidem ex providentia Dei hoc Christianis contigisse credens, evangelice tractans pacem fecit, et fuit usque ad obitum suum quietus a cunctis hostibus, studium habens præcipuum uniendi Ecclesias universas Dei, quæ ubique divisæ fuerant, a temporibus Heraclii proavi sui, et Sergii vesani, ac Pyrrhi, qui indigne throno Constantinopoleos præfuere, unam voluntatem et unam operationem in Domino Deo Salvatore nostro dogmatizantium, quorum nequam opiniones idem Christianissimus imperator Concilio universali Constantinopolim convocato ducentorum et octoginta novem Patrum episcoporum, damnavit, et dogmata, quæ in antecedentibus [a] quinque sanctis, et universalibus conciliis fuerant confirmata, roboravit, atque pium duarum voluntatum et operationum promulgari dogma decrevit, per eamdem sanctam et subtilissimam universalis concilii synodum, cui præerant tam ipse piissimus imperator Constantinus, quam pii Sacerdotes. Per idem tempus Gizid cœpit esse princeps Arabum, qui tribus his præfuit annis. Anno duodecimo imperii Constantini collecta est sancta synodus et universalis sexta Constantinopolim cc octoginta et novem sanctorum patrum, præceptione pii patris Constantini. Anno tredecimo imperii sui repulit Constantinus ab imperio fratres suos Heraclium et Tiberium, et solus regnavit cum filio suo Tiberio. Anno decimo quarto imperii sui Muctar mendax dum tyrannidem exercuisset, obtinuit Persidem. Vocavit autem seipsum prophetam, et conturbati sunt Arabes. Anno decimo quinto imperii Constantini Arabum princeps Maruan præfectus est. Siquidem d functo Gizid, turbati Arabes, et [b] Theriexteri surrexerunt constituentes sibi ducem Habdallan quemdam filium Zubedir, et congregati sunt Phœnices, et Palæstini, et veniunt Damascum, sed et usque Gabathan, et Asan, et Amiran Palæstinæ, dantque manus dextras [c] Maruan, et sistunt eum ducem, qui Amiræ administratione fungitur in mensibus novem. Et eo mortuo Habdimelich filius ejus suscepit principatum, cum Amiras fuisset annis viginti uno et dimidio, aggrediturque tyrannos, et interfecit Habdallan filium [d] Zubedir, nec non et Dadacum. Anno decimo sexto imperii Constantini facta est fames magna, atque mortalitas in Syria, gentemque Habdimelich obtinuit. Cumque Mardaitæ incumberent partibus Libani, et pestilentia teneretur, et fames, idem Habdimelich pacem quæ fuerat a Muhavia quæsita petiit, missis ad imperatorem legatis, eademque trecenta sexaginta quinque millia numismatum auri præbere pollicitus, et illos trecentos sexaginta quinque servos pari modo nobiles, totidemque equos. Anno decimo septimo imperii sui requievit imperator pius Constantinus, cum imperasset annis decem et septem, et imperavit Justinianus filius ejus.

## JUSTINIANUS.

Anno ab Incarnatione Domini 678 Justinianus imperat Romanis, Arabibus Habdimelich principatur, qui præfuit his annis viginti duobus. Hoc autem anno mittit Habdimelich ad Justinianum confirmare pacem, et convenit inter eos hujuscemodi pax, ut scilicet imperator deponeret Mardaitarum agmen a Libano, et prohiberet incursiones eorum, et Habdimelich Romanis tribueret per singulos dies numismata mille, et equum et servum, et ut haberent communem per æqualitatem tributa Cypri, Armeniæ, ac Iberiæ. Et direxit imperator Paulum magistrum ad Habdimelich ad confirmandum ea quæ placita fuerant, et facta est in scriptis securitas sub testium adstipulatione, qui liberaliter honoratus reversus est. Et mittens imperator assumpsit Mardaitarum duodecim millia, Romaica virtute recisa. Omnes enim quæ nunc habitantur ab Arabibus in confinibus positæ civitates a [e] Mopsuestia, et usque ad quartam Armeniam, infirmæ et inhabitabiles erant propter impetum Mardaitarum. Quibus repressis, omnia dira passa est Romania usque in præsentem diem. Eodem anno mittit Habdimelich Ziphicn fratrem Muhaviæ

[a] Codices Pith., *sex*.
[b] Al., *Etherii*.
[c] Al., *Marzuan*.
[d] Al., *Zudebir*.
[e] Al., *Amonvseustia*.

Digitized by Google

in Persidem contra Moctarem mendacem, atque tyrannum, et interemptus est Ziphien a Moctare. Quo audito Habdimilich venit Mesopotamiam, et tyrannidem patitur a Saido, quem supergressus verbo Damascum aperire fecit a se præventam, et post hoc fraudulenter occidit. Justinianus autem cum esset junior quasi annorum sedecim, et sua quæque inconsulte disponeret, misit Leontium prætorem in Armeniam cum Romaico potentatu, et Sarracenis illic existentibus interemptis, subjecit hanc Romanis. Similiter et Iberiam, et Albaniam, [a] Hircaniam quoque, atque Mediam, et sub tributo regionibus actis plurimas pecunias imperatori transmisit. At vero Habdimelich his cognitis, abiit Cercesium, et Eupolim subjugavit.

Anno secundo imperii Justiniani facta est fames in Syria. Qua de re multi Romaniam sunt ingressi. Et veniens imperator in Armeniam illic suscepit Mardaitas qui in Libano fuerant æneo muro destructo. Destruxit autem et pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans typos, qui a patre ordinabiliter facti sunt, et jubet transire in Thracem equestres militias, volens tam Bulgares, quam Sclavinos deprædari. Anno tertio imperii sui movit exercitum Justinianus contra Sclaviniam, et Bulgariam, et Bulgares quidem ad præsens sibi occurrentes impulit. Exsurgens autem Thessalonicen copiosas multitudines Sclavinorum partim bello peremit, partim cum ad se confugerent in partibus [b] Obsicii, cum per Abidum transfretasset, constituit. Cum autem reverteretur in itinere præpeditus a Bulgaribus in arcto clausuræ, cum cæde proprii populi, et vulneratione multa vix remeare prævaluit. Eodem anno et [c] Habdalla Zubir Musabum fratrem suum mittit contra [d] Muctar, et fugit in Syriam, quem præoccupans interfecit. Porro Habdimelich militat contra Musabum, et victum occidit, et subjugavit Persidem totam. Anno quarto imperii Justiniani misit Habdimelich contra Zubir Chajan in Macha, et occidit eum Chajan ibidem, et subdita regione Chajan adversante sibi, concremavit domum idoli ejus, una cum idolocultore ipsorum. Quamobrem ille prætorem Persidis Chajan promovit, et subacta est Habdimelich tam Persidis regio, et Mesopotamiæ, quam Armenia magna, et [e] Hirii, ac per id intestina bella quieverunt. Anno quinto imperii Justiniani finem discordiæ habuit, et liberatus est ab omni bello Arabum principatus, et pace potitus est Habdimelich cunctis sibi subactis.

Anno sexto imperii sui Justinianus pacem, quam ad Habdimelich habuit, ex amentia dissolvit, et omnem Cypriorum insulam, et populum irrationabiliter voluit transmigrare, et characterem qui missus fuerat ab Habdimelich, cum noviter visus esset, et nunquam antea factus, non admisit. Multitudo vero

A Cypriorum dum transmeare nititetur, submersa est, et ex languore peribat. Reliqui vero in Cyprium reversi sunt. Et his auditis Habdimelich satanice stimulatus rogabat ne pax solveretur, sed susciperent monetam suam, cum Arabes non susciperent Romanorum incisionem in suis nummis. Verum dato pondere auri ait: Nullum Romanis damnum efficietur, ex eo quod Arabes nova cuderent. At ille precem ex timore arbitratus effectam, non perpendit, quod studium eorum esset, ut Mardaitarum primum compescerent incursus, et ita per putativæ rationis obtentum pacem dissolveret. Quod et factum est, et misit Habdimelich ad ædificandum templum Mecham, et voluit auferre columnas sanctæ Gethsemanis, et rogaverunt eum Sergius quidam vir Christianissimus, qui erat

B generalis Mansur logotheta, et valde familiaris eidem Habdimelich, atque patricius socius ejus Christianis, qui erat in Palæstina præpositus, qui cognominabatur Clausus, postulantes ne hoc fieret, sed per supplicationes suas persuaderet Justiniano mittendi sibi alias proceis, quod et factum est. Anno septimo imperii sui Justinianus elegit e Sclavis, qui se jubente transmigrarent milites triginta millia, et armatis illis, cognominavit illos populum acceptabilem, principemque in eis Nebulum nomine statuit. Fisus autem in illis, scripsit Arabibus non se permansurum in pace, quæ scripto convenerat. Et assumpto populo acceptabili, et cunctis equestribus militiis, abiit Sebastopolim maritimam. Arabes autem dissimulantes, et pacem solvere minime proponentes, sed imperatoris

C excessu, atque procacia hoc agendi violentiam patientes, armati et ipsi venientes adeunt Sebastopolim, protestantes, ne imperator quæ invicem cum juramentis consono pacto placita fuerant solveret, alioquin Deus vindex judex culparum foret. Sane cum imperator nec auditu ipso hujuscemodi verba pateretur percipere, illi pacis, et verbi scriptum solventes, et in excelso loco pro vexillo præcedenti [f] gratia suspendentes, contra Romanos impetu irruunt Muhammat ducem habentes, bellumque taliter inierunt. Et prius quidem superati sunt Arabes. Suggerens interea Muhammat auxilianti Romanis Sclavinorum duci, mittit ei [g] marsupium numismatibus plenum, multisque promissionibus hunc seducens, persuadet hunc confugere ad se cum viginti millibus Sclavorum, et sic

D fugam Quiritibus acquisivit. Tunc imperator occidit horum residuos una cum liberis, et uxoribus trans præcipitii locum Leucatium dictum, qui maritimus erat Nicomediensium [h] finibus. Anno octavo imperii Justiniani, Sabbis patricius Armeniæ, comperta superatione Romanorum, Armeniam Arabibus tradidit, et subjecta est eis interior Persis, quæ dicitur Cerasa, et oritur ibidem insidiator, nomine Sabinus, qui multos Arabum interfecit. Sed et ipsum Chajanum pene omnibus modis in amne necaverat. Et tunc Aga-

[a] Al., *Bucaniam*.
[b] Al., *obficii*. Al., *obsequii*.
[c] Al., *Habdelian Zubin*.
[d] Al., *ab inito Marte cum eo vertitur Muctar*.

[e] Al., *Hyrii*. Al., *Ethrii*.
[f] Paul. Diacon., et Cedren., *hasta*.
[g] κούκκρον.
[h] Al., *sinum*. P. Pith., *sinu*.

Digitized by Google

reni peramplius temerarii facti sunt Romaniam depopulantes. Anno nono Imperii Justiniani, defectio solis effecta est hora diei tertia, ita ut quædam stellæ clare apparerent. Et exercitum movit Muhammat contra Romaniam, habens secum profugos Sclavos ut pote expertos Romaniæ, et multos duxit captivos. Porro Justinianus diligentiam circa palatii habens negotia construxit triclinium, quod Justiniani vocatur. Constituitque Stephanum Persam sacellarium suum, et spadonum primum dominum, et arbitrum, nimis insidiantem sanguini, atque crudelem, qui immisericorditer exteriores quosque verberare, sed et lapidare tam ipsos, quam horum prælatos penitus non cessabat. Cumque imperator quadam die profectus fuisset, præsumpsit agrestis bestia illa et matrem quoque ipsius Anastasiam Augustam more pueri habenis flagellare. In his autem et in civilem copiam multis malis ostensis, exosum cunctis fecit imperatorem. Similiter et in generalis [a] logothesii rebus constituit monachum quemdam Theodotum nomine, qui primo inclusus fuerat in Thracensibus Augusti partibus, sed et in ipsum sævissimum existentem, qui plurimos reip. principes, et illustres viros, non tantum ex ordinatoribus, sed ex urbis quoque habitatoribus frustra, et in vanum, ac inexcusabiliter exactiones, et functiones et præscriptiones solvere faciens, funibusque suspendens, hos fumo palearum affliciebat. Insuper et præfectus imperatoria jussione plurimos viros carceribus tradens, per aliquot annos servari mandavit. Hæc omnia crescere fecerunt odium populi circa imperatorem. Præterea imperator exigebat a Callinico patriarcha orationem faciendi ut destrueret ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ Metropolite dicebatur, juxta palatium sitam, volens in loco sistere phialam, et bases construere [b] vulgi, ut illic imperatorem susciperent. At vero patriarcha dicebat: Orationem quidem ad statuendam ecclesiam habemus, destructionem vero ecclesiæ non suscipimus. Cogente autem eum imperatore, et omnimodis exigente orationem, dixit patriarcha: Gloria Deo qui jugiter sustinens nos patitur, nunc et semper, in sæcula sæculorum, Amen. Quo audito destruxerunt ecclesiam, et fecerunt phialam. Porro jam dictam ecclesiam Metropolite fecerunt apud Petrin. Anno decimo imperii Justiniani, direxit aciem Muhammath adversus quartam Armeniam, et captivatis multis reversus est. Eodem quoque anno Justinianus pulsus est regno, hoc modo: Jussit Stephano patricio, et prætori, cognomento Ruffo, noctu interficere vulgus Constantinopolitanum, a patriarcha inchoaturo. Leontius vero patricius, et quondam magister

A militum Orientalium, qui in bellis sæpe probabiliter gesserat, et tres annos in custodia transegerat, excusatus ex [c] Triplo revocatur, et prætor Helladis promotus est, jussus est in tres dimitti dromones, eodemque die ab urbe moveri. Nocte vero penes Julianensium portum Sophiæ, juxta ea quæ dicuntur Mauri, situm ad iter agendum ab urbe motus statione fixa, valedicebat amicis qui ad se veniebant, inter quos venere ad eum germani et sodales ejus, Paulus scilicet monachus Callistrati, qui et astronomus, et Gregorius Cappadox, qui et clusuriarches exstiterat, deinde monachus factus, et Egumenus Flori, qui in custodia frequenter illum visitantes, affirmabant eum imperatorem Romanorum futurum. At vero Leontius dixit ad eos: Vos certum in custodia super

B imperio me esse fecistis, et nunc in malis vita mea finitur. Post modicum quippe ero per singulas horas præstolans mortem, qui dixerunt: Ne pigriteris, et hoc protinus adimpletur. Audi nos tantum, et sequere nos. Et assumptis Leontius hominibus suis, et armis, quotquot habuit, ascendit in prætorium silentio multo, et pulsantes portam imperatorem venisse fingebat, ad disponendos quosdam qui illic esse noscebantur. Cumque hoc nuntiatum fuisset præfecto, qui tunc erat, et ille concito venisset, et portas aperuisset, capitur a Leontio, et alapis cæsus, ligatur manus et pedes. Ingressus autem Leontius, et carceribus reseratis, solutisque viris retrusis multis, et fortibus, qui a sex et octo annis in vinculis fuerant,

C quorum plures milites erant, hos armavit, et in forum exivit cum eis clamans. Et omnes Christianos ad sanctam Sophiam, et per omnem regionem mittens, voce sua clamare cœpit. Multitudo vero civitatis tumultuata celeriter ad luterem ecclesiæ est congregata. Ipse vero cum duobus monachis amicis suis, et quibusdam ex clarioribus viris, qui e custodia fuerant egressi, patriarchium ascendit ad patriarcham. Inveniens autem et ipsum turbatum propter illa, quæ jussa sunt patricio Stephano Ruffo, persuadet ei descendere ad luterem, et clamare sic: Hæc est dies quam fecit Dominus. Universa vero multitudo levaverunt vocem: Effodiantur ossa Justiniani. Et ita in hippodromum omnis cucurrit populus. Cumque dies facta fuisset, educunt Justinianum

D in hippodromum, nasoque illius, et lingua recisa, exsulem faciunt apud Chersonam. Porro comprehensum turba Theodotum monachum, et generalem Logothetam, atque Stephanum sacellarium Persam, funibusque retrorsum, hos ligatos trahunt per mediam plateam, et ad [d] Vaurum ductos incenderunt. Et ita Leontium imperatorem laudaverunt

[a] Γενικὸς λογοθέτα.
[b] Δήμου Venetorum.

[c] Al., *extemplo*.
[d] Al., *Taurum*.

# LIBER VIGESIMUS.

**Anno ab Incarnatione Domini 688,** Leontius imperat Romanis. Igitur cum regnare cœpisset, undique pacifice mansit, tribusque annis imperium rexit. Anno secundo imperii Leontii, movit exercitum Sena-

Digitized by Google

lidus contra Romaniam, et mul.is ductis captivis reversus est, seditioneque concitata, Sergius patricius Lazicæ hanc Arabibus subdidit. Anno tertio imperii Leontii, acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, et ex proprio exercitu [a] taxatos in ea quosdam constituerunt. Quibus compertis Leontius mittit Joannem patricium virum idoneum cum omnibus Romaicis classibus, qui cum Carthaginem pervenisset, et bello catenam portus ejus aperuisset, inimicosque in fugam vertisset, hos viriliter insecutus universa liberavit Africæ castra, relictisque [b] operatoribus, hæc Imperatori suggessit, ibidemque hiemavit, jussionem præstolatus ab eo. At vero his compertis protosymbolus copiosum et potentiorem adversus eos transmittit, et prædictum Joannem cum stolo ipsius bello a portu depellit, et hostiliter exterius castrametatus est. Prædictus vero Joannes ad Romaniam repedavit, majorem virtutem ab imperatore accipere volens, et venit usque ad Cretam Principem aditurus. Exercitus autem per majores suos ad imperatorem ascendere nolens (obtinueral enim eos timor, atque confusio) ad consilium sese nequissimum contulit, et huic maledixerunt, eligentes imperatorem Absimarum Drongarium Cibioretorum apud Curiositas habitum, hunc Tiberium nominantes. Itaque Leontio apud Constantinopolim posito, et Neoresium portum emundante, bubonis pestis urbi incubuit, et in quatuor mensibus multitudinem plebis consumpsit. Venit autem Absimarus, una cum exercitu qui secum erat, et applicuit ex adverso civitatis in Syces. Per aliquantum sane temporis civitatem prodere nolente Leontio, proditio facta est per singularem murum Blacernarum a principibus exteris, quibus claves terreni muri creditæ fuerant cum horribili jurejurando. Isti namque per insidias tradiderunt urbem. Porro ingressi classium milites civium domos, denudaverunt in his habitantes. At vero Absimarus Leontii quidem naso reciso in monasterio Dalmatii in custodia fore præcepit. Principes autem, et amicos, utpote commorantes ei, cæsos, atque proscriptione damnatos exsilio relegavit, Heracliumque germanum suum virum vehementer idoneum, singularem [c] prætorem omnium exteriorum equestrium exercituum promotum in partes Cappadociæ ad Clausurarum discurrere, contraque hostes curam ac dispositionem facere misit.

## ABSIMARUS.

Anno ab Incarnatione Domini 691 Absimarus imperator Romanorum creatus est. Qui septem annis imperavit, et tumultuatus est contra [d] Abdarronem, et dominatus est ei, et persecutus est eum Abipsa Chajan.

Anno secundo imperii Absimari, Romani Syriam peragrantes, et venientes usque Samosatam, et deprædantes circumquaque regionem, multa occiderunt millia, ut ferunt, Arabum ducenta, plurimaque spoliis sumptis, et captivatione Arabum multa, reversi sunt timore magno in eos patrato. Anno tertio imperii Absimari exercitum movit Habdella in Romaniam, et expugnans Tarentum, nihilque proficiens rediit, ac ædificavit Mopseustiam, et posuit in ea custodes. Anno quarto imperii Absimari, Baanes cognomento Heptadæmon quartam [e] Armeniam subjugavit. Absimarus vero Philippicum filium Nicephori patricii in Cephaloniam exsulem misit vi imperantis omnino venundatum. Asserebat enim se in somnis vidisse, quod caput suum ab aquila protegeretur, et obumbraretur. Quibus imperatoriauditis, hunc protinus exsilio relegavit. Anno quinto imperii Absimari seditionem concitaverunt principes Armeniæ contra Sarracenos, et eos qui erant in Armenia peremerunt, et iterum ad se Absimarum, et Romanos in regionem suam adducunt. Porro Muhammath acie adversus eos directa multos occidit, et Armeniam Sarracenis subdit, optimatesque Armeniorum coacervatos in uno loco viventes incendit. Per idem vero tempus exercitum movit Azar in Ciliciam cum decem millibus, cui cum obvius occurrisset Heraclius frater imperatoris, plurimos eorum occidit, residuos vero vinctos imperatori transmisit Anno sexto imperii Absimari, Azidus cunei aciem contra Ciliciam movit, expugnansque erat Sisui castrum. Quod Heraclius frater imperatoris obtinuit, et bellum in eo aggressus Arabum decem millia necat. Interea Justinianus cum penes Chersonam degeret, et se iterum imperaturum concionatus denuntiaret, accolæ locorum eorumdem discrimen ex imperio venire metuentes, consiliati sunt hunc interficere, vel certe imperatori transmittere. Ipse vero cum id sensisset, fugiens, et Daras veniens, Cazarorum se poposcit Chajano præsentari, qui cum rei circumstantiam didicisset, suscepit eum cum honore ingenti, et tradidit illi uxorem Theodoram sororem suam. Post modicum vero prece oblata Chajano descendit in Phanagoriam, et illic degebat cum Theodora. His auditis Absimarus mittit ad Chajanum promittens ei præbere munera multa, si Justinianum sibi duntaxat vivum transmitteret, sin autem, saltem caput ejus. Cedens autem Chajanus hujuscemodi petitioni, custodiam ei misit, quasi ne a contribulibus suis insidias pateretur, mandans Fazin, qui erat illic in personæ suæ vice deputatus, et Blagizin principi Bosphori, ut cum nuntiaret fore, eumdem trucidarent Justinianum. His autem per servum Chajani Theodoræ nuntiatis, et Justiniano patefactis, convocatos ad se jam dictos principes Facin, et Blagizin quasi ad colloquendum secreto, eorum colla strangulare curavit. Confestimque Theodorum in Cazariam mittit, et ipse a Phanagoria fugiens, in Men descendit, et inventa navi parata ascendit in eam, et navigans juxta

[a] Ταξεῶται.
[b] Al., *propriis observatoribus.*
[c] Μονοστράτηγον.
[d] Al., *Abderachman in Persida.*

[e] Al., *Armeniam, Arabibus subjugavit, ut imperandi somnio.* Ὡς ὀνειροπολούμενον. Alter Codex Pith., ὡς ὀνειροπολέμενον.

Digitized by Google

littora, venit usque ad Symbolum juxta Chersonam. Ad quam mittens occulte tulit Barisbacurium, et Salibam fratrem ejus, et Stephanum, et Moropaulum, una cum Theophilo, qui cum navigasset cum eis Chersonam, Pharum transivit. Sicque demum transfretantes Necropola, seu ostia Danapri, et Danistri, tempestate facta, super salute sua desperati sunt omnes. Majaces vero familiaris homo ipsius dixit ei : Ecce morimur, domine, vove Deo pro salute tua, ut si Deus imperium tuum tibi reddiderit, in nullum tuorum ulciscaris inimicum. At ille in furore respondens, ait : Si pepercero cuiquam eorum, in hoc loco me Deus demergat ; et sine periculo ab æstu illo exivit, et introivit in Danubium amnem. Cum autem misisset Stephanum ad Trebellin dominum Bulgariæ, ut sibi auxilium præstaret ad obtinendum parentale imperium suum, repromisit ei se plurima dona daturum, et filiam ejus in uxorem accepturum, ipsique in cunctis obediturum, et concursurum, jurejurando pollicitus. Quo ille cum ingenti honore suscepto, commovet universum sibi subditum populum Bulgarum, atque proximo anno ad regnantem urbem venerunt.

Anno septimo imperii Absimari mortuus est Habdimelich Arabum princeps, et tenuit principatum ejus Ulid filius Abdalharis. Eodem quoque anno, Justinianus cum ad regiam urbem, una cum Terbelli, venisset, cum subjectis Bulgaribus castrametatus est ad portam Carsii, et usque ad Blacernas, et per tres dies alloquens eos qui erant de civitate, conviciis dehonestabatur ab illis, qui eorum nec saltem verbum admittebant. At vero Justinianus cum paucis contribulibus bello excepto per aquæductum ingressus, et tumultum excitans, fodiendo urbem obtinuit, et post paululum tabernacula in palatio Blacernarum tetendit.

## JUSTINIANUS II.

Igitur imperii sui primo anno, id est, quo imperium suum Justinianus recepit, multa dona Trebelli tribuens, simul et regalia vasa, dimisit eum in pace. Cæterum Absimarus urbem Apolloniadem fugiens adiit, insecutionem tamen perpessus apprehenditur, et ad Justinianum deducitur. Porro Heraclius vinctus a Thrace adductus est cum omnibus qui ei opitulabantur, quos in muro omnes [a] suspendio interfecit. Cum autem ad Mediterranea destinasset, multos ex eis inventos, tam actores quam privatos, similiter interemit. Porro Absimarum, atque Leontium vinctos catenis per totam urbem pompis fecit dehonestari. Cumque ludi equestres agerentur, ipseque in solio resideret, ducti sunt publice tracti, et projecti proni ad pedes ejus, quorum ille colla usque ad solutionem primi [b] bravii calcavit, universa plebe acclamante : Super aspidem et basiliscum ambulasti, et conculcasti leonem et draconem ; et ita hos destinatos in vivario animantium capitis animadversione punivit, Callinicum vero patriarcham, ablatis oculis, apud Romam exsilio relegavit, et [c] Cyrum, qui in-

A sula fuerat inclusus Amastridis, tanquam eum qui prænuntiaverat sibi restitutionem imperii, subrogatum provexit. Innumerabilem quoque multitudinem tam ex civili, quam ex militari catalogo, multos perdidit, multos etiam in saccos missos amara morte fecit necari, alios autem cum ad prandium, vel ad cœnam accubitaret, mox ut surgebat, partim suspendio, partim incisione perdebat, et hinc magnus timor obtinuerat omnes. Misit interea classem ad educendam de Cazaria uxorem suam, et multæ cum suis viris scaphæ demersæ sunt. Quo audito, Chajanus significat ei dicens : O insensate, nonne oportebat te in duabus, vel tribus scaphis accipere mulierem tuam, et non tantam occidere multitudinem? An putas quod et hanc arte decipias? Ecce peperit

B tibi filium, mitte, et accipe illos. At ille, misso Theophylacto cubiculario, duxit Theodoram, et filium ejus Tiberium, et coronavit eos, et imperavere simul cum ipso. Anno secundo imperii Justiniani Ulid surripuit Ecclesiam catholicam Damasci, livore pestifero in Christianos habito, stimulatus propter eminentem tanti pulchritudinem templi, et prohibuit scribi Græce publicos logothesii codices, sed in Arabicis adnotari sine computo, quoniam impossibile est illorum lingua monadem, vel dualitatem, aut trinitatem, aut octo, et dimidium, aut tria scribi, propter quod usque hodie sunt notarii cum eis Christiani. Anno tertio imperii sui Justinianus pacem inter Romanos, et Bulgares evertit, et equestres militias in Thracem transire faciens, classibus con-

C structis, contra Bulgares, et Trebellin properavit. Cum autem venisset ad ripam, navigium quidem ante castrum applicare fecit. Populo autem sicut ovibus per campos ad colligendum fenum disperso, viderunt exploratores Bulgarium, vanam dispositionem Romanorum, et coacervati ut feræ subito irruerunt, et vehementer consumpserunt Romaicum ovile, multam prædam, et equos, et arma, exceptis his qui perempti sunt, accipientes. Porro Justinianus cum ad castrum fugisset cum his qui evaserant, per tres dies portas clausas, et obseratas tenuit. Videns vero Bulgarium perseverantiam, ipse sui equi nervos primus incidens, omnes idipsum facere jussit. Armis autem bellicis supra murum positis, noctu in scaphas ascendens latenter enavigavit, et cum confu-

D sione pervenit ad urbem. Anno quarto imperii sui exercitum movit Masalmas adversus tyrannum propter indignationem exercitus, una cum Mavinia per Marinianum occisi, et hanc obsidentes, hiemaverunt ibidem. Ad quos mittit imperator duos prætores Theodorum Cartherucam, et Theophylactum Salibam cum exercitu, et agresti populo rusticam operam daturo ad debellandum eos, et insequendum. Ipsi vero ad contentionem venientes in alterutrum, et inordinate in eos congressi, statim vertuntur, et multa millia perierunt, et captivi ducti sunt multi. At illi sarcinis eorum, et escis acceptis obsederunt

[a] Ἐφούλκισεν.
[b] Βαίου.

[c] Al. *Protocyrum*. Aliter pro eo *Cyrum*.



Digitized by Google

quousque civitatem ceperunt. Defecerat enim eis esca, et per hoc recessuri erant. Porro viri tyrannenses his verbis desperati, acceperunt verbum indemnitatis suæ, et exierunt ad eos, et derelicta est civitas deserta usque in præsentem diem. Verum illi non servantes verbum, hos in eremum exsules transmiserunt, et multos ex his servos retinuerunt. Anno quinto imperii Justiniani movit exercitum Abas contra Romaniam, et multis in captivitatem ductis rediit, et cœpit ædificare Garis in regione Eupoleos. Anno sexto imperii Justiniani movit exercitum Muctam adversus Ciliciam, et multa castra accepit verbo. Proditum est eis et Camachum cum adjacentibus sibi locis. Interea Justinianus, stolo copioso armato, Maurum patricium misit Chersonam, una cum Stephano patricio cognomento Asmicto malorum memoria succensus, insidiarumque recordatus contra se a Chersonitensibus, et Bosphoronianensibus, et reliquis climatibus effectarum. Omnes naves, dromones videlicet, trieres, et scaphas, chimæras, et lintres usque ad [a] Chelandia per collationem ab unoquoque inhabitantium urbem, senatorum videlicet, et ergasticorum, et plebeiorum, ac omnis officii collegit, quibus missis præcepit, omnes habitantes in castris illis gladio interficere, et neminem vivificare, tradens eis, et Heliam spatarium, qui deberet prætor Chersones constitui. Qui Chersonem venientes, nemine sibi resistente, castra ceperunt, et omnes gladio interfecerunt, exceptis parvulis, his parcentes, ut sibi hos in servitium reservantes. Tudunum autem principem Chersonis, qui et ex persona Chajani erat, et Zelum ex linea, et genere ejus, qui et primus civium habebatur, atque alios illustres, et primores quadraginta Chersonis, una cum familia ipsorum vinctos ad imperatorem duxerunt. Alios vero ex primoribus Chersonis septem, in verubus ligneis igni applicatos assaverunt. Alios etiam viginti, post tergum horum vinctis brachiis, ad proram navis alligantes, et lapidibus hanc implentes, in profundum miserunt. His autem Justinianus auditis, super salute puerorum sæviens, jussit eos quantocius ad se venire. Cum autem stolus mense Octobri motus, et in pelago præoccupatus fuisset, in astri ortu, quod [b] Taurus dicitur, pene totus demersus est. Sane numerati sunt eorum qui submersi sunt septuaginta tria millia. At vero Justinianus his agnitis non est tristatus, quin potius gaudio repletus, et hujusmodi adhuc vesaniæ deditus, clamore magno minitans, iterum alium stolum mittit, et arari usque ad pavimentum, et illidi universos qui remanserant parvulos ad parietem jussit. Audierunt hæc qui erant ex castris illis, et se munierunt, coactique contra imperatorem sapere, miserunt ad Chajanum in Cazariam petentes populum ad custodiam sui. Verum inter hæc erigitur, et Helias spatarius, et Bardanes exsul, qui tunc fuerat e Cephalonia revocatus, eratque cum classe apud Chersonem. Porro imperator his cognitis, misit cum paucis dromonibus Gregorium patricium cognomento Syrum, et generalem logothetam, et Joannem præfectum, atque Christophorum Turmarchen Thracensium cum trecentis armatis, tradens eis Tudunum ac Zelum, qui deberent Chersonæ restitui secundum quod antea fuerant, ad rationem reddendam Chajano per apocrisarium, ducendosque ad se Heliam, atque Bardanem. Quibus transmeantibus in Chersonam, his Chersonitæ rationem reddere dignati sunt: in crastinum vero solos hos cives ingredi exhortati portas clauserunt, et generalem logothetam una cum præfecto gladio trucidarunt. Tudanum vero cum Zelo etiam ducto Turmarche una cum trecentis militibus Cazaris tradiderunt, et ad Chajanum mittere curaverunt. Tudano autem in itinere mortuo, Cazari in susceptione ejus occiderunt Turmarchen una cum trecentis militibus. Tunc hi qui Chersones erant, cæterorumque castrorum, Justiniano mala imprecati sunt: Bardanem vero Philippicum, qui illic fuerat exsilio relegatus, etiam in imperatorem laudibus extulerunt. His compertis, Justinianus peramplius insaniens, filios quidem Heliæ Spatarii in matris sinu peremit. Hanc autem coegit conjungi coquo, qui erat genere Indus. Sicque alio navigio constructo, Maurum patricium Besum dirigit, traditis ei ad expugnationem civitatum machinis, et ariete, omnique instrumento ad urbis exterminium, mandans illis quidem muros Chersonis, omnemque urbem ad terram prosternere, nullam vero animam ex ipsis vivificare, crebrisque quæ agerentur suggestionibus intimare. Hoc autem transmeante, perque arietem turrem quæ dicebatur Centinarisia, simul et proximam ejus Syagrium vocatam, deponente, Cazarisque pervenientibus, factæ sunt induciæ belli. Bardanes autem fugiens ad Chajanum pergebat. Cum vero inefficax stolus effectus ad imperatorem remeare minus auderet, Justinianum quidem exsecrati sunt, Bardanem autem ut imperatorem laudibus extulerunt. Præterea petierunt a Chajano ut daret sibi Philippicum. Porro Chajano verbum ab illis exigente ne proderetur ab eis, et deferretur ei per unumquemque virum numisma unum: illi protinus his datis acceperunt Philippicum imperatorem. Cum autem classis moraretur, et suggestio nulla veniret, sensit Justinianus causam, sumptisque his qui secum erant Obsicii, et parte Thracensium, ascendit usque Sinopen ad discenda quæ Chersonæ fuerant gesta. Cumque intueretur ulteriores partes, vidit [c] classem, et ad urbem reversurus, impetum demonstravit. Verum Philippico præveniente usque ad [d] Amastrin castrametatus est. At vero Philippicus continuo mittit contra Tiberium quidem, Maurum patricium, et Joannem spatarium cognomento Struto, Heliam vero cum incursione militari contra Justinianum in Damastrin, iterumque alium contra Barisbacurium, qui fuga

[a] Ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλης.
[b] Al., *Arcturus*.
[c] Al., *classem ad urbem vela moventem, frendensque ut leo, et ipse ad urbem*.
[d] Al., *Damastrin*.

fuerat usus, et Maurus quidem una cum prædicto Struto, cum ad Blacernas abisset, invenit Tiberium altera tenentem manu columellam sanctæ mensæ Dei, et Dei Genitricis altaris, et altera pretiosa ligna, et in collo phylacteria : extra tribunal autem residentem Anastasiam patris ejus matrem, quæ Mauri provoluta pedibus, flagitabat ne suus occideretur nepos Tiberius, utpote qui nihil gesserit pravum. Cumque ille pedes hujus teneret, et cum lacrymis supplicaret, ingressus est Strutus intra tribunal, et vi arripuit illum, et pretiosa quidem ligna ab eo sublata supra mensam posuit, phylacteria vero in collo suo suspendit. Puero autem foras educto, et despoliato, supraque limen expanso, guttur ejus instar ovis secarunt, et hunc in templo sanctorum [a] Anargirorum, quod Paulinæ vocatur, sepeliri mandarunt. Comprehensus præterea et Barisbacurius primus patricius et comes Obsicii est interemptus. Porro Helia una cum eo qui secum erat, ascendente in Damastrin, et ad sermones cum eo qui illic erat exercitu veniente, verbumque impunitatis populo qui erat cum Justiniano præbente, et sequestrati sunt universi, et discesserunt a Justiniano, solum hunc deserentes, et ad partes Philippici confluentes. Tunc prædictus Helias furore repletus currens, collo ejus comprehenso, pugione quo erat accinctus, caput ejus amputavit, et per Romanum spatarium ad Philippicum misit. At vero Philippicus per eumdem spatarium hoc ad Occidentales partes usque Romam transmisit. Præterea priusquam imperaret, erat quidam inclusus in monasterio Callistrati [b] prævisor, et hæreticus, qui ad se venienti Philippico dixit : Imperium tibi est repositum. At ille turbatus est, et ait inclusus : Si jubet Deus, tu quam ob rem contradicis? Hoc autem dico, quia sexta synodus male facta est. Si ergo imperaveris, hanc projice, et imperium efficietur tibi forte, atque longævum, qui cum juramento spopondit ei se hoc facturum. Cum autem Leontius Justiniano successisset, ascendit Philippicus ad inclusum, qui dicit ei : Ne festines, fiet tibi. Cumque Absimarus imperasset, rursus ascendit ad eum, cui iterum ille ait : Ne accleres, illud enim præstolatur. Porro cum Philippicus hoc quibusdam amicis suis fuisset confessus confidenter, ab eis Absimaro nuntiatum est, qui cæsum, et tonsum, atque ferreis vinculis alligatum hunc in Cephaleniam exsulem misit. Cum autem [c] Justinianus imperium suscepisset, revocavit eum, et cum regnaret, fecit pseudosynodum episcoporum, juxta pseudomonachi, et inclusi sermonem, et abjecit sanctam, et universalem sextam synodum. Eodem anno ille vanus oculorum cæcitatem incurrit. Quibus diebus cum in multa positus securitate degeret Justinianus, multitudinemque pecuniarum, et splendidissimarum substantiarum, illic ex multis retro temporibus ab his qui antea imperaverant, ex præscriptionibus, et diversis occasionibus, maximeque a prædicto Justiniano collectarum invenisset, hæc frustra, et incassum, ac sine dolore dispersit. Et in disputationibus quidem suis rationabilis, et prudens æstimabatur, in actibus autem et honestate indigne consummans improbabilis demonstrabatur ubique. Erat autem hæreticus, et adulter.

## PHILIPPICUS.

Anno ab Incarnatione Domini 704 Romanis imperat Philippicus, qui regnavit annis duobus. Arabibus autem præest Ulid, qui ducatum novem annis tenuit. Anno igitur primo imperii sui Philippicus Armenios de terra sua pellens, in Armenia quarta, et Militene habitare coegit. Porro non prævaluit sævius moveri contra sanctam Ecclesiam, et universalem sextam synodum subvertere studens, divinaque ab eo roborata sunt dogmata. Reperit autem sui sensus Joannem, quem episcopum Constantinopoleos fecit, deposito Cyro præsule, quem et exsilio relegavit in monasterio Choras, Nicolaumque diaconum Calicum effecit, qui cum medicinali esset disciplina sophista, tunc quæstor erat. Algepidum [d] diaconum magnæ ecclesiæ, atque Antiochum chartophylacem, et alios morum eorumdem, quique etiam scripto anathematizavere sanctam sextam synodum. Interea Bulgares per Aphilea clam in angustum incidentes, et magna cæde facta usque ad urbem discurrentes, et multos transvehentes nuptiis opulentis, et dapsilibus prandiis cum vario argento, cæteroque apparatu reperientes, usque ad Auream portam discurrentes, totaque Thrace præda evacuata, illæsi cum innumeris pecoribus reversi sunt ad propria. Similiter et Arabes Mistiam ceperunt, et alia castra, multa præda familiarum plurimarum, et pecorum innumerabilium facta. Anno secundo imperii Philippici, movet exercitum Habas contra Romaniam, et accepit Antiochiam Pisidiæ cum multa præda, et reversus est. Factus est autem terræmotus in Syria. Biennio vero imperii Philippici transacto, Circoque natalitio, cum Prasini vicissent, visum est imperatori Sabbato Pentecostes equitem cum susceptione, ac organis ingredi, et lavari in publico balneo Zeuxippi, et cum civibus prosapiæ antiquæ prandere. Cum autem meridie requiesceret, repente per Auream portam introivit Ruffus [e] primus stratorum Obsicii cognomento Buramphi, et [f] Theodorus patricius Myacesii cum taxatis, quos habebat in Thrace thematis sui, et festinans in palatium invenit Philippicum meridie quiescentem, et comprehensum eum duxit in [g] oratorium Prasinorum, et illic oculos ejus eruit nullo sciente. In crastinum autem, id est Pentecostes, coacervato in magna ecclesia populo coronatus est Artemius primus a secretis, mutato nomine Anastasius. Sabbato vero post Pentecostem oculis privatus est Theodorus Myacesii, et secundo sabbato idipsum pertulit Gre-

[a] Intellig. *sanctos Cosmam et Damianum quod gratuito facerent medicinam.*
[b] Ἀστρόνομος;
[c] Al., *Philippicus.*
[d] Al., *a diacono caucum.*
[e] Πρωτοστράτηγος τοῦ Ὀψικίου. Al., *obsequii.*
[f] Al., *in Theodori patricii Miacii.*
[g] Ἀρματώριον τῶν Πρασίνων.

Digitized by Google

gorius Buramphus, et in exsilium missi sunt apud Thessalonicen.

### ARTEMIUS.

Anno ab Incarnatione Domini 706, Artemius Romanis imperat. Masalmas igitur incursiones adversus Romaniam movit, et despoliata Galatia rediit cum præda, et spoliis multis. Ast Artemius magistratibus in equestribus militiis idoneis, et rationabilibus in rebus civilibus ordinatis, jam requiem adeptus degebat. Cumque Arabes contra Romaniam, [a] Maurophorique armarentur, imperator misit principes in Syriam ad Ulid, quasi pro his quæ ad pacem pertinent locuturos, Danielem scilicet, et inter alios Sinopitem patricium, et præfectum urbis, mandans eis diligenter investigare de motu eorum, et virtute contra Romaniam instruenda. Qui cum audissent, et remeassent, nuntiaverunt imperatori, magnum contra regiam urbem per terram, ac mare instrumentum eorum. Tum ille præcepit quousque quisque haberet sumptus usque ad triennii tempus se sollicite præparare, qui aut in hoc non possederit, ab urbe, inquit, discedat. Constituit autem præpositos construentium naves, et cœpit ædificare dromones, et trieres igniferas, et maximas trieres, et maritimos quidem renovavit muros, similiter autem et terrenos, sistens arcobalistas, et [b] magnas in turribus, et argumentosas alias machinas, et secundum quod possibile erat, sibi urbem munivit, frugesque plurimas in regalibus horreis posuit, atque munitissime ibi servavit. Anno secundo imperii Artemii, qui et Anastasii, mortuus est [c] Ulid Arabum dux, et Zulcimin filius Habdimelich in principatu successit, qui et tribus præfuit annis. Eodemque anno translatus a Cizico urbe metropoli Germanus Constantinopolim, in quo et [d] commonitorium translationis, quod subinfertur, pronuntiatum est continens ita. Electione, et approbatione religiosissimorum presbyterorum, et diaconorum totius venerabilis cleri, sacrique senatus, et amici Christi populi a Deo conservandæ hujus regiæ urbis divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea, quæ non sunt, adimplet, transtulit Germanum sanctissimum præsulem Cizicensium metropoleos in episcopum hujus a Deo conservandæ, ac imperatoriæ civitatis. Facta est præsens translatio in præsentia Michaelis sanctissimi presbyteri, et apocrisarii apostolicæ sedis, et reliquorum sacerdotum, ac præsulum sub Artemio imperatore. Porro cum Artemius didicisset quod classis Sarracenorum ab Alexandria in Phœnicem properaret ad incidendum lignum cypressinum, electis ex proprio stolo velocibus scaphis, misit taxatos ex themate Obsicio, omnes apud Rhodum amnem colligi jussit, præposuitque prætorem ejus, et caput Joannem magnæ ecclesiæ ministrum, qui dicebatur papa Joannacis, quique generalis tunc erat logotheta. Is ergo cum Rhodum adiisset,

A et navigia convenisset, alloquebatur principes super munitione, ac itinere ipsorum in Phœnicem ad incendendum lignum, et præparationem Agarenorum, quæ inveniretur. Cumque omnes alacriter obaudissent, hi, qui erant Obsicii nullatenus admiserunt, et imperatorem quidem detestati sunt, diaconum vero Joannem frameis peremerunt. [e] Illi ergo stolidi visi ad sua navigaverunt loca : illi vero nequam operatores contra regiam ascenderunt urbem. Cum autem Adramizium adiissent, essentque sine capite, invenerunt illic hominem indigenam nomine Theodosium, qui erat [f] tributorum publicorum exceptor, iners, ac idiota, et hortati sunt eum imperare. At ille fuga lapsus in monte latebat, quem inventum ut imperatorem laudibus extulerunt, vi cogentes hunc.
B Quibus Artemius cognitis, præfecit urbi domesticos homines suos principes cum stolo, quem ipse construxerat, et armatis eis ipse Niceam ingressus abiit in urbem, et ibidem se munit. Rebelles autem ascendentes, et commoto toto themate Obsicii, et Gothogræcis comprehensis, multisque pusillis, et magnis negotiatoriis scaphis per terram, et per mare Chrysopolim venerunt. Cum autem urbis classis in portum [g] sanctæ Mammæ stationem fixisset, singulis quibusque diebus per sex menses invicem expugnarunt. Cum autem stolus urbis ad Neorii urbis portum profectus stetisset, transiens Theodosius Thracenses obtinuit partes. Proditione vero facta per portam singularis muri Blacernarum urbem cepit. Ast iniqui Obsicii populi, una cum Gotthogræcis nocte
C per domos civium discurrentes, nulli parcentes maximum excidium operati sunt. Principes autem, qui in ea erant Artemii una cum Germano sanctissimo patriarcha Constantinopolitano comprehenso, duxerunt in casam Artemii, et eorum qui cum ipso erant. Porro Artemius his visis desperationem sui confessus semetipsum tradidit, verboque impunitatis accepto, monastico indutus est habitu. Quem Theodosius illæsum reservans apud Thessalonicam exsilio relegavit. Porro Philippicus imperavit annis quidem duobus, et mensibus novem, Artemius vero anno uno, et mensibus tribus. Leo præterea cum esset prætor Orientalium, quoniam auxiliabatur Artemio, non est subditus Theodosio. Habebat autem conspirantem
D sibi, et concurrentem Artabesdum Armenium prætorem Armeniacorum, cui et spopondit filiam suam se in uxorem daturum, quod et fecit.

### THEODOSIUS.

Anno ab Incarnatione Domini 708, Theodosius imperat anno uno. Cujus tempore Masalmas adversus Constantinopolim aciem dirigit, et præmisit [h] Zulcimin cum exercitu per siccum, Baumarum vero per mare. Porro ipse post eos cum multo apparatu venit hostili. Zulcimin autem, et Bacarius Amorium pervenientes scribunt ad Leonem prætorem Orientalium

[a] Al., *terra marique*.
[b] Al., *mangana*.
[c] Al., *Hnualid. Arabum dux et Suliman*.
[d] κοιτατώριον.

Al., *hinc vero stolo divisi*.
[f] Διοικήτης πράκτωρ τῶν δημοσίων.
[g] Al., *Sancti Mennæ*.
[h] Al., *Suseliman*. P. Pith., *Suheliman*.

Digitized by Google

ita : Novimus quia imperium Romanorum te decet, veni ergo ad nos, et loquamur, quæ ad pacem sunt. [a] Innuens autem Zulcimin Amorium exercitum non habere, et inimicitia penes magistratum jacere ob auxilium quod Artemio conferebat, obsedit illud, volens ille Masalman exspectare. Mox autem ut appropinquavit civitati, cœperunt Sarraceni laudibus diffamare prætorem Leonem imperatorem, rogantes et hos qui intus erant idipsum efficere. Videntes autem et hi, qui erant Amorii, quod Sarraceni hunc amore laudarent, laudaverunt et ipsi. Cognoscens vero prætor quod taxatis, ac principibus non existentibus petiturum foret Amorium, significat Zulcimin : Si vis, inquiens, ut veniam ad te, et quæ pacis sunt loquamur, cur obsides civitatem? At ille : Veni, inquit, et recedo; et, accepto ab eo verbo, prætor cum trecentis equitibus venit ad illum. Videntes autem eum Agareni vestiti loricis suis venerunt ei obviam, quia manebat dimidio procul a castris eorum uno milliario. Per tres sane dies eo procedente, ad ipsum, quæ ad pacem sunt, loquebantur, et ut a civitate recederent. At illi asserebant : Sponde pacem, et recedimus. Comperto vero prætor quod vellent eum retinere, vocavit multos ex illustribus Sarracenis ad cœnam, et descendentibus eis, misit Zulcimin tria millia loricatorum ad circumdandum eum ne fugeret, et servandum, qui cognita custodia nuntiant ei, quia multitudo equestrium Sarracenorum in circuitu nostro stat. Veniens autem unus ex eis eques nomine Zubeir, in præsentia stetit dicens : Servus furatus pecunias multas fugit, et propter illum equis insedimus. Porro ipsorum agnita prætor deceptione dixit ad eum : Ne turbemini, nam quocunque perrexerit, in castris nostris reperiemus eum. Tristatus autem voluit occulte per hominem suum innotescere his, qui Amorii erant, dicens : Timete Deum, ne vosmetipsos prodatis : ecce enim et Masalmas appropinquat, et exiit etiam episcopus ad eum, et eadem ipsa dicit ei. Cum vero Zulcimin didicisset quod exisset ad eum episcopus, mittit ad prætorem dicens : Da nobis episcopum, qui mœstus factus abscondit eum, et cuidam hominum suorum præcipiens, Nobis, inquit, colloquentibus, indue eum aliis stolis, et quasi propter ligna, vel aquam missum, sine ut vadat in montes. Insistentibus autem pro eo Sarracenis, dicit prætor : [b] Nonne hic? verumtamen pergite ad Amiram, et venio ipse, et de cunctis loquemur. Ipsi autem cogitantes quod cum introisset ad Amiram, in medio ipsorum retinerent eum, hunc dimiserunt. At ille cum equo insedisset, profecturus cum hominibus ducentis, quasi venaturus, dedit se in partem sinistram. Sarraceni ergo, qui erant cum eo, dicunt ei : Quo vadis? qui ait : In pratis volo manere. At illi dixerunt, Consilium tuum non est bonum, et non venimus tecum. Tunc prætor dicit suis : Verbo nobis dato tenere nos voluerunt, et propter nos Christianos perdere. Verum ex his hominibus, vel animantibus, qui remanserunt, nullum retinent. Et cum issent millibus decem, mansit. Postera vero die mittit stratorum suorum domesticum, et significat eis : Quia verbum mihi dedistis, et dolo me retinere voluistis, idcirco recessi. At vero Masalmas clausuras tenebat, et transierat. Zulcimin autem hoc ignorabat. Porro tumultuati sunt Amiræi, et populus Zulcimin perhibentes, ut quid obsidemus muros, et incursiones non facimus? Depositisque tabernaculis discesserunt. Prætor autem [c] Nicetam Turmarcham cum octingentis militibus in Amorium introduxit, emissis multis mulieribus, et infantibus, et proficiscitur in Pisidiam. Cum autem Masalmas venisset in Cappadociam, [d] exierunt ad eum, ut se reciperet flagitantes. Audita vero Masalmas inimicitia, quam habebat Theodosius in prætorem, volens hunc decipere, et pacisci cum eo, ac per ipsum Romaniam sibi subjicere, dicit eis : Non estis prætoris? At illi : Etiam. Qui dixit : Facitis quidquid ipse facit? Qui dixerunt : Etiam. Tunc dicit eis : Ite ad castra vestra, et quemquam timere nolite. Jussitque populo suo ne prædarentur in cunctis provinciis. His prætor compertis, et intelligens, quod Zulcimin nuntiaret Masalmæ, quod se dimiserit, et discesserit, misit litteras ad Masalman dicens : Ad te volebam venire, sed Zulcimin cum evenissem, tenere me voluit, et idcirco metuo venire ad te. Dicit ergo Masalmas homini prætoris : Novi quod illudat mihi prætor, ne penitus depræder provincias ejus. Dicit ei homo prætoris : Non est ita, sed in veritate scribit tibi. Tunc interrogat : Quomodo est, inquit, Amorium erga illum? Ait : Bene, et in subjectione ejus. Iratus autem injuriis afficit eum dicens : Cur mentiris? At ille : Ita est, ut dixi. Et taxatas misit una cum Turmarcha in ipsum, et eduxit abundantiores familias. Tribulatione itaque ingenti Masalmas super hoc accepta cum furore expulit eum. Consilium quippe habebat æstate capere illud, et exspectandi classem, et sic in Asiam descendendi, atque hiemandi. Ergo quæsito iterum prætoris homine sciscitabatur ab eo. Ille vero jurejurando dixit ad eum : Omnia quæ aio tibi, vera sunt, sed et multi in id taxati cum Turmarcha ingressi sunt, cunctamque substantiam ibidem habitantium, et inopes familias eduxit illinc. His auditis scribit prætori : Veni, inquiens, ad me, et tecum paciscor, et universa ut vis parabo. Contemplatus igitur prætor, quod Masalmæ appropinquasset, et quod in aliis quinque diebus provincias suas transiturus esset, missis ad eum duobus consulibus, significat ei dicens : Litteras tuas accepi, et voluntatem tuam suscepi, en ad te venio. Sed ut nosti, prætor sum, et pecunia, et argentum, et populus me secuturus est. At permitte mihi per hoc super unoquoque ipsorum verbum. Et siquidem quemadmodum requiro ex vobis, causa mea fuerit facta, bene, et optime : sin autem, indemnis saltem, et tribulatione proficiscar excepta. Consulibus ergo per-

[a] Al., *intuens*.
[b] Al., *non est hic*.

[c] Al. *Niceam*.
[d] Al., *desperati super se Cappadoces exierunt*.

venientibus ad eum Theodosianis, dicit illis Masalmas : Sciebam quod illuderet mihi prætor vere. At illi : Absit, inquiunt. Tunc facto, quod quæsierat, verbo absolvit eos, donec consules cum subscripto verbo ad prætorem fuissent reversi. Masalmas vero multitudines copiosas habens, et nusquam stare valens Acroenum adit. Præterea, cum vidisset prætor, quod ille suas transisset provincias, Nicomediam vadit, et Theodosii filium consecutus capit hunc cum omni apparatu regio, et viris primis palatii. At vero Masalmas descendens in Asiam hiemavit illic, et Haumar in Cilicia. Ast prætor, assumpto imperatoris filio, et inito consilio cum his, qui secum erant, venit Chrysopolim. Porro Theodosius, compertis his quæ gesta sunt, consilio a Germano patriarcha et A senatu percepto, per eumdem patriarcham a Leone indemnitatis verbum accepit, et Ecclesiæ sine perturbatione servandæ, et sic ei committunt imperium. Porro Theodosius una cum filio suo clerici facti, residuum vitæ suæ transierunt in pace : veniens autem Masalmas Pergamum, hanc obsedit, et indulgentia Dei per operationem diabolicam accepit, et magisterio cujusdam magi. Adductam enim viri civitatis illius mulierem incinctam, jamque parituram inciderunt, et assumpto parvulo in cacabo coxerunt. Atque in hujusmodi Deo detestabili sacrificio omnes qui bellare volebant dexteræ manus suæ manicas intingebant, et idcirco traditi sunt inimicis.

# LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

## LEO.

Anno ab Incarnatione Domini 709, Leo Romanorum provehitur imperator, qui viginti quatuor imperavit annis. Zulcimin vero Arabum dux noscitur, qui tribus præfuit annis. Hoc itaque anno Leo imperare cœpit, ex Germanicensibus derivatus, genere Syrus, qui a Justiniano, cum prius regnaret, transfertur in Mesembriam Thraciæ. Porro posteriore imperii sui tempore, cum veniret una cum Bulgaribus, obvius ei fuit cum muneribus ovium quingentarum. Placatus autem Justinianus spatarium illum protinus fecit, et habuit hunc sicut germanum amicum. Præterea invidia ducti quidam detrahebant ei, tanquam imperium appetenti. Cum vero quæstio super hoc fieret, velut insimulatores confusi sunt. Sane hujuscemodi sermo ex tunc ei cœpit dici a multis. Justinianus licet [a] lædere eum voluerit, tædium quidem sibi contra eum injicitur, et mittit eum in Alaniam cum pecuniis ad commovendos Alanos adversus Abasgiam, Sarracenis retinentibus tam Abasgiam, quam Laziken, et Hiberiam. At ille cum pergeret in Lazicam, pecunias quidem reposuit apud Phasidem, perpaucisque assumptis indigenis apud Apsiliam, cum transisset Caucasios montes, venit in Alaniam. Justinianus vero volens eum perdere misit, et tulit pecunias ex Phaside. Alani autem cum omni honore suscipientes spatarium, atque verba ipsius audientes introierunt, et prædati sunt Abasgiam. At vero dominus Abasgorum intimat Alanis dicens : Ut invenio alium talem [b] mentionarium Justinianus quem habuit, quem mittere debuisset, et commovere vos contra nos vicinos vestros nisi hominem istum? Fefellit enim vos, et circa repromissionem quoque pecuniarum : mittens enim Justinianus has abstulit. Sed date nobis eum, et præbemus vobis numismata tria millia, et prisca charitas nostra non solvatur. Verum Alani dixerunt : Nos non propter pecunias obedivimus ei, sed propter dilectionem imperatoris.
B Iterum Abasgi mittunt ad eos dicentes : Date nobis eum et tribuemus vobis numismata sex millia. Porro Alani volentes discere regionem Abasgorum, repromiserunt se accipere illa numismata sex millia, et dare spatarium. Alani vero confessi sunt spatario cuncta, et dicunt : Quemadmodum vides, via quæ ducit in Romaniam clausa est, et quomodo transeas non habes, sed potius callide agamus, et polliceamur quod tradamus te eis, et mittimus homines nostros cum eis, et discimus clausuras eorum, et irruimus, et exterminabimus regiones ipsorum. Apocrisarii vero Alanorum abeuntes in Abasgiam, et repromittentes spatarium prodere, plurima xenia acceperunt ab eis, et plures missos denuo mittunt simul etiam cum quantitate auri ad recipiendum spatarium.
C Alani vero spatario aiunt : Homines isti, quemadmodum et ante prædiximus, ad recipiendum te venerunt, et Abasgia te præstolatur, et quoniam proximi sumus eis, negotiatores euntes ad illos non deficiunt, ergo ne prodas consilium nostrum. Trademus te manifeste, et cum nos moti recesserimus, mittimus occulte post tergum, et illos quidem occidemus, te autem occultabimus, donec coacervatur populus noster, et sic concorditer ingrediemur terram eorum, quod et factum est. Comprehenso denique spatario cum hominibus ejus, missi Abasgorum vincientes eum abibant. Dein retro venientes Alani cum Lotaxo domino suo occiderunt Abasgos, spatarium occultantes, et electis militibus motus est contra eos in Abasgiam, et insperate clausuras ingressus multam
D in Abasgia prædam, et exterminium operatus est. Quibus auditis Justinianus, et comperto, quod etiam sine pecuniis præcepta sua sunt acta, mittit litteras ad Abasgos : Quia si salvum, inquiens, spatarium nostrum custodieritis, et per vos illæsum transire permiseritis, omnes excessus vestros vobis ignoscimus. At illi cum gaudio his receptis, miserunt denuo in Alaniam perhibentes : Dabimus vobis obsides

[a] Al. : *manifeste lædere eum noluerit.*

[b] Al. : *alium mansionarium non quem.*

Digitized by Google

filios nostros, et date nobis spatarium, ut mittamus A eum ad Justinianum. Verum spatarius hoc admittere noluit asserens : Valet mihi Deus aperire ostium exeundi. Nam per Abasgiam non exeo. Post aliquod vero tempus, cum exercitus Rom. et Armeniorum ingressi essent in Lazicam, Archeopolim expugnarent, Sarracenorum audito adventu recesserunt. Separati vero ex eis usque ad ducentos ascenderunt in partes Absiliæ, atque Caucasiorum montium deprædantes. Sane Sarracenis ad Lazicam venientibus fuga lapsus Romanorum', Armeniorumque populus, Phasin remeans adit. Ducenti vero illi remeantes in Caucasiis stetere montibus latrocinantes, et sui desperationem patientes. Quo comperto A'ani arbitrati sunt multitudinem Romanorum in Caucasiis montibus esse, gaudentesque aiunt spatario : B Romani appropinquant, perge ad eos. Assumptis ergo spatarius Alanis quinquaginta, transivit cum cyclopedibus Maio mense Caucasios montes, et invenit eos. Unde multum gavisus, sciscitabatur ubinam esset populus, qui dixerunt : Sarracenis irruentibus in Romaniam sunt reversi. Nos autem non valentes in Romaniam ire, ad Alaniam venimus, et dixit ad eos Quid faciemus modo? Per regionem istam impossibile est transire nos. At vero spatarius ait : Non est possibile per aliam transire. Castrum ergo erat illic cognominatum Sderium, [a] in quo loco quidam servator habebatur Manius nomine, sub ditione Sarracenorum consistens, et pacem cum Armeniis habens. Mittit itaque spatarius, et significat ei dicens : C Quandiu cum Armeniis pacem habes, paciscere et mecum, et esto sub regno meo, et da nobis auxilium descendendi ad mare, et transeundi ad Trapezuntensium loca. Eo vero patrare hoc non proponente, mittit spatarius ex hominibus suis ad Armenios præcipiens eis, ut facerent occultationem, et cum exierint, inquit, e castro ad laborem, capite ex eis quotquot potestis, portasque tenete ab his, qui foris sunt, donec et nos veniamus. Quibus abeuntibus, et facientibus occultationem, cum populus esset ad laborem, egressi subito irruerunt, et portas tenuerunt, et multos ceperunt. Cum autem Pharasmanius in castris cum paucis venisset, pervenit et spatarius, et prælocutus est cum Pharasmanio, ut aperiret cum pace, qui noluit, sed coacervavit bellum. Verum D cum castrum munitum esset, capere id minime potuerunt. Marinus vero primus Absiliensium cum didicisset quod castrum expugnaretur, timore detentus est, existimans multum esse cum spatario populum, et sumptis secum trecentis, abiit ad spatarium dicens : Ego te salvum duco usque ad maritima. At vero Pharasmanius, visa necessitate, dixit ad spatarium : Sume filium meum obsidem, et profiteor imperio deservire. Qui recepto nato ejus dicit ei : Qualem servum teipsum perhibes, qui, cum sis inclusus, loqueris nobis? Impossibile est nobis discedere, donec castrum capiamus. Tunc dicit Pharasmanius : Da mihi verbum. At vero spatarius dedit ei verbum nihil ei nocendi, sed eum triginta, qui una secum ingrediebantur, præcepit dicens : Mox ut ingressi fuerimus, tenete portas, et introeant omnes, et hoc facto rediit missurus ignem in castra. Cum autem factum fuisset incendium vastum, exiere, quidquid poterant gestare rapientes ex bonis suis, et transactis aliis triginta diebus destruxit muros usque ad terram et motus descendit in Dapsiliam cum Marino primo eorum, susceptus cum ingenti honore a Dapsiliensibus. Indeque abiens ad maritima venit, et remeavit ad Justinianum. Præterea Justiniano interempto, et Philippico visu oculorum orbato, imperat Artemius, qui provexit eum Orientalium prætorem. Cum vero Theodosius imperasset, et Artemius pulsus exstitisset, Romanorumque respubl. esset confusa tam ex barbarorum incursu, quam ex Justiniani homicidiis, et Philippici scelestis actibus, hic Leo stimulabatur, et pro Artemio expugnabat, Theodosioque adversabatur, quin, ut verum dicatur, ad seipsum transferre imperium decertans, quod et fecit. Habebat autem concordantem, et concurrentem sibi Artabasdum Armeniacorum prætorem, quem et generum Annæ filiæ suæ, postquam regnavit, convinctum effecit, promovens illum, et constituens curopalaten. Interea Masalmas, cum in Asia hiemasset, præstolabatur Leonis promissa, cumque nil a Leone recepisset, et comperto quod illusus esset ab ipso, abiens Abydum rursum transvexit populum copiosum in Thracem, et contra regiam urbem commotus est, scribens ad Zulcimin protosymbolum quo veniret cum præparatis classibus. Porro XIX Kalend. Septembris obsidere cœpit urbem Masalmas, deprædatus quoque est Thracia castella Circumvallato ergo terreno muro foderunt in circuitu foveam prolixam, et magnam, et super eam sicca lapidis maceriam posuerunt. Kalendis autem Septembrib. primæ Indictionis ascendit impugnator Christi [b] Zulcimin cum stolo, et Amireis suis, habens miræ magnitudinis scaphas, et naves sumptus vehentes, et dromones numero [c] octingentos, et fixit stationem a Magnaura usque ad Cyclovium. Post duos sane dies Austro flante, inde profecti navigio venerunt ad urbem. Et quidam eorum ad loca, quæ dicuntur Eutropii, et Anthemii, transmearunt : quidam autem ad partes Thracæ a castello Galathi, et usque ad Clidium applicuerunt. Verum grandibus illis navibus ex onere aggravatis, atque retardatis, Dorsi custodes usque ad viginti scaphas remanserunt, habentes [d] centenos loricatos ad has custodiendas. Præterea serenitate, quæ has in rheumate comprehendit, effecta, et Austro modicum flante, ad exteriora impulsæ sunt. Imperator vero protinus igniferis navibus contra eas directis ab [e] Atropoli, divina ope igne consumpsit, et aliæ quidem ex his ad ripæ muros pro-

[a] Al. : *in quo loci servator habebatur quidem Pharasmanius*. Al. Ms. *Pharasmavius*.
[b] Al., *Suhelimun*.

[c] Al., *mille octingentos*.
[d] Al., *trecentos*.
[e] Al., *Acropoli*.

Digitized by Google

jectæ sunt, aliæ vero una cum hominibus in profundum demersæ sunt, porro aliæ usque ad acutam, et latam insulam consumptæ, portatæque sunt. Hi ergo qui erant ex urbe, fiduciam perceperunt, at hostes magno pavore concussi sunt cognoscentes efficacissimam ignis operationem. Volebant enim eadem die vesperi ad ripæ muros applicare stationem, et temones supra pugnacula ponere, sed consilium eorum dissipavit Omnipotens per intercessionem castissimæ Genitricis ejus Mariæ. Eadem vero nocte imperator catenam a locis Galathi secreto removit; inimici autem æstimantes, quod volens eos decipere, hanc moverit imperator, non ausi sunt intrare usque ad ea, quæ dicuntur Galathi, vel applicare, sed navigantes ad sinum Sostenii illic munierunt navigium suum. Sane octavo Idus Octobris moritur Zulcimin dux eorum, et amiræ sumit officium Haumar filius Habdimazid. Cum autem hiems valde gravis in Thraciam venisset, adeo ut terra non pareret, atque in crystallum versa esse videretur, multitudo equorum, et camelorum, cæterorumque animalium inimicorum mortua est. Porro vernali tempore venit Suphian cum stolo, qui fuerat Ægypti constructus, habens naves frumenti quadringentas, et dromones, et comperta Romaici ignis efficacia, transcurrit in Bithyniam, et e contra transiens ad portum Boniagri applicuit. Post paululum venit et Gizid cum alio stolo, qui fuerat constructus in Africa, habens et ipse naves trecentas sexaginta, et armamentum, et sumptus; similiter et ipse cum eadem didicisset de humido igne, applicuit penes Saturon, et Brian, et usque Chortam portum. Ægyptii vero duarum harum classium apud se noctu consiliati, navium ferentium frumentum sublatis lintribus, ad urbem confugerunt, laudantes imperatorem, ita ut ab Heria usque ad urbem igneum videretur mare. Comperiens autem per eos imperator de absconditis in sinu duabus navibus, syphonibus constructis igniferis in dromones, atque trieres hos immittens, contra duas classes direxit. Deo autem cooperante per intercessionem intemeratæ Dei Genitricis Mariæ, protinus submersi sunt inimici, et assumptis spoliis nostri, et expensis eorum, cum gaudio reversi sunt. Adhuc autem, et Mardasan iterum a portis cum exercitu Arabum usque Niceam, et Nicomediam discurrente, Principes regni, qui in Libio, et Sophone, more Mardaitarum absconditi erant, simul et pedites in hos subito irruentes, et diversis damnis afficientes illinc fugere compulerunt. De cætero modico meabilis freti aditu invento, ab urbe Chelandia exeuntia plurimas expensas ferebant. Præterea fame magna Arabibus innixa omnes moriebantur, et animalia sua comedebant, equos videlicet, asinos et camelos. Aiunt autem etiam quidam, quod et homines mortuos, quin et stercus suum in clibanum missum, atque conspersum ederent. Incubuit autem in eos et pestilens languor, et innumerabiles ex eis perierunt. Porro coacervavit bellum in eos Bulgarum gens, et, ut aiunt qui hoc certius norunt, viginti duo millia ex Arabibus occiderunt. Et illo tempore multa eis acciderunt atrocia, ita ut experimento discerent, quia Deus, et sanctissima Virgo, Deique Mater Maria, hanc muniunt urbem, et Christianorum imperatorem, et non est omnimoda dimissio Dei in his, qui invocant eum in veritate, licet admodum quid castigemur propter peccata nostra. Anno secundo imperii Leonis, dux Arabum habetur Haumar, qui eis duobus præfuit annis. Eodemque anno Sergius protospatarius, et prætor Siciliæ, audito, quod Sarraceni obsiderent regiam urbem, coronavit illic proprium imperatorem virum Constantinopolitanum ex hominibus suis, filium Gregorii Onomaguli mutato nomine Tiberium vocitatum, qui fecit promotiones, et suos principes prædicti consilio Sergii. Ast imperator, his auditis, mittit Paulum proprium chartularium, hunc patricium ordinatum, et prætorem Siciliæ, datis in auxilium ei duobus spatariis, et in servitium ejus perpaucis hominibus, jussionibusque ad principes Occidentis, et sacra populo recitanda. Qui cum ingressi fuissent noctu in dromonem velocem, exierunt in partes Cizici. A loco autem ad locum per terram, perque mare itinere facto repente in Siciliam venerunt. Cumque Syracusam introissent, audivit Sergius, et obstupuit, et proprio excessu perpenso, confugit ad propinquos Calabriæ Longobardos. Populus vero congregatus, et sacra relecta per eam certus effectus, quod et imperium staret, et urbs promptior esset adversus gentes, necnon et enarrantibus illis, quæ facta fuerant super duobus stolis, Leonem imperatorem laudaverunt, Basilium autem Onomagulum, et principes qui ab eo profecti fuerant, vinctos prætori tradiderunt. Ipse vero Basilium cum singulari prætore ipsius decollavit, et capita eorum pisca condita per spatarios imperatori transmisit, reliquorum autem quosdam aut verberatos, aut tonsos, quosdam vero abscissis naribus in exsilium destinavit. Sicque factum est, ut hinc in Occidentalibus magna correctionis constitutio fieret. Porro Sergius verbo impunitatis accepto a prætore pariter, et petito exivit ad eum, et ita omnes pace potitæ sunt Hesperiæ partes. Interea Haumar cum obtinuisset Arabes, præcepit Masalman redire. Sarraceni ergo moti decima octava Kalend. Augusti cum multa confusione reversi sunt. Cum autem iter ageret classis eorum, tempestas a Deo per intercessionem Dei Matris incumbens in illos, hos dispersit, et alios quidem horum penes Proconesum, et reliquas insulas, alios vero in vertigines, et cætera demersit in æquora, residui quoque cum transissent Ægeum pelagus, extemplo pervenit in eos terribilis indignatio Dei. Grando namque ignea descendens super eos, aquam maris ebullire fecit, et pice liquefacta simul cum hominibus naves inductæ sunt in profundum, decem solis ex eis salvis, et ipsis providentia Dei Salvatoris, ad annuntiandum nobis necnon et Arabibus magnalia Dei quæ in illis effecta sunt, quas etiam nostrates invenire potuerunt, et quinque harum comprehendere, aliæ vero quinque

Digitized by Google

salvæ in Syriam ductæ sunt Dei annuntiaturæ potentiam. Eodem vero anno, terræmotu magno facto, Haumar civitatibus vinum inhibuit, et Christianos apostatare coegit, et apostatantes quidem sine tributo esse faciebat, at vero non consentientes interimebat, ac per id multos martyres operatus est. Sanxit autem testimonium Christiani adversus Sarracenum minime recipiendum. Fecit autem et epistolam dogmaticam ad Leonem imperatorem, ratus impius persuadere quo a fide sua recederet. Anno tertio imperii sui natus est Leoni principi filius Constantinus, qui magis illo impius fuit, et Antichristi præcursor. Cæterum octava Kalend. Januarii Maria uxor Leonis coronata est in Triclinio Augusta, et processit sola cum solemni obsequio sine viro suo ad magnam Ecclesiam, et oratione ante ingressum altaris effusa transiit ad baptisterium magnum, viro ejus jam cum paucis familiaribus ingresso. Ubi cum Germanus summus sacerdos Constantinum nequitiæ ipsorum, et imperii successorem baptizaret, dirum quiddam et fedum parvulus Constantinus eodem præsignans exhibuit argumentum, cacans videlicet in sancto lavacro, ut aiunt qui diligenter hujus rei facti sunt inspectores, ita ut Germanus sanctissimus prophetice diceret : Constat maximi Christianis, et Ecclesiæ mali per eum efficiendi hoc signum esse futurum. Post divina sane officia cum solemni rursus obsequio Augusta Maria, una cum baptizato filio reversa est, donativis erogatis ab Ecclesia usque ad Æneam portam. Eodem etiam anno Niceta Xylinites scribit ad Artemium Thessalonicæ morantem, quod pergeret ad Terbellim, et dat ei exercitum, et quinquaginta auri centenaria, et his receptis Constantinopolim venit. Urbe sa e id minime admittente, Bulgares hunc Leoni tradiderunt, et liberali dignitate honorati reversi sunt. Ast imperator hunc cum Xylinite peremit, publico quoque fisco substantiam applicans Xylinitis, qui cum magister esset, substantiam multam possederat. Sisinum patricium cognomento Reudacium, eo quod fuerit cum Artemio, Bulgares capite punierunt, et archiepiscopum Thessalonicensem Leoni principi tradiderunt, qui decollatus est cum Artemio. Similiter et Hisœn patricium, et comitem Obsicii, et Teoctistum primum a secretis, et Nicetam autarcen et comitem Th ticei, ut amicos et concordes ejus occidit, reliquos autem mutilatis naribus, et proscriptione damnatos in exsilium misit. Anno quarto imperii Leonis, Gizid Arabum dux habetur, filius Habdimelich, qui eis quatuor præfuit annis. Eodem anno indictione tertia die Paschæ redimitus est Constantinus a Leone patre suo in tribunali decem et novem accubituum, Germano patriarcha faciente orationes secundum morem. Hoc etiam anno mortuus est Haumar dux Arabum, et oritur ex Perside tyrannus, et ipse nomine Gizid Mohabe, et abierunt cum eo ex Perside multi. Misso autem Gizid Masalma occidit eum, et Persidem subdidit. Anno quinto imperii Leonis, apparuit quidam Syrus pseudochristus, et seduxit Hebræos, dicens se esse Christum. Anno sexto imperii Leonis, Leo coegit Hebræos et Montanos baptizari, at vero Judæi baptizati contra propositum suum diluebant baptismum, et comedentes sancto muneri participabantur, et contaminabant fidem. Porro Montani divinantes sibi, et diffinientes fidem, domos introierunt errori suo deputatas, et incenderunt semetipsos. Anno septimo imperii Leonis, Judæus quidam oriundus ex Laodicea maritimæ Phœnicis, maleficus, veniens ad Gizid promittit eum quadraginta annis retenturum Arabum principatum, si venerabiles, quæ in Ecclesiis in toto principatu suo imagines honorabantur, deponeret. Huic itaque credens stolidus Gizid, edictum generale contra sanctas imagines promulgavit, sed gratia Domini nostri Jesu Christi, et intercessionibus Matris ejus, omniumque sanctorum, mortuus est Gizid, pluribus adhuc nec audire volentibus satanicum ipsius edictum. Percepta ergo amara ista, et illicita nequamque doctrina, Leo imperator multorum effectus est nobis causa malorum. Porro cum invenisset indisciplinationis hujus consentaneum quemdam Beser nomine, qui natus quidem de Christianis fuerat, sed captivus in Syriam ductus, refuga fidei, quæ est in Christum, repertus est, Arabum dogmata sectari apparuit. Is ante tempus non multum ab illorum servitute liber effectus, cum venisset ad remp. Romanorum, ob robur corporis, et consensum pravæ opinionis honoratus est ab eodem Leone, qui et imperatoris fautor in magni hujus mali piaculo factus est. Concordabat autem ei et episcopus Nacoliæ, qui indisciplinationi ejus operam dans, consimili vita vivebat cum ipso. Anno octavo imperii Leonis, mortuus est Gizid Arabum dux, cui successit Evelid hujus filius, et cœpit ædificare per civitates et regiones palatia, et novales facere, et paradisos, et aquas educere. Movit etiam aciem contra Romaniam, multisque eorum qui secum erant amissis reversus est. Anno nono imperii sui cœpit impius imperator Leo contra sanctas et venerabiles imagines facere verbum. Quod cum didicisset Gregorius papa Romanus, tributa Romanæ urbis prohibuit, et Italiæ, scribens ad [a] Leonem epistolam dogmaticam, non oportere imperatorem de fide facere verbum, et novitate violare antiqua dogmata Ecclesiæ catholicæ, quæ a sanctis Patribus sunt prædicata. Anno decimo imperii Leonis, movit exercitum Masalmas contra Romaniam, et Cæsaream Cappadociæ, et cepit eam; Mohavias vero filius Evelid aciem movit contra Romaniam, et cum deambulasset, reversus est. In ipso anno æstivo tempore vapor ut ex camino ignis visus est ebullire inter Theram et Therasiam insulas ex profundo maris per aliquot dies : quo paulatim incrassato, et dilatato, igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porro crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes ut cumulos quosdam transmisit per totam minorem Asiam, et Lesbon, et Abidum, et maritima Macedoniæ, ita ut

[a] Vide Paul. Diac., VI Hist. Longob., cap 49.

Digitized by Google

tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In medio autem tanti ignis insula ex terræ congerie facta, insulæ, quæ Sacra dicitur, copulata est, nondum prius existens. Verum sicut prædictæ Thera et Therasia insulæ quondam ebullierunt, ita et ipsa nunc temporibus impugnatoris Dei Leonis, qui divinam iram contra se pro se fore opinatus, impudentius contra sanctas et venerabiles imagines prælium excitavit, collegam et auxiliatorem habens Beser Dei abnegatorem et in irrationabilitate simillimum. Ambo quippe in ineruditione erant, et indisciplinatione, ex qua multa malorum genera veniunt. Turbæ autem quæ in regia urbe erant valde tristes super novis doctrinis, meditabantur in eum surgere, et quosdam regios homines occiderunt, Dei deponentes icona, quæ super magnam æneam portam posita cernebatur, adeo ut multi eorum pro veritate punirentur membrorum detruncationibus, et flagris, et exsiliis, et rerum jacturis, maximeque illi, qui nobilitate, ac verbo clari esse videbantur: ita ut etiam eruditionum scholas, et piam eruditionem a sanctæ memoriæ Constantino Magno huc usque servatam exstingueret. Cujus videlicet cum aliis quoque multis bonis destructor Leo factus est, ejus, cujus et Sarraceni sensus existens. In his ergo zelo divino moti tumultuabantur contra eum magna congressione navales exercitus concitati, tam Helladici quam hi qui Cycladum fuerant insularum. Agallianus autem Turmarcha Helladicorum erat militiæ dux, simul et Stephanus, qui et regiæ proximantes urbi quartadecima Kalend. Maias decimæ indictionis superantur, congressi cum Byzantiis, ibi confecto igne navibus concrematis, et alii quidem horum demerguntur, inter quos et Agallianus armatus seipsum præcipitavit. Porro superstitibus ad imperatorem confluentibus, Cosmas et Stephanus capite puniuntur. Crescit itaque malitia impii Leonis, et consentanei ejus, contra pietatem extendendo persecutionem. Per æstivum vero solstitium hujus decimæ indictionis post nequam de contribulibus acceptam victoriam, contra Bithyniensium Niceam prælium construunt Sarracenorum amiræi duo, Amer scilicet in millibus quindecim expeditorum præcurrens, et insperate circumdans civitatem, et Muhavias subsequens in aliis octoginta quinque millibus, quæ post multam obsidionem, et particularem eversionem murorum, hanc quidem non obtinerunt, bene acceptis sanctorum precibus Patrum ad Deum directis, et sanctificatione faciente venerabilis templi, ubi in colendis suis characteribus eriguntur, et usque nunc ab his qui eis similis sensus sunt, honorantur. Præterea Constantinus quidam strator Artabasdi videns imaginem Dei Genitricis stantem, apprehensum lapidem adversus eam projecit, et contrivit, et cum cecidisset, calcavit. Et vidit in somnis astantem sibi Dominam nostram, et dicentem: Nosti quam fortem causam in me operatus fueris? verum contra caput tuum hoc fecisti. Postea vero dum Sarraceni adversum murum congressionem facerent, et ageretur bellum, currens ad murum ut fortis miles infelix ille, ejicitur a lapide transmisso ex mangone, et contritum est caput ejus, et facies, dignam impietatis suæ retributionem percipiens. Præda multa et exuviis Sarracenorum collectis reversi sunt, ostendente Deo etiam in hoc impio illi, quod non propter pietatem, quam ille diffamabat de contribulibus, triumphaverat, sed propter divinum et ineffabile quoddam judicium retundens, ac removens hujusmodi Arabicam fortitudinem a sanctorum Patrum civitate, intercessionibus illorum propter diligentissimos characteres ipsorum qui honorantur in ea, in redargutionem, ac inexpugnabile judicium tyranni, et pie agentium certitudinem. Non enim solum circa venerabilium affectivam imaginum orationem errabat impius, sed et circa castissimæ Dei Genitricis intercessiones, omniumque sanctorum, quorum et reliquias scelestissimus, ut magistri ejus Arabes, abominabatur. Ex hoc igitur tempore impudenter beato Germano patriarchæ Constantinopolitano derogabat, accusans omnes antecessores suos principes, atque pontifices, et populos Christianos, quasi idololatræ fuerint, super orationem sanctarum ac venerabilium iconum, non capiens idiota infidelitate captus de affectuali oratione sermones.

Anno undecimo imperii Leonis, eodem anno Muhavias capto Atheus castro reversus est. Anno duodecimo imperii Leonis, movit filius Chajani principis Cazariæ contra Mediam, et Armeniam, inventumque in Arabia Gradacum Arabum prætorem trucidavit, et multitudinem quæ simul cum eo erat, et depopulatus Armeniorum et Medorum regiones, rediit metum incutiens Arabibus multum. Anno decimotertio imperii Leonis, castra movit Masalmas adversus humum Turcorum, et invicem congressi ex utraque parte cadunt in præliis, metumque perterritus Masalmas fugiens in montes Cazariæ reversus est. Eodem vero anno furens Leo imperator contra rectam fidem, et adducto beato Germano cœpit blandis sermonibus eum delinire. At vero beatus, summusque sacerdos dixit ad eum: Depositionem sanctarum imaginum audivimus quidem futuram, sed non tempore imperii tui. Cum autem ille cogeret eum dicere, sub cujus imperio: ait sub Cononis. At ille, re, inquit, vera ex baptismo Conon mihi nomen est. At ille dixit: Absit, domine, ut per imperium tuum istud malum perficiatur, Antichristi præcursor est qui hoc adimpleturus est, et divinæ incarnationis eversor. In his ergo sævus tyrannus insaniens beato minas prætendebat, instar Herodis percussoris. Reducebat autem ad memoriam ejus patriarcha sponsiones ejus ante imperium factas, qualiter sibi Deum dederit vadem, in nullo commoturum Ecclesiam a suis apostolicis, et divinitus traditis ritibus. Sed nec sic confusus est miser, observans autem, atque submittens quosdam sermones, satagebat sicubi inveniret eum contra imperium suum agentem, quatenus hunc ut conjuratorem, non ut confessorem a throno deponeret, habens in his comparticipem Anastasium discipulum, et syncellum ejus, cui spopondit utpote

impietatis suæ consentaneo, throni eum adulterum successorem futurum. Quem beatus non ignorans, sic parum se affectantem, imitatus Deum suum, ac si ad alium Iscariotem sapienter, et mansuete eorum quæ proditionis sunt, memoriam faciebat. Quia vero eum inconvertibilem videbat, conversus calcantem ad eum aliquando posteriora stolæ suæ, cum ad imperatorem ingrederetur ait: Non effugiet tempus a te ingrediendi [a] Duppin. At ille super sermone hoc tristatus, cum aliis, qui hunc audierant, præsagium ignorabat, quod cum in finem post quindecim annos percepisset, tertio videlicet imperii Constantini imperatoris, et persecutoris indictionis XII omnibus credere persuasit ex divina gratia fuisse ingrato prophetice dictum. Constantinus enim post cognati sui Artabasdi rebellionem cum imperium obtinuisset, per [b] Duppin ingressus, nudum super asinum verso vultu sedentem pompavit, eo quod sibi una cum aliis inimicis mala fuerit imprecatus, et Artabasdum coronaverit, sicut in suo indicabitur loco. Et Byzantii quidem propugnator pro dogmatibus pietatis sacer hic, et egregius pollebat Germanus, ceu contra bestias pugnans adversus [c] Pheronymum hunc Leonem, et fautores ejus. In seniori vero Roma Gregorius sanctissimus vir apostolicus, et Petri apostolorum principis confessor, verbo et actu coruscus, qui removit Romam et Italiam, nec non et omnia tam Reip. quam Ecclesiastica jura in Hesperiis ab obedientia Leonis, et imperii sub ipso constituti. Porro in Syria penes Damascum [d] Joannes presbyter, et monachus cognomento Chrysaroas doctor optimus, vita et verbo præfulsit. Verum Leo Germanum utpote sub se constitutum a throno pellit. Gregorius autem eum per epistolas, quæ multis sunt notæ, manifeste redarguit, sed et Joannes hunc cum Orientis episcopis anathematibus subdidit. Porro septima Idus Januar. tertiæ decimæ indictionis tertia feria, impius Leo silentium contra sanctas ac venerabiles celebravit iconas in tribunali decem et novem cubitorum, advocato quoque Germano sanctissimo patriarcha, ratus posse illi persuadere quo subscriberet contra sanctas iconas. Sed fortis Christi servus nullatenus acquiescens detestabili cacodoxiæ ipsius, cum verbum veritatis recte direxisset, abrenuntiavit summum sacerdotium, tradens pallium, et post multos didascalicos sermones dicens: Si ego sum Jonas, mitte me in mare, absque universali quippe synodo innovare fidem impossibile est mihi secundum apostolicam doctrinam et paternam traditionem, o imperator. Et abiens ad locum qui dicitur Platanium, in parentali domo sua quieti operam dedit, summo sacerdotio functus annis quatuordecim, mensibus quinque, et diebus septem. Porro undecima Kalend. Februarii creant falsi nominis Anastasium discipulum, et syncellum ejusdem beati Germani consentientem Leonis impietati, propter amorem principatus mundani, hunc episcopum Constantinopoleos provehentes. Sane, Gregorius sanctissimus præsul Romanus, quemadmodum prædixi, Anastasium una cum libellis abjecit, Leonem per epistolas tanquam impie agentem redarguens, et Romam cum tota Italia ab illius imperio recedere faciens. Insaniens ergo tyrannus contra venerabiles imagines persecutionem tetendit. Porro multi clerici, et monachi, et religiosi laici pro recto periclitati sunt verbo.

Anno decimo quarto imperii Leonis, hoc anno movit Masalmas exercitum contra Romaniam, et cum venisset in Cappadociam, dolo cepit Cursianum castrum. Anno decimoquinto imperii Leonis, Masalmas castra movit adversus Turciam, et cum pervenisset usque ad Caspias portas, metuens inde reversus est. Anno decimo sexto imperii sui, Leo imperator filiam Chajani Cazarorum arbitri filio suo Constantino, cum hanc Christianam fecisset, matrimonio sociavit, nominans eam Eirenem, quæ cum sacras litteras didicisset, pietati operam dans claruit, hos impietatis redarguens. Muhavias vero filius Evelid aciem direxit contra Romaniam, et veniens usque Paphlagoniam rediit cum præda multa. Ast imperator contra papam, atque recessum Romæ, ac Italiæ sæviebat, constructumque stolum magnum direxit adversus eum, Manem prætorem Cyberrotensium caput in eis constituens. Tunc impugnator Dei peramplius sæviens, cum Arabico sensu teneretur, tributa capitalia Thraciæ parti Siciliæ, seu Calabriæ superimposuit: ea vero quæ dicuntur patrimonia sanctorum principum apostolorum, quæ olim Ecclesiis auri dimidium, et tria conferebant talenta, publicæ rationi exsolvi præcepit: considerare etiam ac describere natos mares jubens, ut Pharao quondam eos qui erant ex Hebræis, quod nec ipsi magistri ejus Arabes in Christianos, qui in eis sunt oris, fecisse noscuntur. Anno decimo septimo imperii Leonis facta est mortalitas in Syria, multique perierunt. Anno decimo octavo imperii Leonis, Zacharias præsul Romanus habetur. Eodem anno Theodorus Mansur in exsilium missus est apud climata eremi, et factum est signum in cœlo igneum resplendens, et Muhavias Asiam depopulatus est.

Anno decimo nono imperii Leonis movit exercitum Zulcimin adversus Armeniorum regionem, et nil profecit. Anno vigesimo imperii Leonis, Zulcimin multis ex Asia in captivitatem ductis, quemdam Pergamenum pariter duxit captivum, qui se dicebat Tiberium esse filium Justiniani. Hunc Evelid in honorem filii sui, atque imperatorium terrorem, cum imperatorio atque decenti honore, militiisque, ac sceptris in Hierosolymam mittit, et per totam Syriam circumduci cum magno jubet honore ad visionem cunctorum.

Anno vigesimo primo imp. Leonis movit Zulcimin exercitum contra Romaniam, et depopulatus

[a] *Ἵππων, disippon.*
[b] *Hunc Anastasii casum, et cum aliis inimicis in hippodromum.*
[c] Al., *Pheronymum.* Cedren. φερώνυμον.
[d] Al., *Joannes Mansur.* Vide Paul. Diac. lib. VI Hist. Longobard., cap. 39.

Digitized by Google

est castrum, quod dicitur Siderum, et Entychium filium Mariani patricii duxit captivum. Anno vigesimo secundo imperii Leonis mense Maio indictionis octavæ movit exercitum Zulcimin contra Romaniam cum octoginta millibus, et magistratibus quatuor, quorum Gamer dux erat insidians in denis millibus latrunculis Asianæ partis, cujus socii erant Melich, et Bathal cum viginti millibus equitum circa Acronium debacchantes, et post hos Zulcimin cum sexaginta millibus circa Cappadociam Tyanæ progressus, quorum alii per Asiam et Cappadociam, multo excidio virorum, ac mulierum, atque jumentorum, patrato, illæsi reversi sunt. Hi vero qui cum Melich et Bathal apud Acronium erant, expugnati a Leone, seu Constantino, superati sunt, et plures ex his armis ipsis cum duobus principibus periere, octingenti vero pugnatores, qui ex illis ad sex millia institerant, Sinadam confugiunt, et salvi remanentes Zulcimin sociati sunt, et ad Syriam repedarunt inglorii. Eodem etiam anno in Africa multi ab eis cum prætore Damasceno nomine perditioni patuerunt. Anno vigesimo tertio imperii Leonis, nequissimi Syri, incensi sunt fori apud Damascum a Raticensibus, qui patibulo sunt affixi. eodemque anno terræ motus factus est magnus atque terribilis Constantinopoli, VII Kalendas Novemb., indictionis nonæ feria 4, hora 8, et corruerunt ecclesiæ, ac monasteria, populusque multus exstinctus est. Cecidit autem et simulacrum quod stabat super Attali porta Magni Constantini, una cum ipso Attalo, et titulus Arcadii, qui supra Xerophili columna stabat, et simulacrum majoris Theodosii, quod supra Auream portam videbatur, necnon et terreni urbis muri, ac civitates, ac villæ in Thrace, et Nicomedia in Bithynia, et Prænetus, et Nicea, in qua una tantum salva remansit ecclesia. Fugit autem et mare terminos suos in quibusdam locis, et perduravit terræmotus mensibus duodecim. Ast imperator allocutus est populum dicens: Vos non valetis ædificare muros, sed nos præcipimus administratoribus, et ipsi exigent in regulam per singulos aureos nummum argenteum unum. Quo imperator accepto, ædificavit muros, et ita facta est consuetudo dandi binas [a] siliquas administratoribus, cum annus esset a conditione quidem mundi, juxta Romanos ab Adam sextus millesimus quadragesimus octavus, secundum Ægyptios vero, seu Alexandrinos, sextus millesimus ducentesimus trigesimus secundus; a Philippo, secundum Macedones millesimus sexagesimus tertius. Regnavit autem Leo ab octavo Kalendas Aprilis quintæ decimæ indictionis usque quartam decimam Kalendas Julii nonæ indictionis, cum regnasset annis viginti quatuor, mensibus duobus, diebus viginti duobus. Similiter et Constantinus filius ejus, imperii, et impietatis ipsius successor, ab eodem XIV Kalend. Julii indictionis nonæ, cum regnasset et ipse annis XXXIV, mensibus tribus, diebus duobus. Taliter ergo, ut prædiximus, eodem anno mortuus est Leo, cum animæ, et corporis morte, et imperat Constantinus filius ejus. Et quidem quæcunque sub Leone impio Christianis evenerunt, sive circa Ortodoxam fidem, sive super civilibus dispositionibus, sive super turpis lucri quæstu, et avaritia, per Siciliam, et Calabriam, et Cretam, adinventa pariter et imposita, sive in Italiæ apostasia propter hujus cacodoxian, sive in fame, et pestilentia, gentiumque pressuris, ut particularia taceam, in præcedentibus ostenduntur capitulis. Dignum autem est de cætero, et imperii filii ejus, tanquam a Deo, qui omnia perspicit, contemplantem veraciter, et non superflue, ad utilitatem posteris, et miseris, qui nunc in cacodoxia illius decipiuntur, ludibria exsequi, quæ ab hac decima Indictione ipsius imperii primi anni, usque ad quartam decimam indictionem mortis illius impie gessit. Hic enim perniciosissimus, et agrestis, ferus, tyrannice, nec legitime, abusus imperio, primo quidem a Deo, et intemerata Matre ipsius, ac omnibus sanctis, abscedit, magicis maleficiis, et luxuriis, cruentisque sacrificiis, et caballinis stercoribus, atque lotio delectatus, mollitiebusque, ac dæmonum invocationibus gaudens, atque omnibus animas corrumpentibus adinventionibus a tenera ætate convivens. Quia vero paternum principatum cum malitia suscepit, non modicam in brevi tempore demonstrat nequitiam, ita ut ab omnibus ob impudentiam confestim odio haberetur, et Artabasdo curopalati, et comiti Obsicii, qui Annam sororem ejus duxerat, vis pro capessendo imperio imponeretur. Eodemque anno Evelid interficit Christianos captivos in omni civitate, inter quos et Eutychius, filius Mariani patricii, martyr verus ostensus est in Carris Mesopotamiæ, ubi et reliquiæ ipsius sanitates per Dei gratiam operantur, et multi alii per sanguinem consummati sunt.

[a] *Viginti tres denarios; φόχος in singula numismata.*

# LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

## CONSTANTINUS.

Anno ab incarnatione Domini 733, Constantinus persecutor legum a Patribus traditarum imperat divinis judiciis, et multitudine nostrarum exigente culparum. qui cum quinta Kalendas Julii ad partes egressus Obsicii adversus Arabes esset, venit ad civitatem quæ dicitur Craso. Cum autem prædictus Artabasdus Dorilæi cum Obsiaco populo esset, suspicabantur adinvicem. Mittens autem Constantinus ad eum, petebat sibi dirigi filios ejus, quos quasi nepotes suos desiderabat videre. Intentio autem ejus erat comprehendendi eos, et retrudendi. At ille

cum intellexisset fraudem, immensurabilem malitiam ejus sciens, sui desperationem incurrit, populumque alloquens, et persuadens, impetu adversus illum cum omni multitudine properavit, et Beser quidem patricium, qui sensu erat Sarracenorum sectator, quique præcesserat, romphæis interfecerunt. At vero Constantinus misero equo forte strato reperto, cum ascendisset in eum, fugiens venit Amorium, et cum ad Orientalium thema, cujus prætor erat Lacinus, cucurrisset, circumvenitur ab illis, quos cum magnis pollicitationibus sublevans, ad Sisinnatium mittit, qui prætor erat Thracensium thematis, et persuadet illis auxiliari sibi. Hinc ergo atrocissimæ pugnæ, et conflictus subditis generantur, cum imperator appellaretur uterque. Præterea scribit Artabasdus ad Theophanen patricium, et magistrum, qui ex persona principis in urbe remanserat, et per Athanasium Silentiarium quæ gesta sunt, qui cum Artabasdo faveret, coacervato populo apud catechumenia magnæ ecclesiæ, et per litteras, et per jam dictum Athanasium persuasit omnibus credere quod imperator mortuus fuerit. Artabasdus autem a thematibus pronuntiatus est imperator. Tunc omnis populus cum Athanasio falsi nominis patriarcha, anathemati et testationi submiserunt Constantinum, ut arrogantem, et adversarium Dei, atque ipsius cædem amplectabiliter admiserunt tanquam a malo maximo liberati. Artabasdum vero imperatorem ut Orthodoxum prædicaverunt, et divinorum dogmatum propugnatorem. Mox ergo Monotes mittit in partes Thracenses ad Nicephorum filium suum prætorem Thracensium, quo custodiam urbis muniret, et illic exercitum constitueret. Obseratis ergo portis murorum, et vigiliis positis, filios Constantini comprehensos, cæsos, ac tonsos, in custodiam posuit. Cum autem Artabasdus cum Obsiciis urbem esset ingressus, pervenit Constantinus Chrysopolim cum duobus thematibus, Thracensium scilicet, atque Orientalium. Et cum nil agere valuisset, reversus apud Amorium hiemavit. Artabasdus autem per totam urbem sacras erexit imagines. Interea barbari sentientes horum adversus invicem jurgium, multam prædam in Romania perpetrarunt, Zulcimin prætore ducente. Porro Anastasius pseudopatriarcha tenens honoranda et vivifica ligna, juravit populo dicens: Per eum, qui in ipsis affixus est, sic dixit mihi imperator Constantinus asseverans: Ne existimes Filium Dei esse quem peperit Maria, quique dicitur Christus, sed purum hominem. Maria enim eum peperit, sicut me peperit mater mea, et tunc maledixit ei omnis populus. Anno secundo imperii Constantini, qui triginta quinque annos Rom. imperium tenuit, mortuus est Evilid Arabum dux. Hic sanctissima Ecclesia Antiochena per annos quadraginta viduata manente, prohibentibus Arabibus patriarcham fieri in eadem, habens quemdam amantissimum monachum Syrum, nomine Stephanum, agrestem quidem, sed religiosum, jubet in Oriente positis Christianis, si vellent permitti sibi patriarcham habere, ipsum eligerent Stephanum, qui divinitus hoc fieri arbitrantes, consecrant eum in sede Theupholeos. Ex tunc usque nunc discurrit sine prohibitione fieri hujusmodi. Eodem anno obtinuit [a] Gizid filius Habdimelich Arabum principatum, ad quem Constantinus quidem Andream spatarium, Artabasdus autem Gregorium logothetam miserunt, auxilium quærentes utrinque. Porro pluviæ defectus, et terræ motus per loca facti sunt, ita ut montes unirentur ad invicem per eremum Sabæ, et castella in terram immergerentur absorpta. Eodem vero anno Cosmas Alexandriæ patriarcha una cum tota civitate a Monothelitarum cacodoxia rediit ad orthodoxiam, cum tenuisset sub Cyro, qui sub Heraclio Alexandriæ patriarcha fuit. Porro exercitum movit Gamer cum Arabum multitudine adversus Romaniam, et multis in captivitatem ductis reversus est. Et apparuit signum in cœlo ad Aquilonem mense Junio. Hali autem sanctissimum metropolitam Damasci lingua mutilari præcepit, tanquam arguentem palam Arabum, ac Manichæorum cognationem, et exsulem penes felicem Eudæmonem Arabiam fecit, ubi moritur martyrio pro Christi nomine percepto, cum expressius divinas missas celebraret, sicut hujus rei narratores aiunt, qui se propriis auditibus super hoc satisfactos esse testantur. Hujus æmulator et homonymus Petrus apud Mavimam ejusdem temporibus ostensus est pro Christo martyr ultroneus. Languore siquidem detentus primores Arabum advocavit, utpote assuefactos sibi, cum chartularius esset, et publica tributa facta ratione conferret, et ait illis: Mercedem quidem pro mei visitatione a Deo recipiatis, licet infideles amici sitis: testamenti vero mei testes vos volo, cum sit tale: Omnis qui non credit in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum consubstantialem, et divinam in monade Trinitatem, mortuus est animo, et æterno dignus tormento: talis est Muhammat pseudopropheta vester, et Antichristi præcursor. Discedite ergo, si mihi creditis testanti vobis cœlum, et terram, ab illius fabulatione. Consulo enim vobis ne cruciemini simul cum illo. Cum hæc et plura cum eis de Deo ratiocinatus dissereret, audientes illi stupore, seu vesania detenti longanimiter visi sunt ferre, ex languore hunc præter sensum esse putantes, cum autem ex infirmitate convaluisset, majori cœpit voce clamare: Anathema Muhammat, et fabulosum scriptum ejus, et cuncti qui obediunt, et credunt ei. Tunc per gladium animadversionem perpessus, martyr ostensus est. Hunc declamationibus sermonum honoravit sanctus Pater noster Joannes, qui bene cognominatus est Chrysoroas, propter auream et fulgidam Spiritus sancti gratiam, quæ in ipso tam verbo, quam in vitæ actu effloruit, quem videlicet Constantinus impius imperator annuo propter eminentem orthodoxiam

[a] Al., *Hualid filius Hisam.*

Digitized by Google

ejus anathemati submittebat, et pro Mansur, quod A ejus avitum nomen est, quodque redemptus interpretatur, sensu Judaico, novum Ecclesiæ magistrum, Manseron mutato nomine vocitabat. Eodem anno Gizid Cyrios in Syriam transtulit. Artabasdus autem Nicetam filium suum monostrategum, promotum ad thema direxit Armeniacorum. Porro Nicephorum æque filium suum coronavit per Anastasium patriarcham. Mense vero Maio, cum Artabasdus ad partes Obsicii egressus fuisset, et milites elegisset, totam Asiam cepit depopulans eam. Quo Constantinus comperto, motus est contra eum. Cum vero ad eum in partes Sardæorum a Celbiano redeunte venisset, et cum illo bellum inisset, vertit eum, et insequitur eos usque Cizicum. At ille cum Cizicum pervenisset, dromonem ingressus in civitate salvatur. Præterea B mense Augusto ejusdem decimæ indictionis Niceta monostrategus filius Artabasdi, cum intulisset Constantino apud Modrimem, ac Cysseum bellum, terga vertens aufugit, et quemdam Tridatem Armenium fortissimum militem, et consobrinum Artabasdi cum aliis multis principibus interfecit. Utriusque vero partis casus haud modicus factus est, Armeniorum scilicet, atque Armeniacorum impugnantium adversus Orientales, atque Thracenses Constantini propugnatores. Cæterum antiquus hostis diabolus contra Christianos temporibus istis talem excitavit sævitiam, et mactationem alternam, ut filii etiam contra parentes, et fratres contra fratres commoverentur non parcentes a cæde, et immisericorditer incenderentur C alternæ stationes, ac domus. Inter hæc autem et hujuscemodi Stephanus papa Romanus multa mala ab Astulpho Longobardorum rege perpessus ad Francos confugit sub Pipino, qui major domus erat, et primus in omnium dispositione rerum gentis Francorum, quibus videlicet olim moris erat, dominum, id est, regem secundum genus principari, et nihil agere vel disponere, quam irrationabiliter edere, ac bibere, domique morari, et Kal. Maii præsidere coram tota gente, et salutare illos, et salutari ab illis, et obsequia solita impensa percipere, et illis dona impendere, et sic secum usque ad alium Maium habitare : habere autem majorem domus consilio suo, et gentis omnia ordinantem negotia. Dicebantur sane ex genere illo [a] descendere Cristati, quod interpretatur Trichorachati, D pilos enim habebant natos in spina veluti porci. Prædictus autem papa Stephanus vi pressus, et crudelitate coactus Astulphi, simul etiam cohortatus est ab eodem ire in Franciam, et facere quæcunque posset. Qui veniens Pipinum provehit in regem virum probatissimum, qui tunc quoque præerat rebus post regem, et debellaverat Arabes, qui ab Africa in Hispaniam transmeaverant, quique tenent usque nunc eamdem Hispaniam, et properaverant præliari nihilominus contra Francos. Quibus e contra idem Pipinus cum multitudine resistens, occidit [b] quidem principem eorum Habdirracinen, filium Muhaviæ, qui principatum hujus tenebat gentis : interfecit autem simul et multitudinem haud facile numerabilem juxta fluvium Rhodanum, et admirationi habetur et amatur a gente non solum propter hoc, sed et propter alia præcipua gesta, et præficitur genti non [c] ignobiliter primus, solvente scilicet eum a perjurio in regem commisso eodem Stephano, qui et totondit decessorem ejus regem, et in monasterio cum honore et requie circumscripsit. Hic Pipinus duos filios habuit Carolum, et Carolomannum fratrem ejus. Anno tertio imperii Constantini apparuit signum ad Aquilonem, et cinis descendit per loca, factusque terræ motus magnus in Caspiis portis. Occisus est etiam Gizid ab Arabibus, qui præfuit anno uno, tenetque principatum [d] Hyces filius ejus. Is Habdimelich pecuniis multis erogatis obtinuit Damascum, et dextras accepit ut principaretur. Porro Constantinus mense Septembri duodecimæ indictionis descendens ad partes Chalcedonis, remeavit ad Thraceas partes, cum Sisinnius prætor Thracesiorum ante per Abydum remeasset, terrenumque urbis murum obsideret. At vero veniens imperator ad Carsii portam, discurrit usque ad Auream portam, semetipsum turbis ostentans, et iterum reversus castrametatus est apud sanctum Maman. Cives autem angustari cœperunt annonis deficientibus, quocirca ab Artabasdo misso Anastasio a secretis, et Artabasdo domestico suo, ad deferendos sumptus in Caspiis portis, invenit hos classis Cibioretensium et classis Abydi, et hos comprehensos ad imperatorem duxit, qui frumentum quidem populis suis donavit, Anastasium vero et Artabasdum oculis confestim privavit. Post hæc vero probavit Artabasdus a terra portas aperire, et prælium cum Constantino inire : verum facta congressione fugatus est exercitus Artabasdi, et multi mortui sunt, inter quos Monetes periit. Constructis autem Artabasdus trieribus cacabo ferentibus ignem, misit ad sanctum Maman nonnullos contra classem Cibioretensium. Cum autem venissent ad sanctum Maman, exeuntes Cibioretenses pepulerunt illos. Facta est autem in urbe valida fames, ita ut venundaretur modius hordei duodecim numismatibus, leguminis vero quindecim, milii ac lupini octo, olei autem uno libræ v, sextarius vini dimidio. Cumque populus necaretur, coactus est Artabasdus dimittere illos, et foras civitatem exeundi, verum obseratis portis, quosdam eorum prohibebat, unde quidam eorum emundaverunt vultus suos, et muliebri circumamicti sunt veste : ast alii monachico schemate, atque cilicino vestimento contegebantur, et ita latere poterant, et exire. Niceta autem monostrategus coacervato populo suo ab Odrina disperso venit usque Chrysopolim, et cum reverteretur, transmeans imperator persecutus est post terga ipsorum, et cum venisset Nicomediam, manu cepit eum cum curatore, qui fuerat dudum Marcellianorum episcopus, quem et decollari continuo jussit : Monostrategum vero vin-

[a] Al., *descendentes Cristatæ.*
[b] Al., *quin etiam principem eorum Habderracmen.*

[c] Al., *ignorabiliter.*
[d] Al., *Hizidlipsos.*

Digitized by Google

ctum per murum monstrari præcepit. Porro quarta Nonas Novembris repente præliatus est post meridiem, per terrenum murum urbem captavit. At vero Artabasdus una cum [a] Bagrano patricio ingressus navem ad præsens exisse visus est Mopsien, et abiens ad castrum Puzanen semet inclusit. Quibus imperator manu captis Arabasdum cum duobus filiis privavit oculis : Bagranum autem in vivario decollavit, et hujus caput in Milio suspendit diebus tribus. Post triginta vero annos mali memor, et immisericors imperator præcepit hujus uxorem in monasterium Choras pergere, illic enim sepultus erat, et hujus ossa effodere, atque in sepulcra, quæ dicuntur Pelagii, in pallio suo portare, et una cum biothanatis mortuis jacere. O inhumanitatem ! Multos autem et alios ex primoribus, qui auxiliati fuerunt Artabasdo, peremit, innumerabilesque oculis, et alios manibus, seu pedibus, ablatis debilitavit. Præcepit autem externis militibus, qui secum ingressi sunt, introire domos, et rapere familiares civium res. Multa quoque et alia, quin et innumera mala urbi monstravit. Cumque hippodromium celebraret, introduxit Artabasdum una cum filiis ejus, et amicis, ligatum in circum per Dippium simul cum Anastasio falsi nominis patriarcha, percusso publice, et in asino verso vultu sedente, quos omnes per Dippum in circum pompavit. Verum Anastasium, utpote consentaneum suum in throno sacerdotii rursus locavit, deterrens, et servituti subjiciens, Sisinium vero patricium, et prætorem Thracesiorum, qui multum cum eo cucurrerat, et pro ipso certaverat, ejusque consobrinus esse noscebatur, post XL dies cæcavit.

Anno quarto imperii Constantini, Maruan dux Arabum noscitur, qui principatus est eis annis sex. Hoc quoque anno cometes magnus in Syria visus est, et seditionem concitavit Trebith contra Maruan, et Datach Aruritensis, quos Maruan captos occidit in terminis Emesæ cum multitudine bellatorum, id est decem millium. Eodem anno prece Christianorum Orientis permisit Maruan consecrari Theophylactum presbyterum Edessenum patriarcham Antiochiæ, Stephano dormiente, et hunc [b] literis præcepit honorari ab Arabibus. Donis enim spiritualibus adornatus erat, et maxime pudicitia. Porro Abas, qui multum Christianorum sanguinem fudit, et populatus est multa loca, occisus est in carcere, qui apud Cithim CXX Calbenos suspendit in ligno. Venit autem quidam Æthiops missus a Maruan, et impleto folle viva calce introivit ad eum, folleque ad totum caput ac nares ejus imposito suffocavit illum, justam inveniens malefico Abæ pœnam. Magicis enim deceptionibus, ac dæmonum invocationibus, multa contra Christianos fabricatus est mala. Hic etiam sanguini communicavit Gizid.

Anno quinto imperii Constantini, Zulcimin conservatis malitiis rursum cum Maruan bellum aggreditur, et amissis populi septem millibus superatur, et penes Palmiram salvatur, ac deinceps in Perside.

A Seditionem quoque concitaverunt Emeseni, et Heliopolitæ, et Damasceni Maruan obserantes, qui filio suo quidem misso contra Datach cum virtute ipse venit Emethsan, quam in quatuor mensibus cepit, Datach autem a Perside cum plurimo potentatu veniebat. At vero Maruan aggressus eum in Mesopotamia, cum multos collegarum occidisset, hunc comprehensum interfecit. In his Constantinus Germaniciam cepit aciem dirigens contra Syriam, et Dulichium, aditu reperto propter Arabum mutuam pugnam, verbo sane Arabes inermes dimittens, qui erant in ipsis. Assumpsit autem et cognatos suos ex materna linea descendentes, et Byzantii collocavit, una cum multis Syris Monophysicis hæreticis, ex quibus plures in Thrace usque nunc habitant, et B juxta Petrum Cnaphea, trinitatem in trisagio crucifigunt. Porro a quarta Idus Augusti usque ad Octobris Kalendas tenebræ factæ sunt caliginosæ. Tunc Maruan victor Emethsa capta interfecit omnes cognatos, et liberos Hiscen, expugnatque muros Heliopoleos, et Damasci, et Jerosolymorum, trucidans multos potentes, et truncans residuos. Anno sexto imperii Constantini, factus est et terræmotus magnus in Palæstina, et circa Jordanem, et totam Syriam, mense Januario, hora quarta, et multa millia, quin et innumerabilia mortua sunt, Ecclesiæque ac monasteria corruerunt, et maxime penes eremum sanctæ civitatis. Eodem vero anno pestilens mors a Sicilia et Calabria incipiens, veluti quidam ignis depascens, ad Monobasiam, et Helladem, atque interjacentes C insulas venit, per totam quartam decimam indictionem flagellans impium Constantinum, et cohibens ab insania, quam adversus sanctas ecclesias, et sanctas ac venerabiles imagines irritabat. Verum ille, ut Pharao quondam, incorrectus permansit. Sane pestilentia hæc bubonis discurrens, decima quinta indictione regiam pervenit ad urbem. Cœperunt autem subito fieri tam in hominum vestimentis, et in sacris Ecclesiarum indumentis, quam et in velis cruciculæ plurimæ veluti ex oleo designatæ. Facta est ergo hinc tristitia, et defectio animi multa propter dubium hujusmodi signum. Venit nihilominus et divinitus indignatio dissipans incessanter non solum urbis cives, sed et in omnibus suburbanis ejus degentes. D Factæ vero sunt et phantasiæ in multos hominum, qui in ecstasi facti existimabant se cum peregrinis quibusdam, ut putabant, et trucibus faciebus, comitari, et eos qui in itinere obvii fiebant se quasi amicos salutare ac colloqui : notatis vero his quæ dicebantur ab eis, hæc postea referebant. Contemplabantur autem eosdem domos ingredi, et alios quidem ex domo deserere, alios autem vulnerare. Contigit autem eorum quæ dicta sunt ab eis plurima ut viderunt fieri. Prætereà vernali tempore primæ indictionis magis extensa est, æstivo autem prorsus incendit, ita ut integræ quoque domus penitus clauderentur, nec essent qui non deberent mortuos sepelire. Ex necessitate itaque multa excogitatum

[a] Al., *Bagtango*.

[b] Al., *literis catholicis*.

est quod super animalia tabulæ sternerentur, et ita super has impositi mortui deferrentur. Pari modo et alii in plaustris suprapositi asportabantur. Cum autem repleta fuissent universa tam scilicet urbana, quam suburbana monumenta, et cisternæ quoque sine aqua, et lacus, et plurimæ vineæ, nec non et interiores horti, qui intra veteres muros erant, ad hujusmodi capessendam sepulturam effossi sunt, et ita vix omnia hæc ad tantam necessitatem sufficere valuerunt. Omni autem domo calamitate repleta propter depositionem quæ impie facta est ab imperantibus in sacras imagines, confestim Agarenorum classis ab Alexandria venit in Cyprum, ubi et Romaicus erat stolus. At vero prætore Cibioretarum irruente in eos, extemplo in portu Ciramea, et retenta portus fauce, cum essent triginta dromones, tres solos exsiluisse fatentur. Anno septimo imperii Constantini, occiditur Gregorius ab Aruritensibus, et vicit Maruan, ut prætuli. Anno octavo imperii Constantini, motus est in exterioribus Orientis partibus Persidis populus, qui dicuntur Chorosanitæ Maurophori, contra Maruan, et omnem cognationem ejus, qui principati sunt ab ipso Muhammath pseudopropheta usque ad eumdem Maruan, contra eos qui dicuntur filii Muhata. His enim post interemptionem Gizid debellantibus et constringentibus invicem, hi qui dicebantur filii Hiscem, et Halim cognati, et ipsi pseudoprophetæ, sed absconditi et fugaces existentes in minori Arabia congregati, tenente in eis primatum Ibraim, filio Evelid, mittunt libertum suum quemdam Amussim dictum in Chorosam ad quosdam ibidem præminentes, contra Maruan sibi suffragari petentes. Qui collecti apud Cactaban quemdam consiliantur, et concitant servos in dominos proprios, et occidunt multos nocte una, quorum armis, equis, et pecuniis locupletati, facti sunt potentiores. Dividuntur autem in tribus duas, Caismos scilicet, et Lamonites, quorum potentiores intuens Amussim esse * Lamonitas, concitat contra Caismos, et interfectis eis venit in Persidem cum Cactaban, et expugnans Ilibin prolis Halbaren, capit cum victoria cunctos, virorum ferme centum millia. Et veniens ad Ilibin, ubi erat, hostiliter cum ducentis millibus proficiscentem, et illum dissolvit, veniensque ad Maruan apud Zaban fluvium, habentem trecenta millia, debellat eum, et multitudinem infinitam occidit ex eis. Eratque visu mirabile, cum secundum scripturam unus persequeretur mille, denaque millia transmoverent duo. Quos cum ita potentaliter vincentes Maruan intuitus exstitisset, adiit Carras, et cum fluvium transmeasset, incidit pontem ex navibus factum, et assumptis secum pecuniis, ac domo sua cum quatuor millibus viris vernaculis suis fuga lapsus est in Ægyptum. Anno nono imperii Constantini, persecutionem patitur Maruan a Maurophoris, et comprehensus ab eis occiditur, bello gesto gravissimo. Præerat autem eis Salim filius Halim, qui unus ex prælatis profugis erat, et qui destinaverant Amussim,

* Al. *Hiamanitas.*

A reliqui vero congregati contra Samariam, et Thrachonitidem regionem, sorte principatum distribuerunt, Abubalas scilicet, et post illum frater ejus Habdalla filius Muhammath, et post hunc Ilyse. Et Syriæ quidem summam præturam taxaverunt Habdallam tenere filium Halim, fratrem vero Salim, ipsum autem Salim præesse Ægypto. Porro Habdallam fratrem Abubalæ, ab illo habere sortem principatus super Mesopotamiam statuerunt. Ipse sane Abubalas, qui et omnium primas habebat in Perside sedes, translato quoque sub se Persarum principatu, qui ei auxiliati fuerant a Damasco. Hi vero qui salvati fuerant, tam videlicet filii, quam cognati Maruan, venientes ab Ægypto in Africam, indeque transmeantes fretum angusti maris ad Oceanum positi, B quod dicitur Septem, quodque definit inter Libyam et Europam, Europam Hispaniæ habitaverunt usque ad præsens tempus, habentes quosdam qui ibidem habitasse antea noscebantur, a Muhavia illuc trajecti navigio, cum essent ejus cognati, et ipsius religionis. Perduravit autem excidium sub Muhavia sex annis. Porro octava Kalendas Februarii ejusdem tertiæ indictionis, natus est imperatori Constantino filius, quem nominavit Leonem, ex Chajani Cazariæ filia. Anno vero eodem terræmotus factus est in Syria, et ingens, ac terribilis casus, unde civitatum aliæ quidem penitus exterminatæ sunt, aliæ vero mediocriter, aliæ autem a montanis ad subjecta campestria cum muris, et habitationibus suis integræ C migraverunt, et salvæ quasi ad milliaria sex, vel etiam modicum quid ultra. Denique asseveraverunt hi qui propriis visibus terram Mesopotamiæ contemplati sunt, in longitudine disruptam fuisse ad milliaria duo, et ex profundo ejus ascendisse aliam terram nimis albam et arenosam, de cujus medio ascendit, ut aiunt, animal mulinum incontaminatum, loquens humana voce, et prænuntians gentis incursionem ab eremo adversus Arabes, quod et factum est. Præterea sequenti anno quartæ indictionis, solemnitate sanctæ Pentecostes, coronavit Constantinus imperator Leonem filium suum imperatorem per Anastasium patriarcham consentaneum suum. Anno decimo imperii Constantini, Muhammath fit Arabum dux, qui eis præfuit annis quinque. Eodem D anno simultates adversus Maurophoros Persæ Chalcedonii concitaverunt, et interempta sunt ex eis in montanis Emesæ per illos quatuor millia. Idipsum vero factum est, et per Arabiam in Caisinos ab eisdem Persis. Cum autem caput Maruan myrrha conditum allatum fuisset, plures a simultatibus cessaverunt. Anno undecimo imperii sui Constantinus Theodosopolim, et Militenen cepit, et captivos duxit Armenios. Theodorus quoque filius Bigarii, minoris Arabiæ oriundus, obeunte sanctissimo Theophylacto, Antiochiæ patriarcha præficitur, qui sex annis præfuit ecclesiæ. Anno duodecimo imperii sui Constantinus impius imperator, elatus sensu, multa contra Ecclesiam, et orthodoxam fidem meditans, et

Digitized by Google

silentia per dies singulos faciens, populum ad sensum suum flexit infeliciter sectandum, prævius futuræ impietatis existens. Anno decimo tertio imperii Constantini, Anastasius, qui scelesté throno Constantinopolitano præfuit, mortuus est corpore simul et anima, miserabili passione, quæ dicitur cordapsos, fatigatus, cum stercus per os evolvisset, dignam exsolvens vindictam pro audacia, scilicet, quam contra Deum, contraque suum magistrum exhibuit. Eodem quoque anno, Constantinus impius contra sanctas ac venerabiles imagines concilium iniquum triginta octo episcoporum congregavit in palatio Hieriæ, quorum primi erant Ephesius filius Absimari, et Pastillas Pergensis, qui apud se, quæ sibi visa fuerant, dogmatizarunt, nullo præsente ex Catholicis sedibus Rom. scilicet, vel Antiochena, Alexandrina, Jerosolymitana : a quarta Idus Februarii incipientes perduraverunt usque ad sextam Idus Augusti ejusdem septimæ indictionis. Qui cum in Blaternas Dei Genetricis hostes convenissent, ascendit Constantinus imperator in ambonem tenens Constantinum monachum, qui fuit Sylei episcopus, et cum orasset, voce magna pronuntiavit dicens : Constantino universali patriarchæ multos annos. Et dein ascendit imperator cum Constantino scelerato præsule, et reliquis episcopis forum, et exclamaverunt suam divulgantes cacodoxam fidem in conspectu totius plebis : anathematizantes Germanum sanctissimum patriarcham, et Gregorium Cyprium, et Joannem Chrysoroan Damascenum nepotem Mansur, viros sanctos, et reverendos magistros. Anno decimo quarto imperii sui, Muhammath, qui et Abubalas, mortuus est, cum quinque præfuisset annis, eratque Habdallas frater ejus in Macha loco blasphemiæ ipsorum. Scribit ergo Amussim, qui erat in Perside, conservandum sibi locum principatus, sicut sorte sibi fuerat deputatus. Qui cum didicisset Habdallan filium Halim, fratrem vero Salim, summum prætorem Syriæ, principatum sibi affectantem, et venientem ad obtinendam Persidem, adversantemque Persis, et faventem his qui erant Syriæ, quique auxiliabantur ei, concitatis exercitibus suis, aggreditur apud Nisibin, et victore eo Amussim multos peremit. Erant autem plures ex his Sclavi, et Antiocheni. Ast Habdallas solus salvus remanens, post paucos dies petiit verbum ab altero Habdalla fratre Muhammath, veniente studio multo in Persidem a Macha, quo in domuncula putrefacta retruso, effodi fundamenta præcipiens, hunc clam interfecit. Porro Amussim furentem adversus Arabes Syriæ, pro eo quod in Maurophoros insurrexerant, et multos in Palæstina, et Emesa, et maritima ceperant, atque in eos irruere meditantem cohibuit cum exercitibus. At ille iratus Habdallæ ad interiorem Persidem cum multitudine properavit. Quem cum vehementer ille metueret, accersit cum suasoriis verbis et precibus, atque ipsis execrabilibus principis ipsorum symbolis destinatis, virga scilicet, atque sandaliis pseudoprophetæ Muhammath,

A expetens ut ad se via unius diei diverteret, quatenus ei decentes gratiarum actiones referret. At ille deceptus venit cum centum millibus equitum, unusque illi occiditur ab eo propriis manibus, sicque principatus Habdallæ confertur, qui uno et viginti annis præfuit Arabibus. Anno decimo quinto imperii sui Constantinus Syros, et Armenios, quos a Theodosopoli, et Mitilena duxerat, in Thracem emigravit, ex quibus etiam [a] Publicanorum hæresis est dilatata. Similiter et in urbe paucis præ mortalitate factis habitatoribus ejus, duxit una cum familiis, tam ex insulis, et Hellade, quam ex inferioribus partibus, sicque urbem habitare fecit, quam et condensam reddidit. Eodem quoque anno quæsiere Bulgares pacta, propter castra, quæ constructa fuerant. Ast imperatore apocrisarium eorum dehonestare destinante, B exierunt hostiliter, et usque ad longum murum venerunt, et multo excidio perpetrato illæsi reversi sunt.

Anno decimo sexto imperii Constantini, terræ motus haud modicus factus est in Palæstina, et Syria, septimo Idus Martii, et exsul factus est Theodorus Antiochiæ patriarcha invidia derogatus Arabum, quod crebro imperatori Constantino causas eorum per litteras indicaret, et de cætero Halim hunc exsulem misit in Moabitidem regionem patriam suam, præcepitque ibidem Halim non construendas novas ecclesias, nec videndam crucem, sed neque de fide a Christiano cum Arabibus dogmatizandum. C Porro exercitum movit idem contra Romaniam cum octoginta millibus, et veniens in Cappadociam audivit Constantinum adversus se venientem armatum, et territus inefficax rediit, nihil depopulatus, nisi quod paucis Armeniis ad se confluentibus assumptis reversus est. Anno decimo septimo imperii Constantini Habdallas tributorum rationem Christianis ampliavit, adeo ut omnes monachos, et inclusos, atque Cionitas, qui Deo placere noscebantur, sub tributis redigeret. Signavit autem et ecclesiarum [b] cimilia, et adduxit Hebræos ad venundandum illa, et emerunt ea libere. Anno decimo octavo imperii sui Constantinus Sclavinas penes Macedoniam positas captivavit, et reliquos subjugavit. Eodem anno quidam ex Maurophoris Persis, cum magicæ religionis essent, D deceptione diaboli detenti, venundata substantia sua, nudi supra muros ascendentes projiciebant semetipsos, ita ut se volare in cœlum arbitrarentur, qui nihil dignum ratione sortis illius habentes, artus conterebant, ad ima demersi, quorum sedecim, eos duntaxat qui in errore præeminebant, Habdallas per Halim interfecit in Beroea, et Chalcide. Anno decimo nono imperii Constantini, invidia Christianos prohibuerunt Arabes a publicis chartothesiis ad modicum tempus. Sed rursus coacti committunt cum eis eadem ipsa, eo quod non possent ipsi scribere calculationes, aciesque direxerunt multas, et Paulum prætorem Armeniacorum bellum agentes apud

[a] Al., *Publicianorum*. Al., *Paulicianorum*.

[b] Al., *cimiliarcha*.



Digitized by Google

Melan peremerunt, necnon et quadraginta duos insignes viros captivos duxerunt, et capita multa. Imperator autem exercitum movit in Bulgariam, et venienti in Verebagan ad clausuram Bulgares obviam ei advenerunt, et multos exercitus ejus trucidaverunt, in quibus et Leonem patricium, et prætorem Thracesiorum, et Leonem logothetam Tudromii ceperunt, et arma eorum, et populum multum, et sic inhoneste reversi sunt. Anno vigesimo imperii Constantini factus est error Paschæ, et orthodoxi quidem in Oriente octava Idus Aprilis Pascha celebraverunt, at vero erronei hæretici Idus Aprilis. Eodem anno translatum est caput sancti Joannis præcursoris atque Baptistæ a monasterio Spelei in templo suo in Emefensium civitate sito, cum esset illustre, et descensus ædificatus esset, ibi usque hodie a fidelibus honoratum, et adoratum, omni suavitatis, corporali scilicet, ac spirituali honoratur odore, et emanans effundit omnibus sanitatem, qui fide flagrantes occurrunt. Eodemque anno Docetes clarissima in Oriente apparuit per decem dies, et iterum ad Occidentem diebus viginti et uno. Quidam vero Syrus Theodorus nomine Libanites, circa regionem Heliopoleos, quæ est ad Libanum, adversus Arabes insurrexit, et cum bellum movisset in eos, ceciderunt ex utrisque multi: novissime vero terga et ipse vertens effugit, et Libanitæ omnes qui cum ipso erant interempti sunt. Factæ sunt et in Africa seditiones, et bella, solari eclipsi facta decima octava Kalen. Septemb., feria sexta, hora decima. Porro insurrexerunt quidam ex Maurophoris apud Dabecho dicentes, filium protosymboli Deum, ut nutritorem suum, et protulerunt dogmata hujusmodi, et introierunt domum Maurophori erroris sui, et occiderunt clavigeros sexaginta, et exierunt quidam in Barrasson, et captivos multos, et pecunias innumerosas sumpsere. Anno vigesimo primo imperii Constantini, seditionem concitarunt Cassiotæ contra Maurophoros propter mulieres. Manserant autem ex eis in domo, in qua tres fratres manebant, et voluerunt uxores eorum in pelagus jacere: surgentes autem tres fratres occiderunt, et [a] obtinuerunt illos, sed et coacervati occiderunt etiam reliquos, et cum misisset Salimus militiam, fraudulenter venere super illos, et comprehensis eis patibulo suspenderunt, et multos alios occiderunt. Porro Paschali festivitate ingressus est ad sanctam collectam in ecclesia Catholica, cumque metropolitanus episcopus astaret, et exclamaret more solito, Deo dicens: Plebs tua, et Ecclesia tua supplicat tibi: duxerunt eum, et concluserunt in carcere, et alius implevit sanctam collectam, et factus est timor magnus, et nisi metropolita moralitate ac humilibus verbis mitigasset eum, malum profecto ingens in hac hora perpetratum fuisset. Erat autem hic beatus Anastasius. Eodem quoque anno Constant. persecutor Andream memorabilem monachum, qui dicebatur Calybites, apud Blaternas flagris in hippo-

A dromio sancti Mamæ occidit, redarguentem impietatem ejus, et Valentinianistam, ac [b] Civilianum appellantem eum, quem et in rheuma maris jactari præcepit, nisi sorores ejus hunc rapientes in emporio Leucadii sepelissent. Anno vigesimo secundo imperii Constantini, apparuit Docetes in Oriente, et interfectus est filius Phatniæ. At vero Bulgares insurgentes occiderunt dominos suos, et statuerunt virum in senatum nomine Zeletin, cum esset triginta annorum. Multi præterea Sclavi fugientes ad imperatorem confluxerunt, quos constituit super Arthanam. Porro decima septima Kalendas Julii exivit imperator in Thracem, misso navigio per Euxinum pontum usque ad octoginta chelandia, ferentia duodenos equos. At vero Zeletis, audita contra se per terram et mare
B facta commotione, assumpsit in auxilium ex adjacentibus sibi nationibus viginti millia, et, in munitionibus his constitutis, se cautum et intrepidum reddidit. Ast imperator cum venisset, castrametatus est in campo Anchiali, et pridie Kal. Julii primæ indictionis feria quinta Zeletis apparuit cum multitudine gentium veniens, ineuntesque bellum, occidunt diutius invicem; verum Zeletis terga vertens effugit. Porro pugna tenuit ab hora quinta usque ad vespertinam, et multitudines Bulgarum numerosæ peremptæ sunt, et multi ex his capti, multique imperatori subditi facti sunt. Ast imperator hujuscemodi elatus victoria, publicavit hanc coram urbe cum exercitibus ingressus armatis, et laudibus plebium celeberrimis diffamatus, et ex hylopanduris constrictos
C trahens Bulgares captos, quos extra portam Auream decollari præcepit: Zeletin vero Bulgares tumultuantes una cum principibus ejus interfecerunt, et constituerunt Sabinum generum Comersii quondam domini sui, qui videlicet Sabinus cum mox ad imperatorem misisset, et pacem fieri exquisisset, conventu Bulgares facto restiterunt robuste dicentes ei: Bulgaria per te, ut cernimus, redigitur in servitutem Romanis. Factaque Sabinus simultate fugit in castrum Mesembriæ, et ad imperatorem se contulit; statuerunt autem Bulgares alium sibi dominum, Paganum nomine. Anno vigesimo tertio imperii Constantini, egressi sunt Turci a Caspiis portis, et occiderunt in Armenia multos, et præda sumpta non pauca reversi sunt. Cosmas autem quidam episcopus erat
D Epiphaniæ, quæ est civitas Apamiæ Syriæ: porro quibusdam ex civibus Epiphaniæ ad Theodorum patriarcham Antiochenum accusationem contra eumdem Cosmam super diminutione sacrorum vasorum facientibus, cum ille minime potuisset restituere, discessit ab orthodoxa fide, consentaneus Constantini in hæresi, sacris adversatus imaginibus, quem communi sententia Theodorus Antiochenus patriarcha, et Theodorus Jerosolymitanus, atque Cosmas Alexandrinus, cum episcopis sibi subjectis, die sanctæ Pentecostes, post lectionem sancti Evangelii, consonanter anathematizaverunt singuli in sua civitate. Eodem anno a Kal. Octobris factum est gelu ma-

[a] Al., *obruerunt.*

[b] Al., *Julianum.*

Digitized by Google

gnum, et amarissimum, non solum in terra nostra, A verum etiam in Oriente, et multo magis in Septentrionali parte, ut pelagus ponti usque ad centum milliaria præ glaciei rigore in lapidis duritiam fuerit versum, habens cubitos in superficie ad profundum triginta, cunctis nimirum regionibus ab ipsa Lycia usque ad Danubium, et Euphræ fluvium, Danastri quoque et Danapri, atque Necropela, necnon et per reliquas ripas, et usque ad Mesembriam et Mœsiam similiter patientibus. Cumque hujuscemodi gelu nive fuisset coopertum, super alios viginti cubitos crevit, ita ut mare aridæ conformaretur, et pedibus calcaretur in superficie glaciei a Cazaria et Bulgaria, quin et adjacentibus insulis, tam ab hominibus quam agrestibus et mansuefactis animantibus. Februario vero mense ipsius secundæ indictionis, hujuscemo- B di gelu per jussionem Dei in multas ac diversas in specie montium factas concisiones in Danupsiam et Hieron descendit. Taliter per angustum pervenerunt ad urbem, et usque ad Propontidem, et insulas, et Abydum, omnes maritimos choros, ac ripas replentes, quarum videlicet concisionum inspectores et nos ipsi exstitimus descendentes super unam eorum cum quibusdam triginta coætaneis nostris. Habebat autem et animalia campestria, et mansueta, et viva, et mortua. Omnis enim quicunque vellet a Sophianis usque ad urbem et a Chrysopoli usque ad sanctum Mamam, et ad ea quæ dicuntur Galathi, per aridam sine prohibitione pergebat, et una quidem ex eis ad Acropoleos scalam disrupta contrivit eam, alia vero ingentis molis ad murum collisa, hunc magno impulsu concus- C sit, adeo ut interiores quoque domus salo comparticiparentur. Porro in tria disrupta cinxit urbem a Manganis videlicet usque ad Bosphorum, cujus altitudo muros excessit. Omnes autem tam viri quam feminæ, simul et pueri horum, visioni dantes indesinenter operam perseverabant, et cum lacrymis domum revertebantur, ignorantes quid ad id fari quivissent. Cæterum anno eodem, mense Martio, stellæ de cœlo cadentes apparuere, ita ut omnes qui hoc viderunt, instantis sæculi consummationem esse putarent. Siccitas quoque multa effecta est, adeo ut etiam fontes exsiccarentur. Ast imperator, accersito patriarcha, dicit ei: Modo quid vos læderet, si dixerimus θεοτόκον, χριστότοκον? At ille hunc complexus D ait: Miserere, Domine, ne ad contagionem tuam veniat sermo iste, nonne vides qualiter divulgetur, et anathematizetur Nestorius a tota Ecclesia? Qui respondens ait: Ego discere volens interrogavi, verum usque ad te sermo. Anno vigesimo quarto imperii Constantini exierunt iterum Turci ad Caspias portas, et Iberiam, quibus cum [a] Arabibus bellum ineuntibus, ex utrisque perierunt multi. Habdallas vero hujuscemodi calliditate deposuit a principatu Hyscebin Muzar, in quem, ut superius dictum est, tertia sors tenendi post eum cecidit. Videns enim eum dolore capitis hemigraniæ laborantem, et scotomi plenitudinem patientem, persuadet quod curandus foret, si ex aliqua confectione ptarmica in nares ejus insufflaretur a medico suo, Moyse nomine, diacono Antiochenorum ecclesiæ, quem jam muneribus fecerat acerrimum conficere medicamen, quod simul narcoticum foret vehementer; qui videlicet cum paruisset Habdallæ, suscepit per nares confectionem, et repletus in omnibus circa caput cunctisque sensibus una cum hegemonicis operationibus defraudatus sine voce jacebat. Advocatis itaque Habdallas ducibus, ac primoribus gentis: Quid vobis, inquit, videtur super futuro rege? At illi, abnegato eo concorditer, dextras dedere filio ejus Habdallæ Muhammat, qui nuncupabatur Madi. Porro Hyse absque sensu domum reportaverunt. Hunc autem post tertium diem convalescentem excusationibus fictis consolabatur centum auri talentis injurias recompensans. Eodem etiam anno misit Paganus dominus Bulgariæ ad imperatorem, postulans ut cum eo facie ad faciem jungeretur, et accepto verbo descendit cum eo cum Boiladis suis. Cumque imperator una cum Sabino sederet, suscepit eos, et exprobravit inordinationem eorum, et odium habitum in Sabinum, feceruntque pacem, ut putabant. Ast imperator clam mittens in Bulgariam cepit Severorum principem Sclavinum, qui in Thrace multa fecerat mala. Comprehensus est autem et Christianus, qui est Christianis Margarites, et primus Scaurorum effectus est, quem apud sanctum Thomam manibus et pedibus detruncantes, adduxere medicos, qui hunc vivum inciderunt a thorace pubetenus, ad hominis cognoscendam positionem, atque structuram, et sic eum tradiderunt igni. Actutum præterea exiens imperator ab urbe, cum sine custodia invenisset ob deceptoriam pacem, per clausuras ingressus est Bulgariam usque ad [b] Zitas, et misso igne in [c] cohortes reversus est, cum nil forte patrasset. Anno vigesimo quinto imperii sui, duodecima Kalend. Decembris indictionis quartæ, furens impius et scelestus imperator adversus omnes timentes Deum, protomartyrem Stephanum novum abstrahi præcepit, cum inclusus esset apud sanctum Auxentium in proximo monte Amastri. Quem hi qui eruditionum ejus fructum percipiebant, et unius ac similis sensus cum eo erant, scholarii quoque, ac reliquis ordinibus deputati, accipientes pedem ipsius rudente ligantes, traxerunt usque ad ea quæ sunt pelagia prætorio, ubi et discerpentes eum projecerunt honorabiles ipsius reliquias in biothanatorum locum, eo quod multos monuerit, et adduxerit ad monasticam vitam, atque contemnere regias dignitates atque pecunias persuaserit. Reverendus quippe vir omnibus erat, pro eo quod fere sexaginta annos egerit in claustris, et virtutibus multis effulserit. Multos etiam principes ac milites accusatos, quod imagines adorarent, diversis pœnis et amarissimis tradidit verberibus. Jusjurandum etiam generale ab omnibus sub imperio suo degentibus exegit, ne quis-

[a] Al., *Avaribus*.
[b] Al., *Tu ahuni*
[c] Cedren., αὐλὰς, *cortes*.

Digitized by Google

quam adoraret icona : cum quibus et Constantinum A falsi nominis patriarcham super ambonem ascendere, et exaltare pretiosa ligna, et jurare fecit, quod non esset ex eis qui adoraret imagines. Cui mox ut ex monacho Stephanites efficeretur persuasit, et carnibus vesceretur, atque cytharœdos ad mensam regiam admitti pateretur, sed non in longum tardata ultio hunc homicidam debitis tradidit pœnis. Denique duodecima Kalend. Februarii quartæ indictionis, motus est contra Bulgares, et direxit ad Achelon duo millia sexcenta chelandia exstruens ea, et armans ex cunctis thematibus. Quæ cum in Thoris stationem fixissent, flante Aquilone, contrita sunt pene omnia, et populus necatus est multus, ita ut imperator extendere retia et mortuos educere ac sepelire præcepit. Porro decima sexta Kal. B Septemb. ejusdem quartæ indictionis, publice diffamavit, et dehonestavit habitum monachorum in hippodromo, præcipiens unumquemque monachum manu tenere mulierem, et taliter transire per hippodromum, sumptis injuriis ab omni populo cumulatis. Similiter et octavo Idus Septemb. ducti sunt ad ludos Circenses insignes principes decem et novem, et pompati sunt quasi mala contra imperatorem consiliati fuerint, non veraciter accusati, sed quia invidebat eis, eo quod essent formosi, atque robusti, et ab omnibus collaudati; quibusdam vero ex eis, et ob religionem, eo quod ad prædictum inclusum issent, et passiones ejus publice divulgarent, quos interfecit, quorum præcipui sunt, Constantinus patricius, et dudum logotheta dromi, cuique nomen imposuit C Podopagurum, et hujus frater Stratejus spatarius, et domesticus excubitorum; Antiochus logotheta dromi factus, et prætor Siciliæ, David spatarius, et comes obsicii; Theophylactus protospatarius, et primus imperialium stratorum, filius patricii Bardanis; Theophylactus candidatus, et alii, quos cum in Hippodromo ludos palam traduci, et ab omni populo conspui et maledici fecisset, sententiam dedit, et illos quidem duos fratres Constantinum atque Strateium intra venationis septa capitis animadversione punivit, multo super eos universæ plebis facto lamento, adeo ut cum hoc didicisset imperator indignaretur, et Procopium præfectum cæderet, et ab administratione depelleret, tanquam id fieri permittentem : cæteros autem oculis privatos in exsilium D destinavit, quos per singulos mittens, cum esset omni crudelitate plenus, ad loca in quibus degebat, centenis flagris vapulare jubebat. Porro tertia Kalendas Septembris ejusdem quartæ indictionis, insaniens idem malevolus adversus æquivocum suum, et consentaneum suum patriarcham, et inventis quibusdam clericis ac monachis instruxit illos ut dicerent : Audivimus patriarcham cum Podopaguro adversus imperatorem loquentem, et misit eos ad patriarcham, ut arguerent illum. Cumque ille juraret, fecit eos ad pretiosa ligna jurare fatentes : A patriarcha hæc maledicta audivimus. Inter hæc ergo misit, et bulla signavit patriarcham, et hunc exsilio relegavit apud [a] Iberiam, et rursum apud principem insulam.

Anno vigesimo sexto imperii Constantini, Habdallas filius Hali mortuus est, ruente super se turre in qua custodiebatur. Habdallas autem cum amiræ fungeretur honore, multa mala Christianis sub principatu suo degentibus demonstravit. Siquidem et cruces ecclesiarum abstulit, et vigilias nocturnas celebrare, sed et litteras discere prohibebat. Hi vero qui dicuntur apud illos aruritæ, quod interpretatur æmulatores, contra Palmirensem eremum insurrexerunt. Is autem qui Christianis ineffabilibus Dei judiciis imperabat, fortassis ut Jezabel quondam, vel vesanus Achab, multo pejora quam Arabum sit insania, sub imperio suo positis orthodoxis episcopis, monachis, laicis, prælatis, atque subjectis ostendit, ubique intercessiones sanctæ Virginis et Dei genitricis, ac omnium sanctorum in scriptis, ut inutiles, ac sine scripto, repellens, per quas nobis emanat omne suffragium, et sanctas eorum reliquias ejiciens, et invisas reddens. Sic ubi insignis quisquam audiebatur ad animarum sanitatem, et corporum, vel sicut moris est a pie gentibus honorari, mox mortem adversus hujusmodi, tanquam impie agentes minabatur; sin autem, proscriptiones, exsilia et tormenta; Deo autem gratissimum lipsanum, ut pote quidam thesaurus possessoribus habitus, auferebatur, invisum de cætero efficiendum. Tale quid et in pretiosissimum laudabilis matris Euphemiæ lipsanum profanus hic imperator gessit, in profundum id cum loculo jacens, non ferens eam ex se super omnem populum suavitatem unguenti reddentem, et arguentem ejus adversus intercessiones sanctorum deliramenta : sed Deus, qui custodit ossa sibi placentium, secundum divina eloquia, illæsum hoc conservavit, rursus ostensurus illud apud Lemnum insulam. Per nocturnam ergo visionem apparens, elevandum se præcepit, et conservandum. Sub Constantino vero et Eirene piis imperatoribus, indictione quarta, cum decenti honore rediit ad templum suum, quod ipse quidem tanquam inimicus ecclesiarum commune fecit armamentarium, sterquiliniumque fore decrevit, illi vero repurgatum hoc iterum sacraverunt, ad redargutionem quidem hujus impietatis, ostensionem autem horum pietatis. Hoc autem obstupendum et scriptura dignum miraculum post viginti duos annos post iniqui principis mortem, una cum piissimis imperatoribus et Thrasio sanctissimo patriarcha, nos vidimus, et cum eis complexi sumus, licet indigni magnam gratiam promerentes. Porro decima sexta Kalendas Decembris ejusdem quintæ indictionis, decreto imperatoris promovetur Nicetas eunuchus e Sclavis ortus irregulariter patriarcha Constantinopoleos, et facta est siccitas, ita ut nec ros de cœlo caderet, defectaque penitus aqua ab urbe, otiosæ remanserunt tam cisternæ, quam lavacra, et fontalia fluenta, quæ prius jugiter effluebant.

[a] Al., *Hicriam.*

Digitized by Google

Quod intuens imperator cœpit renovare aquæductum Valentiniani, qui cum usque ad Heraclium perdurasset, ab Avaribus est destructus. Electis ergo, ex diversis locis artificibus, ab Asia quidem duxit, et Ponto ædificatores mille, et linitores ducentos, a Græcia vero et insulis testacearios quingentos. Porro ex ipsa Thrace operarios v millia hominum, et regulas facientes ducentos, et præposuit eis principes, exsecutoresque operum, ac patricium unum, sicque opere consummato aqua introivit in urbem. Cæterum eadem die, indictione quinta, provehit sui sensus prætores, et operarios sua nequitia condignos, Michaelem scilicet [a] Edessenum in themate Orientalium, et Michaelem Lachanodraconem in Tracesiis: super [b] Buccellarios vero Manen, a mania, id est, insania, nominatum. Sed quis est idoneus ad enarrandum horum scelerata piacula, quæ partim in suis a nobis perstringuntur locis? Omnia enim eorum opera si conscriberentur, quæ ad [c] orationem imperantis sunt effecta, nec ipsum arbitror, ut proprie cum evangelista dicam, capere mundum eos qui scribendi sunt libros.

Anno vigesimo septimo imperii Constantini, Constantinus falsi nominis patriarcha ductus est nona Octobris, sexta indictione a principe insula, quem et cecidit tyrannus, quod evadere non valeret. Jussit autem in foro parari, et eumdem sedere in gremio ecclesiæ magnæ, eratque a secretis cum eo ferens chartæ tomum, in quo erant scripti hujus excessus. Omni ergo populo ex præcepto regis illic congregato, et vidente, legebatur charta in audientia totius populi, et per singula capitula percutiebat a secretis faciem ejus, Niceta patriarcha sedente in confessione, ac intuente. Post hæc vero cum imposuissent eum in ambonem, et recte stare fecissent, accepit Nicetas chartam, et misit episcopis, et ablato superhumerali ejus, anathematizaverunt eum, et hunc [d] socium Absin cognominantes, ab ecclesia [e] abstraxerunt. Postera vero die cum ludi Circenses agerentur, raserunt faciem ejus, et barbam denudaverunt, capitis et superciliorum pilis ablatis, et indutum hunc laneo brevi, ac sine manicis vestimento, sedere fecerunt super asinum sagma ferentem, et ipsius tenere caudam, et duxerunt per Dippium in Hippodromum, cuncto populo imprecante illi mala, et conspuente. Trahebat autem asinum Constantinus nepos ejus naso reciso, cumque venisset ad vulgus descenderunt, et conspuerunt, et pulverem projecerunt super illum. Et cum adduxissent eum ad consistorium, dejecerunt eum de asino, et calcaverunt super collum ejus, et collocatus contra vulgus audiebat ab illis ludicra verba usque ad absolutionem ludorum equestrium. Eodem quoque mense, missis impius imperator patriciis significat ei dicens: Quid dicis de fide nostra, et concilio, quod fecimus? Qui sensibus ad

A vanitatem conversis respondebat: Bene, inquiens, et credis, et bene concilium operatus es, putans se ob hoc illum placare sibi. At confestim illi respondentes dixerunt: Nos hæc audire noluimus ab ore tuo polluto, ex hoc ergo vade in tenebras. Et sic, accepta sententia, descendit ad claustra ferarum, et decollatus est, et caput quidem per aures ligantes tribus diebus in Milio suspenderunt ad ostentationem plebis: corpus vero resti pede ligato traxerunt per plateas usque ad loca pelagi, et sociandum biothanatis jactaverunt, similiter et caput ejus post tres dies illuc delatum projecerunt. O irrationabilitatem, et crudelitatem, atque immisericordiam immitissimæ bestiæ! non est veritus miser sanctum lavacrum. Duos enim filios ejus ex tertia conjuge ipsius in ul-
B nas suas susceperat. Siquidem semper feralibus moribus et immansuetus esse probabatur. Ab hoc autem anno ampliori est insania usus, mittens quippe deposuit Petrum nobilem stilicen a Metra, quem [f] virum cum suis dogmatis cedere renuisset, ligatis pedibus ejus in prædictum [g] palatii locum inclusit, et hunc tractum quoque per plateas projici jussit, alios etiam in saccis vinciens, et lapidibus aggravans, eruens oculos in pelagus jactari præcipiebat, nares abscindens, flagellis excorians, et omnem tormenti speciem adversus eos, qui pie vivebant, excogitans, et in urbe quidem per seipsum hæc, et consentaneos suos, Antonium patricium, et scholarum domesticum ac Petrum magistrum super populum singulorum ordinum, qui a se fuerat eruditus ad ta-
C lia, agebat, in exteris vero partibus per jam dictos prætores. Ipse namque citharæ delectabatur sonitu, atque conviviis, turpibus sermonibus et saltationibus eos qui sibi adhærebant incessanter erudiens, et sic ubi quisquam corruens, vel dolens, solitam Christianorum vocem emitteret dicens: Dei Genitrix, juva, aut vigilias agens deprehenderetur, aut ecclesiis assuetus, aut cum religione vivens, aut non passim juramentis abutens, ut inimicus imperatoris damnabatur, et immemorabilis nominabatur. Monasteria vero, quæ in gloriam Dei et salvandorum refugium effecta sunt, domos fore communes fautoribus suis militibus sanciebat. Denique Dalmatii cœnobium, quod inter optima Byzantii erat cœnobia,
D militibus in habitaculum tribuit. Ea vero quæ dicuntur Calistrati, et Dii, ac Maximi, in monasteria, nec non et alias sacras monachorum, ac virginum domos a fundamentis destruxit. Eos autem qui monasticam vitam subire ex insignibus [h] militibus studuerant, et maxime illos qui sibi adhæserant, et complices libidinis suæ et nefandorum actuum fuerant, morti subdebat, suspectui habens confusionem, quæ sibi ex propalationibus fieret se pronuntiantium. Unde et Strateium Podopaguri fratrem, cum esset urbanus specie, assumpsit. Amabat enim talibus adhærere

[a] Al., *Melissenum*, στρατηγὸν τῶν ἀνατολικῶν.
[b] Εἰς τὸ βουκελλάριον.
[c] Al., *curationem*.
[d] *Scotiopsit*.
[e] *Abstraxerunt gradientem retrorsum.*
[f] Al., *virum*.
[g] Al., *palagii*.
[h] Al., *mil. vel senatorib. s.*

Digitized by Google

propter luxurias suas. Cumque moleste eum sensisset tulisse infandas in viros insanias suas, et beato Stephano incluso sancti Auxentii has manifestas reddidisse, salutisque remedia suscepisse, hunc quasi insidiatorem suum diffamans una cum incluso, ut prædictum est, interfecit. Fecit autem abundare [a] ornatas species in urbe. Novus enim Midas factus, aurum coacervavit, et agricolas denudavit, et ob tributorum exactionem cogebantur homines largas Dei geniminum munificentias facili seu vili pretio venundare. Eodemque anno Nicetas falsi nominis patriarcha iconas [b] ex musivo factas, quæ in patriarchio secreti minoris erant, erasit, et imagines magni secreti, quæ sculptæ erant in ligno, deposuit, et cæterarum imaginum facies delinivit, sed et in Abramio similiter fecit. Anno vigesimo octavo imperii sui coronavit imperator Eudoxiam uxorem suam, cum esset trigamus, et hæc esset tertia conjux, in tribunali decem et novem accubituum. Kal. April. filios suos ex ipsa creatos, Christophorum scilicet, et Nicephorum postera die, qua sanctum celebratum est Pascha, Cæsares ordinavit, patriarcha orationem faciente, et imperatoribus chlamydes et Cæsaricas imponentibus galeas. Pari modo et Nicetæ novissimo fratri eorum nobilissimo facto, superposuit ei chlamydem, et auream coronam, et ita processerunt jactantibus imperatoribus hypatiam, et trimisia, et hemisia, et numismata nova, usque ad magnam ecclesiam. Anno vigesimo nono imperii Constantini, ingressa est Eirene ab Athenis veniens cum dromonibus, et chelandiis plurimis, adornatis sericis palliis, et proceribus urbis cum uxoribus obviam occurrentibus, et præcedentibus eam. Cumque venisset patriarcha ad palatium in ecclesiam Phari, facta sunt ad eamdem Eirenem sponsalia Leonis imperatoris, et decima sexta Kal. Jan. coronata est in triclinio Augusta imperatrix Eirene. Hoc etiam anno facta est commutatio in Syria viri ad virum, et feminæ ad feminam, et pueri ad puerum, et præcepit Habdallas radi barbas eorum, et fieri [c] calamaucos cubiti unius, et semis. Anno trigesimo imperii Constantini movit exercitum Banacas contra Romaniam, et multos captivos abduxit, et Romani ingressi quartam Armeniam despoliaverunt eam. Præterea moritur Salem, et translata est Germanicia in Palæstinam. Eodem vero anno imitatus Lachanodraco magistrum suum, omnem monachum et monacham in themate Thracesiorum commorantes apud Ephesum congregavit, et eduxit eos in campum, et ait: Qui vult imperatori ac nobis obedire, alba induatur veste, et uxorem hac sumat hora. Ast qui hoc facere parvipenderint, privati luminibus in Cypro exsilio damnabuntur. Tumque opus pariter cum verbo consummatum est, et multi ostensi sunt martyres, multi vero deficientes et enervati perierunt, quos et familiares sibi Draco faciebat. Præterea indictione nona, mense Januario, natus est imperatori Leoni et

A Eirene filius, dum adhuc viveret Constantinus avus ejus. Anno trigesimo primo imperii Constantini movit exercitum Banacas contra Romaniam, et cum descendisset ab Isauria in castrum Sciees, obsedit illud. Quod cum imperator audisset, scripsit ad Michaelem prætorem Orientalium, et ad Manen [d] Buccellariorum, et Bardan Armeniacorum prætores, qui cum venissent, tenuerunt egressum eorum, quia erat clausura valde difficilis ad meandum. Stolus autem Cibioretarum cum Præcona spatario prætore suo veniens, applicuit in portu prædicti castri. Quod cum Banacas vidisset sui desperatus, fiduciam rursus assumit, suosque alacres reddit, et ascendens ad pedestres exercitus magnis et repentinis vocibus cum omnibus suis clamorem dedit, sicque illos territos fugat, multisque

B peremptis deprædatus est omnia circa regionem, et cum spoliis multis reversus est. Eodemque anno misso prætore Thracesiorum Lachanodraco, Leone notario suo, et Leone exmonacho, venundabat omnia monasteria virorum ac mulierum, et omnia vasa sacrata, et libros, et pecora, et quæque patrimoniorum eorum erant, et horum pretia principi detulit: quotquot autem monachicos et paternos libros reperit, igne combussit, et sicubi lipsanum sancti quisquam habens apparuisset ad custodiam, et hoc quoque nihilominus igni tradebat: eum vero qui habebat illud, ut impie agentem puniebat, et multos quidem monachorum interfecit verberibus, quosdam etiam gladiis trucidavit. Præterea innumerabiles oculorum visibus privavit, et quorumdam quidem

C barbas cera et oleo perungens succendebat ignem, et ita tam facies eorum, quam capita cremabat. Porro alios post multos cruciatus etiam exsiliis destinabat, et postremo in toto themate sibi subjecto non deseruit hominem unum monastico schemate amictum. Quod cum didicisset imperator, bonum semper exosum habens, scripsit ei gratias dicens: Inveni te virum secundum cor meum, qui facias omnes voluntates meas. Hunc ergo imitantes et cæteri similia perpetrabant. Anno trigesimo secundo imperii Constantini misit Habdallas in Africam Mualabicum cum exercitu multo, ingressus est Alfadalbadinar in Romaniam, et cepit captivos quingentos. Mopsustenses autem obviam eis occurrentes, et bellum exagitantes occiderunt ex Arabibus mil-

D le. Ast Habdallas abiens Jerosolymam jejunavit, et præcepit Christianos, et Hebræos inscribi in manibus, et idcirco multi Christianorum in Romaniam confugerunt. Anno trigesimo tertio imperii sui movit Constantinus mense Martio, duodecima indictione, stolum chelandiorum duum millium contra Bulgariam. Et ingressus ipse in rubea chelandia motus est ad intrandum Danubium amnem, prætoribus equestrium thematum derelictis extra clausuras, si fortasse possent Bulgaribus in se intuitum intentionis figentibus introire Bulgariam. Cum autem venisset ad Barnas, formidabat, et redire meditabatur,

[a] P. Pith., horn.. Al., horio.
[b] Διὰ ψηφίδων.

[c] Al., amelaucos. Al., cammelaucos.
[d] Al., Buccellan... P. Pith., Buccellariorum.

sed Bulgares simili pavore metuentes, et ei inviden- A tes, miserunt Iloyam, et Zigaton petentes pacem. Quos cum vidisset imperator, gavisus est, et pacem fecit, præstito vicissim jurejurando, quatenus neque Bulgares exirent contra Romaniam, neque imp. studeret contra Bulgariam intrare. Et factis super hoc ex utraque parte scriptis adinvicem, reversus est imperator, et urbem adiit, derelictis thematibus in castris quæ condidit. Octobri vero mense, undecima indictione, nuntium suscepit a Bulgaria ab occultis amicis suis, quod mitteret dominus Bulgariæ duodecim millia ex populo, et Boyladen ad captivandam Berzitiam, et adducendum eos in Bulgariam. Venerant enim ad eum legati domini Bulgariæ, cum adhuc hi essent in urbe, qui simulavit se adversus Arabes exercitum movere, et transmeaverunt tam B vexilla quam supellectiles ministerii regis, et apparatus. Cum autem apocrisarios dimisisset, per exploratores eorum egressu comperto, assumpto exercitu festinus iter arripuit, et coacervatis Taxatis, et Thracesianis, et unitis ordinibus optimatibus, fecit eos octingenta millia. Et pergens in locum, qui dicitur Lithsoria, nullius tubæ clangore sonante, irruerunt super illos, et vertens eos fecit victoriam magnam, et cum multis exuviis et captivis reversus est, triumphum sui tropæi ostentans penes urbem, et obstipatus obsiciis incedens, bellumque hoc nobile nuncupans, eo quod nemo sibi restiterit, nec mactatio in hoc aut effusio Christiani facta fuerit sanguinis. Anno trigesimo quarto imperii Constantini, Constantinus, solvens Bulgarum pacem, construxit C iterum stolum magnum, et intromissis in eum equitum XII millibus, direxit omnes prætores classium, omnes in illo: ipse vero timens mansit cum equestri militia. Cum autem venissent usque Mesembriam, et hanc ingressi fuissent, valenter Aquilone vento spirante omnia pene contrita sunt, et multi perierunt, et rediit, cum nil utilitatis attulisset. Porro Telericus dominus Bulgariæ, comperto quod per familiares suos consilia sua cognosceret, scribit ei dicens: Vellem effugere, et venire ad te, transmitte ergo mihi verbum securitatis, et quos habeas hic amicos, ut hoc eis credam, et mecum occurrant. At ille levitate usus scripsit ei, qui cum hoc didicisset, per medium eos recidit; quod audiens Constantinus, aliquandiu canos suos evulsit. Anno trigesimo quinto imperii sui imperator mense Augusto tertia decima indictione exivit contra Bulgares, qui divinitus in cruribus est plaga percussus, quæ Græce ἄνθραξ appellatur, et hinc febre validissima detentus Archadiopolim rediit, a subjectis humeros in lecto delatus, et veniens Silimbriam, navem ingressus est: cumque ad rotundum pervenisset castellum, miserabiliter in chelandio moritur clamans, et dicens: Vivens adhuc igni sum inexstinguibili traditus, sanctamque Virginem et Dei genitricem laudari expostulans, cum sine fœdere ejus fuerit inimicus. Regnavit autem post mortem patris sui annis triginta quinque, mensibus duobus, diebus viginti sex, et ita vitam dissolvit, sanguinibus multis infectus, et dæmonum invocationibus, ac sacrificiis, persecutionibus quoque sanctarum ecclesiarum, rectæque ac immaculatæ fidei necnon et monachorum peremptionibus, et violationibus monasteriorum, malisque variis, supercrescens, non minus quam Diocletianus, vel aliquis tyrannorum. Præterea eodem anno, et eodem mense moritur Habdallas Arabum dux. Cum enim ambo hi velut acerrimæ bestiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus depasti sint, mortui sunt providentia Dei, et obtinent principatum Leo et Mady filii eorum. Præterea eodem anno Adilgisus Longobardorum rex, ad regiam urbem veniens, imperatori se profugus contulit.

# LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

Anno ab Incarnat. Domini 768, Leo Constantini filius imperat, et Mady dux habetur Arabum, qui novem his præfuit annis: Leo vero imperator cœpit D expendere pecunias, quæ sibi fuerant a patre dimissæ, placuitque tam optimatibus quam populo, et visus est ad breve tempus pius esse, sanctæque Dei genitricis ac monachorum amicus: unde et monachos metropolitanos in summis sedibus collocavit, militiasque themate fecit multas, et ordines in urbe ampliavit. Quam ob rem thematum principes commoti, omnes ingressi sunt cum multitudine populi copiosa, petentes Constantinum filium imperatorem ejus. At ille, ut moris est principibus, renuntiavit eis: Filius est, inquit, meus unicus mihi, et idcirco vereor hoc facere, ne forte contingat mihi quod humanum est, et cum adhuc sit parvulus, morti eum tradatis, et alium promoveatis. At illi cum juramentis se profitebantur illi satisfacturos, neminem regnaturum præter filium ejus, etiamsi mori eum Deus voluisset. Hoc autem a Dominica die, qua Palmarum solemnitas agitur, usque ad quintam feriam hebdomadæ majoris, populo in Hippodromo coacervato petente, sancta Parasceve jussit jurare illos. Et juravit omnis populus in honorandis et vivificis lignis, tam scilicet ex thematibus et senatu quam etiam exterioribus ordinibus, et civibus omnibus, et ergasteriacis, imperatorem non admittendi, excepto Leone, seu Constantino, ac semine ipsorum, et fecerunt scripta, quemadmodum juraverunt, propriæ manus, et in crastino sabbato sancto, exivit imperator in tribunalibus XIX accubituum, et provexit nobilissimum Eudoxium fratrem suum; nam Anthimum vivens pater ejus provexerat. Et processit imperator cum reliquis Cæsaribus et tri-

bus nobilissimis, ac novo Constantino, ad magnam ecclesiam, et mutato indumento, sicut imperatoribus moris est, ambonem ascendit cum filio suo simul, et patriarcha, et ingressus omnis populus posuerunt scripta sua in mensa sancta. Tunc imperator allocutus est populum sic : En, Fratres, petitiones vestras adimpleo, et dono vobis filium meum imperatorem, ecce ab ecclesia et de manu Christi suscipitis. At illi clamaverunt voce magna dicentes : Fidejussor noster esto, Fili Dei, quia de manu tua suscipimus dominum Constantinum imperatorem, ad custodiendum eum, et commoriendum pro eo. Et in crastinum, quando videlicet magnus et dominicus dies Paschæ celebratus est octava Kalend. Maii, decima quarta indictione, auroræ crepusculo, exeunte imperatore una cum patriarcha in Hippodromum, B delato altario, omni populo contemplante, patriarcha fecit orationem, et coronavit imp. filium suum, et ita processit ad magnam ecclesiam uterque imperator cum duobus Cæsaribus, et tribus nobilissimis. Processit autem et imperatrix Eirene, cum præcessissent imperatores, sceptris obsequentibus per scholas antelatis, et ascendentibus per æneæ portæ ascensum in [a] catechumeni ecclesiam, non exiens in plateam Emboli. Mense vero Maio ejusdem indictionis accusatus est Nicephorus Cæsar, et frater imperatoris, quod insidias construxisset adversus eum cum quibusdam spatariis, atque stratoribus, aliisque regiis hominibus, et facto imperator silentio apud Magnauram, exposuit populo quæ de se fuerant dicta. Qui unanimiter exclamaverunt ut uterque recederet e medio, non memorantes, semper perjuri, se patri eorum jurasse non admissuros post mortem ejus injuriam pati natos ejus. Ast imperator rebelles cæsos et tonsos exsilio damnavit, et apud Chersonam deportatos fore decrevit, et climata illa sub custodia et munimine conservanda. Anno secundo imperii Leonis confugit Telericus Bulgariæ dominus ad imperatorem, qui fecit eum patricium, jungens illi uxoris suæ Eirene consobrinam. Cum autem baptizatum eum ex sancta piscina suscepisset, magnifice honoravit pariter, et amavit. Anno tertio imperii Leonis sedit Ithumas apud Dabechum, et seditionem commovit. Leo autem militias Romanorum direxit, et ingressa sunt Syriam c millia, quibus duces erant Michael Lachanodraco Thracesiorum, [b] Artavadus Armenius Orientalium, Tazates Buccellariorum, et Basterotes Armeniacorum, et Gregorius Obsicianensium prætores, et circumdederunt Germaniciam, ubi erat [c] Isbal filius Mady, et apprehenderunt omnes camelos ejus, et futurum erat ut caperent etiam Germaniciam, nisi muneribus persuasisset Lachanodraconi Isbali, et recessisset a castro, et exivit in prædam regionis, et captivatis hæreticis Jacobitis Syris, iterum ad castra reversus est. Et misso Ithumas exercitu a Debecho et Amiradibus,

A bellum cum Romanis fecerunt, et ceciderunt ex Amiradibus quinque, et Arabibus sex millia, et sexta feria redierunt. Egressi enim fuerant Dominico die. Præterea μγλωμα facta, imperator in Sophianis sedit in solio cum filio suo, et ita divulgaverunt prætores trium, hos quos sumpserant. Transtulit autem Syros hæreticos in Thracem, et locavit eos illic. Anno quarto imperii Leonis, furore accensus Arabum dux Mady, mittit Asach cum virtute multa Maurophororum scilicet Syriæ, ac Mesopotamiæ, et descendit usque ad Dorileum; verum imperator præcepit prætoribus ne debellarent eos publico bello, sed munirent civitates, et populum introducerent, ad earum custodiam destinatis et principibus magnis per singulas civitates, ipsique sumerent electorum militum terna B millia, et insequerentur eos, ne dispergerent cursus. Et incenderunt ipsi primitus tam pabula equorum quam escas ubicunque fuissent inventæ. Cum autem residerent Dorilei diebus quindecim, et defecissent sibi quæ victui sunt necessaria, exsilia effecta sunt eorum animalia, multaque in eis præda patrata est. Et reversi sunt, et obsederunt Amorium die uno; quod cum vidissent munitum esse, et multam habere armaturam, reversi sunt nihil proficientes. Anno quinto imperii Leonis venit Mady Arabum dux Dabechum cum multo apparatu, atque potentatu, et misso filio suo in Romaniam, ipse rediit ad sanctam civitatem, et misit Thesian, qui dicebatur Zelotes, et dat ei potestatem apostatas faciendi Christianorum servos, et desolandi ecclesias sanctas, et C venit Emesan, et repromittit se non compellere ad [d] menzerizandum, nisi eos qui dudum ex infidelibus fuissent, donec patefacti sunt Hebræi et Christiani. Et statim cœpit impie cruciare, sicut nec Lysias olim vel Agricolaus, multosque perdidit. Sane feminæ, gratia Christi Dei nostri, vicerunt ejus insaniam ; et hæ cum nubitenses essent archidiaconi Emesæ, ac filii Isaiæ, multum cruciatæ, cum non cessissent impietati, millena quippe flagra recipientes, et aliis multis cruciatibus attentatæ, coronam victoriæ a Christo perceperunt. Pervenit autem et usque Damascum, et multas ecclesias desertas fecit, non intendens dato Christianis verbo ab Arabibus. Præterea octava Idus Feb. mortuo Niceta, de quo prædictum est, Constantinopoleos episcopo, secunda jejunio- D rum beb lomada, die Dominico, Paulus honorabilis, genere Cyprius, verbo et actu coruscans, post plurimam propter hæresim qua tenebatur excusationem, vi multa compellente consecratur patriarcha Constantinopoleos. Media vero hebdomada jejuniorum tentus est Jacobus protospatarius, et Papias, ac Strateius, et Theophanes, cubicularii, una cum aliis religiosis viris, eo quod imagines adorarent. Tunc denudans occultam malitiam suam, Leo persecutoris filius, et hos immisericorditer cæsos, et tonsos, et per medium urbis vinctos pompari fecit, et includi

[a] Al., *catechumenia ecclesiæ*. P. Pith., *catechumena ecclesiæ*.
[b] Al., *Artanasdus*.

[c] Al., *Isbalithius*
[d] Al., *Maganiz*.

in prætorio mandavit, inter quos dictus etiam moritur Theophanes confessor effectus, et coronam martyrii consecutus: reliqui autem omnes post hujus obitum probati monachi inventi sunt. Ast Aaron ingressus Armeniacorum thema, obsedit Semaluos castellum æstate tota, et Septembri mense cepit illud in verbo. Miserat autem Ithuman in Asiam cum quinquaginta millibus, et occurrens Michael Lachanodraco cursu modico suo debellavit eum, et jugulavit fratrem Ithumæ. Eodemque mense, quarta indictione, mortuus est Leo filius Constantini hoc modo. Cum [a] insaniret circa lapides, nimis adamavit coronam magnæ ecclesiæ, et accipiens portavit eam, et exierunt carbunculi in capite ejus, et captus a valida febre, mortuus est, cum regnasset annis quinque, diebus sex.

## CONSTANTINUS ET EIRENE.

Anno ab Incarnatione Domini 774, Eirene piissima, una cum filio suo Constantino gloriose imperium divinitus accepit, sexta Idus Septemb., indictione quarta, cum mirabilis prædicaretur Deus etiam in hoc, per viduam feminam et puerum orphanum depositus immensam contra se famulosque suos impietatem, et adversus cunctas Ecclesias motam impugnatoris Dei Constantini tyrannidem, et olim diaboli piscatorem, et illitteratorum infirmitatem. Post quadraginta vero dies imperii ejus, cum filius ejus esset decem annorum, consilium facientes quidam senatorum voluerunt educere Nicephorum Cæsarem, et imperatorem statuere. Cum autem hoc ad notitiam suam pervenisset, tenti sunt Gregorius logotheta dromi, et Bardas dudum prætor Armeniacorum, Constantinusque vicarii spatarius, et domesticus excubitorum, et Theophylactus rangabi drongarius duodecimæ insulæ, et multi alii, quos cæsos et tonsos in diversis locis exsilio relegavit. Porro viri sui fratres, Cæsares, ac nobilissimos, tonsos sacerdotio fungi, et populo communionem in festivitate Nativitatis Christi porrigere fecit, in qua procedens imperatorio more publice cum puero, reddidit ecclesiæ stemma, quod fuerat a marito ablatum, pulcherrime fabrefactum, et lapidibus pretiosis venustatum. Promovit autem Helpidium prætorem in Sicilia, qui et illic ante prætor exstiterat. Porro decima septima Kalend. Maii accusatus est idem Helpidius, quod cum Cæsaribus sentiret, et misso Theophilo spatario, præcepit ut compendio raperet, et duceret eum; qui cum perrexisset, non dederunt eum Siculi, at illa hujus uxorem et filios cæsos, et tonsos prætori misit custodiendos. Junio autem mense omnia interiora thematis destinavit ad clausuras custodiendas, et observandi exitum Arabum, præponens ei caput Joannem sacellarium, qui erat eunuchus, et domesticus ejus: at vero misit Mady Cebir cum virtute multa, et occurrunt in locum qui dicitur Milium, et inito bello superarunt Arabes, et occiduntur ex eis multi, et ita A cum confusione sunt reversi. Cœperunt interea piissimi principes fiducialiter agere, et verbum Domini dilatare, et qui volebant salvari, sine prohibitione mundo abrenuntiare, et glorificationem Dei exaltare, ac monasteria recreare, atque omne bonum manifestare. Hoc etiam anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens invenit [b] arcam lapideam, quam cum expurgasset et relevasset, reperit virum jacentem, et conglutinatas arcæ litteras continentes hæc: Christus nascetur ex virgine Maria, et credo in eum; sub Constantino et Eirene imperatoribus, o sol, iterum me videbis.

Anno secundo Constantini et Eirene, direxit Eirena Constantem sacellarium, et Mamalum primicerium ad Carolum Francorum regem, quo filiam suam B nuptum traderet imperatori Constantino filio suo. Et facto placito ac jurejurando inter utrosque, reliquerunt Helisæum eunuchum atque notarium ad docendum illam Græcorum litteras simul et linguam, sed et ut erudiret eam secundum mores Rom. imperii. Constructis autem navibus numerosis, et electis ex thematibus populis, ac principibus, qui sufficerent, promovit Theodorum patricium eunuchum virum industrium, et direxit adversus Helpidium in Siciliam, cumque multa fierent bella, vicerunt hi qui circa Theodorum erant. Quo viso Helpidius timuit, et sumptis quotquot habebat pecuniis, cum Nicephoro transmeavit in Africam, et accepto verbo securitatis ad Arabes confluxit, quem illi susceptum, ut Romanorum tenebant imperatorem, coronantes eum in- C cassum, et ocreis et schemate induentes. Cum autem Romanorum populus in his vacaret, egreditur Mady filius Aaron cum potentatu et apparatu nimio, tam Maurophorum quam totius Mesopotamiæ, et Syriæ, et Deserti, et venit Chrysopolim, derelicto Binuso, ad obsidendum Nacoliam, et custodiendum dorsa sua. Misit autem et Burnice in Asiam cum triginta millibus, quæ cum debellasset Lachanodraconem cum themate Thracesiorum in loco Darino dicto, et ipsi cum triginta millia essent, quinque millia interfecit. Ast imperatrix, misso Antonio domestico suo cum ordinibus, obtinuit Barim, et concluserunt eos. Confugit autem ad eos Tazates Buccellariorum prætor propter odium quod contra Stauratium pa- D tricium habebat, et logothetam Tudromii, eunuchum omnibus qui tunc esse videbantur præminentem, et omnia disponentem, et dato eis consilio postulaverunt pacem. Cum autem ad hoc exissent Stauratius, et Petrus magister, et Antonius domesticus, non studuerunt subtiliter agere, ut verbum caute susciperent, et filios primorum, sed exeuntes inconsulte, tenti sunt ab illis, et compedibus vincti sunt, et coacti sunt utræque partes ad faciendam pacem, et donaverunt invicem, Augusta videlicet et Aaron, xenia multa, pacto firmato, ut per singulos annos eis censum tribueret. Et facta pace discesserunt, etiam dimittentes civitatem Nacoliæ. Tulit autem et Tazates uxorem suam, et omnem substantiam. Anno

[a] Λιθομανής.

[b] Λάρνακα.

Digitized by Google

tertio imperii sui, pace facta cum Arabibus, et aditu reperto, Eirena mittit Stauratium patricium, logothetam dromi, cum virtute multa, contra Sclavinorum gentes; qui cum descendisset in Thessaliam, et Græciam, subjecit omnes, et tributarios fecit imperio. Introivit autem et in Peloponnesum, et multam captivitatem, et exuvias Romano imperio attulit. Anno quarto imperii Constantini et Eirenæ, rediit Stauratius, de quo supra dictum est, a Sclavis, et triumpho manifestavit tropæa in Hippodromo. Mense autem Maio ejusdem septimæ indictionis, exivit imperatrix Eirena una cum filio suo, et virtute copiosa in Thracem, circumferens organa, et cætera genera musicorum, et venit usque Beroeam, et hanc ædificari jubens, nominavit Eirenopolim. Venit autem et usque Philippopolim cum omni securitate, et rediit, cum construxisset etiam Anchialum. Eodem quoque anno Arabum dux Mady, qui et Muhammat, mortuus est, et principatus est Moyses filius ejus. Porro primo die Kal. Septemb. ejusdem septimæ indictionis Paulus Almisicus patriarcha sanctissimus infirmatus thronum reliquit, et descendens ad monasterium Flori, monasticum suscepit habitum, imperio ignorante. Cum autem imperatrix hoc didicisset, venit cum filio tristis, et clamans: Cur, inquit, hoc fecisiti? At ille cum lamentis ait ad eam: Utinam ne unquam in sacerdotii throno sedissem, Ecclesia Dei tyrannidem patiente, præsertim cum scissa sit a reliquis universalibus sedibus, et anathematizata. Quæ demum ascitos patricios et senatus primores misit ad eum audire quæ ab ipso dicebantur, qui dixit ad illos: Nisi synodus universalis fiat, et error qui est in medio vestri corrigatur, salutem non habetis. At illi dixerunt ei: Quare subscripsisti cum [a] consecrareris icona? At ille ait: Idcirco lamentis afficior, et cucurri ad pœnitentiam deprecaturus Deum, ne me sicut sacerdotem judicet et cruciet, qui tacuerim usque nunc, et præ timore furoris vestri non prædicaverim veritatem. Et in his obdormivit in pace, derelicto lamento multo tam piis quam impiis et religiosis viris reip. Colendus enim vir erat, et supra mensuram misericors, ac omni reverentia dignus, multamque fidem habebat tam resp. quam imperium erga illum. Ex tunc ergo cœpit dici, et disputari super sanctis imaginibus. Anno quinto imperii Eirenæ cum filio, Arabum dux provehitur Moyses, qui eis uno præfuit anno. Hoc quoque anno collecto Eirene omni populo apud Magnauran, dixit ad eos: Scitis, fratres, quid fecerit Paulus patriarcha. Et si quidem vixisset, non hunc utique pateremur dimittere sacerdotii thronum, licet monasticum induerit habitum; quia vero, sicut Deo placuit, de hac vita migravit, qui possit pascere nos provideamus hominem, et Ecclesiam Dei didascalicis servare sermonibus; qui universaliter dixerunt non fore alium nisi Thrasium a secretis. At illa: Et nos, inquit, ipsum elegimus, sed resultat, et dicit pro qua causa non suscipit electionem imperii et totius plebis. At

A ille respondit populo dicens: Immaculatæ fidei nostræ Christianorum custodes, et eorum qui in gloria Dei sunt æmulatores fideles imperatores nostri, et in commodum nostrum curam facientes, et maxime nunc ecclesiastica negotia diligenter considerantes, quo summus sacerdos in hac urbe regia constitueret, in suæ pietatis animum me assumpsere, et ut manifeste mihi diceretur, quod consiliati sunt præceperunt. Cumque ad hoc me indignum esse pronuntiarem, et nullum consensum efficerem, ut pote qui jugum hujus sarcinæ portare vel sufficere non possem, jusserunt me adduci ante faciem vestram, pro eo quod hujus consilii unanimes et comprobatores effecti sitis. Et nunc, o viri, qui Deum timetis, et semper hunc in cordibus habetis, quique Christi B invocatione nominamini veri Dei nostri Christiani, audite brevissimum ab exiguitate mea et humilitate sermonem. Ego enim quidquid piis imperatoribus nostris et per omnia orthodoxis responderim, etiam in conspectu vestro orationis meæ apologia respondebo. Timore deprimor ad consentiendum huic electioni, et vereor a facie Dei currere taliter, et quomodolibet incircumspectus, ut non terribili damnationi succumbam. Si enim divinus apostolus Paulus, qui Dei voces audivit, cœlumque habuit erudiens se, et paradisi inspector effectus est, audivitque arcana verba, et portavit nomen Domini coram gentibus, et regibus, dixit: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* quomodo ergo ego, qui in mundo conversatus, et cum laicis connumeratus, in C imperatoris administrationibus militavi, sic absque judicatione, atque circumspectione possim insilire ad sacerdotii magnitudinem? Horrendum conamen ad exiguitatem meam, et temerarium studium. Causa vero timoris mei hæc est: aspicio enim et video Ecclesiam, quæ super petram Christum Deum ædificata est et fundata, scissam nunc, et divisam, et nos alia atque aliter loquentes, et aliter eos Christianos qui in Oriente unius nobiscum fidei sunt, sed et his concordantes Occidentales, nos ab omnibus illis alienatos, et a se per singulos dies anathematizatos. Dira pœna est anathema, procul a regno cœlorum expelli, et a Deo emitti, ducens in tenebras exteriores. Nescit lex Ecclesiæ vel terminus sectam, sive contentionem, sed sicut novit confiteri unum Deum, D unum baptisma, unam fidem, ita et concordiam unam in omni ecclesiastico negotio. Nihil enim est in conspectu Dei tam acceptum, atque placabile, quam ut unum simus, et una efficiatur Ecclesia catholica, quemadmodum in sinceræ fidei nostræ symbolo confitemur. Et petimus nos, fratres, ut reor et vos, quoniam scio timorem Dei vos habere, a piissimis imperatoribus vestris et orthodoxis synodum universalem colligi, ut efficiamur nos, qui unius Dei sumus, unum, et qui Trinitatis cultores existimus, unici et unanimes collegæ, et quod capitis nostri Christi sumus, efficiamur corpus unum compactum, atque connexum, et qui sancti Spiritus sumus, efficiamur non

[a] Al., *consecrareris, iconi, non te consecraturum iconi?*

contra invicem, sed pro invicem, et qui veritatis existimus, efficiamur sapientes, verum atque dicentes, et non sit in nobis certamen, neque dissensio, ut pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, muniat nos omnes. Et siquidem jusserint orthodoxi, et propugnatores, imperatores scilicet, vestræ postulationi et meæ annuere, consentio et ego; sin autem impossibile est mihi et hoc facere, ne subjiciar anathemati, et inveniar condemnatus in die Domini nostri, et justi judicis, ubi neque imperator, neque sacerdos, neque principes, nec hominum multitudo poterit eripere me. Et quidquid placuerit vobis, fratres, date apologiæ meæ, imo vero assertioni vestræ, et reddite petitioni meæ responsum. Et libenter audierunt omnes quæ dicta sunt, assensum præbentes ut fieret synodus. At vero Tharasius rursus disputans ad populum ait: Leo imperator subvertit imagines, et quando facta est synodus subversas invenit, et propter quod imperatoria manu subversæ sunt, iterum quæstionem habet idem capitulum, quomodo antiquam consuetudinem in Ecclesia traditam præsumpserunt, sicut eis libitum fuit, exterminare, sed veritas Dei, ut apostolice dicamus, non est alligata. Itaque octava Kalend. Januarii, ipsius octavæ indictionis consecratus est almus pater noster Tharasius patriarcha Constantinopolitanus, qui, missis synodicis Romam viris et libello fidei suæ, receptus est ab Adriano papa. Mittens autem et imperatrix petiit ut mitteret litteras suas, et homines claros qui invenirentur in synodo. Qui direxit Petrum vicedonum Ecclesiæ, et Petrum hegumenum sancti Sabæ, viros honorabiles, ac omni virtute adornatos. Misit autem et Antiochiam et Alexandriam tam imperatrix quam patriarcha. Adhuc namque pax quæ facta fuerat cum Arabibus non est soluta, et duxerunt ab Antiochia quidem Joannem magnum, atque famosum verbo et opere, sanctitatis participem, qui syncellus Antiocheni patriarchæ fuit, et Thomam Alexandrinum virum zelatorem, et religiosissimum, qui et Thessalonicæ civitatis magnæ, quæ est in Illyrico, factus archiepiscopus claruit. Interea mortuo Moyse, fit Arabum dux Aaron, qui viginti tres eis præfuit annis, et multa Christianis ostendit mala.

Anno sexto imperii sui, mittentes imperatores convocarunt omnes qui sub eorum erant potestate antistites: pervenientibus quoque a Roma transmissis ab Adriano litteris et hominibus, ut prædiximus, et ab Antiochia et Alexandria; et septima Idus Augusti, nona indictione, præsidentes in templo sanctorum apostolorum apud regiam urbem, cœperunt sanctas Scripturas relegere, et objicere invicem, imperatoribus ac catechumenis aspicientibus. Ast populus scholariorum, et excubituum, atque ordinum cæterorum adunati a suis principibus, cum haberent etiam ipsi magistrum Constantinum Deo odibilem dudum imperatorem, irruerunt in eos nudatis gladiis, minitantes mortificare tam summum sacerdotem quam orthodoxos episcopos et abbates. Imperio vero per astantes sibi familiares homines hos sedare nitente, non acquieverunt, quin potius exprobraverunt. Cum autem surrexisset patriarcha, et tribunal cum episcopis et monachis esset ingressus, hi qui maligni sensus eorum erant episcopi, exierunt ad eos clamantes, et dicentes: Vicimus, et gratia Dei nemini nocuerunt furiosi illi, et inhumani, et taliter dissoluta synodo unusquisque rediit ad propria. Anno septimo imperii sui, misso Eirene Stauratio patricio et logotheta in Thracem, mense Septembris, in initio decimæ indictionis, ad ulteriora themata, persuasit eos sibi cooperatores fieri, et depellere ab urbe impium populum, quem nequissimus Constantinus instruxerat, et cum se fingeret, quod totum exercitum motura esset in Orientales partes, eo quod Arabes fuissent egressi, exiit omnis regius apparatus, atque supellex usque ad Malagma, et introeuntes hi qui exteriorum thematum erant, tenuerunt urbem. Mittens autem ad illos significavit eis dicens: Mittite mihi arma vestra, opus enim non habeo vobis. At illi stulti divinitus facti dederunt arma. Tunc missis familiis eorum in naves, exsules eorum misit ab urbe in propriam regionem unumquemque jubens abire, in qua et genitus esset. Et cum fecisset proprium exercitum, et principes sibi obtemperantes, ipsa iterum mense Maio mittens per omnem locum convocavit omnes episcopos, quo convenirent in Nicensium civitatem ad efficiendum illic concilium. Et per totum æstivum tempus congregati sunt omnes apud Niceam. Siquidem eos qui ex Romanæ sedis et Orientalium persona venere, non dimiserat, sed retentos secum habebat.

Anno octavo imperii Eirenæ et Constantini, exivit Therasius archiepiscopus Constantinopoleos in Nicensium civitatem, et celebrata est sancta et universalis septima synodus episcoporum, et recepit catholica Ecclesia prisca ornamenta sua, nihil novum prædicans, sed sanctorum Patrum dogmata immota custodiens, et novam hæresim abdicans, tresque falsos nominatos patriarchas anathematizans, Anastasium scilicet, Constantinum, et Nicetam, atque omnes consentaneos eorum. Facta est autem prima conventio ac sessio episcoporum in ecclesia catholica sanctæ Sophiæ Nicenæ civitatis. Et quinto Idus Octobris undecimæ indictionis, mense Novembris, ingressi sunt omnes regiam urbem, et præsidentibus imperatoribus una cum episcopis in Magnaura, lectus est tomus, et subscripsit tam imperator quam mater ejus, firmantes pietatem secundum antiqua dogmata opera sacerdotum, et cum honore dimiserunt eos, et pace potita est Ecclesia Dei catholica, quanquam inimicus zizania sua in operibus suis seminare non cesset, sed Ecclesia Dei, semper impugnata, triumphat. Anno nono imperii sui Eirene imperatrix pace soluta cum Francis, causa nuptialis contractus direxit Theophanem protospatarium et adduxit puellam ex Armeniacis nomine Mariam ab Amnia, et junxit eam Constantino filio suo, cum ipse multum tristaretur, et nollet propter affectum, quo erga filiam Caroli

regis Francorum flagrabat quam antea desponsaverat, et consummaverunt nuptias ejus mense Novembris indictionis duodecimæ. Interea Eirene misit Joannem sacellarium et logothetam in Longobardiam, una cum [a] Adelgiso dudum majoris Longobardiæ rege, quem illi Theodatum dicebant, ad ultionem inferendam si possent in Carolum, et quosdam subducendos ab illo. Descenderunt ergo cum Theodoro patricio eunucho prætore Siciliæ, et inito bello, tentus a Francis, amare peremptus est. Anno decimo imperii Eirenes, movit diabolus livore pietatis imperatorum homines, qui instigaverunt matrem adversus filium, et filium adversus matrem. Inflexerunt enim eam, quasi ex præsignantibus futura cognitionibus certi facti, asserentes ei : Non est prædestinatum apud Deum tenendi filium tuum imperium, sed tuum est, a Deo tibi datum. At illa, ut mulier seducta, præsertim cum amorem quoque principatus haberet, credidit ita esse, et non recognovit quod ipsi volentes dispensare res, id sub occasionem prætenderent. Ergo cum imperator jam viginti esset annorum, factus robustus, atque idoneus, videbat se nihil potestative gerentem, et tristabatur : intuens e contrario Stauratium patricium et logothetam omnia possidere, omnesque ad illum procedere, et neminem ad se frequentare audere, tum consilio inito cum familiaribus perpaucis hominibus suis, et Petro magistro suo, et Theodoro patricio, et Damiano patricio, æque firmavit quo comprehenderet eum, et exsulem in Siciliam destinaret, ipseque teneret imperium cum matre sua. Porro sexta Idus Februarii horribilis factus est terræmotus, ita ut non auderet quisquam domi dormire, sed omnes in hortis et sub dio tabernaculis factis et tentoriis degebant. Ast imperatrix una cum filio suo egressa est ad sanctum Mamam. Cum autem Stauratio nuntiata fuisset, et præsignata res, commovit Augustam contra filium, quæ comprehensos omnes imperatoris homines cecidit, atque totondit, una cum Joanne protospatario, et bajulo ipsius, et exsilio relegavit in inferioribus partibus usque in Siciliam ; Petrum vero magistrum dehonestationibus submittens in domo sua sedere præcepit, similiterque Theodorum patricium. Porro Damianum patricium cæsum, ac tonsum in castrum Apolloniadem exsulem fore destinavit, percutiensque filium, conviciis multis lacessens egit ne procederet per dies non paucos. Cœpit autem juramentis submittere militiam ita dicentem : Quia quousque tu vivis, non permittimus filium tuum imperare, et jurabant omnes sic, nemine contradicere audente. Interea classis Arabum in Cyprum exivit. Quod cognoscens imperatrix coacervavit etiam ipsa omnia Romana navigia, et misit adversus eos. Cum autem usque Myra uterque prætor venisset, divertit a promontorio Chelidoniorum, et ingressus est in Attaliæ sinum. At vero moti Arabes de Cypro, cum serenitas eos cepisset, circumferebantur in pelago, cumque A terræ proximi cernerentur, viderunt eos prætores, et acie directa præparati sunt ad bellandum. Theophilus autem Cibioretorum prætor, cum vir esset robustus, fisus ante omnes egressus, tentus est ab illis, qui tum ductus ad Aaron, videndus ab eo, adhortatus est ut proditor fidei fieret, et temporalia dona susciperet, qui cum hoc nullatenus admisisset, peramplius que coactus nequaquam cessisset, gladii animadversionem sustinens martyr optimus est ostensus.

Anno ab Incarnatione Domini 783, Eirene, primo imperii sui anno, mense Septembri, indictione decima quarta, misit, et venerunt qui jurabant ad Armeniacorum thema, qui jurare minime consenserunt : Quia non imperabimur a filio tuo in vita tua, sed nec B præponemus, inquiunt, Eirenes ante Constantini nomen, sed Constantini et Eirenes, ut ab initio suscepimus. Misit autem iterum ad inflectendum eos Alexium spatarium et drongarium vigiliæ. At illi tenentes eum, ut sibi præesset, provexerunt. Nicephorum vero patricium custodiæ manciparunt, Constantinumque suum principem et imperatorem laudaverunt, et acclamaverunt. Hoc comperto reliquorum populi thematum, prætoribus suis expulsis, Constantinum tantum imperatorem et ipsi prædicabant. O maligni diaboli versutias, quomodo per multa argumenta studet genus hominum perdere! Qui enim ante quindecim annos terribili jurejurando juraverunt, et facta propriæ manus scripta in sancto altari recondiderunt, iterum jurabant se a filio ejus non C imperandos in vita ipsius, et rursus oblivioni hoc tradentes, Constantinum imperatorem bonæ famæ laudibus efferebant, non perpendentes miseri quod non oporteat reciprocum fieri juramentum. Necessitas enim incumbit ut omnem reciprocam jurationem perjurium subsequatur, perjurium autem abnegatio Dei est. Collecti autem mense Octobri, decima quarta indictione, hi qui ex thematibus erant apud [b] Acroam, exquisierunt omnes communi consilio Constantinum imperatorem [c] vigesimum agentem annum ; timens autem Eirene impetum populi, absolvit eum. At illi quidem imperatorem firmaverunt, hujus autem matrem respuerunt. Præterea direxit imperator Michaelem Lachanodraconem, et Joannem bajulum suum, ac protospatarium, et juramentis D submiserunt Armeniacos ne susciperent Eirenen matrem suam in imperatricem, Alexium vero confirmavit in prætorem suum. Et cum redisset in urbem, mense Decemb., cæsum et tonsum Stauratium exsulem fecit apud Armeniacorum thema, ad satisfactionem eorum. In exsilium nihilominus et Ætium misit protospatarium spadonem, et intimum ejus, et omnes domesticos ipsius spadonis : hanc autem cum suavitate sua et affluentia locavit in palatio Eleutherii, quod ipsa construxerat, in quo et pecunias multas absconderat. Factum est autem eodem mense incendium, et concrematum est triclinium patriar-

[a] Al., *Theodoro.*
[b] Al., *Tyneam.*
[c] Al., *vigesimum quintum.* Al., *trigesimum.*

Digitized by Google

chæ, quod dicitur Thomaites, et quæstorium, et aliæ domus usque ad Milium. Cæterum Aprili mense Constantinus cum movisset castra contra Bulgares, venit ad castellum quod dicitur Probati, ad rivum scilicet sancti Gregorii, et cum occurrisset Cardamo domino Bulgariæ, pusillo circa vesperam facto bello, formidantes qui ex parte Romanorum erant, per noctem fugerunt, et inglorii redierunt, quin et Bulgares metuentes reversi sunt. Anno secundo imperii Constantini, mense Septemb., castra movit adversus Arabes, et profectus ab Amorio, abiit Tarsum Ciliciæ. Porro decima octava Kalend. Feb., rogatus imperator a propria matre, et a multis optimatibus, pronuntiat, eam iterum imperatricem, et laude simul cum illo attollitur, ut a primordio Constantini et Eirenes, et omnes quidem obediunt. Ast Armeniacorum thema pertinaciter instans adhuc renititur, et quærit Alexium, qui paulo ante prætor in eis fuerat, et ab imperatore evocatus, dignitate patricii sublimatus, penes ipsum degere videbatur. Hunc ergo propter hujusmodi requisitionem, et quosdam sermones super ipso dictos, quod videlicet regnaturus esset, cædens ac tondens in prætorio posuit. Julio vero mense exercitum movit adversus Bulgares, et construxit castrum Marcellorum, et duodecima Kalend. Augusti exivit Cardamus dominus Bulgariæ cum omni virtute sua, et stetit in munitionibus. Fiducia vero fretus, et a pseudoprophetis imperator credere persuasus quod ejus esset victoria, incircumspecte ac inordinate bellum infert, et valido vincitur marte, fugatusque rediit in urbem, multis amissis non solum communis populi, sed primatuum, inter quos Michael magister Lachanodracon et Bardas patricius exstiterunt, et Stephanus protospatarius, Nicetas quoque, ac Theognostes facti præt res, et homines regii non pauci, sed et Pancratius pseudopropheta, et astronomus, qui et victurum illum vaticinatus est. Abstulerunt etiam Bulgares sarcinam, pecuniam, equos, et aulæa, una cum universo regio apparatu. Cum autem collecti essent ordines in urbem, consiliati sunt educere Nicephorum, et Cæsarem, et imperatorem constituere. Quo comperto, Constantinus misit, et eduxit utrosque filios Constantini avi sui ad sanctum Mamam, et Nicephorum quidem oculis, Christophorum atque Nicetam, Anthimum atque Eudoxium, linguis privavit: cum quibus et prædictum Alexium patricium luminibus privavit, obediens maternis et prælati Stauratii suadelis, ei asseverantium quod nisi hunc cæcum redderet, in imperatorem forent electuri. Factum est autem horum pœna malorum mense Augusto, die Sabbati, indictione decima quinta, hora nona. Verumtamen non in longum Dei justitia hanc injustam ultionem dimisit inultam. Post quinquennium namque eodem mense et eodem die Sabbati orbatus est oculis a propria matre idem Constantinus. Anno tertio imperii Constantini, audientes Armeniaci de Alexio patricio, quod cæcus factus

A fuerit, custodiæ mancipant prætorem suum, Theodorum videlicet patricium Camulianum. Quo comperto, imperator misit primum quidem ad eos nonnullos; post sanctum vero Pascha ipse movit exercitum contra eosdem Armeniacos, una cum reliquis thematibus octava[a] Kalendas Junii, indictionis primæ, die sancto Pentecostes, cum proditos eos Armeniorum fraude, qui cum ipsis erant, vicissent, comprehendit illos debellatos, et interfecit Andronicum spatarium et tumarchan, atque Gregorium episcopum syropensem, reliquos vero rerum jacturis, et sumptibus, et proscriptionibus affecit. Porro mille vinctos exercitus ipsorum introduxit per Blacernarum portam in urbem, quorum faciebus atramento et punctionibus superscripsit Armeniacus insidiator,

B et dispersit eos tam in Siciliam quam cæteras insulas. Armenii sane proditores eorum nihil ab imperatore honoris seu libertatis assecuti, castrum Amachan Arabibus tradiderunt. Anno quarto imperii Constantini, ceperunt Arabes Sebasan castrum sub verbo, propter quod et principes ejus ad propria redierunt. Anno quinto imperii sui Constantinus odio habens Mariam uxorem suam, summissione matris suæ imperium appetentis, et quod ab omnibus reprehensibilis judicaretur, affectantis, coegit ut fieret monacha, quam cum inflexisset, totondit mense Januario, et Aprili mense movit exercitum adversus Arabes, et mense Maio bellum iniens cum uno cursu ipsorum in loco qui dicitur Amusan vicit, vertit, et hos insecutus est usque ad amnem, et cum venisset

C Ephesum, et apud Dei locum orationes fecisset, commercium nundinarum, quod centum esset auri librarum, indulsit ad famulatum sancti Joannis apostoli. Augusto vero mense coronavit imperator Theodaten cubiculariam in Augustam, et desponsavit eam imperator. Anno sexto imperii sui, indictione prima celebravit imperator Constantinus cum Theodate nuptiarum principia in palatio sancti Mamæ per dies quadraginta. Mense vero Aprili ejusdem indictionis, nocturno tempore, factus est terræmotus in Sicilia et Creta valde terribilis. Mense autem Maio factus est terræmotus Constantinopoli nimis horribilis. Cardamus præterea dominus Bulgariæ denuntiavit imperatori dicens: Aut tribue mihi pacta, aut veniam usque ad Auream portam, et demoliar Thra-

D cem. Ast imperator posuit equina stercora in mapsa, et transmisit ei: Qualia, inquiens, pacta te decere prævidi, transmisi tibi. Verum quia senex es, nolo ut fatigeris usque ad hæc loca, sed ego veniam usque ad Marcellam, et tu exi, et quidquid Deus judicaverit facito. Et cum misisset imperator ad ulteriora themata, conscivit populum suum, et venit usque Versiciniam, et Cardamus usque ad lucum Abroleva, et cum formidaret, mansit in nemore. Ast imperator, confortato populo suo, abiit usque ad locum Abrolevam, invitans eum per dies septemdecim, at ille non est ausus, sed repedavit fugax ad sua. Eodem quoque anno Arabes venerunt Amorium, et cum nihil

[a] Al., *Theophilum, Turmarcham eorum, atque Gr gorium.*

Digitized by Google

profecissent, reversi sunt, præda in regionibus circumquaque facta. Eodem quoque anno Plato Saccundionis abbas se abscidit a communione Tharasii patriarchæ, pro eo quod imperatorem receperit in communionem, et permiserit eum tondere uxorem suam Mariam, et Joseph monacho, et abbati monasterii, quod appellatur Concarata, coronare eum Theodatæ præceperit. Quod cum didicisset imperator, misso Bardanio patricio, et scholarum domestico, cum Joanne comite obsicii Platonem introduxit in urbem, et retrusit intra claustra in templo principis militiæ, quod est in palatio : reliquos vero monachos cum nepotibus ejus percussos exsilio relegavit apud Thessalonicam, quibus auxiliabatur mater imperatoris, tanquam qui filio resistebant, et eum confundebant. Anno septimo imperii sui, mense vero Septembri, egressus est imperator cum matre sua ut calefieret apud Prusam. Octobre vero mense natus est imperatori filius, quem cognominavit Leonem ; quæ cum cognovisset imperator, derelicta matre apud thermas, una cum ordine regio universo, atque principibus, cursim in urbem regressus est. Quapropter hujus mater spatio reperto allocuta est, et subtraxit muneribus ac promissionibus agminum principes, ut deponeretur filius ejus, et ipsa singulariter imperaret, et alios horum per seipsam, alios vero per homines suos blandiens attraxit ad se omnes, et præstolabatur congruum invenire diem. Interea obeunte Romæ Adriano papa, consecratur Leo vir honorabilissimus, et per omnia reverendus. Mense vero Martio exivit imperator adversus Arabes, habens secum Stauratium patricium, et cæteros amicos matris suæ, necnon et electam catervam expeditorum militum ex utrisque thematibus viginti millia. Videntibus autem, qui circa Stauratium erant alacritatem populi et imperatoris, timuerunt ne forte inito bello ille vinceret, et ipsi adinventis adversus eum frustrarentur insidiis; ergo muneratis vigilibus persuaserunt eis mentiri, perhibendo Saracenos fugisse. Imperator itaque multum tristatus, inefficax urbem ingressus est, et Kalend. Maii mortuus est filius ejus Leo, et luxit eum vehementer. Porro decima sexta Kalend. Augusti ab equestri agone ad sanctum Mamam transeunte, transmearunt ad eum comprehendendum hi qui erant ex ordinibus, quos mater imperatoris allocuta est : quo ille cognito, in chelandium suum ingressus est, et transmeavit ad Pylas, volens ad Orientalium thema confugere. Erant autem cum eo et amici matris ejus, quos ille sic esse ignorabat. Præterea ipse et mulier ejus exivit usque ad Tritonem. Porro, consilio inito, amici matris ejus dixerunt ad semetipsos : Si coacervatus ei fuerit populus non jam dominio constringetur, nec jam latere poterimus eum, et perdet nos. Materque ipsius, congregatis in palatio Eleuterii, qui ex ordinibus fuerant collocati, introivit in palatium, et cum didicisset populi ad imperatorem concursum, timuit nimis, et tractabat qualiter mitteret episcopos ad eum, et acciperet verbum, et sederet in angulo. Verum scripsit occulte ad amicos qui cum ipso erant, quia nisi modum quemlibet feceritis, et tradideritis eum, verba quæ habetis mecum, habeo indicare imperatori. At illi metuentes tenuerunt eum ad preces, et in chelandium deducto eo, Sabbato mane venerunt ad urbem, et incluserunt eum in domo Purpurea, in qua et natus est, et circa horam nonam crudeliter et insanabiliter oculos ejus evellunt, ita ut hunc mors subsequens confestim extingueret, consilio matris suæ et consiliariorum ejus. Obtenebratus est autem sol per dies septemdecim, et non dedit radios suos, ita ut errarent naves maris, omnesque dicerent quod propter obcæcationem imper. sol obcæcatus radios suos retraxerit, et taliter de cætero imperat Eirene mater ejus. Eodem etiam anno Romæ cognati beatæ memoriæ Adriani papæ commoventes populum tumultuati sunt contra Leonem papam, et tenentes cæcaverunt eum, non tamen penitus lumen ejus exstinguere potuerunt. At ille confugit ad Carol. regem Franc., qui ultus est inimicos ejus amare, et restituit eum in sede sua. Cæterum vicem Carolo recompensans, in imperatorem coronavit eum in templo sancti Petri apostoli, perungens oleo a capite usque ad pedes, et circumdans imperatoria veste, atque corona VIII Kalendas Januarii, indictione nona. Igitur Romanis imperat Eirene annis V.

## EIRENE.

Anno ab Incarnatione Domini 791, Eirene cum secundo imperare cœpisset, confestim direxit Dorotheum egomenum Chrysopolitanum, et Constantinum carthophylacem ecclesiæ magnæ ad Habdimelich partes Cappadociæ depopulantem, atque Galaciæ, intercedens pro pace, quod tamen factum non est. Octobre mense quidam rebelles in custodia positis in palatio [a] Tuterapiu filiis impugnantis Deum, Constantini scilicet, ad magnam persuadent Ecclesiam confugere, quasi petentes securitatem subsequentis indemnitatis suæ, quatenus per hujusmodi occasionem appellarent ex eis quemquam imperatorem. Et multo populo ad ecclesiam concurrente, ingressus est Aetius eunuchus patricius, et eduxit eos verbo, nemine ad eos attendente, et exsilio damnaverunt eos apud Athenas. Duo autem patricii Stauratius et Aetius, qui dilecti esse noscebantur imperatricis, facti sunt in alterutrum hostes, ita ut inimicitiam manifeste monstrarent, ambo intentionem habentes post mortem ejus cognatis suis imperium acquirendi. Anno secundo imperii Eirenæ, Habdimelich exivit contra Romaniam, et missis expeditorum millibus in cursum, descendit usque Malagnia, et præoccupans in stabulis Stauratii equos, imperatorio equitatu capto, sine læsione reversus est, et reliqui descendunt usque [b] Liliam, et multam consecuti sunt prædam. Mense autem Martio, septima indictione, voluit Achamirus Sclavinorum Belzi-

[a] Al., *Tonterapiu*.

[b] Al., *Lidiam*.

Digitized by Google

tiæ princeps, pulsatus ab Helladicis, educere filios Constantini, et ex eis promovere in imperatorem. Cum autem cognovisset imperatrix Eirene, mittit ad patricium Constantinum [a] Serentapicum, Theophylactum filium ejus, qui spatarius erat, et nepos ejus, et omnium oculos eruit, et dissipavit consilium eorum contra se nequiter adinventum. Porro Paschalis festivitatis secunda feria processit Eirene a sanctis apostolis, in curru aureo vecta, qui quatuor albis equis trahebatur, et a quatuor patriciis tenebatur, Bardanio videlicet prætore Tracesiorum, Sisinnio prætore Thracæ, Niceta domestico scholarum, et Constantino Boyla, jactans liberaliter hypatian. Mense vero Maio infirmata est imperatrix pene usque ad mortem, et protenta est contentio eunuchorum Aetii et Stauratii. Aetius autem auxiliatus est Nicetæ patricio, et scholarum Domestico, et insequuntur severe Stauratium, credere facientes imperatricem quod imperium appeteret, ita ut atrociter irata illi, ascendens in palatium [b] Tenthierium, dixerit rebellionis et simultatis sollicitum eum esse sibi sceleris acquisitorem: qui ad hæc apologia facta, muniebat seipsum. Insaniebat autem adversus Aetium, et Nicetam, et prædictos patricios. Anno tertio imperii Eirenæ, mense Februario, indictione octava, jam dictus Stauratius patricius tyrannidem ac simultatem in urbe regia construebat, scholarios, qui erant in ea, excubitores una cum primis eorum, pecuniis et muneribus assumens, et placans: Eirene autem pia imperatrix silentio in triclinio Justiniani facto, prohibuit omnem qui militaret adhærere Stauratio, et sic adepta sunt modicam tranquillitatem negotia. Aetius vero et Nicetas cum aliis quibusdam certatim adversabantur Stauratio, qui, corde perculsus, sanguinem per os emisit spumosum ex partibus pectoris et pulmonis: hoc medici aspicientes, mortale pronuntiaverunt; ast adulatores et imperiti, non solum medici, sed et pseudomonachi, et divini, juramentis credere persuaserunt usque ad diem mortis ejus, quæ facta est Junio mense, indictione octava, quod victurus et regnaturus esset: quibus ille innixus, seditionem in Cappadociis construxit adversus Aetium fieri, quam non meruit vivens audire. Post duos namque dies mortis ejus super hoc nuntius venit, et in seditione comprehensi exsiliis sunt, et animadversionibus subditi. Anno quarto imperii Eirenæ, octava Kalend. Januarii, indictionis nonæ, Carolus rex Francorum coronatus est a Leone papa, et cum voluisset contra Siciliam classibus præliari, se pœnituit, conjungi potius cum Eirene volens, legatis ad hoc sequenti anno directis, indictione decima. Martio vero mense, nona indictione, Eirene pia imperatrix Byzantiis civilia donavit tributa, Habdique ac Hyeriæ ea quæ dicuntur commercia relevavit, magnis super his et aliis multis beneficiis gratiarum ac-

A tionibus freta. Anno quinto imperii Eirenæ Aetius patricius liber a Stauratio factus, et ideo securitate potitus, imperium ad proprium fratrem transferre satagebat, quem et Monostrategum fecit in Thrace simul et Macedonia, ipse ulteriora themata tenens, orientalis scilicet et obsicii. Cum ergo elatione refertus esset, eos principes qui sublimiores erant dehonestans, pro nihilo reputabat, qui et valde mœsti adversus eos effecti, simultatem adversus imperatricem meditantes, hanc in opus duxerunt. Pervenerunt autem et apocrisarii a Carolo et Leone papa directi ad Eirenen piissimam, postulantes ut jungeretur illi ad nuptias, et veniret eo ad Hesperia, quæ profecto obaudivisset, nisi Aetius supra-

B dictus inhibuisset prævalens, et imperium in proprium fratrem usurpans. Sequenti autem anno, qui est primus annus Nicephori, pridie Kalendas Novembris, indictione undecima, quarta noctis hora, quæ feria secunda lucescit, idem Nicephorus cum esset patricius et logotheta generalis, tyrannidem adversus Eirenen piissimam concitavit, Deo quidem ineffabilibus ob nostrorum multitudinem peccatorum judiciis indulgente, cooperantibus ei Niceta patricio ac domestico scholarum, et Sisinnio patricio fratre ipsius, [c] viro perjuriis et fraudulentiis pleno, et Niceta Triphilio. Erant autem et cum eo Leo patricius Musulatii, et Theoctistus patricius, et Petrus patricius, et quæstor, seducentes quosdam a populo, qui erant ex ordinibus, cumque venissent

C ad portam, quæ dicta est Chalce, custodesque falso ac subito decepissent, persuaserunt eis ut crederent quod ab ipsa fuerint destinati, quatenus eumdem Nicephorum imperatorem appellarent, eo quod Aetius patricius sibi vim inferret ad enuntiandum fratrem suum Leonem imperatorem, qui mendacio tanto credentes imperatorem pariter pronuntiaverunt eum qui erat tyrannus. Taliter ergo ad magnum palatium iidem patricii venientes, ingressi sunt illud, indeque per totam urbem ignobiles servos dirigentes acclamationem fecerunt ante mediam noctem, et custodes in medio palatii, quod Tueleutherii nuncupatur, posuerunt, ubi contigit imperatricem esse. Diluculo sane accersentes eam, concluserunt eam in majori palatio, et ita processerunt ad magnam

D ecclesiam ad coronandum scelestum. Convenit interea universa plenitudo urbis, et omnes super his quæ gerebantur moleste ferentes, maledicebant coronanti, et coronato, cunctisque congratulantibus ei. Equidem cum religione ac ratione viventes divinum mirabantur judicium, qualiter eam permiserit, quæ pro recta fide more martyrum agonizaverat, a subulco expelli, præsertim cum ei devotissimi ejus præcipue adhærere propter avaritiam proposuerint, Leo scilicet patricius eunuchus, et Sacellarius Sinopeos, et Leo perosi [d] tribus filiis, ac patricii, qui su-

[a] Al., *Tesseracondapechum.*
[b] Al., *Tontiera.*
[c] Al., *Viris perjuriis et fraudulentiis Triphiliis. Erant aut m et cum eo Leo patricius Tesseracontapechis, Gregorius patricius Musulatii*
[d] Al., *trium filii.* Al., *deos perosi filii*

perius dicti sunt, qui donis plurimis ab illa ditati sunt, et cum ea sæpe convescentes, et adulationibus cum juramentis horribilibus certam reddentes, omnibus mundi rebus se necessariorem reputare, quam haberent erga illam benevolentiam affirmabant, alii autem ut in ecstasi facti, gestorum certitudinem minime sentientes, somnium se vidisse putabant; alii autem, qui duntaxat perpendere bene sciebant, præteritam felicitatem beatificabant, et futuram infelicitatem per tyrannidem lugebant, maximeque hi qui maligni voti tyranni experientiam quamdam ante perceperant. Porro universos communiter possidebat caligo, et sine consolatione mentis defectio, ne per singula illius miserandæ diei deformia verba scribens protelem sermonem. Denique sequenti die, sumptis quibusdam ex patriciis, ascendit ad imperatricem custodiæ mancipatam, simulans, ut ei moris erat, falsam benignitatem, per quam et plures decepit, et excusans se, quod invitus ad principatum ascenderit, nec hunc unquam desideraverit. Maledicebat autem his qui se provexerant, et illam insidiis appetiverant, ut proditor Domini postquam cum ipso cœnavit, quos et imitatores illius testabatur. Ostensis etiam nigris calceamentis, amare se talibus uti præter leges imperatorias affirmabat, fiduciamque dolose habere monebat eam, etiam cum juramentis de omni corporali requie, quam consequi dominam a servo deceret, nullamque arbitrari ærumnam casus illius hortabatur: commonebat postremo nil occulere a se imperialium thesaurorum', et damnabat avaritiæ vitium, hos illam habere non ferens. Languebat enim eo vehementer omnia devorans, omnemque in auro spem et fiduciam ponens. At vero

A dilecta Deo Eirene, quamvis congrueret, ut passione tam repentinæ commutationis ut pote mulier teneretur, forte prudentia dixit ad eum: Qui heri quidem servus perjurus fuerat, hodie solers, et seditiosus tyrannus ac impudens habetur. Ego quidem, o homo, Deum deputo, et pridem cum essem orphana, exaltasse me, et dein super solium cum essem indigna, provexisse me: causam vero depositionis mihimet applico, et peccatis meis ascribo, in cunctis autem ac modis omnibus sit nomen Domini benedictum. Porro modum promotionis tuæ Deo redd[illegible]; verumtamen delatas mihi contra te super dignitate, qua nunc circumdaris, auditiones non ignorabam, quas veras fuisse rerum finis ostendit, quas si moleste tulissem, facile mihi erat te interficiendi. Sed B modo juramentis tuis fidendo, modo tibi parcendo, multos mihi devotos parvipendi, Deo quæ mea sunt dans, per quem reges regnant, et potentes obtinent terram. Sed et nunc, cum sis pius, et ab ipso profectus, te adoro, et peto meæ parcere infirmitati, et concede mihi domum Eleutherii a me constructam in refocillationem incomparabilis calamitatis meæ. At ille ait: Si hoc vis fieri tibi, jura mihi per omnem divinam virtutem non absconsuram te quidquam ex thesauris imperii, et adimpleo postulationes tuas, et omnem placationem faciam. Quæ juravit ei ad pretiosa et vivifica ligna: Quia non movebo a te obolum unum; quod et fecit. Verum ille consecutus quod desiderabat, protinus exsilio relegavit eam apud Principem insulam, in monasterio quod C ipsa ædificaverat, cum adhuc essent in urbe missi Caroli, et quæ agebantur aspicerent.

# LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

Anno ab Incarnat. Domini 795, Nicephorus vorax cunctorum imperio potitus, nec saltim parum voluit hypocrisin tegere, sed quasi recisurus justitiam, nequam in Magnaura et injustum fore constituit judicium. Intentio namque tyranno inerat, ut res ipsæ ostenderunt, non pauperibus jura tribuendi, sed per hoc omnes qui magni erant inhonorandi, et captivandi, et ad se quæ cunctorum erant transferendi, quod et fecit. Videns autem adversum se omnes contristatos, et pavens ne forte memores Eirenæ beneficiorum adsciscerent eam iterum ad imperium, Novembre mense, hieme nimium gravi imminente, non est ipsius misertus immisericors ille, sed exsilio deportari præcepit in insulam Lesbum, et cautissime custodiri, quin et a nemine contueri. Porro pridie Kal. Maii, mortuus est Niceta Tryphylius, ut aiunt, a Nicephoro veneno exstinctus, et Nonis Maii, feria quinta, cum Nicephorus ad suburbana Chalcedonis exisset, equumque mansuetissimum ascendisset, hunc ex providentia Dei ejiciens, dextrum pedem ejus contrivit. At vero decima quarta Kal. Augusti, feria quarta, hora prima, Bardanes patricius, et prætor Orientalium, qui cognominatus est D Turcus, appellatus est imperator ab omnibus u tro suis thematibus, qui multum renitens, ut evaderet illos, minime valuit, et descendens usque Chrysopolim, cum circuisset diebus octo, et minime fuisset receptus, rediit usque Malagma, qui metuens Deum, et recogitans, ne forte per se mactatio Christianorum efficeretur misereretur, misit ad Nicephorum, et accepto verbo in scriptis propriæ manus ejus, in quo et sanctissimus Tharasius patriarcha et omnes patricii subscripserunt, quod illæsus et indemnis cum omnibus qui cum ipso erant foret reservandus, sexta Idus Septembr. clam fugiens descendit in civitatem Bythiniæ, in monasterio Heraclii, et invento chelandio quod ab imperatore fuerat super hoc missum, tonsus est, et indutus stola monachica, et

Digitized by Google

ingressus illud abiit in insulam quæ dicebatur Prima, A in qua ædificaverat monasterium, opinatus quod foret veritus terribile verbum quod dederat sibi contemptibilis Nicephorus, et in nullo esset lædendus. At ille primum quidem denudat illum substantia ejus, et occasione accepta, omnes thematum principes, et habitatores, quosdam et de regia urbe captivavit, exercitum autem privatum roga deseruit. Verum quis sermo enarrare sufficiet digne cætera quæ diebus illis ab eo gesta sunt propter indulgentiam Dei pro commissis nostris? Nona vero die, mense Augusto undecimæ indictionis defuncta est imperatrix Eirene in exsilio in insula Lesbi, et translatum est corpus ejus in insulam Principis, in monasterium quod ipsa construxit.

Anno secundo imperii sui, Nicephorus coronavit B filium suum Stauratium per Tharasium sanctissimum patriarcham in ambone majoris ecclesiæ in imperatorem, cum esset inutilis modis omnibus ad tantam dignitatem tam aspectu quam robore, et sensu. Cæterum Nicephorus, qui nunquam usquam veritatem servavit, Lycaonienses quosdam, imo vero Lycanthropos concordes et consentaneos ad Proten insulam misit, et jussit eos discedere, et prædictum, quasi se ignorante, luminibus privare Bardanem, et post facinus ad ecclesiam fugere. Quo facto tam patriarcha, et senatus, quam omnes timentes Deum, acriter doluerunt. Ast imperator nequissimus Nicephorus cum juramentis omnes primores Lycaonienses simulatus exquirebat, in eos ut putabatur ulturus, omnia secundum ostentationem, et C nihil secundum Deum agens. Erat enim illi præcipue cum reliquis prævaricationibus hujuscemodi mentis idioma, per quod videlicet et ante imperium multos seduxit : verumtamen in ridiculum habebatur, liquido hoc scientibus ejus studium, ita ut impudentia multa, et caligosa, et polluta facies ejus tunc inaccessibilis fieret per septem dies, eo dolose intra cubiculum imperatorium ejulante. Nam et naturaliter ejus muliebres aderant lacrymæ, quas multis pravis inesse, et pseudoprophetis procul dubio constat, quanquam plurimos non latuerit. Mense vero Augusto, cum adversus Arabes exisset, occurrit eis apud Crason Phrygiæ, et inito bello superatur, multisque amissis cum propemodum ipse vivus foret capiendus, principum quidam fortissimi vix hunc salvabant. D Anno tertio imperii sui, simultate facta in Perside, descendit Arabum dux pacificaturus eos. Nicephorus autem, spatio reperto, ædificavit Ancyram Galatiæ, et Thebasan, et Analatrasum; misit etiam et cursum, qui revertentes nihil profecerunt, sed contra multos perdiderunt. Anno 4 imperii Nicephori movit exercitum Aaron dux Arabum adversus Romaniam in virtute gravi, trecentorum scilicet millium tam Maurophoris quam Syria et Palæstina coacervatis, et cum venisset Tyana, ædificavit domum blasphemiæ suæ, et obsidens cepit Heraclium tunc castrum, quod erat valde munitum, et Thebasan, et Malacopan, et Sideropelum, et Andrasum. Misit autem et cursum sexaginta millia bellatorum, et descendit usque Ancyram, et hac visa, reversus est. Ast imperator Nicephorus, metu et impossibilitate detentus, exivit et ipse in desperatione fortia infortunii demonstraturus, et multis tropæis factis, misit ad Aaron metropolitam synodorum, et Petrum egumenum Gylei, et Gregorium œconomum, et multum disputantibus eis firmaverunt pacem, ut per unumquemque annum tribueret illis tricena millia numismatum, et tria numismata in tributum capitis imperatoris, et tria filii ejus : quibus acceptis, Aaron jucundatus est, et plus exsultavit, quam si dena millia suscepisset talenta, tanquam qui subegisset Romanum imperium. Porro convenit inter eos castra quæ destructa erant non reædificanda. Cumque Arabes regressi fuissent, construxit eadem continuo castra, et præmunivit; quo comperto Aaron misit iterum, et recepit Thebasan, missoque stolo in Cyprum, ecclesias destruxit, Cypros emigravit, et multo excidio facto pacem dissolvit. Anno quinto imperii sui Nicephorus castra movit contra Bulgares, et cum venisset Adrianopolim, et sensisset quod simultatem contra se imperatorii homines et quidam ex ordinibus meditarentur, inefficax repedavit, nihil proficiens, nisi quod tribulibus suis tantum ultionem intulit, horum multos cædibus et proscriptionibus rerum submittens.

Anno sexto imperii Nicephori, mense Septembri, Aaron dux Arabum cum classe contra Rhodum Chumeid direxit, qui cum subito transmeasset, Rhodumque pervenisset, multum in ea excidium fecit. Verumtamen municipium quod in ea erat non impugnatum remansit. Cum autem ipse remeasset, evidenter impugnatus est a sancto et miraculorum patratore Nicolao. Cum enim Myram venisset, et sacram ejus arcam conterere tentasset, aliam pro ea contrivit, moxque classem multorum ventorum, et marinorum fluctuum, tonitruorum quoque et fulgurum, inæqualitas comprehendit, ita ut plurimæ scaphæ conquassarentur, ipseque impugnator Chumeid virtutem sancti cognosceret, et præter spem periculum evaderet. Porro decima quarta Kal. Jan. Nicephorus post multam electionem virginum ex omni potestate sibi subdita, causa copulandi Stauratium filium suum conjugi factam, Theophaniam Atheniensem cognatam beatæ Eirenæ, quæ viro desponsata erat, separavit ab eodem viro, et ipsi Stauratio misero copulavit, imprudenter ut in aliis, et in hoc quoque prævaricator effectus; alias vero duas ista pulchriores, quas cum ea elegerat, manifeste corrupit in eisdem nuptiarum diebus, ab omnibus idem obscenus irrisus. Denique mense Feb., simultatem excogitantes adversus eum multi ex proceribus, Arsabir quæstorem, et patricium, virum pium et rationabilissimum, elegerunt, quod cum multiformis Nicephorus agnovisset, ipsum quidem cæsum ac tonsum monachum fecit, et exsilio relegatum in Bithyniam misit : reliquos autem cædibus et tonsuris, publicationibus insuper et exsiliis subdidit,



Digitized by Google

non solum mundialis vitæ principes, sed et episcopos, et monachos, nec non et majoris ecclesiæ syncellum, et sacellarium, et chartophylacem, viros rationabiles et reverentia dignos. Anno septimo imperii Nicephori Arabum dux mortuus est in interiori Perside, quæ vocatur Curasan, et suscepit principatum Muhammat filius ejus, scrupulosus per omnia, contra quem Habdallas frater ejus seditionem commovens, intestini belli factus est auctor, et hinc ii qui in Syria, et Ægypto, et Libya erant, in diversos incisi principatus, tam publicas res quam alterutros subverterunt, mactationibus, et rapinis, ac diversis flagitiis, contra se contraque subditos Christianos confusi. Ac per hoc ecclesiæ quæ in sancta Dei nostri erant civitate, desertæ factæ sunt, et monasteria duarum magnarum [a] labrarum, sanctæ B videlicet memoriæ Charitonis, et Cyriaci, atque Sabæ, necnon et reliqua sanctorum cœnobia Euthymii ac Theodosii. Theodorus autem egumenus studii, et Joseph frater ejus archiepiscopus Thessalonicenus, una cum Platone incluso, et cæteris monachis suis, a communione recesserunt Tharasii sanctissimi patriarchæ, propter Joseph vicedominum, qui prævaricatorie Constantinum et Theodaten coronaverat. Tunc Nicephorus imperator, occasione percepta, cum episcopos et egumenos congregasset, synodum adversus illos celebrari præcepit, per quam a monasterio et urbe dejecti, exsilio sunt destinati, mense Januario, indictione secunda. Eodem etiam anno, dum roga penes Strumonem amnem populo distribueretur, irruentes Bulgares hanc ademerunt, auri C libras centum et mille, multumque populum occiderunt, cum prætore atque principibus. Erant enim et cæterorum thematum ibidem taxati principes non pauci, qui omnes illic perierunt. Ceperunt autem et totam sarcinam, et ita reversi sunt. Eodem etiam anno ante solemnitatem Paschæ, Crunnus Bulgarum dux acie contra Sardicam directa dolo hanc cepit; ex militiis autem Romaicis interfecit sex millia absque multitudine privatorum. Nicephorus autem adversus eum tertia feria hebdomadæ salutaris passionis egressus, dignum quidem sermone nihil gessit. Hos autem principes, qui de cæde Bulgarica salvati verbum salutis deposcunt, cum dare dedignatus fuisset, amisit, inter quos erat et Cumatius Spatarius, me- D chanicæ artis expertus. At Nicephorus multo dedecore juratoriis sacris regiæ urbi persuadere satagebat ut crederent quod festivitatem Paschæ in aula Crunni celebraverit. Præterea cum civitatem Sardicam, quæ destructa fuerat, reædificare voluisset, multitudinibus resistentibus timens, persuadendum turbis imperatorem super ædificio pecunias ab eis cœpit exigere. At illi sensu ingenuo, ut ex nequam illius argumentationibus subministrato, tumultuantur adversus illum et adversus principes suos per horas sex, et irruentes disrumpunt tabernacula ipsorum. Cum autem venissent usque ad imperatorem,

A injuriis et maledictis hunc submittunt, ulterius se non sufferre immensam avaritiam, et nequam moliminis ejus animum dejurantes. At ille repentino simulato pavore perterritus surrexit a mensa, et primo quidem per Nicephorum et Petrum patricios juramentis et persuasibilibus verbis sedare conabatur exercitum. At illi modica quiete potiti collem quemdam ceperunt, quem quia per se in manibus habebant, obliti sunt, Κύριε ἐλέησον exclamantes, ac si super quodam terræmotu, vel imbrium defectu. Ille autem ut pote ad omne malum semper paratus, clandestinis muneribus noctu multis ex principibus pellectis, in crastinum ipse per se ipsum medius veniens, allocutus est turbas cum omni tranquillitate, ac super æquali cura erga natos eorum juramentis B horribilibus eos certificans, et continuo regiam pervenit ad urbem, Theodosio patricio et primiscrinio, cognomento Salibra, deserto, ad perdiscendum ex alterutris eos qui seditionem patraverant. Cumque multitudines reverterentur, rogas eis apud sanctum Maman se tribuere fingens, cædibus, ac tonsuris, et exsiliis, multis ex eis punitis, Chrysopolim reliquos transduxit, calcans tanta ac tam horribilia juramenta. Illi autem propter ærumnam igneum fluvium meatum appellaverunt. Anno octavo imperii sui Nicephorus post multas impias animadversiones, militias prorsus humiliare tractans, Christianos exsules ex omni themate in Sclavinias ferri jussit, horum autem substantias venundari. Erat autem hæc res C captivitate non minor, multis ex amentia blasphemantibus, et inimicorum cursus poscentibus, aliis nihilominus circa sepulcra parentalia lamentantibus, et defunctos beatos asseverantibus; fuerunt autem et qui suspendio usi sunt, ut a tantis malis eriperentur. Etenim immobilium res quæ inerant sibi secum ferre non poterant, et substantiam quam ex parentalibus doloribus possederant perditam contemplabantur, et impossibilitas omnis omnes possidebat. Hæc quidem inchoata sunt a Sept. mense, porro circa Pascha finita sunt. Secundam vero cum hac afflictionem commovens, militare præcepit egenos, et armari adversus compatriotas, conferre nihilominus etiam decem et octo ac dimidium numisma per singulos fisco, una cum omni proximitate ad D tributa publica. Tertiam malignitatem inferens, perpendere jussit et augeri horum tributa, et præstare [b] Cariacitorum causa siliquas binas, et ad quartam nequitiam, reliquos redditus omnes augmentari præcepit. Quinta vero afflictione illata, a venerabilium domorum inquilinis, orphanotrophii scilicet, ac hospitalium gerocomiorum, ecclesiarum quoque ac monasteriorum regularium, per singulos focos, census exigi, a primo tyrannidis ejus anno præcepit, et quæ meliora erant in rebus, in regiam curatoriam deferri jubebat. Sextam commovens afflictionem, a prætoribus inspici jubet eos qui ex paupertate repente creati essent, et ab his pecunias exigi, quasi ab

[a] Al., *librarum*. Al., *baurarum*. P. Pith., *laurarum*.

[b] Al., *Cariaticorum*, Al., *Charliotis*.

Digitized by Google

inventoribus thesaurorum. Septimam quoque adinveniens, eos qui ante viginti annos invenerant, et usque ad hunc, dolium, aut vas quodcunque, omnibus propriis privari pecuniis. Oct., eos qui ex avis vel patribus hæreditaverunt, et divisa substantia pauperes facti fuerunt, ex eisdem annis, viginti siclos ærario publico jubebat præbere, et eos qui emerant extra Abydum corpora servilia, bina numismata in tributum dare præcepit, maxime eos qui in Dodecasino erant. Nona, naucleros qui maritima inhabitabant, et maxime eos terreno labore minoris Asiæ viventes, emere de rebus quæ ab illo rapiebantur cogebat, utcunque appretiarentur ab ipso. Decima, insignibus Constantinopoleos naucleris collectis, dedit ad usuram quatuor siliquarum numismata, cum auri duodecim librarum persolverent simul, et consueta commercia. Hæc ex multis summatim pauca descripta sunt, significanti multimodum ad omnem speciem avaritiæ ejus molimen. Quæ enim in regia urbe primoribus mediocribus et exiguis ostensa sint mala, nequeunt scribi, alios quidem eo investigante qualiter domi viverent, ac submittente quosdam malignorum servorum derogandi dominis, in primordiisque quasi dubitante super his quæ dicebantur, deinde vero affirmante calumnias, idipsum et super ignobilibus gerebat, dignos honoribus judicans detrahentes. Præterea domorum multas habitatorum a prima in tertiam generationem subvertebat, spe fretus, ut quanto celerius ruerent, tanto has ipse hæreditate citius possessurus esset. Dignum autem est ut et hoc, causa voluptatis et paradigmatis memoriæ commendemus. Cerularius quidam erat in foro ex laboribus suis locuples, et nihil agens, quo accersito omnium vorax imperator ait : Pone manum tuam in vertice meo, et jura quantum tibi sit aurum. Qui parum tanquam indignus recusans, coactus est ab eo facere hoc, et centum se libras habere dixit, quas eadem hora auferri præcepit, dicens : Tu quid opus habes sollicitari ? prande mecum, et tolle libras decem, et his vade contentus. Anno nono imperii sui Nicephorus contra Christianos adinventiones extendit, inspectiones sine Deo in emptionibus animantium, diversorum fructuum injustas titulationes, et jacturas principum, fœnerationes in navibus, qui omnibus legem ponebat, ne ad usuram quidquam tribueretur, et alia dena millia malorum commenta, quorum particularis historia onerosa est his qui compendiosas discere causas exquirunt. Kalend. autem Octob., tertia feria, evaginato quidam dissipatus in habitu monachi gladio, cujusdam militantium cucurrit in palatium, Nicephorum interficere quærens, duo vero ex his qui circumstabant irruentes in eum, atrociter vulnerati sunt ab eo. Comprehensus autem, et multis pœnis affectus, excusavit se, dæmonium habere prætendens, nullumque prorsus accusans ; at ille munivit hunc in ligno cum patientibus. Multi ergo deinceps augurati sunt enormis fore hoc miraculi signum, asseverantes tam imperantibus quam subjectis, quemadmodum et in impio Nestorio factum

A est. Manichæorum vero, qui nunc Pauliciani et Atingani dicuntur, quique in Phrygia et Lycaonia constituti, confines ejus habebantur, amicus ferventissimus erat, responsis eorum semper et immolationibus congratulatus. In quibus et cum Bardanius patricius contra eum insurrexit, his advocatis, hunc molitionibus eorum subegit. Taurum quippe in loco quodam ferreo palo cornibus alligans, ad terram incurvatum sic dum mugiret, et volutaretur, occidi fecit, hujusque vestem in mola versa vice molens, et incantationibus usus victoriam tulit, permittente Deo propter multitudinem peccatorum nostrorum. Isti locum sub imperio ejus adepti sunt intrepide conversandi, unde multi leviorum infandis eorum corrupti sunt sectis. In exactione vero quidam falsus eremita, B Nicolaus nomine, et quidam cum eo blasphemi facti fuerant etiam recti sermonis, venerabiliumque imaginum adversarii, quos Nicephorus defendebat, et summum sacerdotem, et omnes secundum Deum viventes tristatos pro hac causa reddebat. Sæpe namque quiritantibus adversus eos indignatus est, inimicitias invicem agitantibus congratulans, deridens omnem Christianum proximum diligentem, veluti divinorum mandatorum eversor, cui studium erat judicii rationabilia et irrationabilia contra omnem hominem in Magnauræ pœnaliter admovendi, quo nemo vacaret agere adversus impietates ejus. Denique militares principes more servorum uti episcopis et inferioris ordinis clericis jussit adituris episcopia C et monasteria, et his qui eorum erant auctorabiliter abusuris, eos qui a sæculo divinis contulerant obsequiis aurea vel argentea vasa, vituperabat, et ecclesiarum quæque sacrata pro communibus haberi dignum fore dogmatizabat, instar Judæ tale quid super dominico decernentis unguento. Antecessores etiam suos imperatores universos velut improvidos accusavit, generaliter omnium providentiam auferens, simul et dicens neminem posse imperantem circumvenire, si voluerit qui imperat strenue principatum tenere ; sed vanus factus est in cogitationibus suis, divinitus occidendus. Interea mense Febr. ejusdem quartæ decimæ indictionis, primo Sabbato jejuniorum, obvii facti Saraceni penes Euchaicam Leoni prætori Armeniacorum deferenti thematis rogam, D hanc abstulerunt cum multitudine populi copiosa. Talenta ergo erant sedecim, libræ mille trecentæ. In his nec sic redargutus Nicephorus ab avaritia sua cessavit. Igitur novus Achab signis non eruditus, quin e contra Phalaride ac Mida ambitiosior factus, contra Bulgares prælium præparat, una cum Stauratio filio suo, et Julio mense a regia urbe digressus, jussit Nicetæ patricio et generali logothetæ publicos ecclesiarum et monasteriorum census imponere, et octo annorum præteritorum redhibitiones a principum domibus exigere, et erat lamentum magnum. Cum autem querimoniam audiret a quodam proprio famulo, Theodosio videlicet Salibara patricio dicente sibi : Omnes, o domine, contra nos clamant, et in tempore tentationis casui nostro congratulabuntur,

Digitized by Google

sic ait ad eum : Si Deus obdurans obduravit cor A meum ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt a Nicephoro? Theodosi, noli exspectare præter quæ a te conspiciuntur : hæc Dominus novit, ipse ego conscriptor horum viva voce audivi a Theodosio. Collectis itaque militiis, non solum ex Thrace, verum etiam ex ulterioribus thematibus, cum his etiam egenos pedites cum propriis stipendiis contra Bulgares fundis et virgis armatos et blasphemantes minavit. Crunnus autem multitudines timens, cum essent Marcellis, pacem petebat. At ille nequam consiliis et consentientium consiliorum suorum persuasionibus prohibitus est, et post multos anfractus per avia loca præcipitanter temerarius simul et pavidus ingreditur Bulgariam XIII Kal. Augusti, cum Syrius appareret cuncta consumens, fre- B quenter ita fatus : Quis ibit, inquiens, et decipiet Achab? Quia sive Deus, sive adversarius trahit me nolentem. Porro priusquam ingressus fuisset Bulgariam Bizantius dilectus hujus famulus ad Crunnum confugit Marcellis, secum subrepta veste imperiali, et auri libris centum. Multi autem hujus fugam in malum Nicephori auspicati sunt. Tribus quippe diebus post primos conflictus se prosperari opinatus, non prosperam facienti Deo ascribebat victoriam, sed Stauratii solius bonam fortunam bonumque consilium prædicat, et principibus, qui introitum inhibuerant, minabatur, et irrationabilia quoque animantia, et infantes, et omnem ætatem, immisericorditer occidi præcepit, et mortua comprovincialium C corpora insepulta dimisit, solius spoliorum collectionis curam faciens. Claves autem et signacula penetralibus Crunni superimponebat, ea ut propria de cætero communiens. Aures etiam, et cætera Christianorum membra, qui saltem tetigisset, ex spoliis quidquam abscindebat, et aulam incendit, quæ dicebatur Cortis Crunni, cum ipse vehementer esset humiliatus, et significasset, dicens : Ecce vicisti, tolle ergo quicquid tibi placuerit, egredere in pace. At ille cum pacis esset inimicus, hanc admittere noluit. Tunc sæviens ille in regionis introitus et exitus lignea munimina mittens, maceria circumdedit atque tutavit. Nicephorus autem, hoc comperto, mox attonitus quidnam ageret, circumiens ignoravit, et his qui simul aderant, futuram perditionem prænuntiabat D asseverans : Etiamsi pennati fuerimus, nemo speret exitium se evasurum. Hæc autem molimina erant per dies duos, quintam videlicet, et sextam feriam, et nocte sabbati turbationes turbarum armatarum circa Nicephorum, et eos qui cum ipso erant, auditæ acies omnes enervaverunt. Ante diei vero principium supervenientes barbari contra tabernaculum Nicephori, et magnates qui cum ipso erant, hunc miserabiliter interficiunt, inter quos erant Aetius Petrus, et Sisinnius Trifiles patricii, atque Theodosius Salibaras patricius, qui contristavit, et multa mala beatæ ostendit Eirenæ, nec non et Eparcus patricius, et prætor Orientalium, multique protospatarii, et spatarii, et excubitus domesticus, et ordinum princeps, seu drongarius imperialis vigiliæ, simul et Thracæ prætor, et multi principes thematum cum infinitis populis, omnisque Christianorum corrupta est spes, arma quoque omnia perierunt, et imperii vasa. Porro talis diei deformia verba absit ut Christiani ulterius videant, ut pote omne lamentum excedentia. Caput autem Nicephori Crunnus recisum suspendit diebus multis in ligno, in ostentationem ad se venientium nationum, et confusionem omnium nostrum. Post hæc sane accipiens illud, et denudans, argentoque forinsecus induens, bibere in illo Sclavinorum principes fecit gloriatus. Verum licet multæ viduæ ac orphani fuerint facti uno die, et lamentatio intolerabilis haberetur, hujus tamen occisio multorum facta est consolatio. Modum vero hujus occisionis nullus eorum qui salvati fuerant liquidius enarravit. Ferunt etiam quidam quod Christiani hunc cadentem lapidibus impetierunt ; ast effeminatorum virorum, servorum scilicet ejus, cum quibus et concumbebat, alii quidem igne valli, alii vero gladiis perierunt cum ipso. Hujus principatu Christiani graviorem nullo tempore sunt consecuti. Omnes enim qui ante se imperaverunt, ambitionibus, et luxuriis, atque barbaricis crudelitatibus, superavit, de quibus per singula prosequi, et posteris incredibile, et nobis erit laboriosum. Vulneratus est autem et Stauratius periculose in dextra parte colli, et vix a pugna salvus evasit, et venit Adrianopolim atrociter plaga colaphizatus. At vero Stephanus patricius, et scholarum domesticus, cum adesset quoque Theoctistus magister, pronuntiavit Stauratium imperatorem, et disputavit populo, qui salvatus fuerat contra patrem suum, qui oppido delectati sunt. Michael sane Europalates illæsus evadens admodum ab amicis rogatus est ut imperator appellaretur, et non admisit propter juramenta Nicephoro præstita, atque Stauratio. Huic Stephanus domesticus resistebat, spe vitæ Stauratii. Porro Stauratius per urinam sanguine immenso prorumpente, arefactus est femoribus et tibiis, adeo ut phorio veniret Byzantium. Hunc Nicephorus patriarcha valido amans affectu, consilium dabat ei ut Deum placaret, et eos qui in avaritia prægravati erant a patre suo consolaretur, ad quem paterni sensus hæres germanus dicebat non posse plus tribus reddere talentis. Hæc autem erant ex his pars injustitiæ illius; verumtamen et circa hæc pigritabatur non vivere fidens. Cum autem fœdus illibatum more paternæ mentis circa neminem servaret, frequentibus dehonestationibus submittebat Theoctistum magistrum, et Stephanum domesticum, et Michaelem Europalatem, avertens animo, et Procopiam sororem suam ut insidiantem sibi Theophaniæ Augustæ submissionibus. Mox quippe misera per beatæ imitationem Eirenæ obtinere sperabat imperium, cum sine liberis esset. Ast vero Stauratius videns se insanabiliter infirmari, habitum imperium uxori acquirere festinabat, et Bulgares in Christianos excitare supra præcedentia mala, supra quo paventes Nicephorus patriarcha, Theoctistus ma-

Digitized by Google

gister, et Stephanus domesticus, ex multa inimicitia in alternam amicitiam cum Michaele Europalate venere. Circa fines Septembris, indictione 5, Kal. Octob., vespere Stauratius advocatum Stephanum domesticum percontabatur quonam modo Michaelem sororis suæ maritum ex propria domo posset ducere ad ejus oculos eruendos; quo perhibente hoc impossibile fore hac hora propter virtutem quæ circa illum esset, et ob munitionem domus loci ejus, rogat nemini fieri nota quæ dicta sunt. At ille cum verbis persuasibilibus inflexisset eum ne sollicitus esset, per totam noctem militias ordinum quæ remanserant collegit in Hippodromo, una cum principibus propriis, ad pronuntiandum Michaelem imperatorem, quemadmodum in subsequentibus indicabitur. Porro Nicephorus patriarcha scriptum a Michaele propriæ manus exegit de recta fide, et ut sine sanguine manus a Christianis servaret, ac de sacris hominibus, seu monachis de toto ecclesiastico catalogo, ne percuterentur ab illo.

## MICHAEL.

Anno ab Incarnatione Domini 804, indictione quinta, tertia Nonas Octob., Michael Europalates mitissimus appellatus est imperator Rom. in Hippodromo a toto senatu atque ordinibus, qui imperavit annis duobus. Stauratius autem acclamatione hujus audita statim comam totondit, et monachicis indutus est vestimentis, et per Simeonem monachum cognatum suum valde patriarcham implorans, qui veniens in palatium una cum imper. Michaele, Stauratium rogabat ne tristaretur super hoc, quod factum est; non enim per insidias, sed desperatione vitæ ipsius id gestum asseverans. At ille nequitiæ paternæ rabie furens, non acquievit, dicens ad eum: Amicum meliorem me non habebis. Hora vero quarta coronatus est Michael a Nicephoro patriarcha in ambone magnæ ecclesiæ, in quo magna exsultatio facta est, et donavit patriarchæ auri libras l, et clero xxv. Vir enim magnanimus, et non avarus, omnes consolatus est qui Nicephori nequitia sunt læsi, donisque senatum ac militiam recreavit. Porro iv Idus Octobris coronata est Procopia in Triclinio Augusta, multisque donis liberalibus auxit senatum. Mulieribus vero Thematicorum militum, qui fuerant in Bulgaria peremti, auri quinque talenta dedit. Theophaniam autem uxorem Stauratii singularem vitam amplexam, et cognatos illius, qui miserabiliter sub Nicephoro vixerant, ditavit, interque alia insignem domum, et monasterium Thebraica dictum, ubi Stauratius est sepultus, illi concessit. Omnes etiam patricios et senatores, sacerdotes et summos sacerdotes, et militantes monachos, et pauperes, tam in regia urbe quam in thematibus degentes, locupletavit, adeo ut immensurabilis avaritia Nicephori, propter quam et male periit, paucis diebus disparuisse probaretur. Super multos præterea optimos mores suos, cum piissimus et orthodoxus esset, tristabatur super his qui a sancta scindebantur Ecclesia quacunque occasione, sive ratione, multumque sanctissimum patriarcham, et eos qui poterant pro communi pace concurrere, rogans non quiescebat, inter quos et Theodorum egumenum studii, et Platonem, atque Joseph archiepiscopum Thessalonicensem fratrem Theodori in studiis detentos amaris, una cum principibus monasterii eorum, satagebat unire, quod et fecit. Ceterum misit ad Carolum regem Francorum pro pace atque contractu nuptiarum in Theophylactum filium suum. Nicephorus quoque sanctissimus patriarcha transmisit synodicas litteras ad Leonem sanctum papam Romanum, antea quippe faciendi hoc a Nicephoro prohibebatur. Porro octava Kal. Januar. quintæ indictionis Michael tranquillissimus imperat. coronavit Theophylactum filium suum imperatorem a Nicephoro patriarcha in ambone majoris ecclesiæ, feria 5, et obtulit pretiosissimum stemma in sancto altario in vasis aureis, et lapidibus venustis, et quadrangulis velis antiquitus ex auro et purpura claro contextis, atque admirabilibus sanctis imaginibus variatum. Donavit autem et patriarchæ auri libras xxv, ac venerabili clero libras centum, splendidam reddens sanctam festivitatem, et filii pronuntiationem. Multo sane divino zelo imperator piissimus motus contra Manichæos, qui nunc Pauliciani dicuntur, et Atingarios in Phrygia et Lycaonia degentes, capitalem animadversionem Nicephori sanctissimi patriarchæ ac aliorum piorum prædicamentis promulgavit. Adversus est autem per alios nequam morum consiliarios obtentu pœnitentiæ, cum esset impossibile illos pœnitentiam agere qui eorum errore decepti fuissent. Dogmatizabant autem indocte non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia divinis super hoc adversantes Scripturis. Si enim Petrus vertex apostolorum Ananiam et Saphiram ab uno mendacio tantum mortificavit, et Paulus clamat: Qui talia, inquiens, agunt, digni sunt morte, et hæc de solo corporali peccato, quomodo non horum contrarii erunt, qui omni spiritali et corporali spurcitia dæmonibus serviunt? Stauratius vero ulcere tabefactus ex mortali plaga circa spinæ loca infixa, ita ut non posset quisquam appropinquare illi ob multum fœtorem, mortuus est tertia Idus Jan., indictione quinta, cum imperasset, ut putatur, mensibus duobus, diebus sex. Porro quinta Idus Maii, feria quinta, eclipsis solaris facta est magna, et septima Idus Junii egressus est imperator Michael contra Bulgares, et cum eo simul Procopia usque Zerulum. Crunnus autem dux Bulgarum, cum Debeldum obsidione cepisset, et eos qui in ipso fuerant una cum episcopo transmigrasset, multitudines, quæ propter malum frequensque consilium nequam consiliariorum imperatoris ad eum confluxerant, ad insidias et injurias Obsicii maxime et Thracesiorum conversi sunt, quos Michael compescens, donis et admonitionibus silentio imposito, mitigavit. At vero Bulgares simultatibus militiarum compertis, et quod essent formidantes prælium, amplius confortati, prævaluerunt adversus Thraciam et Macedoniam.

Digitized by Google

Tunc Ancialum et Beroem dimittentes Christiani fugerunt, nemine persequente, Nicetamque ac Probati castrum, et alia quædam præsidia, similiter et Philippopolim, et Philippos, et Strymonem habitantes, occasione accepta fugientes, ad propria redierunt. Hoc autem divina indignatio fecit, Nicephori vesaniam arguens, per quam putativæ correctiones ejus, in quibus gloriabatur, celeriter corruerunt, pravasque opiniones multorum, qui Deum impugnantes, et abundantes hæreses Paulitianorum, Atinganorum, Iconoclastarum et Tetraditarum desierunt accusare. Omitto enim adulteria, fornicationes, libidines atque perjuria, odia fraterna et avaritias, nec non et prævaricationes reliquas contra sanctas ac venerabiles imagines, contraque sanctum monachicum habitum: movebant linguas, beatum dicentes Deo abominabilem Constantinum, quod fortiter adversus Bulgares gesserit propter pietatem, quam, ut impie illi infelices fatebantur, habuerit. At vero hi qui in urbe regia erant, armabantur post synodum universalem ad fidem subvertendam orthodoxam, cæcos cæcis mentibus sine Deo volentes imperare filios Constantini Deum impugnantis, apud Banormum insulam custodiæ mancipatos, quos per noctem furari voluerunt, et adducere ad exercitum. Sed Dominus hos confudit, erigens Michaelem piissimum in defensionem veritatis. Disputatis enim convenientibus de fide plebibus, regiam repedavit ad urbem, et sapienter cogitans, multos rebellionum per paucas plagas deterruit, exsilio jubens deportari filios Constantini, qui oculis orbati esse cernebantur, in Aphusiam. Unum vero ex supra dictis seductoribus falsum eremitam, exactione maleficii socium Nicolai, qui icona sanctissimæ Dei Genitricis deposuerat, lingua recisa mutilavit, qui et mortuus est corpore et anima. Collegam autem suum Nicolaum, promittentem se pœnitentiam acturum, omnibus publicavit, et confitentem sua ipsius mala, tradidit illum in monasterio custodiendum, ne libera conversatione habitu proprio abuteretur. At vero Antiganos publicans exsilio tradidit per Leonem Orientalium prætorem. Porro Augusto mense, quinta indictione, Thebid contra Christianos movit exercitum, cum quo Leo bellum conferens, prosperatus est, duo millia interficiens, et equos comprehendens et arma. Muhammat autem primus filius Aaron tenens principatum gentis, inito bello in interiori Perside cum Habdalla fratre suo, superatus est, et fugiens in Gabda, hanc obtinuit. Damascum vero alter tyrannus, et Ægyptum, et Africam duo partiti sunt, et alius Palæstinam more latronis depastus est. Anno secundo imperii Michaelis, Crunnus Bulgarum dux per Dragomirum pro pace rursum ad imperatorem Michaelem legationem misit, quærens fœdera quæ sub Theodosio Adramitino et Germano patriarcha repromissa fuerant Cormesio, qui per illud tempus dominus erat Bulgariæ, quæ terminos continebant Amelonis Thracensis: vestimenta quoque, seu coccineas pelles, usque ad pretium quinquaginta librarum auri, et

A super hæc profugos utriusque partis ad alterutrum reddi si contigisset eos insidiari prælatis; negotiantes vero in utraque regione per præcepta et signacula commendari; si qui vero sine signaculo inventi fuissent, diriperetur quod haberent, et inferretur publicis rationibus. Scripsit autem ad imper.: Nisi acceleraveris, inquiens, ad pacem judicio tuo, præliabor contra Mesembriam. His receptis, imperator nequam consiliariorum admonitionibus pacem non admisit. Sub obtentu enim falsæ pietatis, et circa remp. perditionis, nequam consiliatores asserebant non oportere fugitivos reddere, perhibentes in testimonium illud evangelicum Domini eloquium perhibentis: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Mediante vero mense Octobri aciem dirigit Crunnus

B contra Mesembriam in machinamentis, et manganis, et arietibus, quæ Nicephori causa destructoris Christianorum didicerat. Arabs enim quidam ab baptismum confugerat satis expertus mechanicæ artis, quem cum castrametatus esset, in Adrianopolim constituit, cui nullum meritum conferens, quin potius abbrevians ejus rogam, murmurantem nimis cecidit: qui super hoc tristatus fugit ad Bulgares, et docuit eos omnem mechanicam artem in his. In his insistens, nemine ob multam stultitiam resistente per totum mensem, cepit eam. Kalendis autem Novembris advocavit imperator patriarcham cum angustiaretur, et de pace consilium sumpsit. Aderant autem et metropolitani, Nicenus scilicet, et Cizicenus,

C præsentibus quoque pravis consiliariis cum Theodoro egumeno studii; etiam patriarcha, ac metropolitani antistites pacem cum imperatore amplectebantur; mali vero consiliarii cum Theodoro egumeno studii hanc subvertebant fatentes. In subversione divini mandati nemo pacem amplectitur. *Eum* quippe *qui venit ad me*, ait Dominus, *non ejiciam foras*. Primo quidem quomodo nemine ad nos ex eis confugiente, nos eos, qui intra Curtem erant prodidimus, valentes hos cum pace salvare? Secundo vero, quia et si fugerunt, raro quidem ad nos, pro acquirenda tamen plurimorum salute oportebat potius decertare, quam super incertis et invisibilibus locupletari. Gratius enim est Deo plures potius salvare quam paucos. Porro damnum in pluribus pati propter

D modicum lucrum, primæ dementiæ est. Hæc Kal. facta sunt Novembrib. Porro prima die Nonas Novembris apparuit cometes in figura duarum lunarum fulgentium, adunantium se, atque separantium in diversa schemata, ita ut in acephali viri fictionem formarentur. Et in crastinum de excidio Mesembriæ venit miserum nuntium, deterrens omnes ob majorum omnium malorum exspectationem. Invenientes enim eam inimici plenam omnibus rebus quæ ad habitationem hominum adesse solent, hanc tenuerunt una cum Debelto, in quo et syphones æreos invenerunt triginta et sex, et ignis humidi, qui per eos emittebatur, argentique ac auri non modicam copiam. Eodem anno multi Christianorum ex Palæstina ac Syria in Cyprum venere fugientes immen-

Digitized by Google

sam Arabum afflictionem. Cum enim sine generali principatu Syria esset, et Ægyptus, et Africa, et omnis principatus, qui sub ipsis est, homicidia, rapinæ, adulteria, ac omnes Deo odibiles actiones in civitatibus, ac villis, ut divinitus peritura gente, perpetrabantur, inque alma Dei nostri civitate colenda loca sanctæ Dei Genitricis, et resurrectionis, ac Calvariæ, seu reliqua, profanata sunt. Similiter autem et Lauræ eremi opinatissimæ, sancti Caritonis, et sancti Sabæ, et reliqua monasteria, et ecclesiæ desertæ factæ sunt. Alii autem percepto martyrio interempti sunt; alii vero Cyprum, et ex hac Byzantium, properarunt, quos Michael pius imperator et Nicephorus sanctissimus patriarcha benigna munificentia receperunt. Nam his qui venerunt ad urbem monasterium insigne donavit; his vero qui in Cypro remanserant, monachis et laicis, talentum auri transmisit, et hos diversis consolatus est modis. Erat quippe Michael circa omnes suavis, et clemens, circa negotiorum vero dispositionem iners, servitute subactus Theoctisto magistro, et cæteris principibus. Præterea mense Februario duo Christiani ex Bulgaria fugientes nuntiaverunt imperatori Crunnum prædaturum eos qui essent in Thrace repente festinare. Quinto decimo Kalend. Martii exivit imperator ab urbe, et Dei providentia inefficax rediit, et ascendens monasterium Tharasii sancti patriarchæ, celebratis ejus memoriis una cum Procopia Augusta, petalo argenteo librarum nonaginta quinque sacrum ejus sepulcrum vestivit. Post captam vero Mesembriam imperator Crunno pace negata, ex omnibus thematibus electam militiam ante vernale tempus in Thracem transire præcepit, ita ut omnes moleste ferrent, maxime Cappadoces, et Armeniaci. Imperatore autem exeunte cum ordinibus mense Maio exivit cum eo iterum Procopia uxor sua usque ad aquæductum juxta Heracleam. At vero multitudines super hoc duriter ferentes in derogationem ac maledictionem conversæ sunt contra Michaelem. Porro quarta Idus Maii eclipsis facta est circa duodecimam partem Tauri juxta horologium oriente sole, et multus timor cecidit super turbas. Ast imperator circuibat Thracem cum prætoribus ac militiis, neque contra Mesembriam pergens, neque aliud quid eorum quæ agi debent ad destructionem hostium patrans, sed tantum suasus sermonibus vanis consiliariorum suorum, bellorum experientiam non habentium, ac per hoc asseverantium non audere inimicum adversum illum venire in propria regione sedentem. Et erat barbarico impetu gravior concivium cœtus, deficientium circa necessarias utilitates, et rapinis ac invasionibus exterminantium compatriotas. Circa initia vero Junii mensis Crunnus Bulgarum dux exiit cum exercitibus suis, veritus quod multi essent Christianorum; cumque movisset exercitum in Versiniciam, quasi triginta signis ab imperialibus castris, Leo patricius, et prætor Orientalium, Joannes quoque patricius, et Macedoniæ prætor, cognomento Aplaces, multum prompti ad hos debellandos, prohibiti sunt

A ab imperatore per malos consiliarios. Cum autem urbs litanias celebraret cum summo sacerdote in templo sanctorum apostolorum, quidam impiorum, Deo perosi, Constantini hæreseos, obserata porta imperialium sepulcrorum, nemine attendente propter turbæ frequentiam, quo subito cum quodam sonitu aperiretur egerunt, quasi ex quadam operatione facti prodigii, et intro insilientes procidebant seductoris monumento, hunc invocantes, et non Deum. Surge, dicentes, et auxiliare perditæ reip. Diffamaveruntque quia surrexit super equum sedens, et vadit Bulgares debellaturus, qui e contrario Tartarum habitat cum dæmonibus. Qui ab urbis præfecto comprehensi, primo quidem mentiebantur, divinitus ultro fuisse apertas sepulcrorum portas, præsentati
B vero tribunali præfecto, et circa testimonium claudicantes, obsecrationis fraudem ante omnem pœnam confessi sunt, quos merito vestibus pompæ submisit, vociferantes causam publicæ pœnæ. Sic enim nequitiæ inventor diabolus suos milites erudivit, ut non peccata sua accusent, sed orthodoxam et patribus traditam fidem, sacrumque habitum monachorum, qui divinæ est philosophiæ gymnasium. Multi autem qui in his blasphemabant, habitu tantum Christiani erant, veritate vero Pauliciani, qui non valentes detestabilia opera sua manifestare, hujuscemodi occasione indoctos adulterabant, Constantinum, qui Judaici erat sensus, beatum dicentes ut prophetam et victorem, hæresimque ipsius in subversionem incarnatæ dispensationis Domini nostri amplectentes.
C Porro decima Kalend. Junii prælium ineuntibus haud procul ab Adrianopoli, delinquunt quidem Christiani valde dire circa bellum, obtinent autem inimici pugnam, adeo ut plures congressionem nec intuentes summa fuga uterentur, ita ut Crunnus consternatus æstimaret insidiarum argumentum esse quod factum est, ut modicum retineret suos ab insecutione; quia vero eos vidit sine ulla retentione fugere, persecutus occidit multitudines copiosas, et veniens nihilominus ad sarcinas, has cum exuviis abstulit. Ast imperator fugiens repedabat in urbem cum multitudinibus, harumque principibus sumptis insuper pollicebatur imperii depositiones dejurans, inter quos et Leonem patricium, et prætorem Orientalium, tanquam pium, et fortissimum, et per omnia strenuum,
D in tenendo imperio asciscere socium voluit: qui nullatenus acquiescens, dimisit eum thematibus præesse, octava Kalend. Junii deponere volens imperium, et alium promovere, qui tamen ab uxore et filiis permissus non est, et ab his qui nequiter prævaluerant. Verum in hoc Nicephorus sanctissimus patriarcha consentiebat, et ipse, inquiens, et filii ejus salvandi erunt, si taliter quis promoveatur. At vero prætores descendentes cum multitudinibus in urbem, imperatorem fugisse audientes, desperati quod ab eo de cætero imperandi forent, consiliati sunt apud semetipsos, et implorabant Leonem, quo auxiliaretur communi reip., et Christianorum religioni opitularetur. At ille aliquandiu quidem vehementer diffe-

Digitized by Google

rebat, temporis considerans difficultatem, et barbarorum incursionem intolerabilem, et semetipsum erga imperatores conservans rectum, et absque insidiis; quia vero ad urbem properare inimicum vidit, scribit Nicephoro patriarchæ de fide sua recta affirmans, petens etiam ut cum oratione et nutu ejus imper. sumeret, et veniens ad tribunal ante urbem positum, una cum prætoribus et exercitibus, valde legitimus Romanorum imperator ostenditur, et die media Constantinopolim per Carsii portam ingreditur, et ad regalia pervenit. Porro audita hujus acclamatione Michael in oratorium Phari accurrens, una cum Procopia natisque suis, detonsis capillis, monastica induit vestimenta, v Idus Julii, sexta indictione, feria secunda.

### LEO.

Postera vero die, Leo coronatus a Nicephoro patriarcha in ambone majoris ecclesiæ, urbis præcepit custodiri portas, et muros die ac nocte ipse per se circuiens, et exercitans cunctos, ac bonam spei fiduciam habere commonens, eo quod Deus celeriter foret inopinate facturus per intercessiones intemeratæ Dei Genitricis, et omnium sanctorum, nec omnino confundi nos esset passurus ob multitudinem A culparum nostrarum. Interea novus Sennacheribus, Crunnus videlicet, derelicto proprio fratre cum virtute sua ad impugnandum Adrianopolim, post sex dies imperii Leonis superveniens in viribus suis, et equis, regiam urbem gyravit juxta muros a Blacernis usque ad Auream portam, ostendens virtutem suam, et celebrato polluto dæmonico sacrificio in prato penes mare sito, postulavit ab imperatore ut figeret contum suum in eamdem portam Auream; quo id fieri non permittente, reversus est ad tabernaculum suum. Cum autem admiratus fuisset muros urbis et bene ordinatam imperatoris aciem, et super obsidionem quam sperabat, desperatus effectus esset, ad conventiones convertitur, et ante pacem tentatoria verba faciebat. At imperator, accepta occasione, B conatus est huic insidiari, sed a multitudine peccatorum nostrorum hoc in finem perducere prohibitus est, administrantium hujuscemodi rusticitate, vulnerantium quidem hunc, mortalem tamen non inferentium plagam. Super hoc ergo insaniens nequissimus, misso cursu ad sanctum Mamam, palatium illic habitum incendit, et æreo Leone Hippodromi, una cum urso et dracunculo, lateribus ac marmoribus electis in plaustro impositis, reversus est, et obsessam Adrianopolim cepit [a].

[a] Hactenus Anastasius Biblioth. ex Theophane, cui in Græco exemplari subjuncta sunt quædam ex Leonis grammatici chronographia posteriorum imperatorum usque ad Constantinum Romani generum. Sequitur in Anastas. P. Pith.: Hæc est collectio annorum, ut subinfertur Adam anno 230, etc. In Ex. Briss. sequitur Rosina Bissini regis uxor. Et narratio de Theodorico. CANISIUS.

# LANDULPHI SAGACIS

# ADDITAMENTUM AD HISTORIAM MISCELLAM

## EX MS. BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ NUNC PRIMUM EDITUM.

Cum jam, ut præmissum est, Romanorum desierit apud Italos imperium, plurimæque gentes irruerent contra ipsos, adusque pertransierat pelasgum. Hac tempestate Justinianus Augustus Romanorum eumdem felici sorte regebat imperium, qui et bella prospere gessit, et in causis civilibus mirificus exstitit. Nam per Belisarium patricium Persam fortiter devicit, perque ipsum Belisarium Vandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, usque ad internecionem delevit, Africam quoque totam, post annos nonaginta et sex, Romano imperio restituit. Purisque Belisarii viribus, Gothorum in Italia gentem, capto Withigis eorum rege, superavit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes, eorumque regem Attilam, per Joannem exconsulem mirabili virtute prostravit, pari etiam modo et alias gentes belli jure compressit. Quam ob causam propter eorum omnium victorias, ut Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanusque diceretur, habere hæc nomina meruit. Leges etiam Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, et inu- C tilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen Codicem Justiniani appellari præcepit. Rursusque singulorum magistratuum sive judicum leges, quæ usque ad duo millia pene libros erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque Codicem Digestorum, sive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, id est, Codicem Novellam nuncupari sancivit. Exstruxit quoque idem princeps intra Constantinopolim urbem Christo Domino, D qui est Sapientia Dei Patris, templum, quod Græco vocabulo agiam Sophiam, id est, sanctam Sapientiam nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri. Erat enim princeps fide catholicus, in operibus rectus, in judiciis justus, ideoque omnia

Digitized by Google

concurrebant ei in bonum. Hujus temporibus Cassiodorus, apud urbem Romam tam sæculari quam divina scientia claruit, qui inter cætera quæ nobiliter scripsit, psalmorum præcipue occulta potentissime reseravit. Hic primum consul, deinde senator, ad postremum vero monachus exstitit. Hoc etiam tempore [a] Diotusius Alba in urbe Roma constitutus, paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Tuncque nihilominus Arator Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, poeta mirabilis, Actus apostolorum versibus hexametris exaravit. His quoque diebus beatus Benedictus Pater, et prius in loco qui Sublacum dicitur, qui ab urbe Roma quadraginta millibus abest, et postea in castro Cassini, quod Clarum appellatur, et magnæ vitæ meritis, et apostolicis virtutibus effulsit. Igitur cum circumquaque frequenter Longobardorum victoriæ personarent, Narsis chartularius imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adversus Totilam Gothorum regem præparans, cum jam pridem Longobardos confœderatos haberet, legatos ad Alboin dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Alboin electam e suis manum direxit, qui Romanis adversum Gothos suffragium ferrent, qui per maris Adriatici sinum in Italiam transvecti, sociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus usque ad internecionem deletis, taliter cum Totila suo rege bonorati multis muneribus, victores ad propria remearunt, omnique tempore quo Longobardi Pannoniam possederunt, Romanæ reipublicæ adversus æmulos adjutores fuerunt. His temporibus Narsis etiam Buccellino duci bellum intulit, quem Theudepertus rex Francorum cum in Italiam introisset, reversus ad Gallias cum Hamingo alio duce, ad subjiciendam Italiam reliquerat. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis grammaticæ artis, ut ita dixerim, profunda rimatus est. Qui Buccellinus cum pene totam Italiam direptionibus vastaret, et Theudeperto suo regi de præda Italiæ munera copiosa conferret, cum in Campanea hiemare disponeret, tandem in loco cui Tannecum nomen est gravi bello a Narsete superatus, exstinctus est. Hamingus vero, dum Widin Gothorum comiti contra Narsetem rebellanti auxilium ferre conatus fuisset, utrique a Narsete superati sunt. Widin captus Constantinopolim exsulatur. Hamingus vero, qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux, nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam et Tridentum, juxta lacum Benacum propria morte defunctus est. Habuit nihilominus Narsis certamen adversus Sindual Brentorum regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quos secum in Italiam veniens solum Odoacer adduxerat. Huic Narsis fideliter sibi primum adhærenti multa beneficia contulit, sed novissime superbe rebellantem, et regnare cupientem, bello superatum et captum celsa de trabe suspendit. Eo tempore quoque Narsis patricius, per Dagisteum magistrum militum, virum bellicosum et fortem, universos Italiæ fines obtinuit. Hic Narsis prius quidem chartularius fuit, deinde propter virtutem merito patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piissimus, in religione catholicus, in pauperes munificus, in reparandis basilicis satis studiosus, vigiliis et orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis quam armis bellicis victoriam obtineret.

Inter hæc Justiniano principe vita decedente, Justinus minor rempublicam apud Constantinopolim regendam suscepit.

His quoque temporibus Narsis patricius, cujus ad omnia studium vigilabat, Vitalem episcopum Altinæ civitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regem confugerat, hoc est, ad Gothiensem civitatem, comprehensum, apud Siciliam exsilio damnavit. Igitur deleta, ut dictum est, vel superata, Narsis omni Gothorum gente, his quoque, de quibus dixi, minus pari modo devictis, dum multum auri, sive argenti, seu cæterarum specierum divitias adquisisset, magnam ab his pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat invidiam pertulit, qui contra eum Justino Augusto, et ejus conjugi Sophiæ, in hæc verba suggesserunt dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire quam Græcis, ubi Narsis eunuchus imperat, et nos servitio premit, et hæc noster piissimus princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus, aut certe in civitatem Romanam, et nosmetipsos gentibus tradimus. Cumque hæc Narsis audisset, hæc breviter retulit verba: Si male feci cum Romanis, male inveniam. Tunc Augustus in tantum adversus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum præfectum mitteret, qui Narsetis locum obtineret. Narsis vero his cognitis, valde pertimuit, et in tantum maxime ab eadem Sophia Augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandasse, ut cum puellis in gynæceo lanarum faceret pensas dividere. Ad quæ verba Narsis dicitur hæc verba dixisse: talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret, deponere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ civitatem secedens, legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans ut paupera Pannoniæ rura desererent, ad Italiam, cunctis repletam divitiis, possidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset illicere. Longobardi læta nuntia, et quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, denique futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu signa visa sunt, hoc est, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eo scilicet qui postea effusus est sanguine coruscantes. Narsis vero de Campania Romam reversus, ibidem non post multum tempus ex hac luce subtractus est. Cujus corpus positum in locello plumbeo cum omnibus ejusdem divitiis Constantinopolim est perlatum. Per hæc tem-

[a] In Paulo Diacono legitur *Dionysius*.

Digitized by Google

pora apud Constantinopolim, ut supra præmissum A est, Justinus minor regnabat, vir omni avaritiæ deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret, quem etiam ferunt in hæresin Pelagianam dilapsum. Hic cum a divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio, amisso rationis intellectu, amens effectus est. Hic Tiberium Cæsarem ascivit, qui ei palatium, vel singulas provincias gubernaret, hominem justum, utilem, strenuum, sapientem, eleemosynarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, et, quod his omnibus supereminet, verissimum Christianum. Hic cum multa de thesauris quos Justinus aggregaverat pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod B rempublicam redegisset in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregavi, tu infra paucum tempus prodige dispergis. Aiebat autem ille: Confido in Domino quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum ut pauperes eleemosynam accipiant, aut captivi redimantur. Hoc est magnum thesaurum facere, dicente Domino: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Ergo de his quæ tribuit Dominus congregemus thesauros in cœlo, et Dominus nobis augere dignabitur in sæculo. Igitur Justinus cum undecim annis regnasset, amentiam, quam incurrerat, tandem cum vita finivit. Bella sane quæ per Narsetem patricium Gothis vel Francis C illata superius per anticipationem diximus, hujus temporibus gesta sunt. Denique et cum Roma temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia per circuitum Longobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti navibus ab Ægypto dirigens, eam sub studio misericordiæ relevavit.

Mortuo ergo Justino, Tiberius Constantinus, Romanorum regum quinquagesimus, sumpsit imperium. Hic cum, ut superius diximus, Justino adhuc Cæsare, palatium regeret, et multas quotidie eleemosynas faceret, magnam ei Dominus auri copiam subministravit. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux Dominica sculpta, et ait: Crucem Domini, qua frontem nostram et pectora munire debemus, ecce D eam sub pedibus conculcamus. Et dicto citius jussit eamdem tabulam auferri de fossa, qua elevata atque erecta, inveniunt subtus et aliam hoc signum ✠ habentem, qui et ipsam jussit auferri. Qua amota, reperiunt et tertiam, jussuque ejus cum hæc fuisset ablata, inveniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius quam consuetus fuerat largitur. Narsis quoque patricius Italiæ, cum in quadam civitate intra Italiam domum magnam haberet, ad supra memoratam urbem advenit, ibique in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit, interfectisque omnibus consciis, uni tantummodo seni hæc, per juramentum ab eo exigens, commendavit. Defuncto vero Narsete, supradictus senex ad Cæsarem Tiberium veniens, dixit: Si mihi, inquit, aliquid prodest, magnam rem, Cæsar, dicam. Cui ille: Dic, ait, quid vis, enim proderit tibi, si quid nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis habeo reconditum, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gavisus mittit usque ad locum pueros suos, præcedente vero sene hi sequuntur attenti. Pervenientesque ad cisternam, deopertamque ingrediuntur, in qua tantum auri vel argenti repertum est, ut per multos dies vix a deportantibus potuisset evacuari. Quæ ille pene omnia secundum morem suum erogatione largissima dispensavit egenis. Hic cum Augustalem coronam accepturus esset, eumque secundum consuetudinem ad spectaculum Circi populus exspectaret, insidiasque ei præpararet Sophia Augusta, ut Justinianum, Justini nepotem, ad dignitatem imperatoriam sublimaret, ille per loca sancta prius præcedens, deinde vocato ad se pontifice urbis, cum consulibus ac præfectis palatium ingressus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali positus, cum immensis laudibus in regni est gloria confirmatus. Quod ejus adversarii audientes, nihilque ei, qui in Domino spem suam posuerat, officere valentes, magno sunt confusionis pudore cooperti. Transactis autem paucis diebus, Justinianus projecit se pedibus imperatoris, ob meritum gratiæ, quindecim ei auri centenaria deferens. Quem ille secundum patientiæ suæ meritum colligens, sibi ut in palatio assisteret jussit. Sophia vero Augusta immemor promissionis quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei pertentavit ingerere. Præcedente autem eo ad villam, ubi juxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam jucundaretur, vocato clam Justiniano, voluit eum sublimare in regno. Quo comperto Tiberius cursu veloci Constantinopolim regreditur, apprehensamque Augustam omnibus thesauris exspoliavit, solum ei victum quotidianum in alimentum relinquens, segregatisque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus suis posuit, qui ei parerent, mandans prorsus ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Justinianum vero verbis solummodo objurgatum tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursusque filio filiam suam expeteret. Sed hæc res minime, quam ob causam nescio, ad effectum pervenit. Hujus exercitus ab eo directus Persas potentissime debellavit, victorque regrediens, tantam molem prædæ, cum viginti pariter elephantis, detulit, ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati. Tiberius igitur Constantinus, postquam septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, una cum consilio Sophiæ Augustæ Mauricium genere Cappadocem, virum strenuum ad imperium elegit, ornatamque suam filiam regalibus ornamentis eam tradidit ei, dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum, utere eo felix, memor semper ut æquitate justitiaque delecteris. Hæc post-

Digitized by Google

quam dixit, de hac luce ad æternam patriam migravit, magnum luctum populis de sua morte relinquens. Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in judicio justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnesque diligens, ipse quoque est dilectus a cunctis.

Quo defuncto, Mauricius indutus purpura, et redimitus diademate, ad Circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largitus populo munera, primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus est. Hoc tempore Mauricius imperator Childeperto regi Francorum quinquaginta millia solidos per legatos suos direxit, ut cum exercitu super Longobardos irrueret, eosque de Italia exterminaret. Qui cum innumera Francorum multitudine in Italiam subito introivit. Longobardi vero in civitatibus se communientes, intercurrentibus legatis, oblatisque muneribus, pacem cum Childeperto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeasset, cognito imperator Mauricius quia cum Longobarbis fœdus inierat, quod ei Longobardorum detrimentum dederat, repetere cupit. Sed ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit. His itaque gestis, Autharius rex Brexillum civitatem, super Padi marginem positam, expugnare aggressus est, in quam Dotrulf dux a Longobardis confugerat, se partibus imperatoris tradens, sociatus militibus Longobardorum exercitui fortiter resistebat. Iste ex Suavorum, hoc est, Alamannorum, gente oriundus, inter Longobardos creverat, et quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occasionem ulciscendæ suæ captivitatis reperit, contra Longobardorum illico arma surrexit. Adversus quem Longobardi gravia bella gesserunt, tandemque eum cum militibus quos juvabat exsuperantes, Ravennam cedere compulerunt. Brexillus capta est, muri quoque ejus ad solum usque destructi sunt. Post hæc Antharius rex cum Smaragdo patricio, qui tunc Ravennæ præerat, usque in annum tertium pacem fecit. Denique post Benedictum papam, Pelagius Romanæ ecclesiæ pontifex absque jussione principis ordinatus est, eo quod Longobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquilegiensi episcopo, nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam beatus Gregorius, cum esset adhuc diaconus, conscripsit. Rursum Mauricius Augustus legatos ad Childepertum mittens, eum ut contra Longobardos in Italiam exercitum dirigeret persuasit. Childepertus existimans suam adhuc germanam apud Constantinopolim vivere, legatis Mauricii acquiescens, ut suam posset sororem recipere, iterum adversus Longobardos Francorum exercitum ad Italiam direxit. Contra quos dum Longobardorum acies properarent, Franci et Alamanni dissensionem habentes, sine ullius lucri conquisitione, ad patriam sunt reversi. Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum, et Liguriæ, seu cæteris regioni-

A bus Italiæ, quale post Noe tempora non creditur fuisse. Factæ sunt lacunæ possessiones, seu villarum, hominumque pariter et animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ viæ; tantumque Athesis fluvius tunc excrevit, ut circa basilicam beati Zenonis martyris, quæ extra Veronensis urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras aqua pertingeret, licet, sicut beatus Gregorius postea papa scripsit, in eamdem basilicam aqua minime introivit. Urbis quoque ejusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc inundatio sexto decimo Kal. Novembris. Sed et tantæ coruscationes et tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æstivo tempore solent. Post duos quoque menses eadem urbs Veronensium magna ex

B parte incendio concremata est. In hac diluvii effusione in tantum apud urbem Romam fluvius Tiberis excrevit, ut aquæ ejus super muros urbis influerent, et maxime in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejusdem fluminis, cum multa serpentium multitudine, draco etiam magnæ miræque magnitudinis per urbem transiens, usque ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant, quæ tanta strage populum devastavit, ut de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium papam, virum venerabilem, perculit, et sine mora exstinxit. Deinde pastore interempto, sese per populum extendit. In hac tanta rei tribulatione beatus

C tus Gregorius, qui tunc levita erat, a cunctis generaliter papa electus est, qui dum septiformem litaniam fieri ordinasset, intra unius horæ spatium, dum hi Dominum deprecarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes, spiritum exhalarunt. Septiformis autem litania ideo dicta est, quia omnis urbis populus a beato Gregorio in septem partibus deprecaturus Dominum est divisus. In primo namque choro fuit omnis clerus; in secundo omnes abbates cum monachis suis; in tertio omnes abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes laici; in sexto universæ viduæ; in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia jam ante aliquot annos ejus Vitam, Deo auxiliante, texuimus. In

D ea quæ dicenda erant, juxta nostræ tenuitatis vires, universa descripsimus. Hoc tempore idem beatus Gregorius, Augustinum, et Mellitum, et Joannem, cum aliis pluribus monachis timentibus Deum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertit. His diebus defuncto Helia Aquilegiensi patriarcha, postquam quindecim annis sacerdotium gesserat, Severus huic succedens regendam suscepit ecclesiam. Quem Smaragdus patricius veniens de Ravenna in Gradus, per semetipsum ex basilica extrahens, Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus ex Istria episcopis, id est Joanne Parentino, et Severo, atque Vindemio, nec non etiam Antonio jam sene Ecclesiæ defensore. Quibus comminans exsilia, atque violentiam inferens, commu-

Digitized by Google

nicare compulit Joanni Ravennati episcopo trium capitulorum damnatori, quia tempore papæ Vigilii, vel Pelagii, a Romanæ Ecclesiæ desciverat societate. Exempto vero anno, a Ravenna ad Gradus reversi sunt, quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri episcopi eos receperunt. Smaragdus patricius a dæmonio non injuste correptus, successorem Romanum patriciatus accipiens, Constantinopolim remeavit. Post hæc facta est synodus decem episcoporum in Mariano, ubi receperunt Severum patriarcham Aquilegiensem, dantem libellum erroris sui, quia trium capitulorum damnatoribus communicavit Ravennæ. Nomina vero Episcoporum qui se ab hoc schismate cohibuerunt hæc sunt: Petrus de Altino clarissimus, Ingemutius de Sabione, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Horontius Vicentinus, Rusticus de Travisio, Fonteius Feltrinus, Angellus de Altillo, Laurentius Belliniensis, Maxentius Juliensis, et Adrianus Polensis. Cum patriarcha autem communicaverunt isti episcopi: Severus, Parentinus, Johannes patricius, Vindemius, et Joannes. Igitur Mauricius Augustus postquam uno et viginti annis rexit imperium cum filiis Theodosio, et Tiberio, et Constantino, a Focace, qui fuit strator Prisii patricii, occiditur. Fuit autem utilis reipublic.; nam sæpe contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui et Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt. His diebus defuncto Severo patriarcha, ordinatur in loco ejus Joannes abbas patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu regis, et Ghisulfi ducis. In Gradus quoque ordinatus est Romanis Candidianus antistes. Rursus mense Novembrio et Decembrio, stella cometes apparuit. Candidiano vero defuncto, apud Gradus ordinatur patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius notariorum ab episcopis qui erant sub Romanis; et ex illo tempore cœperunt duo esse patriarchæ.

Focas igitur, ut præmissum est, exstincto Mauricio ejusque filiis, Romanorum regnum invadens, per octo annorum curricula principatus est. Hic rogante papa Bonifacio statuit sedem Romanæ Ecclesiæ ut caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Idem alio papa Bonifacio petente jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, et omnium sanctorum martyrum fieri, ut ubi quondam, non deorum, sed dæmoniorum cultus habebatur, vel agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Hujus tempore Prasini et Veneti per Orientem et Ægyptum civile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Persæ quoque adversus rempublicam gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias, et ipsam Jerosolymam auferunt; et destruentes ecclesias, sancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum sanctorum, vel communium, etiam vexillum dominicæ crucis abducunt.

Contra hunc Focacem Eraclianus, qui Africam regebat, rebellavit, atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque privavit: remque publicam Romanam Heraclius ejusdem filius regendam suscepit.

His diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim, Heracleoneus ejus filius cum matre Martina regni jura suscepit, rexitque imperium duobus annis.

Quo mortuo, successit in loco ejus Constantinus germanus ejusdem filius Heraclii, imperavitque mensibus sex.

Hoc etiam mortuo, Constantinus ejusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis octo et viginti. Circa hæc tempora regis Persarum conjux nomine Cæsara, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus, privato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab imperatore honorifice suscepta, post aliquot dies, ut desiderabat, baptismum consecuta est, et ab Augusta de sacro fonte levata est. Quod vir ejus Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus eidem suam uxorem redderet, qui ad imperatorem venientes, verba regis Persarum nuntiant, qui requirebat suam reginam. Imperator hoc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum dedit dicens: De regina quam quæritis fatemur nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier privato habitu advenit. Legati vero responderunt dicentes: Si placet vestro conspectui, velimus hanc, quam dicitis, mulierem videre. Quæ cum jussu imperatoris advenisset, mox ut eam legati conspiciunt, ad ejus vestigia provolvuntur, eique venerabiliter ea quæ vir suus requireret suggerunt. Quibus illa respondit: Ite, renuntiate regi vestro et domino, quia nisi sicut ego jam credidi, ita ipse et in Christum crediderit, me jam ultra consortem tori habere non poterit. Quid multa? Reversi legati ad patriam universa quæ audierant regi renuntiant. Qui nihil moratus, cum sexaginta millibus viris Constantinopolim pacifice ad imperatorem venit, a quo gratanter et satis digne susceptus est. Qui cum universis Christum Dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis unda perfusus, et ab Augusto de fonte levatus, catholica fide confirmatus est, multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua conjuge, lætus et gaudens ad suam patriam repedavit. His diebus Constantinus, qui et Constans est appellatus, Italiam a Longobardorum manu eruere cupiens, Constantinopolim egressus, per littora iter habens, Athenas venit, indeque mare transgressus, Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quemdam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, adit, studiose ab eo sciscitans utrum gentem Longobardorum, quæ in Italia habitabat, superare et obtinere posset. A quo cum servus Dei spatium unius noctis expetisset, ut pro hoc ipso Dominum supplicaret, facto mane ita eidem Augusto respondit: Gens Longobardorum superari modo ab aliquo non potest, quia regina quædam ex alia provincia veniens basilicam beati

Digitized by Google

A Joannis Baptistæ in Longobardorum finibus construxit, et propter hoc ipse beatus Joannes pro Longobardorum gente intercedit. Veniet autem tempus quando ipsum oraculum habebitur despectui, et tunc gens ipsa peribit. Quod nos factum ita esse probavimus, quia ante Longobardorum perditionem eamdem beati Joannis basilicam, quæ utique in loco qui Modicia dicitur est constituta, per viles personas ordinari conspeximus, ita ut indignis et adulteris, non pro vitæ merito, sed præmiorum datione, largiretur. Igitur cum, ut diximus, Constans Augustus Tarentum venisset, egressus exinde, Beneventanorum fines invasit, omnesque pene per quas venerat Longobardorum civitates cepit. Luceriam quoque opulentam Apuliæ civitatem expugnatam fortius in- B vadens diruit, et ad solum usque prostravit. Agerentiam sane, propter munitissimam loci positionem, capere minime potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit, et eam vehementer pugnare cœpit, ubi Grimoaldi filius adhuc juvenculus ducatum tenebat. Qui statim ut imperatoris adventum cognovit, nutricium suum, nomine Gesualdum, ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obsecrans eum ut quantocius veniret, filioque suo, ac Beneventanis, quos ipse nutrierat, potenter succurreret, quod Grimoaldus rex audiens, statim cum exercitu filio laturus auxilium Beneventum pergere cœpit. Quem plures ex Longobardis in itinere relinquentes, quia exspoliasset palatium, et jam non reversurus C repeteret Beneventum, diversis machinis vehementer expugnabat, e contra Romoaldus cum Longobardis fortiter resistebat. Qui quamvis cum tanta multitudine congredi manum propter paucitatem exercitus non auderet, frequenter tamen cum expeditis juvenibus hostium castra irrumpens, magnas eisdem inferebat undique clades. Cumque Grimoaldus ejus pater jam properaret, eumdem nutricium ejus, de quo præmisimus, ad filium misit, qui ei suum adventum nuntiaret. Qui cum prope Beneventum venisset, a Græcis captus, imperatori delatus est. Qui ab eo unde adveniret requirens, ille se a Grimoaldo rege venire dixit, eumdemque regem citius adventare nuntiavit. Statimque imperator exterritus consilium cum suis iniit, quatenus cum Romoaldo paci- D sceretur, ut Neapolim posset reverti, acceptaque obside Romoaldi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit. Ejus vero nutritium Jesualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romoaldo aut civibus de Grimoaldi adventu nuntiaret, sed potius asseveraret eumdem venire minime posse. Quod ille ita se facturum, ut ei præcipiebatur, promisit; sed cum prope muros advenisset, velle se Romoaldum videre dixit: quo cum Romoaldus citius advenisset, sic eum allocutus est: Constans esto, domine Romoalde, et habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi præbiturus auxilium aderit. Nam scias eum ista nocte juxta Satricum fluvium cum valido exercitu manere, tantum obsecro ut misericordiam exhibeas cum mea uxore et filiis, quia gens ista perfida me vivere non sinet. Cumque hoc dixisset, jussu imperatoris caput ejus abscissum, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem projectum est. Quod caput Romoaldus sibi jussit deferri, idque lacrymans osculatus est, dignoque in loco tumulari præcepit. Metuens subito Grimoaldi regis adventum imperator, dimissa Beneventi obsidione, Neapolim proficiscitur. Cujus tamen exercitum Micola Capuanus comes juxta fluenta Caloris fluminis, in loco qui usque hodie Pugna dicitur vehementer attrivit. Postquam vero imperator Neapolim pervenit, unus ex ejus optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Augusto, ut fertur, viginti millia militum expetiit, seque cum Romoaldo pugnaturum victoremque spopondit. Qui cum accepto exercitu ad locum cui Forinus nomen est advenisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus, qui jam Beneventum advenerat, hæc audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius Romoaldus: Non est opus, inquit, sed tantum partem nobis de exercitu vestro tribuite. Ego Deo favente cum eo pugnabo, et cum vicero major utique gloria vestræ potentiæ ascribetur. Factumque est, accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur. Qui prius quam bellum cum eo iniret, a quatuor partibus tubas insonare præcepit. Cumque utræque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de regis exercitu, nomine Amangus, qui regium contum ferre erat solitus, quemdam Græculum eodem conto utrisque manibus fortiter percutiens, de sella super quam equitabat sustulit, eumque in aera super caput suum levavit. Quod cernens Græcorum exercitus, immenso pavore perterritus, in fugam convertitur, ultimaque pernicie cæsus, sibi fugiens mortem, Romoaldo et Longobardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se imperatori suæ victoriæ tropæum de Longobardis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans ignominiam deportavit. Romoaldus vero, patrata de inimicis victoria, Beneventum triumphans reversus est, patrique gaudium et cunctis securitatem, sublato hostium timore, convexit. At vero Constans Augustus, cum nihil contra se Longobardos gessisse conspiceret, omnes sævitiæ suæ minas contra suos, hoc est Romanos, retorsit. Nam egressus Neapoli, Romam perrexit. Cui sexto ab urbe milliario Vitalianus papa cum sacerdotibus et Romano populo occurrit. Qui Augustus, cum ad beati Petri limina pervenisset, obtulit ibi pallium auro textum, et manens apud Romam diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus instructa ex ære in ornamentum civitatis deposuit, in tantum ut etiam basilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, et condita fuerat in honorem omnium deorum, et jam ibi per concessionem superiorum principum locus erat omnium martyrum, discooperiret, tegulasque æreas exinde auferret, easque simul cum aliis omnibus ornamentis Constantinopolim transmitteret. Deinde reversus imperator Neapolim, itinere terreno perrexit

Digitized by Google

in civitatem Regium, ingressusque Siciliam per indictionem septimam, habitavit Syracusas, et tales afflictiones in suo populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ exercuit, quales antea nunquam auditæ sunt, ita etiam ut uxores a maritis, vel filii a parentibus separarentur. Sed talia multa et inaudita harum regionum populi sunt perpessi, ita ut alicui spes vitæ non remaneret. Nam et vasa sacra, et cimelia sanctarum Dei ecclesiarum, imperiali jussu et Græcorum avaritia sublata sunt. Mansit autem in Sicilia ab indictione septima usque in duodecimam; sed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit, atque dum se in balneo lavaret, a suis extinctus est. Interfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, Mezentius in Sicilia regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ milites, alii per Istriam, alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ et Sardiniæ venientes in Syracusas, eum vita privaverunt. Multique ex judicibus ejus truncati, Constantinopolim perducti sunt, cum quibus pariter et falsi imperatoris caput est deportatum.

Hæc audiens gens Saracenorum, quæ jam Alexandriam et Ægyptum pervaserat, subito cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra et juga confugerunt montium. Auferentes quoque prædam nimiam, et omnem illum quem Constans Augustus a Roma abstulerat ornatum in ære et diversis speciebus, sicque Alexandriam reversi sunt. Porro regis filia, quam de Benevento obsidis nomine sublatam diximus, Siciliam veniens diem clausit extremum.

Igitur exstincto, ut diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque, qui ei successerat, Mezentio tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantii Augusti filius suscepit regendum, Romanisque principatus est annis decem et septem. Constantii sane temporibus Theodorus archiepiscopus et Adrianus abbas vir doctissimus a Vitaliano papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. E quibus Theodorus archiepiscopus peccantium judicia, quantis scilicet pro uno quoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili et discreta consideratione descripsit. Dum hæc geruntur, hæresis apud Constantinopolim orta est, quæ unam in Domino nostro Jesu Christo voluntatem et operationem asseverabat. Hanc autem hæresim excitarunt Georgius patriarcha Constantinopolitanus, Macarius, Pyrrhus, Paulus et Petrus. Quam ob causam Constantinus Augustus centum quinquaginta episcopos congregari fecit: inter quos etiam fuerunt legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, missi ab Agathone papa, Joannes Diaconus, et Joannes Portuensis episcopus, qui omnes eamdem hæresim damnaverunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, ac per hoc significatum est quod sordes hæreticæ pravitatis depulsæ sunt. Et Georgius quidem patriarcha correptus est, cæteri vero in sua defensione perseverantes anathematis sunt ultione perculsi. Eo tempore Damianus Tyeniensis Ecclesiæ episcopus, sub nomine Mansueti Mediolanensis archiepiscopi, ea de causa satis utilem rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo non mediocre suffragium tulit. Recta autem et vera fides est, ut sicut in Domino nostro Jesu Christo duæ sunt naturæ, hoc est, Dei et hominis, sic etiam duæ traduntur esse voluntates, sive operationes. Vis audire quid deitatis est? *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus*. Vis audire quid humanitatis? *Pater major me est.* Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem; cerne ejus divinitatem, evangelista ait: *Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Hæc est sexta synodus universalis, Constantinopoli celebrata, et Græco sermone conscripta, temporibus papæ Agathonis, et sequente ac residente Constantino principe intra septa palatii sui. Dehinc apud Constantinopolim imp. moritur Constantinus, et ejus minor filius Justinianus Romanorum regnum suscepit, cujus per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam a Saracenis abstulit, et cum eisdem pacem terra marique fecit. Hic Sergium pontificem, quia in errore illius synodi quam Constantinopoli fecerat favere et subscribere noluit, misso Zacharia protospatario suo jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ vicinarumque partium, jussa principum nefanda contemnens, eumdem Zachariam cum contumeliis ab urbe Roma et injuriis pepulit.

Contra hunc Justinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum regno privavit; regnumque Romanorum tribus annis regens, Justinianum exsulem in Ponto servavit.

Rursumque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum ejus invasit, eum quoque toto quo ipse regnavit tempore, in eadem civitate in custodia tenuit. Hoc tempore synodus Aquilegiæ facta ob imperitiam fidei quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit. Facta autem est hæc synodus Constantinopoli, temporibus papæ Julii, sub Justiniano principe contra Theodorum, et omnes hæreticos, qui beatam Mariam solum hominem, non Deum et hominem genuisse affirmabant. In qua synodo catholice est institutum ut beata Maria semper virgo Theotocos diceretur, quia, sicut catholica fides habet, non hominem solum, sed vere Deum et hominem genuit. Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum, Anschis Arnulfi filius, qui, de nomine Anchisæ, quondam Trojani, creditur appellatus, sub nomine majoris domus gerebat principatum. At vero Justinianus, qui amisso principatu in Ponto exsulabat, auxilio Terbelli Burgarorum regis, regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant patricios occidit. Leonem quoque et Tiberium, qui locum

Digitized by Google

ejus usurpaverant, cepit, et in medio circo coram omni populo jugulari præcepit. Callicinum vero patriarcham Constantinopolitanum, erutis oculis, Romam misit, Cyrumque abbatem, qui eum in Ponto exsulem aluerat, episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum papam ad se venire jubens, honorifice suscepit, ac remisit. Quem prostratus in terram pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta ejus Ecclesiæ privilegia renovavit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum idem venerabilis papa prohibuit ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit. Exercitus quoque qui missus contra Philippicum fuerat ad partem se Philippici contulit, eumque imperatorem fecit. Qui Constantinopolim contra Justinianum veniens, cum eo ab urbe milliario duodecimo pugnavit, vicit et occidit, regnumque ejus adeptus est. Imperavit autem Justinianus cum filio Tiberio in hac secunda vice, annos sex, quem Leo in expulsione illius naribus detruncavit. Qui post, iterum assumpto imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu detersit, pene toties aliquos ex iis qui contra eum fuerant jugulari præcepit.

At vero Philippicus, qui et Bardanis, postquam imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de Pontificatu ejectum, ad gubernandum monasterium suum, Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino papæ litteras pravi dogmatis direxit, quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit, et hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum synodorum universalium retinent. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, Philippicus jusserat auferri. Statuit populus ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidis susciperent; unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec nomen ad Missarum solemnia prolatum. Hic cum annum unum et sex mensibus regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui et Artemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit.

Hic Anastasius litteras Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium et exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei, et sanctæ sextæ synodi, vel concilii, prædicatorem esse declaravit. Hoc tempore Anastasius imperator classem in Alexandriam contra Saracenos direxit, cujus exercitus ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam urbem regressus, Theodosium Orthodoxum inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in solio imperii confirmavit. Qui Theodosius apud Nicæam civitatem Anastasium gravi prælio vicit; datoque sibi sacramento eum clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari.

Ipse vero, ut regnum accepit, mox in regia urbe imaginem illam venerandam, in qua sancta synodus erat depicta, et a Philippico fuerat dejecta, pristinum in locum erexit. His diebus Tiberis fluvius ita inundavit, ut alveum suum egressus multa Romanæ fecerit exitia civitati, ita ut in via lata ad unam et semis staturam excresceret, atque a porta sancti Petri usque ad pontem Milvium aquæ descendentes contingerent. Mansit autem diebus septem, donec agentibus litaniis crebras civibus, octavo demum die reversæ sunt.

Inter hæc defuncto imperatore Theodosio, qui uno solummodo imperium rexerat anno, ejus in locum Leo Augustus subrogatur. Hoc etiam tempore eadem Saracenorum gens cum immenso exercitu veniens Constantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obsedit, donec civibus multa justitia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame et frigore, bello et pestilentia, perirent, ac sic pertæsi obsidionis abscederent, qui inde egressi Bulgarorum gentem, quæ est super Danubium, bello aggrediuntur, et ab hac quoque victi ad suas naves refugiunt, quod cum altum peterent, ingruente subito tempestate, plurimis et mersis sive contritis navibus perierunt. Intra Constantinopolim vero, trecenta millia pestilentia interierunt. Hac tempestate Leo imperator apud Constantinopolim sanctorum imagines depositas incendit. Romano quoque pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandavit. Sed hoc facere pontifex contempsit. Omnis quoque Ravennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus jussis uno animo restiterunt, et nisi eos prohibuisset pontifex, imperatorem super se constituere aggressi [a] sunt. Eo tempore Longobardorum rex Luitprandus Ravennam obsedit, classem invasit, atque [b] struxit. Tunc patricius Paulus extra Ravennam misit qui pontificem interimerent. Sed Longobardis pro defensione pontificis repugnantibus, Spoletanis in solatio positis, et ex aliis partibus Longobardis Tuscis resistentibus, consilium Ravennatium dissipatum est. Rursus cum Ravennam Hildebrandus regis nepos et Peredeo Vincentinus dux obtinerent, irruentibus subito, Peredeo viriliter pugnans occubuit. Per idem tempus Leo Augustus ad pejora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi quam blanditiis, ut deponerent ubicunque haberentur imagines, tam Salvatoris quam sanctæ ejus Genitricis, vel omnium sanctorum, easque in medio civitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique ex populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alii corporis parte multati sunt. Cujus errori Germanus patriarcha non consentiens, a propria sede depulsus est, et ejus in loco Anastasius presbyter ordinatus est.

[a] Legendum *essent*.

[b] Legendum *destruxit*.

# PAULI WINFRIDI DIACONI

## OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA. — ASCETICA.

# HOMILIARIUS

HOC EST PRÆSTANTISSIMORUM ECCLESIÆ PATRUM SERMONES SIVE CONCIONES AD POPULUM, PRIMUM A PAULO DIACONO JUSSU CAROLI MAGNI IN UNUM COLLECTI *.

## Carolus

DEI FRETUS AUXILIO REX FRANCORUM ET LANGOBARDORUM AC PATRICIUS ROMANORUM,

RELIGIOSIS LECTORIBUS NOSTRÆ DITIONI SUBJECTIS.

Cum nos divina semper domi forisque clementia, sive in bellorum eventibus, sive pacis tranquillitate custodiat; etsi rependere quidquam ejus beneficiis tenuitas humana non prævalet, quia est inæstimabilis misericordiæ Deus noster, devotas suæ servituti benigne approbat voluntates. Igitur quia curæ nobis est ut nostrarum ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene majorum nostrorum desidia, reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, et ad pernoscenda studia liberalium artium, nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos Veteris ac Novi Instrumenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus. Accensi præterea memoriæ venerandæ Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum ecclesias Romanæ traditionis, suo studio, cantibus decoravit, nos nihilominus solerti easdem curamus intuitu præcipuarum insignire serie lectionum. Denique qui ad nocturnale officium copulatas quorumdam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones, quippe quæ et sine auctorum suorum vocabulis essent positæ, et infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi nostris in diebus, in divinis lectionibus, inter sacra officia, inconsonantes perstrepere solœcismos, atque earumdem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus, idque opus Paulo Diacono familiari clientulo nostro elimandum injunximus: scilicet, ut studiose catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti e latissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, et in unum, quæque essent utilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ celsitudini devote parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum catholicorum Patrum perlegens, et optima quæque decerpens, in duobus voluminibus, per totius anni circulum, congruentes cuique festivitati, distincte et absque vitiis, nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestræque religioni in Christi ecclesiis tradimus ad legendum.

### PAULI DIACONI VERSUS NUNCUPATORII.

Utere felix Carole princeps,
Munere Christi Atque togate
Pluribus annis, Arbiter orbis,
Luxque decusque Dardanidæque
Magne tuorum, Gloria gentis.

## INCIPIUNT HOMILIÆ DE TEMPORE.

A

### HOMILIA PRIMA.

IN DOMINICA PRIMA ADVENTUS DOMINI.

(Ex Opp. beati Chrysostomi.)

*In illo tempore, cum appropinquasset Jesus Jerosolymam, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea*, etc. (*Matth.* XXI).

Puto res ipsa exigit, etc. *Sequentia vide apud sanctum Chrysostomum, Opp. in editione nostra, tomo VI, col.* 834.

### HOMILIA II.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Igitur quoniam post tempus spiritualibus epulis reficere nos debemus, videamus quid evangelica lectio prosequatur. Ait enim Dominus, sicut audivimus, de adventus sui tempore: *Sicut fulgur coruscans de sub cœlo* (*Luc.* XVII), in ea quæ sub cœlo sunt fulget, *ita erit adventus Filii hominis*. Et addidit in consequentibus: *In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et unus relinquetur. Duæ molentes in pi-*

B

* Recudimus juxta Coloniensem editionem Eucharii Cervicorni, ann. 1539.

Digitized by Google

strino, *unus assumetur, et unus relinquetur* (*Matth.* XXIV). Movet vos fortasse, fratres, etc. *Reliqua videsis inter Opera sancti Maximi, hujusce Patrologiæ tomo LVII, col.* 226.

### HOMILIA III.

IN DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi*, etc. (*Luc.* XXI).

Dominus ac Redemptor noster, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium papam, Opp. ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1077.

### HOMILIA IV.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Superiore Dominica capitulum evangelicum, etc. *Sequentia vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 227.

### HOMILIA V.

IN DOMINICA TERTIA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es*, etc. (*Matth.* XI).

Quærendum est nobis, fratres charissimi, etc. *Cætera videsis apud sanctum Gregorium papam, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1095.

### HOMILIA VI.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Qui sunt in illa nocte duo in lecto, etc. *Cætera vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 534.

### HOMILIA VII.

IN FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

(Ex Opp. venerabilis Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis, Maria*, etc. (*Luc.* I).

Exordium nostræ redemptionis, fratres charissimi, etc. *Sequentia vide apud venerabilem Bedam, Opp. ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 9.

### HOMILIA VIII.

DE EADEM FERIA.

(Ex Opp. sancti Leonis papæ.)

Cum de adventu regni Dei, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Leonem Magnum, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 185.

### HOMILIA IX.

IN FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

(Ex Opp. ven. Bedæ.)

*In illo tempore, exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth*, etc. (*Luc.* I).

Lectio sancti Evangelii quam audivimus, etc. *Reliqua videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V,*

A *Patrologiæ XCIV, col.* 15, *ubi hæc homilia inscribitur :* IN FESTO VISITATIONIS SANCTÆ MARIÆ.

### HOMILIA X.

DE EADEM FERIA.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

Præsidia, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem Magnum papam, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 182, *ubi sermo hic inscribitur :* DE JEJUNIO DECIMI MENSIS VII.

### HOMILIA XI.

IN SABBATO.

(Ex Opp. S. Gregorii papæ.)

*Anno 15 imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam*, etc. (*Luc.* III).

Redemptoris præcursor, etc. *Hanc homiliam vi-*
B *desis apud S. Gregorium, Opp. ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1160.

### HOMILIA XII.

DE EODEM SABBATO.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Si fideliter, dilectissimi, etc. *Hunc sermonem vide apud sanctum Leonem Magnum, Opp. ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 168, *ubi sic inscribitur :* DE JEJUNIO DECIMI MENSIS I.

### HOMILIA XIII.

IN DOMINICA QUARTA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas*, etc. (*Joan.* I).

Ex hujus nobis lectionis verbo, etc. *Hanc homi-*
C *liam videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1099.

### HOMILIA XIV.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Lætitia quanta sit, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 221.

### HOMILIA XV.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Sanctam et desiderabilem, etc. *Hanc homiliam vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1975.

### HOMILIA XVI.

IN DOMINICA ANTE NATALEM CHRISTI.

(Ex ven. Bedæ in Marci Evangelium Expositione.)

D *Initium Evangelii Jesu Christi*, etc. (*Marc.* I).

Conferendum est hoc Evangelii Marci principium, etc. *Reliqua reperies apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 133.

### HOMILIA XVII.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

(Ex Origene.)

*In illo tempore cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, etc. (*Matth.* I).

*Cum desponsata esset mater ejus Maria Joseph.* Quæ fuerit necessitas ut desponsata esset Maria Joseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam virginem nulla penitus invenisset ?

Vel ideo fuerat desponsata Joseph, ut nato infanti, A vel ipsi Mariæ curam videretur gerere Joseph, sive in Ægyptum iens, vel inde denuo veniens : ideo desponsata fuit Joseph, non tamen in concupiscentia juncta. *Mater*, inquit, *ejus*. Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater ejus : cujus ejus? Mater Dei unigeniti, Domini et regis omnium, plasmatoris et creatoris cunctorum : illius qui in cœlis est sine matre, et in terris est sine patre; ipsius qui in cœlis secundum deitatem in sinu est Patris, et in terris, secundum corporis susceptionem, in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia! o inenarrabilis suavitas! o ineffabile magnumque sacramentum! Ipsa eademque virgo, ipsa et mater Domini, ipsa et genitrix, ipsa ejus ancilla, plasmatio ejus ipsa quæ genuit. Quis unquam ista audivit? quis vidit talia? B quis hoc excogitare potuit, ut mater virgo esset, et intacta generaret, quæ et virgo permansit et genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, et ignis eum non tangebat (*Exod.* III), et sicut tres pueri in camino inclusi habebantur, et tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis : vel quemadmodum fuit in Daniele, cui, intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est ei prandium ab Abacuc (*Dan.* III, VI, XV) : ita et hæc sancta virgo genuit Dominum, sed intacta permansit. Mater effecta est, sed virginitatem non amisit. Genuit infantem, et (ut dictum est) virgo permansit. Virgo ergo genuit, et virgo permansit. Mater filii facta est, et castitatis sigillum non perdidit. Quare? Quia non homo iste tantum qui videbatur, sed unigenitus erat Deus qui in C carnem advenerat. Nec subito carnaliter genitus est, sed perfecta deitas in corpore venit. Integer ergo iste et indivisus Deus in humano adveniens vel genitus est corpore, quique Deus et Dominus figuram servi suscepit. Non enim pars unigeniti venit in corpore, nec se ipse divisit, ut dimidius esset apud Patrem, et dimidius esset in Virgine, sed totus apud Patrem, et totus in Virgine, totus in sinu Patris et totus in humano corpore : non relinquens superna, venit quærere terrena, quæ in cœlis sunt conservans, et quæ in terris sunt salvans. Ubique omnipotens, inscissus, indivisus, hic sanctus unigenitus Deus. Si enim hoc verbum humanum et corporale immissum in auribus plurimorum, non dividitur per singulos, ut pars in D alio, et pars sit iterum in alio, sed in omnibus integrum et plenum habetur, ut in unoquoque totum sit, quanto magis Verbum Dei unigenitus ubique totus est, et in cœlo, et in terra, et apud Patrem, et in Virgine? Et non dividitur, ut dictum est, neque scinditur, neque in partes efficitur, sed totus totum tenet, totum implet, totum illustrat et possidet. Hujus itaque unigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, una unius, unica unici; nec enim alter unigenitus super terram venit, aut alia virgo unigenitum genuit. In his omnibus quæ dicta sunt, desponsata legitur mater ejus Maria. Et ait : *Inventa est in utero habens*. Cui inventa, aut a quo inventa est? Primo ab angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam, vel ejus beatissimam animam ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat. Dehinc inventa non incongrue putabatur ab ipso beato Joseph sancto et justo, qui pene licentia maritali, licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat. *Joseph autem vir ejus*, inquit, *cum esset homo justus, et nollet eam traducere*. Virum appellat contra Judæorum pravitatem, ut adversus virginem non sævirent : propterea et desponsata fuit ipsi Joseph, ut supra dictum est. Si enim non fuisset desponsata Joseph, omnium bonorum incredibiles et inimici Judæi lapidibus eam occidissent; ideo virum ejus hic eum evangelista appellavit. *Joseph vir ejus cum esset homo justus*. Justus autem in verbo, justus in facto, justus in legis consummatione, justus in initio gratiæ. Justus itaque cum fuisset, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam male diffamare, sed voluit eam occulte dimittere. Occulte eam a se dimittere volebat, sicut pius, sicut mansuetus, sicut misericors. Talis ergo cum esset Joseph, cogitabat eam occulte dimittere. *Hæc*, inquit, *illo cogitante*. Quærendum est nobis nunc quid cogitaverit, ut occulte eam dimitteret. Hæc cogitabat ut eam dimitteret. Si suspicionem in ea habebat, quomodo justus erat? Si ergo non est suspicatus, vel tale aliquid cogitavit, cur eam dimittere volebat? ut immaculatam et sanctam voluit dimittere. Injustum enim et hoc erat. Sed enim simplicem sensum audi hujus dictionis. Joseph justus erat, et illa Virgo immaculata erat. Sed ideo illam dimittere volebat quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare sese indignum æstimabat. Ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem, quærebat se longe facere, sicut et beatus Petrus Domino se humilians aiebat : *Recede a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* V). Vel sicut ille centurio ad eumdem Dominum mittens, dicebat : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, quia nec meipsum dignum existimavi ad te venire* (*Matth.* VIII). Vel sicut sancta Elisabeth ad ipsam beatam locuta est Mariam, dicens : *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (*Lucæ* I)? Sic et Joseph juste humilians sese in omnibus cavebat et timebat sibimet istius tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere; et idcirco volebat eam occulte dimittere : Dimittam eam, dicens, et a me longe faciam eam, et a cognitione mea. Major est enim ejus dignitas, superexcellit ejus sanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideo *volebat eam occulte dimittere. Hæc autem eo cogitante, angelus Domini* per visum *apparuit ei, dicens :* Quid dubitas, Joseph? quare imprudenter cogitas? quare irrationabiliter meditaris? Deus est enim qui generatur. Hujus generationis minister es et non largitor; servus, et non Dominus; mancipium, et non plasmator. Propterea ministra, serva, custodi, fer curam, intende et huic qui nascitur et huic quæ generat. Etenim si tibi uxor nominatur, si despon-

Digitized by Google

sata tibi esse dicitur, non tamen tibi uxor est, sed Dei unigeniti electa mater est. Propterea, *Joseph, fili David*, qui has promissiones accepit, cui ista fidelia data sunt testamenta; *Joseph, fili David*, non tantum secundum carnem, sed secundum spiritum; *Joseph, fili David:* si enim filius David, juste et hæres ejus tanquam filius patris. Ideo in hæreditatem accipe ea quæ illi promissa sunt, testamenta fidelia. *Joseph, fili David, ne timueris accipere Mariam conjugem tuam.* Ne timueris, ne trepidaveris, ne conturberis, sed securus et intrepidus, accipe eam secundum legis præceptum, uxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum consuetudinem et conjunctionem, longe alienam. Accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, ut Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut regis sponsi cœlestis domum immaculatam. Ita ergo, *Joseph, fili David*, ne timueris accipere eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam serva, fer curam, attende fugiens ab Herode, duc in Ægyptum, iterum remeans post Herodis mortem, deduc in terram Israel. *Ne timueris accipere Mariam conjugem tuam.* Conjugem audiens, non expavescas, nec conturberis, nec tu nec quisque sequentium usque in consummationem sæculi. Conjugem eam dico propterea ut diabolo virginitatem ejus occultem, et Judæorum pravitatem excludam atque dejiciam, ut legis instituta non destruam, et in sequentibus demonstrabo quod ista nec tua conjux secundum consuetudinem conjugii habeatur, nec iste qui generatur, tuus filius esse credatur. *Quod enim nascetur ex ea, de Spiritu sancto est*, quia scilicet cooperator hujus nativitatis Spiritus sanctus est: nam unigenitus Filius, qui ante sæcula ineffabiliter ex solo Patre natus est, jam sæculi appropinquante fine, ex voluntate Patris in humano corpore, sancto cooperante Spiritu, inter homines venit. Iste est de quo Scriptura prænuntiat, dicens: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis* (*Isai.* IX). Patris etenim unigenitus Filius ex Virgine generatus est, ut per illam Virginem priorem Evam quæ ceciderat, iterum renovaret atque erigeret: et qui per pravam voluntatem filii effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret Dei. *Pariet*, inquit, *filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Virgo generat, et tu hunc genitum vocabis Jesum, quod interpretatur salvator. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Vocabis, ait, nomen ejus hoc quod ante fuit, quod ante sæcula nominatum est. Non tu ei impones nomen, nec ex te ei vocabulum constitues, sed nomina et voca exsultando Jesum, id est, salvatorem. Salvatorem eum esse testare, nec ex tempore cœpisse salvare, sed etiam antiquissimum salvatorem. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Duo enim per hoc verbum præclara designantur, quod et Deus fuerit et Dominus prius ante incarnationem Christus, et quod populus ejus ab eo salvandus jam tunc annuntiabitur. Et ideo dictum est: *Ipse enim salvum*

A *faciet populum suum a peccatis eorum*, ut vere Deus. Dei enim est virtutis, a peccatis salvare vel peccata dimittere. Iste ergo Filius Dei habens populum suum, ipsum venit (ut dictum est) liberare a peccatis atque salvare, sive ex Judæis, sive ex gentibus, de quo ipse jam per prophetam fuerat elocutus, dicens: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II). *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Ipse salvabit populum suum a peccatis eorum*, sanguine videlicet suo cunctos redimens, morte sua de mortis eos liberans potestate. Ipse salvabit, hoc est, salvator omnium hominum fidelium atque credentium. *Hoc autem totum factum est.* Quod totum? Hoc de Unigeniti descensione, hoc de ista Domini incarnatione, B hoc de angeli ad Virginem destinatione, hoc de ipsius Virginis desponsatione, vel castitate. Hoc enim totum factum est ad totius mundi salutem: hoc totum factum est, ut unum compleretur, ut unum consummaretur. Quid illud? Quod virgo genuit, quod virgo permansit, quod mater fuit, et intacta virgo perseveravit. *Ecce virgo in utero* accipiet. Audite quod dicit, omnes filiæ Evæ: audite, omnes vos qui hæreditatem doloris et tristitiæ post illam et ex illius condemnatione sumpsistis; vos quæ in tristitia generatis filios, vel magis vos quæ concupiscentiam corruptibilem non timuistis. Audite et lætamini, audite et consolamini, audite quod virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens. Neque serpentis persuasione decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta est, C sed *virgo in utero* accipiet, prædicationem angeli suscipiens, prophetarum testimonia assumens. *Virgo in utero* accipiet, ut Deum dignanter incarnatum ad mundi pariat salutem. *Ecce*, inquit. Hoc ipsum quod dicit, *ecce*, admirantis est tanti mysterii magnitudinem, ut omnes velut e somno suscitans, ad hoc dictum evigilent. *Ecce virgo*, dicit, *in utero* accipiet, *et pariet Filium.* Ad colligandum illum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impii caput, ad conterendas vires ejus, ad prædam ejus diripiendam, atque captivitatem populi sui convertendam, *pariet filium*, ad denuo reparandum Adam, ad inobedientiam Evæ per Mariæ obedientiam excludendam, ad erigendum jacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat dejectum. *Et vocabunt* D *nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Vocant nomen prius angeli, psallentes in ejus generatione, sicut Deum omnium et regem pacis, ad homines venientem. Deinde apostoli, Unigeniti Dei dominationem atque virtutem omnibus gentibus prædicantes. Adhuc et sancti martyres, contra ignes et gladios usque in mortem resistentes. Deinde cuncti credentes, hoc ipsum nomen usque ad consummationem sæculi memorantes atque laudantes. *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Qui vocabunt, nisi justi, quorum vocabitur in terra nomen novum, non sicut prius in figuris et in imaginibus, sed facie ad faciem apparentem? *Nobiscum Deus.* Abrahæ patri cre-

Digitized by Google

dentium tribus horis temporis, licet non per ipsam ineffabilem deitatis substantiam, sed potius per angelicam speciem a meridie visus est (*Gen.* XVIII): nobis triginta tribus annis in terra apparuit, et cum hominibus conversari dignatus est. Jacob etiam per angelum nihilominus apparuit colluctans cum eo (*Gen.* XXXII), quique ab eo superari permisit ut hunc mundicordem merito benediceret, atque Israel nominaret. *Nobiscum Deus*, amplius magis pro nobis magnificum certamen adimplens, et usque ad mortem accedens, ut morte sua mortem occideret, et benedictionem ac immortalitatem mundo corde populo condonaret, qui fiducialiter dicit, *Nobiscum Deus* per evangelistarum et apostolorum prædicationem, per sui sancti corporis et sanguinis sacramentum, per gloriosæ crucis signaculum. Per ista ergo omnia *nobiscum Deus*, et ad nos atque in nobis, sicut ipse ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XVIII.

### IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio*, etc. (*Luc.* II).

Quia largiente Domino, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium Magnum, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1103.

## HOMILIA XIX.

### DE EADEM NOCTE AC EVANGELIO LUCÆ II.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

Audivimus, etc. *Hanc homiliam vide apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 334, *ubi inscribitur :* IN GALLI CANTU NATALIS DOMINI.

## HOMILIA XX.

### IN EADEM SANCTA NOCTE VEL AURORA.

(Ex eodem.)

*In illo tempore pastores loquebantur adinvicem : Transeamus usque Bethlehem*, etc. (*Luc.* II).

Nato in Bethlehem Domino Salvatore, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam. Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 34.

## HOMILIA XXI.

### IN DIE SANCTO.

(Ex eodem.)

*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I).

Quia temporalem, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 8.

## [a] HOMILIA XXII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex sancto Isidoro.)

Natalis Domini dies ea de causa a patribus votiva solemnitate institutus est, quia in eo Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex Virginis utero, qui erat in Patris imperio. Cujus susceptæ carnis causa hæc est. Postquam enim invidia diaboli, parens ille primus seductus vaniter cecidit, confestim exsul et perditus in omni genere suo radicem malitiæ et peccati traduxit, crescebatque in malum vehementius omne genus humanum, diffusis ubique sceleribus, et, quod est nequius, omnium cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, consuluit verbo, lege, prophetis, signis, plagis, prodigiis. Sed cum nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus unigenitum Filium suum ut carnem indueret, et hominibus appareret, et peccatores sanaret. Qui ideo in hominem venit, quia per semetipsum ab hominibus cognosci non potuit. Ut autem videretur, Verbum caro factum est, assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit divinitatem. Ita idem Deus, et idem homo, in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus est mortalis in nobis. Pro nobis enim manens quod erat, de nobis suscipiens quod non erat, ut liberaret quod fecerat. Hæc est ergo Dominicæ nativitatis magna solemnitas, hæc est diei hujus nova et gloriosa festivitas, adventus Dei factus ad homines. Itaque dies iste pro eo quod in eo Christus natus est, natalis dicitur. Quemque ideo observare per revolutum circulum anni festa solemnitate debemus, ut in memoriam revocetur quod natus est Christus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XXIII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

Salvator noster, etc. *Hanc homiliam reperies apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 190.

## HOMILIA XXIV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex eodem.)

Exsultemus in Domino, dilectissimi, etc. *Reliqua vide ut supra, tomo eodem, col.* 193.

## HOMILIA XXV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Justissime, Fratres, etc. *Hanc homiliam reperies inter Opera sancti Maximi Taurinensis, Patrologiæ tomo LVII, col.* 243.

## HOMILIA XXVI.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Salvator noster, etc. *Hanc homiliam vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1655.

## HOMILIA XXVII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex eodem.)

Gaudeamus, fratres, etc. *Quæ sequuntur videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 999.

[a] Hanc homiliam, ut perbrevem, hic integram sistimus. EDIT.

## HOMILIA XXVIII.

DE EODEM FESTO.

(Ex eodem.)

*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I).

Qui in principio erat, etc. *Hanc homiliam videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2176, *ubi inscribitur*, DE FIDE CATHOLICA.

## HOMILIA XXIX.

DE SANCTO STEPHANO.

(Ex beati Hieronymi in Evangelium Matthæi commentariorum libro IV.)

*In illo tempore dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris*, etc. (*Matth.* XXIII).

Hoc quod antea dixeramus, etc. *Sequentia vide apud sanctum Hieronymum, Operum ejus tomo VII, Patrologiæ XXVI, col.* 172.

## HOMILIA XXX.

DE EODEM FESTO.

(Ex Herico.)

*In illo tempore dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes*, etc. (*Matth.* XXIII).

Evangelicæ hujus lectionis intellectus superiori narrationi hærere videtur. Supra siquidem Redemptor noster scribas et pharisæos plurimis increpationibus objurgasse, atque inter cætera dixisse perhibetur: *Væ vobis, scribæ et pharisæi, qui ædificatis monumenta prophetarum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus in sanguine prophetarum socii eorum.* Atque post pauca: *Et vos*, inquit, *implete mensuram patrum vestrorum.* Quod est dicere: Quæ illi minus fecerunt, vos supplete. Illi occiderunt servos, vos Dominum crucifigetis: illi homines, vos Deum. Et quasi ad hæc illi possent objicere: Non habemus modo prophetas quos occidamus, adjungit: *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem.* Prophetæ hic apostoli appellantur, quia per donum Spiritus sancti futurorum habebant notitiam. Ipsi sunt sapientes corde, quia sermonem proferre noverunt in tempore opportuno. Ipsi scribæ, quia legem Dei scriptam habent per Spiritum sanctum in cordibus suis. Ex illis ergo occiderunt Jacobum fratrem Joannis, et ipsum Joannem Baptistam, lapidaverunt Stephanum, crucifixerunt Petrum, flagellaverunt duodecim apostolos, quando ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt hæc pro nomine Domini pati, et persecuti sunt eos de civitate in civitatem: ut non recepti ab eis, juste ad gentes migrarent. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter* A *templum et altare.* Requirendum cur sanguis omnium justorum, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, ab una Judæorum generatione requirendus prædicatur, cum neutrum eorum constet ab illis occisum. Et certe innumerabiles martyres tam in Veteri quam in Novo Testamento exstitisse legimus, quos illi non interfecerunt. Sed mos est Scripturarum duas tantum generationes, bonorum scilicet et malorum, texere: de bonorum siquidem generatione dictum est: *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* CXI). Et, *Hæc est generatio quærentium Dominum* (*Psal.* XXIII). At e contra de reprobis dicitur: *Genimina viperarum*, et, *generatio prava atque perversa* (*Matth.* XXIII). Universi ergo reprobi qui in malitia similes sunt, in una generatione computantur; et B omnes sancti e diverso qui se virtutibus imitantur, una generatio esse dicuntur. Quærendum rursus quis sit iste Zacharias qui occisus inter templum et altare memoratur. Et quidem alii justum Zachariam opinantur illum ipsum esse qui in ordine prophetarum undecimus ponitur. Sed licet in eo patris nomen consentiat, quia scilicet filius Barachiæ cognominatur, tamen quomodo inter templum et altare occisus sit non apparet, præsertim cum temporibus illius vix ruinæ templi substiterint. Alii hunc Zachariam patrem Joannis intellexerunt, asserentes quod propterea a Judæis occisus sit, quia adventum Salvatoris prænuntiaverit. Sed hunc nos Zachariam intelligimus sine dubio, quem Joas rex Judæ inter templum et altare interfecit, sicut in Regum historia scriptum C est: Et non est recordatus Joas, inquit, patris sui Joiadæ, sed interfecit filium ejus qui se eripuerat de morte, et in templo septem annis abscondite nutrierat (*II Paral.* XXXIV). Sed quæritur cur hic Barachiæ dicatur filius, cum in præfata historia filius Joaidæ asseratur. Quod ita solvitur: Barachias namque benedictus Domini dicitur; Joiada justitia interpretatur. Qui ergo justitia plenus est, benedictus Domini rectissime potest appellari. Unus ergo idemque homo juxta nominis interpretationem et Joiada et Barachias æque potest intelligi. Potuit etiam fieri ut ipse Barachias binomius fuerit, et sit altero nomine appellatus Joiada, sicut et Matthæus evangelista vocatus est Levi. Item quærendum cur dixerit, *a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ* a Judæis sanguinem prophetarum exquirendum. Cur enim *a* D *sanguine Abel* dixerit, mirum non est; cur vero *usque ad sanguinem Zachariæ*, quærendum est, cum multi post eum exstiterint martyres. Ad quod dicendum quod per hos duos, quorum alter in campo, alter occisus est in templo, duo ordines martyrum designantur. Per Abel quidem, qui in campo occiditur, laici; per Zachariam vero, qui in templo necatur, hi qui ex sacerdotali dignitate ad martyrii provecti sunt palmam, figurantur. Ideo autem hos duos tantum nominatim posuit, quia ambo innocentes, et nulla justa causa existente interfecti sunt, ambo sacerdotes, ambo pastores, ille ovium, iste animarum. Et sicut ille interfectus est a fratre suo in agro, ita et

Digitized by Google

iste a consobrino et collateraneo suo in templo. *Quem occidistis*, inquit, *inter templum et altare*. Duo erant altaria in templo, unum incensi interius, alterum holocaustorum exterius, inter quod et templum Zacharias est interemptus; vel *inter templum et altare*, id est, inter consensum populi et sacerdotum, quorum alii per templum, alii per altare signantur. Postremo, quid est quod in Evangelio vel Epistolis Abel speciali testimonio justitiæ honoratur? Profecto quia decebat illum ex privilegio quodam tanto cognomine decorari, qui tribus præclaris virtutibus typum Christi in se excellentissime prætulit. Fuit enim virgo, sacerdos et martyr. Inter tot et tam varias opiniones de Zacharia quinam fuerit, quoniam ad liquidum veritas historiæ scrutari non potest, recurrendum est ad allegoriam. Hic enim est unicus exitus earum rerum quæ in sancto Evangelio dicta tantum, non autem facta leguntur. Per Abel designantur omnes sancti qui fuerunt ab initio mundi usque ad passionem Christi et redemptionem humani generis, quod ipsa nominis interpretatio demonstrat. Interpretatur enim luctus, vapor, funiculus, vel funiculatio, significans sanctos passionem Domini præcedentes, qui considerantes se exsules, et a paradisi beatitudine dejectos, in luctu et mœstitia erant, et præsentem vitam tanquam fumidam et transitoriam contemnentes, ad sortem et funiculum supernæ hæreditatis quantocius properabant. Zacharias vero significat sanctos a passione Domini usque ad finem sæculi. Interpretatur enim Zacharias memoria Domini, sive memorans, vel recordans Domini, eosdem significans sanctos, qui, considerantes se sui Domini passione, redemptos, eum semper in memoria habere ac condignas gratiarum actiones illi agere student. Hic Zacharias occisus est inter templum et altare. Altare designat aram dominicæ crucis, in qua singularis ille Agnus pro salute humani generis Deo Patri oblatus est. Templum vero exprimit ingressum regni cœlestis, ad quod omnes sancti peracto judicio intraturi sunt. Inter templum ergo et altare passus esse dicitur, qui, ut dictum est, eos designat qui a tempore dominicæ passionis usque ad ingressum regni cœlestis, vel passi vel passuri sunt. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*. Quod nomen civitatis Jerusalem in cognominando replicat, id est repetit, non saxorum ruinam, sed populi perditionem deplangit. *Quæ occidis*, inquit, *prophetas*, ut Isaiam, quem serra lignea viventem per medium secuerunt, et Amos, quem similiter transmisso vecte per tempora nefandissime necaverunt; et cæteros quos diversis et pene innumerabilibus referuntur vexasse suppliciis. Et lapidas eos qui ad te missi sunt, ut Naboth justum virum et Jeremiam prophetam in Ægypto, sicut Epiphanius Cyprius testatur. *Quoties volui congregare filios tuos*, id est, sæpe volui, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Ponit gallinæ similitudinem, quæ circa pullos tanta affectione ducitur, ut pro eis ipsa quoque

A infirmetur, ipsa etiam raucitate vocis exprimente affectum magnæ compassionis. Qui ergo alibi Herodem vulpem vocat (*Luc.* XIII), recte se hic gallinæ similat. Ut enim vulpes gallinis vorandis juges prætendit insidias, sic Herodes Redemptoris nostri necem sitiens, perennibus odiis insectando infestabat. Cujus sævitia inde potissimum claret, quod cum Pilatus ad ejus judicium Christum Dominum misisset (*Luc.* XXIII), ille eum sprevit cum exercitu suo et illusit. Hoc etiam genus animantis cui se Redemptor comparat, quod in cæteris difficilius invenitur, alis suos pullos protegit, et contra milvum se erigit. Sic et mater nostra, id est Dei sapientia, quæ Christus est, per carnis susceptionem infirmata quodammodo pro nobis (sicut Apostolus ait : *Quod infirmum est*

B *Dei, fortius est hominibus* [*I Cor.* I]), protegit infirmitatem nostram, et resistit diabolo, ne nos in interitum rapiat. In qua tamen defensione quod gallina contra milvum conatur affectu, hoc adversum diabolum perficit potestate. Si autem gallina per significationem Deus intelligitur, duæ alæ ejus Moyses et Aaron qui eduxerunt populum de Ægypto, seu Zorobabel vel Esdras, et Neemias, ac Jesu filius Josedech duces, qui eduxerunt eos de Babylone, et sub quibus idem populus Israeliticus de diversis captivitatibus est liberatus vel congregatus. Quid autem est quod dicit : *Quoties volui, et noluisti?* Nunquid humana voluntas voluntati Dei prævalet, cum scriptum sit : *Omnia quæcunque voluit, fecit* (*Psal.* CXIII)? Ad hoc dicendum quod liberum arbitrium Deus ho-

C mini contulit, propter quod dicit, *noluisti*. Ac si diceret : Ex mea parte volui, sed tu ex tua noluisti. Aliter : Ego quidem volui, et quod volui, etiam te nolente, feci. Illa ergo filios quidem suos ab illo colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios ejus ipse collegit quos voluit. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Domum Judæorum, vel civitatem Hierusalem, quam juxta evangelistam nidum vocaverat, vel angustum in ea templum significat, quod primum quidem merito infidelitatis eorum a Deo desertum est, clamantibus angelicis potestatibus : Transeamus ab his sedibus. Deinde in vindictam crucis dominicæ Romanis vastantibus, et tanquam vacuum nidum diripientibus, cunctis suis hæreditatibus est destitutum. *Dico autem vobis, non me videbitis*

D *amodo donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hoc de futuro tempore propinquante ad judicium Domino dictum, quando ad prædicationem Eliæ et Enoch Judæi conversi ad fidem, Christum Domini benedictum non voce tantum, sed et operibus proclamabunt. Nam postquam hoc Dominus dixit, non legimus Judæos hujuscemodi confessionem in ejus laudem protulisse. Postea enim hoc dixit quo quando intravit in templum cum laudibus turbarum, dum hunc ipsum versiculum in laudem Christi (ut supra narratum est) decantarent. Habent igitur Judæi tempus pœnitentiæ sibi datum, ut si voluerint confiteri Christum Dei Patris Filium benedictum in nomine Domini, faciem illius intueri

Digitized by Google

mereantur, id est, potentiam divinitatis ejus intellectualibus oculis conspicere, et æqualem Patri credere. Tunc autem benedictum illum in nomine Patris proclamabunt, cum prædicatione Eliæ et Enoch percepta (ut dictum est) fidem ejus recipient et gloriam prædicabunt, impleto Apostoli vaticinio : Quia *cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI). His de lectione evangelica prout posse fuit, præmissis, noverimus, quia beati Stephani primi martyris festivitati quam colimus, non solum venerationem debemus, sed et imitationem. Hunc enim primum Dominus Jesus post suam passionem pro se pati voluit, cujus dilectionem etiam circa inimicos invictam, nobis omnibus imitabilem sanxit. Sed hunc cur primum martyrem vocamus, ante quem millia parvulorum passa fuisse pro Redemptore novimus? Merito certe in Novo Testamento primus martyr dicitur, quia primus omnium post Domini prædicationem, passionem ac resurrectionem, per effusionem sanguinis meruit palmam consequi supernæ retributionis, atque ad coronam suo et nomini et labori dedicatam pertingere, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XXXI.

### IN NATALI SANCTI STEPHANI.

(Ex Opp. beati Fulgentii.)

Heri celebravimus temporalem sempiterni regis natalem, etc. *Reliqua videsis inter Opera sancti Fulgentii, Patrologiæ tomo LXV, col.* 729.

## HOMILIA XXXII.

### DE EODEM SANCTO STEPHANO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Lectio Actuum apostolorum, etc. *Hanc homiliam videsis inter Opera beati Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 379.

## HOMILIA XXXIII.

### IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Fratres charissimi, celebravimus hesterna die natalem quo Rex martyrum, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2145.

## HOMILIA XXXIV.

### DE MIRACULIS SANCTI STEPHANI.

(Ex sancto Augustino, libro XXII de Civitate Dei, cap. 8, num. 10.)

Ad Aquas Tibilitanas, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo VII Patrologiæ XLI, col.* 766.

## HOMILIA XXXV

### DE SANCTO JOANNE APOSTOLO ET EVANGELISTA.

(Ex sancti Augustini in Joannis Evangelium Tractatu, tract. 124, in cap. XXI, num. 1.)

*In illo tempore dixit Jesus Petro : Sequere me. Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem*, etc. (*Joan.* XXI.)

Non parva quæstio est, etc. *Reliqua vide apud*
A *sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1969.

## HOMILIA XXXVI.

### IN DIE NATALI EJUSDEM SANCTI JOANNIS.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore dixit Jesus Petro : Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te* (*Joan.* XXI)?

Lectio sancti Evangelii, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 44

## HOMILIA XXXVII.

### DE INNOCENTIBUS.

(Ex Opp. venerabilis Bedæ presbyteri.)

B *In illo tempore, angelus Domini apparuit Joseph in somnis, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*, etc. (*Matth.* II).

De morte pretiosa martyrum Christi Innocentium, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 50.

## HOMILIA XXXVIII.

### IN FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM.

(Ex sancto Severiano.)

Zelus quo tendat, quo prosiliat livor, invidia quo feratur, Herodiana hodie patefecit immanitas. Quæ dum temporalis regni æmulatur angustias, æterni regis ortum molitur exstinguere. *Tunc Herodes*, inquit, *videns quia illusus est a magis*, misit ad
C Bethlehem, et *occidit omnes pueros qui erant in* ea, *et in omnibus finibus ejus*. Videns quia illusus est. Dolet impietas se esse illusam, dilatans se crudelitas furit. Fremit dolositas se deceptam, et in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum quem tetendit, hinc iniquitatem quam considerat, evaginat. De fide perfidiæ sumit arma, terreno quærit furore, quem natum cœlitus non credit. Ad sinus matrum militum cogit castra, inter ubera arcem pietatis oppugnat. In teneris uberibus ferrum durat, lac fundit antequam sanguinem, dat ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic agit magister mali, minister doli, iræ artifex, inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, suis
D pejor, pessimus sibi, quem Christus non ut evaderet, sed ne videretur, aufugit. In altum tendens, cadit ab alto. Cœlum pulsans, intrat profundum, et in se vadit cum vadit in Deum. Se occidit, qui vitam conatur occidere : quia capere non potest perditionem salus, occisionem vita, æternitas finem. O ambitio quam cæca semper! o quam præsumptio pessima! o quam perdit concessa, qui inconcessa captat! Herodes obsidens terrenum regnum, impugnat cœleste. Terrenis inhians, irruit in divina, ipsamque pietatem insectatur. Audierat natum regem : destinatus ad scelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiæ non requirit, jus abnegat, confundit fasque nefasque. Cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas est semper amica, qui

Digitized by Google

cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus sævit, cui de timore stat totum, de amore nihil constat. Herodes tunc cæcus sic Christum gladiis quærit, investigat cruore, crudelitate rimatur: successorem timens, incessit in auctorem. Premit innocentes, volens innocentiam deperire, innocentis causam facit nocentium crimen. Munus nati natorum vertit in pœnam. Auctoris ortum orientium mandat occasum. Negotium salvantis salvandorum jubet esse discrimen. Quorum lingua tacuit, oculi nihil viderunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerunt, et quibus actus nullus est, unde culpæ sumpserunt mortem, qui vivere nescierunt? Quibus apud Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen. Quid? Christus futurorum præscius, conscius secretorum, cogitationum judex, mentium perscrutator, quare deseruit quos sciebat quærendos esse propter se, et propter se noverat occidendos? Natus Rex, et Rex cœlestis, quare neglexit milites innocentiæ suæ? Coætaneum sibi quare contempsit exercitum? Quare cunabulis suis deputatas excubias sic reliquit, ut regem solum quæsiturus hostis, totum grassaretur in militem? Fratres, Christus non despexit suos milites, sed provexit, quibus ante dedit triumphare quam vivere, quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris quos voluit virtutibus vitia præterire, ante cœlum possidere quam terram. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit. Recepit suas acies, non reliquit. Beati quos natos martyrio videmus esse, non sæculo. Beati qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt, quia vere vivunt, qui pro Christo merentur occidi. Beati ventres qui portaverunt tales. Beata ubera quæ se talibus infuderunt. Beatæ lacrymæ quæ pro talibus fusæ fletibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diverso modo, dono uno, in lacrymis suis martyres suo sanguine baptizantur, in martyrio filiorum matres passæ sunt. Nam gladius filiorum pertransiens membra, ad matrum corda devenit, et ideo necesse est ut sint præmii consortes, quæ fuerunt sociæ passionis. Arridebat parvulus occisori, gladio advocabatur infantulus. Nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorem, nescia ætas lucis moritura gaudebat, infans filius omnem hominem non hostem respicit, sed parentem. Matres, matres tulerunt quidquid angoris exstitit et doloris, et ideo non carebunt martyrum gaudio, martyrii lacrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat ut intelligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam. In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit et ipsa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nihil nobis. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere vitia, tormenta expendere, lassare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non virtutis humanæ, sed muneris est divini.

A

## HOMILIA XXXIX.

### IN NATALI INNOCENTIUM.

(Ex beato Chrysostomo.)

Dedicatur novus ab infantibus sermo sanctis laudibus Christi. In gloriam Domini primam vocem aperiunt innocentes. Fiunt diserti laude, qui fuerunt imperiti sermone. Offerunt Domino primitias linguæ, novos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim, quæ per ætatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non norant. Fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone. Ostendunt laudibus Christum, suffragiis prædicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditore. Agnoscunt Christum, B prædicant Dominum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem Divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana cum divina tractantur, quia humana ipsa prodesse non poterunt, nisi divinorum solatio sublevetur. Necesse est enim terrena succumbere, cum cœlestia prædicantur; naturalia silere, cum virtutes loquuntur. Erigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non noverat crimen. Dignus a dignis laudatur, et innocens innocentium testimonio prædicatur. Accipiunt enim a Christo et reddunt: consequuntur et referunt. Uno enim tempore et qui dederat recipit, et qui acceperat reddit; uno inquam tempore sua Christo redduntur, dum ejus laudes illi ab infantibus referuntur. C Diximus de laude infantium, quod de lactentium laudibus, proferemus? quorum laudem invenire non possumus, nisi eos ipsos qui laudaverint noverimus. Qui sint, ubi sint, quam laudem intulerint, quæro, qui loqui non norant. Neque enim ætas illa poterat posse quod natura non dederat, aut celebrari a talibus poterat, quod institutio denegabat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes, loquuntur sanguine quod lingua non possunt. Passione canunt quod sermone non norunt, occisi prædicant quod vivi non poterant. Nec novum quid dicitur, ut innocens sanguis aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cum Abel sanguis clamet ad cœlum, aut occisorum animæ ab altari vociferentur ad Deum. Contulit martyrium laudem, quibus D negaverat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit sanguine loqui, quibus lingua loqui non licuit. Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Sed enim occisis innocentibus istis, impleta sunt prophetiæ verba dicentis: *Vox in Rama audita est fletus et plorationis, Rachelis flentis filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (*Matth.* II; *Jer.* XXXI). Rachelem primo Ecclesiæ esse personam, nemo est qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat. Sed duo in illa diversa conspicio, fletus et consolationis contemptus. Si enim flevit, cur consolari contempsit? Aut quæ consolari contempsit, cur flevit? Aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flesse? Cur autem flere non debuit, quæ

Digitized by Google

consolari contempsit? aut consolari debuit, quæ flere non potuit, cum manifestum sit fletus consolatione tergi? Vel certe cur indiguit flere, quæ non indiguit consolationis sermone? Sed *noluit*, inquit Scriptura, *consolari, quia non sunt*, id est, noluit consolari quia sunt. Si idcirco noluit consolari quia sunt, quomodo voluit flere quasi illos qui non sunt? Sed ut compendio jam diversitatum causa reddatur, conditio a matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationi indicit. Pugnant enim in matre affectus et fides, humanitas cum devotione concertat; plangit affectus, sed fides exsultat; deflet humanitas, sed devotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. Ideo et Dominus Christus in Lazaro flevit, nec tamen ipse quoque cujusquam consolatione indiguit, quia hominis fuit quod flevit, cum manifeste Deus sit qui Lazarum suscitavit. Sed o beata lactentium gloria! quibus pro Christo contigit dedicare martyria. Expungunt tempore uno nativitatem et mortem, ingressum et exitum, principium et occasum, ut ipsis posset tempore uno, ut dixi, contingere, et nascendo ingredi mundum, et dedicare martyrio cœlum. Probat novos exercitus Christus, rudes milites designat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerunt coæquales; fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui pugnare non norant. Existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Mercantur pœna martyrium, gloriam sanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit. Timere enim non potuit quæ timere non novit. Transmittit infantes infans Christus ad cœlum, offert nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fecundissimam messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quæ putavit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundo. Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Præstat hostis dum nocet, beneficium tribuit cum occidit; invideret enim eorum gloriæ si amaret. Sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

## HOMILIA XL.

### IN NATALI SANCTORUM INNOCENTIUM.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Hodie, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2152.

## HOMILIA XLI.

### SERMO DE SILENTIO.

(Anonymus in Homiliario exhibetur.)

Cum medium silentium tenerent omnia (*Sap.* XVIII). Tria sunt silentia. Primum silentium est

A ignorantia languoris, secundum silentium est desperatio curationis, tertium silentium est adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante legem, secundum inter legem et gratiam, tertium erit post hanc vitam. Primum ergo silentium quando homo non agnovit morbum suum, et ideo siluit, nec quærebat remedium. Sed postquam lex subintravit et ostendit languidis vulnera sua, statim ruptum est silentium, et cœperunt mox ægri salutem quærere. Sed quia per opera legis ubi salus non erat, salvari volebant, quod quærebant invenire non potuerunt. Tandem igitur considerans homo per legem neminem justificari posse, quasi per diuturnos clamores fatigatus, et jam desperans, rursus loqui cessavit, et subsecutum est secundum silentium. Tunc ergo

B omnipotens Verbum Dei Patris in carne veniens, rupit silentium, locutum est pacem, dedit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam, et cœperunt ægri currere ad medicum, et quasi magnis clamoribus, sic pura fide cordis et vera confessione oris flagitare remedium. Hoc itaque nunc in præsenti vita agitur, ut homo per gratiam Dei sanitatem recipiat. Sed cum plenam sanitatem receperit, et ad illam felicitatem immortalitatis perductus fuerit, non erit amplius quod petat. Et tunc sequetur tertium illud beatum silentium quod nunquam habebit finem. Inter primum et medium silentium multa sonuerunt verba, sed inter medium et ultimum silentium sonat unum verbum. Multa verba fuerunt,

C multiplicia legis mandata quæ per Moysen data est. Unum Verbum est gratia Dei, quæ per Jesum Christum facta est, vel potius Jesus Christus est. Moyses famulus Dei multa verba, multos sermones protulit; Deus Pater unum Verbum, unum sermonem misit. Sed sermones Moysi omnipotentes non fuerunt, quia quod dicebant, facere non potuerunt: et ideo tandem quando in promissione deficiendo siluerunt, tunc omnipotens Verbum venit, sermo Dei qui non solum dixit, sed quæcunque voluit fecit. Iste sermo, istud Verbum adhuc loquitur, quandiu in fidelibus suis promissiones suas operatur. Atque cum promissa impleverit, quasi tunc loqui cessabit: cum autem promissa impleta fuerint, quia amplius quod petatur non erit, felix in sempiternum silen-

D tium erit. Dum ergo medium silentium tenerent omnia; bene omnia, hoc est, non solum illi qui in petitione desperabant, sed et illi qui in promissione defecerant, et nox in suo cursu medium iter haberet. Nox etenim in sacra Scriptura aliquando pro diabolo, aliquando pro membris ejus, id est, peccatoribus et iniquis, aliquando pro ipso peccato, aliquando pro præsenti vita accipitur. Per noctem ergo in hoc loco mortalis hujus vitæ fluxus signatur, sicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Præsens igitur vita nox est, vita vero futura dies. Nox ista habet vesperam, dies illa habet auroram. Vespera vero præsentis noctis fuit inclinatio hujus diei; aurora vero illius diei, inclinatio præsentis sæculi. Vespera quoque hujus noctis fuit ex quo Adam pec-

Digitized by Google

cavit, donec accepta mortis sententia a paradiso expulsus, in tenebras hujus mundi exiit. Aurora sequentis diei est a resurrectione Christi usque ad finem sæculi: ergo ista vita nox est. Sed quis est cursus vitæ istius? Videamus quo currat. Per mortalitatem currit ad mortem, per mortem currit ad damnationem. Igitur vita mortalis deorsum currit, sicut vita immortalis sursum. Iter sursum est in cœlis, iter deorsum est in inferis, iter medium stadium vitæ præsentis, quod nascendo intramus, vivendo percurrimus, moriendo eximus. Quando ergo nox in suo cursu medium iter habuit, nisi quando mors universos quos in stadio vitæ præsentis reperit, secum ad inferos traxit, et nemo adhuc mortalium ad vitam immortalium ascendere potuit? Vel per noctem accipere possumus peccatum, et quæ videlicet nox ab originali peccato cœpit, et per actualia currit. Quando ergo post originalem prævaricationem, primum prævaricatione naturalis legis, ac deinde scriptæ legis prævaricatione succedente, peccatum ad summum incrementum venerat, quasi nox in suo cursu medium iter habebat. Sed ista nox vera luce apparente, mox deorsum vergere cœpit, et nunc quasi quadam alterna mutatione paulatim decrescens elongatur, quousque lux crescendo ad plenam diem perveniat. Vide ergo ornatissimæ divinæ dispensationis consilium. Quando omnis recuperandæ salutis spes perierat, et mors omnia secum deorsum rapiebat, peccatum ad summum venerat, tunc omnipotens Sermo liberandis mittitur, ut amplius divinæ gratiæ munus commendetur. Venit, inquit. Quis? Unde? Quo? Sermo Altissimi, Verbum Dei, unicus Patris rex filius regis. De consensu Patris ad tolerantiam passionis. De æqualitate majestatis, ad patibulum crucis. De sede regali, ad officinam peccati. De lumine cœli usque ad tenebras inferni. Sed nunquid ideo regnum perdidit? Imo eos qui servi erant peccati liberans, usque ad conregnandum sibi sublimavit. Et ideo fortassis a regalibus sedibus venit, quia in domo Patris ejus mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV), et regnabunt cum illo in æternum, cum acceperint regnum quod paratum est ab initio sæculi. Unicus enim regis erat, solus regnum habuit. Sed quia ad conregnandum sibi fratres adoptare venit, jam non a sede regali, sed a sedibus regalibus venire debuit, quia regnum ad quod vocantur electi Dei, præparatum est ab initio sæculi.

## HOMILIA XLII.

### IN DOMINICA INTRA OCTAVAM NATALIS CHRISTI.

### (Ex Origene.)

*In illo tempore erant Joseph et Maria mater Jesu mirantes super his quæ dicebantur de illo*, etc. (*Luc.* II).

Congregemus in unum ea quæ in ortu Jesu dicta scriptaque sunt de eo, et tunc scire poterimus singula quæque digna esse miraculo. Quamobrem mirabatur et pater (sic enim appellatus est Joseph, quia nutritius fuit), mirabatur et mater super omnibus quæ dicebantur de eo. Quænam ergo sunt quæ de parvulo Jesu fama disperserat? Pastores A erant in regione illa vigilantes, et observantes vigilias noctis super gregem suum. Venit angelus sub ipsa hora nativitatis Jesu, et ait ad eos: *Annuntio vobis gaudium magnum*, ite et *invenietis infantem involutum pannis, et positum in præsepio* (*Luc.* II). Necdum angelus verba finierat, ecce multitudo cœlestis exercitus laudare et benedicere cœpit Dominum. Cum hoc pastores trepidi perspexissent, et angelus recessisset ab eis, dixerunt ad invicem: *Eamus usque Bethleem, et videamus factum quod Dominus ostendit nobis* (*Ibid.*). *Venerunt et invenerunt* parvulum. Tam illi quam parentes quæ facta fuerant mirabantur: super hoc et de Simeone scribitur quod rumorem auxerit et miraculi, vel magna pars fuerit. Tenuit enim puerum in brachiis suis, et ait: B *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace secundum verbum tuum, quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Fastigium et ut ita dicam culmen super his quæ jactabantur de Jesu, et pater et mater illius mirabantur, sermo Simeonis fuit. Non enim sufficit ei tenere parvulum, et ea quæ de semetipso scripta sunt proloqui, sed benedixit patri illius et matri: et de ipso quoque prophetavit infante, dicens: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam* quoque *ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Quid sibi vult hoc quod ait: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel?* Huic quid simile in Evangelio secundum Joannem scriptum reperi: C *In judicium ego in mundum* istum *veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Quomodo ergo in judicium venit, ut non videntes de nationibus viderent, et qui prius videbant de Israel, cæci fierent? sic venit in ruinam et in resurrectionem multorum. In adventu enim Domini Salvatoris qui prius steterant, corruerunt, et qui ceciderant, surrexerunt. Una est hæc interpretatio de eo quod dictum est: *Ecce iste positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel*. Est autem et altius quid intelligendum adversus eos vel maxime qui contra Conditorem latrant, et hinc inde de Veteri Testamento testimonia quæ non intelligunt congregantes, simplicium corda decipiunt. Aiunt enim: Ecce Deus legis et prophetarum, videte qualis sit: D *Ego*, inquit, *occidam et vivificabo, percutiam et ego sanabo, et non est qui se eruat de manibus meis* (*Deut.* XXXII). Audiunt *occidam*, et non audiunt *vivificabo;* audiunt *percutiam*, et audire contemnunt *et ego sanabo*. Istiusmodi occasionibus Creatorem calumniantur. Igitur antequam interpreter quem sensum habeant, *ego interficiam et vivificabo, percutiam et sanabo*, opponam eis testimonium Evangelii, dicamque adversum hæreticos. Innumerabiles quippe hæreses sunt quæ Evangelium secundum Lucam recipiunt. Si propterea cruentus et tantum judex, et crudelis est Conditor, quia dicit: *Ego interficiam et vivificabo, percutiam et sanabo*, manifestissimum est et Jesum ipsius esse Filium. Eadem

Digitized by Google

siquidem de eo scripta sunt : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Non in resurrectionem tantum, sed et in ruinam. Si malum est interficere, malum sit et in ruinam venire. Quid respondebunt? Utrumne recedent a cultu ejus, an quærent aliquam interpretationem, et ad tropologias confugient, ut quod in ruinam venerit, benignitatem magis sonet quam austeritatem? Et quomodo justum erit, quando quid in Evangelio reperitur tale, ad allegorias et novas intelligentias confugere ; quando vero in Veteri Testamento, statim accusare, et nullam explanationem, quamvis probabilis sit, recipere? Sed et hoc quod sequitur : *In judicium ego veni in mundum istum, ut non videntes videant, et qui vident, cæci fiant*, quamvis quærant ut edisserant, implere non poterunt. Ego vero qui opto esse ecclesiasticus, et non ab hæresiarcha aliquo, sed a Christi vocabulo nuncupari, et habere nomen quod benedicetur super terram, et cupio tam opere quam sensu et esse et dici Christianus, æqualem et in veteri et in nova lege quæro rationem. Loquitur Deus : Ego interficiam. Libenter habeo ut interficiar. Quando enim vetus in me homo est, et vivo adhuc quasi homo, cupio ut occidat in me Deus veterem hominem, et vivificet me ex mortuis. *Primus* enim, ait, *homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (*I Cor.* xv, 47-49). Secundum hunc sensum intelligitur et illud : *In judicium ego veni in mundum istum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* Habemus in nobis omnes homines et aspectum et cæcitatem. Adam videbat, et non videbat. Eva quoque antequam aperirentur oculi ejus, vidisse describitur. Vidit, inquit, mulier lignum quia bonum erat ad comedendum, et optimum oculis ad vescendum, et tollens de fructu ligni comedit, et dedit viro suo, et comederunt (*Gen.* III). Igitur non erant cæci, sed videbant. Deinde sequitur : Et aperti sunt oculi eorum, ergo cæci fuerant, et non videbant, quorum oculi postea sunt aperti? Sed qui bene ante viderant, postquam mandatum Domini transgressi sunt, cœperunt videre male, et aspectum obedientiæ subripiente delicto, postea perdiderunt. Ego sic intelligo et illud quod dicit Dominus : *Quis fecit mutum et surdum, videntem et cæcum? Nonne ego* Dominus Deus (*Exod.* IV)? Est oculus corporis, cum quo terrena ista conspicimus, oculus secundum sensum carnis. De quo oculo ait Scriptura : *Frustra incedens, et inflatus sensu carnis* (*Col.* II). Cui habemus alium contrarium, et meliorem divina sapientem, quia qui cæcus in nobis erat, venit Jesus ut faceret eum videre, ut qui non videbant viderent, et qui videbant cæci fierent. Juxta hunc ergo sensum, et hoc quod nunc in manibus habemus, intelligendum est : *Ecce iste positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Habeo aliquid in me quod male stat et peccati superbia se erigit? hoc cadat, hoc subruatur. Quod si ceciderit id quod

A ante corruerat, surgens stabit. Interior homo meus quondam jacebat elisus, et exterior stabat erectus. Antequam crederem in Jesum, bonum in me jacebat, malum stabat. Postquam ille venit, tunc quod in me malum fuerat corruit, et expletum est illud : *Semper mortificationem Jesu in corpore* vestro *circumferentes* (*II Cor.* IV). Et illud : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, veneficia*, etc. (*Col.* III). Horum omnium utilis ruina facta est. Et de hac ruina dicitur : *Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ* (*Job.* XXXIX). Cadaver quippe a casu nomen accepit. Bona est hæc ruina, ad quam primum venit Jesus, nec potest facere resurrectionem, nisi ruina præcesserit. Venit ante destruere B quod in me malum fuit, ut, illo destructo et mortificato, consurgat in me, et vivificetur id quod bonum est, ut consequamur in eo regnum cœlorum. Lucas scripsit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : propter hoc et quod natum fuerit sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Et qui manifeste nobis tradit quoniam Virginis filius fuit Jesus, nec de humano conceptus est semine, iste patrem ejus in Jerusalem Joseph testatus est, dicens : *Et erat pater ejus et mater admirantes super his quæ dicebantur de eo.* Quæ igitur causa exstitit ut eum qui pater non fuit, patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est, dicit : Honoravit eum Spiritus sanctus patris vocabulo, quia nutrierat Salvatorem. Qui autem al-C tius aliquid inquirit, potest dicere : Quoniam generationis ordo a David ad Joseph usque deducitur, ne videretur Joseph frustra nominari, quia pater non fuit Salvatoris, ut generationis ordo haberet locum, pater appellatus est Domini. Admirabantur igitur pater illius et mater super his quæ dicebantur de eo tam ab angelo quam a multitudine cœlestis exercitus, necnon et a pastoribus. Omnia quippe hæc audientes, vehementissime admirabantur. Deinde Scriptura ait : *Benedixit eis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce iste positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* D Quomodo Salvator in ruinam et in resurrectionem multorum venerit, contemplandum. Qui simpliciter exponit, potest dicere in ruinam eum venisse infidelium, et in resurrectionem credentium. Qui vero curiosus interpres est, dicit nequaquam eum cadere qui ante non steterit. Da mihi igitur qui fuerit ille qui steterit, et in cujus ruinam Salvator advenerit, necnon et eum qui consurgit. Nam ille utique consurgit qui ante corruerat. Videndum est itaque ne forte Salvator, non aliis atque aliis et in ruinam venerit, et in resurrectionem, sed eisdem et in ruinam et resurrectionem venerit. *In judicium*, ait, *ego veni, ut qui non videbant videant, et qui videbant cæci fiant* (*Joan.* IX). Est enim aliud in nobis quod videbat prius et postea videre desivit, et aliud quod non

Digitized by Google

videbat et postea videre cœpit. Verbi gratia : Nolo videre illis oculis quibus ante non videbam, et qui mihi postea reserati sunt, quoniam post inobedientiam Adam et Evæ oculi sunt aperti, de quibus superiori sermone tractavimus. Nunc autem interpretandum quid sibi velit hoc quod ait : *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Me oportet primum cadere, et cum cecidero, postea bene surgere, ne Salvator mihi fuerit causa malæ ruinæ. Sed propterea cadere me fecit ut consurgam, et multo mihi ruina utilior fuerit, quam illud tempus quo ante videbar stare. Stabam enim in peccato, tempore quo peccato vivebam. Et quia peccato stabam prius, mihi utilitas fuit ut caderem, et peccato morerer. Denique et sancti prophetæ quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suam. Propterea autem cadebant ut peccata plenius per ruinam purgarentur. Hoc ipsum et Salvator tibi primum concedit ut corruas. Ethnicus eras? cadat in te ethnicus. Diligebas scorta? primum in te scortator intereat. Peccator eras? cadat in te peccator, ut possis dehinc resurgere et dicere : *Si commortui sumus, et convivemus :* et si conformes facti sumus mortis, conformes et resurrectionis erimus (*II Tim.* II; *Rom.* VI). *Iste* igitur *in ruinam et in resurrectionem multorum positus est in Israel*, hoc est, in his qui plena possunt acie et ratione conspicere. *Et in signum cui contradicetur.* Omnibus quæ narrat historia de Salvatore, contradicitur. Virgo mater est, signum est cui contradicitur. Marcionistæ contradicunt huic signo, et aiunt penitus eum de muliere non esse natum. Ebionitæ contradicunt signo, dicentes eum ex viro et muliere ita natum esse ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum, et hoc est signum cui contradicitur. Alii enim dicunt eum venisse de cœlis, alii tale quale nos corpus habuisse, ut per similitudinem corporis, etiam corpora nostra redimeret a peccatis, et daret nobis spem resurrectionis. Resurrexit enim a mortuis, et hoc signum est cui contradicitur. Quomodo resurrexit? utrum ipse et talis qualis mortuus est, an certe in melioris substantiæ corpus resurrexit? Et est infinita contentio, aliis dicentibus : Thomæ monstravit in manibus suis fixuram clavorum ; aliis e regione tractantibus, si idem corpus habuit, quomodo clausis ingressus est ostiis, et stetit? Vides igitur ut argumentis variis etiam resurrectioni ejus quæstio concitetur, et sit in signum cui contradicitur. Ego et hoc quod sanctorum prophetarum ore prædictum est, puto signum esse cui contradicitur. Sunt enim plures hæretici, qui asserunt eum ab ipsis sanctis prophetis penitus non fuisse prædictum. Et quid me necesse est multa persequi? Omnia quæ de eo narrat historia, signum est cui contradicitur, non cui contradicant hi qui credunt in eum. Nos quippe scimus omnia esse vera quæ scripta sunt, sed quia apud incredulos universa quæ de eo scripta sunt, signum sint cui contradicitur. Deinde Simeon ait : *Et tuam ipsius ani-*

A *mam pertransibit gladius.* Nulla docet historia beatam Mariam ex hac vita gladii occisione migrasse, præsertim cum non anima, sed corpus soleat ferro interfici. Unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur : *Et gladius est in labiis eorum* (*Psal.* LVIII), hoc est, dolorem dominicæ passionis ejus animam pertransisse, quæ etsi Christum utpote Dei Filium sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum, ut sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi. Nam et ferrum quod animam Joseph pertransisse canitur, nil melius quam dura tribulatio mentis intelligitur. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea revelatæ sunt, ut prolatæ in medium, per-
B derentur, et interfectæ atque emortuæ esse desinerent, et occideret eas ille qui pro nobis mortuus est. Quandiu enim absconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Unde et nos si peccaverimus, debemus dicere : Peccatum *meum* notum *tibi feci*, *et injustitiam meam non abscondi. Dixi*, annuntiabo *injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI). Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui dixit : Ecce ego delebo *ut nubem iniquitates tuas*, et sicut caliginem *peccata tua* (*Isa.* XLIV). Post Simeonis prophetiam, quia necesse erat ut
C mulieres etiam salvarentur, venit prophetissa mulier, de qua scribitur : *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser.* Quam pulcher ordo! non venit ante virum mulier, sed prius venit Simeon, qui apprehendit infantem, et tenuit in brachiis suis : deinde mulier, cujus non sunt quidem verba digesta, sed generaliter dictum est quod confessa sit Domino, et locuta de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Et juste sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate longisque jejuniis ad hoc culmen ascenderat. Videte, mulieres, testimonium Annæ, et imitamini illud, si quando vobis evenerit ut perdatis viros. Considerate quid de ea scriptum sit : *Septem annis vixit a virginitate sua cum viro suo*, et reliqua. Pro-
D pterea prophetissa fuit. Neque enim ut libet et fortuito Spiritus sanctus habitavit in ea. Bonum est ut primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere; si autem hoc non potuerit, sed evenerit ei ut perdat virum, vidua perseveret. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam dum vivit ille, debet habere in animo, ut etiam si non evenerit, voluntas ipsius et propositum a Domino coronetur, et dicat : Hoc voveo atque promitto, si mihi humanum aliquid (quod non opto) contigerit, nihil aliud faciam quam ut incontaminata et vidua perseverem. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* Prætermisit hoc loco Lucas quæ a Matthæo satis exposita noverat, Dominum videlicet post hæc ne

Digitized by Google

A ab Herode necandus inveniretur, Ægyptum a parentibus esse delatum, defunctoque Herode sic demum Galilæam reversum, Nazareth civitatem suam inhabitare cœpisse. Solent enim evangelistæ singuli sic omittere quædam quæ vel ab aliis commemorata viderint, vel ab aliis commemoranda in spiritu præviderint, ut continuata suæ narrationis serie, quasi nulla prætermisisse videantur, quæ tamen alterius evangelistæ considerata Scriptura, quo loco transilita fuerint, diligens lector inveniat. *Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia; et gratia Dei erat in eo.* Notanda distinctio verborum, quia Dominus Jesus Christus in eo quod puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere et confortari habebat: in eo autem quod etiam Ver-
B bum Dei, et Deus æternus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Unde rectissime plenus sapientia perhibetur et gratia. Sapientia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Gratia autem, quia eidem mediatori Dei et hominum, homini Jesu Christo magna gratia donatum est, ut ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset et Deus. Cui simile est quod Joannes scribens eum plenum gratia et veritate, eamdem ipse divinitatis excellentiam, veritatis, quam Lucas sapientiæ, nomine commendat. Tu autem.

## HOMILIA XLIII.

### IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

(Ex Opp. beati Ambrosii episcopi.)

C Circumciditur itaque puer. Quis est iste puer, nisi ille de quo scriptum est: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX)? *Factus* est enim *sub lege, ut eos qui sub lege essent lucrifaceret* (*I Cor.* IX). Sistitur autem in Jerusalem. Quid sit autem in Jerusalem sisti Domino, dicerem, nisi in Isaiæ commentis ante dixissem. Circumcisis enim vitiis, Dominico dignus judicabatur obtutu, quia *oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXVII). Vides omnem legis veteris seriem fuisse typum futuræ, nam et circumcisio purgationem significat delictorum. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis et mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octavam circumcisionis diem culpæ totius futura purgatio, resurrectionis octava præfiguratur
D ætate. Hoc est enim illud: Quia *omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (*Exod.* XXXIV, *et Luc.* II). Verbis enim legis promittebatur virginis partus, et vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse qui lege signaretur, in eumdem modum ab angelo repetita verba declarant: Quia *quod ex te nascetur*, inquit, *sanctum*, *vocabitur Filius Dei*. Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus est enim per omnia ex natis de femina, sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Nam si litteram sequamur, quomodo sanctum omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non latent? Nunquid sanctus Achab? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis absumpsit? Sed ille sanctus, quem in figura cœlestis mysterii, pia divinæ legis signabant præscripta, eo quod solus sanctæ Ecclesiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fecunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum; qui enim dixerat ad prophetam: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te* (*Jer.* I). Qui ergo vulvam sanctificavit alienam ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. Tu autem.

## HOMILIA XLIV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex beato Hieronymo presbytero.)

Memores estote, etc. *Reliqua videsis inter Opera beati Hieronymi, Patrologiæ tomo XXVI.*

## HOMILIA XLV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore cum consummati essent dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* (*Luc.* II).

Sanctam venerandamque, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 53.

## HOMILIA XLVI.

### IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

(Ex Haymone.)

*In illo tempore defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, in Ægypto, dicens: Surge*, etc. (*Matth.* II).

Quia non dixit defunctus, sed defuncti, ex his angeli verbis intelligimus multos principes Judæorum cum Herode in necem Domini consensisse. Ideoque divina ultione factum est ut multi ex his cum illo perirent cum quo in necem Domini consenserant. Spiritualiter autem obitus Herodis terminum significat invidiosæ contentionis, qua nunc Ecclesia contra Judæam sævit. *Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.* Quod post obitum Herodis puer Jesus ad terram Israel reversus est, significat quia circa finem sæculi in synagogam est reversurus, cum per prædicationem Enoch et Eliæ in eum crediderint. Unde eum in Ægyptum deferre jubetur, et fugere hac in nocte præcipitur. Cum vero ad terram Israel revertitur, nec noctis fit mentio: quia quos nunc propter incredulitatem in tenebris perfidiæ deserit, circa finem sæculi credentes in lucem fidei recipiet. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire.* Archelaus autem unus fuit de Herodis filiis, quem post se ad regnandum in Judæa Herodes instituerat, sed postea insolentiam ejus accusantibus Judæis, et judicio senatus apud Menam [Viennam], quæ Galliarum est urbs, exsilio relegatus vitam finivit. Archelaus autem, qui vincens leo interpretatur, Antichristum significat, qui ad tempus in sanctis victoriam habebit, et quasi leo terribilis apparebit. In illam ergo partem in qua regnabat Archelaus, cum

Digitized by Google

puero ire Joseph noluit, quia illam partem populi Judæorum quæ Antichristo est creditura, Christus non inhabitabat per fidem. Post necem autem Archelai, Christus ad terram Israel revertitur, quia post interfectionem Antichristi synagoga in eum creditura est, ut ait Apostolus: Cum *plenitudo gentium* intraverit, tunc *omnis Israel salvus* erit (*Rom.* xi). Sed quia in Ecclesia manet et manebit, audiamus ubi habitaverit. *Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: et veniens, habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth.* Quia enim Nazareth flos sive virgultum interpretatur, significat Ecclesiam, quæ et florem habet munditiæ et virgultum justitiæ, cujus virgulti pulchritudinem admirabatur sponsus, in Canticis canticorum dicens: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cant.* iii)? Cui iterum voce sponsi dicitur: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* ii). Et quia Ecclesia de præsentis vitæ amore ad cœleste desiderium transit, recte Nazareth Galilææ dicitur, quæ transmigratio interpretatur. Quod autem subdidit: *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, et quoniam Nazaræus vocabitur*, hoc testimonium in Septuaginta interpretibus non habetur. Nonnulli enim de Isaiæ prophetæ libro sumptum esse volunt, ubi scriptum est: *Exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet* (*Isa.* xi). Nos autem dicimus quia si fixum de Scripturis posuisset Evangelista testimonium, non dixisset per prophetas, sed per prophetam. Omnes enim prophetæ Dominum Nazaræum vocant, quia secundum eum prædicant. Ipse enim est de quo per Danielem dicitur: *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio* (*Dan.* ix). Et David: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv). Et iterum: *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum* (*Psal.* iv). Defuncto autem Herode, id est, mortua lege litteræ, vel excusso diabolo de corde Judæorum circa finem mundi: quia dum Judæi superstitiosam legem observant litteræ, regnat diabolus in illis, et est Christus inter gentes. Postquam vero abjecerint hæc omnia a se, tunc revertetur Filius Dei vel fides ad eos. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Qui Christum credit esse Filium Dei, et eum portat in corde suo, recte angelus illi apparet: *Surge et accipe puerum.* Surge a terra, qui terrena relinquis. Prius puerum, et postea matrem jubet accipere: prius Deum, et postea proximum diligere. *Et vade in terram Israel*, hoc est, cœlestem patriam. Nisi portet Christum, et diligat Deum et proximum, non poterit intrare. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Totum dicit pro parte. Sic in fine mundi defuncta erit lex litteræ. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa, timuit illo ire.* Cur ire noluit in Judæam? Cur non ibat in Judæam, ubi habitavit prius, vel Nazareth, qua proprie habitabat? Quia putabat quod angelus eum propter templum et orationes quæ erant in Judæa, juberet proprie commorari in Jerusalem. Sed propter my-

A sterium non potuit illuc divertere, quia qui ascendit de Ægypto, hoc est de tenebris peccatorum, non potest prius ire in Judæam, id est confessionem, neque in Bethlehem, hoc est domum panis, quæ significat Ecclesiam, nec in Jerusalem, hoc est visionem pacis, nisi prius eat in Galilæam, ut emigret et transvolet de malo ad bonum, de vitiis ad virtutes, et inde transeat in Nazareth, ut faciat prius florem et munditiam bonorum operum, et sic postea conscendat Judæam (prius enim fit flos, postea fructus), inde per ordinem conscendat Bethlehem, novissime Jerusalem, id est visionem pacis. Et ideo admonitus est Joseph in somnis ab angelo, ne rediret prius in Judæam. Archelaus autem, qui leo investigans interpretatur, sicut Antichristum, qui regnat pro

B Herode patre suo. Sic regnaturus est Antichristus in fine mundi pro isto diabolo qui nunc Judæos regit. Apud nos autem regnat Dominus noster Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XLVII.

### IN EPIPHANIA DOMINI.

(Ex Opp. sancti Leonis papæ.)

Celebrato proximæ festivitatis die, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem Magnum, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 235.

## HOMILIA XLVIII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Gregorii Magni papæ.)

*Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus*

C *Herodis, ecce magi venerunt ab Oriente Jerosolymam*, etc. (*Matth.* ii).

Sicut in lectione evangelica, etc. *Hanc homiliam videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1110.

## HOMILIA XLIX.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

In hac, dilectissimi, etc. *Reliqua videsis inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 71.

## HOMILIA L.

### INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore vidit Joannes Jesum venientem ad*

D *se*, etc. (*Joan.* i).

Joannes Baptista et præcursor Domini Salvatoris, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 74.

## HOMILIA LI.

### IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

*In illo tempore venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* (*Matth.* iii).

Lectio sancti Evangelii, etc. *Hanc homiliam videsis apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 58.

## HOMILIA LII.

### DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM, ID EST INFRA OCTAVAM.

(Ex Opp. ejusdem.)

*In illo tempore, cum factus esset Jesus annorum*

Digitized by Google

*duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam*, etc. (*Luc.* II).

Aperta est nobis, etc. *Vide apud ven. Bedam, tom. ut supra, col.* 63.

## HOMILIA LIII.

### IN DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

(Ex eodem.)

*In illo tempore nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi*, etc. (*Joan.* II).

Quod Dominus noster, etc. *Reliqua vide apud eumdem Bedam, tom. ut supra, col.* 68.

## HOMILIA LIV.

### IN DOMINICA III POST EPIPHANIAM

(Ex Origene.)

*In illo tempore, cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens rogabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare*, etc. (*Matth.* VIII).

Docente in monte Domino, discipuli venerunt ad eum sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici vel fratres. Ideo ait et Dominus ad eos : *Vos estis sal terræ*, et, *vos estis lux mundi* (*Matth.* V). Nunc vero descendente eo de monte, turbæ secutæ sunt eum, quæ in montem ascendere non potuerunt, ut pigri populi, ut negligentes, ut imperfecti. Ita et filii Israel primitus in montem ascendere non valuerunt, ad obviandum Deo pergere non potuerunt propter suam irreligiositatem et impietatem, sed solus Moyses ascendit, et pauci cum eo seniorum Israel : ita et cum Domino discipuli soli in montem ascenderunt, et tardiores deorsum steterunt. Sic et modo vigilantes et alacres et fideles animæ, Deum timentes et Dominum diligentes, regna cœlestia desiderantes, Dominum semper sequentes, post Dominum in illum cœlestem montem ascendunt audientes Apostolum dicentem : *Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III). Descendente nunc Domino, hoc est, inclinante se ad infirmitatem et impotentiam cæterorum, misertus imperfectioni eorum vel infirmitati, secutæ sunt eum turbæ multæ, aliquanti propter charitatem, aliquanti propter doctrinam, aliquanti propter admirationem et curationem : et ecce homo leprosus unus ex illis qui curam quærebant, qui levamen desiderabant. *Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.* Deorsum currens rogas, o homo, et in monte nihil dicis? Quare sic? Quia tempus et tempora omni rei sub cœlo, tempus doctrinæ, et tempus curationis. In monte docuit, illuminavit, monuit, animas curavit, corda sanavit. Propterea ergo ego illa majora tentare nolui, illa summa tardare passus sum. Ipsis ergo ab illo completis, deorsum eo de monte ad curandum descendente, sicuti de cœlo, sicuti de cœlestibus montibus ad salvandos carnales descendente. Venit ergo ad eum homo leprosus, adorans eum. Antequam peteret, adorare cœpit : antequam rogaret, culturam ostendit. Adoravit autem eum. Pro hoc ipso Deum et Dominum eum invocans, adorabat eum. Sic et illi beati magi prius procidentes adoraverunt eum, et ita demum ei munera obtulerunt (*Matth.* II). Eodem modo et nunc iste cadens adorabat, et sic supplicem obtulit postulationem : Domine, dicens, tu qui digne adoraris, qui merito coleris, te ego ut Dominum adoro, ideoque et Dominum dico. Opera prius contestans, et sic verba loquens. Per te enim omnia facta sunt : tu ergo, Domine, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est, ideo si vis, potes me mundare. Voluisti ut hæc immundissima lepra super me veniret, sive propter mea peccata, ut correptus pœnituissem ; sive propter tuam prudentiam, ut mirabiliter me mundans magnificeris. Omnia dispensanter et providenter facis, et salutem largiter tribuis. Sive ergo hanc lepram propter mea peccata portavi, dimittens culpas meas, munda me : sive propter providentiam tuam me mirabiliter munda, ut ab omnibus magnificeris. Domine, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est, quia et opera voluntati tuæ obediunt, ideoque, si vis, potes me mundare. Non dubito, non fallor, non dico sicut ille qui filii salutem deprecabatur, Si quid potes, adjuva nos ; sed scio quia omnia potes, ideoque non potentiam peto, non fortitudinem quæro, has enim scio esse indeficientes, sed tantum voluntatem tuam deprecor, et sequens virtus statim hanc gratiam adimplebit : Domine, si vis, potes me mundare. Mihi ad beneficium, tibi ad laudem, videntibus autem ad miraculum, proficientibus ad doctrinam [et proficiendi doctr.]. *Domine, si vis, potes me mundare.* Tu prius Naaman principem Syriæ per Eliseum in Jordane tingens lepra mundasti (*IV Reg.* V) ; tu et modo, *si vis, potes me mundare.* Cui respondens Dominus, ait : Confiteris quia ego possum, profiteris quia si ego volo, fit : ideo volo, mundare ; voluntatem precaris, potentiam confiteris. *Volo, mundare.* Magnifice credis, magnifice et mundaris. Plenissime confiteris, plenissime et lætificaris. Volo, mundare. Non dubitasti credere, non tardo sanare. Non distulisti confessionem, non differam te mundare. *Volo, mundare.* Ut et magnam gratiam tibi ostendam, manum ad te porrigo. Extendens itaque Jesus manum, tetigit eum, dicens : *Volo, mundare.* Et quare tetigit eum Dominus, cum lex prohibuisset leprosum tangere? Propter hoc tetigit, ut ostendisset quia omnia munda mundis, quia aliorum aliis non adhærent inquinamenta, quia extranea immunditiæs immaculatos non coinquinat. Sed adhuc propter quid tetigit? Ut humilitatem demonstraret, ut nos doceret nullum spernere, nullum horrere, nullum contemptibilem ducere propter corporis læsionem, aut maculationem quæ a Domino immittuntur, pro qua ipse scit rationem. Extendens ergo manum Jesus, tetigit eum. Medicus, ait, sum cœlestis, corpora cum animis curare possum, propterea omnes tango, non ut infirmitas mihi adhæreat, sed ideo ut ab his qui eam habent expellam. Sol sum enim, ait, incorruptibilis, et luna justitiæ, ideoque omnibus appropio, et omnes

meis splendoribus ad salutem irradio, ipse vero sicut fui permaneo, in singulari meæ sanctitatis pulchritudine. Et extendens manum, tetigit eum. Non sperno legem, sed curo vulnus. Non destruo mandatum, sed fugo atque mundo lepram. Ideoque cum extendo manum, mox effugit hæc contaminatio; meæ virtuti proximare, vel resistere meæ potentiæ non poterit. Dico, *Mundare*, et manum ad tangendum extendens, effugit illico lepra. Et inventa est manus Domini non lepram, sed mundum tetigisse corpus. Consideremus et nos nunc, fratres charissimi, ut nullus peccati lepram in sua habeat anima, ut nullus contaminationes delictorum in suo retineat corde. Et si habet, instanter adorans Dominum, dicat ad eum : *Domine, si vis, potes me mundare.* Tu illum prius multa delicta committentem mundasti Naaman, tu aliis innumerabilibus a sæculo peccantibus misertus es, tu ergo, *si vis, potes me mundare.* Et Dominus mox misericordiæ porrigens manum, dicit : *Volo, mundare.* Et Jesus ait illi mundato a lepra, huic cui misertus est, huic credenti Domino, qui confisus est in virtute ejus, huic ergo dixit Jesus : Credidisti, sanus es ; sperasti, mundus factus es. Noli oblivisci qualis fueris, et qualis factus sis. Non cesses gratias agere, non taceas confiteri. Hoc et nos debemus facere, o charissimi, quando a Domino nostro de aliquo periculo liberamur, quando ab aliquo dolore salvamur, sive infirmitatis, sive vulneris, sive de qualibet necessitate. Non efficiamur ingrati, non relinquamus Redemptorem nostrum, sed alacriter gratiarum actiones ei reddamus, sed et munera secundum substantiam nostram ad honorificandum eum exhibeamus. Hoc enim et illi mandavit Dominus. *Vade*, ait, *ad sacerdotem, et offer munus tuum.* Dixit ergo ei Jesus : *Vide, nemini dixeris.* Et quare, o dulcissime Domine, nunc dicis, *Nemini dixeris?* Propter meam, ait, humilitatem, propter meam dulcedinem, ut et vos doceamini quando aliquid boni facitis, non gloriari, non extolli, non inaniter placere velle in conspectu hominum, sicut consuetudo est aliquantis, sive cum aliquid boni fecerint, sive cum jejunaverint, sive in pauperum eleemosynis et largitatibus, sive in altaris honore, sive in sanctorum honorificentia. Etenim ipsi ante homines volunt glorificari, et sibi placere, ante Dominum mercedem perdentes. *Vide, nemini dixeris.* Te enim tacente hoc mirabiliter clamabit; te enim os non aperiente, omnis tui corporis substantia jubilabit. Hesterno immundus, et hodie mundus : ante pusillum horribilis, et nunc decorus. *Vide* ergo, *Nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti.* Ambulantem te ad templum videntes mirabuntur, et sacerdos videns expavescet, quoniam secundum legem ab eo semel vel bis ablutus, et ostendens te ipsi, mundari non potuisti. *Vade* ergo, *ostende te sacerdoti*, et videns cognoscat quia non per legis consuetudinem mundatus es, sed per gratiæ operationem, non per terrenorum sacerdotum imaginem, sed per cœlestem summi Sacerdotis splendorem. *Vade, ostende te sacerdoti. Sacerdoti te ostende*, a summo Sacerdote missus. *Sacerdoti te ostende*, a summo sacerdote Dei Patris mundatus, sed non videaris in conspectu Domini inanis. Non videaris sacerdoti manu vacua ad eum venire, non venies in conspectu sancti templi infructuosus, sed offeres munus tuum. Ad illum enim tunc hoc dictum nos admonet omnes; ad illum loquens, nobis omnibus dicit, ut et nos dona et munera nostra non teneamus apud nos, sed reddamus Deo, maxime cum de aliqua liberamur tribulatione. *Offer*, inquit, *munus tuum.* Quare? Ut omnes qui te vident et portare et offerre, credant his mirabilibus, et magnificent Deum qui misertus est tui, et infidelibus per hoc increpatio et testimonium duritiæ cordis ipsorum fiet. Sic et illum triginta et octo annis jacentem in infirmitate, erigens a languore, jussit portare grabatum suum, et ire in domum suam (*Joan.* v), ut hunc ipsum lectum portatum ab eo per mediam civitatem clamasset, salvantem se invocando et laudando. Sic et illum cæcum in natatoriam Siloam misit (*Joan.* IX), ut videntes eum ambulare illuc eumdem cæcum, et iterum remeantem, mirati et obstupentes, crederent huic talia miracula facienti. Post hæc quæ superius dicta sunt, *Cum introisset Capharnaum civitatem Galilææ.* Sic cognominata est Capharnaum, in qua Dominus sæpius virtutis suæ magnificentiam monstravit. Ingrediente eo Capharnaum. Cur ibi ingressus est? Propter hoc quod et invenit, et statim manifestum est. *Accessit ad eum centurio.* Accessit vere, non dimidius, sed totus. Non aspectu corporis tantum, sed et animæ plenitudine. Non facie tantum, sed et immaculato corde. Accessit centurio, alienigena generatione, sed domesticus corde; alienus natione, sed alacer fide. Militum princeps, sed plus angelorum gaudium. *Accessit ad eum centurio*, increpatio illorum qui quondam ad Eliam in Carmelo ascendentes quinquagenarii, mox in infidelitate sua igne combusti sunt (*IV Reg.* I), et iste in fide mox in sinu deputatus est Abrahæ. *Accessit ad eum centurio, rogans eum et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.* Multi in illo tempore pro diversis rogabant infirmitatibus, alius pro filio, alius pro aliquo alio, sed nullus pro servo, nisi iste solus, et hoc ei ad augmentum beatitudinis, ad coronam gloriæ erat. Quid enim cogitabat iste beatus? Quid æstimabat iste omnibus bonis plenus centurio? Iste aiebat : Mihi servus est, et ego servus Creatoris sum. Iste me habet super terram dominum, et ego hunc magnum in cœlis habeo Dominum. Si ergo ei non misereor, quomodo mihi ille miserebitur? Si ego huic non subvenio, quomodo mihi ille subveniet? Sic debent omnes qui famulos habent et famulas, cogitare, sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curam habere de servis suis, vel de ancillis suis, sicut et ille beatus centurio fecit. Puer meus, inquit, jacet in domo. Non in una re tantum miserabilis quod jacet, sed et in alia quod paralyticus, tertia quod male torquetur. Omnia enim ista dolore congeminavit, et jacentem, et

Digitized by Google

et paralyticum, et dure detentum. Ideo ut et suæ animæ angustias demonstraret et Dominum commoveret, quatenus et illius cruciatum demonstraret, et Domini benevolentiam invitaret. *Puer meus jacet in domo.* Et huc quare non attulisti eum, sicut illi illum paralyticum in lecto portaverunt? Ideo, ait, quia non opus est ostendere illi omnia videnti. Non opus est in conspectu ejus afferre, cujus potentia non terminatur, nec includitur neque excluditur. Jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Quid ergo vis? quid cupis? quid desideras? Non multum loquor, ait, scio enim quia ad omnia cognoscentem loquor. Non sum verbosior; scio enim quia ad omnia præscientem respondeo. Ideoque iste cognoscens corda respondens, dicit: *Ego veniam et curabo eum.* Ego ad Abraham veniens, senilem Saræ uterum sanavi, in senectute eis Isaac filium donans (*Gen.* XXI); ego et nunc veniens ad te, curabo eum. Et quomodo, Domine, promittis adventum tuum huic? Nec petit, nec quærit, sciens quod non acceptabile sit ei ut venias in domum ejus; propter quid omnino hoc profers? Ob hoc, ut et vos prævaleatis, et ejus fidei similetis, vel cognoscatis quid sit iste, vel qualis in eo fidei thesaurus habeatur occultus. Jam enim et primitus Abraham tentavi, non pro hoc ut cognoscerem quem ante sciebam, sed ut vos ei similes in omni tentatione et fortissimi inveniamini. Et Job ita probavi. Non propter hoc probavi quem justum testificatus sum, sed ut vobis spem et fiduciam vel confidentiam demonstrarem. Ideo et huic dico, *Ego veniam et curabo eum*, ut et ipse magnam suam fidem proferens, dicat: Domine, terruisti me de hoc promisso, conturbasti me de hoc dicto, interfecisti fortitudinem animæ meæ in hoc verbo. Non sum dignus aspectu, non sum dignus appropinquatione, non sum dignus accessu vel introitu tuo. *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Moses primitus ille magnus, et tuus confabulator, ille mirabilis narrator operum tuorum, ille fidelis in tota domo tua, nimium se humiliavit, dicens: Non sum dignus ante hesternum et tertium diem. Quanto magis ego dicam, *Domine, non sum dignus ut sub tectum meum intres!* Alienigena sum, gentilis sum, miles sum gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens, ideoque *non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo*, sed tantum veni verbo. Verbum tuum aspectus tuus est, verbum tuum opus consummatum est. Ideoque *dic verbo*, ostende absens corpore quod præsens spiritu consummare potens es. Ubique indeficiens tua præsentia, ubique præsens tuus aspectus. Idcirco ego accessu et introitu tuo indignus sum, et iste infirmus verbi tui visitatione indiget, et ideo *dic verbo, et sanabitur puer meus.* Sed et hoc nullum nostrum pertranseat, sicut pusillum aliquid, quod dixit ille beatus: *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Intrat et nunc Dominus sub tectum credentium duplici figura vel more. Nunc enim quando sancti et religiosi et Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem Dominus per eos ingreditur, et tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud, quando sanctum sumis cibum, quando illud incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane et poculo frueris, quando manducas et bibis carnem et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem et dicito: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur illi accipienti. Sed adhuc quid adjecit ille beatus in sequentibus? *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, et habeo sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.* O prudentia! o intellectus animæ! o munditia cordis! Prior omnium manifestæ charitatis [veritatis] confessionem revelavit, et Novi Testamenti mysterium declaravit, et Ecclesiæ in sese monstravit imaginem, primitiæque ex gentibus Domino credentium factus est. Ego, ait, homo sum sub potestate regis vel principis, indignus ego habeo sub potestate mea milites et servos, et tu habes sub [sanctos sub] potestate tua angelos sicut milites et omnes sanctos servos. Ego mando unicuique et facit secundum præceptum meum: et tu mandas quod et statim completur. Quod enim mandas et dicis, et fit. Mandas, et sine mora perficitur. Omnis enim creatura servit tibi, et ideo *dic verbo*, et perficietur velociter, *et sanabitur puer meus.* O fides viri, o religiositas militis, quanto te magnificemus, o dulcissime amice veritatis! Te admiratur Dominus, et tuam indeficientem magnificat fidem. Quomodo de tenebris gentium tantum lumen processit? Quomodo de errore eorum Deum non cognoscentium, tanta manifestata est justitia? Quomodo ex ore stultorum idolis servientium tam limpida effulsit fides? Audiens ergo Dominus admirabatur eum. Et quod Deus unigenitus miratur, quantum sit et quale, et quam inenarrabile et inæstimabile? Percipe sensu, o charissime! quod Deo nihil est mirabile, nec aurum, nec divitiæ, nec regna, nec principatus. Ista omnia sunt in conspectu ejus tanquam umbra, et sicut nihil, sicut flos decidens. Nihil ergo in conspectu Dei mirabile est, nihil magnum, nihil pretiosum nisi tantum una fides. Hanc miratur, hanc honorificat, hanc acceptabilem sibi æstimat. Ideoque convertens se ad sequentes turbas, dixit: *Amen, dico vobis*, hoc est, vere dico vobis, *non inveni tantam fidem in Israel.* Non quod in illo priore Israel beato Jacob tantam abneget se Dominus fidem invenisse; ille enim non tantum credidit Dominum, sed et prophetavit de eo, et apertius ejus justitiam demonstravit, et manifestum in carne adventum ejus prolocutus est. Nisi enim credidisset ei, quomodo de eodem prophetasset? Sic hi qui de Israel processerunt. Israel etenim et ipsi nominati sunt prophetæ et justi, David, Isaias et Jeremias. Hi omnes clare et manifeste ejus adventum prænuntiaverunt. Omnes namque hi habuerunt fidem, habebant et prophetiam. Et iste beatus centurio fidem habuit, sed prophetiam non habuit. Ideoque Dominus admirans, magnificat fidem



Digitized by Google

ejus super illum qui tunc fuit Israel, hoc est, super omnes qui tunc fuerunt tribus Israel, et non super illum qui ab initio fuit Israel, nec super eos qui postea prophetæ et justi inventi sunt in Israel. Amen dico vobis, nec *in Israel tantam fidem inveni*, sicut in gentibus, sicut in barbaris, sicut in alienigenis. Gentes Filium Dei me invocant omnipotentem, unigenitum confitentur, Dominum asserunt, et sicut Dominum diligunt, et sicut bene omnia dispensantem adorant : et Israel me non cognovit, et populus meus nic me non intellexit, ideoque Beelzebub et Samaritanum appellant, et peccatorem æstimant (*Matth.* IX). Jairus Israelis princeps, pro filia sua me petens, non dixit, *Dic verbo*, sed, veni, ait, velociter antequam moriatur filia mea. Nicodemus doctor Israel de fidei sacramento audiens, ait : Quomodo potest hoc fieri (*Joan.* III)? Maria et Martha me nimium diligentes dicunt : *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus* (*Joan.* XI), tanquam dubitantes quod ubique non velox sit adesse mea potentia. Ideoque *non inveni tantam fidem in Israel*, sicut in isto alienigena. *Dico autem vobis quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum.* Dico vobis, testor vobis, annuntio vobis, prædico vobis, quod multi venient de quibus jam prius propheta locutus est, dicens : Et venient gentes multæ, *et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob* ingrediamur, et ostendat *nobis vias suas*, et ambulemus in eis (*Isai.* II). Multi venient de quibus ait Dominus : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*, et illas adducam, et erit unus grex *et unus pastor* (*Joan.* X). *Multi venient*, de quibus dictum est : Ut et filii Dei qui dispersi sunt congregentur in unum (*Joan.* XI). Isti ergo omnes venient. Unde venient? Ab oriente et occidente, hoc est, ex omni gente quæ sub sole est, ab oriente usque ad occidentem. Sicut enim per omnes gentes debet hoc Evangelium prædicari, sic ex omnibus gentibus venturi sunt ad regnum cœlorum. Vel adhuc ab oriente hi qui statim illuminati transeunt, et ab occidente hi qui passiones et persecutiones usque ad mortem toleraruni pro fide. *Multi* ergo *venient.* Et quomodo alibi dicis, o dulcissime Domine, *Multi vocati, pauci vero electi? Multi*, ait, *vocati.* Omnes enim tribus hominum ab initio sæculi vocatæ sunt, *et pauci electi* de multitudine. Etenim per diversas generationes et sæcula diversa pauci electi sunt. Simul vero convenientes, et simul congregati in tempore visitationis multi inveniuntur, nimiumque innumerabiles. Multi enim venient ab oriente et occidente, et recumbent non carnaliter jacentes, sed spiritualiter requiescentes, non temporaliter potantes, sed æternaliter epulantes. Recumbent in regno Dei, ubi lux est et spes, ubi lætitia et exsultatio, ubi est gloria et benedictio, ubi lux oculorum et longævitas vitæ æternæ, ubi omnes jucundantur, ubi omnes gaudent, ubi patres illi beati recumbunt, ubi omnes prophetæ requiescunt, ubi apostoli et evangelistæ super gloriosos sedent thronos, ubi multitudo martyrum in æterna gloria gloriatur, ubi copiositas virginum in sæcula exsultat, portans coronam immaculatæ virginitatis. O dulcissimi fratres, unanimis conventio, hilaris congregatio, fulgens conjunctio. Ista est a sæculo bene prædicata et annuntiata, ista est exsultatio, ista est ab initio narrata requies. In istam festinaverunt ire omnes Dominum diligentes, ad istam colliguntur omnes ex gentibus Domino credentes, religiositatem servantes. In eam et nos omnes pergamus, o religiosi filii Dei, ad istam omni virtute nostra festinemus. Nihil nos revocet, nihil nos retardet, nihil nos impediat ad hoc desiderabile properare convivium. Omnem negligentiam a nobis pellamus, omnemque desidiam ab animo et corporis impedimenta a nobis projiciamus, ut hujus beatitudinis et requiei domestici efficiamur, quatenus sanctæ hujus, ut dictum est, epulationis digni inveniamur. *Vade, sicut credidisti, fiat tibi.* Sic fiet vere unicuique homini sicut crediderit : secundum mensuram fidei metietur ei et ista a Domino gratia. Ideoque dixit ad illum Dominus : *Sicut credidisti, fiat tibi.* Credidisti, quia ego omnia possum; credidisti, quia ego sum Dominus omnium : *sicut credidisti, ita et fiat tibi.* Credamus et nos, fratres charissimi, Jesum Christum Deum ac Dominum nostrum omnia posse, ubique præsentem esse, remissionem nobis cunctorum peccatorum ejus indulgentia (si tamen ejus præcepta servemus) largiri, ut unusquisque nostrum cum centurione isto audire mereatur : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi.* Adjuvante ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LV.

### IN DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

(Ex eodem.)

*In illo tempore, ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*, etc. (*Matth.* VIII).

Ingrediente Domino in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, non imbecilles, sed firmi et stabiles in fide, mansueti et pii, spernentes mundum, non duplici corde, sed simplici. Hi ergo secuti sunt eum, non tantum gressus ejus sequentes, sed magis sanctitatem comitantes, et justitiam ejus consectantes. *Et ecce tempestas magna facta est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Cum enim multa magna et miranda ostendisset in terra, transiit ad mare, ut et ibidem adhuc excellentiora opera demonstraret, quatenus terræ marisque Dominum se esse cunctis ostenderet. Ingressus ergo naviculam, fecit turbari mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Cur hoc? Ideo ut discipulos suos mitteret in timorem, et suum auxilium postularent, suamque potentiam rogantibus manifestaret. Illa tempestas non ex sese oborta est, sed potestati paruit imperantis, ejus qui educit ventos de thesauris suis, qui terminum mari arenam constituit. Dixit enim ei : *Usque huc venies, et non* supergredieris, *sed*

in temetipso confringentur fluctus tui (*Job.* xxxviii). Hujus ergo jussione et præcepto orta est tempestas in mari, propter occasiones superius memoratas. Facta est ergo tempestas magna, et non pusilla, ut magnum opus et non pusillum ostenderetur, quantoque fluctus naviculæ irruebant, tanto magis timor discipulos conturbabat, ut plus magis desiderarent ad liberandum se per mirabilia Salvatoris. *Dominus vero dormiebat.* O res mirabilis et stupenda! is qui nunquam obdormit, dormit; is qui cœlum et terram gubernat, dormit; is qui nunquam dormit neque dormitat, ipse dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat deitate; dormiebat corpore, sed conturbabat mare, erigebatque fluctus, et apostolos conterrebat suam ostensurus potentiam; dormiebat corpore, sicuti et ad puteum de itinere lassus vel fatigatus sedebat, demonstrans quia vere humanum corpus portabat, quod corruptibile induerat. Ipso corpore dormiebat, deitate vero concitabat mare, et iterum complacabat; dormiebat itaque corpore, ut apostolos suscitaret et evigilare faceret, præcipue autem nos omnes ne unquam animo dormiamus, neve intellectu aut prudentia, sed vigilare in omni tempore et jubilare Domino, et salutem ab eo postulare studeamus. Nam ipse qui dormiebat corpore, illud verbum sanctum dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v); ad quem accedentes discipuli, suscitaverunt eum, dicentes: *Domine, salva nos, perimus.* Tanto fuerunt metu conterriti, et pene animo alienati, ut irruerent in eum, et non modeste aut leniter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum, dicentes: *Domine, salva nos, perimus.* O beati, o veraces Dei discipuli, Dominum salvatorem vobiscum habetis, et periculum timetis. Vita vobiscum est, et de morte solliciti estis. Maris turbinem timentes, creatorem ejus præsentem ita suscitatis, quasi non possit dormiente corpore fluctus sedare vel mitigare. Sed quid respondent hi dilectissimi discipuli? Parvuli, inquiunt, sumus, adhuc infirmi, et nondum robusti, ideoque timemus, ideoque trepidamus, necdum vidimus crucem, necdum nos confirmavit passio Domini et resurrectio, non ascensio in excelsis, non missio vel descensio Spiritus sancti paracleti, propterea fragilitate nutamus, propterea et sæpe audivimus a Domino increpationem pusillæ fidei. Supportamus et toleramus libenter, voluntarie sustinemus. Unde et nunc dicit Dominus: *Quare conturbati estis, pusillæ fidei?* Cur non habetis fortitudinem? Cur non confidentiam et fiduciam apud vos tenetis? Et si mors irrueret, nonne eam debuistis constantissime sustinere? Ad omne enim quidquid evenerit, fortitudo necessaria est. Ad omne enim periculum vel tribulationem usque ad animæ exitum, similiter et contra delicias et divitias et honores terrenos animi fortitudo tenenda est, ut neque extollaris, o homo, neque in superbiam erigaris. Non despicias inimicos, neque humiles spernas, neque obliviscaris Dominum, neque derelinquas Creatorem, ne-

A que existas ingratus. Si ergo in necessitate et in periculis fortitudo necessaria est, ut viriliter cum fide toleres universa, multo magis contra delicias (ut dictum est) et luxurias fortitudo necessaria est, ne in muscipulam incidas diaboli. Quare ergo turbati estis, pusillæ fidei? Si potentem me super terram cognoscitis, quare non creditis quod et in mari potens sim? Si Deum me vere esse creatorem omnium suscepistis, quare non creditis quod ea quæ a me facta sunt in mea habeam potestate? Quare ergo dubitastis, pusillæ fidei? Qui pusillum credit, arguetur; et qui nihil credit, contemnetur: fragiles in fide corripientur: alieni omnino a fide, punientur. Tales fuerunt Judæi et pagani, ideoque in malis suis evanuerunt. Tales etiam hæretici,

B ideoque in die judicii condemnabuntur. *Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Scriptum fuit: Et exsurgens *tanquam dormiens Dominus, tanquam potens et crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora* (*Psal.* lxxvii). Et nunc *surgens* imperat *ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Imperavit ventis et mari, sicut creator, sicut suis, ut potens, ut Dominus imperavit ventis et mari, primitus ante discipulos, ut audientes firmarentur in fide. Et potentia deitatis occulta imperabat et comminabatur ei. Magis autem regebat et placabat illud, secundum quod quidam ait: Potentia mitigavit mare. Imperavit ergo ventis et mari, *et facta est tranquillitas magna.* De magno vento et tempestate magna, mari conturbato

C et tumenti, *facta est tranquillitas magna.* Decet enim hunc magnum magna et miranda facere. Ideoque paulo ante magna accinctus potentia, magnifice conturbavit profundum maris, et nunc iterum in eo ipso ostendens suæ magnificentiam potestatis, tranquillitatem magnam fieri jussit. Hæc ideo, ut nimium conturbati apostoli, magnifice exhilarati lætarentur. Dedit enim per hæc omnia nobis Dominus figuram et doctrinæ imaginem, ut et nos in omni conturbatione et contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si omnis iste mundus tanquam mare ebulliat atque in furorem consurgat; et si omnes venti et vertigines dæmonum undique sæviant: et si omnis (ut superius diximus) tempestas maris, id est omnis princi-

D patus et potestates mundi concitentur, et in tumore iracundiæ spument, ut furiant super sanctos: etsi adhuc usque ad cœlos sese extollant, ut tempestates maris malignantes, ac dolos et fremitus concitantes adversus aliquem vestrum, nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidei navicula cum Domino navigatis, omnes quotquot in hac nimirum sanctæ Ecclesiæ navicula, cum Domino per hunc undosum supernatatis mundum, etsi ipse Dominus dormiat, pio somno nostram patientiam et tolerantiam exspectans, vel impiorum pœnitentiam et conversionem sustinens, alacriter accedite ad eum, orationibus instantes, atque cum Propheta dicentes: *Exsurge,*

Digitized by Google

*quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas nos usque in finem* (*Psal.* XLIII). Et iterum : *Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum* (*Ibid.*). Et ipse surgens imperabat ventis, id est aereis dæmonum spiritibus. Ipsi enim maris tempestates commovent, hoc est, amaros et elatos concitant fluctus, id est principes mundi ad persecutionem sanctis omnibus immittendam, ad contumelias fidelibus ingerendas. Omnibus Dominus imperat, omnibus comminatur, omnia mitigat, facitque tranquillitatem magnam circa corpus et spiritum, pacem Ecclesiæ, et serenitatem mundo. Quomodo namque sæpius concilia infidelium commota sunt adversus veram et firmam Ecclesiam? Aliquoties paganorum, aliquoties hæreticorum. Quemadmodum sæpius sicut maris fluctus irruebant, comminantes et conterentes hujus principes mundi, per omnia perdere se Ecclesiæ filios arbitrantes. Sed surgens Dominus increpavit dæmonum ventos, et omnes evanescere fecit audaces adversarios fidei, magnamque pacem et tranquillitatem dedit Ecclesiæ suæ. *Homines autem illi in navicula mirati sunt.* Qui homines? Scilicet hanc habentes naviculam, aut ei intendentes naviculæ. Non putes hic per homines apostolos significatos. Nusquam enim invenimus præter honorem cognominari Domini discipulos, sed semper aut apostoli, aut discipuli nominantur. Mirabantur ergo illi homines, hi qui cum eo navigabant, hi quorum erat navicula, illi qui in eadem navicula sese transigebant, hi mirabantur. Et admiratione dignum fuit, mare a profundo commotum mitigari, ejusque elatos deplacari fluctus, ventos furentes compesci. Mirabantur ergo dicentes : *Qualis est iste, quia venti et mare obediunt ei!* Non interrogantes dicunt, *Qualis est iste!* sed asserentes quod hic talis est cui mare et venti obediunt. *Qualis est iste!* hoc est, quantus, quam fortis, quam potens, quam magnus! *Qualis est iste!* major Moyse, potentior Elia. Illi enim ambo, e quibus unus ligno mari percusso, cum labore discidit, alius ictu melotæ Jordanem pertransiit. Iste vero uno verbo mandat illis qui non habent verba, et obediunt ei; hi qui non habent auditum, obtemperant; hi qui prudentiæ et intellectus expertes sunt, inclinantur jubenti : quibus neque loquela, neque, ut dixi, sermo est, obediunt. In eadem enim substantia in qua sunt, et sua natura moventur, et jussioni deserviunt, ad confusionem mortalium, ad condemnationem corruptibilium. Jubet mari, et non contemnit; dicit ventis et tempestatibus, et mox compescuntur : jubet omni creaturæ, et non supergreditur jussionem ejus. Et unum hominum genus, quod secundum similitudinem Dei honorificatum est, cui verbum et prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoque et hi soli in judicio damnabuntur, et a justitia punientur, veluti deteriores mutis animalibus, vel his quæ sine spiritu et anima sunt in hoc mundo. Mirabantur ergo illi, quia mare compescuit, et venti mitigati sunt. Admiremur et nos, quando et benignitates et benevolentias ostendit circa nos Dominus, quando nos de periculis salvare dignatur, quando de tumultibus et tribulationibus multis nos liberat, quando ab inimicis insequentibus eruit nos. Miremur et mirantes gratias agamus, et gratiæ obaudiamus, obaudientes timeamus, timentes diligamus, ut æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. Mirabantur dicentes : *Qualis est hic?* Sicut homo videtur, et sicut Deus potentiam ostendit. Sicut unus carnalium putatur esse, et super omnia carnalia magna ostendit mirabilia. Dormit sicut homo, et imperat mari et ventis sicut Deus. In navicula sedet, et omnem creaturam jussione inclinat ubi vult Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LVI.

### IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ.

(Ex Opp. Ambrosii Autperti.)

Si subtiliter a fidelibus, etc. *Sequentia vide inter Opera sancti Ambrosii Autperti, Patrologiæ tomo LXXXIX, col.* 1291.

## HOMILIA LVII.

### IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino*, etc. (*Luc.* II).

Ex verbis hujus sacræ lectionis maxima nobis Redemptoris nostri dignatio, et intemeratæ genitricis ejus beatæ Mariæ humilitas commendatur, quia videlicet tam ipse Dominus quam gloriosa ejus mater, cum legi nihil deberent, legalibus tamen decretis se subdere sponte voluerunt. Præcipiebat enim lex ut infans octavo die nativitatis circumcisus, post triginta et tres dies suæ circumcisionis ad templum deferretur Domini, et daretur hostia pro eo : et si esset primogenitus, sanctus Domino fieret. Quod si verba legis diligenter inspiciamus, videbimus quia non solum Dominus sine peccato incarnatus, sed et ipsa illius genitrix ab omni subjectione legis liberrima fuerit. Dicit namque lex (*Lev.* XII) : *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, et die octava circumcidetur infantulus : ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Dicens enim mulierem suscepto semine parientem, una cum prole oblatis victimis debere mundari, illam utique ab hac necessitate distinguit, quæ sine suscepto viri semine virgo concepit, et virgo peperit. Reliqui namque homines idcirco cum peccato originali oriuntur, quia cum delectatione carnis atque cum ardore libidinis in materno utero concipiuntur. Dominus autem Jesus Christus, quia sicut absque virili semine, ita etiam absque carnali delectatione in utero virginis, Spiritu sancto cooperante, conceptus est, ideo et sine peccato natus est. Sed sicut Christus legi subjectus esse voluit, ut nos a vinculo solveret legis, ita etiam beata Maria, cum

Digitized by Google

sub lege non esset, pro exemplo humilitatis legis instituta non refugit observare, memor illius præcepti quod quidam sapiens ait: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). *Postquam ergo impleti sunt dies purgationis ejus*, vel Domini videlicet, vel beatæ genitricis ejus, *tulerunt illum parentes illius ad templum Domini in Hierusalem, ut sisterent eum Domino :* hoc est, statuerent et consecrarent. Illi enim parvuli qui de toto regno Judæorum ad templum Domini portabantur, si fuissent quidem ex tribu Levi, in ministerium domus Domini perpetuo tenebantur, quia eadem tribus tota in hoc ipsum templo fuerat dedicata. Sin autem ex alia aliqua tribu, pretio dato, a parentibus primogeniti redimebantur, ad propria referendi. Et puerorum quidem purgatio in hostiarum oblatione constabat, matrum vero in hoc quod pro masculo quadraginta, pro femina vero octoginta diebus a viri thoro et ab ingressu templi Domini arcebantur. Non quod culpa sit ex legitimo connubio filios gignere, sed ipse generis humani legitimus nuptialisque conceptus non potest esse a culpa iniquitatis extraneus. Bonum enim nuptiarum ab initio generis humani divinitus institutum novimus. Propter quod et Apostolus *honorabile connubium in omnibus, et thorum immaculatum* sine dubitatione commendat (*Hebr.* XIII). Cum igitur nuptiæ laudabiliter a Deo sibi tributam possideant in fide et charitate munditiam, tamen quia sine delectatione libidinis non possunt peragi, necessario prolem edunt peccato primi hominis vitiatam. De nuptiis ergo bonis usque adeo bonum est quod nascitur, ut malum non sit etiam si de adulterio vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ donum fecunditatis contulit, libidinis vero malum, non creatura Dei, sed pœna peccati est. Proinde de nuptiarum munditia, mundus homo non nascitur, quia interveniente sordida libidine seminatur. Quam libidinem castitas conjugalis non amat, sed ad propagandos filios necessario tolerat. Ob hoc sanctus David legitimo fidelique connubio natus, non sine gravissimo dolore maculam carnalis genituræ ita deplorat : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Hæc diximus, ut maculam originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in conceptu parvulorum esse noverimus. Quod autem mulieri pro masculo filio quadraginta diebus aditus templi interdicitur, ideo juxta litteram factum est, ut quot diebus infans in utero formatur, tot etiam diebus purgatio illius peragatur. Dicitur enim conceptio humana sic perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertitur in sanguinem. Deinde duodecim diebus solidatur, reliquis XVIII diebus formatur usque ad perfecta lineamenta membrorum. Inde jam usque ad tempus pariendi reliquo tempore magnitudine sua augetur. Sex autem et novem, et duodecim, et XVIII in unum coacti, faciunt XLV. Si ergo minorem numerum in majorem concludimus, videbimus præceptum esse tot pene diebus hominem

A purgari, quot formatur in utero. Cur autem pro feminæ partu diuturnior purgatio injungatur quam pro masculo inquirendum est. Sic enim dicitur : *Sin autem feminam pepererit, immunda erit* XIV, *et* LXVI *diebus manebit in sanguine purgationis suæ* (*Lev.* XII). Quia ergo mulier et se et virum decepit, ideo in ortu suo majori subjacet maledictioni. Ferunt etiam physici fluxum sanguinis pro masculo septem dierum esse, pro femina vero dierum XIV, ut quanto est sexus infirmior vel inferior, tanto sit ipsa nativitate inquinatior. Porro XIV et LXVI LXXX faciunt. In quo numerus superior, id est quadragenarius, duplicatur, quia mulier serpentis persuasioni consensit, et virum persuasioni suæ consentire coegit. Vir autem soli mulieri consensit. Hæc juxta litteram de distantia puri-

B ficationis dicta sufficiant. Quod vero Dominus prius circumciditur, ac sic post dies aliquot in templum cum hostia offertur, significat spiritualiter quod nullus hominum in conspectu Dei valet esse acceptus, nullus etiam cœlestem Hierusalem perfecte valet conscendere, nisi circumcisus intus, et exutus omni fæce mortalitatis. *Sicut scriptum est in lege Domini* (*Exod.* XIII *et* XLIII; *Num.* VIII), *quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Quod dicit, *omne masculinum adaperiens vulvam*, et de hominibus et de pecoribus intelligitur. Omnia enim primogenita Domino sanctificabantur et sacerdotum erant, ea tamen ratione, ut pro hominis primogenito sacerdoti pretium daretur, primogenitum quoque pecoris, quod

C immundum erat, quinque redimeretur siclis argenti. Spiritaliter omnia illa primogenita significabant Dominum Jesum Christum, qui cum esset unigenitus in natura Dei Patris, factus est primogenitus omnis creaturæ, id est, omnium hominum. Et ipse est veraciter et singulariter sanctus Domino, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Moraliter quoque omnia primogenita nostra Deo offerenda sunt, ut quidquid boni in corde concipimus, divinæ gratiæ tribuamus. Et sicut illi immunda animalia quinque siclis redimebant, sic nos prava opera quæ gerimus, redimere debemus, perfectam agentes pœnitentiam de omnibus peccatis quæ per quinque sensus corporis contrahimus. Quod ergo dicit : *adaperiens vulvam*, non est credendum, ut hæretici affir-

D mare conati sunt, quod Christus uterum matris, quem ingressus sanctificaverat, egressus virginitate privaverit. Ipsa est enim porta de qua scriptum legimus : *Porta hæc clausa erit, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*, etc. (*Ezech.* XLIV). Deus namque verum ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat ut creator humanæ carnis Deus, qui in prima conditione homini virginitatem tribuerat, idem quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur auferret. *Et ut darent hostias secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hostia hæc pauperum erat. Præcipiebat namque lex ut qui pos-

sent agnum invenire, offerrent pro filio vel filia simul cum turture sive columba. Quod si quis agnum reperire non posset, duos saltem turtures vel columbas jubebatur offerre. Dominus ergo Jesus memor salutis nostræ, cum esset dives, pauper pro nobis fieri, pauperem pro se hostiam voluit offerri, ut nos sua paupertate divitiarum spiritalium et æterni regni donaret esse participes. Sed videamus cur hæ volucres præ cæteris in sacrificio Domini jubebantur offerri. Columba enim simplicitatem, turtur significat castitatem. Quæ adeo continentiam diligit, ut postquam semel socium perdiderit, alterum ulterius non requirat. Utraque autem avis gemitum pro cantu habet. Et ideo non immerito sanctorum in hoc sæculo designant ploratum. Merito ergo turtur et columba in hostiam Domino offeruntur, ut aperto designetur quia simplex et casta justorum conversatio gratissimum omnipotenti Deo sacrificium exhibet. Item columba, quæ gregatim volat, activam vitam significat, quæ multorum est. Turtur vero, qui solivagus est et singularitatem diligit, contemplativam vitam significat, paucissimis ac rarissimis imitabilem. Moraliter, cum juxta præceptum evangelicum intrantes in cubiculum, oramus Dominum in abscondito, turturem offerimus. Verum cum ad simile opus alios quos possumus invitamus, dicentes cum Psalmista, *Venite, adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum qui fecit nos* (*Psal.* xciv), columbas ad divinum altare portamus. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Adveniens in carne Dei Filius, non tantum ab angelis et prophetis, sed etiam a senioribus et justis testimonium laudis accepit : decebat namque ut quia omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, per Christum erat redimenda, omnes etiam illi devoto famularentur obsequio. *Et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.* Recte justus et timoratus dicitur, quia justitia sine timore Dei difficile custoditur. Re enim vera justus erat, qui non suam tantum, sed totius populi consolationem exspectabat, ut scilicet qui jam ex multis diebus dominio Herodis alienigenæ gravabantur, adventu Domini Salvatoris liberati, consolationem acciperent. *Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Magnum desiderium antiqui sancti habebant videndi Dominum Jesum Christum, quem sciebant esse venturum. Quod huic Simeoni pro gratia meritorum sanctorum concessum est. Accepit enim responsum in maturitate a Spiritu sancto, quod non esset visurus mortem, nisi videret Dominum. Videri autem, pro experiri positum est. *Et venit in spiritu in templum.* Quod dicit : *venit in templum in spiritu*, nequaquam sine corpore venisse putandus est, sed inspiratus a Spiritu sancto, a quo responsum acceperat, advenit in templum. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis, pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas*, hoc est, in brachia sua. Quis autem valet perpendere quanto animi gaudio et ine-

A narrabili alacritate perfusus fuerit Simeon, cum cœli terræque creatorem et Dominum propriis amplectens teneret in brachiis, quem et a prophetis prædictum, et ab universis retro sanctis votis multiplicibus noverat exspectatum? Figuraliter Simeon senex mundum istum significat, quasi longo jam senio et ætate declivem. Simeon infantem accepit, id est, mundus Christum agnovit, et vetustate peccati exutus, ad innocentiam Christianæ conversationis rediit. *Et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Sciebat beatus Simeon quod beati essent oculi qui Christum essent visuri, et ideo donec illum ipse videret, nolebat morte dissolvi, quem tamen ut vidit, mox optabat in pace dimitti. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* B *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Salutare Dei Patris Christum appellat, quem in primo adventu ante faciem populorum Deus Pater paravit, ut illum, quicunque in eum credere vellent, fide ac dilectione conspicerent. In secundo quoque adventu, hoc ipsum salutare ante faciem omnium populorum parabitur, ut videat eum omnis oculus, et reddat unicuique secundum opera sua. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ, Israel.* Utrique quidem populo, id est Judaico et Gentili, Christus lumen est, sed Israelitico populo specialiter gloria fuit, quia ipsis est prænuntiatus, in illis carnem assumpsit, inter eos miracula fecit. Gentium quoque revelatio fuit, quia oculos mentis eorum profunda infidelitatis cæcitate dimersos, lumine suæ illustrationis revela- C vit, id est, aperuit et illuminavit. Et recte Christum prius ad revelationem gentium, ac deinde ad gloriam Israel venisse dixit, quia prius gentiles quam Judæos credituros esse prævidit. Tale quid et Psalmista ait : *Notum fecit Dominus salutare suum*, et reliq., usque, *domui Israel* (*Psal.* xcvii). Prius enim dixit Deum Patrem justitiam suam, quæ Christus est, gentibus revelasse, ac deinde subjungit : *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel* (*Ibid.*). Hinc Paulus ait : Cum *plenitudo gentium* intraverit, tunc *omnis Israel salvus* fiet (*Rom.* xi). Hæc de lectione evangelica breviter sunt dicta. Quæ licet causas hodiernæ festivitatis plene aperiat, non tamen abre est si de ejus nomine aliquid compendiosius inda- D gemus. Græco namque sermone ὑπαντᾶν obviare dicitur. Inde utique ista Dominica solemnitas ὑπαντή vocatur, quod scilicet hac ipsa allato in templum Domino, Simeon et Anna, et cæteræ fidelium personæ quæ ibi erant, tempore purificationis suæ occurrerunt. Agitur ergo ista festivitas incipiente mense Februario, qui a Februo, id est Plutone, qui lustrationum, hoc est purgationum, potens a gentilibus credebatur, ita vocatus est. Cum enim Romani tripertitum orbem sub tributo redegissent, ita ut unaquæque ex ipsis tribus mundi partibus, Africa videlicet, Asia et Europa, per quinque annos solveret aurum, et rursus per alios quinque annos argentum, itemque per aliud quinquennium æs, quinto demum peracto anno, ac censu soluto, universa civitas mense

Digitized by Google

Februario ab universo populo lustrabatur, ut sacrificia diis infernalibus solverentur, quorum se præsidio nationes orbis subjugasse putabant. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana religio, cum hac ipsa die festivitatis beatæ Mariæ, plebs clerusque et sacerdotes cum cereis et hymnis ecclesiarum loca circumeunt, non utique ob recordationem paganæ superstitionis, aut imperii terrestris, sed in perennem memoriam regni cœlestis, quando, juxta evangelicam parabolam, omnes electi cum lampadibus sponso et sponsæ sunt occursuri, et supernæ claritatis thalamum intraturi. Et hanc quidem lustrationem pagani faciebant semper xv anno in fine mensis Februarii, hoc est VII Kalendas Martii. Postmodum vero augescente Christianitate, placuit ut in venerationem perpetuæ virginis, ad mensis initium transferretur. Cujus institutionis morem nos quoque pro modulo nostro hodierna die devote Deo juvante imitaturi, Dei genitricis summissis votis obsecremus auxilium, ut sua potenti intercessione nobis apud filium suum purgationem impetret criminum, quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum. Quæque hac die cum Filio templum Dei sacrificium oblatura conscendit, supernæ civitatis nobis obtineat ingressum, in qua divinæ claritatis aspectibus libero contuitu perfruamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LVIII.

### IN DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

*In illo tempore, respondens Jesus dixit. Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia*, etc. (Matth. XI).

Sanctum Evangelium, etc. *Sequentia require apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 453.

## HOMILIA LIX.

### DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ).

*In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, etc. (*Matth.* XX).

In explanatione sua, etc. *Quæ sequuntur videsis apud sanctum Gregorium Magnum, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1153.

## HOMILIA LX.

### DE EADEM DOMINICA.

*Quomodo primus homo toti prælatus sit creaturæ.*

(Ex Opp. beati Chrysostomi.)

Dignitas humanæ originis facile agnoscitur, considerata sublimitate auctoris. Neque enim facile poterat esse vel leve quod manus sacra confinxit et cœlestis manus in vitalem substantiam animavit, maxime cum idem artifex Deus potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus, ut quem secundum præsidem post se facere disponebat, eumdem faceret plenum atque perfectum, habentem in se et dignitatem qua præcelleret, et potestatem qua cunctis animantibus imperaret, soli serviens illi a quo ei cuncta fuerant subjugata, ut imperaret mundo, serviret Deo, Creatorem suspiceret, creaturam sibi parere compelleret, tantumque ditionis sese Domino debere prospiceret, quantum ipse a creatura exigeret, habens in propria potestate et obedientiam et contemptum, obedientiam qua viveret, contemptum quo digne pro meritis interiret. Unde effectum est ut contemnendo in mortem incideret, qui obediendo vivere posset. Unde potestatem concessam dum in contemptum protulit, et vitæ privilegium perdidit, et mortis sibi sententiam acquisivit. Et tamen adhuc creatura ejus servat imperium, licet ipse Creatori suo denegaret obsequium. Unde apparet quid suæ felicitati detraxerit, cum peccatorum merita ejus statum adhuc mutare non possunt. Gravaris, homo, juste gravaris, et inexcusabili pœna astringeris. Contemnis Creatorem, et ejus imperas creaturæ. Despicis Dominum, et de ejus creatura exigis obsequium. Beneficiis Dei perfrueris, et ejus potentiam non extimescis. Et cum tibi per eum cuncta deserviant, solus ipse illi non servis. Bis delinquis, o homo, et geminum ac duplex crimen incurris, dum nec pro conditione ut servus obsequeris, nec pro potestate data Domino famularis. Tibi cœlum in die lucis splendore vestitur et solis fulgoribus decoratur, in nocte clarissimo lunæ speculo et astrorum fulgore vario polus ipse illustratur, ut diei noctisque vicissitudine et numerositas temporum dignoscatur, et post diurnum laborem requies miseris mortalibus præbeatur. Tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt silvæ, amœnantur campi, prata virescunt, animantia cuncta diversis usibus procreata edunt fetus, parent imperio, obsequia servant, scatent fontes, omnes fluunt, institutis terminis maria coercentur. Gaudet post hiemem verna temperies, æstatis flagrantia decoquit messes, autumnitas temulenta suas exhibet ubertates : hieme macerantur imbribus terræ : suis institutis cuncta deserviunt, solus homo Deo non servit. Quid si tibi universa natura constanter ediceret. Ego tibi a Domino rerum parere præcepta sum; ego circa te jussa implere, instituta servare, nascentia cuncta tribuere genitoris imperio jussa sum : denique pareo, obtempero, servio, et te mutato non mutor. Pareo, inquam, rebelli, obtempero procaci, deservio contemptori. Cæterum si mihi instituta mutare, jussa pervertere, necessaria denegare rerum Dominus præcepisset, creatura cuncta viduata homine remaneret, nec qui contemneret ulterius esset, quia contemptor homo digne ac merito interiret. Denique quisquis talis es, qui in hoc contemptu consistis, qui creaturæ imperas et Creatori non servis, qui dominatum exerces et Dominum non agnoscis, time Dominum patientem, ne severum sentias judicem. Corrigat te dilatio differentis, ne censura puniat judicantis. Facile enim obsequio tuo facies Deum propitium, si conversus jam mutaveris vitium. Usurarum enim redditur quidquid dilatione temporis feneratur : nec esse jam poterit impunitum, cui mora

temporis non potuit dare remedium. Quid retribuam A Domino? Si humana conditio genitori quid debeat, noscat, atque si ejus beneficiorum innumeram multitudinem momentis omnibus tractando intelligat, inveniet suæ servitutis obsequia continuis laudibus jugi gratulatione æquare non posse. Neque enim beneficia ab eo præstita atque collata, vel modum poterunt habere, vel numerum, certe nec terminum, quippe cum nec sensus ad investigandum sufficiat, nec scientia suppetat ad laudandum: immensitas enim beneficiorum superat cogitationes sensuum, et innumera multitudo donorum vincit volubilitatem verborum. Nec si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes. Qua in re danda nobis est opera, ut totis viribus devotio mentis in divina B obsequia exeratur, et laudum glorias os nostrum per omne tempus frequentare cogatur, non quo in istis debita compensentur, sed ut nostræ devotionis voluntas his conatibus dignoscatur, ut quidquid fragilitas detrahit ad complendum, hoc devotio conferat ad promerendum, ut jam quia vis, non quia perficis expungaris, nec quia debita compensas, sed quia parere desideras. Velle enim ipsum expungitur, quia per immensitatem rerum idipsum quod cupimus explicare non datur. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quæ mihi retribuit* (*Psal.* cxv)? Quærit Propheta sanctissimus quibus meritis beneficia divina compenset, quo famulatus genere munera percepta coæquet, quibus obsequiis tantis possit muneC ribus respondere, quo servitutis genere innumera debeat dona et infinita beneficiorum genera comparare. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit legum jussis obtemperans, impleat fidem, justitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, semet exemplum imitantibus præbeat, quidquid gesserit parum est, quidquid fecerit, minus. Omne enim meritum breve est comparatione donorum. Numera beneficia, si potes, et tunc considera quod mereris. Cum beneficiis cœlestibus tua facta perpende, cum divinis muneribus actus proprios meditare, nec dignum te judicabis eo quod fueris, si intelligas quod mereris. Igitur de beneficiis innumeris divina in te pietate collatis elige quod libuerit unum, huic tuum compensari totum D non poterit meritum. Cæterum obtunditur sensus, confunditur animus, spiritus perturbatur, ut ab homine Deus noscatur, nec humana poterunt pensari obsequia, si divina beneficia compares, et tamen de illo loquimur qui semet peccare non patitur, qui judicium suæ mentis examinans, contendit ut placeat, ut promereatur instat, ut serviat elaborat. Cæterum quem aut peccare delectat, aut propriæ mentis segnitia, aut inconsiderati actus, aut vanitas vitæ sic mancipat vitiis, ut sit materia delictorum, minister culparum, seminarium peccatorum, ita ut in se duplex scelus et geminum crimen admittat, et qui debita Domino servitutis non reddit obsequia, et qui innumera beneficia peccando ejus pensare nititur contumelia. Quare nitatur justus merita propria beneficiis cœlestibus coæquare, nitatur et peccator vitia quæ exercebat horrere. Ille incrementis sanctæ vitæ increscat, hic peccata damnando, justitiam quam non amabat exerceat. Justus ad meliora vitæ proficiat, peccator corrigatur et vivat. Ille bonis tribuat salutare exemplum, hic malis ostendat correctionis remedium. Ille præmia meriti sancti exspectet, hic supplicia semet corrigendo declinet. Sic fit ut et justus gloriam bene vivendo acquirat, et peccator correctus indulgentiam divina pietate percipiat.

## HOMILIA LXI.

### DOMINICA IN SEXAGESIMA.

*In illo tempore, cum turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum*, etc. (*Luc.* VIII).

Lectio sancti Evangelii, quam modo audivimus, fratres charissimi, etc. *Hanc homiliam vide apud sanctum Gregorium Magnum, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1131.

## HOMILIA LXII.

### IN EADEM DOMINICA.

*De lapsu primi hominis.*

(Ex Opp. beati Chrysostomi.)

Nemo qui [est qui] nesciat principio hominem sic a Deo plasmatum ut instrueretur prudentia, consilio formaretur, rationis capax, divina providentia redderetur. Instrueretur, inquam, prudentia qua hostis calliditatem vitaret; consilio, quo salutaria ac recta perquireret; ratione, qua Deo genitori parendum esse cognosceret. Etenim Dominus Deus videns hominem quem fecerat innocentem, instruxit, monuit et armavit, quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est prudentia, consilio, ratione, fuerat instruendus. Addidit præterea legem qua Dei voluntatem agnosceret, et quid contemnenti evenire posset, addisceret. Qui quidem homo incautus, dum plus diabolo persuadenti quam Deo jubenti consensit, et sic vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit. Stabat Adam inter uxorem et diabolum, inter Evam et hostem, inter mulierem et serpentem. Diabolus persuadet ut noceat, Eva consentit ut pereat. Diabolus mulierem astutia fallendi circumvenit, mulier incauta serpentinum virus accepit. Diabolus quod per se non potuit, per uxorem Adam protoplastum circumvenit. Adam vero per uxorem invenit interitum, quam a Deo acceperat in auxilium. Proh dolor! prospera in contrarium cedunt, utilia perniciem operantur. Denique plus Adam domesticis quam inimici jaculis læditur, plus proprio quam hostili ense perimitur, plus mulieris quam externo gladio vulneratur. Accessit enim serpens subtilis ut falleret, et accessit, non ut viro, sed ut mulieri serpentinum virus infligeret. Accessit, inquam, ut unius consensu utrique nocere potuisset. Sed soli persuadet, quod ambobus obesset: utrisque obfuit quod unius animum malitia serpentis infecit. Denique consentiens mulier talis circa virum exstitit, qualem circa se malitiam serpentis invenit.

Digitized by Google

Adeo persuasa est et persuasit, infecta est et infecit, A decepta est et decepit. Quæ quidem mulier feritur sententia duplici, altera propria, altera communi: propria, qua filios parere in dolore præcepta est; communi, qua cum viro morti addicta est. Altera qua serpenti assensit, altera qua marito persuasit. De consensu enim in mortis sententiam incidit, de persuasu in dolore filios parere meruit. Hanc igitur sententiam, et qui non novit, dum patitur discit; et qui nescit, dum expungitur sentit; et qui ignorat, dum experitur agnoscit. Proh nefas! præceptum Domini contemnitur, et persuasio serpentis auditur. Despicitur Deus providens, et serpens auditur decipiens. Spernuntur salutaria monita, et recipiuntur venenata colloquia. Unde addicitur homo ex contemptu morti, qui maluit obedire serpenti. Spoliantur gloria, B dignitate privantur, facti sunt quod non erant, dum amittunt quod fuerant. Adeo gaudet serpens perpetrasse quod voluit, lætatur hominem peremisse, quod optavit. Exsultat malitiæ effectus hominis deceptionem implesse. Et nescit infelix vulneratum semet, dum vulnerat; trucidatum dum trucidat, dum hominem perimit, seipsum esse peremptum. Contristatus est Deus hominem sententiam mortis [ante] meruisse quam vitæ, meruisse interitum quam salutem, gloriam contempsisse quam mortem, sed tamen plus malitia serpentis quam hominis contemptu commotus est, plus fallaciam diaboli quam hominis perfidiam denotavit: adeo Dominus Deus et sævitiam exsecratus est hostis, et casum miseratus est hominis: C crudelitatem hostis exhorruit, et deceptum hominem paterna pietate condoluit, inimici atrocitate permotus est, et hominem clementer doluit qui deceptus est. Denique Dominus Deus, Ubi es, inquit, Adam? Ad confessionem provocat dum interrogat. Vult eum fateri peccatum, dum ab eo inquirit admissum. Quærit misereri, dum cum reo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui causam contemptæ legis incusat. Objurgat culpam, ut possit retribuere veniam, ut quos formare instruendo non potuit, eos possit confitendo purgare: accipiunt indumenta pellicea, ut qui confessi jam delictum fuerant, veniam cultus humilitate perciperent. Ostendit Dominus quibus officiis possint delicta purgari, ostendit confessione et deformitate cultus veniam posse facillime D impetrari. Ut enim contumacia est celare quod Deo teste commiseris, sic periculosum si splendore cultus animi innocentiam mentiaris. Nemo itaque, nemo peccatorum vitia desperata lætitia contegat, nemo infecto delictis animo dissimulationis virus infundat. Animi vitia, corporis mœrore monstrentur. Si vexatus est animus, lugeat corpus, quoniam quoties corpus in causa est, animus mœstitia condolescit. Certe quale est corporis vitia sine animi compassione esse non posse, tale est animi vitia sine corporis compassione non privari. Pariter contristentur, ut veniam pariter consequantur, quoniam utrosque simul aut beneficio foveri, aut injuria vexari necesse est. Nec enim aliud homo est quam corporis animique concretio. Hæc enim duo quantum diffinitionibus differunt, tantum hominem dum junguntur efficiunt. Ut enim in vita separari non possunt, ita nunquam boni malique merito separantur. Ut enim non potest a corporis bonis animus separari, ita ab animi malis corpus non potest dissociari. Si enim in Dei judicio utræque substantiæ aut supplicio aut præmio expurgentur, cur non et in isto sæculo pariter aut mœstitia aut lætitia perfruantur? Unde tibi, Christiane, excusatio nulla est, qui post servitutem liberatus es, post captivitatem redemptus, post vexationem curatus, post interitum restitutus: habes in monitis quod exerceas, habes exempla quæ timeas. Adam enim nec fallaciam diaboli notat, nec decepti cujusquam casum defleverat. Qui quidem forsitan posset evadere, nisi prior cum hoste dum confligit occumberet. Te jam instruit Dominus, tibi gestorum exempla proposuit. *Ecce*, inquit, *sanus factus es, noli jam peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* v). Noli, inquit, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, inquit, o homo, graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat, nec mundari meretur qui semetipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur et præmium; qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum; qui gratiam illæsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Grave est enim hominem instructum delinquere, gravius jam absolutum peccare. Servo pejor est qui patronum post datam libertatem offendit. Beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Quare aut salutem de exemplo acquire, aut de consortio similem sententiam metue, ne severum sentias judicem, qui benignum contempseris persuasorem.

## HOMILIA LXIII.

### DE CUPIDITATE.

(Ex Opp. sancti Ambrosii Autperti.)

Sanctorum ecclesiam, etc. *Reliqua videsis inter Opera sancti Autperti, Patrologiæ tomo LXXXIX, col.* 1278.

## HOMILIA LXIV.

### IN DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

(Ex Opp. beati Gregorii Magni papæ.)

*In illo tempore assumpsit Jesus duodecim discipulos suos et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam*, etc. (*Luc.* XVIII).

Redemptor noster, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1082.

## HOMILIA LXV.

### DE EADEM DOMINICA.

*De fide Abraham et de immolatione Isaac.*

(Ex Opp. beati Joannis Chrysostomi.)

Fides est religionis sanctissimæ fundamentum, charitatis vinculum, amoris subsidium. Hæc sancti-

Digitized by Google

tatem firmat, castitatem roborat, dignitates exornat. In pueris splendet, in juvenibus floret, in provectis apparet. Gubernat sexus, gradus provehit, officia cuncta custodit. In paupere grata est, in mediocri læta, in locuplete honesta. Fides amicitias servat, collegia copulat, artes commendat. Nullum despicit, nullum contemnit, nulli deest, nisi qui ei forte defuerit. Fides mandata tenet, præcepta servat, promissa confirmat [consummat]. Fides familiares efficit Deo, amicos constituit Christo. Neque enim quisquam fidei promissa percipiet, nisi professionem actibus servet; aut præmiorum potest compos existere, qui promissam fidem conservare noluerit, ut jam aut impletæ fidei merces homini recompensetur, aut violatæ pœna competens tribuatur. Hujus fidei ab Abraham ducamus exordium, qui cum in excidua constitutus ætate, filium a Deo promissum se crederet accepturum, et fidei pretium in filio conspexit, et in stellarum suam sobolem numerum redundantem fide comparavit eadem. Denique unus filius Abrahæ exoptatur, et immensa ei multitudo promittitur. Solatium unius hæredis conquiritur, et innumerabilis soboles destinatur. Nescis, inquit Dominus, nescis Abraham quid destinatum sit tibi, sed idcirco nescis quia quod merearis non respicis. Tantum enim de me tua meruit fides, tantum tua obsequia valuerunt, ut et quid desideres norim, et facere quod mereris decreverim. Namque tibi nascetur filius, cujus semen diffundetur in millia, ut et similitudini siderum coæquetur, et arenæ immensitatibus comparetur. Credo, inquit Abraham, Domine, credo quia potes, facturum te confido quod spondes. Nec enim confectam senectutem marcescentis meæ ætatis considero, aut Saræ conjugis sterilem effetamque conditionem attendo, sed tuæ majestatis potentiam tracto, nec cui talia promittantur, sed a quo promittantur agnosco. Generare enim filios senilis ætas non patitur, sed tua, Domine, jussione completur. Steriles filios habere non possunt, sed hoc posse tuæ virtutes efficiunt. Natura quidem negat, sed potentia imperat. Ætas prohibet, sed tua potestas ostendit. Impossibile quidem illud videtur nobis; non tibi; homini, non tuæ, Domine, majestati; naturæ, non Deo, servis, non Domino. Unde credo, Pater, credo, Domine, istud te facturum esse quod dicis, quia his virtutibus cunctis gentibus innotescis. Tunc Sara concepit in utero, et peperit filium, patrem multarum gentium destinatum. Nascitur Isaac ornamentum generis, parentum gloria, propinquorum lætitia, familiæ decus, hæreditatis spes, fidei pretium, promissæ sobolis testimonium. In cujus nativitate et Dominus promissum reddidit, et Abraham votum quod optavit, accepit. Gaudent omnes, cuncti lætantur. Fit enim Isaac dulcis cum nascitur, dulcior cum nutritur. Nec enim poterat esse non dulcis, quem et patris fides condierat, et propria innocentia commendabat. Fit et Sara ex sterili mater fecunda in filio, fecundior futura ex ipso. Redit juventus in senem, marcens ætas reparatur in juvenem, et manente senectutis ætate, juvenilia geruntur a matre. Denique blanditur, nutrit et lactat, et consequentia complet officia, quæ jam forsitan oblivisceretur, si suo tempore Saræ parere concederetur. Tunc locutus est Dominus ad Abraham, dicens: *Accipe filium tuum quem diligis, Isaac, et vade* in unum montium, et offer mihi illum in sacrificium (*Gen.* XXII). Mox Abraham tam celeriter decernit jussis cœlestibus esse parendum quam fuerat divinitus imperatum. Verebatur enim ne votum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret. Denique properat quod jussum est perficere, festinat quod præceptum est adimplere. Fuit enim lætus cum eum acciperet, lætior cum eum immolandum Dominus postularet. Ostendit Abraham charissimum quidem sibi esse filium, sed multo chariorem filio existere Dominum. Nec dulcedinem aut affectus pignoris respiciebat, qui jussionem ut perficeret, cogitabat. Totos enim affectus convertit in Deum, cui jam se noverat mancipatum. Denique illam fidem servabat in sese, cum filium juberetur offerre, qua Deum promeruerat, cum eum mereretur accipere. Adest Isaac patri quidem ætate dissimilis, sed fide ac devotione æqualis. Adest, inquam, Isaac, qui si quid pater disponeret, ipse fieri libenter optaret. Ita enim filius paruit patri, ut pater divinæ obtemperaret jussioni: ut de consensu filii pater securus existeret, et voluntati patris sese filius manciparet. Erat enim in utrisque unus animus, par sensus, et similis circa Deum affectus, ut generositatem patris in filium transfusam conspiceres, et innocentiam filii patri non deesse videres, ut et paternæ fidei particeps filius existeret, et simplicitate filii patris sublimitas redundaret. Qua securitate Abraham fretus, sternit sibi asinam, ad sacrificium ligna concidit, pueros secum adducit. Cumque ad civitatem venissent, Estote istic, inquit, ego et puer iste ibimus soli: et cum adoraverimus Dominum, revertemur ad vos. Statim pater cum filio proficiscitur solus. Ad quem idem filius: Pater, inquit, ligna video, cultrum et ignem conspicio, hostiam quam immolaturus es quæro. Desine, inquit, desine istud quærere, fili, quod sibi Dominus ad horam procurabit: desine quærere quod sibi Dominus jam prævidit. Magnum præsagium promittentis, magna innocentia inquirentis. Isaac hostia, de hostia patrem interrogat, sacrificii effectus desiderat. Ovis ab eo quæ deerat quæritur, ne ipse qui loquitur immolet. Ast ubi ad locum ventum est, uterque montem ascendit. Aram pater exstruxit, ligna composuit, filium colligavit. Patere me, inquit, fili, patere votum perficere, patere, inquam, per te jussionem Domini adimplere. Deus enim qui te condidit, expetit; qui dedit, quærit; qui te creavit, te sibi desiderat immolari. Non est enim hoc parricidium, non est crudelitatis admissum, quia votum est. Nec tibi, fili, a genitore mors miseranda infertur, sed utrisque nobis salubriter providetur. Tanto eris acceptabilis hostia, quanto libenter gloriosæ mortis acceperis beneficia. Quod

Digitized by Google

jussus pater es, perfice, inquit; quod disponis, constanter [instanter] adimple. Ego enim nec renuo, A nec recuso, quod volueris volo, quod optas exopto, quod desideras et ipse desidero. Denique eo voto istam mortem excipio, quo te eam mihi inferre velle cognosco. Hæc etsi uterque non dixit, tamen cuncta ista in actu ostendit. Mox pater extensa manu gladium sumit, dexteram erigit, jugulare filium, sacrificium perficere, jussum Domini voluit devotus implere: et pendenti jam atque imminenti mucrone, Parce, inquit Dominus, parce; fidem tuam quæsivi, non filium ut jugulares optavi: nec amabile pignus tibi subtrahere, sed devotionem tuam volui pertentare. Nunc cognovi quia amas Dominum magis quam filium, imo magis amas filium, quia diligis Dominum: B quia dum non pepercisti filio tuo propter Deum, eumdem tecum constituisti Domino gloriosum. Quare te benedictionibus cumulabo, et infinitam filiorum multitudinem ex eo tibi provenire confirmabo. Statim procuratur aries, qui pro Isaac sanctissimo mereretur occidi. Nec enim fas erat ut Isaac, qui typum Christi portabat, a patre hoc in tempore mactaretur, quia perfecta sacrificii hostia Christo Domino servabatur. Procurabatur, inquam, aries, qui pro Isaac mereretur occidi, ut et promissum patris de hostia compleretur, et perfecto sacrificio, patri Isaac incolumis redderetur. Tunc uterque lætus de monte descendit: pater, quod sacrificii votum salvo filio perfecerit; filius, quod jussa patris libenter optasset. Gaudet de patre filius, de filio pater. Gaudent propinqui, familia cuncta lætatur: gaudent, inquam, C quod et opus tantum perfectum sit, et quod patrem cum filio incolumes illis Dominus revocarit.

## HOMILIA LXVI.

### IN DIE CINERUM.

(Ex Opp. beati Augustini, lib. II, tract. de Sermone Domini in monte, cap. 12, num. 40.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes*, etc. (*Matth.* VI).

Manifestum est, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tom. III, Patrologiæ XXXV, col.* 1287, *lin.* 28.

## HOMILIA LXVII.

### IN EODEM DIE.

(Ex Opp. ejusdem sancti Augustini.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, etc. (*Matth.* VI).

Clemens et pius Dominus Deus noster, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 243.

## HOMILIA LXVIII.

### IN FERIA QUINTA POST DIEM CINERUM.

(Ex eodem.)

*In illo tempore, cum introisset Jesus Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans*, etc. (*Matth.* VIII).

Audivimus, etc. *Hanc homiliam videsis apud sanctum Augustinum, tomo ut supra, col.* 414.

## HOMILIA LXIX.

### IN FERIA SEXTA POST DIEM CINERUM.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Audistis quid dictum est: Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum*, etc. (*Matth.* V).

Gradum esse aliquem, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1859.

## HOMILIA LXX.

### IN SABBATO POST DIEM CINERUM.

(Ex venerabilis Bedæ in Evangelium Marci expositionis lib. II, cap. 6.)

*In illo tempore, cum sero esset factum, erat navis in medio mari, et Jesus solus in terra*, etc. (*Marc.* VI).

Labor discipulorum, etc. *Reliqua videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 196.

## HOMILIA LXXI.

### DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Licet nobis, dilectissimi, appropinquante, etc. *Hanc homiliam videsis apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 268.

## HOMILIA LXXII.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Gregorii Magni papæ.)

*In illo tempore ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo*, etc. (*Matth.* IV).

Dubitari a quibusdam solet, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1135.

## HOMILIA LXXIII.

### IN FERIA SECUNDA POST *Invocavit*.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Filius hominis in majestate sua*, etc. (*Matth.* XXV).

In lectione quæ hanc præcedit, proposuit Dominus similitudinem hominis peregre proficiscentis, qui vocatis servis suis distribuit illis pecunias, prout unicuique conveniebat, alii quinque talenta, alii duo, alii unum, et statim profectus est. Post multum vero temporis reversus, vocatis servis suis posuit rationem cum eis. Et bene quidem operantes pro apportatis lucris remuneravit, negligentem vero servum D et a bono opere torpentem, damnavit. Qua finita parabola, hoc quod modo exponendum suscepimus, consequenter adjunxit, probans illam quam præmisit parabolam ad se pertinere, ait ergo: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua*. Quia enim tempus passionis ejus instabat, et proxime venturo Pascha comprehendendus et alapizandus, conspuendus, flagellandus, spinis coronandus, et ad ultimum crucifigendus, aceto potandus, et morti tradendus erat, proinde se in majestate ad judicium venturum prænuntiat, quatenus secutura scandala passionis compensaret pollicitatio magnæ glorificationis. Ait ergo: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo*. Notandum sane quod Filium hominis in majestate venturum dicit, per quod destruit opi-

Digitized by Google

nionem quorumdam hæreticorum, qui dixerunt Do- A minum nostrum Jesum Christum a tempore resurrectionis et ascensionis non manere in natura veraciter assumptæ humanitatis, non attendentes quod angeli dixerunt: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Et hic Dominus manifeste Filium hominis fatetur venturum esse ad judicium. Idem enim verus Filius Dei, idemque verus Filius hominis, non tamen duo, sed unus est Filius Dei, qui in judicio per solam videndus est humanitatem. Nam in divinitate sua solis post judicium apparebit electis, quia scriptum est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Soli autem regem sæculorum in decore suo videbunt oculi mundi sanctorum. *Cum ergo*, inquit, *venerit Filius hominis in majestate sua*, hoc est, in divinitatis suæ potentia, B per quam cum Patre simul et Spiritu sancto genus humanum judicabit, bene meritis præmia impiis, et peccatoribus digna rependens supplicia, secundum quam (ut dictum est) nunquam eum reprobi videre poterunt. Ille ergo qui quondam ab assumpto homine judicandus veniens non clamavit, neque vocem ejus quisquam in plateis audivit, quia ita humilis venit, ut a nemine cognosceretur, nunc Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit, stipatus ministerio angelorum, qui cum eo ad judicium venient, ut in eorum præsentia judicentur qui sub eorum custodia male vixerunt. Angeli enim sunt administratorii spiritus, qui singulis hominibus ad custodiam deputantur, de quibus Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem* Patris, etc. (*Matth.* XVIII). Hinc et Psal. dicit: C Annuntiaverunt *cœli justitiam ejus* (*Psal.* XXI). *Cœli namque justitiam ejus annuntiabunt*, quia sancti angeli justissimum Dei judicium veneranter prædicabunt. Tunc *sedebit super sedem majestatis suæ*. Sedem super quam Dominus sessurus est in judicio, quidam juxta litteram nubem illam accipiunt, in qua Dominus ascendit in cœlum, in qua etiam venturus est ad judicium. Sed competentius sedes Dei sancta intelligitur Ecclesia, in qua Dominus sedebit, quia in Ecclesia sua gloriosus ipse eam glorificans apparebit. *Et congregabuntur ad eum omnes gentes*. Omnes videlicet homines a primo Adam usque ad eum qui in fine mundi nasciturus est, quique ab exordio mundi jam defuncti sunt, vel qui vivi in corpore inveniendi D sunt. *Et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*. Sicut (inquit) pastor pecus secernit a pecore, ita Dominus noster, qui est verus pastor, quem oves suæ agnoscunt, eumque sequuntur, separabit in die judicii bonos a malis. Nam per oves designantur sancti, simplicitate et innocentia gaudentes, qui ad dexteram Domini statuentur, quia in spe sempiternæ felicitatis collocabuntur. Per hædos autem (qui sunt petulca animalia et lasciva, et ad libidinem semper fervida) designantur reprobi, voluptatibus et illecebris dediti, qui ponentur ad sinistram, quia juste sempiternæ damnationi subjicientur. Sed et illud attendendum, quia non capras, sed hædos in sinistra statuendos dicit, quoniam capram in bonam accepit significationem. Signat enim sanctorum animas, quæ velut greges caprarum tonsæ et lotæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* IV), et gemellos edunt fetus et sterilitatem ignorant. Sciendum vero quia in judicio duo erunt ordines, alter bonorum, alter malorum, qui tamen quadrifarie dividentur. Duo enim erunt ordines bonorum, unus qui non judicabitur, sed cum Domino judicabit, sicut erunt sancti apostoli et perfecti, quibus dictum est, *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Alter erit ordo bonorum, qui judicabitur et salvabitur, quibus dicetur: *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV). Similiter duo erunt ordines reproborum, unus eorum qui non judicabuntur, et tamen damnabuntur, in quo erunt pagani Deum ignorantes, de quibus Psal. dicit: *Non resurgent impii in judicio* (*Psal.* I). Et Dominus, *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III). Alter erit ordo illorum qui judicabuntur et damnabuntur, quibus dicetur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt. Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi*. Rex Christus videlicet, qui est rex regum et Dominus dominantium, quique in die illa solus exaltabitur, et suæ potestatis auctoritate sententiam dictabit. Et dicet his qui a dextris ejus erunt, hoc est sanctis qui ad sortem supernæ beatitudinis pertinebunt: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. Vox ista desiderabilis, exoptabilis, et omni gratia suscipienda, qua sancti ad bona perpetua et ad regnum vocantur sine fine mansurum. Et merito benedicti dicuntur, hoc est, ad æternam benedictionem (quæ in Christo et per Christum est) prædestinati. Patris autem sui regnum dicit, ad illum referens omnem potestatem, cujus est Filius, quia a quo habet essentiam, ab illo habet et potentiam. Unum tamen est regnum Patris, et Filii et Spiritus sancti, sicut una est essentia eademque majestas. Quod regnum ab origine mundi illis præparatum asserit, quia ad illud ante sæcula prædestinati et præordinati sunt. Nam et apostolus dicit: *Quos præscivit et prædestinavit, illos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* VIII). Quibus vero meritis talem meruerunt remunerationem, enumerat subdens: *Esurivi, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et redemistis me*. Quæ verba aperte exprimunt opera pietatis, et benevolentiæ munificentiam, quæ corpoream tolerantibus indigentiam necessaria est. Verum si hæc spiritualiter acceperimus, gratius aliquid impletione charitatis intelligere poterimus: quia charitas non solum circa carnem fratris quandoque morituram, verum multo magis circa animam semper victuram est exhibenda. Qui igitur esurientem et sitientem pane verbi satiat et aqua sapientiæ potat, perfectæ charitatis opera adimplet. Qui errantem a via veritatis sacra admonitione revocat, et per pœnitentiam in

Digitized by Google

domum sanctæ Ecclesiæ recipit, pietatis opera veraciter agit. Qui vero infirmum in fide suscipit secundum Apostolum (*I Thes.* v), et tribulationum ac justitiæ carcere clauso, solatium compassionis ac sermonem consolationis impendit, hic utique veræ dilectionis jura adimplet, et ideo pietatis mercede remunerandus est. Et nota quod non virtutes maximas, sed sola dilectionis opera, quæ activæ vitæ necessaria sunt, Dominus in judicio commemorat, ut liquide ostendat quia charitatis præcepta servantibus debeantur regna cœlorum, sine qua nulla virtus, nullum opus bonum Deo placere potest. *Tunc respondebunt justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus? sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te? nudum, et cooperuimus te?* Ista sancti respondebunt, stupentes ad immensam et ineffabilem majestatem regis Christi, et quia omne bonum quodcunque fecerunt, quamvis fuerit maximum, tunc illis minimum et brevissimum videbitur, præ magnitudine terroris qui tunc erit, sive præ abundantia inæstimabilis retributionis. Denique et beatus Ephrem in homilia quadam de die judicii, quam plenam compunctione scripsit, dicit sanctos tunc angelos, sub quorum custodia vixerunt, interrogantes, quid unquam boni egerunt, ut tali gloria talique digni haberentur mercede? *Et respondens rex, dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex minimis his fratribus meis, mihi fecistis.* Miranda Domini et Salvatoris pia dignatio, qui devotionem justorum tali mercede compensat, ut se in pauperibus pastum et vestitum asserat, et quidquid illis impensum est, se suscepisse confirmet. Sane quod dicit : *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*, potest quidem generaliter de omni paupere intelligi, quod videlicet eleemosyna cuiquam egeno propter Christum impensa, ab ipso suscipiatur. Verum cum Dominus notabiliter et quasi demonstrans dicat, *uni de minimis istis*, ostendens non generaliter se de quibuslibet pauperibus, sed de his videlicet tantum dicere qui spiritu pauperes sunt, qui propter Deum voluntariam perferunt egestatem, quibus maxime fideles de suis facultatibus subvenire, et sibi amicos facere debent, ut ab eis in æterna regni cœlorum habitacula recipiantur : *Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Reprobis ad sinistram positis (qui etiam dum in mundo viverent, sinistra semper, hoc est transitoria amaverunt, nec unquam æternorum, qui ad dexteram figurantur, curam habuerunt) dicitur : *Discedite a me*, maligni, *in ignem æternum.* Maledicti vero vocantur hi qui in malitia vitam consumentes, æternæ maledictioni seipsos præparare non timuerunt. Nunquam quidem mali cum Domino fuerunt, quia non habitabit juxta eum malignus, sed tunc discedere videntur, quia in præsenti mali bonis permisti videntur, a quibus in judicio separabuntur. Sagena autem sanctæ Ecclesiæ malos pisces cum bonis capit, et usque ad littus ultimi examinis per-

A trahit. Sed tunc bonis in vasa collectis piscibus, mali foras projicientur. Sic et in agro Domini zizania cum tritico germinant, sed cum ad aream ventum fuerit triticum ad horreum reconditur, zizania vero fasciculis colliguntur et igni comburuntur. Sive discedere eos, hoc est, a præsentia suæ visionis jubet projici, et in tenebras exteriores expelli. Discedere ergo maledicti jubentur in ignem æternum, ut ibi sine fine ardeant, qui in præsenti ignem vitiorum in se exstinguere noluerunt. Iste autem ignis diabolo et angelis ejus præparatus est, quia sicut potentia Dei justis regnum ab origine mundi præparavit, ita diabolo et angelis ejus ac reprobis ignem æternum, in quo æternaliter crucientur, præordinavit. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non*
B *dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus eram, et non operuistis me. Infirmus, et in carcere, et non venistis ad me.* Metuenda multumque pertimescenda est ista sententia. Non enim dicit, aliena rapuistis, sed, *non dedistis mihi manducare.* Si ergo ita tenacitas damnatur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui alienum tulerit, si sic punitur qui de suo non dederit? Si tale judicium est ei qui non fecerit misericordiam, quale erit ei qui fecit rapinam? *Tunc respondebunt et ipsi, dicentes : Domine, quando videmus te esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, et non ministravimus tibi?* Excusare nituntur, tanquam Deum fallere possint, sicut quondam homines decipiebant. Sed tunc nullam excusationem habere
C possunt, qui dum potuissent converti, noluerunt, et eleemosynis peccata sua delere neglexerunt. *Et respondens, dicet illis : Amen dico vobis, quandiu non fecistis uni de his fratribus meis minimis, nec mihi fecistis.* Qui enim humilibus et despectis membris Christi beneficium impendere negligit, convincitur Christo minus esse devotus, atque ideo nunquam se ei aliquid tribuisse gaudebit. Nam *qui non diligit fratrem quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere* (*I Joan.* iv)? Attendendum vero quod et hic, sicut et superius, unitatis fit mentio, cum dicitur : *Quandiu non fecistis uni ex minimis meis, nec mihi fecistis.* Per quod innuitur quia illius largitas accepta est Deo, qui hanc simplici cordis intentione in unitate
D fidei catholicæ studet exhibere. Cæterum qui se ab unitate fidei hæretica pravitate dividit, vel de suo opere bono laudem quærit humanam, hujus misericordia reproba a Christo judicatur et indigna. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Origenes dogmatizat omnes reprobos, ipsum etiam diabolum et angelos ejus post multa sæcula posse indulgentiam peccatorum promereri et a suppliciis liberari, asserens divinæ pietati aptissime convenire, ut sicut hominem redemit, ita quoque prævaricatorem angelum salvet. Cui tamen apertissime hæc sententia repugnatur : *Ibunt hi in supplicium æternum.* Sed ille ex opposito dicit, hoc Dominum dixisse ad incutiendum timorem quibusque perversis, quatenus æterna expavescant supplicia, et

Digitized by Google

peccare desistant. Cui contra respondendum quia si hoc verum non est, nec illud verum est, quod Veritas subdit: *Justi autem in vitam æternam.* Sed (quod dictu nefas est) sicut illud falso minatus est ut timore percelleret, ita hoc falso promisit, ut vacua spe deciperet. Ad hæc fortasse aliquis dicat, injustum esse ut pro temporali et momentanea delectatione quis æternam solvat pœnam. Sed sciendum illos æternis subigi tormentis qui obstinata voluntate in malo perseverare, et nunquam suis sceleribus terminum ponere voluerunt. Insuper et si semper vixissent, semper utique peccare voluissent. Justo igitur Dei judicio tales ibunt in supplicium æternum. Proinde oranda est Dei misericordia, et corda cum manibus eleemosynarum levanda, ut in præsenti vita ignis timoris sui mala nostra decoquat, quatenus in tremendi examinis judicio a malorum sinistra locatione liberatos, in dextera cum omnibus sanctis misericorditer collocare, et in vitam æternam cum sanctis angelis connumerare dignetur, in qua vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXIV.

### IN FERIA TERTIA POST *Invocavit.*

*In illo tempore, cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universa civitas,* etc. (*Matth.* XXI).

Dominus et Deus auctor et reparator humani generis Christus, ante mundi constitutionem præelegerat cum Patre, et quando et ubi pateretur pro salute hominum. Impleta ergo hujus temporis plenitudine, instante jam passione, appropinquare voluit loco suæ passionis, ubi inveniri posset ab his per quos eadem passio erat celebranda, ne quasi refugiens mortem æstimaretur. Non enim metuebat mortem, sed potestate imperabat morti. Ait ergo evangelista: Quia *cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universæ civitas, dicens: Quis est hic?* Ad ingressum Salvatoris commota est civitas, admirata est populi frequentiam. Simile quid et in ejus ascensione de angelis legimus, qui dum Dominum triumphali pompa ascendentem cernerent, et carnem jam glorificatam ad cœlos vehentem, admirantes dicebant: *Quis est iste rex gloriæ* (*Psal.* XXIII)? Notandum vero quod ante sex dies Paschæ, sicut alius evangelista dicit (*Joan.* XII), venit Dominus Bethaniam, ubi Lazarum suscitaverat, atque in crastinum in asino sedens, turbis divinas laudes acclamantibus, Hierosolymam ingressus est, quod olim in paschali agno mystice fuerat præsignatum. Scriptum namque est in lege (*Exod.* XII): *Decima die mensis primi tollat unusquisque agnum per familias et domus suas, et servabitis eum usque ad quartum decimum diem mensis hujus, immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israel usque ad vesperam.* Ergo secundum hanc de paschali agno prophetiam, Dominus Jesus decima die mensis primi, hoc est, ante quinque dies paschæ, civitatem Hierosolymam ingressus, conjurante adversum se seniorum princi-

A pumque concilio, præstolabatur horam qua pro mundi salute Deo Patri se in odorem suavitatis hostiam offerret. *Populi autem* dicebant: *Hic est Jesus a Nazareth propheta.* Superbis Judæis quisnam esset, qui cum tanta gloria civitatem intrabat interrogantibus, simplex turba quod noverat fatebatur. *Hic est,* inquit, *Jesus propheta.* Prophetam appellabant, quia errabant, et quid dicerent ignorabant. Nesciebant enim eum Deum aut Dei Filium appellare, sed error eorum perfecta scientia plenus erat. Nam Moses de eo dixerat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus* vestris, illum audietis tanquam me (*Deut.* XVIII). Et ipse de se loquitur: *Non capit prophetam perire extra Jerusalem* (*Luc.* XIII). Ita vero accipiendum est *propheta,* ut sit Dominus
B prophetarum, sicut est Rex regum et Dominus dominantium. *Et intravit Jesus in templum.* Quod Dominus in civitatem ingressus, primo templum adiit, formam religiosæ conversationis, quam sequi debeamus, ostendit. Cum enim oppidum vel castellum, sive aliquem locum ubi domus orationis Deo sit consecrata, ingredimur, prius ad illam festinare debemus, et postquam nos per orationis studia Deo commendaverimus, sic demum ad ea quæ necessitas fragilis vitæ exigit, peragenda negotia protinus accedamus. *Et cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.* Inter omnia miracula quæ Dominus in mundo corporaliter gessit, hoc præcellentissimum et maximum est. Plus enim fuit, ut dicit beatus
C Hieronymus, hoc quod unus homo inermis multa millia armatorum de templo ejecit, quam quod Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit. Fulgor enim divinitatis resplendebat in aspectu humanitatis; atque ideo videntes insolitam claritatem in facie hominis radiantem, intuentes terga cædendi dabant et resistere non audebant. Et dicit eis: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Domus illa Dei ad hoc a Salomone primum, et postea a Jesu sacerdote et Zorobabel constructa fuerat, non quod Deus in manufactis templis habitet, sed ut ibi nomen ejus invocetur, ibique devotæ plebis orationes audiret, vota susciperet, munera et oblationes acceptaret.
D Sed illi eam speluncam latronum fecerant, quia ad hoc in templo residebant, ut aut non dantes munera corporaliter punirent, aut dantes spiritualiter necarent. Legis siquidem præceptum erat (*Deut.* XVI) ut ter in anno convenirent omnes ex diversis regni Judaici partibus ad augustissimum et sanctissimum in orbe templum, in Pascha videlicet, Pentecoste et Scenopegia: et ejusdem legis præceptum erat ne vacui in conspectu Domini apparerent. Et plerumque contingebat ut qui de remotioribus partibus veniebant non haberent quod in sacrificio Domini offerrent, quia ad longitudinem itineris secum pecora sua adducere non valebant: proinde sacerdotes habebant pinguissima animalia quæ usus sacrifici exposcit, et ea non habentibus vendentes,

Digitized by Google

accepta pecunia rursus empta suscipiebant, hoc modo prædam de simplici populo facientes. Verum erant quidam ita pauperes, qui etiam sumptibus et victu indigebant, et non solum hostias, sed nec eas unde emerent non habebant. Ad hoc iidem sacerdotes nummularios in templo statuerunt, qui mutuam eis sub hac occasione pecuniam darent. Sed quia lex usuras prohibuerat, nec aperte eis duplicatam pecuniam exigere poterant, excogitaverunt rursus aliam fraudem, ut pro usuris reciperent varias species munerum, uvam passam videlicet, et diversi generis poma, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis emuntur. Hoc appellabant ipsi proprio sermone colybistas, qui colybia, id est vilia munuscula, dabant, quæ græce tragemata, Latine bellaria dicuntur. Istiusmodi negotiationes et fraudes cernens Dominus in domo Patris sui fieri, sicut beatus Joannes dicit, facto flagello de resticulis, innumeram multitudinem de templo ejecit (*Joan.* II). Attendant istud Ecclesiæ sacerdotes, et caveant ne domum Dei in speluncam latronum vertant. Latro enim est qui lucra de religione sectatur, et ex cultu sanctitatis studet occasioni negotiationis. Proinde metuendum est illis, ne sicut illi de templo materiali ejecti sunt, ita isti de templo spirituali ejiciantur. Quotidie enim Dominus domum Patris sui, sanctam videlicet Ecclesiam intrat, et occupatos lucris turpibus ejicit, atque unius criminis habet vendentes pariter et ementes. Vendentes enim sunt qui sacros ordines ad præmium largiuntur. Ementes vero, qui pro injustitia pecuniam tribuunt, et dato pretio patronis, emunt peccatum. Notandum vero quod dicitur, *mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.* Quid enim per mensas nummulariorum nisi altaria intelliguntur, quæ per avaritiam malorum sacerdotum, mensæ efficiuntur nummulariorum. Quid vero per cathedras vendentium columbas, nisi magistralis dignitas in Ecclesia accipitur, quæ et ipsa cum ad lucra deflexerit, ad nihilum redigitur? Quid vero per columbas, nisi Spiritus sanctus accipitur, qui super Dominum baptizatum in specie columbæ apparuit? Qui autem sunt qui columbas vendunt, nisi hi qui Spiritum sanctum per manus impositionem ad præmium tribuunt? Sed Dominus *cathedras vendentium columbas evertit,* quia talium sacerdotium destruit. Quicunque enim episcopus gratiam Spiritus sancti vendiderit, etiam si nunc in conspectu hominum pontificali stola fulgere videatur, jam ante Dei oculos sacerdotio privatus est. Hinc et sacri canones simoniacam hæresim anathematizant, et sacerdotio privari præcipiunt eos qui pro spirituali gratia impensa quærunt pretium. Moraliter: sicut in civitate templum cæteris ædificiis præeminet, ita in plebe fidelium vita religiosorum. Templum ergo Dei est ipsa mens fidelium, dicente Apostolo: *Vos estis templum Dei et Spiritus sanctus habitat in vobis* (*I Cor.* III). Hæc igitur mens fidelis si, relicta innocentia, in læsionem proximi perversas profert cogitationes, spelunca utique latro-

A num efficitur, nec jam domus orationis vocatur, sed latibulum latronum. Nam illud meditatur agere, unde proximo suo possit nocere. Non ergo sit in domo pectoris nostri negotiatio, non ementium vendentiumque commercia, ne iratus Jesus intret, et flagello districtæ severitatis puniat concretas sordes suæ mansionis. *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templum, et* curavit *eos.* Ejectis indignis et profanatoribus templi, cæcos et claudos mirabiliter sanavit, ut per hoc virtutis suæ suis adversariis daret indicium, et vocem se laudantium puerorum, Hosanna in excelsis clamantium, tali testimonio confirmaret: ostendens opere quod illi vocibus consonabant simul etiam ut, visa Christi tanta potentia, converterentur et crederent. Ideo enim illis cernentibus cæcos illuminavit, ut illi

B fidei lumen reciperent, ideo claudos direxit, ut isti claudicationem mentis abjicerent, et meliores pedes in recta operatione habere inciperent. *Videntes autem pueros* clamare *in templo Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini dixerunt: Audis quid isti dicunt?* Indigne ferentes quod Christo quasi divinas laudes et quæ soli Deo conveniunt acclamarent. Verum Dominus ita responsum suum ex omni parte præmunivit, et quod diceret ita temperavit, ut nec calumniatorum insidiis pateret, vel laudes illas, quasi a pueris errantibus sibi deferrentur, abjiceret. Non enim respondebat quod illi audire volebant, Bene dicunt pueri, juste de me sentiunt. Nec rursus ait: Errant pueri, debetis ignoscere inscietati. Sed respondit: Audio, sicque voces illorum testimonio Psalmistæ

C confirmavit dicens: *Nunquam legistis, Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Deus enim Pater *ex ore infantium et lactentium laudem perfecit*, quia per simplices et innocentes Filio suo testimonium perhibuit, per quod inimicos suos Judæos infestissimos persecutores evidentissime confudit. *Et relictis illis, abiit foras in Bethaniam*, quæ domus obedientiæ interpretatur. Quo jam præmonstrabatur quia Synagogam erat relicturus, et ad domum obedientiæ, hoc est ad Ecclesiam gentium, transiturus. Simul et illud intuendum quod ita pauper erat, ut nec tugurium haberet; ita nulli adulabatur, ut in tanta urbe tamque populosa a nemine reciperetur. Et die quidem in Hierusalem prædicabat, sero vero revertebatur in

D Bethaniam, ubi erat amicus ejus Lazarus cum Martha et Maria sororibus. Felices certe multumque beati, qui Dominum hospitem habere meruerunt, cujus præsentia tristia cuncta movebantur, salubria jucundaque omnia providebantur. Sed et illi nihilominus felicissimi, summeque beatissimi, qui ita se ab omni malitia castos immunesque custodiunt, ut illos Dominus inhabitare et apud eos manere dignetur. Hoc ergo votis sedulis, hoc sanctis desideriis exposcamus, ut ita in nobis universa vitia et quidquid fetidum, quidquid aspectibus suis est indignum, expurget: sic nos virtutum floribus exornet quatenus penetralia cordis nostri aptissimum sibi habitaculum efficere dignetur Dominus et Redemptor noster Jesus

Digitized by Google

Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit A et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXV.

IN FERIA QUARTA POST *Invocavit.*

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore accesserunt ad Jesum scribæ et pharisæi dicentes : Magister,* etc. (*Matth.* XII).

Narratur in superioribus, etc. *Hanc homiliam videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col. 364, ubi inscribitur :* IN FERIA QUARTA PRIMÆ HEBDOMADIS QUADRAGESIMÆ.

## HOMILIA LXXVI.

IN FERIA QUINTA POST *Invocavit.*

*In illo tempore dicebat Jesus ad eos qui crediderant ex Judæis : Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,* etc. (*Joan.* VIII.)

Loquente ad turbas Domino, et divinitatis suæ mysteria annuntiante, sicut superius sanctus Joannes evangelista dicit, multi crediderunt in eum. Jam multi in eum, non tamen omnes, credebant, quia necdum omnibus prædicatum fuerat; necdum in omnem terram apostolicæ prædicationis sonus exierat, necdum apostolis præceptum fuerat : Ite, *docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII). Ad hos ergo qui in se crediderant loquebatur, dicens : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Jam doctrina spirituali initiati erant, jam ibi esse cœperant, et ideo dicit : *Si manseritis in sermone meo,* hoc est, in fide, quæ in vobis credentibus inesse cœpit, tunc *vere discipuli mei eritis,* discipuli utique bonitatis, discipuli justitiæ et summæ veritatis. Sed quo nobis perveniendum est? Nam fides fundamentum est. Et ex hoc fundamento ad quam celsitudinem proficiemus? *Cognoscetis,* inquit, *veritatem.* Veritas Christus est, qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Qui ergo veritatem cognoscit, Dominum cognoscit. Pensandum est, cognoscere illud quod nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Nam fides est quod non vides credere; veritas vero, quod credidisti videre. Hinc ipse alibi dicit : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). Hoc ergo præmium hanc satietatem nobis in suo sermone permanentibus Dominus promittit, quam Psalmista exoptat, dicens : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Et veritas liberabit vos, hoc est, liberos faciet, ut liberati ab amore sæculi, Deum, qui super omnia solus diligendus est, securi ametis, et cum Psalmista dicatis : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). Dixerunt ergo Judæi ad eum : *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam.* Non hoc dicebant qui crediderant, sed inter eos quidam qui non credebant, quique cum audissent Dominum liberationem sibi promittentem, unde gratiosi et subditi esse debuerant, inde magis indignati sunt, quasi servos eos denotaverit, quibus libertatem pollicebatur. Et revera servi erant peccati, a qua pessima servitute non nisi per veritatem liberari poterant. Verum illi solum carnis libertatem cogitantes, cœperunt se de nobilitate carnis extollere, dicentes : *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam.* Stulta et vana superbia. Quid est quod dicunt : *Nemini servivimus unquam?* Joseph quippe in Ægypto servivit, de quo scriptum est : *Manus ejus in cophino servierunt* (*Psal.* LXXX). Ipse etiam Judaicus populus in Ægyptum translatus gravissima servitute, non saltem auri et argenti, sed luti et lateris, a Pharaone et Ægyptiis oppressus est. Unde et sæpissime illis Dominus imputat quod eos de domo servitutis et fornace ferrea Ægypti eduxerit. Sed forte dicturi erant, patres suos, non autem se servisse, quibus Dominus tunc loquebatur. Et quid est quod Romanis tributa solvebant. Nam hinc Do- B mino laqueum calumniæ tetenderant? quando eum in dolo interrogabant, dicentes : *Licet censum dare Cæsari, an non?* Audiamus jam quid Dominus mentientibus et de vana libertate tumentibus responderit : *Amen, amen dico vobis. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Amen Hebræus est sermo, Latine *vere* interpretari potest. Est autem, si dici fas est, juramentum Domini : quod verbum solus Joannes evangelista legitur subinde iterasse, et apud omnes ita invenitur interpretes, nec ab ullo translatum est in aliam linguam, propter honorem Dominici sacramenti. Ingeminat vero amen, amen, ut ipsa iteratione attentos faciat audientes. Sententia hæc cum magno timore audienda est. Quis enim non intremiscat quod Dominus dicit : *Omnis qui* C *facit peccatum servus est peccati?* nam quis est homo qui se audeat dicere peccatorem non esse? Si ergo omnis homo est peccator, utique omnis homo servus peccati. Miserabilis plane conditio, servum esse peccati, servum et diaboli, qui peccati auctor est. Et hominum quidem plerumque servi duros et immites dominos fugiunt, fugiendo requiescunt; servus vero peccati quo fugiat non habet. Sequitur enim eum vindex conscientia, quæ ei semper inhæret excrucians eum, nec vel ad modicum cessat gravissimis agitare stimulis, quos peccatorum subministrat recordatio. Cum ergo *omnis qui facit peccatum servus est peccati,* quæ potest spes superesse libertatis? Sed audivimus Dominum terrentem, audiamus etiam consolantem. Ita enim timorem incutit, ut afferat D securitatem. Sequitur : *Servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Domus Dei est Ecclesia Dei. Apostolus enim loquitur fidelibus, dicens : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). *Servus autem peccati, non manet in domo in æternum,* quia qui manet in peccato, non permanet in Ecclesia. Ecce aperte ostendit quia aliud est peccare, aliud servum esse peccati. Nemo enim potest non esse peccator, sed potest non esse servus peccati. Permanere autem in peccato, hoc est servum esse peccati. Servus enim non manet in domo in æternum, quia etsi mali intra sinum Ecclesiæ videantur positi, jam tamen in Dei cuncta cernentis præsentia ab Ecclesia projecti, et novissime in die judicii ab electorum societate segregati, ad

sinistram sunt statuendi. Unusquisque ergo qui se recognoscit servum esse peccati, studeat abjicere jugum durissimæ servitutis: credat in Filium Dei, obtemperet præceptis Filii, ut possit et ipse effici Filius Dei. Hanc enim gratiam dedit credentibus et se diligentibus unicus Filius Dei, ut ipsi quoque mereantur fieri filii Dei. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Hæc est vera spes, ut a libero liberemur; et liberati a peccato, servi Christi efficiamur; liberati a cupiditate, servi efficiamur charitatis. Hæc est vera et perfecta libertas, Deo Christo servire, ipsumque diligere qui nos de servitute tenebrarum eripuit, et vocavit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sed Judæi de carnis suæ nobilitate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cum essent servi peccati, ideo consequenter ait Dominus: *Scio* B *quia filii Abrahæ estis.* Ac si diceret: Filii quidem Abrahæ estis secundum carnem, sed non estis secundum imitationem. Agnosco in vobis carnis originem, sed non agnosco fidem. *Sed quæritis me interficere.* Ecce unde degeneres, ecce unde filii non Abrahæ. *Quæritis me*, inquit, occidere. Quod certe nunquam cogitaretis, si filii Abrahæ essetis. *Quia sermo meus non capit in vobis*, id est, non habet locum in cordibus vestris. *Non*, inquit, *capit in vobis*, hoc est, non recipitur a vobis. Si enim caperetur in vobis, caperet utique vos. *Ego quod vidi apud Patrem meum*, hoc *loquor*. Quid vidit Christus apud Patrem? Veritatem vidit, seipsum utique vidit, quia ipse est Verbum quod erat in principio apud Deum. Veritatem ergo vidit apud Patrem, veritatem loque- C batur in mundo, quia se et Deum Patrem annuntiabat mundo. *Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Quid facerent, supra eis dixerat. *Quæritis*, inquit, *me* occidere. Sed hoc apud Abraham patrem non viderunt, quem amicum Dei fuisse Scriptura testatur. De quo ergo nunc patre dicat cujus opera facerent Judæi, in sequentibus apertissime manifestabitur. Dicturus est enim patrem eorum esse diabolum, non quod ab eo geniti ac creati essent, sed tamen filii ejus erant, in quantum mali erant. Filii ejus utique erant per imitationem, non per creationem. Apud hunc itaque patrem viderant opera quæ faciebant, quia imitatores diaboli facti fuerant, cum non solum nollent Filium Dei suscipere, verum etiam meditarentur occidere. *Responderunt ei: Pater noster Abraham est.* Quasi vero aliquid possit di- D cere contra Abraham, aut in aliquo reprehendere. Sed Dominus non de Abraham dicebat, quia Abraham non fuit talis qui reprehenderetur, sed qui potius a Domino laudaretur: sed isti eum provocabant ut diceret aliquid contra Abraham, quatenus possent in eum vindicare tanquam inimicum Abrahæ. Sed audiamus quid eis Dominus responderit, Abraham laudans, istos vero damnans. *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ* faceretis. *Nunc autem quæritis me* occidere, *hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit.* Judæis Abraham pro se jactantibus, et in hoc ca-

A lumniam Domino struentibus, non respondit Dominus quod illi audire volebant: sed nolens illis locum dare calumniæ, id quod videbant, et quod eum solummodo esse putabant, hominem appellavit. Ait ergo: *Si filii Abrahæ* essetis, *opera Abrahæ* faceretis, id est, sic me amaretis, sic de mea præsentia gauderetis, sicut Abraham, qui *exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est* (*Joan.* XIV). Nunc autem probatis vos non filios esse Abrahæ: *quia quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis.* Veritatem illis loquebatur, cum se et Patrem illis annuntiaret, et hanc veritatem a Deo audierat, quia ipse qui est veritas, a Deo Patre genitus erat. Audire enim illius, nihil aliud est quam esse a Patre. *Quæritis*, inquit, *me* occidere, *hoc Abraham non fecit*, ergo ejus filios vos non esse convincitis, dum ei contraria opera agitis. Supra enim dixerat: *Scio quia filii Abrahæ estis*, probans in illis originem carnis. Sed nunc ostendit illos non esse filios Abrahæ, quia nolebant imitari opera Abrahæ. Multo enim melius Christiani dicuntur filii Abrahæ, imitatores fidei et operum Abrahæ, quam Judæi, quorum caro ex illo erat, vita autem non erat. *Vos* inquit, *facitis opera patris vestri*, id est, diaboli, quia ille ab initio homicida est, et vos, sequaces ejus, *quæritis me interficere.* Dixerunt itaque ei: *Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum.* Toties nobilitatem generis Abrahæ præferentes, totiesque convicti quod non essent filii Abrahæ, tandem cœperunt intelligere, Dominum non de carnis generatione, sed vitæ similitudine morumque imitatione dicere. Quasi enim adinvicem loquebantur: Quoties nominaverimus Abraham, dicturus est: Quare illum non imitamini, de cujus generatione gloriamini? Dicamus Deum patrem nostrum, et videamus quid nobis respondeat. *Nos autem ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.* Legerant in Scripturis, fornicationem spiritualem appellari idololatriam, per quam misera anima dæmonibus quasi prostituta subjicitur. Ideo dixerunt: *Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.* Jactaverunt ergo se quod semper Deum coluerunt, qui Israel suum primogenitum appellavit. Sed audiamus quid illis responsum sit: *Si*, inquit, *Deus pater vester esset, diligeretis me utique.* Ac si diceret: Jactatis vos Deum habere patrem, agnoscite me vel fratrem. Et si nondum me ut Deum, aut Dei Filium vultis venerari, saltem me ut fratrem diligite. *Ego enim ex Deo processi et veni.* Processio ista æterna est et ineffabilis absque tempore, quia Filius processit a Patre ut Deus, et æqualis ut Filius et verbum Patris. Processit ex Deo et venit, quia *Verbum* quod erat in principio, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Venire enim humanitatis est, sicut manere divinitatis. Processit a Patre et venit, quia a Patre in mundum missus est, sicut dicit: *Non enim a meipso veni, sed ille me misit.* Quæ missio utique incarnatio intelligenda est. *Quare loquelam meam non cognoscitis?* quia non potestis audire



Digitized by Google

sermonem meum. Quare sermonem ejus audire non A poterant, nisi quia in eum credere, et a sua impietate corrigi nolebant? Adhuc quare non poterant audire? quia filii diaboli elegerant manere. Unde sequitur: *Vos ex patre diabolo estis*. Filios diaboli dicit esse Judæos, non nascendo, sed imitando. Nam consuetudinis est sacræ Scripturæ, ex imitatione vel similitudine filios appellare, juxta quod Ezechiel, propheta loquitur ad Judæam: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezec.* XVI). Quia enim Judæi imitati fuerant impietates Amorrhæorum, inde parentes illos habuisse dicuntur, de quibus in moribus nascerentur, et cum quibus pro simili scelere damnarentur. Omnis ergo homo in quantum a Deo creatus est, bonus est: in quantum ergo per liberum arbitrium peccando se subjicit diabolo, patrem ha- B bet diabolum. Nam et ipse diabolus in quantum habet naturalem substantiam, et in quantum creatura est, et a Deo factus est, bonus est; in quantum vero superbiendo et inobediendo prolapsus est, diabolus factus est, et malus est. Diabolus enim interpretatur deorsum ruens. Ait ergo Dominus Judæis, diaboli imitatoribus: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri perficere vultis*. Quæ erant desideria patris illorum, supra ait: *Quæritis me* occidere. Hæc erant desideria diaboli, quia et ipse invidit homini, et occidit; nam Evam per serpentem seduxit, et per illam virum decepit, sicque occidit eum, quia ex justo fecit peccatorem, et ex immortali fecit mortalem. *Ille*, inquit, *homicida erat ab initio*. Diabolus contra primum hominem non ferro accinctus, sed C lethifera persuasione armatus venit, nec gladio, sed ferro necavit. Omnis ergo qui alicui homini malum persuadet, dum illum ad peccatum pertrahit, occidit. De talibus Psalmista dicit: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). *Et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo*. In veritate non stetit, quia prolapsus a veritate, non voluit permanere in suæ originis sanctitate. Factus enim fuerat ad imaginem et similitudinem Dei, sed superbiendo retinuit quidem imaginem, quia non perdidit naturam immortalitatis, amisit tamen veritatem similitudinis, quia ex justo et bono angelo diabolus injustus et malus factus est. De quo adhuc subditur: Cum loquitur mendacium, D de propriis loquitur quia mendax est, et pater ejus, subauditur mendacii. Diabolus a semetipso mendax fuit, quia a nemine prius audivit nec didicit mendacium, sed ipse suum genuit mendacium. Et ideo cum loquitur mendacium, de propriis loquitur. Et sicut Deus verax est, et pater veritatis, ita quoque diabolus mendax est, et pater mendacii. Et quare mendax est? Quia in veritate non stetit, hoc est, in Deo non mansit, quia Deus verax est. Nam et homo quia et ipse a veritate declinavit, et peccando a Deo discessit, mendax vocatur, dicente Psalmista: *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). Et quia homo a diabolo deceptus et mendax effectus fuerat, ideo filius diaboli erat, non natura, ut prius dictum est, sed imitatione. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quia enim ipse eos redargueret de eorum peccato, dat eis optionem, ut si possint, ipsi quoque eum de suo peccato reprehendant. Et considerandum, quanta sit humilitas nostri redemptoris. Ad relaxanda hominum peccata venerat, et tamen non dedignatur ostendere se peccatorem non esse, qui ex potentia divinitatis poterat peccatores justificare. *Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi?* Veritas Christus est. Et quid est aliud veritas, quam veritatem loqui? Veritatem quippe loquebatur, cum diceret: *Ego ex Deo processi et veni, quare vos non creditis mihi?* Quare? Nisi quia ex diabolo estis, et in patre mendacii permanere elegistis. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Audire verba Dei, est præceptis illius quæ per Scripturas loquitur obedire. Proinde si ille verba Dei audit qui ex illo est, et audire verba ejus non potest quisquis ex illo non est, interroget se unusquisque, utrum verba Dei auditu cordis percipit, et intelliget unde sit. Jubet enim cœlestem patriam desiderare, carnis desideria calcare, mundi gloriam fugere, aliena non rapere, propria largiri. Hanc Dei vocem si quis in sui cordis aure sonuisse cognoverit, gaudens cognoscat, quod ex Deo sit. Sed quod non sine mœrore dici potest, sunt nonnulli qui verbum Dei nec aure quidem corporis percipere dignantur. Quid isti aliud, nisi patenter indicant, quia membra diaboli sunt, et in ejus sorte potius quam in Dei permanere elegerunt? Quotidie Dominus per Scripturas suas clamat, et nos ut perituri mundi oblectamenta fugiamus, et ad ea quæ finiri nesciunt, perennium bonorum gaudia mentis desideria transeamus, invitat. Studeamus ergo nunc vocantem et admonentem sequi: ne si modo loquentis verba contemnimus, cum judex in majestate venerit, ab illo quasi ignoti et alieni contemnamur. Quin potius eum in præsenti audire, et præceptis ejus obedire festinemus, quatenus ab eo in beatam patris mansionem recipi mereamur, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXVII.

### IN FERIA SEXTA POST *Invocavit*.

*In illo tempore erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina*, etc. (*Joan.* V).

In evangelica lectione quam modo audivimus, duo nobis miracula recitata sunt: unum invisibiliter per angelicam administrationem patratum, alterum per Dominicam præsentiam visibiliter exhibitum. Ergo utriusque nobis sunt breviter exponenda mysteria. *Erat*, inquit evangelista, *dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam*. Quia enim Deus pro hominibus homo factus erat, cum hominibus solemnitates Dei lege constitutas celebrabat. *Erat autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum*. Probatica Græ-

Digitized by Google

ce, Latine dicitur pecualis, προβατὸν quippe dicitur ovis. Et piscina illa probatica vocatur, quia ibi sacerdotes, hostiarum quas in templo Dei immolabant, cadavera abluebant. Mystice, probatica quæ quinque porticibus cingebatur, significat populum Judæorum, legis custodia undique ne peccare debeat, munitum. Quinque enim porticus, legem quæ in quinque libris continetur, insinuant. Et bene idem populus per aquam significatur piscinæ, quia sicut aqua piscinæ nunc placida ventis stare, nunc eisdem ventis irruentibus turbari solet, ita ille populus in quibusdam vitæ munditiam servare, in quibusdam immundorum spirituum solebat tentationibus agitari. Apte quoque eadem piscina probatica vocatur, quia nimirum erant quidam in illo populo, qui merito simplicis et innocentis vitæ Deo placere, et cum Psalmista dicere poterant: *Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ* (*Psal.* XCIV). Multitudo languentium, quæ in memoratis porticibus jacebat aquæ motum exspectans, designat eos qui verba legis audientes, hanc suis viribus implere non posse dolebant, atque ideo Dominicæ gratiæ auxilium totis animæ affectibus exoptabant. *Jacebat*, inquit, *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum*. Cæci erant, qui necdum fidei lumen habebant; claudi, qui bona quæ agenda essent noverant, sed ad implenda ea boni operis gressibus assurgere non valebant; aridi qui oculum quidem scientiæ habent, sed spei et dilectionis pinguedine egent. Tales in quinque porticibus jacebant, sed non nisi angelo in piscinam descendente sanari poterant: quia per legem cognitio est peccati, gratia vero remissionis non nisi per Christum dari poterat. Quæ merito designabat angelus, qui visibiliter descendens in piscinam, aquam movebat, eique virtutem sanandi suggerebat. Motus enim aquæ, passionem Domini (quæ turbata gente Judæorum facta est) insinuat. Descendit ergo carne indutus, hic magni consilii angelus, id est, paternæ voluntatis nuntius, in piscinam populi Judæorum. Movit illos miraculis et doctrina sua, ut eum morte crucis afficerent, qui genus humanum non solum a languoribus peccatorum sanare, sed etiam ab ipsa morte æterna sufficeret liberare. Descendentes ergo in aquam piscinæ turbatam sanabantur, quia per passionem Domini, quam motus aquæ designat, redempti sumus de maledicto legis. Lex siquidem Moysi, quæ quid agendum quidve cavendum esse docuit, neminem tamen ad perfectum adduxit, quasi eductos de sedibus ignorantiæ prioris, in porticibus continebat languidos, nec tamen sanabat. Gratia autem et fides Dominicæ passionis, sanat omnes infirmitates iniquitatum nostrarum, et quasi ejectos de porticibus in aquam piscinæ turbatam immittit, quia a peccatis quæ lex ostenderat, per aquam baptismatis abluit, juxta quod Apostolus dicit: *Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI). Notandum vero nobis est, quod dicitur: *Quia qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, a quocunque*

A *languore detineretur*. Unus, inquit, ex tanta languentium multitudine sanabatur, quia *unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Eph.* IV). Quicunque ergo in unitate catholicæ fidei mysteriis Christi in baptismo imbuitur, ab omni prorsus peccatorum languore sanatur: qui vero ab unitate Ecclesiæ discrepat, salutem quæ ab uno et per unum est, habere non meretur. His de primo miraculo quod per angelum invisibiliter fiebat, præmissis, nunc de sequente, quod per verum angelum Christum visibiliter patratum est, paucis loquamur, in quo etiam similiter unus sanatus est. Poterat quidem Dominus omnes qui ibi erant infirmos sanare, sed unum tantum certi causa mysterii sanare voluit, ut profecto ostenderet præter Ecclesiam nemini patere locum salutis.

B *Erat ibi homo triginta et octo annos habens in infirmitate sua; hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia multum jam tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri?* Respondit ei languidus: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo, et sustulit grabatum suum, et ambulabat.* Sanaturus Dominus infirmum diuturno languore tabescentem, interrogavit utrum vellet sanus fieri, non quod eum id velle ignoraret, sed ut eum ad majus sanitatis desiderium accenderet, qui jam longa decubatione pene salutem desperaverat, nec saltem pro sua restauratione rogare noverat. Unde et ille causam C impossibilitatis cœpit obtendere, et conqueri, quod hominem non haberet, qui eum post motionem aquæ in piscinam mitteret. Sed Dominus languentis misertus imbecillitatem pariterque insciam simplicitatem, ait illi: *Surge, tolle lectum tuum, et ambula.* Ille continuo receptis viribus, et jamdudum amissum persentiens robur, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam. Juxta spiritualem intelligentiam, homo iste multorum annorum infirmitate detentus, designat peccatorem multorum, et gravium scelerum numerositate depressum. Nam et ipsa temporis quantitas, quo languidus decumbebat, huic significationi congruit. Nam triginta et octo annos in infirmitate habuisse dicitur, duo videlicet minus de quadraginta. Quadragenarius autem D numerus, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectæ operationis in Scripturis accipi solet. Ille enim recte vivit, qui decalogum legis per quatuor sancti Evangelii libros implere studuerit. A qua perfectione duobus minus habet, quisquis dilectionem Dei et proximi, quam legis et evangelii pariter Scriptura commendat, servare neglexerit. Quod et Dominus signanter expressit, qui sanaturus infirmum præcepit, dicens: *Surge, tolle lectulum tuum, et ambula.* Lectus noster intelligitur, qui nobis in corporis vel animi infirmitate solatium exhibuit, quem sanati portare præcipimur, ut ei quoque in suis necessitatibus adjutorium subministremus. Ait ergo ei Dominus quem sanabat: *Surge, tolle lectum tuum et ambula.* Surge, inquit, vitiorum torporem quem

Digitized by Google

diu sustinuisti languoris excute, et ad virtutum exercitium erigere. Tolle lectum tuum. Porta proximum tuum, ejus infirma patienter tolerando, a quo es diu multumque cum adhuc sub gravi fasce tentationum gemeres, sustentatus. Hinc et Apostolus dicit: *Alter alterius onera portate* (*Gal.* VI). Ambula vero quotidianis bonorum operum profectibus, de virtute in virtutem progredere. Surge peccata relinquendo, tolle lectum tuum fratri succurrendo, ambula supernam patriam desiderando, et ad videndum Creatoris faciem festinando. *Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo Judæi ei qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Mira et vehementer stupenda Judæorum dementia. Cum enim ad tam inopinatam hominis diu languentis sanitatem credere, et divinam potentiam laudare debuerant, e contrario scandalizabantur, et salvatorem pariterque salvatum calumniabantur. Salvatorem quidem, quod die sabbati hominem curasset, lectumque suum tollere præceperit; salvatum vero reprehendunt, quia sabbato grabatum portaverit. *Dicebant ergo ei qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Legis litteram stultissime defendebant, ignorantes dispensationem Domini salvatoris qui ipsam legem quondam per servum dederat, ac nunc per semetipsum veniens, eamdem legem in gratiam sancti Evangelii mutare disponebat, ut quod antea juxta litteram carnaliter a carnalibus observabatur, deinceps spirituales spiritualiter observandum susciperent. Denique die septimo populus ab omni opere servili vacare præceptus fuerat. Spiritualis vero sabbati observatione, quod est in luce septiformis Spiritus sancti, ab omni peccato, quod revera servile opus accipitur, non una die, sed omni vitæ nostræ tempore feriati esse præcipimur, non solum a pravis operibus abstinere, sed etiam bonis operibus insistere jubemur. Quod et in hujus hominis sanatione liquide monstratum est, cum Dominus eum quem a languore liberabat, non solum surgere, verum etiam lectum suum tollere præciperet, videlicet aperte insinuans, eos qui volunt a vitiorum tabo resurgere, discusso torpore negligentiæ, cum fraternæ charitatis pignore, ad jussionem sui conditoris debere properare, nec malorum contradictione seu persecutione a cœpto boni operis studio cessare. Nam et iste homo cum ei Judæi contradicerent, eumque ne lectum ferret prohiberent, dicentes: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum,* non ideo lectum deposuit, sed fiducialiter cœptis insistens, respondit: *Qui me sanum fecit, ille mihi præcepit: Tolle grabatum tuum, et ambula.* Illius potius volens obtemperare mandatis a quo sanatus fuerat, quam illorum falsæ religioni credere, qui ejus sanitati et Domini sui gloriæ invidebant. *Et interrogaverunt eum: Quis est iste homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum et ambula? Ille autem,* ut ait evangelista, *ignorabat quis esset.* Jam salvatus erat, sed adhuc salvatorem suum ignorabat, dignus tamen erat cui se salvator ostenderet, cujus imperio sic devotus obtemperasset. *Jesus autem declinaverat a turba constituta in loco.* Declinaverat, inquit, a turba turbata, divino eos deserens auxilio, innuens cujus virtutibus obstinata malitia conabantur resistere. *Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es.* Per hoc quod is qui sanatus fuerat, Jesum non in turba, sed in templo cognoscit, mystice nos instruimur, ut si gratiam conditoris nostri cognoscere, et ad ejus visionem desideramus pervenire, fugiamus turbam cogitationum et affectuum pravorum, declinemus sollicite conventicula hominum improborum, qui bonum nostrum propositum, vel mala exempla demonstrando, vel nostra opera deridendo, aut etiam perhibendo, conantur impedire. Confugiamus devoti ad templum Dei, ubi illi de præceptis beneficiis gratias agere, ac pro percipiendis exorare satagamus, nosque ipsos templum Dei, in quo misericorditer venire et mansionem facere dignetur, præparare curemus. Attendere autem debemus, quid a se sanato Dominus dicit: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quibus verbis ostendit, quia, propter peccata sua languerat, nec nisi illis dimissis sanari poterat. Sed credendum nobis est, quod Dominus qui eum sanavit exterius ab infirmitate, intus etiam absolvit a scelere. Unde et eum Dominus caute præmonuit, ne ulterius peccaret, ne iterum peccando gravioris sententiam damnationis incurreret. Non autem semper propter sola peccata datur hominibus infirmitas. Quinque enim modi a sanctis doctoribus deprehensi sunt, quibus infirmitas hominibus contingit. Aliquando enim datur infirmitas hominibus pro gloria Dei manifestanda, sicut illi cæco nato, et sicut Lazaro, de quo Dominus dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed ut glorificetur Filius Dei per eum* (*Joan.* XI). Nonnunquam vero ad probationem, et virtutum augmentum, sicut beato Job et Tobiæ, qui cum ante flagellum sancti exstiterint, sanctiores et flagello et probatiores apparuerunt. Datur plerumque infirmitas ad virtutum custodiam, sicut beato Paulo apostolo. Datur præterea infirmitas hominibus ob delicti castigationem, sicut huic, qui triginta et octo annis decubuerat languens, et sicut illi paralytico, cui Dominus dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata* (*Matth.* IX). De qualibus dicitur: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII). Quintus modus reproborum est, quibus datur infirmitas ut hic torqueri incipiant, et per hæc tormenta temporalia transeant ad æterna: quemadmodum contigit Antiocho et Herodi, in quibus impletum est quod scriptum est: *Duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII). Quomodocunque ergo divina providentia nos jubeat infirmari, discamus semper flagellis pii patris humiliter subdi, et judicia illius justissima venerari, arbitrantes nos minus quam meremur sustinere, illius sententiæ memores: *Beatus homo qui corripitur a Domino* (*Job.* V). Hoc enim agentes, et in præsenti de verbere perficere, et in futuro ad æternam requiem per flagella merebimur pervenire, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et Spi-

Digitized by Google

ritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXVIII.

### SABBATO.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

*In illo tempore, assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos*, etc. (*Matth.* XVII).

Evangelica lectio, dilectissimi, etc. *Hanc homiliam videsis apud sanctum Leonem, Operum ejus tom.* I, *Patrologiæ* LIV, *col.* 308, *ubi inscribitur :* SABBATO ANTE SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ.

## HOMILIA LXXIX.

### IN DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

(Ex eodem.)

Semper quidem nos, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud eumdem sanctum Leonem, tomo ut supra, col.* 272.

## HOMILIA LXXX.

### DE EADEM DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis*, etc. (*Matth.* XV).

In lectione sancti Evangelii, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, presbyterum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 102.

## HOMILIA LXXXI.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex beato Joanne Chrysostomo.)

*In illo tempore, egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis*, etc. (*Matth.* XV).

Miratur evangelista. Ecce mulier vetusta armatura diaboli, quæ hominem de paradiso expulit, mater peccati initium iniquitatis, prævaricationis materia: ipsa illa mulier venit, ipsa natura. Nova res et admiranda: Judæi fugiunt, et mulier sequitur: *Et ecce mulier a finibus illis egressa, rogabat eum, dicens: Miserere mei, Domine fili David.* O præclara confessio! Evangelista fit mulier, deitatem ejus et dispensationem annuntians. Confitetur enim et dominationem et incarnationem ejus. *Miserere mei.* Vide philosophicam mulieris animam, dicentis: *Miserere mei.* Non, inquit, habeo conscientiam bonorum operum nec rectæ vitæ fiduciam. Ad misericordiam confugio, ad tranquillum portum peccantium. Ad misericordiam confugio, ubi cessat judicium; ad misericordiam confugio, ubi ineffabilis salus est. Dic mihi mulier quemadmodum ausa es, cum sis peccatrix et iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, novi quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Jacobum, non obsecrat Joannem neque pergit ad Petrum, nec intendit apostolorum chorum. Non quæsivit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ advocati locum implevit, et sic ad summum fontem perrexit. Propterea (inquit) descendit, propterea carnem assumpsit et homo factus est, ut et ego ei audeam loqui. Sursum in cœlis Cherubim eum tremunt et Seraphim eum metuunt, et deorsum meretrix loquitur cum eo, *miserere mei.* Nudus quidem sermo, sed immensitatem salutis continens. *Miserere mei.* Propterea (inquit) venisti, propterea carnem assumpsisti, propterea factus es quod ego sum. O admiranda res! Sursum tremor, et deorsum fiducia: *miserere mei.* Non opus habeo mediatore, *miserere mei.* Quid habes opus? misericordiam, inquit, quæro. Quid pateris? *Filia*, inquit, *mea male a dæmonio vexatur.* Egressa est advocatrix filiæ. Non affert infirmantem puellam, sed defert fidem devotam, hæc intra semetipsam conferens et dicens: Deus est ad quem vado. Absentia videt, occulta inspicit, omnia novit. *Miserere mei, filia mea male a dæmonio vexatur.* Fletus pessimus, stimulus naturæ viscera mea disrumpit. Quid faciam misera? Vide prudentiam. Non dixit, miserere filiæ meæ, sed, *miserere mei.* Illa enim insensibili passione tenetur, nescit quid habet, non sentit dolorem, velatum cor habet, nequissimo spiritu obducente. Miserere mei spectatricis diuturnorum malorum, quotidie cruciatus meos video. Ubi vadam? quo pergam? In eremum ire non audeo, nec illam solam relinquere; in domo sedere non possum quia intrinsecus est inimicus: Fluctus in portu sunt, in tranquillitate tempestas est: et quo nomine eam vocabo, invenire non possum. Mortuam dicam? sed movetur. Vivam appellem? sed nescit quid faciat. Invenire non possum, quo eam appellem nomine. *Miserere mei.* Si mortua esset filia mea, non talia paterer. Tradidissem utique corpus in sinum terræ, et tempore evoluto oblivionem malorum haberem, et dolor conquiesceret. Nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, sine sensu vivum, spectaculum lamentabile: increscentia per momenta vulnera passionum multiplicia doloris [multiplicata doloribus]. Cerno enim oculos ejus transversos, aspectum sanguineum, manus intortas, crinem dissolutum, contortum collum, ora spumantia, inimicum incendentem [incedentem], et non apparentem; tortorem clausum, et flagella resonantia; neminem interrogantem, et illam cum clamore loquentem. Adsum sermocinatrix malorum meorum, præsto sum stimulante natura. *Miserere mei.* Pessima tempestas, passio et timor. Passio naturæ, timor dæmonis. Accedere non possum neque contingere. Adigit me passio, explodit timor. *Miserere mei.* Considera mulieris philosophiam, inspice animam generosam. Non perrexit ad divinos, non vocavit magos, non alligaturas quæsivit, non impostrices mulieres adduxit, illas quæ solent dæmones provocare, et invocationibus [incantationibus] suis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimisit diaboli falsitates, omnia purgamenta contempsit, et venit ad salutarem animarum nostrarum portum. *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a dæmonio vexatur.* Nostis passionem, quanticunque fuistis patres. Adjuvate sermonem meum, quantæcunque matres vocatæ estis. Non possum interpretari tempestatem, quam sustinuit mulier illa. *Miserere mei,*

Digitized by Google

*filia mea male a dæmonio vexatur.* Vidisti instantiam mulieris, vidisti virilitatem, vidisti longanimitatem, vidisti fidem? *Qui non respondit ei sermonem.* O nova rerum materies! Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragœdiam, enarrat passionem, et amator hominum non respondit. Sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta retinuit. Quid tam novum? quid tam admirabile? alios provocas ad sequendum, et hanc miserabilem insequentem abigis? Sed considera medici sapientiam. *Qui non respondit ei verbum.* Cur non respondit? quia fidem illius amplius provocabat, et animum perseverantia exercebat, et discipulorum miserationes exercitabat. Dicunt quippe ad eum discipuli ejus: *Dimitte eam, quoniam clamat post nos.* Vos, inquit, de foris clamare auditis, ego autem intrinsecus video. Grandis quidem vox ex ore procedit, sed major est mentis. *Dimitte eam, quoniam clamat post nos.* Alius evangelista dicit, *ante nos.* Diversi quidem sermones, sed una sententia est: nec est mendacium in utrisque. Utrumque enim faciebat mulier in causa doloris: prius post tergum clamabat, et cum vidisset quia non respondit, ante cucurrit, quasi canis domini vestigia lambens. *Dimitte,* inquiunt, *eam.* Theatrum nobis clamoribus excitabit, omne convocabit vulgus. Et illi quidem quasi homines ad clamorem illius erubescebant, sed Dominus temperamentum misericordiæ suæ noverat. *Dimitte eam, quoniam clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Et cum hoc dixisset, pejus ejus ulcus effecit. Medicus enim erat, secans non ut dividat, sed ut conjungat. Hic paululum charissimi accommodate mentem vestram, thesaurum enim investigare volo absconditum. *Non sum,* inquit, *missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* O Domine, hoc est totum, ideo homo factus es, ideo carnem assumpsisti, gubernantias tantas operatus es, ut unum salvares angulum, et hoc pereunte, orbis terrarum universus desertus est, et Scythæ, Thraces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices? quantamcunque sol respicit terram transisti, et propter Judæos solos venisti? Gentes autem in desolatione constitutas despicis, et illos contemnentes patrem tuum, et idola adorantes, et incensa illis offerentes, insuper et filios suos dæmonibus consecrantes, hæc omnia dissimulas et nos miseros exspectantes te despicis? Et certe omnes prophetæ et ipse proavus tuus David secundum carnem, dixit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Et Isaias qui te in sede majestatis tuæ contemplatus dicit: *Et erit radix Jesse, et qui exsurget imperare gentibus, in ipsum gentes sperabunt* (*Isa.* XI, *Rom.* XV). Et Jacob patriarcha dicit: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Malachias quoque propheta dicit: *Ab ortu solis usque ad occasum, glorificatur nomen meum*

A *in gentibus, et in omni loco sacrificia munda offeruntur Deo* (*Mal.* I). Et ipse David ita dicit: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis: quia Deus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. Ascendit Deus in jubilo, et dominus in voce tubæ* (*Psal.* XLVI). Propheta dicit: *Lætamini gentes cum populo ejus* (*Rom.* XV). Et reliqui omnes adventum tuum salutarem gentibus annuntiarunt. Nam et ipse in adventu tuo magos ab oriente vocasti, et principia gentilitatis per illos cessare fecisti, et evangelistas eos ad sua remisisti. Et tu quidem magos per stellam convocasti, prophetæ autem gentibus annuntiarunt. Exsurgens ab inferis, dicis discipulis tuis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matt.* XXVIII). B Et nunc cum venisset miseranda et infelix mulier, pro filiæ suæ infirmitate obsecrans, et casus suos deplorans, dicis: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel?* Nam et cum accessisset centurio, rogans pro famulo suo, dicis: *Ego veniam et curabo eum* (*Matt.* VIII). Et latroni obsecranti respondes: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Et paralytico dicis: *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Mar.* II). Et Lazaro quatriduano mortuo, et jam fetenti dicis: *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI). Et qui leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticos stringis, cæcos illuminas, latrones salvas, meretricem castificas, huic miseræ nihil respondes? O nova res et admiranda! Considerate, C charissimi, constantiam virilitatemque mulieris, et Domini benignam sapientiam pariter et clementiam, quomodo dilatio et excusatio ejus divitias contulit obsecranti, ut et tu si oraveris, et statim non acceperis quod rogasti, non desinas deprecando. Considera enim diligentius, charissime, legis divinæ secretum. Quando Judæi de Ægyptiorum dominatione et tyrannide sunt liberati, et effugientes manus Pharaonis, ad eremum perrexerunt, intraturi terram Chananæorum repletam idolorum cultibus, adorantem etiam ligna et lapides, legem acceperant, ut cum fuissent ingressi, non acciperent filias eorum in matrimonio, neque connubia mutuo jungerent, neque convivia sociarent, ne per societatem mutuam averterent illos a mandatis Domini, et depravarent mores eorum. D *Nihil tibi,* inquit, *et Chananæis, sed esto in finibus tuis, et in gente tua negotia exerce et connubia junge: quia linguam tuam habes, et legem quæ tibi per Moysen data est, quam sicut maceriam et sepem quamdam inter vos et illos posuit* (*Exod.* XXIII, *Deut.* XXVII). Sicut enim vinea aut hortus maceria circumdatur, sic Judæis lex data est, ut transgredi non liceret. Prohibitum itaque erat a lege, ut non miscerentur Chananæis, neque ullam communionem haberent cum illis, ne amicitiæ causa, impietatis occasio fieret. Cum ergo abominabiles Judæis essent Chananæi, tanquam idololatræ et immundi, cum quibus nec fabulari fas erat, et quia ista mulier de finibus erat Chananæorum egressa, accessit autem ad Christum, et Christus Judæis dicebat insidiantibus

Digitized by Google

sibi, *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* VIII), eo quod prævaricaverim legem? quoniam ergo homo erat, et omnia quæ legis sunt implebat, et sicut jam dixi abominabiles erant Chananæi Judæis, qui sub lege mandante tanquam sepe erant vallati; veniens autem Christus, hoc est, natus ex virgine, octava circumcisus die, pro quo in templo oblatio celebrata est, et omnes cæremoniæ impletæ sunt legis, et ideo implevit legem, ne dicerent Judæi, non potuit implere legem, propterea dissolvit eam: prius eam complet, et postea solvit, ut omnem illis querimoniæ auferret occasionem. Clamabat enim et dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* VIII)? ne ergo occasione accepta dicerent Judæi: Non credimus tibi, quia inique fecisti solvens legem, quia perrexisti ad fines Chananæorum, et confabulatus es cum illis. Quod ne fieret, lege prohibitum est: ideo nihil interim loquitur mulieri, sed legem custodiens, retardat salutem, et Judæos refrenat, et honore creat [hanc recreat]. *Qui non respondit ei verbum.* Nolo mihi occasio sis querimoniarum, o Judæe; ecce non loquor, ecce non respondeo. Adest occasio bene faciendi, et pietatem meam interim differo. Ecce naufragium imminet, et gubernator quiescit, et increscente calamitate, differtur sanitas propter vos qui ingrati exstitistis, ut omnis vobis auferatur occasio detrahendi, ecce mulier multitudinem in clamoribus suis congregavit, et nondum accepit responsum, ne forte dicatis, quia vobis præposui Chananæos et transgressus sum legem, et ideo mihi non credatis. *Qui non respondit ei verbum*, subauditur, eo quod ad Judæos sermonem faceret, qui beneficiis ejus erant ingrati. Hæc autem omnia pro ineffabili clementia sua faciebat Deus, ut illos paulatim ab infidelitate erigeret, et omnem cavillationem de animis eorum tolleret. Nam et cum leprosum curasset, dicebat: *Vade, ostende te sacerdotibus, et offer munus quod præcepit Moyses pro emundatione tua* (*Matth.* VIII, *Luc.* XIV). O inauditam rem! Dominus mundat et mittit eum ad legem Moysi. Et cur hoc facit considera, ne Judæi videlicet redarguerent eum, tanquam prævaricatorem legis. Nam quomodo curaverit leprosum, eloqui curationis modum non invenio. Ecce, inquit, leprosus accedens, rogabat eum dicens: *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII). Et extendens Jesus manum suam, tetigit eum, dicens: *Volo, mundare.* Imperativo modo legendum est, non indicativo. Quia dixerat ille, *si vis*, respondit Dominus, *volo. Potes*, inquit, *me mundare*, et ipse ait, *Mundare.* In lege non licebat tangi leprosum: quia quicunque tetigisset, immundus tota die fiebat. Nam et beatus Eliseus hoc sciens, cum ad eum Naaman venisset leprosus alienigena, missus a rege suo, mandat illi per discipulum suum, dicens: *Vade ad Jordanem fluvium, et lavare septies, et mundaberis a lepra tua* (*IV Reg.* V). Ipse vero non fuit ausus ire et videre lepram vel tangere illum. Et Eliseus quidem mundavit leprosum, et Christus curavit leprosum. Ne ergo dicerent Judæi, quid magnum fecit Christus?

A hoc fecit quod fecerat Eliseus. Sed ille quidem tangere ausus non fuit leprosum, ne contaminaretur, iste autem tetigit, et mundavit. Et ideo tetigit, ut ostenderet quoniam qui servus est, subditus est legi, dominus autem est, qui imperat legi. *Volo, mundare. Et statim mundatus est.* Non invenit evangelista verbis edicere velocitatem curationis. Statim enim dicendo, aliud quod diceret non invenit. Tanta enim fuit operantis auctoritas, ut in egressu sermonis fugeret infirmitas. Et ideo dicit, *vade, ostende te sacerdoti, et offer munus tuum pro emundatione tua quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Quibus? Judæis, ne dicant prævaricasse me legem. Nam et occulte divinitatem suam manifestabat illis, ut ex operibus crederent quia Filius sit Dei; et in illa die veniens

B leprosus coarguat eos, cui præceptum fuerat secundum legem offerre, et ideo multa propter Judæos faciebat: sic et nunc responsionem suam ad preces mulieris temperat et retardat. *Miserere mei, quia filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Accedentes autem discipuli ejus dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Respondit Dominus: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Ne forte dicerent Judæi: Dimisisti nos, et ad extraneos perrexisti, et ideo non credimus tibi, ecce de gentibus veniunt, et non suscipio: vos fugientes convoco, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI), et venire non vultis? Hanc repello, et recedere non vult. Vere impletur illud quod scriptum est. *Populus quem non co-*

C *gnovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII). Et alibi: *Apparui his qui me non quærebant, inventus sum ab his qui me non interrogabant* (*Isai.* LXV): ex quibus et Chananæa erat. *Dimitte*, inquiunt, *eam, quia clamat post nos.* Videamus ergo quid dicit Dominus. *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Considerate clementiam Domini. Non dixit, recede a me; sed, non sum ad vos missus. Non veni propter te, sed propter Judæos, oves perditas domus Israel. Quæ cum audisset, *accessit et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Considera precantis instantiam, et Domini temperantiam. O clementia me-

D dici! In desperationem adducebat eam, ut amplius rogaret, et augmentum fidei faceret. *Non est bonum*, inquit, *sumere panem filiorum.* Quorum filiorum? Judæorum videlicet; et mittere canibus: quibus? Sine dubio vobis. Hæc ad opprobrium dicebantur Judæorum qui filii vocati, canes effecti sunt, dicente Paulo: *Videte canes, videte malos operarios, videte et concisionem, nos enim sumus circumcisio* (*Phil.* III). Gentes vero canes appellati, facti sunt filii. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Laus Judæorum, accusatio illis erat. *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* At illa dixit: *Etiam, Domine.* O violentia mulieris, o intentio animi, o profectus fidei! Medicus dicit, *non*, hæc dicit, *etiam.* Dominus dicit, *non*, ista

Digitized by Google

dicit, *etiam*. Non quasi procax aut impudens reputanda est, sed laudanda magis quæ exspectat salutem. *Non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. Etiam, Domine.* Tu canem me vocas, ego te Dominum voco. Tu me injurias, ego te glorifico *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Non respuo opprobrium, tantum accipiam vel escam canis. Dicit rem quæ in consuetudine est. Tu fac quod debetur cani. Quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, advocatus meæ factus es postulationis, abnegando promittis. *Etiam, Domine. Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quid ergo? Qui abnegabat, qui repellebat, qui non respondebat, qui dicebat, *non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus; qui dicebat, non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, in laudes mulieris subito erumpit, dicens: *O mulier.* Propterea, inquit, laudo constantiam ejus, laudo fidem, quæ injuriata permansit, et rogatione extorsit. Si enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu scisses virtutem animæ ejus, nec latentem fidei thesaurum, et ideo suspendi donationem, ut tu agnosceres fidem. *O mulier.* Deus dicit, *o mulier.* Audiant hæc qui jactanter orant, et fastidiose precantur, quando dico, charissime, roga Deum, obsecra eum, famulare illi, dicit: Rogavi semel, secundo et tertio, et decies et vicies, et quidnam accepi, inquis? Ne recedas quousque accipias. Finis postulantis, acceptio deprecantis est. Tunc cessa quando acceperis. Imo magis nec tunc cesses, sed tunc persevera, agens gratias pro eo quod accepisti, ut perseveret tibi quod acceperis. Nonnulli introeuntes ecclesiam, in mille versus extendunt orationem suam, quasi apud Deum multitudo sermonum opus sit, tanquam ignoranti quid postules, qui antequam cogites novit. Nam et illi quidem quid dicunt nesciunt, labia movent solummodo, mens autem sine fructu est, et aures ejus surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam, et Dominum vis audire precem tuam? Flexi, inquit, genua. Curvasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagatur. Corpus tuum intus, sed sensus foras. Os quidem loquebatur, sed mens usuras cogitabat, possessionum redditus supputabat, descriptiones domorum videbat, amicorum verba volvebat, negligentias intuebatur famulorum, parasitorum urbanitates ridebat, mulierum speciem considerabat. Diabolus enim cum sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus, et sæpius impetremus, impedire festinat improvidas mentes. Nam aliquoties cum resupini jacemus in lectulo, nihil tale cogitamus. Sed cum venimus ad orationem, cogitationum nos opprimunt nubes, ut nos avocent, et sine fructu efficiant. Hæc igitur sciens in orationibus fieri, imitare Chananæam, vir, mulierem, quæ vigilanter et cum summa sapientia rogabat Dominum, et ideo meruit impetrare. Sed forsitan dices: Non habeo filiam quæ dæmone plena sit, sed habes animam peccatis refertam. Et quid dixit Chana-

A næa? *Miserere mei, Domine, quia filia mea male a dæmonio vexatur.* Dicito et tu: Miserere mei, Domine, quia anima mea male a dæmonio vexatur. Grandis enim dæmon, peccatum est. Et ille quidem in propatulo habens, velocius curari potest, qui autem occultat peccata sua hominibus, et pœnitere non vult, sed contemnens securus delinquit et odibilis est, ille quidem pro ipsa vexatione veniam habebit, iste vero responsione privabitur. *Miserere mei.* Modicus quidem sermo, sed immensum benignitatis continet pelagus. Ubi enim misericordia postulatur, ibi universa comprehensa sunt bona. Quod si foras ecclesiam es, dic tu, *miserere mei, Domine*, non solum labia movens, sed mente ingemiscens: quia et tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed devotio mentis Jeremias in
B lacu cœni mersus erat, et fideliter orans, Deum promeruit (*Jer.* XXXVIII). Daniel in lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinavit (*Dan.* VI). Tres pueri in camino ardenti erant, et Deo placuerunt (*Dan.* III). Latro in cruce erat, et exauditus est fideliter postulando. Et nihil obfuit crux, sed confessio fidei paradisum aperuit (*Luc.* XXV). Job in sterquilinio erat, et per patientiam suam Deum propitiabatur (*Job.* II). Quod si et in balneis es, ora. Ubicunque fueris, ora. *Templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (*I Cor.* III). Voluntas solummodo devotæ menti opus est. Quod si in judicio assistis, ora. Et cum irascitur rex, ora; ubique Deus præsens est, non clauditur loco; invocanti dicit: Adsum. Nam cum eduxisset
C Moyses populum de Ægypto, et per desertum ad mare Rubrum venisset, Ægyptii post tergum erant insequentes populum (*Exod.* XIV). Ante mare fremebant fluctus, Moyses in angustia erat. Tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat. In medio tribulationis erat: inde Ægyptii insequentes, hinc mare intumescens. Ad Dominum igitur mente clamabat, et vox penitus non audiebatur. Ideo Dominus dicit ad eum, *quid clamas ad me?* cum ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando astiteris furenti judici ac rabido tyranno, ora ad Dominum tuum, et orante te, fluctus mitigabuntur. Judex ad te, tu ad Dominum confugito. Judex prope te, tu Deum invoca qui in [pro] te est. Nunquid longe a te est, ut vadas ad locum aliquem? Deus non includitur
D loco, sed semper in proximo est. Et qui loco non clauditur, fide tenetur. Nam si hominem rogare volueris, interrogas quid facit; et audies: dormit, aut: non vacat, aut certe non dignabitur minister respondere tibi. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed ubicunque fueris et invocaveris, audit te. Non ostiarius, non mediator, non minister opus est, sed dicito: *miserere mei*, et Deus illico aderit. Adhuc te loquente, dicit, adsum. O sermo mansuetudine et benignitate plenus! Non exspectat consummari orationem, sed statim tribuit petitionem. *Miserere mei.* Hanc imitemur Chananæam: *Miserere mei, Domine, filia mea male a dæmonio vexatur. O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ubi sunt hæretici? Nunquid dixit, rogabo patrem meum, obsecrabo ge-

Digitized by Google

...itorem meum? Num oratione eguit? Non utique ubi auctor salutis est et universitatis creator, et verbum Deus; ideo dixit : *O mulier, magna est fides tua :* quamvis et pro dispensatione carnis oraverit. Et quia magna est fides, copiosa effusa est gratia. Ubi autem oratio necessaria est, ibi infirmum est vas. *O mulier, magna est fides tua.* Non vidisti mortuum suscitatum nec leprosum mundatum, nec prophetas audisti, nec legem meditata es, neque mare in divisionibus scindi vidisti. Nihil horum contemplata a me es, insuper et despecta et contempta a me es, et non recessisti, sed perseverasti petendo. *O mulier, grandis est fides tua.* Mortua est mulier, et præconia ejus vigent. Ubicunque ieris, audies Christum dicentem : *O mulier, magna est fides tua.* In Scythia, in India, in Mauritania, quantamcunque sol respicit terram, clamat Christus, et non tacet verbum : *O mulier, grandis est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Non dixit, sanetur filia tua : sed, *fiat tibi sicut vis :* tu, inquit, eam cura, esto medicus, tibi committo medicamentum ut imponas ei, *fiat tibi sicut vis*, voluntas tua curat eam. Chananæa voluntate curavit, et Filius Dei, sicut dicunt hic, a semetipso non curat. *Fiat tibi sicut vis.* Neque jussit mulier, neque imperavit dæmoni, sed sola mulieris voluntas curavit filiam, dæmonemque fugavit. Ubi sunt qui audent dicere, Christum per orationem virtutes fecisse? vide quid dicat. *Fiat tibi sicut vis.* Considera sermonis germanitatem. Patrem suum imitatur. Quando enim faciebat Deus cœlum, dixit : Fiat cœlum, et factum est cœlum : Fiat terra, et facta est terra : Fiat sol, fiant astra cœli, et facta sunt universa (*Gen.* I). Jussio adduxit substantiam parentelæ, sermo communionem ostendit naturæ. *Et sanata est*, inquit, *filia ejus ex illa hora.* Ex qua hora? Non ex qua venit mater ejus domum, sed ex qua Domini sermo processit. Et cum redisset domum, invenit eam sanæ mentis, et voluntate, imo fide ejus curatam. Pro his autem omnibus gratias agamus Deo, per Christum Dominum nostrum, cum quo est Deo Patri una cum Spiritu sancto honor et gloria et potestas, per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXXII.

### IN FERIA SECUNDA POST *Reminiscere.*

*In illo tempore : dixit Jesus turbis Judæorum : Ego vado, et quæritis me, et in peccato vestro moriemini*, etc. (*Joan.* VIII.)

Refert superius sanctus evangelista Joannes, quia cum doceret Dominus in gazophylacio templi, et divinitatis suæ mysteria apertissime populis panderet, voluerunt eum Judæi apprehendere, sed nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus. Nondum enim venerat voluntas ipsius, et dispositionis hora, quia sicut voluntarie natus, sic et voluntarie passus est. Quia ergo illi Dominum apprehendere voluerunt, ut ostenderet inefficaciter illos conari, quandiu ipse nollet, ideo Dominus eis dixit quod modo audivimus : *Ego vado, et quæritis me.* Ac si aliis verbis diceret : Frustra me persequimini, incassum mihi manus injicere tentatis. Ego enim præfinivi tempus, quando pro salute humani generis pati debeam. *Ego*, inquit, *vado*, ego volens ad passionem pergo. Vos autem nec modo mali aliquid mihi potestis facere, quia ego nolo. *Et quæritis me*, non amore, sed odio. Denique cum Christus de mundo discessit, postquam per passionem oculis se hominum absentavit, quæsierunt eum Judæi, persequendo in apostolis et cæteris credentibus. Unde et Saulo persecutori dictum est : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX)? Quæsierunt etiam sancti apostoli amatores ipsius, illum præsentem habere cupientes, et desiderio visionis ejus æstuantes. Hoc ergo modo inquiramus Christum, quo eum quærebant sancti apostoli, et eum semper diligamus, ædificetque ille cor nostrum, qui ait : *Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam a me.* Illo itaque modo inquiramus Christum, non illo quo eum quæsierunt Judæi inimici Christi. Illi enim quærebant ut haberent, isti ut perderent. Unde et ne putaretur bene illos eum quæsituros, adjunxit : *Et in peccato vestro moriemini.* Ille in peccato suo moritur, qui permanet in peccato usque ad mortem. Et quia prævidebat illos in sua malitia perseveraturos, ideo dixit : *In peccato vestro moriemini.* Et quia videbat in illis omnibus unam voluntatem, similemque malitiam, ideo in singulari numero dixit, *in peccato vestro.* Quia vero pari affectu omnes eum perdere volebant, qui ad salvandos eos venerat, idcirco in plurali numero dixit, *moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.* Non poterant venire quo ibat, quia in eum credere nolebant, et quia eum non diligebant. Atque ideo ad illam gloriam, ad quam ille per mortem festinabat, ipsi venire non poterant. Hoc ipsum alibi apostolis loquens dixit : *Quo ego vado, vos non potestis venire modo* (*Joan.* XV). Neque enim tunc quo ipse ibat venire poterant, quia necdum pro illo pati erant idonei, sed postea erant venturi. Non ergo abstulit eis spem, sed prædixit dilationem. Judæi vero nunquam quo ibat venturi erant, quia in eum credere nolebant. Et idcirco audierunt : *In peccato vestro moriemini.* Sed audiamus quid responderunt, verba Domini carnaliter tantum audientes, et non intelligentes. *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego vado, non potestis venire?* Quia cæca mens, et suis tenebris obscurata. Nunquid si Dominus interficiat se, sequi eum ad mortem non poterant? Aut nunquid mori ipsi non valebant? Ergo quo ego vado dixit, non de eo quo ibat ad mortem, sed de eo quo venturus erat post mortem, hoc est, de gloria ad quam per passionem et mortem properabat, et ad hanc illi pervenire non poterant. Sed jam videamus quid his Dominus responderit : *Vos de deorsum estis, ego de superius sum. De deorsum*, inquit, *estis*, terrena sapitis, et terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum corda non levatis. *Ego de superius sum*, hoc est, a Patre quo nihil est superius, quia Pater de nullo est. De superius erat, id est de Deo patre erat, quia Verbum ejus erat, et ab illo æternus et consubstantialis

Digitized by Google

genitus fuerat ante omnem creaturam, ante tempus, vel quidquid in tempore excogitari potest. *Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo.* De hoc mundo erant, quia peccatores, quia iniqui et infideles erant. Sed nunquid apostoli et cæteri sancti de hoc mundo non erant? De mundo erant, quia de Adam nati fuerant, sed de mundo, id est, de carnali conversatione a Domino electi fuerant, juxta quod alibi dicit : *Ego vos elegi de mundo* (*Joan.* XV). De mundo ergo erant, sed jam non erant de mundo, quia electi erant de mundo, et ad eum pertinebant, per quem factus est mundus. Judæi vero quia perseverabant in peccato, permanebant in mundo. Propterea eis dictum est, *in peccato vestro moriemini. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccato vestro. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Reddit illis spem, et ostendit quomodo possint non mori in peccato suo, videlicet si in eum credant. Ergo inter eos quibus tunc Dominus loquebatur, erant plurimi, qui non erant credituri, atque ideo illi in peccato suo morituri erant, alii qui credituri erant, et hi a peccatis liberandi erant. Notandum vero quod dicit, *si non credideritis quia ego sum*, nec addit quid esset. Non dixit, si non credideritis quia ego sum Christus, vel quia ego sum Filius Dei, vel ego sum quem prophetæ prædixerunt, nihil horum dixit, sed tantum *ego sum*. Nimirum, ut ostenderet se illum esse, qui olim Moysi dixerat : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). Eodem verbo essentiæ usus est loquens populo Judæorum, quo tunc usus est ad Moysen, loquens per angelum, quem dirigebat ad liberandum populum suum. Ac si diceret : ego qui tunc veni per angelum, ut mitterem Moysen ad liberandum populum meum, ego per memetipsum veni liberare genus humanum. Nisi ergo credideritis, quia ego sum Deus, moriemini in peccato vestro. Sed illi in sua stultitia perseverantes, et verborum Domini subtilitatem non intelligentes, responderunt : *Tu quis es?* Sed Dominus ad instruendos eos qui in eum credituri erant, respondit : *Principium, qui et loquor vobis.* Principium se Dominus appellat, quia omnia per ipsum facta sunt. Ipse enim Dei sapientia est, de quo Psalmista Deo Patri dicit : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII). Si igitur omnia fecit in sapientia, id est, in Filio suo, utique ipse est principium omnium rerum quas per eum Deus Pater creavit. Dicitur et Pater principium, quia in principio erat Verbum, id est, in Patre Filius. Unum tamen est principium Pater et Filius, quia unus Deus Pater et Filius. *Principium*, ait, *qui et loquor vobis.* Ac si diceret : Ego sum Deus, qui propter vos humilis factus, ad hoc descendi, ut vobis loqui possem per susceptam formam. Credite ergo me esse principium, quia ut hoc credatis, loquor vobis. *Multa habeo de vobis loqui et judicare.* In alio Evangelii loco dixit : *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII), quid est quod nunc dicit : *Multa habeo de vobis loqui et judicare?* Sed illud de primo adventu dixit, quo non venit ut judicaret mundum, sed ut salvaret. Quod autem nunc dicit, A *multa habeo loqui de vobis et judicare*, secundum adventum suum insinuat, quando ad judicandos vivos et mortuos venturus est. *Sed qui me misit, verax est.* Ac si diceret : Idcirco veritatem dico, quia Filius sum veracis. Pater enim verax est, Filius veritas. Et sicut est Filius a Patre, sic veritas a verace. Et attendendum, quod omnem gloriam dat Deo Patri unicus Filius, ut nos tali instruat exemplo, quia si ipse qui est coæternus filius, omnem gloriam dat ei a quo est, multo magis nos Deum in suis operibus glorificare debemus, cujus servi sumus. *Et ego quæ audivi apud eum, hæc loquor in mundo.* Quid audierat apud Patrem, nisi veritatem? Veritatem ergo audierat, veritatem loquebatur. Audivit autem apud Patrem, quia est a Patre. Nihil enim est illi aliud B audisse nisi esse, quia ab illo habet audientiam, a quo habet essentiam. *Et non cognoverunt quia patrem ejus dicebat Deum.* Quare non cognoverunt? Quia adhuc carnalibus inhærebant, necdum oculos cordis apertos habebant, quibus Patris et Filii æqualitatem intelligere valerent. *Dixit ergo eis : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Exaltationem hoc loco passionem suam notat, qua exaltatus est in cruce. Hæc namque exaltatio humiliationis fuit, non glorificationis, secundum quam *humiliavit seipsum, factus obediens Patri usque ad mortem* (*Phil.* II). Ait ergo : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Prævidebat enim ibi quosdam, quos ante mundi constiC tutionem prædestinaverat, post suam passionem credituros : de quibus in Actibus apostolorum legimus, quia prædicante Petro una die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, et deinceps multa millia. *Tunc*, inquit, *cognoscetis, quia ego sum.* Ac si diceret : Idcirco differo fidem vestram, ut impleam passionem meam. Cum vero me in cruce exaltaveritis, sicut quondam Moyses exaltavit serpentem in deserto, tunc cognoscetis me Deum unius cum Patre substantiæ. *Et a meipso facio nihil*, quia nec sum a meipso. Ab ipso est mihi operatio, a quo et generatio. Et sicut docuit me Pater, hoc loquor in mundo. Non sic docuit Pater Filium, quasi indoctum genuerit, sed docuit, hoc est, scientem genuit. Simplex enim natura veritatis, et hoc est illi esse D quod nosse, et ab illo habet scientiam a quo habet essentiam. *Et qui me misit mecum est.* Deus Pater Filium misit, quia eum incarnari constituit. Missio enim ejus incarnatio est. Deus ergo Pater cum Filio est, quia unum sunt Pater et Filius, una est illis substantia, eademque deitas, indivisa majestas. Et tamen cum simul sint, solus Filius missus est, hoc est, solus Filius incarnatus est, et sic solus Filius passus est. Deus ergo Pater semper cum Filio fuit, et eum non reliquit, et tamen, ut dictum est, solius Filii persona carnem assumpsit, passionique et morti subjacuit. Dei autem Patris persona, ab ista incarnationis et passionis injuria fuit aliena. Ut enim aliquo notetur exemplo, sicut arbor aliqua radium solis in se suscipiens, ferro inciditur, eum tamen radius

solis nec incidi possit, nec ab arbore separari, ita Deus Pater, et ipsa in Christo divinitas, pati non potuit, sed sola humanitas Christi passibilis fuit. *Quia quæ placita sunt ei, semper facio.* Quæ Deo Patri placita erant, semper faciebat, quia voluntatem ejus salutem humani generis operando adimplebat, et peccati totius perpetuo expers immunisque perseverabat, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Quapropter et nos si membra ejus esse volumus, capitis nostri exempla imitari studeamus. Agamus quæ sunt placita Deo, castificemus animum ab omni concupiscentia, edomemus illicitos carnis appetitus, mala quæ nos perpetrasse meminimus, lacrymis pœnitentiæ diluamus, et bonis in quantum possumus operibus insistamus, quatenus Deum et inter sæculi pressuras adjutorem et protectorem habere, et in futuro ad illud summum bonum visionis ejus mereamur feliciter pervenire. Amen.

## HOMILIA LXXXIII.

IN FERIA TERTIA POST *Reminiscere.*

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*In illo tempore, locutus est Jesus ad turbas et ad discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi,* etc. (*Matth.* XXIII).

Repudiatis Dominus ut dignum erat tentatoribus, ad servos sermonem convertit, ut illorum confusio, justorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, ut non alter erudiatur. *Super cathedram*, inquit, *Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Non quidem materialis cathedra, cui insederat Moyses, usque ad illud tempus servabatur apud Judæos, sed per cathedram Moysi intelligitur doctrina quam Scribæ et Pharisæi, licet non facerent, prædicabant. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera eorum facere nolite.* Tanquam diceret eis : Doctrinam quam docuit Moyses legislator prædicant et annuntiant Scribæ et Pharisæi; sed quia quod ore prædicant, opere destruunt, quod vobis annuntiant servate, quod vero faciunt, facere nolite. Et mira bonitate Dominus a Pharisæis tentatus, eorum machinas dissipat, nihilominus propter sacerdotii dignitatem, hortatur homines ut eis subjiciantur, non opera illorum, sed doctrinam imitentur. Frequenter enim et de homine malo bona doctrina procedit, ac vilis terra pretiosum aurum producit. *Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Onera gravia et importabilia, legis dicit mandata, quæ Judæis maxime propter peccata vituli adorati constat fuisse imposita. Quæ quidem mandata Scribæ et Pharisæi permistis suis traditionibus, tanquam gravissima onera simpliciori populo imponebant, quæ ipsi nec uno digito movere, hoc est, nec in minimis quidem præceptis volebant perficere. Tales sunt modo indiscreti sacerdotes in Ecclesia, qui omnem justitiam populo mandant, sed nec ipsi modicam servant. Si enim fascem lignorum super alicujus humeros qui ferre non valet posueris, necesse

A habet ut aut fascem a se rejiciat, aut sub pondere ruat. Sic et homini cui grave pondus pœnitentiæ imponitur, necesse est ut pœnitentiam rejiciat, id est, scandalizatus amplius peccet. Nam si erramus modicam pœnitentiam peccantibus imponentes, melius est tamen de misericordia judicari, quam de crudelitate condemnari. Qui enim vult apparere sanctus, circa vitam suam debet esse austerus, circa aliorum benignus. *Omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Scribæ et Pharisæi quæ operabantur, ad hoc faciebant, ut ab hominibus viderentur, hoc est, ut laudem et favorem populi exterius caperent. Similiter et omnis quicunque opera sua ideo tantum facit, ut ab hominibus videatur, similis est Scribis et Pharisæis. Ex proposito namque uniuscujusque

B hominis, accepit diabolus occasionem. Tollamus hoc vitium a nobis, ne velimus nos ab ipsis videri, hoc est, laudari, et sine labore omnia vitia calcabimus. *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Quia Græco sermone *phylattin*, servare dicitur, *thora* vero lex appellatur, phylacteria vocat illas membranas, quas quasi ex præcepto legis in frontibus portabant, laudem captantes popularem, ob custodiam divinorum mandatorum, quæ inibi scribebantur, non intelligentes, quia lex divina in corde sit meditanda, et non in corpore ostendenda. Præcepto etiam legis jubebatur fieri fimbria parva et brevis in quatuor summitatibus pallii, ut sicut circumcisione legis a gentibus, sic etiam veste distarent. Sed superstitiosi magistri, laudis popularis

C avidissimi, componebant sibi grandes fimbrias, acutissimas spinas in eis ligantes, ut ambulantes vel sedentes crebro pungerentur, et quasi admoniti ad eloquia divina meditanda recurrerent. Ex qua re creditur in Ecclesia inolevisse, quod quidam aliquam partem evangelii scriptam, vel reliquias martyrum deferre consueverunt. Sed sciendum, quod cui in auribus evangelica posita non prosunt verba, eum circa collum suspensa non salvant, quia virtus evangelii non est in figuris litterarum, sed in intellectu sensuum. Sequitur : *Amant enim primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.* Non prohibet eos Dominus salutari in foro, neque primos discumbere in prandiis, quibus jure hoc officium debetur, sed ab illis docet

D esse cavendum, qui cum habere hæc digni non sint, ultra modum tamen sibi ea exhiberi desiderant. Hæc autem verba Salvatoris si corporaliter intelligantur, non solum non ædificant, sed adhuc magis destruunt auditorem. Audiens enim aliquis, laudabile esse in ultimo loco discumbere, discumbit post omnes, et non solum jactantiam cordis non amittit, sed adhuc aliam jactantiam de sua humilitate requirit, ut qui prius desiderabat ab aliis videri justus, etiam humilis esse videatur. Sed hæc Domini verba potius spiritualiter sunt intelligenda. Non enim curat Deus ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens sit locata. Sine causa quippe loco se humiliavit, qui corde se præfert. Et salutationes in foro non solum exigebant Scribæ et Pharisæi a populo,

Digitized by Google

ut eos salutarent voce magna dicentes : Ave rabbi, sed ut flexis capitibus ad genua incurvarentur. *Et vocari ab hominibus, rabbi.* Desiderabant namque vocari rabbi, et volebant esse magistri; nomen appetebant, et officium negligebant. *Vos autem nolite vocari rabbi, unus est enim magister vester. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim pater vester, qui in cœlis est.* In his omnibus prohibetur, ne quod Deo debetur, hominibus deferatur. Sed cum omnia præcepta divinæ Scripturæ a Deo procedant, movet multos cur contra præceptum alterius Scripturæ quæ dicit, *honora patrem*, prohibeat vocari patres vel magistros. Nam et Paulus magistrum gentium se esse testatur. Sed aliud est esse patrem vel magistrum natura, aliud permittente indulgentia. Nos enim si hominem patrem vel magistrum vocamus, honorem deferimus his a quibus incrementum, vel originem sumpsimus, non eos auctores nostræ vitæ ostendimus. Tamen secundum quod a Deo conditi sumus, et gubernamur, nec pater, nec magister vocandus est alius nisi Deus. Pater vocandus est, quia ex ipso sunt omnia; magister, quia per ipsum sunt omnia, vel quia ipse est singularis magister, qui omnes interius naturaliter edocet. Homo enim non præstat homini intellectum docendo, sed illum tantum exercet admonendo. Doctrina namque cotis officium tenet, quæ ferrum non facit. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Ac si dicat : Quicunque vult fratrem prævenire regnando, prius illum necesse est ut præveniat obsequendo. Quod et in ipso Christo veraciter impletum esse novimus, qui cum major sit omnibus fidelibus, tamen suis non solum exteriora ministravit, sed etiam animam suam pro illis in mortem tradidit. Hoc est quod dicit : *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Prælatis specialiter præcipitur, ut quibus spirituali regimine principantur, eorum indigentiam taliter relevare, atque supplementum familiaris paupertatis, studiosa subministratione procurent. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur.* Videmus multos honoribus et divitiis hujus sæculi florere, et in his usque ad finem perseverare cernimus; e contrario nonnullos paupertate laborare, et in eadem egestate permanere. Cum ergo isti in inchoata felicitate, et illi in pristina paupertate usque ad terminum vitæ permaneant, quomodo verum esse constat quod Dominus dicit, omnem hominem exaltatum humiliari, humiliatum exaltari ? Sed quoniam veritas falli non potest, in futuro complenda non dubitamus. Omnis enim qui in præsenti vita se exaltat, ut divinis præceptis se subdere contemnat, hic in die judicii cum superbis humiliatus, audiet a Domino : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Qui vero divino amore hic se humiliare studuerit, imitans illum qui dicit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi), ipse in futuro judicio a Domino exaltabitur, cum audire meruerit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis a sæculo paratum* (*Matth.* xxv). Amen.

## HOMILIA LXXXIV.

### IN FERIA QUARTA POST *Reminiscere.*

*In illo tempore, ascendens Jesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Hierosolymam*, etc. (*Matth.* xx).

Dominus ac redemptor noster, prævidens discipulorum animos de sua passione turbandos, longe ante eis et pœnam ejusdem passionis, et gloriam suæ resurrectionis prædicere voluit, ut cum eum morientem cernerent, resurrecturum quoque sicut eis prædixerat, minime dubitarent. Et crebro quippe hoc ipsum eis pronuntiaverat, sed quia temporis accessu quod audierant, labi a memoria poterat, idcirco iturus ad passionem, et secum eos ducturus, iterato eis futura prædixit, quatenus eos contra venientem tentationem præpararet, ne veniente crucis persecutione et passionis ignominia, terrerentur. Mala enim minus officiunt quæ præsciuntur. Nam subiti casus, etiam fortissimos quosque obruere solent. *Assumpsit*, inquam, *duodecim discipulos suos.* Initio suæ prædicationis plures Dominus voluit habere discipulos, e quibus duodecim elegit, quos et apostolos nominavit, quibus evangelii sacramenta committeret, et per quos totum mundum ad suam fidem convocaret. Quibus et alibi dicit : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (*Luc.* xxii). His ergo assumptis, ait illis : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte.* Attendendum quod Dominus Filium hominis tradendum et morte condemnandum dicit, qui cum sit idem Filius Dei, et Filius hominis Dominus Jesus Christus, solus tamen Filius hominis, id est, humanitas, assumi, tradi, comprehendi, ac passioni mortique subjacere potuit. Simul et illud considerandum, quia pene in omnibus sancti Evangelii locis potius se Dominus Filium hominis quam Filium Dei appellat, ut videlicet nobis ad memoriam reducat, quid pro nobis factus sit. Nam qui erat Deus excelsus super omnia, factus est homo humilis inter omnia. Sed quanto magis ille humanitatis suæ infima commendat, tanto magis nos sublimia divinitatis ejus venerari ac glorificare oportet. *Tradetur*, ait, *principibus sacerdotum.* Primum enim ad Annam sacerdotem, deinde ad Caiphæ domum adductus est, qui erat pontifex anni illius. *Et condemnabunt eum morte.* Etenim morte eum condemnaverunt, quando clamaverunt dicentes : *Reus est mortis* (*Matth.* xxvi). Et : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* xix). *Et tradent eum gentibus ad illudendum.* Traditus est gentibus, quia sicut textus passionis ejus aperte loquitur, vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi, qui utique non Judæus erat. Ipse vero flagellatum eum tradidit militibus Romanis ad crucifigendum. Sciendum autem Dominum a multis fuisse traditum. Tradidit namque eum Deus Pater, juxta quod Apostolus ait : *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* viii). Tradidit se ipse filius, eodem Apostolo dicente : *Qui dilexit nos, et*

Digitized by Google

*tradidit semetipsum pro nobis* (*Gal.* II). Tradiditque A eum Judas Judæis, Judæi nihilominus tradiderunt eum Pilato. Pilatus, ut dictum est, tradidit eum militibus. Si ergo Deus Pater tradidit eum, et si se ipse tradidit, quid Judas et Judæi peccaverunt? Quid tantum sceleris admiserunt, ut sic horrori et exsecrationi sint omnibus in Christum credentibus? Sed in re una dispar fuit affectus. Quod enim Deus Pater cum æterno sibi Filio fecit, amore et dilectione humani generis hoc fecit: Judas vero et Judæi odio et invidia hoc fecerunt. Ideoque Deus Pater dignissime cum Christo Filio suo benedicitur, et continuis laudibus prædicatur, illi vero æterna maledictione et supplicio condemnantur. *Tradetur*, inquit, *gentibus ad illudendum et flagellandum*. Illusus est Dominus, quando (sicut Evangelium refert) suscipientes eum B milites velaverunt faciem ejus, *et induerunt eum purpura, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexteram ejus, et venientes dixerunt: Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas* (*Joan.* XIX)? Flagellatus est, ad columnam religatus, in qua usque hodie fusi cruoris indicia feruntur apparere. Quia vero prius flagellatus, deinde crucifixus est, ex Romano more factum est, qui reos et morti adjudicatos primum flagellis verberabant, deinde securi cædebant. *Et die tertia resurget.* Solet Scriptura divina tristibus læta subjungere. Unde et Dominus prædictam suæ passionis ignominiam futuræ resurrectionis gloria evacuavit, subdens: *Tertia die resurget.* Et jure die tertia, quia auctor vitæ diu a morte teneri non potuit. De quo Psal- C mista dicit: *De torrente in via bibet* (*Psal.* CIX); quia videlicet mortem nostram in transitu gustavit, *et caro illius corruptionem non vidit. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? At illa: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam, in regno tuo.* Mater filiorum Zebedæi, ipsa est Maria mater Jacobi et Joannis, cujus et in resurrectione Domini mentio agitur. Sed cum Dominus suam superius legatur prædixisse passionem, quod videlicet tradendus, illudendus et flagellandus esset, quærendum unde mater filiorum Zebedæi ad hanc regni opinionem inducta sit, ut filiis quæreret a Domino regnandi gloriam. Ea enim quæ Dominus in se implenda prædixerat, contraria D videbantur gloriæ regni. Sed quia Dominus subjunxerat se die tertio resurrecturum, putavit hæc mulier post resurrectionem illico eum in mundo regnaturum, arbitrans in primo adventu Domini implendum, quod in secundo promittitur. Ideoque immemor futurorum, aviditate feminea præsentem gloriam concupiscit. Sed et usque hodie Judæorum opinio est, Christum suum cum venerit, per annos plures feliciter in mundo regnaturum, omnibusque gentibus imperaturum, ipsosque Judæos omni pace et prosperitate gavisuros, atque ab omnibus fore populis venerandos. Hac opinione corrupta fuit hæc mulier, ideoque errore muliebri et affectu materno, filiis volebat regnum impetrare. Quod vero Dominus interrogat quid illa vellet, non de ignorantia fecit, sed ex dispensatione, ut videlicet illius petitio nota fieret omnibus, sicque illi Dominus apte responderet. *Respondens Jesus dixit: Nescitis quid petatis.* Matre postulante, non matri Dominus, sed filiis respondit, quia noverat matris preces ex filiorum venire voluntate. Nesciebant enim quid peterent, qui conregnare et consedere Christo volebant, qui necdum merebantur. Necdum enim pro Christo pati poterant, ut dicit Apostolus: *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Tit.* II). Delectat ergo eos culmen honoris, sed prius debet eos via exercere laboris. Jam desiderant sublimiter regnare cum Christo, sed prius debent pati pro Christo. Bonum certe erat eorum desiderium, sed inconsiderata petitio, atque ideo Dominus non voluntatem aut propositum eorum culpavit, quod de ejus amore nascebatur, sed solam ignorantiam reprehendit, dicens: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego biblturus sum?* Nomine calicis vel baptismi, in sacro evangelio labor martyrii solet designari. Unde alibi dicit Dominus: *Baptismate habeo baptizari, ad quod coarctor usque dum perficiatur* (*Luc.* XII). In passione quoque patrem orat: *Si vis, transfer calicem istum a me* (*Luc.* XXII). Interrogat ergo illos, si possint bibere calicem quem ipse erat biblturus, per hoc se et illos per passionem insinuans consummandos. Quod illi intelligentes responderunt: *Possumus. Et Dominus: Calicem quidem bibetis.* Quæri solet, quomodo ambo hi fratres, Joannes videlicet et Jacobus, calicem Domini biberint, cum solum Jacobum legamus pro Christo ab Herode capite cæsum, Joannem vero in pace quievisse, et propitia morte vitam finisse. Sed legimus in historiis, ipsum quoque causa nominis Christi multa sustinuisse. Nam et cum cæteris apostolis cæsus in Actibus apostolorum invenitur, et deinceps a Domitiano Cæsare in ferventis olei dolium missus. Idemque ab eodem principe propter invictam evangelizandi constantiam, in Patmos insulam exsilio narratur fuisse relegatus. Videmus ergo non defuisse Joanni martyrium, et ipsum quoque bibisse calicem passionis, quamvis persecutor sanguinem ejus non fuderit. *Sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Quod dicit, *non est meum dare vobis*, ita sentiri potest, non est meum, sed vestrum. Non est meum dare, quia regnum cœlorum in accipientis est potestate. Quicunque enim talem se exhibuerit, ut dignus sit regno cœlorum, hic talis illud accipiet, quia regnum cœlorum non persona, sed vita consequitur. Si itaque et vos tales fueritis, ut sitis digni accipere illud regnum, quod Deus Pater solis victoribus, et usque in finem in bono perseverantibus præparavit, vos quoque illud absque dubio accipietis. Sive etiam alio sensu: Non est meum dare vobis, hoc est, non est meum dare illud regnum superbis et elatis, quod adhuc erant. Si ergo illud vultis accipere, nolite

Digitized by Google

esse quod estis, id est, nolite esse elati, quia tales indigni sunt accipere regnum cœlorum. Ergo prius humiliamini, et tunc vobis quoque præparabitur regnum cœlorum. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Non contra matrem indignantur, sed ad filios referunt præsumptionem hujusmodi postulationis, quod quasi ignorantes mensuram sui, immodica cupiditate ad petendum regnum exarserint. Juxta quod Dominus quoque supra non petenti matri, sed tacentibus filiis respondit : *Nescitis quid petatis.* Ex qua Domini responsione, simul et decem apostolorum indignatione, datur intelligi, quod filii matrem instigaverint ad grandia petenda. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit minister vester. Et qui voluerit inter vos primus fieri, erit vester servus.* Humilis et benignus magister, forma quoque omnium magistrorum, nec illos duos de immodica et irrationabili petitione, nec hos decem de indignatione et livore quem contra illos habebant, redarguit, sed tale ponit exemplum, quo manifeste doceat illum vere esse majorem, qui minorem se exhibuerit, illumque existere primum, qui fuerit servus omnium. Qui ergo voluerit patrem [parem] prævenire regnando, præveniat et illum se humiliando. Vincat eum obsequio, quem vult vincere dignitate. Frustra igitur illi grandia quærebant, frustra et isti de illorum insolenti desiderio indignantur, cum a Domino doceantur, ad summæ dignitatis culmen, non potentia, sed humilitate conscendere. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Proponit illis ex seipso discendæ formam humilitatis, ut si docentis verba parvipenderent, imitarentur exempla. *Non venit*, inquit, *Filius hominis ministrari*, id est, ut ministraretur ei, *sed ministrare.* Si ego, inquit, qui cum sim Dei Filius et Deus, propter vos homo factus, non ad hoc in mundum veni, ut hominum obsequia vel ministeria mihi inquirerem, sed ut ipse potius vobis obsequerer, vobis ministrarem, quare vos homines ab hominibus, mortales a mortalibus, servitia superbia requiritis, non ut naturæ (cui satis parva sufficiunt) necessitatibus subveniatis, sed ut majores et celsiores cæteris appareatis? Attendant hoc ecclesiarum præpositi, et caveant; audiant a Domino, quia gentilis, non ecclesiasticæ consuetudinis est, subjectis dominari, et super eos quibus prælati sunt, potestatis dominium exercere. Discant igitur boni magistri exemplo, non se fastu superbiæ super minores extollere, sed potius illis se obtemperare, atque æquales in omnibus exhibere studeant, quatenus ab illo *qui non venit ministrari, sed ministrare*, cœlestem mereantur consequi magistratum. Ministravit autem Dominus, quando in cœna linteo se præcinxit, et omnium discipulorum pedes lavit. Ministravit etiam Dominus, cum in crucis altari se ipsum pro nostra redemptione Deo Patri hostiam obtulit. Unde sequitur : *Et dare animam suam redemptionem pro multis.* Commendandum memoriæ, quod non pro omnibus, sed pro multis se dicit animam ponere, pro his videlicet qui credere voluerint, pro his qui sunt de numero salvandorum, et ad vitam æternam prædestinatorum. Tu autem.

## HOMILIA LXXXV.

### IN FERIA QUINTA POST *Reminiscere.*

*In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso*, etc. (*Luc.* XVI).

*Homiliam require in prima Dominica post octavas Pentecostes.*

## HOMILIA LXXXVI.

### IN FERIA SEXTA POST *Reminiscere.*

*In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum parabolam hanc : Homo quidam erat paterfamilias qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei*, etc. (*Matth.* XXI).

Passurus pro salute hominum Dei Filius venit Hierusalem triumphali pompa, et ab exsultantibus turbis exceptus est, quo tali gloria inimicorum suorum animos ad suam necem maturandam amplius incitaret; ibique per quinque dies non cessavit docens populum, et propositis similitudinibus, Scribarum et Pharisæorum scelera redarguens. Nam quia ipsi interrogaverant eum, cum eos de templo mirabili auctoritate ejiceret, *in qua potestate ista facis?* eique in sermone laqueos tetenderant, cum simulata veneratione interrogabant, *utrum liceret dare censum Cæsari, an non :* idcirco ipsi suis artibus superantur a Domino, et in parabolis audiunt, quod apertius audire non merebantur. Denique hæc similitudo, Judæorum invidiam quam contra salvatorem conceperant, et passionis ejus totum complectitur sacramentum. Homo iste paterfamilias, Deus omnipotens est, qui homines in mundo, quasi dominus suos famulos possidet in domo. Hic est ille paterfamilias, qui habuit duos filios, quique (secundum alterius loci parabolam) conduxit operarios in vineam suam, qui plantavit vineam, plebem videlicet Israeliticam, quam de omnibus gentibus in populum sibi peculiarem elegit. Hæc est illa vinea, de qua Isaias in cantico locutus, ad ultimum addidit : *Vinea Domini sabaoth domus Israel est* (*Isa.* V), de qua et Psalmista dicit : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* LXXIX). *Et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis.* Per sepem vel murum urbis angelica præsidia designat. Sepem ergo vineæ circumdedit, quia ex munimine murorum, et auxilio angelorum illam plebem vallavit. Torcular, altare : quia sicut in torculari uvæ exprimuntur, ita in altari Deo hostiæ immolantur. Hæc sunt illa torcularia, quorum titulo tres Psalmi prænotantur, ita : *In fine pro torcularibus.* Ædificavit turrim, templum scilicet. Hæc est illa turris, ad quam loquitur Micheas propheta,

Digitized by Google

dicens: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion* (*Mich.* IV). A Locavit eam agricolis. Agricolas principes Judæorum dicit, quibus Deus urbem templumque et universam simul plebem tradidit gubernandam. *Et peregre profectus est.* Profectus est peregre, non loci mutatione; nam quo potest recedere, qui per prophetam loquitur: *Cœlum et terram impleo* (*Jer.* XXIII). Et alibi: *Deus de prope ego sum, et non Deus de longe* (*Ibid.*). Sed abiisse dicitur, liberum illis relinquendo arbitrium, utrum vellent operari in vinea, an non. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset.* Tempus fructuum fuit, ex quo interfectis hostibus terram promissionis securi cœperunt incolere. Et pulchre non proventum, sed tempus fructuum dicit, quia nullus hujus vineæ proventus, nullus protervi populi exstitit boni operis fructus. B *Misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.* Servi qui primum ad agricolas missi sunt, Moyses legislator, et Aaron, et reliqui sacerdotes intelliguntur, qui per quadraginta annos continuos in deserto fructum legis quam illis Deus dederat, exigebant. Sed agricolæ missos ad se servos occiderunt, flagellantes illos verberibus linguarum. Scriptum est enim: *Irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini* (*Psal.* CV). Et iterum: *Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus* (*Ibid.*). De qua vinea quid ipse Moyses sentiat, in cantico Deuteronomii declarat, dicens: *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* C *Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus* (*Deut.* XXXII). Notandum quod alius evangelista dicit, *alium in capite percusserunt.* Per hunc namque servum intelligitur David, quia et ipse servus patrisfamilias erat, qui eumdem populum ad superna desideria incitabat, jucundam psalmorum melodiam concinendo. Sed hunc in capite percusserunt, quia ipsum spiritualis musicæ repertorem abjecerunt, dicentes: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai* (*II Reg.* XX). Nobile quoque regnum ejus ignobili tradiderunt, et religionem impietate mutaverunt. Sed ille hujus injuriæ immemor, pro hac vinea hunc patremfamilias precabatur, dicens: *Domine Deus virtutum convertere, respice de cœlo et vide, et visita vineam istam* (*Psal.* LXXIX). D *Iterum misit alios servos plures prioribus.* Per servos qui secundo loco missi sunt, choros prophetarum debemus accipere, qui suis oraculis populo subveniebant, et quæ huic vineæ imminerent prædicebant. Sed et hos similiter persecuti sunt, et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Christi. Audiamus quid Isaias de hujus vineæ sterilitate queratur: *Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ* (*Isaiæ* V). *Fecerunt,* inquit, *illis similiter* (*Jer.* II). Nam quosdam lapidaverunt, ut Ezechielem in Chaldæa, Jeremiam in Ægypto. Alios occiderunt, ut Naboth. Alios secuerunt, ut Isaiam. Nonnullos vecte ferreo perdiderunt, ut Amos. Et ostenditur hic patientia et sustentatio Domini, qui crebro servos ad malos colonos direxit, quatenus ab illis conventi [conversi] pœnitentiam agerent. Sed illi contemnentes, iram sibi in die iræ thesaurizaverunt. *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur forsitan filium meum.* Novissime, inquit, filium meum misi quia (ut ait Apostolus) *quando venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere* (*Gal.* IV). Non autem misit, ut de malis et pœnæ obnoxiis colonis sententiam judicialem ferret, sed adhuc post tanta scelera, post servorum suorum impias mortes, locum veniæ misericorditer reservaret. Verebuntur filium meum. Quod quasi ambigens dicit, verebuntur forsitan filium meum, non ita est accipiendum, quod ignorans dixerit. Nam Deus qui cuncta singulariter et summe novit, ignorare non potest. Sed dubitare dicitur, ut in nomine Filii potestas liberi arbitrii demonstretur. *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.* Ex hoc loco manifestissime comprobatur, principes ipsos Judæorum non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse redemptorem. Noverunt enim eum esse Filium Dei, intelligebant hunc esse illum cui loquebatur Deus Pater, *Postula a me, et dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Agnoscebant eum ad hoc venisse in mundum, ut omnes gentes ad fidem suam converteret, ideoque quasi consulentes sibi, dicebant: *Ecce totus mundus post ipsum abiit: et si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XII). Hæreditas autem Filii, Ecclesia est, in cunctis ei data nationibus, quam non moriens Pater ei reliquit, sed ipse morte sua illam misericorditer acquisivit, atque a mortuis resurgendo, illam sub testamento vitæ æternæ possedit. De qua Apostolus: *Attendite,* inquit, *gregi, in quo vos posuit Christus regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX). Hanc hæreditatem nequam coloni occiso hærede percipere cupiebant, quia ad hoc persequebantur Christum, ut fidem, quæ per eum est, exstinguerent, et carnalem justitiam legis, justitiæ evangelii præferrent, atque omnibus gentibus imbuendis insererent. *Et apprehensum,* inquit, *eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* Extra vineam vineæ hæres occiditur, quia Christus extra civitatem in loco qui dicitur Golgotha, id est Calvariæ, crucifixus est. Unde Apostolus: *Jesus autem ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* (*Heb.* XIII). Sive ejecerunt eum extra vineam, et occiderunt quia prius per incredulitatem a suis eum cordibus expulerunt, ac sic crucis supplicio affecerunt. Hoc olim præsignabat quod Moyses in tabernaculo Dei, altare holocausti, in quo victimarum sanguis effundebatur, non intra tabernaculum, sed ad ostium posuit, innuens mystice, quia crucis ara extra portam Hierusalem erat erigenda, et Christus Dei Patris Filius non in domo Judæorum, hoc est, in mentibus illorum recipiendus, sed foris esset immolandus. Quod autem Marcus evangelista mutato ordine dicit, *et apprehendentes occiderunt eum, et eje-*

Digitized by Google

*cerunt eum extra vineam* (*Matth.* XII), pertinaciam infidelitatis illorum denotat, qui nec post ejus passionem et resurrectionem credere voluerunt, sed quasi cadaver inutile projecerunt, prædicatores verbi illius a suis finibus excludentes, et ad nationum populos transmittentes. *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos, non quod ignoret quid responsuri essent, sed ut eos propria eorum responsione condemnet. *Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam aliis locabit agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Veniens Dominus malos male perdidit, quia incredulos et crudeles sui homicidas, digna punivit ultione, locum, gentem, simul et regnum eis auferendo, et per omnes mundi terminos longe lateque disseminando. Locavit autem vineam aliis agricolis, quia nobis Scripturarum mysteria, et suam cognitionem tribuit ea conditione, ut suis temporibus fructum reddamus, id est, noverimus quid unoquoque tempore nos loqui vel agere conveniat. Sed hoc quod illi dixerunt, quod scilicet malos male perderet, et vineam suam aliis locaret dominus, ipse divinitus procuratum prophetico ostendit exemplo, respondens : *Nunquam legistis in scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris?* Ipsos quos superius colonos vocaverat, nunc ædificantes appellat, quia principes et sacerdotes Judæorum, subditam plebem ad offerendos justitiæ fructus, quasi vineam excolere, ipsi etiam hunc ut Domino ad inhabitandum digna fieret, quasi domum construere et exornare debuerunt. Nam et Apostolus huic sensui astipulatur, fidelibus loquens : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis* (*I Cor.* III). Sed illi quasi mali coloni, fructum vineæ reddere nolunt, et quasi mali cementarii, electum et pretiosum lapidem, vel in fundamento vel in angulo domus Dei ponendum, subtrahere, hoc est, fidem Christi auditoribus conabantur eripere. Ait ergo : *Nunquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* Ac si diceret : Quo modo implebitur hæc prophetia, quæ lapidem ab ædificantibus reprobatum, et in caput anguli factum dicit, nisi Christus a vobis reprobatus et occisus credituris gentibus prædicetur? Ipse enim quasi lapis pretiosus (juxta quod Apostolus ait : *Petra erat Christus* [*I Cor.* X]) in capite anguli factus est, quia Deus duos parietes, circumcisionis et præputii, in sua fide copulavit, et unam Ecclesiam e duobus populis constituit. *Ideo dico vobis, auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Regnum Dei hoc loco sanctæ Scripturæ intelligendæ sunt; quas Dominus infidelibus Judæis abstulit, et nobis tradidit, ut earum fructum faciamus. Ista est illa vinea quæ quondam locata est agricolis, sed illi nomen tantum Scripturarum habuerunt, fructum vero illarum nullum consequi meruerunt. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum.*

A Multum enim distat inter eum, qui per fragilitatem aut ignorantiam peccando offendit Christum, et eum qui per superbiam negat Christum. Qui ergo credens in Christum peccat, super lapidem cadit et confringitur, sed non omnino conteritur, quia reservatur ad pœnitentiam. Si vero quis negaverit Christum, cadet, id est, irruet super eum lapis iste, et ita conteret eum æterno interitu, ut ne testa quidem remaneat, in qua parum aquæ de fovea hauriatur. Potest et hoc dici, quod illi super lapidem cadebant, qui tunc eum per simplicitatem et ignorantiam contemnebant, et injuriis afficiebant, ideo conquassantur, non tamen penitus conteruntur. Qui vero illum scientes Dei Filium, per invidiam negabant, et contra suam conscientiam ejus opera Beelzebub assignabant, super hos B irruet lapis, et conteret eos sempiterna perditione, atque comminuet, ut sint impii sicut pulvis ante faciem venti. *Et cum audissent principes Sacerdotum, et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quia de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* Principes Sacerdotum et Scribæ propria redarguti conscientia, quærebant interficere Dominum, quasi mentientem contra se. Sed hæc agentes, probant vera esse quæ dixerat. Ipse enim erat hæres, cujus mors injusta vindicanda erat a Patre. Ipsi vero erant nequam coloni, qui ab occidendo Filio Dei ad modicum quidem humano timore retardari poterant, donec hora ejus veniret, nunquam vero divino timore aut amore cohiberi voluerunt. Hæc vero quæ de hac parabola C super malitia Judæorum exposuimus, morali intellectu ad unumquemque nostrum referre possumus. Cum enim alicui fidelium mysterium baptismi, quod operando exercere debeat, committitur, quasi ei vinea quam excolat locatur. Mittitur unus et alter servus, et tertius, qui fructus accipiant, cum legitur lex, prophetia et Psalmi, quorum monitis instructus, bonorum fructus operum reddere debeat. Sed servus contumeliis affectus ejicitur, cum sermo Dei vel contemnitur, vel etiam (quod gravius est) blasphematur. Insuper et hæredem quantum in se est occidit, qui immemor misericordiæ Dei omnipotentis, ipsum filium Dei respuit, et spiritui sancto quo regeneratus est, contumeliam facit. Propter quod malis agricolis male perditis, datur alteri vinea, quia dono D gratiæ quod ingratus sprevit, humilis quisque ditatur. Sed et hoc quod de illis in fine evangelii dictum est, quia quærentes tenere Christum, timore turbarum præpediuntur, quotidie videmus agi in Ecclesia. Multi enim sunt in Ecclesia solo nomine fratres, qui in ecclesiasticæ fidei et pacis unitatem, quam non diligunt, propter cohabitantium bonorum fratrum multitudinem, aut erubescunt, aut timent impugnare. Sed his, sicut Dominus ad Job loquitur, *cum tempus fuerit, in altum alæ erigentur* (*Job.* XXXIX), quia nacta occasione, Ecclesiam persequi, et Christum cum Pharisæis cruci addicere, et ostentui conantur habere. Pertimescere debemus ipsi qui loquimur, et cavere, ne exempla Pharisæorum sequamur. Curemus sollicite, ne solo nomine

Digitized by Google

tantum simus Christiani, ne sub specie pietatis titulum subcelemus. Agamus Domino gratias, qui scripturam, in qua quondam Judæi florebant, illis pro irrevocabili malitia abstulit, et nobis pro sola misericordia largitus est. Veneremur eum, non sicut simplices turbæ ut prophetam, sed ut Deum et Dominum prophetarum, salvatorem et redemptorem nostrum, qui vivit et regnat, etc.

## HOMILIA LXXXVII.

### IN SABBATO POST *Reminiscere*.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam habuit duos filios, et dixit adolescentior ex illis patri*, etc. (*Luc.* XV).

Scribis et Pharisæis contra nostræ salutis auctorem murmurantibus, sicut requisita quæ hanc præcedit sancti evangelii lectio declarat, proposuit Dominus duas parabolas : alteram hominis de inventa ove perdita gaudentis, alteram mulieris super perdita et reperta drachma gratulabunde exsultantis, ostendens, in conclusione parabolæ, quantum sit gaudium in cœlo super conversis peccatoribus. Deinde dixit et hanc similitudinem, non solum suum de conversis peccatoribus gaudium demonstrans, verum etiam invidentium murmurationem reprehendens. Ait ergo : *Homo quidam habuit duos filios*. Homo iste, Deus omnipotens Pater intelligitur, qui duos habuit filios, quia ipse est genitor et creator duorum populorum. Et major Judæos designat, qui in cultura unius Dei permanserunt; minor vero significat populus gentium, qui relicto Creatore, colendo creaturam, etiam ad ipsum Dei inimicum diabolum adorandum pervenerunt. *Et dixit adolescentior ex illis patri : Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam*. Substantia quæ inter fratres divisa est, sensus rationalis homini a Deo attributus intelligitur. Nam vivere, intelligere, meminisse, ingenio aliquo præeminere, divini muneris substantia est. Quam substantiam tunc adolescentior filius a patre expetiit, cum homo in sua volens esse potestate, per liberum arbitrium se regere conatus est, sicque Dominum creatorem suum quæsivit superbus abjicere. Divisit ergo eis substantiam : quia fidelibus suæ protectionis gratiam, quam vere desiderabant, impartiit; infidelibus vero naturalis tantum ingenii beneficium, quod sibi sufficere putabant, attribuit. *Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius profectus est in regionem longinquam*. Quod non post multos dies congregatis omnibus profectus est, designat quia non multo post institutionem humani generis visum est animæ, ut bona sua per seipsam gubernaret, quæ tamen per se ad bona opera facienda infirma et impotens est, nisi ejus qui eam dedit fulciatur auxilio. *Et dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose*. Vivendo luxuriose dicit, amando hanc vitam prodigam, quæ pompis exterioribus spatiari gaudet, intus non metuit inanescere. Longe vero profectus est, non loci, sed animi mutatione. Quanto enim quis amplius delinquit, tanto longius a Dei conditoris sui gratia recedit. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa*. Fames in longinqua regione, indigentiam significat verbi Dei. In regione longinqua, id est, in oblivione Conditoris. De qua Dominus per prophetam minatur : *Mittam famem super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei* (*Amos*, VIII). *Et ipse cœpit egere, et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius*. Merito egere cœpit, qui thesauros divinæ sapientiæ et divitiarum cœlestium dereliquit. Unus civium regionis illius, cui iste prodigus adhæsit, diabolus est, quem Dominus principem hujus mundi appellat, quia merito perversitatis suæ terrenis concupiscentiis præpositus est. *Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*. Villa carnalem concupiscentiam significat : de qua is, qui invitatus ad spirituales epulas ire excusat, dicens : *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam* (*Luc.* XIV). In villam quoque mitti, est cupiditatibus mundi subjugari. Porcos vero pascere, est ea quibus maligni spiritus delectantur operari : qui merito designantur per animal sordibus et cœno semper gaudens. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas manducabant porci*. Siliqua genus est leguminis, follibus maximum et sonorum, sed granorum paucitate sterile, et pene vacuum. Ideoque per siliquas designantur doctrinæ sæculares, sterili suavitate resonantes, in quibus laudes idolorum, id est, fabulæ et carmina poetarum concrepant, quibus porci, id est dæmones, delectantur. His prodigus iste saturari cupiebat, quia aliquid sordidum et quod ad beatam vitam pertineret, in talibus invenire volebat, nec poterat. Hoc est enim quod subjungitur : *Et nemo illi dabat. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* In se, inquit, reversus. Unde iste reversus fuerat? Ab his nimirum quæ foris per oblectamenta noxia illiciunt et seducunt, ad conscientiæ interiora mentis intentione redierat. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Licet enim gentes in magna veri ignorantia, et errore cultus Dei versarentur, tamen prædicantibus apostolis cœperunt quodammodo resipiscere, verbi saturitate percepta revocari. Mercenarii autem sunt, qui intuitu supernæ mercedis satagunt digna operari. Hi mercenarii in domo patris panibus abundant : quia tales in Ecclesia spiritualis gratiæ reficiuntur alimoniis. At vero qui extra ædes hujus patris familias positi sunt, fame verbi Dei pereunt, et ventrem siliquis implere cupiunt, quia, scientiam veritatis non habentes, beatam vitam in studiis inanis philosophiæ requirunt. Sicut enim panis qui cor hominis confirmat, verbo Dei merito comparatur, ita siliqua (quæ foris nitida, intus vacua est, nec reficit ventrem, sed onerat) sæculari scientiæ comparatur, quæ sermone sonoro utilitate vacua est. *Surgam*, inquit, quia pessime me jacere sentio. *Ibo ad patrem meum*, a quo longe recessi. Ad patrem, inquit, ibo, quia sub porcorum principe miserabili egestate tabesco. Et quam pium et misericordem noverat patrem, qui quanquam offensus, quanquam magnis sceleribus irritatus non dedignatur patris

audire vocabulum? *Pater*, inquit, *peccavi in cœlum*, hoc est, in angelis et in sanctis animabus, quæ sunt pedes Dei. *Anima*, inquit, *justi, sedes sapientiæ*. Et Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI). Addidit: *Et coram te*, hoc est, in ipso interioris conscientiæ secreto, quod Dei solius oculi penetrare possunt. *Et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis*. Meminit se esse filium, et pio affectu cuncta quæ patris sunt, sua non esse ambigit, sed prioris ignorantiæ memor, ad hæc nequaquam aspirare præsumit. Ideoque sicut mercenarium se fieri poscit, pro mercede, non pro hæreditate servitutis [serviturus], *fac me*, inquiens, *sicut unum ex mercenariis tuis*. Verum ne hoc quidem nisi paterna dignatione promereri posse testatur. Quapropter taceant Pelagiani, qui ore temerario garriunt hominem sua virtute sine Dei adjutorio posse salvari, cum apertissime dicat Veritas: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). *Et surgens, venit ad patrem suum*. Ad patrem venire, est ad Ecclesiæ societatem per fidem accedere, ubi est legitima et fructuosa peccatorum confessio. *Cum autem adhuc longe esset*, hoc est, cum nondum adhuc Deum intelligeret, sed jam pia devotione quæreret, vidit illum pater, hoc est, misertus est illius. Videre namque Dei, misereri est, sicut et de Petro scriptum est: *Respexit Dominus Petrum* (*Luc.* XXII). *Et misericordia motus est; et accurrens, cecidit super collum ejus, et osculatus est eum*. Revertenti filio pater occurrit, quia Deus semper fuit cum unigenito Filio. Et licet solus Filius pro nostra salute carnem assumpserit, tamen in eo Deus Pater semper mansit, et cum eo ad hanc nostram peregrinationem descendit. Apostolus enim dicit: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V). Hinc ipse Salvator ait: *Qui me misit, mecum est, et non dereliquit me solum* (*Joan.* VIII). Et alibi: *Pater in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* XIV). *Et cecidit*, inquit, *super collum ejus, et osculatus est eum*. Super collum filii cadere, est in amplexus ejus brachium inclinare. Deus ergo Pater super redeuntis Filii collum cecidit, quia brachium suum, hoc est, verbum suum ad hæc mundi infima immensa misericordia fudit. Osculatus est enim eum, videlicet ad spem veniæ peccatorum verbo gratiæ reduxit, cum per Filium diceret: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). *Dixitque filius ad patrem: Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*. Postquam ad patrem reversus est, hoc est, in Ecclesia jam positus, incipit peccata confiteri, sed non dicit omnia quæ se dicturum supra promiserat. Dixit enim: *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, sed non addidit quæ superius se dicturum meditabatur, *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*. Cum enim adhuc longe esset, et patrem non haberet, cupiebat ut mercenarius esset. At postquam patris osculo meruit honorari generosissime, jam dedignatur mercenarius esse. Multam namque intelligit distantiam esse inter servum, mercenarium, et fi- A lium; servus namque est, qui metu pœnarum gehennæ, vel legum mundanarum formidine, a vitiis abstinet; mercenarius vero est, qui spe ac desiderio regni cœlestis bona agit; filius vero est, qui affectu boni et virtutum amore, delectabiliter Deo per charitatem famulatur. Quam summam et perfectionem omnium virtutum Apostolus commemorat, dicens: *Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Ergo prodigus iste primo quasi servus ad se reversus, diræ famis cœpit supplicia formidare. Mox reverti volens ad patrem, de statu mercenarii cœpit cogitare. Postquam vero occurrens pater amplexatus est eum et osculatus, oblitus statum servi, oblitus et mercedem mercenarii, sola jam de hæreditate cœpit B sollicitus esse filius patris. *Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite eum*. Stola prima beata vestis est innocentiæ, quam protoplastus Adam, bene a Deo conditus accepit, sed a diabolo male deceptus amisit. Unde et post culpam prævaricationis, primi homines cognoverunt se esse nudos, et, amissa immortalitatis gloria, pellium mortalium acceperunt indumentum. Servi quibus hoc præcipitur, sunt sancti prædicatores, qui protulerunt primam stolam, quando homines Deo reconciliatos prædicabant esse tanta gratia sublimandos, ut non solum cives angelorum, sed etiam hæredes Dei, et cohæredes fierent Christi. *Et date annulum in manus ejus*. Annulo solet res secreta signari. Per annulum ergo signaculum fidei debemus accipere, C quo cuncta Dei promissa, in fidelium cordibus confirmantur. Annulo etiam sponsa nuptiali fide pignoratur: idcirco per annulum intelligitur pignus nuptiarum Christi et Ecclesiæ. Annulum ergo prodigus filius accepit, cum per fidem Christus Ecclesiam ex gentibus sibi associavit. Et bene in manu datur annulus, ut opera fidem astruant, et ipsa opera confirmentur. Dantur *et calceamenta in pedes*. Per calceamenta, officium evangelizandi signatur. Scriptum est enim: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, prædicantium bona* (*Rom.* X)! Ut Apostolus: *Calceati*, inquit, *pedes in præparationem evangelii* (*Ephes.* VI). Ergo filio ad patris pietatem reverso, manus et pedes ornantur. Manus quidem, D ut quique fideles recte vivamus; pedes vero, ut piis sanctorum moniti exemplis, ad æterna gaudia properemus. *Et adducite vitulum saginatum, et occidite*. Vitulus saginatus, ipse est Filius Dei, Dominus Jesus Christus. Qui bene vitulus saginatus dicitur, quia caro ejus spirituali pinguedine et virtute fertili optima est, adeo ut sola suffecerit ad totius mundi tollenda peccata. Adducere autem vitulum præcepit et occidere, mortem ejus per apostolos significans prædicari. Quasi enim recens vitulus iste occiditur, cum ab unoquoque occisus creditur. Tunc comeditur, cum sacramentum passionis ejus casto corpore et munda mente percipitur. *Et manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est*. Intuendum quod pluraliter

Digitized by Google

dicit, Manducemus et epulemur. Quod enim sacra carne hujus sancti vituli non solum ille qui mortuus revixerat, perditus et inventus fuerat, verum pater et servi illius epulati sunt, ostenditur quia lætitia Patris est nostra salus, et illius gaudium est nostrorum remissio peccatorum; nec solum Patris, et Filii, sed et Spiritus sancti, quia sanctæ Trinitatis una est operatio, unum gaudium, unaque dilectio. Hoc præsignabat olim, quod Abraham, tribus angelis hospitio receptis, vitulum tenerrimum et optimum legitur occidisse, et eis apposuisse, quia immolata pro nostra redemptione caro Christi, totius Trinitatis est lætitia. *Et cœperunt epulari.* Epulæ istæ nunc in Ecclesia per totum orbem dilatatæ celebrantur. Quotidie enim in sancta Ecclesia vitulus iste sacerrimus Deo Patri per sacerdotes offertur, et in vitam percipientes pascit æternam, quia cum quotidie immolatur, semper integer permanet, et immaculatus, et vivus. *Erat vero filius senior in agro.* Filius senior populus Judæorum est, qui prius habuit cognitionem Dei, quique a Deo per prophetam primogenitus appellatus est filius; qui quamvis longe a patre non discessisset, non tamen domi, sed in agro erat, quia idem populus neque cultum Creatoris ex toto propter idola deseruit, nec legis sibi datæ interiora mysteria penetravit, sed superficie tantum litteræ delectatus, exteriora, id est, terrena tantum operari noverat: unde et ei terrena per prophetam Domino dicente promittebantur: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isa.* I). *Et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum.* Sæpe contingit, ut aliquis diligens et studiosus doctor Judæorum, legis arcana scrutari incipiat, cumque ex eisdem Scripturis libertatem Ecclesiæ percipit, laborem servilis operis, cui litteram legis observando intentus erat, perhorrescit. Hoc est enim quasi de agro recedere, et domui appropinquare. Audit symphoniam et chorum, hoc est, prædicatores sancto Spiritu plenos, consonis vocibus intelligit prædicare. Denique et Apostolus: *Obsecro vos*, inquit, *ut idipsum dicatis omnes* (*I Cor.* I). *Et vocavit unum de servis, et interrogavit eum quænam hæc essent.* Vocat unum de servis, cum sumit in manibus ad legendum aliquem ex prophetis, qui sunt veri servi hujus patrisfamilias. Et sollicitus investigans, quasi requirit qua de causa jucunda Ecclesiæ festa sunt, quibus se videt minime interesse. Ideoque ei respondet: *Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum.* Quod est aperte dicere: Gentilis populus Deum eatenus ignorans, qui per errorem longe a Deo recesserat, nunc ex omnibus mundi partibus, ab extremis quoque terrarum finibus ad eum convertitur, et pro ejus salute tanta exsultatione novum Deo canticum cantat. Propter quem etiam occisus est vitulus ille pinguissimus, cui per Psalmistam dicitur: *Holocaustum tuum pingue fiat* (*Psal.* XVI). *Indignatus est autem, et nolebat intrare.* Obstinato adhuc animo Judæi foris sunt, et nolunt fidem Ecclesiæ intrare. *Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.* Novissimo sæculi tempore implebitur vocatio Judæorum, quia credituri sunt ad prædicationem Eliæ et Enoch. Hanc ergo apertam Judæorum vocationem, egressum patris vocat: tunc enim quodammodo egredietur, et rogabit eum, ut ingressa jam gentium plenitudine, quasi minore filio omnis etiam Israel salvus fiat, cui ex maxima parte contigit cæcitas infidelitatis. *At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servivi tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi.* Cum frequentissime legamus, illum populum contra mandatum Domini idola coluisse, quid est quod nunc dicit, *nunquam mandatum tuum præterivi?* Sed hoc non de omnibus Israelitis, sed particulariter de quibusdam accipiendum est, de his scilicet tantum, qui semper Deum coluerunt, et nunquam ad idola confluxerunt. Hi tales quamvis in terrenis tantum delectarentur, quasi in agro essent, ipsa tamen bona terrena, a solo Deo sperabant accipere. Quod et testimonio ipsius fratris confirmatur, cum respondit in sequentibus: *Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Hædus animal stolidum est, et in Scripturis divinis peccatoris figuram tenere solet. Sed hoc loco, hædi nomine Christum debemus intelligere, quem ille populus in similitudine carnis peccati venisse conspiciens, peccatorem esse existimavit. Unde et cæco illuminato dixerunt: *Nos scimus quia hic homo peccator est* (*Joan.* IX). Et alibi Samaritanum eum esse, et dæmonium habere blasphemant (*Joan.* VIII). Nec mirum videri debet, si hic per hædum Christum figuratum dicimus, cum et in lege hoc nomine legatur appellatus, ait enim: *Non coques hædum in lacte matris suæ* (*Exod.* XXIII). Quod ergo dicit, Non dedisti mihi hædum, tale est ac si dicat: Illum qui hædus mihi videbatur. Nam quia Christum profanatorem legis, et violatorem sabbati dicebant, idcirco epulis ejus jucundari non meruerunt. Quod vero sequitur, Ut cum amicis meis epularer, ex principum persona accipiendum est, qui cum amicis, id est, reliqua plebe epulari volebant. Non dedisti mihi hædum, id est, hac de causa illum mihi subtrahis, quia hædus mihi videbatur. Potest et ex persona populi Hierosolymitani dictum intelligi, cum cæteris populis Judæ. *Sed postquam filius tuus, hic qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Meretrices cum quibus substantiam suam devorasse dicitur, superstitiones gentilium et nefanda figmenta sunt, in quibus naturale totum ingenium expanderunt [expenderunt]: et relicto Deo, quem virum animæ habere debuerunt, cum turba dæmonum turpissima cupiditate fornicati sunt. *At pater dixit: Fili, tu semper mecum es.* Non redarguit quasi mentientem, sed ejus perseverantiam in suo obsequio comprobans, ad collætandum sibi, simulque cum filio epulandum invitat. *Et omnia mea tua sunt.* Ad Patrem loquens quodam loco Filius, dicit: *Et omnia tua mea sunt, et omnia mea tua sunt* (*Joan.* XVII). Ecce hoc simillimum huic sonare videtur: *Et omnia mea tua sunt.* Sed distincte et multum dissi-

militer : omnia quæ Patris sunt, habet is qui per naturam est Filius Dei, principalius quam hi quos gratia fecit filios Dei. Illius enim sunt omnia Patris per naturam, istorum per donatam Dei clementiam. Ille sicut unicus omnia habet potestate, isti sicut adoptati concessa divinitus pietate. Ille habet omnia per id quod de Deo Deus Patri æqualis natus est, isti per hoc quod ex Deo renati sunt. Sane cum dicitur, Omnia mea tua sunt, non sic accipiendum est quasi non sint et sua. Nam in terrena hæreditate quædam sunt angustiæ, nec potest major frater habere omnia, si minor etiam partem habuerit. Sed in spiritualium et cœlestium bonorum hæreditate, sic a perfectis et immortalibus filiis omnia possidentur, ut et singula sint omnium, et omnia singulorum, operante in omnibus charitate, quæ nil cum angustia novit possidere. Quam Psalmista magna laude sublimans, ait : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). Huic igitur efficacissime studeamus, per hanc virtutis profectibus congaudere discamus. Diligamus id quod est supra nos tota anima, tota mente, tota virtute. Diligamus quod est intra nos, id est, interiorem nostrum hominem, animam videlicet nostram, eamque subdere Deo semper curemus. Diligamus quod est juxta nos, id est, proximum sicut nos ipsos. Diligamus quod est infra nos, carnem videlicet nostram, ut ejus illicitos appetitus frangamus, eamque spiritui obtemperare cogamus. Christum sedulo poscentes, ut spiritum, animam, simulque corpus, sine querela in suo sibi adventu custodiat, Deus et Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXXVIII.

IN DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

Prædicaturus vobis, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tom. I, Patrologiæ LIV, col.* 275.

## HOMILIA LXXXIX.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.

*In illo tempore erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ*, etc. (*Luc.* XI).

Dæmoniacus iste, etc. *Reliqua videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tom. V, Patrologiæ XCIV, col.* 380.

## HOMILIA XC.

IN COMMEMORATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, DE EVANGELIO : *Extollens vocem quædam mulier.*

(Ex eodem.)

*Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier*, etc. (*Luc.* XI).

Magnæ devotionis, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, tomo ut supra, col.* 421.

## HOMILIA XCI.

IN FERIA SECUNDA POST *Oculi.*

*In illo tempore dixerunt Pharisæi ad Jesum :* A *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua*, etc. (*Luc.* IV).

Refert superius evangelista, etc. *Reliqua videsis apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo ut supra, col.* 353.

## HOMILIA XCII.

IN FERIA TERTIA POST *Oculi.*

*In illo tempore respiciens Jesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro : Si peccaverit in te frater tuus*, etc. (*Matth.* XVIII).

Tota hæc sancti Evangelii lectio moralibus nos præceptis instruit, et qualiter erga eos qui in nos delinquunt facere debeamus, satis necessaria admonitione ostendit. Ideoque tanto propensius est audienda, tantoque studiosius addiscenda, quanto con-
B stat quod sine hujus doctrina illibatæ charitatis vinculum, quo status Ecclesiæ continetur, solidum atque indiruptum servari non potest. Ait ergo Dominus ad discipulos, ad habendam cum fratribus pacem erudiens : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* Notandum vero prius est quod si in nos frater peccaverit, et qualibet causa animum nostrum læserit, dimittendi nobis conceditur potestas, imo ingeritur necessitas : quia aliter nobis nostra scimus debita non relaxari, nisi et nos debitoribus nostris dimiserimus. Si vero quis in Deum peccaverit, non est arbitrii nostri, sed solius est dimittere Dei. Scriptum est enim : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in*
C *Deum peccaverit, quis orabit pro eo* (*I Reg.* II) ? Sed nos ordine converso, in ulciscenda Dei injuria, letali pietate torpemus, in nostris vero contumeliis odia exercemus. Prius tamen corripiendus est qui in nos peccat, seorsum, ne putet non esse peccatum quod facit, sicque, amissa semel verecundia, in peccato permanere velit. Et si quidem nos audierit, lucrifacimus animam ejus : quia per illius salutem nobis quoque datur remissio peccatorum Jacobo apostolo dicente : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jacob.* V). Ergo docet quo ordine scandala vitare possimus, videlicet si neque ipsi aliquem lædimus, si peccantem zelo justitiæ corripimus, si pœnitenti viscera pietatis toto corde pan-
D dimus. Cum ergo fratrem delinquentem corripimus, si nos non audierit, adhibendi sunt fratres unus aut duo, ut qui ab uno corrigi non potuit, a pluribus corrigatur, vel eorum testimonio convincatur. Porro si nec illos audierit, tunc Ecclesiæ dicere præcipimur, ut ab omnibus detesteiur et dijudicetur, quatenus si noluit pudore corrigi, saltem corrigatur multorum opprobriis. *Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ethnos Græco sermone gens dicitur ; inde ethnicus, id est gentilis, derivatur : qui sic permanet ut natus est, et non est in Christo renatus. Publicani vero sunt qui publice peccant, vel qui publicis negotiis inserviunt per fraudes ac furta et scelerata perjuria. Sane cum incorrigibilem fratrem sicut ethnicum et publicanum dicit ha-

bendum, ostendit gravioris criminis esse reum, qui sub specie fidelis opera agit infidelium, quam eum qui aperte infidelis et publicanus existit. Sed et hic caute attendendum, quod non passim aut leviter, sed obedienti et pœnitentiam commissi sui agenti, ac veniam petenti fratri dimittere jubemur. Unius enim sceleris rei tenentur apud Deum, et is qui peccantem videns fratrem, corrigere noluerit, sed negligens, parvipenderit, atque ille qui fratri pœnitentiam agenti dimittere noluerit. Nam Dominus cum dixisset, *Si peccaverit frater tuus, corripe*, statim subjunxit: Si dixerit, pœnitet me, dimitte. Igitur largienda est venia post increpationem, scilicet illi qui pœnitentiam egerit et se ab errore converterit: quia nec difficilis venia, nec remissa debet esse indulgentia: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo*. Quia dixerat, durum et impœnitentem fratrem ut ethnicum et publicanum habendum, ne aliquis ita vecors et desperatione pestifera contemptor existeret, ut tacitus apud se loqueretur: Si me despicis, et ego te despiciam; si me honoras, utique mea sententia honoraberis: idcirco Dominus apostolis potestatem ligandi tribuit et solvendi, ut hi qui condemnantur, sciant humanam sententiam divina firmari, et quod fuerit ligatum in terra, ligari nihilominus in cœlo. Hæc vero potestas specialiter sanctis Ecclesiæ episcopis collata est, generaliter vero omni Ecclesiæ data creditur. Nam quod et Dominus alibi beato Petro hanc potestatem ligandi atque solvendi dedit, utique in Petro, qui typum gerebat Ecclesiæ, omnibus fidelibus hoc concessisse non dubitatur: *Iterum dico vobis quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui est in cœlis*. Magnam fidelibus auctoritatem et fiduciam tribuit, et e contrario magnum contemptoribus metum incutit, dicens a Patre Deo in cœlis fieri quidquid duorum consensu super terram fuerit constitutum. Et hoc primo ad concordiam nos provocat, quo sollicitius festinemus ad pacem, cum se dicit inter duos vel tres aliquid statuentes medium fore. Nam sequitur: *Ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In medio*, inquit, *sum eorum*, ut vel recipiam humilem pœnitentem, vel projiciam superbum et contumacem. Et quidquid illi judicando ad hominum salutem agunt in terra, meo desuper judicio roboratur in cœlo. Spiritualiter vero illud dicere possumus quia ubi spiritus, anima et corpus consenserint, nec bellum inter se discordantium habuerint voluntatum, carne adversus spiritum, et e converso spiritu adversus carnem concupiscente, de omni re quam petierint a Patre, impetrare possint. Nec dubitandum justam et acceptam esse Deo petitionem, ubi ea vult caro quæ spiritus. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Superioribus verbis Domini provocatus apostolus Petrus, solita sibi fiducia accedens, interrogavit

A quoties deberet in se peccanti dimittere, an ne *usque septies?* Cui respondit Dominus: Non solum *usque septies, sed usque septuagies septies*, id est, quadringentis nonaginta vicibus, si toties in die peccare contigerit. Impossibile est enim quadringentis nonaginta vicibus in fratrem posse delinquere. Et hæc multiplicatio secundum beatum Hieronymum facta est. Cæterum beatus Augustinus docet hunc numerum simpliciter et non multipliciter accipiendum, idcirco quod totus per adverbium fit. Ars enim arithmetica docet, ut numerus aliquis si per solum fiat adverbium, vel per solum nomen, non multiplicetur; si vero ex nomine simul et adverbio, ut verbi gratia: septies septuaginta, vel conversim septuagies septem, possunt multiplicari. Quod ergo dicit septuagies septem, LXXVII vicibus idem doctor intelligitur.

B Sed jam veniendum est ad mysterium. Neque enim ab re esse potest quod Dominus hunc alium et alium numerum in relaxandis fratrum erratibus constituere voluit. Constat enim ex septenario et undenario: nam sive septies undecim, sive undecies septem dicamus, septuaginta septem perficiemus. Et septenarius quidem numerus est numerus sacratissimus ex donis septiformis Spiritus. Undenarius vero numerus figuram tenet omnis peccati; in undenario namque transgressio est denarii. Et nos cum peccamus, decalogum profecto præceptorum Dei transgredimur. Hinc est quod in tabernaculo Dei undecim saga cilicina fuisse memorantur (*Exod.* XX): cilicium namque habitum pœnitentium et pro peccatis mœrentium

C designat. In tabernaculo ergo Dei undecim saga cilicina fieri jussa sunt, quia sancta Ecclesia non solum ex justis et immaculatis, verum etiam ex peccatoribus pœnitentibus et conversis existit. Hujus numeri sacramentum Petrus apostolus agnoscens, Juda perdito, noluit apostolos in undenario numero permanere, sed, electo Matthia, duodenariam summam curavit supplere. Septuagies septies ergo Dominus præcepit, ut ostendat quia quoties et quoties aliquis peccaverit, toties et toties ei dimittere, et nunquam dimittendo cessare debemus. Quod enim per hunc numerum peccatorum significatur remissio, illud quoque manifestat, quod beatus Lucas catalogum Dominicæ generationis septuaginta septem generationibus terminavit, incipiens a Joseph, et us-

D que ad ipsum Deum conditorem perveniens. Quia enim Dei Filius ad solvenda mundi peccata veniebat, ideo jure ejus incarnatio septuaginta septem generationibus texitur, et hoc ascendendo. Quia videlicet Filii Dei incarnatio nostra fuit exaltatio; et unde ille descendit, inde nostra abjectio ascendere meruit. Quod vero hic numerus ex septenario et undenario multiplicatus exsurgit, significat quia omnis peccatorum remissio per gratiam Spiritus sancti fit, cujus donis privari merentur quicunque fratribus in se peccantibus dimittere noluerint. Sane aliter fratri pœnitenti, aliter præcipimur inimico persequenti veniam dare. Huic namque dimittendum est, accepta remissione peccati, quo nos insontes læsit, ut socia dehinc no-

Digitized by Google

bis charitate communicet; illi vero, ut cum malum vult, nobis autem facit, nos illi semper bonum velimus, et si possumus, etiam faciamus. Non enim illis quandiu in malo perseverant, peccati sui veniam dare possumus, licet velimus. Habemus hinc duo convenientissima exempla: Joseph namque, fratribus suis salubriter castigatis, benevole ignovit (*Gen.* XLV). David vero (*II Reg.* I) persecutoribus suis pœnitentibus, et in malitia perdurantibus, quamvis eos fleverit, veniam tamen illis præstare non potuit. Hæc ergo præcepta tenendæ charitatis, quæ a Christo, qui est auctor pacis, audivimus, sedulo operari curemus. Ne gravemur dimittere minima, cum sciamus nobis innumerabilia peccatorum in baptismo dimissa. Sed et quotidie delinquentes, quotidianam a Domino veniam postulemus. Exemplo namque suo nos ipse ad facilitatem indulgentiæ provocat, qui totius mundi peccata non solum dimittere, verum etiam proprio ore dignatus est expiare, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XCIII.

### IN FERIA QUARTA POST *Oculi*.

*In illo tempore, accesserunt ad Jesum scribæ et Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* etc. (*Matth.* XV).

Quia Dei Filius pro salute omnium in mundum venerat, ideo loca singula citis gressibus percurrebat, ut omnibus prodesset, universis succurreret, postremo cunctorum in communi saluti consuleret. Denique, ut superius evangelista loquitur, venit Dominus cum discipulis in terram Gerazenorum, ut illis quoque optatum levamen sua visitatione ferret: ibique Pharisæi justitiæ inimici eum persecuti sunt, non studio discendæ veritatis, sed causa perstruendæ falsitatis. Nam, sicut lectum est, *Accesserunt ad Jesum scribæ et Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Quam vera est confessio Domini, qua superius Deum Patrem laudans, dixerat: *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Ecce Gerazeni, qui minus docti erant, ad Dominum veniunt, infirmos suos secum deferunt, remedia salutis sibi suisque tactu saltem fimbriæ Domini requirunt. Atque ideo cupitæ salutis remedia plena, id fide promerente consequuntur. At vero scribæ et Pharisæi, qui populi doctores esse debuerant, non ad audiendum verbum, non ad aliquam animæ vel corporis capiendam medelam, sed ad movendas quæstionum pugnas conveniunt: eosque de non lotis manibus vituperare laborant, in quibus nil immunditiæ sordidantis reperire valebant. Revera enim seipsos magis culpare debuerant, qui, lotas aqua manus habentes, conscientiam livore pollutam gestabant. *Quare,* inquiunt, *discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum?* Stupenda dementia! eum qui est Filius Dei,

A reprehendunt, cum hominum traditiones non servet. *Non enim,* aiunt, *lavant manus suas cum panem manducant.* Proprium et quodammodo consuetudinarium erat Judæis crebro manus lavare, et aliquando totum corpus, maxime si contigisset eos cum quolibet gentilium loqui. Sed jam videamus qua sententia Veritatis revincuntur filii falsitatis. *Ait illis: Quare et vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?* Ac si diceret: Cum vos præcepta Dei propter traditionem hominum negligitis, quare discipulos meos reprehenditis, quod seniorum traditiones parvipendant, et divina jussa custodiant? Nam Deus dixit: *Honora patrem tuum et matrem. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur* (*Exod.* XX). Honor in sacro eloquio dupliciter accipitur, videlicet non solum B in salutando et conquiniscendo, sed etiam in eleemosyna et rerum necessariarum collatione. Hinc Apostolus dicit: *Presbyteri duplici honore digni habeantur,* ut non solum illis officium venerationis deferatur, verum etiam opportuna subsidia ministrentur (*I Tim.* V). *Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Universorum conditor et parens Deus, imbecillitates vel ætates parentum considerans, in lege præceperat ut filii parentes honorarent, et eis vitæ necessaria ministrarent. Hanc providentiam legis Dei scribæ et Pharisæi subvertentes, et impietatem pro C pietate inducentes, docebant pessimos filios, ut quæ in usus pauperum et parentum erant deputanda Deo offerrent: et ita fiebat ut liberorum oblatio sub occasione templi in lucra cederet sacerdotum. Ipsi etiam parentes, ea quæ sciebant a filiis Deo consecrata, ne sacrilegium committerent, tangere nolebant, ac per hoc egestate et fame afficiebantur. Cum igitur pater indigens et imbecillis a filio aliquid exposceret, respondebat ei doctus a magistris iniquitatis: O pater, noli contristari, sed patienter necessitatis hujus penurias perferre stude, quia munus quod est ex me oblatum Deo, tibi proderit, si non corporaliter, at certe spiritualiter. Potest et hunc sub interrogatione habere sensum: O pater, munus quod ex me est, tibi proderit? Ac si diceret: Exigis ut D donum quod oblaturus eram Deo, in tuos usus consumam, et hoc tibi proderit. Dicebant hoc scribæ et Pharisæi, ut parentes miseri timerent accipere quod oblatum videbant, et eligerent magis inopem vitam ducere, quam Deo consecratum contingere. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX). Providens propheta Isaias Judæorum simulationem, quod contra Evangelii prædicationem venturi et Christo repugnaturi essent, bene de istis prophetavit; non quod hoc quod de illis dicebatur bonum esset, sed quia ipsa sancta prophetia optime eorum moribus conveniret. Ait ergo ex persona Domini: Populus hic labiis me honorat. Judæi Deum labiis honorabant, cum legem ab eo datam scrutaren

Digitized by Google

tur, psalmos etiam et divinos hymnos modularentur. Sed cor eorum longe erat ab eo, quia semper in malum proni ferebantur cordibus idola colentes, de quibus scriptum erat quod reversi sunt cordibus in Ægyptum. Honorabant labiis Deum, quando ad Christum subdola fraude dicebant : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Matth.* XXII). Sed cor eorum longe erat ab eo, quia idcirco loquebantur ista, ut possent eum Cæsaris tradere potestati. Hoc enim signavit evangelista cum præmisit, quia abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* In vanum illum labiis et lingua colebant, quorum corda aversa erant, qui cum cæteris Dei cultoribus mercedem exspectare non poterant, ipso Domino alibi dicente : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII). Doctrinas vero et mandata hominum docebant, quia præcepta Dei negligentes, suas (ut supra ostensum est) traditiones statuere volebant. *Et convocatis ad se turbis, dixit eis : Audite et intelligite : non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod* exit *de ore.* Hoc verbum quod est *communicat*, sanctarum Scripturarum est proprium. Siquidem Judæi, qui se populum et partem Dei esse jactant, communes cibos vocabant, quibus in communi omnes homines utuntur, præter ipsos Judæos, sicut et lepores, ostreæ, suilla caro, et hujusmodi animantia, a quibus præceptum est abstinere. Commune ergo illud vocabant, quod cæteris hominibus ad utendum patet et non est de sorte Dei, atque ideo immundum. Inde et hoc verbum quod est *communicare*, pro polluere et coinquinare ponitur apud eos, translatores posuerunt, *coinquinat.* Ait ergo : *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Ac si diceret : Nihil quod extra hominem est, et in hominem ingreditur, ipsum potest coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa hominem polluunt. Objiciat sane aliquis, quod intrat in os, non coinquinat hominem, quare non vescimur idolothytis? Apostolus enim dicit : *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum* (*I Cor.* X). Sed sciendum quia ipsi cibi et omnis creatura Dei per seipsam munda est, invocatione autem dæmonum dum idolis offertur, fit immunda. Et idcirco a sanctis viris juste respuitur. *Tunc* audientes *discipuli, dixerunt* ei : Scis quia *audito hoc verbo, Pharisæi scandalizati sunt? Scandalizabantur,* quia videbant uno sermone Domini omnes superstitiones observationum suarum elisas, qui tantummodo in cibis sumendis vel abominandis, atque lavacris et variis baptismatibus suam religionem constare arbitrabantur, ignorantes quod Apostolus dicit : *Esca autem nos non commendat Deo* (*I Cor.* VIII). Scandalum vero Græcus est sermo, quem nos offendiculum vel ruinam, id est impactionem pedis, possumus dicere. Pharisæi ergo in verbo Dei scandalizabantur, qui, perversæ mentis obstinatione cæcati, non salutem in doctrina Christi, sed perditionis æternæ ruinæ occasionem inveniebant. *At ille respondens,*

A *ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Hunc locum sibi favere arbitrantur hi qui dicunt duas esse naturas in hominibus, alteram bonam a Deo, alteram malam a principe tenebrarum diabolo. Et plantationem *quam non plantavit Pater,* naturam mali accipiunt. Sed sciendum quia omnis natura a Deo est, et bona est. Sed quia inest hominibus liberum arbitrium, ideo bona est plantatio naturæ, sed plerumque mala fit mala voluntate. Hinc Jeremias ait : *Ego te plantavi vineam electam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ* (*Jer.* II)? Ergo quod Deus plantat, nemo potest eradicare, nisi ipsa natura præbeat assensum. Sane potest hic oriri non absurda quæstio. Nam si omnis plantatio *quam non plantavit Pater, eradicabi-* B *tur,* ergo eradicabitur et illa de qua Apostolus dicit : *Ego plantavi, Apollo rigavit* (*I Cor.* III). Sed attendendum quod sequitur. *Deus autem incrementum dedit.* Igitur plantante Paulo, Apollo rigante, Deus suis operariis cooperatur, et cum eis plantat et rigat. *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.* Cæci erant Pharisæi, quod tenebrosas traditiones quas ipsi adinvenerant, observantes, lucem mandatorum Dei non consideraverunt. De qua Psalmista dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII). Non solum *cæci*, sed et *duces cæcorum* dicuntur, quia tales non solum sibi non prospiciunt ne in foveam perditionis incidant, sed etiam sibi obsequentes, in præcipitium mortis secum trahunt. C Hos ergo et omnes perversos doctores præcipit Salvator sinendos, et suis erroribus ac libero arbitrio dimittendos, sciens eos, postquam semel exciderint, aut vix aut nullatenus ad veritatem posse retrahi. Hinc et Apostolus præcipit, dicens : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* III). *Respondens autem Petrus, dixit : Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis?* Sancti apostoli adhuc minus docti erant, et ideo verba Dei absolute prolata non intelligebant, sed quod aperte dictum fuerat et patebat auditu, parabolice dictum putabant, ideoque in re manifesta mysticam requirebant intelligentiam. Proinde corripiuntur a Domino, quia per figuras dictum putarent quod perspicue locutus fuerat *Adhuc,* in- D quit, *et vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Hanc Domini sententiam hæretici calumniantur, eumque reprehendunt, quasi physicæ disputationis ignarum, qui ait omnes cibos in ventrem ire, et in secessum digeri. Dicunt enim susceptas escas, et ex attritu dentium colloque fractas, per artus, venas, medullas, nervosque diffundi. Unde et videmus multos qui vitio stomachi perpetem patiuntur vomitum, post prandia statim evomere quod ingesserunt, et tamen corpulentos esse : quia ad primum escæ attactum liquidior cibus et potus per membra funditur. Sed hi tales cum volunt reprehendere imperitiam alienam, ostendunt suam. Quamvis enim tenuissimus humor et liquens esca sit, tamen et

Digitized by Google

ipsa cum artubus et venis suscepta fuerit et decocta, per occultos meatus, quos poros dicunt, ad inferiora purganda dilabitur, et sic in secessum vadit. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Notandum quod Dominus cogitationes malas de corde dicit exire. Nam Plato philosophus dicit sedem animæ in cerebro esse, sed oportet ut principaliorem sedem animæ in corde accipiamus, ubi quasi in quodam meditullio consistens, cogitationes disponit, et membris corporis vitalem subministrat affectum. Simul etiam hac scientia arguuntur qui dicunt cogitationes a diabolo immitti, et non ex propria voluntate nasci. Diabolus enim adjutor et incensor esse potest malarum cogitationum, auctor vero esse non potest. Sed nequaquam recipiendum est diabolum secreta cordis posse rimari. Ille enim semper in insidiis positus, quid animo versemus, ex habitu et gestibus ipsius corporis æstimat, cum tamen penitus cogitationes cordis nequeat intueri, quod sibi soli reservavit cui dictum est: *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (*III Reg.* VIII). Cum ergo ipsas cogitationes videre non possit, signis quibusdam et motibus illas deprehendit. Verbi gratia: si nos viderit pulchram mulierem crebro inspicere, intelligit cor amoris jaculo vulneratum, et pravis suggestionibus stimulat ad fornicandum. Si nos contra proximum rancorem vocis, vel trucem aspectum levare conspexerit, intelligit cor invidia tabescere, sicque per iram ad homicidii facinus inflammat. Si jejuniorum tempore viderit nos ad fenestram crebro respicere, et in solis radio curiosius horam denotare, gulæ vitio convincit animum sauciatum. Si gemmarum, vel auri, vel quarumlibet rerum pulchritudinem nos ardenter intueri conspexerit, intelligit in corde latere malum avaritiæ, et idcirco provocat ad furta. Attendendum vero quod hæc quæ aperta sunt opera, Salvator cogitationes appellat, quia primum concupiscentia corde concepta cogitationum fontibus nutritur, et sic demum ad operationem perducitur. Et ideo Dominus hæc opera cogitationes vocat: quorum indicia hostis callidus per quasdam habitudines morum investigans, humanum genus decipere festinat, et ad agenda quæ divinus sermo prohibet, instigat, ut hominem ad imaginem Dei conditum polluat. Unde et Dominus, enumeratis cogitationibus malis, subjunxit: *Hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Sed Pharisæi juxta litteram cuncta accipientes, et spiritualia prophetarum verba spiritualiter intelligere nolentes, quæcunque illi de cordis simul et corporis munditia præcipiebant, dicentes: *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I). Et alibi: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LI), hæc isti in sola corporum munditate servanda credebant. Sed frustra manus abluebant, frustra baptizabantur, qui fonte Salvatoris ablui contemnebant. Sed quid prodest exterius excandidare cutem, et interius invidia

A et avaritia, cæterisque vitiis sordidam gestare mentem. Tales enim recte comparantur sepulcris dealbatis, quæ a foris candidata videntur, interius vero sordibus et fœdo cadavere plena sunt. Ergo secundum Apostolum *mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus* (*II Cor.* VII): satagamus habere mundam animam in corpore mundo, ut sic perficiamus sanctificationem in timore Christi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XCIV.

### IN FERIA QUINTA POST *Oculi.*

*In illo tempore surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis*, etc. (*Luc.* IV).

*Homiliam require sabbato post Pentecosten.*

B

## HOMILIA XCV.

### IN FERIA SEXTA POST *Oculi.*

*In illo tempore venit Jesus in civitatem Samaritanorum, quæ vocatur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob*, etc. (*Joan.* IV).

Ex hac lectione vera nostri Redemptoris, quam ex nobis et pro nobis assumpsit, humanitas commendatur. Cum enim esset verus Filius Dei, beate summus et summe beatus, bona cuncta tribuens, nullius egens, propter nos redimendos homo factus, ita sese nostræ infirmitati contemperavit, ut omnia quæ nostræ fragilitati conveniunt, in se, excepto peccato, susciperet. Denique is qui panis vitæ erat, esuriit, fons justitiæ sitivit: fatigatus est ex itinere, qui erat
C via: quique lux erat mundi, nostro permisit membra sopori. Modo nempe ait evangelista: *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem.* Sed videndum ex quo itinere Dominus fatigatus dicatur. Supra legitur quod cum audisset Jesus quia dixerunt de eo pharisæi quod plures discipulos facit et baptizat quam Joannes, quamvis Jesus ipse non baptizaret, sed discipuli ejus, reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam. *Venit ergo in civitatem* Samaritanorum, *quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob filio suo Joseph*, ubi *erat fons Jacob;* ac deinde, *Jesus fatigatus ex itinere.* Pro nobis ergo et ex nobis fatigari potuit, qui in se motu stabilis et statu mobilis semper fuit. Sedebat super fontem, ut lassitu-
D dinis incommodum relevaret. Et personam et dignitatem magistri intendebat. Sedere namque magistrorum est. Venit ergo Dominus in civitatem Samaritanorum, ut illis quoque in transitu doctrinæ suæ beneficium impertiret. Ad *prædium* vero *quod dedit Jacob filio suo Joseph* accessit idcirco, ut illum se esse ostenderet quem sanctus Joseph præsignaverat, quem vere sol et luna venerantur, et cui astra omnia famulantur, quemque fratres impii, Judæi videlicet, injusto odio persequebantur. Sedit super fontem, quia ibi noverat venturam mulierem, quam credituram ante sæcula præsciebat. Unde sequitur: *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.* Quid est quod Dominus a muliere Samaritana potum exposcit, quod in sequenti-

Digitized by Google

bus spiritualis affluentiam fontis in se credentibus A daturum promisit? Sed sitiebat, non tam aquam, quam mulieris salutem et fidem. Denique qualis sit sitis Domini ex sequentibus claret, ubi dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Qualis ergo cibus ejus, talis et potus est. Hoc ergo desiderabat, hoc sitiebat, ut in illa voluntatem Patris perficeret. Sed carnalis adhuc mulier, sitim Domini carnaliter accipiens, respondit: *Quomodo tu, cum Judæus sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Hoc quare miretur ostendit subinferens: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. Non coutuntur*, id est, non communicant Samaritanis Judæi, nullius rei usum cum illis habent, nec in aliquo participes sunt eorum. Exsecrantur enim illos, et oderunt, quod ipsorum regionem possideant, vel quod Deum simul et idola B colant. Unde et pro magna contumelia ducebant, si quem Samaritanum vocassent, quo nomine Christum crebro leguntur injuriasse. Sed audiamus quid Dominus adhuc erranti et in tenebris agenti mulieri responderit: *Si scires*, inquit, *donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Donum Dei, quid est aliud quam Spiritus sanctus. Hoc donum post suam ascensionem fidelibus dedit, quia *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV). Et sicut alibi idem evangelista dicit: *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII). Ostendit ergo Dominus se non talem sitire aquam qualem illa intelligebat. Fidem namque ejus sitiebat, et idcirco ei sitienti C Spiritum dare volebat. Hæc est aqua de qua alibi stans in templo, dicebat: Qui *sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Ibid.*). Quod exponens evangelista, subjunxit: *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Ibid*). Ait ergo: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Scire Christum non poterat, quia donum Dei, id est Spiritum sanctum non habebat. Et ideo quia Christum ignorabat, aquam vivam petere ab eo nesciebat. Sed adhuc in carnali sensu mulier perseverans, respondit: *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii* D *ejus, et pecora ejus?* Notandum vero quod hic puteum dicit, cum superius fontem nominaverit: quia nimirum omnis puteus fons, non autem omnis fons puteus. Quæ verba sicut aperta et plana transcurrentes, audiamus quid ei Dominus responderit, superiora sua verba exponens. Ait enim: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quibus sermonibus Domini delectata, et tanti muneris consors esse cupiens, et adhuc prudentiam carnis amplectens, respondit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ait illi Dominus: *Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Dicit ei: *Non habeo virum.* Dicit ei Jesus: *Bene dixisti quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir.* Noverat certe Dominus illam non habere virum, et ista loquebatur ut paulatim eam a carnali intellectu retraheret, et ad intelligendum quis esset qui cum ea loquebatur, perduceret. Denique mulier audiens quæ circa se erant, primo eum prophetam, postmodum Christum confessa est. Sed hæc historiæ sic est plana simplicitas, ut in ea sensuum lateat alta profunditas. Si ergo aliquid jam de hoc dono Dei, et de spirituali aqua gustavimus, spiritualiter ista tractemus. Et primo videamus quid significet quod hora sexta Dominus ad puteum venisse dicitur. Hora sexta sextam mundi ætatem significat, quando tanquam in senectute mundi, Dominus et Redemptor hominem indutus, venit ad puteum, ad tenebrosam videlicet mundi hujus profunditatem: de illa cœlorum sublimitate ad infimas terræ partes dignatus est descendere. Hora ergo sexta Dominus ad puteum venit, quando sol ad inferiores circulos a summo cœli centro incœpit declinare: quia novissima sæculi, ut dictum est, ætate, Filius Dei ad terrenum laborem nostrum dignatus est descendere, ut nos doceret exuere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum, qui secundum Deum creatus est. Quod fatigatus venit, infirmitatem carnis; quod sedit, humilitatem ostendit. Fatigatus ergo resedit, quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo humilis inter homines apparuit. De hac infirmitate carnis ejus dicit propheta: *Vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem* (*Isa.* LIII). De humilitate vero ejus ait Apostolus: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Mulier hæc Samaritana gentium est Ecclesia, quæ bene Samaritana vocatur. Samaria enim pro idololatria solet accipi. Hinc propheta Christi prænuntians incarnationem, dicit: *Antequam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ* (*Isai.* VIII). Christus namque virtutem Damasci accepit, quando ei magi aurum obtulerunt, in quo quondam ipsa potentissima civitas confidebat. Accepit spolia Samariæ, id est, homines idololatriæ captivitate oppressos ad libertatem novæ gratiæ reduxit. Apte igitur hæc mulier Samaritana dicitur, quia sancta Ecclesia ante Christi adventum idololatriæ dedita cultui erat: nihilque aliud agere noverat quam circa sæculi curas vanis cupiditatibus occupari. Hoc enim significat, quod cum hydria ad puteum hæc mulier aquam haurire veniebat. Poscebat Dominus ab ea bibere, salutem gentium sitiens, quatenus eas ab errore erueret, et ad Christianæ fidei religionem adduceret. Quinque viri quos habuerat quinque sensus corporis accipiuntur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus et tactus. Et visu quidem alba et nigra quoque modo

Digitized by Google

colorata videmus. Auditu rauca sonoraque captamus. Olfactu odorifera et fetentia discernimus. Gustu dulcia simul et amara percipimus. Tactu vero, qui per omnia corporis membra diffunditur, calida et frigida, mollia et dura, lenia et aspera sentimus. Istis quinque sensibus Ecclesia gentium ante adventum Christi subdita erat : et lucem mentis non habens, carnalem vitam sine ulla intelligentia transibat. Et quia istos sensus non error reperit, sed natura contribuit, recte viri quasi legitimi dicuntur, quibus primis temporibus sæculi omnes homines serviebant. Sed jam venerat tempus quo non illis sensibus rectoribus anima uteretur, sed haberet virum, id est rationalem spiritum, cui illos priores viros, id est quinque sensus, in famulatum subjiceret, nec jam anima quinque viris subderetur, sed verbum Dei amplecteretur, spiritu Christo inhæreret, nec præsentibus delectaretur, sed æternorum amore frueretur. Sed quoniam adhuc pristino errore tenebatur, nec ea post quinque viros, id est post tempus quinque sensuum carnalium, verbum Dei acceperat, sed diabolus complexu adulterino illectam obtinebat, ait Dominus : *Voca virum tuum, et veni huc*, quod est dicere : Remove te ab affectione carnali in qua nunc es, et spiritu intelligentiæ evocato præsens adesto. Vir enim animæ est quodammodo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit. De quo Apostolus dicit : Nemo *scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est* (*I Cor.* II). Sed cum illa responderet, *Non habeo virum*, audivit, *Bene dixisti, quinque enim viros habuisti*, et primo tempore quinque sensibus corporis servivisti. *Nunc* ergo *quem habes non est tuus vir*, quia non est in te spiritus qui intelligat Deum, cum quo legitimum possis habere conjugium : sed error diaboli dominatur, qui te adulterina commaculatione corrumpit. Et fortasse ad hoc pertinet quod hæc mulier post quinque carnales responsiones, sexto jam Christum nominat. Nam prima ejus responsio fuit, *Quomodo tu, cum Judæus sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Secunda, *Domine, neque in quo haurias habes*, et *puteus altus est*. Tertia, *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam in æternum*. Quarta, *Non habeo virum*. Quinta, *Video quia propheta es tu; patres nostri in monte hoc adoraverunt*. Sexta autem jam responsione Christum fatetur, dicens : *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*. Sed adhuc errat, quia venturum eum exspectabat quem præsentem habebat. Nondum enim virum suum vocaverat, sed vicinum erat, ut error iste tanquam adulter expelleretur, et intellectus rationalis introduceretur. Ait ergo mulier : *Domine, video quia propheta es tu*. Jam quasi vir cœperat intellectus ejus appropinquare, sed nondum plene adveniebat. Prophetam enim Dominum putabat, nec per omnia errabat. Nam et ipse prophetam se vocare dignatus est, dicens : *Non capit prophetam perire extra Hierusalem* (*Luc.* XIII). Et longe ante Moyses de eo dixerat : *Prophetam vobis suscitabit

A Deus de fratribus vestris tanquam me, ipsum audite* (*Deut.* XVIII). *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet*. Contentio erat inter Judæos et Samaritanos, quia Judæi solummodo Hierosolymis in templo a Salomone constructo Deum adorabant, Samaritani vero longe positi, et ipsi Deum, sed non in illo templo adorabant. Ideoque Judæi se extollebant, et meliores se dicebant, qui Deum in templo a sapientissimo hominum ædificato colebant. Quibus dicebant Samaritani : Quare meliores nobis vos esse putatis, quia templum habetis, quod nos non habemus? Nunquid patres nostri, qui Deo placuerunt, non in monte hoc adoraverunt? et ipsi certe templum non habebant, sed hic adorabant ubi et nos adoramus.

B Utrique contendebant, illi pro templo, isti pro monte, et utrique veritatis erant ignari. Sed quid Dominus mulierem doceat, audiamus : Dixit Jesus : *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Crede*, inquit, *mihi*. Est enim in te qui credit, quia cœpisti adesse intellectui, quando me prophetam agnovisti : *Crede* ergo *mihi*, quia scriptum est : *Si non credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII). Venient autem, ait, dies, *quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis, adorabitis Patrem*. Tempus evangelicæ gratiæ, quod jam instabat, dicit, quando, ablata omni umbra figurarum, veritas pura luce mentes credentium illustratura erat. Deus enim non loco continetur, qui cœlum et terram adimplet, nec in

C templis manufactis, sed in sanctis mentibus habitat. *Vos*, inquit, *adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus*. Multum honorem Judæis tribuit, qui Dei cognitionem habebant, legem et prophetas acceperant, quorum est testamentum, et legislatio et promissio, quorum patres ex quibus Christus, qui est benedictus in sæcula. Hoc est enim quod dicit : *Salus ex Judæis est*, quia Salvator ex illo populo natus est. Honorabat Judæos, sed non istos reprobabat. Ipse enim erat lapis angularis qui ex gentibus parietem parieti ex Judæis copulat. Quod vero ait, *Nos adoramus quod scimus*, non ad omnium personas est referendum, sed ad illos tantum qui sapientes et veritatis doctores erant, quales erant apostoli, quales fuerant prophetæ cæterique qui vel Christum

D venturum fide exspectaverunt, vel venientem fideliter susceperunt. *Dicit illi mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*. Pietas catholica satis novit quia Messias Hebraice, Christus Græce, unctus Latine dicitur. *Scio*, inquit, ac si diceret : Quid necesse est nos pro monte, illos pro templo contendere? Cum enim Christus venerit, montem spernet, templum evertet, et nos docebit ut in spiritu et veritate adorare noscamus. Sciebat jam hæc mulier a quo docenda esset, sed docentem nondum agnoscebat, ideoque digna erat quæ non differretur, sed cui Christus jam manifestaretur. *Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum*. Ecce adest vir quem vocare jubebat. Factum est secundum Apostolum *caput*

Digitized by Google

*mulieris, vir; caput* autem *viri, Christus* (*I Cor.* XI). Sed illa postquam audivit, *Ego sum*, nihil respondit, quia manifeste jam Christum cognovit. *Et continuo discipuli ejus venerunt, et mirabantur quod cum muliere loquebatur.* Venerunt discipuli, qui erant in civitate, ut cibos emerent. Mirantur tantam Christi dignationem, tantam clementiam, qua perditam ovem quærebat, qua gentilem et erroneam mulierem docebat. Hanc ejus misericordiam, hanc ejus bonitatem inæstimabilem mirabantur, non mali aliquid suspicabantur. *Reliquit ergo mulier hydriam suam, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus: Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Projecit hydriam suam, quam ob nimiam aviditatem suam non jam usui, sed oneri deputabat, ut expedita atque exonerata Christum annuntiaret. Sed et mystice sancta Ecclesia, postquam ad fidem Christi venit, hydriam projecit, quia cupiditatibus sæculi renuntiavit. Hydria enim illa amorem sæculi figuraliter exprimebat, qua sibi homines de tenebrosa ac in imum demersa conversatione, quasi de puteo, voluptatem hauriebant. Qua percepta iterum sitiunt, quia expleta voluptas non satiat, sed ad majorem sitim mali operis accendit. *Venite*, inquit, *et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Paulatim venit ad prædicandum Christum. Primo vocat eum hominem, ne si Christum primo diceret, auditores irascerentur et indignarentur, sicque ad eum exire nollent. *Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Dixerunt ergo discipuli ejus: *Nunquid aliquis ei attulit manducare?* Quid mirum, si mulier Samaritana superius non intelligebat quam aquam Dominus ei promitteret? ecce ipsi discipuli nunc non intelligunt de qua esca Dominus dicat. Sed verius magister instruit eos, non sicut mulierem per anfractus et sermonum circuitus, sed aperte ostendit spiritualem nominare cibum. Ait enim: *Meus cibus est ut faciam voluntatem* Patris mei qui in cœlis est, *ut perficiam opus ejus.* Voluntas Patris est ut credamus in Filium ejus, sicut alibi dicit: Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, *ut credatis in eum quem misit ille* (*Joan.* VI). Opus vero Patris provisio nostræ redemptionis. Cibus ergo Christi fides nostra et salus est. Atque ideo perficiebat voluntatem Patris, omnes in se credere docendo. Perficiebat opus ejus, humanæ redemptionis mysterium maturando. *Nonne vos dicitis*, quia *adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Opus illum urgebat, et quodam fervore properandæ salutis nostræ exardescebat, jam operarios, id est prædicatores, in mundum mittere volebat. *Vos*, inquit, *dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit.* Sed ego vobis aliam messem jam ortam, jam maturam, et ad metendum paratam ostendo. *Ecce*, inquit, *dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Ergo tempus est ut messores mittantur. Quod est aperte dicere, intellectu mentis considerate Deum mundo reconciliari, et transacta hieme infidelitatis, adesse fidei calorem, jamque parata esse corda gentium, ut ex illis messem justitiæ vestra prædicatione colligatis. *In hoc enim verbum est verum, quia alius est qui seminat, alius qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Non misit Dominus seminare discipulos, sed metere. Diriguntur enim ubi jam alii laboraverunt, id est, ad Judæos primum, quibus prophetæ Christum prius annuntiaverant. Et ubi laboratum erat, utique seminatum erat. Quod vero seminatum erat, jam maturum, falcem et trituram quærebat. Diriguntur ergo apostoli quo jam prædicaverant prophetæ. Ipsi enim seminaverunt hoc quod ad hujus mulieris notitiam pervenerat. Unde dicebat: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus.* Hæc messis primum in Judæa collecta est, quando prædicante Petro una die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, et deinceps multa millia (*Act.* IV). Etenim qui crediderant, afferebant rerum suarum pretia, ponentes ante pedes apostolorum, ut expediti a sarcinis sæculi liberi Christum sequerentur. De hac messe pauca grana per orbem sparsa, innumeram messem per totum mundum genuerunt, quæ in fine sæculi colligenda est. Intuendum vero quod supra dixit: Ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. Prophetæ enim seminatores, et apostoli messores, disparis temporis labores habuerunt, sed unam mercedem acceperunt, et fructum pariter in vitam æternam congregaverunt. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo Samaritani ad illum, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies, et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus quia hic est Salvator mundi.* Primo quidem Samaritani famam Domini audierunt, postmodum conspexerunt. Nec hoc sufficit, sed etiam rogaverunt eum ut saltem aliquot dies apud illos maneret. Nec jam se propter hoc de quo mulier testimonium perhibuerat, credere dicebant, sed seipsos vere cognovisse et scisse quia ipse est Salvator mundi. Cita credulitas Samaritanorum exaggerat multum et aggravat infidelitatem Judæorum. Samaritani vero certe nullum miraculum viderant, non mortuum resuscitatum inspexerant, non mare pedibus transmeatum acceperant, sed tantum quod mulier dicebat, *quia dixit mihi omnia quæcunque feci.* Judæi vero, innumera quotidie mirabilia cernentes, non solum non credebant, verum etiam suæ salutis persequebantur auctorem. Sic etiam quotidie fit apud gentiles. Cum enim a Christi amicis Christum prædicari audiunt et credunt, quasi per famam mulieris prædicantis ad Christum veniunt. Sicque eo apud illos manente, jam robustius per seipsos quanta veritas Christianæ fidei, quanta sit salus in Christum credentibus, ex tempore cognoscunt. Nec vacat quod

Digitized by Google

biduo apud eos mansisse dicitur, quia nimirum in se A credentes Christus duobus præceptis instruit charitatis, docens eos Deum diligere super omnia proximum sicut seipsos. Biduo ergo apud Samaritanos mansit, quia in eorum cordibus requiescit, quos gemina charitatis lampade fervere cognoverit. Nec illud omittendum quod nulla noctis, sed solius diei fit mentio. *Nam quæ potest esse societas luci ad tenebras?* Joannes enim dicit: *Deus charitas est* (*Joan.* IV). Idem quoque alibi dicit: *Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ* (*I Joan.* I). Si ergo Deus charitas est, et si Deus lux est, ergo charitas lux est. Ubi ergo charitas lux est, quis tenebris locus esse potest? Et e contrario, ubi charitas non est, ibi nulla lux, sed omnia tetra obscuritate nigra sunt. Hinc Joannes: Omnis qui non diligit fratrem suum *in* B *tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat. Qui autem diligit, in lumine manet* (*I Joan.* II). Hanc igitur in quantum possumus efficaciter teneamus, ut Christo inhabitante gaudere mereamur. Projiciamus a nobis noxiarum hydriam cupiditatum, et ad bona quæ Deo inspirante cognovimus, nobiscum alios trahere festinemus. Clementiam nostri redemptoris piis vocibus ac bonis actibus exoremus, ut quibus jam suam dare dignatus est cognitionem, cum virtutum profectu ad suæ gloriæ dignetur perducere visionem. Amen.

## HOMILIA XCV *bis*.

### IN SABBATO POST *Oculi*.

*In illo tempore perrexit Jesus in montem Oliveti, et* C *diluculo iterum venit in templum*, etc. (*Joan.* VIII).

Omnipotentissimus Dominus, conditor et benignissimus amator hominum, Dominus noster Jesus Christus, cujus universæ viæ misericordia et veritas, hanc sibi maxime circa suam passionem effecerat consuetudinem, ut in diebus quidem in templo quod Hierosolymis erat verbum Dei prædicaret, signa et miracula ostenderet, quibus se Dei esse Filium declararet: sero autem reverteretur in Bethaniam: et apud amicum suum Lazarum, sororesque ejus Mariam et Martham, noctibus hospitaretur: sicque interdum diluculo ad simile prædicationis opus Hierosolymam reverteretur. Secundum hunc igitur sibi consuetum morem, cum tota die in die festo Scenopegiæ, D id est, Tabernaculorum, in templo prædicasset: vesperante jam die, sicut asserit sanctus evangelista, perrexit in montem Oliveti, et inde rursum diluculo venit in templum. Mystice, mons Oliveti sublimitatem dominicæ pietatis ac misericordiæ designat, quod in ipso satis claret vocabulo, quia mons Oliveti a misericordia nomen trahit, Ἔλεος namque Græce, Latine misericordia dicitur. Natura quoque olei mysterio aptissime convenit, atque gratiam præmonstrat misericordiæ. De qua Psalmista: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV). Oleique perunctio fessis dolentibus membris solet afferre levamen. Et Psalmista miserationes Domini gratiosa laude commemorans: *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CII). Pergebat ergo Dominus in montem Oliveti, ibique manebat, ut arcem in se misericordiæ constare, imo se ostenderet esse ipsam misericordiam, secundum Psalmistæ vocem. *Deus*, inquit, *susceptor meus es: Deus meus misericordia mea* (*Psal.* LVIII). Tempus vero diluculi quo prædicaturus Hierosolymam redibat, tempus novæ gratiæ exortum designat, quando, remota legalium umbra figurarum, lux evangelicæ veritatis mundo revelanda erat. *Et omnis*, inquit, *populus venit ad eum, et sedens docebat eos.* Sessio Domini humilitatem incarnationis ejus insinuat, per quam mundo subvenire dignatus est. Domino ergo in templo sedente, omnis populus venit ad eum, quia postquam per susceptam humanitatem, visibilem se hominibus præbuit, cœperunt multi prædicationem ejus audire, et in eum credere: et tanto libentius, quanto eum sibi per assumptam carnem proximum factum esse meminerant. Multi autem diximus, quia plurimi superba mente salutem quam attulerat contempserunt. Unde multum ante per prophetam prædictum fuerat: *Audiant mansueti, et lætentur* (*Psal.* XXXIII). Mansuetis igitur et simplicibus sermonem Domini mirantibus et intentissime audientibus, quid contemptores fecerint audiamus. *Adducunt autem scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses* præcepit nobis *hujusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?* O captiosa veneratio! o simulatum venenatæ mentis obsequium! o labia dolosa in corde, et dolum ex corde loquentia! Interrogant non ut quod rectum est discant, sed ut veritati laqueos nectant. Sciebant enim idcirco vel maxime Dominum a turbis amari quia misericordiam prædicabat, et peccatores benignissime suscipiebat: ideoque cum invenissent mulierem in adulterio, exsultabant invenisse se tentandi occasionem. Adduxerunt ergo eam ad Dominum percontantes quid de ea fieri juberet. Dicebant enim ad invicem: Si dixerit, Lapidanda est hæc mulier juxta decretum Moysi, quasi misericordiæ oblitum quam prædicabat, deridebimus, sicque eum odiosum turbis a quibus diligitur faciemus. Si vero lapidari eam prohibuerit, quasi legis adversarium et fautorem scelerum publice comprehendemus, et mortis supplicio condemnabimus. Sed quid perversitas valet humana contra potestatem divinam? Scriptum namque est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra* Dominum. Sequitur enim: *Jesus autem inclinavit se deorsum, et digito scribebat in terra.* Per hoc quod se Dominus inclinavit, humilitatem assumptæ humanitatis ostendit. Per digitum qui conjunctionibus articulorum compositus, atque ideo cæteris membris flexibilior est, sublimitas discretionis exprimitur. Per terram vero, humanum cor ostenditur, quia illud bonarum vel malarum actionum reddere solet fructus. Exspectatur autem a

Digitized by Google

Pharisæis Dominus, ut de adultera sententiam ferret; non statim judicat, sed prius inclinans se, in terra scribit, ac sic demum illis obnixe insistentibus judicat, ut nos hoc exemplo typice moneat, quatenus cum ipsi mala proximorum conspicimus, non statim ea temere reprehendendo damnemus; sed prius ad nostri cordis conscientiam humiliter conversi, digito discretionis ea sollicite disquiramus, utrum sint opera Deo placentia an displicentia, sicque diligenti meditatione investigemus. Temerarium est enim judicare de erratibus alienis, si adhuc reprehenderis propriis. Hinc et Apostolus dicit: *Fratres, et si præoccupatus fuerit* quis *in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* IV). *Cum* autem *perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Pharisæi quidem et scribæ ex omni parte laqueos tetenderant, credebantque se eum posse ostendere vel immisericordem, vel injustum; sed Dominus fraudes illorum facillime sicut fila araneæ pertransiit, servans per omnia et justitiæ districtionem et pietatis mansuetudinem. Ait enim: *Qui sine peccato est vestrum*, ecce temperantia miserantis. Rursus, *primus in illam lapidem mittat*, ecce justitia judicantis. Ac si patenter diceret: Dicitis quia Moyses hujusmodi lapidare præcepit, sed hoc a justis et non a peccatoribus fieri præcepit. Primo igitur justitiam legis implete, et sic mundis manibus et corde ad lapidandam ream concurrite. Primo fidem et misericordiam, spiritualia videlicet præcepta perficite, et sic ad carnalia judicia venite. Hoc judicio dato, Dominus *iterum se inclinans, scribebat in terra.* Potest intelligi Dominum fecisse hoc juxta morem humanæ consuetudinis, ut quasi aliud agens, et vultu aliud intendens, liberam eis facultatem egrediendi daret, quos sua responsione perculsos et in ruborem actos, citius exituros quam plura interrogaturos esse cernebat. Denique ait evangelista: Qui *audientes, unus post unum exibant, incipientes a senioribus.* In hoc vero quod ante datam sententiam et post inclinato se scribebat in terra, figuraliter admonuit ut et priusquam peccantem fratrem corripiamus, et postea antequam ei ministerium correptionis impenderimus, sollicita atque humili investigatione perpendamus utrum aut ipsis de quibus alium castigamus, aut aliis peccatis obnoxii simus. Sæpe enim contingit ut ille qui alium de homicidio judicat, ipse per odium fratris ante oculos Conditoris reus homicidii habeatur, quia scriptum est: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Nonnunquam aliquis alium de fornicatione accusat, et in se facinus superbiæ absconditum celat. Cum ergo peccantem aliquem corripimus, pensemus sollicite quam dejecti, quam fragiles ex nobis simus si non divinæ pietatis auxilio sustentaremur. Ita enim fiet ut nequaquam contra eum quem corripimus, superbiamus, nec protervo spiritu condemnemus: sed memores propriæ conditionis, mansueti ac leniter ad emendationem delicti salubri exhortatione provocemus. *Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo, Domine.* Nullus quippe ausus est condemnare peccatricem mulierem, quia Domini ancipiti verbi sui gladio eorum conscientias penetrante, singuli in se cernebant quod magis damnari deberent. Sed quia accusatores justitiæ auctoritate prostravit, eam quæ accusabatur magno pietatis munere sublevavit. Sequitur enim: *Dixit ei Jesus: Nec ego te condemnabo; vade, et amplius noli peccare.* Tanquam pius præterita peccata ignoscit: et quasi justus, ne amplius peccare præsumat, interdicit. Quia enim Deus erat et homo, per id quod homo erat, accusatæ misereri potuit: per id vero quod Deus est, dimisso scelere eam absolvit. Veneremur ergo eum per id quod Deo Patri æqualis est, diligamus eum per id quod nobis proximus fieri dignatus est. Precemur ejus misericordiam piis vocibus justis operibus, ut nos ab omnibus peccatorum nexibus solvat, et de cætero non peccare concedat, sicque mentes nostras sancti amoris sui flammis accendat, ut secundum beneplacitum suum in omni bono nos perseverabiles faciat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

## HOMILIA XCVI.

### IN DOMINICA *Lætare.*

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

Apostolica, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 281.

## HOMILIA XCVII.

### DE EADEM DOMINICA.

*In illo tempore abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia viderant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur*, etc. (*Joan.* VI).

Qui signa et miracula Domini, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 110.

## HOMILIA XCVIII.

### IN FERIA SECUNDA POST *Lætare.*

*In illo tempore prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Et invenit in templo vendentes oves et boves et columbas, et nummularios sedentes*, etc. (*Joan.* II).

Divus Joannes, qui ultimus omnium evangelistarum suum scripsit evangelium, idcirco plenius ac profundius ea quæ a tribus evangelistis omissa fuerant, describere curavit. Illi enim ea tantum scripserunt, quæ a Domino duobus annis ante passionem ejus gesta sunt, incipientes a tempore quo Joannes Baptista missus est in carcerem. Ergo diligentissime Evangelii narratione considerata, reperimus bis Dominum salvatorem ad paschalem solemnitatem celebrandam Hierosolymam venisse. Semel primo anno suæ prædicationis, quod Joannes scribit, et iterum ipso quo passurus erat anno, quando quinto die ante

Digitized by Google

Pascha asino sedens, Hierosolymam intravit. Utraque tamen vice avaritiam Scribarum, Sacerdotumque impietatem detestans, quam in templo exercebant, eos cum omnibus qui negotia ibidem habebant, ejecit. Qua de re patet, non hanc esse ipsam lectionem quæ apud Matthæum et Lucam legitur, quoniam bis idem miraculum in Pascha gestum est. Primo scilicet anno prædicationis, qui est tertius ante passionem, et secundo imminente jam hora ipsius passionis. His per excessum necessario præmissis, ad exponendam per ordinem accedamus sancti evangelii lectionem. *Prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam.* Quod Dominus appropinquante Pascha Hierosolymam ascendit, nobis profecto exemplum dedit, quanta cura et studio divinis subdi debeamus imperiis. Si enim ille qui erat Dei Filius, in infirmitate nostræ carnis apparens, decreta legis a se data implebat, solemnitates legitimas cum cæteris hominibus frequentando, quid nobis, qui servi sumus, agendum est? Quanto studio et hæ et aliæ festivitates bonis operibus sunt præveniendæ, et digna reverentia cum venerint celebrandæ? *Et invenit in templo vendentes oves, et boves, et columbas, et nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit.* Non est putandum quod hæc venalia in ipso templo fierent, sed potius in porticibus, quibus ipsum templum cingebatur. Oves ergo et boves et columbæ ad hoc ibi emebantur, ut in sacrificio Domini offerrentur. Nummularii vero ad hoc ibi residebant, ut inter emptores venditoresque hostiarum fieret prompta pecuniæ taxatio. Ergo quodammodo honesta erat et licita negotiatio ista, quia ad hoc (ut dictum est) emebantur hostiæ, ut Deo offerrentur. Quid ergo putamus fecisset Dominus, si invenisset eos rixis dissidentes, aut fabulosis, otiosis aut turpibus et obscenis colloquiis vacantes, aut quolibet alio scelere occupatos, si ita in eos desævit, qui ea negotiabantur in templo, quæ Domino offerre volebant? Hæc contra illos dicimus, qui ecclesiam ingressi, non sicut in domo Dei cum metu et reverentia ibi consistunt, sed lascivientibus obtutibus vagi, inanibus fabulis occupantur, cachinno solvuntur, spretaque intentione orandi, peccata pro quibus exorare debuerant, augent. Quodque gravius est, si quis eos pro hujusmodi stulta præsumptione redarguere ausus fuerit, odiis eum et maledictis persequuntur, nec divinum ex hoc judicium formidant, cujus templum ausu nefario profanant. Hoc sane, quod tunc corporaliter gestum est in templo, quotidie geri in ecclesia nullus qui recte sapit ignorat. Quotidie namque Dominus sanctam spiritualiter intrat ecclesiam, et qualiter in ea unusquisque versetur, attendit. Cavendum ergo et valde pavendum est, ne improvisus veniens, perversum in nobis aliquid, unde merito flagellari, et de ecclesia ejici debeamus, inveniat. Maxime vero hoc observare debemus in ea quæ spiritualiter domus Dei vocatur,

A ne quid ibi ineptum geramus, ne dicatur de nobis quod per prophetam Dominus dixit: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa* (*Jer.* XI). Nec obliviscamur nosipsos templum Dei esse, ideoque ab omni immunditia et iniquitate conscientiam nostram immunem custodiamus, illud cum tremore recolentes quod dicit Apostolus: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus* (*I Cor.* III). Notandum autem est, quod vendebantur in templo oves et boves et columbæ. Boves quippe terram exarant, et suscipiendis seminibus præparant. Quid ergo per boves, nisi doctrina cœlestis accipitur? Boves ergo vendunt, qui verbum Evangelii non pro auditorum utilitate, nec causa amoris Christi, sed intuitu lucri temporalis auditoribus impendunt. Oves, simplicia et B mansueta animalia, vestiendis hominibus sua vellera præstant. Et quid per oves, nisi opera simplicitatis et innocentiæ signantur? Vendunt ergo oves, qui gratia humanæ laudis opera agunt pietatis. De quibus dicitur: *Receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Quid vero per columbas, quæ felle carent, nisi Spiritus sanctus intelligitur, qui in specie columbæ super baptizatum Dominum ostensus est? Columbas igitur vendunt, qui Spiritus sancti donum per impositionem manus vel ad præmium vel ad vulgi favorem tribuunt, qui sacros ordines non pro vitæ merito, sed pro gratia largiuntur. Nummularii vero sunt hi, qui in ecclesia aperte terrenis rebus inserviunt, *quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi.* Omnes itaque istos facto flagello de resticulis ejecit C de templo. Quid per funiculum, nisi crementa intelliguntur malarum actionum? Hinc Isaias dicit: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis* (*Isaiæ* V). Et Salomon: *Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V). Cum enim peccator aliquis prioribus peccatis graviora accumulat, quasi funiculum quo flagelletur, paulatim agendo prolongat. Ejecit ergo hos Dominus, ejecit cum eis boves et oves, cæteraque venalia, quia talium doctrina pariter cum suis auctoribus reprobanda est, et a domo Dei depellenda. Nummulariorum quoque æs effunditur, et mensæ subvertuntur, quia damnatis in fine mundi reprobis, etiam illarum rerum quas dilexerunt auferentur figuræ, juxta quod Joannes dicit: *Mundus transit, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). D *Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Venditionem columbarum in templo fieri prohibuit, quia gratia Spiritus sancti non ad præmium danda est, sed gratis accepta, et gratis debet dari. Unde omnes qui eamdem pro præmio vel accipere vel dare voluerint, similes sunt Scribis et Pharisæis. Domum vero Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines dando vel accipiendo præmium vel a manu vel ab ore requirunt, et ministerium quod perceperunt, non simplici intentione, sed pro humana retributione in Ecclesia peragunt; nec student ut Deus in his quæ agunt glorificetur, sed ut ipsi potius laudentur et remunerentur. Sed et hoc non negli-

Digitized by Google

genter prætereundum est, quod hic utraque Domini A salvatoris natura nobis commendatur. Humana quidem, quia sicut homo ad celebrandam Paschæ solemnitatem cum cæteris ascendit. Divina vero, secundum quam his quos ejiciebat de templo, dixit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Aperte namque se Filium Dei ostendit, qui templum Dei Patris sui domum appellat. *Recordati vero discipuli sunt, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII). Zelus in hoc loco, in partem bonam accipitur. Est enim zelus fervor quidam, quo mens, rejecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Zelo ergo Dei Patris Salvator impios negotiatores ejecit de templo. Sed et nos quantum possumus, zelemus domum Dei, et ne quid pravum in ea geratur, studiose curemus: quod B tunc recte agimus, si fratrem qui templum Dei esse debuerat, videamus vel superbia tumidum, vel luxuria enervatum, vel ebrietati deditum, seu cuiquam vitio substratum, et in quantum vires suppetunt, corrigere, et ad emendatioris vitæ ordinem reducere satagimus. Vel etiam in ipsa domo orationis, ubi corporis Christi sacrosancta consecrantur mysteria, ubi angelorum et ipsius Dei præsentia esse non dubitatur, ne quid inhonestum aut indecens agatur, sollicite procuremus. *Responderunt Judæi, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit illis Jesus: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* De quo templo hoc dixerit ostendit evangelista cum subdit: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Templum dignissimum, sanctum corpus C suum dicit, sacrarium divinitatis, quia, ut Apostolus ait, *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et sunt in illo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Col.* II). Hoc templum solvendum erat in passione, excitandum citissima diei tertii resurrectione. Non dicit, sicut illi confinxerunt, In passione destruam, sed honesto verbo, *Vos*, inquit, *solvite*. Neque enim convenit, ut nosipsi nobis manus inferamus. *Vos ergo* (ait) *solvite*, quia ab illis excruciandus et crucifigendus erat. Merito igitur de templo illo typico ejecti fuerant, qui ipsum verum Dei templum, in quo nulla prorsus peccati macula esse poterat, solvere per mortem quærebant. *Dixerunt ergo ei Judæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est hoc templum, et tu in tribus diebus excitabis illud?* D Carnaliter Domino responderunt, quia superiora ejus verba carnaliter intellexerunt. Quod enim ipse de sui corporis templo dixerat, hoc isti de materiali templo dictum putabant. Verum quod dicunt quadraginta et sex annis templum ædificatum non primam, sed secundam indicant ædificationem. Primum namque templum a Salomone, in maxima regni pace, decentissimo opere, septem annorum spatio perfectum est. Hoc destructum postea a Chaldæis, rursum post septuaginta annos jubente rege Persarum, relaxata populi captivitate, a filiis transmigrationis sub Zorobabel et Jesu principibus reædificari cœptum est. In quo opere sic impediti sunt impugnantibus se vicinis gentibus, ut una manu gladium tenerent, altera lapidem in parietis structuram ponerent. Atque ita factum est, ut per quadraginta sex annos inchoata templi fabrica, vix potuerit impleri. Hic autem annorum numerus, perfectioni Dominici corporis aptissime congruit. Tradunt namque physici, tot dierum spatio formam humani corporis in utero matris perfici. Susceptum namque semen primis sex a conceptione diebus, lactis similitudinem habet, novem sequentibus vertitur in sanguinem, reliquis duodecim coagulatur, et in carneam soliditatem redigitur, aliis vero decem et octo formatur usque ad perfecta membrorum lineamenta, hinc jam usque ad tempus editionis magnitudine semper augetur. Sex autem et novem et duodecim, et decem, et octo in summa collecti, quadraginta quinque faciunt. Quibus si ipsum diem adjicias, quo discretum per membra corpus incipit sumere incrementum, quadraginta sex absque errore reperies. Per quod videlicet tot dies in ædificatione corporis Domini, quot annos in fabrica legimus, numerantur. Possumus quoque ipsum hunc numerum in nomine Adam, supputato ipsarum litterarum numero, invenire, cujus nomen ex principalibus quatuor climatum mundi litteris apud Græcos constat. Per quod innuitur, ipsum primum parentem nostrum de paradiso ejectum, et in totum orbem fuisse disseminatum. Nomina quippe quatuor mundi partium secundum Græcos sunt, ἄρκτος, δύσις, ἀνατολή, μεσημβρία, hoc est, septentrio, occidens, oriens, et meridies. Nomen vero Adam ex α, δ, α, μ, constat. Quarum litterarum secundum Græcos est α unum, δ quatuor, et rursum α unum, et μ quadraginta, quæ simul sunt quadraginta sex. Tot nimirum diebus corpus Christi in utero virginali formatum ac perfectum est. Per quod designabatur, primum Adam per orbem dispersum, per secundum Adam, id est, Christum, colligendum, atque in unionem fidei congregandum. *Cum ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hæc dicebat, et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus.* Nondum sancti apostoli Scripturas intelligebant, quia necdum Christus a mortuis resurrexerat, nondum illis Spiritum sanctum aperte dederat. At ipso die resurrectionis suæ apparens illis, aperuit illis sensum, ut intelligerent omnia quæ de ipso in lege Moysi et prophetis et psalmis erant scripta. Tunc recordati sunt verborum quæ ante passionem Dominum dicentem audierant. Et crediderunt, inquit, Scripturæ prophetarum quæ eum resurrecturum prædixerat, et sermoni quem dixit eis Jesus hoc videlicet quod præmissum est: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Cum autem esset Jesus Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in eum. Ipse autem non credebat seipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et non opus erat ei ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.* Patet causa quare Dominus ad festivitates Judæorum celebrandas corporaliter venerit, ut videlicet plures per ejus prædicationem

Digitized by Google

crederent. Ait enim evangelista, quia cum esset Jesus Hierosolymis, multi crediderunt in eum; sed ipse non credebat semetipsum eis, quia illi non sic credebant in eum, ut digni essent cum quibus Christus familiariter habitaret. Licet enim jam credere putarentur, ipse introrsus corda eorum intuebatur. Hoc est enim quod dicitur, *eo quod ipse nosset omnes*. Nec volebat a talibus prædicari, quos prævidebat in sua passione posse scandalizari. Non enim illi opus erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Illi nimirum typum tenebant catechumenorum, qui jam credunt in Christum, sed ipse non se credit eis, quia nondum renati sunt aqua baptismatis. *Nemo enim potest introire in regnum Dei, nisi prius renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III). Inde etiam mos ecclesiasticus obtinuit ut catechumenis non credantur mysteria corporis et sanguinis Christi, quanquam ipsi se in Christum credere fateantur. Nos vero qui et in Christo jam renati, et vivificis corporis ejus sacramentis sumus initiati, agamus nomini ejus æternas gratias, ejusque misericordiam dignis in quantum sufficimus laudibus extollamus, qui nobis ita se dignatus est incomprehensibili pietate contradere, ut ipse in nobis, et nos in eo maneremus. Magnum est certe quod præsumimus, sed securi sumus de ejus veracissima promissione, qua ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Proinde inspiciamus diligenter penetralia cordium nostrorum, et quidquid vitiis fœdum, quidquid sordidum deprehenderimus, his præcipue diebus festinemus orationibus et jejuniis ac lacrymis emundare profusis. Præveniamus faciem ejus in confessione, si cupimus ejus in futuro vultum cernere sine confusione. Ad cœlestem patriam gaudentes tendamus, ut nulla nos sæculi objecta præpediant, nec prospera revocent, nec adversa retardent. Neque enim vile aut caducum aliquid nobis promittitur, sed illud quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II); ad quod mereamur pervenire, opitulante ipso, qui nos dignatus est vocare.

## HOMILIA XCIX.

### IN FERIA TERTIA POST *Lætare*.

*In illo tempore, jam die festo mediante, ascendit Jesus Hierosolymam in templum, et docebat. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* etc. (*Joan.* VII).

In lectione quæ hanc præcedit, narrat sanctus evangelista quia *ambulabat* Dominus *in Galilæam, non enim volebat ire in Judæam, quoniam Judæi quærebant eum occidere*. Cum ergo ibi esset, et (ut ita dictum sit) propter concitatam contra se persecutionem delitesceret, *essetque in proximo dies festus Scenopegiæ, dixerunt fratres ejus ad eum: Transi hinc et vade in Judæam iterum, ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis* (*Joan.* VII). Quos videns Dominus labilem et caducam hujus mundi gloriam quærere, et cœlestem parvipendere, respondit: *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam ad diem festum istum.* Cum igitur *hæc* et plura alia ad redarguendos confundendosque humanæ laudis cupidos *dixisset*, tunc quidem *mansit in Galilæa. Jam autem mediante die festo* (nam per octo dies agebatur ipsa solemnitas, sicut nunc lectum est), *et ipse Jesus ascendit. Et mirabantur Judæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Quidnam hoc est quod Dominus antequam ad festivitatem veniret, *quærebant eum, et murmur magnus erat de ipso?* Ecce adest qui quærebatur, docet qui latebat, palam loquitur, et non tenebatur. Sed illud erat exempli, hoc potestatis. Latuit enim, ut nos doceret persecutionem fugere, secundum quod alibi præcipit: *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X). *Et mirabantur*, inquit, *Judæi*. Mirabantur, non tamen ab infidelitate convertebantur. Sed unde mirarentur aperitur, cum subditur: *Unde hic litteras scit, cum non didicerit?* Noverant ubi natus, et quomodo fuerat educatus. Nunquam eum viderant litteras discentem, audierant tamen eum de lege disputantem, legis et prophetarum testimonia proferentem, quod nemo alius faceret qui legem ipsam non legisset. Nemo autem ipsam legem legeret, nisi prius litteras didicisset. Hac de causa mirabantur, non intelligentes eum legis auctorem esse et Dominum. Quod si credere voluissent, nequaquam mirarentur, si ille legem nosset, qui ipsam legem dedisset. Verum hæc illorum admiratio, facta est veritatis magistro, altioris doctrinæ insinuandæ occasio. Respondit enim Dominus aliquid profundum, et attentius inspiciendum. Nam sequitur: *Respondit eis Jesus: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Paucis verbis quasi contrarium aliquid Dominus dixisse videtur. Non enim ait, Ista doctrina non est mea, sed Mea doctrina non est mea. Quærendum ergo quid sit, *mea doctrina non est mea*. Si enim sua, quomodo non sua? Sed recolamus quid beatus Joannes in exordio hujus evangelii dixerit, et ibi reperire poterimus hujus solutionem quæstionis. Ait enim: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quæ est ergo doctrina Patris, nisi verbum Patris? Verbum enim, alicujus est verbum. Et ideo suam doctrinam dixit non suam, quia ipse non a se est, sed verbum Patris est. Quod ergo ait: *Mea doctrina non est mea*, tale est ac si diceret: Ego qui doceo, non sum a meipso. Cum enim credamus et confiteamur Filium Patri esse æqualem per divinitatem, nec ullam recipiamus inter generantem et genitum vel naturæ vel substantiæ differentiam, tamen ille Pater, ille Filius. Et Pater quidem de nullo, quia de se Deus est. Filius vero non de se, sed de Patre genitus est Deus, sicut Spiritus sanctus a Patre procedit et Filio. Et hi tres unus Deus, unum lumen, una potentia, una majestas. Et quia hoc tam profundum mysterium videbat non omnes posse intelligere, dat consilium quid agentes ad illud pertingere valerent. *Si quis*, inquit, *voluerit volunta-*

Digitized by Google

*tem ejus facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego loquor a meipso.* Si quis voluerit voluntatem Patris facere, hoc est, si quis voluerit in Filium ejus credere, cognoscet de doctrina mea, hoc est, intelliget. Ergo intellectus est merces fidei. Non ergo intelligendum est ut credamus, sed prius credendum ut intelligamus. Scriptum namque est: *Si non credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII). Ergo faciamus voluntatem Patris, hoc est, credamus in Filium Dei Patris. Hæc est voluntas Patris, juxta quod alibi idem Filius dicit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille* (*Joan.* VI). Cognoscenda sane est necessario hujus verbi structura; aliud enim est cum dicimus per dativum casum, Credo tibi, aliud per accusativum, Credo in te. Dicimus certe nos credere Paulo, sed non in Paulum. Dicimus credere nos Petro, sed non in Petrum. Ergo aliud est credere Deo, aliud credere in Deum. Credere enim Deo, est verbis illius fidem accommodare, secundum quod etiam dæmones credunt ei, et contremiscunt. Credere vero in Deum, est Deum credendo amare, credendo diligere, membris ejus credendo incorporari. Hæc est fides quam a nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. Si quis ergo facit voluntatem Patris credendo in Filium ejus, cognoscet de doctrina Christi, quia non aliunde, non de nihilo, sed de Patre est, manens in Patre, æqualis Patri. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Quibus verbis Antichristum notat, thesaurum malitiæ, et perditionis filium: *Qui,* ut Apostolus ait, *adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thes.* II). Hic ergo cum venerit, a semetipso loquetur sua se auctoritate venisse, non a Deo missum dicens, nec Dei, sed suam quæsiturus gloriam. De quo alibi dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (*Joan.* V). *Qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* Se utique Dominus his verbis insinuat, qui cum per divinitatem æqualis esset Patri, tamen per susceptam servi formam apparens in tempore, qui erat creator temporum, non suam, sed Patris, quæsivit gloriam. Vel nobis certe per hoc præbuit exemplum humilitatis, ut nos qui puri homines sumus, nec ex nobis boni quidquam possumus, totum Deo tribuamus, ad ejus laudem et gloriam referamus, cum vel boni aliquid facimus, vel ejus largiente clementia recte Scripturas illius intelligimus. Sed nos e contrario bona quæ agimus, nobis superbe ascribimus, mala vero nostra creatori nostro irrogamus causantes quod tales nos fecerit. Christus vero Dominus noster gloriam Patris quærebat, et idcirco verax est, et injustitia in illo non est. In Antichristo vero injustitia est, et verax non est, quia suam, non Dei gloriam, quæsiturus est. Non est a Deo missus, sed venire permissus. *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem: quid me quæritis interficere?* Illi quidem gloriabantur se legis præcepta

A implere, sed aperta revincuntur sententia. Lex enim homicidium vetat, quomodo ergo legem faciebant, qui Salvatorem interficere cogitabant? Nam si legem recte legissent, et opere implevissent, in ipsis Scripturis suis Christum agnoscerent, et nunquam de ejus morte tractassent. *Respondit ei turba.* Turba, inquit, incerta semper et turbata, nullo rationis ordine prædita. *Dæmonium habes. Quis te quærit interficere?* O scelus inexpiabile! o blasphemia neque in hoc sæculo neque in futuro remittenda! Nam pejus fuit hoc dicere quam Christum occidere, ei namque dicebant: Dæmonium habes, qui suo imperio dæmonia expellebat. Obturandæ essent aures ad tam scelestam contumeliam, nisi ipsius Domini exemplo disceremus habere patientiam. Neque a furiosis et
B turbatis hæc audiens turbatus est, sed in sua veritate tranquillus permanens, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si respondere voluisset: Vos potius habetis dæmonium, verum utique diceret. Nisi enim pleni essent dæmonio, loqui non possent tam perverse de Deo. *Respondit ergo eis: Unum opus feci, et omnes miramini.* Ac si diceret: Quid tantum miramini in sanatione unius hominis quantum miraremini si omnia opera mea videretis? Unam enim rem fecerat, sanaverat in sabbato paralyticum, qui triginta et octo annis decumbebat, et turbati sunt, quia non intelligebant eum esse auctorem sabbati (*Joan.* V). Non destruxerat sabbatum, hominem in eo sanando, quia ad salutem hominum sabbati custodia fuerat data. *Propterea*
C *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus.* Moyses quidem legem decrevit, ut circumcisio servaretur, sed non ipse auctor est circumcisionis. Multo enim ante legem tempore Abraham primus recepit circumcisionem a Domino, in signum magnæ fidei suæ. *Et in sabbato circumciditis hominem.* Tanquam diceret: Revincit vos Moyses. Præcipitur in lege ut hominem octava die circumcidatis, præcipitur etiam ut sabbatizetis septimo die. Si ergo octava dies illius qui natus est, evenerit die septimo, hoc est, in sabbato, quid facietis? Vacabitis et custodietis sabbatum, an circumcidetis infantem, ut impleatis octavæ diei sacramentum? Sed novi quia circumcidetis, quoniam signum salutis est,
D et non debet homo in sabbato vacare a salute. Nunc ergo mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Quia et curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima. *Sed si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi cur indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Illa quippe circumcisio ob tres præcipue causas data fuerat. Primo, ut signum esset magnæ fidei Abrahæ. Secundo, ut per eam a cæteris nationibus discernerentur in corpore, sicut fimbriis palliorum distinguebantur in veste. Tertio, ut illam in virili membro suscipientes, castitatem mentis et corporis se observare debere cognoscerent. Et tantum valebat tunc circumcisio, quantum et in novo testamento baptismus, quia omnia peccata per eam

dimittebantur, excepto quod januam regni cœlestis nequaquam aperire poterat. Non ergo a tam utili et proficua re, propter inanis otii sabbatum, vacare debebant. Mystice vero illa circumcisio figurabat baptisma quod nunc in Ecclesia geritur, quo verissime omnia peccata dimittuntur, et cœleste regnum credentibus aperitur. Exhibebatur vero circumcisio in virili membro, per quod humana propagatio ministratur, ut ostenderetur per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem. Et sicut omnis homo cum præputio nascitur, ita etiam omnis homo cum originali peccato generatur, a quo cum omnibus vitiis per baptismum, quod est vera et spiritualis circumcisio, exspoliamur. Petrinis autem cultris circumcidebantur homines, quia, ut ait Apostolus, *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x). Per cujus nominis invocationem, simplex aqua baptismatis spirituali potentia fecundatur, ut hominibus spiritualem possit præstare generationem. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Secundum faciem judicare est personam in judicio considerare. Et isti personaliter considerabant, quia illis qui in sabbato parvulos circumcidebant, non irascebantur; Domino autem indignabantur, quia in sabbato totum hominem salvum fecisset. *Justum*, inquit, *judicium judicate;* quod si facitis, neque me, neque Moysen condemnabitis, sed veritate perspecta, nullatenus mea opera Moysi præceptis contraire videbitis. Sane hæc Domini admonitio, non solis facta est Judæis, nos etiam Dominus monuit, nos instruxit. Sic ergo verba ejus audiamus, quasi præsens nobis loquatur. Ait enim: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Magni laboris est hoc vitium effugere, id est, non ad intuitum personæ judicare, sed justum judicium proferre. Nullus quippe alius hoc potest implere, nisi ille qui omnes æqualiter diligit, qui in judicandis causis non attendit ambitum, sed meritum, nec considerat quis judicandus, sed unde sit judicandus. Nec hoc dicimus de illis, quos pro graduum honore diverso, modo jubemur honorare, sed de illis quorum causas dicere ac dijudicare jubemur. *Dicebant autem quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palam nunc loquitur, et nihil ei dicunt.* Isti qui hoc dicebant, noverant quia Dominus a Judæis quærebatur, sed non intelligebant quod sua potentia non tenebatur, atque ideo putaverunt principes jam credidisse quia ipse esset Christus. Dicunt ei: *Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* Sed ostendunt se nondum credidisse, cum subjungunt: *Sed istum novimus unde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* Quid est quod dicunt: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit?* Nam Herode locum nativitatis Christi requirente, responderunt quod in Bethlehem nasciturus esset, et ipsa sua verba, prophetica auctoritate confirmaverunt. Sed noverant locum nativitatis ejus, non autem poterant comprehendere generationem divinitatis ejus propheta dicente: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ac si dicerent: Istum sicut aliquem ex cæteris hominibus novimus, nihil in illo divinum, nihil regale attendimus. Christus vero noster Deus omnipotentissimus venturus est, et universo mundo imperaturus. Hæc enim erit causa mortis illorum. Ideo enim in Christum credere nolebant, quia solam humanitatem considerabant, divinitatem perpendere non valebant. Unde et Dominus illis ad utrumque respondit, videlicet de humanitatis fragilitate, et de divinitatis majestate. *Clamabat enim docens in templo: Et me scitis, et unde sim scitis.* Hoc de sua dixit humanitate, secundum quam et locum nativitatis ejus, et parentum nobilitatem, et vultus effigiem noverant. Sciebant ergo eum quia de regali stirpe descenderat, et nobilitatis lampade illustris latere non poterat. *Et a me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.* Hoc ad suam retulit divinitatem, secundum quam ignorabant eum esse Dei Filium, et a Patre missum in mundum. Nesciebant etiam Deum Patrem, qui verus est ipsius genitor veritatis, quem nesciebant, quia ignorantes Filium, nec in eum credentes, ad Dei Patris notitiam pervenire non merebantur. Denique subjungit: *Ego autem novi eum.* Si ergo eum noscere vultis, a me quærite ut sciatis, quia ab illo sum, et ille misit. Pulcherrime et quam brevissime divinitatem simulque humanitatem suam complexus est: *Ab ipso*, inquit, *sum*, quia Filius de Deo Patre natus sum. Nam quidquid est Filius, ab ipso est, et ei debet cujus est Filius. *Et ipse me misit*, hoc est, incarnari constituit, hoc est, quod me videtis, quod me præsentem attenditis. Cum autem audiamus Deum Patrem misisse Filium, ne cogitemus naturæ dissimilitudinem, sed Patris auctoritatem. *Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora ejus.* Nemo, inquit, in eum misit manus, hoc est, nullus vim fecit, nullus eum capere præsumpsit, quia nondum venerat hora ejus, hora videlicet voluntatis ejus. Sicut enim voluntate natus, sic et sua voluntate passus est. Nam sicut ante sæcula præordinavit matrem virgineam de qua nasceretur, sic etiam præscivit et præelegit mortem quam pateretur, et tempus quando pateretur. Hujus horæ reminiscens dum penderet in cruce, dixit: *Consummatum est: et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* xix). Non ergo potuerunt eum Judæi comprehendere, quia ipse mortem suam et ministros mortis suæ in sua habebat potestate, ac cum ipse voluit pati, etiam, si voluissent a nece ejus Judæi abstinere, non potuissent. In altero igitur misericordia, in altero veritas prærogata est. Misericordia quidem in humilitate carnis, qua pati voluit; veritas in potestate divinitatis, qua donec ipse voluit comprehendi nequivit. Utrumque propter nostram salutem gestum est, propter quos homo factus fuerat, qui hominem creaverat, ne periret quod fecerat. Non ergo simus ingrati tantis beneficiis, quæ ab ipso immeriti accepimus et indigni. Obediamus præceptis ejus, ut simus compotes promissionis ejus. Quæramus spirituali desiderio vultum ejus, quæramus faciem ejus semper. Quæra-

Digitized by Google

mus eum, non sicut Judæi, ut eum occidamus, sed A ut ab ipso vivificemur. Quæramus non ut eum a nobis expellamus, sed ut cum eo in perpetuum maneamus. Tu autem.

## HOMILIA C.

### IN FERIA QUARTA POST *Lætare*.

*In illo tempore præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* etc. (*Joan.* IX).

Venerat Filius Dei ad solemnitatem Scenopegiæ, et novissimo die ejusdem festivitatis stans in templo, docebat populum qui ad diem festum confluxerat. Redarguebat Judæos infideles, et de mysteriis suæ divinitatis instruebat fideles. Sed miseri, et totius B boni inimici Judæi, verba illius ferre non valentes, ad lapides confugerunt, quærentes obruere quem non poterant intelligere. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Necdum quippe venerat hora quam præfinierat passioni, quia non in Scenopegia, sed in Pascha pati disposuerat. *Præteriens ergo Dominus*, sicut nunc Evangelista loquitur, *vidit hominem cæcum a nativitate*, hoc est, cæcum natum, quem mater de tenebris uteri profuderat in noctem mundi. Vidit, inquit, illum, id est, misertus est illius Videre enim illius, misereri est. Hinc scriptum est : *Respexit Dominus Petrum* (*Luc.* XXII). *Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Noverant sancti apostoli, ob multas causas dispensatione Dei dari C infirmitates hominibus, aliquando propter purgationem peccatorum, aliquando ad probationem, nonnunquam ad virtutum custodiam, sed ignorabant qua harum causa homo ille cæcus natus fuisset, ideoque interrogaverunt Dominum quasi magistrum, ut ab eo discerent quod nesciebant. *Respondit eis Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus.* Quid est quod dicit Salvator, neque illum neque parentes ejus peccasse? Si enim nullus hominum sine peccato, quomodo parentes cæci non peccaverunt? Nunquid etiam vivendo et conversando in mundo, non plura peccata addiderant? Si ergo hic et parentes ejus peccatum habebant, quare Dominus dixit, Neque hic peccavit, neque parentes? Sed sciendum D quia Dominus ad rem de qua fuerat interrogatus respondit. Illi enim interrogaverant utrum de suo, vel parentum peccato cæcus natus fuisset. Ad hoc respondit Dominus neque illum neque parentes ejus peccasse hoc, nimirum ut ille cæcus nasceretur. Habebant ergo ipse et parentes ejus peccata innumera, sed non propter illa ipse cæcus editus erat. Quare ergo? *Sed*, inquit, *ut manifestarentur opera Dei in illo.* Veritatis magister docet, quod ad hoc sic natus sit, ut opera Dei manifestarentur in eo, quatenus ab ingenita cæcitate illum liberando, et lumen restituendo, Filium Dei se esse omnibus aperte monstraret. *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* Sicut ubique, ita et nunc omnem gloriam Deo Patri attribuit, ejus se dicens opera facere, cujus erat filius. Ista erant opera Dei Patris, propter quæ Dei Filius venerat, illuminatio videlicet et sanatio generis humani. Nam per illuminationem hujus cæci, illuminatio significabatur humani generis. Miracula denique nostri Redemptoris, ita juxta litteram facta creduntur, ut mystice considerata, aliquid innuant faciendum. Cæcus ergo iste genus humanum præsignat, quod in primo parente cæcatum est, quia ex illo omnes traximus non solum originem mortis, sed etiam iniquitatis. Et bene non solum cæcus, sed etiam cæcus a nativitate dicitur, quia omnes homines (excepto illo qui de virgine natus est) cum peccato originali nascimur, et gravissima cæcitate depressi, in mundum venimus quam cæcitatem de radice primi parentis contraximus. Qui bene videns conditus fuerat, sed diabolicis persuasionibus obtemperando, cæcitatem incurrerat, quam in omnes suos posteros transmittebat. Præteriens autem Dominus vidit cæcum. Non enim stans, sed præteriens vidit, quia in similitudine carnis apparuit, sed in via peccatorum non stetit; *quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Hinc est quod, secundum alterius loci parabolam, Samaritanus secus saucium venit. Quod enim ibi per saucium, hoc significatur hic per cæcum. Et quod ibi dicitur, *venit*, hic, *præteriit*. Venit ergo Dominus secus saucium, et præteriens vidit cæcum, quia appropinquavit viæ mortalitatis nostræ, non tamen fixit vestigium in via peccatorum. Venit enim ut cæcitatem peccatorum nostrorum tolleret, non ut eam susciperet. Hæc ergo opera Patris se dicebat oportere operari, quia venerat quærere perdita, restaurare corrupta. *Donec*, inquit, *dies est. Venit nox quando nemo potest operari.* Quam diem vellet intelligi, definite expressit, cum subjungit : *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Sed quid est quod dixit : *Me oportet operari donec dies est?* Nunquid enim tantummodo operatus est, quando præsentia corporali fuit in mundo? Si enim hoc receperimus, jam post ejus ascensionem est illa terribilis et metuenda nox in mundo, in qua nemo potest operari. Et recte ipse alibi repromisit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Si ergo est cum sanctis usque ad consummationem sæculi, utique semper operatur usque ad finem sæculi. Qui enim tunc præsentia corporali fuit in mundo, nunc divina potentia ubique præsens est mundo. Quærendum ergo quæ sit ista nox, qua nemo potest operari? Nox ista impiorum est, quibus dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Nox ista erit, quando damnatis omnibus reprobis, nullus jam locus pœnitentiæ, nulla facultas veniæ restabit, quia in inferno nemo confitebitur Domino. Operatur ergo Dominus donec dies est, quia dum hic vivimus, exspectat et hortatur ad confessionem, et punire detrectat, adest omnibus invocantibus se in veritate. Venit nox qua nemo

Digitized by Google

potest operari, quia finito mundo, receptis cœlo electis, clauso ostio, vanus labor est, et sera pœnitentia. Clamantibus enim : *Domine, Domine, aperi nobis*, respondebit: *Nescio vos: discedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII). Proinde audiamus Apostolum dicentem : *Dum tempus habemus operemur bonum* (*Gal.* VI). Nunc est tempus operandi bonum, tunc vero recipiendi quod fueris operatus. Sed videamus quid Dominus fecerit. *Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit super oculos ejus, et dixit : Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus.* Mirabilis et ipsa sui novitate stupenda cæci curatio, magnum, si intelligamus, commendat mysterium. Exspuens quippe in terram fecit lutum, et oculos cæci inunxit. Sputum quod a capite in os defluit, divinitatem Christi significat, quia caput Christi Deus. Et Sapientia loquitur : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* (*Eccli.* XXIV). Et Salomon de ipsa : *Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam majestatis est ejus sincera* (*Sap.* VII). Lutum de terra, caro Christi est. Exspuens ergo in terram lutum fecit, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Inunctus jam cæcus nondum videt, donec venit in natatoria Siloe, quod interpretatur *missus*. Non vacat a mysterio, quod evangelista hujus nominis posuit interpretationem, quod inquiens interpretatur missus. Quis enim missus nisi ille qui dicit : *Non veni a meipso, sed a Patre missus sum?* Christus enim vere est missus, quia nisi ille fuisset missus, nullus nostrum a peccato fuisset dimissus. Piscina ergo illa, baptismus est Christi. Lavit cæcus in piscina Siloe, quod interpretatur missus, et illuminatus est, quia in Christo baptizati illuminantur. Cum ergo inunctus est, quasi catechumenus factus est ; sed egebat lavari, id est, baptizari, ut illuminaretur. Catechumenus vero inungitur ut doceatur. Nam catechumenus Græce, Latine instructus dicitur. Baptizatur vero, ut verum lumen agnoscat, et remissionem omnium peccatorum accipiat. *Itaque vicini, et qui noverant eum prius, quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant quia hic est; alii autem : Non, sed similis ejus est.* Hunc errorem aperti oculi fecerunt ; illuminatus quasi mutaverat vultum. Sed ille non ingratus, nec collati immemor beneficii, dicebat : *Ego sum.* Confitebatur esse se illum. *Dicebant ergo illi : Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et unxit oculos meos, et dixit : Vade ad natatoria Siloe, et lava, et abii et lavi et video.* Bene jam videbat, qui sic gratiam sibi datam annuntiabat. Jam ergo evangelizabat Christum, prædicat illuminatorem suum. *Dicebant ergo ei : Ubi est ille? Ait : Nescio.* Adhuc inunctus, necdum spiritualiter erat illuminatus. Prædicabat autem Christum, sed quem prædicaret ignorabat. Nam ut supra ille ait homo, nesciens Deum dicere, quia quasi catechumenus erat, et doceri necesse habebat. *Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat au-* A *tem sabbatum in die illa, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. Iterum ergo Pharisæi interrogabant eum quomodo vidisset. Ille ergo dixit eis : Lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Non omnes hoc dicebant, sed quidam. Jam enim inungebantur, jam veritas eorum cordibus subrutilare incipiebat. Isti vero qui Dominum reprehendebant, potius cæci erant, nec inuncti erant, nec videbant. Reprehendebant enim Dominum, quod non custodiret sabbatum, cum ipse perpetuo ab omni servili opere vacaret, quia peccatum non fecit. Hoc est namque spiritualiter sabbatum custodire, feriatum esse a peccato, quod est opus servile, *quia omnis qui facit* B *peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Sed illis ista dicentibus, alii qui jam illuminationi appropinquabant, dicebant : *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.* Schisma Græce, Latine scissio. Scissi ergo erant, quia pars veritati assentiebat, et pars falsitati applaudebat. Christus dies inter lucem et tenebras divisus est. *Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de eo qui aperuit tibi oculos?* Interrogabant quid de suo illuminatore sentiret, ut occasionem invenirent qua eum de synagoga projicerent. Sed ille quid de eo existimaret, constanter aperuit. Ait enim : *Quia propheta est.* Necdum in corde illuminatus, sed inunctus tantum, nescit dicere Filium Dei, sed C confitetur prophetam esse, nec tamen errans per omnia, fallebatur. Ipse enim de se ait : *Non capit prophetam perire extra Hierusalem* (*Luc.* XIII), et *nemo propheta sine honore, nisi in patria sua. Non crediderunt de illo, quod cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est : quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis ejus aperuerit oculos, nescimus. Ipsum interrogate : ætatem habet, ipse de se loquatur.* Videbant enim et sibi et illi calumniam strui, et ideo dicunt : *Scimus quia hic est filius noster et quia cæ-* D *cus natus est.* Si autem vultis scire quomodo nunc videat, ipsum interrogare debetis, quia ætatem habet, olim loquitur. Juste quippe pro infante loqui cogerentur, quia infans per ætatem loqui rationabiliter non potest. Hæc autem illos non ob ignorantiam, sed ob metum dixisse evangelista ostendit, cum subdit : *Hæc dixerunt parentes ejus, quia timebant Judæos.* Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum profiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Pro magno apud illos tunc temporis ducebatur, si quem de synagoga ejecissent. Sicut enim modo homicidæ, vel adulteri, vel cæteris capitalibus criminibus rei, ab Ecclesia pelluntur, ita tunc confessores Christi a synagoga Judæorum eliminabantur. Hoc metuebant incurrere parentes cæci nati,

Digitized by Google

Ideoque dixerunt : *Ipse de se loquatur. Vocaverunt* A *rursum hominem qui cæcus fuerat, et dixerunt ei : Da gloriam Deo.* Gloriam Deo dare est veritatem de aliqua re quasi præsente Deo loqui. Sed isti volebant ut negaret Christum. Nam quid est aliud dicere, da gloriam Deo, quam nega donum quod accepisti? cum certe hoc non sit gloriam Deo dare, sed eum blasphemare. *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Sic illum volebant dare gloriam Deo, ut, sicut ipsi, diceret Christum peccatorem. Sed ille, ut neque pateret calumniæ, neque veritatem subcelaret, non dixit, Scio eum justum, sed respondit : *Si peccator est nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* Ille qui toties interrogatus, toties responderat, jam quasi quodam tædio affectaretur, B propter illorum duritiam et incredulitatem, cum quadam aporia respondit : *Dixi vobis jam et audistis; quid iterum vultis audire? Nunquid et vos vultis ejus discipuli fieri?* Quia enim ipse jam credebat, jam Domini discipulus factus erat, ideo dicebat : Nunquid et vos, sicut ego, vultis in eum credere, et discipulatui ejus inhærere? *Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis.* Maledictum hoc veniat super nos Christianos. Si enim cor eorum intuearis, maledictum est, quia hoc maledicentis affectu protulerunt. Si verba ipsa perpendas, exoptabilis est benedictio. Quis enim non desideret discipulus esse Christi? *Nos,* inquiunt, *Mosi discipuli sumus.* Falluntur, semetipsos decipientes. Nam si discipuli Mosi essent, crederent Mosi annuntianti Christum, et co- C gnoscerent eum qui per Mosen prænuntiatus est. Sic enim ait Dominus : *Si crederetis Mosi, crederetis et mihi* (*Joan.* v). *Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit.* Despicientium verba sunt. Nam quomodo nesciebant unde esset, cum et ubi natus fuisset, et de qua tribu esset, nossent? Hinc et supra dixerunt : *Sed hunc scimus unde sit.* Tale quid et in libro Regum legimus : Cum enim David adolescens Goliam viris fortibus formidabilem stravisset, ait Saul ad Abner : Cujus est iste puer, Abner (*I Reg.* xvii)? Certe armiger ejus fuerat, citharam coram eo crebro percusserat, et tunc quis esset interrogabat. Quasi enim non agnoscebat, in quo ætatem adolescentis et habitum pastoralem contemnebat. Simili modo miserandi homines, Dei Fi- D lium cernentes hominem, in tantum contemptibilem et novissimum judicabant, ut dicerent : *Nescimus unde sit,* consueto more hominum, qui quos abjiciunt, nescire se dicunt. *Respondit ille et dixit : In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos.* Tanquam diceret : Hic quem vos nescire vultis, latet humilitate, proditur signorum virtute. Nescitur unde sit, et sicut Deus cæcos videre facit. *Scimus autem, quia Deus peccatores non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Tanquam inunctus, et necdum illuminatus loquitur : exaudit namque Deus etiam peccatores. Denique exauditus est publicanus, qui in templo Dei a longe stans, et oculos in terram demittens, pectusque pugnis percutiens, dicebat : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xviii). Qua confessione sic exauditus est, ut justificatus a templo rediret, qui injustus venerat ad templum. Exaudiuntur ergo, ut dictum est, peccatores, si resipiscant a peccatis, si mala præterita lacrymis abluant, et ex corde abnegent se esse quod fuerunt. *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati, nisi esset hic a Deo, non posset facere quidquam.* Ingens fiducia, libera constantia. Principes sæviebant, ille indignatione eorum postposita, confessus est veritatem. Quis enim alius tanta et talia faceret, nisi Deus? Sed et si qui sunt qui aliquando fecerunt, ab ipso ut facere possent habuerunt. Ipse enim dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). *Responderunt et dixerunt : In peccatis natus es totus,* id est, cum clausis oculis. Improperant enim ei, quod propter parentum peccata sic natus sit. Sed qui oculos aperuit, totum salvavit, quique foris illuminavit, ipse cor illius ab omni iniquitatis nubilo purgavit? *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Ipsi certe eum interrogaverunt, ipsi coegerunt, ut diceret quid de Christo suo illuminatore sentiret, et nunc confitentem arguunt, et de synagoga propellunt. Nam sequitur : *Et ejecerunt eum foras.* Illi quidem eum ejiciebant, sed Christus suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cum ejectus est de consortio inimicorum Christi. *Audivit namque Deus, quia ejecissent eum foras : et cum invenisset eum, dixit illi : Tu credis in Filium Dei?* Sed ille, qui eum tantum corporeis oculis videbat, corde nondum intelligebat. Respondit : *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Quibus verbis ostendit jam dudum se paratum cor ad credendum habuisse, sed in quem deberet credere ignorasse. *Ait illi Dominus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est.* Jam Dominus inuncti faciem lavat, jam cordis oculos illuminat, denique ille lotus et illuminatus spiritualiter respondit : *Credo, Domine.* Sed hoc parum fuit. Non sufficit credere, quia etiam *procidens adorat eum,* per hoc quodammodo contestans Deum credere, quem adorabat. Sed inter hæc, quid nobis superest, qui ista legimus, propter quos etiam scripta sunt? *Quæcunque enim scripta sunt,* ut ait Apostolus, *ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* xv). Quid igitur nobis agendum est, nisi ut ea quæ in Scripturis legimus, vel audivimus, imitari satagamus? Multum est dicere, ut imitemur Petrum apostolum, cujus vestigiis mare se calcabile præbuit. Non igitur Petrum, non reliquos apostolos nobis in exemplum proponere necesse est, hunc saltem mendicum cæcum jam bene illuminatum imitemur, quem non truculentorum minæ principum, non eatenus gestæ cæcitatis opprobrium, non solum sibi, sed et suis parentibus terribilis ac formidabilis de synagoga ejectio, non hæc neque alia potuerunt seducere, et a confessione veritatis supprimere. Audiamus prædicantem, et bene profitentem, quia si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus fecerit, hunc exaudit. Colamus ergo Dominum, non thuris vaporibus, non taurorum mugientium jugulis, sed

Digitized by Google

gratissimis fidei et dilectionis victimis; faciamus voluntatem ejus, hoc est, mandatum ejus impleamus, et timorem illius, et sanctam spem promissionum ejus in mentibus habeamus, quoniam *beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus* (*Psal.* CXLVI). Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CI.

### IN FERIA QUINTA POST *Lætare.*

*In illo tempore ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa,* etc. (*Luc.* VII). (*Require homiliam Dominica 17 post festum Pentecostes.*)

## HOMILIA CII.

### IN FERIA SEXTA POST *Lætare.*

*In illo tempore erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororum ejus,* etc. (*Joan.* XI).

Inter omnia miracula quæ Dei Filius, ut suam panderet divinitatem, operatus est, supereminet hoc, et quasi quemdam obtinet principatum, quod circa Lazarum fecit. Et quidem singula opera ejus admiratione dignissima sunt. Quis enim non venerabiliter admiratur, quod claudi rectis gressibus incesserunt, quod mutis linguarum claustra soluta sunt, quod cæcorum diu clausa lumina tactu sacræ manus ejus reserata sunt? Quis hæc et plura alia considerans, non divinam potentiam stupens admiretur? Sed hæc omnia parva ad ingentem Christi majestatem videbantur, nisi amicus ejus Lazarus moreretur. Quem idcirco mori permisit, ut eum novo et omnibus sæculis admirando ordine suscitando, sese vitæ mortisque Dominum esse declararet. Accessit etiam ad singularem dignitatem miraculi, speciale meritum dignissimi descriptoris. Nullus quippe alius omnium evangelistarum hoc descripsit, sed soli dilecto Domini Joanni reservatum est: quia nimirum res tam unica et tam egregia nullum alium, quam dilectissimum Christo virginem habere debuit relatorem. Verum quoniam hæc lectio ex majore sui parte per se clara est, et per singula expositione non eget, capitulatim magis quam verbatim eam explanandam suscepimus, ut ad ea quæ magis necessaria sunt, veniamus. Denique supra legitur, quod cum esset Dominus in templo, et in porticu quæ Salomonis appellatur doceret, non ferentes Judæi verba divinitatis ejus, sustulerunt lapides ut lapidarent eum; Dominus vero inter manus se lapidare volentium illæsus exivit de templo, et abiit trans Jordanem ubi prius fuerat Joannes baptizans. Cum ergo ibi esset, infirmabatur Lazarus in Bethania, quod erat castellum Mariæ et Marthæ, proximum Hierosolymis. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit capillis suis pedes ejus.* Quoniam tunc temporis plures erant hujus nominis, ne erremus in nomine, ostenditur ex notissima actione. Ipsa enim est Maria quæ quondam, ut Lucas evangelista narrat superius, peccatrix veniens ad pedes Domini, perunxit,

A lacrymis rigavit, capillis detersit, sicque multorum criminum veniam a Domino promeruit (*Luc.* VII). Miserunt ergo ad illum quoniam absens erat trans Jordanem, nuntiantes quod frater illarum Lazarus infirmabatur, ut tam sibi quam fratri succurreret, et istas dolore, illum ægritudine liberaret. Sed videamus quid nuntiantes dixerunt: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Non dixerunt: Veni ut languentem sanes; non hoc certe ausæ sunt dicere: sufficiebat illis, si tantum nosset quod infirmaretur, sciebant enim quod non desereret quem amabat. *Ecce,* inquiunt, *quem amas, infirmatur.* Tanquam dicerent: Satis est ut hoc noveris, Domine, nec opus est ut ad nos veniens fatigeris. Ibi præcipe, et hic quod jusseris fiet. *Audiens autem Jesus, dixit: Infir-*

B *mitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Quare dicis, Domine, ad mortem non est, cum Lazarus inevitabiliter sit mortuus? Noverat et hoc Dominus, et ut sic fieret ipse voluerat, sed post mortem eum suscitare decreverat. Quod ergo respondit, *infirmitas hæc non est ad mortem,* tale est ac si dicatur: Mors hæc non est ad mortem. Non enim moritur, ut sicut cæteri homines mortui, a morte teneatur, sed ut mirabiliter resuscitetur. Pro gloria Dei, ut Filius Dei glorificetur per eam, subaudiendum, infirmitatem. Hæc autem glorificatio non ipsum auxit, qui summe perfectus est, et proficere non novit, sed nobis profuit, quatenus per hoc tantum miraculum in eum credere-

C remus, et æternam animæ mortem evaderemus. Sed videamus diligentius quid dixerit: Ait enim: *Pro gloria Dei;* deinde adjunxit, *ut glorificetur Filius Dei per eam.* Ergo Filius Dei, Deus. Hoc contra hæreticos, qui dixerunt Christum non esse natura Deum, sed gratia. Unde quidam illorum dixit: Non invideo Christo facto Deo, hoc et ego fieri possum si volo. *Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* Ille languebat, ille dolebat, sed spem maximam habebant, quia diligebatur ab eo qui et dolentium est consolator, et languentium sanator, ipsorum etiam mortuorum suscitator. *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Noluit tunc Dominus venire, distulit sanare, ut posset mirabilius resuscitare. Mansit ergo illic donec quatriduum impleretur.

D *Denique post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.* Territi sunt discipuli, quod audiebant illum velle iterum in Judæam venire. Noverant conspirationem immanissimam, qua illum Judæi persequebantur, et morti tradere laborabant, idcirco dicebant ei: *Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc?* Respondit eis, qui humanam rabiem timere non poterat: *Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit quia lux in eo non est.* Audierant sancti discipuli Dominum in Judæam iterum velle venire, ac formidantes ne bonus magister a Judæis comprehenderetur, quasi consilium ei dare,

Digitized by Google

et ab incœpto revocare volebant. Non adhuc perfecte intellexerunt dispensationem propter quam venerat. Ad hoc enim Deus hominem induerat, ut pro salute hominum moreretur. Sic et beatus Petrus cum audisset Dominum de passione sua loquentem, quasi revocare eum volens, dixit : *Absit hoc a te, Domine; non morieris* (*Matth.* XVI). Cum ergo apostoli Domino consulere quodammodo vellent, redarguit eos dicens : *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Se profecto diem appellavit, qui est dies ex die, lumen de lumine, quique de se alibi dicit : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Et ut se diem ostenderet, duodecim apostolos elegit. De quibus nunc dicit : *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Ac si diceret : Vos qui estis horæ diei, quare sic consilium dare vultis? Horæ diem sequuntur, et die moderante peraguntur. B Sed forte dicat aliquis : Judas ex duodecim unus erat: numquid et ipse hora diei erat, qui ipsum diem tradidit ad mortem? Sed quando hoc Dominus dicebat, non ipsum Judam attendebat, sed Matthiam in locum illius prævisum eligebat. Denique Juda in locum sibi debitum abeunte, electus est Matthias apostolus, et sic perfectus mansit numerus apostolicus. Christus ergo dies est, et qui in hac die ambulaverit, errare non poterit. Illi enim adhæret qui dixit : *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Nam qui sine hac luce est, errare potest, ambulare non potest. *Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* Mortuus quidem erat, sed Christo vivebat. Nullus quippe tanta C facilitate posset aliquem excitare a somno, quanta Christus Lazarum resuscitare valebat a tumulo. Denique et omnes defuncti (si potentiam Dei consideres, a quo in novissimo sunt resuscitandi) dormientes possunt vocari, juxta quod Apostolus dicit : *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus* (*I Thes.* IV). Et alio loco : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV). *Dicunt autem ei : Domine, si dormit, salvus erit.* Sicut verba Domini intellexerunt, sic responderunt. *Si dormit*, inquiunt, *salvus erit.* Solet enim somnus in ægrotante juvene indicium esse salutis. *Et Dominus quidem dixerat de morte ejus : illi autem intellexerunt quia de dormitione somni dixerat. Tunc dixit eis Jesus manifeste : Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Lazarus languens, non D mortuus fuerat nuntiatus : sed quid latere posset cum cujus oculis omnia nuda et aperta sunt? Quomodo ignoraret mortem Lazari, qui ipsum Lazarum creaverat? Gaudebat igitur propter discipulos, qui mirabantur sic eum cuncta nosse; nam per hoc verum Deum certius et manifestius eum esse credebant. Licet enim jam crederent, tamen talis erat illorum fides, quæ adhuc proficeret, quæ miraculis ædificata cresceret. *Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum illo.* Quibus verbis verum prodit amantis affectum. Amabant quippe apostoli incomparabi-

A liter Dominum, quia eorum vita ex illius præsentia pendebat, adeo ut aut cum eo vivere, aut certe cum eo mori jucundum haberent. *Eamus*, inquit, *et moriamur cum eo.* Quia videmus, inquit, eum ad inimicos properare, et ad mortem ; neque a tali consilio valemus revocare : eamus et nos ut cum eo moriamur, ne post ejus necem et deserti et inconsolati remaneamus. *Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies in monumento habentem.* Sic ipse voluerat, ad hoc antea venire distulerat, ut illud quatriduum impleretur, et gloriosius resuscitaretur. Sed quoniam ea quæ sunt ad litteram, satis patent per se, ad indagandum mysterium ascendamus. Significatur ergo per hunc Lazarum peccator aliquis, qui jam non solum peccavit, verum etiam peccandi consuetudinem recepit. Sed fortassis aliquis tacitus dicat: Quomodo Lazarus typum peccatoris gerebat quem sic Dominus amabat? Sed solent aliquando significationes rerum ex contrario accipi. Denique David rex et propheta adulterium in Bethsabee uxore Uriæ admisit, et ipsum fidelem et innoxium militem suum, gladio filiorum Ammon interfecit (*II Reg.* XI). In quo facto si respicias historiam, quis dubitet Uriam innocenter occisum, merito justitiæ et innocentiæ, David adultero et homicidæ præferendum ? Sed si arcanum interroges mysterium, per Uriam diabolus, per David ex contrario intelligitur Christus. Verumtamen cum hoc non idcirco merita diversarum partium depreciantur. Et sæpe videtur nomen diaboli deterrimum auro scriptum, nomen vero Christi splendissimum atramento fœdatum. Ergo per Lazarum, ut præmisimus, peccator aliquis figuratur. Amabatur a Christo, quia Christus pro peccatoribus suam dignatus est exhibere præsentiam. Ipse enim dixit : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX). Quærendum nunc quid designetur per quatuor dies, quibus mortuus in sepulcro jacebat. Omnis homo moriturus, nascitur cum peccato originali. Hinc Apostolus dicit : *Quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* V). Hæc est prima dies mortis, quam dedit origo propaginis. Deinde nascendo adolescit homo, venit ad annos rationis capaces, incipit in se habere naturalem legem, qua docentur naturaliter homines, ut quod sibi fieri nolunt, aliis non faciant. Sed et hanc transgrediuntur, et pati furtum nolunt, et furtum faciunt, ecce altera dies mortis. Accessit adhuc lex data per Moysen. Præcipitur namque ibi : *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies; honora patrem tuum et matrem* (*Exod.* XX). Scripta est hæc lex, sed ipsa quoque contemnitur : et sic jam est quasi tertia dies mortis. Post hæc omnia venit Christus, attulit evangelium, prædicavit regnum, male facientibus minatus est gehennam, bene viventibus vitam promisit æternam. Quid plura ? Etiam evangelium contemnitur, et est quarta dies mortis. Possunt et aliter hi quatuor dies exponi. Diximus namque per Lazarum figurari peccatorem qui jam mala peccandi consuetudine et desperatione sepultus est. Ad consuetudinem vero peccati quarto

Digitized by Google

quodam progressu pervenitur. Primo enim est titillatio in corde, secundo consensus, tertio factum, quarto consuetudo. Quidam enim cum illicita cogitatione pulsantur, ita eam a corde repellunt, ut penitus nulla mala delectatione moveantur. Quosdam delectant quædam, sed non adducuntur ut consentiant ad delectationem; accedit consensus, et sic in opus erumpitur. Jam factum in consuetudinem vertitur, et impletur illud mortis quatriduum, et quasi quædam fit desperatio, ut dicatur, jam fetet, quatriduanus enim est. *Martha ergo ut cognovit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Quam moderatis verbis utitur, quæ ita temperanter dolet interitum fratris? Non enim dixit: Rogo te ut suscites, sed tantum, *scio quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Tanquam diceret: Certa quidem sum quia potes; scio potentiam in te esse indeficientem, sed si vis, facis. Non ergo præsumo a te petere ut facias, quia nescio si velis. *Dicit ei Jesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Dominus quidem in præsenti fratris resurrectionem promittebat: sed Martha de ea resurrectione qua omnes homines resurrecturi sunt, eum dixisse putabat. Viderat certe crebro Dominum mortuos suscitasse, sed tantum erat quantum nec ipsa fides ausa est tentare. De illa resurrectione secura erat, de hac autem incerta manebat. *Dicit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita.* Ac si diceret: Quare dubitas nunc fratrem posse resurgere, cum ego, qui sum resurrectio et vita, illum resurrecturum promittam? Per quem resurget quando resurrecturi sunt et cæteri homines, per eum potest et modo resurgere. Ipse ergo est resurrectio et vita, quia per eum resurgimus a peccato, ut vivamus justitiæ. *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet,* hoc est, si mortuus fuerit in carne, vivet spiritu. Non est enim Deus mortuorum. De morte enim corporis hic loquitur. Quicunque enim in Christum credit, et secundum quod credit, vivit, etiam si carne moriatur, universale cunctorum hominum persolvendo, vivit tamen in anima Christo, qui vita est animæ, inhærendo. *Et omnis,* inquit, *qui vivit,* subaudiendo in carne, *et credit in me, et si mortuus fuerit* ad tempus morte corporis, *non morietur in æternum,* propter vitam spiritus, et immortalitatem resurrectionis. *Credis hoc?* Sciebat hoc, quem nil latere potest quod crederet, sed confessionem qua salvaretur quærebat. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (*Rom.* x). *Ait illi: Utique, Domine. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Cum ergo credidit eum Filium Dei, credidit vitam et resurrectionem, quodque omnis qui in eum crederet, in æternum non morietur. Nam supra Dominus utrum hoc crederet, interrogaverat. *Et cum hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens:*

A *Magister adest, et vocat te.* Silentium hic suppressam vocem dixit: *Magister adest, et vocat te. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in loco illo ubi occurrerat ei Martha. Judæi igitur qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: quia vadit ad monumentum ut ploret ibi.* Putantes enim Judæi qui ad ipsam consolandam convenerant, quod ad fratris tumulum properaret, lacrymis solatium quæsitura, et dolori suo fletibus satisfactura, secuti sunt eam, divina id agente providentia, ut plures tam præclarum miraculum quatriduani mortui resurgentis cernerent, sicque in Christum crederent. *Maria ergo cum venisset ubi erat Dominus, vidit eum, et*
B *cecidit ad pedes ejus, dicens: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ac si queratur, dicens: Dum nobiscum præsens fuisti, non mors, non infirmitas aliqua nobis appropinquare ausa fuit, apud quos vitam hospitari noverat. At ubi abscessisti, adfuit invidia, morsque fratrem nostrum adhuc positum in sæculo acerbo funere rapuit; quod si tu adfuisses, amicus tuus Lazarus mori non potuisset. *Jesus ergo ut vidit eam plorantem et Judæos qui cum ea venerant plorantes, infremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit: Ubi posuistis eum?* O fremitus pietatis! o turbatio turbatorum sublatura mœstitiam, et æternam prærogatura lætitiam! Turbavit ergo semetipsum Dominus potestate, quia nullus alius poterat eum turbare. Turbatus est, quia ipse voluit: sicut
C mortuus est, quia mortem ipse ad se venire permisit. Sed magnum aliquid in hac sua innuit perturbatione. Diximus supra per Lazarum quatriduanum, peccatorem significari desperatum, et longa peccati consuetudine quasi mole sepulcri depressum, ac mala opinione fetentem et tabidum. Suscitaturus eum Christus infremuit, et turbavit se, ut ostendat, eum qui talis est, perturbari et ingemiscere debere, atque intimo cordis rugitu fremere, et attendere quæ fecit, et sic secum agere: Quid mihi misero contigit? dimissa erant mihi in baptismo omnia peccata: sed ecce post lavacrum sanctum pejus sordidatus sum, post medicinam gravius vulneratus, peccavi graviter, sed nec unquam peccatis meis terminum ponere vo-
D lui, et semper me Dei clementia ad pœnitentiam exspectavit, et peccantem statim punire noluit; tamen ego miserrimus, et æternis cruciatibus dignus, ejus mansuetissimam lenitatem semper novis atque recentibus sceleribus irritare non verebar. Quando ista peccator secum plangit, jam fremit et turbatur in eo Christus. Ad hoc enim nunc fremuit, ut doceret peccatorem fremere, et peccata sua accusare debere, si vult ad vitam animæ redire. *Ubi,* inquit, *posuistis eum?* Nunquid ignorabat ubi positus esset, quem resuscitare volebat? Sed interrogat, ut ostenderet solum ea se cognoscere quæ justa et sancta sunt, peccatorem vero ignorat, quia reprobat. Unde Adæ post peccatum dicitur: *Ubi es* (*Gen.* III)? Et reprobis in judicio dicturus est: *Nescio vos unde sitis* (*Luc.* XIII,

Digitized by Google

*Matt.* XXV). Quid est enim dicere, nescio vos, nisi vos in luce justitiæ non agnosco? *Dicunt ei: Domine, veni et vide*, hoc est, miserere. Videre namque ejus, misereri est. *Et lacrymatus est Jesus*, quia fons pietatis erat. Sed illæ lacrymæ inexplicabile gaudium erant pariturae. Hinc pulchre Sedulius:

Lacrymis implevit amicum
. . . . . . . Majestate Deum.

Flebat enim eum pro parte humanitatis, quem resuscitare poterat per potentiam divinitatis. Lacrymatus est etiam Dominus ea de causa, qua superius fremuit et turbatus est, ut peccatores doceret fletibus et lacrymis indigere profusis. *Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Poterat hoc certe Dominus, sed permisit ut Lazarus moreretur, quatenus majore miraculo suscitaretur. *Jesus autem iterum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.* Per lapidem quo mortuus premebatur, figuratur lex, qua peccator reus condemnatur. Et bene lex per lapidem accipitur, quia in lapideis tabulis scripta fuit. Mortuus ergo sub lapide, reus est sub lege. Nam hi qui bene vivunt, sub lege non sunt, *quoniam justo lex non est posita, sed injustis ac peccatoribus* (*I Tim.* I). Hunc lapidem Dominus jussit removeri, quando gratiam sancti evangelii jussit per totum orbem prædicari. *Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus erat: Domine, jam fetet, quatriduanus enim est.* Jam quasi desperabat, potiusque timebat remoto lapide fetorem excitari, quam fratrem posse resuscitari. *Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* cum videlicet quatriduanum et fetidum suscitavero. Sed et cum desperatus aliquis a sepulcro peccatorum eripitur, Dei potentia ab intuentibus prædicatur, *quia ubi abundavit iniquitas, superabundat gratia. Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Quibus verbis quid aliud quam gloriam Dei Patris in hoc, ut in aliis operibus requirebat? Nam quia per humanitatem minor erat Patre, ab illo Lazari quærebat resuscitationem, atque ab eo se dicebat exauditum, et hoc propter circumstantem turbam, ut eum vel sic crederent Dei Filium, et ab eo missum, quoniam Patrem Filii compellebat affectus. Jam inferi turbabantur, jam sub pedibus Domini reseratus patuit infernus. Omnes mortui exspectabant nomina sua vocari. *Clamabat ergo Jesus voce magna, dicens: Lazare, veni foras.* Uno nominatim vocato, cæteri recepti sunt. Sed quanta in hujus mortui resuscitatione facta esse dicuntur? Fremuit Dominus, flevit, turbatus est, voce magna clamavit, quia videlicet difficile et cum clamore a peccati morte resurgit, quem moles malæ consuetudinis premit. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et facies ejus sudario erat li-*

A *gata. Dicit eis Jesus: Solvite eum, et sinite abire.* Potuit quidem Dominus quem vellet mortuum sine clamore resuscitare, sed noluit secreti gratia sacramenti. Ad magnam enim vocem Domini surgit mortuus, quando magna Dei gratia resipiscit peccator. Prodit de monumento, quando confitetur peccata sua, sed tamen adhuc ligatus est, adhuc reus, nec suis viribus absolvi potest. Præcipit ergo Dominus discipulis ut eum absolvant, et abire sinant, quia ipsis et reliquis ministris sanctæ Ecclesiæ et successoribus eorum, data est potestas dimittendi peccata. Ait enim: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVIII). Simul etiam commendata est hoc loco unitas Christi et Ecclesiæ. Quia etenim Christus caput est, et Ecclesia corpus ejus,
B Christus suscitat, discipuli solvunt, ut liquide monstretur, neminem sine unitate fidei catholicæ posse a peccatorum morte suscitari. Sane non est hoc loco omittendum quod in sancto evangelio tres tantum mortuos resuscitasse Dominus legitur. Plures quidem resuscitasse mortuos non dubitatur, quoniam quidem beatus Joannes dicit: *Multa alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc* (*Joan.* XX). Sed tres tantum referuntur, certi causa mysterii. Denique suscitavit filiam archisynagogi adhuc intra domesticos parietes constitutam, nec permisit secum quemquam intrare, nisi Petrum, Jacobum et Joannem, et patrem et matrem puellæ (*Luc.* VIII). Suscitavit etiam filium viduæ mulieris, extra portam suæ civitatis delatum, multis
C coram positis et cernentibus (*Luc.* VII). Suscitavit præterea Lazarum jam sepultum, jam fetidum. Ista tria genera mortuorum significant tria genera hominum peccatorum, quos et hodie suscitat Christus. Nam per filiam archisynagogi, quæ intra domum paucis videntibus resuscitata est, designantur hi, qui peccatum intus in conscientia clausum habent, et necdum ad opus prorumpunt. Verbi gratia cum motus est aliquis mala conscientia, deliberat si adsit facultas implere quod illicite concupivit, jam mortuus est, sed intra domum clausus est. Dicit enim Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Necdum corpore ad eam accessit, sed corde consensit: mortuus jam est, sed nondum elatus est. Hic si
D aliquando divina inspiratione deprehenderit malam conscientiam, ponit nequam consensum, reviviscit ad salutem in secreto cogitationis. Sunt alii qui post consensum ad perpetrandum facinus exeunt, et quasi mortuus de latebris animi profertur, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Sed hi tales plerumque divinitus admoniti convertuntur, et ad vitam animæ resuscitantur. Sunt præterea nonnulli qui faciendo quod malum est, etiam se mala consuetudine implicant, adeo ut ipsa mali consuetudo non permittat eos intelligere malum esse quod faciunt, et nonnunquam defendunt malum quod agunt, irascuntur cum reprehenduntur. Hi quasi jam sepulti, et ingenti mole, id est, pondere malæ consuetudinis

Digitized by Google

obruti sunt. Ad hos quippe dignatur Dominus venire occulto suæ misericordiæ instinctu, si tamen habuerint sorores, id est, spirituales animæ virtutes, quarum interventu possunt revocari ad vitam. Verum quamdam ostendit Dominus difficultatem cum fremit spiritu, cum turbat seipsum, cum clamat voce maxima, ut ostendat quod magnæ objurgationis clamoribus opus est adversus eum qui in peccandi consuetudine duraverit. Non ergo de his desperandum est. Ad vocem namque Domini contremuit infirmus, surrexit quatriduanus mortuus, liberatus est peccator, etiam a consuetudine committendi reatus. Sed prius eum intrinsecus per seipsum vivificat, postea per sacerdotum ministerium absolvit. Nullus quippe peccator absolvendus est, antequam per dignam pœnitentiam correctus, et intrinsecus appareat vivificatus. *Multi autem ex Judæis qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit, crediderunt in eum.* Facto tam glorioso et cunctis sæculis prædicando miraculo, non omnes, sed multi Judæorum credidisse dicuntur. Quo loco durissima infidelitas et convertibilis in malo pertinacia nota est. Et revera tantum erat peccatum illorum, ut aliter non possent digne fidem Christi suscipere, nisi prius filium Dei interficerent. Hinc Psalmista : *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine* (*Psal.* LXXXII). Prius enim confusione et ignominia repleti sunt, cum post Christi ascensionem audientes apostolos ejus resurrectionem prædicantes, cœperunt erubescere, et perpendere quantum scelus in nece salvatoris admisissent sicque nomen ejus quæsierunt, cum perculsi timore apostolis dixerunt : *Quid faciemus, viri fratres? indicate nobis.* Quibus beatus Petrus : *Pœnitentiam*, inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (*Act.* II). Sic enim ante sæcula decreverat, ut morte sua illum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum destrueret, ipsosque mortis suæ ministros mortuus sibi subjugaret. Quocirca nos insigni mortis triumphatori gratias dignissima exsultatione solvamus, illum diebus et noctibus laudum præconiis extollamus, præcipue misericordiam illius imploremus quatenus nos ita suis per omnia faciat obedire mandatis, quo nullo in nobis regnante peccato, ipsi mente et desiderio adhærere, atque ad gaudium beatæ visionis mereamur feliciter pervenire.

## HOMILIA CIII.

### IN SABBATO POST *Lætare*.

*In illo tempore dicebat Jesus turbis Judæorum : Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, etc. (*Joan.* VIII).

Postquam Dominus et redemptor noster mulierem in adulterio deprehensam, a sævitia Judæorum se lapidare volentium eripuit, et a reatu adulterii misericordissime absolvit, ne alicui fortassis in dubium veniret, utrumnam is quem verum hominem putabant, posset peccata dimittere, dignatur apertissime quis sit, ex divinitatis potentia demonstrare. Ait enim : *Ego sum lux mundi.* Lux quippe erat incomprehensibilis, et incircumscripta divinitas, quæ sub velamine assumptæ carnis latebat, cujus auctoritate huic mulieri et cuicunque volebat, peccata dimittebat. Hæc est illa *vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I), Dei videlicet sapientia, quæ de illo lumine æterno et indesinenti processit. Cujus splendorem humana fragilitas aliter sufferre non potuisset, nisi se illa sicuti nube carnis circumdedisset, per quam veluti per lucidissimum speculum divini hujus luminis claritatem humanis mentibus innotesceret. Ergo purganda est in interioris hominis acies, et ab omni vitiorum labe quasi humore noxio immunis custodienda, ut veri hujus luminis aspectu digna reddatur. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ac si verbis aliis manifestius diceret : Qui in præsenti meis jussis obsequitur, et mea in quantum sufficit exempla imitatur, in futuro non timebit tenebras æternæ damnationis, sed lumine vitæ æternæ perfruetur, ubi sublato metu mortis, de sola dabitur perennitate gaudere. Hæ sunt metuendæ tenebræ omni nocte tetriores, nec oculis exterioribus quibus alba et nigra videmus, sed interioribus quibus justa et injusta discernimus, quibus non corporeas et visibiles formas aspicimus, sed veritatem intelligibiliter contemplamur. *Responderunt ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum.* Sic ista respondent, tanquam solus ipse testimonium perhiberet, atque verum non esset ejus testimonium, cum constet quia antequam veniret Dominus, et per carnem visibilis appareret, multos testes præmisit, et quasi lucernas spiritu prophetiæ accendit, qui ejus nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem prædixerunt. Ex quibus præcipuus et magnus fuit Joannes Baptista, cujus magnitudinem ipse Salvator attestatur, dicens : *Inter natos mulierum non surrexit major*, etc. (*Matth.* XI). Et alibi idem Dominus eumdem lucernam vocat, dicens : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V). Hic ergo testimonium Domino nostro Jesu Christo perhibuit, dicens : *Ergo vos baptizo, sed qui post me venit, fortior me est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Luc.* III). Sed Judæi ista non attendentes, et horum facti immemores, quasi solus sibi testimonium daret, dicebant : *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Sed audiamus quid eis Dominus responderit : *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum est verum, quia scio unde veni, et quo vado.* Quibus verbis se simul et Deum Patrem ostendit, cui omnem gloriam dabat unigenitus Dei Filius. *Si*, inquit, *ego perhibeo testimonium de me, verum est meum testimonium*, quod Patris testimonio confirmatur. Scio enim unde veni, quia ab eo missus sum ; et quo vado, quia peracto mysterio meæ incarnationis, revertar ad Patrem. Non autem quando ad nos venit, Patrem deseruit, nec rursum quando ad Patrem rediit, terras. Neque enim tale lumen est Christus, quod locis temporibusque comprehendatur

Digitized by Google

sicut sol iste corporeus, qui non potest accedere ad occidentem, nisi recedat ab oriente. Non ita de illo vero lumine, quod est Christus, sentiendum est, quod ubique totum est, quod ubique ineffabiliter lucet. Ipse enim alibi dicit : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I). Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. In terris loquebatur, et apud Patrem se esse dicebat, sed per ascensionem jam recessurus de mundo, promisit fidelibus, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Verum igitur erat testimonium quod de se perhibebat, quia a Patre missus, ejus testimonium habebat, atque hoc impleto, eo unde venerat, redibat. *Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam.* Hoc de primo ejus adventu accipi debet. Duo enim sunt Domini adventus. Primus misericordiæ, secundus judicii ; ille peractus est, iste in fine sæculi futurus est. Si enim primo Dominus judicare venisset, omnes puniendos reperisset. Prius ergo præroganda erat misericordia, post judicium exercendum. Quia et Psalmista dixit : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C), prius misericordiam, post judicium se dixit Domino cantaturum. Per hanc misericordiam factus est pro hominibus homo, opprobria, irrisiones, sputa, flagella, et postremo ipsam crucem sustinuit, ut hominem perditum salvaret. De hoc ergo primo suo adventu, quo misericorditer venerat genus humanum redimere, ait : *Ego non judico quemquam.* Nam de secundo, quo judex venturus est, subjungit : *Et si judico ego, judicium meum verum est.* Unde autem verum esset judicium ejus, aperit cum subdit : *Quia solus non sum ; sed ego, et qui misit me, Pater*, id est, incarnari me constituit. Missio enim ista, incarnatio est. Missus ergo a Patre Filius fuerat, sed a Patre non recesserat. In mundum namque venit per humanitatem, sed mansit cum Patre per coæternam illius divinitatem. Inde ergo verum erat judicium ejus, quia ipse verus erat Dei Filius. *Et in lege*, inquit, *vestra scriptum est : Quia duorum hominum testimonium verum est* (*Deut.* XVII). *In lege vestra*, inquit, *scriptum est* : in lege quæ vobis data est. Sic quotidie dicimus orantes : *Panem nostrum*, id est, quem nobis dari exposcimus. Quærendum vero, quomodo duorum hominum testimonium verum sit. Nunquid illi duo falsi testes non fuerunt, qui in passione Domini falsum testimonium protulerunt? Aut nunquid illi duo presbyteri etiam falsi testes non fuerunt, qui in ipso libro Danielis contra Susannam castissimam falsi criminis testimonium tulerunt (*Dan.* XIII). Sed hoc modo cum in lege diceretur : *In ore duorum vel trium stabit omne verbum*, trinitatis commendatum est mysterium, quæ etiam Susannæ castitati intus in conscientia suo testimonio suffragabatur, cum a duobus presbyteris falso accusabatur. Et est sensus : Si duorum hominum testimonium verum esse vestra lex approbat, qui nonnunquam falsum dicere possunt, etsi non studio mentiendi, tamen errore decepti, dum putant vera esse quæ falsa sunt ; si ergo horum

A testimonium improbare vel rejicere non audetis, qua ratione meum, et Dei Patris, et Spiritus sancti testimonium, quod summa veritate stabilitum est, verum non esse dicere præsumitis? Accipite potius nostrum testimonium, ne sentiatis judicium. *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso.* Ipse de seipso testimonium perhibet, nec requirit alium testem quam seipsum, quia omnia novit etiam antequam fiant, et quidquid ex quo fonte procedat, evidentissime considerat. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, nec ab aliquo requirit qualis sit vita singulorum, qui judex et omnium hominum, quique reddet unicuique secundum opera sua. Sequitur : *Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Non solus, inquit, de me testimonium perhibeo, quia Pater qui misit me,

B ipse testimonium reddit mihi. Sed Judæi verba Christi carnaliter accipientes, Patrem Christi carnaliter intellexerunt, ideoque dixerunt : *Ubi est pater tuus ?* Videbant namque in aperto hominem, sed non intelligebant in occulto Deum. *Ubi*, inquiunt, *est pater tuus ?* Audivimus, aiunt, te dicentem quia non esses solus, sed qui te misit pater, tecum esset : te autem solum videmus, patrem tecum videre non possumus. Ostende ergo nobis patrem tuum. *Et Dominus : Neque me scitis, neque Patrem.* Ac si diceret : Si vultis ut Patrem vobis ostendam, quasi me jam sciretis, sed adhuc neque me scitis, neque Patrem meum. Nam quia me ignoratis, idcirco meum Patrem scire non potestis. Prius est ut me cognosca-

C tis, et tunc ad Patris mei notitiam pervenire poteritis. *Si enim me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis.* Una est enim cognitio Patris et Filii, quorum una est substantia, nec alter sine altero cognosci potest. Noverant igitur Christum secundum carnem, secundum quam alibi de eis dixit : *Et me scitis, et unde sim scitis* (*Joan.* VII) ; sed ignorabant ejus divinitatem. Dicit autem forsan, non dubitando, sed infidelitatem increpando. Hoc enim adverbium cum ab homine dicitur, dubitationem significat ; cum a Deo, cui nihil occultum esse potest, increpationem. Nam et Apostolus cum diceret : *Puto quia Spiritum Dei habeo* (*I Cor.* VII), non se Spiritum Dei habere dubitabat, sed dubitantes et incredulos arguebat. Cum ergo dicit : Si me sciretis, forsitan et Patrem meum

D sciretis, increpat infideles qui nesciebant unam esse cognitionem Patris et Filii, nec alterum ab altero posse cognosci. Hinc alibi dicit Philippo poscenti, ut eis ostenderet patrem : *Qui me videt, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV), quia enim unum sunt Pater et Filius, idcirco una est cognitio, una scientia. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo.* Gazophylacium locus erat in templo, ubi thesauri recondebantur. Gaza quippe lingua Persica divitiæ, phylasso Græce dicitur servo. Gazophylacium ergo composito nomine vocat, quod divitiæ ibi servarentur. Magna porro constantia, ingens fiducia loquentis Domini demonstratur, qui in ipsis templi penetralibus, coram Scribis et Pharisæis inimicis suis, divinitatis suæ verba imperterritus loquebatur.

Digitized by Google

Mystice vero gazophylacia mysteria designant Scripturarum, quæ templo adhærebant. Christus namque templum, cui omnia legis et prophetarum adhærebant mysteria, et ad eum pertinent, atque non nisi in eo implenda erant. Hæc gazophylacia spiritualia, post ejus resurrectionem aperienda erant, ipso apostolis intelligenda tribuente, et cuncta in se impleta monstrante. Unde evangelista dicit, quia resurgens a mortuis, illis aperuit sensum, ut intelligerent omnia quæ de ipso scripta sunt (*Luc.* XXIV). Sed tunc Dominus in gazophylacio locutus est, quia ipsis Judæis in parabolis non intelligentibus et non credentibus loquebatur. *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.* Hora videlicet voluntatis et dispositionis ipsius. Sicut enim voluntate natus, sic et voluntate passus est. Quique si voluisset, nunquam pateretur; si non pateretur, nunquam genus humanum redimeretur; si non redimeretur, nullus hominum salvaretur. Ad hoc ergo Deus homo factus est, ut ex infirmitate humanitatis redimeret, quos ex divinitatis potentia creavit. Unus ergo idemque Filius Dei et Filius hominis, Deus et Dominus noster Jesus Christus, non confusus, nec verbo divisus, perfectus Deus et perfectus homo, cujus beneficiis æternis sit sempiterna gratiarum actio. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

## HOMILIA CIV.

### DOMINICA IN PASSIONE.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Sacramentum, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium papam, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 313.

## HOMILIA CV.

### DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico, quare non creditis mihi ?* Etc. (*Joan.* VIII).

Pensate, fratres charissimi, mansuetudinem Dei, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1150.

## HOMILIA CVI.

### IN FERIA SECUNDA POST *Judica*.

*In illo tempore miserunt Scribæ et Pharisæi ministros, ut comprehenderent Jesum. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui me misit*, etc. (*Joan.* VII).

Nemo satis digne sufficit admirari quanta fuerit in Scribarum et Pharisæorum corde duritia. Cum enim redemptor noster assidua prædicatione et miraculorum operatione illos ad fidem vocaret, turbis simplicibus credentibus, et facta Domini simul et verba glorificantibus, illi e contrario non solum in eum credere nolebant, verum etiam eum apprehendere laborabant. In amorem namque sæculi radicem cordis fixerant, idcirco verba doctrinæ cœlestis recipere non valebant. *Miserunt ergo ministros ut comprehenderent eum*; sed Dominus, qui in sua potestate habebat quando et quomodo vellet mori, respondit, dicens : *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Ac si diceret : Præpropere est quod nunc agere vultis. Quod enim vultis, facturi estis; sed non modo, quia ego nolo. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me.* Prius ego implere debeo dispensationem susceptæ carnis et sic pervenire ad locum sustinendæ passionis. *Quæretis me, et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire.* Quibus verbis designavit tempus suæ resurrectionis. Qui enim præsentem loquentem sibi, et miraculis se Deum contestantem recipere noluerunt, post ejus resurrectionem eum quæsierunt, cum ubique viderunt innumeram multitudinem jam credentem, et longe lateque signa et miracula per apostolos fieri, illo in eis et per eos operante, qui dicit alibi : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Tunc ergo quæsierunt eum, et non invenerunt, quia jam præsentia corporali de mundo recesserat, et ascendendo ad Patrem cœlos penetraverat. Et ubi sum ego, vos non potestis venire. Perpendendum quod de futuro dixit : *quæretis me, et non invenietis*; de præsentia nunc dicit : *ubi ego sum, vos non potestis venire.* In sinu quippe Patris consempiternus et consubstantialis illi Filius erat. In terra loquebatur, sed apud Patrem et in Patre commorabatur, quo illi venire non poterant, qui eum Patri æqualem credere nolebant. Ad ipsum enim non loco, sed fide veniendum est. Sed Judæi more sibi consueto verba ipsius non intelligentes, et carnaliter ipsum loqui putantes, cœperunt adinvicem conqueri, dicentes : *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* Quod dicentes ignoraverunt quid dicerent, tamen quia ille voluit prophetaverunt. In dispersionem namque gentium iturus erat, illasque docturus non corporali præsentia, sed per apostolos suos, per quos et in quibus ipse loquebatur, sicut quidam illorum loquitur, dicens : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII)? Sancti enim prædicatores pedes Christi erant, propheta dicente : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Isai.* LII)! Per pedes hos iturus erat ad gentes, ut fidem et salutem quam Judæi spreverant, gentes reciperent. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura* (Proverb. Salom.), *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Solemnitas Scenopegiæ tunc celebrabatur, id est, Tabernaculorum, in memoriam illius temporis, quando per quadraginta annos in umbraculis habitaverunt in deserto. Agebatur hæc solemnitas mense septimo, qui a Latinis September appellari consuevit. Solemnizabantque eam per octo dies, et octava, id est, novissima dies erat celeberrima et sanctissima. In hac novissima die solemnitatis hujus stabat Jesus, et non tantum loquendo, sed clamando advocabat, di-

Digitized by Google

cens. Qui sitit, veniat ad me et bibat. Sitis ista non erat corporis, sed mentis. Si quis ergo sitit, hoc est, si quis vult credere et diligere Christum, veniat non passibus corporis, sed affectibus mentis; veniat non migrando corporaliter ad Christum, sed amando Christum recedat ab amore sæculi, et suscipiat amorem Christi. *Qui credit in me* (*sicut dicit Scriptura*), *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quam aquam intelligere debeamus, necessario curavit evangelista exponere, subdens : *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Quæ igitur hæc est aqua, nisi charitas, quæ per Spiritum sanctum diffusa est in cordibus fidelium? Ait enim Apostolus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v). Venter quo hanc aquam recipere debemus, interior conscientia est, quæ cum hanc Spiritu sancti aquam biberit, id est, cum Christi charitatem habere cœperit, habebit fontem aquæ vivæ, imo ipsa efficitur fons. Fons enim iste de ventre conscientiæ fluens, benevolentia est, quæ de charitatis aqua procedens vult consulere proximo. Nam qui bonum quod habet, sibi soli putat sufficere, nec ad aliorum satagit derivare profectum, non fluunt aquæ vivæ de ventre ejus; si vero aliis vult ex bono quod accepit prodesse, fluit aqua de ventre ejus, quia diffunditur ad proximos benevolentia illius. Nec ulla ariditate iste fons siccabitur, sed magis magisque pio cursu semper augebitur. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Spiritum sanctum dicit, quem nos tertiam personam in sancta Trinitate veneramur. Sciendum namque omnibus fidelibus est, quia tota Trinitas Deus spiritus est, Domino dicente : *Deus spiritus est* (*Joan.* iv). Pater ergo spiritus, et Filius spiritus : atque ideo ut distinctio fiat Patris et Filii, tertia Trinitatis persona jam non absolutè spiritus, sed cum epitheto Spiritus sanctus appellatur. Hunc Spiritum sanctum ante ascensionem apostolis promisit, et post ascensionem die Pentecostes in linguis igneis misit. Atque ideo evangelista dicit : *Quem accepturi erant credentes in eum*. Habebant quidem sancti apostoli et reliqui fideles Spiritum sanctum ante resurrectionem Christi, sed non ita aperta datione illum acceperunt, sicut postea accepturi erant. Habebant Spiritum sanctum, ut ipsi recte viverent, et quibusdam prodessent; acceperunt postmodum Spiritum sanctum, ut omne genus hominum ad fidem Christi converiere possent. Hoc Spiritu universaliter tota Ecclesia illuminatur, instruitur, et inter sæculi pressuras spe futurorum bonorum consolatur. Cujus efficacissimam potentiam Apostolus enumerans, ait : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii genera linguarum*, et cætera, usquequo concludens, dixit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Hunc igitur devoti poscamus, ut sic mentes nostras ab omnibus desideriorum carnalium sordibus evacuet, quatenus nos suam inhabitationem efficiat, tota id operante omnipotentissima Trinitate. Qui vivit, etc.

## HOMILIA CVII.

### IN FERIA TERTIA POST *Judica*.

*In illo tempore ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere*, etc. (*Joan.* vii).

Dominus noster Jesus Christus, per omnia memor nostræ salutis, in cunctis quæ faciebat futuris fidelibus suis exempla quæ imitari deberent proponebat. Quia enim persecutionem infidelium videbat causa sui nominis in sancta Ecclesia excitandam, sciebat infirmiora membra sua immanitatem persecutionis tolerare non posse, ne hi tales salutem desperarent, et quasi a Christo se alienos arbitrarentur, si unquam passionem territi refugissent, dignatus est eis Dominus præcepto simul et exemplo consulere. Præcepto quidem, quo tales ingruente persecutionis tempore fugere permisit, dicens : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x). Exemplo vero, quo adhuc puer ad declinandam Herodis sævitiam, non solum de civitate in civitatem, verum etiam de regione ad regionem fugere dignatus est, delatus a parentibus in Ægyptum. Factus etiam juvenis, cum eum Judæorum principes propter evangelii prædicationem vellent interficere, crebro Judæam deseruit, et transiit ad alias regiones, ne videlicet membra illius hoc facere metuerent, quod noverant in suo capite præcessisse, neve alicui pro crimine objiceretur, si quando captus formidine, fugæ præsidium requisisset. Ait enim sanctus evangelista qui lectus est : *Quia ambulabat Jesus in Galilæam. Non enim volebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere*. Neque enim Dominus suam amiserat potestatem, sed nostram hoc faciens consolabatur infirmitatem. Nam si vellet, poterat tutus inter illos ambulare, qui ipsam quoque mortem in potestate se habere testatur, dicens : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan* x). Denique hanc potestatem demonstravit, quando tempore passionis ad vocem illius hi qui ad eum comprehendendum venerant, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*Joan.* xviii). Sed omnia providentissima dispensatione disponens, præbendi gratia exempli, ut dictum est, dignatus est ad tempus se persecutoribus absentare. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegiæ*. Scenopegia erat festivitas Tabernaculorum, quando mense septimo omnes Judæi in tabernaculis lege præcipiebantur inhabitare, in memoriam illius temporis, quo per XL annos in tabernaculis absque ullis domibus commorati sunt in deserto. Dies autem festus dicitur, non quo tantum una die ista ageretur festivitas, nam per VII dies in tabernaculis habitabant, sed quotquot dies essent ejusdem celebritatis, unam diem propter unam solemnitatem consueverunt appellare Judæi. *Dixerunt ergo ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam*. Fratres Domini usitatissimo sermone sacræ Scri-

pluræ, consanguinei ipsius secundum carnem, consobrini videlicet ipsius intelliguntur. Nam quod quidam hæretici dixerunt, fratres Domini appellari filios Joseph sponsi Mariæ semper virginis, de quadam uxore ejus Isca nomine, nulla auctoritate subnixum est, atque ideo a fidelibus nullo modo recipiendum. Sciendum siquidem, quod in sacro eloquio fratres tribus modis dici solent, natura, gente, et cognatione. Natura, sicut Jacob et Esau. Gente, sicut omnes Judæi, de quacunque tribu fuissent, fratres appellabantur. Unde dicitur in lege : *Si attenuatus frater tuus Hebræus vendiderit se tibi* (*Lev.* xxv). Cognatione, sicut Abraham et Lot fratres dicti sunt, cum Abraham patruus fuerit Lot. Scriptum est enim : *Dixit Abraham ad Lot : Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos ; fratres enim sumus* (*Gen.* xiii). Quartus quoque modus addi potest religionis, secundum quam omnes Christiani fratres dicimur, qui unum Deum patrem nos habere gaudemus. Illo ergo tertio modo, quo juxta cognationem fratres vocari diximus, et hic et ubicunque fratres Domini legimus, hoc vocabulum recipere debemus. Hoc itaque modo Jacobus frater Domini dictus est, quia filius fuit materteræ Domini. *Dixerunt ergo fratres ejus ad eum : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit*, etc. *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Quare ista dicerent, sanctus evangelista aperire curavit, cum adjunxit. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Potuerunt enim secundum carnem consanguinei Christi esse, sed credere ipsa propinquitate dedignati sunt; et quoniam gloriam mundanam quærebant, in eum quem gloriæ hujus contemptorem noverant, credere nolebant. Putabant ergo illum tantum esse hominem, at ideo eum ex se metientes, et sicut ipsi honoris erant cupidi, ita eum arbitrantes ab hac cupiditate nequaquam esse immunem, quasi consolantes, et consilium ei dantes, dixerunt : Transi hinc, et vade in Judæam, ubi caput est totius regni, ubi metropolis civitas, et venerabile omni mundo templum, ubi hominibus innotescas, et ab omnibus glorificeris, ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis. Videbant quippe sancti Domini discipuli opera ipsius, sed non ad hoc quod illi quærebant, ut ea terrenis et popularibus favoribus attolerent, quoniam divina opera divinis laudibus noverant efferenda. Sed audiamus quid amatoribus gloriæ Dominus responderit : *Tempus meum nondum advenit.* Illi quidem suadebant ire in Judæam, et suam potentiam miraculis mundo innotescere, ne latens, ignobilis et inglorius haberetur. Verum Dominus respondit nondum advenisse tempus gloriæ suæ. Prius fuit tempus humilitatis ejus, per quam ad cœlestem sublimitatem disposuerat pervenire. Ait igitur : *Tempus meum*, id est, tempus meæ glorificationis nondum advenit. Primo namque passionis [passurus] et sic demum resurgendo, et ad cœlos ascendendo erat glorificandus. *Tempus autem vestrum*, ait, *semper est*

A *paratum.* Tempus, scilicet gloriæ, quam semper affectatis, propter quam omnia facienda putatis. Sed licet omni studio mundi gloriam quærerent, eam consequi non valebant, quoniam gloria suos persequitur et ambit contemptores, despicit et exsecratur suos appetitores. Quos bene notat illa fabula, qua dicuntur quidam ita apud infernum damnati, ut saxum ingens contra montem volvant. Sicut enim qui lapidem ad altiora impellit, retroactus pondere saxi, ad inferiora relabitur : sic ambitiosi quique turpem patiuntur repulsam, nec ad id quod conantur valeat assurgere. Tempus ergo gloriæ Christi nondum advenerat, quod plenissime in fine sæculi erit : quando is qui venit judicandus, veniet judicaturus vivos et mortuos, et qui se exhibuit in humilitate, apparebit B in majestate. *Vos ascendite ad diem festum hunc.* Ad hunc, inquit, diem ascendite, in quo vos ad mundi gloriam extenditis, nec cœlestem cogitatis. *Ego non ascendam, ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Quare dicit Dominus : *Non ascendam*, cum in sequentibus mediante jam die festo legimus eum ascendisse? Sed est attendendum, quod dicit ad diem festum istum. Tunc enim non cum illis ascendit, sed post aliquot dies festivitatis emensos, *quia tempus meum*, hoc est, gloriæ meæ, *nondum impletum est.* Tunc enim erit meus festus dies, non certis diebus pertransiens, sed continua celebritate permanens. *Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.* C Quantum ad litteram, occulte Dominus ascendit, quia non favores hominum requirebat, non pompis sæculi, et stipantium sese turbarum obsequiis oblectabatur. Mystice vero, occultus ascendit, quia ipse in illis solemnitatibus latebat, qui typicis hostiarum quæ ibi offerebantur sacrificiis præsignatus erat, sed non intelligebatur. Jam vero sub gratia sancti evangelii manifestus est, quia quod illis in umbra et figura exhibebatur, nobis revelata luce veritatis agitur. Judæi ergo quærebant eum in die festo, quia ipse cum fratribus non ascenderat. Antequam veniret, et quærebant eum, et dicebant : *Ubi est ille? Et murmur multus erat in turba de illo.* Murmur ille magnus de contentione factus est, quam D inter se dissidentes habebant. Nam sicut evangelista subjungit, *quidam dicebant quia bonus est ; alii autem : non, sed seducit turbas.* Alii enim eum bonum asserebant, alii seductorem blasphemabant. Sed quod tunc de Domino ab impiis dicebatur, hoc ipsum hodieque de fidelibus servis ejus dicitur. Nam quicunque religiosus est, et Deo in simplicitate cordis serviens, ab irreligiosis et malitiosis vituperatur, et ab aliis bonus, ab aliis seductor vocatur. Hoc igitur valet plurimum ad consolationem nostram. Quare enim exhorrescant membra Christi, quod ipsi illatum est capiti suo? Non refugiant servi Christi audire a sæculi amatoribus, quod dictum est de Christo a Judæis murmuratoribus. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.* Quod dicit, nemo pa-

Digitized by Google

*tum loquebatu. de illo*, ad illos tantum respicit qui dicebant quia bonus est: hi enim silentio et voce minima, et sono pressiore, id est, suppresso ore loquebantur. Illi vero qui dicebant, *seducit turbas*, clarius resonabant, eorum sonitus clarius audiebatur tanquam arentium foliorum. Sed Deo gratias, permutatæ sunt in melius voces. Quamvis enim necdum venerit illa gloria Christi, quam devoti præstolamur, per quam æternitatis præmia nos adepturos speramus, tamen ita per universum mundum jam dilatata crevit Ecclesia, sic sese per omnes orbis partes quaquaversum diffudit, ut ejus laudes ab omnibus fidelibus libera et excelsa voce psallantur, palamque dicatur ab universis, *quia bonus est*. Si qui vero sunt hæretici, qui pauci velut navis tabulæ post naufragium remanserunt, non aperte, sed velut in angulo susurrant potius quam loquuntur, quia, sicut dicit Psalmista, *Obstructum est os loquentium iniqua* (*Psal.* LXII). Clauso namque ore infidelium, aperta sunt ora fidelium, et jam laudant nomen Christi in choro, et psallunt ei in tympano et psalterio; quia exaltatus in cruce traxit ad se omnia, ut in omnibus gentibus ipse solus colatur, et habeatur Deus super omnia benedictus in sæcula. Cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CVIII.

### IN FERIA QUARTA POST *Judica*.

*In illo tempore facta sunt encœnia in Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in portica Salomonis*, etc. (*Joan.* X).

Encænia plurali numero, vocabatur festivitas dedicationis templi, quam populus Judæorum ex antiqua patrum consuetudine per annos singulos celebrare solebat. Encæniare namque Græce initiare, vel inchoare Latine dicitur. Verum non ab re esse credendum est, quod sanctus evangelista tempus quoque quo ista dedicatio facta est, intimare curavit, dicens: *Et hiems erat*. Per hoc quippe ostendit, quod hæc encænia non ad primam templi dedicationem, sed ad eam quæ ultima fuit pertineret, ter namque templum ipsum dedicatum in sanctis litteris invenimus. Prima siquidem ejus dedicatio a Salomone, magna gloria, et totius regni pace autumnali tempore facta est. Secunda Zorobabel et Jesu sacerdote magno, et reliquis filiis transmigrationis, veris tempore perfecta est. Tertia a Juda Machabæo et fratribus ejus, hiemis tempore facta est, quando etiam specialiter constitutum est, ut singulis annis hæc eadem dedicatio solemnibus frequentaretur officiis. Quæ constitutio usque ad tempus Salvatoris servata est, sicut ex sancti evangelii lectione datur intelligi. Verum hæc observatio ab illis cœpta, salubriter nunc in Ecclesia, venerabiliterque haberi dignoscitur, cum per annos sibi jugiter succedentes, dies anniversaria dedicationis ecclesiæ divinis laudibus a populo fidelium devote satis excolitur tantoque propensius ac majori studio celebratur, quanto esse gratissima Redemptori non dubitatur adeo ut in hac die ipsum

A templum intrare, et divinitatis suæ mysteria populo pandere dignatus sit. Sane etenim per asperitatem hiemis, duritia denotatur infidelitatis, quæ in mentibus quorumdam Judæorum tunc erat, quibus conveniebat illud quod Dominus alibi dicit: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.* Porticum Salomonis dicit, in qua rex ille quondam potentissimus ad adorandum stare solitus erat, atque ideo ex ejus nomine cognominari cœperat. Solent autem porticus quibus templum illud cingebatur, nomine templi appellari. Si ergo tunc Dei Filius in templo, in quo sanguis brutorum animalium fundebatur, voluit corporaliter ambulare, multo amplius nunc domum suæ ecclesiæ, ubi corporis et sanguinis

B sui sacramenta consecrantur, invisere et inhabitare dignabitur et gaudebit. Et si porticum in qua rex ille, quamvis potentissimus et sapientissimus, tamen mortalis atque terrenus, stare solebat, perambulare non despexit, multo magis penetralia cordium nostrorum suæ præsentia majestatis dignabitur illustrare: si tamen nostras mentes porticum Salomonis, id est, si eas timoris sui plenas, qui est initium sapientiæ, viderit. Neque enim putare debemus, quod hæc tantum domus, in qua ad adorandum convenimus, sit templum Dei. Nos enim ipsi qui convenimus, templum Dei et dici et esse debemus, Apostolo dicente: *Vos estis templum Dei vivi* (*II Cor.* VI). *Circumdederunt ergo eum Judæi, et dixerunt ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus,*

C *dic nobis palam*. Apparet cur præmiserit evangelista, *hiems erat*. Circumdederunt eum Judæi, non studio agnoscendæ veritatis, sed gratia ingerendæ tentationis, et struendæ calumniæ, ut invenirent quomodo eum accusarent. *Quousque*, aiunt, *animam nostram tollis?* Causantur, quod animas eorum (incertos ac suspensos eos dimittendo) tolleret, qui ad hoc venerat, ut animas in se credentium salvaret. *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Judæi Christum purum tantum hominem futurum, et regem cæteris excelsiorem venturum crediderunt, quod etiam posteri eorum usque in præsens faciunt. Quapropter perpessi sunt exterminium, et demoliti; ita ut vix aliquis eorum ausus sit confiteri se in publico Hebræum

D fore, et quousque Antichristum pro Christo suscipiant, dementissime arbitrari non desinunt. Volebant ergo ut se Dominus Christum esse diceret, quatenus possent eum quasi Augusto repugnantem, et imperium sibi usurpantem, præsidis potestati tradere puniendum. Quapropter Dominus ita prudenter ac temperate suam responsionem circumtulit, ut illis aditum calumniæ obstrueret, et quia ipse Christus est, futuris fidelibus aperta voce pandere auderet. *Respondit enim eis dicens: Loquor vobis, et non creditis.* Ecce apertissime ostendit, quod ipse sit Christus. Dicens enim, *loquor vobis*, ostendit se Verbum, id est, Filium Dei, coæternum et consubstantialem Patri; tanquam diceret: Ego me Filium Dei esse semper operum attestatione pronuntio; sed vos vestra infidelitate cæ-

Digitized by Google

cati, nec mihi loquenti creditis, nec opera quæ facio attendere vultis. Quæ si digne consideraretis, Dei Filium me esse procul dubio crederetis. *Opera quæ*, inquit, *ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Et nota quod suorum operum omnem gloriam Deo Patri ascribit, cum ea in ejus se nomine facere asserit. Ipsa ergo opera quæ faciebat, cæcos illuminando, paralyticos sanitati restituendo, de paucis panibus multa millia hominum reficiendo, mortuos etiam, quatriduanos quoque et fetidos, ad vitam revocando : ipsa inquam opera testimonium reddebant, quod esset verus Filius Dei, cujus gloriam in omnibus operibus suis requirebat. *Sed vos non creditis.* Causamque cur non crederent reddens, subdit : *Quia non estis ex ovibus meis.* Oves suas, fideles et sibi obsequentes dicit, qui eum pastorem diligunt et sequuntur, atque ad pascua æternæ satietatis boni pastoris sequendo vestigia perveniunt. Ergo hos qui in se credere nolebant, dicebat non esse ex ovibus suis, quia videbat jam æternæ perditioni præparatos, nec sui sanguinis pretio ad vitam perpetuam comparandos. *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego agnosco eas, et sequuntur me.* Usitato more sanctæ Scripturæ agnoscere pro eligere ponitur. Unde scriptum est : *Novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tit.* II). Nescire vero pro improbare. Illud enim Deus ignorat, quod dignum æternæ vitæ non approbat. Unde impiis in judicio dicturus est : *Nescio vos* (*Matth.* XXV). Oves ergo Christi vocem ejus audiunt, quia præceptis illius ex animo obediunt. Et ipse eas cognoscit, quia ut ipse Apostolus de se et sui similibus dicit : *Elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Sequuntur autem eum, et hic mansuetudinis et innocentiæ ejus vias incedendo, et post cum eo ad gaudia sempiternæ vitæ feliciter intrando, unde sequitur : *Et ego vitam æternam do eis.* Hæc sunt illa pascua quæ pollicitus est se daturum ovibus suis, nulla unquam ariditate marcescentia, sed indefectiva amœnitate vernantia. *Et non peribunt*, inquit, *in æternum*, quia pastor eorum et salvator talis est, apud quem nihil eorum omnino possit perire. Videbantur quidem perire sancti martyres oculis insipientium, cum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant : sed non peribant in æternum, quia, soluti vinculis carnis, debita sibi præmia a Christo percipiebant. Unde consequenter adjungit : *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*, id est, potestate mea. Eos enim quos semel prædestinando Christus assumpserit, nulla vis diabolicæ tentationis, non immanitas humanæ persecutionis de potestate ejus potest auferre. Nam et si sunt quidam qui post perceptam gloriam de numero ovium Christi pereunt, hi certe in Dei oculis oves non sunt. Nitebantur quidem persecutores rapere pios confessores Christi de manu ejus, cum eos tormentis variis fidem Christi negare compellebant, ut eorum animas a Christo alienas efficerent; vel cum superati constantia morientium, corpora eorum aut ignibus exurenda tradebant, aut aqua dissolvenda immergebant, tanquam a Christo possent ea resuscitandi tollere facultatem. Sed nemo potest rapere de manu ejus, qui sanctos inter certamina ut vincant adjuvat, et victores in cœlis coronat. Quibus etiam verbis illorum redarguit temeritatem, qui sibi mortis laqueos tetenderant ; stultissime enim de ejus nece cogitabant, cum non solum in ipsum nihil possent agere, verumetiam neminem de suis possent auferre. Verum ne hæc dicendo suam videretur gloriam quærere, totam hanc potentiam ad Patrem refert, subjungens : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Hoc quod Deus Pater mediatori Dei et hominum dedit, majus omnibus est. Dedit illi, ut sit ejus unigenitus Filius, nec natura dissimilis, nec virtute inferior, nec tempore posterior. Et hoc gignendo dedit, quia Deus Deum genuit : hoc est quod majus omnibus est. Idcirco idem Joannes locuturus de Verbo Dei, transcendit omnem angelicam et humanam creaturam et sic pervenit ad illud quod majus est omnibus, et dixit : *In principio erat Verbum.* Hoc vere [vero] quod Dei Filius habuit ante sæcula per divinitatem, accepit in tempore per humanitatem. *Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Supra dixit : *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Hic dicit : *Nemo potest rapere de manu Patris mei*, ut liquido intelligeremus hoc, virtutem suam, esse et Patris, atque Christum se esse credendum qui non, ut cæteri sancti, per gratiam acceperit ex tempore, sed verus semper exstiterit Dei Filius. Quod etiam subsequenti sententia ostendit cum dicit : *Ego et Pater unum sumus. Unum*, inquit, *sumus*, una nobis substantia, una divinitas, perfecta æqualitas. Quibus verbis non solum Judæorum quæstionem, qui tentantes an ipse esset Christus interrogabant, absolvit, verum etiam hæreticorum quos futuros prævidit insaniam, quam sit detestanda, monstravit. Sabellius namque dogmatizat unam personam esse Patris et Filii, quem convincit cum dicit, *Ego et Pater*, ubi apertissime duæ sonant personæ. Sed Judæi, qui eatenus loquentem Dominum quasi patienter audierant, cum dixisset : *Ego et Pater unum sumus*, amplius vim verborum ejus ferre non valentes, quia ipsi corda lapidea gestabant, ad lapides cucurrerunt. Nam sequitur : *Sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum.* Verum quia ille nec tunc volebat pati, nec se ab illis lapidari disposuerat, illata jam jamque ferientia brachia suo nutu continuit, et adhuc eos alloquitur. *Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo.* Videlicet in sanitatibus infirmorum, in assidua exhibitione doctrinæ et miraculorum, quæ universa ex Patre se dicit ostendisse, ut se indicaret ejus per omnia gloriam quærere. *Propter quod*, inquit, *eorum opus lapidatis me? Et responderunt ei : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia.* Quanquam inviti et nolentes confitentur, nec possunt negare multorum beneficiorum bona sibi a Christo impensa fuisse, sed miseri, qui quod ille de sua et Patris æqualitate dixerat, pro blasphemia deputabant. Considerandum vero quod dicunt,

Digitized by Google

*Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Ecce infideles Judæi intellexerunt, quod Ariani adhuc intelligere negligunt. Id enim quod Dominus dixerat, *Ego et Pater unum sumus*, intellexerunt non posse dici unum, nisi ubi esset æqualitas : quod isti pro blasphemia idcirco receperant, quia eum tantum hominem esse credebant, Deum nullatenus credere volebant. *Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dii estis* (*Psal.* LXXXI)? In lege vestra, dixit, in lege vobis data. Sed et hoc notandum, quod hoc psalmographi testimonium in lege scriptum dicit, quia nimirum omnes Scripturæ aliquando lex appellantur generali vocabulo, nonnunquam distincte per se lex accipitur, et a prophetis distinguitur, sicut ipse Dominus alibi dicit : *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Matt.* XI). Plerumque in tria sanctæ distribuuntur Scripturæ, ut est illud : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent omnia quæ de ipso erant scripta in lege Moysi, et prophetis, et psalmis* (*Luc.* XXIV). *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura*, hoc est, non potest argui falsitatis, atque ideo non audetis illam rejicere. *Si ergo illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemo, quia dixi : Filius Dei sum.* Ac si diceret Si idcirco homines dii appellati sunt, quia sermo Dei ad ipsos factus est, ipsum Verbum Dei (quod erat in principio apud Deum) quomodo non est Deus? Si illi dii vocari meruerunt, qui participes facti sunt sermonis Dei, ipse sermo Dei, unde participant, cur non sit Deus? Notandum vero quod dicit, *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum.* Sanctificavit namque Pater Filium, non quod unquam ille sanctus non fuerit, sed sanctificavit, quia illum sanctum genuit. Sicut enim Deus Deum, immensus immensum, sic sanctus sanctum Pater Filium genuit; et misit in mundum, quia eum incarnari constituit pro salute hominum. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia in me est Pater, et ego in Patre.* Ac si diceret : Si tantummodo nudis verbis Dei Filium me esse dico, et non etiam operum exhibitione me id esse comprobo, cum eos quos aut natura imperfectos edidit, aut vitium depravavit, aut certe infirmitas afflixit, potenti majestate restauro, nolite credere mihi. Si vero illa facio quæ nullus nisi Dei Filius facere posset, si mihi non creditis, his saltem operibus credite. *Ut cognoscatis et credatis, quia in me est Pater, et ego in Patre.* Dixerat jam, operibus credite, nunc iterum dicit, ut cognoscatis et credatis. Quod tale est ac si diceret : Credite ut cognoscatis et credatis. Est vero sensus : Si mihi non creditis, operibus credite, ut cognoscatis credentes, quia in me Pater est, et ego in Patre. Vult ergo concludere quod verum dixit, *Ego et Pater unum sumus*, et immerito velint eum lapidare, quia non blasphemavit, sicut ipsi putabant. Idcirco ratione et divina operatione etiam non fugiens, nec se abscondens, lapidatores suos com-

A pescuit. Debemus ergo nos credere, ut possimus cognoscere, quia cognitio merces est fidei. Credentes enim intrabimus in potentias Domini, et cognoscemus quomodo in Filio est Pater, et Filius in Patre. Sane sciendum est, quia non sic Pater est in Filio, vel Filius in Patre, quomodo dicitur Deus esse in aliquo sancto viro, et sanctus quicunque in Deo. Filius quippe in Patre est per æqualitatem unius ejusdemque substantiæ, homo vero in Deo est per participationem gratiæ. Denique vir sanctus potest dicere, quia Deus est in me, non autem potest dicere, ego et Deus unum sumus, nec rursus, qui videt me, videt Deum, hoc enim unigenito solum Filio convenit, qui sic est in Patre, ut sit æqualis Patri, et sit unum cum Patre, cum quo illi omnis honor et gloria, in B unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CIX.

### IN FERIA QUINTA POST JUDICA.

*In illo tempore rogabat Jesum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit*, etc. (*Luc.* VII.)

(*Homiliam require de sancta Maria Magdalena.*)

## HOMILIA CX.

### IN FERIA SEXTA POST JUDICA.

*In illo tempore collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* etc. (*Joan.* XI.)

Resuscitato a salvatore Christo Lazaro, tam ingenti C miraculo multi ex Judæis qui præsentes fuerant, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam vero ex ipsis, sive qui jam in eum crediderant, sive qui ad Martham et Mariam consolandi causa venerant, abierunt ad Pharisæos, et nuntiaverunt eis quæ fecit Jesus, sive pio studio, ut et ipsi in eum crederent, sive gratia deferendi, ut contra eum sævirent. Protinus illi malitia sua contenebrati, et quo se verterent nescientes, videbant enim se signorum evidentia superari, collegerunt concilium, non ut converterentur et crederent, sed ut eum nefanda conspiratione morte damnarent. Ineunt consilium ut eum perderent, non ut sibi consulerent. *Quid*, inquiunt, *facimus?* Miseri, non dicebant credamus, sed velut D exacuentes et ad necem ejus sese mutuo cohortantes dicebant : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Velint nolint confitentur, quia ille quem quasi hominem despiciebant, sicut Deus signis et miraculis coruscabat. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem.* Temporale regnum amittere timuerunt, de vita autem æterna cogitare neglexerunt, atque ideo utrumque justissimo Dei judicio amiserunt. Nam XLII anno post ejus passionem, simulque gloriosam ascensionem, venientes Romani sub Tito et Vespasiano principibus, locum simul et regnum et gentem illis abstulerunt, illosque ferro, fame et captivitate deleverunt. Et qui in Pascha Christum occiderant, in eadem solemnitate ab hostibus captivati sunt. Quique

injuria filii Patrem offenderant, ipsi a Patre et Filio, scilicet Vespasiano et Tito deleti sunt, sicque rei et miseri ad æterna supplicia transierunt, juxta quod Dominus alibi de eis dixerat : *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores* (*Matth.* VIII). *Venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.* Putabant Judæi doctrinam Christi contra templum et paternas traditiones esse, ideoque timebant, ne si omnes in Christum crederent, nullus remaneret qui pro civitate et templo contra Romanos pugnando resisteret. *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* Quod cum non a semetipso dixisse, sed quia pontifex erat anni illius, prophetasse, agente ipso pontificatus sacramento quod indignus gerebat, subsecutus evangelista ostendit, dicens : *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente.* Quo loco discimus plerumque etiam malos per spiritum prophetiæ futura prædicere. Unde et in judicio Domino dicturi sunt : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus* (*Matth.* VII)? Quæri vero potest, quomodo hic Caiphas dicatur pontifex anni illius, cum Dominus per legem præcepisset, ut unus tantum esset summus sacerdos, cui mortuo filius succederet, et loco patris sacerdotium administraret. Sed sciendum hoc primo ab Aaron usque ad David regis tempora servatum, qui volens augere culturas templi, plures pontifices, Domino nihilominus agente, esse decrevit, qui per ordinem vicibus sibi succederent, et per annos singulos ministrarent. Hinc Lucas evangelista de Zacharia refert : *Quia cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Dominum, sorte exiit, ut poneret incensum ingressus in templum Domini* (*Luc.* I). Potest etiam intelligi moderno tempore, hoc per ambitiones dignitatum et contentiones constitutum fuisse apud Judæos, ut plures essent pontifices, et vicibus in templo Domini ministrarent, quibus post annum alii succedebant. Nam et de hoc Caipha refert Josephus, quod pretio sibi unius anni sacerdotium redemerat ab Herode. Quid vero prophetaverit, videamus. *Vos nescitis quidquam, neque cogitatis, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem*, ait evangelista, *a semetipso non dixit : sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Prophetavit ergo Caiphas, quod pro Judæorum tantum gente Christum mori expediret, sed evangelista noverat eum pro salute totius humani generis passurum, quatenus illos qui ante sæcula prædestinati erant ut essent filii Dei, in unum congregaret, et ex credentibus Judæis et gentilibus unum ovile perficeret, sicut Dominus alibi dicit : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor* (*Joan.* X). Non enim jam tunc filii Dei vel oves erant, sed ipse pro eis patiendo, eosque pretioso suo sanguine redimendo, ex filiis diaboli fecit filios Dei, et ex nocentibus lupis innocentes oves esse constituit. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Non quo et antea jam non hoc cogitassent, cum superius in ejus necem conspirasse et comprehendere voluisse legantur, sed quia tunc inevitabiliter se scelere perficiendæ mortis ejus constrinxerunt, et quo citius possent, iniqua sua consilia accelerare decreverunt. *Jesus ergo jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.* Non utique ille qui est Dominus virtutum, formidare poterat, nec eum suæ divinitatis potestas deseruerat, quia si vellet, poterat palam inter Judæos conversari et nihil mali ab illis pati. Sed recedendo, ac sævitiam inimicorum declinando, nobis exemplum dare dignatus est, ut si tempus persecutionis ingruerit, non dubitemus refugii latebras quærere, et furorem sceleratorum hominum latendo devitare. Sane quod Dominus relictis Judæis abiit in regionem juxta desertum, significat quia illos qui quondam plebs Dei et populus acquisitionis fuerant, propter suam perfidiam et incredulitatem relicturus erat, et ad gentes quæ quondam desertæ fuerant a Deo, per apostolicam prædicationem erat transiturus. Nam et civitatis ipsius vocabulum, in qua cum discipulis commoratus est, huic rei congruit aptissime. Ephrem namque fructificatio interpretatur, nimirum sanctam Ecclesiam præsignans ex gentibus, quæ quondam sterilis et infecunda, postquam verbum fidei Christi suscepit, spiritualibus bonorum operum fructibus abundare studuit. Et quæ aliquando terra perusta ac squalida, nihil virens gignere noverat, modo arboribus fructiferis, deinde diversorum fructuum gratiam simul et usum late per totum orbem propinat. Nec jam desertum, sed meliori nomine hortus deliciarum et paradisus Dei dignatus est appellari. Redemptor itaque noster, quia sciebat instare tempus suæ passionis, voluit se a Judæis modicum absentare, exspectans ut veniente Pascha, quod in proximum futurum erat, sese illorum manibus, sicut ante sæcula præfinierat, comprehendendum traderet et crucifigendum. Quam nos etiam solemnitatem, sacra dierum quadragesimalium observatione commonet vigilantissime exspectare. Ideoque necesse est ejus qui nos magno cruoris pretio redemit, clementiam votis sedulis exorare, ut nos cum remissione peccatorum cumque gratia et misericordia sua, ad eum sibi placitos faciat pervenire, qui vivit et regnat, etc.

## HOMILIA CXI.

### IN VIGILIA PALMARUM.

*In illo tempore, sublevatis Jesus oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*, etc. (*Joan.* XVII.)

(Homiliam require in vigilia ascensionis Domini.)

Digitized by Google

## HOMILIA CXII.

IN DIE PALMARUM.

(Ex beati Augustini in psalm. XXI enarratione, num. 3.)

*Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* (*Psal.* XXI.)

Istum versum primum, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo IV, Patrologiæ XXXVI, col.* 172.

## HOMILIA CXIII.

DE EADEM DOMINICA.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore, cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti*, etc. (*Matth.* XXI.)

Mediator Dei et hominum, etc. *Reliqua vide apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 121.

## HOMILIA CXIV.

IN FERIA SECUNDA POST DIEM PALMARUM.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

Dominicæ passionis gloria, dilectissimi, etc. *Cætera videsis apud sanctum Leonem papam, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 353.

## HOMILIA CXV.

IN FERIA TERTIA POST DIEM PALMARUM.

(Ex eodem.)

Scio quidem, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud eumdem sanctum Leonem, tomo ut supra, col.* 332.

## HOMILIA CXVI.

IN FERIA QUARTA POST DIEM PALMARUM.

(Ex eodem.)

Sacram, dilectissimi, dominicæ passionis historiam, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem, tomo ut supra, col.* 380.

## HOMILIA CXVII.

IN COENA DOMINI.

(Ex beati Augustini in psalmum LXIII enarratione II, num. 2.)

*Exaudi, Deus, orationem meam dum tribulor*, etc.

Sævierunt, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo IV, Patrologiæ XXXVI, col.* 761.

## HOMILIA CXVIII.

IN COENA DOMINI.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, etc. (*Joan.* XIII.)

Scripturus evangelista Joannes, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 130.

## HOMILIA CXIX.

IN FERIA SEXTA PARASCEVES.

(Ex sancti Augustini in psalmum LXIII enarratione, num. 6.)

*Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram.*

Arcum dicit insidias, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo IV, col.* 763.

## HOMILIA CXX.

IN EADEM FERIA.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

De cursis, dilectissimi, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 337.

## HOMILIA CXXI.

IN VIGILIA PASCHÆ.

(Ex sancti Augustini in psalmum LXIII enarratione, num. 13.)

*Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, etc.

Accessit homo ad ipsa consilia, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, tomo ut supra, col.* 766.

## HOMILIA CXXII.

IN VIGILIA PASCHÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræmotus factus est magnus*, etc. (*Matth.* XXVIII.)

Vigilias nobis hujus sacratissimæ noctis, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 133.

## HOMILIA CXXIII.

IN DIE SANCTO PASCHÆ

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum*, etc. (*Marc.* XVI.)

Multis vobis lectionibus, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium papam, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1169.

## HOMILIA CXXIV.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Duæ quippe vitæ sunt hominis in corpore consistentis. Una ante mortem et alia post resurrectionem. Quarum unam omnes agendo noverant, alteram nesciebant, et humanum genus soli huic quam noverat, intendebat. Venit per carnem Dominus, et dum suscepit unam, alteram demonstravit : dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quæ nobis est incognita ostendit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, resurgendo aperuit quam quæramus : exemplo suo nos docens quod hæc vita quam ante mortem ducimus, non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Nullus autem nostrum quid post mortem sequeretur agnosceret, nisi vitæ nostræ conditor ad pœnam usque nostræ mortis veniret. Nisi enim ipse misericorditer infima peteret, nequaquam nos post suam imaginem perditos juste ad summa revocaret. Unde et recte ad beatum Job dicitur : *Nunquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti?* (*Job* XXXVIII.) Ac si dicat, ut ego, qui non solum mare, id est sæculum, per assumptam humanam carnem atque animam petii, sed etiam per eam sponte in mortem positam, usque ad ultimum inferi, quasi ad maris profunda descendi. S. enim mare (more divini eloquii) sæculum debet in-

Digitized by Google

telligi, nil prohibet profunda maris inferni claustra sentiri. Quod profundum mare Dominus petiit, cum inferni novissima, electorum suorum animas erepturus, intravit. Unde et per prophetam dicitur: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati* (*Isa.* LI). Hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit, quia in se etiam animas bonorum, quamvis non in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferi hodierna die ad cœlestia transire concessit. Unde et apte illic dicitur, *ut transirent liberati.* Quod vero profundum maris dixerat, hoc aliis verbis replicans, abyssi novissimum vocat: quia sicut aquarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferi nullo a nobis cogitationis sensu penetrantur. Qui enim hinc subtrahantur cernimus, sed quæ illos juxta meritum retributio suppliciorum maneat, non videmus. Vigilanti vero est cura pensandum quod in novissimis abyssi deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quem enim vincula astringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in inferno deambulavit: liber quippe ad ligatos venit, unde scriptum est: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII). In novissimis ergo abyssi Dominum deambulare, est in locis damnationis nil suæ retentionis invenire, attestante Petro, qui ait: *Solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II). Vel certe, quia deambulando nos cum de loco in locum ducimur, hic illicque præsentes invenimur, ambulasse in inferno Dominus dicitur, ut electis animabus in locis singulis, per divinitatis potentiam præsens fuisse monstretur. Unde et spiritus sapientiæ mobilis describitur, ut per hoc quod nusquam deest, ubique nobis occurrere designetur. Quam descensionem suam Dominus quanto mirabiliorem respicit, tanto eam redempto homini crebrius infundit. Eam namque adhuc replicans, subdit: *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* (*Job* XXXVIII.) Portæ enim mortis sunt potestates adversæ, quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superavit. Quæ appellatione quoque alia tenebrosa ostia vocantur, quia dum pro occultationis suæ insidiis non videntur, deceptis mentibus viam mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus vidit, quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam et respicit et premit, quos nisi ipse nobis nescientibus videndo prohiberet, et nil de insidiis mens nostra cognosceret, et iisdem insidiis capta deperiret. Quæ tenebrosa ostia nos etiam cernimus, quando supernæ lucis radiis illustramur. Unde et per Prophetam dicitur: *Dominus mihi adjutor est, et ego videbo inimicos meos* (*Psal.* CXVII). Hostes igitur nostros ipse videt, qui suo eos munere nobis visibiles facit. Vel certe tenebrosa ostia tunc Dominus vidit, cum claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit,

A et mortis præpositos moriendo damnavit. Quod idcirco hic non adhuc de futuro, sed etiam de præterito dicitur, quia hoc quod facturus erat in opere nimirum jam fecerat in prædestinatione. Quia vero post mortem resurrectionemque ejus crevit Ecclesia, atque in cunctis est gentibus dilatata, apte subjungitur: *Nunquid considerasti latitudinem terræ?* (*Job* XXXVIII.) Dum enim angustias mortis petiit, fidem suam in gentibus dilatavit, atque ad innumera corda credentium sanctam Ecclesiam extendit, cui per prophetam dicitur: *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes* hæreditabunt (*Isa.* LIV). Quæ latitudo terræ profecto B non fieret, nisi ipse prius et vitam quam novimus, resurgendo monstraret. In morte quippe sua nostræ oculos mentis aperuit, ut quæ esset vita, quæve sequeretur, ostenderet. Unde et hunc in Evangelio ordinem tenens, discipulis dicit: *Sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum* per *omnes gentes* (*Luc.* XXIV). Pauci enim ex plebe Israelitica ipso prædicante crediderunt, innumeri vero gentium populi viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret, pertulit, a passibili vero vita mortuos stravit. Quod bene Samson in semetipso dudum figuraliter expressit, qui paucos quidem dum viveret, interemit: destructo autem templo, hostes innumeros, C cum moreretur, occidit (*Jud.* XVI). Quia nimirum Dominus ab elevatione superbiæ paucos dum viveret, plures vero cum templum sui corporis solveretur exstinxit, atque electos ex gentibus quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit. Recte itaque postquam inferna penetrasse se edocuit, considerandam mox terræ latitudinem subjunxit. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo Vehemoth iste quasi escam sua morte carnis appeteret, quam mortem dum in illo injuste appetit, nos quos quasi juste tenebat, amisit. In hamo ergo ejus incarnationis captus est, quia dum in illa appetit D escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem duceret, ibi divinitas quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas quæ provocaret, ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit unde devoravit. Et quidem Vehemoth iste Filium Dei incarnatum noverat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat, sed omnino quod idem Redemptor noster illum moriendo transfigeret nesciebat. Ne ergo iste humanis morsibus [mortibus] cetus insidians, quos vellet ultra devoraret, hamus sic fauces raptoris tenuit, et sese mordentem momordit. Superest ut unusquisque nostrum tanto se plenius auctori

Digitized by Google

subjiciat, quanto contra se verius violentas adversarii vires pensat. Quid namque nos nisi pulvis sumus? Quid vero ille nisi unus atque in cœlestibus spiritibus, et quod adhuc majus, summus? Quid enim de propria virtute audeat, quando contra angelorum principem pulvis pugnat? Sed quia supernorum spirituum conditor terrenum corpus assumpsit, recte jam superbientem angelum pulvis humilis vincit. Et dignum est ut vincatur pulvere qui fortem se credidit deserto Creatore, ut superatus inveniat quia defecit elatus. Valde autem sæviens anhelat, quod eum ipsum ima crucient, homo ad summa conscendat, quod in illa celsitudine subjecta caro permaneat, a qua tantus ipse spiritus sine fine projectus jacet. Sed loca mentium mutavit ordo meritorum. Sic superbia meruit dejici, sic humilitas exaltari, quatenus et cœlestis spiritus erigendo se tartarum tolleret, et terra humilis sine termino super cœlos regnet: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CXXV.

### IN FERIA SECUNDA PASCHÆ.

(Ex Opp. sancti Gregorii.)

*In illo tempore duo ex discipulis Jesu ibant in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus*, etc. (*Luc.* XXIII.)

In quotidiana vobis solemnitate, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1182.

## HOMILIA CXXVI

### IN FERIA SECUNDA PASCHÆ.

(Ex Opp. sancti Maximi.)

Exsultandum nobis est, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 590.

## HOMILIA CXXVII.

### IN FERIA TERTIA PASCHÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere*, etc. (*Luc.* XXIV.)

Resurrectionis suæ gloriam Dominus et Redemptor noster, etc. *Reliqua videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 139.

## HOMILIA CXXVIII.

### IN FERIA TERTIA PASCHÆ.

(Ex Opp. sancti Cypriani.)

Sapientissimus Salomon, fons sapientiæ, censor justitiæ et magister disciplinæ, in Canticis canticorum sic fatus est: *Ubi pascis? ubi manes? In meridiano* (*Cant.* I). Quis interrogabat? Vox est Spiritus interrogantis Dominum Christum: ubi pascis? ubi manes? Et ille: In meridiano. Et miramur, fratres dilectissimi, quod interrogat Spiritus sanctus, eo quod non habet opus, cui totus notus est mundus, qui ante tempus fuit, nec initium habuit, sicut ille aliquando finem habebit: ne quæ æternitas habet ætatem, aut aliquando finem, quæ nescit originem.

A Sed ad hoc Spiritus sanctus cogit de passione sua Dominum Christum dicere, ut populus qui ignorabat, possit audire: Ubi pascis, id est, ubi pateris? Et Dominus respondet: In meridiano, cum in sexta hora per medium cœli spatium sol igneus in sua penderet libra, et axe flammigero divisa mensura cœli, subjectas umbras clypeo vibrante colligeret, cum mundi penderet umbra et inferi simul in nocte. Sic omnis Judæa vestita est cæcitate, quando furibundo impetu clamabant: *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII). Sicut omnis creatura sexta hora non vidit solem, sic quidquid sub cœlo jacebat, didicit majestatem (parva enim dico), sic lumen Christi qui in sole posuit tabernaculum suum, universas gentes collegit, et conscientias nostras alta nocte temporum totus

B intravit. Pependit in cruce sexta hora Dominus Christus, et sol pependit ut famulus. Cum latus Christi lancea perforatur, ab hora sexta usque ad nonam solis claritas jugulatur. Luget cœlum auctorem, perdidit oculum dies, et orbatus fibula cœli, velut nox facta est dies, et subito adveniens nox excæcat claritatem. Propterea in passione Domini Jesu Christi velut nox facta est dies, quia in ejus resurrectione nox declaravit ut dies, sicut scriptum est: *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur* (*Psal.* CXXXVIII). Peccaret creatura si non lugeret Creatorem; vel dies, si suam non conscinderet vestem. Judæa jure admiserat sacrilegium, si non crimine suo sexta hora palpitaret, et solis cæcitas testimonium perhiberet. Antecedit Do-

C minum ad inferos dies, nox æterna quod ignorabat, didicit, Dies noctem quam nesciebat expavit, dicente David: *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII). Bene ostendit tabernaculum suum Christus, crucem hospitium corporis sui, in qua una macerie destinata jugulati sunt inferi. Adhuc pendet in macerie Christi corpus, et jam debellatur infernus. Timeat terrore tartari majestate peregrina. Mors ab inferis dum decipit fugit, a suis sedibus mors exclusa currit ad cœlum, vidit quam non noverat noctem. Pallent astra, tremit terra, turbantur elementa, procedunt ex suis tumulis funera. Neque enim sepulcra aliquam partem corporis tenere potuerunt, quando gehenna simul crepuerat tota. Ad hoc enim reversus est dies

D ad proprium statum, quia ad verum diem reversus est auctor qui fecit hunc diem, sicut scriptum est: *Hæc est dies quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII). Propterea elementa recipiunt speciem suam, quia si omnia cum ruina mundi perirent, hodie non erat qui timeret, et ideo in fide Christi totus mundus unus est locus: adeo hoc nomen per terras volavit, navigavit per undas, quia spiritus non habet iter, nec fides aliquando quærit vectorem. Quid dictura est Judæa adversus Dominum Christum, quem natum stella flammigera demonstravit, et passum solis cæcitas declaravit? Jam perdidit æstimationem suam humana superbia, quia natum Dominum audivit, passum vidit. Expavit populus post resurrectionem videndo novum, post inferos sanum, et post clavos

Digitized by Google

et mortem ipsum iterum ad Patrem vehiculo lucis usque ad cœlos evolare, populus supinis vultibus adorabat : et ne totus abiret, per sacramentum corporis in nostris cordibus se divisit. Dum eum intra conscientiam nostram per fidem portamus, martyria per sanguinem, virginitas per pudorem, totiusque (*sic*) populi adorabant, non flentes, sed gaudentes, quam ostendit nobis iter ad cœlos Dominus Christus, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CXXIX.

### IN FERIA QUARTA PASCHÆ.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore manifestavit se iterum Jesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic*, etc. (*Joan.* XXI.)

Lectio sancti evangelii, quæ modo in auribus vestris lecta est, fratres mei, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1184.

## HOMILIA CXXX.

### IN FERIA QUARTA PASCHÆ.

(Ex sancto Maximino.)

Liberatoris nostri piscatio nostra est liberatio. Duas autem advertimus in sancto Evangelio Domini piscationes, id est, quando ad verbum ipsius missa sunt retia. Unam prius quando discipulos elegit, et hanc alteram quando a mortuis resurrexit. Illa piscatio significat Ecclesiam qualis est modo, ista vero post resurrectionem Domini significat Ecclesiam qualis futura erit in fine sæculi. Denique in illa priore piscatione jussit mitti retia, et non dixit in quam partem, sed tantummodo ut mitterentur præcepit. Miserunt discipuli, non dictum est, in dexteram : non dictum est, in sinistram. Pisces enim homines significabant. Si ergo diceretur, in dexteram, soli boni futuri essent; si diceretur, in sinistram, soli mali. Quia vero permisti futuri erant in Ecclesia et boni et mali, sine differentia missa sunt retia, ut caperentur pisces significantes misturam bonorum et malorum. Deinde et hoc ibi scriptum est, quia tantum piscium ceperunt, ut duæ naviculæ mergerentur, hoc est, ut submersione premerentur. Non enim submersæ sunt duæ illæ naviculæ, sed periclitante multitudine piscium. Significatum est hinc quia in multitudine quam collectura erat Ecclesia, periclitatura fuerat disciplina. Et hoc adjunctum est in illa piscatione, atque narratur, quia et retia præ multitudine piscium dirupta sunt. Dirupta retia quid significaverunt, nisi futura schismata? Tria ergo ista in illa piscatione significata sunt, mistura bonorum et malorum, pressura turbarum, separationes hæreticorum. Mistura bonorum et malorum, quia nec in dexteram nec in sinistram missa sunt retia. Pressura turbarum, quia tantum captum est, ut naviculæ premerentur. Separationes hæreticorum, quia tanta fuerat multitudo, ut retia rumperentur. Respicite nunc ad istam piscationem quæ hodie recitata est. Facta est enim post resurrectionem Domini, ut significaret talem futuram Ecclesiam post

A nostram resurrectionem. *Mittite*, inquit, *rete in dexteram partem*. Discretus est ergo numerus eorum qui ad dexteram stabunt. Meministis enim Dominum dixisse, venturum se esse cum angelis suis : *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et dividet eas sicut pastor dividit oves ab hædis*. Oves ponet ad dexteram, hædos ad sinistram. Ovibus dicturus est : Venite, percipite regnum; hædis dicturus est, ite in ignem æternum (*Matth.* XXV). *Mittite in dexteram*. Tanquam diceret : Jam surrexi, Ecclesiam volo significare, quæ erit in resurrectione mortuorum. *Mittite in dexteram*. Missa sunt retia in dexteram, nec poterant ea levare præ multitudine piscium, et ibi dicta est multitudo, sed certus numerus, et multitudo, et magnitudo? ibi autem non est numerus.
B Modo autem antequam veniat resurrectio, et separentur boni a malis, illud impletur quod ait propheta : *Annuntiavi et locutus sum*, retia misi, et quid? *Multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX). Numerus ad sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerum modo in Ecclesiam intrare possunt, in regnum non possunt. Quare admoneo ut eripiatis vos de præsenti sæculo malo; quare admoneo? ut qui vultis vivere, non imitemini malos Christianos. Non dicatis : Quare ille fidelis non est, et inebriatur? Quare ille non fidelis est, et concubinas habet? Quare ille non fidelis est, et quotidie fraudes facit? Quare ille non fidelis est, et mathematicos consulit? Modo enim qui volueritis esse grana,
C tunc inveniemini in massa. Qui autem volueritis esse palea, inveniemini in magno acervo, sed magno igne incendendo. Qui ergo adduxerunt, inquit, retia ad littus? Petrus adduxit retia ad littus. Modo cum evangelium legeretur, audistis; ubi audistis littus, intelligite finem maris; ubi audistis finem maris, intelligite finem sæculi. In illa piscatione non ad littus attracta sunt retia, sed ipsi pisces qui capti sunt in naviculis fusi sunt. Hic autem traxerunt ad littus. Spera finem sæculi, venturus est finis bonus dextrorum; malus sinistrorum. Et quid pisces? Attraxerunt, inquit, retia habentia pisces centum quinquaginta tres. Et adjecit evangelista rem necessariam : *Et cum tanti*, id est, tam magni *essent, non est scissum rete*. Magni erunt, sed hæreses non erunt,
D et ideo magis hæreses non erunt, quia magni erunt. Qui sunt magni? Lege verba ipsius Domini in Evangelio, et invenies magnos. Ait enim in quodam loco : *Non veni legem solvere, sed adimplere. Amen enim dico vobis*, quoniam quicunque *solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic* bona dicendo, solverit male vivendo, *minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V). Sed in quo regno cœlorum? In Ecclesia quæ modo est, quia et ipsa vocatur regnum cœlorum. Nam si non vocaretur regnum cœlorum et ista Ecclesia quæ colligit malos et bonos, non diceret ipse Dominus in parabola loquens : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, quæ congregat omnia genera piscium (*Matth.* XIII). Sed ecce quid sequitur : *Simile est regnum cœlorum* ....

Digitized by Google

*genæ missæ in mare*. Sagena retia sunt, congregat omnia genera piscium. Sed quid? Attrahunt illa ad littus. Hoc in parabola Dominus dicit. Et cum traxerint ad littus, sedent et colligunt bonos in vascula, malos autem projiciunt. Et exposuit quod proposuit, quid enim ait? Sic erit in consummatione sæculi. Intellexistis littus? Venient, inquit, angeli et colligent malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis ardentis; *ibi erit fletus, et stridor dentium*. Tamen regnum cœlorum appellat Ecclesiam: et quia antea in mari habet pisces simul natantes et bonos et malos, in isto regno cœlorum, id est, in Ecclesia hujus temporis, minimus vocatur ille qui docet bona et agit mala, quia ibi est et ipse. Non enim non est ibi, sed ibi est in regno cœlorum, id est in ecclesia hujus temporis, minimus vocatur ille qui docet bona et agit mala, quia ibi est et ipse. Non enim non est ibi, sed ibi est in regno cœlorum, id est, in Ecclesia, qualis est in illo tempore. Docet bona, agit mala. Necessarius est mercenarius. *Amen, dico vobis*, ait, perceperunt *mercedem suam* (*Matth.* VI). Prodest aliquid. Nam si nihil prodessent quia bona docent et male vivunt, non diceret ipse Dominus populo suo: Scribæ et Pharisæi in cathedra Moysi sedent; quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite (*Matth.* XXIII). Quare? Dicunt enim, et non faciunt. Intendat ergo charitas vestra, volo enim exponere qui sunt pisces magni. *Qui solverit* (inquit) *unum de mandatis istis minimis*, *minimus vocabitur in regno cœlorum:* ibi erit, sed minimus erit. *Qui autem fecerit et docuerit* sic, *magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V). Et ecce, isti sunt illi pisces magni ad dexteram capti. Qui fecerit et sic docuerit, bona docuerit, non sibi loquenti male vivendo contradixerit, cum malæ vitæ testem habeat linguam bonam. Qui ergo fecerit et sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Et sequitur: Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra super scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Modo quomodo intelligitis regnum cœlorum? Illud, unde dicitur dextris: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV). Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Respicite scribas illos et Pharisæos qui in cathedra Moysi sedent, de quibus dictum est, quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim, et non faciunt. Ergo justitia Pharisæorum est dicere, et non facere. Abundet justitia vestra super scribarum et Pharisæorum, ut bona dicatis, et bene vivatis. Nunc ergo de numero centum quinquaginta et trium piscium quid opus est eadem retexere? Nostis illa, a decem et septem nascitur numerus crescens. Incipe ab uno, perveni ad decem et septem, ut omnes addas, id est, unum addas ad duos, et fiunt tres: addas tres, et fiunt sex: addas quatuor, et fiunt decem. Sic omnes adde usque ad decem et septem, et pervenis usque ad centum et quinquaginta tres. Tota ergo intentio nostra esse non debet, nisi quid sibi volunt decem et septem; ibi est enim fundamentum centum quinquaginta trium. Quid sibi volunt decem? Et in lege agnosce decem. Decem præcepta data sunt. Primo decalogus dicitur scriptus in tabulis digito Dei. In decem agnosce legem, in septem agnosce Spiritum sanctum. Septenario enim numero commendatur Spiritus sanctus, ideo non nominatur in lege sanctificatio, nisi septimo die. Fecit Deus lucem, non dictum est, consanctificavit eam. Fecit firmamentum, non dictum est, sanctificavit firmamentum. Jussit germinare terram. Discrevit mare a terra, non dictum est, sanctificavit. Fecit lunam et sidera, non dictum est, sanctificavit. Jussit animantia procedere de aquis natantia et volantia, non dictum est, sanctificavit. Jussit de terra exire animalia quadrupedia et omnia reptilia, non dictum est, sanctificavit. Fecit et ipsum hominem, non dictum est, sanctificavit. Ventum est ad septimum diem, ubi requievit, et ipsum sanctificavit. Per requiem suam Deus sanctificavit requiem nostram. Ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, ubi cum illo sine fine requiescamus. Nam quare Deus requiesceret? Non enim operando fatigatus est. Tu si verbo facias non fatigeris? Si jubes, et continuo fiat, stas, integer manes. Pauca verba dixit, unde totum fecit, et subito lassatus est. Ergo agnosce legem in decem, Spiritum sanctum agnosce in septem. Jungatur spiritus legi, quia si acceperis legem, et defuerit tibi adjutorium spiritus, non imples quod legis: non imples quod jubetur tibi, sed homo sub lege insuper prævaricator tenetur. Accedat spiritus, adjuvet, et fit quod jubetur. Si desit spiritus, littera occidit te. Quare littera occidit te? Quia prævaricatorem te faciet, nec potes excusari de ignorantia: qui legem accepisti, quid jam faceres didicisti. Ignorantia te non excusat, spiritus te non adjuvat, ergo periisti. Sed quid ait apostolus Paulus? *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Inde spiritus vivificat, quia facit impleri litteram ne occidat. Isti sunt sancti qui faciunt legem ex dono Dei. Lex jubere potest, juvare non potest. Accedit adjutor spiritus, et fit jussum Dei cum gaudio, cum delectatione. Nam multi faciunt a timore, sed qui faciunt legem timendo pœnam, mallent non esse quod timebant; qui autem faciunt amando justitiam, gaudent ibi, quia non habent inimicam. Ideo dicit Dominus: Concorda cum adversario tuo cito dum es cum illo in via (*Matth.* V). Quis est adversarius tuus? sermo legis. Quæ est via? vita ista. Quomodo est ille adversarius? Dicit tibi, *Non mœchaberis*, et tu vis mœchari? Dicit, *Non concupisces rem proximi tui*, et tu vis rapere res alienas? Dicit, *Honora patrem et matrem*, et tu contumeliosus es in parentes? Dicit lex, *Noli dicere falsum testimonium*, et tu a mendacio non recedis? Quando vides, quia ille sermo aliud jubet, et tu aliud facis, non est adversarius tuus? Adversarium habes malum, non tecum intret secretarium tuum, compone dum es cum illo in via. Adest Dominus qui nos concordet. Quomodo nos concordat

Deus? Donando peccata, et inspirando justitiam, ut fiant opera bona. Cum ergo concordaveris cum adversario tuo, id est cum decalogo legis per spiritum sanctum, pertinebis ad decem et septem. Cum pertinueris ad decem et septem, jam exinde excrescit numerus ad centum et quinquaginta tres, eris ad dextram coronandus, ne remaneas ad sinistram damnatus. Ipso adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CXXXI.

### IN FERIA QUINTA PASCHÆ

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum*, etc. (*Joan.* XX.)

Maria Magdalene, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1189.

## HOMILIA CXXXII.

### IN FERIA SEXTA PASCHÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus: et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt*, etc. (*Matth.* XXVIII.)

Evangelica lectio, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ LXXIV, col.* 144.

## HOMILIA CXXXIII.

### IN SABBATO POST PASCHA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore, una sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento*, etc. (*Joan.* XX.)

Fractus longa molestia stomachus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1174.

## HOMILIA CXXXIV.

### IN OCTAVA PASCHÆ.

(Ex eodem.)

*In illo tempore, cum esset sero die illa una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus*, etc. (*Joan.* XX).

Prima lectionis hujus evangelicæ quæstio, etc. *Reliqua vide apud eumdem sanctum Gregorium, tomo ut supra, col.* 1197.

## HOMILIA CXXXV.

### IN DIE SANCTI THOMÆ.

*Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus* (*Joan.* XX).

Iste unus discipulus defuit: reversus quod gestum est audivit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, et non credenti discipulo latus palpandum præbuit, manus ostendit, et ostensa suorum cicatrice vulnerum, infidelitatis illius vulnus sanavit. Quid, fratres charissimi, quid inter hæc animadvertitis? A Nunquid casu gestum creditis ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. B Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans, testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. Palpavit autem et exclamavit: *Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti.* Cum Paulus apostolus dicat: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI), profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur, *quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et Deum confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus* C *meus*. Videndo igitur credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat, exclamavit. Lætificat valde quod sequitur: *Beati qui non viderunt, et crediderunt*. In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem in carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus [operando] sequimur. Ille etenim vere credit qui exercet operando quod credit. Quod contra de his qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est* (*Jacob.* II). Hinc ad beatum Job de antiquo hoste generis humani Dominus dicit: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et fiduciam habet quod influat Jordanis in os ejus* D (*Job.* XL). Quis enim per fluvium designatur, nisi humani generis fluxus. Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit, et quasi aquæ more, usque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Jordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim in Jordane flumine ipse auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, recte Jordanis nomine eorum multitudo exprimitur qui intra sacramentum baptismatis continentur. Antiquus ergo hostis generis humani fluvium absorbuit, qui a mundi origine usque ad redemptoris adventum, vix paucis electis evadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo recte dicitur: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur*, quia pro magno non ha-

Digitized by Google

A bet cum infideles rapit. Sed grave est valde quod subditur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*, quia postquam infideles quosque a mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere etiam fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie devorat, in quibus a confessione fidei reproba vita discordat. Hoc ergo, fratres charissimi, tota intentione pertimescite, hoc apud vos sollicita mente cogitate. Ecce paschalia solemnia agimus. Sed ita videndum nobis est, ut pervenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta quæ temporaliter festiva celebrantur. Curate qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? Umbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens. Idcirco hanc agimus annue, ut ad illam quæ non est annua, sed continua, perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudii temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat et ferveat, ut ex veritate lætitiæ perfruatur in patria, quod de umbra gaudii meditatur in via. Vitam igitur vestram, fratres, moresque componite. Is qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus in judicio veniat, prævidete. Certe in die tremendi examinis sui cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cum principatibus et potestatibus apparebit, cœlis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequii terrore commotis. Hunc ergo tanti pavoris judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete, ut hunc cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram a pravitate compescat. Mihi, fratres, credite, quia tanto tunc erimus securi de ejus sententia, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Certe si aliquis vestrum cum suo adversario causam dicturus, in meo judicio die crastina esset exhibendus, totam fortasse noctem insomnem duceret, quid sibi dici posset, quid objectionibus responderet, secum sollicita et æstuanti mente versaret: ne me inveniret asperum, vehementer metueret: ne apud me appareret noxius, formidaret. Et quis ego, aut quid ego? Nimirum non longe post futurus post hominem vermis, atque post vermem pulvis. Si ergo tanta cura pertimescitur judicium pulveris, qua intentione cogitandum est, qua formidine providendum tantæ judicium majestatis? Sed quia sunt nonnulli qui de resurrectione carnis incerti sunt, et hanc tunc rectius docemus, si etiam cordium vestrorum quæstionibus occultis occurrimus, pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim, sicut et nos aliquando fuimus, dum carnem in putredinem, ossaque in pulverem redigi per sepulcra conspiciunt, reparari ex pulvere carnem et ossa diffidunt, sicque apud se quasi ratiocinantes dicunt: Quando homo ex pulvere reducitur? Quando agitur ut cinis animetur? Quibus breviter respondemus, quia longe minus est Deo reparare quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficit, qui simul omnia ex nihilo creavit? Mirabilius namque est cœlum et terram ex nullis existentibus condidisse, quam ipsum hominem ex terra reparare. Sed cinis attenditur, et in carnem redire posse desperatur, et divinæ operationis virtus comprehendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcirco in suis cogitationibus dicunt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in uno grano parvissimi seminis latet tota quæ nascitura est arboris moles. Constituamus namque ante oculos cujuslibet arboris miram magnitudinem, cogitemus unde oriendo cœpit quæ ad tantam molem crescendo pervenit, inveniemus procul dubio ejus originem B parvissimum semen. Consideremus nunc ubi in illo parvo seminis grano latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum. Contrectatum namque seminis granum non est validum, unde ergo processit ligni duritia? Non est asperum, unde asperitas corticis erupit? Non est saporum [saporosum], unde sapor in fructibus? Olfactum nil redolet, unde odor in fructibus fragrat? Nil in se viride ostendit, unde foliorum viriditas exivit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt. Ex semine quippe producitur radix, ex radice prodit virgultum, ex virgulto oritur fructus, in fructu etiam producitur semen. Addamus ergo quia et semen latet in semine. C Quid ergo mirum si ossa, nervos, carnem capillosque reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex parvo quotidie semine restaurat? Cum ergo dubitans animus de resurrectionis potentia rationem quærit, earum rerum ei quæstiones inferendæ sunt quæ et incessanter fiunt et tamen ratione comprehendi nequaquam possunt, ut dum non valet ex visione rei penetrare quod conspicit, de repromissione divinæ potentiæ credat quod audit. Illa ergo vobiscum, fratres charissimi, præmissa cogitate, quæ permanent, quæ vero cum tempore transeunt velut jam dimissa despicite. Ad hujus resurrectionis gloriam, quam in se veritas ostendit, tota intentione festinate: terrena desideria quæ ab auctore separant, fugite: quia D tanto altius ad conspectum Dei omnipotentis pertingitis, quanto mediatorem Dei et hominum singularius amatis, qui vivit et regnat, etc.

## HOMILIA CXXXVI.

### DE EADEM DOMINICA. AD NEOPHYTOS.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Paschalis solemnitas, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus in tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2075.

## HOMILIA CXXXVII.

### IN DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ego*

Digitized by Google

*sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit* A *pro ovibus suis*, etc. (*Joan.* x.)

Audistis, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXV, col.* 1127.

## HOMILIA CXXXVIII.

### IN DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Modicum, et jam non videbitis me: et iterum modicum et videbitis me*, etc. (*Joan.* XVI.)

Læta Domini et Salvatoris nostri promissa, etc. *Reliqua videsis apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 154.

## HOMILIA CXXXIX.

### IN DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?* etc. (*Joan.* XVI.)

Sicut ex lectione evangelica, fratres, etc. *Reliqua vide apud eumdem Bedam, tomo ut supra, col.* 158.

## HOMILIA CXL.

### IN DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, etc. (*Joan.* XVI.)

Potest movere infirmos auditores, etc. *Reliqua vide apud eumdem Bedam, tomo ut supra, col.* 165.

## HOMILIA CXLI.

### IN LITANIA MINORI.

(Ex venerabilis Bedæ in Lucæ Evangelium expositione, lib. III.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte, et dicet illi*, etc.? (*Luc.* XI.)

Rogatus a discipulis Salvator, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 473, lin. 17.

## HOMILIA CXLII.

### IN VIGILIA ASCENSIONIS.

(Ex beati Augustini in Joannis Evangelium tractatu, tract. CIV, num. 1.)

*In illo tempore, sublevatis Jesus oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*, etc. (*Joan.* XVII.)

Ante ista quæ nunc, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1901.

## HOMILIA CXLIII.

### IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore, recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis*, etc. (*Marc.* XVI.)

Quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1213.

## HOMILIA CXLIV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Post beatam et gloriosam resurrectionem Domini nostri, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem papam, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 394.

## HOMILIA CXLV.

### IN DOMINICA POST ASCENSIONEM.

B (Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, etc. (*Joan.* XV.)

Ex multis sancti Evangelii locis invenimus, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 181.

## HOMILIA CXLVI.

### IN VIGILIA PENTECOSTES.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea servate: et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum* C *in æternum*, etc. (*Joan.* XIV.)

Quia sancti Spiritus, fratres charissimi, celebramus adventum, etc. *Reliqua vide apud eumdem Bedam, tomo ut supra, col.* 189.

## HOMILIA CXLVII.

### IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, etc. (*Joan.* XIV.)

Libet, fratres charissimi, evangelicæ verba lectionis sub brevitate transcurrere, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Pa-* D *trologiæ LXXVI, col.* 1220.

## HOMILIA CXLVIII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Nosse credo vos, fratres, quæ sit ratio, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 375.

## HOMILIA CXLIX.

### INFRA HEBDOMADAM PENTECOSTES.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Dominus suavis, fratres charissimi, et mitis, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1909.

Digitized by Google

## HOMILIA CL.

IN FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

(Ex beati Augustini in Evangelium Joannis tractatu duodecimo, *passim*.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam*, etc. (*Joan.* III.)

Tota cordis nostri intentio, fratres, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1484, *lin.* 32.

## HOMILIA CLI.

IN FERIA TERTIA PENTECOSTES.

(Ex sancti Augustini in Joannis Evangelium tractatu quadragesimo quinto.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen, dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*, etc. (*Joan.* X.)

De illuminato illo, etc. *Reliqua vide apud eumdem sanctum Augustinum, tomo ut supra, col.* 1719.

## HOMILIA CLII.

IN FERIA QUARTA PENTECOSTES.

(Ex sancti Augustini in Joannis Evangelium tractatu vigesimo sexto.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, etc. (*Joan.* VI.)

Cum Dominus noster Jesus Christus, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 1606.

## HOMILIA CLIII.

IN FERIA QUINTA PENTECOSTES.

(Ex beati Hieronymi in Evangelium Matthæi expositione, *passim*.)

*In illo tempore, convocatis Jesus duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent*, etc. (*Luc.* IX.)

Præcedentibus sancti hujus Evangelii locis narrat beatus Lucas, quia in illis diebus *exiit Jesus in montem orare, et erat diu pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI). *Et cum dies*, inquit, *factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis*. Forma igitur præscribitur, o homo, quam debes æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus apostolos prius orare curavit? Non autem omnis qui orat ascendit in montem. Est enim oratio quæ peccatum facit. Sed qui bene orat, qui Deum orando quærit, hic a terrenis ad superiora progrediens, verticem curiæ sublimioris ascendit. Qui vero de divitiis, aut honore sæculari, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis jacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem Dominus, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret. Nam et si omnia posuerit Pater in potestate Filii, Filius tamen ut formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat pro nobis esse, quia advocatus noster est. *Advocatum enim*, inquit, *habemus apud Patrem, Jesum Christum* (*I Joan.* II). Si advocatus est, debet pro meis intervenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quia omnia quæ vellet posset? Et advocatus et judex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. Vis quoque scire quia mihi non sibi oraverit? *Et cum dies*, inquit, *factus esset vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis* (*Luc.* VI). Ubi notandum, quod evangelica et apostolica Scriptura non solum illos duodecim appellat discipulos Christi, sed et omnes in eum credentes, qui ejus ministerio ad regnum cœlorum erudiebantur. Discipuli quippe a discendo sunt vocati, de quorum multitudine quos ipse voluit elegit, quos et apostolos nominavit. Apostoli Græce, Latine missi dicuntur. Cujus sacramentum nominis exponens evangelista Marcus, ait: *Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare evangelium* (*Marc.* III). Et ipse Dominus dicit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* XX). Qui bene duodecim sunt electi, ut videlicet mundi salutem quam verbo prædicarent, suo quoque numero mystice commendarent. Ter enim quaterni decas dispondius. Hinc est illud, quia cum in typo Ecclesiæ Salomon Domino templum conderet, fecit et mare æneum, in quo sacerdotes lavarentur (*II Par.* IV). Duodecimque hoc boum clunibus imposuit, quorum tres aquilonem, tres occidentem, tres meridiem, et tres aspicerent orientem: figuraliter insinuans, quoniam apostoli apostolorumque successores, cunctas orbis quadrati plagas fide et confessione sanctæ Trinitatis essent a peccatorum labe purgaturi. Qui bene etiam in monte eliguntur. Mons ille in quo apostolos elegit Dominus, altitudinem designat justitiæ, qua instituendi erant, et quam prædicaturi hominibus. Nam quia missurus erat eos ad prædicandum evangelium regni cœlestis, merito per sublimitatem loci in quo electi sunt, admonere voluit eos, non in infimis desideriis animum dissolvere, sed ad superna desideranda et quærenda semper erigere debere. Sic etiam legem daturus priori populo suo, in monte apparuit, de monte quæ agenda essent innotuit. Verum quia necdum erat tempus ut diceretur: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III), sed tantum dicebatur: *Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (*Exod.* XX). Quamvis hæc eadem verba typice regnum nobis æternum quod est in terra viventium, promittant, nequaquam populus loquenti in monte Domino appropinquare valuit, de inferioribus quæ dicerentur audivit, quia necdum mente capaci ad intelligenda mysteria quæ dicebantur ascendere noverat; solusque Moyses, quia legem spiritualiter audire didicerat, montis in quo erat Dominus, verticem conscendit (*Exod.* XIX). Bene autem dicitur, quia ascendens in montem Dominus, vocavit ad se quos voluit ipse. Non enim illorum electionis ac studii, sed divinæ erat dignationis et gratiæ, ut in apostolatum vocarentur. Unde et eis alibi dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV). Modo autem fratres, cum evange-

Digitized by Google

lium legeretur, audivimus, quia convocatis Jesus duodecim apostolis, dedit illis potestatem et virtutem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Benignus et clemens Dominus ac magister non invidet servis atque discipulis virtutes suas exercere. Et sicut ipse curaverat omnem languorem, et omnem infirmitatem, apostolis quoque suis tribuit potestatem, ut curarent omnem languorem, omnem infirmitatem. Sed multa distantia est inter habere et tribuere, donare et accipere. Iste quodcunque agit, potestate Domini agit. Illi quidquid faciunt, imbecillitatem suam, et virtutem Domini confitentur, dicentes : *In nomine Jesu surge et ambula* (*Act.* III). Notandum autem, quod in duodecimo loco secundum Matthæum prima potestas signorum apostolis conceditur (*Matth.* X). Nec hoc mysterio caret, quod duodenario numero chorus apostolicus concluditur, ut scilicet mundi salus quæ verbo ab eis prædicaretur, suo etiam numero commendaretur. Ter etenim quaterni, duodecim faciunt. Et ter quaterni ad prædicandum sunt missi apostoli, ut per universas quadrati orbis plagas baptizarent gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Unde et de civitate sancta Hierusalem descendente de cœlo a Deo, scriptum est, quia erant ei ab oriente portæ tres, et ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres (*Apoc.* XXI). Ubi figuraliter ostendebatur, quia prædicantibus apostolis, apostolorumque successoribus, cunctæ per orbem nationes in fide sanctæ Trinitatis Ecclesiam essent ingressuræ. In quo etiam sacramento ita quondam filii Israel circa tabernaculum castra metabantur, ut ex omni parte quadrum, ternæ tribus manerent. Quia primitiva nimirum Ecclesia, quæ erat in Judæa, undique per circuitum sui credentibus, toto orbe nationibus, spiritualia Deo castra erat in fide et confessione sanctæ Trinitatis fixura. *Dedit*, inquit, *illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.* Postquam Dominus nefandos spiritus se prædicare perhibuit, elegit sanctos, qui et immundos spiritus ejicerent, et ipsi evangelium munda mente ac lingua prædicarent ; quibus etiam cæteras infirmitates curandi, necnon et mortuos suscitandi (ut Matthæus evangelista scribit) contulit facultatem (*Matth.* X). *Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos.* Fortasse enim nemo crederet hominibus illitteratis promittentibus regna cœlorum, ideo concessit illis primum potestatem signorum, et tunc misit prædicare regnum Dei, ut promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque daret verbis virtus ostensa, et nova facerent, qui nova prædicarent ; atque ad hoc visibilia miracula in sanandis infirmitatibus exhiberent, ut corda audientium ad fidem invisibilium pertraherent. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt, qui vitam virtutum tenent, et signa virtutum non habent, quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam juxta magistri gentium vocem, linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV). Verum signa quæ tunc per apostolos corporaliter fiebant, quotidie in sancta Ecclesia per sanctos prædicatores spiritualiter fiunt, cum in fide quis infirmus, eorum prædicatione roboratur ad fidem ; cum mortuus quis in peccatis, gratia et misericordia Dei compunctus, per eorum eruditionem resuscitatur ad pœnitentiam et confessionem peccatorum suorum, dignaque emendatione vitam merebitur sempiternam. Seductus quis a diabolo in fornicatione, aut avaritia quæ est idolorum servitus, aut etiam quorumdam capitalium criminum deceptus errore, quæ omnia esse lepra animæ judicantur, per ora doctorum, vel etiam per exempla sanctitatis compuncti, redeunt ad sinum matris Ecclesiæ, confitentes se jugiter in maximis deliquisse, et gemitum peccatorum suorum incessabiliter ostendentes, culpas suas eleemosynis, cæterisque operibus misericordiæ redimunt, donec emendationem vitiorum quibus implicati fuerant, in pœnitentia permanentes percipiant : nonne hi quasi lepra mundati, salutem merentur æternam ? *Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Tanta ergo sacerdotibus debet in Deo esse fiducia, ut nequaquam curis terrenæ negotiationis, nec desideriis sæculi implicentur. Et quamvis præsentis vitæ sumptus non provideant, tamen hos sibi nunquam deesse certissime sciant, si in opere voluntatis Dei, in verboque prædicationis fideliter laborent, ne dum mens eorum occupantur ad temporalia, minus sibi subjectis provideant æterna. Pauperem videlicet vitam sacerdotes debere habere demonstrat, ne viderentur causa lucri prædicare ; quia qui divitias detruncavit, propemodum et necessaria vitæ amputavit, thesaurisque prohibitis, etiam gulam prohibet, cum panem portare contradicit. In virgæ prohibitione nos admonet, non aliunde nisi a Domino auxilium quærere, ut qui Domini habemus auxilium, baculi præsidia non quæramus. Unde alibi dicit : *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Luc.* XII). Cum peram prohibuit, honores terrenos vel etiam humanos favores, necnon et delectationem carnis omnimodis nos vitare debere monstrat. Cum panem contradicit, monet, ut non in crapula et ebrietate sit conversatio nostra, et qui aliis abstinentiam prædicamus, nos vitium gulæ a nobis abscindamus. Porro Marcus dicit, sandaliis eos calceatos esse præcipi (*Marc.* VI), ut neque pes tectus sit, neque nudus terram tangat, id est, ut terreni commodi appetitu nequaquam prædicatio occultetur, nec etiam exempla prava a sacerdotibus subditis demonstrentur. Per pecuniam occulta sapientia designantur. Qui enim sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare, proximo negligit, quasi pecuniam clausam portat. Verum quisquis officium doctoris accipit, neque oneribus sæcularium negotiorum deprimi, neque desideriis carnalibus resolvi, neque commis-

Digitized by Google

suum sibi talentum verbi sub otio debet lenti torporis abscondere. Cum duas tunicas prohibet, monet nos non duplici esse animo, aliud ore loquentes, et aliud in corde gestantes, sed benevolos et benignos nos esse ad omnes. In alio evangelio scribitur Dominum apostolos vetuisse *possidere aurum vel argentum, neque pecuniam in zonis, non peram in via*, etc. (*Matth.* x). Consequenter hoc præcipit evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat. *Gratis accepistis, gratis date* (*Ibid.*). Si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri et argenti nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum et argentum, viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare. Æs vero in sacculis ideo amputavit, ut apostoli doctores veræ religionis, qui instituebant omnia providentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. *Non peram*, inquit, *in via*. Et ex hoc præcepto arguit philosophos, qui vulgo appellantur bactroperitæ, quod contemptores sæculi, et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehant. *Neque duas tunicas*. In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum, non quod in locis Scythiæ et glaciali nive rigentibus una quis tunica debeat esse contentus, sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore reservemus. Neque calceamenta. Et Plato præcipit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiæ capitis et pedum, cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. *Neque virgam*. Auxilium habentes a Domino, baculi præsidia cur quæramus? Et quia quodammodo nudos et expeditos ad prædicandum miserat apostolos, et dura videbatur esse conditio magistrorum, severitatem præcepti sequenti sententia temperavit, dicens: *Dignus est operarius cibo* (*Matth.* x). Tantum (inquit) accipite, quantum in victu et vestitu vobis necessarium est. Unde et Apostolus replicat: *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus* (*I Tim.* vi). *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omni bono* (*Gal.* vi); ut quorum discipuli metunt spiritualia, consortes eos faciant carnalium suorum, non in avaritia, sed in necessitate. Hæc historice diximus. Cæterum secundum anagogen: Non licet magistris aurum et argentum et pecuniam quæ in zonis est, possidere. Aurum sæpe legimus pro sensu, argentum pro sermone, æs pro voce. Hæc nobis non licet ab aliis accipere, sed data a Domino possidere. Neque hæreticorum et philosophorum perversæque doctrinæ suscipere disciplinas, non sæculi pondere premi, neque duplici esse animo, neque pedes nostros mortiferis vinculis alligare, sed sanctam terram ingredientes esse nudos, neque habere virgam quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præsidio carnis inniti, quia istiusmodi virga et baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, et manum transforat incumbentis. Item neque virgam, id est, potestatis extraneæ jura non indigere, habentes virgam de radice Jesse. Nam quæcunque alia

A fuerit, non erit Christi. Solet autem quæri, quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis, ut nec virgam ferrent (*Luc.* ix), cum dicat Marcus: *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum* (*Marc.* vi). Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam, quæ secundum Lucam et Matthæum non est ferenda: sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est, *Deus neminem tentat* (*Jacob.* i); et sub alia de qua dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deuter.* xiii). Illa seductionis est, hæc probationis. Utrumque ergo accipiendum est a Domino apostolis dictum, ut nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent. B Cum enim secundum Matthæum diceret eis, *Nolite possidere aurum et argentum*, etc., continuo subjecit, *Dignus est operarius cibo suo* (*Matth.* x). Unde satis ostendit, cur hæc eos possidere ac ferre noluerit, non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi monstraret ab eis quibus evangelium credentibus annuntiarent. Claret autem hæc ita non præcepisse Dominum, tanquam evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus annuntiant evangelium. Alioquin contra hæc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset (*Act.* xx), sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. C Cum enim a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est; cum autem potestas datur, licet unicuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, his qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere (*I Cor.* ix), illa apostolis loquebatur, ut securi non possiderent neque portarent hujus vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, nec virgam, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit et illustravit unde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem, virgæ nomine significavit cum dicit, *Ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*, ut intelligatur, quia per D potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam qua esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Quod vero secundum Marcum non portari, vel habere duas tunicas, sed expressius indui prohibet, dicens: *Et ne induerentur duabus tunicis*, quid eos monet, nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? Sufficit enim nobis semel Christus indutus, neve per pravitatem intelligentiæ nostræ altera deinceps vel hæreseos, vel veste legis induamur. Aliter: In prohibitione duarum tunicarum, monemur omnia superflua nostra indigentibus erogare. Unde et Apostolus nos monet, *ut*

Digitized by Google

*habentes victum et vestitum, his contenti simus.* Non mundi pompas quæramus, non divitias sæculi, *sed thesaurizemus nobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, neque furantur. Quia ubicunque thesaurus noster est, ibi et necessario cor nostrum erit* (*Matth.* vi). Ideo indigentibus dare oportet quæ nobis supersunt, quoniam manus pauperis, gazophylacium Christi est. Nos ergo fratres dispensatores Domini sumus. Quapropter videamus et recogitemus, quia cum magna a nobis districtione exigetur, quod hic nobis ad erogandum tribuitur. Unde fideles nos esse dispensatores oportet; nam de substantia quam habemus, nullus fidelior est dispensator quam nosipsi. Dum ergo licet, et dum tempus habemus, sollicite tribuamus. Memores simus quod quidam sapiens dixit:

Munera quæ tibi dat moriens, hæc munera non sunt.

Dicit ergo, non esse [non ita] Deo placabilia munera nostra data post mortem, ut ea quæ in incolumitate hujus vitæ donantur. Quod ergo homo voluerit habere in patria æterna, præparet sibi quousque moratur in hac præsenti vita; quia quæ hic recondit in manu pauperis, illic inveniet in præsentia divinæ majestatis. Melius est ergo ut quisque vivens quæ habet, Deo offerat, quam alius post mortem ejus, quoniam qui semetipsum negligit, post mortem non pœnitebit. Unde et Dominus fideli suo dispensatori in fine dicturus est: *Euge, serve bone, in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv). Sequitur: *Et quamcunque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.* Dat constantiæ generale mandatum, ut hospitalis necessitudinis jura custodiant, alienum a prædicatore regni cœlestis astruens cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare. Nec otiose secundum Matthæum domus quam ingrediuntur apostoli, eligenda decernitur, ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Sic enim scriptum est: *In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis* (*Matth.* x). Super ordinatione episcopi et diaconi Apostolus loquitur: *Oportet autem testimonium eos habere bonum ab his qui foris sunt* (*I Tim.* iii). Apostoli novam introeuntes urbem, scire non poterant quis qualis esset. Ergo hospes fama est eligendus populi, et judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. Cum universis debeant prædicare, hospes unus eligetur, non tribuens beneficium ei qui apud se mansurus est, sed accipiens. Hoc enim dicitur quis in ea dignus sit, ut magis se noverit accipere gratiam quam dare. *Et quicunque non receperit vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite*, etc. Pulvis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt in civitatem, et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis de pedibus, ut nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui evangelium spreverint. Allegorice autem, qui verbo humiliter intendunt, si

A quibus, ut homines, terrenæ levitatis nævis obscurantur, per ea mox quæ recipiunt evangelicæ prædicationis vestigia purgantur. Qui vero perfidia, vel negligentia, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur. Excutiendus est pedum pulvis, ne gestis inanibus, et pulveri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur. Aliter: Pedes discipulorum, ipsum opus, incessumque prædicationis significant. Pulvis vero quo asperguntur, terrenæ levitas est cogitationis, a qua etiam ipsi summi doctores immunes esse nequeunt, cum pro auditoribus solliciti, salubribus curis incessanter intendunt, et quasi per itinera mundi, uno vix calcaneo terræ pulverem legunt. Qui ergo receperint verbum, ipsi afflictiones curasque doctorum,
B quas pro se tolerabant, in argumentum sibi vertunt humilitatis. Qui vero spreverint doctrinam docentium, sibi labores et pericula, tædiumque sollicitudinum ad testimonium damnationis inflectunt. Et ipse est pulvis, qui in evangelii contemptores alibi extergi mandatur, et a quo per bonos auditores, evangelistarum jubentur pedes ablui, imo per ipsum salvatorem narrantur abluti (*Luc.* x). *Egressi autem circumibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.* Quid evangelizarent, vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius: *Prædicabant*, inquit, *ut pœnitentiam agerent, et ungebant oleo multos infirmos, et sanabantur* (*Marc.* vi). Dicit et Jacobus: *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ ut orent super eum, ungentes eum oleo in*
C *nomine Domini, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei* (*Jac.* v). Unum patet ab ipsis apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ more esse contraditum, ut pontificali benedictione consecrato oleo perunganiur ægroti. Prædicabant autem ut pœnitentiam agerent. Et supra: *Misit illos*, inquit, *evangelizare regnum Dei*, quia videlicet utrumque (juxta Joannis Baptistæ, vel ipsius Domini salvatoris exemplum) prædicabant: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*, (*Matth.* iii). Regni cœlorum januis appropinquare, est de his quemque quibus ab eo deciderat, pœnitere.

## HOMILIA CLIV.

### IN FERIA SEXTA PENTECOSTES.

D *In illo tempore factum est una dierum, et Jesus sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Hierusalem. Et virtus Domini erat ad sanandum eos*, etc. (*Luc.* v.)

Salvator hominum Dominus, salutari omnia lustrat incessu, et nunc in desertis, nunc in civitate, nunc ad mare doctrinæ cœlestis, et virtutum dona turbis ministrat. Nunc in monte solus orat, nunc laborantes in mari ne perire debeant, adjuvat. Ubique munera salutis impartitur, ut omnes gradus ac conditiones ad suam gratiam pertinere demonstret. *Conveniebant*, inquit evangelista, *turbæ multæ ut audirent Jesum, et curarentur ab infirmitatibus suis: ipse autem secedebat in desertum, et orabat.* Juxta mysti-

Digitized by Google

cum intellectum, post factum in civitate miraculum, perfecta utique leprosi curatione, quem supra describit evangelicus sermo Domino tangente mundatum, secedit in desertum, ibique convenientes ad se turbas benigna pietate suscipit, ut ostendat se magis quietam, et a sæculi curis remotam diligere vitam, atque ob hujus appetitum sanandis curam adhibere corporibus. Et quidem more humano quasi frequentiam se quærentium declinans, nolebat manifeste civitatem introire, sed allegorice docebat, quia tumultuosis carnalium mentibus apertam sui manifestationem veritas non exhibet, sed quoscunque ab illecebris rerum temporalium viderit esse discretos, his suorum lucem donorum largius infundit. Verum quia nec carnales superna pietas deserit, quin etiam his gratiam suæ visitationis per quam ipsi spirituales effici valeant, indulget, post desertum (ut Marcus scribit) Dominus redit in civitatem, multisque ibidem convenientibus loquitur verbum, ac sanato paralytico, pluribus occasionem internæ sanationis, quæ est in fide, tribuit. Aliter: Quod in urbe Dominus miracula facit, in deserto vero, vel (ut legitur) in monte orando pernoctat, utriusque vitæ nobis, et activæ videlicet et contemplativæ, documenta præmonstrat, ut nec contemplationis studio quis proximorum curam negligat, nec cura proximorum immoderatius obligatus, contemplationis studia derelinquat, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi abjiciat amor Dei. In monte quippe orare, est relictis infimarum cogitationum curis, tota mente quemlibet ad æterna supernæ contemplationis gaudia festinare. In desertum secedere, et orare, est exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premere, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærere, ubi cum illo, cessante exteriore tumultu, per interna desideria silenter loquatur. Quod vero legitur secundum Marcum, quia docente Domino in domo, *tam multi convenerunt, ut non caperent, neque ad januam* (*Marc.* II), nostram proprie salvationem, qui de gentibus ad fidem venimus, designat. Quia prædicante in Judæa Domino, necdum intrare ad audiendum valuimus, ad quos tamen etsi foris positos, verba suæ doctrinæ fecit pervenire, quia nos ipse per sanctorum ora prædicatorum collegit, et quamvis extra synagogam, in qua ipse prædicabat, inventos, evangelii sui fecit esse participes. Consideratis quæ ab evangelista compendio sunt præmissa, quod sequitur de evangelio, et hodie lectum est, consequenter et nos videamus, et quod Dominus donaverit, hinc dicamus: *Et factum est in una dierum, et Jesus sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ et Judææ, et Hierusalem. Et virtus Domini erat ad sanandum eos.* Ubi Dominus sedens docuerit, quando Scribis et Pharisæis consedentibus paralyticum curavit, Lucas breviandi causa præterit; sed Matthæus et Marcus qui narrant, quæstionem facere videntur, quoniam quidem Matthæus in civitate

A sua, Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testatur (*Matth.* IX, *Marc.* II). Quæ difficilius solveretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret. Nunc vero vel ipsa Galilæa, in qua erat Nazareth, intelligenda est dicta civitas Christi, ad distinctionem videlicet regionis transmarinæ Gerazenorum: de qua transfretando, sicut Matthæus scribit, venerat Galilæam vel certe ipsa Capharnaum civitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando, suam ipse fecerat. *Et ecce viri portantes in lectulo hominem qui erat paralyticus, et quærebant eum inferre et ponere ante Jesum.* Obtulerunt autem eum paralyticum jacentem in lectulo, quia ipse ingredi non valebat. Curatio paralytici hujus, animæ post diuturnam illecebræ carnis inertiam, ad Christum

B suspirantis indicat salvationem, quæ primo omnium ministris qui eam sublevent, et Christo offerant, id est, bonis doctoribus, qui spem sanationis opemque intercessionis suggerant, indiget. Qui bene Marco narrante, quatuor fuisse reperiuntur, sive quia quatuor evangelii libris omnis prædicantium virtus, omnisque sermo firmatur, seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur. Has namque, ut alio loco didicimus, cardinales videlicet, non immerito intelligamus. Aliarum enim virtutum in ordine istæ præcedentes, istis illæ condependent quasi in cardine. De quibus in æternæ sapientiæ laude dicitur: *Sobrietatem enim et justitiam docet,*

C *et sapientiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus* (*Sap.* VIII), quas nonnulli versis nominibus prudentiam, fortitudinem, temperantiam et justitiam appellant. *Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum per tegulas.* Desiderant paralyticum Christo offerre, sed turba interposita, ab omni parte recluduntur: quia sæpe anima post infirmi corporis desidiam ad Deum resipiscens, supernæque gratiæ remedio cupiens renovari, priscæ consuetudinis obstaculo retardatur. Sæpe inter ipsas orationes secretæ dulcedinis, et quasi suave cum Domino colloquium, turba cogitationum interveniens, aciem mentis, ne Christus videatur, intercludit. Et quid inter hæc agendum? Non a salutis desiderio torpendum. Non

D utique in infimis exterius qua turbæ tumultuantur, remanendum, sed tectum domus in qua Christus docet, ascendendum, id est, sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, lexque Domini cum psalmista die noctuque meditanda. In quo enim corrigit junior viam suam? In custodiendo, inquit, sermones tuos (*Psal.* CXVIII). *Et submiserunt illum cum lecto in medio ante Jesum.* Patefacto tecto, æger ante Jesum submittitur, quia reseratis Scripturarum mysteriis, ad notitiam Christi pervenitur, hoc est, ad humilitatem fidei pietate descenditur. Et bene domus Jesu tegulis contecta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine, si adsit qui reseret, divina spiritualis gratiæ virtus invenitur: unde juxta alterius evangelistæ narrationem, *nudaverunt tectum*

Digitized by Google

*ubi erat Jesus* (*Marc.* II). Denudatio etenim tegularum in domo Jesu, apertio est in vilitate litteræ spiritualis sensus et arcanorum cœlestium. Quod autem cum lecto deponitur, significat, ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Juxta mysticum vero sensum, jam in paralytico gentium universitas offertur medenda. Et curationis ipsius Domini verba sunt contuenda. Non dicitur paralytico, salvus esto; non dicitur, surge et ambula; sed (ut Matthæus scribit) tantum dicitur: *Constans esto, fili, remissa sunt tibi peccata* (*Matth.* XIX). In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur. Hic itaque angelis ministrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, quia primum Dei opus est. Hinc remittuntur animæ peccata, et indulgentia primæ trangressionis ex venia est. Hoc est enim quod subsequitur: *Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Hominem Dominus a paralysi curaturus, primum peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum ob nexus culparum, artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari. Sic et illi paralytico, qui juxta probaticam piscinam diu aquæ motum frustra præstolabatur, sanato a Domino dicitur: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V). Et bene is cui peccata dimittebantur, homo vocatur: qui hoc ipso quod homo erat, non posset dicere, non peccavi. Simul etiam, ut ille qui homini errata dimittebat, intelligeretur Deus, in Matthæo et Marco ei dicitur: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, *Marc.* II). O mira humilitas! despectum et debilem, totisque membrorum compaginibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certe ideo filium vocat, quia dimittuntur ei peccata sua. Juxta tropologiam, interdum anima jacens in corpore [torpore] suo, totis membrorum virtutibus dissolutis, a perfecto doctore curanda offertur Domino: quæ si misericordia ejus sanata fuerit, tantum roboris accipit, ut portet statim lectum suum. Intuendum sane, quanti propria cujusque fides apud Deum valeat, ubi tanti valuit, aliena, ut totus homo repente, id est, exteriusque salvatus jam exsurgeret, aliorumque merito aliis laxarentur errata. *Et cœperunt cogitare Scribæ et Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Legimus in prophetis, dicente Domino, *Ego sum qui deleo iniquitates tuas* (*Isai.* XLIII). Consequenter ergo Scribæ, quia ipsum hominem putabant, et Verba Dei intelligebant, arguunt eum blasphemiæ. Verum utique dicunt Pharisæi, quia nemo dimittere peccata nisi solus Deus potest, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem: et ideo Christus verus Deus esse probatur, quia dimittere peccata ut Deus potest. Verum Deo testimonium reddunt, sed personam Christi negantes falluntur. Errant itaque Judæi, qui cum Christum et Deum esse, et peccata dimittere posse credunt,

A Jesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementius errant Ariani, qui cum Jesum Christum esse, et peccata posse dimittere evangelii verbis devicti negare non audeant, nihilominus tamen Deum negare non timent. Erroneum hoc nequiter inducere præsumunt, et fidei Christianæ verbis contraria proclamantes non erubescunt. Cum Arianis igitur hi perfidi ab Ecclesia censentur esse catholica, qui nec Dominum verum Dei Filium Deum esse, neque peccata posse dimittere, in mente sua tenent erroneo. At ipse perfidus salvare desiderans, et occultorum cognitione, et virtute operum, Deum se manifestat. *Respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Eidem namque Deo qui dicit, *Ego sum qui deleo* B *iniquitates tuas*, sapientissimus orator ait: *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum* (*III Reg.* VIII). Eadem ego, inquit, majestate et potentia qua cogitationes vestras intueor, possum et hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: surge et ambula?* Inter dicere et facere, multa distantia est. Utrum sint paralytico peccata dimissa, solus noverat qui dimittebat. Surge autem et ambula, tam ille qui surgebat, quam hi qui surgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale, quanquam ejusdem virtutis sit, et corporis et animæ vitia dimittere. C Et datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque evenire corporum debilitates: et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Quinque siquidem sunt differentiæ causarum, pro quibus in hac vita molestiis corporalibus affligimur. Aut enim ad merita augenda per patientiam justi corporis infirmitate gravantur, ut beati patres Job et Tobias, et innumeri martyres in utroque testamento. Aut ad custodiam virtutum perceptarum, ne superbia tentante dispereant, sicut apostolo Paulo, *ne magnitudine revelationum extolleretur, datus est illi stimulus carnis suæ, angelus Satanæ, qui eum colaphizaret* (*II Cor.* XII). Aut ad intelligenda et corrigenda peccata nostra, sicut Maria soror D Aaron in eremo ob verba temeritatis et superbiæ, lepra percussa est (*Num.* XII); et sicut paralyticus de quo tractamus, qui non nisi primo dimissis peccatis potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriam Dei salvantis, sive per seipsum, sive per famulos suos: sicut cæcus natus in evangelio qui neque ipse peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestarentur opera ejus in illo (*Joan.* IX, 11); et sicut Lazarus, cujus infirmitas non dicebatur esse ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificaretur Filius Dei per eam. Aut ad inchoationem damnationis æternæ, quod reproborum est proprium, sicut Antiochus et Herodes, qui uterque suo tempore adversus Deum repugnantes, quid tormentorum in gehenna perpetuo passuri essent, præsentium affli-

Digitized by Google

ctionum miseria cunctis ostendebatur. Quibus congruit illud prophetæ, *Et duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII). Unde necesse est in omnibus quæ adversa temporaliter patimur, cum humilitate Domino gratias agamus, et infirmitatis nostræ conscii, de collatis nobis remediis gratulemur. Necesse est ut ad conscientiam nostram reversi, solerter opera nostra simul et cogitationes exploremus, et quidquid nos peccasse deprehendimus, digna castigatione purgemus, quidquid de his quæ nos recte fecisse credebamus, vitio nobis elationis perisse comperimus, et hoc humili satisfactione castigemus. Hoc enim nobis sæpius fuit causa flagellorum. Cæterum innocentes et justos ob augmenta præmiorum flagellari, perfectorum est donum speciale virorum; verberibus autem temporalibus ad æterna tormenta compelli, impœnitentium est pœna reproborum. *Ut sciatis autem quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittere peccata.* Si et Deus est nobis, juxta Psalmistam, qui quantum distat oriens ab occasu, elongavit a nobis iniquitates nostras (*Psal.* CII); et juxta memoratum Isaiæ testimonium, qui delet iniquitates nostras, et Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata: ergo idem ipse et Deus, et Filius hominis est, ut et homo Christus per divinitatis suæ potentiam dimittere jam peccata possit, et Jesus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori. *Dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Et anima nostra paralytica si resurrexerit, si robur pristinum recuperaverit, portat lectum suum in quo jacebat ante dissoluta, et portat illum in domum virtutum suarum. Spiritualiter de lecto surgere, est animam a carnalibus desideriis, ubi ægra quiescebat, extrahere. Lectum vero tollere, est ipsam quoque carnem per continentiæ frena correctam, spe cœlestium præmiorum deliciis privare terrenis. Ipse enim est lectus, qui per singulas noctes lavatur a David (*Psal.* VI), id est, pro unius noxæ maculis, digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto domum ire, est ad paradisum redire. Ipsa est enim vera domus quæ hominem prima suscipit, non jure amissa, sed fraude, tandemque restituta per eum qui fraudulento hosti nihil debuit. Aliter: Sanus qui languebat, lectum reportat domum, cum anima peccatorum remissione accepta, ad internam sui custodiam cum ipso se corpore refert, ne post veniam quid, unde iterum juste feriatur, admittat. Per lectum enim in quo carnis est requies, ipsa caro signatur, per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati mente fuerimus, ut jam vitiis carnis pulsantibus resistamus, necesse est ut tentationum contumelias de nostra infirmitate toleremus. Ergo itaque mire ad salutem reducto præcipitur, *tolle lectum tuum*, id est, illud in quo portatus es, quia necesse est ut portet quisque contumeliam car-

A nis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere, *tolle lectum tuum, et vade in domum tuam?* nisi, porta tentationes in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam, ut videas quæ fecisti. *Et confestim surgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum.* Mira divinæ potentiæ virtus, ubi nulla temporis interveniente morula, jussu Salvatoris salus festina comitatur. Merito qui affuerant, damnatis blasphemiæ jaculis, ad laudem tantæ majestatis stupentia corda convertunt. Nam primo Domini virtutem suæ perfidæ fore ultricem turbæ timent: dehinc cessante jam desperationis timore, honor Deo redditur, quod tantam dedit hominibus potestatem. Hoc enim

B sequitur: *Et repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.* Sed soli hoc Christo erat debitum soli de communione paternæ substantiæ hoc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem quod posset ista. Quid enim Deus non posse creditur? Alioquin laus de uno homine, non de pluribus exstitisset. Sed delati Deo honoris hujus causa est, quod potestas hominibus ac via data sit per verbum ejus et peccatorum remissionis, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum. Tu autem, Domine, etc.

## HOMILIA CLV.

### IN SABBATO POST PENTECOSTEN.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. IV, num. 55.)

C *In illo tempore surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea*, etc. (*Luc.* IV.)

Sacrilegia Judæorum, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1629.

## HOMILIA CLVI.

### ITEM DE EODEM SABBATO.

*In illo tempore surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis*, etc. (*Luc.* IV.)

In isto sancti Evangelii capitulo, non idem ab evangelistis servatus est ordo. Hoc denique factum Marcus et Lucas antequam de leproso, qui Domino descendente de monte mundatus est, quid dicerent, narrant (*Marc.* I). Matthæus vero post terminatum

D in monte sermonem, leprosi præmissa mundatione, puerique centurionis curatione, subjungit de restitutione socrus Simonis Petri (*Matth.* VIII). Sed nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem res nuntiatur. Et notandum quod leprosus ille apud Matthæum primus specialiter curatus sit, secundo puer centurionis, tertio socrus Petri febriens in Capharnaum, quarto in loco qui oblati sunt ei dæmonio vexati, quorum spiritus verbo ejiciebat, quando et omnes male habentes curavit. Quoniam *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II), ideo contra ipsum mortis auctorem primo debuit medicina salutis operari, primo lingua serpentina ne ultra virus spargeret, occludi; ac deinde femina, quæ prima seducta



Digitized by Google

est, a carnalis concupiscentiæ febre curari; tertio vir qui male suadentis dicta conjugis audivit, ab erroris sui lepra castigari, ut ipse apud Lucam evangelistam esset ordo restaurationis, qui fuerat et casus; paulo superius enim refert, quia in synagoga erat homo habens dæmonium immundum. Cujus integra restitutione sanitatis descripta, subdit hoc quod ex lectione audivimus hodierna: *Surgens autem de synagoga Jesus, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Sed et hujus revelationis [relevationis] a Domino collatæ explicita narratione, nonnullis interpositis, vir qui erat plenus lepra, subinfert mundationem. Bene autem ubi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, ut ostendatur, non unum populum specialis alicujus civitatis, sed omnium populos fuisse sanatos. Hæc per excessum necessarium præmisimus, ut mysticum ordinem ab Evangelista servatum monstraremus, ut dictum est, restaurationis in Domino, qui erat et casus in protoplastis. Intendamus nunc mentis obtutum ad hoc Evangelii capitulum, quod nobis exponendum hac lectione propositum est. Si virum a dæmonio liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum diximus significare, consequenter femina febribus tenta, sed ad imperium Domini sanata, carnem ostendit a concupiscentiæ fervore per continentiæ præcepta frenatam. *Omnis enim amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, spiritus immundi furor est* (*Eph.* IV). *Fornicationem vero, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus*, febrem illecebrosæ carnis intellige (*Col.* III). *Et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam.* In Evangelio Matthæi scriptum est: *Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris* (*Matth.* VIII). Modo enim Salvator rogatur, modo ultro curat ægrotos, ostendens se contra peccatorum quoque passiones et precibus semper annuere fidelium, et ea quæ ipsi minime in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel pie petentibus etiam non intellecta dimittere, juxta quod Psalmista postulat: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine* (*Psal.* XVIII). Tangitur vero manus mulieris, et sanatis operibus ejus, peccatorum infirmitas fugit. *Et continuo surgens, ministrabat illis.* Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate lassescere, et ægrotationis sentire molestiam. Verum sanitas quæ Domini confertur imperio, simul tota redit, nec solum ipsa redit, sed et tanto robore comitante, ut eis continuo qui se adjuverant, ministrare sufficiat: et (juxta leges tropologiæ) membra quæ servierant immunditiæ ad iniquitatem, ut fructificarent morti, serviant justitiæ in vitam æternam. Sed et secundum mysticos intellectus, salvato centurionis puero, ac fide gentium in centurione laudata, consequenter socrus Petri, hoc est, synagoga Judaica ab æstu febrium sanatur. Domus namque Petri, plebs Israelitica intelligitur, in qua (juxta quod Paulus apostolus refert) Petrus apostolatus ministe-

A rium accepit (*Gal.* II). Socrus vero Petri, ejusdem plebis est synagoga, quæ mater primitivæ Ecclesiæ tanquam uxoris Petri ob hoc convenienter accipitur, quoniam ex ipsa synagoga primaria discipulorum Christi Ecclesia carnis originem traduxisse cognoscitur, quæ Petro veluti desponsata, sed Spiritus sancti gratia invisibiliter fecundata, in exemplum beati Joseph et Mariæ virginis salubriter creditur. At vero socrus Petri, hoc est, synagoga Judaica interim perfidiæ febribus æstuat, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat (*Rom.* XI). Cujus manum tangere, est in ea bonas actiones informare, quia nisi mundatæ fuerint manus Judæorum, quæ sanguine sunt plenæ, synagoga eorum febricitans jacet. Sed tunc eam febris dimittit,
B cum multiplex perfidiæ languor ipsam deserit. Porro surgit ac ministrat, cum mortuis operibus abrenuntians, atque ea quæ sursum sunt quærens, in novitate vitæ perambulat. *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad illum. At ille singulis imponens manus, curabat eos.* Matthæus ita scribit: *Vespere, inquit, facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut impleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit* (*Matth.* VIII). Omnes non mane, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus est, quando granum tritici in terra moritur, ut multos fructus afferat. Solis namque occubi-
C tus passionem mortemque illius significat, qui dixit: *Quandiu in mundo sum, lux mundi sum* (*Joan.* IX). Et sole occidente plures dæmoniaci quam ante, plures sanantur ægroti, quia temporaliter in carne vivens, paucos Judæorum docuit; calcato regno mortis, omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. Cujus ministris quasi vitæ lucisque præconibus, Psalmista canit: *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII). Super occasum quippe Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. *Exibant autem dæmonia a multis clamantia et dicentia: quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia ipsum sciebant esse Christum.*
D Dæmonia Filium Dei confitebantur, et attestante evangelista, sciebant ipsum esse Christum, quia quem dierum quadraginta jejunio fatigatum diabolus hominem cognoverat, nec tentando valebat, an et Dei Filius esset, experiri, jam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei. Non ergo ideo Judæis eum crucifigere persuasit, quia Christum sive Filium Dei non esse putavit, sed quia se morte illius non prævidit esse damnandum. Vere enim de hoc mysterio a sæculis abscondito dicit Apostolus, quod *nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Quare autem dæmonia Dominus se loqui prohibebat, manifestat Psalmista, qui ait: *Peccatori autem dixit*

Digitized by Google

*Deus, quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX)? ne quis dum audit prædicantem, sequatur errantem. Improbus autem magister est diabolus, qui falsa veris semper permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat. Alias autem non soli dæmones qui inviti confitebantur, jubentur silere de Christo, sed et illi qui ab eo sanati sponte confiteri volebant, imo ipsi apostoli, qui eum post resurrectionem toto orbe erant prædicaturi, ante passionem ejus præcipiuntur omnino reticere de illo, ne divina videlicet majestate prædicata, passionis dispensatio differretur, et dilata passione, salus mundi quæ per hanc futura erat, negaretur. *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum. Et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum, et detinebant eum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* Si occasu solis, Domini mors exprimit, quare non die redeunte resurrectio illius indicetur? Cujus manifestata luce, a credentium turbis inquiritur, et in gentium deserto inventus, ne abeat detinetur: maxime cum hæc prima sabbati, quo resurrectio celebrata est, egressio, quæsitio, et inventio contigerit. Quod autem secundum Marcum abiit in desertum locum Dominus, ibique orabat (*Marc.* I), hoc facto intimatur, quia resurrectionis suæ patefacta gloria, abiit in desertum gentium, ibique in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam sui spiritus ad virtutem orationis excitabat. Et nos igitur fratres exemplo eorum qui Dominum fideliter exquisierunt, et ideo invenire meruerunt, atque præsentiæ ejus dulcedine capti detinebant illum ne discederet ab eis, intendamus mentis obtutum, et adjuvante Domino, Dominum requiramus. Divini cantici vox est: *Quærite Dominum, et vivet anima vestra* (*Psal.* LXVIII). Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Ut inveniendus quæratur, occultus est, ut inventus quæratur, immensus est. Unde et alibi dicitur: *Quærite faciem ejus semper* (*Psal* CIV). Satiat enim quærentem in quantum capit, et invenientem capaciorem facit, ut rursus quærat impleri, ubi plus capere cœperit. Non ergo dictum est, quærite faciem ejus semper, quemadmodum de quibusdam, *semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes* (*II Tim.* III); sed potius sicut ille ait: *Cum consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccli.* XVIII), donec ad illam vitam veniamus, ubi sic impleamur, ut capaciores non efficiamur, quia ita perfecti erimus, ut jam non proficiamus. Tunc enim ostenditur nobis quod sufficit nobis. Hic autem semper quæramus, et fructus inventionis non sit finis inquisitionis. Neque enim propterea non semper, quia hic tantum: sed ideo hic dicimus esse quærendum, ne aliquando hic putemus ab inquisitione cessandum. Nam et de quibus dictum est, semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes, hi sunt utique discentes. Cum vero de hac vita exierint, jam non erunt discentes, sed erroris sui mercedem recipientes. Sic enim dictum est, *semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes*, tanquam diceretur, semper ambulantes, et nunquam ad viam pervenientes. Nos autem semper ambulemus in via, donec eo veniamus quo ducit via. Nusquam remaneamus in ea donec perducat ubi maneamus; atque ita et quærendo tendimus, et inveniendo ad aliquid pervenimus, et ad id quod restat, quærendo et inveniendo transeamus, quousque inveniendo ibi fiat finis quærendi, ubi post perfectionem non superest intentio proficiendi, in Christo Jesu Domino nostro, per quem nunc gratiam reconciliationis accepimus, et accessum habemus ex fide, justificati ex ea in gratiam spei gloriæ filiorum Dei, qui et dedit nobis pignus Spiritus (*Rom.* V; *II Cor.* V): ipsi semper gloria et virtus in Patre et Spiritu sancto ante sæcula, et nunc per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CLVII.

### IN OCTAVA PENTECOSTES.

(Ex Opp. venerabilis Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister*, etc. (*Joan.* III.)

Sicut ex lectione sancti Evangelii, fratres charissimi, audistis, princeps Judæorum, etc. *Reliqua require apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 197.

## HOMILIA CLVIII.

### IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.

(Ex Herico, monacho Antissiod.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium*, etc. (*Joan.* XV.)

Positus in cœna Dominus cum discipulis, postquam mysteria novi testamenti corporis sanguinisque sui consecratione signavit, instante jam hora suæ traditionis, inter cætera quibus eos dignatus est erudire, monuit ne impiorum contra se persecutione sæviente terrerentur, ne fessi cederent, sed in omnibus invictum robur constantiæ tenerent, adventu etiam Spiritus sancti promisso, cujus gratia terreno timore privarentur, et virtutis cœlestis robore fundarentur. Denique si divinæ Scripturæ oracula consulamus, aperte cognoscemus quod sancti apostoli ante perceptionem sancti Spiritus, qui die decimo post ejus ascensionem in cœlos super eos missus est, minus idonei et capaces fuerant ad intelligenda mysteria divinæ sublimitatis, minus etiam fortes ad toleranda adversa illatæ persecutionis. Adveniente autem super eos Spiritu sancto, cum augmento divinæ cognitionis constantiam perceperunt ad perferenda tormenta passionis. Quod ut exempli gratia evidentius pateat, ipsum apostolici culminis verticem beatum Petrum in medium deducamus, qui antequam Spiritu sancto roboraretur, adeo infirmus et pavidæ mentis fuit, ut ad vocem unius ancillæ Dominum se vel nosse negaverit

Digitized by Google

(*Matth.* xxvi). Verum postquam sancti Spiritus ignis timore ante frigidum pectus accendit, tantam subito fortitudinem animo concepit, ut præ cunctis apostolis ad gloriam resurrectionis Christi publice prædicandam emicaret, atque principum terriculamenta transiret, dicens: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v). Et iterum: *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* iv). Admiremur ergo beatum Petrum prædicantem, quem doluera-mus inficiantem. Tanto enim Spiritus sancti fulgore illustratus est, tantaque veritatis auctoritate solidatus, ut ipsos qui paulo ante fuerunt interfectores Christi, ita converteret, quod etiam mori vellent pro amore Christi. Proinde loquens Dominus discipulis, et promittens eis adventum Spiritus sancti, qui eos doceret scientiam divinæ cognitionis, et corroboraret ad fiduciam prædicationis atque constantiam passionis, dicit: *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre*, etc. Ordo verborum talis est: *Cum venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Paracletus namque, hoc est Spiritus sanctus, testimonium perhibuit de Domino Jesu Christo: quia cordibus apostolorum illapsus, plenissimam eis divinitatis et humanitatis Christi scientiam contulit: adeo ut, quantum mortalis fragilitas patitur, quidquid de eo sentiendum est nossent, qualiter unius cum Patre esset substantiæ ejusdemque majestatis, quod is qui ante sæcula Deus erat apud Deum, homo inter homines apparuit in fine sæculorum, quod de virgine natus acceperit, ut idem homo idem esset et Deus: quod sponte passus, sua virtute a mortuis resurrexerit, atque cœlum ascendens, in dextera Patris sederit, postremo quod ipse in fine mundi æquus omnium judex venturus sit. Hæc omnia sancti apostoli de Christo Spiritus sancti magisterio didicerunt. Nec solum illi, verum etiam omnes qui recte aliquid de Christo sentiunt, hujus Spiritus gratia hoc promeruisse credendi sunt. Perhibuit etiam testimonium, quando discipulis constantiam, ea quæ didicerant, prædicandi inspiravit: quando uno eodemque Spiritu et scientiæ spiritualis dote, et virtutis ad prædicandum ope donati sunt. Quod autem ait, *quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, per interpositionem dictum est, quæ figura Græce dicitur parenthesis, quam sententiam ideo interponere voluit, ut aperte ostenderet in Patre et Filio unam esse voluntatem et unam operationem cum distinctione personarum: ita videlicet ut intelligamus aliam quidem personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti, sed in tribus personis unam atque eamdem potestatem majestatis. Intuendum vero quod Spiritum sanctum et a se mitti, et a Patre procedere dicit, non quo separabilis sit Patris et Filii operatio, sed ut distantia personarum Patris et Filii manifestetur, in qua tamen personarum distinctione una Filii voluntas atque operatio cum Patris voluntate et operatione concordat. Sicut ergo Spiritus sanctus mittitur a Filio, sic mittitur et a Patre, et sic procedit a Filio
A quomodo et a Patre. Ipse Spiritus sanctus quia unius est voluntatis ejusdemque operationis cum Patre et Filio, dicitur quoque ipse sua sponte venire. Quod patenter in eo loco Dominus ostendit ubi dicit: *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* iii). Et Apostolus, enumeratis divinorum charismatum distributionibus, subdit: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus* (*I Cor.* xii). Idipsum quoque Dominus in hoc loco ostendit, dicens: *Cum venerit Paracletus.* Quia vero et a Filio mittatur subsequitur ipse Filius et dicit: *Quem ego mittam vobis.* Et ut ostendat a Patre illum etiam procedere, subinfertur: *Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Propterea quæsitu indignum non est cur Spiritus sanctus non natus, non genitus, non ingenitus, sed potius procedens dicatur. Cui quæ-
B stioni hac ratione a Patribus obviatur: Spiritus enim sanctus de Patre procedit et Filio, sed ideo non dicitur genitus, ne duo in Trinitate Filii suspicentur: ideo non vocatur ingenitus, ne duo similiter in Trinitate Patres credantur existere. Procedens autem dicitur testimonio Christi, dicentis: *Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Inter nascentem vero Filium et procedentem Spiritum sanctum ista distant a est quod Filius ex uno nascitur, Spiritus vero sanctus ex utroque procedit. Adventu autem suo Spiritus sanctus testimonium perhibuit de Domino, quia discipulorum mentibus infusus, omnia quæ de eo mortalibus erant cognoscenda, clara ejus luce revelavit, aperte videlicet eis insinuans quomodo sit Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus
C neque genitus neque ingenitus, sed ex utroque procedens, et in his tribus personis una majestas atque una substantia. *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis.* Testimonium perhibuerunt apostoli Domino Jesu Christo, quando die Pentecostes Spiritu sancto illustrati, quæ per illius aspirationem agnoverunt intrinsecus, hæc forinsecus abjecto timore libere aliis prædicaverunt. *Quia ab initio mecum estis.* Quia enim ab initio prædicationis cum Domino fuerant, poterant aliis prædicare quæ noverant. Multum quippe ad fidem prædicandam, et ad perhibendum testimonium de Christo apostolis profuit, quod ab initio Dominicæ prædicationis cum eo conversati sunt: quia et temporis quantitate, et sui assiduitate plenius cœlestem disciplinam ceperunt, et (ut ita di-
D ctum sit) medullitus imbiberunt. Unde et ea quæ ab ipso viderunt et audierunt, absque ambiguitate aliis prædicabant. Cui recte attestatur beatus Petrus, qui in locum Judæ proditoris, alium substituere volens apostolum, non hunc neophytum, id est rudem, sed longa conversatione probatum, ex tempore videlicet Dominicæ prædicationis, eligere statuit, dicens: *Viri fratres, oportet ex his viris qui nobiscum* conversati sunt *in omni tempore quo intravit inter nos Dominus Jesus et exivit, testem fieri resurrectionis ejus* ad plebem, *unum ex istis* (*Act.* i). Matthiam scilicet, qui fuit unus de septuaginta discipulis, quos Dominus in ipso prædicationis suæ exordio post apostolos elegit. Quanta autem auctoritate resurrectionem Do-

Digitized by Google

mini prædicaret, alibi insinuat, ita de Christo dicens: Quem *Deus suscitavit* a mortuis, *et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus a Deo præordinatis, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis* (*Act.* x). *Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini.* Prævidebat Dominus quæ persecutionum procellæ contra prædicantes apostolos surrecturæ essent, ideoque provide dignatus est eis post ventura prædicere, quo venientia facilius possent tolerare. Minus ergo afficiunt mala quæ prænoscuntur, gravius vero improvisa perturbant. Et intuendum quia cum dixisset eos adventu Spiritus sancti illustrandos, et sibi testimonium reddituros, illico futuræ persecutionis adversa subjunxit. Quanto enim amplius sancti ad virtutum sublimia enituntur, eo major contra eos diaboli invidia oritur, quæ eorum profectibus resistere, et sive per se, sive per membra sua inchoati boni operis initia quærit radicitus exstirpare. Ait ergo Dominus: *Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini*, ac si diceret: Idcirco vobis ventura postmodum innotesco, ut præscientiæ clypeo muniti, nequaquam a statu vestræ soliditatis dejiciamini. *Absque synagogis facient vos.* In Evangelio invenimus conspirasse Judæos, ut si quis confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Quod nimirum apud illos pro magno piaculo deputabatur. Hanc apud Judæos olim viguisse consuetudinem nemo dubitaverit, ut eos qui vel blasphemiæ vel alicujus sceleris arguebantur, extra conventum suum expellerent. Sicut enim nunc homicidæ, vel incestuosi, vel capitalibus criminibus obnoxii, imperio canonum ab Ecclesiæ consortio et altari detruduntur, ita tunc temporis nominis Christi confessores a synagoga eliminabantur. Quod passi sunt Nicodemus et Gamaliel, multique alii, qui elegerunt ad tempus hominum societate privari, ut Christo in perpetuum adhærerent. Quod autem non solum a synagogis ejicerentur, verum etiam morte a concivibus suis plecterentur, manifestat Dominus cum subjungit: *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Judæi dum præcones sancti Evangelii odiis mortibusque persequerentur, obsequium se præstare Deo arbitrati sunt, putantes se per hoc legis exercere vindictam. Unde et beatus Paulus testimonium illis reddidit, dicens: *Æmulationem legis habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* x). Unde et hæc verba Domini, non de gentibus, sed de Judæis singulariter oportet intelligi, ac si diceret: Tribulationes quidem a civibus gentis vestræ passuri estis, sed tanto eas perferte libentius, quanto non tam odio vestro quam paternæ legis æmulatione vobis eas inferre tentabunt. Verum nihil prodest eis legem, quæ per servum data est, defendere, qui gratiam Evangelii, quæ per Filium facta est, noluerunt recipere. Quibus verbis non minime apostoli consolantur, dum videlicet audiunt (ut diximus) non sui odio, sed zelo divinæ legis persecutionis adversum se rabiem concitari. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Satis jam sanctæ Ecclesiæ fides accepit Patrem et Filium unius esse divinitatis et potentiæ, ac ideo Patris sive Filii cognitionem haberi a nemine posse. Hinc idem Evangelista alibi dicit: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet* (*I Joan.* II). Et alibi: *Qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui genitus est ab eo* (*I Joan.* v). Frustra ergo Judæi de Patris cognitione gloriantur, qui Filium recipere obstinato corde renuerunt. Jactent se de cultu Dei Patris quantum volunt, si fidem nostram quæ in Christo et per Christum est irrideant, nunquam certe Deo Patri placere poterunt, nunquam ad notitiam ejus pervenire valebunt, nisi Christum, in quo janua ad Patris scientiam perveniendi est, per fidem receperint, et æqualem Deo Patri per omnia crediderint. Quid vero utilitatis, quidve levaminis hæc verba Domini apostolis conferrent, illico manifestatur cum subditur: *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum*, id est, malorum quæ passuri estis, reminiscamini quia ego dixi vobis. Ac si diceret: Idcirco vobis ea quæ mei nominis causa passuri estis prænuntio, ut cum venerit hora, hoc est tempus eorum quæ prædicta sunt, ad memoriam reducatis me illa vobis prædixisse, sicque præsentia mala sufferatis, scientes quia ego qui potui vobis prædicere, potero cum venerint liberare. Magnum si quidem genus consolationis apostolis fuit, cum reminiscerentur inter adversa a Magistro suo de talibus se fuisse præmonitos, a quo se pro laborum exercitiis sine dubio noverant remunerandos. Magnopere vero hæc verba Domini sunt ponderanda, et non otiose audienda, quibus ait, ego dixi vobis. Ego, videlicet Deus omnipotentissimus, ego qui pro vobis vestraque salute sum moriturus, vosque meo sanguine redempturus, qui in tribulatione vobis semper adjutorium ministrabo, et post tribulationes immortalibus præmiis vos victores remunerabo. Ego prædixi vobis, tanquam diceret: Cum ea quæ futura vobis prædixi, adimpleta videritis, me Filium Dei esse credatis, qui potui talia facere cum prædixissem, et prædicere antequam facerem. Notandum vero quod ipse qui hic persecutionem futuram prædixit, ipse post pauca in eadem persecutione fidelibus suis auxilium promittit, dicens: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Ipse quoque alibi eisdem legitime certantibus præmium pollicetur, dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* VI). Qui et milites suos ne vinci possent, adjuvare, et ne incassum vincant, immortalem solet post prælia palmam rependere, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per æterna sæcula. Amen.

## HOMILIA CLIX.

### IN DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*, etc. (*Luc.* XVI.)

Digitized by Google

In verbis sacri eloquii, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col. 1302.*

## OMILIA CLX.

IN DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent*, etc. (*Luc.* XIV.)

Hoc distare, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud eumdem beatum Gregorium, tomo ut supra, col.* 1266.

## HOMILIA CLXI

IN DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

(Ex eodem.)

*In illo tempore accesserunt ad Jesum publicani et peccatores ut audirent illum, et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit*, etc. (*Luc.* XV.

Æstivum tempus quod corpori meo valde contrarium est, etc. *Reliqua vide apud eumdem beatum Gregorium, tomo ut supra, col.* 1246.

## HOMILIA CLXII.

IN DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Augustini.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini*, etc. (*Luc.* VI.)

Modo, fratres, cum Evangelium legeretur, audivimus dicente Domino : *Nolite judicare*, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1871.

## HOMILIA CLXIII.

IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico, monacho Antissiod.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, etc. (*Luc.* VI.

Dominus Deus ea lege hominem inter omnia condidit, tantaque dignitatis præcellentia donavit, ut si in suæ creationis voluisset beato perseverare principio, per se quæ agenda essent sciret, et ad ea implenda sine ulla contrarii ferretur repugnantia. At postquam diaboli suasionibus obtemperavit, tantam subito mutabilitatem in seipso persensit, ut non solum mortalis ex immortali fieret, verum ipsam quoque liberi arbitrii facultatem ita vitiatam deterioratamque experiretur, ut nil jam per se boni intelligere, nedum opere implere sine auxilii divini valeat miseratione. Quia ergo impossibile erat, prolapsum genus humanum per se ad agenda quæ salutis exposcit ratio surgere, dignatus est Dominus sub habitu hominis apparens, per semetipsum apostolos quos ex omni humani generis massa elegerat, erudire, et quo pacto ad filietatem Dei reparari possemus, ostendere. Dixerat enim superius : *Inimicos vestros diligite, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* V). Manifeste intimans sola dilectione divinæ paternitatis gratiam posse promereri. Et post pauca : *Estote*, inquit, *misericordes*. In hac lectione sancti Evangelii, non solum misericordes esse docemur, sed etiam quomodo simus misericordes insinuatur nobis, cum dicitur : *Sicut et Pater vester cœlestis misericors est*. Pater noster omnipotens Deus duobus modis dicitur : vel quia cum non essemus, nos creavit, vel quia cum perditi essemus, misericorditer nos recreavit. Misericors igitur Deus Pater noster est, vel larga sua misericordia ingratis et malis temporalia bona tribuendo, super justos et injustos pluendo, super bonos et malos solem suum oriri faciendo, qua etiam jumenta pascit; eos in præsenti temporalibus ad votum successibus nihilominus provehi permittendo, vel etiam spiritualium bonorum munera speciali gratia suis electis conferendo, quos ita præsentibus uti concedit, ut eos perpetuis bonis quandoque frui faciat. Ista magna Dei misericordia nobis imitanda proponitur, si filii Dei esse desideramus. Misericors autem a misero corde dicitur, quod nostræ fragilitati proprie coaptatur, qui miseriis subjacentes, ex nobis ipsis discimus qualiter aliis misereri debeamus. Miseria autem non modo in Deum cadere non potest, qui suæ naturæ beatitudine sempiterne felix feliciterque permanet sempiternus, verum nec in hominem justum quidem cadit, cum miseretur alterius. Quis enim non contendit ab omni miseria liberum esse debere sapientem cum subvenit inopi, cum cibum præstat esurienti potumque sitienti, cum vestit nudum, cum recipit tecto peregrinum, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum ? Nam etsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed officio bonitatis adductus, misericors tamen dicendus est, eo quod aliis condolescendo miserum cor habere videatur. Huic enim nihil obest nomen, cui prodest divinorum impletio mandatorum. Misericors igitur dicitur omnipotens Deus, translato ab homine vocabulo, qui utrique supra omnem creaturam suam misericors est, quam clementi protectione disponit et ordinat, ne ad nihilum redeat, sed potius æterna stabilitate subsistat. Aliter : cum ergo Deus misericors dicitur, nequaquam per hoc substantiæ ejus proprietas demonstratur, sed potius nostro intellectui consulitur. Et quia de eo sicut est nihil cogitare possumus, agitur ut ad ejus cognitionem per id quod in nobis agitur, condescendamus. Misericors enim Deus dicitur, quia humanum genus, quod potentialiter condidit, misericorditer gubernat et regit. Quod enim salute corporum fruimur, quod fructuum ubertate gaudemus, et læto aere pascimur, quod ipsius solis calore fovemur, totum misericordissimi Dei beneficio agi non dubitatur. Scire autem debemus quod adverbium *sicut*, non semper pro æqualitate ponitur, sed nonnunquam etiam pro similitudine. Patet enim nos nulla ratione tantam habere misericordiam, quam magnam Deus habere probatur : sed Deus, sicut immensus est, immensam etiam misericordiam exhibet. Nos quoque ab ejus potentia valde dissimiles

Digitized by Google

ut pote qui puri homines sumus, in quantum intellectus et possibilitas suppeditat, misericordes esse curemus, diligendo et beneficia cumulando, non solum gratis et amicis, sed etiam ingratis et inimicis. Quisquis etiam bona temporalia vel spiritualia aliis pro amore divino largitur, quisquis in se peccantibus indulgentiam misericorditer tribuit, sicut a Domino ipse veniam impetrare desiderat, hic procul dubio imitator Dei efficitur. *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.* Quæri potest cum per Psalmistam dicat: *Recte judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII), cur hic idem prohibeat fieri, dicens: *Nolite judicare?* Hoc dicendo, non tollit nobis intelligentiam judicandi, sed illud admonet ne damnemus aliquem cujus vel cogitatio nobis cognita non est, vel nescimus qualis postea futurus sit. Nullatenus enim ecclesiasticis præjudicare putandum est judiciis, quibus negligentium culpas puniri mos est, sed necessarium discretionis moderamen intimatur. Hæc enim sententia ideo nobis principaliter imperatur, ut ea facta de quibus dubitare possumus quo animo fiant, quia sunt quædam media quæ a bono et malo animo possunt agi, in meliorem semper partem interpretemur: Sicut (verbi gratia) sunt diversorum ciborum perceptiones, et exquisitæ potionum varietates, et cæteræ necessariæ corporum curationes, de quibus ab Apostolo judicare prohibemur: *Qui manducat,* inquit, *non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV), eo quod possent humani cibi quilibet simplici animo sine vitio concupiscentiæ sumi. Illorum ergo et similium operum quæ indifferenter geri possunt, tempus quo judicentur adveniet, cum, sicut Apostolus docet, *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). At vero de illis judicare permittimur, de quibus dubium non est quin prava intentione gerantur, qualia sunt quæ Apostolus *opera carnis* nominat, inquiens: *Homicidia, ebrietates,* fornicationes (*Gal.* V) et cætera talia quæ auctores suos et a regno Dei excludunt, et æternæ morti obnoxios faciunt, nisi digna pœnitudine dum vivitur expientur. De quibus ipse Dominus alibi dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Dum vero quædam præcipua sunt, in quibus temerarium judicium debemus refugere, cum videlicet incertum habetur, ut dictum est, quo animo quid factum sit; ubi etiam cum incertum est qualis futurus sit cras qui hodie vel bonus vel malus apparet. Verbi gratia, si quis de infirmitate stomachi conquestus, ante horam comedere voluerit, et tu id non infirmitati, sed edacitati deputaveris, temere judicasti: de hoc non oportet nos judicare, illo videlicet judicio damnationis, ut de ejus salute desperemus. Rursum si apertam ebrietatem edacitatemque cognoveris, et ita reprehenderis ut de correctione illius desperes qui hujusmodi vitio subjacet, nihilominus temere judicasti. Non ergo reprehendamus ea quæ occulta sunt, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut

A quemquam de emendatione desperemus, et tunc vitabimus judicium de quo dicitur: *Nolite judicare, et non judicabimini: dimittite, et dimittemini: date, et dabitur vobis.* Hac sententia omnia quæ de conversando cum inimicis per campos Scripturarum sanctarum latissime continentur, eximia brevitate complexa sunt. Præcipit ut dimittamus peccantibus in nos, ut nostra a Deo nobis dimittantur peccata. Item præcipit ut demus beneficia, ut nobis quoque a Deo detur vita æterna. Dicendo ergo *dimittite, et dimittemini;* et mox addendo, *Date et dabitur vobis,* ostendit quia non sufficit tantum dimittere his qui in nos peccant, nisi etiam eis quæ possumus beneficia impendamus. Quisquis enim bona temporalia vel spiritualia aliis amore divino largitur, quisquis B in se peccantibus indulgentiam tribuit, sicut ipse a Domino veniam impetrare desiderat, hic procul dubio imitator Dei efficitur. *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quia enim nos Dominus ad pietatis officium provocat, futuræ etiam retributionis modum insinuat, quatenus tanto magis largitati inserviamus, quanto de plenissima remuneratione securi existimus. Ait enim: *Mensuram bonam,* id est justam et æquam; *et confertam,* id est plenam; *et coagitatam,* id est commotam, vel hinc inde, id est undique concussam; *et supereffluentem,* id est superabundantem, *dabunt in sinum vestrum.* Qui sunt isti qui dabunt mensuram bonam, nisi pauperes quibus beneficia dederimus? Tale est et illud quod Veritas alibi dicit de pauperibus: *Facite* C *vobis amicos de mammona iniquitatis,* etc. (*Luc.* XVI). Non enim pauperes ipsi mercedem reddent his qui eleemosynam illis largiuntur, sed Christus, pro cujus dilectione hoc faciunt. Quam tamen *in sinum* dare dicuntur, quia ut ipsam mercedem largitores eleemosynarum a Domino promereri potuissent, pauperes ipsi occasionem dederunt, cum aut miserabiliter egentes, aut in petendo importuni existentes, fortiorum sunt beneficio sustentati, et nonnulli etiam eorum ad fidem Christi per dulcia beneficia provocati. Vel certe ut de inimicis aliquid dicamus, multi malorum contra bonos sævientes, eorum patientia vel benevolentia ad rectitudinem charitatis sunt revocati. Notandum quod *in sinum* nobis dare dicitur: ea enim D quæ in sinu habemus, securi utique possidemus. Pulchre ergo hæc remuneratio *in sinum* dari dicitur, ut cum quanta securitate possidenda, quantaque charitate retinenda sit, ostendatur. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Mensuræ nomine ipsam judicii regulam significatam accipimus. Quod alius evangelista apertius ponit, dicens: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (*Matth.* VII). Sed nunquid si nos temere judicaverimus, temere etiam Deus judicabit, qui justus judex est? Aut si iniqua *mensura mensi fuerimus,* nunquid et apud Deum iniqua mensura est, unde nobis *remetietur?* Sed hoc ideo dictum est quia temeritas qua noces alii, ipsa tibi noceat necesse est; et justitia qua alium juvas, restat etiam ut ipsa te adjuvet. Potest

Digitized by Google

etiam hoc et de largienda eleemosyna simpliciter accipi. Unde et egregius prædicator suis auditoribus dicit: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Quanto enim quisque in hac vita erga pauperes Christi magis misericors fuerit, tanto potiorem in futuro a Domino recipiet mercedem. Hoc autem quid de eleemosyna impendenda dicimus, generaliter de omnibus quæ cogitamus, loquimur seu opere perficimus, sciendum est, quia unicuique secundum sua restituendum est opera. Dicebat autem illis et similitudinem: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* Hujus versiculi sensus hæret sensui superioris sententiæ, ubi præcipitur eleemosynam tribui, et peccantibus offensam remitti. Ac si dicat: Si te contra inimicum ira concitaverit, aut contra illum qui a te eleemosynam petit, avaritia obduxerit, nunquid ejus vitium exhortando curare poteris, præsertim cum et tua mens eodem vitio teneatur obstricta? Aut nunquid putas illum solum qui tibi injuriam fecit, reum deputandum, et non etiam te, qui injuriam portare patienter nescis, condemnandum? E contra vero, si illius improbitas invenerit mentem tuam mitem et tranquillam, et ille ad pœnitentiam movebitur, et tu patientiæ munere donaberis. *Non est discipulus super magistrum.* Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Magister cœlestis et omnium Dominus pie viventium Christus est: a quo et in quo totius virtutis et religionis est disciplina; discipuli ejus omnes sunt quos Christianitatis exornat titulus juxta quod ab eo alibi audiunt: *Magister vester unus est Christus* (*Matth.* XXIII). Hic ergo tantus, tantæque singularitatis magister homo factus est, cum esset Deus: injurias passus, et læsionis vicem non retribuit, qui ut pote Deus nutu solius voluntatis obtrectatores suos punire valuit. Postremo ipsam subire mortem indignum non habuit, quod vitæ æternæ auctor exstitit. Si ergo ille qui Deus erat illatas sibi injurias patienter tulit, quare nos ejus discipuli, qui puri homines sumus, quique multa rimari, parva implere possumus, contumelias perferre dedignemur? Si enim vere ejus discipuli esse volumus, necesse est ut perfectionis quam ab eo discimus, normam tenere studeamus. Quasi enim discipulus super magistrum erigitur, cum Christianus quis injurias audire dedignatur, seque suis viribus ulcisci conatur. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?* Et istud ad superiora referendum est, ubi cæcum a cæco duci, hoc est, peccantem ab eo qui gravioribus reus est criminibus, corrigi minime posse dicitur. Multi igitur cum sint superbi, fures, raptores, odium in corde tenentes, si alios vel ad modicum viderint ira irrumpente, quasi festuca irruente turbatos, et a solita mentis tranquillitate mutatos, aut in qualibet offensa vel levi detentos, acriter eos dijudicant, sua crimina aut levia aut nulla, illorum autem gravia esse censentes. Et cum Domini præceptum habeant, judicare et condemnare prohibentis, ipsi immemores magis volunt judicare et condemnare quam emendare et corrigere. Unde adhuc infertur: *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides?* Oculus hoc in loco intentio cordis et mentis perspicacitas appellatur. Festuca vero est ira repentino animi impulsu excitata. Trabes autem intelligitur odium, hoc est, ira longa meditatione cordis, quasi assiduis arbor pluviis enutrita. Quantumque distat inter trabis magnitudinem et festucæ gracilitatem, quasi tantum interest inter iram et odium: odium enim est ira inveterata, ira autem subita animi perturbatio, quæ nonnunquam etiam utilis esse probatur. Potest namque fieri ut si irascamur homini, velimus eum corrigi: nunquam autem fieri potest ut eum quem odimus, corrigi aut meliorari cupiamus. Pro qua causa Dominus impossibile testatur esse ut de oculo fratris sui festucam auferat qui in suo oculo trabem portat. Et quidem non irasci impossibile est, quia irascibilis est homo naturæ. Unde et irasci permittimur indulgentia apostolica, ut ipsa ira, brevi coarctata compendio, modum non excedat. Cum enim dixisset: *Irascimini*, continuo addidit, *et nolite peccare* (*Ephes.* IV). Nihil vero inter odium et homicidium distat, Joanne attestante: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Non ergo potest, sicut præmissum est, festucam educere e fratris oculo qui suo in oculo trabem gestat, quia nemo aliquem ab ira potest corrigere qui odium celat in mente. Proinde merito talis acri invectione arguitur, cum dicitur: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.* Hypocrita Græcus sermo est, ex integro et corrupto compositus. *Hypo* siquidem falsum, *crisis* judicium Græce dicitur. Hypocrita ergo simulator dici potest qui specie tenus justitiæ sibi nomen usurpat. Tractum est autem hoc nomen a picturis, quæ diversorum fucis expressæ colorum, similitudinem verorum tantum corporum repræsentant. Hypocrita etiam dici potest subauratus. *Hypo* namque Græce, Latine dicitur *sub*, *chrysos* aurum. Et hypocrita vocatur non solum qui aliud corde gerit et aliud opere agit, verum et ille qui, cum sit malus, quærit reprehendere bonos. Et nonnunquam tales cum ipsi malitiæ atque odii pleni sint, eorum quos per odium corripiunt, consultores videri volunt. Quos tanto prudentius cavere atque observare debemus, quanto facilius superducta sanctitatis specie falli possumus. Dicit ergo Dominus: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* Quod est dicere: Primo repelle a te odium, quod gravius est, et deinceps poteris securius eum quem diligis emendare de levibus. Inter hæc vero sciendum est nobis, et vigilantissime attendendum, ut cujus aliquando rei utilitas quempiam poposcerit corrigendum, primo cogitemus utrum illud peccatum ex quo fratrem arguimus, aliquando habuerimus necne, seu adhuc eodem impliciti teneamur. Et si quidem invenerimus nos minime habuisse, agamus Deo gra-

Digitized by Google

tias, cujus illud dono vitare potuimus: cognoscamus nos tamen homines esse, et habere potuisse. Si vero perpenderimus nos tale aliquid commisisse, et jam per donum Dei caremus, tangat mentem communis infirmitas, et quales erga nos cum adhuc similes essemus, alios esse voluimus, tales quoque erga fratrem esse studeamus, eademque illi qua nobis per alios subventum novimus pietate consulamus. Quod si adhuc nos in eo quo frater arguitur errore persistere deprehenderimus, non reprehendamus neque objurgemus, sed congemiscamus, et illum non ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus, atque ad remedium pœnitentiæ unanimiter concurramus. Et hoc summo studio providendum ut quolibet modo correctionis vigor procedat, intentio tamen ad salutem et emendationem ejus qui corrigitur tendat, quatenus ita erga fratrem districtio foris sæviat, ne intus charitatis fervor tabescat. Sic enim nobis pro aliorum salute certantibus, fit ut ipsi nostrorum consequamur veniam peccatorum. Unde prudentissime doctores sancti, inter modos quibus peccata laxantur, hoc quoque posuerunt, beato id auctorante Jacobo, qui dicit: *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jacob.* v). Tu autem.

## HOMILIA CLXIV

IN DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. IV, num. 68.)

*In illo tempore cum turbæ irruerent ad Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genezareth*, etc. (*Luc.* v.)

Ubi Dominus multis impertivit varia genera sanitatum, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1653.

## HOMILIA CLXV.

IN DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

(Ex beato Augustino, de Sermone Domini in monte, lib. II, cap. 7, num. 19).

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Amen dico vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, etc. (*Matth.* v.)

Postquam Dominus cohortatus est audientes, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXIV, col.* 1259.

## HOMILIA CLXVI.

IN DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

(Ex eodem.)

*In illo tempore cum multa turba esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam*, etc. (*Marc.* VIII.)

Altitudinem divinitatis suæ, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 1902.

## HOMILIA CLXVII.

IN DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

(Ex beato Augustino, de Sermone Domini in monte, lib. II, cap. 25, num. 77.)

A *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, etc. (*Matth.* VII.)

De investiganda ac possidenda sapientia Dominus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1304, *lin.* 45.

## HOMILIA CLXVIII.

IN DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius*, etc. (*Luc.* XVI.

Quis est homo dives, nisi Christus? Dives in cœlo
B et dives in terra, dives ubique. Dives plenus gratiæ et veritatis. *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I). Dives apud quem absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Dives in omnibus et in omnes qui invocant illum. Villicus autem est unusquisque Christianus, qui in baptismo villicationem sui accepit et proximi. Christianus enim unusquisque non tantum sui causa vivit, sed et proximi, et non tantum redditurus est rationem pro anima sua, sed et pro ejus cum quo vivit in hac vita, exercens se corpore et animo, et adjuvans proximum documentis et exemplo. Nec tantum quærens quæ sua sunt, sed et quæ aliorum. Hæc est Christianorum cura nobilis et sancta villicatio. Hinc est judicium Christi tremendum, et futura exactio.
C *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Quotidie diffamamur apud Deum, quia *angeli nostri semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII), et nuntiant ei omnia opera nostra. Quid ergo faciemus? Ubi abscondemur? Illi nos diffamant qui nostra interiora vident. Illi nos infamant qui omni hora nos intuentur et Deum. Intuentur omnia nostra et Deum, quia nostra intuendo nuntiant Deo. Non est obstaculum, non sunt tenebræ quibus impediantur videre omnia nostra, quia divinum lumen quo illuminantur, penetrat omnia. Quia lux in tenebris lucet, *et nox sicut dies illuminabitur* (*Psal.* CXXXVIII). *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Quis omnia sibi tradita bona bene dispensat in omnibus? quis non aliquando dormitat?
D Quandoque bonus dormitat Homerus

Et *in multis offendimus omnes* (*Jac.* III). Et *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). *Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te?* Quotidie nos vocat Dominus: *Venite, filii, audite me* (*Psal.* XXXIII). *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI). Et: *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum* (*Prov.* VIII). Quotidie loquitur nobis. Loquitur per prophetas, loquitur per apostolos, loquitur per seipsum in Evangelio, loquitur per doctores, loquitur in conscientia. *Quid hoc audio de te?* Increpat male cogitantes, increpat male loquentes, increpat prave agentes, increpat male viventes.

Digitized by Google

*Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Quia *de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII). *Redde rationem villicationis tuæ*; quid agas apud te, quid apud proximum, quid cogites in corde, quale proferas verbum, quid auditu delectet, et cui infigas oculum. *Redde rationem villicationis tuæ.* Bona mea dissipas, bonis meis male uteris, bona mea das extraneis. Voco, et non respondes: porrigo manum, et non respicis. *Redde rationem villicationis tuæ. Jam enim non poteris villicare.* Ad finem pervenisti, tempus est judicii et rationis reddendæ. *Jam non poteris villicare.* Cito hinc abiturus, cito moriturus es, *jam non poteris villicare.* Post hanc enim vitam non est villicatio. Hic villicando servimus, ibi requiescendo mercedem capimus. Hic acquirimus quod ibi possideamus. Hic labor, ibi præmium. *Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* Felix qui de fine cogitat, felix qui quotidie cogitat se moriturum, quia *melior est finis orationis quam principium* (*Eccle.* VII). Et sancti dum finiuntur in sæculo, fiunt in cœlesti sede perpetui, quibus finis vitæ vivendi initium confert. *Quid faciam?* Quomodo de male dispensata villicatione evadam? *Fodere non valeo.* Postquam defecit hujus vitæ villicatio, non relinquitur actio post hanc vitam pro qua mereamur æternam vitam. Ibi jam *non valeo fodere*, quia ibi non est pauperes recreare, infirmos visitare, vigiliis sacris et orationibus insistere. Quid est enim aliud *fodere*, nisi sanctarum exercitiis actionum terram mentis et corporis excolere? Terram fodimus, cum a nobis exstirpamus vitia, et virtutes inserimus. Quod fieri non potest post hanc vitam, quia tempus illud non est pœnitentiæ aptum, sed retributioni bonorum sive malorum operum. *Mendicare erubesco.* Ne mihi dicatur quod fatuis virginibus dictum est: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis* (*Matth.* XXV). Est mendicatio bona, est mendicatio mala. Mendicatio bona hic. Hic enim bene mendicamus a doctoribus sapientiam et doctrinam; a sanctis mendicamus in litaniis ut orent pro nobis. In alia vita mendicatio erubescenda. Quis enim non erubescat dicere: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur* (*Ibid.*). Ideo *mendicare erubesco.* Vere mendicatio erubescenda, ubi nihil recuperatur, et egestas omnium bonorum perpetua comitatur. Ideo *mendicare erubesco.* Ibi non prodest alieni boni mendicatio ubi deficit omne bonum suum. Nec potest ab alio quisquam exspectare quod ipse non meruerit, cum unicuique vix sua sufficiant, *et justus vix salvabitur* (*I Petr.* IV). Ideo *mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.* Salubre consilium reperit ad finem qui male dispensavit villicationem, scilicet ut daret pauca, recepturus plura, et reciperetur in domos aliorum, cui propria deficiebant. *Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei.* Communem dominum habemus qui unum Deum colimus, cui omnes debemus quidquid boni possumus. Sed quia omnes villici sumus, de jure villicationis nostræ debitorum Domini pars ad nos refertur, ut non solum inveniamur debitores Dei, sed etiam invicem nostri. Non enim solum jubemur diligere Deum, sed et proximum. Debitores ergo sumus Dei, debitores sumus et proximi; Deo tamen totum debemus etiam id quod ad proximum referimus, ut quidquid debemus, Deo debeamus. Habemus autem spiritualia bona, habemus et corporalia. Spiritualia, ut fidem, justitiam, charitatem et cætera, quæ Deo debemus et proximo. Corporalia, ut aurum, argentum, triticum, vinum, et cætera, unde Deo servimus, et proximum adjuvamus. Quid melius per oleum possumus intelligere quam spiritualia, quod rarius est et levius tritici soliditate, et lumen fovet et cultus virtutum, illuminat mentem ad intuendam veritatem, et præstat omnibus liquidis, ut spiritualia corporalibus? Quid per triticum, nisi corporalia? Siquidem per speciem sæpe genus intelligitur. Villicus autem primum debitori loquitur olei, quia priora sunt spiritualia corporalibus. Qui debet centum cados olei, quia debet Deo quidquid spiritualis habet boni. Sic enim sunt olei cadi plures, sicut spiritualis boni multæ species. Vas enim olei centenarium, species designat omnes spiritualium bonorum. Nam et centenarius plenitudinem sæpe significat, et finitus sæpe ponitur pro infinito. Debet ergo centum cados olei, qui debet Deo perfectionem spiritualis boni. Sed multum pertinet proximo de hoc quod debetur Deo. Multum enim offendimus, nisi fidem, justitiam et charitatem proximo reddamus. Cum igitur de centum cadis olei villicus quinquaginta scribi jubet, quod debetur Deo, confirmatur scripto, quia non dimittitur quod sibi debetur: non jubet scribi, quia dimittitur. Dimittit quod suum est, relinquit quod Dei est. De hoc quod sibi debetur venia facit securum; de hoc quod debetur Deo scripto facit sollicitum. Unde sequitur: *Dixit illi: Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta.* Ac si aperte diceret: Quod mihi debes, dimitto tibi; quod debes Deo, cautelam assume. Et qui superbus stas, sede cito, et humiliare: et quod parvi pendebas, vel oblivione pro nihilo ducebas, scribe in tabulis cordis, et memoria tene, ut frequenter pœniteas et expies, donec et ipsum dimittatur tibi. *Sede cito*, id est, ne differas de die in diem. *Scribe quinquaginta.* Numerus pœnitentiæ et remissionis. Unde et annus quinquagesimus remissionis, et psalmus quinquagesimus pœnitentialis. Quinquaginta ergo scribuntur, et quinquaginta dimittuntur. Similis numerus similem significat offensionem in Deum et hominem. Unde Dominus dicit in Evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; hoc est primum et magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII). Nam quorum similis est dile-

Digitized by Google

ctio, similis est et offensio. Sequitur: *Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici.* Cadus liquorum mensura est, et corus seminum. Valde timendum est nobis, qui plenitudinem corporalium bonorum debemus proximis: debemus, et tamen non solvimus: debemus totum, et vix parum solvimus. Quid ergo faciemus? Si non possumus solvere totum quod debemus aliis, dimittamus saltem quod debetur nobis. Unde sequitur: *Ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.* Qui enim de centum scribit octoginta, quintam partem dimittit, quia de corporalibus hoc debetur proximo, quod quinque sensus corporis exigunt. Hoc scripto commendatur quod divinæ gratiæ per octonarium relinquitur. Rapuisti meum, abstulisti præstitum, negasti commendatum. Si dimitto tibi, quid mea refert? *scribe octoginta*, id est, commenda memoriæ quod adhuc eges venia divinæ gratiæ. Si quidem Evangelii gratia significatur per octonarium, sicut austeritas legis per septenarium. Sed meretur octonarii gratiam qui præcepta custodit quæ significantur per decem: ut per octonarium juncto quindenario gratiam intelligamus insitam præcepto, ut qui scribit octoginta, per decalogi custodiam perveniat ad octonarii gratiam. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Mira res! malus est villicus, et laudatur: male dispensavit, et parcitur: non emendavit quod fecit, et indulgetur. Vere prudenter egit, quia dimisit pauca, ut reciperet plura: dimisit temporalia, ut æterna perciperet. Audierat enim: *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI). *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Vere prudenter egit qui Deum molitur facere debitorem suum, ut exigat ab eo debitam remissionem, quia remisit. Prudenter egit, quia cui erat obnoxius, ipsum sibi facit obnoxium: et quem habebat durum exactorem, nunc pium habet debitorem, ut fiducialiter dicat: dimitte, quia dimisi: redde quam debes veniam, quia ego dedi veniam. *Quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Filii lucis laborant, et vix merentur pretium; currunt, et vix ad bravium perveniunt; parturiunt, et vix evadunt. Filii sæculi post fraudes et illecebras ac illicitos mores, solummodo dimittunt, et Deum debitorem tenent; parcunt, et parcitur eis; condonant, et donantur. Ideo *prudentiores sunt filii sæculi filiis lucis in generatione sua*, id est, quando regenerantur Deo, et renovantur spirituali vita. *Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Mammona, id est divitiæ, quæ iniquitatis dicuntur, quia sine iniquitate non captantur: et quia iniquum est eas revocare in proprios usus, quas creavit communes Dominus. Unde scriptum est, *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ* (*Habac.* III), id est, pro divitiis captandis vidi homines factos tabernacula nigredinis, id est, vitiorum et dæmonum, ut qui poterant esse tabernacula virtutum sectando paupertatem, facti sint vitiorum tentoria pro iniquitate congreganda. Quis non videat multos perjuria incurrere, homicidia facere, dolos machinari contra proximos, rerum domesticarum et dominorum proditores esse propter divitias? Hi sunt *pro iniquitate tentoria Æthiopiæ*. Sed cum villicus fecerit superius et de spiritualibus et corporalibus, cur Dominus finem concludit parabolæ suæ de solis corporalibus? Citius dimittimus injuriam factam quam præstitam pecuniam; facilius damus fidem quam possessionem; proniores sumus dimittere odia quam expendere nostra. Ideo Dominus parabola nobis ad misericordiam instructis, in ea parte misericordiæ concludit sermonem, quam novit esse apud homines difficiliorem; et ad eam nos enixius hortatur in fine, ad quam videt nos difficilius inclinari, quia *melior est finis orationis quam principium*. Faciamus ergo de divitiis iniquitatis amicos, pauperibus eas distribuendo, et debitoribus atque his qui eas abstulerint dimittendo. Sed quia iniquitatis divitiæ aliæ paterna possidentur successione, aliæ justo conquiruntur labore, aliæ usurpantur ex scelere vel impietate, de his certe amici non fiunt quæ de scelere vel impietate veniunt. Nec putet quisquam ex his adjutores quærere salutis, quas ex mercimonio corrasit iniquitatis. Scriptum est enim: *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI). Et immolantis ex iniquo oblatio est maculata: et qui victimat filium in conspectu patris. Cum ergo præcipitur fieri *amicos de mammona iniquitatis*, discernendum est, ut eas intelligamus quæ de successione vel justo labore proveniunt. Quæ tamen et ipsæ iniquitatis dicuntur, quasi inæqualitatis: quia cum eas in proprietate tenemus, æqualitatem cum aliis hominibus non servamus. Sunt ergo illæ de quibus amicos facere præcipimur, divitiæ et iniquitatis, et justitiæ. Iniquitatis quidem quantum ad Deum, qui omnia communibus creat usibus. Justitiæ vero quantum ad sæculum, quia justitia sæculari possidentur ab hominibus. Divitiæ ergo quæ juste possidentur in terra, et injustæ sunt quantum ad divinam justitiam, et justæ quantum ad terrenam. Divina justitia cujuslibet, proprietas alicujus possessionem defendit. Per terrenam justitiam homines propria colligunt, per divinam justitiam sua communia faciunt. Divitiæ vero quæ sunt ex scelere, omnino sunt injustæ, nec illas justitia divina comprobat, quas etiam terrena condemnat. Et istæ Deo nullo modo sunt offerendæ, quæ de scelere sunt acquisitæ. Et cito tamen reddendæ sunt, imo projiciendæ, ne malefactor inveniatur in malo cœpto perseverare. *Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Exponit hic quod dixerat, *recipiant vos in domos suas*. Mansiones enim æternæ, domus sunt eorum quibus impenditur misericordia. Domus inquam eorum, non possessione, sed causa. Non possessione, quod eas possideant quas forsitan non possidebunt; sed causa, quod scilicet causa sunt suis benefactoribus possidendi. In suas ergo domos nos recipiunt, quando in æter-

Digitized by Google

suas mansiones nos ire faciunt. Suas enim reputamus, quas non nisi per eos accipimus. Quas nobis quasi retribuunt propter beneficia quæ receperunt : et propter misericordias quas acceperunt temporalium, æternorum retributores existunt, per eum qui pro ipsis reddidit quod debuerunt, Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CLXIX.

### IN DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore cum appropinquasset Jesus Hierusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses, et tu*, etc. (*Luc.* XIX.)

Lectionem brevem sancti Evangelii, brevi, si possum, volo sermone percurrere, etc. *Reliqua videsis apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1294.

## HOMILIA CLXX.

### IN DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Augustini.)

*In illo tempore dixit Jesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam, dicens : Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Pharisæus et alter publicanus*, etc. (*Luc.* XVIII.)

Lectio sancti Evangelii ædificat nos ad orandum et credendum, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 655.

## HOMILIA CLXXI.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico, monacho Antisiodorensi.)

*In illo tempore duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus et alter publicanus*, etc. (*Luc.* XVIII.)

Sensus hujus lectionis hæret per omnia superioribus, ubi Dominus discipulos ad instantiam orationis provocat, judicis Deum non timentis, et viduæ inclamantis introducta parabola, quanquam hoc modo terminavit : *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Ne vero sibi quisquam improbe de sua fide applauderet, humilitatis illico documentum subjunxit, eam inter cunctorum bonorum operum exercitia plus valere, matremque virtutum esse demonstrans, sicut constat superbiam vitiorum omnium caput existere. Ad hujus ergo singulare meritum declarandum usus est comparatione duorum hominum, in altero quidem humilitatem laudans, in altero superbiam vituperans. *Duo*, inquiens, *homines ascenderunt in templum ut orarent*, etc. Videns Dominus quosdam Judæorum de ficta se sanctitate extollere, ac per hoc (quasi excellentioris meriti essent) cæteris præferre : hanc parabolam deduxit in medium, in qua et virtus humilitatis præcipue commendatur, et præsumptiva superbia quam sit cavenda ostenditur. *Dixit autem*, inquit evangelista, *ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam : Duo homines ascenderunt in templum.* Nobile illud templum et toto orbe A famosum, quod a Salomone Hierosolymis affluentissimis sumptibus fuerat ædificatum, in eminentiore ipsius civitatis parte situm fuerat, in monte scilicet Moria. Pulchre igitur dictum est, *ascenderunt*, quia civitas Hierusalem in clivo montis, hoc est, in descensu sita, ex parte erat in monte et ex parte in valle : templum autem Domini, ut diximus, in eminentiori loco ipsius civitatis fuit collocatum : et qui ad illud venire cupiebat, necesse erat ut illuc ascendendo perveniret. Unde et in sequentibus legitur : *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo*, hoc est, templo ; vel *descendit justificatus* publicanus *ab illo*, id est, ex comparatione Pharisæi. Et in alio Evangelio homo legitur descendisse ab Hierusalem in Hiericho, et incidisse in latrones (*Luc.* X). Causa B quoque ascensionis eorum subditur : *Ut orarent.* Ad hoc enim illud templum constat ædificatum, ut ibi populus tum primitiva sua et reliqua quæ in lege præcipiebantur, offerret : tum etiam pro se suique regni statu certis temporibus postularet. Ex his autem duobus hominibus qui ascenderunt in templum ut orarent, *unus Pharisæus et alter publicanus.* Pharisæi clerici et presbyteri erant Judæorum, qui pro eo quod a cæteris se dividebant, tanquam sanctioris ac potioris meriti, divisi interpretantur, a Phares filio Judæ mutuato vocabulo. E quibus iste fuisse deprehenditur, qui arrogantia tumens, in templum ascendit, non tam Deum oraturus, quam se laudaturus. Publicani autem dicebantur, vel qui publicis flagitiis incumbebant, vel qui publicis negotiis inser- C viebant, vectigalia reipublicæ persolventes, id est, telonarii, vel etiam omnes qui per fas et nefas divitias sibi accumulabant. Deinde publicanus iste ad membra supradictæ pertinet mulieris sanctæ Ecclesiæ, de quibus supra dicitur : *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se?* (*Luc.* XVIII.) Pharisæus vero ad illos de quibus formidabilis in conclusione sententia subditur : *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Quod stans Pharisæus hic orasse perhibetur, ad morem illius populi refertur, qui ad templum Dei venientes, non solum prostrati, sed toto corpore erecti orare consueverant, quod gestus corporis testatur. *Deus, gra-* D *tias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum.* Quatuor species a sanctis doctoribus numerantur, quibus omnis tumor arrogantium deprehenditur. Prima si quidem species est, cum homo putat se habere bonum quod non habet, quem sententia Apostoli ex obliquo repercutit, dicens : *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (*Gal.* VI). Secunda species est, cum aliquis bonum quod habet, a se ipso habere se arbitratur, diabolum profecto imitans qui per elationem dixit : *Nescio Dominum, et ego feci meipsum ;* quem redarguit Apostoli sententia, dicentis : *Quid enim habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV.) Tertia vero est, cum quilibet, etsi bonum quidem quod habet, cœlitus sibi datum novit, tamen hoc pro suis meritis se accepisse confidit, contrarius

Digitized by Google

apostolo Paulo dicenti : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (*Rom.* XI)? Quarta nihilominus est cum singulariter se aliquis bonum putat habere, et cæteris despectis specialiter bonus videri appetit. Quo morbo Pharisæus iste potissimum laborasse probatur, qui sub quadam generalitate, omnibus infra se positis, suaque præponderans merita, etiam publicano oranti se prætulit. *Deus*, inquiens, *gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Raptores sunt qui per vim aliena diripiunt; injusti, qui legem Dei, quæ summæ perfectæque justitiæ index est, non custodiunt: adulteri, qui alienum thorum violant. *Jejuno bis in sabbato.* Si quem movet cur se bis in sabbato jejunasse jactet, hujusmodi quæstio sub tali citius sensu dissolvetur : Judæos omnes dies suos a sabbato computasse manifestum est, hoc modo : prima sabbati, secunda sabbati, sicque reliqui a sabbato dies nuncupantur usque sabbatum, sicut et nos primam et secundam feriam dicere constat. Non incongrue hoc loco nomine sabbati tota hebdomada intelligitur, quæ sabbato clauditur. Nemo enim tam dementissimus esse potest, qui hunc in una die bis, quod utique impossibile est, jejunasse putet. Bis ergo in sabbato, id est, duobus diebus in hebdomada jejunasse se perhibet. *Decimas do omnium quæ possideo.* Lege præcipiebatur ut filii Israel annuatim omnium rerum suarum Domino decimas darent. Sed scribæ et Pharisæi, ut cæteris decimas dantibus sanctiores apparerent, non modo redditus frugum, verum minima quæque olerum decimabant. Unde et digne alibi a Domino redarguuntur, cum dicitur : *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum, et relinquitis quæ graviora sunt legis* (*Matth.* XXIII), hoc est, altiora præcepta legis, dilectionem videlicet Dei et proximi, vel judicium et misericordiam. Hoc loco breviter commemorandum quod Ezechiel propheta in mystica visione quam refert sibi apparuisse juxta fluvium Chobar, inter reliqua dicit se vidisse *quatuor animalia plena oculis ante et retro* (*Ezech.* I). Quæ cum multiplicibus sint referta mysteriorum sensibus, speciatim sanctorum symbolum præferunt. Hæc ergo animalia recte undique oculata esse dicuntur, quia sanctorum actio undique magna vigilantiæ cura circumspecta est. Ita enim bona desiderabiliter prævident, ut mala quæque solerter caveant. Sic denique terrenorum sese impendunt actibus officiorum, ut a cœlestibus non secernant animum. Sic postremo noverunt frui temporalibus, ut semper intendant æternis : tantoque in bonis etiam quæ agunt solliciti et prudentes sunt, quanto hostis versutissimi fraudes etiam in bonis subrepere solere non nesciunt. At hi quos minima vel nulla sui cura exercet, dum aliis intendunt, frequenter alia negligunt : multumque his sanctis dissimiles animalibus, circumspectionis oculum provide ad cuncta non porrigunt. Quod huic Pharisæo accidisse deprehenditur, qui ad Deo gratias agendas, ad eleemosynam dandam, ad jejunia facienda

A sagaci oculo intendit, sed ad humilitatis observantiam negligenter torpuit, et quasi omnes suæ civitatis aditus diligenter emuniens, superbiæ cicatricem reliquit, per quam feroci hostium deprædationi subjacuit. Quemadmodum enim nihil prodest quod tota civitas contra hostium custoditur incursum, si unum in ea foramen relinquitur per quod ab hostibus intretur, sic nihil juvat quod multas virtutes congregamus, si unum in nobis vitium relinquimus, per quod a diabolo capiamur. *Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum.* Quot in Pharisæo signa præcesserunt superbiæ, tot consequenter in publicano humilitatis indicia describuntur. Ille enim sua merita prædicare, aliis se potiorem ostendere : e contra

B iste suorum confessione peccatorum, demissione luminum, pectoris insuper verberatione Divinitatem sibi conciliat. *A longe* stabat, quia se et peccatorem et profanum veraciter intelligens, sanctuario appropinquare non audebat. *A longe* utique stabat, quia peccando se longe a Deo recessisse noverat. *Oculos ad cœlum levare nolebat*, quia sciebat se illum qui in cœlis est graviter offendisse, illicita conspiciendo, indignum certe existimans iisdem obtutibus Deum vel Dei templum aspicere, quibus ad concupiscendum illicita plurima fuerat conspicatus : necdum eorum numero se sociare audebat, qui de peccatorum indulgentia fisi, cum Psalmista dicunt : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII). *Pectus* quoque *suum percutiebat*, quoniam se

C noverat plurima ibi cogitasse nefanda unde Deum offenderat : et quasi supplicium sibi de seipso exigens, veniam scelerum non tam impetrabat quam extorquebat a Domino. *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.* Magna precis brevitas, sed mira robustaque devotione commendata, quæ et judicis sententiam permutaret, et ex injusto justificatum repente publicanum efficeret. Unde sequitur : *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Maxima fiducia sub exemplo istius publicani digne pœnitentibus prærogatur. Qui quoniam culpas præteritas humiliter deflevit, quamvis injustus ad templum venerit, justificatus tamen a templo recessit. Quod vero dicit, *ab illo*, dupliciter auctores exponunt, vel *ab illo* scilicet templo, vel *ab*

D *illo* subaudiendum Pharisæo, id est, plus quam ille. Hæc quia ad litteram per se eminent, si quid mysterii superest, requiramus. Duo isti homines duorum est typus populorum. Pharisæus quidem, de meritorum excellentia inaniter se efferens, Judaicum populum figuraliter exprimit, qui de acceptæ legis observantia tumuit, et Redemptoris sui ad se in humilitate venientis adventum superba mente recipere detrectavit, cum inter cætera quæ culparum immanitas exposcebat, illuc recto satis ordine pervenit; ut qui olim in prioribus Patribus angelos hospitio receperat, jam secum ulterius habitare nolentes, in templo clamantes audiret : *Recedamus ab his sedibus.* Per publicanum vero, qui se humiliando, suaque

Digitized by Google

peccata confitendo, exaltari meruit, gentilis æque designatus est populus, qui, apostolicæ prædicationis veritate suscepta, falsorum numinum portenta deseruit, suumque Creatorem condigna pœnitudine sibi propitiare contendit, cujus digne satis exaltationi contigit ut qui pridem fuerat mancipium diaboli, efficeretur filius Dei. Qui quoniam a Deo conversus, peccata sua recognovit, et scelerum suorum perfecte pœnituit, non solum veniam, sed etiam ut populum Judæorum fidei dignitate præcederet, accepit. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur.* Hæc sententia et de utroque populo valet intelligi, Judaico scilicet et gentili : quorum alter, ut dictum est, de divinis beneficiis superbiens, humiliari : alter vero devote se in confessione peccatorum humilians, meruit exaltari. Et de omni superbo et humili potest convenientissime accipi, concordante super hoc Salomonis sententia : *Ante ruinam exaltatur cor hominis, et ante gaudium humiliatur* (*Prov.* XVIII). At videmus multos honoribus et divitiis hujus sæculi florere, et in eis usque ad finem perseverare : cernimus e contra nonnullos paupertate et inopia laborare, et in eadem egestate usque ad exitum vitæ permanere. Cum ergo isti in inchoata felicitate, et illi in pristina paupertate usque ad terminum vitæ permaneant, quomodo verum esse constat quod Dominus dicit : omnem hominem exaltatum humiliari, atque humiliatum exaltari ? Sed quoniam Veritas falli non potest, sciendum quia si non in præsenti hoc semper adimpleri videtur, in futuro tamen complendum non dubitamus. Omnis enim qui in præsenti vita se exaltat, ut divinis præceptis se subdere contemnat, hic in die judicii cum superbis et impiis sociatus humiliari cogetur, a Domino auditurus : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Qui autem amore divino hic se humiliare studuerit, imitans illum qui dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI) : ipse in futuro judicio a Domino exaltabitur cum optabilem vocem audire meruerit : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV). Nos autem non solum ex humilitate publicani exemplum humilitatis colligere debemus, verum e diverso, et de verbis elati Pharisæi formam humilitatis assumere. Ille enim consideravit aliorum mala, et cœpit jactanter sua proferre bona ; nos e contra nostra mala debemus perpendere, et aliorum bona pie considerare. Ut sicut ille cæteris se præferens, ex eo quod alios despexit, humiliatus est ad ruinam ; ita et nos bonis fidelium impares judicantes, ex eorum imitatione exaltati, proficiamus ad gloriam. Cumque hujuscemodi devotionis formam assecuti fuerimus, in quotidianis precibus hanc orationem a beato Beda editam, brevem quidem, sed omnino saluberrimam frequentando recitare studeamus. « Deus omnipotens, miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi tui, contemptu sæculi sublimes, justitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse devoti : qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quave a te districtione penseter, ignoro. » Tu autem, Domine.

## HOMILIA CLXXII.

### IN DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos*, etc. (*Marc.* VII.)

Surdus ille et mutus, etc. *Reliqua vide apud venerabilem Bedam presbyterum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col. 234.*

## HOMILIA CLXXIII.

### IN DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt*, etc. (*Luc.* X.)

Aperit Dominus cœleste mysterium, quod placuerit Deo ut parvulis magis quam prudentibus istius mundi suam gratiam revelaret. Quod apostolus Paulus stylo pleniore digessit, dicens : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (*I Cor.* I) ? Nam quoniam Dei sapientiam non cognovit hic mundus per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Parvulum ergo accipiamus, qui se exaltare non noverit, et phaleratis sermonibus artem suæ jactare prudentiæ, quod philosophi plerique faciunt. Parvulus erat qui dixit : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX). Et ut scires parvulum hunc, non ætate, non sensu fuisse, sed humilitate sui, et quadam declinatione jactantiæ, addidit, sed exaltavi animam meam. Vides quam excelsus fuerit hic parvulus, quanto virtutum sublimis vertice ? Tales nos parvulos vult esse Apostolus, cum dicit : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim sæculi, stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III). Pulcherrimus connectitur de fide locus, quando omnia sibi tradita dicit a Patre suo. Cum *omnia* legis, omnipotentem agnoscis, non decolorem, non degenerem Patris. Cum *tradita* legis, Filium confiteris, cui per naturam omnia unius substantiæ jure sint propria, non dono collata per gratiam. Addidit : *Nemo scit quis est Filius nisi Pater, et quis Pater nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ideo beatos dixit oculos illorum quibus datum est Dei salutare Christum videre. Ut scias autem quia sicut Filius Patrem quibus vult revelat, ita etiam Pater revelat quibus vult Filium, audi dicentem ipsum Dominum Jesum cum laudaret Petrum, quod eum Dei Filium esse confessus sit : *Beatus es, inquit, Simon Barjona, quia non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Adhæret his lectio qua exponuntur hi qui legisperiti sibi videntur, qui verba legis tenent, vim legis ignorant, et ex ipso primo

Digitized by Google

legis capitulo docet esse ignaros legis, probans quod A in principio statim lex et Patrem et Filium prædicaverit, incarnationis quoque Dominicæ annuntiaverit sacramentum, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum, et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Unde Dominus ait ad legisperitum: *hoc fac, et vives.* At ille quasi nesciret proximum suum, quia non credebat in Christum, respondit: *Quis proximus meus?* Ita qui Christum nescit, nescit et legem. Quomodo enim potest scire legem, cum veritatem ignoret, cum lex annuntiet veritatem? *Homo quidam ex Jerusalem descendebat in Jericho.* Ut eum locum qui propositus est nobis, planius possimus absolvere, veterem civitatis Jericho repetamus historiam. Meminimus itaque quod Jericho, sicut legimus in libro qui scribitur Jesu Nave, magna civitas fuerit, mirabilibus septa B parietibus, quæ non ferro pervia, non ariete possit esse penetrabilis; in ea Raab habitasse meretricem, quæ exploratores quos direxit Josue, hospitio recepit, consilio instruxit, postulantibus civibus abisse respondit, abscondit in tecto; ut se suosque urbis excidio posset eripere, coccum in fenestra ligavit; urbis autem ipsius inexpugnabiles muros, septem tubarum sacerdotalium sono et populi jubilantis ululatu consono corruisse. Videte quomodo unusquisque proprium servet officium, explorator excubias, mysterium meretrix, fidem victor, religionem sacerdos. Hi periculum pro laude non metuunt, illa susceptos nec in periculis prodit. Iste sollicitus magis fidem servare, quam vincere, meretricis prius mandat salutem quam excidium civitatis. Religionis autem C insignia arma sunt sacerdotis. Jam illud quis non plenum putet esse miraculi, quod ex tota urbe nemo servatus est, nisi quem meretrix liberavit? Hæc simplicis historia veritatis [historiæ veritas] est; quæ si altius consideretur, admiranda signat mysteria. Jericho enim figura istius mundi est, in quam de paradiso, hoc est, de Jerusalem illa cœlesti ejectus Adam, prævaricationis prolapsione descendit, hoc est, de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio, naturæ suæ fecit exsilium. Longe enim ab illo mutatus est Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur, ubi in sæcularia peccata deflexit, incidit in latrones, in quos non incidisset, nisi [in] his mandati cœlestis devius se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi angeli noctis atque D tenebrarum, qui se nonnunquam transfigurant in angelos lucis, sed perseverare non possunt? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis, et sic vulnera inferre consueverunt. Nam si intemerata quæ sumpsimus indumenta servamus, plagas latronum sentire non possumus. Cave ergo ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati cœlestis custodia destitutus, et exutus fidei testamento, et sic lethale vulnus excepit. In quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset. Non mediocris iste Samaritanus, qui eum quem sacerdos, quem levita despexerat, non etiam ipse despexit. Nec vocabulo sectæ despicias, quem verbi interpretatione miraris. Samaritani etenim vocabulo custos significatur, hoc habet interpretatio. Quis est custos nisi ille de quo dictum est: *Custodiens parvulos Dominus* (*Psal.* CXIV). Itaque sicut Judæus alius in littera, alius in spiritu, ita et Samaritanus alius foris, alius in occulto. Hic ergo Samaritanus descendit. *Quis est qui descendit de cœlo, nisi qui ascendit in cœlum, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III)? Videns semivivum quem nemo poterat ante curare, sicut illam quæ fluxu sanguinis profluens, in medicos erogaverat omne patrimonium suum, venit secus eum, hoc est, factus compassionis nostræ susceptione finitimus, et misericordiæ collatione vicinus. *Et alligavit vulnera ejus, infundens vinum et oleum.* Multa medicamenta medicus habet iste, quibus sanare consuevit. Sermo ejus medicamentum est. Alius ejus sermo constringit vulnera, alius oleo fovet, alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriori præcepto, fovet remissione peccati, sicut vino compungit denuntiatione judicii. *Et imposuit*, inquit, *eum in jumentum suum.* Audi quomodo te imponat. Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet, et pastor imposuit ovem læsam super humeros suos. Homo enim jumentis similis factus est. Et ideo supra jumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus et mulus, ut per nostri corporis assumptionem infirmitates nostræ carnis aboleret. Denique duxit nos in stabulum, qui eramus jumenta. Est autem stabulum, in quod defessi longo itinere succedere solent. Duxit itaque illum in stabulum Dominus, qui *suscitat a terra inopem, et de stercore erigit pauperem* (*Psal.* CXII). Et curam ejus egit, ne æger ea quæ acceperat nequaquam præcepta servaret: in quo *cognovit asina præsepe domini sui* (*Isaiæ* I). Sed non vacabat Samaritano huic in terris diu degere, redeundum enim erat eo unde descenderat. Itaque *altero die*. Quis est iste alter dies, nisi forte ille Dominicæ resurrectionis, de quo dictum est: *Hæc est dies quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII)? *Protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe.* Qui sunt isti duo denarii, nisi forte duo Testamenta, quæ imaginem in se habent æterni regis expressam, quorum pretio vulnera nostra curantur? redempti enim sumus pretioso sanguine, ut ultimæ mortis ulcera vitaremus. Hos ergo duos denarios, licet horum quoque librorum quatuor formas non absurdum sit intelligere, accepit stabularius. Quis? ille forsitan qui ait, *hæc æstimo ut stercora, ut Christum lucrifaciam* (*Phil.* III), quo curam haberet hominis vulnerati. Stabularius itaque est ille qui ait: *Misit me Christus evangelizare* (*I Cor.* I). Stabularii sunt isti quibus dicitur: *Ite in orbem universum, et prædicate evangelium omni creaturæ*; et, *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: salvus utique a morte, salvus a vulnere quod infixum est a latronibus. Beatus ille stabularius, qui alterius vulnera curare potest. Beatus ille cui dixit Jesus: *Quodcunque supererogaveris, revertens reddam tibi.* Bonus dispen-

sutor Paulus, cujus sermones et epistolæ veluti ei rationi quam acceperat superfluunt, moderatum Domini mandatum prope immoderato labore mentis et corporis exsecutus, ut multos ab ægritudine gravi spiritualis alloquii dispensatione relevaret. Bonus ergo stabularius, stabuli ejus in quo agnovit asinus præsepium domini sui, et in quo greges clauduntur agnorum, ne frementibus ad caulas rapacibus lupis, facilis in ovilia sit ingressus. Spondet ergo mercedem se redditurum. Quando reverteris, Domine, nisi in judicii die? Nam licet ubique sis semper, stans in medio nostrum, et non cernaris a nobis, erit tamen tempus quo universa caro te aspiciat revertentem. Redde ergo quod debes. Beati, quibus es debitor. Utinam nos simus idonei debitores. Utinam quod accepimus, possimus exsolvere, nec nos aut sacerdotii aut ministerii munus extollat. Quomodo reddes, bone Jesu? Promisisti quidem in cœlo bonis copiosam esse mercedem, reddis tamen et cum dicis: *Euge serve bone, quoniam super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui* (*Matth.* xxv). Ergo quoniam nemo magis proximus quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi Dominum, diligamus et quasi proximum. Nihil enim tam proximum quam caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator est Christi, diligamus eum qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur. Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia, quia misericordia secundum naturam. Nihil enim tam secundum naturam, quam juvare consortem naturæ.

## HOMILIA CLXXIV.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, etc. (*Luc.* x.)

Familiare et quodammodo proprium est divinæ Scripturæ, sequentia præcedentibus jungere, et ex præmissorum scientia ad sensum eorum quæ sequuntur, recto ordine informare. Unde oportet ad lectionis hujus seriem pernoscendam, paulo superius dicta sancti evangelistæ retexere, ubi legitur quod reversis de officio prædicationis discipulis, et ut moris est hominum exsultantibus, quod etiam dæmonia eis subjicerentur, ait eis Dominus: *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et paucis interpositis, conversus ad discipulos, ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* In quibus verbis illud maxime quæri debet, utrum omnium qui Christum videre poterant oculi, credantur ad hanc beatitudinem pertinere, cum non solum boni quique et fideles, verum etiam mali et infideles possint eum videre, nec modo ad videndum eum, sed et ad irrogandas injurias expositum haberent. Et ut scrupulus hujus quæstionis elucidetur, necesse est ut utriusque visionis modus distincte in Domino consideretur. Aliter enim apostolis spiritualibus, aliter scribis et Pharisæis,

A seu turbis carnalibus apparebat. Apostoli et cæteri fideles hominem esse cernentes, verum quoque Deum esse non dubitabant, quod manifestat Petrus apostolus, qui pro omnibus respondit Domino dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* xvi). Pharisæi vero id quod videbant, hoc solummodo credebant. Videbant enim oculis corporeis, et tantum purum hominem esse credebant. Credebant dico, quia ab hominibus hoc credi volebant: alioquin lege et prophetis edocti, Christum illum esse non dubitabant, sed propter gloriam humanam quam perdere timebant, Christum illum confiteri metuebant. Vel ita: Pharisæi vero solo visu corporis Dominum metientes, nihil in eo divinum cæca mente intelligebant, unde nec eum persequi, et injuriis vel contumeliis

B ac probris insectari metuebant. Non ergo horum oculi beatificantur qui eum solummodo hominem esse putabant, sed oculi apostolorum et fidelium beati, qui Christum in decore suæ divinitatis cernere merebantur, hoc est, qui illum et verum Deum et verum hominem esse credebant, de quibus ipse superius ad Patrem loquens, dicebat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* xi), id est humilibus et mansuetis apostolis, qui etsi illum viderunt communi infirmitate circumdatum, crediderunt tamen et intellexerunt in homine latentem unum cum Patre Deum. Felices etiam eorum oculi, et hujus sine dubio beatitudinis cum apostolis conscii, qui omnium vitiorum effusione

C detersa, et omnis labis humore ad purum decocto, purgatissima mentis acie Deum contemplari merentur, qui non solum cum multis Dominum per fidem cognoscere, sed ejus insuper divinitatis naturam, quantum ipse permittit, sapienti ratione intueri festinant. *Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quod vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt.* Reges, sanctos et justos appellat, qui omnes corporis motus, omnes animi appetitus juxta sui conditoris voluntatem regere et disponere noverunt, animi imperio, corporis utentes servitio. Sed cum constet Deum a pastoribus priscis temporibus visum, quid sibi vult quod dicitur: *Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt?* Abraham siquidem

D Deum vidit, quem toties apparentem in tribus etiam angelorum personis hospitio recepit (*Gen.* xviii). Moyses quoque, ut testatur Scriptura, *solitus erat cum Deo loqui facie ad faciem, sicut loquitur homo ad amicum suum* (*Exod.* xxxiii). Sed et magnæ vocis Isaias: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum* (*Isaiæ* vi). Sic Micheas multique alii prophetæ verissime sibi Deum apparuisse confirmant. Unde et videntes sunt appellati, et pene cuncta Scriptura reliqua patres antiquos fere omnes Deum vidisse demonstrat. Si ergo sancti patres et prophetæ Deum viderunt, ut Scriptura testatur, quid est quod Dominus dicit, *Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis?* Sed aliud est videre per fidem, aliud per

Digitized by Google

speciem. Viderunt siquidem sancti præmemorati Deum omnipotentem, sed per speculum, et per imagines, et in subjecta creatura. Omnes enim manifestationes quæ in Veteri Testamento ad patres factæ fuisse memorantur, per inferiores creaturas (hoc est, angelos) peractæ a doctoribus affirmantur. Si enim in sua divinitate ut est, absque ullis imaginibus Deum videbant sancti, quid est quod Moyses, ut jam dictum est, cum Domino facie ad faciem loquebatur, tamen ex bono Dominum obsecrabat, dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te* (*Exod.* XXXIII)? Quem enim manifeste videre quærebat, utique usque ad illud tempus per imagines et figuras vidisse declarabat. Et beatus Stephanus de eodem Moyse dicit: *Hic est Moyses qui fuit cum angelo qui apparuit ei in rubo* (*Act.* VII). Verum sancti apostoli Dominum semper præsentem habebant, et cum omni familiaritate, tum etiam in convictu illi familiarissime adhærentes, quidquid cognoscere voluissent, non per speculum, non per ænigmata, sed per Dominum interrogando discebant: unde merito omnibus retro sanctis lege beatitudinis præferuntur, audientes a Domino: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.* Nam illi qui in veteri Testamento Deum vidisse narrantur, juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes. Sciendum vero per incrementa temporum crevisse divinæ cognitionis augmentum. Apparuit enim Deus Abraham, sed longe post Moysi visus dicit: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* III). Quibus verbis plus aliquid de Deo Moyses, quam præcedentes patres, cognovisse ostenditur. Beatus etiam David multis post sæculi temporibus natus, manifeste clamat, dicens: *Super senes intellexi* (*Psal.* CXVIII). Quod est aperte dicere: Præ cunctis qui ante me fuere patriarchis et prophetis, subtilius aliquid de Dei majestate cognovi. Quid vero de sanctis jam dicatur apostolis, qui ab ipsa et per ipsam Dei sapientiam eruditi, cuncta quæ de cœlestibus et divinis humana poterat sufferre sapientia, plenissime didicerunt? Quod enim antiqui sancti maximum desiderium habuerint, ut Deum viderent in carne præsentem, quod hic ipse eos intueri desiderasse asseverat, ipsorum verba testantur, quibus se Dei Filium incarnatum videre totis affectibus concupivisse declarant. Hinc Isaias magno et incomparabili Deum videndi fervens desiderio, clamabat: *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes* (*Isa.* LXIV)! Hinc David, pari cupiditate exæstuans, aiebat: *Domine, inclina cœlos tuos, et descende* (*Psal.* CXLIII). Optabant enim singuli, si fieri posset, ut suo quisque tempore Dei Filium incarnatum videret. Notandum autem, quia quos Lucas in præsenti lectione prophetas et reges dicit, Matthæus alibi distinctius loquens, prophetas et justos appellat (*Matth.* XIII): ipsi enim sunt reges magni, qui et justi, qui tentationum

A suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum, et dicens: Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Ille legisperitus, id est legis doctor, ut Dominum quæstione tentaret, ex ipsius Domini verbis materiam sumpsit, quæ ad discipulos superius specialiter dicta fuerant: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). Hoc iste audiens, et suum quoque nomen in cœlo designari cupiens, percontatus est quid facere deberet, ut vitam æternam possideret. Intellexerat enim quia in cœlo scribi, nihil aliud est quam in æternitatis memoria titulari. Verum quia a legisperito Dominus interrogatus fuerat, consequens erat ut eum ad legis scientiam mitteret, ut suis verbis sibi ipsi satisfa-

B ceret. Unde sequitur: *Ait illi Jesus: In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Quia ipse legis doctor erat, ut dictum est, ideo de ipsa lege eum interrogat. Sed ille non tam Domino respondit, quam sibi quæstionis objectæ nodum aperit: *Diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, ex toto intellectu; *et ex tota anima tua*, id est, ex tota voluntate tua, vel ex omni quod vivis et sapis; *et ex omnibus viribus tuis*, hoc est, ex omni fortitudine; *et ex tota mente tua*, id est, ex omni memoria vel ratione. *Et proximum tuum sicut teipsum.* Post dilectionem Dei, jure secundo loco ponitur dilectio proximi, quæ jam quondam certa determinatur mensura, cum sicut nos, ita proximum diligere præcipimur. Namque in dilectione Dei nullus modus constituitur, sed

C omnibus simul mentis et corporis officiis diligi mandatur. Ait enim apostolus Paulus: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* XV). Dum ergo Dominus legisperito se tentanti respondere dignatur, nostram imperitiam erudit, in qua responsione iter patriæ cœlestis nobis ostendit. Cum enim suo tentatori mandatum dilectionis exponenti dicit: *Recte respondisti, hoc fac et vives*, aperte nobis declarat, quia per solam dilectionem ad vitam æternam pervenire possumus, si hanc non verbo tantum, sed opere servamus, scilicet ut diligamus Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus, et ex tota mente. Tunc etiam diligimus proximum tanquam nosmetipsos, si omnia quæ nobis a proximis

D fieri volumus, eadem et nos proximis faciamus. Sciendum præterea omnem illum decalogum, in quo totius divinæ legis perfectio constat, his duabus charitatis complecti sententiis. In decalogo enim sunt tria præcepta ad dilectionem pertinentia, et septem quibus dilectionis mos instruitur. Hinc Apostolus dicit: *Quia in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ* (*Rom.* XV). Nulli ergo jam de ignorantia excusandi locus conceditur, nulli de implendis mandatis Dei impossibilitatis argumentum relinquitur. Omnia enim legis et Evangelii præcepta charitatem commendant. Hæc in singulis sola, in omnibus tota præcipitur, hanc quisque eo quo in Deum et secundum Deum servanda est ordine tenuerit, omnem profecto legis et Evangelii summam, quæ ex hac



Digitized by Google

pendet, implebit. Sola enim charitas virtutes inchoat, sola provehit, sola perficit, ut merito de hac per Psalmistam dictum sit : *Ibunt sancti de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). At vero dum legisperiti Dominus responsionem approbat, et objectæ quæstionis nodum solvit, nobis, qua vitæ æternæ iter sequi debeamus, ostendit. Sed ille Domini se ore laudatum videns, majoris adhuc favoris avidus, iterato quem suum proximum scire deberet, interrogat, hoc est quod Evangelium ait : *Ille autem volens justificare seipsum*, hoc est, justum et sapientem ostendere. Neque enim dignus erat numero eorum de quibus supra ad Patrem dixerat : *Revelasti ea parvulis* (*Luc.* X), id est, mansuetis apostolis ; sed illorum socius existebat de quibus ait : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus*, Scribis scilicet et Pharisæis. Quia ergo laudatus fuerat a Domino, ut supra dictum est, quod bene respondisset, quantulacunque ex hoc percepta jactantia, volens se justum ostendere, dixit ad Dominum : *Et quis est meus proximus?* Quærit iste legis doctor, utrum is qui consanguinitate tantum, aut propinquitate carnis affinis est, an potius omnis homo qui misericordiam alteri impendit, proximus intelligi debeat. Cui Dominus ita respondit, ut omnem hominem, qui alterius miseretur, proximum illius esse doceret : et tamen quia ipse per assumptam humanitatem proximus nobis fieri dignatus est, evidenter ostenderet. Jam vero quid Dominus fecerit, consequenter aperitur, cum subditur : *Suscipiens autem Jesus dixit*. Verbum *suscipio* duobus modis intelligitur. Aliquando ponitur pro eo quod est accepto, ut est illud : *Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon* (*Luc.* II). Aliquando vero significat respondeo, sicut in præsenti loco cum dicit : *Suscipiens Jesus*, id est respondens, dixit : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones*. Interrogante legisperito Dominum quis esset ejus proximus, proponit illi Dominus parabolam hominis descendentis de Jerusalem in Jericho civitatem, qui sit a latronibus in itinere despoliatus atque vulneratus, quem levita et sacerdos qui erant ex gente ipsius, invenientes pertransierunt, nec illi misericordiam impendere studuerunt. Præteriens autem Samaritanus quidam, qui gentis erat alterius, misericordia motus alligavit vulnera ejus, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum suum, hoc est, ad hospitium suum, et curam illius cœpit habere. Sequenti autem die dans stabulario, videlicet hospiti suo, duos denarios, petivit ut curam illius haberet, promittens in redeundo mercedem illi restituendam. Qua proposita parabola, interrogat Dominus doctorem legis, quis horum trium fuerit proximus illi qui fuerat vulneratus : utrum levita, vel sacerdos, qui ex eadem gente, imo ex eadem civitate erant, et misericordiam non fecerunt, an potius Samaritanus alienigena qui ei impendit misericordiam. Et ex responsione Scribæ patenter approbat nullum nobis amplius proximum esse quam illum qui nostri miseretur, et cui præcipitur a Domino ut pergat, et similiter agere studeat. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*. Quantum ad litteram ideo hominem ab Jerusalem in Jericho descendisse narrat, quia Jerusalem in montosis, Jericho vero civitas in campestribus sita est : atque ideo de Jerusalem in Jericho non nisi descendendo pervenitur. In quo itinere feruntur latrones in quibusdam speluncis ac foveis lati are, atque subinde de transeuntibus prædas agere. Aliter : Fertur juxta litteram inter Jerusalem et Jericho vallem fuisse frequentibus permeantium deprædationibus et latrociniis famosam, eo tempore quo decem tribus a David regno defecerant, atque inter Roboam et Jeroboam intestina bella vigebant (*III Reg.* XII). Situs autem Jerichuntinus mirabilis fuisse a locorum scitis asseritur. Fuit enim urbs illa instar lunaris hemisphærii, septemplici muro vallata, unde lunæ nomen accepit, nam Jericho *luna* interpretatur. Sed ita ea quæ litteræ superficies exposcit, tangenda sunt, ut veritas allegoriæ efficaciter requiratur, eique inconcusse inhæreat. Homo ergo iste qui descendit de Jerusalem in Jericho et incidit latrones, Adam, et in eo causaliter genus humanum, accipitur. Jerusalem autem civitas de qua descendisse refertur, quæ *visio pacis* interpretatur, significat cœlestem Jerusalem, id est, illam habitationem patriæ cœlestis, ad quam perpetualiter contemplandam atque possidendam, primus homo a Deo creatus fuerat. A cujus felicitate tunc decidit, cum superbus ex paradiso expulsus est, atque a visione divinæ contemplationis alienatus. Quandiu enim in paradiso fuit, in consortio et societate angelorum per mentis contemplationem mansit. At ubi, serpentis persuasione motus, contra Creatorem superbivit, statim a paradiso simul et a contemplatione sui Conditoris decidit. Et hoc significat præsens parabola, quæ narrat hominem descendisse de Jerusalem, cujus nomine videlicet Jerusalem, designatur illa beatitudo patriæ cœlestis. Quo vero deciderit ille primus parens noster, postquam a contemplatione cœlestis Jerusalem alienatus est, manifestat Dominus cum addit, in Jericho, hoc est, in hanc vitam mortalem, laboribus et defectibus plenam, in quam merito inobedientiæ infelix humana mortalitas expulsa gravissimam præsumptionem superbiæ perpetuo deflet exsilio. Hæc vita præsens nomine Jericho designatur. Et recte per Jericho quæ interpretatur luna, defectus nostræ mortis figuratur, cum sicut singulis mensibus luna decrescens deficit, ita vita nostræ mortalitatis singulis momentis deficiens, quotidie evanescit. Homo ergo iste tunc a Jerusalem descendit in Jericho, quando parens humani generis, in quo omnes fuimus, peccando ab illis immortalibus sedibus paradisi ad hanc mortalem et ærumnarum plenam devolutus est vitam. *Et incidit in latrones*. Sed videamus qui sint latrones in quos primus homo incidit, vel quomodo ab eis despoliatus atque vulneratus semivivus evaserit. Latrones olim dicebantur quos modo satellites vocamus, quod regum astarent lateribus. Sed modo latrones a latendo,

prædones et fures consuetudo obtinuit nuncupari. Per latrones qui a *latendo* dicti sunt, maligni spiritus intelliguntur, qui latrones dicuntur, quod eo nequius quo occultius sæviunt. Si enim providerentur, fortassis aliquatenus caverentur. Pro eo enim quod invisibiles sunt, iter nostrum latenter obsident. In hos latrones homo ideo incidit, quia descendit. Descensus autem hic non alius quam superbia intelligitur, de qua Dominus ait: *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Nisi ergo superbiendo descendisset, in latrones non incidisset, quia primum in se superbus, ac deinde tentatus, hostibus cessit. Scriptum namque est: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur* (*Prov.* XVI). Bene autem prius descendisse, et deinde in latrones incurrisse dicitur. Jam enim interius ante Dei oculos per superbiam ruerat, quando eum sibi hostis tentando foris tam facile sternebat. Qua de re conjicitur neminem suggestione malorum spirituum, nisi volentem et ultro tentandi occasiones appetentem, ad peccandum posse impelli. *Qui etiam spoliaverunt eum*, quando hunc indutum illa immortalitatis et innocentiæ veste nudaverunt, et ex justis et immortalibus peccatores ac mortales fecerunt. Nisi enim superbiendo primus parens noster Adam peccasset, immortalis permansisset. Hoc enim merito designatum est per folia ficus quibus pudenda texerunt, asperitas scilicet peccatorum, et pruritus illicitæ voluptatis (*Gen.* III). Sed et in vestibus pelliceis conditio præfigurata est mortalitatis. Hæc est enim illa stola quam prodigus filius recipere meruit ad pietatem patris reversus (*Luc.* XV). *Et plagis impositis abierunt.* Quid vulnera plagarum, nisi inflictæ corruptiones intelliguntur peccatorum? Sicut enim plagis caro sauciatur, ita peccatis anima cruentatur. Quod intuens Psalmista, flebili lacrymatione semetipsum deplorat, dicens: *Peccata mea sicut sagittæ infixa sunt in me* (*Psal.* XXXVII), tanto utique nequius, quanto per hæc animæ, non corporis vita subducitur. Plagis igitur impositis, id est, peccatis cumulatis abiisse dicuntur, non quo ab hominum impugnatione aliquatenus cessent, sed ipsas suas fraudes et nequitias spirituales callide, ne caveri vel deprehendi valeant, occultando. *Semivivo relicto.* Ex ea parte qua homo Deum cognoscere potest, vivit, ex qua vero peccando Deum offendit, mortuus esse probatur, sicut legitur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Licet meliorem in homine partem (id est animam) occiderunt, nequaquam tamen ei rationis et divinæ imaginis dignitatem auferre potuerunt. In quantum enim homo peccatis contabescit, moritur. Quantum vero ratione viget, et auctorem suum cognoscit, non mortuus, sed vivus habetur. Latrones ergo, id est dæmones, semivivum hominem reliquerunt, quia beatitudinem quidem ab eo immortalitatis tulerunt, sed rationem animi quæ Deum nosse potest, auferre minime potuerunt. *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterivit. Similiter et levita cum esset se-*

A *cus locum, et videret eum, pertransiit.* Per sacerdotem et levitam qui inspecto saucio transierunt, significatur lex Veteris Testamenti et sacerdotium Judæorum, quod maxime quondam in sacerdotibus et levitis emicuit. Vel ut distinctius loquamur, per sacerdotem quidem Aaron sacerdos cum omni sua progenie, per levitam vero Moyses similiter cum sua successione intelligitur. Qui levita idcirco dicitur, quod legis fuerit administrator. Qui eadem via descenderunt, quia una qua et omnes mortis conditione per iter sæculi decurrerunt. Sed viso saucio, sine ullius remedii effectu pertransierunt, quia vetus illa lex et sacerdotium peccata quidem valebant tantum ostendere, sed neminem a peccato liberare. Peccatorum enim vulnera per legem et sacerdotium

B Judæorum tantum monstrari poterant, non autem curari. Ut enim Apostolus ait: *Impossibile* erat *sanguine* brutorum animalium *auferri peccata* (*Hebr.* X), donec veniret illud singulare sacrificium quod *in* cruce oblatum peccata mundi extersit. Unde sequitur: *Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit secus eum.* Samaritani non erant de populo Judæorum, sed alienigenæ potius et idolis servientes. Cum enim a rege Assyriorum decem tribus propter peccata sua translatæ fuissent de Samaria, ne terra eorum habitatore vacua redigeretur in solitudinem, jussu regis Assyriorum quidam de alienigenis, Assyriis videlicet, missi sunt, in Samariam, quæ erat caput decem tribuum, ut habitarent ibi, et terram excolerent. Cumque cœpissent inibi degere, et idolis (utpote

C Deum ignorantes) deservire, immisit in eos Dominus feroces bestias, ad quarum devastationem interibant. Quo comperto, rex Assyriorum cum suis communicato consilio, direxit eis quemdam de sacerdotibus Judæorum, qui eos legitima Dei terræ doceret. Qui cum divinam eis legem dedisset (ut Regum et Paralipomenon plenissime narrat historia), cœperunt timore cogente Deum colere, sed pristina adhuc infidelitate vigente, nihilominus idola non destiterunt adorare. Istos ergo Judæi abominationi et contemptui deputantes, Samaritanos et plenos dæmoniis vocabant, eo quod dæmoniis deservirent. Unde et hoc pro summo convicio Domino Christo objecerunt, *Samaritanus es tu, et dæmonium habes* (*Joan.* VIII).

D Samaritanus hic Domini Jesu Christi typus est, qui alibi Judæis se blasphemantibus et Samaritanum ac dæmonium eum habere dicentibus, Samaritanum se esse non abnuit, sed falsos illos quod dæmonium haberet succensere declaravit, dicens: *Ego dæmonium non habeo.* Non ergo se Samaritanum vocari indignum tulit, quia in nota dedecoris mysterium amplexus est veritatis. Samaritanus enim interpretatur *custos.* Custos autem nemo competentius humani generis accipitur, quam cui propheta in persona Ecclesiæ dicit: *Custos, quid de nocte* (*Is.* XXI)? Et Psalmista: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (*Psal.* CXXVI). Et idem Psalmista ut hos latrones spirituales evitaret, hunc custodem deprecabatur, dicens: *Custodi me a*

*laqueo quem statuerunt mihi* (*Psal.* xl). Hic ergo Samaritanus, id est Dominus Jesus Christus, compassione finitimus, misericordia vicinus, iter faciens secus saucium venit, hoc est juxta genus humanum, quod peccatis erat vulneratum, quia Deus super omnia, factus homo inter omnia, temporum conditor et locorum, in tempore et loco voluit comprehendi, quando assumpta humanitate in similitudine carnis [*carnis peccati*] apparuit, ut per peccatum damnaret peccatum. Quasi enim quoddam iter habuit, quia de cœlis venit in uterum virginis, de utero virginis in præsepe, et de præsepi ad crucem, de cruce collocatur in monumentum, de monumento iterum surgens ascendit in cœlum. Hinc et in epithalamio Ecclesiæ voce dicitur: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant.* ii). Hoc iter peragens Dominus, videt saucium genus humanum, hoc est, misertus est ejus. Secus saucium venisse dicitur, quia quodammodo juxta nos stetit quando similis hominibus in veritate susceptæ carnis apparuit, de quo bene dicitur: *Videns eum, misericordia motus est.* Solius enim divinæ pietatis et misericordiæ fuit, quod nos sub duræ mortis imperio constitutos indoluit, hæc justum vicit, et ut miseris subveniretur, obtinuit. *Et appropians, alligavit vulnera ejus.* Per alligationem vulnerum intelligitur abolitio peccatorum. Tunc Dominus appropians sauciati vulnera ligavit, quando veniens in hunc mundum peccata quæ in hominibus invenit, redarguendo cohibuit, dicens: *Pœnitentiam agite* (*Matth.* iii). Alligavit ergo vulnera, dum peccandi consuetudine submota, justitiæ et sanctitatis fascia mentes saucias astrinxit. Unde et peccatoris animam propheta a pravo opere dolens non resipiscere, dicit: *Vulnus et livor et plaga tumens non est circum ligata, neque fota oleo* (*Isa.* i). *Infundens oleum et vinum.* Vinum plagis infusum mordet, oleum vero lenit et mollit. Per vinum autem aspera et acerba invectio peccati accipitur, per oleum vero lenis et blanda curatio designatur. Vinum enim putridas carnes resecat. Et quodammodo vinum infudit, dum peccantes et non pœnitentes pœnarum severitate perterruit, dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* iii). Oleum nihilominus infudit, cum spem veniæ pœnitentibus repromisit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et imponens illum in jumentum suum.* Jumentum accipitur caro Salvatoris. Jumentum enim a juvando dicitur. Et caro Domini jumentum fuit, quia nobis ut ad vitam reparemur, æternum adjumentum præstitit. Imposuit ergo saucium in jumentum, quando peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Et ea Deus dignatione jumentum factus est, ut homo jumentum fieret Dei. Jumenta enim irrationabilia erant homines quibus dicit: *Nolite fieri sicut equus et mulus* (*Psal.* xxxi). Unde et quasi jumenta in stabulum inducuntur, de qua humanitatis assumptione loquens propheta, dicit: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (*Isa.* xix), hoc est, assumet cor-

A pus pondere peccatorum nequaquam gravatum. Hoc est autem quod dicitur vulneratum jumento suo imposuisse, quod in alia parabola significatur, in qua pastor bonus ovem humeris suis imposuit, et sic reportavit ad gregem (*Luc.* xv). Moraliter autem tunc quilibet super jumentum Domini imponitur et in stabulum ducitur, cum ad baptismum veniens, fidem sanctæ Trinitatis percipit, et in societate sanctæ Ecclesiæ collocatur. Nam sequitur: *Duxit in stabulum.* Stabulum in quod illum duxit, præsens sancta Ecclesia accipitur, in qua sancta Dei animalia, hoc est fideles, frumento, id est verbo Dei, jugiter aluntur, et sacratissimo Dominici corporis pane confirmantur, de quibus dictum est: *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* lxvii). Stabularius autem ordinem prædicato-
B rum designat, quibus sancta Ecclesia commissa est a Christo, ut pabulo verbi divini eam reficere studeant. Stabulo etiam viatores fessi succedere solent, et sancti quique tumultuosis sæculi actionibus defatigati, intra Ecclesiam quieti consistunt. *Et curam illius egit.* Non enim suffecit Domino quod peccata prohibuit, quod vitæ præcepta proposuit, nisi etiam ægerrimo generi humano conferret, ut prohibita vitaret et præcepta impleret. Sed non vacabat Samaritano huic diutius in terra morari, redeundum erat illuc unde venerat. *Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe.* Prima dies est tempus Dominicæ incarnationis, quando, sicut scriptum est, *sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis* (*Isa.* ix). Altera vero
C dies est post Domini resurrectionem, in qua splendor lucis æternæ cum claritate Evangelii cunctis per orbem gentibus radiavit. Duo vero denarii, duo Testamenta significant, Vetus scilicet et Novum, in quibus æterni Regis nomen et imago, hoc est cognitio et contemplatio, continetur. Altera igitur die Dominus *duos denarios protulit, et dedit stabulario*, quia resurgens ex mortuis, aperuit discipulis sensum, et utriusque Testamenti mysteria ad eruditionem omnium gentium illis patefecit. Stabularius vero, ut præmissum est, ordo intelligitur prædicatorum, e quibus unus est eximius Paulus apostolus, qui legis denarium in curam saucii expendens, dicebat: *Hæc omnia contemno, et arbitror ut stercora* (*Phil.* iii). Duos ergo denarios stabularius accepit, quando apo-
D stolis utriusque Testamenti scientia collata est, et ad prædicationem quasi ad curam humani generis directi sunt. Quid enim est aliud dicere, Curam illius habe, nisi, *Ite in mundum universum et prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* xvi)? *Et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Videamus quid supererogaverunt stabularii, id est sancti prædicatores. Supererogaverunt sancti apostoli, quando super Evangelii præcepta dictis suis et epistolis saluti hominum conduxerunt. Implevit hoc magister gentium, qui fuit unus sanctæ Ecclesiæ stabularius, qui super eam quam accepit rationem aliquid erogavit, quando moderatum mandatum Domini prope immoderato labore executus est, quando

Digitized by Google

etiam de his de quibus præceptum non acceperat, A consilium dabat, dicens : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII). Et rursum dicit : *Dominus ordinavit his qui evangelium nuntiant, de Evangelio vivere*; nos autem non usi sumus hac potestate inter vos, ne quem vestrum gravaremus (*I Cor.* IX). Cui cum venerit, hoc est, cum in fine sæculi universæ carni apparuerit, supererogata restituet, quia juxta aliam Evangelii parabolam super omnia bona sua constituet eum (*Matth.* XXV). Magni ergo meriti est hic stabularius, cui debitor est Christus. Quis enim non gaudeat saltem idoneus debitor esse Christi? Quantus est ergo iste cujus est ille debitor, qui omnes habet debitores? Illne ipse certus gloriatur dicens : Non negabit debitum, qui donavit indebitum. Producto vero hucusque B similitudinis hujus tenore, id quod susceperat conclusurus, legisperitum interrogat, quis horum trium illi qui in latrones inciderat proximus fuisse videretur, utrum videlicet sacerdos et levita qui, genere proximi, misericordia fuerant extranei, an Samaritanus qui, natione externus, compassione fuerat vicinus. At ille quod ratio persuadebat respondit, illum scilicet magis illi fuisse proximum, qui fecit misericordiam in illum. Et Dominus ad similem eum pietatis operam provocans, *Vade*, inquit, *et tu fac similiter*. Quod est dicere : Ut ostendas te veraciter diligere proximum sicut teipsum, vade, et quidquid vales in utilitatem ipsius vel corporali, vel spirituali promptus operare. Imitare hujus prædicabile Samaritani exemplum, et cuicunque potueris misericordiæ C munus impertire. Tali argumento omnem hominem nostrum esse proximum et cognoscendo diligamus, et diligendo inopiæ ipsius affinitatis intuitu compatiamur. Plus enim misericordia quam cognatio proximum facit, quia misericordia res est naturæ. Quid enim majus secundum naturam, quam juvare consortem naturæ? Spiritualiter vero proximus noster nullus amplius est quam Christus, qui vulnera nostra curavit. Proximus itaque nobis est per divinitatem, quia non longe est ab unoquoque nostrum. *In ipso enim vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII). Proximus etiam nobis fieri dignatus est ex humanitate, quia cum esset longe a nobis, ut pote immortalis a mortalibus, justus a peccatoribus, descendit ad nos, D ut nobis fieret proximus, qui erat ante longinquus. Veneremur ergo eum quasi Dominum et Deum nostrum, diligamus et quasi proximum, quia ipse est caput nostrum. Et constat quia nihil est proximius quam caput membris. Hunc semper quasi membra fidelissima caput respectemus, ejusque misericordiam jam de cætero securi poscamus. Non enim poterit non misereri subditis, quia sese proximum præbere dignatus est indevotis. Diligentes ergo se diliget, et ad contemplationem suam Patrisque introducet, Jesus Christus Dominus noster, qui regnat in sæcula.

## HOMILIA CLXXV.

### IN DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

*In illo tempore dum iret Jesus in Hierusalem, transibat per medium Samariam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*, etc. (*Luc.* XVII).

In leprosis illis quos Dominus ita mundavit, cum ait : *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, multa quæri possunt quæ merito quærentes moveant, non solum de numero, quid sibi velit quod decem sunt, sed quod unus ex eis solum gratias agit. Hæc enim libere quæruntur, ut etiam non investigata, vel nihil vel multum impediant intentionem legentis, sed illa potius cur eos ad sacerdotes miserit, ut cum irent, mundarentur. Nullum eorum quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nam et illum a lepra mundaverat, cui dixit : *Vade, ostende te sacerdotibus, et offer pro te sacrificium quod præcepit Moyses in testimonium illis* (*Luc.* V). Deinde qualis mundatio spiritalis possit eorum intelligi quos ingratos exstitisse arguit. Secundum corpus enim facile est videre hominem posse non habere lepram, et tamen animi non esse boni. Secundum significationem autem hujus miraculi, dici possit ingratus. Quærendum est igitur quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis aut integritatis sensuum atque membrorum. Leprosi ergo non absurde intelligi possunt qui, scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et jactantiam sermonis ostendunt. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in una disputatione vel narratione hominis tanquam in unius corporis colore apparentia significant lepram tanquam veris falsisque colorum locis humana corpora variantem atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, ut si fieri potest longius remoti, magno clamore Christum interpellent, sicut isti decem steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes : *Jesu præceptor, miserere nostri*. Nam et quod præceptorem vocant, quo nomine nescio, utrum quisquam Dominum interpellaverit pro medicina corporali, satis puto significare lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit. Sacerdotium vero Judæorum nemo fidelium fere dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi summi veri principis sacerdotum. Nam nunc et omnes unguntur, quod tunc regibus tantum et sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Christianum populum scribens, *regale sacerdotium* (*I Petr.* II), utrumque illi populo nomen convenire declaravit, quo illa unctio pertinebat. Cætera itaque vitia tanquam valetudines et quasi membrorum animæ atque sensuum, per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corri-

Digitized by Google

git. Doctrina vero vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem sonantem atque lectionem, ubi color quidam verus intelligitur atque sincerus, quia in promptu est et foris eminentissimus: non enim in occultis cogitationibus, sed in manifestis operationibus hæc aguntur, Ecclesiæ proprie contributa est. Itaque et Paulus, voce Domini audita, *Quid me persequeris? ego sum Jesus, quem tu persequeris* (*Act.* IX): ad Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, sacramentum fidei doctrinæ perciperet, et verus ejus approbaretur color; non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere (nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia?), sed ut ipsa societas congregatorum fidelium approbando invicem, atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquam unam speciem veri coloris obducat. Ad hoc pertinet etiam quod idem dicit apostolus: *Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto etiam Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et exposui Evangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem his qui videntur, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem* (*Gal.* II). Et paulo post: *Cum cognovissent*, inquit, *gratiam quæ data est mihi, Petrus, Jacobus et Joannes qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis* (*Ibid.*). Ipsa enim collatio unam doctrinæ speciem exclusa omni varietate monstrabat, quod salubriter etiam Corinthios monet, dicens: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes* (*I Cor.* I). Cornelius etiam cum et eleemosynæ ejus acceptæ, et preces ejus auditæ illi ab angelo nuntiarentur, propter doctrinæ sacramentorumque unitatem ad Petrum jubetur mittere (*Act.* X), tanquam illi et suis diceretur: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Nam et cum irent, mundati sunt. Jam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramento, nondum spiritualiter ad sacerdotes pervenerant, et tamen infusione Spiritus sancti, et admiratione linguarum, eorum mundatio declarata est. Quæ cum ita se habeant, jam facile est etiam illud videre fieri posse, ut quisque in Ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequatur, et omnia secundum catholicæ fidei regulam disserat, distinguat a Creatore creaturam, eoque manifestetur varietate mendaciorum tanquam lepra caruisse, et tamen ingratus sit Deo et Domino mundatori suo, qui elatus superbia gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisque efficitur eis de quibus Apostolus dicit: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom.* I). Quod enim dicit eos Deum cognovisse, ostendit quidem a lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Ideoque tales in novenario numero tanquam imperfecti manebunt. Unum enim si addatur ad novem, quadam effigies unitatis impletur, quo fit tanta complexio, ut ultra non progrediatur numerus, nisi rursus ad unum redeatur, et hæc per infinitatem, numeri regula custodiatur. Novem itaque indigent uno ut quadam unitatis forma coaguleutur et decem sint. Unum autem non eis indiget ut custodiat unitatem. Quamobrem ut illi novem qui gratias non egerunt, reprobi effecti, a consortio unitatis exclusi sunt, ita ille unus qui gratias egit, unicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Judæi, amisisse superbia declarati sunt regnum cœlorum, ubi maxime unitas custoditur. Iste vero Samaritanus, quod interpretatur custos, illi a quo accepit tribuens quod accepit, et quodammodo cantans illud de Psalmo: *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII), per gratiarum actionem regi subjectus, unitatem regi humili devotione servat. Tu autem.

## HOMILIA CLXXVI.

### IN DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*In illo tempore dum iret Jesus in Hierusalem, transibat per medium Samariam*, etc. (*Luc.* XVII).

Itinera Domini et Salvatoris nostri, tum miraculis, tum etiam mysteriis plena semper fuisse, sanctorum evangelistarum evidentissima declarat assertio. Neque enim locali tantum ambulatione explebatur necessitudo, verum etiam per hoc saluti aliquid providebatur humanæ. Ambulabat enim de loco transiens ad locum, ut omnibus subveniret, omnibus adesset, occurreret singulis, concurreret universis, hos miraculis, illos prædicationibus ad fidem cogeret. Qui et idcirco cum divinitate impleret omnia, humanitate loco voluit circumscribi, ut assumendo quod eramus, suæ nos divinitatis participes esse donaret. Verum non satis est si hoc iter Domini solummodo carnaliter accipimus, et non etiam si forte aliquid mysterii lateat, investigaverimus. Iter ergo Domini, transitus est de terris ad cœlum. Ibat enim, quia mox impleta passione, transito mundo festinato ad Patrem repedabat. Ibat, quia de mortalitate ad immortalitatem, de pœna ad gloriam, de contemptu ad regnum festinabat. *Dum ergo iret in Hierusalem, transibat per medium Samariam*. Memor Dominus salutis humanæ ob quam restaurandam cœlitus advenerat, instante jam suæ passionis articulo, ibat in Hierusalem civitatem, non reformidans gentem quamlibet atrocem, quamlibet sui effusionem sanguinis anxie sitientem. In Hierusalem erat templum Domini, ibi sacerdotium Judæorum, ibi erat cultus sacræ religionis, ibi etiam ter in anno apparebat omne masculinum Judæorum secundum præceptum legale, et ideo Dominus sæpe adibat illam civitatem, cupiens ibi plurimis annuntiare verba salutis, et sua ostendere miracula. Ut ergo nec iter illius a miraculorum præconiis alienum atque immune videretur, *Transeunte illo per mediam Samariam et Galileam, et ingrediente quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*, ita ut erant legis decreto a communi domorum vel urbium cohabitatione discreti. Samaria namque civitas vel regio sua erat, in qua olim re-

Digitized by Google

gnum decem viguerat tribuum, antequam a cultura Dei deficientes, captivitatem Assyriorum experirentur. Illis ergo a solo proprio in exsilium ductis, terras eorum missæ gentes ab Assyriis incolebant. Galilæa vero maxima pars erat Judaici regni, in qua et Nazareth fuit (si dici fas est) patria Domini. Pergens ergo Dominus in Hierusalem, ad passionem, quæ e vestigio implenda erat, properans, has quoque provincias transitu visitabat, et miraculorum insignibus illustrabat. *Et dum ingrederetur quoddam castellum*. Pulchre sanctus evangelista castelli hujus vocabulum nominatim exprimere noluit, ut ostenderet hos qui Domino occurrere leprosos nullam cum hominibus habere societatem, nusquam certum consistendi locum. Legis enim decreto sequestrati fuerant a consortio communis habitationis. Notandum autem quia non legimus occurrisse Domino istos leprosos in vico aut in castello vel civitate, sed potius in itinere, quia lex præcipiebat ut quisquis leprosus esset, per ministerium sacerdotis ab omni plebe separaretur : et ideo a communi consortio segregati, non occurrerunt Domino in vico aut in castello, sed potius in itinere. Ingrediente Domino castellum, occurrerunt, quia e vicino sanandi erant. Unde et auspicato Dominum præceptorem inclamant, a quo cum salute corporis vitæ æternæ præcepta suscipiebant. Sed Dominus ut doceret divinæ legi semper esse parendum, legis a se constitutæ mandatum executus, eos ad sacerdotes direxit, dicens : *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Præcipiebat enim lex (*Lev.* XIII) ut si quis lepræ maculam incurrisset, ad sacerdotem duceretur, ut ejus judicio mundus vel immundus judicaretur. Provida ergo dispensatione Dominus leprosos ad sacerdotes mittebat, multas ob causas. Primo quidem, ut eis aditum calumniandi obstrueret, illis magis parcens qui eorum garrula obloquia curabant. Secundo, ut videntes a Domino leprosos mundatos, quos ipsi per sacerdotium et legem curare nequiverant, aut crederent et salvarentur, aut si non crederent, inexcusabiles de ejus adventu redderentur. Tertio, ut per hoc sanctæ Ecclesiæ sacerdotium altius commendaret. Si enim illud sacerdotium, quod in typo et figura agebatur, adeo venerabile suo tempore exstitit, ut ab ipso Domino honoraretur, multo magis hoc quod nunc jam non in figura, sed in veritate administratur, reverendum et omni sit honore colendum. Aliter : *Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Inter omnes quos Dominus a diversis infirmitatibus multipliciter curasse narratur, neminem illorum quibus curam impendit, præter leprosos ad sacerdotes mittere voluit. Cujus rei quidem ad litteram facilis est intellectus, quia patet illum ideo hoc egisse, ne calumniantibus sibi adversariis adversum se jacula videretur ministrare, dum quererentur illum sacerdotibus suis debitum honorem ac reverentiam non deferre, præsertim cum leprosorum curatio specialiter a sacerdotibus esset discernenda. Si vero spiritualis in hoc facto intelligentia requiratur, constat quod illud sacerdotium Judæorum typus erat sacerdotii regalis et Christiani, quod nunc per Dei gratiam in Ecclesia manet, quo etiam emundantur et consecrantur omnes ad veri sacerdotis membra pertinentes. *Et factum est, dum irent, mundati sunt*. Velocem obedientiam apte festina sanitas est subsecuta. Et magna gestum providentia, ut antequam ad sacerdotes venirent, mundarentur, ne si in eorum præsentia mundari eos contigisset, arbitrarentur se fortassis eorum ministerio, et non virtute mittentis fuisse curatos. Sed hæc quæ ad litteram cursim exsequimur, plena sacramentorum esse, ipse rerum ordo manifestat. Miracula enim Domini hoc sibi specialiter privilegium vindicant, ut juxta historiam veraciter facta credantur, et spiritualiter excussa, interius reconditam mysteriorum aperiant suavitatem. Quod quando agunt, quid aliud quam obstrusis favorum intimis mella producimus? Leprosi ergo isti hæreticos non incongrue designare possunt. Lepra namque ejusmodi est naturæ, ut cutem quam infecerit, diversis coloribus respergat. Sic et hæretici, ut verum se dicere mentiantur, vera falsis permiscent, et quasi unius coloris dogma mendaciorum superducta varietate intertingunt, quia si semper vera prosequerentur, hæretici non essent; si autem semper falsa dicerent, nullus eis nisi dementissimus crederet. Permiscent ergo, ut dictum est, vera falsis, ut dum veritas superducta recipitur, latens intrinsecus falsitatis morbus irrepat, more eorum qui venena propinantes, ora calicis melle liniunt, ut dum mellis dulcedo intenditur, virtus poculi avidius insumatur. Aliter : Sed quia lepra in una eademque cute diversis permixta coloribus fœdum hominem reddit, non incongrue juxta significationem spiritualem leprosorum nomine signantur hæretici, qui unitatem fidei non habentes, diversis inficiuntur erroribus. Sciendum vero est nullam prorsus esse falsam doctrinam quæ non aliqua sit veritate permixta; ne si aut aperte mendax fuerit, non recipiatur, aut si ex toto vera, hæretica non sit. Quemadmodum autem vulnera unius corporis in cute apparentia, diversis coloribus carnem obducunt, ita in uniuscujusque hæretici doctrina falsa veris resperguntur, ut sub obtentu veritatis falsitas inimica prævaleat. Nam et qui venena porrigunt, prius melle calicis ora liniunt, ut per gustum dulcedinis perveniatur ad poculum mortis. Hujuscemodi autem pestes, auctoritate principum Ecclesiæ ita sunt propellendæ, ut auctores earum a totius Christianitatis societate dejecti, magnis Dominum Jesum vocibus pro salute recipienda necessario interpellare cogantur. Et attendendum quod sanctus evangelista ipsum quoque numerum signanter expresserit, cum quot fuerint, indicare curavit. Ait enim, *occurrerunt ei decem viri leprosi*. Pulchra quidem quantitate commendabiles, sed obscena cute deformes. Ergo hæretici intra denariam quodammodo perfectionem sese jactant comprehensos, dum divinorum quæ decalogo accipiunt, mandatorum impletores se esse confirmant, et Chri-

Digitized by Google

stianæ fidei professores se asseverant. Delectat numerus, sed offendit sinistri dogmatis insinceritas. Hoc est quod Apostolus de talibus ait : *Habentes quidem speciem sanctitatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III). Hi tales a cohabitatione civitatis Dei, hoc est, a communione universalis Ecclesiæ projiciendi sunt, ut saltem damnati, et ab omnium consortio sequestrati, tandem longo suæ eliminationis tædio fatigati, Christum magnis vocibus inclamare et eum veritatis præceptorem fateri cogantur. Hoc enim est quod evangelista ait : *Steterunt a longe et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri*. Ideo a longe steterunt, nec Domino appropinquaverunt, quia, ut jam dictum est, a communi consortio separati erant. Et *a longe stantes* leprosi vocem ad Dominum extollunt, ne tumultuantis turbæ strepitu possent aliquatenus impediri. Merito præceptorem jam sanandi vocant, in cujus fide et doctrina se errasse considerant. Sed et in parte spiritualis intelligentiæ quam congrue Jesum præceptorem hæretici vocant, in cujus verbis se recolunt deliquisse, dumque ad ejus magisterii regulam studiose recurrere festinant, mox merentur optatæ salutis beneficia invenire. Quos ut vidit, dixit : *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt*. Lepra quatuor habet differentias significationum. Designat enim infidelitatem paganorum, perfidiam Judæorum, errorem hæreticorum et maculas gravium peccatorum. Ab hac tam multiplici lepra quicunque expiari desiderat, necesse est Ecclesiam adeat, sacerdotes requirat, ut per eorum ministerium exuatur maculis peccatorum, sine quibus constat neminem ab hujuscemodi valetudine posse curari. Quod autem ad sacerdotes leprosi missi sunt, significat quia conversi hæretici, sacerdotibus vel ministris sanctæ Ecclesiæ sese offerre debent, et pravi dogmatis errorem quasi morbidæ cutis varietatem ad examinandum pandere, sicque ab eis fidei catholicæ regulis instructi, pristinæ munditiæ et pulchritudini restituantur. Quamvis enim Dominus, qui summus pontifex verusque magister est, interna sui eruditione quod tenendum sit valeat inspirare, magna tamen dispensatione vult doctoribus obsequi, ut per hoc qui docendi sunt profunda humilitate solidentur, humiliati vero ad capienda fidei sacramenta potiores efficiantur. Si etenim beatus Paulus, qui divinis cœlitus revelationibus fuerat instructus, quique se dicit Evangelium non ab homine neque per hominem accepisse, sed per revelationem Jesu Christi, tum missus est ad Ananiam, ut ab eo fidei veritatem acciperet, et reliqua quæ ordo ecclesiasticus exposcit impleret (*Gal.* II; *Act.* IX). Quid vero sibi vult quod antequam ad sacerdotes venissent, mundati sunt? Forte illud præsignat quod multi fide fervente, dum pro recuperanda animarum salute doctores sanctos expeterent, tanta prævenientis Dei gratia sunt donati, ut antequam per baptismi lavacrum animæ lepram deponerent, Spiritus sancti illapsu ab originalibus peccatis emundari promeruerint. Hoc in Cornelio eisque qui cum eo erant impletum est, de quibus legitur : Quia, disputante diu Petro, cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum. Et beatus Petrus : Quis, inquit, aquam prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, credentes sicut et nos? Multiplex enim Dei misericordia hanc prælatis Ecclesiæ sacerdotibus potestatem contulit, ut et confitentibus pœnitentiæ sanctionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos, ad januam reconciliationis etiam admitterent, sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. *Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum*. Magni meriti ingentisque fidei istum unum fuisse, ex hoc vel maxime conjici datur quod, cæteris ingratis remanentibus, ipse solus mundatori suo gratias acturus rediit, sacerdotum ad quos missus fuerat conspectibus sese ostendere parvipendens, et vero sacerdoti Christo, qui est *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, quique pontifex pontificum, et sacerdos est sacerdotum, sua ora studuit præsentare. Unus iste qui, cæteris ingrate abeuntibus, solus rediit, Salvatori gratias agens, unius Ecclesiæ devotam Deo humilitatem significat, qui vero Deo quotidie grates exsolvit, quia repressis præsumptionis suæ cogitationibus infirmitatem suam humiliter aspicit, de bonis quæ agit nihil sibi tribuit, sed omnia a divina clementia procedere confitetur. Pulchre autem dicitur quia *regressus est cum magna voce*. *Cum magna voce* rediit, quia magnam erga se Dei misericordiam mente persensit. Recte magna voce Deum magnificans reversus est, cujus omnipotentiam in tam subita sui restauratione expertus est. Quo in facto membrum se præcipuum sanctæ Ecclesiæ ostendit, qui quotidie Christum inter blasphemias hæreticorum et Judæorum voces collaudare, eique gratias agere non desistit. De quo adhuc recte subditur, Quia *cecidit in faciem suam, gratias agens*. Casus iste proprie electorum est. Reproborum autem retrorsum semper est cadere, juxta quod de Domini persecutoribus scriptum est, quia dicente Domino, *Ego sum, abierunt et ceciderunt retrorsum* (*Joan.* XVIII). Et de sequacibus Antichristi, sub figura Dan Jacob dicit : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, et cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX). Qui enim retro cadit, ibi cadit ubi quid doli lateat nescit. Qui vero in faciem cadit, ibi utique cadit ubi cuncta quæ fuerint aspicit. Reprobi enim retro cadunt, quia dum mala præterita modo ante mentis oculos ducere negligunt, postmodum retro, hoc est, ad supplicia æterna quæ prævidere noluerunt, infeliciter devolvuntur. In faciem vero cadere, est de his quæ per ignorantiam seu per negligentiam commissa sunt, erubescere. Taliter namque in faciem cadentibus, Paulus apostolus loquitur : *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI)? Quod vero sanctus evangelista de suo tam studiose interposuit, dicens : *Et hic erat Samaritanus*, non ex superfluo aut otiose additum reperimus,

Digitized by Google

si hominis mysterium consideremus. Samaritanus enim interpretatur custos. Quo nomine aptissime declaratur is qui perceptæ dona sospitatis, humilis et gratus maluit custodire, quam tumens et ingratus amittere. Ideoque veri illius Samaritani qui saucii vulnera curavit, cognomine beatificari meruit. Et hic erat Samaritanus, id est alienigena. Sæpe legimus in Evangelio, quia gentiles venientes ad Dominum ut eum audirent et sanarentur ab eo, sanitate percepta, gratias Deo referre studuerunt. Judæi vero jugiter ejus miracula videntes, et ab eo mundationem percipientes, semper ingrati perstiterunt. Spiritualiter Samaritanus, qui interpretatur custos, significat universitatem populi gentilis per fidem ad Deum conversi, qui custodiam habet ad humilitatem conservandam. Dum enim gentilis populus ad Deum conversus, omne bonum quod habet, ei tribuit a quo accepit, profecto beneficia divinitus sibi collata vigilanter custodit, decantans cum Psalmista : *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu Deus susceptor meus es* (*Psal.* LVIII). *Respondens autem Jesus dixit : Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Merito Salvator eos qui ingrati perstiterunt, quasi ignotos requirit cum dicit, *novem ubi sunt?* Sicut enim eos quos eligit, scire comprobatur, ita eos quos reprobat, non incongrue nescire dicitur. Unde et quibusdam in fine dicturus est : *Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII), non quo Deum aliquid lateat, sed quia impiorum vias, quorum figuram isti prætendunt leprosi, quasi ignotas reprobat. Sic et mentiri nescire vir verax dicitur qui loqui mendacium dedignatur, non quo si mentiri velit nesciat, sed quia falsa loqui veritatis amore contemnat. Loquens ergo Dominus dicit : *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Novenarius numerus, si unum in augmentum sui percipiat, quamdam formam unitatis explet, et in denarium surgit. Quo numero, id est denario, tanta fit complexio, ut ultra illum alius numerus non excrescat, nisi hic idem denarius repetatur a capite, hoc est, ab unitate. Unum ergo ad unitatem suam custodiendam non indiget novem, novem vero indigent uno, ut quædam effigies unitatis compleatur, id est denarius. Similiter et illi qui intra unitatem sanctæ Ecclesiæ sunt collocati, qui designantur per unum, non indigent auxilio eorum qui extra sunt positi per infidelitatem. Illi vero qui foris sunt, indigent adjutorio electorum, ut per eorum ministerium ac intercessionem mereantur sanctæ Ecclesiæ incorporari, quoniam aliter salvari non possunt. Adhuc quoque de illis qui ingrati remanserant, subditur : *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Supra decem mundatos asseruit, nunc autem neminem dicit inventum *qui rediret et daret gloriam Deo*, nisi illum alienigenam. Juxta litteram facile est hominem videri corpore sanatum, et tamen persistere ingratum. Spiritualiter autem mirum est cur istos dicat esse sanatos, qui gratia Dei de infidelitate ad fidem convertuntur, et tamen permanere ingratos. Si enim perfecte mundus est aliquis per fidem et baptismum, quomodo est Deo ingratus cujus misericordia ab infidelitate adductus est ad fidem? Et si ingratus, quomodo mundus? Sed sciendum quia sunt quidam in congregatione fidelium qui mundantur quidem per fidem et baptismum, ingrati vero persistunt per bonam operationem. De quibus dicit apostolus Paulus : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom.* I). Cum enim dicit eos Dominum novisse, ostendit mundatos esse a lepra infidelitatis per baptismum; cum vero addit, non glorificasse eos Dominum, nec illi gratias egisse, accusantur ingrati. *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo.* Qua sententia et duritiam Judæorum clam percutit, et gentium ad credendum facilitatem collaudat. Pene enim in omnibus sancti Evangelii locis, et Judæos ad fidem tardos, et gentiles ad fidem impigros, imo paratissimos fuisse invenimus. Hoc in illo beato centurione de quo dictum est : *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII). Hoc et in gentibus quæ circa passionem Christum videre desiderabant, considerari apertissime potest : Ait ergo : *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena;* tanquam diceret : Cives oderunt, alienigenæ amplectuntur. Judæi persequuntur, gentes ambiunt et venerantur. Hi laborant ut post tot beneficia perimant, illi certant ut de perceptis gratias agentes, majoribus digni existant. *Et ait illi Jesus : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Surge,* videlicet a vitiis peccatorum, et *vade* ad operationem virtutum. Jacentem et simpliciter se adorantem laudat Dominus, eumque ut surgat divini oris afflatu animat, et quod perfecte credens, perfecte salvari meruit, approbat. Nihilominus et quid illi qui redire ut gratias agerent detrectarunt meruerint indicat, quia si istum fides sua salvavit, illos profecto infidelitas damnavit. Sed et illis qui jam de perpetratis peccatis erubescere cœperunt, surgendum primo, deinde indicitur ambulandum. Prius enim quasi surgimus, cum a peccatis resipiscimus, cum male insitæ consuetudini resistimus, cum nobis ipsis quod tales fuimus displicemus. Ambulamus vero, cum in via mandatorum Dei boni operis gressum ponimus, cum virtutum studiis desuetum jam et quasi ignavum animum exercemus. Spiritualiter quoque possumus intelligere quoniam si illos qui intra sanctam Ecclesiam consistunt, fides ipsorum salvos fecit, procul dubio eos qui extra manent infidelitas eorum damnat. Illud etiam in isto qui jacens ante pedes Domini surgere jubetur, innuitur, quia qui fidem rectam cum humilitatis observatione tenent, ac Creatori suo se humiliter subdunt, quorum figuram iste prætendit, qui mundatus ad gratias Deo agendas rediit, per divini verbi consolationem a peccatis resurgere, et ad opera virtutum exercendo jubentur accedere, donec, crescentibus quotidie virtutum incrementis, ad illam perfectionem sublimentur, in qua Deum deorum in Sion perpetuo contemplari mereantur. Tu autem.

Digitized by Google

## HOMILIA CLXXVI (*bis*).

### IN DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet*, etc. (*Matth.* VI).

Hæc verba diligenter consideranda sunt. Nam qui sint duo domini, deinceps ostendit cum dicit: *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Mammon apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur, congruit et Punicum nomen, nam lucrum Punice mammon dicitur. Sed qui servit mammonæ, illi utique servit qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi a Domino dicitur. Aut ergo hunc odio habebit homo, et alterum diliget, id est, Deum; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Patietur enim durum et perniciosum dominum quisquis servit mammonæ: sua enim cupiditate implicatur, subditur diabolo, et eum non diligit. Quis enim est qui diligit diabolum? Sed tamen patietur, sicut in aliqua domo majore, qui ancillæ alienæ conjunctus est, propter cupiditatem suam duram patitur servitutem, etiamsi non diligat eum cujus ancillam diligit. *Alterum* autem *contemnet* dixit, non *odio habebit*. Nullius enim vere conscientia Deum potest odisse, contemnit autem, id est non timet, cum quasi de ejus bonitate securus est. Ab hac negligentia et perniciosa securitate revocat Spiritus sanctus, cum per prophetam dicit: *Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas: Miseratio Dei magna est* (*Eccli.* V), ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. Cujus enim tanta misericordia credi potest, quam ejus qui omnia donat peccata conversis, et oleastrum facit participem pinguedinis? Et cujus tanta severitas, quam ejus qui naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit illos? Sed si quis vult diligere Deum et cavere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis servire, et intentionem cordis sui rectam ab omni duplicitate explicet. Ita enim sentiet de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quæret illum. *Ideo* (inquit) *dico* vobis, non habete sollicitudinem in anima vestra quid edatis, neque corpori quid induatis, ne forte quamvis jam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, et ad ista conquirenda nostra detorqueatur intentio, cum quasi misericorditer aliquid operamur, id est, ut cum consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ibi potius quam illius utilitatem attendamus, et ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet, ut meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse, quod nos fecit et composuit ex anima et corpore, quam est alimentum atque tegumentum, quorum curam nobis duplicare cor non vult. *Nonne anima* (inquit) *plus est quam esca?* Ut intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum, et corpus quam vestimentum, id est, plus, ut similiter intelligas eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum. Quo loco quæri solet utrum ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita positam noverimus, cujus retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundum hanc significationem dictum est etiam illud: *Qui amat animam suam, perdet illam* (*Joan.* XII). Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ, qua dictum est: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat* (*Marc.* XVI)? *Respicite* (inquit) *volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea sua, et Pater vester cœlestis pascit ea. Nonne vos pluris estis illis?* id est, carius vos valetis, quia utique rationale animal, sicuti est homo, sublimius ordinatum est in rerum natura, quam irrationabilia, sicuti sunt aves. *Quis autem vestrum*, inquit, *curans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis?* id est, cujus potestate atque dominatu factum est, ut ad hanc staturam corpus vestrum perduceretur, ejus providentia etiam vestiri potest. Non autem vestra cura factum esse, ut ad hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi potest, quod si curetis et adjicere velitis unum cubitum huic staturæ non potestis. Illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cujus videtis cura factum esse, ut tantæ staturæ corpus habeatis. Dandum etiam erat documentum propter vestimentum, sicut datum est propter alimentum. Itaque sequitur et dicit: *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Sed illa documenta non sic allegorice discutienda sunt, ut quæramus quid significent aves cœli aut lilia agri. Posita sunt enim, ut de rebus minoribus majora persuaderentur, sicut est illud de judice qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, et tamen sæpe interpellante vidua accessit ut ejus causam consideraret, non propter pietatem aut humanitatem, sed ne tædium pateretur (*Luc.* XVIII). Non enim ullo modo ille injustus judex personam Dei allegorice sustinet, sed tantum quantum Deus, qui bonus et justus est, curet deprecantes se, hinc conjici Deus voluit, quod nec injustus homo eos qui illum assiduis precibus tundunt, vel propter tædium devitandum potest contemnere. *Nolite ergo*, inquit, *solliciti esse, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo vestiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Hic manifestissime ostendit, non hæc esse appetenda tanquam talia nostra bona, ut propter ipsa debeamus benefacere si quid faciamus, sed tamen esse necessaria. Quid enim intersit inter bonum quod ap-

Digitized by Google

petendum est, et necessarium quod sumendum est, hac sententia declaravit cum ait : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Regnum ergo et justitia Dei, bonum nostrum est, et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcunque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest, apponentur hæc vobis, inquit, sed vos regnum Dei et justitiam primum quærite. Cum enim dixit illud primum, significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum, necessarium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi gratia, ideo debemus evangelizare ut manducemus, sed ideo manducare ut evangelizemus. Nam si propterea evangelizemus ut manducemus, vilius habemus evangelium quam cibum : et erit jam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in evangelizando. Quod etiam Apostolus prohibet, cum dicit licere sibi quidem et permissum esse a Domino, ut *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio et vivant* (*I Cor.* IX), id est, de Evangelio habeant ea quæ huic vitæ sunt necessaria, sed tamen se non esse abusum hac potestate. Erant enim multi qui occasionem habere cupiebant acquirendi ac vivendi secundum Evangelium, quibus eam volens Apostolus amputare, manibus suis victum suum toleravit. De his enim alio loco dicit, ut amputem occasionem, quanquam etiam sicut cæteri apostoli, permissu Domini de evangelio viveret, et non in victu finem constitueret evangelizandi (*II Cor.* XI), sed magis ipsius victus sui finem in Evangelio collocaret, id est, ut superius dixi, non ideo evangelizaret ut perveniret ad cibum, et si qua sunt talia necessaria, sed ideo ista sumeret, ut illud impleret, ne non volens, sed necessitate evangelizaret. Hoc enim idem probat cum dicit : *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt, edunt : et qui altario deserviunt, altario comparticipantur? Sic et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere : ego autem nullo horum usus sum* (*I Cor.* IX). Hinc ostendit permissum esse, non jussum, alioquin contra præceptum Domini fecisse tenetur. Deinde sequitur et dicit : *Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quisquam inanem faciat* (*Ibid.*). Hoc dixit, quia jam statuerat propter quosdam occasionem quærentes, manibus suis victum transigere. *Si enim evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria*, id est, si evangelizavero ut ita faciant in me, id est, si propterea evangelizavero ut ad illa perveniam, et finem Evangelii in cibo et potu et vestitu collocavero. Sed quare non est ei gloria? Necessitas enim mihi, inquit, incumbit, id est, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo, aut ut acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum. Sic enim jam necessitas erit in Evangelio, non voluntas. *Væ enim mihi erit*, inquit, *si non* A *evangelizavero*. Sed quomodo debet evangelizare? Scilicet ut in ipso Evangelio et in regno Dei ponat mercedem. Ita enim potest non coactus evangelizare, sed volens. Si enim volens, inquit, hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est : id est, si coactus inopia earum rerum quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligunt, ego autem non habeo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum, quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisquam Evangelium, sed tanquam servus, cui dispensatio credita est, ut tanquam alienum eroget, nihil inde ipse capiat præter cibaria, quæ non de participatione B regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus. Quanquam et alio loco dispensatorem se dicat (*I Cor.* IV). Potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait, Si autem invitus, dispensatio mihi credita est, talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat. Ergo quæcunque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est quam id propter quod quæritur; et ideo illud primum est, propter quod istam rem quæris, non ista res quam propter illud quæris. Quapropter si Evangelium et regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, et posterius regnum Dei, ita ut si non sit cibus, non C quæramus regnum Dei. Hoc est ergo primum quærere cibum, et deinde regnum Dei, id est, hoc priori loco ponere, illud posteriori. Si autem ideo quærimus cibum, ut habeamus regnum Dei, faciamus quod dictum est : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Quærentibus enim primum regnum et justitiam Dei, id est, hoc præponentibus cæteris rebus, ut propter hoc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Dixit enim superius : *Scit enim Pater vester quia horum omnium indigetis.* Et ideo cum dixisset : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus*, non dixit : deinde ergo ista quærite, quamvis sunt necessaria, D sed ait : *Hæc omnia apponentur vobis*, id est, consequentur, si illa quæratis, sine ullo vestro impedimento. Et cum ista quæritis, illinc avertamini, aut ne duos fines constituatis, ut et regnum Dei propter se appetatis, et ista necessaria, sed hæc potius propter illud vobis non deerunt, quia non potestis duobus dominis servire. Duobus autem dominis servire conatur, qui et regnum Dei pro magno bono appetit, et hæc temporalia. Non potest autem simplicem habere oculum, et uni Domino Deo servire, nisi quæcunque cætera si sunt necessaria, unum propter hoc assumat, id est, propter regnum Dei. Sicut autem militantes accipiunt annonam et stipendium, sic omnes evangelizantes accipiunt victum et tegumentum. Sed sicut non omnes propter salutem reipublicæ mi-

Digitized by Google

litant, sed propter illa quæ accipiunt, sic non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam et stipendia consequuntur, aut et propter hoc, et propter illud. Sed supra jam dictum est, non potestis duobus dominis servire. Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes, non autem in hac operatione vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare. Quorum omnium temporalium nomine, crastinum posuit, dicens : *Nolite ergo solliciti esse de crastino.* Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore, ubi præterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus. Tunc erit illud bonum et perfectum opus. Tu autem.

## HOMILIA CLXXVII.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Nemo potest duobus dominis servire*, etc. (*Matth.* VI).

Dominus ad hoc homo factus est, ut nos de potestate tenebrarum eriperet, atque regnum Deo Patri nos faceret. Ait enim ipse in quodam Evangelii loco parabolice loquens, quod *homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum* (*Luc.* XIX). Quibus verbis nullum alium quam seipsum intelligi voluit, qui ad hoc de cœlestibus in hanc ærumnarum ac mortis regionem venire dignatus est, ut imperium diaboli quod fœdere quodam peccati, mortisque æternæ pacto persuaserat, dissiparet, et regnum suum justitiæ ac mansuetudinis legibus exaltaret. Cum ergo jam multi a regno diaboli deficerent, et edictis cœlestibus parentes, signa fidei prompta devotione subirent, hac oratione eos rex ille victoriosissimus alloquitur : *Nemo potest duobus dominis servire.* Ac si aliis verbis ad spiritualis militiæ disciplinam exhortans dicat : Si perfecte mei imperii jus eligitis, oportet ut per omnia prioris domini servitium abnuatis. Neque enim simul utrisque obtemperari potest, cum contraria sibi sint quæ ego et quæ ille præcipimus. Ego denique quæ sanctitatis et quæ honestatis sunt jubeo impleri, ille turpia omnia atque honestati repugnantia præcipit exerceri. Ego virtutum arma meum militem pro mansuetudine, humilitateque servanda alacriter excipere, ille cogit suos pro superbia mortem insontibus irrogare. Quomodo ergo potest ambobus par exhiberi famulatus, quorum dispar est dominatus? Hæc verba Redemptoris nostri ad curas istius sæculi evitandas nos instruunt, et ut contemnere temporalia, et cœlestia studeamus semper appetere, exhortantur. *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis servire.* Quæ sententia juxta litteram apertissime etiam non exposita claret, quia nemo scilicet duobus dominis carnalibus ita potest servire, ut ambobus æqualiter placeat, utrisque æqualiter obsequatur. Unde sequitur : *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet.* Spirituali vero intellectu qui sint isti duo

A domini subsequenter ostendit, cum subdit : *Non potestis Deo servire et mammonæ*, id est Christo et diabolo. Quæ enim participatio Christo et diabolo? aut quæ lucis ad tenebras? Adhuc vero de duobus dominis sequitur : *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Unum odio habebit*, scilicet diabolum, qui odio habendus est, non per hoc quod substantia, sed per hoc quod malus est, oderit : *et alterum diliget*, id est Christum, qui velut mansuetus dominus solummodo ex affectu præcipit amari : *Diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII). *Aut unum sustinebit*, id est, diabolum, tanquam durum et immitem dominum. Ipse enim durissimis im-

B periis amatores sæculi quatit, et postquam semel hominem dominari potuerit, etiam nolentem invitumque ad male agendum compellit, nec sine gravissimis laboribus imperata peragunt. Frequenter enim exsilia, naufragia, et rei familiaris damna, ipsam postremo mortem horum gratia perferunt. De talibus Scriptura dicit : *Ut male agerent, laboraverunt* (*Jer.* IX). Hunc ergo talem dominum sustinent potius inviti, quam serviunt subditi : quia postquam semel ejus super se dominium sponte susceperint, nunquam de cætero suis viribus, nisi sola Dei validissima manu eripi possunt. *Et alterum*, inquit, *contemnet*, hoc est, Deum. Et notanda proprietas verborum Domini. Cum enim præmisisset, dicens : *Aut unum odio habebit, et alterum diliget*, non est subsecutus e contra ut dice-

C ret : Aut unum diliget, id est, diabolum, et alterum odio habebit, id est Deum, quia nullius conscientia, quantumvis perversissima, ad hoc potest erumpere, ut dicat se Deum odio habere, aut diabolum diligere. Contemnet vero, id est, non timebit. Contemnitur enim Deus ab illis, qui peccantes de impunitate scelerum blandiuntur, putantes aut nescire sua scelera Deum, aut visa statim indulgere : qui nesciunt quod dissimulando eos divina bonitas ad pœnitentiam provocet, dicente Apostolo : *An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II)? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Aliter : Convenienter autem addidit, aut unum sustinendum, hoc est, diabolum, aut alterum contemnendum,

D videlicet Deum. Contemnit enim Deum, sed tamen non odit, quisquis præcepta illius contradicendo despicit. Sustinet vero diabolum, tanquam si quis durum et crudelem habeat dominum, sed tamen non diligit, quicunque per cupiditatem divitiarum illi se subdit, qui princeps hujus mundi habetur, dicente Domino : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Sed licet illum sustineant tanquam crudelem dominum, non tamen diligit. Verbi gratia, si quis in majori aliqua domo, ancillæ cujuslibet hominis potentis copulatur, etiam si non diligat eum cujus ancillam diligit, propter vim tamen suæ cupidinis duram sustinet servitutem, subjiciendo se illi cujus ancillam sibi conjunctam diligit : sic et homo

Digitized by Google

diligens divitias, servus diaboli est, qui caput et A princeps est amatorum mundi. Divitias enim possidere, indifferens opus est. Nam nec diviti obsunt opes si eis bene utatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes et inopiam peccata non caveat. *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Mammona apud Hebræos vel Syrios, divitiæ interpretantur Latine; Punice autem *mammon* lucrum dicitur, utrumque autem ad unum finem respicit. Et recte avaritiam specialiter posuit, ut ostenderet manifeste divitiarum servos, diaboli quoque servos existere. Nam et Apostolus avaritiam idolorum servitutem vocare non dubitavit, dicens : *Et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (*Col.* v). Quo loco solerter notandum, quia non dicitur, Non potestis Deo servire et divitias possidere, sed Non potestis Deo servire B et mammonæ, id est divitiis. Multos enim sanctorum Patrum legimus temporaliter et divitias habuisse, et nihilominus Deo deservisse. Abraham namque ditissimus fuit, qui cum trecentis decem et octo vernaculis reges quinque bellica expeditione superavit, et Loth fratrem suum a captivitate exemit (*Gen.* xiv). Job quoque ille maximum exemplum patientiæ, inter omnes orientales divitiis affluxisse, Scripturæ testimonio declaratur (*Job.* i). Quid de sanctissimo David dicemus, cui et divitiarum copia, et imperii magnificentia suppeditabat, eique a subjectis per circuitum nationibus munera deferebantur? Sed isti quamvis habuerunt divitias, non servierunt divitiis, sed Deo, quia nequaquam spem suam divitiis commiserunt, nec custodierunt eas ut servi, sed ingenue C dispensaverunt ut domini, tenentes eas in usu, non in desiderio, et tanquam ex latere sibi datas utiliter disponentes. Hinc beatus David quando in solio regni constitutus, quod nihil in divitiis fallacibus fideret, ostendebat dicens : *Egenus sum et pauper, sicut omnes patres mei* (*Psal.* cviii). Divites etiam vel qui erant, vel qui esse poterant, alloquens dicebat : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* lxi). Quisquis ergo custodit divitias ut servus, et non distribuit ut dominus, servus est divitiarum; et serviendo divitiis, servire compellitur diabolo, quia cupiditati divitiarum implicatus, diabolo se subdit, qui merito suæ pravitatis terrenis rebus præpositus est, et a Domino princeps hujus sæculi appellatur. D Quapropter audiant ista divites, et eligant magis Christi esse servi, quam mancipia divitiarum. Discant non innitendum præsentibus, sed spem omnem inserendam perennibus, solumque ad hoc velle habere divitias, ut sit unde pauperum indigentia expleri, unde sua possint peccata redimi. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Tanquam dicat : Quia Deo simul et cupiditatibus mundi servire non potestis, quia in incerto divitiarum confidere non debetis, ideo dico vobis, ne solliciti sitis in aggregandis divitiis, quibus mens implicita alienetur ab amore sui Creatoris. Quæri vero poterit utrum cibus iste corporeus ad animam, an ad corpus pertineat, cum constat animam incorpoream, cibum vero esse corporeum. Sed animæ nomine in Scriptura sacra, vita præsens signari solet, juxta quod Dominus alibi ait : *Qui amat animam suam*, hoc est vitam suam, *perdet eam* (*Joan.* xii). Et apostolus Paulus : *Non facio*, inquit, *animam meam pretiosiorem quam me* (*Act.* xx). Ergo et hic anima hoc sensu accipienda est, ut per animam præsens vita intelligatur, quæ alimentis retinetur et vestibus. Cujus vinculum atque conciliatio quædam est cibus iste corporeus, in cujus causa labor exercendus est ad eam sustentandam : sollicitudo autem tollenda, ut *habentes victum et vestitum, his contenti simus* (*I Tim.* vi). Sive anima pro ipso corpore quo continetur, est posita, a parte videlicet totum, sicut legimus Jacob descendisse in Ægyptum in animabus septuaginta (*Gen.* xlvi), cum animas non absque corporibus descendisse manifestum sit. Cæterum de spiritali cibo ac vestimento valde nos oportet esse sollicitos. Adhuc tamen ipsa verba Domini ponderatius perpendenda sunt. Non enim ait : Ne quæratis quid manducetis, aut quo induamini, sed, *ne solliciti sitis*, ac propterea non labor, sed sollicitudo prohibita est. Sed cum primo homini dictum sit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* iii), quid est quod discipulis, imo cunctis fidelibus, præcipit ne solliciti sint quid manducare vel bibere vel induere debeant? Nunquid prohibet hominem laborare, qui prius jussit in sudore vultus panem comedere? Nequaquam. Cui etiam ad hoc exercendi ruris et proscindendi agri peritia data est, ut labore proprio aleretur et vestiretur. Sed in his præceptis Dominicis illa differentia attendenda est, ut ea quæ ad cibum vel indumentum corporis sunt necessaria, unusquisque studeat procurare deficientibus his quæ naturalis fragilitas expetit, utpote sine quibus non valet subsistere, etiam ipsa vita gemino adjutorio privata deficiat. Sollicitudinem autem in his adhibere vetat, quod intelligitur cura superflua. Unde pulchre hanc veteres ita diffinierunt, ut dicerent sollicitudinem esse ægritudinem animi cum immoderata cogitatione. Ergo sollicitudo quasi res superflua et plus justo anxia tollitur, labor vero quasi res necessaria exerceri permittitur (*Psal.* cxxvii). In tantum denique laboris usus minime prohibetur, ut Psalmista beatum dicat qui suis laboribus pascitur, et Apostolus laborandum manibus quod bonum est dicit, ut quis habeat unde tribuat necessitatem patientibus (*Eph.* iv). Quapropter labor exercendus est, ut necessitas eluctetur : sollicitudo tollenda, qua non necessitati, sed cupiditati consulitur. *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?* Ex his duabus substantiis constat homo, anima videlicet et corpore. Omne quod appetimus, aut propter se, aut propter aliud appetimus. Propter se enim sapientia, quæ Deus est, appetenda est : propter aliud vero, si quis (verbi gratia) emplastra habere cupiat, non ut emplastra possideat, sed ut ex eo sanitas corpori provideatur. Nemo vero dubitat majus esse illud quod propter se, quam illud

quod propter aliud quæritur. Datur ergo hic intelligi animam plus esse quam escam, quia ad hoc esca requiritur, ut vita præsens illa sustentetur. Corpus quoque plus quam vestimentum, quod idcirco quæritur, ut nuditas illo tegatur. Admonet ergo nos Dominus hac sententia, ut meminerimus nos multo amplius nobis Deum dedisse in eo quod nos cum non essemus, composuit ex anima et corpore, quam sit alimentum; ut sit sensus: Quia majora nobis præstitit, id est, corpus et animam, præstabit utique minora, victum videlicet et vestitum. Quare ergo de minoribus solliciti sumus, qui majora percepimus? *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa.* Volatilia cœli, aves per hunc aerem discursantes appellat. Quidquid cœlo vicinius est, cœlum in Scripturis nuncupari consuevit. Ducit nos Dominus ad consideranda majora opera, quatenus de rebus minoribus majora nobis facilius persuaderi possint. Nulli enim dubium est, quod homo majus sit quam aliquod volatile. Homo ad Dei imaginem et similitudinem factus est, volatile vero est quædam creatura, sed tamen irrationabilis, et cum moritur, corpore et anima moritur: homo vero quamvis moriatur corpore, anima tamen vivit Deo. Ait ergo: *Respicite*, id est, considerate *volatilia cœli, quoniam non serunt*, id est non seminant, *neque metunt*, hoc est non colligunt, *neque congregant in horrea*, videlicet in granaria, *et Pater vester cœlestis pascit illa*, id est, nutu Dei aluntur. Si ergo volatilia, quorum mortalis est anima, providentia Dei creatoris aluntur, multo magis homines, quibus æternitas repromittitur, illius munificentia gubernantur. Quidam plus appetentes sapere quam oportet, voluerunt hunc locum allegorica interpretatione discutere, dicentes per volatilia cœli angelos designari, qui absque ulla cura viventes, perpetua securitate et quiete potiuntur, non attendentes quod sequitur: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Si ergo his volatilibus, quibus nulla colendi terras industria, nullus de segetum fecunditate proventus est, indeficientem divina providentia suggerit alimoniam, turpe est homines causa sollicitudinis fatigari, quibus et elementorum temperies, et terræ fecunditas famulatur. Et merito talium imprudentia exemplo irrationabilium avium coercetur, quia aves nil sibi speciale vindicant, nesciunt aliis invidere: hi vero propria defendunt, qui communia amiserunt. Ad suam proinde intuendam dignitatem, ad considerandam originem revocantur, cum subditur: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Non dicit, plures estis, quia plures ad numerum pertinet; sed *pluris*, ad dignitatem respiciens, id est, charioris pretii estis vos, et plus quam illa valetis. Illa enim irrationabilia sunt, nullo se intellectu regentia, quæ cum moriuntur, corpore intereunt et anima: vos autem ad imaginem Dei conditi, et ad æternitatem prædestinati, ac sublimius in rerum natura compositi estis. Debetis ergo quid sitis recolere, ne dum nimis terrenis dediti estis, in

A terrena et infima decidatis. *Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Ut facilius persuaderet nobis possibilia sine sollicitudine, dedit etiam de impossibilibus exemplum: *Quis*, inquiens, *vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Quasi dicat: Si est aliquis vestrum qui ad staturam suam unum cubitum adjicere possit, ut vel longior vel latior videatur, cogitet et elaboret qui ejusmodi est, qualiter illud vestiat et pascat, quod ipse sibi adjecit. Cæterum quod Deus creavit, etiam sine vestra sollicitudine vestire ac pascere procuravit. Nunc ergo quia neque quod Deo minimum est, implere potestis, illius providentiæ curam tegendi et alendi corporis relinquite, qui fecit ut ad staturam istam vestrum

B corpus perduceretur. Sed quia de alimentis datum fuerat documentum ex comparatione volatilium cœli, dandum etiam erat et de vestimentis exemplum collatione liliorum agri. Unde et sequitur: *Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant* in crescendo, *neque nent*, id est non filant, ut suo labore operiantur. Quo morali præcepto suademur, quia si etiam ea quæ sunt sensu et ratione carentia, sic Dei providentia vestiuntur, ut nullo vel usu ad gratiam egeant, vel ad ornatum, multo magis credas rationabilem hominem, si omnem sui spem in Deo collocet, nunquam posse egere, eo quod præsumpserit de favore divino. Notandum vero quod lilia agri pro omnibus herbis agri Dominus posuit, quæ *non laborant* in

C crescendo, *neque nent*, id est fila non contorquent, ut pulchra sibi indumenta coaptent. De quibus sequitur: *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Speciali nota pro generali usus est, quod in sequentibus aperitur, ubi fenum agri evidentissime ponitur. Nec illud omittendum, quod quidam doctorum asserunt, nos hic angelorum exemplo esse præmonitos. Dicunt enim non otiose accipiendum quod flos homini, vel certe plus quam homini in Salomone confertur, qui pro sui excellentia plus aliquid fuit quam homo, adeo ut templum Deo conderet, et verum Salomonem, hoc est, Christum mysterio figuraret. Ergo per lilia, angelorum cœlestium expressa est gloria, quorum et claritate ornamur, et

D odore sanctitatis delectamur. Hæc ergo lilia, angelica scilicet illa agmina, nulla sollicitudine præpediuntur, nullo laboris usu exercentur, sed divinæ libertatis gratiam cœlestis servant dono naturæ. Addendum etiam quod lilia nullum requirant cultum, nec erga generationem hujus floris, sicut erga proventum fructuum cæterorum redeat actus in orbem sollicitus labor agricolis. Et licet dimisso flore, id quod extrinsecus est, videatur arescere, interius tamen radicis virtute alitur, et mox verni temporis provocata blanditiis, floris sui honore vestitur. Sic et angelicæ dignitates ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte, ut sint semper, accipiunt. His ergo floribus Salomon, quanquam magno decore cir-

Digitized by Google

cumdatus, componi non potest, quia licet infirmitatem naturæ corporeæ virtute quadam mentis et operum gloria exornaret, nullatenus angelicæ potuit comparari celsitudini, quæ humanæ fragilitatis expers, incorruptæ bonitatis ornatum servaret. Hanc immortalitatis pulchritudinem, hunc incorruptibilem habitum, in resurrectione se Dominus electis daturum repromittit, dicens : *Erunt sicut angeli Dei in cælo* (*Matth.* XXII). *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Inter omnes reges Israelitarum Salomonem ditissimum fuisse regum narrat historia. Qui inter reliquas dignitatum divitias præcipue decore vestium, ac diversitate cum pretiositate pollebat, adeo ut singula ministrantium officia, cum omnibus sibi subjectis, propriis ac singularibus uterentur indumentis. Unde et de regina Saba, quæ a finibus terræ venerat audire sapientiam ejus, legitur : *Quia videns ordinem ministrorum, et vestes quibus in ministerio utebantur, non habebat ultra spiritum* (*III Reg.* X). Sed quamvis tanto honore ac splendore vestium fuerit decoratus, non est tamen tanta pulchritudine coopertus sicut unum ex istis, subauditur liliis. Et revera quæ textura aut pictura texentium mulierum, valet florum pulchritudini coæquari ? Quid enim sic rubet ut rosa ? Quid ita candet ut lilium ? Jam vero violæ colorem pulcherrimum, nulla purpura superare, nulla valet tinctura supergredi. Quod autem ait : *Nec Salomonem in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis ;* in omni gloria dicit, id est in magnitudine regni, in deliciarum pulchritudine, vel, ut diximus, in distinctione et varietate vestium. Cur autem hanc de deliciis similitudinem præmiserit, subdendo manifestat : *Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum ignis mittitur,* Deus sic vestit, quanto magis vos, minimæ fidei ? Fenum agri idem appellat, quod et superius lilia agri, omnes scilicet herbas pulchris coloribus decoratas. Hoc autem adverbium quod est *cras,* non semper pro succedenti die, sed aliquando etiam pro futuro tempore in Scripturis poni solet, juxta illud quod Samuel a pythonissa excitatus, Sauli ait : *Cras tu et filii tui mecum eritis* (*I Reg.* XXVIII). Et Jacob : *Exaudiet,* inquit, *me cras justitia mea* (*Gen.* XXX). Sic ergo et hic quod dicitur, *cras in clibanum mittitur,* de futuro tempore intelligi debet, et est sensus : Si Deus ea quæ cito decidunt et marcescunt, fenum videlicet, quod hodie est in sua viriditate, et cras in ignem mittitur, tanto decore circumdat, quanto impensiore diligentia ea quæ vobis necessaria sunt providebit, qui ad æternam hæreditatem præparati estis ? Quod quia non (ut oportet) creditis, sed adhuc ambigitis, idcirco minimæ fidei estis. Minimos autem fide appellat apostolos, qui necdum fidei perfectæ culmen subierant. Unde et Domino dicebant : Auge nobis fidem (*Luc.* XVII). *Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?* Notandum quod non ait, nolite quærere vel solliciti esse de cibo aut potu, sed

A *quid,* inquit, *manducetis aut bibatis.* Ubi illi proprie notantur, qui in congregationibus constituti, spreta communione aliorum, qui sub uno præposito generaliter aluntur, aut vestiuntur, lautiora vel austeriora præ cæteris cum quibus habitant, alimenta sive indumenta requirunt, ut per hoc vel potentiores cæteris, vel fortiores æstimentur. Utrumque sane reprehensibile, utrumque notabile, quia et de nimis superbo habitu elatio gignitur, et de nimis abjecto et inculto vestitu quasi ex religiosa specie laus et appetendi favoris materies ministratur. Inter utrumque proinde regia via gradiendum, ut nec vestis pretiosa designet altum, nec vilis notet plus justo religiosum. Quibus vero cibi et vestitus sollicitudo conveniat, intimatur cum subinfertur : *Hæc enim omnia gentes* B *inquirunt.* Exceptis paucis Judæis, qui legem habentes Deum cœli venerabantur, reliquæ per universum orbem nationes idolis servientes, gentes appellabantur. De quibus hic loquens Dominus dicit : *Hæc omnia gentes inquirunt.* Illi scilicet Deum ignorant, qui nesciunt alia cogitare quam terrena, quorum est proprie mundanis angi curis, quibus nulla futurorum spes est, nullus laborum respectus, sed tantum præsentibus delectantur. *Comparati enim sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis* (*Psal.* XLVIII). Vos autem aliter instituti, et ad cœlestem compositi dignitatem, de spiritualibus et perpetuis cogitate. Nec timendum quia ista agentibus, temporalium desit usus bonorum, nec de Dei potentia diffidendum, qui et melius quam nos ipsi novit C quibus indigeamus, et multo salubrius nobis prospicit, quam nos ipsi providere sciamus. Unde et subditur : *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Hinc quidam superflue dogmatizantes objiciunt : Si Deus, aiunt, antequam petamus scit quibus indigemus, quid necesse est ut eum pro nostris necessitatibus exoremus ? Ergo frustra scienti loquimur. Quibus respondendum est quia non sumus narratores, sed potius rogatores. Aliud est enim nescienti narrare, aliud scientem humiliter exorare. Vult ergo se peti a nobis, qui etiam novit ea quæ petere debemus, ut nostra petitio præmium consequatur. Quid vero nobis præcipuo mentis appetitu, summoque studio sit requirendum, subjecta sententia perdocemur. D *Quærite autem primum regnum Dei et justitiam ejus.* Primum, non ponitur hoc loco pro numero, sed potius pro quantitate. Primum, id est, ante omnia, et super omnia quærite regnum Dei. Regnum autem Dei in sacris Scripturis quatuor modis accipitur. Aliquando enim significat præsentem Ecclesiam, ut illud : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum* (*Matth.* XIII), hoc est, in præsenti Ecclesia, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Aliquando sanctam Scripturam, ut illud : *Auferetur a vobis regnum Dei* (*Matth.* XXI), id est intelligentia divinarum Scripturarum. Aliquando cœlestem patriam, ut Joannes dicit : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Aliquando vero significat

Digitized by Google

A

ipsum Dominum Jesum Christum, sicut ipse loquitur ad Judæos: *Regnum Dei inter vos est* (*Luc.* XVII), id est, Christus per humanitatem inter homines habitat. Et sicut in præsenti lectione dicit: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus*, sive regnum supernæ illius civitatis gaudia nuncupat, ubi summa pax, veraque tranquillitas, ubi fructus certaminum, et laborum præmia sanctis debentur. Hoc regnum Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus, ad illud continue suspiremus, et pro ejus perceptione quælibet dura et aspera libentissime perferamus. Quæramus et justitiam ejus. Justitia enim regni Dei impletio est mandatorum Dei. Justitia enim regni Dei est, omnia caduca et transitoria spernere, jacturam rerum præsentium lucra sequentium reputare. Ille nimirum

B

justitiam Dei quærit qui, bona opera exercens, dictis et præceptis illius in omnibus obtemperat. Ita ergo nobis regnum Dei et justitiam ejus requirentibus, illa quidem summa et vera bona dabuntur, hæc vero quasi minima adjicientur. Quæ licet in præsenti bona videantur, media sunt, et ad illa vera bona si comparentur, jam nec bona dicenda sunt. Dantur ergo sanctis in præsenti adhuc peregrinatione desudantibus, ut his quasi quodam viatico relevati, ad ea quæ in patria sunt percepturi bona perveniant. Debet enim in usu haberi temporalitas, in voto æternitas. Nam si adsint bona præsentia, his est animus occupandus, ne nimis ingesta onerent, et quasi ne ad patriam perveniatur, quodam pondere mentem gravent. Sic ergo parce et honeste bonis

C

præsentibus uti debemus, quatenus excursis longævi hujus exsilii spatiis, sempiternis perfrui valeamus. Aliter: Et hæc omnia adjicientur vobis. Quia adhuc in hac vita manentes, absque alimentis et indumentis illam transire non possumus, cum præmisisset: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus*, statim addit: *Et hæc omnia* (subaudiendum bona temporalia) *adjicientur vobis*. Ubi notandum quod ideo jubentur majora quæri, id est, regnum Dei et justitia ejus, ut minora possint consequi, id est, bona vitæ præsentis. De quibus non dixit, dabuntur, sed adjicientur, tanquam videlicet necessaria, quibus non fruamur, sed quasi in itinere positi utamur.

## HOMILIA CLXXVIII.

### IN DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. V, num. 89.)

D

*In illo tempore ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim: et ibant cum illo discipuli ejus et turba copiosa*, etc. (*Luc.* VII).

Hic locus utrinque redundat ad gratiam, ut et cito flecti divinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1660, *n.* 89.

## HOMILIA CLXXIX.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex beato Ambrosio [?].)

*In illo tempore ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim: et ibant cum illo discipuli ejus, et turba copiosa*, etc. (*Luc.* VII).

Sermo evangelicus qui præcedit, narrat qualiter Dominus centurionis puerum obtentu ejus magnæ fidei sanaverit, et quomodo ipsius centurionis, imo in eum omnium gentium extulerit fidem. Illo igitur digesto miraculo, sequitur evangelista, quia post hæc ibat in civitatem quæ vocatur Naim. De miraculo properatur ad miraculum, et quodam proleccu virtutis, de sanatione paralytici venitur ad resuscitationem defuncti. Beato namque Hieronymo dicente didicimus, quia Naim civitas est Galilææ provinciæ Judæorum, duobus milliaribus distans a monte Thabor, in quo monte Dominus docuit octo beatitudines et omnia pene mandata Novi Testamenti. Interpretatur vero Naim *fluctus* vel *commotio*. Cujus portæ appropinquans Dominus, obvium habuit corpus defuncti, quod ad tumulandum extra civitatem efferebatur. In qua civitate ferunt chronographi esse ecclesiam, quæ quondam fuerat domus viduæ, cujus Dominus legitur hic filium suscitasse. Ibat ergo Dominus virtutis eventu copiam præbiturus, ibant cum illo discipuli, illi videlicet fidelissimi comites itinerum, comparticipes laborum, cujus præsentia pascebantur, prædicatione instruebantur, miraculis firmabantur. Naim autem civitas, quæ ut diximus, in nostra lingua dicitur fluctus sive commotio, hunc spiritualiter significat mundum, qui tranquillitate amissa semper est in fluxionibus ac commotionibus, et nunquam in eodem statu permanens. Unde et per Psalmistam dictum est: *Commovisti, Domine, terram, et conturbasti eam*, etc. (*Psal.* LIX). Ergo quasi Naim Dominus appropinquavit, quando nostræ fragilitatis humanitate suscepta, visibilis mundo apparere dignatus est. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Non simplex hanc mulierem doloris anxietas stimulabat. Vidua erat, filii solatio destituta fuerat, cujus utcunque mortem levius tolerasset, si non unicus fuisset, si alter qui parentis dolorem leniret, superfuisset. Verum hinc illa beata erat, quod Christi pietate mox eum receptura erat, quem sortis humanæ inclementia amiserat. Nec illud sine divina providentia gestum est, ut et cum Domino et cum hac muliere multa turba esset, quo gerendi miraculi multi fierent testes, multi etiam divinæ potentiæ laudatores. Quare autem multa turba ierit cum Domino, Joannes evangelista manifestat, cum dicit: *quia videbant signa quæ faciebat* (*Joan.* VI). Quia enim Dominus quocunque ibat, miracula faciebat, id est, Evangelium prædicando, verba salutis annuntiabat, idcirco ibant cum eo discipuli ejus adhærentes ei, ibat et turba copiosa. Hæc autem virtus a Salvatore mirabiliter patrata, juxta historiam apertissima est. Cæterum spiritualiter intellecta, non modicam ædificationem audientium mentibus subministrat. Defunctus enim iste juxta spiritualem vel moralem intelligentiam, qui extra portam suæ civitatis multis intuentibus est portatus, significat

Digitized by Google

hominem peccatis mortuum, et lethifero criminum funere soporatum. Qui cum in anima mortuus existat, ipsam tamen animæ suæ mortem non jam occultis cogitationum latebris contegit, sed sicut per ostia civitatis, ita per indicium pravæ collocutionis vel malæ operationis suam pessimam vitam malo exemplo ad multorum notitiam perducit: jam peccata sua erubescenda non abscondit, sed audacior in malum factus, ea imitanda aliis proponit. De talibus propheta dicit: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isaiæ* III). Et rursum ad peccatricem animam: *Frons*, inquit, *meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* (*Jer.* III). Per portam vero civitatis qua defunctus efferebatur, unus de quinque sensibus intelligitur corporis. Quinque enim sunt notissimi corporis sensus, locis sibi convenientibus a natura compositi, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. Civitas enim uniuscujusque animæ corpus est ejus, in quo tanquam in civitate clausa inhabitat. Per hujus civitatis portas mortuus effertur, cum quis per aliquem corporis sensum malæ voluntatis indicium ostendens, mortuum se in anima esse declarat. Qui enim verbi gratia, mulierem ad concupiscendam eam viderit, qui sublimes oculos, et in fines terræ porrectos habuerit, iste per oculorum suorum portas signa suæ mortis emittit. Dum quilibet aurem suam aperit ad verba otiosa, et ad cantica turpia vel luxuriosa, sive suscipienda detractionis verba, hic tales aures suas efficit portas mortis animæ suæ. Qui odoribus meretriciis, et peregrini muris pellicula illectus, post odorem unguentorum Dei currere negligit, hic per narium januam extrahitur mortuus. Qui vero os ad proferendas in Deum blasphemias, et disseminandas inter fratres discordias aperit, cujus os loquitur vanitatem, qui non solum otiosis, sed et nocivis sermonibus linguam accommodat, nil aliud iste nisi mortem suæ animæ foris per ostium oris elatus prodit. Hinc et propheta quod hi nostræ civitatis aditus incaute pateant, deflet dicens: *Intravit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras* (*Jer.* IX). Rursumque propheta: *Oculus*, inquit, *meus deprædatus est animam meam* (*Thren.* III). Quemadmodum enim si hostis per fenestras intra urbem jacula intorqueat, intus clausos sauciat et occidit, ita malignus spiritus cum per aliquem de quinque sensibus telum tentationis in mentem adegerit, mox animam a suo statu dejicit, ac pestifera interemptione perimit. Qui animæ penetralia irrumpere quærens, figuris se accommodat, permiscet se sonis, odoribus se ingerit, inserit saporibus, sicque dum minus vigilanter cavetur, morti (quæ secus delectationem posita est) aditum pandit. Proinde divina providentia a nobis est humiliter imploranda, ut cunctas nostræ civitatis portas custodiat, quas ne sæviens inimicus obsideat, ipse eas contra machinas illius misericorditer claudat, et in portis nostris laudem suam jugiter annuntiari permittat. Non autem transeunter est intuendum, quod juvenis hic defunctus filius unicus matris viduæ fuisse perhibetur. Licet enim Ecclesia, quæ est mater cunctorum credentium, ex multis sit collecta personis, rectissime quique fidelium qui fidei Christianæ charactere attitulantur, filii sunt unius matris, Ecclesiæ (dico) catholicæ. Quibus licet ætates diversæ, diversique sunt sexus, unum tamen in Christo gratia regenerationis efficiuntur, cum fiunt per adoptionem fratres unici filii. Sed et unusquisque fidelis cum rudimentis imbuitur, fidei filius est, cum vero alios educat, mater. Sic Paulus apostolus materno affectu Corinthiis loquebatur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere.* Quia duæ erant in Christo substantiæ, Dei videlicet et hominis: idcirco pulchre evangelista primo Dominum tanquam verum hominem misericordia motum fuisse demonstrat, ac deinde tanquam verum Deum commemorat mortuum suscitasse, ut et in compassione qua viduæ misertus est, exemplum nobis imitandæ pietatis tribueret, et in effectu miraculi, potentiam divinitatemque illius qua etiam mortuum suscitavit, admirandam prædicandamque proponeret. *Noli*, inquit, *flere.* Tanquam diceret: Noli velut mortuum flere, quem protinus videbis a morte resurgere. *Et accessit et tetigit loculum*, hoc est, feretrum in quo mortuus ferebatur, quod a ferendo nomen accepit. Tactu loculi in quo exanimis gestabatur, evidens suæ dignationis dedit indicium. Et quidem cum posset solo verbo eum vitæ restituere, maluit primo feretrum tangere, ut per hoc et signum clementiæ suæ daret, et matris viduæ dejectum mœrore animum erigeret. *Hi autem qui portabant, steterunt*, virtutis effectum mirabilem sustinentes. Cum vidissent enim Dominum appropinquantem, qui mortuum ferebant steterunt, cupientes misericordiam illius in resurrectione mortui cernere. Sed hæc cum ad litteram per se satis emineant, superest ut quid mysterii contineant indagemus. Neque enim a sacramento persona hujus viduæ potest esse otiosa, quæ et gravitatis honestate, et continentiæ merito, necnon et exsequiarum frequentia commendata, resuscitationem unici filii a Domino meruit obtinere. Significat utique sanctam Ecclesiam matrem omnium recte credentium, quæ verbo Dei feta, spirituales illi quotidie filios per lavacrum divini fontis parere non desinit. Bene vero vidua hæc mulier fuisse dicitur: Vidua quasi a viro divisa dicta, quia viduare Græci dicunt dividere. Et sancta mater nostra vidua est, quia virum suum Christum in carne præsentem non videt. Postquam enim Christus vir illius, qui et redemptor ejus est, per assumptionem humanitatis abiit in cœlum, sancta Ecclesia tanquam vidua remansit in terris. Unde Salomon quoque in persona mulieris adulteræ, hoc est, hæreticorum ecclesiæ, de Christi absentia sibi blandientis dicit: *Non est vir in domo sua, abiit viam longinquam, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam* (*Prov.* VII). Cujus sententiæ talis est sensus: Non est vir in domo sua, hoc est, per humanitatem non est



Digitized by Google

Christus in Ecclesia. Abiit viam longinquam, quia surgens a mortuis cœlorum sublimia longe ab hac luce et habitatione vasti aeris interjectu distantia, penetravit. Sacculum pecuniæ secum tulit, hoc est, carnem suam thesauro divinitatis super cœlos exaltatam, in Patris dextera collocavit. In die plenæ lunæ reversurus est in domum suam, id est, impleto numero electorum in Ecclesia, in fine mundi rediturus est ad judicium, ut assumat sibi sponsam suam Ecclesiam. Per loculum vero in quo defuncti cadaver bajulabatur, conscientiam hominis peccatoris accipimus, in qua jam desperando sopitus male quiescebat. Bajuli autem qui exanimem in feretro, hoc est, supremo funeris instrumento ad sepeliendum ferebant, vel immunda desideria quæ hominem ad interitum pertrahunt, accipiuntur, vel colloquia mala sociorum male decipientium. Qui dum blandis lenociniis animam in securitatem mittunt, et male agentibus favent, ac per hoc ad pejora promptiores efficiunt, quodammodo eos superjecta humo operiunt, et ne respirare valeant, facto desuper telluris aggestu obruunt. De talibus Dominus dicit : *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Luc.* IX). Mortui namque mortuos sepeliunt, dum peccatores peccatoribus adulantur. Domino ergo loculum funeris tangente, bajuli subsistunt, quia dum Dominus cor hominis peccatoris per internam inspirationem compungit, carnalia et immunda desideria atque mala colloquia decipientium sociorum continuo conquiescunt, sicque in semetipsos conversi, Dominum ad vitam vocantem audiunt, vocantique dignis conversationis suæ operibus respondent. Quidam magistrorum, per loculum, lignum primariæ prævaricationis intelligunt, in quo omnes sub conditione reatus illius mortui portabamur a quatuor vectibus, quæ materialia quatuor significant elementa. Quasi his quatuor vectibus ad interitum raptabamur, cum vel cupiditatum noxio fervore exæstuaremus, vel frigidus luxuriæ humor inundaret, vel pigra hebetudo corporis vigorem obtunderet animorum, seu cum concreta noster spiritus labe vacuam veræ lucis aleret mentem. Verum Domino loculum tangente, acerbi hujus funeris portatores gradum continuerunt, quia Domino mortalia tangente, et in similitudine peccati apparente, nos qui jam tumulo proximi eramus, cursu his portatoribus interdicto resurgere promeruimus. Tumulus enim noster, mali mores erant : tumulus noster, perfidia erat. Guttur nostrum sepulcrum erat, juxta quod Psalmista de reprobis dicit : *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal.* V). Ab hoc sepulcro tactu Christi et auditu vocis ipsius liberati sumus. Quid enim illi est tangere, nisi miserando subvenire? Quid nobis vocem ejus audire, nisi præcepta illius alacriter implere? *Et ait : Adolescens, tibi dico, surge.* Mortuus quidem erat ille, sed quia Domino omnia vivunt, mortuo velut vivo loquebatur, dicens : *Tibi dico, surge.* Inter dictum et factum Domini nulla distantia est : *Ipse*

A *enim dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). *Et omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra.* Audita ergo voce Domini, resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Post resuscitationem suam mortuus loqui cœpit, ut videlicet per hoc vera resuscitatio illius monstraretur, quatenus non phantasma, sed veritas crederetur. *Et dedit illum matri suæ.* Resuscitato mortuo, et perfecte sanitati restituto, dedit illum Dominus matri suæ. Spiritualiter vero mortuus residet, cum per internam compunctionem a morte animæ peccator ad vitam resurgit, et post lethiferum peccati somnum ad bona opera se erigit. Incipit loqui, cum fidem sanctæ Trinitatis confitendo, indicia suæ vitæ aliis pandit, vel cum verbo exhortationis, atque exemplo suæ conversa- B tionis alios ad pœnitentiam invitat. Redditur matri, cum per sacerdotale ministerium communioni reformatur Ecclesiæ. *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum.* Novum et sæculis antea inauditum miraculum juste magnus intuentium subsecutus est stupor, ita ut laudes Dei prius ora tacentia repente laxarent. Quo loco morale aliquid datur advertere. Sicut enim resuscitatio corporalis quæ visibiliter in corpore facta est, provocavit homines ut exterius admirarentur, ita et resuscitatio spiritualis quæ quotidie in animabus fidelium fit, admonet nos ut et interius a morte animæ resurgere studeamus. Quanto enim periculosior ac desperatior est mors animæ ad vitam redeuntis, tanto plures illius corri- C guntur exemplo, et ad vitam revocantur. De gradu enim sublimiore deterius labitur; quo vero lapsus fuerit gravior, eo fit sublevantis clementia gratior, sicque dum is qui deterius ruerat erigitur, pluribus inde spes salutis generatur. Consideremus namque beatum David et Petrum, quorum alter cum esset rex et propheta, in tantam perditionis descendit foveam, ut adulterium simul et homicidium perpetraret (*II Reg.* XI), alter de gradu apostolici culminis, ad præcipitium actus est trinæ negationis (*Matth.* XXVI). Qui dum pœnitentes a morte animæ cito surrexerunt, multi pœnitentes salutem meruerunt. Qui quo majoris honoris et altioris gradus fuerunt, eo periculosius ceciderunt; et quo gravior casus illorum fuit, eo pietas Domini erigentis gratior in eis D emicuit. Quo vero amplior Domini pietas in eis apparuit, eo firmior spes salutis cunctis ad pœnitentiam venientibus crevit. *Quia propheta magnus surrexit in nobis.* Simplices turbæ ignorantes legem et prophetas, adventum Filii Dei Judæis repromittentes, cum viderent Deum et hominem inter homines corporaliter conversantem, et ex virtute divinæ potentiæ mirabilia opera facientem, putabant eum unum esse ex prophetis qui in populo Israelitico mirabilia facere soliti erant, et ideo errore decepti, clamabant dicentes : *Quia propheta magnus surrexit in nobis.* Magnum prophetam, non autem Deum, aut Dei Filium appellabant, quia adhuc nubilo ignorantiæ cæcati erant, ac propterea in præcedentibus signanter tales turbarum sunt vocabulo nuncupati. Turbæ

Digitized by Google

enim erant, quia necdum cum apostolis divinitatis A ipsius intima penetraverant. Sed quamvis cum quadam animi devotione errarent istæ turbæ, non in toto tamen errabant. In hoc enim errabant, quod eum purum hominem tantum esse putabant; in hoc autem nequaquam errabant, quod eum prophetam esse dicebant. Ipse enim verus erat propheta, quia quæ ventura erant, verissima assertione prædicabat. Nam et ipse Dominus prophetam se testatur esse cum dicit: *Non capit prophetam perire extra Jerusalem* (*Luc.* XIII). Et alibi: *Non est*, inquit, *propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII). Propheta ergo erat, cum Dominus esset prophetarum, sicut rex regum, et dominus dominantium. Addunt etiam: *Quia Dominus visitavit plebem suam.* Per istum videlicet qui talia miracula operatur, visitavit Deus Pater plebem B suam, mittendo Verbum suum incarnatum in mundum, quod pia subventione illam redimeret, et a longa infirmitate, imo a morte qua diutius torpebat, liberaret. Nec solum tunc plebem suam visitavit, sed etiam quotidie fideles suos visitat per Evangelium suum, per dicta prophetarum, atque exempla præcedentium patrum. Visitat etiam Dominus plebem suam, cum unicuique electorum per administrationem sancti Spiritus, vel terrorem æterni supplicii, vel dulcedinem cœlestis patriæ intrinsecus demonstrat, et quemadmodum a morte animæ resurgere valeat, occulta inspiratione edocet. Sive aliter: Visitat quotidie plebem suam, eam quam præscivit et prædestinavit conformem fieri imaginis Filii sui, cum C per internam verbi sui inspirationem, ad amorem invisibilium excitat, eorumque mentibus ingerit quanta sint quæ eis in cœlo promissa sunt gaudia: incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte; facilitas sine impedimento, securitas sine fastidio, ubi electorum omnium societas sancta, solemnitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. Agamus ergo gratias Deo Patri creatori nostro, qui, prioribus nostris patribus merito suæ iniquitatis in infidelitate relictis, novissimis hujus sæculi temporibus super nos misericordiam suam confirmavit, mittendo Filium suum ad redimendum genus humanum. Agamus etiam gratias Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, qui per assumptam humanitatem ad nos venire dignatus est, et præceptis D suorum mandatorum obtemperantibus, cœlestem beatitudinem repromittere. Ad quam ut pervenire quandoque, et cum ipso feliciter vivere mereamur, adjuvet ipse, qui et præsentia suæ incarnationis nos visitavit, et sanguine suæ passionis misericorditer redemit. Interea collatis quatuor evangelistarum narrationibus, tres mortuos invenimus a Domino suscitatos, quamvis plures eum resuscitasse dubium non sit, licet scriptum non legatur. Multi ergo sine dubio sunt corporaliter a Domino suscitati, dicit beatus Augustinus, sed non frustra tres commemorati, filia scilicet archisynagogi adhuc intra domum mortua jacens, et juvenis iste extra portam civitatis delatus, et Lazarus quatriduanus jam fetens. Qui tres mortui significant tria genera hominum peccatorum, quos hodieque in sancta Ecclesia a morte animæ suscitat Christus. Sed videamus quæ sunt ista genera mortuorum. Sunt namque nonnulli qui malæ cogitationi consentiunt, et peccatum quidem intus in corde habent, et facto tamen nondum ostendunt. Sed ut Salvator hujuscemodi in se vivificari posse significaret, suscitavit archisynagogi filiam adhuc intra domum jacentem, quasi nequitiam delicti in secreto cordis latentem. Alii perversæ cogitationi inhærentes, post consensum peccati labuntur in factum, tanquam extra ferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, jam appareat in publico. Sed ne isti quoque si pœniteant sint desperandi quod in anima a Domino non possint vivificari, Dominus juvenem extra portam civitatis delatum suscitavit, et matri reddidit, quia animam a peccato resurgere faciens, unitati sanctæ Ecclesiæ restituit. Quidam vero non solum cogitando vel faciendo illicita peccant, sed ipsa etiam consuetudine peccandi se quasi sepeliendo obruunt. Sed ut etiam talibus spes veniæ non deesset, si tamen adsunt cogitationes sollicitæ, quæ super eorum salute Christo invigilent tanquam devotæ sorores, suscitavit Lazarum quatuor jam dies in monumento habentem. Simul etiam ut ostenderet Dominus leviora peccata quæ in corde et cogitatione sunt, levioris pœnitentiæ remedio posse curari, puellam in conclavi jacentem, brevi ac facillima jussione evocat, dicens: *Puella, surge* (*Luc.* VIII), quam et propter facilitatem resurgendi, jam mortuam fuisse negaverat. Ut autem demonstraret graviora peccata, quæ absque verecundia aliis imitanda proponuntur, vel quibus longa consuetudine peccator ne surgere valeat deprimitur, ampliori remedio pœnitentiæ indigere, elato foras juveni, pluribus verbis ut resurgere valeat dicit. *Adolescens, tibi dico, surge* (*Luc.* VII). Lazarum vero resuscitaturus, claustra monumenti revelli præcepit, fremuit spiritu, rursum fremuit, lacrymatus est, ac voce magna clamavit: *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI). Quartus vero mortuus Domino a discipulis nuntiatur, sed hunc non resuscitavit, quia defuerunt vivi qui pro ejus vita Dominum precarentur (*Matth.* VIII). Qui mortuus eos significat, de quibus Joannes ait: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis* (*I Joan.* V). Peccatum enim ad mortem est in peccato usque ad mortem perseverare. Quicunque ergo in aliqua ex supradictis tribus mortibus animæ sese jacere cognoverit, pœniteat necesse est factorum, et fidelium preces sibi conjungens, divinam jugiter precetur clementiam, ut celeriter ad vitam resurgere mereatur æternam. Tu autem.

## HOMILIA CLXXX.

### IN DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem: et ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*, etc. (*Luc.* XIV.)

Digitized by Google

Hydropis, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 301.

## HOMILIA CLXXXI.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*In illo tempore, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum*, etc. (*Luc.* XIV.)

Æternus atque invisibilis rerum conditor, humanum genus quod per longa sæculi transeuntis spatia mortis perpetuæ legibus astrictum erat, salvare disponens, novissimis temporibus homo fieri dignatus est, mirabili ordine, mirabili prorsus et nativitate, ut homines quos justitia censente damnaverat, clementia dictante redimeret. Et ut majorem circa nos suæ pietatis allegaret instantiam, non solum homo, verumetiam pauper et humilis homo factus est, ut nostræ condescendendo paupertati, suarum nos divitiarum participes esse donaret. Denique in tantum pauper pro nobis factus est, ut ne tugurium quidem ad subeundum haberet, juxta quod ipse alibi ait: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, *Luc.* IX). Hac de causa dignabatur hominum adire convivia, non quo affectaret epulas mortali manu apparatas, sed quo salutem doceret, fidemque requireret. Ad hoc sese festis hominum facile vocatus impertiebat, ut et convivas miraculis illustraret, et familiæ quæ intra dominorum ædes servitio occupatæ erant, nec liberam accedendi ad eum copiam habebant, per hanc occasionem verbum salutis audirent, et auctorem suæ salvationis agnoscerent. Nullam enim conditionem sprevit, aut a sua misericordia indignam duxit, quia miseretur omnium et nihil odit eorum quæ fecit, similiterque de omnibus illi cura est. Item aliud exordium: Adibat Dominus carnalia hominum convivia non tam ut exterioribus ministrantium epulis vesceretur, quam ut ipse qui est panis de cœlo descendens, auditoribus suis dapes superni convivii erogaret. Quod inde verum esse probatur, quia ubicunque pransurus resedit, aut docuit aliquid, aut signa patravit. Quod factum in hoc constat convivio, de quo præsens lectio texitur, in quo et miraculum perpetravit, et prædicationem exhibuit. Agebat etiam hoc clementissimo pietatis affectu, ut familia quæ servitute dominorum semper occupata, libere ad illum ubicunque esset confluere nequibat, ipsorum ad habitacula dominorum dignanter veniente, in præsentia illius communiter frui, et doctrinis refici, et miraculis possent lætificari. Simul etiam Novi Testamenti futuris prædicatoribus auctoritatem præferebat, quatenus verbum salutis dominis et subjectis, liberis et servis, superioribus et inferioribus, omnibus absque differentia personarum impartirent, et ab his quibus verbum vitæ nuntiabant, humanitatis obsequia non refugerent exhiberi sibi digno commercio, ut quibus spiritualia seminant, eorum carnalia metant (*I Cor.* IX). Ut ergo Dominus suæ dispensationis impleret officium, intravit in domum principis Pharisæorum manducare panem. A Dies sabbati sacerrimus, et ritu veteri celeberrimus habebatur, in quo ab omni opere cessantes, meditationibus et conviviis indulgebant. Cujus observationem mos Christianus ad diem Dominicam competentius transtulit, ob reverentiam Dominicæ resurrectionis. Quod autem vocato ad principis convivium Domino dicitur: *Et ipsi observabant eum*, de scribis et Pharisæis subintelligendum est, qui ad hoc aderant, ut eum potius potuissent reprehendere, duplici videlicet malignitate. Ut sive curaret hydropicum, damnarent illum quasi legis contemptorem, et sabbati violatorem, sive non curaret, arguerent eum impietatis vel impossibilitatis. Sicut enim boni Dominum sequebantur, ut ejus prædicationem audirent, et miracula viderent, sic e contra Scribæ et Pharisæi B aderant, ut eum in suis actibus potuissent calumniari. Observare dicimus, honeste et vigilanter custodire. Observabant ergo eum, hoc est quod callide reprehensioni ejus intendebant. Quare vero eum observarent, ex eo quod sequitur, animadverti potest. *Et ecce*, inquit, *homo hydropicus erat ante illum.* Quia enim sabbatum erat, considerabant utrum languidum eo die curaret, necne. Et siquidem curaret, dicturi erant: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit* (*Joan.* IX). Si vero eum curare nollet, infamarent eum de impossibilitate. *Ecce*, inquit evangelista, *homo hydropicus erat ante illum.* Hydrops morbus, quem Latini veterum nuncupant, ab aqua trahit originem nominis, quia Græce *hydor* aqua dicitur. Est vero intercutaneus morbus ex interC ruptione vesicæ natus, tumorem ventris, et anhelitus fetorem faciens. Habetque hoc proprium, ut quo amplius biberit, eo magis noxiam in se sitim excitet. *Et respondens, dixit ad illos: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum ægrum sanavit eum, ac dimisit.* Quod respondisse dicitur ad eos qui nihil dixerant, ad illud respicit, quod præmissum est, *et ipsi observabant eum*. Qui enim non minus cogitatus quam opera intuetur, non immerito sic ad cogitata quasi ad dicta vel facta respondit. Interrogantur, non quo eorum Dominus spectaret sententiam, sed ut ex sua melius responsione vel taciturnitate confutentur. Unde et illi undique conclusos se aspicientes, merito interrogati tacuerunt. D Quidquid enim dixissent, contra se dictum videbant. Si dicerent, licet, audituri erant, quare ergo me observatis? Si autem dicerent, non licet, nec sic evadere poterant. Nam diceret illis Dominus, quod et subinde eis objecit: *Quare vos vestra pecora curatis sabbato?* Sua ergo eos conscientia repercussos et tacentes inspiciens, apprehensum ægrum sanavit ac dimisit. Ideo sanavit Dominus hydropicum ante præsentiam Scribarum ac Pharisæorum, ut ostenderet eis, quia sicut ille sanatus est corpore, ita illi si in eum credere vellent, in anima sanari potuissent. Prudenti sane dispensatione Dominus ante legisperitos et Pharisæos hydropicum curat, et mox contra avaritiam disputat, ut per illam ægritudinem quam ille patiebatur in corpore, designaret illorum infir-

Digitized by Google

mitatem qua tabescebant in mente. Mystice vero hydropicus iste, ipsum Judæorum significat populum, qui pessimo quodam veterno avaritiæ et libidinis prægravatus erat. Nihil enim avarius gente Judæorum erat, nihil ad libidinem pronius. Hoc morbo assuetos eos Balaam hariolus præcognoverat, quando Balach hujusmodi consilium dederat, ut eos per mulierum pulchritudinem idololatriæ prostitueret (*Num.* XXIV, XXV). Quod vere de spirituali dicimus fornicatione, cui adeo eadem plebs inservivit, ut meretricis procacis et adulteræ nomine mulieris per prophetam appelletur (*Ezech.* XVI). Hydropicus vero qui sanatur, synagogam præfigurat, in qua pars illius populi fide a noxio avaritiæ et libidinis humore liberata est, adeo ut post Christi ascensionem, quotquot ex eis domorum vel agrorum possessores erant, vendentes quæ habere poterant, pretium ante pedes apostolorum deferrent, et causa amoris ejus uxoribus et omnibus sæculi affectibus renuntiarent (*Act.* IV). Sed et moraliter hydropicus iste quemlibet designat avarum vel luxuriosum. Sicut enim hydropici sitis est inexplebilis, ita avarus quamdam sitim multiplicat, qui quo ampliora acquisierit, eo plura per fas et nefas acquirere laborat. Unde Salomon ait: *Avarus non impletur pecunia* (*Eccles.* V). Quia sitis ejus nec inopia minuitur, et nec copia expletur, illa super hoc concordante sententia, qua dicitur: Semper avarus eget. Pari modo luxuriosus quisque quo magis voluptatem carnis expleverit, eo ad pejora perpetranda accenditur, sicque fit ut unde ad horam libidinis incentivum exstinguitur, inde mox deterius inflammetur. Diximus enim morbo hydropico avaritiam significari, quod sicut ille aquam, ita iste sitit pecuniam. Quo vitio Pharisæos laborasse evangelista manifestat, cum post nonnullas parabolas subdit: *Audiebant enim hæc Pharisæi qui erant avari, et deridebant illum* (*Luc.* XVI). Et respondens *dixit ad illos.* Cum nullius interrogatio præcesserit, quid vult quod tam sæpe respondisse dicitur ad legisperitos et Pharisæos? Sed hæc locutio in sacris voluminibus habetur usitata. Solet enim Scriptura nullo interrogante, hoc modo respondentis voce proferre sententiam. Unde est illud quod alibi in Evangelio legimus: *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI). Et certe illo in loco nulla vel Patris vel alicujus interrogatio præcesserat, ut eum respondisse sancta illa auctoritas testaretur. Hinc est etiam quod sanctis mulieribus ad sepulcrum Domini flentibus, nihilque interrogantibus de angelo qui perennem Christi resurrectionem nuntiare venerat, dicitur: *Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere* (*Matth.* XXVIII). Sanato vero ac dimisso hydropico, invehitur mox in avaritiam calumniatorum suorum. Nam sequitur: *Et ait illis: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non continuo extrahet illum die sabbati?* His verbis sic Dominus se calumniantes coarguit, ut eos avaritiæ studere convincat. Ac si aliis verbis loqueretur: Si vos, inquiens, vestra animalia in die sancti-

A ficato, si forte in puteum casu ceciderint, eripere festinatis etiam cum labore, non ipsis animalibus, sed avaritiæ vestræ operam dantes, quare me reprehenditis cur hominem ad imaginem Dei conditum, multoque animali præstantiorem, in die sabbati curem? Et pulchra ratione hydropicum animali in puteum decidenti comparat, quia animal in puteum labens, aquæ humore laborat, quemadmodum humore gravatur hydropicus. Sicut et in alio loco mulierem curvam, quam decem et octo annis alligaverat Satanas, jumento comparavit, quod solvitur ut aquatum ducatur (*Luc.* XIII). Verum in apertissimis historiæ verbis intima redolet suavitas allegoriæ. Nam per bovem et asinum uterque populus, Judæorum videlicet et gentium, intelligitur. Per bovem B quidem, cujus cervix jugo teritur, cujusque labore proscissa terra versatur, Judaicus convenientissime accipitur populus, qui legis jugum durissimum traxerat; cujus superbiam legis pondus premebat, quique ob terrenam felicitatem, et rerum labentium copiam, Deo serviebat. Grave enim jugum Judæis fuit circumcisionem sufferre, festivitates Tabernaculorum sub dio, hoc est, sub asperitate imbrium, atque calore solis celebrare, otium sabbatorum seu festivitatem custodire, et cætera legis onera gravissima, in quibus retro cunctis temporibus jam servierunt, observare. Per asinum vero, animal nimis irrationale, et præ cæteris animantibus magis oneriferum, gentilis populus figuratur, qui peccatorum pondere, et malæ insitæ sibi consuetudinis mole præ- C pediti, nequaquam respirare, aut imponentibus resistere valebant, ad simulacra muta prout ducebantur, incedentes. Possunt quoque hæc animalia, duo hominum genera designare. Bos enim qui proventui frugum insudat, sapientes exprimit. Asinus vero, ignobile animal et insipidum, stultos quosque et verbi ratione carentes, per typum ostendit. Recte igitur Dominus in utroque loco bovem et asinum in puteum labentes, vel a præsepio solutos, sub significatione Judaici populi atque gentilis posuit, quia adveniens ipse mediator Dei et hominum in hunc mundum, omnes sive Judæos sive gentiles, seu sapientes sive hebetes, durissimis peccatorum vinculis irretitos invenit, atque in imo voluptatis et concupiscentiæ carnalis, tanquam in profunditate putei demersos D reperit. Scriptum namque est: *Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V). Et Apostolus: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III). Apte vero de insultatoribus Domini sequitur: *Quia non poterant ad hæc respondere illi.* Splendidissima namque luce veritatis evanescere videbant omnes tenebras falsitatis. Verum Dominus cum videret eos respondere non posse, et tamen a malitia et invidia nolle cessare, ad eorum qui invitati erant, exhortationem, qui fortassis ex ejus prædicatione proficere poterant, sermonem convertit. Intendebat enim non probo eos studio primos accubitus affectare. *Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad eos:*

Digitized by Google

*Cum vocatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Hæc admonitio Salvatoris ad litteram utiliter intellecta, salutiferum cunctis documentum exhibet, humilitatem præcipue commendans, et non solum apud Deum, verum etiam apud homines laudabilem esse declarat. Sed non ab re, quod sanctus evangelista hanc evangelicam lectionem, parabolam voluit nuncupare. Parabola enim Græce, Latine similitudo dicitur. In similitudine vero aliud est quod prætenditur per figuram, aliud quod innuitur per veritatem. Quod per nuptias conjunctio Christi Ecclesiæque signetur, pluribus ex locis sancti Evangelii conjici datur. Ait enim : *Nunquid possunt filii nuptiarum jejunare quandiu cum illis est sponsus* (*Marc.* II)? Alibi quoque parabolice loquens : *Simile est*, inquit, *regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII). Deus enim Pater Filio suo nuptias fecit, quando per incarnationis mysterium sanctam ei Ecclesiam fidei et dilectionis dote conjunxit. In nuptiis namque sponsus sponsæ conjungitur, ut filii procreari possint. Ita unigenitus Dei Filius sponsam sibi de gentibus sanctam Ecclesiam conjunxit, et multos filios sibi spirituales per adoptionem effecit. Cujus sponsi thalamus, uterus virginis Mariæ fuit, in quo divinitatem suam humanitati nostræ per suam incarnationem dignanter sociavit. Ad has nuptias omnes invitati sumus, quicunque Christianitatis titulo insignimur, quicunque crucis stigmate præmunimur. Quisquis ergo has nuptias vocatus adierit, hoc est, quicunque per gratiam fidei, Ecclesiæ membris se conjunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est, de suis meritis gloriando, quasi de singulari privilegio meritorum cæteris præferatur, sed semper humilia de se sentire studeat. *Nescit enim si forte honoratior ab illo sit invitatus, cui locum dare cogatur.* Honoratiori post se invitato locum dat ille, qui securus de confidentia pristinæ suæ conversationis, videt se præiri in bono opere cita agilitate ab illis qui post se vocati sunt. Verbi gratia, qui ab ipsis ætatis teneræ incrementis ad divinum servitium convertitur, illum plerumque in bonis operibus præcedunt, qui noviter de sæculi ætatibus revertentes, in sanctis actionibus fortes inveniuntur. Hi ergo et post invitantur, et primi accumbunt, quia etsi ad religionis exercitium sero veniunt, fortius tamen se justitiæ et sanctitatis lance edocent, et quod minus habent ex tempore [parte], ex studii vivacitate compensant. Et cum robore novissimum locum tenere incipit, cum de aliis quam de se meliora cognoscens, quidquid prius in sua actione magnum putabat, ex comparatione alieni meriti infirmum humillimumque judicat, cum Propheta dicens : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et confusus* (*Psal.* LXXXVII). Quid vero nobis agendum sit, qualiter in Ecclesia conversandum sit, præceptor disciplinæ cœlestis mox aperire curavit, cum, inquiens, *vocatus fueris ad nuptias*, id est, cum veneris in societatem sanctæ Ecclesiæ, *recumbe in novissimo loco*, id est, humilia de te sentire cura,

A juxta quod scriptum est : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccl.* III). Et noli de tuis gloriari virtutibus, sed omnes tibi æstima superiores, minimum te omnium, inferiorem cunctis deputa. Tanto enim eris in Dei oculis pretiosior, quanto fueris in tuis oculis despectior, quantoque amplius tibi vilueris, tanto magis Deo placebis. *Ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius.* Quam sententiam etiam in præsenti constat impleri. Quotidie enim Dominus nuptiarum nuptias Ecclesiæ ingreditur : habitus, consessus moresque dijudicat convivantium : et eum quem in humilitate invenit fundatum, amici nomine sublimatum beatificat, dicens illi : *Amice, ascende superius.* Et quem locus videbatur habere inferior, ad summam ecclesiastici culminis

B promovet dignitatem, ut simul discumbentes, hoc est, in fide quiescentes, magna hunc admiratione glorificent, et stupentes cum Psalmista dicant : *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus* (*Psal.* CXXXVIII). Veniens ergo Dominus Jesus Christus ad judicium, quemcunque humilem invenerit, glorificabit et exaltabit, atque ad superiora ascendere præcipiet, quia scilicet illos sublimabit in æterna beatitudine, quos in hac vita de suis virtutibus humilia sentire perspexit, juxta quod apostolus Petrus suos auditores exhortatur, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die visitationis* (I *Pet.* V). Unde et bene subditur : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Tunc, id est in fine

C mundi, erit tibi gloria. Verum quia non de præsenti, sed de futuro dicitur, *tunc erit* ad illam quæ in fine mundi omnibus dabitur electis beatitudinem referendum est, quando Deum quisque videbit sicuti est. Bene autem dicitur *tunc*, ne videlicet si quid boni agimus, laudem ab hominibus in præsenti requiramus, sed *tunc*, id est, in futura vita, a Deo remunerationem exspectemus. Scriptum namque est : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX). Quisquis enim gloria vitæ præsentis fuerit delectatus, et summam gloriæ quæ in futurum debetur, in præsenti possidere desideraverit, ille absque dubio æterna beatitudine carebit, quæ electis ad supernam patriam tendentibus reservatur. Quæ sententia evangelica potest et in

D hac vita juxta litteram veraciter intelligi. Qui enim in novissimo loco recumbens invenitur, veniente patrefamilias altius sublimatur, quia quotidie Dominus in consortio electorum spiritualiter atque invisibiliter veniens, suas nuptias intrat, quia quotidie, ut diximus, habitus moresque fidelium considerat, et superbis resistens, eos quos humiles invenit, sæpe aliis præfert, ac tantis muneribus specialium donorum glorificat, ut tales illi qui simul discumbunt, hoc est, qui in eadem fide quiescunt, concordi admiratione efferant, proclamantes cum Psalmista : *Beati quos elegisti, et assumpsisti, Domine*, etc. (*Psal.* LXIV). *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Hæc subjecta conclusio evangelicæ lectionis, docet præcedentem quoque

Digitized by Google

parabolam debere mystice intelligi. Patet enim quod non omnis qui se coram hominibus exaltat, mox in hac vita humiliabitur: aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltatur, cum contrarium nonnunquam contingere soleat, ut is qui in aliquo dignitatis apice sublimari incipit, usque ad finem vitæ exaltari non desinat. Et rursum, is qui humilis ac verecundus esse inchoat, in ipsa sua mediocritate usque in terminum vitæ perduret. Ergo quia Deus falli non potest, cujus verba sunt ista, et si hoc in præsenti vita non impletur, restat ut in futuro sine dubio impleatur, tunc scilicet, quando impii et superbi humiliabuntur cum diabolo in inferno audientes a Domino. *Ite in ignem æternum;* justi autem et humiles exaltabuntur a Domino, percipientes ab eo vocem optabilem, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Quam ut audire mereamur, ipse nobis largiri dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA CLXXXII.

### IN FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore, respondens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit*, etc. (*Marc.* IX.)

Narratur in præcedenti hujus sancti Evangelii capitulo, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam presbyterum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 512.

## HOMILIA CLXXXIII.

### IN FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. VI, num. 12.)

*In illo tempore rogabat Jesum quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit*, etc. (*Luc.* VII.)

Hoc loco plerique videntur pati scrupulum, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1671.

## HOMILIA CLXXXIV.

### IN SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

(Ex Opp. beati Gregorii Magni papæ.)

*In illo tempore dicebat Jesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit*, etc. (*Luc.* XIII.)

Dominus ac Redemptor noster per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium papam, Operum ejus tom. II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1228.

## HOMILIA CLXXXV.

### IN DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

(Ex Opere imperfecto in Matthæum, inter spuria opuscula beato Chrysostomo ascripta.)

*In illo tempore accesserunt ad Jesum Pharisæi, et interrogavit eum unus ex his legis doctor, tentans eum:*
A *Magister, quod est mandatum magnum in lege? Etc.* (*Matth.* XXII.)

Frequenter Judæi diversis interrogationibus Christum tentantes, etc. *Reliqua vide apud sanctum Joannem Chrysostomum, Operum ejus in editione nostra tom. VI, col.* 872.

## HOMILIA CLXXXVI.

### IN DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Hieronymi presbyteri.)

*In illo tempore, ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam*, etc. (*Matth.* IX.)

Christum in humanis actibus divina gessisse mysteria, et in rebus visibilibus invisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstravit. *Ascendit*, inquit, *in naviculam, et transfretavit, et venit in civitatem suam.*
B Nonne hic est qui fugatis fluctibus maris, profunda nudavit, ut Israeliticus populus inter stupentes undas sicco vestigio velut montium concava transiret (*Exod.* XIV)? Nonne ipse est qui Petri pedibus marinos vertices inclinavit, ut tunc liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium (*Matth.* XIV)? Et quid est quod ipse sibi maris sic denegat servitutem, ut brevissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? *Ascendit*, inquit, *in naviculam, et transfretavit.* Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, et sua nobis conferre medicamenta sanitatis, quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit, et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.
C Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; et nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Sustinuit ergo has necessitates, ut homo verus humanis necessitatibus probaretur. *Ascendit in naviculam.* Christus navim a sæculi fluctibus semper mitigans ascendit, ut credentes in se, ad cœlestem patriam tranquilla navigatione perducat, et municipes faciat, quos humanitatis suæ fecit consortes esse. Non ergo Christus indiget navi, sed navis indiget Christo, quia sine cœlesti gubernatore navis Ecclesiæ per mundanum pelagus, per tanta et talia discrimina, ad cœlestem portum non valet pervenire. Hæc diximus, fratres, quantum ad intelligentiam spiritualem, verum ipsius historiæ ordinem prosequamur. *Ascendens*, inquit, *Jesus in naviculam transfretavit, et venit*
D *in civitatem suam.* Creator rerum orbis Dominus, posteaquam se propter nos nostra angustavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ esse civis, parentes cœpit habere, parentum omnium ipse parens, ut invitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus disperserat, et fecerat vis potestatis exteros. *Venit in civitatem suam. Et obtulerunt ei paralyticum jacentem in lectulo. Et videns*, inquit, *Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Audit veniam, et tacet paralyticus, nec ullam respondet [a] gratiam, quia

[a] Melius *rependit*, ut infra, col. 1433 D. EDIT.

Digitized by Google

plus corporis quam animæ tendebat ad curam, et temporales ærumnas resoluti corporis sic deflebat, ut æternas pœnas resolutioris animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam judicans quam futuram. Merito ergo Christus offerentium fidem respicit, et vecordiam sic jacentis respicit, ut fidei alienæ suffragio, paralytici anima ante curaretur quam corpus. *Respiciens*, inquit, *fidem illorum*. Cernite in hoc loco, fratres, Dominum non quærere insipientium voluntates, non exspectare ignorantium fidem, non infirmi stulta desideria perscrutari, sed alterius fidei subvenire. Et revera, fratres, quando medicus languentium aut quærit aut respicit voluntates, cum semper contraria desideret et requirat ægrotus? Hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit et apponit invitis, ut curam sani sentiant, quam sentire non poterant ægrotantes. Et si homo injurias despicit, maledicta contemnit, ut sauciatis manibus sponte vitam conferat et salutem, quanto magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum, et phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam invitos attrahit et nolentes? O si velimus, fratres, o si velimus mentis nostræ omnes paralyses semper videre, ut animam nostram virtutibus destitutam, jacere in vitiorum stratibus cerneremus, luceret nobis quemadmodum Christus, qui nostras quotidie noxias despicit voluntates, et ad salutaria nos remedia pertrahit, ut purget invitos. *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua*. Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis. Virtutibus etenim et signis comparabatur prophetis, quia per ipsum fecerant et ipsi virtutes. Peccatis autem dare veniam, quia penes hominem non est, et est singulare deitatis insigne, Deum illum pectoribus inserebat humanis. Probat hoc pharisaicus livor; nam cum dixisset, *remittuntur tibi peccata tua*, responderunt Pharisæi: *Hic blasphemat. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cum testaris impugnas. Si Deus est qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui in uno indulgentiæ suæ munere, totius mundi probatur abstulisse peccata? *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Ut autem possis majora capere divinitatis ejus insignia, audi eum pectoris tui penetrasse secretum. Aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse, intellige eum cordis tui nudare consilium. *Et cum vidisset*, inquit, *Jesus cogitationes eorum, dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, remittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge et ambula? Ut sciatis autem quia Filius hominis potestatem habet dimittendi peccata, dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam.* Scrutator animorum prævenit mentium magna consilia, et deitatis suæ potentiam operis attestatione monstravit, dum dissipati corporis membra componit, nervos stringit, jungit ossa, complet viscera, firmat virtutem, regressus ad cursum suscitat in vivo cadavere jam sepultos. *Tolle lectum tuum*, hoc est, porta portantem, oneris muta vices, ut quod fuit infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis, ut lectus doloris tui, sit meæ curationis indicium, ut receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis asserat magnitudo. *Vade*, inquit, *in domum tuam*, ne Christiana fide curatus, in viis Judaicæ perfidiæ jam moreris. Tu autem.

## HOMILIA CLXXXVII.

### DE EADEM DOMINICA.

*In illo tempore ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam*, etc. (*Matth.* IX.)

Creator rerum Dominus Jesus, postquam se, propter nos, nostra angustavit in carne, cœpit habere patriam, cœpit esse civis Judaicæ civitatis, ut eos de quibus humanitatem assumpserat, ad credendum sibi invitaret, amore et charitate suaderet, et affectuosa humanitate attraheret. Loquens ergo sanctus evangelista Matthæus de Domino Jesu, dicit: *Qui ascendens in navim transfretavit*, hoc est, trans fretum abiit. Fretum dicitur angustum mare, a fervore scilicet et ebullitione, quoniam mare ibi amplius fervet, ubi angustius habetur. Fretum autem hoc loco mare Galilææ debemus intelligere, quod Dominus frequenter transnavigabat, ut multitudinem incolarum circumquaque habitantium sua assidua prædicatione ad salutem invitaret. Civitas autem Domini secundum carnem Nazareth fuisse dicitur, conceptione pariter et nutrimento ejus decorata. Quæstio sane inter Marcum et Matthæum oboritur, quia Marcus dicit hoc ipsum miraculum paralytici in Capharnaum factum (*Marc.* II), Matthæus vero ita narrat, quasi veniente Domino in civitatem suam, quam Nazareth diximus, obtulerunt ei paralyticum, quem et curavit. Quæ quæstio difficilius solveretur, si Matthæus in hoc loco etiam Nazareth nominasset. Sed quia Nazareth et Capharnaum civitates utræque in Galilæa provincia habentur, veniens Dominus in Galilæam, rectissime in civitatem suam venisse dicitur, in quocunque oppido Galilææ fuisset. Nam et ipsa Galilæa, tota videlicet provincia, potest dici civitas Christi, siquidem et illud regnum Judæorum numerosis civitatibus quondam amplissimum, una domus Israel dicitur, nedum etiam una civitas dicatur. Et hoc quid necesse est longius protrahere? Ipsa etiam Christi Ecclesia, quæ per totum orbem diffusa est civitas appellatur. Dicit enim Psal.: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Cum ergo Dominus hoc signum, sicut Marcus dicit, in Capharnaum fecit, non est dubium quod in sua civitate hoc fecerit, præsertim quia et ipsa Capharnaum in Galilæa, quæ erat provincia Domini, ita excellebat, ut tanquam metropolis haberetur. Alio quoque modo hæc quæstio a doctoribus solvitur, ut quod dicit Matthæus evangelista, transfretasse Dominum, et venisse in civitatem suam, prætermiserit quid ibi fecerit Dominus, et transierit ad sequens miraculum, quod factum est de paralytico in Capharnaum. Marcus enim totum ex ordine quomodo gestum sit

Digitized by Google

narrat. Vel certe ideo Capharnaum civitas Domini dicitur, quia in ea vel in finibus ejus assidue prædicaverit, et maxima miracula operatus sit, sicut ipse Dominus alibi per semetipsum illi improperans, dicit : *Væ tibi Capharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es* (*Matth.* XI), clarificatione scilicet miraculorum meorum, *usque ad infernum detraheris. Quia si in Tyro et Sidone facta fuissent quæ in te facta sunt, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egerunt. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Paralysin Græci dicunt dissolutionem membrorum, qui morbus partem corporis quam occupaverit, officiis universis funditus destituit, plerumque vero et totum corpus invadit. *Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens Deum se volebat intelligi, quia adhuc per humanitatem latebat homines, ut videlicet per hoc quod peccata dimittere poterat, quod solummodo Dei esse constat, et non hominis, ad credulitatem fidei accedere non dubitarent. Intuendum autem quantum impetrare valeat fides uniuscujusque propria, si tantum aliena valuit, ut suo interventu alteri salutem mentis et corporis subito promereri potuerit. Non enim ait evangelista Dominum vidisse fidem illius qui portabatur, sed eorum potius qui hunc offerebant. Qua in re magna quidem et utilis nobis commendatur humilitas, ut veraciter credamus per eorum qui Deo accepti sunt intercessionem adjuvari eos qui aut minus digni sunt per se exaudiri, aut etiam propriæ infirmitatis conscii, bonorum hominum se intercessioni commendant, ut eorum opere et temporale et spirituale a Deo auxilium consequantur. *Confide*, inquit Dominus, *fili*. Miranda est humilis in Redemptore nostro dignatio, qui hominem invalidum, et in toto corpore tabefactum, filium vocare dignatur, quem Scribæ et Pharisæi nec dignabantur attingere. Quod si ad opus divinum quod in homine gerebatur, attendimus, merito filium vocat quem a peccatis absolvit. In hoc etiam, quod curaturus a sua infirmitate hominem, prius peccata illi dimittit, quibus eamdem infirmitatem contraxit, et postea eum sanitati restituit, ostendit eum ob meritum culparum damnatum fuisse debilitate membrorum, nec aliter posse evadere ægritudinem corporis, nisi prius liberaretur ab infirmitate incommoda cordis. *Dimittuntur*, inquit, *tibi peccata*. Audiens paralyticus veniam delictorum sibi a Domino repromitti, non aliquid Christo respondet, nec gratiam vel laudem illi rependit, quia scilicet plus corporis quam animæ desiderabat salutem, et gratiorem sibi præsentem vitam judicabat, quam futuram. Sed Christus non vecordiam jacentis respicit, imo fidem offerentium intendens, ingrato peccata dimittit. Et quia semper virtutibus invidia comes est, audiamus quid sequitur. *Hic blasphemat.* Non voce oris hoc dixerunt, sed in secreto cordis. Quod manifestat evangelista, cum dicit : *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in*

A *cordibus vestris?* Quid autem vocarent blasphemiam, Marcus manifestius exponit, dicens : *Et cogitabant*, inquit, *quidam de Scribis in cordibus suis, dicentes : Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus* (*Marc.* II)? Legerant siquidem scriptum in prophetis, dicente Domino : *Ego sum qui deleo iniquitates tuas* (*Isai.* XLIII). Etiam indignabantur quod Christus, quem purum hominem existimabant, paralytico peccatorum veniam promisisset tanquam Deus. Quamvis ergo nescientes, verum dicunt Scribæ et Pharisæi, quia nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit quibus potestatem dimittendi tribuit. Et ideo Christus verus Deus esse probatur, quia peccata quibus vult, dimittere valet. *Et cum vidisset*

B *Jesus cogitationes eorum.* Scrutator animorum Deus, præveniens mentium mala consilia, ostendit Scribis blasphemantibus se Deum esse, qui potest etiam occulta cordis eorum evidenter agnoscere, et quasi tacens loquitur : Ut cognoscatis me veraciter Deum esse, manifestum vobis sit, latebras etiam cogitationum vestrarum me apertissime cognoscere. Ea ergo potestate deitatis, qua cogitationes vestras intueri valeo, cognoscite etiam hominibus peccata me posse dimittere. *Quid facilius est dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge et ambula?* Utrum paralytico peccata fuerint dimissa, solus Christus noverat, qui dimittebat. Surgentem autem et ambulantem illum, omnes qui

C assistebant visu approbare poterant. Et ideo Dominus carnale signum sanitatis extrinsecus operatus est, ut spirituale signum, hoc est, veniam peccatorum, intrinsecus probaretur fecisse. *Ut sciatis autem, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : surge.* Patet quia et si Deus, qui quantum occasus distat ab oriente, longe fecit a nobis iniquitates nostras, et Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, ergo idem ipse est Christus et Deus et Filius hominis : Deus, qui per divinitatem peccata dimittit; Filius hominis, qui per humanitatem pro peccatoribus mori potuit. Quod autem dicit, *tunc ait paralytico*, verba sunt evangelistæ. *Tolle*, ait, *lectum tuum*, hoc est porta portantem te, ut quod fuit

D testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis. *Et surrexit, et abiit in domum suam.* Inter dictum Domini et factum, nulla distantia est. *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CLXVIII). *Et omnia quæcunque voluit, fecit.* Inter dicere autem nostrum et facere, plurima distantia est, quia facile quidem loqui possumus, sed cum labore operamur. Christi vero dictum mox opera comitantur, quoniam ipse dixit, et facta sunt. Ait ergo : *Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge et ambula?* Ac si dicat : Sicut facile est mihi, dicere paralytico : *surge*, et continuo surgit, sic facile est dicere, *dimittuntur tibi peccata*, et continuo dimittuntur. Videntes turbæ, id est populi, signum quod fecerat, timuerunt

Digitized by Google

A Deum, et glorificaverunt eum qui dedit potestatem talem hominibus, scilicet ut homo inter homines positus, posset sanitatem cuicunque vellet, tribuere. Confutatis igitur illis qui Dominum blasphemiæ arguebant, merito stupentes turbæ, in laudem Creatoris prosiliunt. Ad cujus imperium nulla interveniente mora, festina salus totum hominem repente possedit. Ex curatione autem istius paralytici, datur nobis intelligi plerasque incommoditates hominibus propter peccata contingere. Quinque siquidem differentiæ causarum traduntur, pro quibus corporibus humanis temporales molestiæ divinitus inferuntur. Aut enim ad augenda merita per patientiam electi in infirmitate corporis gravantur, ut beato Job et Tobiæ contigit; aut ad custodiam virtutum,
B ne superbia tentante dejiciantur, sicut apostolo Paulo datus est stimulus carnis, ne magnitudine revelationum extolleretur (*II Cor.* XII); aut ad intelligenda et corrigenda peccata, sicut Maria soror Aaron propter temeritatis verba lepra percussa est (*Num.* XII), sicut etiam paralyticus de quo agimus, qui ut potuisset curari, primum remissione peccatorum indiguit. Aut ad gloriam Dei, sicut infirmitas Lazari non ad mortem, sed pro gloria Dei fuit (*Joan.* XI). Aut ad inchoationem æternæ damnationis, quod proprie reproborum est, sicut Antiochus et Herodes, qui quod in gehenna passuri erant præsenti miseria cunctis ostendebant, quibus illud convenit propheticum: *Et duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII).
C Unde quoniam qua causa flagellemur scire non possumus, necesse est ut in omnibus adversis quæ temporaliter patimur, humiliter Domino gratias agamus. Et quidquid nos peccasse deprehenderimus, humili satisfactione purgemus, ut quandoque de attributis divinæ pietati beneficiis perfecte gratulemur. Hæc curatio paralytici, a Salvatore mirabiliter patrata, juxta litteram manifesta est. Sed quia in humanis actibus Christi divina semper latent mysteria, considerandum quid transfretatio Domini in suam civitatem allegorice significet. Ait enim evangelista: *Ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam.* Superius sanctus Matthæus narravit quia Dominus postquam in mari dormivit, atque excitatus tempe-
D states sedavit, venit in regionem Gerazenorum, ubi hominem curavit quem legio dæmonum invaserat, moxque, sicut præsens lectio narrat, adjungit quia ascensa navi *transfretavit et venit in civitatem suam.* Allegorice per naviculam quam Dominus ascendit significatur crux Dominicæ passionis, in quam Dominus ipse ascendit: vel ipsum corpus Dominicum quod in ea pependit: vel specialiter anima uniuscujusque fidelis, sive generaliter universa sancta Ecclesia. Per mare autem quod Dominus transfretavit designatur præsens sæculum, quod frequentissimis tribulationum angustiis quasi quibusdam procellis commovetur. Per Nazareth vero civitatem, in qua Dominus conceptus et nutritus fuit, quæ interpretatur flos sive custodita, non immerito designatur sancta Ecclesia, hoc est multitudo electorum, quæ, ne florem fidei aut boni operis fructum amittat, gratia Dei mundatur a sordibus vitiorum et custoditur ab incursu insidiantium dæmonum. Quod ergo Dominus postquam in mari dormivit, regionem Gerazenorum adiit atque inde revertens in patriam suam remeavit, significat quia resurgens a somno mortis ad populum gentium, ab incursu dæmonum curandum per apostolos, transivit. Sed cum intraverit plenitudo gentium, mox ad cives suos Judæos per illius temporis prædicatores revertetur. Ibi curavit paralyticum, populum scilicet Judæorum a peccatis, tam originalibus quam actualibus, emundando omnes qui præordinati sunt ad vitam æternam. Iterum alio modo: *Ascendens Dominus in navim, transfretavit et venit in civitatem suam.* Quia ascendens in crucem, quæ designatur per navim, post devictos et calcatos fluctus perturbationum istius sæculi, venit in civitatem suam, id est Ecclesiam, quæ testante Psalmista civitas Dei vocatur: *Gloriosa* (inquit) *dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). In quo loco nomine civitatis Ecclesia, hoc est multitudo significatur electorum. Tunc autem Dominus in civitatem suam, id est Ecclesiam, venit, cum per prædicationem apostolorum in cordibus electorum ascendit. Cum enim sancti apostoli auditores suos ad hanc fidem sua prædicatione perducebant, ut crederent divinitatem Filii Dei in utero Virginis humanæ infirmitati sociatam, et in eadem carne natum, crucifixum atque sepultum, et tertia die resurrexisse, ac idem corpus ad cœlum assumpsisse, et in eo ad dexteram Patris in cœlestibus considere, atque in eo rediturum in fine sæculi ad judicandos vivos et mortuos: idem Christus in sancta Ecclesia, hoc est in cordibus credentium per fidem ascendit. *Et ecce offerebant ei paralyticum.* Paralyticus iste in lecto jacens moraliter significat animam infelicem, quæ in delectatione peccati tanquam in lectulo quodam miserabiliter requiescit. Cujus paralytici curatio designat curationem ac reparationem ejusdem languentis animæ, quæ, post longum errorem carnalis voluptatis, ad Creatorem suum reverti desiderat. Sed et anima ut salvari queat propriis indiget portatoribus, hoc est bonis doctoribus, qui sua doctrina spem salutis ei subministrent, et sua sanctitate opem intercessionis coram Domino impendant. Qui bene, ut Marcus ostendit (*Cap.* II), quatuor fuisse reperiuntur, propter quatuor videlicet libros Evangeliorum, quibus constat fundamentum totius doctrinæ, sive propter quatuor principales virtutes, quibus sanitas uniuscujusque constat animæ, prudentiam scilicet, fortitudinem, temperantiam atque justitiam, quæ ab aliis nominantur sobrietas, sapientia, fortitudo atque justitia, quibus utilius nihil est in vita humana. Quæcunque enim anima doctrina quatuor Evangeliorum fuerit imbuta, et his quatuor virtutibus suffulta, merebitur a Domino integram sanitatem recipere, adeo ut surgat, lectum suum tollat, et ad domum redeat. Unde et subditur: *Surge, tolle*

Digitized by Google

*lectum tuum, et vade in domum tuam.* Per lectum designatur corpus cujuslibet hominis. Sic enim anima in corpore quemadmodum in strato suo requiescit. Vel certe per lectum proximus noster intelligitur, ad quem tempore tribulationis et angustiæ tanquam ad repausandum securi recurrimus. *Et surrexit, et abiit in domum suam, magnificans Deum.* Fecit Dominus signum hoc tunc in paralytico corporaliter, facit et hoc quotidie in sancta Ecclesia spiritualiter. Sicut enim præcepit paralytico ut surgeret et portaret lectum suum, a quo portatus fuerat, ita quotidie nobis in vitiis carnalibus tanquam delectabiliter in lecto jacentibus jubet divinitus ut surgamus. Et postquam a peccatis surreximus, imperat ut infirmitates quoque aliorum, sive corporum, sive morum portare curemus, quemadmodum et nos tempore nostræ infirmitatis a fratribus portati sumus. Et quoniam per lectum carnem etiam significari diximus, imperat etiam surgentibus ut lectulum nostrum portemus, hoc est, ut carnem nostram, quæ nos portavit ad vitia, nos reportare studeamus ad virtutem continentiæ, ut quæ nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Imperat autem hoc nobis Dominus quotidie per semetipsum, hoc est, per annuntiationem Evangelii, per dicta prophetarum et per varia ac diversa sanctorum exempla. Ait ergo Dominus paralytico: *Surge, tolle lectum tuum.* Ac si animæ dicat in peccatis jacenti: Surge de vitiis, scilicet carnis ad virtutes spirituales; et porta lectum tuum, hoc est, carnem corporis tui, quæ te portavit ad peccatum et culpam, reporta ad veniam. Vel, porta *lectum tuum*, id est fratrem tuum, a quo et tu portatus es: *et vade in domum tuam*, id est, qui per diversa vitiorum flagitia aberrasti, revertere ad custodiam tui. Domum quippe redire est unumquemque errantem ad custodiam sui reverti, et semetipsum in mandatis sui Creatoris constringere, ut totus homo, interior videlicet et exterior, Deo possit placere. Domus etiam nostra intelligitur paradisus, a quo quia per incontinentiam cecidimus, necesse est ut per continentiam redeamus. Sed dum talis anima quæ peccatis languerat, recurrit ad veniam, fit plerumque ut hoc multi videntes, in Dei laude exardescant. Unde et hic subditur: Quia *videntes turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Hominibus dicit, vel paralytico scilicet, qui debilitate corporis confectus, ad jussionem Christi statim resurgere potuit, et lectum portare: vel potius Domino nostro Jesu Christo, qui solus sermone sanitatem animæ simul et corporis homini membris dissoluto restituere valuit. Simili modo et in anima hominis languentis spiritualiter fit. Nam dum is qui diutius jacuerat ad veniam recurrere conspicitur, multi infidelium glorificant Deum, qui dat *potestatem talem hominibus*, ut post longam vitiorum calamitatem resurgere valeant ad salutem animarum. Nam quandocunque sanitas, sive in corpore sive in anima accidit, ab ipso tribuitur. Unde et ipse Jesus, qui et Salvator vocatur, quoniam

A *ipse salvum facit populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I). Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, etc.

## HOMILIA CLXXXVIII

### IN DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Gregorii Magni papæ.)

*In illo tempore dicebat Jesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, etc. (*Matth.* XXII.)

Lectionis evangelicæ textum, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud beatum Gregorium papam, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1282.

## HOMILIA CLXXXIX.

### IN DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

(Ex eodem.)

B *In illo tempore erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus veniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium ejus.* Etc. (*Joan.* IV.)

Lectio sancti evangelii, quam modo, fratres, audistis, expositione non indiget, etc. *Reliqua vide apud eumdem, tomo ut supra, col.* 1211.

## HOMILIA CXC.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico monacho Antissiodorensi.)

*In illo tempore erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum*, etc. (*Joan.* IV.)

Divina judicia quam sint incomprehensibilia quamque inscrutabilia, quantumque ab humanis judiciis
C longe distantia, cum in omnibus divinæ Scripturæ locis, tum vel maxime in præsenti sancti evangelii lectione valemus advertere. Ecce enim, sicut subsequens sermo hujus lectionis indicat, rogatus Dominus et Redemptor ut ad reguli filium pergeret invisendum, ire noluit, cum tamen alibi ad centurionis servum, etiam illo renitente et indignum se reclamante, venturum se promittere dignatus sit. Quis autem ignorat regulum majoris esse potestatis quam centurionem? Sed apud omnipotentem Deum (cujus judicia aliquando occulta sunt, semper autem vera) plus fides centurionis valuit quam purpura reguli. Sic quondam David puer majoribus et, quantum ad hominum judicia pertinet, prudentioribus fratribus reprobatis, ad regnum eligitur: et in fine sæculi non
D oratores et nobiles, sed piscatores ignobiles a Domino ad apostolatum vocantur. Hanc divinorum judiciorum subtilitatem Psalmista considerans aiebat. *Judicia tua, Domine, abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Et iterum: *Judicia Domini vera justificata in semetipso* (*Psal.* XVIII). Et Isaias de Christo præcinit: *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet* (*Isa.* XI). Sed hæc suo in loco melius videbuntur, quæ nos breviter prælibasse non piguit, nunc ad exponendam sancti evangelii lectionem accedamus. *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Regulus per diminutionem nominis, quod est rex, dicitur, parvus videlicet rex, nec magna potestate sublimis.

Digitized by Google

Quod nomen bene isti congruit, qui filio salutem A poposcit, quia videlicet non plenam sed diminutam fidem habuisse probatur. Capharnaum autem civitas est Galilææ provinciæ, in qua Dominus multa miracula ostendit, in qua etiam infirmus jacebat istius reguli filius. Hic ergo audiens Dominum advenire a Judæa in Galilæam, ubi nuper aquam in vinum converterat, abiit ad eum, rogaturus pro sanitate filii morientis. Quamvis enim omnis terra duodecim tribuum, in qua Judæi habitabant, Judæa generaliter appellaretur, præcipue tamen ac singulariter illa pars regni Judæorum in qua duæ tribus consistebant, Judæ scilicet et Benjamin, Judæa vocabatur. A qua parte veniente Domino, accessit ad eum iste regulus, rogans ut descenderet et sanaret filium ejus. Quare? Incipiebat enim mori, id est, urgebat B eum vicina mors. *Dicit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Signa dicuntur eo quod significent aliquid: prodigia vero quasi porrodicia, eo quod porro, id est, longe prætendant aliquid. Constat profecto Judæos quasi ex natura insitam hanc consuetudinem habuisse, ut quibuscunque rebus, licet divinis, fidem non nisi per signa commodarent. Unde et apostolus Paulus dicebat: *Judæi signa petunt* (*I Cor.* I). Sed quærendum videtur cur Dominus huic regulo dicat: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, cum ille ante crediderit quam signum videret. Quomodo non crederet qui salutem filio poposcit? Sed si attendamus quid petiit, aperte cognoscimus quia non plenæ C fidei fuit. Poposcit namque Dominum ut descenderet et sanaret filium ejus, et sic præsentiam corporalem expetiit, quasi salutem in filio operari non posset, nisi præsens corpore fuisset. Qui si perfecte credidisset, procul dubio sciret non esse locum ubi non esset Deus. Arguit itaque hominem in fide torpentem, et tentare cupientem in sanitate filii sui quis esset, aut quantum posset. *Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* Urgebat eum infirmitas filii, et ideo in precibus perseverans postulat illi salutem. *Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit.* Sicut alio Evangelio narrante didicimus, centurio ad Dominum venit, dicens: *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur* (*Matth.* VIII). Cui respondit Dominus: D *Ego veniam et curabo eum* (*Ibid.*). Centurio est qui centum militibus præest. Cum ergo majoris dignitatis sit regulus quam centurio, vigilanter intuendum est cur ad filium reguli rogatus corporaliter ire recusat, ad servum vero centurionis etiam non rogatus se pergere pollicetur. Filio reguli non dignatur adesse, servo centurionis non dedignatur occurrere. Sed in hoc facto, sola humilitate, quæ nobis in Redemptore nostro imitanda proponitur, superbia nostra specialiter retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. Ut enim ostenderet Redemptor noster quia quæ alta sunt hominibus, hoc est dilectoribus hujus sæculi, electis despicienda sunt, et quæ despecta hominibus videntur, sanctis despicienda non sunt, ad filium reguli noluit ire: ad servum vero centurionis paratus fuit ire. *Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat.* Ex hoc jam apparet quantum profecerit iste ex increpatione Salvatoris. Quia enim Dominus dixerat ei: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, statim ut audivit a Domino: *Vade, filius tuus vivit*, continuo credens ibat. *Jam autem eo descendente, servi ei occurrerunt, et nuntiaverunt, dicentes: quia filius ejus viveret. Interrogavit ergo horam ab eis in qua melius habuerat, et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris.* Non est vacuum a magno mysterio, quod filium reguli evangelista narrat septima hora ab infirmitate dimissum. Non solum enim miracula Christi quæ corporaliter gessit miracula nobis existunt, sed etiam in ipsis operibus suis secreta sunt mysteria consideranda. Septenarius numerus sacratus est donis Spiritus sancti, quoniam omnia dona spiritualia quæ a Deo cunctis fidelibus largiuntur, eodem septenario numero comprehenduntur. Septem enim sunt virtutes spiritualium donorum, quibus et status hominum in præsenti vita decentissime ornatur, sapientia videlicet, intellectus, consilium et fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini. Sine gratia enim Dei nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timore Domini? Quæ dona quia non aliter quam gratia Spiritus sancti homini tribuuntur, merito etiam ipse Spiritus sanctus, qui nihil aliud est quam verus Deus, eisdem nominibus nuncupatur. Sicut enim Filius a Patre procedens vocatur leo propter fortitudinem, ovis propter innocentiam, ostium quia per ipsum introimus ad Patrem, lux quia illuminat omnem hominem, vocatur et veritas atque resurrectio, multisque aliis nominibus secundum quasdam proprietates: ita quoque Spiritus sanctus procedens a Patre simul et Filio, his septem nominibus proprie appellatur, sapientia scilicet, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor. Unde et septiformis gratiæ dicitur, propter mysterium septenarii numeri, in quo summa perfectio intelligitur. Est enim compositus ex ternario et quaternario. Habet namque in ternario significationem sanctæ Trinitatis, in quaternario Evangelii. Sive enim tres per quatuor, aut quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum consurgit, quem etiam constat esse perfectissimum, quia mysterium sanctæ Trinitatis et doctrina Evangelii per duodecim apostolos in quatuor mundi partes, orientem scilicet et occidentem, septentrionem ac meridiem derivata est. Sunt quoque quatuor mundi elementa, et quatuor orbis (ut dictum est) climata, totidemque anni tempora, quatuor etiam quibus Ecclesia subsistit habentur Evangelia. Possumus quoque ternarium numerum ad interiorem nostrum referre hominem, hoc est ad animam, quæ triplicis est naturæ. Est enim irascibilis, concupiscibilis, et rationabilis. In unaquaque

Digitized by Google

etiam rationali anima tria insunt, memoria, ingenium, et intellectus. Spiritum quoque sanctum super Dominum corporaliter requieturum, Isaias propheta cum de Christo prophetaret, prædixit: *Egredietur virga de radice Jesse*, Dominus videlicet Jesus de stirpe David: *et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI). Ipse enim spiritus requievit super Dominum Jesum Christum, quia in ejus corpore omnis plenitudo divinitatis plenissime habitavit, nequaquam per partes, ut in cæteris sanctis, quibus aliis datur sermo sapientiæ, aliis sermo scientiæ, aliis gratia virtutum, et cæteris quibus unicuique datur secundum mensuram fidei: sed plenarie requievit super eum, perpetua mansit habitatione. Quia igitur per septenarium numerum ipse Spiritus sanctus designatur, a quo et per quem omnis sanitas, omnis fortitudo atque universa dona spiritualia cunctis fidelibus largiuntur, recte septima hora diei filius reguli sanitati redditus ab evangelista refertur: quia quæcunque sanitas, sive in corpore sive in anima datur, eodem spiritu largiente tribuitur qui per eumdem septenarium numerum designatur. Bene ergo septima hora filius reguli sanatus est, quia tunc perfectam sanitatem totus homo consequitur, cum creatura Creatorem suum agnoverit, eique se digna humilitate ac servitute subdiderit. Hic enim est ordo rectissimus, ut anima Deo, corpus vero spiritui mancipetur. Idem quoque septenarius numerus donis septiformis Spiritus sacratus est, in quo et per quem vera hæc sanitas et remissio omnium peccatorum tribuitur. *Cognovit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.* In hoc eodem evangelista paulo superius legimus quod prædicante Domino in Samaria, ad vocem mulieris dicentis: *Venite et videte hominem qui mihi omnia dixit quæcunque feci* (*Joan.* IV), plurimi Samaritanorum absque ullius signi visione solo sermone in illum crediderunt. Ad istud autem tam magnum miraculum in Judæa patratum solus regulus cum domo sua credidit. Et hoc est quod Dominus supra dixerat: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* In quo etiam facto præfigurabatur quod paucitas Judæorum esset in Deum creditura, et multitudo gentium ad fidem ventura. Judæi nempe ipsum Filium Dei signa facientem viderunt, apostolos illius prædicatores et magistros habuerunt, et tamen pauci ex eis fidei jugo colla submiserunt, cæteris in infidelitate persistentibus. Proinde illis tormentis perpetuis ad infidelitatem condemnatis, nobis, si quod fide credimus, operibus exornemus, æterna beatitudo repromittitur, dicente nobis Salvatore: *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* XX). Perfecta namque Judæorum conversio circa finem sæculi implenda est, quando ad prædicationem Eliæ et Enoch convertentur corda patrum in filios, et corda filiorum ad patres eorum, et adimplebitur quod ait Apostolus:

A *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI). Et Isaias: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X). Et iterum: *In veritate convertentur in Christo Jesu.* Amen.

## HOMILIA CXCI.

### IN DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

(Ex Opp. beati Augustini.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis similitudinem hanc: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis,* etc. (*Matth.* XVIII.)

Hesterna die sanctum Evangelium monuit nos, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 514.

B (*Post verba*, et cæteri timeant, *explicit sermo apud sanctum Augustinum, pergit in Homiliario.*)

Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, Dominus docet de illo servo quem cum invenisset debitorem X millium talentorum, deprecanti autem omnia dimisit. Ille autem sui conservi qui ei debebat C denarios, cum misertus non fuisset, jussit eum dominus reddere quæ ei dimiserat. Tempus ergo quo accipitur indulgentia per baptismum, tanquam tempus est reddendæ rationis, ut omnia debita quæ inventa fuerint dimittantur. Non tamen ille servus qui postea dedit conservo suo mutuatam pecuniam quam ille non posset reddere, non ei misertus est, sed etiam ei debebat, et sic cesserat ut ei dimitteret dominus. C Hoc indicant verba conservi, dicentis: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Alioquin diceret, jam in hoc dimiseras, cur iterum repetis? Hoc et ipsius Domini verba manifestius aperiunt. Ait enim: *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei* C *denarios.* Non dixit, cui debitum jam C denariorum dimiserat. Si enim dimiserat, non ei debebat. Quia ergo dixit: *Debebat ei*, manifestum est quia non dimiserat. Et melius quidem fuerat, atque hoc potius congruebat tanto debitori reddenti rationem, et exspectanti misericordiam domini sui, ut prius ipse conservo dimitteret quod ei debebat, et sic ad rationem reddendam, ubi misericordia domini implenda erat, accederet. D Nec tamen illud quod nondum conservo dimiserat, impedivit dominum ejus quominus in tempore illo accipiendæ rationis dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit, quando quidem in caput ejus propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuo replicata sunt? Sic non impedimur a baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittar, etiam si odium fraternum in ejus cui dimittuntur, animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid superest solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante et in baptismo. Deinceps autem reus incipit continuo (?), nec solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. Et sæpe ista contingunt in Ecclesia.

Digitized by Google

## HOMILIA CXCII.

### IN EADEM DOMINICA.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*, etc. (*Matth.* XVIII.)

Salvator noster, dilectissimi, cum hominibus conversationem habens, non solum peccata vitare nos docuit, sed et qualiter a reatu peccatorum absolvi possemus, pio et quodam salubri consilio nos instruere curavit. Est autem consilium ejus hujusmodi, ut si volumus a debitis peccatorum nostrorum coram Deo absolvi, nos quoque offensores nostros a culpis quibus erga nos rei tenentur, absolvamus. Ad hæc autem non solum frequenti nostrorum exhortatione, sed et operis exsecutione nos invitare dignatus est. Verborum exhortatione, cum ait : *Dimittite, et dimittemini* (*Luc.* VI). Et rursum : *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversum aliquem* (*Marc.* XI). Et iterum : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra* (*Matth.* VI). Et cum interrogaretur a Petro, num usque septies dimittendum esset fratri, ait : *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Operis quoque exsecutione grande ac memorabile hujus rei nobis reliquit exemplum. Quid enim ait cum a crucifixoribus suis myrrha potaretur et felle, et sublevaretur in crucem ? *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Ita, fratres, Dominus Jesus Christus factus est nobis *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans* (*Deut.* XXXII). Parum illi visum est solis verbis nos provocasse ad volandum usque ad eam perfectionem qua diliguntur inimici et ignoscitur debitoribus, nisi et in seipso ejusdem rei nobis exemplum ostendisset, et quasi quodam sublimi volatu suo ad imitandum se nos invitasset. Certe homini sensato et lapideum cor non habenti solum hoc sufficere debebat exemplum, etsi omnis illa verborum exhortatio præmissa non fuisset. Et verbis quidem aliquando planis et manifestis ad hanc perfectionem nos invitat, sicut in præmissis patet exemplis. Aliquando vero et parabolicis, sicut in evangelio quod præ manibus nunc habemus. Dicit enim : *Simile est regnum cœlorum*, etc. Qui sunt cœli, et quod est regnum cœlorum, quod assimilatum est homini regi? Si, ut ait Scriptura, *anima justi sedes est Dei* (*Sap.* VII), consequens est ut animæ sanctorum cœli sint. Sed et angelici spiritus cœli dicuntur, quos ad laudem Dei invitat Psalmista, dicens : *Laudate eum cœli cœlorum* (*Psal.* CXLVIII). Regnum cœlorum, id est beatorum omnium, quid est nisi vita æterna ? Vita autem æterna Christus est, qui ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Ipse utique terra viventium, hæreditas sanctorum. Ipse paradisus voluptatis, locus spatiosus in quo statuitur pes fidelium. Ipse et rex et regnum sanctorum, in quo, cum quo et per quem regnant omnes electi. Regnum itaque cœlorum Christus est. Bene autem hoc regnum cœlorum comparatur homini regi, qui misericors esse perhibetur

A debitorem absolvendo, et justus ingratum puniendo, quoniam et Christus homo, et rex regum, et multum misericors misericordiam quærentibus, et judex durus ingratis. *Qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Tres sunt servi regis nostri, cum quibus rationem ponere habet de debitis suis. Unus est, qui nunquam a debito absolvi vel postulat vel meretur. Alter, qui ad tempus quidem absolvitur, sed ingratus efficitur. Tertius, qui et absolvitur, et gratus permanet. Servus qui nunquam a debito absolvitur, universus infidelium est populus, qui inæstimabili debito coram Creatore suo constrictus, absolutionem nec unquam meretur, nec unquam invenit, jamque a Deo judicatus est. Duo reliqui servi duo genera hominum sunt ad fidem Ecclesiæ venientium. Nam B cum electi et reprobi quotidie sacramenta ecclesiastica suscipiunt, simul cum illis in Ecclesiæ gremio nutriuntur, sed adversari illis et doloribus multis eos afficere non desinunt, et coarctat Esau Jacob in visceribus matris. Sunt ergo in Ecclesia servi duo, bonus et malus, electus et reprobus. Nam tertius ille de quo diximus, foris est. Et omnes quidem servi sunt summi regis, qui ad sibi serviendum seque laudandum omnes ad imaginem suam condidit, sed a servitio ejus duo recedunt, unus autem permanet. Sed quod est debitum quod debent singuli domino suo? Debiti nomine peccatum in Scripturis appellari ex hoc perpendimus quod dum docuisset Salvator sic nobis orandum esse : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), C statim post pauca subjecit : *Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet* vobis peccata *vestra*. Hoc autem debito omnis homo obligatus est Deo. Omnes enim in peccatis concipimur, et in peccatis nascimur, et in peccatis omni tempore vivimus. Ponit autem rationem cum servis suis Dominus, quando per ora prædicatorum, sive etiam per occultam inspirationem, culpas quorumlibet delinquentium redarguit, et satisfactionem de peccatis exigit. Audit servus ille infidelis, contemnit, induratur ad increpationem, veniam nec quærit, nec invenit, sed damnatur in infidelitate sua. Audit servus electus, compungitur, satisfacit, de peccatis absolvitur, et permanet gratus, *quia et* delinquentibus in se conservis suis libenter ignoscit. D Quid autem agat ille servus reprobus, qui quidem cum electis ad tempus in Ecclesia conversatur, audiamus ex verbis evangelicæ lectionis; is enim est de quo dicitur : *Oblatus est unus qui debebat decem millia talenta*. Debitor plurium talentorum est homo multorum criminalium peccatorum reus, qualia sunt adulterium, homicidium, sacrilegium, furtum, perjurium, rapina, aut etiam infidelitas et similia. Talenti autem nomine apte designantur quæ hujusmodi sunt, pro eo quod hæc gravissima sunt, sicut hoc genus ponderis inter cætera pondera quæ certis nuncupationibus distinguuntur, gravissimum est. Unde et in Zacharia propheta talenti nomine impietas designatur, cum dicitur : *Et vidi, et ecce talentum plumbi*

Digitized by Google

*portabatur, et projecit illud in medio amphoræ, et dixit: Hæc est impietas* (*Zach.* v). Sicut autem talenti diversæ sunt species, ita et ipsa crimina inter se differentia sunt. Et revera fortasse, quia nomine talenti peccata gravissima intelligi voluit, non adjecit ut diceret talenta auri aut argenti, quia nomina hæc pretiosarum rerum significativa sunt, ut pote virtutum atque scientiæ, sed simpliciter dicit, *decem millia talenta*. Mille vero talenta debere dicatur, qui quodlibet grande peccatum toties iteraverit, ut etiam in consuetudinem duxerit. Apte enim per millenarium, qui quartus est in ordine eorum numerorum a quibus inchoatur numerandi progressio, consuetudo peccati intelligi potest, quæ et ipsa in progressu peccatorum quartum obtinet locum. Sicut enim ab unitate usque ad decem per adjectionem unitatum, et a decem usque ad centum per adjectionem denariorum, et a centum usque ad mille per adjectionem centenariorum numerando progredimur, sic a delectatione peccati, quæ prima est, usque ad consensum; a consensu usque ad actum, ab actu usque ad consuetudinem progressio fit. Decies autem mille talenta debet qui cuncta decalogi mandata iniqua consuetudine violavit, jamque omnis justitiæ contemptor effectus est. Sicut enim post mille quintus inter limites numerorum est decem millia, ita post peccandi consuetudinem quintum obtinet locum contemptus, juxta illud quod alibi dicitur: *Impius cum venerit in profundum* vitiorum, *contemnit*. Quod si cui onerosa est expositio hæc, dicat simpliciter decem millia talenta debere eum qui multa criminalia peccata commisit, sitque, ut fieri solet, numerus finitus pro infinito positus. Sequitur: *Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus suus venundari*, etc. Peccator cum arguitur a Domino per os ministri sui, sive per propriam conscientiam, non habet unde reddat debitum dum adhuc ad correptionem cor obdurat, dum nec timore concutitur, nec salubri dolore compungitur, nec ad lacrymas usque succenditur. Jubet ergo Dominus ministris suis venundare eum qui ejusmodi est, cum uxore et filiis, ut debitum possit exsolvi. Juxta eum loquendi modum, quo vivificare dicuntur animas qui vivere eas pronuntiant: et mortificare qui mortuas esse testantur. Etiam venundare peccatorem non incongrue dici possunt ministri domini, qui eum post simplicem et blandam admonitionem, aspera invectione minis gehennæ perterreant, atque in potestatem Satanæ venundatum esse pronuntiant. Moneta quippe diaboli peccatum est, pro cujus brevi delectamento in manus illius se tradit homo cum peccat. Unde in persona peccatoris Apostolus loquens, ait: *Ego autem carnalis venundatus* sum *sub peccato* (*Rom.* VII). Et per prophetam peccatoribus dicitur: *Gratis venundati estis* (*Isa.* LII). Utique gratis, quia peccatum pro quo se vendit homo, nullius est pretii, et nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Uxorem quoque peccatoris una cum filiis venundari, est concupiscentiam ejus pravam atque opera iniquitatis quæ ex ipsa propagata sunt,

A pro æternis cruciatibus venundata, firmis assertionibus comprobare. Alium quoque venundationis modum in hoc loco possumus intueri. Jubet ecclesiastica regula eos qui manifestis criminibus detinentur, et correctionem non recipiunt, per excommunicationis sententiam a communione Ecclesiæ alienos fieri, et sic Satanæ tradi, ut spiritus salvus fiat per pœnitentiam. Nunquid enim non bona venditio quædam est, cum tradimus Satanæ peccatorem, ut recipiamus justum pœnitentem? Sic vendidit Apostolus fornicatorem, de quo ad Corinthios loquitur, dicens: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in* B *die Domini nostri Jesu Christi* (*I Cor.* v). Sed quasi alium virum pro eo recipit, quando emendatum communioni Ecclesiæ admisit, scribens pro eo Corinthiis ut consolarentur eum, et confirmarent illum in charitate (*II Cor.* II). Uxorem quoque obstinati peccatoris vendere jubemur, quia non solum secundum spiritualem, sed et secundum carnalem communionem a nobis alienandus est, ut et totus Satanæ deditus appareat, videlicet spiritu et carne. Uxoris quippe nomine caro solet intelligi. Hinc Apostolus ait: *Si is qui nominatur frater, est avarus, aut fornicator, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* v). Nonne ergo bene uxorem impii vendunt nonnulli C prælatorum, qui eisdem quos spirituali communione privaverunt, vel ab aliis privatos cognoverunt, alicujus familiaritatis causa carnaliter communicare non formidant? Filios similiter vendere, est eos qui consentiunt vel communicant excommunicatis eadem ferire sententia. Horrendus est uterque modus venditionis, et nonnunquam durissima corda etiam reproborum non mediocriter conturbat, ita ut iniquitate sua ad tempus dimissa, cum lacrymis humilientur coram ministris Domini, et satisfactionem quantumlibet asperam exhibeant: quod est procidere ante Dominum: de qualium numero est servus hic, de quo dicitur: *Procidens autem servus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me.* Ac si diceret: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque ira tua* D *corripias me* (*Psal.* VI). *Et omnia reddam tibi.* Quod est dicere: *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Ibid.*), hoc est, per singula peccata quibus iram merui, conscientiam meam emundare studebo. Sequitur: *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, ac omne debitum dimisit illi. Miserationes Domini super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV), quia non solum electis, sed et reprobis qui ad tempus credunt, sive ad tempus fructus pœnitentiæ exercent, per baptismum aut pœnitentiam peccata dimisit, sicut per prophetam promittit, dicens: Si dixero impio, *Morte morieris*, et conversus egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, omnia peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei (*Ezech.* III). *Egressus autem servus ille, invenit*

*unum ex conservis suis qui debebat ei centum denarios.* Omne debitum quo homo homini obligari potest, parvi ponderis est respectu ejus quo erga Deum reus tenetur, ac si decem millibus talentorum centum denarii comparentur. *Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens servus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiens misit eum in carcerem quousque redderet universum debitum.* In verbo suffocandi superba et tyrannica debiti exactio notatur, quæ fit cum vel per vim vel per asperas objurgationes debitor ita opprimitur, et quasi strangulatur, ut vix respondendi aut excusandi facultatem possit habere. In carcerem vero mittitur, dum coram judice statuitur, ac per districtam justitiam undique coarctatur, ut nullus evadendi locus relinquatur. *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant*, etc. Conservi nostri qui contristantur super iniquitate nostra, et Domino eam annuntiant, justi viri sunt, qui zelo justitiæ accensi, dum enormitates nostras corrigere non valent, ad Deum suspirant, et correctionem nostram illi committunt. Sed et angeli Dei conservi nostri dicuntur, qui semper vident faciem Patris, et omnia nostra intuentes, in conspectu Dei singula annuntiant. *Tunc vocavit eum dominus suus*, etc. Servus nequam de ingratitudine judicandus a Domino vocatur, et tortoribus traditur, cum de hac vita per mortem rapitur, et potestati pessimorum spirituum torquendus subjicitur. *Tradidit*, inquit, *eum tortoribus, quousque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Formidanda nimium et horrore plena sententia in hoc loco, fratres, nobis intimatur, videlicet quod si immisericordes exstiterimus erga debitores nostros, non solum ea peccata quæ post remissionem commisimus, sed et ea quæ vel per baptismum, sive per pœnitentiam nobis dimissa sunt, in nobis esse punienda. Unde quidam ex Patribus ait: « Qui divini oblitus beneficii, suas vult vindicare injurias, non solum de futuris peccatis veniam non meretur, sed etiam præterita quæ sibi dimissa credebat, ad vindictam replicabuntur. » Idem rursus ait: « Peccatum quod ex Adam trahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in æternum eis qui per gratiam renascuntur, si in ea permanserint. » Item alius: « Ex dictis Evangelii constat quia si quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur quod jam per pœnitentiam dimissum gaudebamus. » Alius quoque eadem affirmat, dicens: « Considerandum est quod dicit *universum debitum*, quia non solum peccata quæ post baptismum gerit homo, reputabuntur ei ad pœnam, sed etiam originalia peccata quæ in baptismo ei dimissa sunt. » Item ex verbis prophetæ eadem sententia confirmatur, cum dicitur: *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur* (*Ezech.* XVIII). Si enim omnes justitiæ quas fecit in oblivionem ducuntur, ergo et pœnitentia quam pro peccatis exhibuit in nihilum reputanda est. Restat igitur ad pœnam revocari peccata pro quibus pœnitentia exhibita fuerat, cum nihil jam sit quod illa excuset. Sed forte quærit aliquis quomodo peccatum quod imputatur peccatori ad pœnam, remissum fuit ei in baptismo ad pœnitentiam. Ad quod dicimus quoniam eo tempore in tali statu per gratiam Domini constitutus fuerat, in quo si permansisset nequaquam ei præterita peccata nocitura fuissent: quod utique fuit a peccatis esse solutum. Quid ergo, fratres, dicemus ad hoc? Horrenda plane et supra modum timenda est sententia quam audistis. Quid, obsecro, proderit nobis baptizatos esse, animas nostras sæpius afflixisse jejuniis, vigiliis et cæteris operibus pœnitentiæ, eleemosynas quoque pauperibus distribuisse, ut remissionem acciperemus peccatorum, si peccata nostra quæ his remediis jam nobis a Deo dimissa sunt, iterum pravitate nostra adversus nosmetipsos suscitamus? Quid prodest vulnerato plagam sanasse, si propria negligentia cicatricem corrumpat, ac denuo vulnus aperiatur? Plane juxta sermonem Domini, et Patrum assertiones, vulnera nostra a cœlesti medico jam sanata, videlicet peccata jam nobis dimissa, in nostram perniciem suscitamus, ita ut in futuro examine singula cruciatum suum nobis inferant, si odium erga debitores nostros gerimus, si veniam delictorum postulantibus obstinate et immisericorditer denegamus. Illud quoque attendendum quod non simpliciter, *si non dimiseritis*, sed *si non dimiseritis*, inquit, *in cordibus vestris*. Hoc quippe additamento simulatam reconciliationem exclusit, quæ fit cum quis importunitate rogantium evictus, odio in corde retento, pacem cum inimico simulat, opportunum tempus vindictæ exspectans. Restat ergo, charissimi, ut grande illud remedium peccatorum, quod tanta diligentia sæpius a Salvatore nobis commendatum est, et sine quo infructuosum nobis est quidquid pro obtinenda coram Deo venia delictorum agimus, solerter servare curemus. Supportemus cum omni mansuetudine injurias proximorum, simus ad ignoscendum debitoribus mansueti, ad miserendum misericordiam quærentibus parati, ut et nos in conspectu districti judicis nostri misericordiam invenire possimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, etc.

## HOMILIA CXCIII.

### IN DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

(Ex Opere Imperfecto in Matthæum, apud sanctum Chrysostomum, inter spuria.)

*In illo tempore, abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone*, etc. (*Matth.* XXII.)

Omnis malitia confunditur quidem aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, etc. *Reliqua vide Operum sancti Chrysostomi in editione nostra tomo VI, col.* 865.

Digitized by Google

## HOMILIA CXCIV.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex Herico Antissiodorensi monacho.)

*In illo tempore abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone*, etc. (*Matth.* XXII).

Luca referente evangelista manifestum est quia, pso Salvatore nato sub Cæsare Augusto, in toto orbe celebrata est descriptio, et inter omnes nationes totius orbis quæ Romano imperio subjectæ erant, Judæa quoque ejus stipendiaria facta fuerat. Quam ob causam magna seditio tunc temporis in populo fervebat. Quidam enim dignum esse judicabant ut quia Romani pro securitate et quiete omnium assidue militabant, censum eis deberent persolvere. At contra Pharisæi, qui sibi de falsa justitia applaudebant, nitebantur asserere quod populus Dei qui decimas solveret, primitiva daret et cætera legis decreta observaret, non deberet humanis legibus subdi. Quæ seditio intantum convaluit, ut post Domini passionem in hac ipsa pertinacia et rebellione Judæi perdurantes, Romanis sub hac occasione in vindictam necis Salvatoris venientibus, amitterent locum, gentem et regnum, vitam etiam præsentem perderent ac futuram : malueruntque hæc omnia cæcante avaritia perpeti, quam tributa Romanæ militiæ pendere. Quia ergo principes sacerdotum timore populi Dominum comprehendere non poterant, saltem ut in sermone eum caperent laborabant. Abierunt ergo *Pharisæi, et consilium* acceperunt. Quo abierunt? Utique ad Herodianos, qui erant milites Herodis, ac exigendis tributis præpositi. Nam Cæsar Augustus Herodem filium Antipatri, alienigenam et proselytum, regem Judæis constituerat, qui tributis præesset et Romano pareret imperio. Ergo ex eo quod non dicit evangelista, conciliati sunt, sed *consilium* acceperunt, et ex eo quod dicit, cum Herodianis pariter convenerunt, apparet quia cum illis hujuscemodi circumventionis consilium tractaverunt. Cogitabant enim apud se sacerdotes dicentes : Si nos soli euntes interrogaverimus Christum, quamvis dixerit quia non licet Cæsari dare tributum, tamen talia dicentibus nobis contra eum, nemo credet, quia omnes jam sciunt quod inimici ejus sumus. Inimicorum autem testimonium in judicio, etsi verum sit, tamen quasi suspectum reprobatur. Per seipsos ergo Jesum Christum interrogare nolebant, quia in magna suspicione inimicitiæ jam erant apud Christum, ne forte quasi suspecti circumvenire eum non possent. *Et mittunt ei discipulos suos*, qui, se justos simulantes, saltem in sermone eum caperent, et sic potestati præsidis traderent, ut velut ipsi a morte ejus immunes esse viderentur. Mittunt ergo discipulos suos ad illum quasi adhuc minime suspectos, ut aut facile eum deciperent, aut si vincerentur (sicut et contigit), illi qui eos miserant minus erubescerent. Nam consilio malo deprehenso tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. *Mittunt* igitur Pharisæi *discipulos suos cum Herodianis* militibus Herodis, seu quos illudentes Pharisæi (quia Romanis tributa solvebant) Herodianos vocabant, et non divino cultui

A deditos. Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Christum crederent, quod nusquam omnino legimus. Herodianos itaque (ut diximus) milites Herodis appellat, qui in exigendis tributis erant præpositi. Dicunt ergo : *Magister, scimus quia verax es.* Magistrum et veracem vocant, ut quasi homo eorum adulatione delectatus, secretum sui cordis eis simpliciter aperiat. *Scimus*, inquiunt, *quia verax es, et viam Dei*, id est legem Dei, *in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo*, id est, in proferenda veritate, nullius vel amicitiam, vel inimicitiam curas. Quare hoc dixerint, manifestant cum subdunt : *Non enim respicis personam hominum*, id est, nec propter pauperem, nec propter divitem veritate relicta mendacium loqueris. *Dic ergo nobis quid tibi*
B *videtur? Licet censum dare, an non?* Tanquam dicerent : Nos servi sumus summi Regis, legem ab eo accepimus, decimas, primitias, oblationes ac victimas, juxta legis mandata, ipsi offerimus, et ideo injustum est ut terrenis regibus serviamus. Hoc autem blanda et fraudulenta interrogatione dicentes, ad hoc illum perducere laborabant ut magis Deum quam Cæsarem timens, diceret non debere Romanis tributa solvi, quatenus hoc audientes Herodiani, id est, ministri præsidis qui præsentes erant, tenerent eum quasi seditionis principem contra Judæos. Si vero diceret tributum esse reddendum, tanquam destructorem legis illum calumniarentur. *Cognita autem Jesus nequitia illorum*, hoc est, considerans dolum et fraudes eorum, dixit : *Quid me tentatis, hypocritæ?* Attendendum quia non secundum sermones eorum fictos
C blande respondit, sed juxta conscientiam eorum crudelem aspera objecit, cogitationibus illorum non verbis respondens. Prima etenim virtus est respondentis interrogantium verba cognoscere, et non discipulos, sed tentatores vocare. Hypocrita ergo vocatur qui aliud est et aliud simulat, id est aliud opere agit, et aliud voce prætendit. Hypocritas autem idcirco eos nuncupat, ut audientes ex ore ejus quæ ipsi cogitabant in corde, considerarent eum humanorum cordium cognitorem tanquam omnipotentem Deum, et quod facere in illum cogitabant, perficere non auderent. Hypocritæ autem subaurati dicuntur. *Hypo* enim Græce sub, *chrysos* aurum dicitur. Merito ergo tentatores suos hypocritas nuncupat, qui aliud nitebantur opere, aliud simulabant voce. *Ostendite mihi*
D *numisma census.* Sapientia semper egit sapienter, ut suos tentatores propriis illorum sermonibus vinceret. *Ostendite*, inquit, *mihi numisma*, id est, inscriptionem denarii, vel, ut alii dicunt, monetam. Dictum autem est numisma a nomine quod inscribebatur denario. Est autem denarius genus nummi quod pro decem nummis imputabatur, et habebat nomen et imaginem Cæsaris. Et ait illis : *Cujus est imago hæc et superscriptio?* Ex hoc loco conjicere possunt veritatem, qui dicunt Dominum Jesum Christum causa ignorantiæ aliquando interrogasse Judæos, et non potius causa dispensationis. Interrogat enim cujus sit imago nummi, et superscriptio ejus, non quod ipse nesciat quod omnes scire poterant qui videbant denarium,



Digitized by Google

sed ideo ut ad sermonem eorum competenter respondere valeat. *Dicunt ei : Cæsaris*. In hoc loco Cæsar non Augustus Octavianus intelligendus est, sed Tiberius privignus ejus, qui successerat in imperio, sub quo et passus est Dominus. Sciendum vero est omnes reges Romanorum Cæsares esse appellatos, a primo Caio Julio Cæsare. Qui ideo sic appellatus est quod vel cæso utero matris in lucem eruperit, vel quod cum cæsarie capillorum fuerit natus. *Tunc ait eis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. Reddite Cæsari* quæ ejus sunt, id est, nummum, tributum et pecuniam; *et quæ Dei sunt, Deo*, id est, decimas et primitias, et cætera donaria, quæ legis decreto mandantur. Quod Dominus faciendum præcepit, ipse quoque opere implevit. Nam cum venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt : *Magister vester non solvit didrachma?* At ille *ait : Etiam. Et cum introisset* Petrus *domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* At ille ait : *Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii* (*Matth.* XVII). Ac si diceret : Si filii regum liberi sunt a tributo, ego qui sum filius regis æterni, atque de stirpe regis terreni generatus, a tributo liber esse deberem. *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus inveniens staterem : illum sumens, da eis pro me et pro te* (*Ibid.*). In quo loco dicit beatus Hieronymus ignorare se quid potissimum mirandum sit, utrum præscientia Salvatoris, an magnitudo ejus virtutis. Præscientia quidem, quod noverit piscem habere staterem in ore, et quod primum ipse capiendus esset. Magnitudo autem virtutis, si ad verbum illius statim stater in ore piscis creatus est, et quod futurum erat, loquendo fecerit. Ergo, ut ante dictum est, Dominus noster et secundum carnem et secundum spiritum ejus filius regis erat, vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis Verbum Patris. Tributa quasi regis filius non debebat, sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem justitiam. Nosque infelices, qui Christi censemur nomine, et nihil dignum facimus tanta majestate. Ille pro nobis et crucem sustinuit, tributa non reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus. Deo etiam reddidit Dominus Jesus quæ Dei sunt, quoniam in omnibus operibus suis voluntatem Patris adimplevit, juxta quod ipse loquitur : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* VI). Spiritualiter, sicut Cæsar exigit denarium a suis subjectis, in quo imago ejus exprimitur, ita Deus requiret a nobis animam lumine vultus sui insignitam. Unde Psalmista ait : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Quemadmodum enim denarius insignitur regis imagine, ita anima nostra divini luminis illustratur claritate. Homo namque ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, non in corpore, sed in spiritu, id est anima. Quod Paulus

A apostolus manifestat cum dicit : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV). Quibus verbis non in corpore, sed in spiritu, ad imaginem et similitudinem Dei homo creatus esse ostenditur. Creatus est ergo ad imaginem et similitudinem Dei in anima, ut sicut est Deus sanctus, justus et verus, discernitque inter bonum et malum, ita et ipse homo sanctus, justus verusque manens, discretionem æque boni malive retineat. Ad similitudinem nihilominus Dei factus est, ut sicut est Deus perpetuus et immortalis, ita esset etiam homo (nisi peccasset) immortalis atque æternus. Taliter ergo, ut diximus, ad similitudinem et imaginem Dei est homo conditus, non in corpore, sed in spiritu,
B ea distinctione servata, ut imago accipiatur in sanctitate, similitudo autem in æternitate. Studeamus ergo renovari *spiritu mentis nostræ, et induere novum hominem qui secundum Deum creatus est*, ut mereamur ei reddere denarium suum, hoc est, vitam nostram sanctam et immaculatam. Aliter Pharisæos et Herodianos, qui ad tentandum Dominum sunt missi, diversæ constat fuisse voluntatis. Alii enim ad reddere Cæsari, alii vero tantum Cæsari, omnia censebant esse reddenda. Proinde duo isti ordines tentatorum duo significant genera hæreticorum, quorum alterum docet tantummodo corpori obsequendum, et Cæsari, id est ventri, qui et in libro beati Job exactor vocatur, solummodo militandum. Alterum vero genus hæreticorum suadet corporis curam penitus omitten-
C dam, et animæ tantummodo profectibus invigilandum, nonnunquam etiam ipsi corpori causa animæ perniciem inferendam. Sed Dominus utrumque abnuens, regia via docet esse gradiendum, et corpori quidem subsidium non negandum : animæ vero profectui pro utilitate et tempore insinuat insistendum, discretione in omnibus conservata, quatenus et corpus subjacere valeat, et animus inedia corporis non tabescat. Item alio sensu Cæsarem intellige diabolum, qui semel in paradiso homini vilem personæ suæ nummum contulit, et quotidie ab eo hujus debiti reatum quærit. Cui tunc non sicut ille expetit, sed sicut utilitas nostra poscit, censum reddimus, cum perversa agere despicimus, cum peccatum quod ab eo suadente contraximus, digna pœnitentiæ satisfa-
D ctione purgamus, cum vitia deserimus, eisque cum suo auctore abrenuntiamus, ut, tali tributo reddito, liberi ac securi deinceps vivamus. Sed postquam ita diabolo quod ab illo accepimus reddimus, necesse est ut Deo omnipotenti quod ab illo sumpsimus intemeratum restituamus, animam videlicet nostram lumine vultus ejus insignitam et immaculatam, actionibus adornatam. Moneta enim Dei sumus, a qua sumus ejus decidimus, errore detritum est quod in nobis fuerat impressum. Quocirca solerter est studendum ut imaginem Dei quam peccando in nobis corrupimus, pœnitendo et digne vivendo reparare satagamus. Ipso adjuvante qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, etc.

Digitized by Google

## HOMILIA CXCV.

### IN DOMINICA XXV POST PENTECOSTEN.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. vi, num. 55.)

*In illo tempore loquente Jesu ad turbas, Ecce princeps unus accessit, et adoravit eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni et impone manum super eam, et vivet*, etc. (*Luc.* viii).

Reliquerat in Gerasenis synagogam Christus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1682.

## HOMILIA CXCVI.

### IN EADEM DOMINICA.

(Ex ven. Bedæ presbyteri in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. iii.)

*In illo tempore loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adoravit eum, dicens*, etc. (*Luc.* viii.)

*Ecce vir venit cui nomen erat Jairus, et ipse princeps synagogæ erat.* Priori lectioni quam de abjectione Synagogæ, fideque Ecclesiæ, atque iterum instauratione Synagogæ sumus interpretati, consequenter archisynagogi filia moriens subjungitur, etc. *Reliqua vide apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 411.

## HOMILIA CXCVII.

### IN DOMINICA XXVI POST PENTECOSTEN.

(Ex beato Augustino [?].)

*In illo tempore cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi, etc.?* (*Joan.* vi).

Miracula quæ fecit Dominus noster Jesus Christus sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia quæ videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam quæ faceret opportuno tempore, præter usitatum ordinem cursumque naturæ, non ut majora, sed insolita videndo, stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, et tamen hæc nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem, et purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cupe-

A remus, quem de rebus visibilibus invisibiliter nosceremus. Nec tamen sufficit hæc intueri miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula quid nobis loquantur de Christo. Habent enim, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi Verbum nobis est. Hoc ergo miraculum sicut audivimus quam magnum sit, quæramus etiam quam profundum sit. Non tantum ejus superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus hoc quod miramur foris. Vidimus, exspectavimus magnum quiddam, præclarum quiddam et omnino divinum, quod fieri nisi a Domino non possit, laudavimus de facto factorem. Sed quemadmodum si litteras pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare B scriptoris articulum, quomodo eas pariles, æquales, decorasque fecerit, nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit: ita factum hoc qui tantum aspicit, delectatur pulchritudine facti, ut admiretur artificem. Qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter videntur litteræ. Picturam cum videris, hoc est, totum vidisse, laudasse; litteras cum videris, non est hoc totum, quoniam commoneris et legere. Etenim dicis cum videris litteras, si forte non eas nosti legere. Quid putamus esse quod hic scriptum est? Interrogas quid sit, cum jam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, a quo quæris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videtis? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides et C laudas, ille videt, laudat, legit et intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus et intelligamus. *Dominus in monte.* Multo magis intelligamus, quia *Dominus in monte*, verbum est in alto. Proinde non quasi humiliter jacet quod in monte factum est, nec transeunter prætereundum, sed suspiciendum. Turbas vidit, esurientes agnovit, misericorditer pavit, non solum pro bonitate, verum etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, ubi non erat panis unde turba esuriens pasceretur? Nisi bonitati adesset potestas, jejuna illa turba remaneret, et esuriens. Denique et discipuli qui erant cum Domino in fame, et ipsi turbas volebant pascere, ut non remanerent inanes, sed unde pascerent non habebant. Interrogavit Dominus unde emerentur panes D ad turbas pascendas. Et ait Scriptura: *Hoc autem dicebat tentans eum*, discipulum scilicet Philippum quem interrogaverat. *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Cur ergo de bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat? et forte in demonstratione ignorantiæ discipuli aliquid significavit. Apparebit ergo cum ipsum sacramentum de quinque panibus nobis cœperit loqui, et quid significet indicare. Ibi enim videbimus quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogando quod sciebat ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus. Aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille sciat quem interrogamus. Utrumque hoc noverat

Digitized by Google

[A] Dominus : et quod interrogabat sciebat, et quid esset facturus ipse noverat, et hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecerit, ut dixi, postea intelligemus. *Andreas ait : Est hic puer quidam qui habet quinque panes et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Cum dixisset Philippus interrogatus, ducentorum denariorum panes non sufficere quibus tanta illa turba reficeretur, erat ibi quidam puer portans quinque panes hordeaceos et duos pisces. *Et ait Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem ibi multum fenum, et discubuerunt fere quinque millia hominum.* Accepit autem Dominus Jesus panes, gratias egit, jussit frangi, fracti sunt panes, positi ante discumbentes, non jam quinque panes, sed quod adjecerat qui creaverat [B] quod auctum erat : *Et de piscibus quantum sufficiebat.* Parum est turbam illam fuisse satiatam, etiam fragmenta resederunt, et etiam ipsa colligi jussa sunt ne perirent. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Breviter ut curramus, per quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi, merito non triticei, sed hordeacei, quia ad Vetus Testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum ut ad medullam ejus vix perveniatur : vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, et ipsa palea tenax et inhærens, ut cum labore exuatur. Talis est littera Veteris Testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum. Sed si ad ejus medullam perveniatur, pascit et satiat. Ferebat ergo quidam puer quinque panes [C] et duos pisces. Si quæramus quis fuerit puer iste, forte populus Israel erat, qui sensu puerili portabat, nec manducabat. Illa enim quæ portabat, clausa onerabant, et aperta pascebant. Duo autem pisces videntur nobis significare illas duas in Veteri Testamento sublimes personas, quæ ungebantur ad populum sacrificandum et regendum, sacerdotes et reges. Et ipse in mysterio venit aliquando, qui per illas significabatur. Venit aliquando, qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam vero hordei occultabatur; venit ipse unus utramque personam in se portans, sacerdotis et regis. Sacerdotis, per victimam quam seipsum obtulit pro nobis Deo. Regis, quia regimur ab eo, et aperiuntur quæ clausa portabantur. Gratias illi : implevit per se quod per Vetus Testamentum promittebatur. Et fracti sunt panes, [D] frangendo multiplicati sunt. Nihil verius. Quinque enim libri Moysi, quam multos libros cum exponuntur tanquam frangendo, id est disserendo, fecerunt. Sed quia in illo hordeo ignorantia primi populi tegebatur, de quo primo populo dictum est : *Quandiu legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est* (*II Cor.* III). Nondum enim velamen ablatum erat, quia nondum venerat Christus, nondum velum templi fuerat illo in cruce pendente conscissum. Quia ergo ignorantia populi erat in lege, propterea tentatio illa Domini ignorantiam discipuli demonstrabat. Nihil ergo vacat. Omnia eminent, sed intellectorem requirunt. Nam et ipse numerus pasti populi populum significabat sub lege constitutum. Cur enim quinque millia erant, nisi quia sub lege erant, quæ lex quinque libris Moysi explicatur? Unde de quinque illis porticibus languidi prodebantur, non sanabantur. Ille enim ibi curavit languidum, qui et hic turbas de quinque panibus pavit. Nam et super fenum discumbebant. Carnaliter ergo sapiebant, et in carnalibus quiescebant. *Omnis enim caro fenum* (*Isa.* XL). Quæ sunt autem illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi ut secretiora intelligentiæ, quæ non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt et alios docere, sicut erant apostoli? Unde duodecim cophini impleti sunt. Factum est hoc et mirabiliter, quia magnum; factum est et utiliter, quia spiritualiter factum est. Qui tunc viderunt, admirati sunt : nos enim nunc miramur cum audimus. Factum est autem ut illi viderent, scriptum est autem ut nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides. Cernimus quippe animo quod oculis non potuimus, et prælati illis sumus, quoniam de nobis dictum est, *Beati qui non vident, et credunt* (*Joan.* XX). Addo autem quia forte et intelleximus quod illa turba non intellexerit, et vere nos pasti sumus, qui ad medullam hordei pervenire potuimus. Denique homines illi qui viderunt hoc, quid putaverunt? *Illi*, inquit, *homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est vere propheta.* Forte adhuc ideo prophetam Christum putabant quia super fenum discumbebant. Erat autem ille Dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed et propheta. Nam et Moysi dictum est : *Suscitabo eis prophetam similem tui* (*Deut.* XVIII). Similem secundum carnem, non secundum majestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, aperte in Actibus apostolorum exponitur et legitur (*Act.* VII). Et ipse Dominus de se ait : *Non est propheta sine honore nisi in patria sua* (*Marc.* VI). Propheta Dominus, et verbum Dei Dominus, et nullus propheta sine verbo Dei prophetat. Cum prophetis Verbum Dei, et propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora prophetas afflatos et impletos Verbo Dei. Meruimus nos prophetam ipsum Verbum Dei. Sic autem propheta Christus Dominus prophetarum, sicut angelus Christus Dominus angelorum. Nam et ipse dictus est *magni consilii angelus* (*Isa.* IX). Verumtamen alibi quid dicit propheta? Quia non legatus neque angelus, sed ipse veniens salvos faciet eos, id est, ad salvos faciendos eos non mittet legatum, non mittet angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse angelus. Certe non per angelum, nisi quia iste sic angelus, ut etiam Dominus sit angelorum. Etenim angeli nuntii sunt Latine. Si Christus nihil annuntiaret, angelus non diceretur. Christus si nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, et ad capessendam vitam æternam. Aliquid præsens annuntiavit, aliquid futurum præ-

Digitized by Google

dixit. Ex eo quod præsens annuntiavit, angelus erat. A
Ex eo quod futurum prædixit, propheta erat. Ex eo quod Verbum Dei caro factum est, et angelorum et prophetarum Dominus erat. Tu autem, Domine.

### HOMILIA CXCVIII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Quotiescunque, fratres charissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2166.

### HOMILIA CXCIX.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS CONSECRATIONE.

(Ex eodem.)

Recte festa Ecclesiæ colunt qui se Ecclesiæ filios esse cognoscunt, etc. *Reliqua vide tomo ut supra,* B
*col.* 2171.

### HOMILIA CC.

IN DEDICATIONE ALTARIUM.

(Ex Opp. venerabilis Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Non est arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum,* etc. (*Luc.* VI).

Quia, propitia Divinitate, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud venerabilem Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 433.

### HOMILIA CCI.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore facta sunt encænia in Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis,* etc. (*Joan.* X).

Audivimus ex lectione evangelica, fratres charissimi, quia facta sunt encænia in Hierosolymis, etc *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V Patrologiæ XCIV, col.* 243.

### HOMILIA CCII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

(Ex eodem.)

*In illo tempore, ingressus Jesus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse dives,* etc. (*Luc.* XIX).

*Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (*Luc.* XVIII). Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina, per foramen acus transit, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 439.

---

# INCIPIUNT HOMILIÆ DE SANCTIS.

### HOMILIA PRIMA.

IN VIGILIA SANCTI ANDREÆ APOSTOLI. C

*In illo tempore stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dixit : Ecce Agnus Dei,* etc. (*Joan.* I).

Tanta ac talis est divinæ Scripturæ sublimitas, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 256.

### HOMILIA II.

IN DIE SANCTI ANDREÆ.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore, ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare,* etc. (*Matth.* IV).

Audistis, fratres charissimi, quia ad unius jussionis vocem Petrus et Andreas, etc. *Reliqua vide apud* D
*sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1093.

### HOMILIA III.

DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Augustini episcopi.)

Mirum quibusdam videtur, charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 442.

### HOMILIA IV.

IN OCTAVA SANCTI ANDREÆ.

*In illo tempore ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare,* etc. (*Matth.* IV)

Cunctis notissimum est quod mare Galilææ propter diversa loca sibi adjacentia diversis etiam appellationibus nuncupatur. Hoc ergo mare, sive stagnum, quia delectabiles aquas habebat ad bibendum, et copia piscium redundabat, ideo multitudinem incolarum circa se continebat. Quod Dominus idcirco frequenter transnavigabat, sicut in Evangelio legimus, ut populis circum jacentibus miracula sua ostenderet, atque verbo suæ prædicationis eos ad viam salutis invitaret. Secus hoc mare ergo Redemptor noster ambulans, vidit duos fratres piscatores mittentes retia in mare. Sed merito quæritur cur ad Novi Testamenti gratiam in mundo prædicandam, non filii regum, non scribæ primo vocantur, sed piscatores eliguntur. Nimirum ideo quia quæ infirma sunt apud homines, fortia sunt apud Deum. Piscatores enim vocantur et non nobiles, ne potentes sæculi istius superbirent, et dicerent quia Christus fidem suam non nisi per illos inducere mundo potuerit. Illitterati ad prædicandum mittuntur, ut materia superbiendi hujus sæculi sapientibus amputetur, dum vident Evangelium non per eloquentes, sed per simplices prædicatores usque ad fines terræ dilatatum. Bini autem ideo vocantur, quia geminam dilectionem prædicaturi, geminum etiam Testamentum mundo erant tradituri. Spiritualiter vero, quod ambulans Dominus secus mare Galilææ, vidit Petrum et Andream retia mittentes, significat quia incarnatus Dei Filius in mari istius mundi spirituales piscatores vidit, quos ante mundi constitutionem ad opus prædicationis aptos esse præscivit. *Et ait illis* .

*Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Congrue piscatores piscium præmittuntur esse futuri piscatores hominum, ut artis similitudine delectati, discipulatui Salvatoris libentius colla submitterent. *At illi, relictis retibus, secuti sunt eum.* Forsitan dicat aliquis, Quid vel quantum isti dimiserunt qui pene nihil habuerunt? Sed pensandum est quod multum reliquerunt, qui voluntatem habendi deseruerunt. Multum dimiserunt qui omnia quæ habebant vel habere poterant aut concupiscere, dimiserunt. Si enim habuissent magnas divitias et latas possessiones istius sæculi, omnia pro Christi amore reliquissent, sicut navim et retia reliquerunt. Tanta enim ab apostolis Dominum sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. Affectus ergo illorum magis pensandus est quam substantia. Arguit sane Porphyrius et Julianus Augustus atque apostata, vel imperitiam historicæ mentis, vel stultitiam apostolorum, qui ad primam jussionis vocem secuti sunt Salvatorem, tanquam hominem irrationabiliter vocantem, cum scriptum sit: *Ne sis facilis ad credendum* (*Eccli.* VI). Sed si Dominus hujusmodi creaturas condidit, quæ alias ad se attrahere prævaleant creaturas: verbi gratia, sicut in magnete et succinis cernimus, quibus tanta vis inesse dignoscitur atque potentia, ut ferrum vel stipulam ad se attrahant et sibi cohærere faciant, multo magis ipse omnium creaturarum conditor ad se sequendum attrahere poterat quos volebat. Ut enim beato Hieronymo referente compertum habetur, tantus splendor et majestas occultæ divinitatis in humana facie Christi relucebat, ut ex primo suo aspectu ad se venientes facillime attraheret. *Et recedens inde, vidit alios duos fratres, et ecce secuti sunt eum.* Hos apostolos vidit Dominus, quemadmodum et superiores, hoc est, misertus est eorum. Videre enim illius, misereri est. Vocavit illos, vocavit et istos. Illuminavit illos mente, illuminavit istos corde. Dimiserunt et isti omnia, sicut et illi. Secuti sunt Dominum, quemadmodum et illi. Sed quæri potest quomodo primum duos vocaverit, Petrum et Andream, et post paululum alios duos, Jacobum et Joannem, sicut Matthæus et Marcus narrant, cum Lucas dicat Petri socios fuisse filios Zebedæi, et impletis naviculis multitudine piscium, ad extrahenda retia ab eodem Petro fuisse vocatos. Ubi etiam cum dixisset Dominus Petro, *Ex hoc jam eris homines capiens* (*Luc.* V), et ibidem scribitur, ad terram subductis navibus Dominum pariter eos fuisse secutos. Sed intelligendum est hoc quidem primum factum esse quod Lucas narrat, nec tunc eos Dominum vocasse ut sequerentur, sed tantum Petro prædixisse quod homines esset capturus, et postea, sicut Matthæus describit, binos et binos eos vocasse ut sequerentur. Sciendum præterea, ut Joannes evangelista refert, quod Andreas adhuc discipulus Joannis Baptistæ, ipsum de Christo Joannem audivit dicentem: *Ecce agnus Dei* (*Joan.* I). Qua illico exhortatus sententia, voluntate propria simul cum illo Joannis discipulo (cujus nomen tacet Scriptura) secu-

A tus est Dominum, apud quem, ut idem evangelista narrat, uno manentes die, protinus ad prædictum magistrum suum, videlicet Joannem revertuntur Baptistam, ejusque magisterio inserviunt, quousque idem Andreas a Domino postmodum, sicut Matthæus in hoc describit evangelio, simul cum Petro ad discipulatum vocatus est. Et notandum quod isti discipuli Dominum secuturi, reliquisse dicuntur retia et patrem suum. Zebedæus namque interpretatur fugitivus, et significat ipsum diabolum. Retia autem implicamenta hujus mundi significant. Quisquis ergo Dominum fideliter sequi cupit, necesse est ut primo ab impedimentis humanarum rerum, a curis videlicet vitæ præsentis pedem excutiat, et sic diabolum tota virtute fugere satagat. Allegorice quatuor discipuli a B Domino de mari vocati, duos significant populos, de sollicitudinibus et inquiete hujus sæculi ad soliditatem spiritualis studii per gratiam Dei vocatos. Nam Simon Petrus, qui interpretatur obediens, sive agnoscens, et Jacobus, qui supplantator dicitur, populum Judaicum significant, qui prior per legislationem Creatorem suum agnoscens, obedire præceptis ejus promisit, dicens per Moysen: Omnia quæ locutus est nobis Dominus, faciemus, et erimus obedientes (*Exod.* XXIV). Qui etiam gentilem populum supplantavit, idola contemnendo et Deum colendo. Andreas vero, qui virilis dicitur, et Joannes, qui gratia Dei interpretatur, gentilem populum designant, qui postquam ad fidem pervenit, in præceptis Dei viriliter ambulare studuit: et quidquid boni egit, non suis meriC tis, sed totum gratiæ Salvatoris attribuit. Moraliter quoque quatuor nomina ista in se unusquisque fidelium valet recognoscere, si illorum interpretationes in quatuor principalibus virtutibus studuerit observare. Est enim unusquisque fidelis Simon Petrus, cum per prudentiam agnoscit propria peccata, et, his deletis, mandatis divinis fortem exhibet obedientiam. Est Andreas, cum viriliter per temperantiam sustinet tentationes sibi illatas. Jacobus quoque non indebite dicitur, si per fortitudinem vitia supplantare probatur. Convenienter etiam Joannes nominari potest, si per justitiam mandata Creatoris adimplens, nil sibi deputat, sed cuncta bonorum omnium largitori assignat. Quisquis ergo ad patriam cœlestem venire desiderat, studeat necesse est cum Simone D Petro, qui interpretatur agnoscens sive obediens, præceptis obedire divinis, et propria recognoscere peccata, dicens cum propheta: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco* (*Psal.* L). Curet etiam cum Andrea virili tentationibus diaboli viriliter resistere, et cum Jacobo supplantatore omni fortitudine vitia supplantare. Satagat quoque de bonis suis actibus, bonorum omnium largitori actiones gratiarum cum Joanne, qui interpretatur gratia Dei, rependere, ut bonum quod agit non sibi, sed Deo, per omnia deputans, ab ipso in futuro remunerari mereatur, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De sancto Nicolao, quære in Communi.

Digitized by Google

De Conceptione beatæ Mariæ, quære in nativitate ejusdem.

De sancto Thoma apostolo, quære in Communi.

De sancto Antonio, quære in communi.

## HOMILIA V.

### IN NATALI SANCTÆ AGNETIS.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Cum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas innectat, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 643.

(*Post verba*, gaudia non neganda, *quæ in edit. sancti Maximi sermonem concludunt, additur in Homiliario*): Itaque o splendida Christo, et pulchra Dei Filio, et omnibus angelis et archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, ut nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum Patre, etc.

## HOMILIA VI.

### IN CONVERSIONE SANCTI PAULI.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Hodie, dilectissimi, nobis lectio de Actibus apostolorum, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 1268 *et* 1275.

## HOMILIA VII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex beati Hieronymi in Evangelium Matthæi commentario, lib. III.)

*In illo tempore respondens Simon Petrus, dixit ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* etc. (*Matth.* XIX).

Grandis fiducia, Petrus piscator erat, etc. *Reliqua vide apud sanctum Hieronymum, Operum ejus tomo VII, Patrologiæ XXVI, col.* 138.

## HOMILIA VIII.

### IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Hodiernus dies, fratres charissimi, magnum nobis contulit gaudium, in quo Christus infans in templo est præsentatus. Exsultent virgines, virgo peperit Christum. Nihil in ea quod voverunt potent exterminatum, mansit virgo post partum. Exsultent viduæ, infantem Christum vidua Anna cognovit. Exsultent conjugatæ, nasciturum Christum Dominum Elizabeth nupta prophetavit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Nunquid enim solæ virgines ad cœlorum regna perveniunt? Perveniunt et viduæ. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna. A virginitate enim sua septem annis vixerat cum viro suo. Quo defuncto, usque ad senilem ætatem pervenerat senectute sancta. Octoginta namque gerens annos, infantiam exspectabat Salvatoris, ut parvum videret annosa, parvum cognosceret anicula, intrantem in mundum Salvatorem videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Dominus Christus natus puer est in templo præsentatus, exsultent pueri, continentiam voventes puero. Ipse vero integritatem pueritiæ consecravit, qui suæ matri fecun-

A ditatem attulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diu vixerat, cujus ætas comparata est Annæ, et audierat responsum quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Domini. Intelligite, fratres, quantum desiderium habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant ipsum esse venturum, et omnes qui pie vivebant, dicebant: O si hic me inveniat illa nativitas! O si quod credo in Scripturis Dei, videam oculis meis! Et ut noveritis quantum desiderium habebant sancti qui noverant de Scripturis Virginem parituram, sicut audistis cum Isaias legeretur, *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII). Emmanuel quid sit Evangelium nobis aperuit, dicens: *Quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Matth.* I).

B Non tibi ergo sit incredibile, quæcunque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, ut virgo pareret, et virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum, et non miraberis virginis partum. Ut ergo noveritis antiquos sanctos et justos desiderasse videre quod concessum est huic seni Simeoni, Dominus noster Jesus Christus ad discipulos loquens, ait: *Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.* Multum senex iste Simeon fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Non exspectavit ut Christum audiret loquentem, quoniam vidit infantem. Et hoc illi tantum concessum erat jam decrepito, quasi desideranti et suspiranti, et di-

C centi quotidie in orationibus suis: Quando veniet? Quando nascetur? Putas videbo? Putas durabo? Putas me hic inveniat illa nativitas? Putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, et pro desiderio suo accepit responsum, quod non gustaret mortem nisi prius videret Christum Domini. Gestabat eum Maria mater ejus infantem, vidit ille et agnovit. Ubi noverat quod agnovit? Intus est revelatus, qui foris est natus, vidit et agnovit. Agnovit Simeon infantem jacentem, et occiderunt Judæi juvenem miracula facientem. Cum ergo cognovisset, accepit eum in ulnas suas, hoc est, in brachia sua, et amplexus est eum, portabat a quo portabatur. Ipse enim est Christus sapientia Dei, *attingens a fine usque ad*

D *finem fortiter, et disponens omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Quantus ibi erat et quam magnus, et quam parvus fuerat factus. Parvus factus, parvos quærebat. Quid est parvos quærebat? Non superbos et elatos, sed humiles et mites quærebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, et dixit: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace* (*Luc.* II). *Dimittis in pace*, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? *Quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Ibid.*). Salutare Dei Christus Dominus. Annuntiate diem ex die, salutare ejus. Habetis ergo pueri puerum Christum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, ut de conjugatis aliquis vir testimonium Domini perhibeat, Zachariam considerate. Nemo ergo quæ-

Digitized by Google

est aliud fratres mei Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut conjugata, aut vir, aut continens, aut uxoratus, quidquid plus esse quisque voluerit, non inveniet quod ad Christum pertineat. Sed nunquid sicut natus est Christus, sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit, sed in senectutem non declinavit. Crescat ergo fides tua, robur inveniat, ad senectutem pervenisse nesciat. Sic pertinebis ad Christum Filium Dei *in principio Verbum*, *Verbum apud Deum*, *Verbum Deum*, *sed Verbum caro factum*, *ut habitaret in nobis*. Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. Simeon in manus suas infirmitatem accepit, sed majestatem intus agnovit. Nemo contemnat Christum natum, et infantem in templo præsentatum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, de quo Joannes in Evangelio dicit: *Hic est Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I), Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA IX.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore, postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini*, etc. (*Luc.* II).

Solemnitatem nobis hodiernæ celebritatis, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 79.

## HOMILIA X.

### IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Institutio festivitatis hodiernæ, a senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo ecclesiæ per orbem sedis illius natalem colunt, quam apostolus pro earum salute suscepit, dicente Domino: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Super hanc (inquit) petram, id est, super Dominum Salvatorem, qui fideli confessori suo participium sui nominis donavit. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Portæ inferi tormenta et blandimenta sunt persecutorum, quæ a stabilitate fidei aliquos deterrendo, introitum æternæ mortis aperiunt. Multæ itaque sunt portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ quæ supra petram fundata est, prævalet. Merito itaque cunctis Ecclesiis honorandus, qui caput Ecclesiæ, et qui firmissimæ petræ soliditatem secutus, inimicos Christi auctoritate sancti Spiritus confudit, et infatigatæ patientiæ fortitudine triumphavit, nec inferni (ut dictum est) porta adversus eum prævaluit, qui sibi portæ æternalis ingressum, regem gloriæ confessus aperuit. Aut quomodo ei non pateret porta illa vitalis, qui plenitudine sancti Spiritus repletus, in Patre Filioque Dei inscrutabile unicæ majestatis asseruit sacramentum, edocens et ostendens quæ esset in uno eodemque Filio Dei et susceptæ carnis ratio, et naturalis privilegium deitatis? Audierat profecto Salvatorem ipsum dixisse, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); et, *Qui me videt, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV). Hæc illum confessio et honorabilem terris et cœlo reddidit gloriosum. Petrum itaque (ut diximus) fundamentum Ecclesiæ nominavit Dominus, et ideo digne hoc fundamentum generalis Ecclesia colit, supra quod ædificii sui celsitudo consurgit. Unde convenienter Psalmista dicit: *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum* (*Psal.* CVI). Dignum ergo est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honoratur per quod ad cœlum conscenditur. Quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur, sacerdotale officium honoratur. Quæ etiam tanto necesse est plus habeat in Ecclesia dignitatis, quanto sacerdotale officium plus honoris. Dies ergo hæc a nobis, fratres charissimi, merito honoratur, quia dum natalem Cathedræ colimus, episcopatum etiam Petri apostoli veneramur. Tamen cum frequenter intra Quadragesimæ dies evenerit, facere eam nobis debet sanctorum dierum reverentia gratiorem. Et bene natalem Cathedræ inter ipsa jejuniorum initia nobis Deus præstitit, ut dies quæ erat prius intemperantiæ, nunc sit sobrietatis; quæ erat gulæ, sit abstinentiæ; quæ erat peccati, sit sanctitatis. Hujus autem solemnii religio sic Ecclesiis introducta est: Cum enim pertransiret apostolus disseminans verbum vitæ, et jaciens fundamentum Ecclesiæ, cum appropinquaret Antiochiæ, cœpit per Niciam [Nicetam] et Aquilam tota civitas audire quia Petrus adventaret. Omnis autem populus Antiochiæ civitatis audientes Petrum advenire Antiochiam, occurrerunt ei, et pene omnes majores natu ac nobiles cineres sparserunt in capite, cilicio induti sunt, nudis pedibus pœnitentiam agentes, qui contra prædicationem ejus cum Simone Mago consensissent. Hæc et his similia prosequentes, offerunt ei vexatos languoribus et fatigatos dæmoniis, paralyticos quoque et diversa pericula patientes, et erat infinita multitudo simul languentium. Quos videns Petrus non solum pœnitentiam agere de his quæ de Deo male sensissent per Simonem, verum etiam tam integram fidem exhibere Deo, ut omnes diversas ægritudines patientes, crederent per eum posse salvari, expandit manus suas ad cœlum, et cum lacrymis orationem effundens, gratiasque referens Deo, dicebat: Benedico te, Pater prædicande, qui omne verbum et promissum Filii tui adimplere dignaris, ut agnoscat omnis creatura quia tu solus es Deus in cœlo et in terra. Hæc et his similia dicens, ascendit in eminentiorem locum, et jussit ante se poni omnium ægrotantium multitudinem, quos omnes hac voce alloquitur: Similem vobis hominem me esse videntes, nolite putare quod a me possitis recuperare salutem, sed per eum qui de cœlo descendens, ostendit sibi credentibus integram animæ et corporis medicinam; unde vestra fides testem habeat hunc omnem populum, quia ex toto corde creditis in Dominum Jesum Christum, ut sciant etiam

Digitized by Google

semetipsos ab ipso posse salvari. Cumque omnis A multitudo infirmantium una voce clamaret hunc verum Deum quem Petrus annuntiat, subito immensum lumen gratiæ Dei in medio plebis apparuit, et cœperunt paralytici currere ad pedes Petri sani, cæci recepto visu clamare, claudi restaurato gressu gratias agere, languentes recepta sanitate gaudere, nonnulli etiam solo flatu viventes, jam sine sensu et sine voce, recuperati sunt, omnes quoque lunatici et dæmoniis pleni liberati sunt. Tantam itaque Spiritus sanctus in illa die gratiæ suæ virtutem ostendit, ut omnes a minimo usque ad maximum una voce confiterentur Deum. Et intra septem dies plusquam x millia hominum credentes Deo, baptizati sunt, et sanctificatione consecrati, ita ut omni aviditatis desiderio Theophilus, qui erat cunctis potentibus in B civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecraret. In qua basilica Petro apostolo ab omni populo constituta est cathedra, et omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum illuc conveniens, credebat sanæ doctrinæ, quæ omnium est efficacia sanitatum. Tunc accedens Faustinus, procidit ad pedes Petri, dicens: Semina verbi tui quæ ager mentis meæ accepit, jam nata sunt, atque ad fecundam maturitatem provecta: repone me in horreo Dominico, faciens me mensæ divinæ participem. Tunc Petrus cum omni alacritate apprehendens manum ejus, tradidit eum Clementi et fratribus suis, dicens: Sicut patri filios restituit Deus, ita te Patrem filii restituunt Deo. Indixit autem jejunium omni plebi, et veniente die Dominica baptizavit eum, C atque in medio populi ex conversione ejus sumens materiam, omnes causas ejus exposuit, ita ut omnis civitas quasi angelum aspiceret, et non minorem ei gratiam quam apostolo exhiberet. Postera autem die Petrus populum convenire jubet, et uno ex his qui eum sequebantur ordinato episcopo, aliis etiam presbyteris, baptizatis quoque plurimis, et omnibus qui erant vexati dæmonibus vel languoribus, sanitati redditis, demoratus est ibi aliud triduum, cunctisque rite compositis, et Ecclesiam Christi constituens, et valedicens eis, Laodiceam proficiscitur multum desiderabilis. Post hæc autem Petrus Romam veniens, multas turbas populorum ad fidem Domini nostri Jesu Christi sua prædicatione convertit, cui est gloria et D honor in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XI.

### IN EODEM FESTO.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?* etc. (*Matth.* xvi).

Lectio sancti Evangelii, quam modo, fratres, audistis, tanto intentius cogitanda ac sine oblivione est jugiter retinenda, quanto constat quia magnam nobis fidei perfectionem commendat, magnum ejusdem perfectæ fidei contra omnia tentamenta robur æque demonstrat. Si enim scire volumus quomodo in Christum credi oporteat, quid lucidius eo quod ait ad eum Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Rursus si audire delectat quantum hæc fides valeat, quid apertius eo quod ait Dominus de Ecclesia, quæ super eum ædificanda erat, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* Sed hæc suis in locis plenius exponentur. Nunc autem revertentes ad explanandam in ordine lectionem Dominicam, primo videamus de loco in quo habita memoratur. *Venit* (inquit) *Jesus in partes Cæsareæ Philippi.* Philippus, ut Lucas testatur, erat tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regionis. Hic ergo statuens civitatem in loco ubi Jordanis ad radices oritur Libani montis, et est terminus Judææ contra septentrionem, appellavit eam Cæsaream Philippi, in memoriam videlicet sui nominis pariterque honorem Tiberii Cæsaris sub quo ipse regnabat. In cujus partes veniens Jesus, interrogabat discipulos suos, dicens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Non autem quasi nesciens sententiam de se vel discipulorum vel extraneorum inquirit: sed ideo discipulos quid de se sentiant interrogat, ut confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneret. Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit unus pro omnibus, ita quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit. Ideo quod alii de se sentiant inquirit, ut, expositis primo sententiis errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis, non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse Dominicæ revelationis arcano. *Quem*, inquit, *dicunt homines esse Filium hominis?* Pulchre homines appellat eos qui de filio hominis tantum loqui noverant, quia divinitatis ejus arcana nesciebant. Nam qui divinitatis ejus mysteria capere norunt, merito supra homines esse dicuntur, Apostolo attestante, qui ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* ii). Qui cum hæc de hominibus, hoc est, humana solum sapientibus corde, aure et oculo, præmitteret, mox de se ac de sui similibus, quæ generalem humanitatis sententiam transcenderent, adjecit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* (*Ibid.*). Cui simile est quod hic Dominus cum interrogasset discipulos, quem eum dicerent homines esse, et illi diversas diversorum opiniones prompsissent, dicit illis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Quasi ab hominum generalitate illos sequestrans, deos ac Dei filios per adoptionem factos insinuans, juxta illud Psalmistæ: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* lxxxi). *Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Deum vivum appellat, ad distinctionem falsorum deorum, quos vario delusa errore gentilitas, vel de mortuis sibi hominibus instituit, vel majore dementia de insensibili materia quos adoraret, creavit: de qualibus canitur in Psalmis: *Simulacra gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur*, etc. (*Psal.* cxiii). Notet autem dilectio vestra quam miranda distinctione sit factum, ut cum de utraque ejusdem Domini et Salvatoris nostri

Digitized by Google

natura, ab ipso Domino et a fideli ejus discipulo esset proferenda sententia, Dominus ipse humilitatem assumptæ humanitatis profiteatur, discipulus excellentiam divinæ æternitatis ostentet. Dominus de se quod minus est, discipulus de Domino intimat quod majus est. Dominus de se quod factus est propter nos, discipulus declarat de Domino quia ipse est qui fecit nos. Sic et in Evangelio Dominus multo crebrius se Filium hominis quam filium Dei appellare consuevit, ut nos admoneat ejus dispensationis quam pro nobis suscepit. Sed nos necesse est tanto humilius divinitatis ejus alta venerari, quanto illum meminimus pro nostra exaltatione ad humanitatis infima descendisse. Si enim inter sacramenta incarnationis ejus, quibus redempti sumus, potentiam divinitatis qua creati sumus pia semper mente recolimus, fit ut ipsi quoque cum Petro supernæ beatitudinis mercede donemur. Nam confitente illo Christum Filium Dei vivi, videamus quid sequitur. *Respondens autem Jesus, dixit: Beatus es, Simon Bar Jona.* Constat ergo quia post veram Christi confessionem, vera beatitudinis præmia restant. Sed intueamur intenti quale quantumve sit nomen illud quo perfectum sui nominis confessorem glorificat, ut hujus etiam nos, veraciter eum confitendo, mereamur esse consortes. *Beatus*, inquit, *es Simon Bar Jona.* Bar Jona Syriace, Latine dicitur filius columbæ. Filius autem columbæ recte vocatur apostolus Petrus, quia videlicet columba multum simplex est animal, et ipse prudenti ac pia simplicitate Dominum sequebatur, memor illius præcepti quod cum suis condiscipulis ab eodem magistro simplicitatis ac veritatis accepit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X). Vel certe quia Spiritus sanctus super Dominum in columbæ specie descendit, recte filius columbæ nuncupatur, qui spirituali gratia plenus exstitisse monstratur. Et justa laude dilectorem confessoremque suum Dominus remunerat, cum eum sancti Spiritus filium esse testatur, a quo ipse Filius Dei vivi asseveratur: quamvis hoc ipsum multum dissimiliter fieri nullus fidelium dubitat. Jesus enim Christus, Filius Dei per naturam: Petrus, sicut et cæteri electi, filius est sancti Spiritus per gratiam. Christus Filius Dei vivi, quia de ipso natus est. Petrus filius Spiritus sancti, quia de ipso renatus est. Christus Filius Dei ante tempora, ipse est enim Dei virtus, et Dei sapientia, quæ dicit: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio* (*Prov.* VIII). Petrus filius Spiritus sancti ex eo tempore quo, ab ipso illuminatus, gratiam divinæ cognitionis accepit. Et quia una voluntas, eadem est operatio sanctæ Trinitatis, recte cum dixisset: *Beatus es, Simon Bar Jona*, id est, filius gratiæ spiritualis, protinus adjunxit: *Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Pater quippe filio columbæ revelavit, quia una est gratia Patris et Spiritus sancti, eadem quoque et Filii, quod facillimis sacræ Scripturæ probabitur exemplis. Dicit

A namque de Patre Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* (*Gal.* IV). Dicit ipse Filius de Spiritu sancto: *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV). Dicit de Spiritu sancto Apostolus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Pater ergo misit spiritum, *Spiritus* ipse *ubi vult spirat* (*Joan.* III), quia profecto, ut diximus, una est voluntas et operatio Patris et Filii et Spiritus sancti: et propterea convenienter dicitur quia Pater, qui in cœlis est, revelaverit filio columbæ mysterium fidei, quod ei caro et sanguis revelare nequibat. Caro autem et sanguis recte intelliguntur homines sapientia carnis inflati, columbinæ simplicitatis nescii, ideoque a sapientia Spiritus omnimo- B dis aversi: de quibus supra dictum est quia Christum non intelligentes, alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis esse dicerent. De qualibus dicit Apostolus: *Carnalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* II). Sequitur: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petrus, qui Simon antea dicebatur, ob fortitudinem fidei, et confessionis suæ constantiam, a Domino Petri nomen accepit, quia videlicet illi firma ac tenaci mente adhæsit, de qua scriptum est: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). *Et super hanc petram*, id est, Dominum Salvatorem, qui fideli suo cognitori, amatori, confessori participium sui nominis donavit, ut videlicet a petra Petrus vocaretur, supra C quam ædificatur Ecclesia, quia non nisi per fidem et dilectionem Christi, per susceptionem sacramentorum Christi, ad sortem electorum et æternam pertingitur vitam, Apostolo attestante, qui ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Portæ inferi* doctrinæ sunt nequam, quæ seducendo imprudentes, ad inferos trahunt. *Portæ* quoque *inferi* et tormenta et blandimenta sunt persecutorum quæ infirmos quosque deterrendo vel emolliendo a stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed et prava infidelium opera, ineptaque colloquia, *portæ* utique sunt *inferi*, in quantum suis vel fauto- D ribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Nam et *fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (*Jacob.* II). *Et corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV). Multæ itaque sunt *portæ inferi*, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ supra petram fundata est, prævalet, quia qui fidem Christi intimo cordis amore perceperit, omne quidquid exterius periculi tentantis ingruerit, facillime contemnit. At quicunque credentium fidem vel opere vel negatione depravatus perdiderit, non hic super petram Domino cooperante domum suæ professionis ædificasse, sed, juxta alterius loci parabolam, super arenam sine fundamento posuisse credendus est (*Matth.* VII), hoc est non simplici ac vera intentione Christum sequi, sed terrenam quamlibet fragilemque ob cau-

Digitized by Google

sam habitum prætendisse Christiani. Sequitur: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Qui regem cœlorum majori præ cæteris devotione confessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cœlestis donatus est, ut constaret omnibus quia absque ea confessione et fide regnum cœlorum nullus posset intrare. Claves autem regni cœlorum, ipsam discernendi scientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet a regno. Unde manifeste subjungit: *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Quæ solvendi atque ligandi potestas, quamvis soli Petro videatur a Domino data, absque ulla tamen dubietate noscendum est quia et cæteris apostolis datur, ipso teste qui post resurrectionem passionisque triumphum apparens eis, insufflavit et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx). Nec non etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ idem officium committitur, ut videlicet, agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac vere pœnitentes aspexerit, hos jam timore perpetuæ mortis absolvat. Quos vero in peccatis quæ egerint persistere cognoverit, illos perennibus suppliciis obligandos insinuet. Unde alias Dominus de correpto semel et iterum, et tertio, sed non pœnitente fratre, præcipit, dicens: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* xviii). Et ne leve quisquam putaret Ecclesiæ judicio condemnari, mox terribiliter adjunxit: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Omni ergo electorum Ecclesiæ, juxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum solvi, nec januam possunt regni cœlestis ingredi. Unde nos necesse est tota intentione, fratres charissimi, et fidei quam docuit sacramenta discere, et congruentia fidei opera demonstrare. Necesse est omni vigilantia multiplices subtilesque portarum inferi cavere insidias, quatenus, juxta Psalmistæ vocem, de his adjuvante Domino eripi, atque ad annuntiandas ejus laudes, portas filiæ Sion, hoc est gaudia supernæ civitatis, mereamur intrare. Nec sufficere nobis ad salutem arbitremur si turbis negligentium vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquemur, quibus in litteris sacris unica est credendi pariter et vivendi regula præscripta, sed quotiescunque nobis errantium ingeruntur exempla, nos confestim avertentes oculos mentis nostræ ne videant vanitatem, magis quid Veritas ipsa decernit, sedulo corde scrutemur, sequentes exemplum beati Petri, qui, spretis errantium sectis, veræ fidei arcanum quod cognoverat indubia oris confessione protulit, inseparabilis cordis cura servavit. Nam de fiducia confessionis hoc loco cognovimus, de virtute autem unicæ in Christum dilectionis ipse alibi testatur: qui, cum discederent ab eo quidam discipulorum ejus, diceretque ille ad duodecim: *Nunquid et vos vultis abire?* respondit ei Petrus, dicens: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos cognovimus et credimus quia tu es Christus Filius Dei vivi* (*Joan.* vi). Hujus ergo, fratres mei, pro modulo nostro exemplum si imitari satagimus, et nos cum illo beati et appellari et esse valebimus, nobis quoque Simonis, hoc est, obedientis Christo nomen congruet: nos propter simplicitatem fidei non fictæ, acceptamque a Domino gratiam virtutum, filii columbæ vocabimur, congaudensque ipse spiritualibus animæ nostræ profectibus, dicet: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum* (*Cant.* iv). Sicque fit ut nobis supra petram fidei aurum, argentum, lapides pretiosos, hoc est, perfecta virtutum opera construentibus, nil tribulationum ignis detrimenti afferat, nulli tentationum turbines prævaleant, quin potius adversitatibus probati, accipiamus coronam vitæ, quam ipse nobis ante promisit, qui vivit et regnat Deus cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA XII.

### IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ, VEL POTIUS IN ADVENTU DOMINI.

Vos, inquam, convenio, o Judæi, qui usque in hodiernum diem negastis Filium Dei. Nonne vox vestra est illa quando eum vidistis miracula facientem, atque tentantes dicebatis: *Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* x). Ille autem vos ad considerationem miraculorum mittebat, dicens: *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me*, ut Christo testimonium dicerent non verba, sed facta. Vos autem non agnoscentes Salvatorem, qui operabatur salutem in medio terræ vestræ, adjicientes in malo, aistis: *Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* viii). Sed ad hæc ille quid vobis responderit, advertere noluistis. Nonne *scriptum est in lege vestra, quod duorum hominum testimonium verum sit?* (*Ibid.*) Prævaricatores legis, intendite legem. Testimonium quæritis de Christo? In lege vestra scriptum est, *quod duorum hominum testimonium verum sit?* (*Deut.* xvii.) Procedant ex lege non tantum duo, sed etiam plures testes Christi, et convincant auditores legis, nec factores. Dic, Isaia, testimonium Christo. *Ecce virgo*, inquit, *in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus* (*Isa.* vii). Accedat et alius testis. Dic et tu, Jeremia, testimonium Christo. *Hic est*, inquit, *Deus noster, et non æstimabitur alius* absque illo, qui invenit *omnem viam* scientiæ, et dedit eam *Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc visus est in terris, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* iii).

Digitized by Google

Ecce duo testes idonei ex lege vestra, ex quorum testimonio non sunt compuncta corda vestra. Sed alii atque alii ex lege Christi testes introducantur, ut frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat et ille Daniel sanctus, juvenis quidem ætate, senior vero scientia ac mansuetudine, convincat omnes falsos testes; sicut convicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi conterat inimicos. Dic, sancte Daniel, dic de Christo quod nosti. *Cum venerit*, inquit, *Sanctus sanctorum, cessabit unctio* (*Dan.* IX). Quare illo præsente cui insultantes dicebatis, *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum*, cessavit unctio vestra, nisi quia ipse est qui veniebat Sanctus sanctorum? Si, ut vos dicitis, nondum venit, sed exspectatur ut veniat Sanctus sanctorum, demonstrate unctionem. Si autem (quod verum est) cessavit unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum sanctorum. Ipse est enim et lapis ille abscissus de monte sine manibus conscindentium, id est, Christus natus de virgine sine manibus complectentium, qui tantum crevit ut mons magnus fieret, et impleret universam faciem terræ. De quo monte dicit Propheta: *Venite, ascendamus in montem Domini* (*Isai.* II). Et de quo dicit David: *Mons Dei mons* uberrimus, *ut quid suspicamini montes* incaseatos, montem *in quo placuit Deo habitare in ipso?* (*Psal.* LXVII.) Cum enim ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret quem dicerent homines esse Filium hominis, responderunt, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis. Et ille: *Ut quid suspicamini montes incaseatos, montem in quo placuit Deo habitare in eo?* Hunc cognovit Petrus, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI). Agnovit montem et ascendit in montem, testimonium dixit Veritati, et dilectus est a Veritate. Supra petram fundatus est Petrus, ut mortem susciperet, illum amando quem ter negaverat timendo. Dic et tu, Moyses, legislator, dux populi Israel, testimonium Christo. *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo* (*Deut.* XVIII). Prophetam autem dictum Christum, ipsum audi in Evangelio. *Non est*, inquit, *propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Marc.* VI). Accedat autem David sanctus, testis fidelis, ex cujus semine processit ipse cui lex et prophetæ testimonium dicunt, dicat et ipse de Christo. *Adorabunt*, inquit, *eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI). Cui servient? Dic, cui servient? Vis audire cui servient? *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX). Expressius atque nominatim: *Quare*, inquit, *tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II). Accedat et alius testis. Dic et Habacuc propheta testimonium Christo. *Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi* (*Habac.* III). Quæ opera Dei iste miratus expavit? Nunquid fabricam mundi iste miratus expavit? Absit. Sed audi quid expavit. In medio, inquit, duum animalium cognosceris. Opera tua, Deus, verbum caro factum est. In medio duum animalium cognosceris, qui quousque descendisti; expavescere me fecisti, quia Verbum per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti. *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isai.* I). In medio duum animalium cognosceris. Quid est, in medio duum animalium cognosceris, nisi aut in medio duorum Testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi et Eliæ, cum eo in monte sermocinantium? Ambulavit, inquit, Verbum, et exivit in campis. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Hoc et Jeremias ait: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III). Ecce quemadmodum sibi conveniunt testes veritatis, ecce quemadmodum convincunt filios falsitatis. Sufficiunt vobis ista, o Judæi, an adhuc ad vestram confusionem ex lege et ex gente vestra alios introducemus testes, ut illi testimonium perhibeant cui perdita mente insultantes dicebatis: *Tu testimonium de teipso perhibes, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII). Quod si velim ex lege et prophetis omnia quæ de Christo dicta sunt colligere, facilius me tempus quam copia deserit. Verumtamen senem illum ex gente vestra natum, sed in errore vestro non relictum, Simeonem sanctum introducam, qui meruit teneri decrepitus in hac luce quousque videret veram lucem, quem quidem jam ætas compellebat ire, sed exspectabat suscipere quem sciebat venire, cum iste senex admonitus esset a Spiritu sancto, quod non ante moreretur quam videret Christum Dei natum. Quem cognoscens perrexit in templum. Ubi vero eum portari matris manibus vidit, et divinam infantiam pia senectus agnovit, tulit infantem in manibus suis. Ille quidem Christum ferebat, sed Christus senem regebat. Regebat qui portabatur, ne ille ante promissum a corpore solveretur. Quid tamen dixerit, quem tamen confessus fuerit, advertite inimici, non Christi, sed vestri. Benedicens Deum exclamavit senex iste, et dixit: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II). Illi etiam parentes Joannis Zacharias et Elizabeth juvenes steriles, in senectute fecundi, dicant etiam ipsi testimonium de Christo, dicant de Christo quid sentiant, et testem idoneum Christo nutriant. Aiunt enim suo parvulo nato: *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I). Ipsique matri et virgini Elizabeth ait: *Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* (*Ibid.*). Intelligens enim Joannes matrem Domini sui venisse ad suam matrem, inter ipsas angustias uteri adhuc positus, motu salutavit quem voce non poterat. Qui postea ipse Joannes præcursor et amicus et humilis et fidelissimus servus, testis idoneus factus, tanto major in natis mulierum, quanto æstimabatur esse

Digitized by Google

quod non erat. Christum enim eum Judæi esse credebant, sed ille se non esse clamabat, dicens : Quem me esse suspicamini, non sum ego, sed ecce venit post me, *cujus* pedibus *non sum dignus solvere corrigiam* calceamenti ejus (*Luc.* III). O fidelis testis et amice veri sponsi, quanto te humiliasses, si ad corrigiam calceamenti ejus solvendam dignum te esse dixisses. Sed dum hoc te non dicis dignum, Judæis falsis testibus contradicis. Et hæc ante dicta sunt quam Christum videres, qui cum ad te venit excelsus, humilis implendæ dispensationis suæ gratia, ut a te baptizaretur, qui nullum habebat omnino peccatum, quid responderis, quem cognoveris, quale testimonium protuleris, audiant inimici qui audire nolunt. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Et adjecit, *Tu ad me venis baptizari? Ego a te debeo baptizari* (*Matth.* III). Agnovit servus Dominum, agnovit vinculis originalis peccati obligatus, ab omni nexu peccati liberum, agnovit præco judicem, agnovit creatura Creatorem, agnovit paranymphus sponsum. Nam et hæc vox Joannis est: *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III). Sufficiunt vobis ista, o Judæi, sufficiunt vobis tanti testes et testimonia ex lege vestra, ex gente vestra, an adhuc impudentia nimia audebitis dicere quod alterius gentis vel nationis homines Christo debent testimonium perhibere? Sed si hoc dicitis, respondet quidem ille vobis, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Sed sicut vos in Actibus apostolorum increpat Paulus, *Vobis*, inquit, *primum oportuerat annuntiare Verbum Dei, sed quia expulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicastis, ecce*, inquit, *convertimus nos ad gentes* (*Act.* XIII). Demonstremus etiam nos ex gentibus testimonium Christo fuisse prolatum, quoniam Veritas non tacuit, clamando etiam per linguas inimicorum suorum. Nonne quando ille poeta facundissimus, inter sua carmina (*Virgil. egloga* IV),

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto,

dicebat, Christo testimonium perhibebat? In dubium hoc veniat, nisi alios ex gentibus idoneos testes pluraque dicentes in medium introducam. Illum regem qui vestram superbiam captivando perdomuit, Nabuchodonosor regem scilicet Babylonis non prætermittam. Dic, Nabuchodonosor, quid in fornace, quo tres viros justos injuste immiseras, dic quid tibi fuerit revelatum. *Nonne*, inquit, *tres pueros misimus in fornacem* ligatos? Et aiunt ei, *Vere, rex. Ecce*, inquit, *ego video quatuor viros solutos* deambulantes *in medio ignis*, et corruptio nulla est *in eis*, et aspectus *quarti similis* est *Filio Dei* (*Dan.* III). O alienigena, unde tibi hoc? Quis tibi annuntiavit Filium Dei? Quæ lex, quis propheta annuntiavit tibi Filium Dei? Nondum quidem mundo nascitur, et similitudo nascentis a te cognoscitur. Unde tibi hoc? Quis tibi istud annuntiavit, nisi quia sic te ignis divinus intus illuminavit, ut cum illic apud te captivi tenerentur inimici Judæi, sic diceres testimonium Filio Dei? Sed quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, sicut ipse Dominus vestram contumaciam confutans, *in lege*, inquit, *vestra scriptum est quod duorum hominum testimonium verum sit* (*Joan.* VIII), et jam ex gentibus tertius testis introducatur, ut ei testimonium veritatis ex omni parte roboretur.

Quid Sibylla vaticinando etiam de Christo clamaverit, in medium proferamus, ut ex uno lapide utrorumque frontes percutiantur, Judæorum scilicet atque paganorum, atque suo gladio, sicut Golias, Christi omnes percutiantur inimici. Audite quid dixerit :

Judicii signum, tellus sudore madescet.
E cœlo rex adveniet per sæcla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celsum cum sanctis, ævi jam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt quas judicat ipse.
Cum jacet incultus densis in vepribus orbis,
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam
Exuret terras ignis pontumque polumque
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, sontes æternaque flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris.
Volvetur cœlum, lunaris splendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Jam æquantur campis montes, et cærula ponti
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores.
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Decidet e cœlo ignisque et sulphuris amnis.

Hæc de Christi nativitate, passione et resurrectione, atque secundo ejus adventu ita dicta sunt, ut si quis in Græco capita horum versuum discernere voluerit, inveniat Ἰησοῦς Χριστὸς Υἱὸς Θεοῦ Σωτήρ, id est Jesus Christus Filius Dei Salvator. Quod et in Latinum translatis eisdem versibus apparet, præterquam quod Græcarum litterarum proprietas non adeo potuit observari.

Alios versus Sibyllinos Christi passionem apertius demonstrantes, intentissime audiamus :

In manus iniquas et infidelium postea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus incestis.
Et oribus immundis exspuent salivas venenosas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorsum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat
Quod verbum, et unde venit, ut mortuis loquatur.
Et coronam portabit spineam,
In cibum autem fel, et in sitim acetum dederunt.
Inhospitalitatis hanc monstrabant mensam.

Digitized by Google

Ipsa enim stulta, Deum tuum non cognovisti
Ludentem mortalibus mentibus, sed et spinis
Coronasti corona, horridumque fel miscuisti.
Templi vero velum scindetur, et die
Media nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis fatum finiet trium dierum somno suscepto,
Et tunc a mortuis regressus, in lucem venit.
Primus resurrectionis initium provocatus ostendit.

Credo jam vos, o inimici Judæi, tantis testibus ita obrutos confutatosque esse ipsa veritate, ut nihil ultra repugnare, nihil quærere debeatis. Tu autem.

### HOMILIA XIII.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Adest nobis, dilectissimi, optatus dies, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2104.

### HOMILIA XIV.

ITEM DE EODEM FESTO.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. II.)

*In illo tempore missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria*, etc. (*Luc.* I).

Latent quidem divina mysteria, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1551.

### HOMILIA XV.

IN FESTO PHILIPPI ET JACOBI.

(Ex beati Augustini in Joannis Evangelium Tractatu, tract. 67 - 68, *passim*.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, etc. (*Joan.* XIV).

Erigenda est nobis, fratres, ad Deum major intentio, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1812.

### HOMILIA XVI.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

(Ex eodem, *ibid.* tract. 11, num. 3.)

*In illo tempore erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dicit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister*, etc. (*Joan.* III).

Nicodemus ex his erat, qui crediderant in nomine Jesu, videntes signa et prodigia quæ faciebat, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 1476.

### HOMILIA XVII.

DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Joannis Chrysostomi, inter spuria.)

*In illo tempore accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* etc. (*Matth.* XIX).

Justus Dominus omnium, qui sic diligit alios ut alios non contemnat. Nam sicut, etc. *Reliqua vide apud sanctum Chrysostomum, Operum ejus in editione nostra tomo VI, col.* 799, *lin.* 21.

A

### HOMILIA XVIII.

DE SANCTIS INFRA PASCHA ET PENTECOSTEN.

(Ex beati Augustini in Joannis Evangelium Tractatu, tract. 80 - 81.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*, etc. (*Joan.* XV).

Iste locus evangelicus, fratres, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1839.

### HOMILIA XIX.

IN VIGILIA BEATI JOANNIS BAPTISTÆ.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

B *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor illi de Filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth*, etc. (*Luc.* I).

Venturus in carne Dominus et Redemptor noster, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 202.

### HOMILIA XX.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

Diei hodiernæ solemnitas solemnem desiderat tanta exspectatione sermonem, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 1319.

### HOMILIA XXI.

DE EODEM FESTO.

C (Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Solemnitatem nobis diversorum martyrum, etc. *Reliqua vide inter Opera beati Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 383.

### HOMILIA XXII.

DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore Elizabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei*, etc. (*Luc.* I).

Præcursoris Domini nativitas, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 210.

D

### HOMILIA XXIII.

IN VIGILIA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

(Ex eodem.)

*In illo tempore dixit Jesus Petro: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te*, etc. (*Joan, ult.*)

Virtutem nobis perfectæ dilectionis, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 214.

### HOMILIA XXIV.

IN DIE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Omnium quidem solemnitatum sanctarum, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 422.

Digitized by Google

## HOMILIA XXV.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, etc. *Reliqua vide inter Opera beati Maximi*, *Patrologiæ tomo LVII*, *col.* 397.

## HOMILIA XXVI.

### IN EODEM FESTO.

(Ex Herico Antissiodorensi monacho.)

*In illo tempore venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?* etc. (*Matth.* XVI).

Herodes major, sub quo Dominus natus est, quatuor traditur filios habuisse, Philippum videlicet qui hic commemoratur, quique, ut Lucas narrat (*Cap.* III), fuit tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis. Archelaum quoque et Lysaniam, sed et Herodem sub quo passus est Dominus. Philippus ergo iste princeps, ut præmonstratum est, quartæ partis regni Judæorum, in honorem Tiberii Cæsaris civitatem statuit ad radices Libani montis, ubi Jordanis in duobus fontibus exoritur, quam Cæsaream Philippi in memoriam sui nominis, pariterque in hon rem Tiberii Cæsaris appellari constituit, quæ postea, pristino suo amisso vocabulo, Paneas dicta est : in qua etiam civitate tradunt antiqui regibus quondam tributa consuevisse persolvi. Hoc autem fecit favore hujus Cæsaris ad imitationem sui patris Herodis, quæ ex nomine Cæsaris civitatem Cæsaream nuncupavit, quæ antea Turris Stratonis vocabatur, qui etiam trans Jordanem Iliadem urbem in monumentum filiæ ipsius Cæsaris condidisse in historiis invenitur. Veniens ergo Dominus in partes Cæsareæ Philippi, discipulos, cujus apud homines opinionis haberetur, inquirebat. Et pulchre satis hoc quam maxime his in partibus agere voluit, ut ubi quondam rex terrenus censum tributarium exigere solitus erat a sibi subditis, ibi veniens rex cœlestis reciperet censum fidei a discipulis suis. Ubi sanctæ Ecclesiæ rectoribus exempli normam præsignavit, qui vicem Christi in administrandis gerunt negotiis, quo ipsi quoque ab his quos fidei et conversationis merito probatos familiarius cæteris colunt,cujus famæ apud subjectos sint percontentur. Et si quidem dignos se laudibus famæ esse deprehenderint, Dei totum gratiæ deputent ; et tales esse quales fama vulgavit insudent. Si vero secus quam decet ferri de se testimonium senserint, sic illud in seipsis corrigere, tamque pie et juxta quod sacer præcellentiæ ordo postulat, vivere studeant, ut tantus in eis sanctitatis splendor eluceat, qui omnem maliloqui oris nebulam tergat, famamque de se mentiri prohibeat. Ait enim : *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Non hoc quasi insciens percontatur, tanquam ignorare potuerit quid de se homines sentirent, sed ut confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneraret, et populum, traditionibus falsis scribarum et Pharisæorum corruptum, ab errore liberaret. Scribæ namque et Pharisæi, qui in populo Judæorum A honore ac sapientia eminebant, videntes se a populo deseri, et Dominum Jesum Christum sequi propter vitæ sanctitatem ac prædicationem salutiferam, atque miraculorum signa quæ ab eo assidue fieri cernebant, zelo ducti invidebant ei. Et licet lege et prophetis præ cæteris edocti, Christum illum esse scirent, timentes tamen gloriam humanam perdere, si populus doctrinam eorum desereret et Domini præcepta sequeretur, laborabant quibus modis poterant corda populorum subvertere, ne Christum illum crederent qui in lege et prophetis patribus eorum fuerat repromissus. Unde et Judæi usque hodie existimant Dominum Jesum Christum necdum in hunc mundum venisse, sed adhuc venturum esse. Cernens ergo Dominus scribarum et Pharisæorum traditio- B nibus plebem corruptam, et se non Christum æstimari a populo, sed potius Joannem aut Eliam, aut Jeremiam, voluit eos ab hoc errore liberare, et idcirco interrogans requirit quid alii de se sentiant, ut, expositis diversis opinantium erroribus, probarentur discipuli non de opinione vulgari percepisse veritatem suæ confessionis, sed potius revelatione divinæ inspirationis. Ait namque : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Tanquam dicat : Me qui Filius hominis dicor, hoc est filius Mariæ, quem dicunt homines esse? Nec ait : quem me dicunt homines esse, sed filium hominis ; ne jactanter vulgarem sententiam de se requirere videretur. Filium autem hominis sæpius quam Filium Dei se consuevit appellare, ut nos de dispensatione humanitatis quam C pro nobis assumpsit, admoneat. Ubicunque autem in veteri Testamento filius hominis scriptum est, beatus Hieronymus in Hebræo filium Adam haberi testatur. Nam et Adam homo interpretatur. Et pulchre homines appellat eos qui de filio hominis tantum loqui noverant, hoc est, de filii humanitate, quam oculis cernebant, et deitatis illius arcana nesciebant. Homines namque erant, id est, humana tantum de eo sapiebant. Qui vero de Filio Dei jam loqui didicerunt, non jam homines, sed dii appellari merentur, quales erant sancti apostoli, qui jam Spiritus sancti magisterio educti, non solum filium hominis Christum, verum etiam consubstantialem Dei Patris Filium illum esse intelligere meruerunt. Unde et præmissis variis hominum opinionibus, illico D apostolos quem se esse dicerent sciscitatur, per hoc eos a cæterorum hominum generalitate discernens atque singularis privilegio scientiæ supra humanam demonstrans esse naturam. Quam formam interrogationis etiam doctores Ecclesiæ observare oportet. Nam et ipsi perquirere debent a suis subjectis de fama sui nominis, qualis apud vulgares et extrinsecus habeatur, ut secundum quod de se audierint, proprios mores corrigere et seipsos modestius cunctis studeant conformare. At illi dixerunt : *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.* Necessarium non est hic causas errorum vulgarium inquirere, cur scilicet Christum alii Eliam, alii Joannem, alii putaverunt Je-

Digitized by Google

remiam, cum sic infideles in Elia et in Jeremia errare potuerint, quomodo Herodes in Joanne erravit, dicens: *Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (*Marc.* VI). Sicut enim Herodes Christum miracula facientem, Joannem quem ipse decollaverat esse arbitratus est, sic nimirum vulgus indoctum eumdem Christum Eliam vel Jeremiam esse putavit, quorum alter raptus in cœlum legitur, alterius vero mors in Scriptura canonica aperte memoratur. Sed quæri potest quare Dominus Jesus Christus ab Herode vel a populo Joannes sit æstimatus, cum Joannes nullis miraculorum claruerit signis, Christus autem maxima ac præcipua patraverit signa. Leprosos namque mundabat, cæcos illuminabat, dæmones ab obsessis corporibus eliminabat, claudis et paralyticis gressum reddebat, mortuos suscitabat: quod Joannem nunquam fecisse cognovimus. Ad quod dicendum, ideo ab Herode, sive a populo Christum Joannem æstimari potuisse, qui post resurrectionem a mortuis miracula facere potuerit, quod ante non fecerat, quoniam eamdem quam et nos de resurrectione mortuorum habebant fidem, credentes videlicet opera mortuorum post resurrectionem majoris dignitatis et gloriæ futura esse quam prius. Jeremias autem non immerito Christus opinari potuit, propter nimiam sanctitatem qua in populo excellebat, sicut in Jeremia legitur qui in utero matris sanctificatus suis temporibus clarus emicuit (*Jer.* I). Elias vero idcirco credi poterat Dominus quod illum ante Salvatoris adventum sciebat esse venturum, dicente Malachia: *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, ut convertat corda patrum in filios, et cor filiorum ad patres eorum* (*Malac.* IV). *Dicit eis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Quasi ab hominum generalitate sequestrans, deos ac Dei filios per adoptionem factos insinuat, juxta illud Psalmistæ: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Ac si diceret: Illis qui homines sunt diversa æstimantibus, vos qui dii estis, et per adoptionem jam filii Dei effecti, quem me esse dicitis? At vero Petrus fide ardentior, præ cæteris amore confessionis promptior, ex voce cunctorum respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Omnibus generaliter apostolis interrogatis, beatus Petrus cunctorum in se personas assumens, ex abundanti sensu respondit, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et revera ita expediebat ut ille qui futurus erat vertex Ecclesiæ, ore loqueretur totius Ecclesiæ. Filium autem Dei vivi dixit, ad distinctionem falsorum deorum, quos erronea gentilitas sibimet ad colendum, vel ex mortuis hominibus instituit, vel ex rebus insensibilibus quos adoraret creavit, de quibus scriptum est: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Psal.* CXIII). Et hac brevi sententia omnia quæ de Christo diffusis sermonum excursibus dici possunt, decentissime comprehendit simulque humanam lasciviam, quæ secretorum investigandorum audax est, exercuit. Quare enim nos

A de Christo quomodo ex Dei Patris substantia natus sit, cum gignens sine eo qui genitus est, nunquam fuerit: vel quomodo de matris virginis utero homo factus exierit, et matrem integram intemeratamque reliquerit, quare hæc et id generis plura de Christo quæramus, cum beato Petro tantum credere suffecerit, quod ipse esset Christus Filius Dei vivi? Nam et beatus Paulus nil aliud se scire judicavit *nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Fidei igitur Christianæ finis, in confessione constitutus est Christi Filii Dei. Non quidem licet scire quomodo sit genitus, licet tamen credere quia sit genitus. Sed et hoc intuendum quia Christus de filio hominis interrogavit, Petrus vero de Filio Dei respondit. Oportet enim tanto magis divinitatem illius venerari a nobis, B quanto ipse humiliatus se submisit pro nobis. Jam vero audiendum quali Christus laudatorem confessoremque suum præconio prosequitur: *Beatus es*, inquit, *Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Bar Jona Syriace, Latine dicitur filius columbæ. Jure autem beatus Petrus apostolus filius columbæ vocatur, quia prudenti ac pia simplicitate Domino adhærebat. Nam et columba simplicissimum atque innocentissimum animal est, et præ cæteris avibus simplicitate gaudet. Quod si altius capere volumus, per columbam, in cujus specie Spiritus sanctus super Dominum baptizatum apparuit, ejusdem Spiritus sancti gratia figuratur. Merito ergo Dominus Petrum filium co- C lumbæ nominavit, quem spiritualium donorum gratia ipse repleverat: quo docente interius didicerat quod foris tam idonee proferebat. Nonnulli simpliciter arbitrantur quod idem Petrus patrem habuerit nomine Joannem, juxta quod alibi a Domino interrogatur: *Simon Joannis, diligis me* (*Joan.* XXI)? Voluntque ut pro Bar Joanna, quod est filio Joannis, vitio scriptorum Bar Jona scriptum sit, una syllaba dempta de medio. Interpretatur autem Joanna gratia Dei. Utrumque autem nomen ita mystice valet intelligi, ut Petrus dicatur filius columbæ, id est Spiritus sancti: et filius Joannis, id est gratiæ Dei, per quem dona spiritualia figurantur. Et notandum quam convenientissima facta est laudis retributio. Beatus enim Petrus Dominum Filium Dei esse dice- D bat, Christus eum filium Spiritus sancti consequenter appellat. Ergo dum beatus Petrus Spiritus sancti filius dicitur, Dei profecto filius esse confirmatur. *Deus enim Spiritus est* (*Joan.* IV). Sed longe aliter multumque distincte Christus Dei Filius, aliter beatus Petrus. Quod enim ille habet per naturam, hoc accepit iste per gratiam. Et quod illi est semper essentialiter proprium, isti fuit temporaliter dono accidenti collatum. Quod vero dicit, *caro et sanguis non revelavit tibi*, carnis et sanguinis nomine carnalem scribarum et Pharisæorum traditionem et doctrinam accipere debemus. Caro enim et sanguis recte intelliguntur homines sapientia carnali inflati, columbinæ simplicitatis nescii. Caro autem et sanguis varia in sanctis Scripturis significatione ponun-

Digitized by Google

tur. Aliquando enim caro pro ipsius naturæ substantia ponitur, ut in Genesi: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* ii). Nonnunquam carnis appellatione synecdochicos totus homo signatur, sicut de Christo per Joannem dicitur: *Verbum caro factum est* (*Joan.* i). Quod est aperte dicere, Deus homo factus est. Caro etiam et sanguis pro corruptione poni solent, Apostolo dicente, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* xv). Plerumque etiam carnis et sanguinis nomine carnalis et spiritualis intellectus subtilitate grossescens doctrina accipitur, Paulo de seipso dicente: *Continuo non acquievi carni et sanguini* (*Galat.* i). Quo sensu in hoc loco accipienda est caro, carnalis videlicet, et, quantum ad Deum, stulta carnalium sapientia, quæ quanto se latius ad investiganda terrena et transitoria diffundit, tanto minus ad intellectualis et veræ philosophiæ aditum jam pervenit. *Non* ergo *caro et sanguis illi revelavit*, quia non mundana sapientia quod Christus Filius Dei esset, accepit, sed Deo Patre, qui solus novit Filium, inspirante didicit. Sive etiam caro et sanguis (ut præmissum est) appellantur homines carnaliter de Christo sapientes, et columbinam simplicitatem non habentes, atque ideo gratia sancti Spiritus indigni, quales illi fuere quorum superius de Christo opiniones evangelista retexit, de qualibus per Apostolum dicitur: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* ii). *Sed Pater meus qui in cœlis est.* Cum omnia dona spiritualia quæ a Domino fidelibus tribuuntur, a Spiritu sancto largiri certissimum sit, dicente Apostolo: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ*, etc., usquequo dicitur, *dividens singulis, prout vult* (*I Cor.* xii): quomodo Dominus Jesus Christus a Patre dicit revelatum fuisse beato Petro sacramentum fidei? Sed sciendum quia sicut una est substantia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ita est in eis et una operatio atque voluntas, ac per hoc convenienter dicitur quia Pater qui in cœlis est, revelavit Petro mysterium fidei, quod caro et sanguis revelare nequibat. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus.* Ordo verborum est: Quia tu dixisti mihi, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, et ego dico tibi non sermone casso, et nullum habente opus, sed dico tibi veraciter, *quia tu es Petrus.* Non nunc primum accepisse Petrum hoc nomen credendum est, sed potius tunc quando in initio Dominicæ prædicationis (sicut Joannes testatur) per Andream ad Dominum adductus, in magnum fidei suæ præsagium audivit ab eo, Tu es Simon filius Joanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, ut hoc nomine modo appellaverit Dominus, dicens: *Tu es Petrus*, non enim ait, Tu vocaberis Petrus, sed *tu es Petrus*, quod dictum fuerat antea. Sicut autem Christus dedit apostolis nomen, ut lux vel sal terræ vocarentur, ita huic egregio confessori suo, qui Simon, id est obediens, antea vocabatur, ob robur invictæ fidei Petri nomen indidit, quia videlicet illi tenaci mente inhæsit de quo scriptum est, *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x). Petra autem non per essentiam, sed per

A significationem. Quemadmodum enim leo propter fortitudinem vel agnus propter innocentiam, sic etiam petra dicitur propter firmitatem, quia sperantibus in se turris est fortitudinis a facie inimici, de quo Psalmista: *Dominus*, inquit, *firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus* (*Psal.* xvii). *Et super hanc petram*, id est, super me quem ore tuo confessus es dicens, *tu es Christus Filius Dei vivi.* Ipse est enim lapis ille pretiosus in fundamento Ecclesiæ constitutus, de quo Paulus: *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, Christus Jesus* (*I Cor.* iii). Sive *super hanc petram*, hoc est, super hanc fidem qua me Filium Dei vivi confessus es, *ædificabo Ecclesiam meam.* Super Christum enim ædificat qui fidem illius illibate B custodit. Super Christum etiam ædificat qui per dilectionem Dei et proximi, et per observantiam mandatorum Dei, ad sortem electorum pervenire festinat. *Meam* vero addidit, ad distinctionem Ecclesiæ hæreticorum, de qua per Psalmistam dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium* (*Psal.* xxv); de quibus adhuc subditur: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Non hoc dixit de conditione temporalis mortis, qua legimus cunctos pene apostolos martyrio consummatos, sed portas inferi vitia atque peccata vocat. Portæ namque inferi mortifera hæreticorum dogmata sunt, quibus imprudentes quosque illiciunt, et ad perpetuæ mortis damnationem pertrahunt. Portæ etiam mortis sunt persecutorum callida blandimenta, sive aspera crudelitatis intentamenta qui- C bus vel persuadendo, vel terrores incutiendo, fideles a suæ rectitudinis statu dejicere, et æternæ morti cupiunt obnoxios reddere. Sed et pravorum hominum opera atque inepta colloquia, quæ in fidelibus introitum mortis aperiunt, portæ sunt utique inferi, in quantum auditoribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Sed ex his vitiorum portis nulla prævalet adversus Ecclesiam, quæ supra petram fundata est, quia quicunque supra petram, quæ Christus est, per fidem et bonam operationem firmiter fundatus fuerit, nullis tentationum insidiis a statu rectæ fidei dejici, nullis adversitatibus ad casum impelli poterit. Qui vero tentationi succumbit, hic non super petram solidam, sed super arenam pendulam fidei domum ædificasse credendus est, quia non D amore veritatis, sed alicujus temporalis utilitatis obtentu, falso nomen Christi assumpsit. *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Claves regni cœlorum non debemus pueriliter opinari cujuscunque esse materiæ, ut puta argenti vel auri, sed per claves ipsa discernendi sententia potentiaque designatur, quæ dignos sciret in regnum recipere, impios vero a beatitudine illius felicitatis excludere. Quæ claves idcirco beato Petro apostolo, qui potiori confessione præ cæteris regem cœlorum confessus est, specialiter sunt collatæ, ut constaret quia absque ea confessione et fide qua ipse Christum declaravit, regnum cœlorum nullus posset intrare. *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quod-*



Digitized by Google

*cunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Hæc solvendi atque ligandi potestas, quamvis soli Petro a Domino collata esse videatur, omnibus quoque generaliter apostolis sub ejus persona collata est. Nam et post suæ resurrectionis nobilem triumphum, apparens illis omnibus aperte dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx). Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondet pro omnibus, ita et quod Dominus Petro respondet, in Petro omnibus respondit. Quin etiam omnibus episcopis ac presbyteris in Ecclesia idem officium committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis, juxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi atque solvendi exerceant potestatem, ita duntaxat ut quod etiam hoc tempore in nonnullis sacerdotibus invenitur, nec eos qui insontes vel innoxii sunt damnent, nec illos qui damnationem merentur securos tanquam de solutione præsumant reddere. Sunt enim quidam qui dum minus caute extraordinarie hac volunt uti potestate, seipsos privant confessionis munere, dum videlicet putant se posse ligare eos qui scilicet in divino conspectu soluti sunt, atque eos solvere qui apud judicium Dei proprio reatu ligati tenentur. Magna ergo vigilantia, magnoque studio sanctis Ecclesiæ pastoribus hæc judiciaria severitas æque libranda est, et illud semper suspecte cogitandum quod de perverse cogitantibus per prophetam Dominus dicit : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* xiii). Perspecta igitur causa peccati, quos viderint digna compunctione errata delere, hos a vinculis æternæ mortis pronuntient absolutos; quos vero probaverint segnes esse in pœnitentia agenda, nec solum peccata non placere, verum in illis velle permanere, illos debent damnationis perpetuæ suppliciis adjudicare, ut sic apertæ damnationis ex prompta districtione, salubria pœnitentiæ et humilitatis decreta cogantur subire. Denique beatus Petrus, ut dictum est, qui Christum vera fide confessus, et invicto est amore secutus, specialiter et claves regni cœlorum, et arcem judiciariæ potestatis accepit, ut omnes in Christo credentes intelligant quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quomodolibet se segregant, tales nec a vinculis peccatorum absolvi, nec regni cœlestis januam ingredi possunt. Cujus quia festivitatem annuo recursu venerabilem, ut potentiæ principis apostolorum, celebri frequentamus officiorum obsequio, ejus in quantum possumus exempla imitari satagamus, ubique suffragia poscere, ut quia ipsi sancta Ecclesia est specialiter commissa, nos qui ejus membra ultima sumus, sedulis patrociniis adjuvare, et in regni cœlorum gloriam pie interveniendo dignetur inducere, præstante Domino Jesu Christo, cui laus et gloria est cum Patre Deo in unitate Spiritus sancti per cuncta semper sæcula. Amen.

## HOMILIA XXVII.

### IN COMMEMORATIONE SANCTI PAULI.

(Ex Opp. beati Chrysostomi.)

Divus Paulus qui tantam vim humanæ alacritatis ostendit, etc. *Reliqua vide apud sanctum Chrysostomum, Operum ejus in editione nostra tomo II, col.* 483.

## HOMILIA XXVIII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opere imperfecto in Matthæum, apud sanctum Chrysostomum, inter spuria.)

*In illo tempore dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* etc. (*Matth.* xix).

Quoniam possibile fuit Deo salvare Judaicum populum multas in lege divitias possidentem, credentium Judæorum multitudo testatur, etc. *Reliqua vide Operum sancti Chrysostomi in editione nostra tomo VI, col.* 812, *lin.* 77.

## HOMILIA XXIX.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Cum omnes beati apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, etc. *Reliqua vide apud beatum Maximum, Patrologiæ tomo LVII, col.* 402.

## HOMILIA XXX.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Filioli mei, audite nos, et liberate vos, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2124.

## HOMILIA XXXI.

### DE EODEM FESTO.

(Ex eodem.)

Notum nobis omnibus est, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 2119.

## HOMILIA XXXII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Gloriosissimos Christianæ fidei principes annuis solemnitatibus honorantes, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 391.

## HOMILIA XXXIII.

### IN OCTAVA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

(Ex Opp. beati Augustini.)

*In illo tempore, jussit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare*, etc. (*Matth.* xiv).

Evangelium quod recentissime recitatum est, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 479.

## HOMILIA XXXIV.

### IN NATALI SANCTÆ FELICITATIS.

(Ex Opp. sancti Gregorii papæ).

*In illo tempore loquente Jesu ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei*, etc. (*Matth.* xii).

Sancti Evangelii, fratres charissimi, brevis est lectio recitata, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1086.

Digitized by Google

### HOMILIA XXXV.

IN NATALI BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Quod admonemur Domini eloquiis de divinis lectionibus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 595.

### HOMILIA XXXVI.

IN EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore, rogabat Jesum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit*, etc. (*Luc.* VII).

Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1239.

### HOMILIA XXXVII.

IN NATALI SANCTI JACOBI APOSTOLI.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo*, etc. (*Matth.* XX).

Dominus Jesus Christus conditor ac redemptor noster, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 228.

### HOMILIA XXXVIII.

IN VINCULIS BEATI PETRI APOSTOLI.

Simon Joannæ filius, Petrus a petra vocatus, post pisces piscator hominum, Ecclesiæ fundamentum, confessor Dei Filii, pastor ovilis Dominici, quondam despectus crucifer, modo cœlorum claviger, tres per anni circulum dies festivos facit et celebres. Primam consecrat Antiochiæ cathedra, secundam passio crucis gloriosa, tertia est hodierna, quæ titulatur ad Vincula. De hac a plerisque volvuntur opiniones diversæ, quas non ex veritatis auctoritate, sed ex dubietatis confingunt errore. Videtur eis hodierna solemnitas inde venerationis exordium accepisse, quod in hac nocte sanctus apostolus absolutus sit carcerali compede. Sed veritati non concordat ordo temporum, cum non hodie, sed azymorum diebus legatur in carcerem missus, et post Pascha de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum liberatus. Qui credunt in Augusto legitimum celebrari Pascha, credant hodie Petrum evasisse vincula. Et si volunt opponere quod dicitur post Pascha, futurum aliquid significare, quasi a Pascha usque ad præsentem diem servaretur in carcere, occurrit eis et Herodis sævitia et Judæorum vesania, qui vix quo tentus est die, sivissent apostolum vivere, si paschale festum non timuissent violare. Sunt et alii qui solutionem apostolicam minime credunt hodie factam, sed statutum esse a Patribus, ut hodierna die veneraretur a fidelibus, sicut apostolorum Simonis et Judæ commemoratio quinto Kalendas Novembris agitur, quorum passio Kalendis Julii facta describitur. Legimus etiam de aliis sanctis alium diem commemorationis, alium de sæculo A migrationis, de quibus plurima suppeterent exempla, si fastidium non generaret oratio prolixa. Sed quid visum fuerit Patribus hæc ita ordinasse, non est modo temporis per singula dicere: tantum sub brevitate perstringam quam hodierna festivitas habuerit causam. Si legentium displicuerit judicio juste reprehendi de falsitate non timeo: quia non quasi alicujus auctoritatis publico mea, sed minus capacibus aliorum aperio clausa. Augusti mensis Kalendas ante Salvatoris adventum celebravit antiquitas, cujus celebritatis principium videtur sub brevitate pandendum. Octavianus Cæsar Augustus Romanis imperavit fascibus. Cui cum rebellaret Ægyptus, bellum suscepit contra fines ejus, in quo Cleopatram, in quam ceciderunt ultima regna Ptolemæorum, et B incestuosum cum copiis suis contrivit Antonium. Cumque victor potitus Alexandria, victrices aquilas reportasset Romam, ut victorem decebat, ab utriusque sexus populo susceptus est honorifice. Et quia in tantum opibus Alexandriæ Romanum commodum auxit, ut duplicia quam usque ad id fuerant possessionum aliarumque rerum pretia statuerit, decretum est a primatibus civitatis ut ejus memoria victoriæ singulis recoleretur annis. Placuit igitur consilio communi, commemorationem in sextilibus Kalendis fieri, ut in ipso mense ageretur dies victoriæ, quæ ab aucta republica et Cæsare, Augustus denominaretur vocabulo. Ex hinc consuetudo inolevit, magna deliberatione primatum, ut in gloriam tanti principis per omne anniversarium Romanus populus C conveniret in unum, et ob Cæsarianas victorias coronata civitas sexti mensis initia plausibus et choreis honoraret, et nemo ex confluentium turba in sua remearet, prius quam simplicem panis scilicet et vitri (*sic*) liquoris sumptum libasset. Sic ergo hujus observantia diei vicesimo octavo ante incarnationem Domini cœpit anno, et prævaluit apud gentiles per tempora quadringentorum septem annorum, usque in ultima Christiani principis Adriani tempora. Tunc apud paganos finem fecit, et deinceps ad Christianos transivit. Transivit ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, a gentium principe in Christianorum principem, ab Augusto Cæsare in evangelicum piscatorem. Tunc solemnizabatur in D templis idolorum, nunc festivatur in ecclesiis sanctorum. Tunc exhibebatur dæmonibus, nunc exhibetur ei qui est Deus deorum. Procedat dicere sermo quomodo mutavit hanc Christiana religio. Arcadius imperator Augustus, magni Theodosii filius, post mortem patris imperium gubernavit quatuordecim annis. Hic sublatus de medio, regnum reliquit Theodosio juniori filio, qui vix ætatis annos contigerat octo. Cujus mater Eudoxia, memorabilis vitæ femina, virilem induens animum, strenue gubernavit imperium, et facta filio virtutum disciplina, docuit eum vitæ paternæque bonitatis sequi vestigia. De divinis enim legibus eum admonebat, et perfecte seipsam cum ipso erudiebat. Non regni fastigiis elevabatur, sed potius divino timore succumbe-

Digitized by Google

batur. Magnitudo beneficii auxit ei desiderium benefaciendi. Non erubuit purpuram inclinare, et pauperum debiliumque curam agere. Non servos, non ministros ad infirmorum habitacula mittebat, sed ipsa per se veniens quæ necessaria erant ministrabat. Cibos ipsa parabat, panem frangebat, epulas ministrabat, calices lavabat, potum porrigebat. Læva ægrum sustentabat, dextera manu cibabat. Alia etiam, quæ servorum erant, officia complevit humilis regina, cupiens ab ipso bene ministrandi gradum promereri qui se in suis minimis profitetur visitari. Propterea sollicitudinem gerebat maximam, sacrilego gentilium ritu mundare patriam, et hæreticæ paleas pravitatis catholicæ fidei excutere granis. Inter hæc pietatis opera concepit animo Hierosolymorum visitare loca, Salvatoris vestigia lacrymis rigare, crucifixum in sepulcro, non jam cum mortuis quærere, sed viventem et in cœlis regnantem adorare. Effectum habuit affectus quem inspiravit Spiritus sanctus. Cum regio comitatu profecta, suscepta est ab Hierosolymis ut regina et domina, magnisque muneribus a populo Judæorum honorata. Interfuit dona ferentibus potioris muneris unus, licet aliorum oblatis videretur vilius. Alii argentum septies purgatum, alii aurum igne probatum, alii lapidem pretiosum et multum; iste argento et auro lapideque pretiosius obtulit ferrum, illas scilicet catenas quibus Petrum in carcere vinxit Herodis feritas, quasque verbi sui in conclavi disjecit angelicæ visitationis claritas. Si cui videtur incredibile Judæos vincula Petri vel pro honore servasse, vel pro honore dedisse, quippe qui ejus sanctitati non cessabant detrahere, sciat nihil impossibile divinæ voluntati, quæ quandiu voluit, talem margaritam apud immundos sues conculcari permisit, donec revelaret eam in tempore quo fieret ornamentum Ecclesiæ. Voluit qui potuit sui militis tropæum manifestare per Judæum Eudoxiæ, qui per ejusdem incredulæ gentis hominem suæ crucis stigmata detexit Helenæ, ut contrarius veritati populus tanto majori suæ confusionis suffunderetur rubore, quanto per seipsum crucifixi testes potioris confiteretur gloriæ. Quis dubitet Eudoxiam gaudio tripudiasse non minori, cum agnovisset catenas Petri, quam Helenam cum diu desideratam vidisset crucem Domini? Utriusque inventricis potuit par esse gaudium, utriusque tamen thesauri non audeo par profiteri meritum. Quem invenit Helena majoris est meriti, quantum ad personam imperatoris, ad personam Domini, ad personam magistri, ad personam sponsi, ad personam Filii Dei; quem Eudoxia reperit est minoris meriti, quantum ad personam militis, ad personam servi, ad personam discipuli, ad personam amici, ad personam pertinet hominis filii: uterque tamen sanctus, uterque magnus, uterque nullis terrenis divitiis comparandus. Major majorem sanctificavit, quia persona personam justificavit, imperator militem, Dominus servum, magister discipulum, sponsus amicum, Dei Filius hominis filium. Christus justificavit

A Petrum. A Christo Petrus accepit unde catenam suam consecraret: a seipso Christus habuit unde crucem suam sanctificavit. Crux, pœna latronum, facta est corona sanctorum; crux, reprobatio mundi, facta est gloria cœli; crux, mortis supplicium, facta est vitæ remedium. Propter hoc libertatis privilegium meritis exsuperat Petri vinculum, et quamvis sancta, quamvis veneranda, boni piscatoris catena, præcellit tamen clementissimi Salvatoris crux gloriosa. Regina vero optati muneris largitate potita, grates reddidit ei a quo bona procedunt cuncta, et pro quibus venerat dispositis ad mentem, festina Romanam revisit arcem. Intulit Latio vincula quæ solvunt peccatorum ligamina, quæ jam non ligent justum et sanctum, sed ab omni impietate solvant impium.

B Felicem silentio commisit eventum, dum in medium proferendi tempus occurreret aptum. Noluit famam rei subito intonare auribus vulgi, ne verba quæ ad horam sine opere sonarent hora transeunte transirent. Altiori consilio tractavit sic inventum thesaurum Romanis commendare, ut quoad viveret religio fidei Christianæ, perpetuum haberet in sancta Ecclesia memoriale. Aspiravit bonæ voluntati cœlestis gratia, unde optantis animo bene conveniens occurrit causa. Videns igitur fideles infidelibus in hoc gentilitatis consentire ritu, ut singulis annis ob Cæsarianæ laudem victoriæ, sextiles solemnizarent Kalendas, copiosa toga et plebis apparatu, volvebat animo lactantem nascentis Ecclesiæ infantiam, hac superstitiosi erroris cito maculari posse, nisi divina

C clementia bonitatis tantæ cladibus pestilentiæ curaret quantocius finem imponere. Cogitavit regiæ majestatis auctoritate in cultores uti, sed curiæ sententiam et primatum industriam evertere non erat ex facili. Durum erat a priscæ consuetudinis intentione senatus decretum revocare, maxime cum per tot Christianorum imperia principum usque ad illud temporis longa senuisset ætate. Videbatur enim ejusdem fautoribus observantiæ in hoc cultu nihil se contra Christianæ religionis propositum agere, cum nec sacra imponerent aris, nec thura incenderent diis, sed publicæ rei augmentum, Cæsariani plausus attollerent choreis. Et si studii senatorii ordines in suæ partis voluntatem inclinasset, minoris manus officii in seditionis versa tumultum valde restitisset,

D quippe quibus esset contrarium exterminari annuum sui otii cultum. Ideo erat (ut dixi) difficile apud ipsos antiquitatis ritum subversum ire, sicut hodieque in Christiano orbe plurimi vanæ superstitionis observantur ritus, quorum memoria deleri potest aut vix aut nullatenus. Deo ergo amabilis regina egregium revocavit animum in id consilii, nequaquam in regiæ majestatis honorem seditionem tumultuantis excitari populi, ne inconsultatores se verterent in pejus, dum viderentur tractari durius. Disposuit humilitatis precibus impetrare quod credebat minarum terroribus sine periculo extorqueri non posse. Prudentis arcanum animi Romanæ sedis patefecit præsuli, qui ejusdem jam exstiterat voti, sed rudi

Digitized by Google

timebat Ecclesiæ si iret contra torrentem brachia tendere. Fecit eum ad plebem suæ precis oratorem, ut eadem qua eatenus observantia constarent Augusti Kalendæ, sed potioris principis titularentur ex nomine. Sanior ergo pars populi assensum præbuit verbis apostolicis : qui vero timuerunt cultum exterminari, nisi sunt excitare seditionem vulgi. Ut autem a prioribus intellexere, non de cultus exterminatione, sed de nominis mutatione petitionem esse, tumultuantis turbæ cessavit commotio, et communi laude approbata est potioris nominis inscriptio. Tunc Eudoxia delati ab Hierosolymis thesauri coram dedit confessionem, et ingrediens cum papa, de vinculis Petri sermonem plenum devotionis et compunctionis verbum fecit ad plebem. Docuit in eis esse medicinam salutarem ad interioris et exterioris hominis salutem, et per eum in cujus sacratissimo consecrata sunt corpore, omnium peccatorum absolutionem promereri posse, quia multum est illi facile quidquid voluerit ab illo impetrare a quo habet in potestate animarum nexus solvere atque ligare. Inseruit etiam sermoni mentionem de illa catena quam tulit apostolus sub Neroniana custodia, quam quintus a beato Petro papatus minister curationum largam edocuit Alexander, quamque in augmentum salutis suæ revelavit Balbinæ Quirini filiæ. In conclusione autem sermonis ex Dei voluntate obtinuit hoc petitionis, ut (sicut dixi) eadem observantia constarent Augusti mensis Kalendæ, sed principis apostolorum titularentur ex nomine, et ejusdem celebritatis gaudia, quæ eatenus Cæsaris victoria, deinceps Petri appellarentur vincula. Ad cujus deliberationis decretum sine fine confirmandum, Augustæ sumptus et papæ supplementum Domino elimaverunt et chrismaverunt templum, in quo digne reposita clementissimi Petri vincula, indigentibus plurima præstant beneficia, ibique perpetui anathematis sententia percussa est Cæsariani plausus vesania, ut apostolicæ liberationis victoria liberiori regnaret per orbem memoria. Imaginavit etiam pontifex ad impietatis similitudinem, hanc pietatis formam, sicut Augusticolæ panis et vini hodierna die libavere sumptum, ita Christicolas Dominici corporis et sanguinis gustare sacramentum, et educti mortis ergastulo angelicum sequerentur ducatum cum Petro, qui nos peccatorum absolutos vinculis, introducat in januam regni cœlestis, ubi nos reficiat sui aspectus satietate, *in quem desiderant angeli semper prospicere* (*I Petr.* I), cui proclamant : *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* VI), sine intermissione, laudantes unum verum Deum in trinitate, qui vivit et regnat sine fine. Amen. Tu autem.

## HOMILIA XXXIX.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Augustini.)

Audistis, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXIX, col.* 2102.

## HOMILIA XL.

### DE SANCTO LAURENTIO MARTYRE.

(Ex Opp. beati Leonis papæ.)

Cum omnium, dilectissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Leonem, Operum ejus tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 434.

## HOMILIA XLI.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

Sanctum est, fratres, ac Deo placitum, etc. *Reliqua vide apud beatum Maximum, Patrologiæ tomo LVII, col.* 408.

## HOMILIA XLII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex beati Augustini in Joannis Evangelium Tractatu, tract. 51, n. 3.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet*, etc. (*Joan.* XII).

Humilitatis magister est Christus, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1765, *lin.* 8.

## HOMILIA XLIII.

### IN VIGILIA ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ.

(Ex beati Ambrosii in Evangelium secundum Lucam Expositione, lib. II, num. 19.)

*Exsurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth*, etc. (*Luc.* I).

Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant, etc. *Reliqua vide apud sanctum Ambrosium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ XV, col.* 1559.

## HOMILIA XLIV.

### DE ASSUMPTIONE VIRGINIS GLORIOSÆ.

(Ex Opp. beati Hieronymi.)

Cogitis me, o Paula et Eustochium, imo charitas Christi me compellit, etc. *Reliqua vide apud beatum Hieronymum, Operum ejus tomo XI, Patrologiæ XXX, col.* 122.

## * HOMILIA XLV.

### IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

*Multæ filiæ congregaverunt divitias*, mater Domini *supergressa est universas* (*Prov.* XXXI). Multæ fideles animæ pretiosa virtutum ornamenta, quibus Deo placerent, sibi thesaurizaverunt : mater Domini supergressa est universas. Supergressa est omnes in terris, supergressa est in cœlis. In die peregrinationis suæ, omnes habitatores terræ meritorum decore excessit ; in die reparationis suæ, omnes habitatores cœli præmiorum honore transcendit. *Filiæ Jerusalem, venite et videte* matrem Domini *in diademate* regalis gloriæ suæ, *quo coronavit eam* filius suus, *in die lætitiæ cordis ejus* (*Cant.* III), in die beatæ assumptionis ejus in cœlum. Plaudite et *jucundamini super eam, omnes qui diligitis eam* (*Isa.* LXVI) : quoniam nimis exaltata est, magnificata est vehementer. Cantemus in admiratione gloriæ ejus, cantemus

* Homiliarius titulum sic exhibet : *Sermo ...... incerti quidem auctoris, sed excellentis.* EDIT.

illi canticum lætitiæ, cum rege Salomone dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, et innixa super dilectum suum* (*Cant.* VIII)? Quod vel quale desertum unde ascendit? Quo aut quando ascendit? quibus affluens deliciis? super quem innixa dilectum? Ipsa opitulante, dicemus. Desertum erat gens Judaica, derelicta a Deo, privata a multiplici gratia, quam habere consueverat, secundum quod comminatus fuerat Dominus per Isaiam, dicens: *Ecce dominator Dominus auferet a Jerusalem et Juda validum et fortem, et omne robur aquæ, et virum bellatorem, et judicem et prophetam*, et cætera quæ sequuntur (*Isai.* V). Et rursum: *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam* (*Isai.* V). Ab hoc deserto plorandæ miseriæ, gloriosa nostra theotocos ad beatius quoddam desertum in die quo recordatus est Dominus auferre onus gemituum ejus, quibus super absentia filii ingemiscebat, gaudio plena ascendit; ad illud, inquam, desertum ascendit, cujus meminit Salvator in parabola evangelica, dicens: *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat* (*Luc.* XV)? Cœlestis quippe illa habitatio sanctorum dicta est, quia ab homine fuerat derelicta; vel pro illa nimirum similitudine loci deserti, quod pax et perpetua tranquillitas illic est: non illic coarctat vir proximum suum pro multitudine habitantium in ea; nulla infestatione, nulla clamositate inquietat. Nam et pro ea similitudine mens humana a sapientibus desertum dicitur, quæ nullis curarum aut vitiorum clamoribus inquietatur. Ascendit, inquam, *et exaltata est, sive in corpore, sive extra corpus, nescimus, Deus scit* (*II Cor.* XII). Usquequo exaltata est? usque ad cœlos? Etiam certe super omnes cœlos, et super omnes cœlos cœlorum. Etiam certe super angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubin atque seraphin. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal.* CXVII), ut femina fragilis, vermiculus educatus in limo turbulenti hujus sæculi, tam puras, tam præclaras, tam excellentes creaturas, tam excellenter supergredi meruerit. Sed dignum et omnibus modis conveniens erat, ut omnia subjicerentur sub pedibus ejus, quæ omnium genuerat creatorem. Dignum erat ut Domina esset angelorum, quæ digna fuerat esse mater Domini angelorum. Dignum erat ut angelica puritas illi subderetur in cœlis, cui totam se infoderat divina puritas in terris. Dignum erat ut amplius matrem suam honoraret quam ministros, ipse qui dixerat: *Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Dignum erat ut familiarius hanc amaret, copiosius remuneraret, quæ singularius atque arcedentius omni rationali creatura ipsum dilexerat. Et quis æstimare aut excogitare poterit, quanta fuit dilectio talis matris erga talem filium? Si mala mater malum filium solius naturæ instinctu diligit, si bona mater bonum filium, tam naturæ quam virtutis instinctu diligit, optima mater optimum filium quantum dilexisse æstimatur? Diligendi causam præstabat in filio natura, virtutum plenitudo, insuper et divinitas: virtutem vero diligendi, plenitudo Spiritus sancti operabatur in matre. Quis ergo modus esse potuit dilectioni, ubi nulla deesse potuit causa diligendi? Quia ergo plus omnibus dilexit, merito plus omnibus dilecta est a Domino et honorata. Ecce enim exaltata est super choros angelorum usque ad dexteram filii, et facta est potens materfamilias in universa domo Domini, et regina cœlorum appellata est. Quam potenter ad se traxit versiculum illum propheticum, quo dictum est: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV)? Et quid est aurum vestimento ejus superductum, nisi illa inæstimabilis charitatis flagrantia, universam vitæ sanctitatem velut rutilanti colore desuper adornans? Quænam est et vestimenti ejus quo circumdata est, varietas? Illa procul dubio cœlestium exercituum ei famulantium mille millena millia, quibus omnibus quasi vestimento luminis amicta est et mirifice adornata. Unde non immerito divina illa exclamatio, qua olim indignum se fecit gloriosus ille cherub, ad hanc aptissime converti potest, ut dicatur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, o Maria! *sardius, topazius, jaspis, chrysolithus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus* (*Ezech.* XXVIII). Bene his novem pretiosissimis gemmis operiri dicitur hæc regina nostra, dum novem ordinibus angelorum singulatim comparata, tanto apparet gloriosior, quanto illis in decore suo est eminentior. Rumpere invidia, serpens inveterate, et indignatio tua scindat te medium: quia ecce *mulier cujus insidiatus es calcaneo, contrivit caput tuum* (*Gen.* III): et honoris tui privilegium, quod per superbiam perdidisti, virtute humilitatis traxit ad se. Ambulavit *perfecta in viis suis, et ecce posita est in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum, unde projecit te Dominus, quia inventa est iniquitas in te, et nihili factus es* (*Ezech.* XXVIII). Sed quid solos beatorum spirituum ordines in varietate vestimenti ejus assignavimus? Nonne omne quod pretiosissimum de terra ad cœlos subvectum est, omnimodæ laudis et honoris illam circumdat ministerio? Huic se inclinat patriarcharum et prophetarum veneranda canities, sub hac curvantur fulcientes aulam Dei columnæ apostolicæ; aureus fulgor martyrum, argenteus nitor confessorum, splendori pulchritudinis ejus cum reverentia cedunt. Circumdant eam flores rosarum et lilia convallium, virginales gemmulæ, in sua signifera speciali tripudio exsultantes: et suum singulare canticum, ipsa præcinente, post Agni vestigia decantantes. Adhuc autem et alia ratione, prædictos lapides operimentum θεοτόκου nostræ dicere possumus, pro eo videlicet quod merita gloriosa, quæ illorum proprietatibus exprimuntur, ejus pretiosa ornamenta sunt. Sardius quippe sanguinei coloris est, et martyrii gerit figuram: quod procul dubio ornamentis reginæ hujus in

passione Filii accessit. Unde et ad eam dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II). Topazius gratus regibus, duos habet colores, æthereum et aureum, contemplationem divinitatis significans. Aurum quippe divinitati, æther contemplationi adaptatur. Et quis hominum vicinius Deum contemplari potuit quam hæc, quæ familiarius omni rationali creatura, Deum in medio cordis sui suscepit, et cooperante Spiritu sancto, propria carne vestivit? Testimonium etiam perhibet ejus contemplationi Scriptura, cum dicit: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc.* II). Jaspis viridis lapis est, immarcescibilem fidei constantiam designans. Hanc quoque in illa commendat evangelicus sermo, dicens: *Et beata quæ credidit, quia perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino* (*Luc.* I). B Magna quippe erat virtus fidei illius, quæ tam incredibilia, tamque inaudita nuntianti angelo tam cito credidit: ac per hoc statim Spiritu sancto fecundari, et Filium Dei concipere meruit. Conservavit autem immarcescibilem fidei suæ virorem usque in finem, quæ nec in morte Filii Dei in fide hæsitavit, quominus Deum immortalem crederet, quem mori videbat ut hominem. Chrysolithus quasi scintillis ardentibus respersus apparet, cujus habent similitudinem qui sermone sapientiæ per Spiritum pollent. Qui dum persuasionibus divinis proximorum corda accendunt, quid aliud nisi quasdam scintillas ignis quo intus ardent, eructuant? Et de beata virgine indubitanter credendum quod cum esset plena igne Spiritus sancti a tempore conceptionis Christi, C nunquam more levium feminarum otiosa verba effudit: sed omnis sermo ejus sale sapientiæ salitus, et ad accendendum proximorum corda idoneus, quasi scintilla erat ignis illius, quem clausum gerebat intrinsecus. Pulchre in principio visitationis ejus scintillavit hic ignis, cum de plenitudine Spiritus sancti divinum illud canticum eructavit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, etc. (*Luc.* I). Quid etiam nisi quasdam scintillas emisit, quando et de sua visitatione, et de plurimis rebus quæ circa salvatorem nostrum Filium ejus gestæ sunt, Evangelii scriptores instruxit? Onyx colorem habet turbidum et quasi subtristem, in modum unguis humani, significans D humilitatis modestiam. Est autem singulare decus, beatæ virginis humilitas. Quæ cum electa esset in matrem Domini, ancillam se nominavit: neque aliud quam humilitatem in se Deo placuisse professa est, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I). Berylli species sic est, quasi aspectus aquæ fulgore solis repercussæ. Erat in hunc modum virgineæ mentis facies a sole justitiæ copiosissime irradiata, cujus uno eodemque tempore fulgor totus illi infundebatur in terris, et totus splendebat in supernis. Sapphirus sereni cœli speciem habet, et tranquillitatem puræ mentis, quæ nullis vitiorum aut sollicitudinum nubibus obscuratur, significat. Unde et thronus Dei, sapphiri speciem habere dicitur in

A propheta (*Ezech.* I): quia mentem cui Deus insidet quasi throno, cœlesti puritate et tranquillitate præditam esse necesse est. Quod autem summæ tranquillitatis et quasi æthereæ puritatis beata mens virginis fuerit, ex hoc certissimum est: quoniam cum abundantia ineffabili huic supervenit Spiritus sanctus, qui non novit requiescere nisi super humilem et quietum (*Isai.* LXVI). Obumbravit ei virtus Altissimi, ut nullius vitii humani nube serenitas ejus posset perturbari: atque ita singularis thronus Dei præ cunctis participibus effecta est. Si enim ut filii Dei possint esse, pacificos esse necesse est (*Matth.* V), multum per omnia pacatam esse conveniebat sacræ virginis mentem, ut non solum filia, sed et mater Dei esse mereretur. Carbunculus per noctem lucet, in die autem obscurus apparet. Huic simili ratione sicut lunæ sive auroræ, sanctitas beatæ matris comparatur, quæ ante filii sui adventum, videlicet dum adhuc nox antiqua cursum suum perageret, singulariter fulsit in mundo: et quasi quibusdam præcurrentibus radiis venturi solis, præ cunctis viventibus illustrabatur. Quod nimirum præsenserat qui ait: *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV). Et qui ait: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant.* VI)? At ubi verus sol ex utero ipsius emersit, *et illuxit dies quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII), jam ex tunc si claritati filii comparetur claritas matris, quamvis magna sit vehementer, tamen in illius comparatione quodammodo obscura videtur, velut si soli stellam comparemus. Smaragdus tam præclaræ viriditatis est, ut etiam quosdam viriditatis radios ad ea quæ applicata ei fuerint, emittat, et sua viriditate non solum arida, sed et virentia afficiat. Cui pulchra similitudine nobilissimus ille viror virginitatis comparatur, quæ etiam a viriditate vocabulum traxit. Sicut enim mos est corruptis ad corruptelam alios libenter allicere, ita bonis virginibus proprium est, et per incorruptionem virides, ad virginitatis virtutem animare, et per corruptionem arefactos, ad continentiæ virorem verbo et exemplo revocare: atque ita et virentia et arida sua viriditate afficiunt. Ex quibus erat qui dixit: *Vellem autem omnes esse sicut meipsum* (*I Cor.* VII). Et rursum: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quantos ad virginitatis culmen erexit beatus ille virgo, quem diligebat Jesus, in verbo quo ait: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV). Et dux virginum, virgo Jesus: *Sunt qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX). Bene igitur et smaragdus inter ornamenta reginæ nostræ resplendet, quia mirandus cunctis gentibus virginitatis viror, in ea etiam post partum singulariter viret, et viriditatis suæ nobiles radios per omne sæculum spargit. Ecce enim gratiosa et amabilis virginitas illius prædicatur in universo mundo, et multa millia utriusque sexus ejus castitatis irradia-

Digitized by Google

tur exemplis, continentiam carnis voventes tam illi, quam virgineæ proli illius. Bene itaque pro his omnibus ad eam convertitur sermo propheticus, quo dicitur : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* (*Ezech.* XXVIII). Quidquid enim pretiosum, quidquid amabile illorum pretiositate signatur, totum in illam divinitus congestum est. Certe nec Salomon in omni gloria sua vestitus fuit operimentis hujusmodi (*Matth.* VI). *Odor vestimentorum tuorum*, o Maria, *sicut odor thuris* (*Cant.* IV). Optimi odoris incensum in conspectu Altissimi sunt præclaræ virtutes tuæ, et ad deprecandam faciem ejus efficacissimæ. *Quasi libanus non incisus, vaporasti habitationem tuam.* Tua quippe incorrupta integritas totam domum Domini optimæ famæ replevit odoribus, et ad benedicendum et orandum Deum, mentes incitat universorum. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedisti : sicut myrrha electa dedisti odorem suavitatis* (*Eccli.* XXIV). Cinnamoni in humilitate, balsami in charitate, myrrhæ in castitate nobis spiras odorem : et idcirco *currimus*, o Maria, *post te, in suavitate unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Adjuva currentes, trahe lassos, subleva lapsos, ut introeamus et nos tecum. *Quasi terebinthus extendisti ramos tuos* super latitudinem terræ (*Eccli.* XXIV) : et ecce confugimus ad te, ut sis nobis in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et in absconsionem a turbine et a pluvia. Animadvertite et videte, charissimi, quæ de hujus reginæ gloria dicta sunt, et manifestum habebitis quæ sint deliciæ illius, quas in ea notat sermo divinus, dicens : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, et innixa super dilectum suum?* Et quis est hic dilectus, nisi amantissimus filius ejus? Forti et inflexibili baculo hanc inniti oportebat in sua venerabili senectute, ad peragendum iter illud magnum et arduum, ab hac valle miseriæ usque ad altissima cœlorum, quæ nemo penetraverat, præter unicum filium ejus. Ipse procul dubio Rex regum, et Dominus dominantium filius ejus, cum multitudine cœlestis exercitus exsultanter illi occurrit, baculum fidelem seipsum illi supposuit : portavit, a qua portatus est, matrem plenam dierum, plenam omni opulentia spirituali supra omnem plenitudinem sanctorum, usque ad conspectum throni in excelso, et in solio ineffabilis gloriæ collocavit. *Et sic in Sion firmata est, et in civitate sanctificata similiter requievit, et in Jerusalem potestas ejus. Et radicavit in populo honorificato, et in partes Dei ejus hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio illius* (*Eccli.* XXIV). O prædicanda toto mundo illius diei gaudia, quibus in adventu reginæ suæ lætificati sunt universi cives supernæ Jerusalem, congratulantes filio in tali matre, et matri in tali filio. Et quid mirum? Si gaudium est familiæ cujuslibet pusilli hominis, in die quo ad nuptias sponsam suam adducit, nunquid non esse debuit gaudium civibus cœli, in die quo et regi illorum sponsam ex sponsis electam, ad nuptias ducere, filiam inter filias dilectam hæreditare, matrem inter

A mulieres benedictam, condigne honorare complacuit. Ad introitum ejus omnes tubæ cœlestes insonuerunt, et jubilaverunt omnes filii Dei, et beatissimam prædicaverunt, collaudantes victricem manum ejus, quæ cervicem supplantatoris antiqui potentissime humiliavit. Non sic Eva, non sic : sed tanquam pulvis quem exsufflavit serpens a facie paradisi. Si ergo, charissimi, hanc gloriosam dominam veneratur et laudat, si in ea exsultat beata angelorum societas, multo magis pertinet ad nos exsultare in ea, et omni honore, omni laude nomen ejus exaltare. De nobis enim exiit, nostri generis gemma pretiosa est, honor noster per illam consummatus est. Viles in conspectu angelorum per virum et feminam facti sumus a principio ; sed ecce

B super illos uterque sexus elevatus est, virilis in Christo, femineus in Maria. Jam et virum et feminam velut socios et concives honorant, videntes utriusque generis principem super se. Contuentur supra se duo magna luminaria ex hominibus assumpta : luminare majus, et luminare minus, Jesum et Mariam, quibus solem et lunam æquiparari omnino indignissimum est. Exsultemus igitur et lætemur in ea, quia omnium nostrum fidelis advocata in cœlis est. Mediator Dei et hominum, filius ejus est, mediatrix filii sui et hominum ipsa. Sicut decet matrem misericordiæ, misericordissima est, et novit compati infirmitatibus humanis, quia notum est ei figmentum nostrum. Propter quod et interpellare pro nobis apud

C filium suum non cessat, si tamen nosipsos iniquitates nostras deplorare viderit ac detestari. Certe et ipsa pœnitentiam nostram ex multitudine misericordiæ prævenit, et gladium filii ad percussionem extentum continet, orans et petens ut conversionem nostram longanimiter exspectet. Si enim non tanta intercessione mundus fulciretur, nimirum justo Dei judicio subversus jam fuisset, sicut olim Sodoma et Gomorrha divino igne perierunt, et sicut populus Judaicus in deserto cœlestibus plagis absumptus est. Ecce enim eædem iniquitates quæ illis erant causa perditionis, et multo ampliores per universum mundum multiplicatæ sunt. Quid ergo est propitiatrix hæc domina, nisi velut nubes quædam suavissima, obumbrans nobis a facie solis, ne nimia æstuatione illius exuramur? Itaque, dilectissimi, in ea tam po-

D tenti, tam pia et tam fideli advocata nostra, toto corde gaudeamus, quæ nulli digne postulanti auxilium negat, et pro nullo apud filium frustra interpellat. Gaudeamus, inquam, in illa, et dignis obsequiis, dignis laudibus cum illis sacris angelorum legionibus eam veneremur, ac vultum ejus deprecemur cum omnibus divitibus cœli. Quæ sunt autem obsequia, quibus tantam dominam digne possimus honorare? Hoc certe illi gratissimum obsequium est, ut ejus sacratissimam vitam imitantes, amemus quod amavit, et vitemus quod vitavit. Grata est illi castitatis pulchritudo, per quam et ipsa in oculis Altissimi gratiosa facta est. Hanc igitur pro illius et filii sui reverentia in cordis nostri suscipiamus ho-

Digitized by Google

spitio, et amplectamur decorem ejus, et gratiam magnam in conspectu ejus inveniemus. Si enim immunditiis luxuriæ porcorum more volutemur, abominabiles erimus coram illa, et nihil dignum in conspectu ejus agere poterimus. Dilecta est illi humilitatis modestia, propter quam ad summa honoris fastigia a Domino exaltata est. Hanc illius provocati exemplo amemus, et opere exerceamus, et gratum illi præstabimus obsequium. Si enim superbiæ fastu elatos nos viderit, placere illi in nullis actibus valebimus, apud quos regnat inimicus ejus. Pretiosa est in conspectu ejus divinæ charitatis flagrantia, quæ super salutem et omnem pulchritudinem Deum dilexisse cognoscitur, et idcirco super omnem creaturam a Domino dilecta est. Si ergo et in hoc ei conformes esse studuerimus, ut toto corde Deum ac Dominum nostrum salvatorem, filium ejus diligamus, in eo ipso holocaustum pingue et suavissimi odoris in conspectu ejus offeremus, nec acceptius ei ministerium unquam exhibere poterimus. Si autem a charitate divina vacui, et fraterno odio et invidia pleni exstiterimus, frustra in os nostrum laudes ejus assumemus, frustra in aliqua re obsequium illi præstare conabimur. Ipsi, fratres, judicate : Si servus nudus, aut turpiter conscissis vestibus indutus, et sordidas habens manus, coram pudica et severa aliqua matrona ministrare præsumpserit, nonne abominabilis est illi? Nimirum, avertet oculos cum indignatione, ac dehonestari se arbitrabitur illius ministerio magis quam honorari. Quomodo ergo coram tremenda illa totius mundi domina, quam tota cœlestis curia cum omni reverentia honorat, iniquitatibus pleni apparere, festivitatibus ejus interesse, et laudes ejus pronuntiare audemus, de qua certum est quod *diligit justitiam, et odit iniquitatem* (*Eccli.* XV)? Non est speciosa laus in ore peccatoris. Placere non possunt epulæ quantumvis pretiosæ, in sordido vase oblatæ. Timeamus ne et nobis dicatur ab ea : Bene obtulisti, sed male divisisti. Bene etenim illi offerimus, cum laudes ejus sanctas pronuntiamus, sed male dividimus, cum nosmetipsos per vitam malam ab ea alienamus. Verumtamen quantumvis horrendæ sint infirmitates nostræ, nequaquam de misericordia ejus nobis desperandum est, si in conspectu ejus nosmetipsos accusare, et interventum ejus pœnitenti corde voluerimus flagitare. Procul dubio videbimus auxilium ejus super nos, quia multæ sunt miserationes ejus, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eam. Sit nomen ejus benedictum in sæcula sempiterna. Benedictus Deus in multitudine misericordiæ suæ, qui tam potentem, tam misericordem, tam familiarem suæ majestati, nobis in superna curia dedit advocatam. Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio, in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XLVI.

### DE EODEM FESTO.

Hodie namque gloriosa semper virgo Maria cœlos ascendit. Rogo, gaudete, quia ut ita fatear, ineffabiliter sublimata, cum Christo regnat in æternum, Regina mundi hodie de terris et de præsenti sæculo nequam eripitur. Iterum dico, gaudete, quia secura de sua immarcescibili gloria, ad cœli jam pervenit palatium. Exsultate, inquam, ac gaudete, et lætetur omnis orbis, quia hodie nobis omnibus, ejus intervenientibus meritis, salus aucta est. Vobis quoque diligentibus eam honor et virtus una cum reliquis virginibus sacris amplior præstatur et gratia. Idcirco, dilectissimi, lætamini et laudate, quia si Deum ore prophetico in sanctis suis laudare jubemur, multo magis eum in hac celebritate beatæ virginis matris ejus oportet cum hymnis et canticis spiritualibus diligentius extollere, et dignis Deo jubilare præconiis, et mysticis honorare muneribus. Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat, quidquid digne genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter attributum. Ex quo timeo satis, et valde pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne forte sicut improbus, ita et indignus laudator inveniar, profecto cum nec sanctitas vel facundia suppetat, ut beatam et gloriosam virginem digne laudare queam; quoniam, ut verum fatear, quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude cœli, quia divinis est et angelicis excellentius prædicata et laudata præconiis. A prophetis quidem prænuntiata, a patriarchis figuris et ænigmatibus præsignata, ab evangelistis exhibita et monstrata, ab angelo venerabiliter et officiosissime salutata. Præterea qualis et quanta esset, ab eodem divinitus declaratur, cum ait : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Talibus namque decebat virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum pacemque infudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere, majus est meritum quam habere. Esse enim angelum, felicitatis est, esse vero virginem, virtutis; dum hoc obtinere viribus virgo nititur cum gratia, quod habet angelus a natura, utrumque tamen et esse virginem vel angelum, divini muneris est officium, non humani. *Ave*, inquit, *gratia plena*. Et bene plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe est quod David canit : *Descendit sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI). Vellus itaque cum sit de corpore, nescit corporis passionem; sic et sancta virginitas cum sit in carne, vitia carnis nescit. Cœlestis plane imber in virgineum vellus placido se infudit illapsu, et tota divinitatis unda se contulit in carne, quando Verbum caro factum est, ac deinde per crucis patibulum expressum, terris omnibus pluviam salutis effudit, et stillicidia gratiæ humanis præstitit mentibus. *Dominus tecum*, inquit. Mira res. Et jam erat cum virgine qui ad virginem mittebat angelum, et præcessit nuntium

Digitized by Google

suum Deus, sed a Deo non recessit. Nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis, et totus ubique est, sine quo nihil totum. Ergo Verbum Patris nunquam a Patre discedens, homo pro nobis fieri dignatus est, secreto suo mysterio quo ipse novit. Qui quoniam totum suscepit quod est hominis, homo totus est, et totum retinens quod Dei est, omnino aliquid aliud quam Deus qui natus est ex Maria, esse non potuit. Scit enim Deus omnia et potest. Propterea quia ita est, scivit se et potuit in utero virginis sine sui corruptione misceri atque uniri, ut unus esset Christus Deus et homo, una persona, unaque substantia. Ob quod Dei genitrix electa et prælecta jure ab angelo gratia salutatur et prædicatur plena. Vere plena, per quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Et ideo satis eam devotissime primum angelus veneratur et salutat. Miratur itaque et ipse qualis aut quanta sit quam salutat. Non enim simplex, fateor, vel consueta fuit illa salutatio, sed omni admiratione digna. Si quidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequii : quia et si in sanctis Patribus et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam vero totius gratiæ quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter. Et ideo, inquit, *benedicta tu inter mulieres*, id est, plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper et gratiam refudit Christi ortus, quam non habuit prius omnis mundus. Igitur quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non cepit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur. Hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur, et per Christum adimpletur. Qua de causa, de tali tantoque loqui me indignum fateor. Sed et puto quod nemo præsumat, nisi qui quanta sint quæ panduntur, penitus ignorat. Tamenetsi ad hæc nemo idoneus invenitur, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator a laudibus, quamvis explere non queat quod sentitur. Unde sermo divinus cum de peccatore ageret in Psalmis : *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me*, protinus addidit, *et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Ac si patenter dicat : illic iter est laudis ad æternam laudem sine fine mansuram, sed nemo apprehendit illud, nisi ego præmonstravero. Propterea, charissimi, quia iter salutis nostræ in laudibus est Salvatoris, hortor vos et commoneo, in hac sacra solemnitate genitricis Dei Mariæ nolite cessare a laudibus. Quod si virgo es, gaude quod meruisti et tu esse quod laudas : tantum cura ut sis quæ digne laudari possis. Quod si continens et casta es, venerare et lauda, quia non aliunde constat ut possis esse casta, quam de gratia Christi, quæ fuit plenissime in Maria quam laudas. Quod si conjugata es certe aut peccatrix, nihilominus confitere et lauda, quoniam inde misericordia omnibus profluxit et gratia ut laudent. Et quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli cessare a laude, quia inde tibi promittitur venia et omnibus ut laudes. Alioquin nisi juxta modulum ingenii nostri Deum laudare in sanctis suis studeamus, quomodo eum secundum quod canimus, juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus? Omnino prætermittendum non est quod impleturi sumus quandoque quod dicitur : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Quod voce non possumus, nec facundia valemus, exsequamur votis et medullis cordis, quia magnus et bonus est atque immensus, tantus ac talis, quantum et qualem ipse novit, ore et spiritu confiteamur ad justitiam et salutem. Hinc rogo omnes pariter festivitatem gloriosæ semper virginis Mariæ devotissime celebremus, quia hæc est dies omni sæculo veneranda, in qua meruit exaltari super choros angelorum, et pervenire ultra quam nostræ humanitatis est natura. Ubi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur. Elevatur in dexteram Patris, ubi Christus pro nobis introiit pontifex factus in æternum ad cœli palatium. Hæc est, inquam, dies in qua usque ad throni celsitudinem intemerata mater et virgo processit, atque in regni solio sublimata, post Christum gloriosa residet. Sic utique ubique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra angelorum vel archangelorum merita transcenderit, quia et si similitudo repromittitur sanctis, veritas tamen negatur. Hoc quippe privilegium non naturæ est, sed gratiæ beatæ virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus et homo. Idcirco et ipsa plus est meritis, et non natura, quam virgo et homo. Unde etsi cæteræ virgines imitantur illam usque ad conceptum partus, et Gabrielis novæ salutationis obsequium, deinceps totum divinum est quod operatur in ea, teste angelo, quia Spiritu sancto et virtute Altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sane uterus Mariæ virginis quamvis mundus, quamvis impollutus et alienus a contagione peccati, quamvis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur (ut ita dicam) ac si lana candidissima, suique coloris dealbata. Ad quam sane cum accessit Spiritus sanctus, quia si ipsa eademque lana inficitur sanguine conchylii vel muricis, vertitur in purpuram, versa est et ipsa sine coitu in matrem, et non sit jam amodo quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum et gloriam summi regis divinitus aptissime dedicata, ut nulli deinceps ea uti usu femineo licuerit, nisi Deo. Quippe, ut ita loquar, beata et gloriosa virgo Maria, eo modo quamvis dudum incomparabilis esse universis quæ sub cœlo sunt virginibus comprobetur, ut decenter possit in se suscipere divinitatis admistionem salva utraque natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogativis meritorum, ita ut nullis jam usibus sit ipsa eademque mancipanda nisi divinis. Unde, o sanctissimæ virgines, et si imitari oportet tantam ac talem virginem,

Digitized by Google

tamque præclaram venerari multum convenit, et ultra angelicam quodammodo dignitatem, quantum fas est cum gaudio laudibus digne efferri, quæ, ut diximus, non temere Christi per gratiam, super choros angelorum exaltata, devotissime hodie prædicatur, quia præcessit eam Dominus et salvator noster, ex ea vera fide genitus ad cœlestia, ut pararet ei, sicut ipse suis promisit discipulis, in æthereis mansionibus locum. Hinc quoque David propheta olim gratulabundus Christo canit : *A summo*, inquit, *cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII). Ascendit ergo eamdem gloriam resumpturus, licet non amiserat quam prius habuerat antequam mundus fieret. Ascendit et præparavit huic sanctissimæ virgini locum immortalitatis, ut cum eo regnare possit in perpetuum. Et hæc est præsentis ejus diei festivitas, in qua gloriosa et felix ad æthereum pervenit thalamum. Quæ profecto festivitas, sicuti et virgo incomparabilis est cæteris virginibus, ita et incomparabilis ista est festivitas omnium sanctorum festivitatibus, et admiranda etiam virtutibus angelicis; propter quod ex persona supernorum civium in ejus ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus* (*Cant.* III)? Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, etenim concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, et desiderio charitatis. *Ut virgula fumi ex aromatibus*. Nimirum quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem de deserto præsentis sæculi virga de radice Jesse olim exorta, sed mirabantur electorum animæ præ gaudio quænam esset quæ etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem Spiritus sanctus in eisdem Canticis : *Quæ est ista quæ ascendit*, inquit, *quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI)? Admiratur autem Spiritus sanctus, qui omnes de ascensu hujus virginis admirantes facit, quod quasi novi diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta et vallata sanctorum agminibus. Unde dicitur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, ut castrorum acies admodum ordinata, hinc inde sanctorum angelorum fulta præsidiis. Pulchra, inquit, ut luna, imo pulchrior quam luna, quia jam sine defectu sui coruscat cœlestibus illustrata fulgoribus; electa ut sol fulgore virtutum, quia ipse eam elegit sol justitiæ, ut nasceretur ex ea. Ad cujus profecto exsequias, quantum fas est credere, famulantur angeli, et universæ cœlorum congratulantur curiæ. Nec mirum, quia honor maternus est ejus qui natus est ex ea, quem omnis ordo cœlorum veneratur et adorat super se elevatum cum Patre in sede majestatis Domini. Legimus ergo quam sæpe ad funera et ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos advenisse, et ad exsequias eorum obsequia præstiti se, nec non et animas electorum usque ad cœlos cum hymnis et laudibus detulisse, ubi et utriusque sexus chori commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse, interea et quod perspicacius est, multo nonnunquam lumine eosdem resplenduisse, insuper et adhuc viventes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem, dilectissimæ, et corroborandam fidem interdum assistentium salvator noster Christus ob merita suorum amplius comprobanda, talia et tanta dignatus est exhibere per suos cœli ministros circa defunctos, quanto magis credendum hodierna die militiam cœlorum cum suis agminibus festive obviam venisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, et usque ad thronum olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse? Nulli dubium omnem illam jam cœlestem Jerusalem tunc exsultasse ineffabili lætitia, tunc jucundatam inæstimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione jubilasse, quoniam festivitas hæc, quæ nobis hodie revolvitur annua, illis omnibus facta est continua, nec immerito. Creditur enim quod salvator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festivus occurrit, et cum gaudio eam secum in throno collocavit. Alias autem quomodo implevisse creditur, quod in lege ipse præcepit? *Honora*, inquit, *patrem tuum et matrem* (*Exod.* XX). Porro quod patrem honoraverit, ipse sibi testis est, cum ad Judæos ait : *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat et judicet, sed ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me* (*Joan.* VIII). De matre vero evangelista, cum redirent, veniens, ait, Nazareth, *erat subditus illis* (*Luc.* II). Sed alia est natura qua Deus Pater secundum se honoratur, alia qua idem parentibus subditur : in utraque tamen unus idemque Christus recte creditur, eo quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I) : unus Emmanuel, quod est nobiscum Deus. Hanc quippe unionem divinitatis atque humanitatis, inconfusam indivisamque catholica fides servat. Quam sane intelligendo cognoscat naturalis, atque secundum substantiam conventio unitatis, ut neque conversio in alterutram duarum substantiarum partem recipiatur, neque divisio. Sic namque credere, honorare est matrem Domini, quæ et Deum nobis genuit et hominem, neque sine Deo hominem, neque sine homine Deum, sed Deum et hominem unum et verum Jesum Christum. Alioquin Dei genitrix dici non posset (quod multi hæreticorum negare conati sunt) nisi Deum verum genuisset incarnatum; et propterea in Christo duas recte confitemur nativitates, unam videlicet de Patre sine initio, et sine tempore sempiternam, et coæternam Deo Patri; aliam de matre cum tempore, quando miserationem induens et misericordiam, spontanea voluntate ad nos descendit natus homo Deus, ac per hoc juxta veritatem et matris gestatur utero, qui semper Deus agnoscitur. Hinc etiam theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem, nec non et christotocon, non quod Verbum carnem secum detulerit, neque olim præfato

carni copulatum sit, sed tunc quando Verbum caro factum est ex carne virginis, divinitatis atque humanitatis substantia in utero ita confuse unitur, ut una persona sit Deus et homo Christus. Si quidem ex duabus naturis sine confusione alterius non nisi unus invenitur Jesus Dominus, manens Deus in forma Dei, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II), manens unus idemque in forma servi quam suscepit. Totus quippe Deus in carne virginis, de qua natus est, et totus homo. Hinc quoque Apostolus : *In quo habitat*, inquit, *corporaliter omnis plenitudo divinitatis* (*Col.* II). Quapropter, o filiæ, *estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, ut ex prudentia perfectæ intelligentiæ annulum fidei vestræ, et margaritam pro qua omnia reliquistis, integram inviolatamque servetis, ne dotem simul et arrham Spiritus sancti, quod absit, perdatis. Diligentius itaque procurate, si quo modo simplicitas columbæ, quæ fuit in Maria, illæsa inviolataque custodiatur. De qua Salomon ait in Canticis, quasi in ejus laude : *Veni*, inquit, *columba mea, immaculata mea, jam enim hiems abiit et recessit* (*Cant.* II). Ac deinde inquit, *Veni de Libano, veni, coronaberis* (*Cant.* IV). Nec immerito igitur venire de Libano jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata beata virgo Maria multis meritorum virtutibus, ac dealbata nive candidius Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas, totum gratia et veritas fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cœlo prospexit : et ideo immaculata, quia in nullo corrupta. *Circumdedit virum in utero*, sicut Jeremias sanctus testatur, et non aliunde accepit. *Faciet*, inquit, *Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI). Vere novum, et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis ut vivere possit, sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustra nesciret, sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset : et sic inde *exivit*, ut Ezechiel fatetur, *porta omnino clausa*. Unde canitur in eisdem Canticis de ea : *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus* (*Cant.* IV). Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciat violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons igitur signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cujus lumine omnes videmus lumen, quia juxta Joannem, *ipse est qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Cujus profecto emissio uteri, supernorum civium omnium est paradisus. De isto namque ventris agro patriarcha Isaac longe odorans ciebat : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII). Quamvis pateat parum intelligentes quod priores sancti minus de Christo intellexerunt mysterium incarnationis, cum et ipsi eadem salvati sint gratia. Unde constat tempus non præjudicasse sacramentum uniti hominis ac Dei, ita ut jam esset in illo per unitatem personæ ab ini-

A tio sæculi, qui necdum erat natus de Maria virgine : quod multis Scripturarum declaratur indiciis. Unde Dominus ad Judæos : *Antequam Abraham fieret*, inquit, *ego sum* (*Joan.* VIII). Quibus utique verbis ostendit se qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio unitatis, quam ut commendaret, *ante Abraham*, inquit, *ego sum*. Nam *Abraham antequam fieret*, humanitatis est brevitas, *ego* autem *sum*, æternitas declaratur naturæ. In qua nimirum æternitate jam fuisse qui loquebatur, per sacramentum suæ incarnationis insinuat. Quod apostolus Judas volens dilucidare apertius, *Jesus*, inquit, *populum ex Ægypto salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit* (*Jud.* 5). Et alibi Paulus : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt* (*I Cor.* X), non quod

B jam esset Jesus aut Christus natus ex Maria virgine, sed quia in illo unico Filio Dei, jam unitas personæ commendatur quæ occulta erat in mysterio. Quod et alibi evidenter, *Qui elegit nos*, inquit, *ante mundi constitutionem in ipso* (*Ephes.* I); quia profecto quidquid Deus fecit ab initio, totum fecit per unitatem sacramenti. Et ideo jam Jesus erat in filio, qui populum educebat, et Christus in eo qui tentabatur, quoniam semper per sacramenti unitatem in Deo fuisse non dubitatur. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino, aut contra prophetam Deus recens videbitur. Sed ne talibus quatiamur calumniis, scrutandæ sunt Scripturæ, in quibus unitas in Christo commendatur personæ, quem non præjudicat tempus, ne unus semper dicatur. Hinc quoque bea-

C tus Petrus loquens de Patribus ait : *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (*Act.* V). Namque illos Dominus solus ducebat et non erat cum eo Deus alienus. Unde nec nobiscum Deus recens, quia unus idemque est qui eorum ductor fuit, et noster per passionem carnis suæ redemptor. Unus siquidem sua in carne, unus in sacramento, atque unus in spiritu : nec admittit ratio, ut alius filius hominis, alius Filius Dei intelligatur, qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur, sed totus Deus in Christum, et Christus in Deum transiit, ut quidquid Dei Filius est, Christus dicatur, et quidquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse recte credatur. Alioquin si ad rationem respicias, et ad sensus humanos nequaquam ita

D eatenus potuerunt inter se convenire deitas et humana conditio. Convenerunt in Christo, et unus ex ambabus Emmanuel. Rogo vos, o virgines, rogo et viduæ, imitamini Paulam matrem viduam, exemplar continentiæ et castitatis; imitamini Eustochium, quam habetis vobiscum, virginem et formam perfectæ integritatis. Quod si minus est in illis quam in matre Domini, imo quia est, habetis prolem secundam, et virginem perpetuam, quia sicut in comparatione Domini nemo bonus, ita in comparatione matris Domini nulla invenitur perfecta, quamvis virtutibus omnia comprobetur. Malui enim excipere ruborem pudoris, quam non exsequi jussionem vestram, quarum precibus nonnunquam Deus noster obedire videtur, præsertim cum habeatis nobiscum quas imitari virtu-

Digitized by Google

tis est, cum quibus discere potestis affectum a me potius quam magisterium quod ad laudem hujus diei requisistis.

## HOMILIA XLVII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex Opp. sancti Augustini.)

*In illo tempore intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam*, etc. (*Luc.* x).

Verba Domini nostri Jesu Christi, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 613.

## HOMILIA XLVIII.

### IN EODEM FESTO.

(Ex beato Anselmo episcopo.)

*In illo tempore intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier Martha nomine excepit illum in domum suam*, etc. (*Luc.* x).

In Scriptura sacra res una et eadem multoties invenitur diversa significare, sicut leo, hædus, ignis et aqua, vel etiam sol et alia multa. Est enim leo de tribu Juda, est leo qui *circuit quærens quem devoret.* Est hædus emissarius qui peccata nostra portavit, est hædus a sinistris qui damnatur. Est ignis quem misit Dominus in terram, et quem vult ut ardeat; est ignis qui super impios cadit, ut non videant solem. Est aqua cujus flumina fluunt de ventre credentis; est aqua cujus tempestas non nos demergit. Est sol justitiæ, qui nos illuminet, est sol qui nos non urat per diem. Licet ergo castellum alias malum significet, ut illud de quo dicitur, *Ite in castellum*, ubi et additur, *quod contra vos est* (*Matth.* xxi), plane manifestat quid significet, tamen hic castellum in quod intravit Jesus, singularem et intemeratam virginem ejusdem Jesu genitricem (salva Scripturarum regula) per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris et murus in circuitu ejus. Quæ duo invicem sese defendunt, ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Hujusmodi castello non incongrue virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis et corporis quasi murus ita undique vallavit, ut nullus unquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus ejus aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem virgine turris humilitas, quæ a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis a turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis et turris humilitatis, ab altero muniunt, ut nunquam in humili virgine fuerit nec superbia virginitatis, nec inquinata humilitas, sed semper in ea permanserit et humilis virginitas, et virginalis humilitas. Quamvis autem quod dicitur ita verum sit, ut nihil verius fides Christiana credere possit, ponamus tamen aliqua de Evangelio virginitatis et humilitatis testimonia. Quippe cum ab angelo filius ei promitteretur, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Luc.* i)? Si cuilibet virgini desponsatæ in animo suo disponenti nubere diceretur, filium habebis, non miraretur, neque interrogaret quomodo illud fieret, ut pote quia se desponsatam, et in proximo nupturam sciret, et a viro fecundari usu speraret naturæ. Hæc autem non immerito mirata est, et quomodo quod promittebatur fieret, sciscitata: quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissime sciebat. Hoc de virginitate. De humilitate autem dicendum quod cum ab angelo salutaretur, mater Dei eligeretur, quomodo fieret salva virginitate, cui tantum timebat, doceretur, benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respondit: *Ecce ancilla Domini.* Et in alio loco: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* O sublimis virgo mater Dei, o humilis mater ancilla Dei. Quid sublimius esse posset? quid humilius de se sentire posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum esse arbitrantur, a quo Maria Magdalena cognominatur. Quod si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalus enim turris dicitur, et humilitati comparatur. Hic vero non nominatur, sed tantum quoddam dicitur quod indiscussum præterire non debemus. *Quoddam*, id est, singulare castellum fuit virgo Maria. Quamvis enim multæ aliæ et murum virginitatis habeant, et turrim humilitatis, id est, virgines sint et humiles, tamen salva virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod ista sola fecit. Et ideo castellum hoc merito *quoddam*, id est singulare, dicitur, quia ista singulariter et virgo et mater fuit, quod nulla alia potuit vel poterit. Verum concedamus aliquam posse et matrem esse et virginem, quamvis sit impossibile, etiam sic virgo Maria erit singularis, quia unicum Dei Filium genuit, qui sicut est unicus unico Patri, ita est unicus unicæ matri. Et ideo etiam si virgo pariat, nulla vel eumdem vel alium talem generabit. Est ergo castellum quoddam, in quod intravit Jesus. Porta vero per quam intravit fides est. Quia enim credidit, perfecta sunt ei a Domino quæ ab angelo dicta sunt, sicut ait ad eam Elizabeth. Nec quia Jesus intravit in castellum hoc, violatum est. Jesus enim salvat, non violat; confracta solidat, nec confringit solida. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. *Et quædam mulier Martha nomine excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria.* Duæ sorores istæ, sicut sancti Patres nobis plenissime exposuerunt, duas in Ecclesia sancta vitas designant: Martha scilicet activam, Maria contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia, illa vacat et videt quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur, illa interiora contemplatur. Sicut autem mater Dei est singularis, ita et istarum effectus vitarum, quarum istæ duæ sorores typum tenent, in ea exstitit singularis. Nunquam in aliqua persona Martha sic operata est, nunquam alias sic Maria contemplationi vacavit, nunquam illa vel hæc alias quod suum est sic exhibuit. Cum Martham vel Mariam dico, earum significata intelligo. Sed jam videamus actionem hujus Marthæ, deinde conjiciamus

Digitized by Google

contemplationem hujus Mariæ. Et ut planius id faciamus, quid alii per Martham operantur, et quid ista operata sit, conferamus. Alii quemlibet hospitem in domo suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habet ubi caput reclinet, non in domo, sed in utero suscepit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptili undelibet composita operiunt, illa Verbum Dei in eadem virginea carne in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis permanebit. Alii quemlibet esurientem et sitientem cibo et potu exteriori reficiunt; ista Deum hominem humanitus indigentem, non solum exterioribus cibis vel potibus pavit, verum etiam uteri sui lacte aluit, et ut breviter sex illa misericordiæ opera percurramus, quæ, cum uni ex minimis ejus fiunt, Deus sibi facta confitetur; ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam et ætatem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, liniendo, gestando frequentavit, ut merito de ea dicatur : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium*. Comprehenso et crucifixo quasi in carcere posito adfuit, sicut scriptum est : *Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus* (*Joan.* XIX). Inter hæc autem turbabatur, et sollicita erat cum fugeret in Ægyptum a facie Herodis, qui suum talem filium adeo persequebatur, ut multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur cum Judæos insidiantes et mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, et juxta Simeonis vocem, suam ipsius animam pertransivit gladius (*Luc.* II), cum videret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Unde bene ei congruit quod dicitur : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima*. Nemo vero dubitet, quod beata virgo Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, et seipsam adjuvari in turbatione a divinitate, quam eidem filio sciebat inesse per theoriam, quæ est pars Mariæ, hoc est quod Martha conqueritur quod eam soror sua reliquerit solam ministrare, et ejus auxilium in ministerio flagitat. Hæc de parte Marthæ. Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis fuit in beata Maria, quis digne loquatur? si talis est, ut diximus, imo quia melior est quam diximus, in beata Maria pars Marthæ, quæ quidem a Domino non laudatur, sed tamen non vituperatur, qualis est pars quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, ut ab ea non auferri dicatur? O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata Virgine, quando Spiritus sanctus in eam supervenit, et virtus A Altissimi obumbravit ei, et de eodem Spiritu sancto concepit. Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, et in cujus utero sibi corpus aptabat? *Christus est*, ut ait Apostolus, *Dei virtus et Dei sapientia, et in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*I Cor.* I; *Col.* II). Christus autem in Maria, ergo Dei virtus et Dei sapientia et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria. Hæc non tantum ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum ex ore ejus. Hæc conservabat omnia verba angelorum, pastorum, magorum, necnon ipsius filii sui, conferens in corde suo. Nemo unquam sicut ista gustavit quam suavis est Dominus. Inebriabatur *ab ubertate domus* Dei, *et torrente voluptatis* ejus potabatur (*Psal.* XXXV). Nec mirum, quoniam apud eam, imo intra B eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio utriusque vitæ. Circa plurima vero ut Martha occupabatur, cujus unum ut Maria delectabatur, quia unum est necessarium, plurima offeruntur, unum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem Mariæ elegit. Sed pars Marthæ ei aufertur. Jam enim non erit sollicita ut ministret ei sicut puero, cui omnes angelorum ordines ministrant sicut Domino. Jam non turbabitur fugiens in Ægyptum cum eo a facie Herodis, quia ipse ascendit in cœlum, et Herodes descendit ad infernum a facie ejus. Jam non turbabitur erga plurima quæ fecerunt filio suo Judæi, quia omnia subjecta sunt ei. Jam filius Mariæ a Judæis vel militibus non flagellabitur, nec occidetur, quia Christus resurgens C a mortuis, *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Pars ergo Marthæ ei aufertur, sed bono suo; pars vero Mariæ ei perficitur, *quæ non auferetur ab ea*. Exaltata est enim super choros angelorum. In bonis repletum est desiderium suum, videt *Deum facie ad faciem sicuti est*, gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, *quæ non auferetur ab ea*, cujus et nos participes simus meritis et precibus ejus, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat, etc.

## HOMILIA XLIX.

### IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur esse major*, etc. (*Luc.* XXII).

D Sicut boni esse moris solet in Scripturis, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 423.

## [a] HOMILIA L.

### IN DECOLLATIONE BEATI JOANNIS BAPTISTÆ.

(Ex Opp. beati Chrysostomi [?].)

Heu me, quid agam? Unde sermonis exordium faciam? Quid dicam, vel quid taceam? Non enim ego

[a] Homilia hæc fere ad verbum, excepto exordio, legitur Operum beati Chrysostomi in nostra editione tomo VIII, col. 485, inter spuria, cum hac Savilii notatione : « Cum Græculus quispiam ineptus et indoctus orationem cum hujusmodi principio a Joanne nostro habitam esse apud ecclesiasticæ scriptores historiæ reperisset, affinxit homo impudentissimus humano capiti corpus sane belluinum, nobisque pro verbo hunc spurium et falsissimum fetum supposuit, vix lectione, nedum emendatione dignum. Interpretationem Latinam priorem... rejecimus, novamque paravimus. » Veterem nos, quam Homiliarius exhibet versionem damus. EDIT.

Digitized by Google

tantum in stuporem mentis factus sum solus, sed et omnes qui audierunt Evangelii vocem, et mirantur mecum vel Joannis constantiam, vel Herodis nequitiam, vel impiarum mulierum ferinam levitatem. Quid enim audivimus? Herodes, inquit, apprehensum Joannem posuit in custodiam. Quamobrem? Propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Et reprehendam forsitan levitatem Herodis, an furorem a mulieribus miserrime inductum? Quid dicam? Quomodo, inquam, enarrem mulierum illarum crudelem malitiam? Et quidem ego existimo nullam in hoc mundo esse bestiam comparabilem mulieri malæ. Sed nunc de mihi mala muliere sermo est, non de bona et honesta. Novi enim multas bonas et honestas et ornatas, in omne opus bonum promptas, quarum me vitam commemorare oportet ad ædificationem audientium, et ad honorem bonarum excitandum in mentibus singulorum. Nulla ergo in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sævius? Sed nihil ad hæc. Aut in serpentibus quid dracone atrocius? Nec hoc quidem juxta mulierem malam et litigiosam conferri potest. Nam et leo et draco in malo inferiores sunt. Attestatur huic sermoni meo sapientissimus Salomon, dicens: *Cohabitare leoni et draconi melius est, quam cum muliere mala et litigiosa.* Et ne putes prophetinum hoc vane dixisse, ex his rebus disce manifestius: Danielem leones in lacu reveriti sunt, justum vero illum Naboth Jezabel interfecit. Cetus Jonam in ventre custodivit. Dalila autem Samsonem circumventum illecebris virum suum, novacula raso capite deformatum, alienigenis tradidit. Dracones et aspides et cornutæ bestiæ Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt. Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. Eliam corvi in monte paverunt, et Jezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluviæ gratiam persequebatur, ut pœnam mortis ei redderet, cujus orationibus depulsa generis humani fame, et ipsa licet indigna, vivebat (*III Reg.* XIX). Quid enim dixit post illud admirabile beneficium? *Si tu es Elias, et ego sum Jezabel. Hæc mihi faciant dii, et hæc apponant, nisi crastina hac hora ponam animam tuam sicut animam unius eorum qui interfecti sunt. Et timuit Elias, et abiit secundum animam suam, et perrexit in desertum, viam quadraginta dierum, et cœpit quasi tædians in defectione animæ postulare ut moreretur, et dixit: Domine Deus, sufficit jam, accipe animam meam, quia non sum ego melior super patres meos.* Væ mihi. Quid adhuc dicatur, si ille propheta tantus timuit mulierem, qui totius mundi statum et cœli pluviam et agri speciem in linguæ potestate portaverat, qui ignem e cœlo eduxerat, et per virtutem orationis mortuos suscitaverat? Hic timuit mulierem? timuit, inquam; nulla enim malitia æmulari potest mulierem malam. Attestatur iterum huic verbo meo sapientissimus Salomon: *Quia non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris* (*Eccli.* XXV). O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier! Mulier ab initio Adam in paradiso prostravit, et de paradiso exterminavit. Mulier mitissimum illum David in necem militis sui innocentis Uriæ Hethæi, ut epistolam dolo mandaret, armavit. Mulier sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit: mulier fortissimum Samsonem illusum rasumque cæcavit, ut et virtutum crinibus, et decore oculorum exspoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat ante terrori, et cum his captivus moleret, quibus dominabatur invictus. Mulier castissimum illum Joseph vinculis alligatum detraxit in carcerem. Mulier illam totius mundi lucernam Joannem capite truncavit. Et quid dicam de mulieribus? Mulier angelos de cœlo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cœlum pergebant, mulier cuncta omnino prostravit et jugulavit, omnes interfecit, omnes elidit, repletos ignominia, et honore vacuos. Mulier enim impudens nemini parcit: non levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non prophetæ defert honorem. O malum omni malo pejus, mulierem malam! sive illa pauper sit, sive dives, duplex malum est. Si habeat facultatem malitiæ suæ cooperantem, malum duplex, intolerabilis vipera, immedicabile venenum. Scio enim et ego aspides blandimento incantantium mitigari, et leones et tigrides et pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala et si injuriam patitur, insanit, et si honorem accipit, extollitur. At si potentis alicujus uxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callide stimulare, blande, nequiter, importune et violenter, donec mentem ejus extrudat impatientia, et ad sui consensum furoris exacuat, ut sibi similem faciat maritum. Improbis male suadet consilium, sicut Herodias fecit Herodi. Si vero pauperem virum habeat, ipsum quoque ad iracundias et rixas incitare non desinit. Et si vidua sit, omnes passim despicit, et ad omne mendacium spiritu superbiæ inflatur. Timore enim Dei non refrenat linguam suam, nec futurum judicium prospicit, neque ad Deum intendit. Non amicitiæ jura servare, non religionis fidem novit vereri. Nihil ei est virum suum tradere ad mortem. Denique justum Job mulier sua ad mortem tradebat, dicens: *Dic verbum in Dominum, et morere* (*Job.* II). O malignitas ineffabilis, o voluntas impia! Non miserta est viro suo, cum videret omnia membra ejus atque vitalia ulceribus ignitis ardentia, et totam carnem ejus vermibus involutam. Non inflexa est ad misericordiam, videns eum tot doloribus volvi, et duris cruciatibus constrictum, agone funereo dimicare, et ululatu lacrymabili dolores suos intentione laterum tabidorum expressis vocibus decantare. Non mitigata est affectione mentis uxor, cum illum quem regali quondam purpura amictum viderat, nunc in aggere stercoris nudato corpore jacentem videret. Nec recordata est pristinæ cum eo consuetudinis suæ, neque quanta per ipsum gloria et divitiis et honoribus floruisset, sed oblita omnium bonorum, ausculta quid ait: *Dic verbum in Dominum, et morere.* O gratia conjugalis, o sermo magnis doloribus leniendis accommodatus,

Digitized by Google

o charitatis unanimis fides! Dic mihi mulier: Putasne unquam, si te in simili tribulatione positam vidisset, tale ad te verbum potuisset emittere, et non orationibus et benefactis passionem tuam abstersisset? Et non sufficiebat sibi tam gravis passio, nisi et tu doloribus et vulneribus gravior accederes, quæ sempiternam illi blasphemiæ peccato adduceres pœnam? An ignoras quod omne peccatum et blasphemiæ remittuntur hominibus, in Spiritum autem sanctum blasphemantibus non remittetur, neque in isto sæculo, neque in futuro? Vis videre et aliam malitiæ bujus parem? Da mihi Dalilam. Nam et ipsa fortissimum Samsonem virum suum novacula rasum et vinctum, allophylis hostibus in prædam et ludibrium tradidit. Illum cubilis sui conjugem, cui mollissime blandiebatur, cui simpliciter adulabatur, quem seipsa chariorem habere æstimabatur, quem hesterno die unanimis amplectebatur, hodie ut inimica decipit. Quem paulo ante callidis male blanda palpabat illecebris ut diligens, hunc paulo post morti tradebat illudens. Et quid dicimus? Quibus odiorum causis displicuerat uxor? Forte non erat speciosus? Et quis eo pulchrior sub illo tempore videbatur, qui septem crines vertice in septiformis gratiæ imagine præferebat? An vero non erat fortis, et contemptu ignaviæ spernebatur? Et quis illo fortior, qui leoni terribili obvianti sibi obviat, solus et inermis innexis sibi manibus strangulat, et ut scriptum est, sicut hædum caprarum discerpsit? Et qui una de vetustis ossibus asini arente maxilla allophylos mille prostravit. Sed præterea sanctus erat, atque in ta tum sanctus, ut cum sitisset post laborem pugnæ in loco sicco, deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa quam in manu tenebat maxilla erumpente àqua biberit, atque inde sitis æstum ex eodem mortui pecoris osse quo vicerat, refectus exstinxerit. Et hunc talem et tantum virum et pulchritudine et virtute et sanctitate præstantem, sua uxor sicut inimicum decipiens et alligans, allophylis tradidit. Unde autem illa mulier illi tam viro forti prævaluit, nisi ingenita illi simplicitate bonitatis, et sibi malitiæ calliditate? Non solum enim curiosa, sed et subdola irrepsit in præcordia mariti, quem simplicibus et importunis obsecrationibus, atque illecebrosis blanditiis fatigatum, arcano illo virtutis suæ mysterio spoliavit, atque ita derasis crinibus virtute nudatum funditus evertit, ut quem multa millia hostium armata non vicerant, hunc una muliercula sine armis dolo male armata vicerit. Propter hoc annuntiat tibi propheta, et dicit: A conjuge tua custodi te, ne manifestes ei cor tuum. Dic ergo mihi, quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult conjugem suum perdere? vel quæ leæna marem suum jugulandum tradidit? Vides ergo quod prædixit Sapientia, quoniam *non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris*. Et semel omnino quisquis habet mulierem malam, cognoscat quia jam iniquitatum suarum mercedem portat. Non caret testimoniis veritatis hic sermo. Audi sapientem dicentem: *Mala mulier et iniqua portio dabitur pro operibus malis* A (*Eccli.* xxv). Sed hactenus mihi de muliere mala sermo habitus, hic habeat finem. Oportet enim nunc vicissim commemorare bonas, maxime propter eas quæ adsunt. Bonæ enim feminæ, bonarum virtutes sicut proprias intuentur, et illarum castos labores suas esse coronas existimant. Mulier bona et hospitalis beata Sunamitis, quæ virum suum deprecata est mansionem Elisæo ædificare, ut præteriens et divertens ad eos, quod facere consueverat, secretum haberet refectionis locum. Posuit ei lectum (ut Scriptura declarat) et lucernam et mensam. Lectum utique non vacuum tegumentis, sed habentem competentia strato indumenta; et lucernam non lucernario lino, sed cum stupa et oleo habentem lumen; et mensam non sine panibus, sed instructam cibis B necessariis (*IV Reg.* iv). Quid autem digne dicamus et de beata illa vidua quæ suscepit Eliam (*III Reg.* xvii), quam in nullo impedivit inopia rerum, divitem bona voluntate, cui non erat neque frumentum, neque vinum, neque pulmentum, neque aliud quid terrestris alimoniæ, ad paupertatis exhaustæ consolationem? Non ager illi frugifer semen panis proferebat, non vinea prædulcem fluentibus venam [uvam] racemis felicibus afferebat. Non ei vel in terra palmi locus ad arandum suberat, neque vel cubiti spatium ad viticulæ plantationem habebat; sed semper messis in tempore procedens in campum, et lento incurvata progressu, raras segetis abscissæ reliquias sectabatur, et residuas vel cadu- C cas progressis messoribus spicas, brevi gremio colligebat, in quo velut dimensam et sub æstimatione numeratam pro anni spatio reponebat annonam. Ad hanc ergo missus a Domino venit Elias in tempore famis, quando fere totus orbis terrarum defectu pluviarum siccatus aruerat, et inopia gignentium tabefactus, animantibus victum negabat, quando cœlum æstibus ignitis inarserat, et crassus aer nebulosis vaporibus caligabat, sed subductis imbribus nubila refrenata pendebant, quando nec herba, nec flores, nec ulla germina pullulabant. Non spicarum aristas rosida aura recreabat, quando flumina tenuata rivis, alveis breves meatus agebant, et fontium ubera torridi solis diuturno ardore refrixerant, et usitatum amari salis temperamentum non influentibus de in- D cursu fluminum et infusione pluviarum dulcibus aquis, maria destituta perdiderant. *Tunc venit Elias ad illam inopem viduam, et quales amoris æstus viduas etiam in tempore ubertatis pati*. Nostis enim solitas viduarum angustias, quæ profecto ingravescunt, si desolatione puniantur penuriæ. Et Deus divitem misit prophetam, qui etiam in tempore famis abundaret panibus, et a monte discedens [descendens], venit ad istam pauperem. Quarem autem vir ille qui verbo ignem de cœlo adduxerat, panem sibimetipsi non deposuit? Nunquid non poterat? Utique poterat. Sed ideo non fecit, ne præparata ad bonum opus vidua, hospitalitatis mercede privaretur, et propterea ut illum modicum pugillum farinæ, et stillicidium olei benedictio Domini multipli-

Digitized by Google

caret in ore suscepti prophetæ. Non enim pro sua tantum requie missus est propheta, ut ab inope pasceretur, quantum ut egenum pasceret, sed ut manifestaret occultum in corde illius bonæ voluntatis affectum. Hoc etiam facit ipse Dominus, qui cum potens sit omnes qui sunt in hoc mundo per semetipsum evidenter alere, continet tamen manum suam ab impendio ministrandi, ut ad bonum promptas mentes in tempore necessitatis de fructibus humanitatis ostendat, et animarum affectiones operum qualitate discernat. Quod si non fuerint hujus voluntatis aut dignitatis qui suscipiant sanctos Dei, tunc eos Dominus aut per aves pascit, sicut Eliam in monte secretum, aut per prophetam aliunde transmissum, sicut Danielem in lacu leonum, aut per maritimum animal, sicut Jonam per cetum, aut ipse per semetipsum Deus pastor alimenta suppeditat, sicut patribus nostris in deserto. Cum enim non essent in solitudine qui susciperent filios Israel, de cœlo manna esurientibus ministrabat, et de petra aqua sitientibus diffluebat. Cum autem in hoc mundo sancti populis permixtim versantur, tunc etsi videat eos pati tribulationem, ferre permittit, ut det gratiam eis qui circa eos voluerint operari humanitatem, ut sibi de præsenti beneficio fructificent æternam salutem. Abiit ergo Elias ad viduam illam, cui nihil in promptuario erat, nisi pugillus farinæ, quem ipsum cum labore multo sibi et filiis suis in ipso tempore advenientis prophetæ præparaverat, nihil reliquum habens, et eo accepto moritura cum filiis. Et quid ait ad eam propheta? *Accipe mihi modicum aquæ in vasculum, ut bibam.* At illa mox abeunte, post ipsam iterum clamavit: *Accipe mihi et panem in manu tua.* Illa simpliciter quod non habebat, dixit; quod autem habebat, confessa est. Quid enim ait? *Vivit Dominus, si est mihi in reposito, nisi hoc modicum farinæ et exiguum olei* (*III Reg.* XVII). Valde mirabile, quod in tanta escarum penuria modicum ipsum quod ei residuum erat, non negavit. Quanti vero nunc qui aurum et argentum sicut lutum habent, cum rogantur ut indigentibus opem præstent, aut ad tempus commodent, renuunt, et non se habere jurant? Et si quando per multam obsecrationem flectantur ut præstent, scripturas et cautiones ordinant, et præjudicia quædam ferro validiora conscribunt, et illius mutuantis manum primum callidis conscriptionibus ligant, insuper fidejussores et interventores fenoris commodati accipiunt. Illa autem pauper nostra, ad unam vocem quod postulata est, habere seipsam non negavit palmulam unam farinæ. Et quid illi propheta respondit? *Festina*, inquit, *et fac subcinericium panem in primis mihi, postea tibi facies et filiis tuis.* Tentatio erat verbum prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Et erat sicut in libra positum cor beatæ illius viduæ, quod in prophetici sermonis imperio, quasi quæstionis tormento interrogabatur, et anceps in utrumque pendebat, quonam urgeret voluntatem, sibine potius et filiis consuleret, an magis prophetæ obtemperaret. Verum illa elegit prophetæ potius de inopiæ suæ residuo refectionem parare. Sciebat enim quoniam *qui prophetam susceperit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui potaverit sitientem calice aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X). Quid est autem quod propheta dixit, *festina?* Nunquid tantum esuriebat, ut indifferenter festinatione mulieris indigeret? Non utique, sed docere illam voluit, prompto animo esse et ferventi et hilari ad boni operis effectum, non cum tristitia, neque tantum ex necessitate præbendum. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Festina, inquit, et fac primum mihi, sicut Abraham in angelorum adventu festinavit ad oves, et vitulum inde sumpsit. Et sicut Sara properavit ad panes sub cinere faciendos, ut acciperet illum in cœlis absconditum panem (*Gen.* XVIII). Festina, et fac sicut Abraham hostias Deo, non primum tibi, et postea mihi, sicut Cain, et Ophni et Phinees filii Heli sacerdotis, qui despiciebant honorem Dei, primum sibi sacrificiorum primitias eligentes ex omnibus donis quæ Deo offerebantur (*I Reg.* II). Illa ergo vidua quod imperatum est ei a propheta, festinanter effecit, et horreum suum celeriter implevit, providens locupletem esse fructum operantibus in Deo repositum. Propheta vero præparationem viduæ suscepit, gustavit, locutus est, domum ejus replevit bonis. *Non deficiet*, inquit, *farina hydriæ, et oleum de capsace, donec det Dominus pluviam super terram.* Et quare usque ad illud temporis, finem benedictionis dedit? Necessario utique. Oportebat enim nova gratia sicut pluvia superveniente in terram, veterem legem terminum accipere, et consequens est opus verbo. Vides quomodo hospitalitatis mercedes benedicta vidua cito vindemiavit. *Bonorum etenim laborum fructus gloriosus est, et inconcussa radix prudentiæ* (*Sap.* III). Audistis, o mulieres, et malarum mulierum actus, et bonarum virtutes. Illarum ergo facinora calcate, harum vero exempla sectamini. Illas execramini, has vero imitamini, ut cum sanctarum feminarum cursum et vestigia consecutæ fueritis, in earum choris atque consortio pari gratia et laude annumeremini in Christo Jesu, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LI.

### DE EODEM FESTO.

Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista*, etc. (*Matth.* XIV).

Natalem, fratres charissimi, Joannis diem celebrantes, etc. *Reliqua vide Operum ven. Bedæ tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 257.

## HOMILIA LII.

### IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Creatoris matrem omnis creatura magnificet, ejus gloriosæ majestati se inclinent cœlum et terra, et omnis plenitudo eorum. Exaltent matrem in Ecclesia



Digitized by Google

A filii, dicantque ei qui redempti sunt a Domino: Mentem et oculos pariter cum manibus ad te, regina mundi, attollimus, et coram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, cervicem inclinamus, ac plenas suspiriis ad te preces in cœlum transmittimus. Tu de altitudine cœli beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem illam gloriam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi sentinam de alto projectos inclinare non despicias. Ecce coram tremendo judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo domina tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu, Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu, mater clementiæ, benignissimi cordis B tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam, qui ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus a facie formidinis Domini. Ad te domina stillant oculi nostri, teque cum devotionis clamore valido obsecramus, ut filii tui iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges, ejusque gratiam, a qua ingrati excidimus, nobis tua prece concilies. Ejus livore sanati sumus, ejus iterum medelam deposcimus, *Quia putruerunt et corruptæ sunt cicatrices nostræ, et non est in nobis sanitas* (*Psal.* XXXVII). Attende, domina, et vide dolores vulnerum animæ nostræ, quia tibi revelavimus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis feminam, et revera matrem misericordiæ esse cognovimus, ex eo quod tu quæ mundum hunc im- C mundum et lubricum impolluto calle transisti, et adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate claruisti, ut sola solio æterni regis approximare merueris. Tu peccatorem quantumlibet fetidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum a desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum, o domina, si tam copioso misericordiæ oleo, tui cordis perfusum est sanctuarium, cum illud inæstimabile D opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primum in te a mundi artifice fabricatum sit. Quando enim complacuit gratiæ supernæ, ut habitaret in nobis, a quibus diu elongata fuerat, tu sola digna inventa es, ut in tua virginali aula Rex regum et Dominus dominantium a regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum erat Deo habitare in te, quando ex ipsa illibatæ carnis tuæ substantia quasi de lignis Libani ineffabili architectura domum sibi ædificavit Dei sapientia. Suffulcit eam septem columnis argenteis, reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei, et hæc est unica illa, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus signum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Bene in te Spiritui sancto complacuit, o Maria, cum ad tam divina mysteria uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam in seipso inflammavit, ac splendore divinæ majestatis implevit, tuumque uterum ineffabili modo imprægnavit, fecitque ut Deum et hominem clausa conciperes, clausa pareres, et post partum virgo permaneres. Jam ergo uterum tuum, domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initiata est. Ibi decorem indutus est Dei Filius, ac prælectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exsultanter occurrit, desideratum diu osculum porrexit, ac præordinatas a sæculo nuptias virgo cum virgine in virgine prælibavit. Ibi primum ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cœlum et terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confœderata sunt terrenis cœlestia, et obviaverunt sibi in osculo pacis misericordia et veritas, quando in unam eamdemque personam concurrerunt divinitas et humanitas, factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, et homo Deus. Ibi magnus Elisæus in mensuram suscitandi puerili sese contraxit. Ibi antiquus dierum patriarcha prælecto filio suo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca futurorum præscia, magnificandi filii manibus pelliculas hædorum circumdedit, et colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia Spiritus sancti, Filius a Deo Patre hæreditandus in omnibus gentibus, divinæ majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit, qua absconditus est vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Ibi alti consilii providentia inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cœlo trajectus est. Inde egressa est armilla aurea, unde perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi secure deglutiverat. Hortus deliciarum nobis est tuus sacratissimus uterus, o Maria, quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus quam magna multitudo dulcedinis universo orbi inde profluxerit. Hortus conclusus tu es, sancta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum, a cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans. Inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Dei reples, o Maria, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Merito de tali areola flos ille speciosus forma præ floribus paradisi egressus est, super quem requievit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, o mater pulchritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris tui exsilivit, atque inde in quatuor capita sese dispartiens, ad irrigandam faciem arentis mundi

Digitized by Google

emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum. Ecce plusquam paradisus hic. De illius enim aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quantum mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ, aquæductus esse meruisti. O lampas luculentissima, quantos lætificasti, quanto splendore gloriæ Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris et umbra mortis protulisti? Te nimirum ille divini epithalamii præcentor a longo intuitus est, cum in admirationis vocem ita prærupit, dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Can.* VI)? Sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es, o Maria, quando veri solis splendorem, tantæ sanctitatis jubar præcucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus, a tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora, felicis diei nuntia exstitisti. Talem auroram talis dies, et talem diem talis aurora decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol justitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti. Tu pulchra ut luna diceris, eique non immerito compararis. Illa enim astrorum omnium sola soli simillima, et candore venusta argenteo, cæteris in cœlo præmicat sideribus. Tu veri solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium, virginali puritate in cœlis gloriosa præfulges. Illa transfuso in se solari lumine noctem illuminat. Tu virtutum a Deo tibi inditarum, magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque nostram noctem illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen vitæ inveniet. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et pulchrior luna, *quia tota pulchra es, et macula non est in te*, neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa ut sol, ille, inquam, sol solis conditor. Ille enim electus ex millibus virorum, tu electa ex millibus feminarum. Ille electus ex omnibus quæ per illum sunt, tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt præter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam? Feminam fortem, et ad bella doctissimam, cujus ensis super femur suum propter timores nocturnos. Et in circuitu ejus acies valida spiritualium virtutum, suo se invicem ordine tuentium, si quidem ordinatione perseverat dies. Sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno regi hospitium, alienus hospes invaderet. Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: Ecce plus quam Eva hæc. Castra Dei sunt hæc. Fugiamus Israelem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo

A eum qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu enim spiritum elationis ea virtute humilitatis complosisti, quam in te respexit Dominus, ut ipsius merito supra omnes choros angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Nunquam enim supra omnes angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Tu et ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua virginea carne eatenus exstinxisti, ut is in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam divinæ puritati eam agglutinare non despexerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam conversa est. Gloriosa dicta sunt

B de te, genitrix Dei, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ neque sermones in omni natione quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, o pia, o multum amabilis Maria. Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, o domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit, tunicam Evæ parentis nostræ? Hæc est quam olim ad nos transmisit ac supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide

C confusione sua. De manu quippe illius duplicis mali seminium terra nostra suscepit, et concepit et peperit nobis spinas et tribulos iniquitatis in anima, calamitates in corpore, et per hæc mortem utrobique. O infelix hæreditas, o dira humanæ carnis infirmitas, usque quo patiemur te? Multum dorsa nostra incurvasti, quia gravis es valde, et diu te portavimus; multum nos minuisti ab angelis, quos et jumentis insipientibus comparasti. Nimis invaluisti, quæ non nisi morte Filii Dei sanari potuisti. Nimis supra nos te extulisti, quando et usque ad eum qui supra omnia est, incaute ascendisti. Et quis nos liberabit a corruptela miserrimæ hujus pelliculæ? Gratia salvatoris nostri filii tui, o Maria. Qui ut infirma nostra

D tolleret, sponte infirmatus est, et ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens, pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, ut pro nobis loquatur ad cor Domini nostri Jesu Christi, sicut tu, felix Maria, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi filii tui suaviter cubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio, cum plena cordis lætitia perfrueris? Loquere, domina, quia audit filius tuus. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur a lepra carnis et spiritus. Exure virus hoc mortiferum, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit. Utinam poculum suum ebria illa aut totum ebibisset, aut totum effudisset. Te exorante omne jugum nostrum computrescat a facie olei misericordiæ Dei. Renovetur ut aquilæ juventus nostra, ut novi nova

voce novum canticum novis civibus aggregati, illic ubi nova sunt omnia, jubilæum sempiternum celebrantes, in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur crassa hæc nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur a Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti, unus cum ipso spiritus efficiamur; præstet hoc nobis, o Maria, filius tuus Dominus noster Jesus Christus, cui laus et gloria et gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

## HOMILIA LIII.

### DE EODEM FESTO.

(Ex ven. Bedæ presbyteri et sancti Hieronymi Comm. in Evangelium Matthæi, *passim.*)

*Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob*, etc. (*Matth.* I).

*Liber generationis Jesu Christi.* Secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod se ipse sæpissime appellat, commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna et æterna generatio secundum quam Filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia *omnia per ipsum facta sunt*, ita est ineffabilis, ut de illa dictum a propheta Isaia intelligatur : *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII)? Quanquam et de temporali ejus nativitate dictum sit, qua *Verbum caro factum est*, et virgo Spiritu sancto gravida filium peperit, et virgo permansit. *Filii David, filii Abraham.* Ordo præposterus, sed necessarie commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, et postea David, rursus ei repetendus foret Abraham, ut generationis series retexeretur. Ideo autem cæteris prætermissis, horum filium nuncupavit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromissio : ad Abraham : *In semine,* inquit, *tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* XII). Ad David vero ait : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob.* Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus ab ipso promissionis Christi exordio, hoc est, ab Abraham genitores commemorans, quos perducit ad *Joseph virum Mariæ, de qua natus est Christus.* Mystice autem quomodo de gentilitatis caligine, quasi de Ægyptiaca servitute, per quadraginta duos viros demonstrat, ac si per ejusdem numeri mansiones ad virginem Mariam plenam sancti Spiritus gurgite fluentem, ac si intelligibilem Jordanem duce Domino Jesu Christo, velut Josue filio Nun ventum sit, ipsumque Christum de Maria esse natum testatur, qui velut hamus in retis capite, sic in fine genealogiæ positus, et in mare hujus mundi a Patre missus, tortuosum serpentem aduncatum occisus occidit, atque humani generis mortem mortuus mortificavit. Et ideo velut fune duplicato, iterato videlicet uniuscujusque nomine, in retis similitudinem genealogiæ ordo contexitur, donec ab hujus principio, hoc est ab Abraham usque ad hamum, id est, ad Christum adveniatur, de quo ad sanctum Job dicitur : *Nunquid aduncabis Leviathan hamo tuo, aut armilla perforabis maxillam ejus* (*Job.* XL)? In hamo ergo incarnationis Christi iste captus est, qui dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. *Judas autem genuit Phares et Saram de Thamar.* Notandum quod in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumit mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde et in sequentibus Raab meretrix, et Ruth Moabitis ponitur, et Bethsabee uxor Uriæ. Ad interiorem vero intellectum in omnibus istis quatuor, ventura ad Dominum Ecclesia de gentilitatis errore figuratur, quæ prius aliena, ignominiis plena et sterilis habebatur, sed ad Christum ut legitima conjuncta est matrona, et plures adoptivos parit filios Deo quam synagoga, quæ prius ut proprium videbatur habere Dominum virum. Thamar ergo interpretatur amaritudo, vel commutans, sive palma. Et merito hæc omnia conveniunt sanctæ Ecclesiæ, quæ amara prius fuit in idololatria et turbida conversatione, sed modo dulcis est per fletum compunctionis et studium pii laboris. Hæc commutans recte dicitur, quia ex peccatrice commutata est in justam, et ex odiosa in amatam. Quæ palmæ rite assimilatur, propter certamen laborum, et victoriæ præmium. De illa quippe bene per psalmistam dicitur : *Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* XCI). Raab quoque latitudo, vel fames, seu impetus interpretatur. Et quid in hoc nisi sanctæ Ecclesiæ nobilitas prædicatur? Cui Isaias dicit : *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas* (*Isai.* LIV). Habet ergo famem ista, *non famem panis, neque sitim aquæ* (*Amos.* VIII), sed audiendi verbum Dei, et faciendi voluntatem ejus. De quo quidem impetus ingreditur, quia velocitas prædicationis flante Spiritu sancto in totam mundi latitudinem dirigitur. Denique Ruth, quæ vel videns vel festinans, seu deficiens interpretatur, merito Ecclesiam significat, quæ in puritate cordis Deum contemplatur, et secundum Psalmistam festinat manus ejus dare Deo. Hæc deficit, id est, firmiter in fide et dilectione Dei persistere decernit. Bethsabee vero quæ interpretatur puteus septimus, abundantiam gratiæ Spiritus sancti in Ecclesia fieri designat. Dono denique spirituali, hoc est, septenario facta est Ecclesia puteus satietatis quia factus est in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. *Naason autem genuit Salmon.* Ipse est Naason princeps tribus Juda, sicut legimus in Numeris. *Jesse autem genuit David regem.* Regem dicit David, non quod ipse solus in ista genealogia regum fuerit positus, cum ab ipso usque ad transmigrationem Babylonis qui scribuntur, plures regnaverunt, sed quia David primus de domo David rex fuit, per quem ordo decurrit genealogiæ. *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.* Quæritur, cum tres reliquæ extraneæ mulieres nominibus propriis sint positæ, cur

Digitized by Google

Salomon [solummodo] non nominetur Bethsabee, A sed hoc solum dicatur quod uxor fuit Uriæ. Ideo hoc putatur factum, quia tres aliæ supra dictæ licet criminosæ fuerint, in partubus tamen filiorum, per quos currit genealogia, non solum non culpari, sed etiam laudari meruerunt. Hæc vero adulterio et homicidio perpetrato, David regi genuit filium, intantum culpabili conjugio, ut merito in Salvatoris genealogia non videatur nominata. Nomen vero viri ejus, id est Uriæ, quasi justi hominis ponitur, ut ex hoc etiam sceleris immanitas memoretur, dum uxoris causa occisus in memoriam revocatur. Mystice autem David Christum significat, qui interpretatur manu fortis, et desiderabilis. Et quid fortius leone, qui vicit de tribu Juda, radix David? Quomodo vero sit desiderabilis, Scriptura ostendit, dicens : *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II). Et Petrus ait : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Pet.* I). Urias vero qui interpretatur lux mea Dei, significat diabolum, qui transfigurat se in angelum lucis, audens Deo dicere : *Lux mea Dei, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). *Joram autem genuit Joathan*. In quarto Regum volumine, de Joram Ochoziam fuisse legimus generatum, quo mortuo, Jozabeth filia regis Joram, soror Ochoziæ, tulit Joas filium fratris sui, et eum internecioni quæ exercebatur ab Athalia, subtraxit. Cui successit in regnum filius ejus Amasias, post quem regnavit Azarias filius ejus. Cernis quod secundum fidem historiæ tres reges in medio fuerunt, quos hic evangelium prætermisit, Joram autem non genuit Oziam, sed Ochoziam, et reliquos quos enumeravimus. Verum quia evangelistæ propositum erat, tres tessaradecades in diverso temporum statu ponere, et Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabel, idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sanctæ nativitatis ordine poneretur. Dictum quoque ita erat per prophetam, non nisi quarta generatione in throno regni Israel quemquam de domo Achab esse sessurum. Purgata igitur labe familiæ gentilis, tribusque præteritis, jam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur. *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel*. Si voluerimus Jechoniam in fine primæ tessaradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus ergo Jechoniam priorem ipsum esse, quem et Joakim, secundum autem, id est Joachin filium, non patrem. Quorum prior per κ et μ, sequens χ et ν scribitur. Quorum nomen scriptorum vitio et longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum est. Hæc beatus Hieronymus historiam sequens ita exposuit. Nam et ipse Jechonias interpretatur præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta duo, quæ faciunt ter quatuordecim, sed propter unam bis numeratam, quadraginta generationes fiunt, si ipsum Christum annumeremus, qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atque terrenæ tanquam numero quadragenario regaliter præsidet. Tu autem Domine.

## HOMILIA LIV.

### IN VIGILIA MATTHÆI APOSTOLI.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore vidit Jesus publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me, etc.* (*Luc.* V).

Idem Levi qui et Matthæus est, etc. *Reliqua vide Opp. ven. Bedæ tomo V, Patrologiæ XCIV, col. 419.*

## HOMILIA LV.

### IN DIE SANCTI MATTHÆI.

(Ex eodem).

*In illo tempore cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me. Et surgens, secutus est eum, etc.* (*Matth.* IX).

B Legimus Apostolo dicente, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col. 249.*

## HOMILIA LVI.

### IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

*Relatio de dedicatione ecclesiæ sancti Michaelis et miraculis ostensis.*

Memoriam beati Michaelis archangeli toto orbe venerandam, ipsius et opere condita, et consecrata nomine demonstrat ecclesia, quæ non metallorum fulgore et privilegio commendata est signorum. Vilifacta schemate, sed cœlesti prædita virtute, utpote quam fragilitatis humanæ memor archangelus e cœlo veniens, ad promerendam ibi mortalibus supernorum societatem, propria manu condere dignatus est. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore ejusdem saxi speluncæ instar præcavata ostenditur. Est C autem locus in Apuliæ finibus, ubi inter sinum Adriaticum et montem Garganum civitas Sepontus posita est. Qui mons civitatis a mœnibus ad duodecim millia pedum erectus, in cacumine supremo beati archangeli, quam præfatus sum, gestat ecclesiam. Hanc mortalibus hoc modo cognitam, libellus in eadem ecclesia positus indicat. Erat in ea civitate vir prædives quidam Garganus nomine, qui ex eventu suo monti vocabulum indidit. Hujus dum pecora, quorum infinita multitudine pollebat, passim per devexi montis latera pascerentur, contigit taurum armenti communis gregis consortia spernentem, per montem singularem incedere solitum, ad extremum redeuntibus pecoribus domum non esse reversum. D Quem dominus collecta multitudine servorum per devia quæque requirens, invenit tandem in vertice ejusdem montis pro foribus cujusdam assistere speluncæ. Itaque ira permotus, cur solivagus incederet, arrepto arcu appetiit illum sagitta toxicata. Quæ velut venti flamine retorta, eum a quo jacta est, mox reversa percussit. Turbati cives et stupefacti qualiter res fuerit effecta, non enim accedere propius audebant, consulunt episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto jejunio triduano, a Deo monuit esse quærendum. Quo peracto, sanctus Domini archangelus episcopum per visionem alloquitur, dicens : Jam bene fecisti, quod homines latebat, a Deo quærendo mysterium, causam videlicet hominis suo telo percussi. Sciatis hoc mea gestum voluntate. Ego enim

Digitized by Google

sum Michael archangelus, qui in conspectu Domini semper assisto, locumque hunc in terris incolere, tutumque servare instituens, hoc volui indicio probare, omnium quæ ibi geruntur, ipsius quoque loci me esse inspectorem atque custodem. Hac revelatione comperta, consuetudinem fecerunt cives hic Dominum precibus per sanctum deposcere Michaelem. Duas quippe januas ibi cernentes, quarum australis, quæ et major erat, aliquot gradibus in occasum vergentibus, adiri poterat, sed nec ultra cryptam intrare ausi, præ foribus quotidie orationi vacabant. Inter hæc Neapolitani paganis adhuc ritibus aberrantes, Sepontinos et Beneventanos, qui centum quinquaginta milliaribus a Seponto distant, bello lacessere tentant. Qui antistitis sui monitis edocti, tridui petunt inducias, ut triduano jejunio liceret quasi fidele patrocinium sancti Michaelis implorare et præsidium. Quo tempore, pagani ludis scenicis falsorum invitant auxilia deorum. Ecce autem nocte ipsa quæ belli antecedebat diem, adest in visione sanctus Michael antistiti, preces dixit exauditas, victoriam spopondit adfuturam, et quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrendum. Læti ergo facti, et de angelica certi victoria, Domini coacti spiritu obviant Christiani paganis. Atque in primo belli apparatu Garganus immenso tremore concutitur, fulgura crebra volant, et caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit, impleta prophetia quæ Dominum laudans ait: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* (*Psal.* CIII). Fugiunt pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis, ad Neapolim usque sequentibus, atque extrema quæque cædentibus adversariis, mœnia tandem suæ urbis moribundi subintrant. Qui autem evasere periculum, comperto quod angelus Dei in adjutorium venerit Christianis, nam et sexcentos ferme suorum fulmine videbant interemptos, Regi regum Christo continuo colla submittentes, armis induuntur fidei. Cumque domum reversi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent archangeli, vident mane juxta januam septentrionalem (quam prædixi instar posterulæ pusillæ) quasi hominis vestigia marmori arctius impressa, agnoscunt beatum Michaelem hoc presentiæ suæ signum voluisse monstrare. Ubi postea culmen appositum et altare impositum, ipsa ecclesia ob signa vestigiorum Appodonia est vocata. Multa dubitatio inter Sepontinum et Beneventanum quid de loco agerent, utrum intrare et dedicare ibi debeant ecclesiam. Unde collatione facta, ad meridiem loci illius beati Petri apostolorum principis nomine condunt ecclesiam et dedicant. In qua etiam beatæ semper virginis Mariæ, sanctique Baptistæ Joannis altaria statuunt. Tandem antistites salubri reperto consilio Romanum episcopum quid de his agendum sit per nuntios sciscitantur, qui tunc forte in monte Soracti quinquagesimo fere milliario a Romana urbe distante fuerat, quem incolæ sancti Sylvestri cognomine vocant, eo quod ipse ibi quondam exsul orans pro fidei persecutione delituerat cum

A suis. Taliaque mandata remittit: Si hominis est, dilectissimi, illam dedicare basilicam, hoc maxime die quo victoria data est fieri oportet. Sin autem alias sancto provisori loci placuerit, eodem præcipue die illius in hoc voluntas est requirenda. Hoc ergo tempore imminente, agamus ambo triduanum cum civibus nostris jejunium, sanctam Trinitatem rogantes, ut munera quæ summo suæ sedis ministro conferre dignatus est, ad certum usque finem perducat. Factum est, ut suggesserat antistes. Nocte vero constituti jejunii suprema, angelus Domini Michael episcopo Sepontino per visionem apparens: Non est, inquit, vobis opus hanc quam ædificavi dedicare ecclesiam. Ipse enim qui condidi, etiam dedicavi. Vos tantum intrate, et me assistente patrono, precibus locum frequentate.
B Et te quidem ibi cras missam celebrante, populus juxta morem communicet. Meum autem erit ostendere quomodo per memet locum sacraverim ipsum. Illi adveniunt mane cum oblationibus, et magna instantia precum intrant regiam australem, et ecce longa porticus in aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam extra quam vestigia marmori diximus impressa. Sed priusquam huc pervenias, apparet ad orientem basilica prægrandis, qua per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos fere homines capere videbatur, altare venerandum, rubroque contectum palliolo, prope medium parietis meridiem ostendens. Erat autem ipsa domus angulosa, non in more operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ prærruptis et sæpius emi-
C nentibus asperata scopulis, culmine quoque diversæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi, credo docente archangelo, Deum non ornatum lapidum, sed cordis quærere et diligere puritatem. Vertex vero montis extrinsecus partim cornea sylva tegitur, partim virenti planitie dilatatur. Missarum itaque celebratione completa, magno attoniti gaudio quique redierunt in sua. Episcopus autem delegato ministrorum, cantorum, sacerdotumque officio, et mansione constructa, omnem ibidem quotidie psalmorum, hymnorum, missarumque cursum congruo præcepit ordine celebrari. Nullus autem huc nocturno est tempore ausus ingredi, sed aurora transacta matutinos ibi decantavit hymnos. Ex ipso
D autem saxo quo sacra tegitur ædes, ad aquilonem altaris, dulcis et nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc et vitreum vas ejusdem receptui præparatum argentea pendet catena suspensum, morisque est populo communicato singulos ad vasculum ascendere per gradus, donumque cœlestis degustare liquoris. Nam et gustu suavis et tactu salubris; denique nonnulli per longas febrium flammas hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque et aliis modis ibi crebro sanantur ægroti, et multa quæ angelicæ tantum congruunt potestati, geri illic miracula comprobantur, maxime tamen ejusdem die natalis, cum et de provinciis circumpositis plus solito conflua turba recurrit, et angelicæ virtutis major quodam-

Digitized by Google

modo creditur adesse frequentia, ut quod spiritualiter dixit Apostolus, etiam corporaliter agi videatur: *Quia angeli sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, in Christo Jesu Domino nostro* (*Heb.* I). Tu autem, Domine.

## HOMILIA LVII.

### DE EODEM FESTO

(Ex Opp. beati Maximi episcopi.)

*In illo tempore accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cælorum? Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum,* etc. (*Matth.* XVIII).

Si diligenter, fratres, audistis, evangelicam lectionem, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Maximi, Patrologiæ tomo LVII, col.* 445

## HOMILIA LVIII.

### IN EODEM FESTO SANCTI MICHAELIS.

[Ex Haymone.

*In illo tempore accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cælorum*, etc. (*Matth.* XVIII)?

Quoties legimus discipulos Domini de ordine prioratus inter se contendisse vel interrogasse, non livori et invidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati; quippe qui rudes erant ac novelli, quia audierant eum suam resurrectionem prædicantem, et nondum Spiritus sancti gratia illuminati, cœleste regnum perfecte amare didicerant, quia, ut ait evangelista Joannes, *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII), putabant quod ipse resurgens a mortuis, corporaliter regnum teneret, et ipsi honoribus sublimarentur. Unde passionis illius tempore facta est contentio inter eos quis eorum major esset in regno cœlorum. Hac suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi quando accessit ad Dominum, dicens: *Domine, dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo* (*Matth.* XX). Hinc Cleophas et alius discipulus quibus cum Dominus post resurrectionem in specie peregrini apparuisset, dicebant: *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). Et quidam discipulorum interrogantes eum, dicebant: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel* (*Act.* I)? Occasio autem interrogandi Dominum, quis illorum major esset in regno cœlorum, fortassis ex superioribus acciderat. Nam ut supra evangelista retulit, accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, et dixerunt ei: *Magister vester non solvit didrachma? Ait etiam: Et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus suscipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ejus ore invenies staterem, illum sumens, da eis pro me et te* (*Matth.* XVII). Quia ergo alii discipuli viderant Petrum in redditione census Domino coæquari, computantes eum illis omnibus esse prælatum, in illa hora accesserunt ad Jesum, dicentes: *Quis putas major est in regno cœlorum?* Sed magister humilitatis, qui ait in evangelio: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI), ut ostenderet regnum cœlorum, non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendum, illumque fore majorem in eo qui propter Deum se humiliat. *Advocans parvulum statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quod duobus modis potest intelligi. Possumus enim hic parvulum Dominum Jesum Christum accipere, qui cum sit *magnus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV), ut nos excelsos faceret, *parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Et est sensus: Nisi meo exemplo vos humiliaveritis, qui *non veni ministrari, sed ministrare*, et factus sum in medio vestrum sicut qui ministrat, sed non qui vel quasi recumbens, regnum cœlorum quod humilibus est præparatum, intrare non potestis. Si autem simpliciter quemlibet parvulum intelligamus, facile patet, quia non solum ad humilitatem, sed etiam ad simplicitatem servandam hoc exemplo nos hortatur. Ac si diceret: Sicut parvulus iste cujus vobis exemplum proposui, videns mulierem pulchram non concupiscit, non alienas divitias appetit, læsus non relædit, non aliud cogitat, et aliud loquitur, et iratus non perpetuas tenet discordias, ita et vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cœlorum quod humilibus et simplicibus est præparatum, intrare nequaquam potestis. Cujus viam nemo superbus graditur, nemo tumidus incedit, quia *ardua via et angusta quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII). Cum ergo ait: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, tale est si dixisset: Jam si vos delectat locus sublimis, prius exerceat humiliatio vitæ innocentis, non quod apostolos corpore vellet esse parvulos, sed ut innocentiam parvulorum in mente possiderent. Hujuscemodi parvulos Dominus suos volebat esse discipulos, quibus dicebat: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum* (*Matth.* XIX). Et Paulus apostolus talium innocentiam parvulorum suos volebat habere discipulos, quibus per epistolam præcipiebat: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti sitis* (*I Cor.* XIV). Talem se noverat rex propheticus, qui in regali solio sublimis, sed mente humilis, dicebat: *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me* (*Psal.* CXIV). Et iterum: *Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (*II Reg.* VI). Parvulus enim est qui sibi displicet ut Deo placeat, tantoque ante Deum erit pulchrior, quanto apud semetipsum erit humilior. Unde et subditur: *Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Habeamus ergo virtutem

humilitatis, si volumus habere in regno cœlorum locum celsitudinis, quoniam, sicut Salvator ait in Evangelio: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV). Unde et nos alibi Scriptura admonet, dicens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III). Et iterum: *Humiliamini sub potenti manu Dei ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Et ne putares illum esse contemnendum, qui propter Deum hic se humiliat, congruam sententiam adjunxit, dicens: *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Hoc est quod Dominus in futurum se promisit dicturum: *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Et signanter ait: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Quamvis enim non sit eligendum cui juxta Scripturæ vocem benefacere debeamus, illis tamen qui propter Deum parvi et humiles esse eligunt, in cujus vitæ moribus Christum esse cognoscimus, specialem benevolentiam impendere debemus. Unde cum pius pater filium instrueret, ait: *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et ne communicaveris ex eo cum peccatoribus* (*Tob.* IV). Et iterum: *Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui tradas eam* (*Eccli.* XXIX). Hinc et Apostolus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* VI). Qui enim bona temporalia illis impendit, in quorum vita et moribus Christum habitare cognoscit, profecto illi tribuit pro cujus amore impendit. Unde bene dicitur, *in nomine meo.* Multi enim bona temporalia non in nomine Christi, sed ut laudem hominum captare possint, tribuunt. De quibus scriptum est: *Quæsierunt gloriam hominum, magis quam Dei* (*Joan.* XII). Et Dominus alibi: *Omnia enim opera sua faciunt ut videantur ab hominibus* (*Matth.* XXIII). Et iterum: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Et ne ad suscipiendos hospites vel peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his suscipi, promisit, cum ait: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Unde et ipse alibi dicit: *Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X). Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit; et qui vos spernit, me spernit* (*Ibid.*). Sicut autem suscipientibus merces promittitur, ita duris et avaris pœna indicitur, cum subinfertur: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Ubi considerandum est quam grave peccatum sit scandalizare fratrem, quando etiam scandalizantibus talis vindicta comminatur. Quod autem ait: *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et in profundum maris demergatur,* juxta morem provinciæ loquitur, ubi apud veteres Judæos capitalia crimina hoc supplicio puniebantur. Nemo ergo arbitretur leve peccatum esse scandalum fratris, cum scandalizantibus

A talis pœna prædicitur, quoniam sicut alibi in Evangelio ait: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V). Quod se cavere omnino Apostolus ostendit, cum ait: *Melius enim mihi est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque aliquid in quo fratrem scandalizem* (*Rom.* XIV). A quo peccato etiam discipulos suos compescit, dicens: *Quare tu scandalizas fratrem tuum, aut quare spernis illum?* Igitur, in quantum possumus, juxta Apostoli admonitionem, scandalum fratrum vitare debemus, si autem pro veritate scandalum oriatur, magis veritas eligenda est, quam scandalum vitandum. Vel certe per molam asinariam quæ pondus habet, sed nullum iter explicat, volubilis amor sæculi exprimitur. Cum ergo ait: *Expedit ei, ut suspendatur mola* B *asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris,* carnales quosque et mundi amatores a regimine ecclesiastico prohibet, quoniam melius est quod mundi amator in sæculo vivens carnaliter, se solum perdat, quam in regimine ecclesiastico constitutus, se et alios perverse vivendo ad interitum trahat; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, quoniam dum infirmi discipuli patroni sequuntur exemplum, et ipsi pereunt, et illorum perditio in ejus caput redundat, qui auctor est criminis. Sive certe per molam asinariam doctores intelliguntur, quia sicut mola granum tritici frangitur, ut medulla ejus ad sustentationem vel refectionem humanæ naturæ ostendatur, ita quoque et doctores occultas sententias Scripturæ sacræ aperientes, C interiorem sensum earum manifestant, vel vitam sive refectionem animarum sanctarum. *Væ mundo ab scandalis.* Mundus cui væ dicitur, non ille est quem venit Filius hominis quærere et salvare, sed ille qui in maligno positus est, id est mundi amatores, de quo Dominus alibi ait: *Pater juste, mundus te non cognovit* (*Joan.* XVII). Qui enim mente et desiderio sæculum incolunt, recte mundus appellantur, de quibus Joannes ait: *Mundus transibit, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). Mundi enim amatores dum propter cupiditates sæculi alios non metuunt scandalizare, tamen ipsi scandalum sustinent, aliquando quidem corpore, semper autem mente. Et ideo væ illis, quia ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Quibus per Jacobum D dicitur: *Qui voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jacob.* IV). Ad quos pertinet quod adhuc subjungitur: *Necesse est enim ut veniant scandala, verumtamen væ homini per quem scandalum venit.* Quod autem ait, *necesse est,* tale est ac si diceret: Non potest esse ut scandala non veniant. *Oportet enim et hæreses esse,* sicut ait apostolus, *ut probati manifesti fiant* (*I Cor.* XI). Et alia scriptura: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Pacis autem tempore non facile decerni potest quis bonus malusve sit. Sed cum scandalizatorum flaverit ventus, faciles et tenues projiciet quasi paleas ante faciem venti, grana vero congregabit in horrea Christi. Væ ergo homini

Digitized by Google

illi qui talem se exhibet, ut malum quod venturum est per ejus ministerium impleatur, de quibus Dominus ait: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et tradent ea in caminum ignis ardentis* (*Matth.* XIII). Quod facilius intelligimus, si unum ad medium deducamus, Judam scilicet Domini proditorem, de quo ipse tempore passionis suæ ait: *Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo, væ autem homini illi per quem tradetur* (*Matth.* XXVI). Necesse enim erat ut Filius Dei pro nobis passionem sustineret, sed væ Judæ qui nostrum bonum suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum vel amicorum a via Dei sibi recedendum putaret, omnem Magister veritatis errorem tollit, cum subjungit: *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizet te, abscinde eum, et projice abs* B *te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scandalizet te, erue illum, et projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo intrare ad vitam, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Juxta litteram quantum abhorreat hoc, facile patet. Sed cum a littera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc quod manus, pes, oculus, nostris necessitatibus necessariora sunt, propinquorum et charissimorum affectus in hoc loco designatur, ac si diceret Dominus: Si quis tibi fuerit pretiosus ut oculus, propinquus ut pes, necessarius ut manus, et a via Dei te recedere persuaserit, hujus amorem abscinde, et abs te projice. Melius est te solum intrare ad vitam, C quam cum multa turba propinquorum mitti in ignem æternum. *Quid proficit homini, si totum lucretur mundum, animæ autem suæ detrimentum patiatur* (*Marc.* VIII)? Verbi gratia: Blanditur uxor, minatur pater, persuadet mater, lacrymantur frater et soror, tu autem in via Domini sta firmus, ne illos inutiliter amando, a Dei amore recedas, sed juxta illud quod alibi ait: *Sine mortuos mortuos suos sepelire, tu autem sequere me* (*Matth.* VIII). Neque hoc dicimus, quod parentibus et amicis ingrati et inobedientes esse debeamus, sed quando a via Dei removere voluerint, tunc eorum amorem abscindamus a nobis. Cæterum cum eos Deum amare cognoverimus, dupliciter nobis amandi et honorandi sunt: Primum, D quia justi sunt, deinde, quia propinqui, Domino dicente in lege: *Honora patrem tuum et matrem, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore* (*Deut.* V). Hinc et Apostolus ait: *Si quis suorum curam non habet, et maxime fidelium, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Quantam autem sollicitudinem et curam Dominus de his habeat, qui totam spem in eo ponunt, manifestat cum subjungit: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Qui enim pusilli et humiles in præsenti vita propter Deum sunt, nequaquam contemnendi sunt. Pusilli namque sunt, ut diximus, qui coram oculis suis humiles sunt et despecti, de quibus Salvator ait in Evangelio: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis*

A *regnum* (*Luc.* XII). Quisquis ergo tales scandalizare non metuit, offendit Deum qui habitat in illis, sicut ipse per prophetam dicit: *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei.* Et iterum: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Zach.* II). De quibus valde dulce est quod adhuc subinfertur, quare non sint contemnendi. *Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). In hoc loco discimus, quia unusquisque fidelium, angelum ob sui custodiam deputatum habet, qui et eum a tentationibus defendit, et in virtutibus juvat, sicut apostolus in epistola ad Hebræos ait: *Angeli sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I). Et psalmista de justo quolibet: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psal.* XC). Hinc et de Petro in Actibus apostolorum legimus, quia cum ab angelo de carcere eductus, januam pulsare cœpisset, fideles qui convenerant, dicebant: *Non est Petrus, sed angelus ejus* (*Act.* XII). Angeli ergo parvulorum semper vident faciem Patris, quia sic propter nos foras exeunt, ut ab ejus visione nunquam recedant, sicut ipse angelus Raphael ad Tobiam ait: *Ego sum unus de septem spiritibus qui assistimus ante Deum* (*Tob.* XII). Et Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII). Angeli enim qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes et opera nostra Deo nuntiare creduntur, sicut angelus ait Tobiæ: *Cum orares, ego obtuli orationes tuas ante Deum* (*Tob.* XII). Et Daniel: *Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos* (*Dan.* X). Tu autem, Domine

## HOMILIA LIX.

### IN NATALI SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ.

Cum in divinis atque sacris voluminibus studiose lectitando perquirerem, ex qua ortus prosapia, a quibus instructus, quosque imitatus sit viros, quibusve in partibus beatissimus Lucas evangelista scripserit atque docuerit, quove pausaverit, ejusque sacrum deportatum fuerit cadaver loco, in singulis singula reperi; et post pauca de pluribus carpens, prout sensu capere potui ingenioli mei, partim stylo proprio explicare conatus sum, partim autem sicut a quibusdam reperi scripta doctoribus exarans, vestræ intentis charitatis auribus noster subsequens sermo declarabit. Igitur gloriosissimus apostolus et evangelista Jesu Christi Lucas, natione Syrus Antiochensis, arte medicus, apostolorum discipulus, almificos eorum actus prout vidit, lucido disertoque sermone prosecutus, in brevi libello ad charissimum scripsit Theophilum. Deinde Paulum secutus egregium doctorem gentium usque ad triumphum passionis ejus, quem cum apostolo Petro Romæ excepit, individuus comes peregrinationis ejus existens, ubique cum eo permansit. Cujus præcipue peregrinationis

Digitized by Google

et sacræ doctrinæ gesta, eorumdem annectens apostolorum libello, ad laudem nominis et memoriam ipsorum, et universalis Ecclesiæ stabilimentum texuit. Dumque eumdem gloriosissimum Paulum idem venerabilis Lucas sequeretur in plurimis terræ marisque tribulationibus, digne ab illo hujusmodi testimonii elegantia meruit laudari. Sic enim Colossensibus scribens ait de eo : *Salutat vos Lucas medicus charissimus meus in Domino* (*Col.* IV). Et Timotheo illustri viro scribens ait : *Lucas solus mecum est* (*II Tim.* IV). Et in alio loco epistolæ suæ ait de illo inter reliqua salutationis, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, *misimus etiam fratrem nostrum, cujus laus est in evangelio per omnes ecclesias. Non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis, comes peregrinationis nostræ* (*II Cor.* VIII). Vir enim (ut ita dicam) omnium ore B laudabilis est hic Domini evangelista, qui meruit a tanto apostolo et doctore gentium prædicari. Laudemus ergo eum cum ipso et nos pariter, charissimi, et consona voce, corde et ore extollamus, et verum a Deo missum medicum animarum prædicemus eum. Cujus omnia doctrinæ verba nihil aliud resonare videntur, nisi animæ languentis medicinam. Propterea non immerito iste tale sortitus est nomen. Lucas quidem Æolice, in nostra autem lingua interpretatur consurgens sive elevans. Recte itaque consurgens sive elevans dicitur, qui terrenis despectis, sese ad cœlestia consurgendo elevavit, et toto mentis conamine liber expeditusque est Dominum secutus. Unde et ejus prædicare Evangelium adhuc in ergastulo corporis retentus, et suis sequacibus scribere est C dignus habitus, multosque etiam verbo suæ prædicationis ad Jesu Christi Domini perduxit fidem. O Luca sanctissime evangelista, Dominica atque veridica personans longe lateque verba, cujus fragor Æolicis quidem primum intonans auribus, gyrat penetralia cœlorum ad instar tonitrui, at demum ut psalmographus ait vates, non solum occiduas usque protenditur partes, vox omni suavitate melliflua, sed et in omnibus terræ finibus personuit. O insignis præconii et almitatis evangelicæ lucifer, ab orientalibus partibus emittens nobis lumen fidei, et cœlestis itineris patenter scandere volentibus callem demonstrans. O animæ salubre medicamentum, beatissime Luca, qui velut nardi pisticæ pretiosum unguentum D redolens, et interiora pectoris nostri arcana permulcens, ad semper mansura gaudia, ubi nullus languor, nullus dolor, nullusque gemitus invenitur, voce incessabili nos invitare omnimodo non desistis. Recte enim hic versiculus poetæ cujusdam epigrammatis potest aptari :

> Vivere post obitum vatem vis nosse viator?
> Quod legis, ecce loquor, vox tua nempe mea est.

Hic prorsus cum descripta essent evangelia, per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum vero in Italia, instigante Spiritu sancto, magis auditu quam jussu, in Achaiæ Bithyniæque partibus historice suum composuit Evangelium Attico sermone, *sicut ab his traditum habuit, qui ab initio viderunt, eique magistri fuerunt sermonis Dei*. Incipiensque a sacerdotum regumque temporibus, in hunc videlicet modum : *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias* (*Luc.* I), eam historiam plena digestione prosequitur. Hujus quoque strenuissimi evangelistæ Lucæ librum, cum quatuor Evangeliorum libris intelligendum, arbitrati sunt doctores per vituli speciem figurari. Vitulus denique sacerdotalis est victima, quæ in Redemptoris nostri immolatione completa est, qui pro salute totius mundi in patibulo crucis suspensus, semetipsum Patri hostiam vivam exhibuit. De quo evangelista pulchre Sedulius presbyter in paschalis descriptione carminis, heroico percurrens carmine ait :

> Jura sacerdotis Lucas tenet ore virenti.

Et Paulinus Nolanæ sedis præsul de isto Domini venerabili viro, bene ludens versibus canit :

> Bis medicus Lucas, prius arte, deinde loquela.
> Bis medicus Lucas, ut quondam corporis ægros
> Artus consolidat, et nunc in mentibus ægris,
> Composuit geminos vitæ medicamina libros.

Nam quid plura referam de tam veridico eximioque evangelista, qui meruit a tantis ac talibus laudari doctoribus, hoc est, Hieronymo, Ambrosio, aliisque plurimis qui muri sunt ecclesiarum et eloquentiæ fontes? Quidve digne resonem ignoro, cum mihi si ferrea esset vox, et omnium membrorum meorum artus verterentur in linguas, pleniter in ejus laude minime explere valerem quæ meretur. Sed amore tanti viri ductus, et non præsumptionis temeritatem gerens homo imperitus, sed quorumdam fratrum victus precibus charitatis, hæc vestræ dilectioni compulsus sum exarare. Nunc autem quæ omisimus prosequamur. Ecce enim ut nostri oris ratio roboretur, ejusdem luculenti doctoris Ambrosii exempla nostro huic compendioso opusculo adnectemus. Sic enim dicit : Sanctissimus vir Lucas velut quemdam historicum tenens ordinem, plura nobis Domini miracula revelavit, ita tamen, ut omnis sapientiæ virtutes evangeliorum suorum complecteretur historia. Quid enim præcellentius ad sapientiam naturalem, quam quod ex Spiritu sancto etiam Dominicam incarnationem exstitisse reseravit? Unde et David naturalem docens sapientiam, ait : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur* (*Psal.* CIII). Docet moralia in eodem Evangelii sui libro, in illis beatitudinibus docens mores, quemadmodum non ferire, non repercutere verberantem, quemadmodum benefacere, mutuum dare cum desperatione mercedis, merces enim facilius sequitur non exspectantem. Docuit etiam et rationabilia cum lego : *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est* (*Luc.* XVI). Quid adhuc de naturalibus dicam, quod docuit virtutes cœlorum moveri, Dominum solum esse unigenitum Filium Dei, in cujus passione tenebræ per diem factæ sunt, terra tremuit, sol refugiens radios suæ claritatis abstraxit? Ergo omnem mundanam sibi prudentiam vindicat, et principatum sapientiæ veræ possidet spiritualis, præsertim cum audacius aliquid usur-

Digitized by Google

pans ipsa fide nostra, ipsum mysterium Trinitatis in hac triplici sapientia esse posuit, hoc est naturali, morali, rationali. Si credamus illum naturaliter Patrem qui nobis genuit redemptorem, et illum moralem qui Patri usque ad mortem secundum hominem obediens nos redemit, et illum rationalem qui rationem colendæ divinitatis et vitæ regendæ humanis pectoribus infudit, nulla ergo operationum distantia, nulla discretio est, ubi vel in Patre, vel in Filio, vel in Spiritu sancto, nulla secunda plenitudo virtutis est. Nunc ad narrationis ordinem redeamus. *Omnis*, ait Dominus, *qui petit, accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII.) Aperi ergo nobis pulsantibus, Domine, qui tenes clavem scientiæ, ut aliquid adhuc congrue in laudem tanti evangelistæ tui beati Lucæ, ad ædificationem audientium dicere valeamus. Igitur ut idem Dominus apostolus in proœmio Evangelii sui testatur, *plures fuerunt qui evangelicam conati sunt ordinare narrationem, rerum quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis*, ut superius diximus, *qui ab initio viderunt sermonem Filii Dei, et ministraverunt ei*, et perseverantia usque ad præsens tempus monumenta declarant, quæ diversis auctoribus edita, diversarum hæresum fuerunt principia, ut est illud quod appellatur Evangelium juxta Ægyptios, secundum Thomam et Matthiam, et Bartholomæum, duodecim quoque apostolos, ac Basilidem atque Apellem, et cæteros quos enumerare longum est, dum hoc tantum in præsentia necesse est dicere, exstitisse quosdam qui sine Spiritu et gratia Dei conati sunt ordinare magis narrationem, quam historiæ texere veritatem. Quibus jure illud propheticum congruit: *Væ qui prophetant in corde suo, qui ambulant post spiritum suum, qui dicunt: Hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos* (*Ezech.* XIII). De quibus et Salvator in Evangelio dicit: *Omnes qui ante me venerunt, fures et latrones fuerunt* (*Joan.* X). Qui venerunt, dicit Dominus, non qui missi sunt. In venientibus præsumptio temeritatis, in missis obsequium servitutis est. Ecclesia autem quæ supra petram Domini est voce fundata, quam adduxit rex in accubitum suum, et ad quam per foramen descensionis occulte manum suam misit, similis hinnulo cervorum, quatuor fluminum paradisi instar, eructans de uno fonte quatuor Evangelia, quatuor et annulos et angulos habet, per quos quasi arca testamenti Domini lignis imputribilibus vehitur. Hæc est et illa in Zacharia quadriga quæ per orbem evecta, jugo fidei colla cunctarum gentium subjicit. Quatuor præterea flumina pulchre dicuntur de uno paradisi procedere fonte, per quæ quatuor evangelistarum numerus demonstratur, et quatuor perfectæ virtutes, id est prudentia, temperantia, fortitudo atque justitia designantur. Nam sicut a quatuor saluberrimis luculentisque fluminibus Domini irrigatur paradisus, ita et cor nostrum irrigatur a quatuor evangelistarum instrumentis. Ex quo perlucido Jesu Christi Domini fonte sanctus iste velut Euphrates procedens, de quo nobis sermo est, apostolus Lucas evangelici disputa-

A tor libri, cor nostrum sæpius rigare et madefacere non cessat. Et ut Euphrates fertilis seu frugalitas et ubertas nuncupatur, ita et iste magnæ fertilitatis atque ubertatis, seu Evangelii dogmate sanctæ Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, augens verbo doctrinæ suæ, fidei incrementum, radio suæ claritatis velut jubar ab æthere veniens, ac multorum hominum pectora illustrans, quotidie illuminare non desinit, cum ejus verba veluti bonum nuntium in Ecclesia leguntur. Evangelium quippe Attice, Romane bonum nuntium dicitur, seu nova annuntiatio. Nuntiat enim incarnationem sanctamque nativitatem Christi, passionem quoque ac resurrectionem, nec non et in cœlos ascensionem, venturumque eum esse ad judicium cum gloria et regno. Hæc sunt quippe

B septem sigilla, quibus Joannes dicit librum esse signatum, quem *nullus potest aperire, neque in cœlo, neque super terram, neque sub terram, et signucula ejus solvere, nisi solummodo leo de tribu Juda* (*Apoc.* V), id est, Christus. Vel ideo evangelium bonum dicitur nuntium, quia annuntiat regnum post laborem, vitam post mortem. Recte ergo hoc ipsum evangelium iste evangelista Lucas ad eumdem, ut præfati sumus, scripsit Theophilum, ad quem et librum Actuum apostolorum, id est ad Dei dilectum. Ergo et tibi convenit semper quisquis es, o homo, quia si Deum diligis, ad te scriptum est Evangelium. Et si ad te scriptum est, suscipe pretiosissimum margaritarum munus evangelistæ, pignus amici in penetralibus animi diligenter observa. O quale munus vel quale

C pignus, si consideres, si attendas, si mente pertractes. Quæ si bene et pervigil observaveris, ad semper mansura gaudia te felicem perducent, ubi sociatus angelorum choris, incessabiliter exsultabis. Hic etiam beatus Lucas examussim dicitur Græco eloquio eruditus, cui extra ea quæ evangelicæ disputationis ordo deposcit, maximæ necessitatis labor is fuit, ut primum Græcis fidelibus incarnationem Domini nostri Jesu Christi fideli narratione ostenderet, ne vel Judaicis genealogiis intenti, solo legis desiderio tenerentur, vel hæreticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti, excedendo laberentur. Deinde velut cœlestis agricola semen doctrinæ suæ innumerabilium mentibus hominum serens, ac vomere suæ insignis linguæ nuntiando exsulcans, ad creatoris sui fidem conver-

D teret. Duplicatis etenim talentis Domini sui, et centesimum secum afferens fructum ad gemmea cœli palatia perenniter regnaturus, ardentis animi desiderio satagens properavit. Nam martyrium suo corpori assiduis lamentationibus, crebrisque vigiliis membra sua macerans indixit. Hic etenim ab ipso pueritiæ suæ tempore castus omnimodo perseverans, neque uxorem, neque filios perhibetur habuisse. Ideoque non immerito inter angelorum agmina, et gloriosum apostolorum chorum, inter laudabilem prophetarum numerum, atque candentia lilia virginum, et immarcescibiles rosas martyrum et flores coruscat, omniumque beatorum perfruitur consortiis sanctorum. Tradunt etiam nonnulli, hunc evangelistam unum esse

Digitized by Google

ex illis duobus discipulis, quibus in castellum Emmaus euntibus Dominus se sociavit, atque in peregrino habitu se ostendens, illis sensum aperuit, et in fractione panis ut eum cognoscerent mirabiliter patravit. Hic dum septuagesimum ætatis suæ haberet annum, obiit in Bithyniæ partibus quinto decimo Kalendas Novembris, et a viris catholicis corpus ejus humatum est. Cujus sanctum cadaver pluribus jam evolutis annorum circulis, Constantino Augusto regnante, ad Constantinopolitanam urbem cum gloria est translatum, et decenter locatum. Ubi quanta et qualia prodigiorum miracula ad nominis sui laudem, per merita hujus gloriosissimi evangelistæ Lucæ, Dominus Jesus Christus frequenter efficiat, quia ad notitiam nostram minime pervenerunt, omitto retexere. Hoc autem divina providentia constat actum, ut scilicet per plura deportatis loca hujus Lucæ evangelistæ venerabilibus reliquiis, plura virtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrinæ et virtutis ejus ad fidem ac dilectionem Domini nostri Jesu Christi, quem prædicavit, confluerent. Qui cum Deo Patre sanctoque Spiritu vivens, regnat per immensa sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LX.

### IN EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore designavit Jesus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii vero pauci*, etc. (*Luc.* X).

Dominus et salvator noster, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium Magnum, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1138.

In festo undecim millium virginum, quære de virginibus.

De sancto Severino, quære in communi.

De festo sanctorum Simonis et Judæ, quære de apostolis.

## HOMILIA LXI.

### IN VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

(Ex ven. Bedæ in Evangelium secundum Lucam expositione, lib. II.)

*In illo tempore elevatis Jesus oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, etc. (*Luc.* VI).

Quamvis generaliter omnibus loquitur, etc. *Reliqua vide Operum ven. Bedæ, tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 401, *lin.* 14.

## HOMILIA LXII.

### IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

Hodie, dilectissimi, omnium sanctorum sub una solemnitate, etc. *Reliqua vide Operum ven. Bedæ tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 450.

## HOMILIA LXIII.

### IN EODEM FESTO.

(Ex eodem.)

Legitur in ecclesiasticis historiis, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, col.* 452.

## HOMILIA LXIV.

### IN EODEM FESTO.

(Ex Opp. beati Leonis Magni papæ.)

*In illo tempore videns Jesus turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, etc. (*Matth.* V).

Qualis enim doctrina sit Christi, etc. *Reliqua vide Operum sancti Leonis tomo I, Patrologiæ LIV, col.* 461, *lin.* 37

In festo sancti Martini, quære de confessoribus.

De sancta Catharina, quære de virginibus.

## HOMILIA LXV.

### IN DIE ANIMARUM.

(Ex Opp. beati Augustini, serm. de Scripturis.)

De verbis Apostoli, *ut de dormientibus non contristemur* (*I Thess.* IV).

Admonet nos beatus Apostolus, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 935.

## HOMILIA LXVI.

### IN EODEM FESTO.

(Ex eodem, inter sermones supposititios.)

De verbis Apostoli, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*.

Omnium Christianorum spes, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide tomo ut supra, Patrologiæ XXXIX, col.* 1961.

## HOMILIA LXVII.

### IN DIE OMNIUM ANIMARUM.

(Ex sancti Augustini in Joannis Evangelium Tractatu tract. 49.)

De eo quod scriptum est in Evangelio sancti Joannis, cap. XI : *Erat autem quidam languens Lazarus*.

Inter omnia miracula quæ fecit Dominus noster, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1746.

# INCIPIT COMMUNE SANCTORUM.

## HOMILIA LXVIII.

### DE APOSTOLIS.

(Ex Opp. sancti Fulgentii, inter spuria.)

Delectat tantorum tractare margaritas sanctorum, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Fulgentii, Patrologiæ tomo LXV, col.* 939.

## HOMILIA LXIX.

### IN VIGILIA APOSTOLORUM.

(Ex beati Augustini in Joannis Evangelium Tractatu, tract. 80.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est*, etc. (*Joan.* XV).

Iste locus evangelicus, fratres, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1839.

Digitized by Google

## HOMILIA LXX.

ITEM DE APOSTOLIS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore misit Jesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis et dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel*, etc. (*Matth.* x).

Cum constet quia Redemptor noster in mundum pro redemptione gentium venit, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1089.

## HOMILIA LXXI.

ITEM DE APOSTOLIS.

(Ex sancti Augustini in Joannis Evangelium Tractatu. tract. 87-88.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*, etc. (*Joan.* xv).

In lectione evangelica quæ hanc antecedit, etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1852.

## HOMILIA LXXII

ITEM DE APOSTOLIS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, etc. (*Joan.* xv).

Cum cuncta sacra eloquia dominicis plena sint præceptis, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1205.

## HOMILIA LXXIII.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

Quia beati martyris natalis hodie illuxit dies, quem vobiscum, fratres charissimi, nos voluit Dominus celebrare, aliquid donante illo de martyrum gloria et patientia disseramus. Gloria quidem mundana ab his contempta est, et ideo patientia probata est. Nam gloria eorum abscondita latebat in cœlis, quia patientia eorum exercebatur in terris. Qui non exhorret eorum patientiam, pervenit ad gloriam. Miseria putatur pati dura et aspera in carne, quia revera molestum est. Nisi esset omnibus molestum, non esset martyribus gloriosum. Multis ergo lascivis et avaris martyres sancti insanire visi sunt, quando pro Christi nomine tanta patiebantur. Etenim ut cum negarent, urgebantur. Alii ergo virgis et flagellis dimissime sunt verberati, alii fustibus et plumbatis cæsi, alii membratim laniati, alii gladio occisi, alii excoriati, pice plumboque liquato perfusi, alii ardore prunarum excruciati, et alii flammis exusti, alii quidem in mare mersi, alii bestiis deputati, alii carcerum sunt horrore et fame necati. Quot enim genera pœnarum et mortium hostis excogitare poterat, tot martyribus sine ulla miseratione infligebat. Sed ipsi licet in aperto horrida paterentur, in occulto tamen ineffabiliter coronabantur. Multi quidem gloriam terrenam quæsierunt, multi viri fortes

A pro patria sanguinem fundendum esse duxerunt, nec fundere dubitaverunt, quo gloriam post mortem etiam apud posteros haberent, sed quæ illorum gloria martyribus comparatur? Quid potuit invenire imperator, quod potuit invenire piscator? Imperatorum, consulum et virorum fortium, qui orbem armis domuerunt et subjugaverunt, sepulcra sunt Romæ. Ad cujus sepulcrum intrare dignatus est imperator? Et tamen diademate deposito, ad sepulcrum suum orantem suscepit eum piscator. Ecce si terrena gloria fuerat concupiscenda martyribus, nec ipsi fraudati sunt, qui honorem tantum inter angelos quæsierunt. Videmus eorum glorias in terris, et stupemus. Quid pateremur si in cœlis videremus? Quantus nos stupor admirationis apprehenderet, si videremus B martyres inter angelos gloriantes, quorum natalitia videmus populos celebrantes? Sed nos volumus gaudere cum sanctis, et tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sic et Apostolus prædicat, dicens : *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum* (*II Cor.* i). Et Dominus in Evangelio : *Si mundus*, inquit, *vos odit, scitote quia me priorem odio habuit* (*Joan.* xv). Recusat esse in corpore, qui odium mundi non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis : Et quis est, qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ergo respondeo, quia non solum martyres, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus C imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem, et dicentem : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi). Audi et beatum Petrum apostolum admonentem : *Christus*, inquit, *pro nobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* ii). Similiter Paulus apostolus clamat : *Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi* (*Eph.* v). Quid ad hæc respondebimus fratres, vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat, virtutes quas fecit Dominus, debeas imitari, justa potest esse excusatio tua, quia virtutes et mirabilia facere, non omnibus datum est, sed custodire mandata Dei, omnibus nobis præceptum est. Nam et ipse Dominus noster Jesus Christus non dixit : Discite a me mortuos suscitare, super aquas D siccis pedibus ambulare. Sed quid ait? *Quia mitis sum et humilis corde.* Et iterum : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v). Et licet sint alia multa bona remedia quibus Deum debeamus et beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, ut mites simus et humiles corde, et inimicos nostros toto corde et totis viribus diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus unquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, non possum jejunare, non possum res meas omnes pauperibus dare et ecclesiis. Nunquid potest dicere, non possum diligere? Sed dicit aliquis : Tanta

Digitized by Google

mala inimicus meus mihi fecit, ut eum nulla ratione possim diligere. Attendis quid fecerit tibi homo, et non attendis quid tu feceris Deo? Si conscientiam tuam diligenter discutis et inquiris, sine ulla compensatione majora peccata committis in Deum, quam in te commiserit homo. Et quia forte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cur tu non acquiescis dimittere parum? Vos autem fratres quia quotidie dicitis Deo in oratione, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI). Ipsa enim veritas clamat terribiliter et dicit: *Si vos non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Imitemur ergo sanctos martyres in fide, in humilitate, in mansuetudine, in patientia, in longanimitate, in dilectione, et sic poterimus ipsos martyres apud Dominum habere intercessores, ita ut peccata nostra deleantur, et præmia nobis æterna conferantur, præstante Domino nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXIV.

### DE UNO MARTYRE.

(Ex Opp. beati Chrysostomi.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, etc. (*Matth.* X).

Peragrarunt a Domino missi apostoli orbem terrarum, et infirmum eum invenientes, ad sanitatem reduxerunt, et in tribulatione et in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt. Non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non eloquentiam confidentes, sed erant nudi quidem sæculo, sed induti Christo; pauperes, sed divites; pecunia indigentes, sed regnum cœlorum possidentes; non humana solatia habentes, habentes autem Dominum suum. *Ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Peragrarunt universum orbem terrarum, oves simul cum lupis. Quis vidit? Quis audivit? Dicit, *Mittam vos ut oves in medio luporum.* Quis unquam pastor oves mittit in medio luporum, sed magis si viderit lupos, congregat oves? At vero Christus contraria fecit. Oves ad lupos direxit, et vulneratæ a bestiis non sunt, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi. Et ut ne dicerent illi, oves sumus, et mittis nos in escam luporum, timorem illorum uno sermone abstulit. Non dixit, ite: nec enim eorum virtute mittebat eos; sed *ecce ego mitto vos.* Infirmi quidem vos, sed qui mittit potens est. Quis es tu? Ego sum qui cœlum extendi, qui terram fundavi, qui mare infrenavi, qui mortem dissolvi, qui chirographum quod contra vos erat, cruci affixi, qui veterem legem immutavi, qui vos ad pristinam patriam revocavi, qui fortia dissolvo, et dissoluta conforto. Quid mari fortius? Sed parva arena intolerabilem illius impetum retundit et continet. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos*, qui mortis et vitæ habeo potestatem, qui de cœlo descendi. *Ecce ego mitto vos quasi oves in medio luporum.* Tanquam A murus quidam bestiæ fiebant ovibus, ut nec fuga conservarent salutem circumvallati undique. O virtus mittentis in medio luporum oves. In circuitu lupi, et mutati sunt lupi, et facti sunt oves. Nec enim natura, sed voluntate lupi erant. *Ecce ego mitto vos.* Quid ergo nobis præcipis? *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices ut columbæ. Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis*, etc. Serpens etsi millies vulneretur, caput autem suum salvet, totus est sanus. Sic et tu si pecuniam adversarius tollere vult, libens cede. Et si omnes facultates auferre conatur, dimitte. Et si ipsam temporalem vitam tuam extorquere cupit, ne resistas. Tantummodo fidei tuæ simplicitatem custodi, illa illæsa manente, universa ingruentia mala facillima erunt. B Nudus existi de ventre matris tuæ, nudus et ibis. Sed forsitan in exsilium mitteris: tu dicito: *Domini est terra, et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Sed forsitan mors occupabit: non est timenda, quia transitus est. Tantummodo fidem serva, thesaurum indeficientem, divitias sempiternas. Horum quæ dico, beati martyres testes sunt tui, qui fidem non perdiderunt, et post excessum de corpore fortiores sunt vivis. Propterea, inquit, homo factus, propterea carnem indui, ut orbem universum salvarem. Multum enim Deo chara est Ecclesia, non muris circumdata, sed fide circumsepta. Propter Ecclesiam namque extensum est cœlum, diffusum est mare, distentus est aer, terra fundata est, paradisus plantatus, C et mirabilia multa facta sunt: pelagus scindebatur, et iterum consuebatur; petra findebatur, et iterum jungebatur; manna pluebat de cœlo, et tanquam pruinosa apponebatur mensa. Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiam apostoli. Et quid plura dicam? Propter Ecclesiam unigenitus Filius Dei, homo factus est, sicut dicit Paulus: *Qui proprio Filio suo non pepercit* (*Rom.* VIII), ut Ecclesiæ mederetur, sanguinem Filii fudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam. Et plantaria ejus marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta ejus. Non subjacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma foliorum tegat, hieme autem amittat. Non tenetur temporum qualitate, sed sancti Spiritus eam gubernat gratia. D Et ideo non senescit, nec contrahitur, et multis impugnationibus non opprimitur. Quanti enim ab initio impugnaverunt Ecclesiam, cum fidei semina jacerentur, et arma contra eam commota sunt? Sed quanto impugnabatur, tanto clarior reddebatur. Sed nunc quidem propter Dei gratiam et reges et duces et milites, ac universus orbis fide repletus est. Nam in principio, et, ut ita dicam, incunabulis Ecclesiæ, reges fuere impii, duces insani, populus seditioni deditus. Edicta judicum undique dabantur, aræ incendebantur dæmonibus, fumus et odor pessimus ipsum maculabat aerem. Terra coinquinabatur sanguine, dæmones debacchabantur, diabolus dominabatur. Pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrem. Natura quidem scindebatur, sed pietas non

Digitized by Google

dividebatur. Ubi sunt nunc qui audebant Ecclesiæ contraire? Quando novella erat, in nullo potuit lædi: et nunc quando usque ad cœlum pervenit, æstimas eam posse superari? Et tunc quidem cum undecim essent apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: et nunc quando terra et mare et orbis terrarum, et inhabitabiles regiones, et civitates et omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse tenere? Sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Facilius cœlum exterminari potest, et terra perire, quam aliquid mali pati Ecclesia. Quis est qui hæc dicit? Ipse Christus loquitur: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* (*Matth.* XXIV). Bene. Verbum enim Dei ipso cœlo validius est, quia cœlum opus verbi est. Dixit quippe Deus, *Fiat cœlum*, et verbum in opus apparuit. Currebat natura: nemo impediebat, quia naturæ Dominus imperabat, qui facere et immutare potest. Ego eam ædificavi, qui cœlum statui. Sed propter cœlum non fudi sanguinem, propter cœlum crucifixus non sum, nec propter cœlum cœleste corpus accepi. Et quid dicam cœli? Angelorum corpus non assumpsi, ut discas quoniam cœlo et angelis et omni creatura honorabilior Ecclesia est. *Ideo cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Adsit gentilis, adsit Judæus: si hæc inania sunt verba, redarguant. Si autem veritas est quæ dicta sunt, adorent virtutem Dei. Dicit Christus: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Facilius est cœlum præterire, et terram devorari, quam verba mea excidere. Quæ autem sint verba, adducamus in medium, videamus ne forte interceperint. Non dubitabundos, sed hæreticos obcludo. Quæ ergo sunt verba? Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Qui sermones? Quæ verba? *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Super hanc petram, non dixit super Petrum. Non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Petram vocavit Ecclesiam suscipientem fluctus, et non titubantem. Etenim Ecclesia suscipit quodammodo tentationes, non tamen vincitur. Quid est super petram? Hoc est, super confessionem Petri, super sermones pietatis. Sed forsitan interrogabis, utrum hæc ædificatio suscipiat lapides aut ligna aut ferrum? Non, inquit: Nec enim est sensibilis ædificatio. Quod si talis esset, dissolveretur tempore. Confessionem autem pietatis, neque dæmones, neque ulla creatura vincere potest. Testantur martyres quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O nova rerum materies! Paries effoditur, et thesaurus non aufertur. Caro scinditur et fides non rumpitur. Talis quippe est martyrum virtus. *Etenim super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Attendite diligentius verbo:

A Portas inferi, pericula vocat quæ mortem pariunt. Quid ergo? In inferno intravit quisque quando periclitatur? Etiam. Sicut enim portæ introitus civitatum sunt, sic pericula introitus mortis sunt. Et cur, inquit, non prohibet tentationes? Ut ostendat virtutem ejus. Si nemo eam impugnare posset, dicere poterant: Quoniam si impugnaretur, utique vinceretur, propterea permitto eam impugnari, non ut imbecillitas repugnantium, sed fides victoriæ imputetur. Et portæ inferi, non dixit non appropiabunt ei, sed non prævalebunt adversus eam. Quid ergo? Impugnabitur quidem, non tamen vinci poterit, tempestates suscipit Ecclesia, sed non demergitur; jacula in eam mittuntur, sed non perforatur; machinamenta præparantur, sed turbis non eliditur.

B Et quid dico Ecclesiam? Unum sermonem locutus est piscator, et sicut turris immobilis perseverat. *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Quanti tyranni verbum hoc delere conati sunt, sed non potuerunt? supra petram enim fundatum erat. Considera tyrannos, reges, diademata, gladios acutos, bestiarum dentes mortem minantes, caminos, sartagines, ferreas manus et uncos, et omnia machinamenta parata. Et pharetram quidem suam evacuavit diabolus, sed nihil læsit Ecclesiam: *portæ enim inferi non prævalebunt adversus eam*. Testatur res ipsa, testatur eorum quæ fiunt astipulatio, quanti impugnarunt, et nemo prævaluit. Et impugnatores quidem taciturnitati et oblivioni sunt dati, Ecclesia autem quotidie virtutibus augmentatur. Ubi nunc Claudius?

C ubi Nero? ubi Tiberius? Nomina sunt nuda, eorum autem nemo, nec ulla eorum mentio. Et quia Ecclesiam impugnarunt, ideo et memoriam perdiderunt. Ecclesia autem clarior resplendet. Ubicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, usque ad ultimos terrarum fines, invenies, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I), et universa religione plena. Ante hoc enim universa erant impietate repleta. Nunc autem non solum civitates religione florent et fide Christi, sed etiam eremus in nomine Domini gloriatur. Antea namque et reginæ in conviviis virorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus (*Marc.* VI): nunc vero vix famula

D dignatur hoc facere. Antiquitus gentis Persarum filii parentibus sociabantur connubio, et soror fratri jungebatur impune: nunc vero virginitatem appetunt. Ante hoc autem erat quædam gens, quæ humanis vescebatur carnibus: nunc jejuniis reficiunt animam suam. Massagetæ et Berbices miseros putant, qui ægrotatione moriantur. Et parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectutem venerint, jugulatos devorant, rectius esse dicentes, ut a se potius quam a vermibus consumantur. Nunc vero post passionem Christi et resurrectionem ejus, abstinentiæ et castitati devote militant Christo, et prope omnes gentes paratæ sunt pro nomine Domini fundere sanguinem suum. Ante hoc impii et persecutores erant reges, nunc vero ad cœlum proferunt pietatem, et ingre-

Digitized by Google

dientes limina Ecclesiæ, deponunt coronam, et crucem Christi in suis depingunt frontibus. Foris arma, hic mysteria; foris scuta, hic sacramentorum celebratio. Theodosii filius, et pater Theodosii, religione ac pietate insignes. Ideoque pro his omnibus gratias agamus Domino, per Christum Jesum Dominum nostrum, cui est gloria, et potestas, et Spiritui sancto, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA LXXV.

### ITEM DE UNO MARTYRE.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, etc. (*Luc.* XIV).

Si consideremus, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ LXX, col.* 1275

## HOMILIA LXXVI.

### ITEM DE UNO MARTYRE.

(Ex beati Hilarii in Matthæum expositione, cap. X.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium*, etc. (*Matth.* X.)

Quæ ista divisio est? etc. *Reliqua vide Operum sancti Hilarii tomo I, Patrologiæ IX, col.* 975.

## HOMILIA LXXVII.

### ITEM DE UNO MARTYRE.

(Ex Opp. sancti Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, etc. (*Luc.* IX.)

Quia Dominus ac Redemptor noster, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1232.

## HOMILIA LXXVIII.

### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex Leone papa [?].)

Quotiescunque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus exspectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab eis enim sanctorum martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim martyrum, exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum sanctis, et tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos martyres, vel in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sic enim apostolus Paulus prædicat, dicens: *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum* (*II Cor.* I). Et Dominus in Evangelio: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* (*Joan.* XV). Recusat esse in corpore, qui odium mundi non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis: Et quis est qui possit beatorum martyrum vestigia

A sequi? Huic ego respondeo, quia non solum martyres, sed ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Audi et beatum Petrum apostolum admonentem: *Christus pro nobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Ecce Christus dicit, *discite a me*; beatus Petrus dicit, *ut sequamini vestigia ejus*. Similiter Paulus apostolus clamat: *Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi* (*Eph.* V). Quid ad hæc respondebimus fratres? vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat, ut virtutes quas fecit Dominus, debeas imitari, justa potest esse excusatio tua, quia virtutes et miracula B facere non omnibus datum est. Juste et caste vivere, et charitatem cum omnibus custodire, ex adjutorio cunctis præceptum est. Nam et ipse Dominus non dixit, discite a me mortuos suscitare, supra aquas siccis pedibus ambulare. Non hoc dicit. Sed quid ait? *Quia mitis sum et humilis corde.* Et iterum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, atque orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* V). Et iterum: *Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Ibid.*). Et licet sint alia multa in quibus debeamus Dominum et beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, ut mites simus et humiles corde, et inimicos nostros C toto affectu diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus unquam in veritate se poterit excusare. Poterit mihi aliquis dicere, non possum jejunare, non possum vigilare, nunquid potest dicere, non possum diligere? Potest dicere, non possum res meas totas pauperibus erogare, et in monasterio Deo servire; nunquid potest dicere, non possum diligere? Si dixeris, quia non possum a vino et carnibus abstinere, credimus tibi. Si autem dixeris, quod non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus, quia nulla nobis remanet excusatio, dum non de cellario, sed de corde istam eleemosynam jubemur implere, ut per viam vitæ ad æternam patriam mereamur pervenire. Duobus enim præceptis, id est, D *diliges Dominum Deum tuum*, et *diliges proximum*, quasi duobus spiritualibus pedibus, si per viam veræ charitatis volumus currere, ad cœlestem possumus patriam feliciter pertingere. Istis pedibus currebat Paulus apostolus, quando dicebat: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum* (*I Cor.* IX). Qui ergo dilexerit inimicos suos, illud in eo impletur quod dixit Dominus, videlicet: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Matth.* V). Elige modo quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non solum amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. Si vero inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris, quia scriptum est: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Et iterum: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat,*

Digitized by Google

*quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus* (*I Joan.* II). Et iterum alia scriptura est: *Itinera eorum qui injuriam retinent, Dominus labefacit in mortem.* Nunquid hæc verba mea sunt, fratres charissimi? De catholicis libris et sanctis libris proferuntur. Ut ergo ne homicidæ simus, ne in tenebris remaneamus, studeamus non solum amicos, sed etiam inimicos diligere, ut pium et misericordem Dominum possimus secundum cautionis suæ vinculum libera conscientia convenire. Ipse enim dixit: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Diligenter attendite fratres, et scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam non indulgemus, peccatum incurrimus. Quando aliquis in Deum peccaverit, si sine grandi districtione indulgere voluerimus, participes nos peccatis eorum efficimur. Dicit ergo Dominus: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra.* Rogo, fratres, quid dulcius dici potest? In potestate nostra posuit, qualiter in die judicii judicemur. Non dixit, vade in orientem, quære justitiam; naviga usque in occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, et dimittetur tibi; indulge, et indulgebitur tibi; da, et dabitur tibi. Nihil a te extra te quæritur. Ad teipsum et ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non itaque medicamenta vulneribus tuis longe habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire. Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, ut eum nulla ratione possim diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, et non attendis quid tu feceris Deo. Si conscientiam tuam diligenter discutis et inquiris, sine ulla compensatione majora tu commisisti in Deum peccata, quam in te commiserit homo. Et qua fronte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquiescis dimittere parum? Sed si hæc quæ supra diximus spiritualia medicamenta, sicut Deo propitiante consuevistis, libenter accipitis, et in armario sanctæ conscientiæ vestræ reconditum diligentissime custoditis, auxiliante Domino venena diaboli non timebitis, et per odium vel iracundiam aut nunquam vobis amara vulnera ingeruntur, aut si forte subrepserint, cito per charitatem pristinam revocantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA LXXIX.

### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex Haymone.)

*In illo tempore descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis*, etc. (*Luc.* VI).

Non solum per mysterium incarnationis de cœlo in terram descendens Dominus Jesus Christus, humanæ infirmitati condescendere dignatus est, sed

A etiam in sanctis suis sermonibus ad humanam ignorantiam instruendam, ita doctrinam suam temperavit, ut non solum perfecti, sed etiam minus perfecti cibum vitæ invenire possent. Denique ut supra evangelista retulit, cum ascendisset in montem, secuti sunt eum ejus discipuli; ubi cum perfectiora mandata quasi capere valentibus dedisset, nolens propter eos simpliciores turbas relinquere, iterum *descendens de monte, stetit in loco campestri.* In quo suo facto ostendit, in prædicatione juxta capacitatem auditorum temperandum esse sermonem doctorum. Mons enim in hoc loco perfectiorem significat doctrinam loca vero campestria, humiliorem prædicationem atque communiorem. Qui enim tales sunt, ut cum apostolis audire possint: *Vobis datum*
B *est nosse mysterium regni Dei* (*Matth.* XIII), sublimius instruendi sunt. Qui vero propter mentis infirmitatem, ad altiorem non possunt ascendere doctrinam, minimis præceptis sunt erudiendi, ut qui idonei nequaquam existunt ad facienda bona, saltem non sint proclives ad perpetranda mala. Quod alibi Dominus suo exemplo ostendit, cum cuidam quærenti, *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* quasi in convallibus moranti respondit: *Mandata nosti? Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, honora patrem et matrem.* Sed illo respondente, *Hæc omnia custodivi a juventute mea*, ostendit ei montem perfectioris doctrinæ, dicens: *Adhuc unum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da*
C *pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Sed quia hunc montem difficile qui sæculi divitiis onerati sunt, ascendere possunt, subjunctum est illico: *Ille autem abiit tristis, quia multas habebat possessiones* (*Matth.* XIX, *Luc.* XVIII). Hujus quoque exemplum Paulus apostolus secutus est, quando cum discipulis montem ascenderat, quibus dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Quasi cum quibusdam inæqualibus morabatur quando dicebat: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Non enim omnes omnia capiunt, neque enim omnes æqualiter instruuntur. Aliter quippe admonendi sunt
D superbi, aliter humiles; aliter casti, aliter adulteri; aliter ebriosi, aliter sobrii; aliter viri, aliter feminæ; aliter conjugati, aliter virgines; aliter pii, aliter impii; aliter contemptores mundi, aliter amatores; aliter pacifici, aliter discordes; aliter sua dantes, aliter aliena rapientes; ut et isti audiant de promissione æternæ vitæ quod ament, et illi de supplicio æterno quod timeant. Sæpe etenim quod uni morbo prodest, alteri nocet. Et venenum cum sit mors hominis, vita est serpentis; et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Juxta hoc ergo exemplum doctores suam prædicationem debent temperare, ut et perfecti inveniant quod semper discant, et infirmi talia audiant, in quibus non refugiant. Quod suo nobis exemplo beatus patriarcha Jacob ostendit, qui



Digitized by Google

cum oves avunculi sui Laban pasceret, et varia quæque pro mercede recepturus esset, tulit virgas populeas et amygdalinas, quas ex parte decorticavit, et ex parte cum corticibus reliquit, posuitque eas in canalibus tempore quo ducebantur ad aquandum oves, ut in earum aspectu conciperent varios fetus (*Gen.* xxx). Jacob enim pastor ovium, pastores significat animarum, quorum primo dictum est. *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* xxi). Aqua autem Scripturam sanctam significat, juxta illud Salomonis: *Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ* (*Prov.* xviii). Virgæ autem variæ, sententiæ sunt Scripturarum. Ducuntur ad aquandum oves, cum ad audiendum verbum Dei conveniunt fideles. Cumque ex eloquiis divinis diversæ sententiæ ad medium proferuntur, quasi virgæ in canalibus ponuntur. Quæ ex parte decorticandæ sunt, et ex parte cum corticibus relinquendæ, quia, ut diximus, perfectiores allegorico sensu instruendi, simplices vero et minus intelligentes, juxta veritatem historiæ sunt pascendi. Unde et Dominus cum discipulos in monte docuit, et turbas in convallibus curare voluit, ostendit ut illi qui ex doctrina verborum credere non poterant, saltem ex virtutibus miraculorum crederent. Quod, ut diximus, suo Dominus exemplo declaravit, quando *descendens de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem, et maritima Tyri et Sidonis, qui venerant ut audirent eum.* Maritima enim hic Magni maris loca intelligere debemus, maxime cum Tyrus et Sidon, quæ in corde maris sitæ sunt, memorantur. In quo loco cognoscimus, quia virtutes ejus non solum ad Judæorum regnum, sed etiam ad vicinas et exteras regiones pervenerant, quando omnes concurrebant, non solum ut audirent verbum Dei, sed ut sanarentur a languoribus suis. Unde et subditur, *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Multi enim eum tangere cupiebant, a quo omnis virtus procedit, et qui est Dei virtus et Dei sapientia, *et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* ii). Et ideo quia de illo omnis virtus exibat, omnes volebant eum tangere. Nam et supra tangendo leprosum curaverat, et nunc omnis turba quærebat eum tangere, ut intelligamus quia tactus ejus sanitas est. Quod experta est illa mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, et cum tetigisset fimbriam vestimenti ejus, statim sanata est ab infirmitate sua (*Luc.* viii). Ad cujus tactum virtus de illo exibat intantum, ut quasi nescius Dominus quæreret, *Quis me tetigit?* Et discipuli ejus ad eum: *Rabbi, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis, quis me tetigit?* Et ille: *Tetigit me aliquis, nam et ego novi virtutem de me exisse.* Spiritualiter vero Christum tangit, qui eum verum Deum credit, et recta fide confitetur. At vero pagani, Judæi, et hæretici Christum minime tangunt, quia eum verum Deum credere contemnunt, et fide recta hunc confiteri nolunt. Unde et Mariæ

A quæ Dominum resurrexisse non credebat, sed eum mortuum inter mortuos quærebat, volenti illum tangere, dictum est: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* xx). Ac si diceret: Quia manu fidei me tangere noluisti, manu corporis me tangere noli. Curatio vero dæmonum, non solum per ejus præsentiam fiebat, sed etiam per invocationem ipsius nominis in sui absentia, sicut discipuli quoque Domino gaudentes dicunt: *Domine, in tuo nomine etiam dæmonia nobis subjiciuntur* (*Luc.* x). Sequitur, *Et ipse elevatis oculis in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Etsi generaliter Dominus omnibus loquebatur, specialiter in discipulos oculos levavit, quos majori gratia digniores fecit. Elevatio quippe oculorum Christi,
B amplioris misericordiæ munera significat. Et in discipulos oculos levavit, quos specialius virtutibus ditavit, juxta quod alibi legimus: *Quia cum dixisset ei quidam, ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes loqui tecum, ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Ecce mater mea, et fratres mei* (*Marc.* iii). Quid autem elevatis oculis dicat, audiamus: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam et originem sumunt. Sicut denique ex una radice arboris multi rami et folia prodeunt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam
C amat paupertatem, erit misericors per largitatem, et non tenax per avaritiam. Erit consequenter et mitis, quia divitias non quærit per jactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate, erit etiam pacificus, quia non erit occasio rixandi, ubi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam et cordis munditiam, quia sicut illi qui divitias diligunt, turbulenti sunt animo, ita qui spontaneam paupertatem amant, solliciti sunt quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo. Sed illud diligenter considerandum, quia illa paupertas laudabilis est, quæ aut habere non cupit, aut si forte habet, propter Deum distribuenda relinquit. Unde evangelista ut hanc paupertatem ad beatitudinem pertinere ostenderet, cum additamento ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum*
D *cœlorum* (*Matth.* v). Alii enim sunt pauperes spiritu et rebus, alii nec rebus nec spiritu, alii rebus et non spiritu, alii spiritu et non rebus. Rebus sunt pauperes et non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes et non rebus, sicut illi qui secundum Apostolum, *tanquam nihil habentes, et omnia possidentes sunt* (*II Cor.* vi), quales fuerunt Abraham, Jacob, et David, qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu, dicens: *Ego autem mendicus sum et pauper* (*Psal.* xxxix). Et iterum. *Egens sum, et in laboribus a juventute mea* (*Psal.* lxxxvii). Nec rebus nec spiritu sunt pauperes, divites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominus mente sunt turgidi. De quibus dicitur in psalmo: *Ecce ipsi peccatores et abun-*

Digitized by Google

*dantes in sæculo, obtinuerunt divitias* (*Psal.* LXXII). A Rebus et spiritu sunt pauperes perfecti monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprii potestatem in suo arbitrio relinquunt : et ideo quanto hic propter Deum pauperiores, tanto in futura vita sunt ditiores, juxta promissionem Domini dicentis : *Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem et matrem, fratres et sorores, uxorem et filios propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Quid esurire vel sitire debeant, qui ad beatitudinem pervenire desiderant, alius evangelista manifestius declarat, dicens : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Justitiam quippe esurire et sitire, est præcepta Dei libenter audire, et libentius opere implere. Tales B enim saturabuntur, quando ad videndum Deum, cujus hic mandata cum magna mentis esurie susceperunt, perducentur, dicentes cum psalmista : *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Unde Salomon ait : *Diligite justitiam qui judicatis terram* (*Sap.* I). *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Beati dicuntur flentes, non illi qui flent propter temporalium damna commodorum, propter amissionem charorum, sed qui flent propter remissionem peccatorum, vel pro exspectatione regni cœlorum, qui veraciter cum psalmista dicere possunt : *Deus, vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo* (*Psal.* LV). Et iterum : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus* C (*Psal.* XLI). Tales enim ridebunt quando implebitur illud quod Dominus ait : *Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). Risum autem hic pueriliter accipere non debemus, sed mentis exsultationem et gaudium. Unde et Sara ex repromissione prolis lætabunda ait : *Risum mihi fecit Deus* (*Gen.* XXI). De quo per beatum Job dicitur : *Et os veracium implebitur risu* (*Job.* VIII). De quo etiam risu in laudibus Ecclesiæ dicitur : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et ridebit in die novissimo* (*Prov.* XXXI). Quia vero per humilitatis meritum pervenitur ad martyrii præmium, recte post alias beatitudines subinfertur : *Beati eritis cum vos oderint ho-* D *mines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis.* Ubi ostenditur quia persecutio pravorum non est timenda, sed potius cum affuerit toleranda, quia sicut dixit Jacobus apostolus, *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). Verum subtilius discutiendum est, quia non nos ad nostram persecutionem pravos homines commovere debemus, sed potius cum justitia et rectitudine quantum possumus, cum fuerint commoti, mitigare. Quod si quiescere noluerint, magis persecutionem tolerandam, quam justitiam relinquendam. Quod alius evangelista manifestius declarat, dicens : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Sustinent enim multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum invasores. Nec tamen talis persecutio ad beatitudinem perducit, quæ propter justitiam sustinetur. Unde nos admonet beatus Petrus, dicens : *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine* (*I Pet.* IV). *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati* (*I Pet.* III). Unde recte Salvator concludit dicens : *Gaudete in illa die, et exsultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Non enim dolendum est in persecutionibus, sed potius gaudendum, quia quanto hic quisque propter justitiam durius affligitur, tanto dulcius in cœlo remunerabitur. Unde et Jacobus admonet, dicens : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ multo pretiosior est auro quod per ignem probatur* (*Jac.* I). Et alia scriptura : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Hinc et Salvator cum discipulos ad persecutionem tolerandam hortaretur, sui exemplum posuit, dicens : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur ; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Et iterum : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Joan.* XV). Quapropter studeamus juxta Domini præceptum vel exemplum, sæculi hujus cunctas adversitates æquanimiter ferre, scientes quia si electi sumus ab eo, non ad gaudia mundi, sed sicut ipse missus est a Patre, quem pro humani generis redemptione incarnari constituit, ad passiones mittitur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum tolerantia sit passionum, terrena desideria quæ separant a Deo, fugientes, ut cœlestia mereamur consequi præmia. Amen.

## HOMILIA LXXX.

### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt*, etc. (*Luc.* XXI).

Quia longius ab urbe digressi sumus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 125).

## HOMILIA LXXXI.

### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex sancto Augustino, in libro cui titulus : De Sermone Domini in Monte secundum Matthæum.)

*In illo tempore videns Jesus turbas, ascendit in montem ; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli*

Digitized by Google

*ejus; et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* v).

Sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundum Matthæum legimus, etc. *Reliqua vide apud sanctum Augustinum, Operum ejus tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 1229.

### HOMILIA LXXXII.

#### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex ven. Bedæ in Lucæ Evangelium expositione, lib. IV.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, etc. (*Luc.* XII).

Ad hoc fermentum pertinent omnia quæ recumbens apud Pharisæum superius disputaverat Dominus, etc. *Reliqua vide Operum ven. Bedæ tomo III, Patrologiæ XXXV, col.* 487.

### HOMILIA LXXXIII.

#### ITEM DE MARTYRIBUS.

(Ex beati Hieronymi in Evangelium Matthæi Commentariis, lib. I, cap. X.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nihil opertum quod non reveletur, et nihil occultum quod non sciatur*, etc. (*Matth.* X).

Et quomodo in præsenti sæculo multorum vitia nesciuntur? etc. *Reliqua vide Operum sancti Hieronymi tomo VII, Patrologiæ XXVI, col.* 65.

### HOMILIA LXXXIV.

#### DE CONFESSORIBUS.

(Ex Opp. beati Fulgentii.)

Dominicus sermo, etc. *Reliqua vide inter Opera sancti Fulgentii, Patrologiæ tomo LXV, col.* 719.

### HOMILIA LXXXV.

#### ITEM DE CONFESSORIBUS.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua*, etc. (*Matth.* XXV).

Lectio sancti Evangelii, fratres charissimi, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1106.

### HOMILIA LXXXVI.

#### ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Ex Haymone.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua*, etc. (*Matth.* XXV).

In similitudinibus quas ad ignorantiam nostram instruendam Dominus proposuit, sollicite considerandum est, quia sic quædam ad nostram proponuntur admonitionem, ut specialiter ad ipsum Dei et hominum pertineant mediatorem. Quod in hujus lectionis serie comprobatur, cum dicitur: *Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.* Homo enim iste per similitudinem Dominus Jesus Christus accipiendus est, qui cum sit Deus ante sæcula, homo factus est in fine sæculorum, de quo scriptum est: *Homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI).

A Iste autem homo peregre profectus est, quando carnem suam quam ex hominibus assumpsit, ascendendo in cœlum elevavit. Ex eo enim tempore quo primo homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III), locus proprius carnis, terra est. Sed iste homo peregre profectus est, quia caro quam assumpsit, non corruptionem vidit, sed post resurrectionem in cœlos ascendit. Hujus hominis servi, homines sunt, quos ad serviendum sibi, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem homini servire, summa libertas est; ab ejus servitute recedere, turpissima servitus est. Hujus se servum gloriabatur Paulus cum dicebat: *Paulus servus Christi Jesu.* Et iterum: *Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitoribus meis* (*II Tim.* I). Et Psalm. *Ego servus* B *tuus, et filius ancillæ tuæ* (*Psal.* CXV). Et iterum, *Servus tuus sum ego* (*Psal.* CXVIII). Bona autem hujus hominis, spiritualia dona sunt, id est, virtutes animæ, quæ de ejus bonitate sunt natæ, et illius largitate nobis collatæ, qualis est charitas, pax, patientia, humilitas, castitas, sobrietas, et his similia. Ergo peregre profecturus, vocatis servis tradidit bona sua, quia spiritualibus spiritualia dona concessit. Et quia eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundum dantis distributionem, alius plus, alius minus proficit, recte dicitur: *Et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.* Sicut talentum apud antiquos variis modis librabatur, ita dona Spiritus sancti diversa sunt juxta accipientium C merita non in se, sed in illis qui ea accipiunt. Nam ab uno Domino diversa dona servis dantur, juxta illud quod ait Apostolus: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). In quinque ergo talentis, quinque sensus corporis designantur, per quos exterior homo regitur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus, et tactus: in duobus autem intellectus et operatio designantur. Et unius talenti nomine intellectus solummodo exprimitur. Plus ergo D accipit cui duo, quam cui quinque talenta commissa sunt: quia sunt nonnulli qui per exteriores sensus opera quæ possunt operantur, et tamen in intellectu spirituali minus proficiunt. Sunt vero et aliqui, qui et extrinsecus magna agunt, et interius majora intelligunt. Sunt etiam aliqui qui unum tantum talentum accipiunt, quia bona quidem intelligunt, sed operari minime student, de quibus scriptum est: *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jerem.* IV). Quod autem studiose multiplicandis bonis operibus insistere debeamus, manifestatur cum subditur: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Jam superius per quinque talenta, quinque

Digitized by Google

corporis sensus, et per duo, intellectum et operationem diximus designari. Quinque ergo talenta geminare, est per exteriores sensus devotissime Deo servire, tribuendo esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, in carcere positum requirendo, infirmum visitando, mortuum sepeliendo, aliaque pietatis opera implendo. Quasi enim talenta multiplicando geminantur, quando nonnulli tardiores in sensu per consuetudinem boni operis in intellectu spirituali proficiunt. Duo quoque talenta geminant, qui bene vivendo et docendo, Ecclesiam Dei multiplicare non negligunt, illud attendentes quod ad Timotheum scribitur: *Doctrinam quam accepisti a me, commenda hominibus qui idonei sunt et alios docere* (*II Tim.* II). Taliter accepta talenta servis spiritualibus geminare suadebat Apostolus cum dicebat: *Habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes; sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet, in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Quasi enim unum talentum in terra abscondit, qui ingenium quod a Deo accepit, in terrenis actibus occupat, seseque totum in mundi amore obligat. Sed veniet tempus quando spirituales de acquisito lucro gaudeant, et mundi amatores pro suis cupiditatibus erubescant; unde et subditur: *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.* Post multum tempus dominus redire dicitur, quia longum spatium est inter Domini ascensionem et secundum ejus adventum. Tunc enim ratio cum servis ponetur, quando districte a nobis exiget dona quæ misericorditer nobis tribuit, quando astabimus ante tribunal Christi, ut Apostolus ait, *rationem pro his quæ gessimus reddituri* (*Rom.* XIV). Felix autem, qui in illa hora discussionis talis inventus fuerit, qualis iste memoratur, de quo subditur: *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur, qui per quinque sensus corporeos quos supra diximus, bona quæ potest, operatur. Sunt enim nonnulli in Ecclesia, qui cum tardiores videantur ingenio, tamen cum per exterius ministerium fideliter serviunt, ejus munere ad spiritualem intellectum perducuntur, intantum ut etiam aliquando in ecclesiasticum magisterium eligantur. Qualem autem mercedem sit recepturus, manifestatur, cum subditur: *Ait illi dominus ejus: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Pauca enim sunt omnia præsentis vitæ ad comparationem futurorum bonorum, quamvis magna esse videantur. Qui ergo super pauca fidelis fuit, super multa constituitur, quia is qui terrenam substantiam bene dispensavit, pro rebus transitoriis perpetuam accipiet mercedem, audiens

A ab ipso judice: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). *Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.* Similiter alia duo lucratur talenta, qui a domino duo acceperat, quando is qui intellectum et operationem habet, non solum bene vivendo, sed etiam bene docendo plurimos ad amorem Dei vocat. Notandum autem quod et is qui de quinque talentis decem, et is qui de duobus quatuor reportavit, æquali voce collaudantur, cum utrique a domino dicitur: *Euge, serve bone et fidelis,* quod est, bene gaude. Et qualiter servus cum domino gaudeat, declaratur, cum subinfertur: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.*

B Cui recte dicitur: *Intra in gaudium domini tui,* quia cum tantis, et pro tantis mercedem accipiet, quantos bene vivendo, bene docendo, lucratus est. In quibus verbis intelligimus, quia illi majorem mercedem sunt a Domino in æterna vita recepturi, qui bene vivendo, ut diximus, et bene docendo, ad aliorum eruditionem vel doctrinam spiritualiter invigilant. Quod alibi Dominus apertius declarat, cum dicentibus apostolis: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?* Respondit: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum* (*Luc.* XII). Qui

C enim super omnia bona constituitur, duplicem mercedem accipiet, non solum quia sancte vixit, sed etiam quia digne docuit. Unde Daniel cum de resurrectione mortuorum loqueretur, ut ostenderet magistros spirituales super omnia bona constituendos, ait: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII). Quam desiderabilem vocem, et ineffabile gaudium audire desiderans beatissimus Pater noster, cujus hodie festivitatem celebramus, talentum sibi creditum bene docendo et bene vivendo studuit erogare, ut geminatum illud Domino reportaret, non tantum monendo pios, sed etiam comprimendo reprobos. Et ideo quia juxta Scripturæ vocem, *gaudium patris est filius*

D *sapiens* (*Prov.* X), tanta hujus excrescunt merita gaudiorum, quanta incrementa proficiunt spiritualium filiorum. Unde necesse est ut unusquisque nostrum, fratres charissimi, hujus beatissimi Patris nostri vestigia sequentes, talentum quod a Deo accepimus, non in terra abscondamus, sed cum magno desiderio erogare studeamus, ut geminatum Domino referamus. Et quia alius artem legendi, alius cantandi, alius prædicandi, alius pingendi, alius ea quæ ad ornatum ecclesiæ pertinent fabricandi, talentum accepit, aliis hoc quod didicit, studeat erogare. Non solum in ecclesiasticis ministeriis, sed etiam sunt tales in hoc populo, qui diversas artes habent quibus victitant, alii cæmentarii, alii lignarii, alii fabri, alii sectores:

Digitized by Google

A et unicuique ars qua pascitur, pro talenti commendatione reputabitur; et si in hoc quod scit, alios instruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem hujusmodi talentum quod accepit, erogare debeat, Dominus ostendit cum ait: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Unde necesse est, fratres dilectissimi, unicuique nostrum, ut cum summa diligentia vigilanter cogitet, quatenus talentum quod accepit, duplicatum Domino repræsentet. Si autem suæ talentum utilitatis prodesse aliis non vult, timeat increpationem quam is qui talentum unum in terra abscondit, a Domino audivit: *Serve male et piger, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis, et ego veniens, recepissem utique quod meum est, cum usura?* Et implebitur quod sequitur: *Tollite ab eo talentum, et date illi qui habet decem talenta*, quia quæcunque
B sine charitate operatus est, bona in conspectu Dei non sunt, quamvis bona coram hominibus videantur. Tanto enim quisque ampliorem gloriam cum Domino possidebit, quanto largius talentum acceptum pro ejus amore erogaverit: quod ipse præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, etc.

## HOMILIA LXXXVII.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti*, etc. (*Luc.* xix).

Quoniam discipuli supra audita Domini passione, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus*
C *tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 471.

## HOMILIA LXXXVIII.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes. Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis*, etc. (*Luc.* xii).

Sancti evangelii, fratres charissimi, aperta est nobis lectio recitata, etc. *Reliqua vide apud sanctum Gregorium, Operum ejus tomo II, Patrologiæ LXXVI, col.* 1123.

## HOMILIA LXXXIX.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

D (Ex Haymone.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*, etc. (*Luc.* xii).

Inter cæteras virtutes quas Dominus noster Jesus Christus discipulis tradidit et per discipulos nobis, maximam et præcipuam castitatem ostendit. Nam cum superius ad spontaneam paupertatem amandam nos incitasset, dicens: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, nec tinea corrumpit*, continuo de servanda castitate adjecit, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti*. Quod enim luxuria viris in lumbis sit, et feminis in umbilico, Dominus testatur cum de diabolo loquitur ad beatum Job: *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ejus* (*Job* xl). Lumborum ergo nomine hic luxuria designatur, cum dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti*. Lumbos enim præcingimus, cum ardorem libidinis amore castitatis refrenamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Joannes Baptista, de quo scriptum est: *Quia erat vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus* (*Marc.* i); nec erat de immundis, qui propter fluxum seminis ejiciebantur extra castra, sed castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat. Sic et Elias zonam circa lumbos habebat (*IV Reg.* i). Qui enim non propter amorem filiorum junguntur, sed propter libidinem explendam, lumbos præcinctos non habent, sed potius de illis sunt qui propter immunditiam extra castra ejiciuntur, comparati jumentis insipientibus. Qui vero tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, nequaquam lumbos habet præcinctos, quoniam sicut vere ait apostolus Paulus, *sine pace et castimonia nemo videbit Deum* (*Heb.* xii). Quantum enim incorruptio carnis Deo placeat, ipse per prophetam testatur, dicens: *Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, tenuerintque fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum nominatum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum quod non peribit* (*Isai.* lvi). Et in Apocalypsi de talibus dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt* (*Apoc.* xiv). Quod cum omnibus fidelibus generaliter observandum sit, specialiter tamen ministris ecclesiastici ordinis custodiendum injungitur, quando in veteri lege carnes agni qui in figura corporis et sanguinis Dominici immolatus est, non prius comedere permissi sunt, quam renes accinctos haberent, Domino dicente: *Sic ergo comedetis illum: renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus* (*Exod.* xii). Item: *Dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron et ad filios ejus: Homo de semine vestro in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Si gibbus fuerit, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel jugem scabiem, si cæcus fuerit vel claudus, si fracto pede, vel torto naso, si fuerit ponderosus, vel herniosus* (*Levit.* xxi). Qui enim sacra mysteria manibus tractare, et aliis ministrare debent, dignum est, ut ab omni immunda pollutione sint alieni, ut scilicet et mente sint casti, et corpore pudici. Quod in opere David discimus: qui cum venisset ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos accipere voluit, quam se suosque mundos a mulieribus testaretur, non utique solum alienis, neque concubinis, sed etiam a propriis uxoribus. Ait enim: *Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum munda* (*I Reg.* xxi). Quapropter consideret unusquisque conscientiam suam, et si se incontinentem senserit in corpore, abstineat se a sacra communione, ne forte ad judicium accipiat, quod fidelibus datum est ad remedium, timens illud quod terribiliter clamat Apostolus dicens: *Quicun-*

Digitized by Google

*que manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* XI). Vel certe aliter lumbos præcingimus, cum omnia impedimenta mundi postponimus, ut in via mandatorum Dei gressum mentis firmiter figere valeamus. Qui enim discinctus est, ipsis suis vestimentis impeditur, ne libere ambulet. Qui vero præcinctus est, quaquaversus liber discurrere potest. Præcingitur ad prælium miles, et circa renes gladium portat, quo adversarium suum percutiat. Et tu ergo qui cupis esse miles Dei, præcinge lumbos tuos, id est, omnia fluxa et impedimenta mundi postpone, ut pugnare valeas non adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, ut impleatur in te quod idem apostolus subjungit: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ, et calceati pedes in præparatione evangelii pacis* (*Ephes.* VI). Taliter miles castrorum lumbos præcinxerat, quando audivit: *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job.* XXXVIII). Unde et in laude Ecclesiæ dicitur: *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum* (*Prov.* XXXI). Quisquis autem talis est, aliis ad exemplum imitationis proponendus est, quia sic ait Dominus: *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V). Unde, postquam dixit: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes*, quid per lucernas nisi opera bona designantur? Lucernas ardentes habere, est bona opera aliis ad imitandum ostendere, juxta illud quod Dominus alibi ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Considerandum autem illud est, quod duæ sunt quæ præcipiuntur, lumbos scilicet præcingere, et lucernas ardentes habere, quia nec castitas prodest sine bono opere, nec bonum opus aliquid valet sine castitate. Primum enim præcipimur lumbos restringere, et post lucernas tenere, quia ille ad aliorum exempla promovendus est, in cujus pectore salutaria desideria vigent, et cujus mentem carnalis voluptas non occupat. Quod in lege præfiguratum est, cum per Moysen præcipitur ut Levitæ usque ad quinquagesimum annum ministrent, post annum vero quinquagesimum custodes vasorum fiant, legitimum tempus attendentes, sive ad regendum, sive ad officium prædicationis suscipiendum (*Num.* VIII). Sed quæritur, quare præcipiat lucernas tenere, cum alibi dicat: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum* (*Matth.* VI). Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bonum opus ad exemplum aliorum ostendere, qui tam perfecti sunt, ut qui ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem qui imperfecti sunt, aut quos favor humanus extollit, præcipitur: *Tu autem cum oraveris, intra in cu-*

A *biculum tuum, et cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et quia juxta Joannis vocem: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die judicii* (*I Joan.* III), quicunque lumbos habent præcinctos, et lucernas ardentes, adventum Domini non tam timere debent quam diligere. Unde et subditur: *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Ad nuptias quippe Dominus noster abiit, quando ascendens in cœlum, multitudinem angelorum novus homo sibi sociavit. Tunc autem revertetur ad servos suos, quando per judicium manifestari cœperit. Sive aliter: Certe Dominus nobis quotidie venit cum conscientias nostras per suam gratiam B visitat, et cor nostrum suo amore inflammat. Pulsat vero quando per ægritudinis molestiam, vicinam mortem denuntiat. Cui ille statim aperit, qui lætus de corpore exit, et ejus speciem quem semper desideravit, videre concupiscit. Pulsanti judici aperire timet, qui ejus præceptis se minime obtemperasse cognoscit, et videre eum exiens de corpore trepidat, quem contempsisse se meminit, et quasi videre judicem metuit, cujus jussis se obtemperasse non recognoscit. Sicut enim judicis adventum in civitate ejus justi diligunt, fures et latrones timent, ita et adventum Domini illi timent, qui ejus præceptis minime se obtemperasse sciunt. Soli autem illi diligunt, qui recte se vivere recolunt, quod illorum C est facere, qui vitam suam, quantum humana fragilitas patitur, inculpabilem custodiunt, et cor suum de terreno amore in cœlestis patriæ gaudio ponunt. Talis erat Paulus apostolus, qui de bonis actibus securus dicebat: *Ego autem jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV). Et iterum: *Cupio dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius* (*Phil.* I). Et rursus: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Taliter pulsanti judici beatus Martinus aperire paratus erat, quando inter ægritudinis molestiam constitutus, discipulorum fletibus commotus, dicebat: Gravis est, Domine, pugna laboris qua hucusque certavi; sed si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso propter eos subire D laborem, fiat voluntas tua. Talibus qualis remuneratio præparata sit, Dominus manifestat, cum subdit: *Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* Vigilare enim est in bono opere unumquemque sollicitum esse. Ille vero bene vigilat, qui recte credit, et recte vivit. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis apertos tenet oculos mentis. Vel certe vigilat, qui torporem et negligentiam a se excutit, et divinis mandatis ardenti animo inhæret. Taliter Paulus apostolus vigilare monebat, quibus dicebat: *Evigilate justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV). Et iterum: *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII). Et rursus: *Vigilate et orate, et state in fide* (*I Cor.* XVI). Adhuc etiam ipsius remunerationis qua-

Digitized by Google

litas insinuatur, cum subditur: *Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.* Præcingi vero Dei, est ad retributionem se præparare. Nostrum autem discumbere, est in æterna beatitudine quiescere juxta quod ipse alibi ait: *Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII). Transire vero dicitur, cum post judicium ad regnum properat. Vel certe Dominus transiens nobis ministrabit, cum de forma humanitatis usque ad contemplandam claritatem divinitatis nos perducet. Omnibus enim in judicio in forma humanitatis apparebit, justis scilicet et injustis, sicut scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei nostri* (*Luc.* III). Sed reprobis justo judicio damnatis, juxta illud quod scriptum est: *Tollatur, impius ne videat gloriam Dei* (*Isai.* XXVI), solis electis transiet, quos de visione humanitatis usque ad contemplandam claritatem divinitatis sublimabit, ut qui modo intuentur tantum hominem, tunc facie ad faciem mereantur videre Deum, qualiter Pater in Filio, et Filius manet in Patre. Sed quia omnibus præsentis vitæ terminus incertus est, recte subjungitur: *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Antiqui enim noctem in quatuor vigilias dividebant, ita ut unaquæque vigilia trinas haberet horas. Varietates namque horarum, diversitatem significant humanæ vocationis. Prima enim vigilia, primævum est tempus nostræ ætatis, id est pueritia. Secunda vigilia adolescentia, vel juventus, quæ pene idem sunt, Salomone dicente: *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccle.* XI). Tertia vigilia est senectus. Cum vero Dominus nonnullos in pueritia bene operantes ab hac vita vocat, quasi ad servos vigilantes in prima vigilia venit. Cum vero alios in adolescentia vel in juventute ab hac vita ducit, quasi in secunda vigilia venit. Si quis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, saltem in secunda vigilet, id est, si quis in pueritia a bono opere torpuit, saltem in adolescentia vel juventute somnum torporis a se excutiat, et dum virtus corporis viget, in bono opere se exerceat. Si quis autem tam negligens et desidiosus fuerit inventus, ut nec in prima nec in secunda vigilia vigilaverit, saltem in tertia, id est, in senectute jam resipiscat, et tunc vigilare non timeat, cum parum vigilaturus est. Neque enim sero conversos divina pietas despicit, qui per prophetam ait: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Et iterum: *Peccator quacunque die conversus fuerit et ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XVIII). Sed quia solet antiquus hostis in hac parte tepidos decipere Christianos, ut quibus suadet culpam, longam promittat et vitam, adhuc Dominus admonendo similitudinem incerti finis subdit, dicens: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam.* Juxta litteram ita est, quia paterfamilias thesaurum reconditum habens in domo, si furis

A adventum sciret, vigilias instrueret, custodias adhiberet, infirmiora loca muniret, et ne sua domus aliqua fraude perfodi posset, sollicitus præcaveret. Spiritualiter autem paterfamilias iste, noster est animus, qui tunc male securus dormit, quando diem mortis obliviscens, a bono opere torpet, et brevissimum tempus vitæ præsentis, quasi longum sibi promittit. Furis autem adventus, mors est, quæ improvisa subito dum non speratur veniens, thesaurum animæ nostræ ad pœnas rapit. Hujus ergo furis adventum ut præcavere possimus, necesse est ut diem mortis semper ante oculos habeamus. Multum enim nos adversus peccatum juvat, si finis vitæ a memoria non recedat, monente Scriptura: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum*
B *non peccabis* (*Eccli.* VII). Unde et Dominus admonendo subjungit, dicens: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Si autem terminum vitæ nostræ sciremus, aliud tempus fortasse voluptati, et aliud tempus pœnitentiæ deputaremus. Cum vero omnibus incerta sit hora mortis, non debet esse conscientia secura a bono opere, quia Dominus omnipotens qui neminem vult perire, sed omnes ad cognitionem veritatis venire, ideo voluit nos latere ultimum diem, ut dum ignoratur unus, observentur omnes. Quod autem ait, *quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, si ad diem judicii referamus, manifestum est quia incertus est omnibus et incognitus, sicut ipse dicit in Evangelio: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli,*
C *in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater solus* (*Matth.* XIII). Et iterum: *Sicut fuit in diebus Noe, sic erit adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV). Et rursum: *Sicut fulgur egreditur ab oriente, et penetrat in occidentem, sic erit adventus Filii hominis* (*Ibid.*). Et post suam resurrectionem quærentibus discipulis ait: *Non est vestrum nosse tempora et momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I). Hinc Petrus apostolus dicit: *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet* (*II Pet.* III). Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum et corporum, quotidie fit in singulis animabus. Dum enim non putamus, Filius hominis venit, quando subita morte præventi, ipsum habemus terminum peccandi, quem
D et vivendi. Et dum mala non deserimus, sed a malis deserimur, seram agimus pœnitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem, ne subito veniat ira ejus, et in tempore vindictæ disperdat te* (*Eccli.* V).

## HOMILIA XC.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Ex Opp. ven. Bedæ presbyteri.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*, etc. (*Luc.* XI).

De seipso Dominus hæc loquitur, etc. *Reliqua vide apud ven. Bedam, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XCIV, col.* 165.

Digitized by Google

## HOMILIA XCI.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Ex ejusdem Bedæ in Lucæ Evangelium expositione, lib. III.)

*In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit*, etc. (*Luc.* x).

In superioribus planxit Dominus civitates quæ post magna miracula atque virtutes factas in se, non pœnituerunt, pejoresque gentibus qui naturale solummodo jus dissipabant, etc. *Reliqua vide Operum Bedæ tomo III, Patrologiæ XCII, col.* 464.

## HOMILIA XCII.

### ITEM DE CONFESSORIBUS.

(Ex sancto Augustino, in libro de Sermone Domini in Monte.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* etc. (*Matth.* v).

Sermone superiori Dominus exemplo adhortatus est quia vera dicentes solent persecutionem pati : nec tamen ideo prophetæ antiqui tempore persecutionis a veritatis prædicatione defecerunt. Rectissime itaque sequitur : etc. *Reliqua vide Operum sancti Augustini tomo III, Patrologiæ XXXIV col.* 1237.

## HOMILIA XCIII.

### DE VIRGINIBUS.

(Ex Haymone.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Etc. (*Matth.* XIII).

Virtus et sapientia Dei, Dominus Jesus Christus, non solum ad suscipiendam humanam naturam hominibus compati dignatus est, sed etiam humanæ ignorantiæ condescendens, suis sanctis sermonibus, rerum temporalium similitudines frequenter adhibuit, ut ex collatione rerum visibilium, ad invisibilium amorem animos audientium incitaret. Unde cum cœlestem gloriam studiose amandam doceret, illarum rerum similitudinem adhibuit, quas homines plurimum diligere solent, dicens : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit.* Ubi thesauri nomine spiritualiter cœlestis patriæ amorem intelligere debemus, ubi sunt divitiæ quæ non deficiunt, thesaurus qui nunquam marcescit, ubi nos Dominus thesaurizare admonet, juxta quod alibi loquitur, dicens : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur ; et ubi thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Qui profecto thesaurus tanto magis cumulatur, quanto magis temporalis thesaurus atque facultas studiosius pro Deo expenditur. Unde de eo qui thesaurum invenit, dicitur : *Et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Ager in quo thesaurus absconditus invenitur, nos sumus, si tamen in nobis manet cœleste desi- A derium. Quem ille venditis omnibus comparat, qui corpus suum per cœlestis patriæ disciplinam affligit in jejuniis, vigiliis et orationibus. Sed et ille agrum cum thesauro invento datis omnibus emit, qui crucifigens membra sua cum vitiis et concupiscentiis, Christum sequitur, et quodammodo spirituali venundatione seipsum mutat, declinando a malo, et faciendo bonum. Hunc enim thesaurum absconditum in agro, cuidam Dominus emere persuadebat, cum dicebat : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Illud autem notandum, quod thesaurus inventus custoditur ut servetur, quatenus intelligamus quam studiose in bono opere vanam gloriam cavere debeamus. Sic B est enim præsens vita, quasi via : latrones autem juxta viam, immundi sunt spiritus, qui illis maxime invident, quos cum spirituali thesauro ad cœlestem patriam tendere cognoscunt, sicut per prophetam de eorum capite dicitur : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem* (*Psal.* IX). Illorum ergo divitias isti latrones rapiunt, qui per inanem jactantiam bona sua opera coram hominibus denudant. Unde necesse est, ut cum opus bonum exterius agimus, intentionem Deo placendi semper in occulto teneamus, juxta quod ipse nos admonet, dicens : *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et iterum : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in abscondito,* C *reddet tibi* (*Matth.* VI). Ad accendendum autem mentem in amorem cœlestis desiderii, alia similitudo datur cum subinfertur : *Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas : inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Ubi pretiosæ margaritæ nomine, dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligitur, quæ pretiosior est cunctis pretiosis rebus, et suavior omnibus delectationibus. Negotiatores autem spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cœlestem gloriam mercari jubemur. Notandum autem quod ait, *vendidit omnia quæ habuit, et emit eam :* quia ille pretiosam margaritam unam, id est, cœlestem patriam datis omni- D bus emit, qui non solum terrenis facultatibus, sed etiam propriis renuntiat voluntatibus. Qui vero sua pauperibus tribuit, sed adhuc propriis voluntatibus servit, pretiosam margaritam nondum emit, quia quod charius Deo poterat offerre, retinuit. Non enim Deus nostra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum animarum dare præcepit. Qui [quia] ergo negotiatori bonas margaritas quærenti, bonisque margaritis sumus comparati, servare debemus in opere quod accepimus in nomine. Et sicut terrenos negotiatores non maris pericula ab officio negotiandi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hiemis frigus, non æstatis calor retinet, tantum ut terrenum lucrum acquirere possint : ita et nos qui

Digitized by Google

spirituales sumus negotiatores, ab amore cœlestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla ejus adversitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, ut pretiosam margaritam amantes, cum Apostolo dicere valeamus : *Quis ergo nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius ? Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII). Imitemur et aliud negotiatorum opus. Habent enim hoc proprium hi qui negotiandi operibus insistunt, ut si in uno negotio damna incurrerint, studiosius negotiandi operibus insistant, quousque quod in una re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo et nos, si in aliquo casu damnum animæ inciderimus, studiosius incœpto bono operi insistamus, ut quod per negligentiam amisimus, per bonum opus recuperemus : quatenus ad pretiosæ margaritæ lucrum pervenire possimus, et vocem Domini audire mereamur, dicentis : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Hæc autem margarita tam chara est, ut nullis terrenis divitiis possit comparari ; tam vilis, ut sola bona voluntate possit acquiri. Hanc margaritam pretiosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit, qui cum hujus margaritæ largitorem in domo suscepisset, præ nimio gaudio dixit : *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si cui aliquid tuli in quadruplum restituo* (*Luc.* XIX). Hanc quoque margaritam vidua illa duobus æris minutis in gazophylacio jactatis comparavit. Cujus pretium ipse testis conscientiæ, Dominus scilicet, collaudavit, dicens : *Amen dico vobis quia vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium* (*Marc.* XII). Omnes enim ex eo quod abundavit illis, miserunt ; hæc vero de penuria sua quod habuit, misit totum victum suum. Hujus margaritæ pulchritudinem, beatissima N., cujus hodie festivam celebramus festivitatem, multis divitiis datis comparavit, quando pro ejus amore regni potentiam derelinquens, et thorum regalis matrimonii spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Unde sine dubio quia regis terreni conjugium contempsit, sponsa effecta est regis cœlestis : et quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cœlo. Et quia salutationes et officia refugit regalium ministrorum, ministrat nunc Christo, conjuncta cœtibus angelorum. Et ideo dignum est ut qui temporalem reginam honore debito veneramur, hanc Deo acceptam reginam devotis precibus supplicemus, ut quia nos suo exemplo in nomine Christi congregavit, suis nos meritis et orationibus in præsenti vita jucundos efficiat, et in futura acceptos reddat. *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congre-*

A *ganti.* Pulchre sagenæ assimilatur Ecclesia, quia et piscatori est commissa, et intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piscatorum est, cum sagena de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere, sic quotidie Ecclesia per doctrinam prædicatorum, de turbulentis et amaris gurgitibus mundi mentes hominum ad veram lucem retrahere studet. Et quoniam quandiu est in præsenti vita, Ecclesia cum bonis colligit et malos, recte de eadem sagena subditur : *Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Ubi cum boni et mali nominantur, præsentis temporis Ecclesia designatur. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlo ; mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hæc

B autem Ecclesia quæ in medio consistit, utriusque patriæ cives recipit, sicut per Psalmistam dicitur : *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX). Ubi considerandum est quia super numerum electorum modo in Ecclesiam multi reprobi intrare possunt, sed in regnum cœlorum non possunt. Unde et bene dicitur : *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* In quibus verbis manifeste discretio electorum et reproborum in fine sæculi futura esse ostenditur. Sicut enim mare sæculum, sic littus maris finem significat sæculi. In littore enim *sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt*, quia in fine sæculi electi assumentur ad gloriam, et reprobi separabuntur ad pœnam, juxta quod alibi Dominus ait in

C Evangelio : *In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et unus relinquetur* (*Luc.* XVII). Unde et exponens Dominus similitudinem adjunxit : *Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium.* Hoc est quod Domino alibi in Evangelius dicit : *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII). Et item de zizaniis quæ inimicus homo superseminavit tritico, interrogatus ait : *Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum*

D (*Ibid.*). Idipsum est quod alibi dicitur a Domino : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis*, etc. (*Matth.* XXV). In eo autem quod subjungitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*, manifeste qualitas pœnarum describitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lacrymas solent, dentes vehementi frigore stridescere. Cum vero ait, *Ibi erit fletus et stridor dentium*, ostendit quia reprobi in gehenna et frigus intolerabile et calorem inæstimabilem sustinebunt, juxta illud quod per beatum Job dicitur : *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia, dulcedo illius vermes* (*Job* XXIV). Finita autem simi-

Digitized by Google

litudine, de ejus intellectu Salvator discipulos requirit, ostendens piis magistris ut alios possint erudire, aliquando interrogare debere. Ait enim : *Intellexistis hæc omnia?* Illisque dicentibus, *etiam*, de profectu illorum gloriabatur, dicens : *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Quod specialiter ad apostolos pertinere ex eo manifestum est quod *homini patrifamilias* comparantur, proferenti *de thesauro suo nova et vetera.* Si enim per *nova et vetera*, Vetus et Novum Testamentum accipimus, Abraham et Moysen, cæterosque patres, qui ante Domini adventum fuerunt, nova cum veteribus non protulisse cognoscimus : quia etsi nova narraverunt, Domini tamen incarnationem novam corporalibus oculis non viderunt, sicut ipse discipulis suis ait : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* x). Apostoli autem nova et vetera spiritualiter intellexerunt, et nova corporalibus oculis viderunt. Quibus ipse ait : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* xiii). Sive aliter : *Vetera ad pœnam, nova pertinent ad gloriam.* Vetustum enim erat homini post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid novum per Redemptoris adventum contigit, quando bene operantibus gloria est repromissa. Cum ergo Dominus discipulos collaudat, dicens : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*, ostendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione servandum, ut vetera proferant de terrore supplicii, et nova de promissione præmii. Quod et in hujus lectionis serie suo exemplo Dominus ostendit, cum in prioribus similitudinibus incitavit ad præmium, et in sequentibus comminatur supplicium, ostendens, ut dictum est, doctoribus, quia sic bene operantibus debent promittere gloriam, ut non cessent peccantibus comminari pœnam. Quod etiam in lege figurate ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit dicens : *Non accipies loco pignoris superiorem et inferiorem molam, quia apposuit tibi animam suam* (*Deut.* xxiv). Superior enim et inferior mola, spes et timor accipitur.

A Quasi enim a debitoribus pignus accipimus, cum confessionem peccatoris accipimus. Cui si pœnitenti spem non repromittimus, veniam negamus, superiorem molam tollimus. Si autem peccatori securitatem damus, inferiorem abstrahimus. Sed utrumque observandum est, ut sic pœnitentibus promittamus veniam, quatenus in peccato perseverantibus comminemur pœnam ut quos non provocant ad bene agendum præmia promissa, saltem denuntiata terreant supplicia. Tu autem.

### HOMILIA XCIV.

ITEM DE VIRGINIBUS.

(Ex Opp. beati Augustini.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam*
B *hanc : Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.* Etc. (*Matth.* xxv).

Quæ sint decem virgines dictæ, etc. *Reliqua vide apud beatum Augustinum, Operum ejus tomo V, Patrologiæ XXXVIII, col.* 573.

### HOMILIA XCV.

ITEM DE VIRGINIBUS.

(Ex Opp. beati Gregorii papæ.)

*In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.* Etc. (*Matth.* xxv).

Sæpe vos, fratres charissimi, admoneo, etc. *Reliqua vide Operum sancti Gregorii tomo II, Patrologiæ*
C *LXXVI, col.* 1118.

### HOMILIA XCVI.

ITEM DE VIRGINIBUS.

(Ex Opere imperfecto in Matthæum, apud sanctum Chrysostomum, inter spuria.)

*Tunc simile est regnum cœlorum decem virginibus.* Etc. (*Matth.* xxv).

Notandum quod priorem quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus : tamen etsi spiritualem intellectum habeat parabola, nihil nocet eam interpretari etiam carnaliter. Etc. *Reliqua vide Operum sancti Chrysostomi in editione nostra tomo VI, col.* 929.

EXPLICIT HOMILIARIUS.

# PAULI WINFRIDI DIACONI HOMILIÆ.

### HOMILIA PRIMA.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

(Ex Marten. ampl. Collect. tom. IX.)

Licet omnium sanctorum, fratres charissimi, veneranda nostris sint studiis merita, præcipue tamen gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ toto nobis affectu est veneranda festivitas. Unusquisque enim sanctorum specialibus quibusque locis variorum suffragia contulit. Hæc vero beatissima et singularis gloriæ virgo et mater universo mundo peccati labe tabido generaliter invexit. Sed ad tantæ promerenda

D laudis præconia quando tenue ingenium et arens sufficiat lingua, cum ad hoc non possit sufficere philosophorum etiam profusa loquacitas? Nec mirum si hæc Virgo sanctissima suis in laudibus humanæ vocis modos exsuperat, quando ipsam etiam humani generis excellentibus meritis transcendit naturam. Sed non omnino ab ejus nobis est laude reticendum, quia etsi minus sufficit sensus inopia ad effectum, sufficiens tamen apud Deum est devotæ mentis effectus; nec ambigendum quin valeat hæc de se loquendi sapientiæ præbere igniculum, quæ totius

Digitized by Google

sapientiæ plenitudinem castissimo portavit in utero; valetque cum vult efficaciam verbi tribuere; quæ Verbum, per quod facta sunt omnia, virgineis visceribus corporatum gestavit. Sed quid primum, charissimi, quidve potissimum de tantis nobis est virtutibus decerpendum? quandoquidem nihil exile vel mediocre, sed totum summum est quod dicatur. Quæ enim, dilectissimi, huic beatæ Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Sic namque inusitato antea modo summo est salutata ab angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28). Quid rogo justitiæ, quid sanctitatis Virgo hæc indigere potuit, quæ efficaci adeo misericordia gratiæ plenitudinem accepit? Aut quis potuit in ejus animo vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem cœli continentis omnia, Domini effecta est templum? Hæc est revera illa domus de qua per Salomonem dicitur, salvo scilicet alio quo Ecclesia signatur intellectu: *Sapientia ædificavit domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1). Septem namque virginalis hæc domus columnis suffulta est, quia veneranda hæc mater Domini septem sancti Spiritus donis, id est sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem utique æterna Sapientia effecit, quæ digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile scilicet pretium salutis humanæ. Quid dignius hac, fratres charissimi, Virgine? quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri? cui nullus patriarcharum, nullus prophetarum, nullus antiquorum, nullus sequentium Patrum, nullus prorsus poterit hominum comparari. Nam quomodo huic quisquam æstimabitur conferendus, quando præter virginitatis excellentiam, tantæ sublimitatis supereminet fructu? Nec mirum si hæc tam mirabilis Virgo cunctorum celsitudinem transcendat mortalium, cum in hac parte etiam beatorum excellat meritum angelorum. De hoc fructu Deus Pater ad David loquitur inquiens patriarcham: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Hanc egregiam Virginem gloriosissimus prophetarum Isaias ante multa annorum curricula præsago spiritu prævidens dixit: *Egreditur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* XI, 1). Et quam decenter, charissimi, beata hæc virgo et mater virgæ appellatione signata est, quæ et perfecti operis intentionem ad superna emicuit, et vitiositatis nodis funditus carens, flexibilis per humilitatem effulsit. Inde non immerito florem protulit; quia totius orbis campos sacris floribus decoravit. Flos namque singularis est Dominus noster Jesus Christus, sicut ipse aiens in canticorum loquitur Cantico: *Ego flos campi et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). In lilio siquidem candidus color extrinsecus, intrinsecus vero flammeus cernitur: quia Redemptor noster habet candorem ex virginitate carnis; habet et ignis splendorem ex potentia deitatis; scriptum namque est: *Dominus Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII, 29). Quod lilium non in montibus, sed in convallibus nascitur: quia superbos Christus Dominus deserens, in humilium cordibus invenitur. Potest etiam lilii nomine sancta hæc mater Domini, potest quoque virgo signari; unde et in eodem Cantico subinfertur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II, 2). Quod licet et de universali Ecclesia possit accipi, convenientius tamen specialiter huic potest Virgini coaptari. Lilium siquidem flores reliquos candoris nimii nitore præcellit, odoris nihilominus jucunditate præpollet: unde satis congrue virgineo assimilatur decori. Iste namque flos, a qua altius ortus est tellure sustollitur, et repandus ad æthera totus aperitur. A foris quoque nimis est candidus, intus vero rutulo flammescit aspectu, habens præterea quasi quemdam prominentem in medio thirsulum. Sic nimirum, sic sacra virginitas toto adnisu infima despicit, et ea quæ superna sunt ambit. Candescit exterius munditia virgineæ carnis, flammescit interius amore geminæ charitatis: flagrat passus odore bonæ opinionis, extenditur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosi germinis lilium, sicut sacra perhibet lectio, inter spinas invenitur; ut noverint venerandæ virgines et hominum se debere tolerare molestias, inter quos degunt, et punctionum tentamina malignorum fortiter superare spirituum, ut per hæc a Domino amicæ inter filias vocari mereantur. Ad hæc colligenda lilia venientem sponsum sponsa viderat, cum dicebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatis, ut lilia colligat* (*Cant.* VI, 1). In hortum suum Dominus descendit, cum aut generaliter ad Ecclesiam, aut specialiter ad unamquamque animam venit. Areola quoque est aromatis illa anima, quæ superno munere irrigatur, et variis quasi aromatibus exstat referta virtutibus. Visitat siquidem Dominus tales in Ecclesia mentes quæ virtutum germina pullulant: sed ad hoc præcipue venit, ut animas beatarum virginum ad cœlestem thalamum ducat. Ut enim lectionum frequentium docemur affatu, ad sacrum virginum obitum ipse per se solet humani generis adventare Redemptor; unde si hoc de aliis etiam virginibus creditur, multo magis de hac illius est matre sanctissima æstimandum, quod ipse eam hodierna luce ad cœlos evexerit ejusdem Filius et creator. Sed ad hunc tantæ sublimitatis tantæque gloriosæ ascensionis triumphum quæ unquam lingua, quæ valeant verba sufficere, quando ad tam excellentia cogitanda humana æstimatio succumbit? Attende ergo tibi, virgo, sollicite, ne tanto priveris honore, quæ pudicitiæ decore resplendens, et Christi bonus odor effecta, ceu lilium redoles, ne te male suadentis hostis venena illiciant, ne aliquo modo imminuas quod tanta claritate coruscas. Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur. Sed aliud est tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blande irrepentibus enerviter cedere: nec tibi solus sufficit ad capescenda præmia virginitatis pudor, nisi etiam aliis fueris dotata virtutibus. Sed neque tantum po-

teris custodire thesaurum, nisi tuum possederit continuæ humilitatis pectus. Memento semper hujus gloriosæ virginis matris, quæ tanta sublimitate meruit cum esset humilis exaltari. Non quæras divitias perituras in terris, quæ perennia eris præmia possessura in cœlis. Fuge superfluitatem habendi, fuge lætitiam sæculi, quæ cœlo fruitura es et gavisura cum angelis suis. Serva cor tuum omni custodia, contine ab otiosis sermonibus linguam; in omnibus te talem virgo venerabilis exhibe, ut quasi lilium de horto Ecclesiæ colligaris, et regi digna sis virginum in perpetuum copulari: sed ad vos nihilominus mihi sermo est, quas ita divinus amor inflammavit, ut viros, soboles, censum et prædia relinquentes, virili animo ad Dei servitium venistis. Nolite semel cœptum iter deserere; nolite manu in aratro crucis semel posita, retro respicere, ne revertamini corde in Ægyptum, ne ceparum et peponum illecebris delectemini, sed potius id esse per humilitatem satagite quod cœpistis: scientes per omnia, quod perseverantes usque in finem secundum virginale meritum præmiorum gloriam accipietis. Tibi quoque, si qua es quæ te deliquisse meministi, suadeo, ut Mariæ Magdalenæ confessionem recorderis; et tanquam ad vestigia posita Domini præteritas maculas lacrymarum fontibus laves, ut et tu merearis ab ipso Domino audire: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit* (*Luc.* VII, 50). *In domo Patris*, ut ait Dominus, *mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2), et unaquæque anima pro suis illic meritis honoratur: sed tamen tantus ibi erit charitatis perpetuæ ardor; ut unusquisque et quod in se non habet, gaudeat se possidere in altero. Charitatis ergo bonum toto mentis conamine omnes pariter retinete, excludite a vestris sensibus totius invidiæ et malitiæ pestem, et juxta vocem Apostoli, semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, ut in hac vita, ærumnis et miseriis plena, tranquille et sobrie viventes, in æterna patria etiam quod unicuique vestrum non tribuitur, per charitatis concordiam in altero possideatur. Habetis adjutricem vestri certaminis gloriosissimam hanc, sub cujus protectione confugistis, virginem et matrem: quia quæ toto mundo protulit languenti salutem, pro universis apud eumdem suum Natum et Dominum pietate solita intercedi.

## HOMILIA II.

### IN EVANGELIUM: *Intravit Jesus in quoddam castellum*, ETC.

1. Sacræ lectionis series, quæ nobis evangelico de fonte manavit, licet compendioso tramite in sui superficie modica, magnis tamen intrinsecus utilitatum est spatiis dilatata. Ecce enim audivimus eum, quem secundum divinitatis suæ excellentiam non capit mundus, parvo fidelium tugurio mulierum humanitatis in forma susceptum: cui altera, quæ Martha vocitata est, corporale præbebat obsequium; altera vero, quæ Maria dicebatur, spirituali adhærebat intuitu. Sed hoc utrarumque tam diversum officium mysticis profecto est intellectibus exsequen-

A dum. Duæ siquidem vitæ a bonis fidelibus in hoc mortalitatis tempore geruntur, quarum scilicet altera activa, altera vero contemplativa vocatur: e quibus primam Græci practicen, sequentem vero theoricen appellaverunt. Duæ ergo istæ Domino dilectæ sorores duas has vitas spirituales, quibus in præsenti sæculo sancta exercetur Ecclesia demonstrant. Martha quidem actualem, qua proximo in charitate sociamur; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore per compunctionem suspiramus. Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi; una activæ serviebat per exterius ministerium; altera contemplativæ per suspensionem cordis in verbo. Activa namque vita est quæ in operibus justitiæ ex proximi utilitate versatur; contemplativa autem,
B quæ vacans ab omni negotio, in sola Dei dilectione defigitur. Harum una in opere bonæ conversationis, altera in contemplatione est incommutabilis veritatis: una quæ ex fide in hac peregrinatione vivit, altera quæ bene viventes usque ad regnum perducit. Activæ enim vitæ magna sunt præmia, sed contemplativæ potiora. Activa ex bonis operibus incipit, contemplativa pervenit ad id quod intendit. Activæ vitæ opera cum corpore finiuntur; contemplativæ autem gaudia in fine amplius crescunt. Illa enim, quamvis utilis et bona, tamen cum requies venerit transitura; ista vero boni operis transituri merces est et requies permansura. Contemplativa vita per Rachel ostenditur, quæ erat pulchra, sed sterilis: quia per contemplationis otium minus operum filii
C generantur. Activam autem vitam monstrabat Lia, lippis oculis, sed fecunda; quia actio laboriosa quidem est, minusque alta considerans; sed in eo quod se erga proximi utilitatem plus exhibet, fecundior in operibus quasi in filiis crescit. Hæ duæ vitæ apud Ezechielem significantur, cum de sanctis animalibus scribitur: *Et manus hominis sub pennis eorum* (*Ezech.* I, 8). Quid itaque per manus nisi activa, et quid per pennas nisi contemplativa vita signatur. Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis, sub volatu contemplationis. Nam etsi per activam boni aliquid agimus, ad cœleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Et cum utræque istæ vitæ ex dono sint gratiæ, quandiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in ne-
D cessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad ejus regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si negligunt operari quod possunt.

2. Hi autem qui ad contemplationis otium venire contendunt, prius se in studio activæ vitæ exercere debent; ut dum opera justitiæ fæces peccatorum exhauriunt, cor mundum exhibeant ad videndum Deum. Nam mens quæ aut temporalem adhuc gloriam quærit, aut carnalis concupiscentiæ tentationibus cedit, a contemplatione procul dubio prohibetur. Unde et populus dum legem acciperet, a monte, id est a sublimi contemplatione, quasi car

Digitized by Google

nalium curiositate removebatur. Et in Evangelio curatus a dæmonum legione vult Deum per contemplationem sequi; sed jubetur domum reverti, et in activæ vitæ operatione versari. In ipso autem contemplationis vel actionis usu interdum magna differentia est animorum. Nam quibusdam sola proficit contemplatio, quibusdam vero activa sola est consolatio; his media et de utrisque composita, utilior est magis ad refovendas mentis angustias, quæ solet per unius intentionem nutriri, ut de utriusque partibus melius temperetur. Nam et quod per diem Salvator signis miraculisque in urbibus coruscabat, activam nobis commendabat vitam: quod vero in monte orationis studio pernoctabat, vitam nobis contemplativam significabat. Idcirco Dei servus juxta imitationem Christi, nec actualem vitam amittit, et contemplativam agit. Aliter enim incedens offendit. Sicut enim per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam diligendus est proximus; ac per hoc sine [utraque vita] esse non possumus, sicut et sine utraque dilectione esse nequaquam valemus. Activa enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæque singulis quibusque expediant sollicite dispensare, et his qui sibi commissi sunt, qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est, charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere; sed ab exteriori actione quiescere, solius desiderio conditoris inhærere; ut nihil jam agere libeat, sed, calcatis curis omnibus, ad videndam faciem creatoris sui animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, ac miscere se cœlestibus civibus, ac de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

3. Sequitur sermo evangelicus de Maria, dicens: *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium* (*Luc.* x, 39). Contemplativæ siquidem vitæ uniformis est perfectio, exutam scilicet mentem a cunctis habere terrenis, eamque, quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo. Activæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister Paulus edocet, qui creberrimis Epistolarum dictis suos pro Christo terra marique labores, sua pericula commemorat. In quibus etiam dictis visiones et revelationes Domini commendans, non minus se in speculativa virtute, quod perpaucis est imitabile, consummatum fuisse significat; unde et dicit: *Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* v, 13). *Quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet* (*Luc.* x, 40). Ex illorum persona Martha loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt;

A ideoque cunctos qui Christo devoti esse cupiunt, actionis esse autumant mancipandos officio. Et bene Martha stetisse, Maria vero secus pedes Domini sedisse describitur; quia vita activa laborioso desudat certamine, contemplativa vero pacatis vitiorum tumultibus, optata jam in Christo fruitur mentis quiete. *Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris circa plurima; porro unum est necessarium* (*Luc.* x, 40). Et beatus David solum hoc necessarium homini esse diffiniens, Deo jugiter inhærere desiderat, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII, 28). Et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Do-* B *mini, et protegar a templo sancto ejus* (*Psal.* XXVI, 4). Una ergo et sola est theoria, id est Dei contemplatio, cui merito omnia justificationum merita universaque virtutum studia postponuntur. Sequitur:

4. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* x, 42). Et ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed tamen pars Mariæ laudatur: neque enim partem bonam elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthæ esse indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima, mox subinfertur, cum dicitur: *Quæ non auferetur ab ea.* Debemus ergo et nos, fratres charissimi, has duas vitas, activam scilicet et contemplativam, incessanti studio gerere, et modo in ista, modo autem in illa studiose versari. Debemus nos igitur in actione sic C exercere, ut ad exemplum beatissimi apostoli Pauli laboremus manibus nostris, illud etiam terribile ejus dictum: *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III, 10), semper præ oculis habentes. Manuum etenim labor non solum terræ cultus aut quorumlibet operum, sed omne quod rei familiari potest esse commodum, seu quod quorumcunque imperiis obedimus majorum. Debemus quoque totis viribus ad utilitatem nos proximi impendere, ad admonendum scilicet et coercendum, ad bona suadendum, ad visitandum, ad consolandum, ad obsequendum, ad sublevandum, ad exhortandum, sive ad quoscunque usus necessitatis exhibendos. Cumque ita nos in activæ vitæ tramite exercuerimus, frequenter etiam, D prout se locus dederit, recurrendum nobis est ad orationem, ad confessionem, ad recordationem priorum gestorum, ad suspiria, fontemque lacrymarum, ad actionem gratiarum, ad ipsum etiam Christum Dominum contuendum. Ita fiet ut et mala quæ gessimus bonis ac præcipuis actibus deleamus; et quia a Deo aversi fueramus, ad eum per contemplationis studium revertamus, dum modo eum in speculo et in ænigmate cernimus, quandoque ejus desideratam faciem sine fine videamus. His de evangelica lectione prælibatis, jam ad gloriosæ matris Domini sacra festa quæ colimus sermonem vertamus.

5. Primumque nobis quærendum est cur beata hæc mater Domini, quæ præ cæteris sanctior exsti-

Digitized by Google

tit, Redemptorem ac Dominum Filiumque suum inter discipulorum catervas aliasque tunc mulieres secuta non fuerit? Neque enim usquam, nisi fallor, alibi legitur Domini miraculis interfuisse, præterquam in nuptiis in Cana Galilææ celebratis. Et alibi cum de ea Domino nuntiatur : *Ecce mater tua et fratres tui stant, quærentes loqui tecum* (*Matth.* XII, 47). Et ad postremum, cum jam in cruce posito propius astitisse perhibetur. Sed in hoc perspicue causa rationis occurrit. Nam ipse ejusdemque Filius et Redemptor inter cætera dicitur loca dixisse : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Et alibi : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Nec non et illud : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Luc.* V, 32). Si ergo Dominus propter oves perditas missus est, et salvare quod perierat, et ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, quid necesse erat huic sanctissimæ matri et virgini inæstimabilis sanctitatis lumine præditæ, ut inter publicanos et peccatores suo Domino Filioque corporaliter adhæreret, a quo procul dubio spiritualiter in tempore nunquam creditur defuisse. Ad hanc quoque nihilominus rationem pertinet, quod beatum Baptistam Joannem maximis ac præcipuis laudibus idem Dominus extulit; nec tamen intra eumdem discipulorum numerum aggregavit, quia quem intus cœlesti magisterio erudiebat, extrinsecus quasi in sua libertate reliquerat [a] . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . .

nutricem, qui mitis et humilis mundo apparens, non mundi cupiditatibus implicitos, non diversis reatibus astrictos, non publicanos et peccatores, non carnalibus illecebris deditas meretrices, non ipsum etiam cruentis humana cæde manibus despexit latronem. Ad hanc igitur omnis ætas omnisque sexus concurrite; unusquisque vestrum quod sibi deesse considerat, aut etiam adesse desiderat, ab hujus efficacibus meritis plena fide deposcat. Quia quæ omnium castis suis visceribus protulit Redemptorem, universis prompta est opem conferre salutis. Ad hanc accede, virgo, quæ corpus pariter et animam caste consecrare disponis. Hujus in quantum prævales imitare propositum, ab hac ut muniri possis, deposce præsidium, quæ virginitatis splendidæ gloriam prima arripuit, prima servavit. Ad hanc destitutæ viris accedite viduæ; ab hac vestrarum angustiarum relevationem sperate, quæ virum omnino nesciens, quantum viri solatiis destituta, tantum supernis auxiliis juxta est. Ad hanc nihilo-

A minus accedite, matres; ab hac utique quæ maternis est affectibus conscia, vestrarum ærumnarum medelam deposcite, quæ, quod ante ipsam nunquam auditum est, virgo simul et mater est. Ad hanc omnes qui innocuam vitam ducitis; ad hanc universi quos conscientiæ reatus deprimit convenite. Hujus splendidissimæ matris et virginis efficacibus meritis universorum quæ poscitis effectum præsumite. Quia quæ ipsum misericordiæ fontem Jesum Christum Deum ac Dominum peperit, ab ipso cuncta percipiens, per ipsum omnibus desiderata concedit.

## [b] HOMILIA III.

### DE SANCTO PATRE BENEDICTO.

(Ex Mabill. Ann. ordinis S. Bened.)

B Quia Venerabilis Beda presbyter ultimam homiliarum suarum, hoc est quinquagesimam, de vita et actibus cujusdam Benedicti inclansi sui monasterii pene totam contexuit, quæ utique minime ad legendum nostris congruere videbatur officiis : ego Paulus diaconus, extremus beati Benedicti servulus, ne numerus ipse quinquagenarius harum homiliarum esset diminutus, hanc quinquagesimam homiliam ad Dei gloriam et sanctissimi nostri Patris Benedicti laudem, gratia superna suffragante, composui.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam : *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*. Et reliqua.

C Homilia Pauli diaconi et philosophi de eadem lectione.

His sancti Evangelii verbis, quemadmodum audistis, fratres charissimi, paulo superius de Judæis non credentibus Dominus præmisit dicens : *Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, et signum non dabitur ei*, etc.

*Et post multa :*

Quis potius, fratres charissimi, post sanctos apostolos, quam hic beatissimus Pater noster salis valet nomine appellari? qui ab urbe segregatus Romulea, tanquam ab instabilibus amarisque pelagi fluctibus; dum intra specus sui sese ambitum tenuit, quidquid vel modicum ex mundanæ mobilitatis liquore habere poterat, in salis soliditatem rationemque mutavit, verique solis radiis per charitatem
D fervoris torrefactus ad justitiæ candorem pervenit. Qui non solum tunc corporali præsentia multorum piis verbis vel actibus vitam condivit, sed usque ad præsentem diem præsens spiritu, non tantum nostrum collegium, sed [c] per totum maxime Occiden-

[a] Hic deest pagina saltem una.

[b] Hanc homiliam vel potius homiliæ fragmentum eruimus e veteri codice Casinensi. MABILL.

[c] Benedictinam regulam ante sæculum octavum *per totum maxime Occidentem* propagatam testatur hic Paulus Winfridus, diaconus ac monachus Casinensis, qui sub finem illius sæculi scribebat. Observatu dignum est miraculum in hac homilia relatum de loquendi facultate cuidam muto concessa, quod per sanctum Benedictum ante decennium Casini patratum fuisse dicit. Alia suo tempore, id est sæculo insequenti, ibidem facta versibus suis celebravit sanctus Bertharius Casinensis abbas et martyr. Ex hac porro homilia discimus Venerabilem Bedam quinquaginta homilias in festa et dominicas per annum composuisse, easque in ecclesiasticis officiis Casini jam tunc lectas fuisse, quarum quinquagesima erat ea quam de gestis beati Benedicti, cognomento Biscopi, monasterii sui conditoris et abbatis scripserat : quæ quia Casinensibus officiis minime congruebat, aliam ejus loco de sancto Patre nostro Benedicto Paulus diaconus composuit, in ejus festo

tem suos sequaces erudit. Qui per salubrem rationisque plenam sanctæ institutionis suæ regulam, vitam carnalium, dissolutionis labe tabidam, restringendo revocat ad salutem : cujus districtionis censura et si ut salis species, plagis videatur crudescentibus austera, certum tamen est quod tolerata patientius cœlestem conferat medicinam. Unde, fratres charissimi, si quando forte acrius a prælato nobis Patre, seu ab his qui ab eo nobis præponuntur, regulariter castigamur, tanto hanc humilius illatam perpetuæ salutis medelam nos suscipere convenit, quanto sine dubio nobis credenda est gehennæ supplicia mitigare. Quis magis, ut dicere cœperamus, quam hic index arctioris viæ, ut lucis jubar mundo resplenduit, qui vitæ meritis et miraculorum multiplicitate non solum tunc emicuit, sed et hactenus circumquaque excrescendo clarescit ? Testatur hoc quod loquitur recens illud miraculum, quod ante hoc fere decennium gestum, multisque vestrum est cognitum, mutum scilicet ante ejus hoc corpus (*id est*, cineres) sacratissimum fuisse locutum ; mox ut Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ consecutus est officium ; et qui nullum ex die ortus sui verbum edere poterat, quod est admirandum vehementius, non solum loquelam propriam, hoc est barbaram, cœpit effari, sed simul etiam et Latinam. Plura sunt et relatu digna, quæ per eum quotidie Christus efficit, quæ propria, Deo præsule, serie vestræ pandenda sunt charitati. Quis igitur, ut cœpta prosequar, simplicior quam isto oculo, id est puriore cordis intentione, vitam transegit ? qui cuncta semper peritura despiciens, mentem in cœlestibus solidavit ; quique ideo ad id quod voluit mox exauditus est, quia simplicitate mentis Deo complacens, duplicitatis a sua intentione rugam exclusit. *Et post nonnulla.* Cujus, inquam, corpus, quod opera significare diximus, magis quam istius, lucidum existere potuit, qui tam multis per vitæ excellentiam lumen exhibuit ; aut quem potius quam hunc splendor propriæ actionis ut lucerna fulgoris illuminavit, qui innumeris exterius ad cœlum septus lampadibus, potiora utique de Creatoris visione interius percepturus ascendit? Quæ lucerna clarior hoc præceptore surrexit, quæ super candelabrum altioris vitæ posita, totas Occidui provincias radiavit? quæ fortasse si intra speluncæ suæ sese, ut cœperat, angustias occuluisset, videretur utique quasi sub modio, hoc est censuræ propriæ mensura, retenta, aut paucis, aut nullis fulgoris rutili crines aspergeret. Sed, aspirante Deo, supra candelabrum regiminis posita, cunctis lustrari volentibus præclarum lumen exhibuit, ut hodieque per omnes pene Christianis cultibus deditas regiones, auditis tantorum miraculorum prodigiis, cognito tantæ lumine sanctitatis, universorum ad quos hæc pervenire valent fidelium in divinis laudibus ora resultent. Ut enim pauca de multis loquar, quis non miretur audiens pandentem in propatulo abdita, prædicentem futura ; parere jussibus latices, prodire de rupibus fontes, perdere toties elementa naturam, præbere volucres obsequelam, terram susceptum cadaver evomere,... cunctis terribile est, pavidare ; morbos imperiis cedere, mortem jus dominii perdere, secretum cordis patefieri, claustris retentis corporeis quo velit spiritu properare? Postremo quis non stupeat totum ab uno homine mundum conspici, in terris positum cœli cives aspicere, carne adhuc revinctum animarum merita contemplari? Hæc et his multa similia quis aure percipiens non in Dei Patris continuo laudes erumpat, qui talia suis servis confert, et super hæc omnia regnum sine termino largitur in cœlis? Sed unde Pater hic eximius patrare ista promeruit, ut ad instar sanctorum apostolorum tot admirante mundo miraculis coruscaret, nisi quia eorumdem apostolorum vitam tenuit, et cœlestis instituta Præceptoris aure pectoris serviturus accepit? Non illum carnis illecebra, non mundi gaudia male suadentia, non hostis astuta consilia valuerunt in aliquo flectere anhelantem ad præmia sempiterna. Proinde, fratres charissimi, nos qui e diversis mundi partibus ad ejus properavimus magisterium, discamus spernere quod sprevit, discamus diligere quod dilexit; et, si sequi eum post ad gloriam cupimus, modo ipsius vestigia imitando sequamur : ne, si nunc ab ejus rectitudinis forma deflectimus, ab illius postmodum coacti consortio dirimamur. Certe si quem nostrum de hoc etiam conventu aliquis violentus ad carcerem traheret, magna re vera illum qui hoc pateretur confusio, ingens simul mœstitia coarctaret. Quid putamus, charissimi, ibi tunc esse confusionis, quid terroris et angustiæ, si contingat (quod Deus avertat) aliquem nostrum ab illo splendidissimo sancti hujus Patris nostri et præcedentium fratrum choro in perpetuum separari, et infinitis insuper tormentis immergi? Circumspiciamus quapropter, dilectissimi, undique vitam nostram ; excludamus a nobis cunctas sordes omnemque malitiam ; simus mites, continentes et humiles; sectemur ea quæ pacis sunt et charitatis; teneamus hujus Patris nostri præcepta ; sequamur vestigia, ut cum eo pariter gaudia consequamur æterna, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA EADEM.

### DE SENTENTIA EVANGELICA ET DE SANCTO BENEDICTO.

(Ex Maii Nova Collectione.)

De verbis Evangelii secundum Lucam : *Dixit Jesus discipulis suis, nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.*

recitandam. Ex his intelligimus, prædictas Bedæ homilias aliter apud Casinates tum dispositas fuisse, quam in duobus veterrimis codicibus bibliothecæ olim Thuaneæ, nunc Colbertinæ, in quibus quadraginta novem tantum homiliæ habentur, nec ea quæ de Benedicto Biscopo est, ultimum occupat locum, sed intermedium. MABILL.

Digitized by Google

*Ex antiquissimo et picturis ornatissimo codice olim Casinensi, postea Vaticano, litteris Langobardicis scripto; cum sequente præfatiuncula ejusdem Pauli diaconi.*

Venerabilis Beda presbyter ultimam homiliarum suarum, hoc est quinquagesimam, de vita et actibus cujusdam Benedicti inclusi sui monasterii pene totam contexuit, quæ utique minime ad legendum nostris congruere videbatur officiis. Ego Paulus diaconus extremus beati Benedicti servulus, ne numerus ipse quinquagenarius harum homiliarum esset deminutus, hanc quinquagesimam homiliam ad Dei gloriam et sanctissimi Patris Benedicti laudem, gratia superna suffragante, composui.

Homilia.

His sancti Evangelii verbis quæ modo audistis, fratres karissimi, paulo superius de Judæis non credentibus Dominus præmisit dicens : *Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ.* Et post pauca mox sub specie reginæ austri venturam ad fidem Ecclesiam ex gentibus annuntians, ait : *Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.* Ex horum itaque occasione verborum, quia scilicet Judæorum aperte, Ecclesiæ vero typice, Veritas fecerat mentionem, sciens profecto incarnationis suæ mysterium multo magis gentibus quam Judæis profuturum, hoc quod modo lectum est subintulit dicens : *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum.* Lucernam quippe Dominus accendit, cum testam fragilitatis humanæ flamma suæ divinitatis implevit : quam profecto lucernam, hoc est splendificam suæ incarnationis fidem, nec credentibus abscondere, nec modio subponere, id est mensura legis includere, vel intra unius Judææ gentis voluit terminos cohibere; sed potius subjectis sibi gentium populis tradere, eosque sibimet arctius illustrando unire. Candelabrum videlicet sanctam Ecclesiam significans, cui lucernam superposuit, quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis affixit. Causamque protinus, cur lucerna super candelabrum poni deberet, insinuans subjunxit, ut qui ingrediuntur lumen videant, id est ut qui ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis et fidei palam valeant intueri. Qua sententia Judæorum quoque progenies condemnatur, qui dum signa quærunt exterius, apertam lucis januam noluerunt intrare credendo.

Sed quia semetipsum prius Dominus lucernam dignatus est asserere, quomodo lucernæ vocabulum etiam electis ejus possit aptari, subdendo manifestat, cum dicit : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Corpus quippe opera nostra vult intelligi, quæ palam cunctis apparent : oculum vero ipsam mentis intentionem quæ operatur; et de cujus merito eadem opera lucis an tenebrarum sint opera discernantur, sicut ipse consequenter exposuit dicens : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si vero nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Si, inquit, pura rectaque intentione quæ potes agere bona studueris, lucis profecto sunt opera quæ facis, etiamsi coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur, *quoniam diligentibus Deum*, ut ait Apostolus, *omnia cooperantur in bonum.* Si autem perversa est intentio quæ præcedit, pravum est omne opus quod sequitur quamvis rectum esse videatur. Quod quia summopere nobis cavendum est, aperte Veritas admonendo subjungit dicens : *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint;* hoc est, ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, sedula intentione perpende, juxta quod alibi præcipitur : *omni custodia serva tuum cor, quoniam ex ipso vita procedit.* Sequitur : *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Totum corpus nostrum omnia opera nostra dicit, quia et Apostolus membra nostra nuncupat quædam opera quæ improbat, et mortificanda præcipit dicens : *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram* fornicationem, immunditiam, libidinem, et cætera talia.

Si igitur, inquit ipse, bonum bona intentione patraveris non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis, etiamsi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri; verbi gratia, si de pecunia quam a te indigens acceperat mali aliquid fecerit vel passus fuerit, aut si de verbo exhortationis, quo errantem corrigere volebas, forte perniciosius erraverit, attamen pro tuo simplici et lucido corde hic et in futuro lucis gratia donaberis, et de fulgore propriæ actionis æternæ retributionis claritatem percipies. Unde, fratres karissimi, studeamus et ipsi per Dei gratiam lucernæ esse ardentes, Deique domum ingredientibus proximis bonorum exemplo lucem præbere : studeamus et lucis operibus inservire, et sollerti studio ne perversa intentio bonis se nostris actibus inserat, præcavere. Sit nostri cordis intentio pura semper et simplex, ut totius nostri operis actio et clara apud internum judicem valeat inveniri, et dignæ remunerationis luce vestiri.

Hæc in expositione lectionis evangelicæ breviter diximus. Jam vero quia beati patris nostri Benedicti diem sacratissimum colimus, quo ille corusco tramite migravit ad cælos, videamus an præsentis lectionis series, ejus valeat vitæ vel meritis convenire. Sed libet prius pauca etiam de Matthæi Evangelio assumere, quæ satis huic certum est congruere lectioni, atque hujus tam sublimis viri astipulare præconiis. Refert namque beatus evangelista Matthæus dixisse inter cetera Dominum discipulis : *Vos estis sal terræ;* et rursum : *Vos estis lux mundi.* Quis potius, fratres karissimi, post sanctos apostolos, quam hic beatissimus Pater noster, salis valet nomine appellari? qui ab urbe segregatus Romulea, tanquam ab instabilibus amarisque pelagi fluctibus, dum intra specus sui sese ambitum tenuit, quicquid



Digitized by Google

vel modicum ex mundanæ mobilitatis liquore habere poterat, in salis soliditatem rationemque mutavit, verique solis radiis per castitatis fervorem torrefactus, ad justitiæ candorem pervenit: qui non solum tunc corporali præsentia multorum piis verbis vel actibus vitam condivit, sed usque ad præsentem diem præsens spiritu non tantum nostrum collegium, sed per totum maxime Occidentem suos sequaces erudit: qui per salubrem rationisque plenam sanctæ institutionis suæ regulam vitam carnalium dissolutionis labe tabidam restringendo revocat ad salutem. Cujus discretionis censura, etsi ut salis species plagis videtur crudescentibus austera, certum tamen est quod tolerata patientius cælestem conferat medicinam.

Unde, fratres karissimi, siquando forte acrius a prælato nobis Patre, seu ab iis qui ab eo nobis præponuntur, regulariter castigamur, tanto hanc humilius illatam perpetuæ salutis medelam nos suscipere convenit, quanto sine dubio nobis credenda est gehennæ supplicia mitigare. Quis magis, ut dicere cœperamus, quam hic index arctioris viæ, ut lucis jubar, mundo resplenduit? qui vitæ meritis et miraculorum multiplicitate non solum tunc emicuit, sed hactenus circumquaque excrescendo clarescit? Testatur hoc quod loquimur recens illud miraculum, quod ante hoc ferme decennium gestum multisque verum est cognitum: mutum scilicet ante hoc corpus sacratissimum fuisse locutum. Mox enim ut Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ consecutus est officium: et qui nullum ex die ortus sui verbum edere poterat, quod est admirandum vehementius, non solum loquelam propriam, hoc est barbaram, cœpit effari, sed simul etiam et latinam. Plura sunt et relatu digna, quæ per eum cotidie Christus efficit, quæ propria, Deo præsule, serie vestræ pandenda sunt caritati.

Quis igitur, ut cœpta persequamur, simpliciore quam iste oculo, id est puriore cordis intentione, vitam transegit? qui cuncta semper peritura despiciens, mentem in cælestibus solidavit: quique ideo ad id quod voluit mox exauditus est, quia simplicitate mentis Deo complacens, duplicitatis a sua intentione rugam exclusit. Hinc per Salomonem de Deo dicitur: *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Sed et ipsum nihilominus omnium quæ facta sunt creatorem, simplicis omnino confitemur esse naturæ. Tanto ergo quilibet efficacius exauditur in prece, quanto per intentionem simplicem, divinitatis juxta modum proprium similitudinem tenet. Cujus, inquam, corpus, quod opera significare diximus, magis quam istius lucidum existere potuit, qui tam multis per vitæ excellentiam lumen exhibuit? Aut quem potius, quam hunc, splendor propriæ actionis, ut lucerna fulgoris, illuminavit? qui innumeris exterius ad cælum septus lampadibus, potiora utique de creatoris visione interius percepturus ascendit. Quæ lucerna clarior hoc præceptore surrexit, quæ super candelabrum altioris vitæ po-
A sita, totas occidui provincias radiavit? Quæ si fortasse intra speluncæ suæ sese, ut cœperat, angustias occuluisset, videretur utique quasi sub modio, hoc est censuræ propriæ mensura retenta, aut paucis aut nullis fulgoris rutili crines aspergere. Sed aspirante Deo supra candelabrum regiminis posita, cunctis lustrari volentibus præclarum lumen exhibuit: et ita exhibuit, ut hodieque per omnes pene christianis cultibus deditas regiones, auditis tantorum miraculorum prodigiis, cognito tantæ lumine sanctitatis, universorum ad quos hæc pervenire valent fidelium in divinis laudibus ora resultent.

Ut enim pauca de multis loquar, quis non miretur audiens pandentem in propatulo abdita, prædicantem futura? Parere jussibus latices, prodire de rupi-
B bus fontes, perdere totiens elementa naturam, præbere volucres obsequelam, terram susceptum cadaver evomere, cunctis terribiles pavidare, morbos imperiis cedere, mortem jus dominii perdere, secretum cordis patescere, claustris retentum corporeis quo velit spiritu properare? Postremo quis non stupeat totum ab uno homine mundum conspici, in terris positum cœli cives aspicere, carne adhuc revinctum animarum merita contemplari? Hæc, et his multa similia, quis aure percipiens, non in Dei Patris continuo laudes erumpat, qui suis talia confert servulis, et super hæc omnia regnum sine termino largitur in cælis? Sed unde Pater hic eximius patrare ista promeruit, ut instar sanctorum apostolorum tot admirante mundo miraculis coruscaret, nisi
C quia eorumdem apostolorum vitam tenuit, et cælestis instituta præceptoris aure pectoris servaturus accepit? Non illum carnis illecebra, non mundi gaudia male suadentia, non hostis astuta consilia valuerunt in aliquo flectere anhelantem ad præmia sempiterna.

Proinde, fratres karissimi, nos qui e diversis mundi partibus ad ejus properavimus magisterium, discamus spernere quod sprevit, discamus diligere quod dilexit: et si sequi eum post ad gloriam cupimus, modo ipsius vestigia imitando sequamur: ne si nunc ab ejus rectitudinis norma deflectimus, ab illius postmodum coacti consortio dirimamur. Certe si quem nostrum de hoc etiam conventu aliquis violentus ad carcerem traheret, magna revera illum, qui hoc pateretur confusio, ingens simul mæstitia
D coartaret. Quid putamus, karissimi, ibi tunc esse confusionis, quid terroris et angustiæ, si contingat, quod Deus avertat, aliquem nostrum ab illo splendidissimo sancti hujus Patris nostri et præcedentium fratrum choro in perpetuum separari, et infinitis insuper tormentis immergi? Circumspiciamus quapropter, dilectissimi, undique vitam nostram; excludamus a nobis cunctas sordes omnemque malitiam; simus mites, continentes et humiles, sectemur ea quæ pacis sunt et caritatis; teneamus hujus Patris nostri præcepta, sequamur vestigia, ut cum eo pariter gaudia consequamur æterna; præstante domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

## EXPOSITIO
## PROLOGI REGULÆ SANCTI BENEDICTI.

(Ex Tosti, Storia della badia Casin.)

Tres enim sunt ecclesiasticæ disciplinæ: prima physica, id est naturalis; secunda ethica, id est moralis; tertia logica, id est rationalis. Nam physica derivatur ab eo quod est physin; *physin* Græce, Latine *natura* dicitur; ethica autem derivatur ab eo quod est ethin: *Ethin* quippe Græce, Latine *mores* dicuntur. Logica autem derivatur ab eo quod est logos, *logos* enim Græce, Latine *ratio* dicitur. Propter has ergo tres disciplinas ecclesiasticas Salomon sapientissimus omnium regum tres libros edidit: primum librum appellavit Parabolam, secundum Ecclesiasticum, tertium Cantica canticorum. Primus quidem liber convenit parvulis, quia in eo sæpe parvulos quasi filios alloquitur, dicens: *Audi, fili mi.* unde etiam in ipso libro frequenter mentio malarum rerum fit, id est, meretricum et hæreticorum et cæterarum his similium. Secundus autem liber bene congruit majoribus, quia in ipso jam majores admonentur vanitates mundi despicere. Unde ipse liber a vanitate inchoat, dicens: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Tertius vero liber convenit perfectis, eo quod in eo non adversa aut tristia, sed læta reperiuntur. Istius enim Salomonis ordinem tenens beatus Benedictus non ignarus ecclesiasticæ disciplinæ dixit: *Obsculta, o fili, præcepta magistri*, id est, sicut Salomon in primo suo libro parvulos quasi filios alloquitur, ita et ipse in principio sui libri parvulum quasi filium alloquitur, dicendo: *obsculta, o fili, præcepta magistri*, et cætera. Nam hoc sciendum est quia quidam libri habent *ausculta*, quidam vero *obsculta*: sed sive dicas *ausculta* per *au*, sive obsculta per *ob*, nil obstat; eo quod *auscultare* dicitur quasi auribus scultare, hoc est, auribus audire; *obscultare* vero est, communiter audire, quia *ob* in hoc loco pro *simul* ponitur.

Nunc videndum est qua ratione sanctus Benedictus cum dixit: *Fili*, præmisit *o*; cum suffecisset illi dixisse, *fili* tantum; eo quod in eo nomine, quod est fili, vocatio intelligitur. Sed sciendum est quia sicut solent multa nomina pro exaggeratione, id est augmentatione, intellectus sui sibi assumere quasdam adjectiones syllabarum: verbi gratia, cum dicis *prædives, præpotens, excelsus*, et cætera, assumpta *præ* et *ex*, hoc est, valde dives, valde potens, valde celsus; ita sanctus Benedictus ut exaggeraret vocationem suam fecisse cognoscitur, cum dixit, *fili*, præmittendo *o*: nam *o fili*, duo vocativa sunt, quasi diceret: Fili, fili. Filius enim multis modis dicitur, id est natura, adoptione, imitatione, doctrina, et gente. Natura autem et adoptione omnibus notum est; imitatione quidem dicitur, quia illius est filius quis, cujus opera imitatur: unde Dominus in Evangelio dicit Judæis: *Vos ex patre diabolo estis, quia ejus opera facere vultis.* Doctrina vero, sicut dicuntur filii positi sub magistris, unde Apostolus dicit: *Ego vos genui per Evangelium.* Gente autem sicut fuit ille dives positus in inferno Abrahæ: unde cum Abraham filium vo-

A cavit, dicens: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Et similiter dives Abraham patrem nominavit, dicendo: *Pater Abraham*, et reliqua. Et quanquam multis modis dicitur filius, semper ibi pater etiam si non sit positus, subintelligitur: eo quod filius non potest esse sine patre. In hoc enim loco sanctus Benedictus cum dicit *fili*, paternitatis affectum, atque magistri disciplinam erga te ostendit, se habuisse. Te vero sua oratio, qua dicitur *fili*, manifestat ad quid adducat, id est, ostendit te ducere ad paternitatis affectum, et magisterii disciplinam suscipiendam. Præcepta dicuntur, eo quod præmium capient, dum sui servatores ex illis præmia capiant. Magister vero dicitur quasi magistratus, id est, magis doctus, sicut dicitur disci- B pulus a discendo. Queritur etiam, quare sanctus Benedictus dixit, *inclina*, cum potuisset dicere, *aperi*. Sciendum est, quia multi aperiunt aures, sed non inclinant, id est humiliant; nam ideo dixit inclina, quasi diceret humilia. Quia enim nisi superbi aures et cuncta membra erecta haberent nequaquam scriptura diceret divina: *Aures eorum aggrava, et oculos superborum humiliabis:* eo quod superbi semper in fastu superbiæ erecti sunt. Et hoc sciendum est, quod non ita dicuntur superbi ipsa membra superba habere, ut ipsa membra sint superba, sed quia officia membrorum superborum sunt superba, ideo membra dicuntur superba. Et quanquam cætera membra propter officia sua dicantur superba, tamen in oculis magis solet cognosci superbia. Est sensus, C cum dicit: Inclina aures, hoc est, ad humilitatem discendam auribus submitte, quia inclinare est ab excelsioribus ad humilia submitti. Iterum videndum est, quare cum dicit: aures, subjunxit *cordis*, cum suffecisset illi dixisse, aures, sine adjectione cordis; eo quod scriptura divina ubi aures dicit, cordis aures requirit: unde Dominus in Evangelio dicit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ibi enim non de auribus corporis dicit, quia omnes qui illic aderant aures corporeas habebant: et nemo illuc venisset ad audiendum, nisi aures corporis habuisset. Sed quia Dominus cognoscens (ut Deus vidit) illic multos non aures cordis habuisse, ideo clamabat: *Qui habet aures audiendi audiat:* quasi diceret, illos enim alloquor qui aures cordis habent. Nam aures exterioris homi- D nis sonum tantum audiunt sed non discernunt; eo quod noster homo exterior communis est cum bestiis, homo vero interior communis est cum Angelis, quia ipse ad imaginem Dei plasmatus existit. Sanctus vero Benedictus, quia humilibus et simplicibus hominibus loquebatur, ne aliqua difficultas esset intelligendi de quibus auribus diceret, ideo adjecit, *cordis*. Aures autem, secundum antiquorum sapientum sensum, quasi *audes* dictæ sunt; eo quod audiunt: secundum autem sensum novorum sapientum, aures dicuntur ab hauriendo; eo quod hauriunt sonum. Iterum etiam quæri potest quare sanctus Benedictus, cum dixit, *cordis*, subjunxit *tui*, cum illi sufficeret dixisse solummodo *cordis*: sed ideo subjunxit *tui*, propter exaggerationem cordis, id est

Digitized by Google

propter nimiam intentionem cordis. Nam ea intentione Pater Benedictus dixit : *tu*, qua intentione dicit Deus ad Ezechielem prophetam *oculis tuis*. Ait enim : *Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi; quia ut ostendantur tibi, adductus es hoc*. Et pulchre hic Dominus *tuis* addidit, quia oculos et aures cordis requirebat : quasi diceret : Quia non possunt hæc quæ tibi ostenduntur oculis corporeis videri, auribus corporeis audiri, idcirco dico tibi *tuis*, ut ea oculis propheticis videas et auribus spiritualibus audias. Ita et sanctus Benedictus in hoc loco addidit *tui*, quasi diceret : Quia ista quæ ego te admonere studeo, fili, auribus corporeis non potes audire, idcirco *tui* dico, ut ea auribus cordis intente audias.

---

# PAULI WINFRIDI DIACONI

## OPERUM PARS TERTIA. - EPISTOLÆ ET CARMINA

## SECTIO PRIMA. - EPISTOLÆ.

---

### [a] EPISTOLA PRIMA.

[b] *Incipit epistola pauli diaconi ad* [c] *Carolum regem.*

(Ex Chronico Casinensi edit. Aug. Nuc.)

Propagatori ac defensori Christianæ religionis domino Carolo, Christi potentia regum sapientissimo, [d] Theodemar exiguus, et universus beati Benedicti Patris grex vestro subditus dominatui, æternam in Domino salutem.

[e] Tam per epistolæ seriem quamque et per sanctum virum [f] Adelgarium episcopum [g] vestra famina suscipientes, magna sumus exsultatione gavisi; dum vestram sublimitatem, domnamque nostram reginam, vestrosque liberos sospites valentesque esse cognovimus. Nec minori etiam tripudio exsultabimus, dum vestrarum protelationem finium, victoriamque de hostibus triumphos agnovimus. Auxit etiam nostrum illa res gaudium, quia vestram excellentiam de virtute in virtutem succrescentem, Dei agrum studiose excellere addidicimus, ac monachorum religionem ad meliorem perducere statum. Certum est quia vos hoc factum beatiores efficiet, dum tale Deo nostro, tamque beneplacitum munus offertis. Qua de re, quia ad beati Patris nostri Benedicti doctrinam et luculenta exempla aliquos monachorum regionis illius vestræ clementiæ informari placuit, juxta præceptionem, en vobis regulam ejusdem beati Patris [h] de ipso codice quam ille suis sanctis manibus [i] exarabit transcriptam direximus. In fidem autem sacræ ejusdem regulæ ymnos, qui secundum instituta beati Patris nostri per singula officia vel festivitates cantari debent, adnexuimus. Si quem autem movet quare beatus Benedictus in æstatis tempore cotidianis diebus ad nocturnum officium unam tantum de Veteri Testamento sectionem præceperit legere, cognoscat [j] necdum eo tempore in Romana Ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras Scri-

[a] Varias hujus epistolæ lectiones collegit Hœftenus : perplures collecturus, si nostram editionem præ manibus habuisset. Curam hanc lectori nos relinquimus, cui otium fuerit, ac libeat exteris editionibus domesticam nostram conferre; pro qua vetustas ipsa testimonium perhibet. Codex enim 353 non integro sæculo post Paulum, et Theodemarium compilatus fuit ab Joanne abbate. Ut propterea nihil me eruditissimi Menardi apud Hœftenum auctoritas moveat, suspicantis, hanc epistolam non esse Theodemarii : cum et tempora belle cohæreant et ipsa epistolæ phrasis Paulum auctorem prodat luculenter; præter tot nostrorum codicum fidem.

[b] *Inc. epist. Pauli Diaconi.* Paulo inscribitur epistola, quod eam Paulus suo dictaverit marte ac ingenio : Theodemario, quod ejus nomine scripta.

[c] *Ad Carolum regem.* Tunc regem tantum, nondum imperatorem.

[d] *Theodemar.* Alias *Theutmar.*

[e] *Tam per epist. seriem.* Caroli ad Theodemarum epistola excidit.

[f] *Adelgarium episc.* Cujus sedis non exploratum. Forte Trecensis, inquit Hœftenus.

[g] *Vestra famina.* Eadem utitur voce Paulus in hymno sancti Joannis :

> Ne levi saltem maculare vitam
> Famine posses;

et alibi.

[h] *De ipso codice, quam ille suis... manibus.* Tunc enim exstabat Casini Regulæ autographum, quod postea Teani conflagravit.

[i] *Exarabit.* Pro *exaravit*, supra *exultabimus*, et infra, *cœnovio* pro *cœnobio*, et *probidentia*, vice *providentia*; et *octabum* pro *octavum*, *devitum* pro *debitum*. Reciproce *u*, *b* et *v* consona permutabantur, ex illius ætatis græcissante dialecto et scriptione.

[j] *Necdum eo tempore in Rom. Eccl. sicut nunc leguntur, sacras Scripturas legi, mos fuisse.* Allucinatum hic fuisse Theodematum (sive potius Paulum Diaconum) censet Hœftenus, cum jam Gelasius primus, diu ante Gregorium (uno ante Benedictum) totius anni lectiones suo ordine digessisset. Sed quisquis ille fuerit qui lectionum ordinem et numerum sancivit, sapientissime tamen sanctissimus Pater Benedictus diversum a Romana Ecclesia ritum psallendi ordinavit, ut monachi a clericis non solum conversatione, sed etiam publicarum orationum modo distinguerentur. Auctor Vitæ sancti Walerii abbatis, qui fuit discipulus sancti Columbani, apud Surium die 3 Aprilis, narrat sanctum virum utrumque cursum et monasterialem, et gallicanum sive clericalem, quotidie persolvisse. Unde liquet a ritu clericorum, etiam ex Regula sancti Columbani monachorum ritum discrepasse. Quod vero attinet ad lectiones, sanctus legislator noster æstatis tempore unam tantum diebus ferialibus ordinavit propter noctium brevitatem. Lectio vero sacræ Scripturæ, quæ deerat in officio, suppleri solebat in refectorio. Mos enim vetustissimus monachorum fuit universam sacram Scripturam singulis annis partim in choro, partim in refectorio audire, ut ex antiquis monachorum ritualibus constat.

Digitized by Google

pturas legi mos fuisse : sed post aliquot tempora hoc institutum esse, sive a beato papa Gregorio, sive, ut ab aliis affirmatur, ab Honorio. Qua de re nostri majores instituerunt ut hic in sacro nostro cænovio, quod juxta sanctum illius corpus institutum est, tres cotidianis diebus, æstivo ni tempore, ex Veteri Testamento lectiones in codice legantur, ne a sancta Romana Ecclesia discrepare viderentur. Nec enim credendum est hoc beato Patri Benedicto displicere, sed potius gratum ei esse, si quis supra id quod ille in Dei laudibus instituit, propter Dei amorem adjiciendum esse curaverit. Nam et de psalmorum canendorum per singulos septimanæ dies divisione, si cui melius visum fuerit quam ipse beatus Pater instituit, ab ipso habet licentiam, ut melius æstimaverit, canere. Nec debent cogi monachi, si tamen vestro sapientissimo cordi ita placet, qui nunc Romano more psallunt, juxta institutionem sacræ hujus Regulæ psalmos dividere : sed possunt, si vobis ita videtur, solito more canentes actionis vitæ normam suscipere. Direximus quoque [a] pondo [b] quattuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui [c] quaternas quadras singularum librarum juxta sacræ textum Regulæ, possit dividi. Quod pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum. Misimus etiam mensuram potus, quæ prandii, et aliam, quæ cœnæ tempore debeat fratribus præberi : [d] quas duas mensuras æstimaverunt majores nostri eminæ mensura esse. Direximus etiam et mensuram unius calicis, quam [e] obsequiaturi fratres, juxta sacræ Regulæ textum, solent accipere. Beatus Pater noster instituit

A duo cocta pulmentaria in cotidiana refectione fratribus præparari, et tertium de leguminibus crudis, aqua infusis. Nos vero ex institutione majorum nostrorum, tria cocta pulmentaria aliis diebus, quarta feria, et sexta feria, duo tantum reficiendis fratribus præparamus. Excepto quod plures ex fratribus nostris pane tantum his diebus herbisque ortensibus vescuntur : quorum plerique etiam nec vinum bibunt. Die vero Dominico, et in festivitatibus præcipuis, etiam quartum addimus pulmentum. Exceptis secunda, quarta, et sexta feria, aliis diebus prandentibus fratribus, cum vinum nobis abundat, singulas fialas miscere facimus. In summis quoque festivitatibus, hoc est in Nativitate Domini, et Epiphania, in Pascha, et tertia feria post Pascha, quan-
B do nobis grandis festivitas est, et in Pentecosten, et in sancti Johannis, et in sancti Petri, et in sancti Laurentii, et in sanctæ Mariæ, et in sancti Martini, et beati Benedicti, etiam bis ad prandium miscere facimus. Præter hæc etiam [f] æstatis tempore post nonam, aliquid si est de pomis, et singulas fialas nostris fratribus præbemus. [g] Cum vero tempus sectionis fœni est, etiam [h] potionem ex melle ad horam quartam laborantibus fratribus propinamus. [i] Volatilia numquam, nisi die Natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus, similiter etiam Paschalis festi diebus, sed de esu volatilium tam caute prudentissimus Pater noster in sua Regula posuit ; ut si velint comedere monachi, cum opportunum est, non subjaceant culpæ : sin vero
C eis a suo tale edulium non præbeatur abbate, ut quasi ex debito, hoc non possit requirere. Sane,

[a] *Pondo*. Non mutandum, nam et *pondo* recte dicitur et *pondus*.

[b] *Quattuor librarum*. « Ex hoc fortassis capite » (verba sunt Hœfteni) « suspicatur eruditissimus Menardus epistolam hanc non esse Theodemari; si enim pondus libræ, ut in suis declarationibus aiunt Casinenses, sit unciarum triginta trium, et semis, eaque mensura nonnullis enormis videatur; quid dicendum de hac Theodemari quatuor librarum, sive unciarum 48; ita ut triginta duæ prandio, cœnæ vero sexdecim deputentur? Voluit enim sanctus Benedictus tertiam partem reservari cœnaturis. » Certum tamen nobis est, ex duobus ponderibus Casini adhuc servatis, quotidianum panis demensum, a sancto Patre statutum, aut triginta novem, aut quadraginta octo unciarum fuisse. Neque enormis ea mensura videbitur cogitantibus, tum varias complexiones, quibus omnibus prospicere studuit discretissimi legislatoris providentia, tum agri labores, quibus tunc monachi exercebantur : tum denique obsoniorum parcitatem, panis abundantia propterea compensandam, maxime jugiter jejunantibus. Consule Ferrarium nostrum in Regulam cap. 39, ubi plura.

[c] *In quaternas quadras*. In quatuor partes seu segmenta vel fragmenta dividi possit. Sane Servius ad illud VII Æneid. : *Patulis nec parcere quadris*, scribit, « *Quadris*, id est, aut mensis, aut quadris, fragmentis accipimus. » Hinc Juvenalis sat. 5 :

Ut bona summa putes aliena vivere quadra.

Et Horat. lib. I, epist. 18 :

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Martialis quoque lib. VI, epigr. 75 :

Cum mittis turdumve mihi quadramve placentæ.

Lege quæ de quadra ad Moretum scripsit Scaliger, et Vossium in Lexico.

[d] *Quas duas mensuras .... eminæ mensura esse*. Alii legunt *mensuram*; sed utrumque sustineri potest. Porro de emina, vide laudatum Ferrarium, in cap. 40 Regulæ.

[e] *Obsequiaturi*. Servitores vocantur in Regula, cap. 38, nempe qui mensæ inserviunt vel coquinæ.

[f] *Æstatis tempore post nonam, de pomis, et singulas fialas*, etc. Antiquum hunc morem bibendi post nonam in conventu, cum pomis aut cucumeribus, usque ad meam adolescentiam in congregatione Casinensi retentum vidi : nunc antiquatum. In antiquis usibus Cisterciensium caput 83 sic inscribitur : *De bibere post nonam*. Vide Hœftenum.

[g] *Tempus sectionis fœni*. Pondera hic agrestes la-
D bores, ut mirari desinas enormem panis demensum laborantibus præfinitum. Hunc etiam locum illustrat Hœftenus

[h] *Potionem ex melle*, etc. Ad vires reficiendas, sitim sedandam leniendaque viscera atque mulcenda. Notum illud Asinii Pollionis, qui, centesimum excedens ætatis annum, cum ab Augusto hospite rogaretur quanam maxime ratione vigorem illum corporis animique custodisset, respondit : *Intus mulso, foris oleo*. Est vero mulsum potio ex melle et vino concinnata, sic vocatum quod venas lenitate sua mulceat.

[i] *Volatilia*, etc. Locum hunc, præter Ferrarium, disertissime enarrat Hœftenus; illum adi ad pagin. 926 et seqq. Certe Theodemar et Paulus, prioresque nostri Casinates, in ea fuerunt opinione ut a legislatore volatilium esus monachis omnino interdictus non fuerit.

Digitized by Google

quia percontari dignati estis quod vestimentum cuculla debeat intelligi. [a] Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus. Et inde est quod hieme villosam, æstate puram, aut vetustam beatus Pater instituit; quia scilicet hoc genus indumenti solet cum villis intexi. Illud autem vestimentum, quod a Gallicanis monachis cuculla dicitur, et nos cappam vocamus, quod proprie monachorum designat habitum, melotem appellare debemus, sicut et hactenus in hac provincia a quibusdam vocatur: de quo sicut beatus Gregorius scribit in libro Dialogi: exceptus ab aqua per Maurum monachum puer Placidus dixit, Ego, cum ab aqua abstraherer, melotem super me abbatis cernebam, cumque me ab aquis educere considerabam. Quod tegumentum ideo sic appellatum est quia solebat antiquitus de illius animantis pelle fieri [b] quod melos propter nuditatem sui corporis appellatur. Quod genus bestiolæ a nonnullis taxus vocatur. De quo genere tegumenti nichil beatus Benedictus in suæ textu Regulæ locutus est; ob hoc scilicet, ut conjicere possumus, quia diverso modo hoc vidit a plerisque monachis uti tegumentum. Nam Galliarum monachi hoc laxius et prolixius induuntur; Itali vero monachi, sicut nostis, brevius hujuscemodi et strictius vestimentum habent: Græci vero, præter operimentum capitis, modicum quiddam tantum ante pectus et a dorso dependens; Transmarini autem monachi hujusmodi operimentum pellicium habent. Ergo, quia tantam in monachico indumento beatus Benedictus diversitatem vidit, unicuique monachorum, quod ex his potius eligere velit, proprio arbitrio dereliquit. De numero autem et qualitate vestimentorum sic beatus Pater noster in sua Regula posuit, ut tamen prohibentia sit abbatis quomodo debeat pro sua unicuique distribuere necessitate; sed et ipse Pater dixit quia in temperatis regionibus minus, in frigidis plus vestimenta sit opus haberi. Seniores tamen nostri et præteriti abbates instituerunt fratribus nostris, propter diversos labores, tres tunicas habere; duas grossiores in hieme, unam subtiliorem in æstate; similiter et in loco cucullarum, duos, quos nos dicimus [c] mattos, qui ex grossiori sago fiunt, et unum in æstate subtiliorem operimentum. Cucullas autem ideo non habemus, quia majoris sunt prætii, et quia nobis Pater noster alias præcepit, talia vestimenta habere, quales possunt in provincia vilius emi. Habent autem fratres nostri et duplicia fæmoralia: multi tamen ex eis, Deo adjuvante, in tantum se continent, ut neque fæmoralia habeant, neque amplius quam duplicia, secundum regularem textum, indumenta. Statuit autem venerabilis Pater ut scapulares monachi propter opera habeant, quod ob hoc scapulare dicitur, quod scapulas præcipue tegat, et [d] capud, quod vestimentum pene omnes in hac terra rustici utuntur. Pro quo tegumento nos e grossiori textu ad melotis similitudinem operimentum habemus: nisi quod manicæ in hoc usque ad manus pertingentes habentur. Præter addimus unicuique sicut ei opus est; nam senibus nostris [e] gunnas pellicias tribuimus, infirmos etiam, et in culcitis jacere permittimus, et unicuique omnino, sicut sua exposcit necessitas præbemus. Concessum est etiam fratribus nostris habere manutergia, sive ad tonsuræ obsequium, sive ad codices quos ad legendum suscipiunt involvendos.

Præter regularia quoque jejunia, in vigiliis præcipuarum festivitatum usque ad vesperam jejunamus; et a vespera vigiliarum per totam noctem, et diem festivitatis, usque ad completorii officium [f] jenua non flectimus. Dominicis quoque diebus, et a Domini Nativitate, usque ad octavum diem; a Pascha quoque usque ad Pentecosten similiter [g] ad poplicum officium jenua non flectimus.

[h] Textum quoque promissionis, quo ordine solebant anteriores monachi Regulam sanctam in hoc loco promittere, ecce intra hanc epistolam in brevi paginola exaratum dileximus vobis. [i] Joseb quoque frater noster, quem, ut scribere nobis dignati estis,

[a] *Cucullam.... Casullam*, etc. Codex sancti Angeli ad Formas, in archivo Casinensi asservatus, exhibet imaginem Desiderii abbatis cucullati: talari scilicet vestimento, undique clauso, nec admodum sinuoso, manicis non amplis; et hæc plane per ea tempora cucullæ forma. Anterioris ætatis nulla apud nos exstat cucullæ vel pictura, vel graphica descriptio. Et profecto non eadem omni ævo cucullæ formula, quanquam non omnino a primigenia discrepans. Vide Hœstenum, et Ferrarium.

[b] *Quod melos propter nuditatem*, etc. Propter *rotunditatem* legendum: nam melis, animal de genere agrestium felium, fortasse quod *taxum* vocant, ut idem Paulus prodit, a Græco *melon* dicitur, quod est *malum*, eo quod instar *mali* corpus habeat rotundum. Hinc *melinæ* vestis, et *melotes*.

[c] *Mattos*. Alii legunt *mantos* vel *mantas*. Matta teges est vel storea, in qua monachi cubare soliti. Fortassis ergo *matta* vocata est vel *mattus* vestis texturæ rudiori storeæ similis.

[d] *Capud*. Commutata invicem hæc elementa *d* et *t* alibi nobis notatum.

[e] *Gunnas pellicias*. *Geminas pelliculas* legit Brenelius. Nostra lectio omnino præferenda. Vide Hœstenum.

[f] *Jenua non flectimus*. Sic loquebantur, molliendo septimæ litteræ duriorem pronuntiationem, ut tertiæ vocali pene consonaret: ideoque sic scribebant. Contra, dum barbarorum contagio Itali tertiam vocalem asperius efferre didicissent, degenerarunt in sonum *g*, ut pro *Jesu*, *jam*, *Joannes*, pronuntient, *Gesu*, *già*, *Giovanni*. Quod attinet ad ritum veteris Ecclesiæ, mos fuit die Dominico, et a Pascha usque ad Pentecosten, non in genua provolutos, sed stantes orare, in memoriam Christi resurrectionis. De qua re exstant canones *Si quis presbyter*, dist. 30; *Scire debet*, dist. 76; *Quoniam*, de consecr., dist. 3.

[g] *Ad poplicum officium*. *Publicus* olim fuit *populicus*, et *poplicus* quod exstat in veteri inscriptione apud Gruterum, pag. mihi 150; venit quippe a *populus*. Inde Valerius Publicola et Poplicola.

[h] *Textum quoque promissionis*. In codice nostro non habemus exemplum hujus formulæ, quod hic retulit Hœstenus.

[i] *Joseb* Plutarchus in Hellenicis Quæstionibus auctor est, Macedones *b* usurpasse pro *ph*, et pro *Philippos* dixisse *Bilippos*. Eos in quibusdam imitati

Digitized by Google

præficere ad regendum monasterium sub Regulæ A tramite destinatis, habet secundum sacrorum canonum instituta largitatis facultatem, ut hoc possit facere, quæ licentiam monachis tribuunt, etiam ecclesiasticis gradibus sublimari. Videat tamen ille si sic se potest coartare ut possit suo exemplo fratribus prodesse. Grandis siquidem, et prima est in hoc monachis, et [a] contra Regulæ seriem districtio; si eis sine sua electione externus aliquis præponatur, vestra tamen sagax providaque subtilitas, sicut cœlitus mentem auxerit, ita disponat. De Optato venerabile monacho nostro summissis precibus, obsecramus, ut quia per ignorantiam ætatis excessit, vestra mereatur clementia relaxari. His expletis [b] commendamus nos sacræ vestræ, poscentes Dominum nostrum tam publice quam private, ut vestram B nobis vestrorumque salutem prolixis temporibus concedat, et ubique vestram gloriam, semperque custodiat. *Explicit.*

## EPISTOLA II.

### AD CAROLUM MAGNUM.

*Illi Vocabularium suum nuncupat.*

(Ex Mabill. An. Bened.)

Largitatis munere sapientia potentiaque præfulgido domino regi Carolo, regum sublimissimo, Paulus ultimus servulus.

Cupiens aliquid vestris bibliothecis addere, quia ex proprio perparum valeo, necessario ex alieno mutuavi. Festus denique Pompeius, Romanis studiis affatim eruditus, tam sermonum abditorum quam etiam quarumdam causarum origines aperiens, opus C suum ad viginti prolixa volumina extendit. Ex quo ego prolixitate superflua quæque et minus necessaria prætergrediens, et quædam abstrusa penitus stylo proprio enucleans, ita ut erant posita relinquens, hoc vestræ celsitudini legendum compendio obtuli, in cujus serie, si tamen lectum ire non dedignabimini, quædam secundum artem, quædam juxta etymologiam posita non inconvenienter invenietis, et præcipue civitatis vestræ Romuleæ, portarum, viarum, montium, locorum tribuumque vocabula disserta reperietis: ritus præterea gentilium et consuetudines varias. Dictiones quoque poetis et historiographis familiares, quas in suis opusculis frequentius posuere. Quod exiguitatis meæ munusculum, si sagax D et subtilissimum vestrum ingenium non usquequaque repulerit, tenuitatem meam vita comite ad potiora excitabit.

Augustus locus sanctus, etc. A. *Hoc vocabularium desinit in hac voce litteræ N.* Nequiquam.

## [c] EPISTOLA III.

### AD ADHALARDUM ABBATEM CORBEIENSEM.

(Ex Mabill., ibid.)

Charissimo fratri et domino Adalardo viro Dei, Paulus supplex.

Cupieram, dilecte mi, æstate præterita videre faciem tuam, quando illis in partibus fui! sed præpeditus lassitudine sonipedum, ad te venire non potui. Interioribus tamen oculis, quibus solis valeo, tuæ fraternitatis dulcedinem frequenter aspicio. Volueram equidem tuis imperiis jam ante parere: sed, ut pote pauper, et cui desunt librarii, prius hoc facere nequivi: maxime cum me tam prolixa valitudo contri- B verit, ut a mense Septembrio pene usque ad diem nativitatis Domini lectulo detentus sim: neque licuerit clericulo illi, qui hæc eadem utcunque scripsit, manum ad atramentarium mittere. Suscipe tamen, quamvis sero, epistolas quas desiderasti: et quia mihi eas relegere præ occupatione totas non licuit, triginta quatuor ex eis scito relectas, et, prout potui, emendatas esse, præter pauca loca, in quibus minus inveni, et tamen meo ea sensu supplere nolui, ne viderer tanti doctoris verba inmutare; quibus in locis et forinsecus ad oram zetam, quod est vitii signum, apposui. Tua itaque fraternitas, si se facultas dederit, reliquas epistolas ad emendatiorem relegere studeat codicem, sed et loca, in quibus minus habetur, supplere. Hoc tamen sanctitati tuæ suadeo, ne pas- C sim, propter aliqua quæ in eis minus idoneos latere magis quam scire convenit, publicentur. Vale, frater amabilis, semper in bonis gliscens: et cum mentem ad superna tetenderis, memento mei.

Ante suos refluus Rhenus repedabit ad ortus,
Ante petet fontem clara Mosella suum,
Quam tuus e nostro charum ac memorabile semper
Dulce Adalard nomen pectore cedat amor.
Tu quoque, si felix vigeas de munere Christi,
Esto memor Pauli tempus in omne tui.

## EPISTOLA IV.

### AD THEUDEMARUM ABBATEM.

Amabillimo et totis mihi præcordiis dilecto domno meo Patri abbati Theudemari, Paulus, pusillus filius D supplex.

Quamvis prolixa terrarum spatia corpore tenus a vestro consortio dividant, tangit me tamen utcunque vestro cœtui tenax et quæ dividi nunquam poterit

sunt Latini, et signanter in nomine *Berenices*. Ita in præsenti *Joseb* pro Joseph. — Quæ hinc et deinceps præfert codex Casinensis, desiderantur in editis, ut vel hinc nostrum exemplum præferendum agnoscas.

[a] *Contra Regulæ seriem.* Caput 62: « Si quis abbas sibi presbyterum, vel diaconem ordinari petierit, de suis eligat. »

[b] *Commendamus nos sacræ vestræ.* Subaudi *personæ, majestati*, etc. *Sacra* quoque vocatur epistola regia. Subnectit Hœftenus ex Codice Trevirensi distichon:

Vale salus patriæ, lumenque, decusque tuorum,
Maxime regnantum, noster et altus amor.

Deest in nostro. Quo autem successu epistola hæc scripta fuerit, et monachi in Gallias missi, pete ab Hœfteno, pag. 1090.

[c] Magna Paulum inter et Adalhardum abbatem Corbeiensem intercessit familiaritas, forte in secessu Casinensi contracta. Argumento est epistola illa, quam Paulus scripsit Adalhardo, qui ab ipso sancti Gregorii epistolas petierat. Ex his tantum quinquaginta quinque transcribendas curavit Paulus, easque partim sua manu emendatas amico submisit, cum prævio epistolio, quo nullum illustrius mutui inter utrumque amoris indicium afferri potest.

Digitized by Google

charitas, tantusque singulis pene momentis me vester meorumque seniorum et fratrum amor excruciat, quantum nec epistolaris valet religio nec pagellarum exponere brevitas. Cum enim menti subeunt occupata tantum in divinis operibus otia ac mei statio hospitioli gratissima; cum vester pius et religiosus affectus, cum sancta tantorum Christi militum, divinis cultibus insudans caterva, cum singulorum fratrum indivisis virtutibus exempla fulgentia, cum dulcia supernæ patriæ perfectionum colloquia, hæreo, stupeo, langueo, nec inter imo pectore tracta suspiria retinere lacrymas possum. Inter catholicos et Christianis cultibus deditos versor; bene me omnes accipiunt, benigniter mihi affatim amore nostri Patris Benedicti et vestris meritis exhibetur; sed ad comparationem vestri cœnobii mihi palatium carcer est, ad collationem tantæ quæ apud vos est quietis hic mihi degere tempestas est; solo ab hac patria debili corpusculo teneor, tota qua solum valeo mente vobiscum sum: videorque mihi nunc suavibus nimium vestris interesse concentibus; nunc consedere satiandis in cœna plus corpore quam cibo, nunc singulorum considerare in diversis officiis studia, nunc gravium jam senio seu languidorum quomodo quisque valeat perdiscere causas, nunc ad instar mihi paradisi dilecta sanctorum terere limina. Crede, Pater et domine, crede sacra et venerabilis phalanx solo me aspectu misericordiæ, solis pietatis visceribus, solis animarum hic profectibus ad tempus detineri, et quod his est amplius, tranquilli nostri regis et domini potestate. Cæterum quam primum valuero et mihi cœli Dominus per pium principem noctem mœroris, meisque captivis juga miseriæ demiserit, si tamen quomodocunque clementissimi principis jocundum quivero emereri promissum, mox ad vestra consortia nulla alia, vita comite, detentus occasione repedabo. Nullæ me..... divitiæ, nullum prædium, nulla arentis metalli copia, nullus quorumlibet affectus a vestro poterit separare collegio.

Itaque, Pater dulcissime, vosque, o charissimi Patres et fratres, imploro pro me continue beatissimum communem Patrem et præceptorem poscere dignemini Benedictum, ut suis apud Christum obtineat meritis, ut me quantocius dignetur reddere vobis. Spero equidem in Deo nostro qui nunquam in bonis patitur desideriis quemquam fraudari, quod me secundum anhelantis mei cordis desiderium vobis citius restituat cum congruo fructu. Superfluum vobis æstimo ut effundatis preces pro nostris dominis eorumque exercitu scribere, cum sciam vos in hoc ipso semper insistere. Pro domno ill. abbate sicut et facitis Christum deposcite, cujus hic singulari post principalem munificentiam nutrior largitate. Tanta mihi, charissimi, vestra illuc copia existit, ut si velim vos singulariter nuncupare, tota hæc vestris nominibus pagina non possit sufficere. Unde generaliter omnibus et opto et scribo salutem, obsecrans ut non obliviscamini mei. Tu vero, mi domine venerabilis abbas seu quocunque es nomine præpositus, peto ut mihi scribi faciatis de vestra fratrumque salute, vel quales vobis fructus præsens annus attulerit utque eorum fratrum mihi dirigatis cum nominibus numerum, qui mundanis exuti vinculis migrarunt ad Christum. Nam plurimos obiisse audio, sed nominatim Nonnum ill. Quod si vere ita est, mei cordis partem non modicam abstulit secum. Vale, pater sanctissime, et memor esse dignare filioli tui.

## SECTIO SECUNDA. — CARMINA.

### CARMEN PRIMUM.

VITA SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

(*Vide lib.* I *Historiæ Langobardorum*, *cap.* 26, *hujusce tomi col.* 468.)

### CARMEN II.

[a] HYMNUS DE MIRACULIS SANCTI BENEDICTI.

(Ex Dan. Thesauro hymnologico.)

Fratres, alacri pectore,
Venite concentu pari:
Fruamur hujus inclytæ
Festivitatis gaudiis.

Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis,
Ad regna conscendit Pater
Captans laborum præmia.

Effulsit ut sidus novum
Mundana pellens nubila.
Ætatis ipso limine
Despexit ævi florida.

Miraculorum præpotens,
Afflatus alti flamine,
Resplenduit prodigiis
Venturo sæclo præciuens.

Laturus esum pluribus,
Panis reformant vasculum,
Arctum petens ergastulum,
Exstinxit ignes ignibus.

Fregit veneni bajulam
Crucis per arma cymbiam;
Coercuit mentem vagam
Leni flagello corporis.

Funduntur omnes rupibus,
Redit calybs e gurgite,
Currit per undas obsequens;
Peplo puer vitat necem.

Virus patescit abditum,
Mandata præpes efficit,

[a] Teste Rambachio hoc carmen per multa sæcula cantui ecclesiastico inserviit, quod equidem vix crediderim. Neque in uno libro hymnum inveni: tamen doct. viri sententia permotus, adjeci. Lucem affundit plurimis locis sancti Benedicti Legendæ

Hostem ruina conterit;
Cedit fremens leo grave.
In imo fit moles levis,
Rogus migrat phantasticus,
Fractum revisit sospitas,
Excessus absentum patet.
Rector vafer deprenderis,
Inique possessor fugis;
Futura prænoscemini
Arcana cor non contigit.
Fundantur ædes somniis,
Tellus vomit cadavera,
Dracone frenatur fugax;
Æther pluit numismata.
Vitrum resistit cautibus,
Manant olivo dolia,
Vinctum resolvit visio.
Vitam receptant funera.
Tanti potestas luminis
Voto sororis vincitur;
Quo plus amat quis plus valet,
Enare quem cernit polum.
Non ante sæclis cognitum
Noctu jubar effulgurat,
Quo totus orbis cernitu
Flammisque subvehi pius.
Hæc inter instar nectaris
Miranda plectro claruit;
Nam pinxit apte lineas
Vitæ sacræ sequacibus.
Jam dux alumni sat potens
Adsis gregis suspiriis,
Gliscat bonis hydrum carens
Sit callis ut sequax tibi.

## CARMEN III.

### DE SANCTA SCHOLASTICA.

(Ex Arnoldi Vyon Ligno Vitæ.)

O benedicta soror Benedicti nomine Christi,
Eximiique Patris o benedicta soror.
Seria consilio, jam tunc virguncula quamvis
Calcatrix cosmi, seria consilio,
Sponsa decora Dei, niveis tu compta lapillis
Lilia sacra feres, sponsa decora Dei.
Appetis alta poli, tempsisti dulcia sæcli,
Dindima perpetui appetis alta poli.
Cuncta perosa tibi, Phœbi sub lumine [jubare] posta
Et male suada soli, cuncta perosa tibi.
Castalides proceres præibas concita prædux,
Illuminata ovans, Castalides proceres.
Virginal ecce tuum... [a], conjunxeras ædi,
Staret ut invulsum virginal ecce tuum.
Unguibus a teneris, mutans superna caducis,
Victoriamque tenes, unguibus a teneris.
Ampla tropæa refers, arctes, spudela, satelles,
Filia virgo Sion, ampla tropæa refers.
Versibus heroicis, alias castissima laudes,
Scripsimus ecce tibi, versibus heroicis.

[a] Supplendum forte *Christi* vel *fratris*.

A Quis [queis] liquido patuit, meritorum lumine tacto,
Perfectum cunctis, quis [queis] liquido patuit
Sufficiat precibus, germanum vincere votum.
Invictum cunctis, sufficiat precibus.
Scribere nunc superest, natalem volvere penna,
Scandere quo jussa es, scribere nunc superest.
Virgo beata die subisti lumina cœli,
Mense Numæ in decimo, virgo beata die. Amen.

(*His adjunctus erat senarius cujusdam Germani in laudem ejusdem virginis cum ad limina B. P. N. Benedicti ex Germania venisset, compositus, sic habens*:)

Dulcis adesto meis, præclara camœna labellis,
Permixtisque modis dulcis adesto meis.
Promere quo valeam, semper sine fine beatam,
Virgineumque decus, promere quo valeam.
B Pneuma, Columba volat, nec non tibi munere spirat,
Prodiga dona ferens, Pneuma Columba volat.

## CARMEN IV.

### VITA SANCTI MAURI ABBATIS.

(Ex Mabill. Act. ord. S. Bened.)

Dux, via, vita, tuis, decus et laus, gloria, virtus,
Jesu lux lucis, dux, via, vita tuis.
Tu facis omnipotens animalia muta profari,
Quod tibi cunque placet, tu facis omnipotens.
Da precor ut referam sancti magnalia Mauri,
Quæ per te gessit, da precor ut referam.
Cum duodennis erat, Benedicto est traditus almo,
Contempsit mundum cum duodennis erat.
Desinit esse puer, monachus postquam incipit esse,
Moribus, haud ævo, desinit esse puer
C Quis rogo non stupeat jejunia continuata?
Exsomnes noctes quis rogo non stupeat?
O lacrymas, gemitus, o longa silentia, frigus,
Calcea strata, sagum, o lacrymas, gemitus.
Emicat a puero virtutum lumine Maurus,
Eximiis signis emicat a puero.
Quis trahat æde vagum sancta Pater aspicit almus,
Aspicit et Maurus quis trahat æde vagum.
Pusio lapsus aquis Benedicto mente videtur,
A Mauro eripitur pusio lapsus aquis.
Obstupeat ratio Maurus quod in amne cucurrit,
En Petrus alter adest, obstupeat ratio.
Gressibus, eloquio cassum luxere parentes,
Hic prece donat cum gressibus, eloquio.
Post Patris hunc obitum sperabat habere Casinus,
D Optabat Patrem post Patris hunc obitum,
Glannafoli Pater est nimium mœrente Casino,
Præcepto patris Glannafoli Pater est.
O benedicte tuus replet omnia rumor, alumnus
A Galliis petitur o Benedicte tuus.
Concio tota dolet quod Gallia postulet illum,
Quod se destituat concio tota dolet.
Dat Benedictus ei libram, vas atque libellum,
Oscula dant Fratres, dat Benedictus ei.
Prosequitur super hæc ad portam digredientem,
Digressum donis prosequitur super hæc.
Destinat almus ei sacra xenia relliquiarum,
Hisque docens verbis destinat almus ei.

Digitized by Google

Accipe, care mihi, nunc ultima dona magistri,
Extremos apices accipe, care mihi.
Hæc tibi, mi soboles, nostrum testentur amorem,
Munimen præstent hæc tibi, mi soboles.
Octo decemque quater complebis tempora terris,
Astra petes actis octo decemque quater.
Jam valeas abiens, contraria perpetieris,
Prosper erit Dominus, jam valeas abiens.
Plurima dum graditur fiunt contraria Mauro,
Signa facit Maurus plurima dum graditur.
Fractus ab arce ruens nullo medicante valescit;
Hoc orante valet fractus ab arce ruens,
Ossa pedis subito casus distorsit equestris,
Torta regit Maurus ossa pedis subito.
Luminis officium poscit sibi cæcus ab ortu,
Et recipit tactu luminis officium,
Seminecem puerum flet mater, et iste dolens flet.
Mox prece dat vegetum seminecem puerum.
Quod Pater astra petat, videt absens, dixit ut ille,
Angelus huic monstrat quod Pater astra petat;
O Benedicte via conscendis ad æthera mira,
Fac iter hac nobis, o Benedicte, via.
Corruit æditus structo jam pariete quidam,
Pene obit is postquam corruit æditus.
Hunc Pater egregius deportat ad ostia templi
Sospitat et precibus hunc Pater egregius.
Validus obstupuit, qui venerit inscius illuc,
Quod subito valeat validus obstupuit.
Spiritibus Satanæ tres dat detractio fabros,
Hos adimit Maurus spiritibus Satanæ.
Ex tribus eripuit vitam malus angelus uni,
Morti unum Maurus ex tribus eripuit.
Vir benedictus ab hoc septenni ex clade valescit,
Mox surgit sospes vir benedictus ab hoc.
Vase merum magefit, manus hujus quod benedicit,
Quoque magis bibitur vase merum magefit.
Canceris ulcus habens nasum labra perdiderat jam,
Hoc signante valet canceris ulcus habens.
Ostia basilicæ cum noctu intrare pararet,
Ante stetit Satanas ostia basilicæ.
Maure agedum propriis soliis nos pellere speras,
Consule si valeas Maure agedum propriis.
Vix tibi, vix aliqui remanebunt ex grege tanto,
Omnes sunt nostri, vix tibi, vix aliqui.
Ut libitum fuerit, ducam de hac plebe triumphos,
Occidam, sternam, ut libitum fuerit.
Increpet omnipotens, inquit, Satana, Deus in te,
Inque tuis verbis increpet omnipotens.
Hæc ubi verba dedit, Satanas velut aura recedit,
Introit ipse domum hæc ubi verba dedit.
Dum rogitat Dominum, solatia cœlitus adsunt,
Angelus astat ei dum rogitat Dominum.

A Desere tristitiam, Domine charissime, jussus
Prodidit hæc Satanas, desere tristitiam.
Tempore quippe brevi vestrum pars major obibit,
Tu quoque summa petes tempore quippe brevi.
Ne metuas quod ait straturum se fore cunctos,
Ejus nullus erit, ne metuas quod ait.
Hæc Pater eximius præscivit munere Christi,
Fratribus exponit hæc Pater eximius.
Astra petens obiit parvo pars maxima fratrum,
Ipseque post omnes astra petens obiit.
Conditus in tumulo signorum luce coruscat,
In cœlis regnat conditus in tumulo.
Inde suos famulos Domino tribuente tuetur,
Visitat, atque fovet inde suos famulos.
B Testis adest super hoc cæsus per somnia [a] Jacob,
Bilheil, ac Rorigo testis adest super hoc.
Testis adest super hoc Gaidulfi terribilis mors,
[b] Anaguareth visus testis adest super hoc.
Impius ille [Gaidulfus] ferox famulos distraxerat ejus,
Ejus calce perit impius ille ferox.
Hic pius [Anaguareth] ac reverens ipsius adiverat ædes
Ipsum spectat inus hic pius ac reverens.
Cantica, vota, preces, tibi tunc dabat, Angele, Maure,
Tuque dabas Domino cantica, vota, preces.
Sæpius, inquit, ego quid agam, speculatus es istuc,
Viso meos famulos sæpius, inquit, ego.
His sua qui rapiunt inhibentur cœlitus hostes,
Amentes fiunt his sua qui rapiunt.
Bis famulum perimens famulum vice reddidit ejus,
Sed misere periit bis famulum perimens.
C Ejus apud tumulum miracula plurima fiunt,
Cœlica turba canit ejus apud tumulum.
Ejus apud tumulum repetit pedis actio claudos,
Est data lux cæcis ejus apud tumulum.
Ejus apud tumulum valuit paralyticus una,
Est data vox mutis ejus apud tumulum.
Octo fuere simul vario languore gravati,
Incolumes illic octo fuere simul.
Omnia si referam tempus me deseret ipsum,
Vox me deficiet omnia si referam.
Ipse Casinus ovat potiens magnalibus ejus,
Ejus et [c] exuviis ipse Casinus ovat.
Ipsius hic meritis multis datur esse valentes,
Salvantur plures ipsius hic meritis.
D Hic Pater alme tuis præsens famulantibus esto,
Auxilium confer hic Pater alme tuis.
Hic Pater alme tui memor adsis discipulatus,
Patris adesto comes hic Pater alme tui.
Fac prece, fac meritis hostem superemus iniquum,
Nos vobis socios fac prece, fac meritis.
Te Patre nostra cohors post Patrem cassa dolebat,
Cum Patre lætetur te Patre nostra cohors.

[a] Glannafoliense monasterium a Gaidulfo Ravennate, cui a Pipino commissum fuerat, misere direptum Rorigo Andecavensium comes et Bilechildis ipsius uxor restaurare cœperant. Dum vero in cœpto opere aliquantisper tepescerent, Jacob abbas Cormaticensis apud Turones semel iterumque cœlitus admonitus dum eos ad opus urgere dissimulat, S. Mauro pœnas luit. Hæc repetenda sunt ex historia eversionis ac restaurationis Glannafoliensis quam sæculo IV Benedictino referemus.

[b] Anaguareth Brito mira ad S. Mauri sepulcrum vidit, ex eadem Historia.

[c] Auctor agere videtur hic de brachio S. Mauri a S. Odilone ad Casinates transmisso, ut Leo Marcianus in lib. II Chron. Cassin., cap. 53, scribit.

Digitized by Google

Sint supra astra poli grex cum pastoribus omnis,
Cum grege pastores sint super astra poli.

## CARMEN V.

### [a] DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

(Ex Thesauro hymnologico.)

UT queant laxis REsonare fibris
MIra gestorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LABii reatum,
Sancte Joannes.
Nuncius celso veniens olympo,
Te Patri magnum fore nasciturum,
Nomen et vitæ seriem gerendæ
Ordine promit.
Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptæ modulus loquelæ,
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.
Ventris obstruso positus cubili,
Senseras regem thalamo manentem
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pangit.
Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.
Præbuit hirtum tegimen camelus,
Artubus sacris strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.
Cæteri tantum cecinere vatum
Corde præsago jubar adfuturum,
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.
Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas sæcli meruit lavantem
Tingere lymphis.
O nimis felix meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens martyr eremique cultor,
Maxime vatum.
Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam
Trina centeno cumulata fructu
Te sacer ornant.
Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles.
Ut pius mundi sator et redemptor,
Mentibus pulsa livione puris,
Rite dignetur veniens sacratos
Ponere gressus.

A Laudibus cives celebrant superni
Te Deus simplex pariterque trine,
Supplices et nos veniam precamur,
Parce redemptis.
Gloriam Patri resonemus omnes,
Et tibi Christe genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

## CARMEN VI.

### AD PETRUM PISANUM.

(Ex Lebœuf, *Dissert. sur l'Hist. eccl. et civ. de Paris.*)

Candide, lumbifido proscissum vomere campum
Visu et restricias... lustrante per oceas
Omnium felix conscendens igneus axem
B Perfundit radiis cujus florentia rura
Cynthius, et nebulas ardenti vertice frenans,
Gliscere dat fructus tempestatesque serenas,
Illum delectat dulci resonare camœna
Condere et altisonum gracili sub arundine carmen,
Infelix ille est tetris cui nubibus æther
Imminet, et miseros discursat grando per agros,
Subruiturque domus gelida perflante procella,
Non libet hunc talem calamum inflare labello
Sed potius pronum male singultaria verba
Edere, et uberti perfundere gramina fletu.
O mihi si juvenis quem tecum ludere narras,
Cujus viæ palmas et odoras pandere lauros
Minciades poterat Smyrne rure creatis
Tangere colla, pedem dignatus vellet, et esset
C Non tam dissimilis sicut est tua causa,
Aspicies tristi me pangere carmina versu,
Replere et densas suavi modulamine silvas,
Hujus et hoc ipsum est tenui quod canto susurro,
Postquam me proprii perfudit lumine vultus
Elicuit muti quascunque e guttere voces
Cujus adhuc fidens de spe sustollor herili
Spes sacra regna poli tribuit, spes omnia confert.
Mortuus est quisquis de spe titubando tepescit,
Ergo age perplexos forti religamine nodos
Pandere multimoda narratione per auras
Unus non genitor quod se non sentit habere
Nam mas femineum dat prolis corpore sexum
Proditur androgeno nonnumquam sexus uterque
D Hic sine luminibus lumen dat, naribus ille
Seu pedibus manibusque carens seu parte resecti
Qualibet integrum generat sine labe puellum,
Sæpe pecus mutilum bruto dat cornua nato
Sic patre curtato cauditus gignitur agnus;
Præterea et rerum species diversa per orbem
Ex se nascenti tribuit quod non habet ipsa;
Hoc mare, hoc tellus, concæ quoque sæpe frequentant.
Hactenus incassum certans si forte cucurri

[a] Ubique positus est hymnus in Nativitate sancti Joannis, in plurimis vero libris distributus in duas vel tres partes ad Matutinum, Laudes et Vesperas cantandas; in quibusdam diminutus. Explicatum est carmen (usque ad vers. 32) prolixo commentario in Weitzii Heortologio, qui quid habeat artis musicæ amatoribus gravitatis et suavitatis ita præmonet: « Notatu dignum est quod Guido Aretinus, musicæ peritia inter ævi sui primos (sub Henrico III imperatore vixit), sex notas syllabicas, senarii numeri perfectione delectatus introduxit: UT, RE, MI FA, SOL, LA, quas ex hymno hoc mutuatus est atque transtulit. Notarum illum numerum auxit et senis receptis comitem unam adjecit ex eodem nostro hymno SI. »

Digitized by Google

Cum pietate doce flexum, sum scire paratus :
Vatibus antiquis, parva hæc dissolve, non impar :
Dic, rogo, quis genitor cunctis despectus in orbe,
Seu castate carens ingenti robore natum
Procreat, egregium nullus cui sistere contra
Prævaleat, mundique simul quem regna pavescant.

## CARMEN VII.

AD REGEM.

(Ex Lebœuf, ibid.)

Cinthius occiduas rapidis declivus adoras
Jam volitabat equis, jam nox se cœrula pallam
Stilligero varii cultus fulgore micantem
Rorantemque simul citius vestire parabat,
Cum subito vestra clarus mihi missus ab aula
Detulit ignitas quasi puri muneris instar
Antiquo et caro corda mittente sodale,
Intima et ventris penetrantes usque sagittas.
Mane novo ad vestras quam properavimus ædes,
Et spatiis pene est jam lux revoluta diurnis
Non sivit brevitas aut digne obponere Petrum
Missilibus contra, spatiose, aut ludere telis.
Crastina conspicuo cum lux fulgebat Eoo,
Tinxerit et tremulus Titania purpura fluctus
Erravitque vagis late rubor aureus undis,
Cuncta et videbunt Phœbo radiante per orbem
Expiet tenues arco pellente sagittas
Qui carum ut hostem jaculis confixit acutis.
Miror qua numeri textum non contigit arte
Extremo nostrum tenuit quod limine carmen
Ardua divino nitidoque fulget in horto.
Cedre vale, et celsos pertinge cacumine nimbos
Tu quoque cum fructu, felix cyparisse, per arvum.

## CARMEN VIII.

ITEM AD REGEM PRECANDO.

(Ex Lebœuf, ibid.)

Verba tui famuli, rex summe, attende serenus
 Respice et ad fletum cum pietate meum.
Sum miser, ut mereor, quantumque ullus in orbe est,
 Semper inest luctus, tristis et hora, mihi.
Septimus annus adest ex quo tua causa dolores
 Multiplices generat et mea corda quatit.
Captivus vestris ex tunc germanus in oris
 Est meus afflicto pectore, nudus, egens.
Illius in patria conjux miseranda per omnes
 Mendicat plateas, ore tremente, cibos.
Quattuor hæc vir per mixtos sustentat ab arte
 Quos vix pannuciis prævalet illa tegi.
Est mihi quæ primis Christo sacrata sub annis
 Excubat egregia simplicitate soror.
Hæc sub sorte pars lucrum sine fine retentans
 Privata est oculis jam prope flendo suis.
Quantulacunque fuit direpta est nostra supellex
 Nec est, heu! miseris qui ferat ullus opem.
Conjux est fratris rebus exclusa paternis,
 Jamque sumus servis rusticitate pares.
Nobilitas periit, miseris accessit egestas,
 Debuimus fateor asperiora pati.

A Sed miserere, potens rector, miserere, precamur,
 Et tandem finem his, pie, pone malis.
Captivum patriæ redde et civilibus arvis;
 Cum modicis rebus culmina redde simul.
Mens nostra ut Christo laudes in secla frequentet
 Reddere qui solus præmia digna potest.

## CARMEN IX.

*Hymnus Pauli diaconi in translationem Beneventum corporis beati Mercurii martyris.*

(Petro Piperno, de Effectibus magicis.)

Martyr Mercuri, sæculi futuri
 Perpeti dona gloriæ corona
 Qui tuam totis venerantur votis
  Translationem.
Qui dudum Romæ, Decio dictante.
B  Multa pro Christo passus, ipso dante,
 In cæsarea vir virtute ante,
  Victor occumbis.
Quem Cæsar Constans instar prædecessorum
 Deferens secum fines Appulorum,
 Proterit intrans more tyrannorum,
  Cuncta consumens.
Interim urbem vastat opulentam
 Samniam justa, vere loculentam,
 Cujus ruinam Deus violentam,
  Ita solatur.
Tres cœnobitæ, gratæ Deo vitæ,
 Ista dolentes, tristes et mœrentes,
 Corpus beatum, sibi commendatum,
  Humant ibidem.
C Urbs desolata, ita consolata,
 Super humata corporis beata
 Ossa prorata, sit vi [ut?] Deo grata,
  Construit templum.
Cæsar progressus venit Beneventum,
 Sed vi repressus sibi resistentem,
 Romam festinat, Samnia declinat
  Bellipotentem.
Post plures annos Arechis, insignis
 Samniæ princeps, multis motus signis,
 Martyris corpus, laudibus condignis,
  Samniam transfert,
Donans id ara nobili præclara,
 Cujus precatu omni nos reatu
 Pœugma beatum purget, et optatum
D  Conferat statum.
Honor et virtus, regnum et potestas,
 Sit Deus noster tibi, qui sic præstas
 Tuos attolli contra res infestas
  Opem ferendo. Amen.

## [a] CARMEN X.

(Ex Tosti, Storia della badia Cassin.)

Clara beati agnoscere Pauli dogmata qui vult
Volvere hunc studeat cum magna indagine librum.
Carmen enim vitæ retinet pariterque gehennæ,
Ecclesiæ pretiosa Dei monilia gestat.
Hic quoque repperiet lector frumenta animarum
Et satiens sine fastidio requiemque beatam.

[a] Dubium.

Digitized by Google

Scriptoris si forte velles cognoscere nomen
Paulus diaconus vocitatur et ipse monachus :
Hoc opus auxiliante Deo perfecit, et ille
Ipsius ad laudem et sancti archangeli Michaelis.
Oro ne Dominum cesses, lector, rogitare,
Gratum ut accipiat scriptoris votum et ipse
Alius incepit ego finibit. . . . . . . . . . .

## CARMEN XI.

*Epitaphium Rothaidis filiæ Pipini regis.*

(Ex Duchesn., Hist. Franc. script., tom. II.)

Hic ego quæ jaceo Rotaith [Rothaidis] nomine dicor,
Quæ genus excelso nimium de germine duco.
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Carolus virtute Tonantis,
Pipinus pater est Carolo de principe cretus,
Agarenum stravit magna qui cæde [clade] tyrannum.
Pipinus proavus, quo non audacior ullus.
Ast abavus Anschise potens, qui ducit ab illo
Trojano Anchisa longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer præsulque beatus,
Arnulphus, miris gestis qui fulget ubique,
Hic me spe cujus freti posuere parentes.

## CARMEN XII.

*Item epitaphium alterius filiæ Adhelaidis.*

(Ex Duchesn., ibid.)

Perpetualis amor capiendæ et causa salutis
  Pectore quem vigili huc properare facit.
Nosse cupis cur busta sacer numerosa retentet
  Hic locus, astrigeri qua patet aula poli?
Iste sacer Domini qui post servavit ovile
  Legitimi fuerat germinis ante pater.
Cujus posteritas atavo confisa patrono,
  Hoc cupit in sancto ponere membra loco.
Pipini hic proles Adheleid pia virgo quiescit,
  Quam simul et reliquas sancte tuere Pater.

## CARMEN XIII.

[a] *Epitaphium Hildegardis reginæ Caroli Magni uxoris.*

(Ex variis Edit. Baron., Duchesn., Bouquet. et ms. Metensi.)

Aurea quæ fulvis rutilant elementa figuris,
  Quam clara exstiterint membra sepulta docent.
Hic regina jacet, regi præcelsa potenti
  Hildegard Carolo quæ bene nupta fuit;
Quæ tantum claræ transcendit stirpis alumnos,
  Quantum, quo genita est, indica gemma solum.
A Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
  Qua non occiduo pulchrior ulla foret
Cujus haud tenerum possunt æquare decorem
  Sardonix pario, lilia mixta rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
  Simplicitasque animæ, interiorque decor.
Tu mitis, sapiens, sollers, jucunda fuisti,
  Dapsilis et cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cum non sit grandior ulla
  Laus tibi, quam tanto complacuisse viro.
Cumque vir armipotens sceptris junxisset avitis
  Liniferumque Padum, Romuleumque [b] Tibrim :
Tu sola inventa es, fueris quæ digna tenere
  Multiplicis regni aurea sceptra manu.
[[c] Alter ab undecimo jam te susceperat annus,
B  Cum vos mellifluus consociavit amor.]
Alter ab [d] undecimo rursum te sustulit annus,
  Heu genitrix regum! Heu decus atque dolor!
Te Francus, Suevus, Germanus et ipse Britannus,
  Cumque Getis duris plangit [e] Hybera cohors
Accola te Ligeris, te deflet et Itala tellus,
  Ipsaque morte tua anxia Roma gemit.
Movisti ad fletus et fortia corda virorum :
  En lacrymæ clypeos inter et arma cadunt.
Heu, [f] quantis sapiens et firmum robore semper
  Ussisti flammis pectus herile viri!
Solatur cunctos spes hæc, sed certa, dolentes,
  Pro dignis factis quod sacra regna tenes.
. . . . . . . . . . . . . . .
  Participem fieri hanc Pater alme tuis.

C

## CARMEN XIV.

*Epitaphium Hildegardis Caroli et Hildegardis filiæ.*

Hildegard! rapuit subito te funus acerbum,
  Ceu raptat Boreas vere ligustra novo.
Explevit necdum vitæ tibi circulus annum,
  Annua nec venit lux geminata tibi.
Parvula non parvum linquis virguncula luctum,
  Confodiens jaculo regia corda Patris.
Matris habens nomen renovas [g] de morte dolorem,
  Postquam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos mœsto lacrymarum fundimus amnes,
  Tu nimium felix gaudia longa petis.

[a] Paulus Warnefridus, in libro de episcopis Metensis Ecclesiæ, apud Duchesne Hist. Franc. script., tom. II, pag. 202, et Bouquet., tom. V Script. Rer. Gall., pag. 192, se auctorem esse istius et sequentium epitaphiorum his verbis significat: « Hildegard apud urbem Metensem in beati Arnulfi oratorio requiescit. Pro eo denique quod a beato Arnulfo jam fati reges originem ducerent, suorum ibi charorum defuncta corpora posuere. Nam ibi humatæ sunt duæ regis Pippini filiæ, quarum una Rodthaid, altera Adelaid appellata est. Ibi quoque et junioris regis Caroli duæ nihilominus tumulatæ sunt natæ, scilicet Adelaid et Hildigard. Quæ Hildigard materno nuncupata nomine matrem morientem citius subsecuta est. Quarum omnia epitaphia a nobis jussu regis Caroli composita.... subter adnotare curavi. » Ex quibus perspicuum est eadem epitaphia primum a Baronio, tom. IX Annal., ad annum 786, pag. 352, deinde vero ab ipso etiam D. Duchesne, antequam D eidem hic Pauli Warnefridi locus innotuisset, Alcuino Operum pag. 1757 fuisse supposita. Contulimus hoc carmen cum ms. Metensi, quod ad nos misit D. Franciscus ord. S. Ben. congr. SS. Vitoni et Hildulphi, vir doctus, cujus eruditus calamus occupatur in concinnanda et continuanda Historia civitatis Metensis, ad eruditorum vota brevi complenda.

[b] Ms. Metense, *Tibrum*.

[c] Hoc disticon restituimus ex ms. Metensi.

[d] Multi interpretantur annum decimum tertium, adeo ut Hildegardis tredecim annos nata Carolo nupserit, et cum eo totidem annos vixerit. Obiit anno 783. BOUQUET. (Consule Mabill. tom. II Annal., lib. XXV, pag. 265. Duchesne, de Script. Franc., tom. II, pag. 203.)

[e] Al., *Ibera*.

[f] Ms. Met., *Heu, quantum*.

[g] Al., *de corde*.

Digitized by Google

CARMEN XV.

*Epitaphium alterius filiæ* [a] *Adelheidis.*

Hoc tumulata jacet pusilla puellula busto,
  Adeleid amne sacro quæ vocitata fuit.
Huic sator est Carolus gemino diademate pollens
  [b] Mobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumpserat hæc ortum prope mœnia celsa Papiæ
  Cum caperet genitor Itala regna petens [c] :
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vitæ,
  Ictaque sunt matris corda dolore procul.
Excessit, patrios non conspectura triumphos,
  Nunc Patris æterni regna beata tenet.

[a] Adeleidis et Hildegardis prope matrem sepultæ sunt Metis in suburbana basilica sanctorum apostolorum seu sancti Arnulfi, ex quo genus duxerunt. Ubi etiam humatæ sunt duæ Pipini regis filiæ Rothaidis et Adelaidis; quarum quoque epitaphia exstant, a Paulo Diacono composita apud Duchesne l. cit.

[b] Ms. Met., *Nobilis.*

[c] Anno 773.

# APPENDIX AD OPERA PAULI DIACONI.

## MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(Ex Maio, Spicil. Rom., tom. V.)

Inter viros illustres cœnobii Casinensis Petrus diaconus refert, cap. 36, Paulum Ligurem, quem temporibus Paschalis II PP. vitam illic monasticam professum, et commentarios in Prophetas, Psalterium Novumque Testamentum composuisse ait, nec non alia scripsisse volumina quæ in Petri manus nondum devenerant. De hoc Paulo ejusque libris loquuntur etiam Mabillonius, Annal. Bened. tom. V, lib. LXIX, ad an. 1100, et Legipontius Hist. litter. Bened. tom. IV, pp. 36, 41, 46, 51, et denique Lelongus B. S. T. I., p. 895, qui tamen nihil prædictis a Petro diacono addunt. Supradicta Pauli opuscula periisse cuncta existimat Marus in adnot. ad Petr., queritans simul de sæculi sui socordia in sacrorum monumentorum vestigandis thesauris. Quod tamen neque Petrus diaconus nominatim memorat, neque Marus vidit, Pauli opusculum in sacram Genesim, id mihi in Vaticano codice his annis compertum fuit, in autographo ut videtur codice, sed certe synchrono, quia scriptura ejus desinenti XI vel incipienti XII sæculo deputanda est. Utrum vero auctor ad reliquos quoque Pentateuchi libros progressus fuerit, nescio : etenim codex Vat. desinit mutilus in patriarcharum benedictionibus, Opusculi titulus est : *Incipiunt Pauli problemata de ænigmatibus ex tomis canonicis*. Porro dicuntur problemata, quia pleraque pars operis in quæstionibus earumque solutionibus vertitur. Laudantur a Paulo auctores, quantum vidi, hi Christiani quidem, Ambrosius, Antonius abbas, Augustinus, Eucherius, Faustus, Gregorius papa, Hieronymus, Johannes Cassianus, Isidorus, Junilius, Orientius, Origenes, Orosius, Sulpicius, Theophilus et anonymi quidam. Ex Hebræis Interpretes LXX, Judas quidam, Annales Hebræorum, item generaliter scripta Judæorum. Denique ex ethnicis Apuleius et Virgilius. Opus ipsum incipit sic: *Vetus Testamentum, Isidorus dicit, ideo dicitur quia veniente Novo cessavit.* Mihi hoc unum propositum in præsenti est ut operis notitiam minimumque specimen præbeam, præsertim ex citatis in eo veterum auctorum locis.

## INCIPIUNT PROBLEMATA.

*F.* 23. JUDAS dicit: auctoritas librorum ex procemiis cognoscitur.

*F.* 29. THEOPHILUS. Divisit lucem ac tenebras. Lucem appellavit diem. Id est dies, species formatæ rei; nox, privatio operis.

*F.* 30. OROSIUS. Firmamentum utrum stat, an movetur? Si movetur, quomodo firmum sit? Si stat, quomodo luminaria mundum circumeunt? Id est, non ideo firmamentum dicitur quod staret immobile, sed propter firmitatem naturæ, ut vertigo poli circum æthera vehitur.

*F.* 40. JUNILIUS dicit: Nihil post primum diem ostenditur factum ex non existentibus. Sola anima hominis, ut solus homo ex nihilo factus.

*F.* 50. De hoc paradiso MATTHÆUS apostolus dicit [a]. Paradisus deliciarum, ubi Adam fuit, omnibus montibus altior, vicinus cœlo : et ibi non habetur quod saluti hominis nocet sive in vivis sive in mortuis creaturis: ubi neque lilia, neque rosæ marcescunt : ubi neque labor neque senectus : et omnia animalia jussu hominis famulantur, non mactanda ad escam, sed deliciis servitura angelorum et hominum . quia et sic sunt epulæ paratæ ibi ex carnibus pecudum vel piscium, ut nullus occidatur. Sic est ex poculis. Tamersi nulla degestio sordium sequitur. Neque ibi facies cœli tegitur nubibus, neque fulgura ; et reliqua.

*F.* 57. Iterare vocabulum tribus modis fit. Increpatione, ut : Ubi es Adam, ubi es Adam? Prohibitu , ut : Abraham, Abraham, ne injicias manum tuam in puerum. Consolatione, ut ANTONIUS dixit : Ubi eras Jesu? ubi eras Jesu?

*F.* 60. OROSIUS dicit mundum similem homini in lecto posito, et prius a capite formatur, id est a paradiso Adæ in oriente posito, et oceanum inter se et hunc mundum.

OROSIUS dicit aliam insulam in oriente celatam, cum amœnitate paradisi Adæ, in qua adhuc Elias et Enoch morantur.

*Cod. f.* 66, *ubi de Lamecho homicida.* FAUSTUS. Vel adolescentulum, id est quia Cain non canus, neque senescit ullo modo more ferarum non senescentium. Hæc in annalibus Hebræorum leguntur. Cur major ultio Lamech quam Cain? Quia ante Cain non factum est homicidium, nec correptio, nec sententia dura dicta castigavit. Non sic Lamech. Vel septuagies septies, quia hic numerus de gente Lamech in diluvio deletus est. Vel in hoc numero requiescit vindicta. LXXVII viri ab Adam usque ad Christum completi sunt, et tunc solvetur mundus, et animæ hominum requiem invenient, etc.

SULPICIUS vero dicit quia non de Cain hoc dicit, in vulnus meum, id est, vindicta ejus super me, commorans verbum Domini.

*F.* 94, *ubi de Isaaci sacrificio.* FAUSTUS. Venerunt ad locum. Cur Abraham dixit, revertimur ad vos? Si voluit offerre filium, quomodo potuit reverti? Id est in spem contra spem credidit, quia credidit offerre

[a] Videtur Paulus noster sumere sequentia ex aliquo apocrypho.

Digitized by Google

ilium quia Dominus prædixit ei. Item credidit illum filium reverti, quod Dominus dixit ei, erit semen tuum sicut stellæ cœli. Item credidit quod qui illum de sterili et senibus dedit, potuit de morte suscitare, etc.

---

# SEXTI POMPEII FESTI
## DE VERBORUM SIGNIFICATIONE
## FRAGMENTUM.

*Ex vetustissimo exemplari bibliothecæ Farnesianæ descriptum.*

### PRÆFATIO.

Verrius Flaccus, ævi Augustei grammaticus nobilis, circa incipientem Tiberii principatum, scripserat *de Verborum significatione* vel *significatu* libros XIX, quos sæculo post Chr. III, vel IV, in compendium redegit S. Pompeius Festus, alias nulli veterum, præterquam Charisio et Macrobio memoratus. Et hoc quidem opus videtur apud homines doctos in usu fuisse, donec annis a Festo plus minus 400, Paulus Diaconus vere aureum antiquitatis Romanæ thesaurum, æqualium suorum inertiæ et socordiæ minus habilem, arctiori volumine complexus est; qui, qua ratione vetus exemplar tractaverit, hic persequi non attinet (*a*). Ut autem Pompei Festi epitoma Verrianos libros, sic Pauli Diaconi libellus Pompeiana volumina vel suppressit, vel effecit ut a librariis postea negligerentur; eaque causa, cur quatuor omnino sint manuscripti codices Festi, quorum ad nos aliqua notitia pervenerit, uno tantum superstite :

1. quem, initio sæculi p. Chr. V, Macrobius in manibus habuit; et jam non exstat.

2. quem Placidus, ætatis incertæ grammaticus, dum Glossas componeret ab Angelo Maio nuper editas (*b*), et jam non exstat.

3. qui fuit Pauli Diaconi, æque deperditus.

4. Farnesianus, ex Illyrico quondam allatus, quique nunc asservatur in Regia bibliotheca Neapolitana; ab *M* littera incipiens, hac ipsa in parte quæ superest, misere mutilatus et aliquot schedis minor, quæ apud Pomponium Lætum exstabant.

Farnesiani codicis fragmenta primis renascentium litterarum temporibus quidam descripserunt, alii describendum curaverunt, alii etiam in archetypo videntur legisse. Quamvis autem jam anno D. 1489 Angelus Politianus in Miscellaneis, cap. 73, ad eorum auctoritatem provocaverit (*c*) mala fortuna factum est, ut Pauli Diaconi epitoma, ante inventam artem typographicam sæpius descripta, mox typis edita an. 1471, postea plus quam decies ad exitum sæculi XV repeteretur, genuinæ autem Festi reliquiæ in privatis bibliothecis delitescerent.

Anno demum 1510 Conagus nescio quis, edenda Pauli epitoma, primus ex Paulo et Festi laciniis farraginem composuit rudem illam et indigestam, de qua typographi monitum et versus infra descriptos volui, quia et rarissimum exemplar est, et familiam ducit, nec ulli recentiorum editorum videtur innotuisse.

« Lector. Si fragmenta Sesti (*sic*) Pompei Festi quæ omnia reperta hic apposita sunt ab *M*. littera incipiendo usque ad calcem non sequestrata posita sunt : sed conjuncta aliis. id industria factum est : ne replicando legentes tædio afficiantur : et quia quædam addita sunt quæ non erant in exemplari : Pii nostri : sed in alio ejusmodi : quæ adeo dura sunt ut omnino recte constare non videantur : tamen ob temeritatem uitandam : et ne quid ipsorum fragmentorum ommiteretur (*sic*) : justa (*sic*) exemplar impressa sunt : quæ si Pius ipse : qui propter sui absentiam : ea castigare nequiuit : Sed nec ipsius exemplar reuidere : dum imprimeretur : affuisset correctiora haberentur. Itaque ne ipsi Pio attribuas : eas additiones que (*sic*) sunt incorreptiores (*sic*) : ab alieno exemplari sumptas inferius annotate (*sic*) sunt.

« In littera *S*. Satis uerbum : maxime a pterir retro.

« In littera *T*. Trium uiri : per totum quod fragmentum in quodam exemplari : coniunctum est cum senonas gallos : sequendo trasalpina (*sic*). La littera *S*.

« In littera *T*. Topper in aliquibus locis.

« Ad festum allicit : qua te ratione : conagus.
Lector adinuenit : consilium ipse probe.
Fragmenta. apposuit : quæ nunc superaddita cernes
Cauit : et ut coheant. ordine queque (*sic*) suo.
Si qua : Latius parum fuerint : seu dura : fatetur
Ne depravaret : se variasse nihil. »

---

(*a*) Ipse Verrium sæpius acriter insectatur, ut p. 36, s. v. *Salva res est*; 137, s. v. *Spondere*; 148, s. v. *Sertor*; 158, s. v. *Terentum*; 181, s. v. *Orcus*; 184, s. v. *Pictor Zeuxis*; 189, s. v. *Tatium*; 191, s. v. *Versum diem*, etc. Cf. quæ de suo proposito refert, p. 35 sq. s. v. *Porriciam*.

(*b*) Auctores classici e Vatic. codd. T. III, p. 427. Repetita sunt ab editoribus Germanis Annalium philol. et pædag. (an. 1833. Cf. Fr. Dubner in *Rhein. Mus.* 1835, *Inedita et n. p. e.* n. 8). Ursinus in notis Festi verba cum Placidi glossis mss. jam sæpe contulerat.

(*c*) « Quod nunc tradituri sumus, fortasse a nonnullis ut incertum et vacillans, parumque adhuc exploratum, deridebitur et exsibilabitur : sed ego mihi de eo dicendum putavi, ne vestigium illud antiquitatis pene jam abolitum, qualecumque sit, exstingueretur. Ostendit mihi Romæ abhinc quadriennium (*A. D.* 1485) Manilius Rallus Græcus homo, sed Latinis litteris adprime excultus, fragmentum quoddam Sex. Pompei Festi (nam ita erat in titulo) sane quam vetustum, sed pleraque mutilatum, prærosumque a muribus. Quod me magnopere tenuit, si quidem reliquiæ illæ qualescunque ex integro ipso volumine superabant, quod auctor Festus composuerat, non ex hoc autem compendiario, quod nunc in manibus coactum violenter et decurtatum, scilicet ab ignobili et indocto quodam, nec isto quoque nomine satis bene de litteris merito. Nonnullas quoque ex eodem fragmento Pomponius Lætus, vir antiquitatis et litterarum bonarum consultissimus, sibi pagellas retinuerat, quas itidem legendas mihi describendasque dedit. » Sequitur conjectura de vera lectione Catulliani versus, quem vide p. 114. Petri autem Victorii variæ lectiones, quas et citat A. Augustinus in præf. ed. suæ, editis jam dudum ac sæpius repetitis Festi fragmentis, lucem viderunt an. D. 1553.

Digitized by Google

Prodiit liber Mediolani, cum Varrone (*de Lingua Latina*) et Nonio Marcello; et eum repræsentant Parisinæ horum trium grammaticorum edd. an. 1511 et 1519; inter quas ex temporum ratione collocanda est Aldina editio Thesauri Cornucopiæ, Veneti- 1513, iisdem typis repetita an. 1517, mox an. 1527, cum aliquot notis Mich. Bentini, quas recentiores omnes neglexerunt (*a*).

Aldinum Thesaurum alii trans Alpes citraque typographi suum fecerant, sed ita ut nihil aut pauca certe in libris Pompeii Festi, mutarent; et parum hæc litteratorum studia nostro profuerant, cum an. 1559 Antonius Augustinus, ille vetustatis omnis curiosus indagator, ex locupletissima bibliotheca Rainutii Farnesii cardinalis, codicem fragmenti archetypum nactus, tota a Pauli epitomam, appositis Festi non solum glossis superstitibus, seu minutissimis etiam fragmentis, ordine alphabetico digessit; (editores autem priores omnes, ut et codd. mss., verba ex prima tantum littera, antiquo more, ordinaverant). Is præterea indices scriptorum rerumque obiter dictarum, et notas addidit non nullius pretii; primus denique fragmenta Verrii Flacci diligenter collecta præmisit, quæ recentiores ad hunc diem, mutatis hinc inde aliquot syllabis, recudere satis habuerunt.

Hæc est Augustiniana, aut Veneta, ut alias dicitur, editio, quam Josephus Scaliger commentario et supplementis ornavit. Et de Scaligeri quidem opera multi diverse judicaverunt; sed utcunque magno viro cesserint conatus, fatendum est fragmenta mutilarum paginarum editoris arbitrio disjecta, incertis lacunarum mensuris, incommodam conjecturæ materiam præbuisse, etsi multis in locis Pauli auctoritas adjuvaret.

Sed vere Festo salutem attulit vir bono veterum litterarum natus, Fulvius Ursinus, qui notis suis ita præfatur :

« *De Festi fragmento.*

« Vigesimus agitur annus ex quo Antonius Augustinus, archiep. Tarraconensis, Festi fragmentum, quod majorum memoria ex Illyrico advectum in bibliotheca Farnesiana servatur, multo quam alii diligentius cum vulgatis contulit, et primus partem alteram ejus libri mutilam exscripsit, commentariisque a se illustratam edidit Venetiis, opera Caroli Sigonii. Sed ut tunc erat Romæ in litibus judicandis XIIVIR, aliisque gravioribus curis impeditus, nonnulla clarissimo viro deque litteris optime merito, in eis schedis describendis, exciderunt. Quam quidem editionem doctissimi viri postea secuti, tam multa in ea restituerunt, ut ex iis quæ Lutetiæ vulgarunt, intelligi facile possit quid facturi fuissent si emendatiorem codicem nacti essent. Nos igitur, quibus has antiquitatis reliquias non solum inspiciendi, sed etiam arbitratu nostro tractandi commoditas sæpe fuit, cum ex locorum aliquot collatione animadvertissemus, si fragmenti hujus schedæ ad fidem archetypi exemplaris repræsentarentur, fore ut quæ mutila mancaque in iis sunt, omnes antiquitatis studiosi facilius ea certiusque essent divinaturi, curavimus paginas ipsas, eo quo Festus scripsit ordine, numero versuum in singulis pagellis, et litterarum in unoquoque versu, nec aucto nec diminuto, ita ut sunt in exemplari, qua potuimus diligentia, describendas. Hoc amplius, partem paginarum mutilam, habita spatii, quod supplendum fuit, ratione, infinitis locis resarcivimus : multa ex eorum scriptis, quos supra nominavimus, mutuati, multis etiam de nostro additis, non quod ea vera esse, aut ita Festum scripsisse arbitremur, sed ut doctorum ingenia excitaremus ad bene de hoc fragmento merendum. Atque ea quidem supplementa litterarum varietate et notis etiam quibusdam ab antiquo distinximus. Ab eo autem separavimus schedas illas quas a Marullo habuisse dicitur Pomponius Lætus, quod earum archetypum exemplar non exstet, et pars altera paginarum, quæ margini proximior ab igne mutilata fuit, neglecta ab iis qui tunc fragmentum descripserunt, in præsentia desideretur. Quas autem nos edidimus, sunt illæ quidem e doctissimi viri exscriptæ chirographo, aliis editionibus non modo emendatiores, verum etiam aliquot locis auctiores : ut si qua præter hæc in vulgatis sint, ea plane non esse Festi credendum sit, sed e Pauli epitoma, aut aliunde petita. His omnibus ultimo loco addidimus perbreves quasdam notas earum tantum rerum quæ visæ sunt ab aliis prætermissæ. Nam quæ ex epitoma Pauli aut aliorum commentariis suppleta sunt, quia in promptu omnibus, hic notare, nisi si qua imprudentibus nobis irrepserunt, supervacaneum duximus. »

Quin magna fuerit in describendo opere diligentia Fulvi Ursini, vix dubitari potest. Verum a typographis pessime habita est scriptura et per se difficilis et omnibus corruptelis depravata. Eodem vitio laborant editoris notæ; index autem glossarum, ab aliquo scholastico, ut arbitror, confectus, omni mendorum genere scatet. Aliud malum, quod Schedæ glossis aliquot minores ad Ursinum pervenerant, ut quædam in editione Romana desint, quæ, illo nequidquam obloquente s. fin. præfationis, nunc a veteribus sunt repetenda.

Ursinianum librum an. 1583, nescio an emendatius, Parisiis fuisse repetitum, e catalogis didici, nec editionem hanc mihi licuit inspicere. Mox in suis Auctoribus Linguæ Latinæ Dion. Gothofredus, ne quid eruditi homines in perlegendis Festi reliquiis desiderarent, Augustinianam compilationem et Farnesiani codicis Schedarumque paginas ex ed. Romana recudi curavit, in hoc parum diligenti typographorum opera usus; si quidem ii, multis in paginis, ut alia vitia omittam, versuum compositionem misere turbaverunt.

Augustinum sequuntur Dacerius (1681), et Dacerii editores Batavi, (Amstelodami 1700 vel 1701), nisi quod isti fragmentum ex Ursino repetunt, sed paginis quadratis, rupta paginarum versuumque codicis ratione.

Quot maculas scriptura tam sæpe varieque ab editoribus tractata contrahere debuerit, facile idonei harum rerum judices intelligent. Equidem exempla prætereo, ne præfatio in commentarium excrescat. Id unum animo simplici profitebor, præter Lindemanni editionem (*b*) vix alteram esse, quæ fidem aliquam, maxime in mutilatis Festi paginis, mereatur. Ipse tamen Lindemannus, cujus multa et insignia in Paulum Festumque merita sunt, ut in epitoma Pauli manuscriptorum codicum ordinem restituerat, ita in fragmento Festi seorsim impresso, criticis rationibus non satis consuluit, qui suas paginas Ursinianis respondere non curaverit, sed numeris propriis initia tantum linesque signaverit. Nam quadrata charta exactam lacunarum mensuram vix recipit, sine qua omne supplentis ingenium nugatoria in alea versatur. Adde quod Ursini supplementa a textu Farnesiano non ubique recte distinxit, alias nimio plus diligens libri veteris imitator.

Quæ cum animadverterem, dictitante insuper bibliopola Festum Varroni comitem in primis ab emptoribus flagitari, operæ pretium fore existimabam, si Farnesianam scripturam ad fidem editionis Romanæ, emendatis erroribus quos supra notavi,

(*a*) Falluntur ergo quicunque, Augustino duce, Aldum farraginis ejus, quam dixi, compositorem tradiderunt; nec Aldus ipse tale quidquam de se prædicat in præloquio ad lectorem, sed Paulo et cæteris ejusdem farinæ breviatoribus mala precatur, quasi nesciat aliquam certe damni partem fragmenta Festi a se edita resarcire.

(*b*) Gramm. Latini vett., tom. II. Lipsiæ, 1832, 4°.

Digitized by Google

additis indicibus necessariis, accuratius edere instituerem. Tum quia, ab Antonio inde Augustino, Verrianis fragmentis nemo quidquam vel addiderat vel correxerat (*a*), telam hanc omnino retexui, neglectis tamen iis quæ apud Festum exstabant et in indice auctorum significari satis erat.

Non miraberis autem, lector benevole, si conjecturas a margine in finem cujusque paginæ translatas, si compendia typographica paulo diversa, si uncos pro diversis litteris inductos, si glossarum initia recto obelo distincta, si certam interpungendi rationem, eamque faciliorem, pro incerta et rudi, usurpatam reperies. Quippe libelli nostri elegantiæ detrahere noluimus, quod fidei non adderetur. In hoc magis excusandi videmur, quod Ursini textum non modo ex erratis et notarum ipsius collatione, sed ex Augustino et veteribus ante Augustinum libris correximus; id quidem raro, et summa necessitate coacti, maxime in schedis, ut pote ab Ursino negligentius editis. Ultra tentare nec propositi nec ingenii nostri fuisset, præsertim cum is sit scriptor Festus, in quo corrigendo grammatici manus vix operis lege se contineat. In supplementis Ursini ut plura reflnximus, quo, salva sententia, versus editionis Romanæ recentiori typorum modulo exprimerentur, ita ubicunque sententia male restituta claudicaret, novis conjecturis abstinere melius visum est, nisi quod uno alterove loco novam lectionem auctoritate monumentorum firmatam noluimus respuere. (*V.* p. 95, versu 6, coll. interpp. ad Dionem Cass. p. 36, 30.) Quas Ursinus margini conjecturas ascripsit, eas sæpe falsas, ut p. 188, *Cornificius* (*V. ind. Auct.* s. v.), nonnunquam inutiles, ut p. 190, *deditione*, admodum ἐπιεικῶς tractavimus. Fuit tamen ubi manifesti errores necessario tollerentur (*V.* e. g. p. 181, *pretii* pro *auctoris*). Notulæ ad scripturam Farnesiani codicis pertinentes hunc in finem additæ sunt, ne quid omissum critici arguerent, quo bonæ vel malæ lectionis utcunque veritas constaret.

In Pompeium Festum indices nondum exstabant omnibus numeris absoluti. En habebis, lector benevole, si non novos, certe renovatos et auctiores; sed quid in hac libelli parte præstiterim, melius est comparatione priorum editionum (*b*), quam verbis meis significari.

De Pauli epitoma, de commentariis in Varronem et Festum edendis, etsi jam destinavi aliquid, malo tamen judicium tuum exspectare.

Scribebam Idibus Octobris 1838.

## M.

### Pag. 1.

¶ mutum dicimus: aut quod nullius fiant vocis, cum in eas litteras incidant. ¶ Metaphoram, quam Græci vocant, nos tralationem, id est, domo mutuatū verbū: quo utimur, inquit Verrius, [in oratione, sæpius quidē honesti ac [significantis verbi defectu, ut speciosiora [1], atq. [eodem etiam] significan[ tiore, quam proprio vo[cabulo,] rem indicemus. . . . redit ad sua. . . . . . . . tralatum manebit quo pervenit. . . . . . . as alieno perinde ac suo ab . . . . . . . ¶ Metaplasticos dir apud p[oetas usurpari id,] quod propter necessitatem metri [ mutare consueverunt, ] quod item barba-

A ris[mus dicitur in solu]ta oratione conscrib[enda. . . . . . . . . . . . .
¶ Meta. . . . . . . . . ca a cariore. . . . . . . . . . . . . perventura. . . . quod. . . dicare ait Ennius. . . . . . id est. . . . . . . . . . . . . ¶ Meta- . . . . . abus ut . . accip . . . . . gratia. . . . . . . . . . . . . . . necessitate. ¶ Metonymia est tropos, cum ab eo quod continet significatur id quod continetur, aut superior inferiore, et inferior superiore. Quæ continet quod continetur, ut Ennius, cum ait: Africa terribili tremis [2], horrida terra tumultu. Ab eo quod continetur id quod continet, ut cum dicitur, epota amphora vini. A superiore inferior, ut Ennius: Cum magno strepitu Volcanum ventus vegerat. Ab inferiore superior, ut persuasit animo vinum deus, qui multo est maximus. ¶ Masculina et feminina vocabula

B dici melius est secundum Græcorum quoq. consuetudinem, qui non ἀνδρικὰ et γυναικεῖα ea

### Pag. 2.

sed ἀρσενικὰ dicunt et θηλυκά.

¶ Matroni[s aurum fuisse redditum Sinnius Capito ait: quod [ videtur hoc significare : matronis fuisse re[stitutum aurum, ex quo P. R. crateram fecera[3], et eam A[pollini Delphos miserat: ut est testimonio in [dex tabella: quod quidem aurū dederant matronæ orna[tui demptum suo, ut votum solveretur Apollini; qui[dā dicunt de eo potius esse intelligendū, quod contule[runt olim matronæ ad Capitolium a Gallis Senoni[b. liberandum. id eis postea redditum est a pop[ulo Ro. ¶ Magisterare pro regere, et temperare dic[ebant antiqui. Sed alias magisterare quidam [ponunt pro. . . . . . . . .
¶ Muta . . . . . . . . . . . . . . .
isi voce . . . . . . . . . . . . . .
multo . . . . . . . . . . . . . . .

C intelle . . . . . . . . . . . . . .
rem . . . . . . as dici . . . . .
ut cui potius con. . . . . . . . . . .
¶ M[ille] singulariter di [cebant antiqui, quod nunc nō aliter dicim. cū [mille nūmū proferimus. ¶ Municas It. [3] ē, communicas, dicit [Verrius a muniis id ē operib. c̄ . . aut potius co. ¶ [Mancipatus, ita adoptātis ut patri [4] sui heres e[rat, adoptivus. n. ejus qui adoptet, tā heres est, quā[si ex eo natus esset sui patris, quasi in potestate alie[na non esset, ita est legitimus et suus heres, ut p[atet manifeste ex eo, quod ait Ser. Sulpicius in ea oratio[ne, quam scripsit et habuit pro Aufidia. ¶ [Multifacere antiqui dicebant sicut magnifacere, item et parvifacere. Testis est M. Cato in ea, quam [scripsit contra Q. Minucium Thermū de x hominibus: [ Neque fidem, neque jusjurandum neq. pud[icitiā multifacit . . quod quidem merito ab

### Pag. 3.

D usu recessit, quia non æstimatur novo qua] litas [5], nec desiderat multitudinem, nec conti[netur numero. ¶ Magistri dicuntur in omnib.] rebus, qui magis ceteris possunt, ut ¶ Magistri e] quitum, et ¶ Magistri populi, item ludorum Apo[llinis dixe-

(*a*) Fogginium excipio, qui explanationi suæ Fastorum Prænestinorum subjecit fragmenta Verrii non auctiora, sed alio ordine disposita:

1° p. 87-89. V. F. « narrationes historicæ, quas in ejus libris exstasse (*sic*) scriptores veteres testantur. »

2° p. 90-93. Verborum quorumdam significationes et orthographia ex Verrio Flacco apud Festum aliosque veteres scriptores [secundum alphabeti seriem digestæ]. »

Quod Fogginius Farnesianas etiam reliquias compilavit, etsi totas exscribere melius fuisset, recte tamen. Quid vero Festi editionibus accedat commodi, si quæcunque grammaticus iste, addito Verrii sui nomine, de verborum significatu disseruit, repetita initio libri legantur, equidem non video; Festus enim totus nihil aliud est quam longissimum Verrii Flacci fragmentum.

(*b*) E. g., vide indicem auctorum et monumentorum, v. *Cato*, *Lex*, *Lingua*; indicem rerum, præter Græca verba, v. *ædis*, *sacellum*, *sacra*, etc.

[1] speciosiore. [2] tremit. [3] id. [4] patris. [5] qualitas.



Digitized by Google

runt antiqui : quæ nunc aliter di]cuntur, velit [1] ostendit Cato in oratione quam dixit] contra orationem. . . . . . . . . . ¶ Maledictores dicebant antiqui, quos nos] appellamus maledicos. Cato cum proficisceretur in] Hispani.[2]: Removendi maledictores. . . . ¶ Mihipte pro mihi ipse, Cato posuit, cum dixit] decuit talenta . . . . . . . . . . . . . . versia, atque . . . . . . . . . . . . . . . . entia item a . . ¶ Mansues. pro, mansuetus dixit]Cato in epistola ad. . . . . . . . . . . . ]mansues ad . . . . . . . . . ] ¶ Meritavere, sæpe meruere dixit Cato in. . . . . . . Po]enorum IIII: Suffetes evocaverunt statim om]nis cohortes, omnis etiam, qui stipendia merit]averunt ¶ Magnificius, pro magnificentius usurp]avit Cato, in ea quã scripsit. . . . . . . . . . gna, quis homo . . . . . . . . . . . . aut] pulchrius purgat aut magnificius: nunc magnificẽ]tius dicimus, cũ magnifice ejus positivus sit.] At nepos ejus, in ea quam scripsit. . . . . Ta]men, ait, cum Ædilis Curulis esset, Magnæ Ma]tris ludos magnificentius, quam alii, fecit] ¶ Magnificior [3] quoq. idem deduxisse videtur] a munifice, cum dicamus nunc munificentior, quam]vis munificens non sit apud nos in usu. Cato] in ea, quam scripsit, in . . . . . . . . . nemo] munificior. . . . . . . . . . . . . . . . ¶ Mediocriculo

*Pag.* 4.

usus est in ea quam dixit Cato in consulatu: Ridibundum magistratum genere [4] pauculos homines, mediocriculum exercitum obvium duci. ¶ Mutini Titini sacellum fuit in Velis [5], adversum murum Mustellinum in angi [portu] de quo aris sublatis balnearia sunt [f]acta domus. CN. D [omiti] Calvini, cum mansisset ab urbe condita [ad pri]ncipatum Augusti Cæsaris inviolatum: religioseque] et sancte cultum fuisset, ut ex Pontificum libris] manifestum est, nunc habet ædiculã ad miliarium ab urbe s]extũ et vicensimum, dextra v[ia juxta diver]ticulum viæ,] ubi et colitur, et [mulieres sacrificant] in e- a togis prætextis] vla[tæ [6]. ¶ Matronæ a magistra]tib. non summove[bantur, ne pulsari ne contre[ctarive viderentur, neve gra[vidæ concuterentur, ob quã [etiam ca]usam ait Verrius, [neq. earũ viros] sedentes cum uxoribus de essequo [7] escen[dere coac]tos a magistratibus quod communi vehiculo vehitur vir et uxor. ¶ Minuitur populo luctus ædis dedicatione: cum Censores lustrum condiderunt: cum votum publice susceptum solvitur: privatis aũt, cum liberi nati sunt: cum honos in familia venit, cum parens aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redit; cum desponsa est: cum propiore quis cognatione quam his [8], qui lugetur, natus est: cum in casto Cereris ẽ, omniq. gratulationi [9]. ¶ Maximæ dignationis Flamen Dialis est inter quindecim Flamines, et cum cetera [10] discrimina majestatis suæ habeant. minimæ habetur Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui agrorum præsidet pomis. ¶ Mundus, ut ait Capito Atejus in L. VII. Pontificalia, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Volcanali, et ante diem VI. Id. Nov. qui, quid ita dicatur, sic re-

*Pag.* 5.

fert Cato in Commentariis Juris civilis. ¶ Mundo nomen impositũ est ab eo mundo, qui supra nos est: forma enim ejus est, ut ex his qui intravere cognoscere potuit [11], adsimilis illæ [12] ejus inferiorem partẽ veluti consecratam Dis Manib. clausam omni tempore, nisi his dieb. qui supra scripti sunt majores c[ensuerunt: quos dies etiam religiosos judicaverunt ea de causa, quod quo tempore ea quæ occulte et abdita [13] ea religionis Deorũ Manium essent veluti in lucem quandã abducerentur, et patefierent, nihil eo tempore in rep. geri voluerũt. itaq. p. eos dies non cum hoste manus conserebant: non exercitus scribebatur: non comitia habeba[ntur: nõ] aliud quicquã in rep. nisi quod ultima necessitas admonebat, administrabatur. ¶ Mos est [institutum pa]triũ, id est, memoria veterũ pertinens maxime ad religiones, [cerem]oniasque antiquorum. ¶ Milium quidam putant cepisse nomen a maxima nummorum summa, quæ est mille, quod ali [14] Græcæ stirpis judicant esse, cum id illi κέγχρον vocent; tam hercules, quam panicum, μελίνην. ¶ Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam; quæ observare eos voluerunt Pontifices, et eo more facere, quo adfuissent [15] antiquitus. ¶ Minora templa fiunt ab Auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut linteis sæpiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. Itaque templum est locus ita effatus aut ita septus, ut ea una parte pateat, angulus quod adfixus [16] habeat ad terram. ¶ Manalis fons appellatur ab Auguribus puteus perennis, neque tamen spiciendius [17] videtur, quia flumen id spiciatur, quod sua sponte in amnem influat. ¶ Manes Di ab Auguribus invocantur, quod i per omnia ætheria

*Pag.* 6.

terrenæque [18] [manare credantur. ¶ Idem, Dii superi atque inferi [dicebantur: quos ideo invocabant Augures, quod hi [existimabantur favere vitæ hominum. ¶ Munus, ait Verrius, dicitur administratio reip. (publi[cæ,) item magistratus, aut præfecturæ, imperi, [provinciæ: cum multitudinis universæ consensu, [atque legitimis in unum convenientis populi comit[iis alicui mandatur per suffragia, ut capere eam [possit jussu populi demandatam: certo ve ex [tempore ex fide sua: et certum usque at [19] tempus admi[nistrare. ¶ Monstra dicuntur naturæ modum e[gredentia: ut serpens cum pedibus, avis cum qua[tuor alis: homo cum duobus capitib. jecur cum dis[tabuit in coquendo. ¶ Muta exta dicuntur, quibus ni[hil divinationis, aut responsi [elicitur. Ut contra, dicuntur adjutoria, quæ [certum aliquid eventurum indicant, aut ab in[cendio ut caveamus, aut a veneno taliq. [re certum aliquid, manifestumque instare periculum [portendunt, aut indicant finium diminution[em. ¶ Minora, itemque majora auspicia, quæ d[icantur, docet Messala; nam majora Consulũ, Pr[ætorum, Censorumque dicit ait, reliquorum minora: cum illi [majores; hi autem minores magistratus dic[i consueverint. ¶ Mensæ in ædibus sacris arar[um vicem obtinent, quia legib. earum omnium s[acræ quoque mensæ sunt, ut velut in ararum, vel in [pulvinaris loco sint. Privati quoque in primis [20] [ipsis locis habere solent: ubi sacras [21] habituri [sint, cujus modi est parentatio, non sacrific[ium. . . . . . . . . magno cr. . . . . . . . . . . . . . . . tenebat aram. . . . . . . . . .

*Pag.* 7.

¶ Mille urbium populu[s stetit pro regno dixisse ait] . . . . . . . Veranius in libro quem inscripsit Priscarum vo]cum, quod ei summæ videatur originem dedisse, ac] causam Græcus sermo,] χιλιάς et χιλιάδες. eo autem non omnes uti. ¶ Mutas litteras et semi]vocales solebant antiqui duplicare sc[ribendo, aut legendo, et ita ait Ennium scrip]-isse, in eo quem de . . . . . . a quo muta] duplicata sit primum. ¶ Manumitti dicebatur] ser. sacrorum causa, cum dominus ejus tenens m[odo caput, modo membrũ aliud ejusdem servi, ita] edicite [22] hunc hominem liberum esse volo: ac] pro eo auri X

[1] velut. [2] Hispaniam. [3] Munificior. [4] gerere. [5] Veliis. [6] velatæ. [7] essedo. [8] is. [9] tione. [10] certa. [11] potui. [12] illi. [13] occultæ et abditæ. [14] alii. [15] adsuessent. [16] angulosque adfixos. [17] spiciendus. [18] terrenaque. [19] ad. [20] privis. [21] sacra. [22] edicit Ego.

Digitized by Google

x puri, probi, profani mei solvo, ut pri]usquā digre- A diar, efficiatur juris sui.] Dum [1] his servum verbis e manu homi]nem liberum mittebat [2] ¶ Mosculis Cato] pro parvis (qui) morib. dixit in ea quam scripsit.] . . . . . ¶ Migrare mensa quod legib. ejus sacra esset, di]isque templi posita, inauspicatū apud antiquos habe]tur, cū sequitur sua migrantē pœna. ¶ Mensas aiunt q]uidā fuisse in triviis poni solitas, quæ sint triv]iales appellatæ. ¶ Mente captus dicitur, cū mens] ex hominis potestate abiit: et idem appellatur de]mens, qui (quod) de sua mente decesserit, et] a mente (mente) abierit.

¶ Manare solem tunc so]litos esse antiquos dicere ait Verrius,] cum solis orientis radii splendorem jacere cœp]issent, atque ideo primum diei tempus, mane dictū: quam ]vis magis addicitur [3] quod manū bonū dicebāt a ma]ne, idē a mature: quod id bonum est, quod maturum est, unde et ¶ Matuta dicta quoque videtur Mater.] ¶ Mamertini appellati sunt ha]c de caussa, cum de toto Samnio B

*Pag.* 8.

gravis incidisset pestilentia, Sthennius Mettius ejus gentis princeps, convocata civium suorum contione, exposuit se vidisse in quiete præcipientem Apollinem, ut si vellent eo malo liberari, Ver sacrum voverent, id est, quæcumque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto levatis, post annum vicensimum deinde ejusdem generis incessit pestilentia. Rursum itaque consultus Apollo respondit, non esse persolutum ab his votum, quod homines immolati non essent: quos si expulissent, certe fore, ut ea clade liberarentur. Itaque i jussi patria decedere, cum in parte ea Si[ciliæ consedissent, quæ, nun]c Tauricana [4] dicitur, forte [labo]rantib. bello no[v]o Messanensib. auxilio venerunt ultro, eosque [ab eo] liber[arunt: provinciales quod ob me[ritū eorū, ut gratiā referrent; et in suū corpus, communionēq. agrorū invitarunt eos, et nomen acceperūt unum, ut dicerentur Mamertini, quod conjectis in sortē duodecim deorum nominibus, Mamers forte exierat: qui lingua Oscorum Mars significatur. Cujus historiæ auctor est Alfius libro primo Belli Carthaginiensis. ¶ Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc Ædiles per] supplicationes diis addunt ad pulvinaria, et quod XII tabulis cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in Antiquitatum L. I. ¶ Muger dici solet a Castrensium [5] hominib. quasi mucosus his [6], qui talis male ludit. ¶ Muri [7] est quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex sali sordido, in pila pisato, et in ollam fictilem conjecto, ibique operto, gypsatoq. et in furno percocto, cui Virgines Vestales serra ferrea secto, et in seriam conjecto, quæ est intus in æde

*Pag.* 9.

Vestæ in penu exteriore, aquam jugē, vel qualibet, præterquam quæ per fistulas venit, addunt [8], atq. ea demum in sacrificiis utuntur. ¶ Mortuæ pecudis corio calceos aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur . sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ, quoniā sua morte extincta omnia funesta sūt. ¶ Me, pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius cum ait L. II: si quid me fuerit humanitus, ut teneatis. Et Lucilius: Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet, agatur. ¶ Minorum Pontificū maximus dtr, qui primus in id collegium venit: item minimus, qui novissimus. ¶ Malevoli Mercurii signū erat proxime Ianum; qui i em erat in Turdellis M. . os, [malevoli etiā cognomine] appellabatur: Malevoli autem, quod in nullius tabernam spectabat. ¶ Malluvium latum [9] in cōmentariū [10] sacrorum, significat manus qui [11] lavet a quo malluviæ dicuntur, quibus manus sunt lau-

tæ perinde, ut quib. pedes, pelluviæ. ¶ Maximum Prætorem dici putant alii eum qui maximi imperi sit; alii, quia [12] ætatis maximæ pro collegio quidē Augurum decretum est, quod in Salutis augurio Prætores majores et minores appellantur: non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere. ¶ Mortis causa stipulatio existimatur fieri, ut ait Antistius Labeo, quæ ita fit, ut morte promissoris confirmetur, aut, ut quidam dixerunt, cujus stipulationis mors fuit causa. ¶ Marspedis, sive sine r. littera Maspedis imprecaticie solita vallium [13] quid significet, ne Messala quidem Augur in Explanatione auguriorum reperire se potuisse ait. ¶ Majorem consulem .L. Cæsar putat dici, vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit. Prætorem autem majorem, Urbanum: minores ce-

M—N

*Pag.* 10.

teros. ¶ Mend[icum dici Verrius putat a mente ejus quem fef]ellit fortuna, vel quod precetur quemque ut vitæ su[æ medeatur cibo. ¶ Mater Matuta manis [mane, matrimonium, mater familiæ, matertera, [matrices; materiæ dictæ videntur, ut ait Ve[rrius, quia sint bona: qualia scilicet sint, quæ [sunt matura. vel potius a matre, quæ est ori[ginis Græcæ, μήτηρ. ¶ Modo quodam id [est ratione, dicuntur ista omnia, a modo fit commodi]tas. commodus, commodat, accommodat. modi[ce, modestia, moderatio, modificatio.

¶ Nænia est [carmen, quod in funere laudandi gratiā can]tatur ad tibiam, quod vocabulum Afranius in Ma]tterteris posuit. Næniam autem inter exsequias canti[tabant. sunt qui eo verbo fidem significari cred[iderunt. Plautus in . . . . . . abi ergo. . . . . . . . . . . . . . . . .

Idem Trucul.: Huic nom [ini [14] amanti mea hera dixit domi, et ap[ud nos dē bonis næniam esto [15]. Quosdam [dicunt velle ideo dici næniā quod et [16] voci si[milior querimonia flentium sit. quidam aiunt na[niæ ductum nomen ab extremi intestini voca[bulo, ad quod probandum testimonio utitur Plautus [17] [in Bacchidibus: Si tibi est machæroē [18], ad [19] nob[is vervina est domi, qua quidē ego te reddam, u[bi me irritaveris. confossiorem soricina [nænia; sive quod extremam flendo efferim[us eam vocem, querendoque. nam Græci νίατον [extremum dicunt, sive quod chordarum ultima νήτη [dicitur, appellarunt extremam cantionis [vocem, næniam. ¶ Næniæ deæ sacellum ultra portam [Viminalem fuerat

*Pag.* 11.

dedicatum; nunc habet tantum] ædiculam.

¶ Navali corona donatur, qui pri]mus in hostium navem armatus transilierit: cujusve] opera, manuve navis hostium capta fuerit. adeptus] est eam M. Terentius Varro, bello Piratico, donante] CN. Pompeio Magno. item alii, inter quos A. A]tilius [20] bello quod gestum est contra Nabin, ut scrip]tum est in carmine Saturnio, quod quidem duces ipsi sunt co]nsueti in tabellis publice ponere, in quo no]minabantur qui navali corōa donatierāt. ¶ Neūquā pōitur] pro nullatenus, pro non ita: et non etiam, significa]t, ut nec ¶ Nefrendes dictos asserit Q. Muci] us Scævola arietes, quod dentibus frendere non pos]sint. Ateius Capito, infantes esse nondum fre]ndentes, id est, frangentes, Livius in Odyssea veteri:] Quem ego nefrendem alui lacteam immulgen]s opem. et . . . . . . . . . . . . . pro nefrendib. autē, ut antiqui dicebāt, rienes nunc dicit]usus recens. sunt qui nefrendes dici putent testiculos,] quos Lanuvini appellant nebrundines: ] Græci νεφρο-

[1] tum. [2] emittebat. [3] id dicitur. [4] Tauromimitana. [5] Castrensibus. [6] is. [7] Muries. [8] addunt. [9] datum v. c. [10] Commentario. [11] quia. [12] qui. [13] in precatione solitaurilium. [14] Homini. [15] mesto. [16] ei: [17] utuntur Plauti. [18] machæra. [19] at. [20] Atilius.

Digitized by Google

ὀς, Prænestini nefrones.] ¶ Necerim, nec eum, Nemora, significat sylva]s amœnas : valet enim idem; ejus autem voca]buli auctor Homerus, qui dixit in Iliade, ἐν νέμεϊ σκιερῷ ἐπί τι λῖν ἔμβαλε δαίμων. . ] dubium non est, quin eum designet locum,]qui campos et pascua habeat : νέμος a Græcis διὰ] τὸ νομὰς εἶναι ἐν αὐτῷ, appellatum. ¶ Ne]mut, ] nisi etiam vel nempe : usus est Cato de Potestate Tr]ibunici[1], cũ ait : . . . . . . . . . . . ærumnas. ¶ Neminis genitivo casu usus ē Cato. cũ dixit et quis diceret cũ sit neminis. Idem de magistratib. vitio creatis,]neminisque . . . . Ennius in] Erechtheo : Lapideo sunt

*Pag.* 12.

corde multi, quos non miseret neminis. ¶ Nemo compositũ videtur ex ne, et homo : quod confirmatur magis, quia in persona semper ponitur, nec pluraliter formari solet, quia intelligitur pro nullo. ¶ Neci datus proprie dicitur, qui sine volnere interfectus est ut veneno, aut fame. ¶ Necessarium ait esse Opillus[2] Aurelius, in quo non sit cessandum, aut sine quo vivi non possit : aut sine quo non bene vivatur : aut quod non possit prohiberi, quin fiat. ¶ Necessari sunt ut Gallus Aelius ait, qui aut cognati, aut adfines sunt, in quos necessaria officia conferuntur præter ceteros. ¶ Nec legens dictus est, non legens, neque dilectum habens, quid facere debeat, omissa ratione officii sui. ¶ Nec conjunctionem Grammatici fere dicunt esse disjunctivam, ut nec legit, nec scribit, cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi possit eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII. est : Ast ei custos nec escit; item : Si adorat furto, quod nec manifestum erit; et apud Plautum in Fasmate : Nec recte si illi dixeris; et Turpilium in Demetrio : Nec recte dici mihi, quod jamdudum audio. ¶ Nec unquam, necunquam, quemquam. ¶ Nequalia, detrimenta. ¶ Nequinont, pro nequeunt, ut solinunt, et ferinunt, pro solent, et feriunt dicebant antiqui. Livius in Odissia : Partim errant, neque nunc[3] Græciam redire. ¶ Nequitũ et nequitur pro non posse dicebãt, ut Pacuvius, cũ ait : Sed cũ contendi nequitũ, ut[4] clã tendenda est plaga. Plautus in Satyrione : Retrahi nequitur, quoquo progressa est semel; et Cato Originum L. I : Fana in eo loco complura fuere : ea exauguravit, præterquam quod Termino fanũ fuit, id nequitum exaugurari. ¶ Nequiquam significare

*Pag.* 13.

idem quod frustra, plurimis auctorũ exẽplis manifestum est. ¶ Nectere, ligare significat, et est apud plurimos auctores frequens, quin etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo. Pontifex minor ex stramentis naturas[5], nectito id est, funiculos facito, quib. sues adnectantur. Nectar Græce significat deorum potionem. Unde Vergilius ait : Stipant et dulci distendunt nectare cellas; item Lucretius L. II : Et nardi florem, nectar qui florib.[6] halet. ¶ Non pridem, æque et recte, et frequenter dicitur ac jampridẽ, quampridẽ. ¶ Nequã aurum est, auris quod vis vehementius ambit. Hoc versu Lucili significari ait Sinnius Capito, nequam esse aurũ quod auris lædat : vel pondere inaurium, cum mollissima pars auris inciditur; vel ex auro intelligi pecuniam, cujus respectu, et nimia cupiditate homines ad peccandum adduci. ¶ Nec mulieri, nec gremio credi oportere : proverbium est, quod et illa incerti et levis animi est, et plerumq. in gremio posita, cum in oblivionem venerunt pro[7] exsurgentium, procidunt. ¶ Nexũ est, ut ait Gallus Aelius, quodcũq. per æs et librã geritur. idq. necti dicitur, quo in genere sũt hæc, testamenti factio, nexi dando[8], nexi liberanto[9] ¶ Nervum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impe-

A diuntur. quamquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait : Perfidiose captus eo epol[10] nervo cervices probat. ¶ Nexum æs apud antiquos dicebatur pecunia, quæ per nexũ obligatur. ¶ Negumate in carmine C n. Marci vatis, significat, negate, cum ait : Quamvis moventium duonum negumate. ¶ Negritu in auguriis significat ægritudo. ¶ Nebulo dictus est, ut ait Aelius Stilo, qui nõ pluris est, quã nebula, aut qui nõ facile perspici possit, qualis sit, nequam, nugator,

*Pag.* 14.

¶ Negibundum a[ntiqui pro negantẽ dixerũt. Cato in ea quã scripsit . . . . . . . . . . . . .
negibundus . . . . . . . . . . . . . .
¶ Neutiquã[pro nullo modo dici, testis est . . .
cum ait. Sed [mihi neutiquam cor consentit, cum oculor. aspect[u. Cic. Indissolubiles quidẽ esse nõ potestis, neutiquam [ tamen dissolvemini. ¶ Nepos luxuriosus a Tuscis dicitur : [ nam nepotes sunt luxuriosæ vitæ

B homines [ appellati ; quod non magis his res sua famil[iaris curæ est, quã iis, quib. pater avusque vivũt. qu[od nomẽ ductũ ab eo, quod natus post patri sit, quam fil[ius. Quidam inter quos Aristarchus iter[pres Homeri, Græcũ esse volũt, ad quod τοῖσι νεπόδεσσιν ἑτοῖμα. [afferunt ex Apollonio. ¶ Nephasti dies not[abãtur. N. littera quod iis nephas est Prætori apud[11] quem [lege agitur, fari tria verba, do, dico, addico. ¶ Nep. [ nota designari solent qui nephasti priores sunt, [ quorum pars anterior fas : his servi liberati sunt, [ delectus habentur, exercitus scribuntur, et in provin[cias ire licet, sacra quoque instituta fiunt, [ et vota nuncupata solvi, et ædes sacrari, so[ lent. ¶ Nepa Afrorum lingua sidus, quod dicitur a nostris c[ancer, vel ut quidã volũt, scorpios. Plautus in [ Casina : Recessim dabo me ad parietem imita[bor nepam. ¶ Nepus, non purus, ¶ Nesi pro sine positum [ est in lege dedicationis aræ Dianæ Aventinen[ sis. ¶ Nauteam ait Opilius Aurelius, herb[æ genus esse granis nigris,

C qua coriarii utuntur, [ cujus videri a nausea ductum nomen, quia nauseam fa[cit, permutatione T. et S. litterarum interme[dia antiquis consueta. Plautus in Artemone : [ Unguentum quod naribus mulionum nauteam fecisset . . . . . . . . .

*Pag.* 15.

. . . . . . . . . . . . . . lem atq. aromatum. Idem Curculione : Nam odor u[nguentum omniũ præ tuo nautea est. In Casina, ei pr[o scorto supponetur hircus unctus nautea. Labeo ] in commentario juris pontificii ait, nauteam rubi ] dum quiddã esse, quo Pontificum vestimenta quædam ] colorant. Nationem, item apud antiquo]s natum Cincius, genus hominũ qui non aliunde vener]unt, sed ibi nati sunt, significare ait; qui et n]ationem ait non tantum universim de om ]nibus, set[12] et de singularibus quoque hominib]us sejunctim dici solere. Sinnius autem Capi[to, omnia fe-

D re genera hominũ per nationes dividi, ut Cur]es Sabines Hernicos, Æquos, itẽ Volscos. In pecorib.]quoq. bonus proventus futuræ bona natio dicitur.] ¶ Nautiorum familia a Trojanis oriunda est : nam fuit ]eorum princeps Nautes, qui Romam detulit simulacrum] æneum Minervæ, cui postea Nautii sacri[ficare soliti sunt. Unde ipsa quoq. dea Nautia voc]abãtur[13] de e . ssa. Alii quod duce Naute acciti ] conductiq. a Brutiis milites fuerint ad Mess]anam oppugnandam, contra quos a senatu sit ] missus L. Cæcilius Metellus : qui cum ab illis inter ] fectus esset : missi ad eos fuerunt expostulat]um de fœdere violato legati . . . . ] us, P. Veturius, qui cum aliquantisper, ob ] refectionem corporis in opido quodam i]nsedissent, Brutii quibus fœdus tunc cum ] Romanis erat, bello

[1] Tribunicia. [2] Opillus. [3] nequinont. [4] tum. [5] napuras. [6] narib. [7] propere. [8] datio. [9] liberatio. [10] ædepol. [11] apud. [12] sed. [13] D. hac. trium enim litterarum spatium in exemplari relictum est.

Digitized by Google

statim eo destiter]unt; inde a principe Naute, familia Nautia ] appellata est.
¶ Nati[natio dicebatur negoti]atio et Natinatores ex eo, seditiosi, negotia ] gerentes, M. Cato in . . . . . . . . . tu ] multu Macedoniæ. E-

*Pag.* 16.

truriam, Samnites, Lucanos inter se natinari, atq. factiones esse. ¶ Naccæ appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint, id quod est nullius preti. Idem sentit et Cincius. quidam aiunt, quod omnia fere opera ex lana, nacæ dicantur a Græcis. ¶ Naucum [1] ait Ateius Philologus poni pro nug s. Cincius, quod in oleæ nucis, quid intus sit. Æliū Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum aūt scriptores, fabæ grani quod hæreat in fabulo [2]. Quidam ex Græco ναὶ καὶ οὐχί, levem hominem significari. Quidam nucis juglandis, quam Verrius jugulandam [3] vocat, medium velut dissepimentum. Plautus in Parasito pigro: Ambo magna laude lauti, postremo ambo sumus non nauci; item in Mostellaria: Quod id esse dicam verbum nauci, nescio. et in Truculento: Amas hominem non nauci; et Nævius (et) in Tunicularia: Ejus noctem nauco ducere. Sed Ennius: Illuc [4] est nugator nihili non nauci homo. ¶ Nares appellari putant, quod per ea nasi foramina odoris cujusque nari flamus [5]. ¶ Narica est genus piscis minuti. Plautus. Muriaticam autem video in vasis stagneis naricam bonam et canutam et taguma quinas factas conchas piscinarias. ¶ Nācitor in XII. nactus erit, præno [6] erit. Item in fœdere Latino: Pecuniam quis [7] nancitor habeto: et si quid pignoris nanciscitur [8], sibi habeto. ¶ Nare a nave ductum Cornificius ait, quod aqua feratur natans, ut avis [9], Ennius L. VII: Alter nare cupit, alter pugnare paratust. Plautus in Aulularia: Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis. Natare igitur est, sæpius nare, ut dictitare, factitare. ¶ Navus, celer, ac strenuus, a navium velocitate videtur dictus. En-

*Pag.* 17.

nius L. VI. navus repertus homo Graio patre Graius homo rex. et L. XVI. Navorum imperium servare est insuperantum. Plautus in Frivolaria: Nave agere oportet, quod agas non ductarier. ¶ Navalis scriba, qui in nave apparebat, inter aliud genus scribarum minimæ dignitatis habebatur, quod periculis quoque ejus ministeriū esse [10] objectū. Plautus: Nō ego te novi navalis scriba columbari impudens; sive quod columbaria in nave appellantur ea, quibus rem geminent [11], sive quod columbariorum quæstus temerarius incertusque. ¶ Nassiterna est genus vasis aquari ansati, et patentis, quale est quo equi perfundi solēt. Plautus in Bacchidib.: Hæc quis [12] evocat cū nassiterna, et cum aqua istum impurissimum? et in Nervolaria: Ecquis huc efferi nassiternam cum aqua sine suffragio? et Cato in ea oratione, quam composuit in Q. Sulpicium: Quoties vidi trulios nassiternas perfusos [13] aqualis matellas sine ansis. ¶ Nassa est piscatoria [14] vasi [15] genus, quo cū invit piscis, exire non potest. Plautus: Numquam hercule ex ista nassa hodie ego escam petam.
¶ Napuras nectito, cum dixit Pontifex, funiculi ex stramentis fiunt. ¶ Naustibulum vocabant antiqui vas alvei simile vide [16] a navis similitudine. ¶ Navia est uno ligno exculpto, ut navis, quo utuntur alveo in vindemia. ficus quoque in comitio appellatur Navia ab Attio Navio augure. Nam cum Tarquinius Priscus institutas trib. a Romulo mutare vellet, deterreretūrq. ab Attio per augurium, ut eluderet ejus prudentiam, interrogavit eum, an fieri possit id, quod animo proposuisset suo; cui illo [17] permittente augurio cum

A respondisset effici posse; jussit Rex cotem, ac

*Pag.* 18.

novaculam pro[ferri, qua prolata, interrogatus augur an cos illa [ posset præcidi, respondissetq. posse: novaculam subito [ præcidit. quo facto statim Navium ex eo, Tarqu[nio nihil auso contra amplius facere, nova[culam illam ac cotem sub locum consecratum, defo[di jussisse: et ficum ab eo satam ibi esse intra i[d spatium loci, qui contentus fine sacro sit: e[mq. si quando arescere contigisset, subseri, sum[iq. ex ea surculos jussisse, quo facto, tantos i[ntra temporis tractus, cum aliæ in eo loco complu[res ficus enatæ essent, atque eæ evu'sæ de[inde de sacro illo loco radicitus removeren[tur: omnes quæ inibi tunc temporis erant, ficum [ præter unam illam, ejectas fuisse, adm[onitu fatali, ac jussu in primis aruspicum, et divin[is etiā respōsis promittentib. quādiu ea viveret, lib[ertatem populi R. incolumem man-
B suram, ideoq. [ coli et subseri ex illo tempore cœptam. ¶ Nauscit cum gran[um fabæ se aperit nascendi gratia quod non sit diss[imile navis formæ. ¶ Navitas secundum incorr[uptam consuetudinem dictos, quos nunc n[os nautas dicimus, testis est Cato in ea, quam scr[ipsit cum in Hispaniam proficisceretur, cum ait: Navitæ [ quod secum portaverant vinū atq. oleum, u[sus tantū eo sum. ¶ Næviam sylvam vocitatam extra [ urbem ad miliarium quartum, quod Nævii cu[jusdam ibi domus fuerit, a quo nemora Nævia ap[pellata etiam fuisse. Verrius ait: quam obprobrii loco [ objici ab antiquis solere, quod in ea morari ad[suessent perditi ac nequam homines, testis est M. Ca[to in ea, quam scripsit in M. Cælium si se appella[visset: Orsus iter eram a porta Nævia atq. ex[inde in nemora Nævia

*Pag.* 19.

a domo procul Nævia. Unde dicu]nt proverbi-
C um natum esse, a domo Nævia, ] quod refertur a Verrio. ¶ Nudius tertius videtur composi]tum ex nunc et die tertio . . N . . dicuntur ] in agro quos . . . . . alio nomine appell]ant, a parte totum significantes; quasi inde appell]ati sint . . . . . . . . . . . . . . . . dicantur pa- . . . . . . . . . . . . . . . dici]tur cælū cavum . . . . . . . . . . . d]icatur dam- . . ¶ Nuptam novam, sponsā (ut etiā mu]lieres quib. in nuptiis utuntur, pronubæ ab ] eadem causa hoc est a nubendo dicuntur) ali]qui appellatam esse volunt: nec defuerunt ] tamen qui dicerent, sic appellatam, ab eo quod ] νέαν νύμφην Græci novam nuptā vocent. alii quod ap]pellat uxorem νυὸν Homerus, loquendi quadam ] consuetudine, quæ est antiqua Græcorum, cum ait: ] ἐξ ἀπίης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων. ] ¶ Numere et numero dicitur, sed numere su]nt, vident esse præsentis temporis, et prorsus alie]num numero fuerūt, quod de præterito usurpatur, sive] eo ordine usur-
D parunt antiqui quadam consu]etudine loquendi qua solebant proferre verba ] ejusmodi: sive certa fine extremarum vocal]ium, quemadmodum videtur in suis scriptis ] usus Pompeius Sextus, apud quem reperitur extre]ma syllaba vocativi casus producta, et ejusdem ] casus eadem correpta, terminataque in ] e, temporis præsentis. Numero autem dixisse ] antiquos, nimiumque significare, ait ] Sinnius Capito; esse enim ita locutum. . . . . . . . .] um: vos estis minime . . . . . . . nisi num]ero perbiterint, nisi cito . . . . id est ni]mium si isso [18], qui ex eam nume-

*Pag.* 20.

ro estis mortui, hoc exemplo, ut pingeretis, id est, cur cito mortui estis? Item in Nelei: Nunquam nume-

[1] Nauci. [2] fabæ hilo. [3] juglandam. [4] illic v. e. [5] flamus. [6] prædatus. [7] qui. [8] nancitor. [9] v. c. navis. [10] esset [11] remi emicant. [12] Ecquis. [13] pertusos. [14] piscatorii. [15] vasis. [16] videlicet. [17] ille. [18] cito.

Digitized by Google

ro matri faciemus volui [1]. Idem [2] est nunquam nimiū faciemus. Apud Nævium: Neminem vidi, qui numero sciret. quiq. scit, id est opus, id est, nimiū sciret. An panurgus Antonius hæc ait numero nimium cito? celeriter nimium: ut Plautus in Casina: Ere mi? quid vis mea ancilla? nimium sæpius numero dicis, nimium cito. Attius in Œnomao: Ego ut essem adfinis tibi, non ut te extinguerem, tuam peti gnatam, numero te expurgat timor. Afranius in Suspecta: Per falsum et abste creditum numero, nimis celeriter. Cæcilius in Æthinne [3]. Ei peri, quid ita? numero venit; fuce [4] domum. Afranius in Simulante: E [5] misera numero, ac nequicquam egi gratias. ¶ Numera Senatum, ait quivis Senator consuli, cum impedimento vult esse quo minus faciat S. C., postulatque ut aut res, quæ adferuntur [6], dividantur, aut singuli consulantur; aut si tot non sint Senatores, quo numero liceat præscribi [7] S. C. ¶ Nupta verba dicebantur ab antiquis, quæ virginem dicere non licebat, ut Plautus in Dyscolo: Virgo sum, nondum didici nupta verba dicere. ¶ Nuptias dictas esset ait Santra ab eo, quod nymphæa dixerunt Græci antiqui, γάμον, inde novam nuptam νέαν νύμφην Cornificius, quod nova petantur conjugia. Curiatius, quod nova ratio [8] fiat. Aelius et Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarint [9], ob quā causam legem quoque Parcustam [10] jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset, quod est obvolvere. ¶ Numerius prænomen nunquam ante fuisse in patricia familia dicitur, quamvis [11] Fabius, qui

*Pag.* 21.

unus post sex et trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductis [12] magnitudine divitiarum, uxorem duxit Otacili Maleventani, ut tum dicebantur, filiā, ea cōdicione, ut qui primus natus esset, prænomine avi materni, Numerius appellaretur. ¶ Non omnibus dormio: proverbium natum a Cipio quodam, qui Pararhenchon dictus est, quod simularent dormientem. quo īpunitius uxor ejus mœcharetur, ejus meminit Lucilius. ¶ Nucupata [13] pecunia est, ut ait Cincius in L. II. De officio jurisconsulti, nomina [14], certa, nominib. propriis pronunciata: Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupasset [15], ita jus esto: ita [16], uti nominarit, locutusve erit, ita jus esto. Vota nuncupata dicuntur quæ Consules, Prætores, cum in provinciā proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas præsentibus multis referuntur. At Santra L. II. De verborum antiquitate, satis multis nuncupata colligit non de recto nominata significare, sed promissa, et quasi testificata, circumscripta, receptaq. [17] etiam in votis nuncupandis esse convenientius. ¶ Nusciosum Ateius Philologus ait appellari solitum, qui propter oculorū vitiū parum videret. At Popilius [18] Aurelius nusciciones esse cæcitudines nocturnas. Ælius Stilo, quod plus videret vesperi, quā meridie, nec cognosceret, nisi quod usq. ad oculos admovisset. ¶ Nonas quidam a nova Luna, quod in eas cōcurreret prīcipiū Lunæ: alii quod sēper ante diem Iduum nonum essent, scribiq. ideo debere primam appellationis ejus syllabam adjecta u littera. ¶ Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi, vendendiq. causa, eūque nefastum, ne si liceret cū populo agi, interpellarentur nundinatores. ¶ Nundina-

*Pag.* 22.

lem cocum Plau[tus dixit in Aulularia: Cocus nundin ille est, in [19] nonū diē solet ire. coctū Cocū, qui novendial[is alias appellatur, manifesto significat, quē [dixit nundinalē, quod in nonū diē coque-

A ret. ¶ Nuce[las, Prænestinos antiqui appellabant, quod inclusi[a Pœnis Casilini, famē nucib. sustentaverūt: vel quod [in eorum regione plurima nux minuta pascitur [20], [¶ Nūmū ex Græco vocabulo νοῦμμος existimāt d[ictum, et tantūdem apud nos, et apud illos valere, quia [pleraq. nomina a Græcis accepim., quorū hoc propriū est. [¶ Nūtius et persona dicitur, et res ipsa. In persona dicitur, [ut nūtius advenit; in re, ut nūtius allatus est: qu[am differentiam C. Cæsar in Commentariis fec[isse videtur. ¶ Nuper, quasi noviper, tāquā dica[mus novissime. Estque præteriti temporis, id autem . . . . . . . . . sa erant, qui ni . . . . . [¶ Numen quasi nutus dei ac pote[stas dicitur. ¶ Nuniella genus vinculi quo quadrupe[des alligantur. solent autem ea fieri nervo, aut co[rio crudo bovis ut plurimū. ¶ Nomidas dicimus quos Gr[æci Νομάδας. sive quod id genus hominū pecorib. n[egotiatur, sive quod herbis, ut pecora aluntur. ¶ Nuces [flagitantur nuptis, et jaciuntur pueris, ut novæ [nuptæ intranti domum

B novi mariti auspi[cium fiat secundum et solistimum.

¶ Numam Pompilium Janicul[um montē habitavisse ferunt, in quo arcam ejus in[ventam, cum libris Numæ nominis, a Terentio [quodam scriba repastinante agrum. ¶ Nonuncium [quod vulgo Magistri ludi appellant, signi[ficat novem uncias: at teruncium, quod singula sex[uncia dimidiū unciarū trium sit. ¶ Nomen, sive ex Græco ὄνομα [dictum est,

*Pag.* 23.

quasi novimen, quod notitiam faciat: si]ve familiæ est, ut Terētius; ponitur etiā pro debito: ut ex]actū dicimus fuisse nomen, cum a debitore exacta]pecunia sit. ¶ Noctua videtur dicta a noctis tem]pore, eo quo canere solet, aut volare. ab ea] γλαυκῶπις appellatur Minerva a Græcis, quia noctua ocu]lis est cæsis [21]... ¶ Noneolas, vocāt papillas quæ ex faucib. ca]prarū suppendent. ¶ Noctilucā cum dixit Lucilius] L. II., obsce-

C num significat . . . noctiluca ] . . . . medica. ¶ Noverca dicitur, quam quis liberis subla]tis, novam uxorem ducit, arcendæ familiæ ]gratia, id est, coercendæ, prima autem memoratur apud] veterannia [22], quæ nupsit . . ¶ Navibus regnante] Ser. Tullio, quod in Avētinū montē paludib. disclusū a]scēderetur ab advectu sic dictū aiūt, vel quod Avē]tinus in Aventino rex Albanus sit sepultus. ¶ Novalē a]grū Aelius Gallus, Opilius item Aurelius eum ] aiunt esse quem Græci νεὸν dicunt; ad quod Ho]merus quoque teste utuntur, qui dixit : Ἱέμενοι ν[ειοῖο βαθείης πέλσον [23] ἱκέσθαι. Sed C]incius eum esse, ubi glæba proscissa ad novam ] sementem sit relicta. ¶ Nauti consulatu et ] T. Sicini, Volsci populi, cum atrox prœlium ] inissent adversus Romanos, Trib. Mil. in Cir]co combusti feruntur et sepulti in crepidi]ne, quæ est proxime Circum, qui locus postea fuit la]pide albo constratus. Qui pro rep. in eo prœlio occubuere ]: Opiter Verginius

C Tricostus . . Valerius]Lævinus Postumus, Cominius Auruncus, Ma]llius Tolerinus, P. Veturius Geminus, A. Sempr]onius Atratinus, Verginius Tricostus, Mu]tius Scævola, Sex. Fusius Medullinus. ¶ Noxa ] ut Ser. Sulpicius Rufus ait, damnum significat.] Apud poetas autem et

*Pag.* 24.

oratores ponitur pro culpa; ad [24] noxa peccatum, aut pro peccato pœna [25], ut Accius in Melanippa [26]: Tete esse huic noxæ obnoxiū. Item: Cum lex jubet noxæ dedere, pro peccato dedi jubet. Cæcilius in Hypobolimæo Cherestato [27]: Nam ista quidem noxa muliebrem et [28] magis quam viri. ¶ Novæ Curiæ proximæ [29] compitum Fabriciū ædificatæ sunt, quod parum

[1] volup. [2] id. [3] Æthrione. [4] fuge. [5] Ei. [6] referantur. [7] proscribi. [8] pactio. [9] vocarunt. [10] funestam. [11] quam is. [12] inductus. [13] Nuncupata. [14] nominata. [15] nuncupassit. [16] id est. [17] quod. [18] Opilius. [19] cocus ille nundinalis est. [20] nascitur. [21] cæsiis. [22] veteres Aunia. [23] πέλσον. [24] at. [25] pœna. [26] Menalippo. [27] Chærestrato. [28] mulieris est. [29] proximo.

Digitized by Google

amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi [1] is populum et sacra in partis triginta distribuerat, ut in iis ea sacra curarent; quæ cum ex veterib. in novas evocarentur, septem [2] curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptæ, Velleusis [3], Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curis [4]. ¶ Nothum Græci natum ex uxore non legitima vocant, qui apud nos spurio patre natus dicitur, quod Ser. Tullius qui Rōæ regnavit, nat. est ex concubina Spurius Tulli [5] tributis [6]; nisi forte malumus cedere [7] Oclisiam Corniculam captiva [8] eum susceptum matre servientem [9]. ¶ Nota alias significat signum, ut in pecoribus, tabulis, libris, litteræ singulæ, aut binæ; alias ignominiam. ¶ Nobilem antiqui pro noto ponebant, et quidem per c. litterā [10], ut Plautus in Pseudolo: Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis [11]; et: Oculis meis obviā ignobilis [12] objicitur. Accius in Diomede: Ergo me Argos referam, nam hic sum nobilis [13]. Livius in Virgo [14]: Ornamento incēdūt nobili [15] ignobiles. ¶ Noegeū quidam amiculi genus prætextum purpura; quidam candidū ac perlucidum, quasi a navo, quod putamen quorundam pomorum est tenuissimum non sine candore, ut Livius ait in Odyssia: Simul ac lacrimas de ore noegeo detersit; id est candido. ¶ Nixi Di appellantur tria

*Pag.* 25.

signa in Capitolio ante cellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixib.; quæ sua [16] sunt qui memoriæ prodiderint, Antiocho rege Syriæ superato. M. Accillum [17] subtracta a populo R. adportasse, atque ubi sunt, posuisse; etiā qui [18] capta Corintho advecta huc, quæ ibi subjecta fuerint mensæ. ¶ Nictare et oculorū et aliorum mēbrorum nisu sæpe aliquid conari, dictum est ab antiquis, ut Lucretius in L. IIII: Hic ubi nexari [19] nequeunt insistereque alis. Cæcilius in Hymnide: Garrulis medentes jactent sine nictentur perticis. Novius in Macchoco pone [20]: Actutū scribere [21], cum in nervo nectabere [22]. Unde quidam nictationē, quidam nictū, ut Cæcilius in pugilē [23]: Tum inter laudandum hunc timidum tremulis palpebris percutere nictum; hic gaudere et mirarier. Nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens, ut Ennius in L. X: Veluti si quando vinclis venatica venenox [24], Apta solet, si forte ex nare sagaci Sensit, voce sua nictus [25] ululatque ibi acuta et [26]. Unde [27] et ipsa gannitio. ¶ Niquis scivit centuria est, quæ dicitur a Servio Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, nequis civis suffragii jure privaretur; nam sciscito [28] significat sententiam dicito [29], ac suffragium ferto [30], unde Scita Plebis. Sed in ea centuria, neq. censetur quicquā [31], neque centurio præficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est ejus centuriæ. Est autem nequis [32] scivit, nisi quis scivit. ¶ Ningulus, nullus, ut Ennius L. II: Qui ferro minitere, atque inte [33] ninculos [34] mederi queat. ¶ Niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut ali [35], Romuli morti destinatum.

*Pag.* 26.

Sed non usu obv[enit, ut ibi sepeliretur: sed Faustulum nutri[cium ejus ibi sepultum fuisse, et Quintilium avum ti . . . [ qui Romuli partes sequebatur, cujus familia [ dicta Quintilia, juxta appellationem ejus. [ ¶ Nanum Græci vas aquarium dicunt humilem [36] et [concavum, quod vulgo vocant situlum barbatum; un[de nani pumiliones appellantur.

A ¶ Necem suspica]tur Verrius a Græco duci: nam illi necyn mor[tuum dicunt. Inde nos dicimus, neci da. ¶ Nivem [ Verrius interpretatur novum ex Græco, qui id ne[on dicunt. N. . . . significat da. . . . . . [ ¶ Nequinates dicti sunt Narnensis [37] [ qui e Nequino oppido ejectis colonis veteri[b., ibi habitarunt. Cato in oratione adversus * [38] x [ hominib. . . . . . . . . . . . ¶ Negotiū, quod n[on sit otiū. ¶ Navos a navis celeritate, quæ v[elocissima est, dicimus. ¶ Numidæ dicuntur Noma[des, qui diutius vivere dicuntur, unde Cato in . . . . . [ Numidas vivaces quod multam vivunt [ ætatem, dixit. ¶ Nuces mitti Cerialib. Capito S[innius solitum esse dici ait, cum vellimus [39] sig[nificare, missilia Cerialib. in Circo mitti; [ quod cum mitti nuces mos esset, plane volumus [a parte totum designare quia adeo diligantur [ supra omnia alia missilia, præ flamma cum sint u[stæ, quæ sparguntur nuces.

B ¶ Novendiales feriæ [dicuntur institutæ a Tullo Hostillo [40] rege, ex m[onitu, procurandis prodigiis, nono die, in Feri[is Latinis; sive quod in more [41] Albano lapi[dib. pluisset; sive quod vox esset exaudita, ut Albani [ suo ritu facerent, quæ omiserant sacra. Nam ab his [ illa sunt tunc revocata, quæ, missa crate a [42] pæ[ne funditus deleta,

N O

*Pag.* 27.

negligere temporibus sequen]tibus cœpissent. ¶ N. . . dicuntur inventæ a Marcel]lo cos. operæ quibus admotis Syracusæ facilius ] expugnari possent ¶ Navalis porta, item Navalis [ regio, videtur utraque ab navalium vicinia it]a appellata fuisse. ¶ Nonarum postridie, Id]uum, Kalendarum dies atieni habentur. Item no[væ nuptæ a. d. IIII. Kalend. Nonas, Idus diē at[rū inlucescere,
C quoniam decreto Pontificū. atri hi dies] esse judicati sunt, quod quotiescunque Roman i du]ces belli gerendi gratia his dieb. supplicavere, [ male remp. gessere. SEX. POMPEI. FESTI. ] DE VERBOR. SIGNI. LIB. XVI INCIP]IT. FELICITER. ¶ OB PRÆPOSITIO ALIAS ] PONITUR pro circum, ut cum dicimus urbem ] obsideri, obsignari, obvallari. Alias ponitur ] in vicem præpositionis, quæ est propter, ut ob merita,] ob superatos hostes ūde obsides, ut obfides, q. obfidē pat]riæ præstādā dātur. Alias pro ad ponitur, ut Ennius: ] Ob Romā noctu legiones ducere cœpit, et alibi: [ Ob Trojam duxit. ¶ Oculissimū, carissimū, Plau. Oculissi]mū ostiū āicæ. Idem in Curculione Oculissi]me dixit, significat. q. clare aspicit; et i Pseu]dolo ¶ Osculatū [43] pro præsenti posuit, cum dixit: Emito ] die cæca Hercule oliuū, id vendito oculata die.] Idem alibi oculatum Argū dixit, q. p. totū corpus oculos habet.] Idē: Pluris ēē oculatus testis unus, quā auriti decē; id est qui se vidisse dicat. Ductam aūt ait Verrius hanc] formam ab oculi appellatione.
D ¶ Oculitus dtr, ut fun]ditus, penitus; significatque tam carum esse, quam ocu[lum, vel instar oculi esse. ¶ Odefacit dicebant ] antiqui ab odore, pro olefacit, vetere quadam ] consuetudine inmutandi litteras, quæ sunt, ut ] sæpe alias, tum in

*Pag.* 28.

hoc quoque libro cōtētæ; quæ vox, ut quibusdā videtur, ex Græca ὀσμὴ tracta est. ¶ Octaviæ Porticus duæ appellantur, quarum alteram, theatro Marcelli propiorē, Octavia soror Augusti fecit; alteram theatro Pōpei proximā, Cn. Octavius Cn. filius, qui fuit

[1] ubi. [2] IIII. [3] Veliensis. [4] Curiis. [5] sp. Tulli. [6] Tiburtis. [7] credere. [8] Oclisia Corniculana captiva. [9] serviente. [10] per G. literam. [11] gnobilis [12] gnobilis. [13] suam gnobilis. [14] Virgine, [15] ornatu incedunt gnobili. [16] signa. [17] M. Acilium. [18] etiamque. [19] nictari. [20] Maccho Copone. [21] scribes. [22] nictabere. [23] Pugile. [24] venox. [25] nictit. [26] est. [27] inde. [28] scisco. [29] dico. [30] fero. [31] quisquam. [32] niquis. [33] nite. [34] ningulus. [35] alii. [36] humile. [37] Narnienses. [38] Thermum de. [39] velimus [40] Hostilio. [41] monte. [42] amissa civitate ac. [43] oculatum.

Digitized by Google

Æd. cur. Pr. Cos. Decemvirum [1] sacris faciendis, A triumphavitq. de rege Perse navali triumpho; quam combustam reficiendam curavit Cæsar Augustus. ¶ Ogygia mœnia Accius in Diomede appellans significat Thebas, quia eam urbem Ogygus [2] condidisse traditur. ¶ Occasio, opportunitas temporis casu quodā provenientis est. ¶ Occasus, interitus vel Solis, cum decidit a superis infra terras, quo vocabulo Ennius pro occasione est usus in Lib. II: Hic occasus datus est, at Oratius inclutus saltu. Item in L. V.: Inicit inritatus, tenet, occasus juvat res. Item in L. VIII: Aut occasus ubi, tempusve audere repressit. ¶ Occisum a necato distingui quidam, quod alterum a cædendo, atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu; itaque in Numæ Pompili regis legibus scriptum est: Si hominem fulminibus [3] occisit, ne supra genua tollito. Et alibi: Homo si fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet. ¶ October equus appellatur, qui in campo Martio mense Oct. immolatur quod annis [4] Marti, bigarum B victricum dexterior; de cujus capite non levis contentio solebat esse inter Suburanenses et Sacravienses, ut hi in Regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent, ejusdemque coda tanta celeritate perfertur in Regiam, ut ex ea sanguis destillet in focum, participandæ rei divinæ gratia. Quem hostiæ loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt, non ut vulgus putat, quia velut supplicium

*Pag.* 29.

de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriundi, et Trojani ita effigie in equi sint capti. Multis autem gentibus equum hostiarum numero haberi testimonio sunt Lacedæmonii, qui in monte Taygeto equum ventis immolant, ibidemque adolent, ut eorum flatu cinis ejus per finis quam latissime differatur: et Sallentini, apud quos Menzanæ Jovi dicatus vivos [5] conicitur ī ignē; et Rhodi, qui quod annis [6] quadrigas Soli consecratas in mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum. ¶ Occidamus Plautus C ponit pro contra cedamus, cum plurimæ aliæ præpositiones familiariores huic verbo sint. ¶ Occentassint antiqui dicebant, quod nunc, convicium fecerint, dicimus, quod id clare et cū quodā canore fit, ut procul exaudiri possit, quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur; inde cantilenam dici, quia illam non cantus jucunditatem puto. ¶ Ocrem antiqui, ut Ateius Philologus in libro Glossematorum refert, montem confragosum vocabant, ut aput Livium: Sed qui sunt hi, qui ascendunt altū ocrim? et: Celsosq. ocris, arvaque putria [7], et mare magnum. Namq. Tænari celsos ocris; et: Haut ut quem Chiro in Pelio docuit ocri. Unde fortasse etiam ocriæ [8] sint dictæ inæqualiter tuberatæ. ¶ Occare, et occatorem Verrius putat dictum ab occædendo, quod cædat grādis globos terræ: cū Cicero venustissime dicat ab occæcando fruges satas. ¶ Ocius secundæ collationis et deinde tertiæ ocissime frequentata sunt. Alii dictas nostras tracta [9] ex Græ- D co, id est ὠκέως, cujus prima significatio, ex qua procedere in comparationem debet, apud nos non est; tertiæ vero consolationis [10], cujus majora exēpla sunt, auctor est Plautus in Nervolaria: Ocissime nos li-

*Pag.* 30.

beri possimus fier[ i . . . . . . . . .
quicquam occisi [ . . . . . . . . . Cœ
lius Historiarum [ libro . . . . . . conci-
tantur ocissime . . . . . . . . [ Ælius
Lamia apud . . . . . . . . . . . . .
Lamiam oport . . . . . . . . . . . . .

¶ Ocimū, Græcum [ et a celeritate nascendi est dictū. ¶ Occupaticius [ ager dicebatur ab antiquis, qui desitus a culteribus fre[quentari propriis, ab aliis est occupari cœptus; quod in [ agro Campano factum est. Nam cum Hanni[bal, Capuanos; qui de Punica rep. bene meri[ti fuerant, remunerare vellet, atque eorum agr[os, qui essent occupati devastatique, tanquam ex ho[ste receptos, restituere, nominandos pub[lice edixit. Sed cum querelam audiret commu[nem eorum, quorum ager occupatus est a privatis, [ jussit dare agros, non quos illi accepissent, [ sed occupaticios. ¶ Orchitin Accius [11] Philologus [ in Collectaneis ait esse genus oleæ ductum ex Græco ὄρχεις, [quod testiculorum sit magnitudinis, itaque v[ocari ex eo orchitin. . . . .
to grandiore. [ ¶ Orchestra, locus in scæna, quo antea, qui nunc pla[nipedes appellantur, non admittebantur [ histriones, nisi tantum interim dum fabulæ ex[plicarentur, quæ sine ipsis explicari non potera[nt. Ricinia autem portabant, quo æquiore [ habitu prodirent, atque ut inde nomen ducerent. ¶ Orca genus marinæ beluæ maximum dicitur, a[d cujus similitudinem vasa quoque ficar[ia orcæ dicuntur: sunt enim teretia, atque infor[mi specie . . . . . . .
malæ et ante . . . . . . . . . .
quantœ ne . . . . . . . . . .

*Pag.* 31.

¶ Oriri, nasci, vel surgere. ¶ O]rba apud poetas significat privatam aliqua ] persona cara; apud oratores, quæ patrem amisit, aut ] matr. [12], ut Ser. Sulpicius ait, quæ liberos, quasi oc]ulos, orba est
. . . . . . . . . . . . . tris est ante
. . . . . . . . . . . . . Gal]lus Ælius
. . . . . . . . . . . . . . . O-
. . . . . . . . . . . . . . stantior
. . . . . . . . . . . . . in eo libro.
. . . . . . . . . . . . . pontificatu
. . . . . . . . . . . . . pu]ella sine
. . . . . . . . . . . . . . sacræ
. . . . . . . . . . . . . . nupta
. . . . . . . . . . . . ali]cui fuisset
. . . . . . . . . . . . Cornificius in
. . . . . . . . . . . . . on Uginus
. . . . . . . . . . . . . interserunt
. . . . . . . . . . . . . . nactos
. . . . . . . . . . . . . sse. ¶ Ortygia dicta est insula, quæ voci]tatur nunc Delos. ¶ Orbius clivus videtur appella]tus esse ab orbib., per cujus flexuosos orbes Tullia ] filia Ser. Tullii regis, et L. Tarqui]nius Superbus gener, interfecto rege propera]verat [13] tendentes una in regiæ domus po]ssessionem. Cœptus est autem is clivus appellari Orbiu]s, quod, pronus cū esset, per orbes ī Exquilinū colle]m ducere [14]; ūde Orbius ab ipsis orbibus sic] appellatus est. ¶ Oratores ex Græco ἀρητῆρ]ες dictos existimant, quod ad reg[e]s et ] gentes, qui missi erant pro republica no]stra a populo R., ii conceptis verbis solerent deos ] ἀρᾶσθαι, D id est testari ] . . . . . . . . qui ∴ eit

*Pag.* 32.

Eos nostri alii [15] pro legatis appellant, ut Cato in ea, quam scripsit de Suis virtutibus contra Thermum: M. Fulvio consuli legatus sum in Ætoliā, propterea quod ex Ætolia complures venerant: Ætolos pacem velle; de ea re oratores Romam profectos. Et in Originum L. I: Propte [16] id bellum cœpit Cœlius Pr. Albanus; oratores misit Romam cum . . . . Alias pro decretoribus [17], ut Terentius: Orator venio, facite exorator sim. Item et Afranius in Emancipato: Si . . . . tum si quod oritur. . . . Alias pro disertīs et eloquentibus, ab eo quod antiqui orare dicebant pro agere. Ob quam causam orationes quoque eorum vocantur. ¶ Orata ge-

[1] xvir. [2] Ogyges. [3] fulminis [4] quotannis. [5] vivus. [6] quotannis. [7] patria. [8] ocreæ. [9] Alii non dicta nostro, sed tracta. [10] collationis. [11] Ateius. [12] matrem. [13] properaverant. [14] duceret. [15] alias. [16] propterea. [17] deprecatoribus.

Digitized by Google

A

…nus piscis appellatur a colore auri, quod rustici …orum dicebant, ut auriculas, oriculas; itaque Sergium quoque quendam prædivitē, quod et duob. annulis aureis, et grandibus uteretur, Oratam dicunt esse appellatum. ¶ Oræ extremæ partes terrarum, id est, maritimæ dicuntur, unde et vestimentorum extremæ partes, quæ quidem et primæ dici possunt. Cæcilius in Æthrione usus est pro initio rei, cum ait: Oram reperire nullam, quam [1] expediam, queo. ¶ Oreæ, freni quod ori inferuntur. Titinius in Setina: Et si tacebit, tamen gaudebit sibi promiti oreæ [2]; et Nævius in Hariolo: Deprandi autem Leonis [3] obdas oreas. Cato originum L. III: Equos respondit: oreas mihi inde, tibi cape flagellum. Cœlius pro se apud populum: Equusque [4] mihi sub feminibus occisus erat, oreas detraho inspectante Lucio Stertinio. ¶ Oreos Liber pater, et Oreades Nymphæ appellantur, quod in montibus frequenter apparent. ¶ Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram

B

## P

*Pag.* 33.

…est, cum ait: Cum magistratus nihil audent imperare, ne quid consul auspici peremat. ¶ Perihodos dicitur et in carmine lyrico pars quædam, et in soluta oratione verbis circum scrib…a sententia, et in gymnicis certaminibus perihodon vicisse dicitur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit, a circumitu eorum spectaculorum. ¶ Perempta et interempta pro imperfectis [5] poni solet a poetis. Lucretius: Cum corpus simul, atque animi natura perempta. ¶ Perpetem pro perpetuo dixerunt poetæ. ¶ Pacuvius Iliona: Fac, ut cœpisti, hanc operam mihi des perpetem; oculis traxerim. ¶ Persillum vocant sacerdotes rudiculum picatum, quo unguine Flamen Portunalis [6] arma Quirini unguet. ¶ Persicum portum Plautus cum ait, mare Euboicum videtur significare, quod in eo classis Persarum dicitur stetisse, non procul a Thebis. ¶ Personata fabula quædam Nævii inscribitur, quam putant quidam primum * [7] a personatis histrionibus; sed cum post multos annos comœdi et tragœdi personis uti cœperunt, verisimilius est eam fabulam, propter inopiam comœdorum, actam novam per Atellanos, qui proprie vocantur personati, quia jus est …s [8] non cogi in scæna ponere personam; quod ceteris histrionibus pati necesse est. ¶ Persicus peracutum significare videtur, ut Plautus: Nihil de conciliare sibus [9], nisi qui persib. [10] sapis. Nævius: Et qui fuerit persicus carpēti ad stratio [11]. ¶ Perpetrat, peragit, perficit. Pacuvius in Teucro: Neque perpetrare precibus, imperia qui detinui patris [12]: Spartam reponare [13] instat, id si perpetrat. Quo etiam sine præpositione usi sunt, quod conver-

*Pag.* 34.

…sum jam [in cōsuetudinem est. ¶ Perpulit, persuasit, impulit [. . . . . . . . . . . . . . dicendo me per[pulit . . . . . . . . . . . scilicet c[ompulit . . . . ¶ Pertisum, pro pertesum di]xerunt antiqui . . . . . . . . . . qui paul. [ . . . . . . . . . Persuasit, impulit. ¶ Puteum [ antiqui dixerunt unde sumi potest:

D

unde [ ¶ Puticulos, antiquissimū genus sepulturæ appellatos, [quod ibi in puteis sepelirentur hōines: qualis fuerit [ locus, quo nunc cadavera projici solent extra p[ortam Exquilinam: quæ quod ibi putescerēt, inde p]otius appellatos existimat. Puticulos Aeli[us Gallus, qui ait antiq. moris fuisse, ut patres familias [in locum publicum extra opidum mancipia vilia proicer[ent, atque ita projecta, quod ibi

ea putesce[rent, nomen esse factum Puticulis. ¶ Putū antiquos [pro puro dixisse ait; inde putatas vites, quib. dicisum [14] est id, [quod impedimento erat, dici Cornifici [15] ait, neque [aliter accepit Ennius, cum dixit in Alexandro . . . . . . . . . . . . amidio [16] purus put[us; et Plautus]: Purus putus hic sycophanta est . . . . . . . . . . . . . quo certior se. [ . . . . . . . . aurum quoque putatū dici so[let, quod est expurgatū, et ratio putata, id est pura facta, [ut . . . . . . . . . hero dib. retulit. [ ¶ Putitiū Plautus dixit stultū: Putitio stultior est barbaro. [Id autem ex hac causa. ¶ Potitius cū ad [17] Hercule rit[um sacrificandi accepisset, eum militibus æris gra[vis quinquaginta edocuisse dicitur servos publicus [18] P. R.; [quo facto Potitii intra diem xxx. cū ejus fami[liæ xii. fuissent, omnes interierunt. ¶ Pubes adulescens, [qui jam generare potest, vocatur, cui contrarium [est impubes. ¶ Pubes etiam et

*Pag.* 35.

plurium numerus ejusdem ætatis dici solet. ¶ Puteolos quidam dictos aiunt ab aquæ ca]idæ putore; quidam a multitudine puteorum ear]undem aquarum gratia factorum ] . . . . . . ver- . . . . . . . . . . . . . . cum autem . . . . . . . . . . . . . . . . is violllius tra . . . . . . . . ¶ Pugnus a punc]tione id est percussione dictus. ¶ Pegasum equum] alatum fuisse tradunt poetæ; cujus quidem ungu]lam suscitasse fontē, qui Hippocrene dictus est, ]traditur; sed . . . . . . . . . . . . . . . ersus alia . . . . . . . . . . . . . . . Lucina Juno . . . . . . . . . . . . . . . formosa . . . . . . . . . . . . ] ¶ Prospera quædam nomina usurpabant antiqui in, ] e. declinata ut præfiscin , extrema produ]cta syllaba, videlicet ut occurrerent fascino, ] ut ait L. Cin-

C

cius; quod etiam fieri consuevit in fa]miliæ purgandæ sacro. ¶ Porca præ]cidanea dicitur, quæ ante immolari solet; ] quod genus hostiæ quod ante novā frugē præcideretur, præ]cidariū appellabant. ¶ Placenta libi quoddam genus vo]catur ex trib. pultibus factū; alii dicunt genus pult]is, cum trib. libamentis. ¶ Porriciam, pro porro ia]ciam, maxime de extis dicebant antiqui. Plaut. in P[seudolo: Atq. in manibus exta teneam, ut porriciam] intebea [19] loci. Porricitur autem foculo ar]isque quod consecrandum est deo, dicandumque; ] contra it [20] consumitur in sacro, quod est profanatum, ] ut Verrius eodem libro de Significatione verbo]rum: sint dicta libere, si qua contra dixero: jā ] arbitratur ob eam causam porrici exta aris et fo]culo, quia profana [21] ea

*Pag.* 36.

quoque, id est deo dicta, consume [22] est necesse; cujus opinionem, neque in hoc, neque in aliis compluribus refutare minime necesse est, cum propositum habeam ex tanto librorum ejus numero intermortua jam et sepulta verba, atque, ipso sæpe confitente, nullius usus aut auctoritatis, præterire, et reliqua quam brevissime redigere in libros admodum paucos. Ea autem, de quibus dissentio, et aperte et breviter, ut sciero, scripta in his libris meis invenientur. Inscribuntur Priscorum verborum cum exemplis. ¶ Porigam dixisse antiqui videtur, pro porrigam, propter morem non ingeminādarum litterarum; ducto verbo a porro regam, aut, si id frivolum videtur, cum aperte e civo regit [23]. tractum sit; sed antiqui etiā porgā dixerunt, pro porrigam. ¶ Porcæ appellantur rari sulci, qui ducuntur [24]. aquæ derivandæ gratia; dicti quod porcāt [25], id est

[1] qua me. [2] permitti orcas. [3] Leoni si. [4] equo, qui. (Quod hic desideratur habes in Schedis pag. 172 v. 20 usque ad pag. 187 v. 29.) [5] interfectis. [6] Quirinalis. [7] actam. [8] iis. [9] sibi. [10] persicus. [11] adest, ratio. [12] nec pretio quit; et in Niptris. [13] repedare. [14] decisum. [15] Cornificius. [16] dimidio. [17] ab. [18] publicos. [19] interea. [20] id. [21] profanata. [22] consumere. [23] rivo regam. [24] ducuntur. [25] porceant.

Digitized by Google

prohibeat [1], aquam frumentis nocere : nam crebriores sulci limi [2] vocantur. ¶ Postliminium [3] receptum, Gallus Aelius in libro primo Significationum quæ ad jus pertinent, ait esse eum, qui liber ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit eo jure, quod constitutum est de postliminiis, itemque servos [4] a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos, redit in ejus potestatem, cujus antea fuit, jure postlimini. Equi, et muli et navis eadem ratio est postliminium receptum is [5] quæ servi. Quæ genera rerum ab hostibus ad nos postliminium [6] redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hostis redire possunt. Cum populis liberis, et confœderatis, et cum regibus postliminium nobis est ita, uti cum hostib. Quæ nationes in opinione [7] nostra sunt, cum his *

*Pag.* 37.

proculs nt. ¶Provorsum fulgur appellatur, quod ignoratur, noctu an interdiu sit factum. Itaque Jovi fulguri [8] et Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur. ¶ Propatulum late patens atq. apertū, et patuli boves, quorum cornua in diversum super [9] modū patent. ¶ Propriassit, proprium fecerit. ¶ Properus antiquos dixisse, pro celer, testimonio est qualitatis adverbium, quod est propere. ¶ Prophetas in Adrasto Julius nominat antistites fanorum oraculorumq. interpretes : Cū capita viridi lauro velare imperant Prophetæ, sancta ita caste qui purant [10] sacra. ¶ Propter viam fit sacrificiū, quod ē proficiscēdi gratia, Herculi, aut Sāco, [11] qui scilicet idem est deus. ¶ Prodigia quod prædicunt futura, permutatione g. litteræ : nam quæ nunc c. appellatur, ab antiquis g. vocabatur. ¶ Produit, porro dederit, ut est in lege censoria : Porticum sartam tectamque habeto, prodito; alias prodiderit. ¶ Prodegeris, consumpseris, prodideris, ut Cæcilius in hymni [12] : Prodigere est, cum nihil habeas, te inridier; et Plautus in Nervolaria : Producta prodigium [13] esse in [14] amatorem addecet. ¶ Prodinunt, prodeunt, ut Ennius Annali. L. III : Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent. ¶ Probrum, stuprum, flagitium, ut Accius in Hellenib. : Qui nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant. Cæcilius in Davo : Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrū. ¶ [15] Probriū velut, prohibi, qui se * [16] delinquēdo prohibent. ¶ Prodigiatores haruspices, prodigiorum interpretes. ¶ Prodita [17], memoriæ porro dat, et fallit. Item, ex interiore loco procedit. Item, perdit, ut Ennius. L. XVI : Non in sperando cupide [18] rē prodere summā. ¶ Punicum quod appellatur,

*Pag.* 38.

genus [ libi translatum a Pœnis. Idem appellatum [ fuit probum, ceteris libris suavissimum quia [ videbatur . . Punicum dicitur etiam vestis uo[meu . . . . ¶ Pro, significat, in, ut pro rosto[is [19], pro æde, pro tribunali. ¶ Progenerum avus app[ellat neptis suæ virū. ¶ Profanū quod nō ē fanū ap[pellatur. Plautus: Sacrū, ā profāū habeas, parvi pēditur. Liv[ius in . . . . . . . . . . . . . publici . . . . . . . . . . [Pacuvius in Periboea . . . . . . . . . . [ inde profanationem [ dici ait Verrius. ¶ Pro, ponitur pro amplifi[cando ac palam faciendo, ut prodi, provoca, prop[elle . ponitur alias pro privandi facultate, [ut in propudio prohibendo, quia utrumq. abnuit [ in his esse pudorem, potestatemq. ; alias aliud alio [20], [ut pro pecunia, pro prædio [21], pro consule [22]; alias pro a[dmiratione, ut pro Jupiter; Accius in Melani[ppo [23] : Pro Juppiter . . . . . . . manu omnium [24] . . . . . . . . . . . .

A Plautus in Condalio [ . . . . alias pro ante, ut pro hostio; alias pro [in, ut dicimus promittere barbam, et capillum. [ ¶ Profundum dicitur id quod est altum ac fundum [ longe habet . Pacuvius in Medo : Neq. [ profundum . . . . . . . . . ¶Profesti dies di[cti, quod sit procul a religiōe numinis divini. Cæcilius in . . [ Quod facimus professo, fecisti tantundem [ festivo die; item Afranius in Privigno : [ Aeque profesto, contra cum celebras. ¶ Profusus super mo[dum sumptuosus dicebatur. Terentius in Ade[lphis : Profundat, perdat, pereat, nihil ad me . Alias [ abjectus, jacens . . et Pacuvius in Teuc[ro : Profusus gemitu murmuro, occisitians [25] ru[at . . . . . . . . . . .

*Pag.* 39.

. . . . . . . . . . . . . . . . cant . . . rte ¶ Plauti appellantur canes, quorum aures lang[ui-
B dæ sunt, ac flaccidæ, ut latius videa[ntur patere. . . . . . . . . . . . . ] quæ . . . . o . . . uni- . . . vi- . . . es ¶Plantæ appellantur semina olerū, quod planæ] sunt, ut appellantur plantæ nostrorum pedum ex ] causa simili. ¶ Plancæ dicebantur tabulæ planæ, ob ] quam causā et ¶ Planci appellantur, qui supra modū pe]dib. planis sunt. ¶ Plaustrum perculi, antiqui di[cebant ab eo, qui pede onusta plaustra perculit, id est] evertit : quod postea abiit in proverbium ; ] id , quod a Plauto in Epidico comœdia relatum est : E]pidicus mihi magister fuit, perii : pene plaustr]um perculi. ¶ Plebeium magistratum nemi]nem licet capere, nisi qui ex plebe est : cujus ge]neris est omnis magistratus, qui appellatur i]sto nomine. ¶ Plutei dicuntur crates corio cru]do intentæ [26],
C quæ solebant opponi militibus ] opus facientib., et appellabantur militares. ] Nunc etiam tabulæ, quibus quid præsepitur, eodem ] nomine dicuntur. ¶ Plebei Ædiles nō minus populi[ quā plebei scito, quæ de eo magistratu creando ] suffragium tulit, ut sacris ædibus præessent, ] sunt constituti ; quos Tribu. pl. ministros fuisse dic]unt : qui una cū Plebeis Ædilibus sunt creati, dissid ] ente plebe a Patrib. ii tabernas fecerunt, q]uas Novas vocāt; nos autem quinque dicimus e]as esse, et septem feruntur, et plebeias quidem appella]mus a genere ma-

*Pag.* 40.

gistratus; eas enim faciendas curaverunt M. Junius Brutus, Q. Oppius Ædiles pl. ¶ Plexa colligata significat ex Græco, cui nos etiam præpositionem adicimus, cum dicimus perplexa. ¶ Pleraque antiqui etiam sine præpositionibus dicebant. ¶ Plera dixisse antiquos testis est Pacuvius, cum ait : Plera pars pessumdatur ¶ Ploximum ap-
D pellari ait Catulus capsam in cisio, capsave [27], cum dixit : Gingivas vero ploximi habet veteris. ¶ Plorare, flere, inclamare nunc significat, et cum præpositione : implorare, id est invocare : et apud antiquos plane inclamare. In regis Romuli et Tatii legibus : Si nurus * sacra divis parentum estod; in Ser. Tulli, hæc est : Si parentem puer verberit, ast olle plorassit, (pareri) puer divis parentum sacer esto [28]; id est, clamarit, dix . . ¶ Pedulla quæ dicimus nea [29] πέδιλα Græcos appellare, manifestum est. ¶ Pacem a pactione condicionum putat dictam Sinnius Capito, quæ utriq. inter se populo sit observanda. ¶ Penem antiqui codam vocabant ; a qua antiquitate etiam

[1] probibeant. [2] liræ. [3] postliminio. [4] qui servus. [5] iis. [6] postliminio. [7] dicione. [8] Fulguratori. [9] supra. [10] parant. [11] Sango. [12] Hymnide. [13] producte prodigum. [14] me. [15] Probi. [16] a. [17] Prodit. [18] cupidi. [19] rostris. [20] apud, ob, ab. [21] præde. [22] consilio. [23] Menalippo. [24] omnium. [25] oscitans. [26] intectæ. [27] capsamve. [28] estod. [29] nos, ea.

Digitized by Google

nunc offa porcina cum cauda in cenis puris offa penita vocatur; et peniculi, quis calciamenta terguntur, quod e codis extremis faciebant antiqui, qui, tergent [1] ea. Dictum est forsitan a pendendo. Nævius in Tunicularia [2]: Theodotum compellas, qui aras compitalibus, sedens in cella, circumtectuas tegetibus Lares ludentis peni pinxit bubulo; significat peniculo grandi, id est coda. ¶ Propius sobrino mihi est consobrini mei filius, et consobrinæ meæ filia [3] et patris mei consobrinus, et matris

*Pag.* 41.

meæ consobrinus. ¶ Possessio est, ut definit Gallus Ælius, usus quidam agri, aut ædifici, non ipse fundus, aut ager; non enim possessio est * [4] reb. quæ tangi possunt. . qui dicit, se possidere, his [5] vere potest dicere. Itaque in legitimis actionibus nemo ex his, qui possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, ut Prætor his verbis utatur: Uti nunc possidetis, eũ fundum Q. D. A. quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis; adversus ea vim fieri veto.

¶ Præfecturæ eæ appellabantur in Italia, in quib. et jus dicebatur, et nundinæ agebantur, et erat quædam earum R. P. neque tamen magistratus suos habebant; in qua [6] his legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire præfecti quattuor viginti sex virum nu [7] pro populi suffragio creati erant, in hæc oppida: Capuam, Cumas, Casilinum, Volturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatium [8]: alterum, in quas ibant, quos Prætor urbanus quod annis [9] in quæq. loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Cære, Venareum [10], Allieas [11], Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura. ¶ Parret, quod est in formulis, debuit et producta priore syllaba pronuntiari, et non gemino r. scribi, ut fieret paret, quod est inveniatur, ut comparet, apparet. ¶ Portum in XII. pro domo positum omnes fere consentiunt: Cui testimonium defuerit, his [12] tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. ¶ Patrocinia appellari cœpta sunt, cum plebs distributa est inter patres, ut eorum opib. tuta esset. ¶ Posticam lineam in agris dividendis Ser. Sulpicius appellavit, ab

*Pag.* 42.

exori[ente sole ad occidentem quæ spectabat,
qua . . . . . . . . . . . . . . .
tur . . . . . . . . . . . . . . .
ri.t. . . . . . . . . . . . . . .
abd . . . . . . . . . . . . . . .
tab . . . . . . . . . . . . . . .
frum . . . . . . . . . . . . . .
danto . . . . . . . [ ¶ Pontina tribus a Pontia ur[be dicta, a qua et palus quoque Pontina [ appellata est juxta Terracinam. ¶ Papiria [ tribus a Papirio appellata est, vel a nomi [13] ag[ri, qui circa Tusculum est. Huic Pupinia trib. ita conju[ncta fuit, ut de finib. aliquãdo susceperit bellum, quod ind[ictum per fetiales cum esset, duce. . . infertur: bellũ [itaque initurae, cum utraque tribus instructos exerc[itus haberẽt ad dimicandũ, quia alterius dux discesserat [ jam ab armis, caduceatoribus, ante quam signum conl[errent, utrinque ad exercitus missis, rem[in] ipsorum ar[bitrio futuram denuntiarunt ac potestate, (ac pote[state): ita sine ulla dimicatione utriusq. exercitus suffra[gio pax facta. ¶ Pupinia Tribus ab agri nomine [ dicta, qui Pupinus appellatur circa Tusculum urbem [ . . . . . . . . . . me-
minit invictum . . . . . . . . . . . . .
est. ¶ Popillia tri[bus una quinque et triginta tribuum, tot enim fue[runt: a Popilliæ feminæ felici nomine ap[pellata, quomodo tribus quoque ¶ Pinaria a sororis [Pinarii dicta, sive ab ejus nomine. ¶ Populi com[mune est in legibus ferendis cum plebe suffragium; [nam Comitia centuriata ex patribus et plebe [constant in centurias divisis; at cum plebes sine patr[ib. tributis comitiis convenit, quod plebes scivit, Plebi [ scitum id ea de causa appellatur. Patrum com[mune cum populo suffra-

*Pag.* 43.

gium: quibus suffragãtibus fit Populiscitũ ¶ Pror]si limites appellantur in agrorum mensuris, qui di[recti sunt ad orientem. ¶ Pugio dictus vi]detur eo quod punctim pugnat [14]. ¶ Propilia [15] tribus a ] nomine progenetricis traxit vocabulum. Nam con]sueverunt non solum a viris, sed a feminis q]uoq. tribus nominare. ¶ Præbia dicuntur curan]di mali remedia, videlicet, quæ curationi]s causa præbeantur. ¶ Parare inter se m]unus dicebatur, cum sortitio fiebat a magistrati]b. P. R., uter magistratus, utram rem ] acere [16] deberet: aut inter se comparabant de re ] b. lege mandatis. Itaque in senatu, et in comiti]o quoque sortiri, aut inter se parare solebant, ut]rum exire, utrum domi manere oporteret. Nam Con]sulib. æque ac Prætoribus novis in provinciam ire, ]atq. ex ea rem gerere: contra abire, anni prioris ] magistratib. opus erat. Lege etiã cavebatur, ut certos] intra dies designati magistratus provinc]ias inter se pararẽt. ¶ Peregrinus Pr. dtr, quod alit.]iter civis alit. int. peregrios jus dicebatur a Præt., ideoq.] lege primũ fuscum [17] unus tantum fuisse, postea duo id]circo sunt creati Prætores. ¶ Præmetiũ dicitur, quod] ante metitur, quasi præcessũ, prælibatiõis causa. ¶ Prote]lare dtr lõge propellere, ex Græco videlicet, quod] est The [18], et significat longe. ¶ Privato sumptu ] se alebant milites Romani antequam stipendia ] mererentur, quod in consuetudine fuit pæne ad ] id tempus, quod fuit paulo antequam Romana civitas ] capta est a Gallis, a quo tempore sine publico sti[ endio m]ilites nõ fiebãt. ¶ Porci effigies inter militari]a signa quintum locum obtinebat, quia confecto bel]lo, inter quos populos pax fiebat, ea cæsa porca fœd]ere firmari solet. ¶ Polimenta, ait Verrius, antiqui] dicebant testiculos

*Pag.* 44.

porcorum, cum eos castrabant, a politione segetum, aut vestimentorum, quod similiter atq. illa, curentur. ¶ Pater patrimus dicebatur apud antiquos, qui cũ jam ipse pater esset, habebat etiam tum patrem. ¶ Portisculus est, ut scribit Ælius Stilo, qui in portu modum dat classi. Id autem est malleus, cujus meminit Cato in dissuasione de rege Attalo, et vectigalibus Asiæ: C. Licinio Pr. remiges scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscribti veniere passim. ¶ Pro scapulis, cum dicit Cato, significat pro injuria verberum; nam complures leges erant in cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verberum. His significat prohib. se [19] multos suos civis in ea oratione, quæ est contra M. Cælium: Si em percussi, sæpe incolumis abii; præterea pro rep., pro scapulis atq. ærario multum R. P. profuit. ¶ Primanus Tribunus * apud Catonẽ, in ea, quæ est contra Thermum de Suis virtutib.: Aliud est properare, aliud festinare. Qui unum quodq. mature transigit, is properat; qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat. ¶ Prorsus porro versus, nisi forte ex Græco Πρὸ [20]. Cato de Feneratione legis Juniæ: Camerni [21], cives nostri, oppidum pulchrum habuere, agrum optimum, atque pulcherrimum, rem fortunatissimam. Cum Romam veniebant, prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos. ¶ Prohibere comitia, dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, ceterum ob id ip-

[1] tergerent. [2] Cunicularia. [3] filius [4] de. [5] is. [6] quas. [7] numero qui. [8] Calatiam. [9] quotannis. [10] Venafrum. [11] Allifas. [12] is. [13] nomine. [14] pungat. [15] Poplilia. [16] agere. [17] fcũs (*sic*). [18] τῆλε. [19] prohibuisse. [20] Πρός. [21] Camerini.

Digitized by Google

sum comitialis appellatur. Cato in ea oratione, quam scribsit de Sacrilegio commisso: Domi cum auspicamus, honorem me dium [1] immortalium velim habuisse. Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit; si cui ibidem servo aut ancillæ

*Pag.* 45.

dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne is quidem mihi vitium facit. ¶ Penatores qui penus gestant, Cato adversus M. Acilium quarta: Postquam nativitas [2] ex navibus eduxi, non ex militib. atq. nautis piscatores penatores fisci sedarum [3] dedi. ¶ Pilates lapidis genus, cujus. m. Cato Originum L. V: Lapis candidior quam pelastes [4]. ¶ Peregrina sacra appellantur, quæ aut evocatis dis in oppugnandis urbibus Romam sunt conara [5], aut quæ ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Æsculapi: quia coluntur eorum mores, a quib. sunt accepta. ¶ Peculatus furtum publicum dici cœptus ē a pecore, quia ab eo initium ejus fraudis esse cœpit; siquidem ante æs aut argentum signatum, ob delicta pœna gravissima erat duarum ovium et XXX bovum. Ea lege [6] sanxerunt T. Menenius Lanatus, et P. Sestius Capitolinus cōs.; quæ pecudes, postquam ære signato uti cœpit P. R. Tarpeia lege cautum est, ut bos centusib., ovis decusib. æstimaretur. ¶ Potitium, et Pinarium Hercules, cum ad aram, quæ hodieque Maxima appellatur, decima bovum, quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam; profanasset, genus sacrifici edocuit; quæ familia et posteri ejus non defuerunt decumantibus usq. ad Ap. Claudium censorem, qui quinquaginta millia æris gravis his dedit, ut servos publicos edocerent ritum sacrificandi: quo facto, Potiti, cum essent ex familia [7] numero duodecim, omnes interierant [8] intra diem XXX. Pinarius quod non adfuit sacrificio, postea cautum est, ne quis Pinariorum ex eo sacrificio vesceretur. ¶ Plebeiæ Pudicitiæ sacellum in Vico Longo est, quod cum Verginia patrici generis femina, convivio [9] facto inter patres et ple-

*Pag.* 46.

bem, n[am patricia plebeio homini L. Volumino consul[i nupserat. . . . . . . . . . . . . . .
qui. . . . . . . . . . . . . . . . .
bit. . . . . . . . . . . . . . . . .
sere. . . . . . . . . . . . . . . .
eo ju[re. . . . . . . . . . . . . . .
¶Porto[rium dictum est vectigal id, quod solvitur porti[toribus, qui conduxerint. . . . dimidiato. . . . . . . . . . . . . . . .
in ve[ctigalibus autem portoria fruenda locantur dua[bus . . . . . . . . . . . . . .
liusq. [ . . . . . . . . . . . . . . et Ti.
Corun [ canius Ti. F. censores. . . . . . . .
intra [ temporis spatium certum. . . . . . .
quid æ. [ . . . . . . . . . . censoria majestate sp[reta . . . . . . . . . . . . .
dam propib. [10] et. . . . . . . . . . . . . .
sint. ¶ Primi[genius sulcus dicitur, qui in nova urbe condenda ta[uro et vacca imprimitur, quod genus jumenti velut ex[ercitum adhibebatur. . . . .
utrinq. media p. . . . . . . . . . . .
lari judicio qui et i[pse . . . . ¶ Parilib. urbem condidit Rom[ulus, quem diem festum præcipue habebant junio[res. ¶ Prætexta pulla nulli alii licebat uti, q[uam ei qui funus faciebat. Idem jus magistratus h[abebat, qui in aliquo loco publicos lud[os faciebat; nam is prætexta utitur, et scribam ha[bere solet propter eos, quos facit, ludos. [ Prætextæ jus datum est item Consulib. et Prætorib. vota [ nuncupantibus ob ignorantiam sacra novorum [11] [ ascitorum. Isdem datum est uti emit [12] votum [ aliquod solventibus, quod item Valerius vica[nus cum uteretur pu-ia ex senatu, improbar[i cœptus est. ¶ Pilæ

*Pag.* 47.

et viriles et muliebres effigies in ] compitis suspendebantur Compitalibus ex lana, quod esse] deorū inferorum hunc diem festum, quos vocant ] Lares, putarent, quib. eo die tot pilæ, ] quot capita servorum, tot effigies, quot esse]nt liberi, ponebantur: ut vivis, sic enim inv]ocantur, parcerent, et essent his pilis, et simulacris con]tenti. ¶ Punicæ Fortunæ. ædē vovisses dicitur Corn. Sc]ipio cum Carthaginem obsideret, ne adversa ea ] Fortuna uteretur. Idem quoq. vovit ædem Ven]eris, quæ cognomentum habuisse dicitur G]enitricis, quam dedicavit, ubi primum ] æmulam Romanæ civitatis Carthaginiensem ] urbem expugnavit; quamvis alii dicant, aliquot post ] annis dedicavisse. . . . . . . cos. ], quum Punicæ Fortunæ ædem, quam ex vo]to debebat primam dedicare, locandam non curasset. ¶ Pueri, inpuberes dicuntur, in quo significatu ] utitur Atta in . . . . . . . plurib. ] versib. docet . . . Pueri inpuberis æneum ] signum ad salinas olim a . . positum fuit, quod ] signum allatum e . . . . . fuisse ferunt, ] quod sunt conati quidam auferre, sed avelle]re nemo unquam potuit. Alii dicunt avulsam basim ] præter ipsum signū a quibusdā fuisse, quiq. abstulerint, ]sub [13] signo abierūt basi sola potiti. Alii tamen trad]unt simul, ut signū ipsū abstulerint, in agro Tibur]ti erexere ad quintum ab urbe milliarium. ] ¶ Plena sue Telluri Matri faciebant, quod pecudis ]id genus cū seretur [14] satis inimicum, quia rostro sem]en fodiendo corrumperet. ¶ Ploti appellati sunt ] Umbri, pedib. planis qd. essēt; ūde soleas dimidiatas qui]b. utūtur ī venādo, quo planius pedem ponerent, vo]cant semiplotia, et ab eadem causa M. Acci]us poeta, quia Umber

*Pag.* 48.

Sarsinas erat, a pedum planicie initio Plotus, postea Plautus cœptus est dici. ¶ Postumus cognominatur post patris mortem natus. Plautus in Aulularia: Post mediam ætatem qui mediā ducit uxorē domum, si eam senex anum prægnantem fortuito fecerit; quid dubitas. quin sit paratum his nomen pueris Postumi? ¶ Porcas quæ inter duci [15] sulcos fiunt, ait Varro dici, quod porrigant frumentum. ¶ Parmulis pugnare milites soliti sunt, quarum usum sustulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis. ¶ Porcam auream et argenteam dici ait Capito Ateius, quæ, et si numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Ceriali. ¶ Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus. ¶ Propudi ait [16] porcus dictus est, ut ait Capito Ateius, qui in sacrificio gentis Claudiæ velut piamentum et exsolutio omnis contractæ religionis est. ¶ Parum cavisse [17] videri pronuntiat magistratus, cum, de consilii sententia, capitis quem condemnaturus est. ¶ Piscatorii ludi vocantur qui quod annis [18] mense Junio trans Tiberim fieri solent a PR. Urbano pro piscatorib. Tiberinis, quorum quæstus non in Macellum pervenit, sed fere in aream Volcani, quod id genus pisciculorū vivorū datur ei Deo pro animis humanis. ¶ Publicius clivus appellatur quem duo fratres L. M. Publici Malteoli [19] Ædiles. Cur., pecuaris condemnatis ex pecunia, quam cœperant [20], munierunt, ut in Aventinum vehiculi [21] Vel [22] venire possit [23]. ¶ Prædia [24] rursus

[1] Deûm. [2] Nauitas. [3] feci, sed cibum. [4] pilates. [5] coacta [6] Eam legem. [7] eæ familiæ. [8] interierunt. [9] convicio. [10] prædibus [11] sacrorum novorum. [12] item. [13] sine [14] sereretur. [15] duos. [16] Propudianus. [17] Patravisse. [18] quotannis. [19] Malleoli. [20] ceperant. [21] vehiculis. [22] Velia. [23] possint. [24] Prælia, vel præbia.

Digitized by Google

Verrius vocari ait ea remedia, quæ data [1] A Cæcilia, uxor Tarquinii Prisci, invenisse ex-

*Pag.* 49.

istimatur, et immiscuisse on [2] suæ, qua præcincta statua ejus ē ī æde sācius [3], qui deus Dius Fidius vocatur, ex qua zona periclitantes ramenta sumunt. Ea vocari ait, prædia [4], quod mala prohibeant. ¶ Priscæ latinæ coloniæ appellatæ sunt, ut distinguerent a novis, quæ postea a populo dabantur. ¶ Prætor ad portū nūc salutatur his [5], qui ī provīciā proprætore, aut pro consule exit: cujus rei morē ait fuisse Cincius in libro de Consulum potestate talem. Albanus [6] rerum potitos usque ad Tullum regem: Alba deinde diruta, usque ad pœctum [7] Murem eos populos latinos ad capud œtentinæ [8], quod est sub monte Albano, consulere solitos, et imperium communi consilio administrare. Itaque quo anno Romanos imprimis ad exercitum mittere oporteret, jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum qui a communi Latio [9] missus esset (illum quem aves addixerant,) Prætorē salutare solitum, qui eam provinciam optineret Prætoris nomine. ¶ Patricios Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur. ¶ Possessiones appellantur agri late patentes, publici privatique; quia non mancipatione, sed usu tenebantur, et, ut quisquam occupaverat, collidebat [10]. ¶ Potestur, Scipio Africanus in ea, quæ est de imperio D. Bruti; et ¶ Poteratur, C. Gracchus in ea, qua vocis [11] est Cum circum conciliabula iret. ¶ Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir qui eam incestavisset verberibus necaretur, lex fixa in Atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato in ea oratione, quæ de Auguribus inscribitur. Adicit quoque virgines Vestales sacerdotio exaugu-

*Pag.* 50.

rat[as, quæ incesti damnatæ, vivæ defossæ sūt, quod sacra[ Vestæ matris polluissent, nec tamen, licet nocentes, ex[tra urbem obruebantur, sed in campo proxime porta[m Collinam, qui Sceleratus appellatur. ¶ Privilegiū sunt [ qui dicāt esse privatā legē. Cicero in oratiōe quā scri[psit pro domo sua ad Pontifices . . . . .
viri . . . . . . . . . . . . . . . . .
cons. . . .
in eo
licto [res . . . . . . . . . . . . . . . ex
istim[ate . . . . . . . . . . . . . . .
cons. [ . . . . . . . . . . . . . . v
os aut [ em . . . . . . . . . . . . .
nemo [ . . . . . . . . . . . . . Judicant [ Senatores. Equites, Trib. ærarii, condemnant trib. xxx[v. Quo jure, quo more, quo exēplo nōīatim legē de capite ci[vis indemnati tulisti? vetant leges sacratæ, vetāt XII. [ tabularū leges privatis hōinib. irrogari. Venelicos quinq. [ et triginta trib. omnino non condemnāt, quia ipsi in [ dicta causa occiduntur. ¶ Punici dicuntur non Pœni, [ quāvis, ut ait Verrius, a Phœnicib. oriātur; et Punicū bel[lū nō Pœnicū, quāquā Pœni appellātur; nam quæ sole[ bāt antiqui efferre per pu syllabā lōgā [12] Ennius in p[œ, extulit, Pœnos dicēs; sed ē culpa librariorū, qui ea quæ fe[minino gēere dtr, scribūt masculino; etiā ipsi Græ[eci ita loquūtur, qui solēt philolo gos, philargyros, [fēīas dicere, Pœnos, putās viros librarius appellari, mut[avit, quod per adjectiōnē ab Ennio ea vox explanata non [fuerit, cum tamen ejusmodi fere nōina etiā in vi[rili, nō tātū in femineo sexu proferātur. Dicius, tā hic lapis [13] q[uā hæc lupus, quī etiā ea quæ participia appellantur, quæ [ ut plurimum aliquem ordinē rerum significant, e[t quæ casus, numeros, species tēpora, personas, recipi[ūt, utroq. genere enuntiantur.

*Pag.* 51.

. . . . . . . . . . . . . . . . ¶ Portumnus, qui et Palæmon alio nomine dicitur, inter [deos, qui præsunt mari, a Romanis colebatur. ] ¶ Pœnas pendere in eo proprie dicebant, qui pecuniam] ob delictum solvit; quia penso ære olim uteba]tur. ¶ Pullaiam, manum dextram dixisse videtur] Plautus in . . . . . . . . . . . ] ¶ Procedere interdū succedere, interdum pone cedere] ¶ Pertusum doliū cū dicimus, venenū signifīcūus. ¶ P]es dtr. . . . . . . . . . . . . pe] de ruit . . . . . . . . . . Ennius Lib.] I. Annalium]. . . . . . . . . . . . . . . ¶ Pulit, pro pila ludit] . . . dixit . . . . . . . . . . . . . . . ¶ Petreia vocabatur, quæ pompam præcedens in coloni]is, aut municipiis, imitabatur anum ebriam, ] ab agri vitio, scilicet petreia appellata. ¶ Procilli si]ve ¶ Præcilli Cato dixit in . . . . . . . . con]vertar ad illam

B . . . . . . . . . . . . . . . impudentior
. . . . . . . . . . . . . . ntur legationes
. . . . . . . . . . . . test. ¶ Pelliculationē pro inductionem, a pellicien]do, quod est inducendo, dixit Cato in ea oration]e, quam scripsit de . . . . . . . . r, loco]s, Cato sæpe dicit, ut contra, s, robosem, et arb]oses, loco, r, dicebant antiqui . . . . . . ] properie mari opus est. ¶ Præmiosa pro pecuniosa. Cato] in oratiōe, qua scripsit [ . . . . . . . . . impudentiam præmio sā. ¶ Pascales oves pro pascuales, insci] enter dixit in eo quam scribsit] . . . . . pascalis ovis vetuit. Idem ¶ Pellitam ovem Tarētin]am appellat in ea oratione, quam scripsit] . . pretio Tarenti plus C. sestertiis pellitam ovem, qu]am ignaro [14] Tarentino quod pascitur, Tarētiā dicūt, ] Periculatus sū, Cato ait:

*Pag.* 52.

ea oratione, quam scripsit ad Litis [15] censorias.

C ¶ Parsi, non peperci, ait Cato in eadem oratione: Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere: quod uti probibitū irē, quod in me esset, meo labori non parsi. ¶ Prædonulos Cato hypocoristicos dixit in Epistularū: Quia sæpe utiles vidētur prædōuli. ¶ Præcē. [16] singulariter idem in ea, quæ est de Conjuratione. ¶ Pulchralibus atq. cupidus [17] idē in ea, quæ est de Fūdo oleario. ¶ Punctatoriolas, levis pugnas appellat Cato in ea, quam dixit de Re Histriæ militari. ¶ Proædificatū dtr, quod ex privato loco processit in publicū solum. ¶ Percunctatū patris familiæ nomē ne quis servum mitteret, lege sanctum fuisse ait Cato in ea, qua legē Orchiam dissuadet. ¶ Prodidisse non solū in illis dtr, qui patriā hostib. prodiderūt, sed etiam tēpus longius fecisse; ut Cato: Te, C. Cæcili, diē prodisse [18] militibus legionis III., cum proditionem nō haberent. ¶ Pavimenta Pœnica marmore Numidico constrata significat Cato, cum ait in ea, quā habuit Ne quis cos. bis fieret: Dicere possum, quibus villæ atque ædes ædificatæ, atque expolitæ maximo opere, citro,

D atque ebore, atque pavimentis Pœnicis stent. ¶ Prolato ære astitit, Ennius Achillæ in Aristarchi [19] cum ait, significat clypeo ante se protento. ¶ Pœnitā [20] offam Nævius appellat absegmen carnis cū coda: antiqui aūt offam vocabant abscisum globi forma, ut manu glomeratam pultem. ¶ Privatæ feriæ vocantur sacrorum propriorū, velut dies natales, operationis, denecales. ¶ Pronubæ adhibentur nuptiis quæ semel nupserunt, ut matrimonia paupertatem [21] auspicantes. ¶ Pudicitiæ signum in foro Boario est ubi familiana ædissei [22] Herculis; eam quidam Fortunæ esse existimant. Item via Latina ad miliarium illi [23] Fortunæ Muliebris, nefas

*Pag.* 53.

est attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsit. ¶ Patrimi et

[1] Caia. [2] zonas. [3] Sancti. [4] præbia, vel prœbia. [5] is. [6] Albanos. [7] P. Decium. [8] caput Ferentinæ. [9] Latii. [10] colebat. [11] usus. [12] longam. [13] lupus. [14] in agro. [15] notas. [16] precem. [17] cupediis. [18] prodidisse. [19] in Achille Aristarchi, [20] penitam. [21] matrimonii perpetuitatem. [22] ædis est. [23] IIII.

Digitized by Google

matrimi pueri prætextati tres nubentem deducunt; ūus. qui facē præfert ex spina alba, quia noctu nubebāt; duo, qui tenent nubentem. ¶ Pilentis et carpentis per urbem vehi matronis concessum est, quod cū aurū non reperiretur, ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerunt. ¶ Prima aut secunda hora ducant [1] sponsalib., ominis causa, ut optima ac secundissima eveniant. ¶ Prætextū [2] sermonē quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obsceno verbo uti, ali [3] quod nubentib., depositis prætextis, a multitudine puerorum obscena clamentur. ¶ Palatualis Flamen constitutus est, quod in tutela ejus deæ Palatium est. ¶ Portenta existimarūt quidā gravia esse, ostenta bona; alii portenta quædam bona, ostenta quædam tristia appellari; portenta, quæ quid porro tendatur, indicent; ostensa, quæ tantummodo ostendant monstra: præcipiant quoque remedia. ¶ Postularia fulgura, quæ votorum ut [4] sacrificiorum spretam religionem desiderant [5]. ¶ Pestifera, quæ mortem, aut exilium ostendunt. ¶ Peremptalia, quæ superiora fulgura, ut [6] portenta, peremunt, id est olunt [7]. ¶ Pullus Jovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat; antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant. ¶ Peregrinus ager est, qui neque Romanus, neque hostilis habetur. ¶ Publica sacra, quæ publico sumptu, pro populo fiunt, quæq. pro montibus, pagis, curiis, sacellis; ad [8] privata, quæ pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt. ¶ Perenne dicitur auspicari, qui amnē, aut aquā, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. ¶ Puls potissimum datur pullis in auspiciis, quia ex ea ne-

*Pag.* 54.

ces [se decidere in terrā aliquid, quod tripudiū faceret, id est [terripavium (pavire enim ferire est) ex quo notionē [caperent futuri; nā si pulli, per quos auspicabantur, non [edissent, periculum imminere arbitrabantur: at qui p[avissent, bonum augurium esse putabant, si tum [ex ore eis edentibus aliquid decidisset. ¶ Portenta re[rum fieri dicuntur, cum solida corpora raro se ost[endunt, ut cometæ, turbines, barathra, tonitr[ua sereno cœlo facta. ¶ Pedestria auspicia [arbitrabantur a vulpe, lupo, serpente, equo, ceterisque [ animalibus quadrupedibus. Propter-via ap[pellabantur auspicia, quæ sese propter viam osten[tabant. . . . . . . . . . . . . . intirm . . . . . . . . . . . [ ¶ Piacularia app[ellabant auspicia, id est sacrificia, antiqua loquendi co[nsuetudine, cum aut hostia ab ara effugit, aut [percussa mugitum dedit, aut in aliam quam oportuit p[artem corporis decidit. ¶ Pestifera auspicia sunt, cum cor [ in extis, aut caput non fuisset in jocinore. ¶ Pul[tarium a pullis appellatum quidam putant, quia non [aliud, sed hoc ei peculiare est, avem auspican[do observare. ¶ Præpetes aves dicuntur, quæ se [ ante auspicantem ferunt: nam antiqui præpetere [ dicebant pro anteire. ¶ Pecunia sacrificium [fieri dicebant, cum frugum fructumque [9] causa mola pu[ra offerebatur in sacrificio, quia omnis res fam[iliaris, quam nunc pecuniam dicimus, ex his rebus con[stabat. ¶ Projecta sacra appellantur quæ fulgu[rante cælo fiunt; tunc, enī projecta depellendorū ma[lorū fulgurū, vel procurandorū bonorum causa fiunt. ¶ P[arilia festa sibi observanda judicant pri[vatim ipsæ quoque puerperæ administrantis [10]; u[ti pariendo ab eis quasi stabiliantur [11]. Parilia festa

*Pag.* 55.

. . . . . . . . . . . . . . . . Parilia . . . . . . . . . . . . . . . ] um in

A . . . . . . . . . . . . . . . . ¶ Publici Augures eodem jure cum ceteris Au]guribus non erant: nam cum essent Augures numero ] plures, publici majestate ceteros anteibant. Ori]go vetusta, ideoque obscura: illud manifestum, ductu so]rtis deligi solitos, qui Augures publici P. R. Quiri]tium in Auguralibus dicerentur. Captabant auspic]ia, templo cæli regionib. designato, quod lituo, qui [Quirinal appellatur, designabant, in pomœrio ] extra urbem . . . . . . . . . . . . ] ex faci . . . . . . . . . . . . . . . fecisti ¶ Picus rex pico ave utebatur, ut Verrius ] ait, ob augurium, a quo sic dictus. Is regem Fat]uum, Faunū alii quem vocant, et Fatuam procrea]vit; et ex eis Latinus ortus, Trojanos summo honore] adfecit: ut etiam eorum regem fugientem Ar]givos Æneam hospitio suscepit, dedit ] civitatem, junxit natam connubio. ¶ Polubrum esse exi]stimant, quam nos pelvim vocamus, cujus eadem ]formula, quæ est B polubri, teneturque manu sin]istra, ut ejus significatio docet. ¶ Patres appe]llantur, ex quibus senatus constat, quos initio urbis] conditæ Romulus C. delegit, et sic appellavit, [quorum consilio atque prudentia respublica ad]ministraretur atque gubernaretur; quisque ] agrorum partes adtribuerent tenuioribus ] perinde ac liberis, ac pecunias deviderēt. Etenim] solebāt jam inde a Romulo nummis auri atque ] argenti signati ultramarinis uti, id quod ] publicæ, et privatæ rationes commentariorum doce]nt. ¶ Publica pondera, quibus populus Rom. uti solet,] ex ea causa Junius in . . . . dicta sic ai]t, quod duo Silli [12] P. et M.

*Pag.* 56.

Trib. pleb. rogarint his verbis: Ex ponderibus publicis, quib. hac tempestate populus œtier (qui) solet, uti coæquetur sedulum, ut hi [13] quadrantal vini octoginta pondo siet. congius vini decemp. is [14] sex sextari congius siet in [15] duo de quinquaginta C sextari quadrantal siet vini. Sextarius æquus æquo [16] cum librario [17] siet, sex de quiq. [18] libræ in modio sient. Si quis magistratus adversus hæc [19]. d. m. pondera, modiosq., vasaq. publica, modica, minora, majorave faxit, jussit ve(re) fieri, dolumve adduit, quod ea fiāt, eum quis volet magistratus multaretur [20], dum minore patri [21] familias taxat, liceto; sive quis in [22] sacrum judicare voluerit, liceto. ¶ Pecuum, cum dixit M. Cato per casum genitivū, a singulari casus recti formavit, quo utebantur antiqui, id est pecu, ac testu, tonitru, genu, veru, quorum omnium genitivus pluraliter geminat u litterā, nō quia dicius pecus, ut pectus, eā, quæ in usu est, formam in declinationib. sequimur. ¶ Præteriti senatores quondam in opprobrio non erant, quod, ut reges sibi legebant sublegebantque, quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos, consules quoque et tribunos [23] militum consulari potestate conjunctissimos sibi D quoque [24] patriciorum, et deinde plebeiorum legebant; donec Ovinia Tribunicia intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quemque curiati [25] in senatu legerent; quo factum est, ut qui præteriti essent et loco moti, haberentur ignominiosi. ¶ Pro censu classis juniorum, Ser. Tullius cum dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, ut ait M. Varro in L. VI. Rerum humanarum, sicuti pro æde Castoris, pro tribunali, pro testimonio.

*Pag.* 57.

¶ Procū (patriciū) in descriptione ceassiū [26] quā fecit Ser. Tullius, significat procerū; ii enim sunt principes. Nam proci dicuntur, qui poscunt aliquā in matri-

[1] dicata. [2] prætextatum. [3] alii. [4] aut. [5] designant. [6] aut. [7] tollunt. [8] at. [9] fructum que. [10] domi in stratis. [11] stabiliantur. [12] Silii. [13] uti. [14] siet. [15] vini. [16] atque. [17] vinario. [18] sexdecimque. [19] hæc. [20] multare, uti. [21] parte. [22] im. [23] Tribuni. [24] quosque. [25] curiatim. [26] classium.

Digitized by Google

monium, Græce μνηστῆρες : est enim procare, poscere, ut cū dīr in judice cōlocando : Si aliū procas, nive eum procas, hoc est poscis ; unde etiam meretrices procaces. ¶ Prærogativæ centuriæ dicuntur, ut docet Varro Rerum humanarum L. VI, quæ rus [1] Romani, qui ignorarent petitores, facilius eos animadvertere possent. Verrius probabilius judicat esse, ut cum essent designati a prærogativis, in sermonem res veniret populi de dignis indignisve, et [2] fierent ceteri diligentiores ad suffragia de his ferenda. ¶ Peculium servorum a pecore item dictum est, ut ex [3] pecunia patrum familiæ. ¶ Puelli per diminutionem a pueris dicti sunt. Itaque et Ennius ait : Pœni soliti s(u)os sacrificare puellos ; et Lucilius : Cumque hic tam formosus homo, ac te dignus puellus ; et Plautus : Olim huic puello sese venum ducier. ¶ Præciamitatores [3] dicuntur qui Flaminib. Diali, Quirinali, Martiali antecedent [4] exclamant feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre religiosum est. ¶ Pedum est quidem baculū incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves aut capras, a pedibus, cujus. m. [5] etiam Vergilius in Bucolicis, cum ait : At tu sume pedum. Sed in eo versu, qui est in Iphigenia Enni : Procede gradum proferre pedum, nitere, cessas ? id ipsum jaculum [6] significari cum ait Verrius, mirari satis non possum, cum sit ordo talis, et per eum significatio aperta, gradum proferre pedum cessas ? nitere. ¶ Pone, gravi sono, antiqui utebantur prolegi [7] significatione. Sed præicientes vocabu-

*Pag.* 58.

li. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . ¶ [ Per[imit, adimit, tollit. Unde et peremptus, interfectus. ¶ P[ure lautum antiqui dicebant, aqua pura la[vatum. . . . . . . . . . . . . . .
iti. . . . . . . . . . . . . ¶ [ Pura vestim[enta sacerdotes populi Romani, cum sacrific[abant, habere soliti erant, id est, non obsita, [ non fulgurata, non funesta, non maculata, ex h[ac causa. . . . . . . . . . . . .
voca. . . . . . . . . . . . . . . . .
tiata. . . . . . . . [ ¶ Proculato, pro vocato, et pro citato [ etiam usurpari solet. ¶ Præfericulum vas æneum s[ine ansa appellatur, patens summum, velut pelvis, [ quo ad sacrificia utebantur in sacrario Opis C[onsivæ. ¶ Patellæ, vasula parva picata, item sacris fa[ciendis apta, quæ erant forma velut capidul[a quædam. ¶ Pantices dicebant fru ventris [ . . . . . . . . . . . . appellat a quo . . . . . . . . . . . . . .
lus. ¶ Procincta clas[sis dicebatur exercitus ad prœlium instructus, et pa[ratus, quē Diali Flamini videre non licet : an[tiqui enim procinctum militem dixerunt, ut nunc quoque, [ cum exercitus instructus est. Procincta autem [ ideo, quod togis incincti ad pugnam ire solit[i fuerint. Unde et testamenta procīctu fieri [dicta, quæ faciūt ad pugnā ituri. ¶ Prosimu]riū esse ait Antistius [in commētario Juris pontificalis, pomœrium, id est l[ocum proximum muro. Cato : Olim quidem omn[es auspicabātur extra Avētinum, nunc etiā intra æ[dificia. Dictū aūt promœriū quasi promœrium. Solet au[tem iis potissimum dari rus [8] pomœri proferendi, qui [ Populum Romanum

*Pag.* 59.

agro de hostibus capto auxerunt. Antiquissimum ] Romuli pomœrium Palatini montis radicibus ] terminabatur. Protulit id Ser. Tullius rex. I]tem L. Cornelius Sulla dictator, imitatus, ut ] videtur. Tullium regem, proferre tentavit ; [ sed

A pomœriū cū locus sit, qui finē urbani auspicii fa[ciat, intra agrum effatum certis regionibus terminatus, ] ad captanda auspicia, quem liceat proferre. [ nemo tamen Aventinū, cū pomœrium protulit, intra] mœnia inclusit ; cujus rei causa illa probatur, quod] Remus in eo auspicaverit, avesq. irritas habuerit. ] In sequenti autem ætate inclusum aiunt. Pœmerium] si tactum a privatis fuisset, pœna statuta erat. ¶ Po]ntificale pomœrium appellabant locum illum,] agrumque pone murum, in quo Pontifices su]a constituerent auspicia ; cum aūt pomœrium profer]retur, tum Augures publicos P. R. hæc verba præire ] solitos : Di tutelares urbis, pomœrium hoc ne]minus majusve faxitis ; sed iis quib. terminatum e region]ibus effereatis. Dictum autem videtur pomœrium,] veluti post muros id est, quod esset retro et ] intro muros urbis ¶ Prōptū pro eo quod quis ære parav]it suo, videri ait positum . . . . . . . . ] de cujus ære tute. . . . . . . . promptum] um triticum in commentario tuo retulisti. At ] quidam prolatum signifi-
B care aiunt idem quod pro]mptum ; sed proprium [9] ait id dici promptum, quod in fu]turum factum sit, cui significationi penus contrariū] ē ; cum præsertim aliud penus, aliud promptuarium] pantoleium [10] appelletur, ut est apud Plautum in Trinu]mo. ¶ Potitus servitute ab antiquis dicebatur,] qui, ut ait Labeo, servitutem servit. Tales consuetu]dines proxime Græci noris [11] sunt. eodem modo ] dicebatur ab antiquis ¶ Potitus hostium. ¶ Penus v]ocatur locus intimus in æ-

*Pag.* 60.

de Vestæ segetib. sæpius [12], qui certis dieb. circa Vestalia aperitur. Ii dies religiosi habentur. ¶ Planta oliaginea est virga foliata ex olea deplantata. ¶ Pomonal est in agro Solonio, via Ostiensi ad duodecimum lapidem deverticulum [13] a miliario octavo. ¶ Pubes et [14] qui pubem generare potest ; his [15] incipit esse a quatuordecim annis : femina a duodecim viri potens, sive patiens, ut quidam putant. ¶ Pran-
C dicula antiqui dicebant, quæ nunc jentacula. ¶ Prodiguæ hostiæ vocantur, ut ait Veranius, quæ consumuntur, unde homines quoq. luxuriosi, prodigi. ¶ Petronia amnis est in Tiberim perfluens, quam magistratus auspicato transeūt, cum in Campo quid agere volunt ; quod genus auspici peremne vocatur ; amnem autem feminine antiqui enuntiabant. ¶ Penetrale sacrificium dicitur, quod interiore parte sacrari conficitur ; unde et penetralia cujusque dicuntur, et ¶ Penes nos, quod in potestate nostra est. ¶ Puri, probi, profani, sui auri, dīr in manumissione sacrorū causa ; ex quib. puri significat, quod in usu porco [16] non fuerit. probi quod recte excoctū purgatumq. sit ; profani, quod sacrū non sit, et quod omni religione solutū sit ; sui, quod alienū nō sit. ¶ Pacionē antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus ; unde et pacisci adhuc, et paceo in usu remanet. ¶ Presan. [17] . . . porca dicitur, ut ait Veranius, quæ familiæ purgandæ causa Cereri immolatur, quod pars quæ-
D dam ejus sacrificii fit in conspectu mortui ejus, cujus funus instituitur. ¶ Pateram perplovere [18], in sacris cum dicitur, significat pertusam esse. ¶ Pastillum est in sacris libi genus rutundi. ¶ Putia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, via Ostiensi ad lapidem undecimum. ¶ Pave-

*Pag.* 61.

ri frumēta dicebant antiqui, quæ de vagina non bene exibant. ¶ Paludati in libris Auguralibus significat, ut ait Veranius, armati, ornati ; omnia enim militaria ornamenta, paludamenta dici. ¶ Parimenstrio esse dicuntur, qui sacrorum causa toto mense in cærimoniis sunt, id est puri sint certis diebus carendo. ¶ Prox, bona vox, velut quidam præsignifi-

[1] quo rustici. [2] et. [3] præclamitatores. [4] antecedentes. [5] meminit. [6] baculum. [7] pro loci. [8] jus. [9] proprie. [10] panis olei vini. [11] moris. [12] sæptus. [13] deverticulo. [14] etiam. [15] is. [16] spurco. [17] præsentanea. [18] perpluere.

Digitized by Google

care [1], videtur, ut ait Labeo de Jure pontificio L. XI. ¶ Penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur, cum patiatur proportio etiā Penas dici, ut optimas, primas, Antias. ¶ Proculiunt, promittunt ait significare Antistius de Jure pontificali L. VIIII. ¶ Popularia sacra sunt, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis adtributa sunt. Fornacalia, Parilia, Laralia, porca præcidania. ¶ Pollucere merces . . . . liceat sunt far, polenta, vinum, panis fermentalis [2], ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ovilla, alica, sesama, et oleum, pisces, quib. est squama, præter squarū [3], Herculi autem omnia esculenta, poculenta. ¶ Profestum est facere, tamquam profanum facere, id est quod eo die, qui dies feriarum non est, facere; vel, ut quidam dixerunt, pro eo facere velut feriæ non sint; aut id facere, quod feriis fieri non liceat; itaque diem profestum, diē sine feriis esse. ¶ Profanum est, quod fani religione non tenetur. ¶ Procubitores dicuntur feri velites [4], qui noctu custodiæ causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt, ut M. Cato in eo, quem de Re Militari scripsit. ¶ Properam, pro celeri, ac strenua dixisse antiquos testimonio est Cato, cum ait in libro de Re militari: Tertia e fastris [5], eductio celeris prosperaq. [6] est. ¶ Pro . . . sta dolia ait dici Labeo

*Pag. 62.*

quod . . . . . . . .
r . . . . . . . .
tur . . . . . . . .
do . . . . . . . . [¶ Priveras mulieres pr[ivatas dicebant . . . . . . . .
tur pro . . . . . . . . [¶ Pube præsen[te, est populo præsente, συνεκδοχικῶς ab] iis, qui puberes sunt, omnem populum significan[t . . . . . . . .
qua . . . . . . . .
susc . . . . . . . .
dem . . . . . . . .
deci[dit . . . . . . . .
conc . . . . . . . .
agor . . . . . . . .
eadem . . . . . . . . cetera loc[a . . . . . . . .
fulgura s[acra . . . . . . . . ¶ Pecunia quæ erogatur [in ludos, et spectacula, appellatur lucarie [7], dicta quod [e lucis capletur . . . . .
in eodem libro . . . . . . . .
dixi [8] existimat, [cujus opinionis est et Valerius Messala in explana[tione XII. ¶ Pipulum dicebatur ploratus. ¶ Promel[lere, Verrius ait significari lituū provere [9]. ¶ Purime tetinero, positū est pro purissime tenue[ro. [¶ Publicus ager dictus, quia Augurū publicos [10] est, [ut Oscus in Veienti: is enim usu, et jure Augurum est. [¶ Prodicere diem est, prodere: prodictio nāq. prod[itio est, quæ, ut ait Verrius, in præsens valet. ¶ Patr[onus ab antiquis cur dictus sit, manifestum: quia [ut patres filiorum, sic hi numerari inter do[minos clientum consueverunt ¶ Pristina, velut prisi[ina [11]: sic prior, et alia ejus modi dictita[bant, ab eo quod est prius

P–Q

*Pag. 63.*

. . . . . . . .
. . . . . . . .
. . . . . . . . e
. . . . . . . . s
. . . . . . . . nte
. . . . . . . . ru
. . . . . . . . qui

. . . . . . . . . ¶ Præsagitio dicta est] quod præsagire est acute sentire, unde et sagæ anus d[ictæ, quæ multa sciāt, et sagaces cāes, quod fer]arū cubilia præsentiant EXPLICIT.]

LIBER XVI. SEX. POMPEI FES[TI INCIPIT LIBER XVII. FELICI[TER

¶ Quirinus ex hac causa Romulus est appel[latus, quod curi, id est hasta uteretur, a qua Roma]ni eo nomine Romulum appellaverunt.] ¶ Quirinalis porta, eadem quæ et Collina dicebatur,] ut legimus apud antiquos scriptores; posi]tum autem unius nomen, pro alterius reperi]tur quod ñ]tio ita cōjunctæ fuerint, ut unā tantum fuisse qu]asi id suffragetur; quam ideo nominari ait Collina]m Santra, proxime eam quod collis Quirinalis] est. Portam rursum Quirinalem ideo appel]lant, sive quod ea in collē Quirinalē itur, sive] quod proxime eā sacellum est Quirini; unde, ut videtur,] usurpatio facta, et duplex nomē uni eidemq. rei im]positū est. ¶ Quirites, dicti Sabini. a Curi dea, cui] aqua et vino sacra facere soliti erant; quos] tamen quidam [12] curis, dictos volunt, in quibus ab]his ei sacra fiant; cui opinioni Verrius adver]satur. Ab ejusdem autem deæ nomine videntur ite]m Curres [13] Sabinæ hastæ appellatæ, quibus ea gen]s armis erat potens. nunc et Sabini et Romani popu]li singulare usurpatur nomen, ut indicio est] preco, qui in funeris [14] indictivis ita pronūtiare solet: ]Illius [15] Quiris leto datus.

*Pag. 64.*

Quirites autem dicti, post fœdus a Romulo et Tatio percussum, cōmunionem, et societatem populi factam indicant. ¶ Quirinalia mense Februario dies, quo Quirini fiunt sacra. Idem Stultorum feriæ appellantur, (antequam in eum commigrarent fere Sabini Curib. venientes post fœdus inter Romulum et Tatium) quod quidē [16] suorū Fornacaliū sacrorū cognominant [17], eo potissimum * [18] rem divinam faciūt. ¶ Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim egonus [19] appellabatur, antequam in eum commigrarent (fere) Sabinis [20] Curib. venientes post fœdus inter Romulum et Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est; quamvis existiment quidam, quod in eo factū sit tēmplū Quirino, ita dictū. Quirina Tribus a Curensibus Sabinis appellationem videtur traxisse. ¶ Quiritium Fossæ dicuntur, quibus Ancus Marcius circumdedit urbem, quam secundum ostium Tiberis posuit, ex quo etiam Ostiam. et quia populi opera eas fecerat, appellavit Quiritium. ¶ Quincentum et producta prima syllaba, et per c. litteram usurpant [21] antiqui, quod postea levius visum est, ita, ut nunc dicimus, pronuntiari. ¶ Qui patres, qui conscripti vocati sunt in Curiam, quo tempore, regibus urbe expulsis, P. Valerius Cons., propter inopiam patriciorum, ex plebe adlegit in numerum senatorum C. et LX. et IIII. ut expleret numerum senatorum trecentorum, et duo genera appellaret esse [22]. ¶ Quispiam quin significet aliquis, et quæpiam aliquæ [23], similiter qui [24] alia ejusdem generis, ut dubium non est, ita (ut) unde sequens pars ejus cœperit, inveniri non potest. ¶ Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui terebis [25] celebrantur; qui scilicet errant tam hercule, quam quatriduo Saturnalia, et totidem

*Pag. 65.*

diebus Cōpitalia: nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli ejus, exemplo multorum populorū Italicorū enuntiata est, quod post diem quintum iduum est his [1] dies festus, ut apud Tusculanos Triatrus, et Sexatrus, et Septematrus, et Faliscos Decimatrus. Minervæ autem dicatum eum diem existimant, quod eo die ædis ejus in Aventino

[1] putant significare. [2] fermentatus. [3] scarum. [4] fere velites. [5] castris. [6] properaque. [7] lucar. inde [8] dici. [9] significare litem promovere. [10] publicorum. [11] priustina. [12] quidam a. [13] Cures. funerib. [14] Ollus. [15] quidam. [16] cum ignorant. [17] dic. [18] Agonus. [19] Sabini. [20] usurpabant. [21] appellata sunt. [22] aliqua. [23] quæ. [24] feriis. [25] is.

Digitized by Google

consecrata est. • ¶ Quinquertium vocabant antiqui, quem Græci πένταθλον, ut indicat versus hic : Omnis æqualis vincebat quinquertio. Livius quoque ipsos athletas sic nominat : Quinquertiones preco in medium vocat. ¶ Quisquiliæ dici putantur quidquid ex arboribus minutis surculorum foliorumve cadit; velut quidquid cadiæ [1]. Cæcilius : Quisquilias volantis venti spolia memoranti modo; et Novius in Togularia : Abi de turba te saxo, homo non quisquiliæ. Quid est? ¶ Quintipor, servile nomen frequens apud antiquos erat, a prænomine domini ductum, ut Marcipor, gripor [2]; quamvis sint, qui a numero natorum ex ancilla quinto loco dictum putent. ¶ Quippe significare quid ni, testimonio est Ennius L. xI [3] : Quippe solent reges omnes in rebus secundis. Idem L. XVI : Quippe vetusta virum non est satis bella moveri. Item alii complures. ¶ Quianam pro quare et cur positum et [4] apud antiquos, ut Nævium in carmine Punici belli : Summe deum regnator quianam genus isti; et in Satyra (quia nā genus isti; et in Satyra) : Quianā Saturnium populum pepulisti; et Ennium in L. VII : Quianam dictis nostris sententia flexa est. ¶ Quid nisi usurparise [5] antiquos testis est Afranius in Epistula : Me auctore mater abstinebis quid nisi? ¶ Quietalis [6] ab antiquis dicebatur orcus.

*Pag.* 66.

¶ Qui[ntia prata dicta sunt a Quintio Cincinnato, qui ..i damnato fil.o, venditis omnibus, quatuor jugerū agr[um trans Tiberim paraverat; quem agrum colentē sen[atus dictatorem, per viatorem, salutavit Cin[cinnatū, qui de re benegesta acto triumpho, ad p-riv[ata negotia. confestim rediit, deposita Dictatura pec[variamque rem et agrariam exercens, Romanis ipsis [æmulationi fuit. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
uos. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
quod eo [ . . . . . . . ¶ Quinctiliani Luperci appel[lati videntur a Quinctilio, qui præpositus est Lu[percis : ut a Fabio Fabiani dicti sunt; item Luperci, [quib. is præpositus fuerit. Fuisse autem Romuli [temporibus institutos utrosque, et Fabianos et Quinctili[anos, multi sunt qui existiment; quorum num[erum postea sæpe auctū fuisse, quia honoris gratia [multi lupercis adscribebantur. ¶ Quintanam classē [ait Verrius dictā, quod in ea Ser. Tullius rex distribut[a capitecensorū multitudine, quinque fecit cum eas ord[inavit. Hanc autem afferri causā de capite [censorū nomine; quod ii, quo censerentur, nihil præter se h[aberent suumque caput. Lucilius sic meminit : Quod . . . . . . . . . adeptus. ¶ Querque[ram febrem, gravem et magnam. nam quidam querc[um dictam volunt, quod id genus arboris, cum gra[ve sit ac durum, tum etiam in ingentem evada[t altitudinem. Aurelius autem Opilius frigidam a[it dici, et cum horrore trementem. Santra eam ex G[ræco deducit, qui tremorem ejusmodi κάρκαρον [dicunt; unde dici etiam carcerem. Plau[tus in Frivolaria : Is mihi erat bilis querque[ra tussis. Lucilius libro. . . . jactans me ut feb[ris querquera terret. Alibi : Querque[ra consequitur febris, capitisque

*Pag.* 67.

dolores. . . . . . . . . . . . . . . . [jus
. . . . . . . . . . . . . . . . . . quæ
. . . . quarum ex legibus quadrupli erat a]ctio
. . . . . . . . . . . . . . . . . . ibus
. . . . . . . . . . . . . . . . . . ata
. . . . . . . . . . . . . . . . . . oē
. . . . . . . . . . . . . . . . . . abant
. . . . . . . . . . . . . . . . . . ab eo
. . . . . . . . . . . . . . . . . . in

A . . . . . . . . . . . . . . . . . tis
. . . . . . . . . . . . . . . . q. licto.
. . . . . . . . . . . . . . . . populo
. . . . . . . . . . . . . . . curia ] Calabra . . . . . . . . . . . . ] men legum . . . . . . . . . . . . . in] populi dominatu . . . . ¶ Quando Rex Com]itia sic [7] Fas : sic notatum esse diem in fastis i]n honorem regis sacrorum, aiunt qui de feriis] menstruis scripserunt, quæ nonis Februarii in Curia a] Rege dicuntur; [8] eæ vero a multis scriptori]bus traditæ sunt. Nam quo die Rex in Comitium venit, ejus] pars anterior nefas habetur; contra autem fas : ] posterior. quia sacris peractis īde abit; quod] siquis alius pro Rege eo die in Comitio fecerit, puta Pon[tifex, tum his [9] dies totus est fastus. ¶ Quando ste]rcus delatum, fas. Eodem modo in fastis notatur di]es, qui talis est, ut ædis vestis [10] eo die purgetur, ster]cusq. in alvum [11] Capitolinum ex æde Vestæ deferatur.] cum id factum sit tunc prætori liceat fari tria verb]a. Quæstores B dicebantur, quod quærerent de reb.] capitalib.; unde qui talia quærunt, ¶ Quæstores pari]cidi appellantur. ¶ Quando cum gravi voce pro[nuntiatur, significat quod, quoniam, et est conjunctio, ut] Plautus in Menæchmis : Ideo quia ] mensam, quando edo,

*Pag.* 68.

detergeo; et in Pseudolo : Dabo, quando erit.—Dicito, quando habebis; et Ennius L. XVI : Nox quando mediis signis præcincta volabit. In XII. Quidem cum c. [12] littera ultima scribitur, idemque significat. ¶ Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt, quæ solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius. m. [13] cum ait : Et quis est erat [14] Romæ regnare quadratæ. ¶ Quadrurbem Athenas Accius appellavit, quod scilicet ex IIII urbibus in unam domicilia contulerunt, Braurone, C Eleusine, Pireæo, Sunio. ¶ Quæso, ut significat idem, quod rogo, ita quæsere ponitur ab antiquis pro quærere; ut est apud Ennium L. II : Ostia munita est, idem loca navibus pulchris Mundo [15] facit, nautisque mari quæsentibus vitam; et in Chresponte [16] : Ducit me uxorem liberorum sibi quæsendum gratia; et in Andromeda : Liberum quæsendum causa familiæ matrem tuæ. ¶ Quadrantal vocabant antiqui, quam ex Græco amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo et XL. capit sextarios. Plautus in Curculione : Anus hæc sitit. — Quantillum sitit? — Modica est, capit quadrantal E et Cato contra Oppium : Vinum redemisti, prædia pro vini quadrantalibus sexaginta in pulli [17] dedisti, vinum non dedisti. ¶ Quaxare [18] ranæ dicuntur, cum vocem mittunt. ¶ Quartarios appellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quæstus capiebant. Lucilius : Porro homines nequam malus ut quartarius cippos Colligere omnes. ¶ Quatenus signi- D ficat, qua fine, ut hactenus, hac fine. At quatinus, quoniam; sed antiqui quatenoc [19] dicebant, ut Sci-

*Pag.* 69.

pio Africanus in ea oratione, quam scripsit postquam ex Africa rediit : Uti negotium natum erat, quatenoc [20] castra nostra ita munita erant, ut posses partem exercitus abducere. ¶ Quande pro quam usos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tamen hujus [21] in primo : Juppiter, ut muro fretus magis quande manus impe [22] . . secundo : Quande tuas omnes legiones, ac popularis. Et Lucretius : Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes, Quande gravis tergaios [23], qui vera requirunt.

[1] cadit. [2] Caipor. [3] XI. [4] est. [5] usurpavisse. [6] Quietalus. [7] Comitiavit. [8] edicuntur. [9] is. [10] ædes Vestæ. [11] oli vum. [12] E. [13] meminit. [14] extiterat. [15] Munda. [16] Cresphonte. [17] publicum. [18] Quoaxare [19] quatenos. [20] quatenos. [21] tum, Ennius, vel, tum et Livius. [22] manu sui. Idem in. [23] inter Graios.



Digitized by Google

¶ Quā mox, significat quam cito; sed si per se ponas A mox, significabit paullo post, vel postea.

¶ Quatere, suspensum, et vicinum rei alicujus motum significat, non ut Verrius putat, ferire, cum id ipsum verbum concutere ex præpositione, quæ est con, et quatere sit compositum; ¶ quassare autem est sæpe quatere. ¶ Querquetulanæ ut re [1] putantur significari nymphæ præsidentes querqueto virescenti, quod genus sylvæ indicant fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetularia. Sed feminas antiqui, quas sciens [2] dicimus, viras appellabant. Unde adhuc permanent virgines et viragines. ¶ Ques antiqui dixerunt, inde declinatum remanet dativo casu, quibus, nā qui adhuc itē qui [3] facit, ut isti istis, illi illis. ¶ Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem. His verbis perit ominis videlicet causa, ne dicat, qui non censetis. ¶ Quot servi, tot hostes, in proverbio est, de quo Sinnius Capito existimat errorem hominib. B intervenisse præpostere plurimis enuntiantibus; vero enim similius esse dictum initio, Quot hostis, tot servi, tot [4] captivi fere ad servitutem adducebantur. Unde etiam mancipia, nec

Q-R.

*Pag.* 70.

saa . . . . . . . . . . . . . . . .
ser . . . . . . . . . . . . . . . .
epti . . . . . . . . . . . . . . .
ruti . . . . . . . . . . . . . . .
gia . . . . . . . . . . . . . . . .
turbat . . . . . . . . . . . . . .
rent . . . . . . . . . . . . . . .
uncia. . . . . . . . . . . . . . .
Sinn[ius Capito . . . . . . . . . . .
ut perh[ibent . . . . . . . . . . . be-
neficæ [virtutis. . . . . . . . . . .
omnibus [ . . . . . . . . . . . . an-
cillæ. . . . . . . . . . . . . . . C
omnis un . . . . . . . . . . . . .
me part [re- . . . . . . . . . . . .
gula, sed v. . . . . . . . . . . . .
s altius fixa . . . . . . . . . . .
ferendum qui . . . . . . . . . . . .

¶ Quōiā significat [nō solū id quod quia, ut ait Verrius, apud antiquos, [sed etiam id quod postquam, hac scilicet de causa, quod [Græcum ἐπεὶ [5] utriusque signification[em optinet. ¶ Quod significat etiam aliquid, præ[terquā quod in usu fere ē, et Græci dicunt τί. ¶ Quin[quennales Censores appellabātur, qui lustrū cō[derēt quīto quoq. anno a quo nomīari cœptos. ¶ Quin[que genera signorum observabant Augures publici, [ex cœlo, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex [diris, ut est in Auguralibus. ¶ Rufuli Tribuni mil[itum appellabantur, quos Consul faciebat, n[on populus : de quorum jure, quod Rutilius Rufus leg[ē tulerat, qua eis cavebatur multis modis : sic enim eleva[verant eorum jus, ac tunc elevabant, qui populi suffra[gio creabantur : Rufuli a D cognomine Rutili, a[c post Rutili appellati sunt,

*Pag.* 71.

. . . . . . . . . . . . . . . . nas-
. . . . . . . . . . . . . . . . æ
. . . . . . . . . . . . . . . . Nævi-
us . . . . . . . . . . . . . . . ] uit
. . . . . . . . . . . . . . . . ad
. . . . . . . . . . . . . . . . esen-
. . . . . . . . . . . . . . . . Ru[ctare,
non ructari, dicendum ait Verrius, ] ut pro
. . . . . . . . . . . . . . . . os igi-
tur. . . . . . . . . . . . . . . [scrib-

. . . . . . . . . . . . Valerius Fl[accus
Videres alios Ructa[re, ac respuere pulcherrima superbia.] . . M. Cicero tamen in libro II. Philippicarum, ] ructaretur dixit. ¶ Resperum, vinum si[gnificat apud antiquos, quia in sacris no[vendialibus vino mortui sepulchrum s[pargebatur.
. . . . . . . . . . . . . ] ¶ Romani videntur ab initio nulla usi esse] artificum opera, sed ubi primum ludos facere c[œperunt tunc asciti artifices ab Etruscis ci[vitatibus fuerunt : sero autem ludi] omnes, qui nunc a Romanis celebrari solent,] sunt instituti. Quidam primos ponunt Rom[anos. Alii aiunt Megalenses, id est Matris] Magnæ, ac populares Cereris. Alii aiunt] in conferendis equis Trojam lusitasse pueros [ Romanos. Alii institutum, ut luderent e[quitando, jactu, saltu, cursu, festis Pa]lilibus : parib. que etiam ut ludicræ certationes a] ludentibus fierent. ¶ Rubidus panis appellat]ur parum coctus, cum rubro colore, rubefactus. ] Plautus in Casina : In furnum condit]o, atque ibi torreto pro pane rubido. It[em scorteæ ampullæ

*Pag.* 72.

vetustate rugosæ, et coloris ejusdem, rubidæ dici solent. ¶ Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua, qui locus ab antiquis appellari solitus est Statuæ Cinciæ, quod in eo fuit sepulcrum ejus familiæ. Sed porta Romana instituta est a Romulo infimo [6] clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadram formatus est. Appellata autem Romana a Sabinis præcipue quod ea proximus aditus erat Romam. ¶ Rutabulum est, quo rustici in proruendo igne, panis coquendi gratia. [7] Novius in Pico : Quid ego facerem, otiosi [8], rodebam rutabulum. Navius [9] obscenam viri partem describens : Vel quæ sperat se nupturam viri [10] adolescentulos [11], ea licet senile tractet retritum rutabulum. ¶ Ruta cæsa dicuntur quæ venditor possessionis, sui usus gratia concidit, ruendoq. contraxit [12]. ¶ Rutilium [13] rufum significat, cujus coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt, unde traxerunt cognomina rutilias [14], ut indicat frequenter Afranius. ¶ Rutrum tenentis juvenis est effigies in Capitolio ephebi, more Græcorum harenam ruentis, exercitationis gratia. Quod signum Pompeius Bithynicus ex Bithynia suppellectilis regiæ Romam deportavit. ¶ Rutundam ædem Vestæ Numa Pompilius, rex Romanorum, consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentarentur, crediderit, eamque pilæ forma esse, ut sui simili templo dea coleretur. ¶ Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paullo herba, et exiruis [15] virgultis fructibusque [16], non dissimile junco, cujus coloris rebus uti mulieres solitæ [17], commemorat Cato Origi-

*Pag.* 73.

num l. VII : Mulieres opertæ auro, purpuraque; ars [18] inhæret diadema, coronas aureas ruscea facile [19], galbeos [20] lineas, pelles, redimicula. ¶ Rupitias in XII significat damnum dederit [21]. ¶ Rodus, vel raudus significat rem rudem, et imperfectam. Nam saxum quoque raudus appellant poetæ, ut Accius in Melanippo [22] : Constituit [23], cognovit, sensit [24] conlocat sese in locum celsum. Hinc manibus repete roudus [25] saxeum grandem et gravem. Et in Chrysippo : Neque quisquam a telis vacuus, sed uti cuiq; obviam [26] fuerat, ferrum saxio rudem [27]. Vulgus

[1] viræ. [2] sagas nos. [3] quis. [4] quod. [5] ὅτι. [6] in imo. [7] utuntur. [8] otiosus? [9] Nævius. [10] viro [11] adolescentulo. [12] extraxit. [13] Rutilius, vel, Rutilus. [14] Rutilæ. [15] exilius. [16] fruticibusque. [17] solitæ. [18] auri. [19] face. [20] galbeas. [21] dederis. [22] Menalippo. [23] constitit. [24] sensim. [25] rodus. [26] obviam. [27] saxum rodum.

Digitized by Google

quidem in usu habuit, non modo pro ære imperfecto, ut Lucilius, cum ait : Plumbi paxillum [1] rodus liniq. matexam [2]; sed etiam pro signato, quia in mâcipando, cum dicitur, Rudusculo libram ferito, asse tangitur libra. Cincius de Verbis priscis sic ait : Quemadmodum omnis fere materia non deformata, rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum : sic æs infectum rudusculum. Apud ædem Apollinis æs conflatum jacuit; id adrudus appellabant. In æstimatione Censoria æs infectum rudus appellatur. ¶ Rudiarii ab eodem dicuntur, qui saga nova poliunt. Hominem imperitum ¶ Rudem dicimus. ¶ Rudentes restes nauticæ, et asini, cum voces mittunt. ¶ Ruspari est quærere cribro [3], ut hoc versu indicatur : Et ego ibo, ut latebras ruspans rimarem optimas. ¶ Rustica vinalia appellantur mense Augusto XIIII kal. Sept. Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt; eodem autē die Veneri templa sunt consecrata, alterum ad Circum Maximum, alterū in luci libitia densi [4], quia impius [5] Deæ tutela sunt horti. ¶ Rustum ex rubus

*Pag.* 74.

. . . . . . . . . . . . . . .

*Pag.* 75.

. . . . . . . . . . . . . . .

*Pag.* 76.

ubi incubare posset auspicii repetendi causa. ¶ Rogatio est, cū populus consulitur de uno plurib. ve hominibus, quod nō ad omnis pertineat, et de una plurib. ve reb. de quib. non omnib. sanciatur; nā, quod in omnes homines resve populus scivit, lex appellatur. Itaq., Gallus Aelius ait, inter legem et rogationem hoc interest : rogatio est genus legis; quæ lex, non continuo ea rogatio est. * [6] non potest non esse lex, si modo justis comitiis rogata est. ¶ Romulum quidam a ficu Ruminali, alii, quod lupæ ruma nutritus est, appellatum esse ineptissime dixerunt; quem credibile est a virium magnitudine, item fratrem ejus, appellatos. Romam appellatam esse Cephalon Gergithius, qui de adventu Æneæ in Italiam videtur conscribsisse, ait ab homine quodam comite Æneæ : eum enim occupato monte, qui nunc Palatius [7] dicitur, urbem condidisse atq. eam Rhomam nominasse. Apollodorus in Euxenide ait, Ænea, et Lavinia natos Mayllem, Mulum Rhomumque, atque ab Rhomo urbi tractum nomen. Alcimus ait, Tyrrhenia Æneæ natum filium Romulum fuisse, atque eo ortam Albam Æneæ neptem, cujus filius nomine Rhodius [8] condiderit urbem Romam. Antigonus Italicæ historiæ scribtor ait, Rhomum quendam nomine, Jove conceptum, urbem condidisse in Palatio Romæ, eique dedisse nomen. Historiæ Cumanæ compositor, Athenis quosdam profectos Sicyonem Thespiadasq. [9], ex quib. porro civitatib. ob inopiam domiciliorum compluris profectos in exteras regiones, delatos in Italiam, eosque multo errore nominatos Aborigines, quorum subjecti qui fuerint Cæximparum viri, unicarumque virium imperio montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellavisse a viribus regentis Valentiam. quod no-

*Pag.* 77.

men adventu Evādri Æneæque in Italiam cum magna Græce loquentiū copia interpretatū, dici cœptum Rhomen. Agathocles Cyzicenarū rerum conscribtor, ait. vaticinio Heleni impulsum Ænean, Italiam petivisse portantem, suam secum neptem, Ascani filiam, nomine Rhomē, eamq., ut Italia sint Phryges potiti, et his [10] regionibus maxime, quæ nunc sunt vicinæ urbi, prima [11] omnium consecrasse in Palatio Fidei templum, in quo monte postea cum conderetur urbs, visam esse justā vocabuli Rōæ nominis causā, eā, quæ priore, unde ea locum dedicavisset Fidei. Ait quidem Agathocles complures esse auctores, qui dicant Ænean sepultum in urbe Berecynthia proxime flumen Nolon, atq. ex ejus progenie quendam nomine Rhomum venisse in Italiam, et urbem Romam nominatam condidisse. Caltinus [12] Agathoclis Siculi qui res gestas conscribsit, arbitratur e manu Trojanorum fugientiū Ilio capto, cuidam fuisse nomē Latino, eumq. habuisse conjugem Rhomam, a quo, ut Italia sit potitus, urbem condiderit, quam Rhomam appellavisse. Lembus, qui appellatur Heraclides, existimat, revertentibus ab Ilio Achivis, quendam [13] tempestate dejectos in Italiæ regiones, secutos Tiberis decursum pervenisse, ubi nunc sit Roma, ibique propter tædium navigationis, impulsas captivas auctoritate virginis cujusdam tempestivæ nomine Rhomes, incendisse classem, atque ab ea necessitate ibi manendi urbem conditam ab his, et potissimum ejus nomine eam appellatam, a cujus consilio eas sedes sibi firmavissent. Galitas scribit, cum post obitum Æneæ imperium Italiæ pervenisset ad Latinū Telemachi Circesq. filium, hisque [14] ex Rome suscepisset filios Romum Romulumque, urbi conditæ in Palatio causam fuisse appellandæ potissimum Rho-

*Pag.* 78.

mæ. [ Diocles Peparethius ait Iliam, Numitoris Al[bani regis filiam, gemellos edidisse, quos in i[ma Tiberis ripa a Faustulo, regio ministro, exp[ositos juxta ficum appellatam postea a Rom[ulo Ruminalem, sic jacentes lupam lac[tasse, et picum Martium nutrisse; post, repertos [ Accam Larentiam, Faustuli uxorem, educasse. Pler[ique tamen, conscio, et alimenta præbente Numito[re, nutritos aiunt, quod Ilia ex Marte se pepe[risse eos asseverabat, ac secreto litteris, omni deni[que liberali disciplina Gabiis institutos atque [ excultos fuisse; atque ita in musicis primam p[ueritiam traduxisse, cum inter æquales omnes p[ræstarent corporis proceritate et forma, nomin[atos, alterū Romulū, Remum alterū. Eos ubi ex compre[ssu Iliæ natos se cognoverint, et quod expositos in [ripa Tiberis lupa lactaverit præbens rumam, monte[ vicino descēdēs, et quod reperti a Faustulo sunt educa[ti, Romulusque et Remus a ruma nominati poti[ssimum; præterea, quo cum, patre essent procreati, [intellexerint, Numitori avo primum restituisse reg[num, deinde de urbe condenda per auguria decre[visse, uter eam conderet, nominaretq., ac Deorum [manifesta approbatione, Romulum urbem con[didisse, eamque nominasse Romam potius, quam Romu[lam de suo nomine, ut ampliore vocabuli signifi[catione prosperiora patriæ suæ ominaretur. [Romam antea Romulam appellatam Terentius quidem [Varro fuisse ait ab Romulo; deinde detortam voca[lem, detritasque literas fuisse credibile. Ceterum cau[sam ejus appellationis invenisse ait Verrius [ vetitam esse publicari. ¶ Romanam portam ante[a Romulam vocitatam ferunt, quæ fuerit [ab Roma appellata.

*Pag.* 79.

¶ Romuliam Tribum appellatam ait Dio[nysius ab Romulo, quod in agro ab eo] capto de Veientibus populis, ea Tribus cen[sebatur. Terentius Varro dictam ait, quod proxima Romæ esset. . . . . . . . . . . . [ quæ . . . . . . . . . . . . . . c[uidam

[1] pauxillum. [2] metaxam. [3] crebro. [4] Luco Libitinensi. [5] in ipsius. [6] Rogatio. [7] Palatinus, vel, Palatium. [8] Rhomus. [9] Thespiasq. [10] in iis. [11] primam. [12] Callias. [13] quosdam. [14] isque.]

Digitized by Google

. . . . . . . . . . . . . . . ep
. . . . . . . . . . . ruma, id est,] mamma
. . . . . . . . . . . . . Cap-
itolio . . . . . . . . . . . . ]nium
. . . . . . . . . . . . . . . de
. . . . . . . . . . . . . . . quæ
. . . . . . . . . . . . . . . requisi-
. . . . . . . . . . . . . ap]pellatam
. . . . . . . . . . . . . . . est quæ
. . . . . . . . . . . . . . . ¶ Rumex

genus teli simile spari Gallici, cujus]. m. Lucilius: Tum spara, tum rumices portantur,] tragula porro. ¶ Rumitant significat rumigera]nt, ut Nævius: Simul alius aliunde rum]itant inter se [1]. ¶ Ruminalem ficum appel]latam, ait Varro prope Curiam sub Veter]ibus, quod sub ea arbore lupa rumam dederit] Remo et Romulo, id est, mammam. Mamm]a autem rumis dicitur; unde rustici hædos lactent]es subrumios vocant, qui adhuc sub māmis habentur.] Alibi [2] autē sunt qui putent, quod sub ea pecus] ruminari solitum esset. ¶ Rumen est pars colli, ] qua esca devoratur, unde rumare dicebant, ] quod nunc ruminare. ¶ Rumentum in Augur]alib. significare videtur interruptio abrupti]ove: Dum verba ancilib. movendis præit, si int]erim vis [3] canerit, tum æque atque auspici]o augurio rumentum estod. ¶ Rhegium signifi]care oportere ait

*Pag.* 80.

Verrius id municipium, quod in freto e regno [4] Siciliæ est, quoniā in dictū est a rūpendo, quod est Græce ῥατάται [5], eo quidem magis, quia in Gallia Cisalpina ubi forum Lepidi fuerat, Regium vocatur. ¶ Rhodesicadionque [6] cum dixit Lucilius, quo nomina riparum [7] posuit, tam infestum sibi corpus et valitudinem referens, quam levis sed [8] saluti navigantium. ¶ Rhinocerotē quidam esse aiunt bovē Ægyptium. ¶ Redemptores proprie, atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum ut [9] præbendum condixerant [10], effecerantque, tum demum pecunias accipiebant; nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At hi nunc dicuntur redēptores, qui quid conduxerunt præbendum utendumq. ¶Redibiturtū [11] id proprie dtr, quod redditū ē, iprobatūq. et [12] qui dedit, idēque rursus coactus est habere id, quod ante habuit. ¶ Rediviam quidam, alii relūvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit, quia ruere [13] est solvere. Titinius in Setina: Lassitudo conservum rediviæ et flagri; et Livi.: Scabra in legendo, reduviosave offendens. ¶ Redhostire referre gratiam. Navius [14] in Lupo: Vel Veiens regem salutant jubæ [15] Albanū mulium [16], comitem senem sapientem contra redhostis Menalus. Et Accius in Amphitryone: Cedo ecquid te redhostititum [17], cum eas sem objectet [18] facilius. Nā et hostire, pro æquare posuerunt. Ennius in Cresphonte: Audis atque auditis hostimentum adjungito; et in Hectoris Lytris: Quæ mea cominus machæra atque hasta hospius [19] manu. Et Pacuvius in Teucro: Nisi coerceo protervitates, atque hostio ferociam. ¶ Redātruare [20] dicitur in Saliorū exultationibus, cn præsul ampiruavit [21], quod est, motus edidit, ei [22] referuntur invicem iidem motus. Lucilius: Præsul

*Pag.* 81.

ut ampruet, inde vulgus redamplavit [23]. At Pacuvius: Proærtrēda [24] gratia. Simul cū videā Graios nihil mediocriter redamptruare [25], opibusque summis persequi. ¶ Redivivū est ex vetusto renovatum. Cicero L. I. [26] in Verrē: Utrum existimatis minus ope-

A ris esse, unam columnam efficere ab integro novam, nullo lapide redivivo. ¶ Redarguisse [27] per e. litterā Scipio Aphricanus, Pauli filius, dicitur enuntiasse, ut idem etiam pertisum, cujus m. Lucilius, cum ait: Quo facetior videare, et scire plus quam ceteri, pertisum hominē, non pertæsum dicere ferū [28]. Nam genus *. ¶ Redimiculum vocant mulieres catellam, qua max me utuntur ornatus causa. ¶ Reus nunc dicitur, qui causam dicit: et itē qui quid promisit sponditve, ac debet. At Gallus Ælius Li. II. Significationum verborū quæ ad jus pertinent, ait: Reus est, qui cum altero litem co testatam habet, sive his [29] egit, sive cum eo actum est. ¶ Reus stipulando ē idē, qui stipulator dicitur; quippe suo nomine ab altero quib. populatus [30] est, non his [31] qui alteri adstipulatus est. ¶ Reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid prōisit, qui [32] pro altero quid prōisit. At Capito Actus [33] in eadē quidē opinione est, sed exemplo adjuvat interpretationem. Numa [34] in secunda tabu-

B la, secūda lege, in qua scriptū est: Quod horū fuit unū [35] judici arbitrove, reove, eo die diffensus [36] es o. Nunc uterq. actorū reiquæ [37] in judicio me [38] vocatur, itemque accusator de vi accitur [39] more vetere, et consuetudine antiqua. ¶ Rivus vulgo appellatur tenuis fluor aquæ, non spe consiliove [40] factus, verum naturali suo impetu; sed hi [41] rivi dicuntur, qui manu facti sunt, sive super terram fossa, sive super [42] specu, cujus vocabuli origo ex Græco pendet. ¶ Repanda [43] locantur Pompina [44] flami-

*Pag.* 82.

n[a, id est, purganda: retæ enim vocantur arbores, quæ a[ut ex ripis fluminum eminent, aut in alveis extant. ¶ Rit[us est mos, vel consuetudo. ¶ Rite autem bene a[c recte significat . . . . . . . . .
istic. [ Plautus Menæchmis: Certe hæc mulier canterino [ ritu astans somniat . . . . . .
homi . . . . . . . . . . . . . . .
ina . . . . . . . . . . . . . . .

C telo . . . . . . . . . . . . . . .
alio [ . . . . . . . . . . . . facit mentionem [ . . . . . . . . . . . . . te-
lorum [. . . . . . . . . . . . . so-
litum est . . . . . . . . . . . . .
remo [ . . . . ¶ Retractare est rursus tractare. ¶Ra[bidus a rabie dictus, qui morbus caninus est. Catullus [de Berecynthia et Atti: Abit in quiete molli rabidus [ furor animi. ¶ Ravi coloris, ravistelli appellantur [ a Plauto, qui sunt inter flavos et cæsios, ravo sub con- [45]
quod genus hominum [ pessimum est. Idem in Epidico: Sed quis hæc est [ muliercula, et ille ravistellus, qui venit. ¶ Rates [ vocantur tigna inter se colligata, quæ per aquam agan[tur: quo quidem vocabulo interdum etiam na[ves ipsæ significantur. Afranius in Epistula [. . . . . . Vento perculsam ratem. It[em eodem nomine significarint [46] etiam re[mos. Attius in Neopto-

D lemo. Atque ego rep[ercutio ratibus mare; et alio loco: Sed jam [ propellunt cæruleum rates salum. ¶ Radere g[enas vetitum est in lege XII., id est, unguib. [ scindere. ¶ Rabula dicitur in multis intus [47] neg[otiis, paratusq. ad radendum quid auferendumq.; [vel est ita dictus, quia acrior sit in neg[otiis agendis, et quasi rabiosus.

*Pag.* 83.

. . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
¶ Rodusculana porta videtur appellata, qu]od

[1] sese. [2] alii. [3] avis. [4] regione. [5] ῥῆξαι. [6] Rhon Ion Icadionque. [7] cognomina piratarum. [8] illa esset [9] aut. [10] conduxerant. [11] Redibitum [12] ei. [14] lucre. [14] Novius. [15] salvere jubet. [16] Amulium. [17] redhostitum. [18] cum in ea se oblectet. [19] hostiris. [20] Redamptruare. [21] amptruavit. [22] et. [23] redamptruavit. [24] Promerenda. [25] redamptruare. [26] III. [27] Redarguesse. [28] ferunt. [29] is. [30] qui stipulatus. [31] is. [32] quive. [33] Ateius. [34] Nam. [35] vitium. [36] dies diffissus. [37] actor reusque. [38] rei. [39] de via citu. [40] specu inciliove. [41] ii. [42] subter. [43] Retanda. [44] Pomptina. [45] colore. [46] significarunt. [47] intentus

Digitized by Google

rudis et impolita sit relicta; vel quia æ]re A vincta fuit; nă :es, ut Varro ait in libro Antiqui ]tatum, randus dicebatur: atque ex eo dici in man]cipando: Rauduscule libram ferito. ¶ Runa genus] teli. Ennius: Runata recedit, id est, pilata. Est ] genus etiam . . . . . . . . . . . . . ] enim . . . . . . . . . . . . . . . . m, atque . . . . . . . . . . . . . . . quod ] veneno tingebant . . . . . . . . . . ] us. M. . . . . . . . . . . . . . . . Val ]erio . . . . ¶ Rasores antiqui fidicines appel]labant, qui, ut ait Verrius, ita appellati vid]entur, quia radere ictu chordas videantur ] artificio quodam. ¶ Ratitum quadrantem ] Tarquitius in libro, quem inscribsit de. . . ] et Oppius [1] Aurelius, dictum putant, quod ] in eo, et triente, ratis fuerit effigies, ] ut navis in asse, a qua quidem re appellatum ] quoque ratitum dicunt. Meminit trientis ] ratiti Antonius, qui ratitos ex hac causa dici ] trientes putat, B quod ratis appellatio tertiæ parti]s assis sit, quintæ autem, aut alius partis ] in illa sic [2], sed secundum numerum, ut sex]tans; nec hac re ratem dici solere, nisi de terna; ] ac legionum unam [3] unam ratem triente sig]nificat, quod hi penderentur trientes, cum ra]tio cum his putaretur, quibus solvendæ res ess]ent. ¶ Ravim antiqui pro raucitate dicebant. ] Plautus: Ubi si quid poscamus, ad ravim poscamus. ] Item: Experiuravi [4] hercle omnia ad raucam rav]im; et in Artemone: Et . . . . . . . Cæcilius ] in Hypobolimæo: Prius ad ravim poscaris, quă placen]tam feceris. ¶ Ratus sum,

*Pag.* 84.

significat putavi; sed alioqui pro firmo, certo, ponitur ratus, et ratū. Ennius: Occidūtur, ubi potitur ratus Romulus prædam. Et Accius in Menalippo: Neque ratū est, quod dicas, neq. quæ agitas, dicendi est locus. ¶ R. duobus in cōplurib. orationib. cum de actis disserti cujus etiă [5] perscribi solet, id est, Rationū Relatarum quod his [6] tabulis docentur judices, quæ publice data, atq. accepta sint. ¶ Ravilie [7] a ravis oculis, quemadmodum a cæsiis cæsullæ. ¶ Ratumena porta a nomine ejus appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor, clarusci [8] generis juvenis vehis [9] consternatis equis excussus Romæ periit, qui equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium, conspectumq. fictilium quadrigarum quæ erant in fastigio Jovis templi, quas faciendas locaverant Romani vegenti [10] cuidam artis figulinæ prudenti; quæ bello sunt reciperatæ: quia in fornace adeo creverant, ut eximi nequirent; idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuissent, omnium eam futuram potentissimam. ¶ Reciperatio est, ut ait Gallus Ælius, cum inter populum, et reges, nationesque et civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res reciperenturque, resq. privatas inter se persequantur. ¶ Reciprocare pro ultro, citroq. poscere usi sunt antiqui, quia procare est poscere. Pacuvius in Teucro: Rapido, reciproco, percito, augusto, citare, rectem, reciprocare. unde eq. gremiis subjectare, adfigere. Plautus in Astraba: Quasi tollenono [11], aut pisum Græcum reciproceis plana via. ¶ Recellere, reclinare, et excellere, in altum extollere. ¶ Recinium, omne vestimentum quadratum, hi [12] qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt vir toga [13] * mulieres utebantur, prætextum [14] clavo purpureo.

*Pag.* 85.

unde reciniati mimi planipedes; quam rem diligenter exsequitur Santra L. II. de Antiquitate verborum. ¶ Reconduciæ [15] fecerit [16] et condere urbem, facere, ædificare, ut Cincius testatur in libro de Verbis priscis. ¶ Ricæ, et riculæ vocantur parva ricinia, ut palliola ad usum capitis facta. Grane [17] quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur. ¶ Rectæ appellantur vestimenta virilia, quæ patres liberis suis conficienda curant, ominis causa, ita usurpata, q. a stantibus et in altitudinem texuntur. ¶ Remancipatam Gallus Ælius esse ait, quæ mancipata sit ab eo, cui in manum convenerit. ¶ Rienes quos nos vocamus, antiqui nefrundines appellabant, quia Græci νεφρούς eos vocant. Plautus in Satyrione: Male tibi evenisse video; glaber erat tamquam rien. ¶ Refriva fabra [18] dtr, via [19] ait Cincius quoq., quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocant [20] fruges, ut domum datantes tevirtico [21] ad rem divinam faciendam. Ælius dubitat, an ea sit, quæ prolata in segetem domum referatur, an quæ refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cinci adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata dis datur, nominatur refriva. ¶ Remeare, redire: ut cōmeare, ultro citro [22] ire; unde commeatus dari dicitur, id est, tēpus, quo ire, redire cum [23] possit. Afranius ut in ea mancipato [24]: Vetuit me sine mercede prosum paucius [25] remeare in ludum. ¶ Remeligens [26] et remoræ memorando [27] dictæ sunt in [28] Plauto in Patina: Nam quid illæ nunc tam divinitus [29] remorantur remeligines; ab Afranio in Prodito: remeligo a Laribus missa sum hanc [30], quæ cursum

*Pag.* 86.

cohib[eam navis. ¶ Remora alias tarditas nominan[tur [31], ab eo quod morā facit. Plautus Trinumo [32]: [ Quæ in rebus multis obstant, odiosæq. su[nt, remoramque faciunt rei privatæ et publi[cæ. Lucilius. Quænam vox ex te resonans meo gr[adu remoram facit. ¶ Remurinus ager C dictus, [quia possessus est a Remo; et hab tatio Remi Remu[ria item in Aventino dicta: nam que Aventinū, [in quo habitaret, elegisse Remū dicunt. Unde vocitatam[ aiunt Remuriam, locum in summo Aventino, ubi de urb[e condenda fuerat auspicatus. Alias ¶ Remorum [33] qu[ondam eum locum appellatum fuisse . . testis est [ . . . . . . . . . ¶ Remores item in usp[icio [34] aves dicuntur, quæ acturum aliquid remora[ri compellunt . . . . . . ¶ Rimari, quære[re valde, ut in rimis quoq. . . . . qui te rima[tur . . . . . . . . . . . . Ennius Li. XI . . . . . . . . . . . . viriq. ¶ Re[millum dicitur, quasi repandum . . Lucilius Suda . . . . . . . . . . . remilium et Afra[nius in . . . . . . . . cocxendice pergam [ . . . . . . . . ¶ Remorbescat En[nius posuisse videtur, pro in morbum recidat. ¶ Re[futare significat redarguere. Pacuvius in Herm[iona [35] . . . . . . . D quas gloria et . . . . . . . . . . . . rictas humanum [. . compositum a fando, versa a. litera in u., [ ut item in caludo factum est, a quo recludere. ¶ Re[nanciscitur, Verrius quidem significare ait rep[rehendit. Unde adhuc nos dicimus nanciscitur; [et nactus, id est, adeptus. ¶ Reor, existimo, et quæc[unq. ab eo declinantur, quorum passiva aucto[ritas est. ¶ Remul-

*Pag.* 87.

co est, cum scaphæ remis navis magn]a trahitur. ¶ Rigidum et præter modum frigidum si]gnificat, et durum . . . . . . . . . . . . ugido [36] . . . . . . . . . . . . . . . . . . . rigido

[1] Opilius. [2] nulla sit. [3] legibus Numæ. [4] Expurgabo. [5] disseritur cujuspiam. [6] iis. [7] Ravillæ. [8] Etrusci. [9] Veiis. [10] Veienti. [11] tollenonem. [12] ii. [13] virilem togam, qua. [14] prætextam. [15] Reconderit. [16] refecerit. [17] Granius. [18] faba, [19] ut. [20] revocent. [21] e tritico. [22] citroq. [23] rediroq. [24] in Emancipato. [25] Paccius, vel, Paucius. [26] Remeligenes. [27] a morando. [28] a. [29] tamdiu intus. [30] huc. [31] nominatur [32] Trinumo. [33] Remorium, vel Remonium. [34] auspicio. [35] Hermiona. [36] rigido.

Digitized by Google

. . . . . . . . . . . . . . . . rigi]do ferro . . ¶ Regifugium dies notatur in Fastis ] vi kal. Martias, ut ait Verrius, ita dic]tus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit; ] quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, ] et Tullius [1] de Feriis, qui Saliares virgines et ] Salios adesse dicunt Regi sacrorum, cum facit sacri]ficium in Comitio, quo facto statim fugit; quod verũ cog]noverit esse, qui legerit in Fastis dies tales, qua]les notantur sic. Q. REX. C. F. id est ], Quando Rex Comitiavit, Fas; id est, ad comitium it]at: his enim tantum feriis Regi sacrorum in Comitium, ]nec in aliis ire licet; qui mos videtur ascitus ex E]truria. Regifugium item dies notatur in Fastis, ] kal. Juniis, qui dies, quia totus nefastus non est, ] legi debet cum nota N'. non N. quod ille dies sit ] e nefasto fastus. ¶Regia dicta, quod sacrorn causa tã ]quã in fan a Pontifice convocati, in eam convenirent,] aut quod in ea sacra a Rege sacrificulo erant sol] ita usurpari.

¶ Regiæ feriæ dictæ videntur, q]uæ fiunt fori, conventus et nundinarum causa, in ] civitate aliquem per sacerdotem, qui sit regia maj]estate; sed non semper ob hanc unã causam tant]um, qui [2] hominitatis majestatis cura datur etiã, cũ expiatio] ictus fulguris t, aut in procurando portento simi]li, quo Regiæ feriæ fieri etiam solitæ sunt. ¶ R]eglescit, cum dixit Plautus, significat crescit, h]oc versu: vix supersum dolori, qui in dies, va]e misero mihi ac perdito, reglescit magis magisque ]. Inde etiam glires

*Pag.* 88.

dicti videntur, quibus corpus pinguitudine adcrescit. ¶Reapse est reipsa. Pacuvius in Armorum judicio: Si non est ingratum reapse quod feci bene. ¶Regimen pro regimento usurpant poetæ. Ennius L. XVI: Primus senex bradyn (in) regimen belliq. peritus. ¶ Relegati dicuntur proprie, quib. ignominiæ, aut pœnæ causa necesse est ab urbe Roma, aliove quo loco abesse lege, Senatusque consulto, aut edicto magistratus, ut etiam Ælius Gallus indicat. ¶ Religiosus est non modo Deorum sanctitatem magni æstimans, sed etiam officiosus adversus homines, dies autem religiosi, quib., nisi quod necesse est, nefas habetur facere: quales sunt sex et triginta Atri qui appellantur, et alii senes [3], atq. hi [4], quib. mundus patet.' [5]esse Gallus Aelius, quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat, contra deorum voluntatem videatur facere, quo in genere sunt hæc: in ædem Bonæ Deæ virum introire; adversus mysticæ [6] legem ad populum ferre; die nefasto apud Prætorem lege agere. Inter sacrũ autem, et sanctũ, et religiosum differentias bellissime refert. ¶ Sacrum ædificium, cõsecratũ deo. ¶Sãctũ murũ, qui sit circũ oppidũ. ¶Religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus, aut humatus sit, satis constare ait. Sed ita portione quadam et temporibus eadem videri posse, siquidem quod sacrum est, idem lege aut instituto majorum sanctum esse putant [7], violari id sine pœna non possit. Idem religiosum quoque esse, qui non jam [8] sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat, adversus deorum voluntatem videatur facere. Similiter de muro et sepulcro debere observari, ut eadem

*Pag.* 89.

et sacra, et sancta, et religiosa fiant; sed quo [9] modo, quod [10] supra expositũ est, cum de sacro diximus. ¶ Repotia postridie nuptias apud novum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio. Pacuvius in Iliona: Ab eo depulsum mamma pædagogandum accipit appot. . talis [11] libet. ¶ Repagula sunt, ut Verrius ait, quæ patefaciundi gratia (qua) ita figuntur, ut ex contrario quæ oppanguntur. Cicero in Verrem L. IV: Postea convolsis repagulis, effractisque valvis, demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. Quæ poeta interdum repages appellant. ¶ Repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam. Accius: Repudio ejecta ab Argis jam dudum exsulo. ¶ Repedare, recedere. Pacuvius: Paulum recede [12], gnate, a vestibulo gradum. ¶ Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cujus natum [13] mutatur fodiendo, cum aut silvester ex quo dicatur [14], aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascui [15], vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Cato in ea, quam scribit de Suis virtutibus contra Thermum: Ego jam a principio in parsimonia, atque in duritia, atque industria omnem adolescentiam meam abstinui [16], agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis, atque conferendis. Afranius in Repudiato: Repastina serat senex [17], fugis. ¶ Reluere, resolvere, repignerare. Cæcilius in Carine: Ut aurum et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viva ipsi [18] opposuit pignori. ¶ Resignare, antiqui pro rescribere ponebant, ut adhuc subsignare dicimus pro subscribere. Cato de Spoliis, ne figerentur, nisi quæ de

*Pag.* 90.

ho[stibus capta essent: Sed tum ubi indivisi sunt, rev[ertantur resignatis vectigalibus . . . . .
nar . . . . . . . . . . . . . . .
requi . . . . . . . . . . . . . .
alia a . . . . . . . . . . . . . .
quod n . . . . . . . . . . . . . .
reb . . . . . . . . . . . . . . .
indi . . . . . . . . . . . . . .
tertium . . . . . . . . . . . . .
ranorum . . . . . . . . . . . . .
positi . . . . . . . . . . . . . .
nisi a . . . . . . . . . . . . . .
vocabu . . . . . . . . . . . . . .
cretum . . . . . . . . . . . . ¶ Resulta[re, sæpe resilire. ¶ Restibilis ager dicitur, qui bie[nnio continuo seritur farreo spico, id est arist[ato; quod ne fiat, solent qui prædia locant, excip[ere. ¶ Reses et residuus dtr ignavus, qu a residet. Accius [ in . . . . . . . . . Odi residuos, sumno deditos, atque inertes. Afranius in Ros : Prætere[a resides multi . . . . . . Pacuvius in Arm[orum judicio . . . . . . . Taq. te desider[e mavis residem, at contra nos hic esse in [ labore . . . . . . . . . ¶ Resecrare, reso[lvere religione; utique cum reus populum co[mitiis oraverat per Deos, ut eo periculo li[beraretur, jubebat magistratus eum resec[rare. Rursus autem, idem uti se liberarent, ins[istebat, et quod insons innocensque esset cau[sabatur, et, quod caput est, ne eidem iter[um dies diceretur, neve iterum animadverti sta[tuerent in eum, deprecabatur, cumque comitia esse[nt dimittenda .

*Pag.* 91.

. . . . . . . . . . . . . . . . aut
. . . . . . . . . . . . . . . . jure
. . . . . . . . . . . . . . . . ut
. . . . . . . . . . . . . . . . ica
. Plautus: Resecroque, mater, quod dud]um obsecraveram. . . . . . . . . . . resecr]or . . . . . . . . . . . . . . . ¶ R]es comperendinata dicitur, ut Verrius ait, jud]icium in diem tertium constitutum. ¶ Ravam vocem significare ait Verrius raucam, et ] parum liquidam, proxime canum latratum sonan]tem; unde etiam causidicus pugnacite]r loquen-

[1] Julius. [2] quia. [3] et Alliensis. [4] ii. [5] Religiosum ait. [6] auspicia. [7] putat, ut. [8] quoniam. [9] eo. [10] quo. [11] repotalis. [12] repeda. [13] natura. [14] excodicatur. [15] pascuus. [16] obstinui [17] Repastinare sero tu, senex. [18] ipsa.

s, ¶ Rabula appellabatur, ut est apud Lu]cilium . . . . . . . . . . . . . . . . . t ravi-ila . . . . . . . . . . . . . . . . ravisi]elli, nisi a ravi potius dictos velimus, ut est apud Pla]utum, qui ait in Aulularia: Ubi si quid] poscamus (quod) ad ravim poscamus prius. Et ali]bi: Expurgabo hercle omnia ad raucam] ravim. ¶ Rosea in agro Reatino campus] appellatur quod in eo arva rore humi]da semper serent. ¶ Rediculi fanum extra portam] Capenam Cornificius ait fuisse; qui Rediculus pro]pterea appellatus est, quia accedens ad ur]bem Hannibal, ex eo loco redierit, quibus]dam visis perterritus. ¶ Reserari Verrius ait] dici ab eo quæ [1] demota sera a jan]uæ cardine patefiant res: inde, quæ patefacta, et] declusa sint, rerata dici; seræ] neque dicantur [2] fustes, qui opponuntur clausis] foribus. Pacuvius in Armorum judicio: Nunc] pandite svalva, removete seras, ut] complectar. ¶ Rema-

*Pag.* 92.

nant [3], repetent [4]. Ennius L. I: Desunt [5] rivos camposque remant [6]. ¶ Refert cum dicimus, errare nos ait Verrius: esse enim rectum rei fert, dativo scilicet, non ablativo casu. Sed esse jam usu possessum. ¶ Ridiculus proprie dicitur, qui in rebus turpib. ridetur. ¶ LIBER XVII SEXTI POMPEI FESTI. LIBER XVIII.

¶ RIDEO, INQUIT GALBA CANTERIO, proverbium est, quod Sinnius Capito ita interpretatur, nisi [7], qui principio rei alicujus inchoatæ deficiunt animo. Sulpicius Galba, cum in provinciam exiens, ad portam ipsam canterium suum animadvertisset cecidisse, rideo, inquit, canteri, te jam lassum esse, cum tam longum iter iturus, vix id sis ingressus. ¶ Retricibus, cum ait Cato in ea, quam scribsit, Cum edissertavit Fulvi Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam, inter lapidem secundum et tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam et Asinariam usque ad Latinam. ¶ Recepticium servum, Cato in Suasione legis Voconiæ cum ait, significat, qui ob vitium redhibitus sit: Ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet. ¶ Rogat, id est, consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat; unde nos quoque in consuetudine habemus pro petere, et orare. Cato in Dissuasione ne lex Bæbia derogaretur, ait: Hoc potius agam, quod hic rogat. ¶ Restat,

*Pag.* 93.

pro distat, ait Ennius [8] ponere, cum his [9] dicat: Impetus aut [10] longe mediis regionibus restat. ¶ Ruri esse, non rure, dicendum, testis est Terentius in Phormione, cum ait: Ruri se continebat; ibi agrum de nostro patre. ¶ Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi, et in æde Jani, quæ extra eam, Senatum haberi [11]; quod ea egressi sex et trecenti Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in æde Jani S. C. factum esset, uti proficiscerentur.

¶ Retiario pugnanti adversus murmillonem, cantatur: Non te peto, piscem peto; quid me fugis Galle? quia murmillonicum genus armaturæ Gallicum, est ipsique murmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Hoc autem genus pugnæ institutum videtur a Pittaco, uno ex Septem Sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter controversias finium,

A quæ erant inter Atticos, et Mytilenæos, rete occulte lato impedivit Phrynomen. ¶ Resignatum æs dicitur militi, cum ob delictum aliquod jussu. Tr. Militum, * [12] in tabulas refertur. ¶ Resignare enim antiqui pro scribere interdum ponebant. ¶ Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus præscribtum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur; ceteraque ejusmodi ad bellum ac pacem pertinentia. ¶ Rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandæ sævitiæ causa sideris caniculæ. ¶ Religionis præcipuæ ha-

*Pag.* 94.

betur censo[ria majestas, cujus in libris de Vita P. R. Varro exe[mpla hæc profert: M. Fulvius Nobilior, cum M. [Æmilio Lepido Censor factus, cum ei

B admodum i[nimicus antea extitisset, sæpeque judicia cum e[o sibi fuissent, publicæ rei causa, quæ in pri[mis spectatur, statim eo delato munere, homini [inimicitias remisit: quod ejus animi judicium fu[it omnib. gratum et probatum. A Postumius, Q. F[ulvius Censs. facti, quia Fulvius duos filios amiserat [in Illyrico militantes, et propter gravē morbum oculor[um, censuram gerere non poterat, ut libri Sibyll[ini adirentur, auctor fuit, et ut publice supp[licaretur pro valetudine collegæ, Ti. Sempron[ius, cum a Rutilio Tr. pl. censoria fides labe[factaretur, qui ob parietem dirutum iratus cum esset æ[dis privatæ, die dicta collegam Claudium condemna[verat, fecit ut eædem illæ, eodem quæ in loco erant, con[demnatum absolverent centuriæ. L. Aemili Paulus [13] [et Q. Philippi religiosa censura fuit. Laboravit [Paulus morbo gravi, et pæne amissione capitis [in eo honore. Religiosa item et P. Corneli S[cipionis Nasicæ, cui collega M. P-

C opilius, post cons[ulem qui fratrem vidit, censura fuit, vadatus [enim cum esset, . s. a P. R. liberatum constat. M. Val[erius Messala, C. Cassius Longinus Censores, [quorū in magistratu subversa pudicitia fuerat, famosi [extiterunt: nam palmam, quæ in Capitolio in ara[ipsa Jovis Optimi Maximi, bello Persico nata fuerat, [tunc prostratam ferunt, et ibi enatam ficum, infames quæ [rursus fecit, qui sine ullo pudicitiæ resp[ectu fuerant Censores. L. Corneli Lentuli, [C. Censorini sequitur censura: Lentulus judicio pu[blico repetundarum damnatus fuerat. [Plurimi itaque censuram adepto damna-

*Pag.* 95.

tionis pœnam remiserunt. P. Africani.] L. Mummi censura insignis: sed in qua segniti]æ in agendo notetur Mummius. Is Asellum nulla [soluta pœna ex ærariis exemit, Africani irrisa] severitate, qui illum fecerat ærarium. Sed et Q.] Fulvi Nobilioris, et ejus collegæ Appi Claud]ii fuit no-

D bilissima censura, nobilitati] tribus notis inustis severissimis. Q. Pompei et Q. Cæcili [Metelli Macedonici censura lectus se]natus, ad summum senatores amoti sunt] tres, et eo lumine, qui aliorum offunderent] claritatem. ¶ Redinunt, significat, redeunt.] Ennius . . . . . . . . . . . . . . . . redinunt in patriam . . . . . . . . . . . .] eunt feri . . . . . . . . . . . . . . ¶ R]egium est, quod est aut fuit regis,] ut servus regius et domus regia, qualis est] Numæ Pompili. At ¶ Regale facinus, quod est dignum rege.

¶ Romanos in Lib. XI. Græco]s appellat Ennius, cum ait: Contendunt Græ]cos, Graios memorare solent sos, Quod Græca lin]gua longos per temporis tractos H]ispani. [14] Non Ro-

[1] quod. [2] namque dicuntur [3] Revitant. [4] repetant. [5] deserunt. [6] revitant. [7] de iis. [8] Ennium. [9] is. [10] haud. [11] habere. [12] ne stipendium ei detur. [13] Pauli. [14] Hos pavi.

Digitized by Google

manos ait Græce locutos, ] cum Romulus urbis conditor verbis linguæ Lati]næ locutus sit: sed quod olim lingua Græcæ ] gentis fuerit eadem cum Latina, parum prola]tione mutata. Hoc autem verum esse ind]icat origo ejus quæ videtur quasi Græcæ u]surpatio. ¶ Rigido tum cærula suro, cum ait ] Ennius, locatus [1] videtur super etymo verbi cæru]li; est enim a matris [2] nomine. Eodem verbo de eadem ] re usus est et L. II: Fert sese per læta camp]i cærula prata. Cærula mare ipsum dixit ] et alibi: Inde Parum per cærula navibus amb]ulabant [3]. Parum insulam

*Pag.* 96.

refert. Item: Unum surum surus ferre, tamen defendere possunt [4]. Suri autem sunt rustes [5], et hypocoristicos surculi. ¶ Reque eapse Scipio Africanus, Paulli filius, cum Pro æde Castoris dixit, hac compositione usus est: Quib. de hominib. ego sæpe, atq. in multis locis opera, factis, consiliis, reque eapse sæpe benemeritus spem [6]; id est, et re ipsa. ¶ Resp. multarum civitatum pluraliter dixit C. Gracchus in ea, quam conscripsit de Lege p. Enni [7] et peregrinis, cum ait: Eæ nationes, cum aliis reb. per avaritiam atq. stultitiam, res publicas suas amiserunt. ¶ Recto fronte ceteros sequi si norit, Cato in Dissertatione consulatus. Antiquæ id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoq.: A stirpe supremo; et: Ilia dia nepos; et: Lupus fœta [8]; et: Nulla metus. Etiam in commentariis Sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis, et hæc agnus, ac [9] porcus; quæ non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia, debemus accipere. ¶ Recipie apud Catonem, pro recipiam, ut alia ejusmodi complura. ¶ Redemptitavere item, ut clamitavere. Cato idem in ea, qua egit de Signis et tabulis: Honorem temptavere [10] ait, l. efacta [11] benefactis non redemptitavere. ¶ Repulsior, secunda conlatione, dixit Cato in ea, quæ est Contra Cornelium apud populum: Hæc quis [12] incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior. ¶ Ratissima quoq. ab his [13], quæ rata dicimus; unde etiam rationes dictæ. Cato in quam [14] Thermum: Erga remp. multa beneficia ratissima atq. gratissima. ¶ Regillis, tunicis albis et reticulis luteis utrisq. . . . ctis [15], textis susum ver-

*Pag.* 97.

sum a stantib. pridie nuptiarum diem, virginis [16] indutæ cubitum ibant ominis causa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.

¶ Rapi simulatur virgo ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum traditur [17], quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. ¶ Rapi solet fax, qua prælucente nova nupta deducta est ab utrisq. [18] amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulcro comburendam curet, quo utroq. mors propinqua alterius utrius [19] captari putatur. ¶ Ritus est mos comprobatus in administrandis sacrificiis. ¶ Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit. ¶ Religiosi dicuntur, qui faciendarum prætermittendarumq. rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. ¶ Renovativum fulgur vocatur, cum ex aliquo fulgure functio fieri cœpit, si factum est simile fulgur, quod idem significet. ¶ Referri diem prodictam, id est, anteferri, religiosum est, ut ait Veranius in eo, qui est auspiciorum de comitiis, idque exemplo comprobat L. Juli et P. Licini Censorum, qui id fecerunt sine ullo decreto Augurum, et ob id, lustrum parum felix fuerit. ¶ Regalia exta appellantur, quæ potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis et humilioribus, hereditates; filio familiæ, dominationem. ¶ Respicere autem et [20] in auspicando, unde quis avem prospexit, eum eodem revertitur. ¶ Religiosum ac sacrum est, ut templa omnia atq. ædes, quæ etiam sacratæ dicuntur; ad [21] quod per se religiosum

*Pag.* 98.

est, non utiq. [ sacrum est, ut sepulchra, quod ea non [ sacra, sed religiosa sunt. ¶ Reus, cum pro u[troque ponatur, ut ait Sinnius in eo, qu[em de Reo inscribit, et cum dicit pro se, a[ut cum contra te agit, juramento tuo uti p[otest. ¶ Roscii vulgo appellari solent, in [ omni arte ita perfecti, ut Roscius comœdus in [ arte sua perfectus fuerit, cui nihil deesset [ ad perfectionem, ut Libro I. de Oratore ai[t Cicero. ¶ Rustica Vinalia mense Aug[usto, ut est in Fastis, Veneri fiebant, quod eodem illo [ die ædis ei deæ consecrata est, jumenta[q., et olitores ab opere cessant, quia omnes horti [ in tutela Veneris esse dicuntur

¶ Raucos appella[tos esse ait Verrius videri ab ariditate, [ sive a similitudine quadam spicarum aristæ; in sp[icis namque flava frumenta rava appe[llari idem Verrius docet. ¶ Rica est [ vestimentum quadratum fimbriatum, pur[pureum, quo Flaminicæ pro palliolo mitrave [ utebantur, ut Verrius existimat. Titi[nius: Rica ex lana sucida, alba vesti[tus. Alii dicunt, pallium esse triplex, quod conf[ic.ant virgines ingenuæ, patrimæ, m[atrimæ, quod cæruleo colore infectū lavetur aqua p[ura. Alii, quo Flaminica cingat pileum. ¶ Respici avis [ tunc dicebatur, cū peracto sacrificio, quasi finis imp[etratus esset, et quasi forent comitia perfecta, sum[i tunc reum jubebant sacerdotes suo more, alii[sq. peractis juxta consuetudinem luci, in quo sacra fa[ciebant, reo a calatorib. ingeniculato, [ atque ita inclinato vinum in caput infun[debant solemni cum precatione. ¶ Remisso [ exercitu, simul etiam

R-S

*Pag.* 99.

Augur, quo Consul in bello u]sus est in auspicando, discedere una ] jubetur, quod tunc, illo discedente, cer]tum est, exercitum etiam esse remissum, ] ut cum opus sit, tunc si velit, discede]re possit. Nam Consules et Censores non ] in perpetuum Auguribus præsentibus utu]ntur, ut ait Ap. Pulcher, sed tantum in auspi]cio, quas [22] postea dimittat is, a quo lege se]cures habitæ sunt prius; quem et priorem ] esse ait Antistius Labeo, quiq. eadem qu]oq. lege significari, ut prior sit in auspi]cando, dicitur, ut ait idem Labeo in libro de ] Officio Auguris. Potest autem Augur id et ] in consilio tacere, vel in alio, quo se]det loco; pullisque pultem edentibus solistim]um facit auspicium. Potest etiam, si ve]lit, intra pomœrium; sin autem, in tem]plo consistit. ¶ Repertum dicitur idem quod ] amissum recipere, quasi repartum et re]paratum. ¶ Ricus, rixæ, rixosæ, ringitur] dici videntur, quia in diversum rumpantur, ] contrariaq. sint recto, quod vocabulum a ] regendo, ut commodius deductum videatur, ] dictum videri potest.

[1] jocatus. [2] maris. [3] ambullabant. [4] possent. [5] fustes. [6] siem. [7] Penni. [8] femina. [9] hæc. [10] emptitavere. [11] malefacta. [12] Ecquis. [13] iis. [14] Q. M. (Minucium.) [15] rectis. [15] virgines. [17] traducitur, vel trahitur. [18] utriusq. [19] alterutrum. [20] avem, est. [21] at. [22] quos.

¶ Sesopia in Augurali et Salia]ri carmine appellantur, quæ alias eso]pi a, pro sedilib., dicere habemus nunc ad]huc in consuetudine. ¶ Susq. deq. fre]quens est, pro plus minusve. Significat autem id] quod antiqui usque dicere soliti erant. ¶ Soni]vio significat in carmine Saliari et Au]gurali, sonanti. ¶ Sine sacris hereditas] in proverbio dici solet, cum aliquid obvenerit] sine ulla incommodi a-

*Pag.* 100.

ppendice, quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata, relictusq. heres sic [1] pecuniæ, etiam sacrorum erat; ut ea diligentissime administrare esset necessarium. ¶ Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus, ex Græco videlicet, pro adspiratione ponentes litteram, ut cum iidem hylas dicunt, et nos silvas; item ἕξ sex, et ἑπτά septem. Ejus vocabuli meminit etiam Lucilius: Si vero das, quod rogat, et si suggeri [2] suppus. ¶ Sempronia horrea qui locus dicitur, in eo fuerunt lege Gracchi, ad custodiam frumenti publici. ¶ Statua est ludi [3] ejus, qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in Janiculo; cujus ossa postea ex prodigiis oraculorumque responsis Senatus decreto intra urbem relata in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt, superq. ea columna, cum ipsius effigie, posita est. ¶ Servilius lacus appellabatur * [4] eo, qui eum faciendum curaverat in principio Vici Jugari continens basilicæ Juliæ, in quo loco fuit effigies hydræ posita a M. Agrippa. ¶ Sonticum morbum in XII. significare ait Aelius Stilo certum cum justa causa; quem nonnulli putant esse, qui noceat, quod sontes significat nocentes. Nævius ait: Sonticam esse oportet causam, quam ob rem perdas mulierem. ¶ Sacram viam, quidam appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum ac Tatium; quidam, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa. Itaque ne eatenus

*Pag.* 101.

quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a Regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniæ, et rursus a Regia usq. in Arcem; nec * [5] appellari debere ait Verrius, sed disjuncte, ut ceteras vias Flaminiam, Appiam, Latinam; ut ne Novamviam quidem, sed Novam viam. ¶ Scita Plebei appellantur ea, quæ Plebs suo suffragio sine Patribus jussit, plebeio magistratu rogante. ¶ Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quod omnes eæ solidi integriq. sint corporis: contra aci [6] . . verbices [7] maiales qui [8] quia sollum Osce totum et solidum significat; unde tela quædam soluferrea [9] vocantur tota ferrea, et homo bonarum artium sollers, et quæ nulla parte laxata cavaque sunt, solida nominantur. Atque harum hostiarum omnium inviolati sunt tauri, quæ pars scilicet creditur [10] in castratione. Sunt quidem qui portent [11], ex trib. hostiis præcipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. Quidam dixerunt omnium trium vocabula confixa [12] suis, ovis, tauri adeffecisse id, quod uno modo appellarentur universæ. Quod si [13] a sollo, et tauris earum hostiarum ductum est nomen, antiquæ consuetudinis [14] per unum l. enunti-

A ari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo; quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Græcus Græco more usus, quod illi æque scribentes ac legentes duplicabant

*Pag.* 102.

mutas, semi[vocales et liquidas. ¶ Secordiam quidam [pro ignavia posuerunt.
M. Cato pro [stultitia posuit, Originum Lib. VII. cum ait: [ . . . . . . . . ob immensam ti[miditatem ac secordiam causa erat, ne quid neg[otii publici, vel privati gereretur. Compos[itum autem videtur ex se, quod est sine, [et corde.

¶ Semis, semodi[us, semuncia, qua ratione ex Græ[co trahuntur alia, quæ s. litteram pro [aspiratione eorum. . . . . . . habent, ut [ἑπτά septem, ὕλαι
B silvæ, sic [ista ab eo, quod illi ἥμισυ dicunt, [declinata videntur.

¶ Sublicium pontem quidam putant appellatum esse [a sublicibus, peculiari vocabulo Volsco[rum, quæ sunt tigna in latitudinem [extensa, quæ non aliter Formiani [vocent, quam a nomine librorum; [et quæ ab aliis auctoribus sublices voca[ntur, quod sub eis
aqua liquens [laberetur, dictæ.
in qua opinio[ne fuit. . . . . . . . . . qui
et meminit Sub[lici pontis; et Nævius,
qui ait in belli [Punici libro. . . . . . . .
quam liquidum | Sublicio tranat ponte
amnem, et ali [15] tab[ulis qui adhuc nomen retinet . . . . . . . . . . . . . .
Sallustius libro qua[rto Historiarum,
ne inrumpendi p[ontis Sublici. . . . . . . .
sublicibus cavata. . . . . . . . . . .
C essent.

¶ Supervacaneum, ut [videtur, secludit Verrius ab va[cuo, quod

*Pag.* 103.

vacuum quidem dicatur in t]antummodo, quod sufficiat, satis]q. sit familiæ; quod autem supersit, super]vacaneum id dicitur.]

¶ Strufertarios appellabant] antiqui
ut ait. . . . . . . . . . h]omines conductos mercede, qui ad] arbores fulguritas, piacularium com]missarum causa, sacrificia quædam] struæ [16] et ferto sollemnibus verbis] faciant:
PRECOR TE JUPPI]TER UTI MIHI VOLENS PROPITIUS SIES, quod] et nullo etiam fiebat adhibito stru]fertario.

¶ Suberies, arboris genus,] ex qua cortex natatorius detrahitur.] Lucilius
D . . . . . . . . . . . . ti hibernaculi.

¶ Silicernium dicitur cæna fu]nebris, quam alio nomine exsequium scriptores v]ocant; sed . . . . . . . . . . . et V]errius existimant silicernium dici,] quod nos farcimen dicimus, quo] fletum [17] familia purgabatur: quia cujus] nomine ea res instituebatur, i]s jam silentium cerneret. Cæcilius] Obolostate: Credidi silicernium ejus] me esse esurum.

¶ Sudum Verrius ait] significare subudum; sed auc]torum omnium fere exempla volunt, ut sudu]s siccum significet; sudum enim quasi seudum, id] est, sine udo, ut securus, sine cura dictum est.]

¶ Sublesta antiqui] dicebant infirma et tenuia.] Plautus in Persa: Ad

[1] sicut. [2] suggeris. [3] ludionis. [4] ab. [5] nec ita. [6] contrari. [7] verveces. [8] maialesq. [9] soliferrea. [10] cæditur. [11] putent. [12] confusa. [13] sc. i. e. scilicet. [14] antiqua consuetudine. [15] ab. [16] strue. [17] fletu.

Digitized by Google

*Pag.* 104.

paupertatem si immigrant infamiæ, gravior paupertas fit, fides sublestior; id est, infirmior. Idem in Nervolaria, vinum ait sublestissimum, quia infirmos faciat vel corpore, vel animo.

¶ Satur, et vir, et caro non habent *. ¶ Supellectilis recto casu, et senis ratione dicebantur, quæ nunc contraria videntur esse finitioni portionis [1]: quia omnia vocabula x. littera finita, per declinationes obliquorum casuum syllabam accipiunt. Hæc autem duo desciverunt ab ea, ut alia compium [2], quæ non ideo infirmare debent præceptum.

¶ Scurræ vocabulum Verrius ineptissime aut ex Græco tractum ait, quod est schypoazain [3], aut a sequendo, cui magis adsentitur, quod et tenuioris fortunæ homines, et ceteri alioqui, qui honoris gratia prosequerentur quempiam, non antecedere, sed sequi sint soliti, quia videlicet dicat Lucilius: Cornelius P. noster Scipiadas dicto, tempusq. intorquet in ipsum Oti, et deliciis, luci effictæ, atq. cinædo, et Sectatori adeo ipsi suo, quo rectius dicas: Ibat forte domum, sequimur multi, atque frequentes; cum secutos videri velit, ob eorum jurgia, non ob adsuetum officium.

*Pag.* 105.

¶ Secus Valgius putat ex Græco quod est ἑκὼς dictū, absurde scilicet; significat enim aperte aliter, exemplis omnium fere, qui eā vocē usurpāt. ¶ Stipē esse nummum signatū, testimonio est et de eo quæ [4] datur stipendium militi, et cum spondetur pecunia, quod stipulari dicitur. ¶ Sobrinus est, ut ait Gallus Aelius patris mei consobrini filius, et matris meæ consobrinæ filius. Femina iisdem de causis appellat fratrem, et fratrem patruelem, et consobrinum, et propius consobrino [5] et sobrina. Iidem gradus in sobrina quoq. sunt. ¶ Sororium tigillum appellatur hac de causa. Ex conventione Tulli Hostili regis, et Metti Fufitii [6] ducis Albanorum, Trigemini Horatii et Curatii [7] cum dimicassent, ut victores sequeretur imperium, et Horatius noster exsuperasset, victorq. domum reverteretur, obvia soror, cognita morte sponsi, sui fratris manu occisi, aversata est ejus osculum; quo nomine Horatius interfecit eam; et quamquam a patre absolutus sceleri [8] erat, accusatus tamen parricidi apud Duumviros, damnatusq., provocavit ad populum cujus judicio victor, duo tigilla tertio superjecto, quæ pater ejus constituerat, velut sub jugum missus subit, consecratisq. ibi aris Junoni Sororiæ, et Jano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est, auguriis adprobantibus; ex quo Sororium id tigillum est appellatum. ¶ Sororiæ [9] mammæ dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, ut fraterculare puerorum Plautus in

*Pag.* 106.

Frivolaria: [Tunc sororiabant papillæ pri]mulum; sed illud volui dicere, [fraterculabant. Quid opus est verb[is multis? ¶ Surregit et sortus an[tiqui ponebant pro surrexit, et ejus parti[cipio, quasi sit surrectus, quibus L. Livill[us [10] frequenter usus est. ¶ Sors et [patrimonium significat, unde con[sortes dicimus, et Deis [11], respon[sum et quod cuiq. accidit in so[rtiendo. ¶ Soracum dicitur, quo ornamen[a portantur scænicorum. Plau[tus in Persa: Librorum iccillum [plenum soracum habeo.

¶ Sobrium Vicum [dictum putant Cloatius et Aelius, quod [in eo nullus tabernæ locus, neq. caup[onæ fuerit.

Alii, quod in eo M[ercurio non lacte, sed vino solitum [sit supplicari. ¶ Sonivium tripu[dium, ut ait Appius Pulcher, quod [sonet, cum pullo excidit plus [12], quad[rupedive ex ore. ¶ Sons, nocens, ut ex c[ontrario insons, innocens. ¶ Sodalis [quidam dictos putant, quod una s[ederent essentq. Alii, quod ex suo [dapib. vesci soliti sint. Alii, quod inter [se invicem suaderent, quod utile es[set; eosdem, quod coeant crebro, congre [13] voca[ri a Græco vocabulo, quod est γέῤῥα.

¶ Sodes, si audes, uti sis, [pro si vis, et illico, pro in loco. Terentius [in Andria: Dic sodes, quis heri Chry[sidem habuit?

¶ Surum dicebant, ex quo [per demi-

*Pag.* 107.

nutionem surculus fac]tum est. Plautus in . . . Surum] non est tibi. Surum dicebant pal]um item: nam qui a sæpiebatur Cir]cus surculis, longum deligebant su]rum, tum poliebant ascia . . ] . . . aut asula . . . . . Ennius: Unus Su]rus surum ferre, tamen defende]re possent.

¶ Surremit, sumpsit. Idem: Inq. ] manum surremit hastam. Idem] surempsit, usurpavit, pro p]uerum sustulerit. ¶ Surium] . . . . cum dixit: qui ita appellatus] est, quod cum in Academia et Ly]cio nobilissimos inter excelleret,] atq. ob eam causam, præstant]issimus semper habitus fuisset; in]stituit, cum disputaretur, ut pri]mus sumeretur is, qui esset] ipso dignior. Unde . . . . ] σκύρεον καὶ οὐκέτι σύρεον illum nominavi]t, quod si monitus esset, disputan]tem non numquam refellebat] Socratem, quas . . . . . conjece]rat in librum a se scriptum, quem] inscripserat Scyrium, ob eum, cujus] gratia id appellaverat opus. ¶ Summu]ssi dicebantur murmuratores. ] Nævius, Odi, inquit, summussos. Pro]inde aperte dice quid sit, quod times. ] Ennius in sexto Annalium: Qui]ntus in occulto mussabat; et Acciu]s in Andromacha: Dice, jam mater no]n est: nam [14] mussare sine. Cæciliu]s in Agnorizomene [15]:

*Pag.* 108.

Quod potes, sile, cela, occulta, tege, tace, mussa, mane. ¶ Sum, pro eum usus est Ennius Li. I: At tu non ut sum summa [16] servare decet rem; et Li. II: At se se sum quæ dederat in luminis oras. ¶ Sollo Osce dicitur id, quod

[1] proportionis. [2] alia complura. [3] σκιρτάζειν. [4] id, quod. [5] sobrino. [6] Metii Suffetii. [7] Curiatii. [8] sceleris. [9] Sororiare. [10] Livius. [11] Dei. [12] puls. [13] congeras. [14] jam. [15] Anagnorizomene. [16] summum.

Digitized by Google

nos totum vocamus. Lucilius : suasa [1] quoq. omnino dirimit non sollo [2] dupundi ; id est, non tota. Item Livius. ¶ Sollicuria, in omni re curiora [3], et ¶ Solliferreum genus teli, totum ferreum. ¶ Sollers etiam in omni re prudens ; et ¶ Sollemne, quod omnibus annis præstari debet. ¶ Solla [4] appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere, ideoq. soliar sternere dicuntur, qui ¶ Sollisternium habent, et Solaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur ; quæ, ut ait Verrius, omnia ducta sunt solo [5]. Alvei quoq. cavandi [6] gratia instituti, quo singuli descendunt, solla dicuntur ; quæ ascendendo [7] potius dicta videntur, quam a solo [8] ¶ Sollistimum Ap. Pulcher in Auguralis disciplinæ L. I. ait esse tripudium, quod aut [9] excidit ex eo, quod illa fert ; saxumve solidum, aut arbos vivira lix ruit, quæ nec præ vitio, humani [10] cædanturve, jaciunturve, pellanturve. ¶ Solum, terram, Ennius L. III : Tarquinio dedit imperium

*Pag* 109.

simul et sola regni ; et aliubi [11] : Sed sola terrarum postquam permensa parumper. ¶ Solea, ut ait Verrius, est non solum ea, quæ solo pedis subicitur, sed etiam pro materia robustea [12], super quam paries craticius extruitur. ¶ Solox, lana crassa, et pecus, quod passim pascitur, non tectum. Titinius in Barrato [13] : Ego ab lana soloci ad purpuram data ; et Lucilius : Pastali [14] pecore, ac montano, hirto atq. soloce. ¶ Sos pro eos antiqui dicebant, ut Ennius L. I. : Constitit inde loci propter sos Dea diarum : et L. III : Circum sosque sunt magnæ gentes opulentæ. L. VII : Dum censent terrere minus, hortanturve sos. L. XI : Contendunt Graios, Græcos memorare solent sos. Interdum pro suos ponebant, ut cum per dativum casum idem Ennius effert : Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit. ¶ Sultis, si voltis. Plautus in Frivolaria : Sequimini me hac sultis legiones omnes Laverna ; et in Rudente : Curate hæc sultis magna diligentia. M. Cato pro L. Caesetio : Audite sultis, milites ; si quis vestrum in bello superfuerit, si quis non invenerit pecuniam, egebit. ¶ Solari sine præpositione dixisse antiquos testis est Pacuvius, cum ait : Solatur, auxiliatur, hortaturque me. ¶ Solatum genus morbi maxime a rusticantibus dicitur, cujus meminit

*Pag.* 110.

etiam Afrani[us in . . . . . arquato med[eri, cujus nomen ab autigine [15]. ¶ Solip[unga genus bestiolæ maleficæ, q[uod acrius concitatiusque fit fervore so[lis, a quo nomen traxit. ¶ Sos[pes significat apud omnes ferre [16] auc[tores salvum. Afranius in Epistola : Di te sospitem

A servent tuis. [ Vergil. L. VIII. Æneid. : Maxime Teu[crorum ductor, quo sospite numquam. En[nius in . . . . Parentem et pa[triæ, Di, servate sospitem. Ac[cius in . . : Si rite ad patri[am sospes pervenisset. Ennius vi[detur servatorem significare, cum dix[it : Quo sospite liber. Ceterum s[ospitare, Verrius ait esse bona spe ] afficere, aut bonam spem non falle[re. ¶ Succrotilla tenuis diceba[tur et alta vox. Titinius in [ . . . Feminea fabulare succro[tilla vocula. Afranius in Episto[la : Loquebatur succrotilla voce serio. [ Plautus in describendis mulie[rum cruribus gracilibus in Syr[o : Cum extortis talis, cum sodellis [17] cr[usculis, belle, B quæ non pedibu[s irent. ¶ Sucula est machinæ [ genus teretis materiæ, et foratæ, [ ac crassæ, quam ut uber scrofæ [ porci circumstant sic, versant[esque ductario fune volunt [18] eodem no[mine stellas ruint quæ [19] [ dicunt, quas aliter

*Pag.* 111.

appellarun. a pluvi]a Hyadas. Græci ὑάδας : nostri, exi]stimantes a subus dici, modo Latine lo]quenti, dixerint [20] eas Suculas. ¶ Suc]cingulum appellabant antiqui bal]teum. Plautus : Ab Hyppolyta succingul]um Herculis [21] æque magno neu]tiquam . abstulit periculo. ¶ Succerd]æ stercus suillum dicebatur ] . . us : simus succerdæ. Titinius : ] Quid habes, nisi unam arcam sine cla]vi ; eo condis C succerdas. Alio nomin]e succerda dicitur opicerda ] . . homo opicerda . . homi]nem, quem Sol in opicerdis aspici]t. ¶ Suburanam tribum antea ] Succisanam [22], per c. appellaba]nt ex nomine regionis ; nam parte]m imam illam quoque tradunt fuisse Suc]cusanam dictam. Verrius autem ait se mi]ratum esse, cur non a nomine ] pagi ¶ Succusani, in quo milites ] exercerentur. ¶ Succidanea hostia ] appellatur, quæ secundo loco cædeba]tur, quod quasi succideretur, dicta. ] Quidam a succedendo, non a succi]dendo, dictam putant. ¶ Sugillatum ] dici existimant ex Græco vocabulo, ] quod ea pars quæ est sub collo, κύ]λον ab iis dicitur. D ¶ Sycophantas qui]dam ex hac causa dictos putant,] Atticos quondam [23] juvenes solito]s aiunt in hortos quorumdam i]rrumpere, ficosque deligere ; qu[am ob causam lege factum [24],

*Pag.* 112.

qui id fecisset, capite [25] esset ei. Quam pœnam qui persequerentur ob parvola detrimenta, sycophantas appellatos. ¶ Sulci appellantur, qua aratrum ducitur, vel sationis faciendæ causa, vel urbis condendæ, vel fossura rectis lateribus, ubi arbores serantur. Fulmen quoque, qua ejus vestigium, similiter appellatur : quod vocabulum quidam ex Græco

[1] Vasa. [2] solla. [3] curiosa. [4] Solia. [5] a solio. [6] lavandi. [7] a sedendo. [8] sollo. [9] avi. [10] Humanavo vi. [11] alibi. [12] robusta. [13] Barbato. [14] Pascali. [15] aurigine. [16] fere. [17] todellis. [18] volvunt. [19] quinque. [20] loquendi, dixerunt. [21] Hercules. [22] Succusanam. [23] quosdam. [24] cautum. [25] capitale.

Digitized by Google

lictum, quia illi dicant ὀλχόν. ¶ Suasum, color appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: Quia tibi suaso infecisti propudiosa palliolam. Quidam autem legunt in suaso: nec desunt, qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadetur [1] in alium ex albo transire.

¶ Saltum Gallus Ælius L. II. Significationum, quæ ad jus pertinent, ita definit: Saltus est, ubi silvæ et pastiones sunt, quarum causa casæ quoque. Si qua particula in eo saltu, pastorum aut custodum causa, aratur, ea res non peremit nomen saltui, non magis, quam fundi, qui est in agro culto, et ejus causa habet ædificium, si qua particula in eo habet silvam. ¶ Superescit, significat supererit. Ennius: Dum quidem unus homo Romanus [2] toga superescit. Et Accer [3] in Chrysippo: Quin hinc [4] superescit. Spartam atque

*Pag.* 113.

Amyclas trado. Sed per se ¶ Super significat quidem supra, ut cum dicimus, super illum cedit. [5] Verum ponitur etiam pro de, Græca consuetudine, ut illi dicunt, ὑπέρ. Plautus in Milite Glorioso: Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi. In Phasmate: Ehe . . tandem percipio, super rebus nostris loqui te. Pacuvius in Medo: Qua super re interfectum esse Hippotem dixisti? Cato contra Annium: Nemo antea fecit super tali re cum hoc magistratu utique rem. Afranius in Virgine. Alis [6] de rebus in qua cœpisti super * [7]. ¶ Supercilium dicitur, quod supra cilium sit, id est integimentum oculi superius. ¶ Sub jugum mitti dicuntur hostes victi, ereptis omnibus armis, telisque, cum hastis defixis duabus in terra, tertiaque ad summum earum deligata, speciei am [8] jubentur subeuntes transire. ¶ Subices Ennius, in Achille, pro subjectis posuit, cum dixit: Nubes per ego Deum subices humidas, inde [9] oritur imber sonitu sævo spiritu. ¶ Superstites * [10], testes præsentes significat: cujus rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Plautus in Artemone: Nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adest superstes. Volgari quidem consue-

*Pag.* 114.

tudinem [11], poni[tur pro iis, qui satis superque sint. [ Superstites etiam liberi parentib[us dicuntur . . . quamobrem[progredi cuperem ulterius vivendo; quamquam o[mnes superstites mihi velim. ¶ Su[pervaganea avis vocatur ab Au[guribus, quæ ex summo cacumin[e vocem emisit, quia quasi in altis[simis, superque omnia vagatur, ap[pellata. ¶ Supercilia in Junonis tu[tela putabant, in qua dicuntur mulieres [ etiam, quod iis protegantur oculi, per q[uos luce fruimur,

A quam tribuat J[uno. Unde ipsa dea Lucina quoque [ dicta videtur. ¶ Suppernati dicu[ntur, quibus femina sunt succisa [ in modum suillarum pernarum. [ Ennius in Annalib.: is [12] pernas succi[dit iniqua superbia Pœni; et Catu[llus ad Coloniam: In fossa Ligari ja[cet suppernata securi. ¶ Supp[remum modo significat summum: ut [ cum dicit. . . . pater suppreme bel[li, et armorum Mavors potens. Plautus: [ Me certe suppremum habuisti sem[per in rebus tuis. Alias extre[mum significat, ut in legib. XII. Solis [ occasus suppre-ma tempestas esto . . . . [ suppremo crimine necte tuo. [ Unde dicimus ab illo sepeliri die s[uppremo . . . Et quasi suppremo l[ugentes

B tempora vultu. Cato d[e . . dolentis numquam cuique [ reo apud Præto-

*Pag.* 115.

rem denegasse supp]remam advocationem; alias pro ] maximo, cum duas oves, et triginta bo]ves suppremam multam dicerent. ¶ Sub]sidium dicebatur quando mi]lites subsidebant in extrema acie, lab]entique aciei succurrebant. Quod] genus militum constabat ex iis, qui ] emeruerant stipendia, locum t]amen retinebant in exercitu ], quæ erat tertia acies triarioru]m, ut Plautus in Frivolaria ]: Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent ] triario [13]. Simili modo dicti præ]sidiarii, ante eos collocati qui er]ant, aut in alio loco præpos]iti. ¶ Subsolaneæ

C quæ sunt solo re]s appellantur, nec ad unius nomen ] rei solum conferunt. Subsolanei enim dicuntur qu]i infimum solum colunt, ut qu]i in terram, supersolanei. Dicitur inde soli]dum, imum solum rursus, quo planta pedis ] innititur. ¶ Subsilles sunt, quas aliter ipsiites [14]] vocant, lamellæ necessariæ sacri]s, quæ ad rem divinam conferre dicuntur ] maxime, specie virum et mulierum. ¶ Substillum antiqui appellaba]nt tempus ante pluviam, jam p]ene uvidum, (dum) et post pluvi]am, non persiccum, quod jam stillaret, ] aut nondum desiset [15]. ¶ Subscudes ap]pellantur cunetæ [16] tabellæ, quib. ] tabulæ inter se configuntur, qui]a quo eæ immittuntur, succuditur. Pac]uvius in Niptris: Nec

*Pag.* 116.

D ulla subscus cohibet compagem alvei. Plautus in Astraba: Terebratus multum sit, et subscudes addite. ¶ Sub corona venire dicuntur, quia captivi coronati solent venire, ut ait Cato in eo, qui est de Re militari: Ut Populus suus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veniat [17]. Id autem signum est nihil præstari a popolo [18], quod etiam Plautus significat in Hortulo: Præco ibi adsit cum corona, cuiq. liceat veniat [19]. ¶ Sublime est in altitudinem elatum, et Ennius in Thyeste: Aspice

[1] persuadeatur. [2] Romæ. [3] Accius. [4] si. [5] sedit. [6] Aliis. [7] re. [8] ipsi eam. [9] unde. [10] A præsentes. [11] consuetudine. [12] Iis. [13] triarii. [14] ipsulices. [15] desisset. [16] cuneatæ. [17] veneat. [18] ab ullo. [19] veneat.

Digitized by Google

A hoc sublime candens, quem vocant omnes Jovem. Vergilius in Georgicis L. I : Hic vertex nobis semper sub [1]. ¶ Sublimavit dixit * [2], id est, in altum extulit, Originum L. II : In maximum decus atq. in excelsissimam claritudinem sublimavit. Id autem dicitur a limine superiore, quia supra nos est. ¶ Succenturiare est explendæ centuriæ gratia supplere, subicere. Plautus in Saturione : Subcenturia centum, require, qui te delectet domi. Et Cæcilius in Triumpho : Nunc meæ militiæ [3] astutia opus est subcenturia [4]. ¶ Subrumari dicuntur hædi, cum ad mammam admoventur, quia ea

*Pag.* 117.

B his vocabantur [5], vel quia rumina trahunt lacte sugentes. ¶ Subulo Tusce tibicen dicitur; itaq. Ennius : Subulo quondam marinas propter adstrabat [6] plagas. ¶ Suburam Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait. Hoc vero maxime probat eorum auctoritate, qui aiunt, ita appellatam et regionem urbis, et tribum a stativo præsidio, quod solitum sit succurrere Exquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis, indicioq. esse, quod adhuc ea tribus per c. litteram non b. scribatur. ¶ Subverbustam, veribus [7] ustam significat Plautus, cum ait : Ulcerosam, compeditam, subverbustam, sordidam. ¶ Suboles ab olescendo, id est crescendo, ut adolescentes C quoq. et adulte [8], et indoles dicitur. Lucretius L. V : Sive virum suboles, sive est muliebris origo. Vergilius : Cara Deum suboles, magnum Jovis incrementum. ¶ Subuculam Ælius Stilo, et Cloatius iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod Diis detur ex alica [9] et oleo, et melle. Nam de tunicæ genere notum est omnibus. ¶ Sub vos placo, in precibus fere cum dicitur, significat id, quod supplicio [10], ut in legibus : Transq. dato, edendoque [11] plorato. ¶ Suffiscus dicebatur folliculus testiculorum arietinorum.

*Pag.* 118.

qui celebris u[sus erat pro marsupio, forsitan [dictus suffiscus D a fisci similitu[dine. ¶ Subacti, molliti. Alia[s compulsi, et coacti, ut cum dicim[us pecus sub arbore subactum. [Alias victi, ¶ Supplicium a supp[liciis differt, ut usus arguit; quod [in usu sit, ut dicimus hæc deorum, [illud hominum : cum sumatur supp[licium de aliquo, id est de pœ[na agatur ejus, qui jubetur cædi. ¶ Suppli[cia sunt, quæ caduceatores portent; [ea sumebantur ex verbena talic[i [12] arbore, nec enim ex alia supplicia [fas erat quam de verbenis [13] sumi. Sin[nius Capito ait, cum civis necaretur, i[nstitutum fuisse, ut Semoniæ res s[acra fieret vervece bidente, [ut eo sacrificio pœna salutis [14] c[ivibus, caput ipsum damnati, patri[moniumque cui delibatum esset, id fieret sa[crum deo : indeq. fuisse solitum, ut [quis tunc in forum supplicandi causa [prodiret Rex sacrorum, ut id vo[caretur supplicium, hoc vero semper ela[tum [15] a multis. Quo exemplo docet suppli[cia dici supplicamenta. Nunc fere suppli[cia pro pœnis dicuntur. ¶ Sufes d[ic[tus Pœnorum magistratus, ut Oscor[um Mediastuticus. Calidius in oration[e in Q. Cæcilium : Nonne vobis J[udices ignem et fumus prosequi et [flamma videtur? Sinatus [16] cen[suit referentib. sufetis. ¶ Sub vitem h[astas jacere

*Pag.* 119.

dicitur veles, cum eas sub] manu sursum mitti]t. Lucilius : Ut veles bonus sub vice]m qui subsit [17] hastas. Sub vitem prœlia]ri dicuntur milites, cum sub vinea] militari pugnant. Lucilius : Æ]q. prodire in altum, prœliari, pro]cul sub vite. ¶ Sub vineam jacere dicun]tur milites, cum adstantibus centuri[onibus, jacere coguntur sudes. ¶ Supparus dicebatur puellare] vestimentum lineum, quod et s]ubucula appellabatur. Pomponius i]n Fullonia : . . . . . . . Velum] omne quod ex lino est, dicitur sup]parum : puniceum vestimentum ita vo]cat Nevi [18] de bello Puni]co; et in Nautis, vocat Neptuno v]estem consecratam, supparum. At] nunc supparos appellamus vela li]na jam [19] crucem expansa. Mulier vi]detur puella supparo induta, ut Afran]ius ait : Puella non sum, supparo si in]duta sum. ¶ Supa [20] significat jacit, unde dissip[at, dejicit et obsipat, obicit, et insipat] insipit [21]. . . . . . . . . . inicit far in olam [22]. ¶ Sutelæ, dolosæ] assutiæ, a similitudine suentium di]ctæ] sunt. ¶ Suspectus est diversæ] significationis : a suspicor enim,] et suspicio partim venit. Ita]que non mirum, si non una significati]o dari potest. ¶ Sutrium quasi eant, u]tique in proverbium abiit ex hac causa.] Gallico tumultu quon]dam edictum est le-

*Pag.* 120.

giones Sutrii ut præsto essent cum cibo suo. Quod usurpari cœptum est in iis, qui suis rebus opibusq. officii id præstarent, quib. deberent. Plautus : Sed facito dum merula per [23] versus, quod [24] cantat colas cum suo cuiq. [25] facito veniant, quasi eant Sutrium. ¶ Suopte, * [26] ipsius; ut meopte, meo ipsius; tuopte, tuo ipsius. ¶ Suillum genus invisum Veneri prodiderunt poetæ ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat dea. Quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore, et arden-

[1] sublimis. [2] Cato. [3] malitiæ. [4] subcenturiata. [5] rumis vocabatur. [6] adstabat. [7] verberibus. [8] adulti. [9] halica. [10] supplico. [11] endoq. [12] felici. [13] verbenis. [14] solutis. [15] sæpe relatum. [16] Senatus. [17] submisit. [18] Nævius. [19] linea in. [20] Sipat. [21] injicit. [22] ollam. [23] memineris. [24] quoe. [25] colax, cum cibo tum quoq. eos. [26] suo.

Digitized by Google

tissimæ libidinis, ita, ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare et subire dicuntur. ¶ Sus Minervam in proverbio est, ubi quis id docet alterum, cujus ipse inscius est. Quam rem, in medio, quod aiunt, positam, Varro et Evhemerus ineptis mythis involvere maluerunt, quam simpliciter referre. ¶ Strues genera liborum sunt, digitorum conjunctorum non dissimilia, qui superjecta panicula in transversum continentur. ¶ Struices antiqui dicebant extructiones omnium rerum. Plautus : Cerialis cænas dat, ita mensas extruit, tantas struices concinnat patinarias. Et Livius : Quo Castalia, per struices saxeas lapsu accidit. ¶ Struere, an-

*Pag.* 121.

tiqui dicebant pro adicere, augere, unde industrios quoque M. Cato jure, lege, libertate, Rep. communiter uti oportet; gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxit. Aut [1] in XII quod est : Si calvitur, pedemve struit : manum endo jacito. Alii putant significare retrorsus ire; alii in aliam partem; alii fure [2] : alii gradum augere; alii minuere : ac vix pedem pedi præfert, otiose it, remoratur. ¶ Stroppus est, ut Adeius [3] Philologus existimat, quod Græce συρόφιον [4], vocatur. Et quod sacerdotes pro insigni habent in capite, quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos idem [5] festum esse, qui vocetur ¶ Struppearia,, quia coronati ambulent; et a Tusculanis, quod in pulvinari imponatur Castoris struppum vocari. ¶ Strutheum in mimis præcipue vocant obscenam partem virilem, s. a salacitate videlicet passeris, qui Græce struthos dicitur. ¶ Strenam vocamus, quæ datur die religioso, ominis boni gratia a numero, quo significatur alterum, initiumq. [6] venturum similis commodi veluti trenam, præposita s. littera, ut in loco et lite solebant antiqui. ¶ Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostia-

*Pag.* 122.

rum, quas G[ræci μηρία dicunt, quæ in altaria im[poni solebant, ut Plautus ait in Fri[volaria : Strebula agnina tene . . . . . . . . . . . bulis. ¶ Stlat[a genus erat navigii latum ma[gis quam altum, sic appellatum a latitudine, sed ea consuetudin[e, qua stlocum pro locum, et stlitem antiqui [pro litem dicebant. ¶ Stlembus, gravis, tar[dus, sicut Lucilius . . . . . . . Apulidæ pe[dibus stlembum dixit, cum refer[t equum pigrum et tardum. ¶ Stelionem [7] g[enus aiunt lacertæ quod Verrius dic[tum ait, quia virus stillet cibo, p[otius, quam quod ali-

A bi [8] a stellarum [similitudine, quia varium est. [¶ Stipem dicebant pecuniam signa[tam, quod stiparetur : ideo stipulat[i dicitur is, qui interrogatus, [spondet stipem, id est, æs. ¶ Sti[rpem in masculino genere antiqui [usurparunt pro eo quod est, semina, met[aphorice dicentes, poetæ quæ nunc in [femineo proferunt genere. Livius : T[radunt familias quorundam Rom[anorum, Trojano stirpe ante conditam Rom[am procreatas. Idem Livius : Ostrymon [quendam memorant Graio stirpe ex[titisse. Ennius Annal : Nomine Pyrrh[us, uti memorant, a stirpe supremo . . . . . . . . . est, revoca fratre[m eodem stirpe prognatum, plaudite. * Quam Gall[us Aelius sic definit : Stirpest [9] gent[is propagatio, ut

B qui [10] a quoq. est progna[tus; stirpes autem

*Pag.* 123.

per translationem ] · dicuntur ab stirpibus iis, quæ su]b imis arboribus nascuntur. ¶ Stip]atores appellabantur corporis cu[stodes, quos antiqui latrones dice]bant, i. mercenarios qui cu[m ferro velut circumdaban]t regum corpora. ¶ Stipes fustis terræ ] defixus : Afranius in . . . . . . ] Porro honeste quam fecerit, qui stip]ite hostium [11] impulit, vostram impl]oro fidem, qui adestis . . . . . . ] eam silvam, et . . . us in . . ] hostili in me lactu [12] percussit la]tus, ut revolso stipite miles,] qui jactu valido percussit ] parmam; nisi si stipitem ponere ] voluit pro

C telo vel hasta. Accius ] in Bacchis : Ecquem stipitem abi]egum [13], aut alneum . . . . . . . ] us. Ennius . . . . . . . . . . . stipi]tes abiegno [14] . . . . . . . . . . . . e stipitem . . . . . . . . intere]mit eum, qua . . . . . . . . stipitem a]rripit. ¶ Stritavum antiqui diceb]ant pro tritavo, qui est pater ata]vi, et ataviæ, ut stlitem, pro lite. ] ¶ Strigores in Nelei carmine pro Stri]gosis positum invenitur, id est, densa]rum virium hominibus [15]. Alias. str go]res, exercitu. ¶ Strigæ appellabantur ] ordines rerum inter se continu]atæ [16] conlocatarum, a stringen]do dictæ. Strigas, ut ait Verri]us, Græci syrnia appellant, ] quod maleficis mulieribus

*Pag.* 124.

D nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Itaq. solent his verbis eas veluti avertere Græci : ΣΥΡΡΙΝΤΑ ΠΟΜΠΕΙΕΝ ΝΥΚΤΙΚΟ ΜΑΝ ΣΤΡΙΝΤΑΤΟΛΑΟΝ ΟΡΝΙΝ ΑΝΩ ΝΥΜΙΟΝ ΩΚΥΡΟΡΟΥΣ ΕΡΙ ΝΗΑΣ. ¶ Statuliber est, qui testamento certa conditione proposita jubetur esse liber; et si per heredem est [17], quo minus statuliber præstare possit, quod præstare debet, nihilominus liber esse videtur. ¶ Status dies vocatur qui judicii causa est constitutus cum peregrino. Ejus enim generis * [18] ab antiquis hostes [19] appellabantur, quod

[1] al. [2] fugere. [3] Ateius. [4] στρόφιον. [5] diem [6] tertiumq. [7] Stellionem. [8] alii. [9] Stirps est. [10] quis.]
[11] ostium. [12] jactu. [13] abiegnum. [14] abiegnos. [15] hominibus. [16] continuate. [17] stet. [18] peregrini. [19] hoste.

Digitized by Google

erant pari jure cum populo R. atq. hostire ponebatur pro æquare. Plautus in Curculione : Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum, quo imperant, ingratis. ¶ Stagnum quidam dici putant, quod in eo aqua perpetuo stet; alii, quod is locus a Græcis στεγνος [1] dicitur, quia bene contineat aquam. ¶ Satura, et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex tis alis [2] legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur : Neve per saturam abrogato, aut derogato. T. Annius Luscus in ea, (quam) quam dixit adversus Ti. Gracchum : Imperium quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est ; et C. Lælius in ea, quam Pro se dixit : Dein postero die, quasi per saturam senten-

*Pag.* 125.

tiis exquisitis, in deditionem accipitur. ¶ Statæ Matris simulacrum in Foro colebatur, postquam id collastravit [3], ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. Magna pars populi in suos quiq. vicos rettulerunt ejus deæ cultum. ¶ Stalagmium genus inaurium videtur significare Cæcilius in Carine, cum ait : Tum ex aure ejus stalagmium domi habeo. ¶ Stolidus, stultus. Ennius L. I : Nam vi depugnare sues stolidi solidi [4] sunt; et in Alexandro ; Hominem appellat, quia lascivi stolide non intellegit ; et Cæcilius in Hypobolimæo : Abi hinc tu, stolide, illi [5], ut tibi sit pater; et in Andronico [6] : Sed ego stolidus, gratulatum me oporteat [7] prius.

¶ Stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine : Fœde stupreque castigor cotidie ; et in Appi Sententiis : Qui animi. . compotem esse, nequid fraudis, stupriq. ferocia pariat. Nævius : Seseq. ii perire mavolunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos popularis. Item : Sin illos deserant fortissimos viros, magnum stuprum populo fieri pergentis [8]. ¶ Stuppam linum impolitum appellant Græci Dorii. ¶ Stura flumen in agro Laurenti est, quod quidam

*Pag.* 126.

Asturam vo[cant. ¶ Suber arbor, ac suberies, q[ua natabant in thermi [9]. ¶ Ste[rilem mulierem appellabant, quam G[ræci στεῖραν dicunt, quæ non cipi[t [10] semen genitale. ¶ Seplasia, aut Se[plasium, ubi unguentum memoraba[tur pretiosum. Pomponius in Adelph[is : Di te perdant inferi, Anti[pho, quia unde hoc unguentum sit, q[uæris. Atqui lepidum unde ung[uentum, nisi ex Seplasia est? ¶ Stulto[rum feriæ appellabantur Quirina[lia, qui erat dies festus Qui primi [11], qu[od eo die Quirino sacrificant ii, [ qui solemni die, aut non potuer[unt rem divinam facere, aut ign[oraverunt suorum

A

Fornacalia[m sacrorum diem, commissumque piaculum expiabant moræ, a[tq., quod suis non fecerant, quib. p[ermittebatur feriis, sacrum faciebant. ¶ Sanctum [ ait dici Opilius Aurelius, quod [ nec sacrum est, nec religiosum. At Aelius [ Stilo, quod utrumq. esse videatur, [ et sacrum scilicet, et religiosum. Pleriq. autem, [ quod ei, qui id violavit, pœna sit multa[ve sancita ; se ponetur [12] pro [ sacro tantum. Unde et sanctio dict[a legum ; sancta item et rogatio, qui [13] c[ontionem rogavit, Tr. Pl. Sanqualis avis ap[pellatur, quæ in commentariis Augura[libus ossifraga dicitur, quia in [ Sangi dei tutela est. ¶ Saccom[orum [14] genus est

*Pag.* 127.

B

arboris, quam dicta[m Pomponius ait ex fico, et m[or [15] quod ficus ea sit et morus : unde [ nomen per moron et sycon de[ductum est. ¶ Lolem [16] dici ait, quod solus sit. Eund]em modo Solem, modo Apollinem vocari : ] Tu es Apollo, ut est in carmine Sæculari. ] ¶ Sacrem porcum dici ait Verri]us, ubi jam a partu habetur purus, a qu [a re appellatum esse sacrem dici]t. Ita id adjicit, quod parum opus est; ] omisit vocabuli etymon. Plautus : Adolescens, quibus hic pretiis porci ] veniunt [17] sacres, sinceri ? ] — Nummum unum. — En a me accipe, jube te]piari [18] de mea pecunia. Et in Rudent]e : Sunt domi agni et porci sacres. C]ato adversus Q. Minucium The]rmum : Post . . . . sa] crem in sinu mactavit. Ponitur ali]quando pro hostia. Ennius : Fuso sangui]ne sacrem.

C

¶ Sacrificium quod pro uvis pr]imis fiat, appellabatur ab antiquis : Sa ]crima : est autem, ut Aelius Stilo et Clo ]atius dicunt, mustum indi]tum in amphoram, Liberalibus, sacri]ficii causa, pro uvis et vino, ] quæ quasi sacra sunt, cum Lib]ero fit, ut prævetium cum ] Cereri. ¶ Sacrificulus Rex appellatur, ] qui ea sacra, quæ facere Rege]s sueverant, facit. Primus memorat]ur post reges exactos Sicinius Bell]utus. ¶ Sacella dicuntur loca ] Diis sacrata sine tec-

*Pag.* 128.

to. ¶ Sacrosanctum dicitur, quod jure jurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet. Cujus generis sunt Tr. Pl. Ædilesq. ejusdem ordinis; quod affirmat M. Cato in ea, quam scripsit, Ædilis plebis sacrosanctos esse.

D

¶ Sacratæ leges sunt, quibus sanctum est, qui quid adversus eas fecerit, sacer alicui Deorum sicut [19] familia, pecuniaque. Sunt qui esse dicant sacratas, quas Plebes jurata in monte Sacro sciverit.

¶ Seclusa sacra dicebantur, quæ Græci mysteria appellant. ¶ Scena ab aliis, a quibusdam sacena appellatur, dolabra pontificalis. ¶ Sarissa est hastæ Macedonicæ ge-

[1] στεγνός. [2] multis aliis. [3] collustravit. [4] soliti. [5] illic. [6] Androgyno. [7] oportuit. [8] pergetis. [9] thermis. [10] concipit. [11] Quirini. [12] sed ponitur. [13] quique. [14] Sycomorus. [15] moro. [16] Solem. [17] veneunt. [18] piari. [19] sit cum.

Digitized by Google

nus. ¶ Sacer mons appellatur trans Anienem, paulo ultra tertium miliarium: quod eum Plebes, cum secessisset a Patribus, creatis Tr. Plebis, qui sibi essent auxilio, discedentes Jovi consecraverunt.
At homo sacer is est, quem populus judicavit ob maleficium, neq. fas est eum immolari; sed, qui occidit, parricidii non damnatur: nam lege tribunicia prima cavetur, si quis eum, qui eo Plebeiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Ex quo quivis homo malus atq. improbus, sacer appellari solet. Gal-

*Pag.* 129.

lus Aelius ait sacrum esse quocunque modo atq. instituto civitatis consecratum sit, sive ædis, sive ara, sive signum, sive locum [1], sive pecunia, sive quid aliud quod Dis dedicatum, atq. consecratum sit. Quod autem privati, suæ religionis causa, aliquid earum rerum Deo dedicent, id Pontifices Romanos non existimare sacrum. At si qua sacra privata suscepta [2] sunt, quæ ex instituto Pontificum, stato die, aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari, tanquam sacrificium. Ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur sacer esse.
¶ Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures Siculosq. exegerunt; nam Vere sacro nati erant. ¶ Sagmina vocantur verbenæ, id est, herbæ puræ, quia ex loco sancto arcebantur a Consule Prætoreve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumq. indicendum; vel a sanciendo, id est confirmando. Nævius [3] Jus sacratum Jovis jurandum sagmine. ¶ Sagaces appellantur multi ac sollertis acuminis. Afranius in Brundisina: Quis tam sagaci corde atq. ingenio unico? Lucretius l. II: Nec minus hæc animum

*Pag.* 130.

cognoscere [ posse sagacem. Sagacem etiam canem [ dixit . . . invictus ca[nis, sagax, validis viribus fretus. [ ¶ Saga quoque dicitur mulier peri[ta sacrorum, et vir sapiens pro[ducta prima syllaba, forsitan prop[ter ambiguitatem evitandam. ¶ Sanates quasi sanati appella[ti, id est, sanatæ mentis. Sulpicius [ autem Rufus Sanates et Opillus [4] [ Aurelius existimant dici inferio[ris loci gentes, ut Tiburte[s, et alios, qui cum populo Tibur]te habitarunt in agro Tiburti, id e[st, peregrinos, inferiorisq. loc[i gentes. Itaque scriptum est in XII: Nex]o, solutoque,
Forti Sanati[q. idem jus esto, id est, bonor[um, quod et peregrino, qui et infe[riorum coloniarum, quæ sunt [ deductæ in Priscos Latinos, [ quas Priscus rex ingerit secundum [ mare, supra et infra Romam, in c[ivitates Latinorum, eosq. Sanat[is, propterea quod præter opinio[nem eos paravisset sanavisse[ tq. et cum eis pacisci potuisset, no[minavit, ut ait Cincius L. II de Officio jurisconsulti. Ne Valerius [ quidem Messala in XII. explanatio[ne id omisit; qui tamen in eo libro, qu[em de Dictis involute inscribi [5], For[tis et Sanatis duas gentes finitimas [ esse ait,

*Pag.* 131.

de quibus le]gem hanc scriptam esse, qua cautu]m, ut id jus manifesto, quod populu]s R., haberent. Neq. alios, quam For]ctos, et Sanates eam legem sig]nificare existimat, hoc intellec]tu. Multi sunt quib. quod alias pla]cuit, displiceat postea: ideoque ai]t, sant forcti [6] significare sa ] nati insani.
¶ Sarpta vinea putata, i]d est pura facta; virgulæ enim re]lictæ impedimento vitibus sole]nt esse, quæ ideo abscindunter. ] Inde etiam ¶ Sarmenta scrip]ores dici putant, sarpere enim a]ntiqui pro purgare dicebant. ¶ Sar]te, in Auguralibus, pro inte]gro ponitur: Sane sarteq ]e andire videreq. . Ob quam caus]am opera publica, quæ locantur, ut i]ntegra præstentur, sarta tecta vo]cantur; etenim sarcire est integrum ] facere.
¶ Sarra dicebatur, q]uæ nunc Epirus dicitur. ¶ Sardare,] intelligere significat. Næ[vius belli Punici libro. . . Quo]d bruti nec satis sardare queunt. ¶ Sardi venales alius alio nequ]ior, ex hoc natum proverbium vi]detur, quod ludis Capitolinis, qui ] fiunt a vicinis, [7] prætextatis au]ctio Velentium [8], fieri solet, ] in qua novissimus quisq. dete]rrimus producitur a præcone ] senex, cum toga pa-

*Pag.* 132.

retexta [9], bullaque aurea quo cultu reges soliti sunt esse E[trus ] corum, qui Sardi appellantur. quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia. Tyrrhenus enim inde profectus cum magna manu eorum, occupavit eam partem Italiæ, quæ nunc vocatur Etruria. At Sinnius Capito ait Ti. Gracchum Consulem, collegam P. Valeri Fatonis Sardiniam Corsicamq. subegisse, nec prædæ quicquam aliud, quam mancipia, captum, quorum vilissima multitudo fuerit. ¶ Sarcito in XII, Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, præstato.
¶ Sardanapalus rex Assyriorum fuit unicæ luxuriæ, inter mulieres, epulasq. versatus semper atq. omni tempore. ¶ Sargus, piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur. Lucilius: Quem præclarus helops, quem Aegypto sargus movebit. ¶ Saturnia italia et

[1] locus. [2] suscepta. [3] Scapos atque verbenas sagmina sumpserunt [4] Opilius. [5] inscribit. [6] sanati facti. [7] vicanis. [8] Veientium. [9] prætexta.

Digitized by Google

mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimantur. Saturnii quoque dicebantur qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus. Nam Italici, auctore Aenea, velant ca-

*Pag.* 133.

pita, quod is, cum rem divinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Ulyxe cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atq. ita conspectum hostis evitavit. ¶ Saturno dies festus celebratur mense Decembri, quod eo ædis est dedicata, et is culturæ agrorum præsidere videtur, quo etiam [1] falx est ei insigne. Versus quoq. antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Nævio bellum Punicum scriptum est, et a multis aliis plura composita sunt; qui deus in Saliaribus Saturnus [2] nominatur, videlicet a sationibus. ¶ Sas Verrius putat significare eas, teste Ennio qui dicat in L. I : Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas; cum suas magis videatur significare, sicuti ejusdem L. IIII. fatendum est eam significari, cum ait : Nec [3] quisquam [philo]sophiam, [quæ doctrina [4] Latina lingua non habet] sapientia quæ perhibetur, in somnis vidit prius, quam sam discere cœpit. Idem, cum ait sapsam, pro ipsa, nec alia ponit in L. XIII : Quo res sapsa loco sese ostentatque, jubetque. Et Pacuvius in Teucro : Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet [5].

¶ Scævam, volgus quidem et in bona, et in mala re vocat, cum aiunt

*Pag.* 134.

bonam et malam [scævam. At scriptores in mala pone[re consueverunt, ut apud Græcos [invenitur positum. Pro sinistro sca[evum usurpavit Hostius in belli His[strici libro . . . . . . sentit scæv[um . . . . . . . . . . abit penitus [ . . . . . . ¶ Saperda genus pessimi p[iscis; sapientem etiam significat, c[uait Varro : Belli, festivi, saperdæ, cu[m simus omnes.

¶ Sanderacam [ait esse genus coloris, quod Græci s[andycem appellant. Nævius : Meru[la sanderacino colore.

¶ Sabini quod [volunt somniant, vetus proverbium e[sse, et inde manasse ait Sinnius Capit[o, quod quotiescunq. sacrificium propte[rviam fieret, hominem Sab num at [6] [illud adhibere solebant : nam his [7] pro[mittebat se pro eis somniaturum.; idemq., [postquam evigilasset, sacra facientibus [narrabat omne quidquid in quiete vi[disset, quod quidem esset ex sacrifici religione. [Unde venisse videtur in proverbium, [Sabinos solitos quod vellent somn[iare. Sed quia, propter aviditatem bibendi, q[nædam anus mulieres

A id somnium cap[tabant, vulgatum est illud quoq. : Anus [quod volt somniat. Fere enim quo[d vigilantes animo volumus, [id dormientibus apparere solet. ¶ Sam[byca organi dicitur genus, a quo Samby[cistriæ quoq. dicuntur. Per similitu[dinem etiam eam machinam appella[runt, qua

*Pag.* 135.

urbes expugna]nt; nam ut in organo chordæ, sic in m]achina funes intenduntur. ¶ Sa]mnitibus nomen factum ab hasti]s, propter genus hastæ, quod σαυνί]α appellent Græci. Alii aiunt ] Sabinis vero sacro voto, hoc genus ] hominum extra fines ejectum ], Comio Castronio duce, occupasse c]ollem, cui nomen
B Samnio, a quo Samnites. ¶ Salar]iam viam incipere ait a port]a, quæ nunc Collina a colle Quirina]li dicitur. Salaria autem propterea a]pellabatur, quod impetratum fuer]it, ut ea liceret a mari in Sabinos sal]em portari.

¶ Salacia dicta est quod ] salum ciet; antiquos autem ait eo] vocabulo poetas pro aqua ipsa usos esse. ] Pacuvius in . . . . . . . Hinc sæviti]am salaciæ fugimus, lætiq. munere ] vescimur Cereris; post condor thalamo, ] nemo ut me tunc inde queat abducere morta[i]um sæptam circum mœro. ¶ Salutari]s porta appellata est ab æde Sa]lutis, quod ei proxima fuit; alii ob sa]lutationes. Vocantur Megalesia qui n]unc ludi, scænicos olim dicebant, quo]s primum fecisse C. . . . . . . . . . . lium M. Popilium M. F. Curules A]ediles, memoriæ
C prodiderunt ] historici. Solebant his prodire mimi ] in orchestra, dum intus actus fab]ulæ componerentur, cum versib ob]scenis. ¶ Salva res est, saltat ] senex, quare parasiti

*Pag.* 136.

Apollinis in scæna dictitent, causam Verrius in L. V. [*] quorum prima est P. littera, reddidit. quod C. [8] Sulpicio. C. [9] Fulvio Cos. M. Calpurnio Pisone Pr. Urb. faciente ludos, subito ad arma exierint, nuntiatio adventus [10] hostium, victoresq. in theatrum redierint, solliciti, ne intermissi religionem adferrent, instaurati qui [11] essent; inventum esse ibi C. Pomponium [12], libertinum mimum, magno
D natu, qui ad tibicinem saltaret. Itaq. gaudio non interruptæ religionis editam vocem nunc quoq. celebrari. At in hoc libro refert Sinnii Capitonis verba quibus eos ludos Apollinares Claudio, et Fulvio Cos. factos dicit ex libris Sibyllinis, et vaticinio M. [13] vatis institutos; nec nominatur ullus Pomponius, ridiculeq. de ip. [14] appellatione parasitorum Apollinis hic causam reddit cum in eo præterisset. Ait enim ita appellari, quod C. Volumnius, qui ad tibicinem saltarit, secundarum par-

[1] quoniam. [2] Satirnus. [3] Neque. [4] sophiam quam doctrinam. [5] Teucro regnum sapsa res stabiliet. [6] ad. [7] is. [8] P. [9] C. N. [10] nuntiato adventu. [11] instaurandiq. [12] Pomponium. [13] Marcii. [14] ipsa.



Digitized by Google

A tium fuerit, qui fere omnibus minnis parasitus inducatur. Quam inconstantiam Verrii nostri non sine rubore retuli. ¶ Salios a sallendo [1] et saltando dictos esse quamvis dubitari non debeat, ta-

*Pag.* 137.

men Polemon ait Arcada quendam fuisse, nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Aenea deos Penates qui Lavinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse: a quo appellatos Salios, quib. per omnis dies, ubicunq. manent, quia amplæ ponuntur cænæ, si quæ aliæ magnæ dum [2], saliares appellantur. ¶ Salmacis nomine nympha, Cæli et Terræ filia, fertur causa fontis Halicarnassi aquæ appellandæ fuisse Salmacidis, quam qui bibisset, vitio impudicitiæ mollesceret: ob eam rem, quod ejus aditus angustatus parietibus, occasionem largitur juvenibus petulantibus antecedentium [3] puerorum puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Ennius: Salmacida spolia sine sanguine et sudore. ¶ Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quæ ad Salios adhibeantur cum apicib. paludatæ, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice paludatas cum apicib., in modum Saliorum. ¶ Spondere Verrius putat dictum, quod sponte sua, id est, voluntate promittatur. Deinde oblitus inferiore capite sponsum et sponsam ex Græco dictam ait, quod ii σπονδὰς interpositis rebus divinis faciant. ¶ Salicem idem virgulti genus, non arboris dicit, et ridicule interpretatur dictam, quod ea celeritate crescat, ut saltu videatur. ¶ Salinum in mensa, pro aquali, solitum esse poni ait cum patella, quia nihil aliud sit sal, quam aqua. ¶ Salentinos a salo dict s, Cretas, et Illyrios, qui cum Locrensib. navigantes societatem fecerint, ejus re-

*Pag.* 138.

gionis Italiæ, quam [dicunt ab eis. ¶ Sæculares ludi Tarquini Superbi regis [in agro sunt primū facti quē Marti consecravit [P. Valerius Poplicola Cos. quod populus R. in l[oco illo antea repertam aram quoq. Diti, ac [Proserpinæ conservaverat, in extremo Mart[io Campo, quod Terentum appellatur, demissam [ infra terram pedes fere viginti, in qua [pro malis avertendis populus R. facere sacr[a solitus erat. Ludos postea sæculares et nonagensi[mo quoque anno facere ibi cœpit Popillio Lenate [Duumviro sacrorum; in quib. hostiis furulis est [operatus tribus diebus, totidemque noctibus ac de[inde institutum esse, centum post annos, ut [ fierent. Unde videntur Sæculares appella[ti, quod centum annorum spatium sæculi habetur. ¶ Scuti[lū tenue et macrū dicitur, ex Græco, ut cum dici[mus scutilum hominem, exilem aliquem demo[nstramus, in quo pellicula tantū. In pompa aliud di[cimus scutilum, ut videatur scutilum de scrutil[o derivatum, detrita r littera, sitq. is, q. virtute po[test scrutari. Sed ex Græco nomen factū scutilo, cum co[riarium sign.ficamus. ¶ Squalidum incultum et sord[idum ait Verrius significare, sic dictum, quod proxime [ad similitudinem squamæ piscium accedit, [utiq. eorū, qui in profunditatibus abditi paludum, squ[allent maxime. Unde Ennius in Telepho.: Quam ve[stitus squalida sæptus stola. ¶ Squarrosos [ab eadem squamarum piscium similitudine ait dic[tos, quorum cutis exsurgat ob adsiduam in[luviem. Lucilius: Varonum ac rupicum squar[rosa, incondita

rostra. ¶ Schœniculas appe[llare videtur meretriculas Plautus propter usum un[guenti schœni, quod est pessimi generis; itaq. [dixit: Diabola-

*Pag.* 139.

res schœniculæ, mi]raculæ, cum extritis talis, cum todellis crusculis.] Idem: Prosedas pistorū amicas, reliquias halicarias ], miseras schœno delibutas, servilicolas, sordid]as. ¶ Scorta appellantur meretrices ex cons[uetudine rusticorum qui, ut est apud Atellanos anti]quos, solebant dicere, se attulisse pro scorto ] delicularum [4]; omnia namq. ex pellibus facta, scortea] appellantur. ¶Scortes, id est, pelles testium arie]tinorum, ab iisdem scorteis pellib. idē Verrius dictas esse ait.] ¶ Scandalaca genus herbæ frugibus i]nimicæ, quod eas velut hedera implicando ne]cat. ¶Scaptensula locus ubi argentum effoditur], in Macedonia, ita dictus a fodiendo,] quod est Græce σκάπτειν. Lucretius: Qual]es expiret Scaptensula subter odores. ¶ Spara ] parvissimi B generis jacula, ab eo quod s]parguntur, dicta. Lucilius Satirarum L. ] . . Tum spara, tum murices [5], portantur tragula Por]ro. ¶ Scitum Populi dicebatur, quod sine Plebe cunc]tus patricius ordo, rogante patricio, suis suf]fragiis jussit; quod autem aliquo interrogante] ex Patribus et Plebe suffragante scitum esset: id] jam leges scriptæ dicebantur. Sed illud Plebeisci]tum est, q. Tr. Pl. sine Patriciis Plebem ro]gavit, id est, consuluit. plebesq. scivit.] ¶ Plebes autem est omnis populus præter senatores,] et præter patricios. ¶ Scita facie, pro ] bona facie, alias, bonis pro scitis, a po]etis usurpantur. Terentius in Phormione:] Satis, inquit, scita; et in Heautontimoru]meno: At si scias, quam scite in mentem venerit.] L. Ennius in libro VI: Lumen . . . . . . . scitus agaso. ¶ Scenam genus fuisse cultri ] manifestum est, sed futurum [6] se-

C *Pag.* 140.

curis, an dolabra sit, ambigitur; quam Cincius in libro qui est ei [7] de Verbis priscis, dolabrā ait esse pontificiam. Livius in Lydio: Corruit quasi ictus scena, haud multo secus. SEX POMPEI FESTI DE VERBORUM SIGNIFICAT. LIB. XVIII. INCIPIT LIB. XVIIII.

¶ Scriptum [8] est id, quod in palustribus locis nascitur leve et procerum, unde tegetes fiunt. Inde proverbium est in eas natum res, quæ nullius impedimenti sunt, In scirpo nodum quærere. Ennius: Quærunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum; et Plautus in Aulularia: Quasi pueris, qui nare discunt, scirpo induetur ratis. Novius in Phœnissis: Sume arma i. ante [9] occidam clava scirpia. ¶ Spira dicitur et basis columnæ unius tori aut duorum, et genus operis pistorii, et funis nauticus in orbem convolutus, ab eadem omnes similitudine. Pacuvius: Quid cessatis, socii, eicere D spiras sparteas? Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, cum ait: Spiras legionibus nexunt. ¶ Spectu sine præpositione Pacuvius in Duloreste usus est, cum ait: Amplus, rubicundo colore, et spectu protervo [10] ferox. ¶ Spetile [11] vocatur infra umbilicum suis, quod est carnis, proprii cujusdā habitus, exos, qua etiam antiqui per se utebantur. Plautus enumerandis villis [12] obsoniis in Carbonaria sic .m.: Ego pernam, sumen, sueres, spectile, galium [13], glandia. ¶ Spicit quoque sine præpositione dixerunt antiqui. Plautus: Flagitium est, si nihil mittetur, quæ supercilio [14] spicit; et spexit Ennius L. XVI: Quos ubi rex [pa]ulo spexit de contib. [15] celsis. ¶ Spirillum vocari ait Opilius Aurelius capræ barbam. ¶ Spintyrnix est avis genus turpis

[1] saliendo. [2] sunt. [3] accedentium. [4] pelliculam. [5] rumices. [6] utrum. [7] II. i. e. secundus. [8] Scirpum. [9] jam te. [10] proterve. [11] Spectile. [12] suillis. [13] callum. [14] supercilio. [15] montibus.

Digitized by Google

*Pag.* 141.

figuræ. * Occursatrix artificum, perdita spinturnix. ea Græco dicitur, ut ait Sātra, σπινθαρίς. ¶ Spicum masculine antiqui dicebant, ut hunc stirpem et hanc amnem. Versus est antiquus : Quasi messor per messim unumquemq. spicum collegit. ¶ Speres antiqui pluraliter dicebant, ut Ennius L. II. Et simul effugit speres ita funditus nostras ; et L. XVI : Spero, si speres quicquā prodesse potis sunt. ¶ Spectio in Auguralib. ponitur pro aspectione, et nuntiatio quia [1] omne jus sacrorum habent. Auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando, quæ cum vidissent satis, spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando. ¶ Scripturarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora pascantur, certum æs est, quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. ¶ Scribas proprio nomine antiqui, B et librarios, et poetas vocabant. At nunc dicuntur scribæ quidem librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis. Itaque cum Livius Andronicus bello Punico secundo scribsisset carmē, quod a virginibus est cātatū, quia prosperius resp. populi R. geri cœpta est, publice adtributa est et [2] in Aventino ædis Minervæ in qua liceret scribis histrion.b. q. consistere, ac dona ponere in honorem Livii, quia his, [3] et scribebat fabulas, et agebat. ¶ Scraptæ dicebantur nugatoriæ ac despiciendæ mulieres, ut ait unus [4], ab his [5] quæ screa idem appellabant, id est, quæ quis excreare solet, quatenus id faciendo se purgaret. Titinius in Prilla : Rectius mecastor Piculetæ Postumæ lectum hodie stra-

*Pag.* 142.

tum vidi scrattiæ mu[lieris. ¶ Scrutillus appellabatur venter suillus co[ndito farre expletus. C Plautus : Venter sullus [6], [ dicam suo nomine scrfuillum [7]: ego me hodie... [ si quid esset, quod comesa farte biberem . . . . . . . . . . .

¶ Spinther vocabatur [ armillæ genus, quod mulieres antiquæ gere[re solebant brachio summo sinistro. Plautus : Ju[beasque spinther novum reconciunarier. [ ¶ Scrupi dicuntur aspera saxa et difficili[a, petræ etiam attrectari insuetæ, aut [ naufragiorum pollutæ scelere. Ennius in An[dromacha : Scrupeo investita saxa atque hos[treis [8], quam excaprent.

Unde scrupulosam [ rem dicimus quæ aliquid habet in se asperi. Corne[lius Sisenna Histor. Libro IIII : His tum inject[us est levis scrupulus et quædā dubitatio. ¶ [ Scorteū ab eadē causa qua scortum, vocabatur [ pelliceum, in quo sagittæ reconduntur, ab eo [ quod ex pellib. factum est, quia pellib. nomen a σχύ[τος, quod Græce pellis. Unde scyticæ et scuta, [ quia non sine pellib. sunt.

D ¶ Sceleratus campus ap[pellatur prope portam Collinam, in quo virgin[es Vestales, quæ incestum fecerunt, defossæ sunt v[ivæ. ¶ Scribonianum appellatur antea [9] atria [ puteal, quod fecit Scribonius, cui negotium da[tum a Senatu fuerat, ut conquirerer [10] sacella at[acta : isque illud procuravit, quia in eo loco [ attactum fulgure sacellum fuit. Quod ign[oraretur autem, ubi esset (ut quidam) fulgur conditum, [ quod cum scitur, nefas est integi, semper forami[ne ibi aperto cælum patet. ¶ [ Sceleratus Vi[cus appellatur, quod cū Tarquinius Superbus interfici[endū curasset Ser. Tullium regem, soce[rum suum, corpus

*Pag.* 143.

ejus jacens filia carp]ento supervecta est, pro-

A perans in possessionem ] do[m]us paternæ. ¶ Scelerata porta eodem app]ellatur a quibusdam, quæ et Carmentalis ] dicitur. quod ei proximum Carmentæ sacellum fuit. ] Scelerata autem, quod per eam Sex et Trecenti Fabii c]um clientium millib. quinque egressi adversus E]truscos, ad amnem Cremeram omnes sunt inter]fecti : qua ex causa factum est, ut ea porta int]rare egredive omen habeatur. ¶ Schedia ] genus navigii inconditi, trabib. tantum inter ] se connexis facti, quo mercimonia circum]ferunt post amissam navem. Unde schedia us]us quoq. poemata dicit et versus, non sa]tis perfectis [11] qui essent. Appellavit schedium. . s] cum dixit : Qui schediū facit inconditum, et inelaboratum. ] ¶ Sexagenarios de ponte olim dejiciebant, ] cujus causam Manilius hanc refert : quod Romam ] qui incoluerint primi Aborigines, h]ominem, sexaginta annorum qui esset, immolare ] Diti Patri quot- B annis soliti fuerint ; ] quod facere eos destitisse adventu Her]culis. Sed religione postea veteris moris sc]irpeas hominum effigies de ponte in Tiberim vetere ] modo mittere instituisse. Alii dicun]t, morante in Italia Hercule, quod quidam ej]us comitum habitaverint secundum rip]am haberi [12], atque Argaeos se ab Argivis voca]verint arvi [13], quorum proditam memori]am redintegrari ; eo gente missum ab Græc]a legatum quendam Argaeum diu cum ] iis Romæ moratum esse ; is ut obieri]t Institutum esse a sacerdotibus, ut effigies s]cirpea ex omnibus, cum quæ publicæ erant rei nu]ntiavisset, per flumen, ac mare

*Pag.* 144.

in patriam remitteretur. Sunt qui dicant, post urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus cœptos sexaginta annorum homines jaci in C Tiberim, ex quo numero unus, filii pietate occultatus, sæpe profuerit patriæ consilio, sub persona filii ; id ut sit cognitum, ei juveni esse ignotum, et sexagenariis vita concessa ; latebras autem ejus [14], quibus arguerit [15] senem, id est, cohibuerit, et celaverit, sanctitate dignas esse visas, ideoq. arcæa [16] appellata. Sed exploratissimum illud est causæ. Quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte deicerentur sexagenarii qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent imperatorem ; cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino, confirmavit Afranius in Repudiato. ¶ Secus [17] aliter significat sexu, natura habituque, ex Græco, quam illi vocant ἕξιν, Afranius in Privigno sic agit [18] : Orbus virili sexu adoptavit sibi.

D Pacuvius in Atalanta : Triplicem virili sexu partum procreat. ¶ Simpludiarea funera sunt, quibus adhibentur D. T. [19] ludi, corbitoresque. Quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum : nam indictiva sunt, quibus adhibentur non ludi modo, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima. ¶ Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quæ sunt adfectæ [20] ei numero centuriarum quas Priscus Tarquinius rex constituit.

¶ Sestertius dicitur quarta pars denarii, quo tempore his [21] decussis valebat, id est dupundius, S.

*Pag.* 145.

¶ Sinistræ aves, sinistrūque est sinistimū auspiciū [22], i. quod sinat fieri. Varro L. V. Epistolicarū questionū ait : A deorum sede cum in meridiem spectes, ad

[1] iis, qui. [2] ei. [3] is. [4] Verrius. [5] iis. [6] suillus. [7] scrutillum. [8] saxo atq. ostreis. [9] ante. [10] coinqueret. [11] perfecti. [12] Tiberis. [13] arvis. [14] eas. [15] arcuerit. [16] Argæa. [17] Sexus. [18] ait. [19] dumtaxat. [20] adjectæ. [21] is. [22] auspiciorum.

Digitized by Google

sinistra sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes; factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextera esse existimentur. idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius. ¶ Sentinare, satagere, dictum a sentina, quam multæ aquæ [1] navis cum recipit, periclitatur. Cæcilius in Aethrione: Cum Mercurio capit consiliū, postquam sentinat satis. ¶ Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio Remp. administraret: itaque etiam Patres appellati sunt, et nunc cum senatores adesse jubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet: quia hi [2] qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam dicunt, et non vocantur Senatores ante, quam in senioribus sunt censi. ¶ Senatus decretum a consulto Aelius Gallus sic distinguit, ut id dicat particulam quandam esse senatusconsulti, ut cum provinciæ alicui decernitur, quod tamen ipsum senatusconsulti est. ¶ Senis crinib. nubentes ornantur, quod his [3] ornatus vetustissimus fuit. Quidam, quod eo Vestales virgines ornentur quarum castitatem viris suis sponte [4] . . . a ceteris. ¶ Sentes, cum constet esse spinas, et Afranius in Abducta dixerit: Quam senticosa verba pertorquet turba [5]; pro spinosis accipi debet. ¶ Senium a senili acerbitate et vitiis dictum, posuit Cæcilius in Hymnide: Sine suam senectutem ducat usque ad senium sorbitio. ¶ Senonas Gallos Verrius ait existimari appellari, quia novi venerint ex

*Pag.* 146.

transalpina regione, [ ac primum appellatos ξένους postea Senonas. ¶ Septentriones septem stellæ appell[antur a septem bobus junctis, quos trio[nes a terra rustici appellent, quod jun[cti simul terram arent quasi terriones. [ Quidam a septem stellis, quod id astrum Græ[ci ἄμαξαν dicant, quia habet partem quand[am temonis specie. Unde ait Ennius: Superat [ temo stellas. Sed et physici eum situm [ septem stellarum conten . . . templati [6], sep[tentriones dici aiunt, quod ita sunt [ sitæ septem stellæ, ut ternæ proximæ [ specie efficiant velut trigona. ¶ Scensas [ antiqui dicebant, quas nunc cœnas. Quæ autem [ nunc prandia, pro cœnis habebant, et pro cœn[is vespernas appellabant. ¶ Signa, ut rerum, ita [ quoque res ipsæ dicuntur, aut lapides, aut [ fictile, aut si qua ejusmodi adhuc aliqua, et [ signa dicuntur quæ sculpantur etiam. Sed po[cula etiam in quibus sunt simulacra ad effigi[es sigillata. ¶ Sequester is dicitur, qui inter aliquos, [ qui certant, medius, ut inter eos convenerit, [ depositum ita tenet aliquid ut ei reddat, qui [7] [ id deberi jure sibi constiterit. Cato in ea ora[tione, quam habuit de Indigitibus: Sinunt mi[seros perire, ut bona rapiant; aut [ si superstites petant, vi seques prodeant [8]; et Pla[utus Mercatore: Immo sic sequestro mihi data [ est . . . ¶ Sepulchrum est, ut ait Gallus [ Aelius, in quo mortuus sepultus est, quod anti[qui bustum appellabant, hisque [9] cippis, aut ali[qua alia re, mortui causa designatus est, intra [ quos sepultura est facta. ¶ Segnitia [ dicitur, quod sit sine

*Pag.* 147.

nitendo quid utile ] aut honestum: Terentius: Enimvero, Dave, nihil loci est ] segnitiæ neque socordiæ. ¶ Signa]re dicitur signis notare, velut in pecoribus fit. Sed anti[qui eo, pro scribere, utebantur; unde et subsigna]re, et consignare, invenitur positum, pro subscrib]ere, et conscribere. ¶ Septimontium dies ap]pellatur mense Decembri, qui dicitur in ] Fastis Agonalia, quod eo die in septem m]ontibus fiunt sacrificia Palatio, Velia, F]agutali, Subura, Cermalo, Cælio, Opio, ] Cispio. ¶ Sifus usurpatum est pro tu]bis ipsis id quod Græce dicitur σίφων. In le]ge Rivalicia sic est, quæ lata fuit rogant]e Populum. Ser. Sulpicio Ser. F. Rufo: Mon]tani, paganive, siphonibus aquam dividunto; ] donec eam inter se diviserint, Prætori]s judicatio esto. ¶ Siparium, quo in scenis mimi ] utuntur, dictum ait Verrius a vela]mento, quod vocetur alias aulæum. ¶ Supparum ap]pellant dolonem, quod est velum minus in navi, ut ] acation, majus. Supparum autem dictum ait Sinnius ] Capito, velut separatum quod sit disjunctumque a dolo[ ne interioris mali ¶ Sepultum ] morte meroque [10] cum ait . . . . d]e L. Terentio, Tusci vici magistro, significat ] vivum de saxo Tarpeio elatum, cum eo ve]nisset commissatum, quod mero, id est, vino es]set coactus. ¶ Seplasia forum Capuæ in ] quo plurimi unguentarii erant. In Pison]em Cicero: Seplasia mehercule, ut dici] audiebam, te ut primum aspexit, Campanum ] consulem repudiavit. ¶ Saticula oppidum ] in Samnio captum est, quo postea coloni[am deduxerunt Triumviri M.

*Pag.* 148.

Valerius Corvus, Junius Scæva, P. Fluvius [11] Longus ex S. C. kal. Januariis, P. Papirio Cursore, C. Junio. II. Cos. ¶ Segesta quæ nunc appellatur, oppidū in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. Sed præposita est ei s. littera, ne obsceno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum dictum est, et in Epidamno, quod usurpatur Dyrrachium. ¶ Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur, d. littera in l. conversa, ut etiam in sellā factum est, et subsellio, et solio, quæ non minus a sedendo dicta sunt. ¶ Silus appellatur naso s. rusus [12] versus repando. Unde galeæ quoq. a similitudine, silæ dicebantur. ¶ Silvii sunt appellati Albani reges, a Laviniæ filio, quem post excessum Æneæ gravida relicta, timens periculum, et suæ vitæ, et ejus, quem utero gerebat, in silvis latens, enixa est; qui restitutus in regnum est post mortem Ascanii, prælatus Iulio [13] fratris filio, cum inter eos de regno ambigeretur. ¶ Sertorem quidam putant dictum a prendendo, quia cum cuipiam adserat [14] manum, educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor; cum verisimilius sit dictum, qui sereret quid, ac potius adsertorem a serendo cepisse nomen, cum aliquem serat petendo in libertatem eandem, qua ipse sit, id est jungat, quia fruges cum seruntur, terræ jungit, quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit. ¶ Seges dicitur ea pars agri, quæ arata et consita est, a serendo videlicet. ¶ Serilla Verrius appellari putat navigia Histricia [15], ac

*Pag.* 149.

Liburnica, quæ lino ac sparto condensantur a conserendo et contexendo dicta; quia dicit Pacuvius in Niptris: Nec ulla subcus [16] cohibet compagem alvei; sed suta lino, et sparteis serilib. Cum περιφραστικῶς, et licto vo-

[1] quia multum aquæ. [2] ii. [3] is. [4] spondeant. [5] lupa. [6] contemplati. [7] quoi. [8] sequestro dent. [9] isque. [10] meroq. [11] Fulvius. [12] susum. [13] Iulo. [14] afferat. [15] Histrica. [16] subscus.

Digitized by Google

cabulo, usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. ¶ Servorum dies festus vulgo existimatur idus [1] Aug., quod eo die Ser. Tullius, natus servus [2] ædem Dianæ dedicaverit in Aventino, cujus tutelæ sint cervi, a quo [3] celeritate fugitivos vocent servos. ¶ Sero sapiunt Phryges, proverbium est natum a Trojanis, qui decimo denique anno velle cœperant Helenam, quæq. cum ea erant rapta, reddere Achivis. ¶ Sispitem Junonem, quam vulgo sospitem appellant, antiqui usurpabant, cum ea vox ex Græco videatur sumpta, quod est σώζειν. ¶ Sultis si voltis significat, composito vocabulo ita, ut alia sunt, * [4] si audes; sis, si vis, plicet * [5]; [6] * in loco ; scis licet [7], scias licet ; equidem (equo), ego quidem. Ennius : Pandite, sulti [8], genas, et corde relinquite somnum. ¶ Setius [9] a sero videtur dictum. Accius in Amphitryone : Si forte paulo, quam tu veniam setius [10]. ¶ Sedum, alii sadum, appellant herbam, quam Opillius Aurelius sesuvium vocari ait, eamq. in tegulis seri, nec quamobrem id fiat, indicat. ¶ Specus feminino genere pronuntiabant antiqui, ut metus et nepos, tam hercules, quam masculino stirpis, ut [11] frons, ut Ennius : Tum causa [12] sub monte alte [13] specus in jus [14]. patebat [15]; et Pacuvius in Chryse : Est ibi sub eo saxo penitus strata harena ingens specus.

¶ Spondere antea ponebatur pro dicere, un-

*Pag.* 150.

de et respondere adh[uc manet; sed postea usurpari cœptum est [ etiam in promissione alterius. ¶ Subdit[us dicitur is, qui in demortui, ( in demortuis ) ju[dicis locum judex datur his [16], qui eum ha[buerant judicem duntaxat in eandem rem, [ vel litem. ¶ Saturno sacrificium fit capi[te aperto. Ejus autem sacro Metellus Pont.[Max. cum Claudium Augurem jussisset adesse, ut eum [ tunc adhiberet Ser. Sulpici Ser. F. inaug[urationi , ille autem excusaret se, sacra sibi fa[miliaria obstare, quib. supplicandum esset capite [ operto ; Saturno autem esset futurum, ut cum ap[erto capite res sacra facienda esset. Pont[ifex illum multavit ; Claudius provocavit. [ Sed cum reconciliatus Pontifici esset Claudius fa[miliæ sacris peractis , Saturno sacra fecit rel[igione solutus. ¶ Saxum Tarpeium appel[latam aiunt partem montis, qui ob sepultam Ta[rpeiam ibi virginem, quæ cum montem Sabinis [ prodere pacta erat, ita nominatus est ; vel [ab eo, quod quidam nomine L. Tarpeius Romulo [ regi cum propter raptas virgines adversa[retur, in ea parte, qua saxum est, de noxio pœna [ sumpta, Tarpeium dictum, noluere funestum locum [ cum altera parte Capitoli conjungi. ¶ S[captia tribus a nomine urbis Scaptiæ [ appellata, quam Pedani incolebant. ¶ Stellati[na tribus dicta, non a campo eo, qui in Cāpania ē, sed eo, qui[ parū abest ab urbe Capena, ex quo Tusci profecti, St[ellatinum eum campum appellaverunt. Sabati[na a lacu Sabate. ¶ Sabini dicti, ut ait Varro [ Terentius, quod ea gens p̄. p̄. [17] præcipue colat de[os, sive ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. ¶ Sanqualis porta [ appellata est

*Pag.* 151.

ab avi sanquali, id[eoque eodem est nomine quo avis ipsa appellatur ] ¶ Silere, tangere [18] significat, ficto verbo ] a s. littera, quæ initium ejus vocis est. ] ¶ Sellæ Curulis locus in Circo datus est Valerio Dicta]tori, posteriusque [19] ejus honoris causa, ut pro]xime sacellum Mur-

A ciæ spectarent, unde aspi]ciebant spectacula magistratus. ¶ Sontica causa] dicitur a morbo sontico, propter quem, quod est ge]rendum agere desistimus. M. Porciu]s Cato de re * [20] A. Atili : Quid dicam causæ extiti]sse, timidus ne sis, an impedimento t]ibi causam sonticam fuisse? ¶ Stiricidium qua]si stillicidium, cum stellæ [21], concretæ frigore, ca]dunt. Cato pro C. . . . . . . . . . n ]ihilominus voluit semper de stiricidio in ] re præsenti cognoscere ; atque etiam statu]ere. ¶ Sacramento dicitur quod jurisjurandi sacrati]one interposita actum est. Unde quis sacramen]to dicitur interrogari, quia jusjurandum interponitur. Cato ]in Q. Thermum de x. hominibus : Tunc vero ibi ad]erunt, ne mala facinora, bona fide, aut ] scelera nefaria fierent, qui dicerent sacramen]to, traderentur, lege æstimarentur. ¶ Siremps ] ponitur pro eadē, vel, proinde quasi similis res ipsa. ] Cato in dissuadendo le-

B gem, quæ postea re]licta est : Et præterea rogas ut quemquam adversus] ea, si populus condemnaverit, siremps lex ] siet, quasi adversus legem fecisset. ]. ¶ Spiciunt, antiquos dixisse sine præposi]tione testis est Cato in ea, quam habuit in Q. Thermum de] septem [22] hominib. : Ut solent evitare son]ivios, nisi qui sempiterni sunt, quos dum occur]rant, ne spiciunt, neque ratos, esse volunt. ¶ Spa]tiatorem, erratorem Cato in An. [23]

*Pag.* 152.

Cælium, Si se appellavisset : In coloniam me hercules scribere nolim, si trium virum [24] sim, spatiatorem atque fescenninum. ¶ Stata sacrificia sunt, quæ certis dieb. fieri debent. Cato in ea, quam scribsit de L. Veturio, de Sacrificio [25] commisso, cum ei equum ademit : Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta deseruisti. ¶ Solemnia sacra dicuntur, quæ certis temporibus an-

C nisque fieri solent. ¶ Serra prœliari dicitur, cum assidue acceditur recediturque, neque ullo consistitur tempore. Cato de Re militari : Sine [26] ] forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, uti adoriare. ¶ Stercus ex æde Vestæ XVII. kal. Jul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria ; tantæ sanctitatis majores nostri esse judicavere. ¶ Summissiorem aliis ædem Honoris et Virtutis C. Marius fecit, ne, si forte officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerent. ¶ Sex Vestæ sacerdotes constitutæ sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex est distributa partis, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres. ¶ Salinum cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur, quod quondam in Esquilina regio-

D ne figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus, somno esset oppressus cum convivis suis, præteriens quidam petulans, ostio patente, ex mensa salinum conjecit in fornacem ; atque ita, incendio excitato, figulus cum suis concrematus est. ¶ Sacramentum, æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur,

*Pag.* 153.

sive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta assiū ē, in aliis reb. quīgētorū, inter eos, qui judicio inter se contenderent. Qua de re lege L. Papirii Tr. pl. [27] sāctū ē his verbis : Quicūq. Prætor post hoc [28] factus erit, qui inter cives jus dicet, Tres viros Capitales populum rogato, hique [29] Tres viri [ Capitales ]

[1] idib. [2] serva. [3] quorum. [4] sodes. [5] ilicet, ire licet. [6] illicò. [7] scilicet. [8] sultis. [9] Serius. [10] serius. [11] stirps, aut. [12] casu. [13] altæ. [14] intus. [15] patebant. [16] iis. [17] Penates. [18] tacere. [19] posterisque. [20] Cato de re Floria. [21] stillæ. [22] decem. [23] M. [24] triumvir. [25] Sacrilegio. [26] Sive. [27] Militum. [28] II L. R. [29] iique.

Digitized by Google

quicūque [fa]cti erūt, sacramenta ex[igunto judicātoque, eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, judicareque (esse), esseque oportet. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod et propter ærarii inopiam, et sacrorū publicorū multitudinem, consumebatur id in rebus divinis. ¶ Sextantarii asses in usu esse cœperunt ex eo tempore, quod [1] propter bellū Pūicū secūdū, quod cū Hānibale gestum est, decreverunt patres, ut ex assibus qui tum erant librarii, fierent sextantarii, per quos cum solvi cœptum esset, et [2] populus ære alieno liberaretur, et privati quibus debitum publice solvi oportebat, non magno detrimento adficerentur. Septuennio quoque (anno) * [3] usus est, ut priore numero. [4] Sed id non permansit in usu, nec amplius processit in majorem. ¶ Senacula tria fuisse Romæ, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriæ redidit [5] Nicostratus in libro, qui inscribitur de Senatu habendo: unum, ubi nunc est ædis Cōcordiæ inter Capitolium et Forum, in quo solebant magistratus D. T. [6] cum senioribus deliberare; alterum, ad portam Capenam; tertium, citra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur. ¶ Scholæ dictæ sunt, non ab otio ac vacatione omni, sed quod, ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueri debent, ut etiam ludi appellantur, in quibus minime luditur, ne tristi

*Pag.* 154.

aliquo nomine fug[iant pueri suo fungi munere. ¶ Subici ar[ies dicitur, qui agitur, ut cædatur, quod fit, ut ait Cincius [ in libro de Officio jurisconsulti, exemplo At[heniensium, apud quos expiandi gratia aries [ inigitur ab eo, qui scelus admisit, pœnæ p[endendæ loco. ¶ Speciem quam nos dicimus, εἶδος [ Græci dixerunt. Platon quidem idean. [ Nobis species pro eadem ponitur. ¶ Sesterti no[ta apud antiquos fuit dupondi, et semissis; [unde sestertius dictus, quod semis tertius. Sed auctos [7] est [ bello Punico secundo. Apud antiquos autē [ denarius et quinques sis in usu erant, et valebant, de[narius denos asses, quadrigati, bigati.; quinques si[s quinos. Sed uterque auctus est. Numerum æris perduct[um [8] esse aiunt lege Flaminia minus solvendi, c[um ære alieno premeretur P. R. ¶ Solida sella, ait [ Verrius sedere tū quis jubetur, cum mane surg[ens auspicandi gratia evigilavit, quod antiqui expresse, [ nihilq. ab interiore parte excavata[s aut laxatas faciebant sedes; quas s[edes, solidas ideo, quod in his nihil erat con[cavum, maxime appellabant, inquit Verrius, quod [ scilicet essent totæ; absurde, ut mihi videtur, [ cum omne id quod sit totum, ait dictum solidum. [ ¶ Silatum antiqui pro eo q. nunc jentaculum dicim[us, appellabant, quia jejuni vinum sili [9] condi[tum ante meridiem obsorbebant. ¶ Suffragato[res dicebantur apud majores, hi qui vulgo in usu [erāt cādidatis, nā ut melius apparerent juncta suffra[gia, suffragator, quem quisq. fieri vellet, notabat a[pposito puncto, scribis candidatorum hominum [ nominib. Varro in L. VII. Rerum humanarum [ hoc tradit. ¶ Struppi vocantur in pulvinarib. [ fasciculi

*Pag.* 155.

de verbenis facti, qui pro deorum ] capitib. ponuntur. S . . . . apud urb]em Calo Antistius Labeo dici ait ma]gistratum publicum.

. . . . . . ¶ Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum fe]rreum, oblongum, manibrio eburneo, rotund]o, solido, vincto ad capulum auro argentoq. ], fixum clavis æneis, ære Cyprio, quo Flami]nes, Flaminicæ Virgi-

A nes, Pontificesq. ad sa]crificia utuntur. Eadem alias dicitur, qua ] in sacrario utuntur. Sacraria namq. in templis [ rediculo [10] æneo olim sæpiebantur, in quo ] tubæ relictæ sunt, per quas manib. sacr]a tangere licet. . est hoc in templo, Bonæ Deæ; ] sed et in aliis locis; et sunt velut repagula ] quædam. Ita secespitæ dicūtur duob. modis. ¶ Secius ]est, quod secespita secatur libum, seu placenta, qu]æ soleat necessariis sacrificiis adhiberi. ] ¶ Suffimenta sunt, quæ faciebant ex faba milio]q. molito, mulso sparso; ea Diis dabantur eo tempo]re, quo uvæ calcatæ prælo. . ¶ Serpsit, usi sunt] antiqui pro serpserit, unde videntur serp]ulæ dictæ, quas nunc serpentes dicimus ex Græ]co, quia illi ἑρπετὰ, nos pro aspiratione eorum, ] s. littera posita, ut ἕξ sex ἑπτὰ septem]. ¶ Suffibulum est vestimentū albū, prætextum, qua]drangulum, oblongum, q. in capite virgines Vest]ales cum sacrificant semper

B habere solent; ] idq. fibula comprehenditur. ¶ Silentio surgere ait ] dici, ubi qui post mediam noctem auspi]candi causa ex lectulo suo silentio surr]exit, et liberatus a lecto, in solido se posuit, se]detq.; ne quid eo tempore deiciat, rursusq. ] se in lectum reposuit: hoc enim est proprie si]lentium, omnis vitii in auspiciis va-

*Pag.* 156.

cuitas. Veranius ait, non utiq. ex lecto, sed ex cubili, ne [11] rursus se in lectum reponere necesse esse. ¶ Sarpiuntur vineæ, id est, putantur, ut in XII: Quandoq. sarpta, donec dempta erunt. ¶ Summanalia, liba farinacea in modum rotæ finctæ [12]. ¶ Suffuerat, sub eodem tecto fuerat. ¶ Scribtum lapidem esse ait, et ita vocari. Antistius Labeo in agro Menullino, [13] * divinam rem faceret [14]. ¶ Se quamq. seorsum quamq. ¶ Sanates dicti sunt, qui supra, infraq. Romam habitaverunt; quod nomen

C his fuit quia, cum defecissent a Romanis, brevi post redierunt in amicitiam, quasi sanata mente. Itaq. in XII. cautum est, ut idem juris esset Sanatib., quod Forctib., id est, bōis, ei qui nūquā defecerant a P. R. ¶ Sublucare arbores est ramos earum supputare, et veluti subtus lucem mittere; conlucare autem, succisis arborib. locum implere luce. Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius L. X. commentarii Juris pontificii, cui aqua admixta est, de fructumve [15], aut igne tactum est, mustumve ante, quam defervescat. ¶ Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montib. feriæ Palatio, cui sacrificium, quod fit, Palatuar dicitur, vilæ [16] cui item sacrificium, Faguali [17], Suburæ, Cermalo [18], Oppio, Cœlio monti, Cispio monti. Oppius autem appellatus est, ut ait Varro Rerum humanarum L. VIII., ab Opita [19]

D Oppio Tusculano qui cum præsidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Veios oppugnaret, consederat in Carinis, et ibi castra habuerat. Similiter

*Pag.* 157.

Cisitū [20], a Lævo Cispio Anagnino, qui ejusdē rei causa eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad vicū Patricium versus, in qua regione est ædis Mefitis, tuitus est. ¶ Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorū fanorum constituere. Quam [21] Antistius Labeo ait in Commentario XV. Juris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis et diis habere. ¶ Subigere [22] arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, cædatur. ¶ Bene spon-

[1] quo. [2] ut. [3] quod eo. [4] nummo. [5] prodidit. [6] dumtaxat. [7] auctus. [8] productum. [9] fili. [10] reticulo. [11] nec. [12] ficta, vel, facta. [13] ubi scribæ. [14] facerent. [15] defrutumve. [16] Veliæ. [17] Fagutali. [18] Germalo. [19] Opitre. [20] Cispius. [21] Q. [22] Subicere.

Digitized by Google

sis, beneq. volueris, in precatione Augurali, A Messala augur ait significare spoponderis, volueris ¶ Serpula serpserit, ait idem Messala, serpens inrepserit. ¶ Solino idem ait esse consulo. ¶ Suad ted Idem ait esse, sic te. ¶ Stellam significare ait Ateius Capito lætum et prosperum, auctoritatem secutus P. Servilii auguris, (stellam) quæ ex tamella [1] ærea adsimilis stellæ locis inauguratis infigatur. ¶ Sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito lætum et prosperum auspicium, aut [2] silentiũ dubi [3] duntaxat vacat vitio, igitur silentio surgere cum dicitur, significat nō interpellari, quo minus rem gerat. Ad [4] sinistrum hortari quoq. auspicia ad agendum, quod animo quis proposuerit. ¶ Satis verbum Verrio melius fuit præterire, ut mihi videtur, quam tam absuri qui [5] opiniones suas de eo restare [6]; quas sciens præterii, tam hercules, quā de ¶ Scabro, quod proximũ sequebatur. ¶ Stipatores ait dictos a stipe, quam mercedis B nomine accipiant custodes cujusq. corporis. Unde et ¶ Stipam, quam [7] amphoræ cum extruuntur, firmari solent; etiam ¶ Stipites, qui ob eandem causam destituantur. ¶ Sollicitare

S—T

*Pag.* 158.

quidam dictum putant, vel[ut citare ex sollo, quod est ex suo loco ac sententia [ movere. Sollum autem quin significet locum, quis [ dubitet? cum exsules quoq. dicantur loco p[atriæ suæ pulsi. ¶ Tappete [8] ex Græco sum[psit, tappetæ Ennius, cum ait *. T[appetem etiam dixit Turpilius in Demetrio: Le [ . . tappetem veterem. Sic tappet[e neutro genere. ¶ Terentum, in campo Martio locum, [ Verrius ait ab eo dicendum fuisse, quod t[erra ibi per ludos Sæcularis Ditis Patris [ ita leviter teratur ab equis quadrigari[is, ut eorum levis motilitas [9] æquiparet mo[tus rapidos vehicis Lunæ. Quod quam aniliter re[latum sit. cuivis manifestum est. [ ¶ Taurii ludi instituti Dis Inferis ex [ hac causa videntur. Tarquinio regnante, cum [ magna incidisset pestilentia in mulieres [ gravidas, earum fetu si facti [10] sunt ex car[ne divendita populo taurorum immolatorum, ob [hoc ludi Taurii appellati sunt, et fiunt [ in circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii [ Inferi. Sed Taurios ludos Varro ait vocari, quod [ eis ludis discipulus pendens a doctore in cr[udo corio tauri solitus sit impelli, atq. us[q. eo inibi cogi docere, quoad consisteret, [ et sola virtute talorum constaret pedu[m firmitas. ¶ Talassionem in nuptiis Varro ait [ signum esse lanificii τάλαρον id est, quasillum, i[ta enim solitum appellari Talassionem. [ at quidam historiarum scriptor, Talassium ait [ nomine virum, rapta virgine unicæ p[ulchritudinis, quod ei id conjugium fuerit fe[lix, boni hominis [11] gratia nunc redintegrari. [ ¶ Tribuni-

*Pag.* 159.

cia rogatione l]ex Curiata fertur, quo Hannibal anno in conspectu ] Romæ cū esset, nec ex præsidiis discedere liceret, ] Q. Fabius Maximus Verrucosus, id per Tr. Pl. et Ma]rcellus cos. facere instituerunt, ut nota]vit Aelius in XII. Significationum verborum. ¶ T]risulcum fulgur fuit ab antiquis dictum, q]uia id, aut incendit, aut afflat, aut te]rebrat. ¶ Togatarum duplex genus: prætexturũ, h]ominum fastigio, quæ sic appellantur, ] quod togis prætextis rem-

pub. administren]t; tabernariarum, quia hominib. ex]cellentibus etiam humiles permixti, ut sunt p]lagiarii, servi deniq. et cauponæ ex tab]ernis honeste prodeant persæpe. ¶ Ta]uras, vaccas steriles appellabant, ait Verriu]s, quæ non magis pariant, quam tauri, sed vero ] similius sit ex Græco dicas, quia Græci vaccas ταύρας] appellant. ¶ Todi sunt aves parvæ, et todi]lli, quarum. m. Plautus in Syro, cum ait: Cum extri]tis talis, cum todillis crusculis. ¶ Tubilustria ] quib. dieb. adscriptum in Fastis est, cum in atr]io Sutorio agna tubæ lustrantur; ab eis ] tubos appellant, quod genus lustrationis ex ] Arcadia Pallanteo [12] translatum esse dicunt. ¶ T]uditantes, tundentes, negotium tund]entes significare ait Cincius, id est agentes. E]nnius L. II: Hæc inter se totum [13] vi tuditan]tes; et Lucretius item libro II: Nec tuditantia ] rem cessant extrinsecus ullam. ¶ Tudites mall]eos appellant antiqui a tundendo, quamv]is ali [14] * crurib. [15] tudites. Inde Ateius Philolog]us existimat Tuditano cognomen inditum, quod ] caput malleoli simile habuerit. ¶ Tullios al]ii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii

*Pag.* 160.

vehementes projectiones sanguinis [16] arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Ajace: Ajax misso sanguine tepido tulli efflantes volant. ¶ Topper significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere. [17] cito. Sic in Nelei carmine: Topper fortunæ commutantur hominib. (citius). Sic C. Nævius: Capesset flammā Volcani cito [18]. Sic in eodem: Namq. nullū pejus macerat [19] humanū [20], quam de mare sævum. Viret [21] cui sunt magnæ, topper confringent inportunæ unde [22], (fortasse). Sic Cœlius L. VII: Ita uti sese quisq. vobis studeat æmulari in statu fortunæ reip. (eadem re gesta.) topper nihilo C minore negotio acto, gratia minor esset. Fortasse. Sic Accius in Io: Topper ut fit, patris teuelcit iras [23]. (Ennius vero sic.) Topper, fortasse valet ī Enni et Pacuvi scriptis. Apud Ennium est: Topper quam nemo melius scit. Pacuvius: Topper tecum sit potestas faxsit, si mecum velit. Ad [24] in antiquissimis scriptis, celeriter ac mature. In Odyssia vetere: Topper facit homines utrius fuerint. Topper citi ad ædis venimus Circæ [25], simul duona eorum portant ad navis millia; alia in isdem [26] et inserinuntur. ¶ Tibicines [27] etiam hi appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciunt, tubarum lustrandarum gratia. ¶ Torrens participialiter pro exurens ponitur, ut est apud Pacuvium in Antiopa: Flammeo vapore torrens terræ fetum exusserit. Significat etiam fluvium subitis imbrib. concitatum; qui alioqui siccitatib. exarescit; quius [28] aquā ipsam quæ fluit, flumen recte dici ait Aelius Gallus L. II.* quæ ad jus pertinent. Ceterum D volgi consuetudine utrumque jam dici flumen, et perennem

*Pag.* 161.

fluvium et torrentem. ¶ Torum, ut significet torridũ, aridum, per unum quidem r. antiqua consuetudine scribitur. Sed quasi per duo r. scribatur, pronuntiari oportet; nam antiqui nec mutas, nec semivocales litteras geminabant, ut fit in Ennio, Arrio, Annio. ¶ Turmam equitum dictam esse ait Curiatius quasi terimam, quod terdeni equites ex trib. tribub. Titiensiũ, Ramniũ, Lucerũ fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. ¶ Torreri a torro [29], deductum proprie significat siccare atque arefacere, sed usurpatum

[1] lamella. [2] at. [3] ubi. [4] At. [5] absurdas. [6] recitare. [7] qua. [8] tappetæ. [9] mobilitas. [10] fetus infecti. [11] ominis. [12] Arcadiæ Pallanteo, vel, Arcadia a Pallante. [13] tota. [14] alii a. [15] tudibus. [16] amnis. [17] mature. [18] topper. [19] macit. [20] homonem. [21] vires. [22] undæ. [23] pater istam ejecit foras. [24] At. [25] Circes. [26] indidem. [27] Tubicines. [28] quamvis. [29] Torrero a torreo.

Digitized by Google

est jam pro eo, quod sit igne urere. Plautus in*[1] : Una edet [2] opera in furnum calidum condito, atque ibi torreto. ¶ Turannos [3] Etruscos appellari solitos ait Verrius a Turrheno duce Lydorum, a cujus gentis præcipua crudelitate etiam tyrannos dictos. ¶ Tyria maria in proverbium deductum est, quod Tyro oriundi Pœni adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Afranius in Epistola : Hunc serrium autem maria Tyria conciet. ¶ Torvitas a ferocia taurorum dicta est. Pacuvius in Armorum judicio : Feroci ingenio torvus prægrandi gradu ; et : Cum recordor ejus ferocem et torvam confidentiam. ¶ Turbelas [4] dixisse antiquos, quas nunc turbas appellamus, testis est Plautus in Pseudolo : Quo alto [5] et quantas soleam turbelas dare. ¶ Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, et extructum in altitudinem. Quidam pileum lanatum forma metali figuratum, quo Flamines ac Pontifices utuntur, eodem nomine vocari. Ennius : Li-

*Pag. 162.*

naque fictores argæos, et [ tutulatos. ¶ Tuor video ; Tueor, defendo [ in usu olim fuit. Sed jam promiscue utuntur, [ et ponitur tueor, pro video, et contueor, [ pro defendo. ¶ Tuguria a tecto appellantur [ domicilia rusticorum sordida. Afranius in V [irgine : Sordidum tugurium est, turpe. [ Cæcilius in Hypobolimæo : Habitab[at in tugurio, sine operculo. Quo nomine [ Valerius in explanatione XII. ait etiam [ . . . . . . . significari. ¶ Tuscum vicum ce[teri omnes quidem scriptores dictum aiunt ab [ eo, quod Porsena rege descendente [6] ab obsi[dione, remanserint Romæ, locoque his dato, [ ibi habitaverint Veientes fratres Celes et Vibena, [ unde post ejecti, quod Tarquinium Romam secum max[ime reducere cupierint. M. Varro, quod ex Cœ[lio in eum locū deducti sint. ¶ Toxicum dicitur cerva[rium venenum, quo quidam perunguere sagit[tas soliti sunt.

Cæcilius in Gamo : Ut hom[inem miserum toxico transegerit. Afra[nius in . . . . . . . uxorium istud toxicum mi[tite. ¶ Tuscos quidam dictos aiunt a Tusco [ rege, Herculis filio. Alii quod unici studii si[nt sacrificiorum, ex Græco, velut θυοσκόοι [ Unde ¶ Tusculum ab eadem causa sacrificiorum, v[el quod aditum difficilem habeat, id est, δύσκολον. [ ¶ Tumulum Stilo Aelius sic definit : Tumulus est [ cumulus arenæ editus secundum mare fluctibus in [altum elevatus, unde similiter et manu fac[tus, et naturalis proprie dici potest. ¶ Tumult[uarii milites dicuntur lecti ob subitum ti[morem, unde etiam tumultum dici ait Verrius, quia [non aliunde is ornatur [7], quam ab Italicis et Gallicis h[ominibus,

*Pag. 163.*

qui immin]ent Italiæ. Itaque nullum tumultum, præter ] quam Gallicum aut domesticum nominabant. ¶ Thomices Græco ] nomine appellantur canabi impoliti, ] et sparto leviter tortæ restes, ex quibus funes ] fiunt. Lucilius : Vidimus

A vinctum thomice can]abina. Opillus [8] Aurelius ait moll]em pulvillum, quem in collo habent, restis ne l]ædat, thomicem vocari. ¶ Tongere Aelius Sti]lo ait noscere esse, quod Prænestini tongi]tionem dicant, pro notionem. Significat et la]tius dominari. Ennius : Alii rhetorica ] tongent. Et vincere etiam quandoque ] videtur significare. ¶ Tesca Verrius ai]t loca augurio designata, quo term]ino finis in terra auguri. Opilius Aureli]us loca consecrata ad augurandum scrib]sit. Sed sancta loca undique sæpta doce]nt Pontificis libri, in quibus scriptum est : Templum ] que sedemque tescumque sive deo, sive deæ ] dedicaverit, ubi eos accipiat volentes, ] propitiosque. Hostius belli Histrici L. I : ] Per gentes alte ætherias, atque avia tesca, Per]que violabis [9] templa antiqua Deum. Cicero v]ero aspera difficilia aditu B dixit, cum ait : Lo]ca aspera, saxa tesca tuor. Accius in Philo]cteta : Quis tu es, mortalis, qui in desert]a et tesqua te adportas loca. ¶ Tonsillam ait ] esse Verrius palum dolatum in acumen, et ] cuspide præferratum, ut existimat, qu]em cumligi [10] in litore navis religandæ ] causa. Pacuvius in Medio [11] : Accessi ad]eam, et tosillam [12] pegi læto in litore. Accius ] Phinidis : Tacete, et tonsillas litore la]edo [13] edite. ¶ Tonsam Ennius signifi-

*Pag. 164.*

cat remum, quod quasi tondeatur ferro cum ait L. VII : Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis. Item : Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas ; et in Asota : Alius in mari vult magno tenere tonsam. ¶ Thymbræum Apollinem Vergilius a monte Thymbræo appellavit, qui est in C agro Trojano. ¶ Tolenno [14] est genus machinæ, quo trahitur aqua, alteram partem prægravante pondere ; dictus a tollendo. ¶ Tolerare, patienter ferre. Accius in Neoptolemo : Aut [15] quisquam potis est tolerare acritudinem. Ennius L. II : Ferro se cæde [16], quam dictis his toleraret. ¶ Toles tumor in faucibus, quæ per deminutionem tonsillæ dicuntur. ¶ Tullianum quod dicitur, pars quædam carceris, Ser. Tullium regem ædificasse aiunt. ¶ Taxat verbum ponitur in his [17], quæ finiuntur, quoad tangi liceat. In litibus quoque arbitrove [18], cum proscribitur, quoad ei jussit [19] statuendi.

¶ Taxatio dicitur, quæ fit certæ summæ. A tangendo autem dici etiam scænici testimonio sunt, qui taxatores dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit. ¶ Tabernacula dicuntur a similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quod ex tabulis olim fiebant, dictæ sunt ; non, ut quidam putant, quod tabulis claudantur. ¶ Tagit, D Pacuvius in Teucro : Ut ego, si quisquam me tagit, et tagam Idem in Hermiona : Aut non cernam, nisi tagam ; sine dubio antiqua consuetudine usurpavit. Nam nunc ea sine præpositionibus non dicuntur, ut contigit, attigit. ¶ Tablinum proxime Atriū locus dicitur, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas

[1] Casina. [2] ædepol. [3] Turrhenos. [4] turbellas. [5] Quales. [6] discedente. [7] oriatur. [8] Opilius, [9] volabis. [10] configi. [11] Medo. [12] tonsillam. [13] læto. [14] Tolleno. [15] Haud. [16] cædi. [17] iis. [18] arbitriove. [19] jus sit.

Digitized by Google

# SCHEDÆ
## QUÆ
## FESTI FRAGMENTO DETRACTÆ, APUD POMPONIUM LÆTUM
## EXSTABANT.

*Ex bibliotheca Fulvi Ursini.*

M

*Pag.* 167.

**Manubiæ** Jovis tres creduntur esse, quarum unæ sint minimæ, quæ moneant placatæq. sint; alteræ quæ majores sunt, ac veniant cum fragore, discutiantque aut divellant, quæ a Jove sint, et consilio deorum mitti existimentur; tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant: et quanquam nullum sine igne fulgur sit, hæ propriam differentiam habeant, quæ aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ statum mutent deorum consilio superiorum. ¶ Manias Aelius Stilo dicit ficta quæ [1] ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant; quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur parvulis pueris, esse larvas, id est, Manes deos deasq., qui aut ab inferis ad superos manant, aut Mania est eorum avia materna: sunt enim utriusq. opinionis auctores. ¶ Mamercus prænomen Oscum est, ab eo quod hi Martem Mamertem appellant. ¶ Mamiliorum familia progenita sit [2] a Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreavit, quando id oppidum ipse condidisset. ¶ Mantare, sæpe manere. Cæcilius in Epistola: Jam ne [3] adeo manta. Jam hoc vide, cæcus animum . . . . . adventus angit. ¶ Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis, etiã nostro sæculo fuit. Unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Inde poetæ pro dolose quid agendo usi sunt eo verbo. Pacuvius: Ad manticulandum astu aggreditur, scit enim quid promeruerit: modici manticulatur, . . Ita me facti oppressi jugo. Item deinde: Aggrediar astu regem; manticulan-

*Pag.* 168.

dum est mihi; et: Machinam ordiris novam manticula [4] tactu, an sanctiora dicis jurajuranda. Plautus hoc significare videtur: Quibus quotidie parvæ noxæ extergeantur. Frequens enim antiquis ad manus tergendas usus fuit mantelorum. ¶ Mœson persona comica appellatur, aut coci, aut nautæ, aut ejus generis, dici [5] ab inventore ejus Mœsone comœdo, ut ait Aristophanes grammaticus.

¶ Mæniana appellata sunt a Mænio censore, qui primus in Foro ultra columnas tigna projecit, quo ampliarentur superiora spectacula. ¶ Major Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi quõdam obtinuerunt; vel quod multæ magnæq. civitates in ea fuerunt ex Græcia profectæ. ¶ Maius mensis in compluribus civitatibus Latinis ante Urbem conditam fuisse videtur: qua ex causa utrum a majoribus, ut Junius a junioribus dictus sit; an a Maia, quod Mercurio filio ejus res divinæ fiant solemnes: an quod ipsi deæ in multis Latinis civitatibus sacrificia fiebant . . * [6] ¶ Monstrum, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est, velut monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum, et moneat voluntatem deorum; quod etiam ¶ Prodigium velut prædictum [7] et quasi prædictum, quod prædicat eadem; et ¶ Portentum, quod portendat et significet. Inde dici apparet id quartum, quod mihi visum est adiciendum, præsertim cum ex eadem significatione pendeat, et in promptu sit omnibus,

A id est, ostentum, quod item ab ostendendo dictum est apud auctores, [8] qui monent histriones in scæna, sed etiam ubi adiciuntur [9] commentarii. ¶ Monile dictum est ornatus mulieris, qualem habuisse Eri-

*Pag.* 169.

phylam fabulæ ferunt; ex eo etiam equis præpendens a collo ornamentum, monile appellant. ¶ Molucrum non solum quo molæ teruntur [10] dicitur, id quod Græci μύλακρον appellant, sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet, cujus meminit Afranius in Virgine: Ferme virgini, tanquam gravidæ mulieri uterus, molucrum vocatur, transit sine doloribus. Cloatius etiam * [11] in libris Sacrorum, molucrum esse aiunt ligneum quoddam quadratum, ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat ubi molatur. ¶ Mola etiam vocatur far tostum, et sale sparsum: quod eo molito, hostiæ

B asperganiur: Molas avias inepte quidam dictas putant. ¶ Mundus etiam mulieris. . . . . . . . potest. Accius: Cum virginali mundo clam patre. Ennius: Idem loco [12] navibus celsis Munda facie [13]. * atq. etiam ære Cereris. Qui [14] mundus appellatur, qui ter in anno solet patere: III. kal. Sep. et IIII. non. Octobr. et III. id. Nov. Qui vel omni [15] dictus est, quod terra movetur. ¶ Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequã percoquatur, decidit in carbones, cineremq.; cujus meminit Lucilius: Pistricem valida [16] si nummi suppeditabunt, Addas emplecuron, mamphulas quæ sciat omnis. ¶ Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui ex alio genere hominum munus functus est. Item, qui in municipio ex servitute se liberavit a municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatib. Romam venissent, quib. non licebat magistratum capere, sed

*Pag.* 170.

C tantum muneris partem. At Servilius [17] aiebat initio fuisse, qui ea conditione cives Ro. fuissent, ut semper remp. separatim a populo Rom. haberent, Cumanos, Acerranos, Atellanos, qui æque cives Ro. erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant. ¶ Mutas quasi [18] e litteris appellatas quidam putant, quod positæ in ultimis partibus orationis, obmutescere cogant loquentem. Quidam, quod parvæ exiguæq. sint vocis, ut quando mutum oratorem aut tragœdum dicimus. ¶ Multam Osce dici putant pœnam quidam. M. Varro ait pœnam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in L. I. quæstionum Epist. refert. ¶ Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii sunt usi. M. Cato Originum Li. VII: Qui magistratum Curulem cepisset (calceos) mulleos allutaciniatos [19] ceteri perones. Item Titinius in Seriana [20]: Jam cum mulleis te ostendisti,

D quos tibiatis in calceos. Quos putant a mullando dictos. i. suendo. ¶ Multifariam dixerunt antiqui, videlicet, quod in multis locis fari poterat. ¶ Manius Egeri [21] . . . Nemorensem Dianæ consecravit, a quo multi et clari viri orti sunt. et per multos annos fuerunt. Unde et proverbium: Multi

[1] quædam. [2] fuit. [3] *al.* orc. [4] manticulam. [5] dicta. [6] ipso mense. [7] prædicium. [8] ¶ Monitores. [9] libri dicuntur. [10] *al.* verruntur, *al.* vertuntur. [11] et Aelius. [12] loca. [13] facit. [14] Quin. [15] id omne. [16] validam. [17] *al.* Ser. filius. [18] quasdam. [19] alutacinatos, vel, lunatos. [20] Setina. [21] Aegerius agrum.

Digitized by Google

dant Ariciæ. Sinnius Capito longe aliter sentit. Ait enim turpes et deformes significari, quia ¶ Maniæ dicuntur deformes personæ; et Ariciæ genus panni [1] fieri, quod manici [2] appelletur. ¶ Mœne singulariter dixit Ennius: Apud emporium in campo hostium pro [3] mœne. ¶ Mutire, loqui. Ennius in Telepho: Palam mutire plebeio piaculum est. ¶ Mœnia, muri et cetera muniendæ urbis gratia

*Pag.* 171.

facta, ut Accius in Hellenibus: Signa extemplo canere, ac tela ob mœnia offerre imperat. Significat etiam officia. Plautus in Nervolaria [4]: Probibentq. mœnia alia, unde ego fungor [5] mea, Murrinam genus . . . . ¶ Manuos in carminib. Sæcular. [6] Aelius Stilo significare ait bonos; et Inferi di ¶ Manes, pro boni, dicuntur a suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, ut immanes quoq. pro valde [non bonis] dicuntur. ¶ Muscerdas prima syllaba producta dicebant antiqui stercus murum. ¶ Mapalia casæ Pœnicæ appellantur, in quibus quia nihil est secreti, solet solute viventibus obici id vocabulum. Cato Originum Libro quarto: Mapalia vocantur ubi habitant; ea quasi cohortes rotundæ sunt. ¶ Metalli [7] dicuntur in lege Militari quasi mercenarii. Accius Annali XXVII: Calones, famulique metalliq. [8] caculæq.; a quo genere hominum Cæciliæ familiæ cognomen putat ductum. (Quod est) . . . . . . ¶ Manum et mentum, proverbium est ex Græco ductum, quod est: Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. * Calchantem vitis serentem quidam augur vicinus præteriens dixit errare: non enim ei fas esse novum vinum . . . ¶ Minusculæ Quinquatrus appellantur idus Jun., quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam; cujus deæ proprie festus dies est Quinquatrus mense Martio. ¶ Muli Mariani dici solent a C. Mari instituto, cujus milites in furca sunt posita [9] tabella varicosius onera sua portare assueverant.

M—O

*Pag.* 172.

## SEX. POMPEI FESTI

### LIBER XIII INCIPIT.

¶ Mulus [vehiculo Lunæ adhibetur, quod tā] ea sterilis sit quam mulus; vel quod, ut mulus, non suo genere, sed equis ortus, sic ea Solis, non suo fulgore luceat. ¶ Murtiæ deæ sacellum . . . . .
¶ Martius mensis initium anni fuit et in Latio, et post Romam conditam, quod eo [10] gens erat bellicosissima, cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, a numero appellati, ultimum habent Decembrem. ¶ Malo cruce, masculino, genere cum dixit Gracchus in oratione, quæ est in P. Popillium posteriorem [11], tam repræsentavit antiquam consuetudinem, quam hunc frontem atq. hunc stirpem idem antiqui dixerunt, et rursus hanc lupum, hanc metum. Item cum idem in Pompilium et matronas [12] ait: Eo exemplo instituto, dignus fuit qui malo cruce periret . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . [13] et improbum, qui assidue in litibus moraretur, ob eamque causam in ordine staret adeuntium Prætorem. At Aelius Stilo, qui minime ordine viveret, [ut M. Cato] in ea oratione, quam scribit de Suis virtutibus contra Thermum: Quid mihi fieret, si non ego stipendia (in ordine) omnia ordinarius meruissem semper? Sunt quidam etiam, qui manipularem, quia infimi sit ordinis, appellatum cre-

A dant ordinarium. ¶ Ornatus dicitur, et bonis artibus instructus, et honores adeptus a populo; etiam

*Pag.* 173.

bene aptus, ut miles, aut gladiator, et actarus fabulas. Atqui et ornatus dicitur cultus ipse, quo quis ornatur, ut cum dicimus aliquem tragico vel comico ornatu prodire. . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

¶ Orestiades nymphæ, montium cultrices. . .
¶ Ordo sacerdotum æstimatur deorum [majestate, ut] maximus qui-q. Maximus videtur Rex, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex maximus. Itaque in soliis [14] Rex supra omnis accubat: sicet [15] Dialis supra Martialem et Quirinalem, Martialis supra proximum. Omnes idem [16] supra Pontificem. Rex, quia potentissi-
B mus; Dialis, quia universi mundi sacerdos qui appellatur Dium; Martialis, quod Mars conditoris urbis parens; Quirinalis, socio imperii Romani Curibus ascito Quirino; Pontifex Maximus, quod judex atq. arbiter habetur rerum divinarum humanarumque. ¶ Ordiri est rei principium facere, unde et togæ vocantur exordiæ [17]. ¶ Opaca vocantur umbrosa. ¶ Opalia, dies festi, quibus supplicatur Opi, appellantur, quorum alter. . . . . . ¶ Optuitu, quasi optuitu, a verbo, quod est tuor, et significat video. ¶ Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam Aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit. ¶ Opima spolia dicuntur originem quidem trahentia ab ope Saturni uxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus a satu, tenensque falcem effingitur, quæ est insigne agricolæ. Itaq. illa quoque cognomina-

*Pag.* 174.

C tur Consiva, et esse existimatur Terra; ideoque in Regia colitur a P. R., quia omnes opes humano generi terra tribuat. Ergo et opulenti dicuntur terrestribus rebus copiosi, et hostiæ opimæ præcipue pingues, et opima magnifica et ampla. Unde spolia quoque, quæ dux P. R. duci hostium detraxit; quorum tanta raritas est, ut intra annos paulo . . . . . . . . . . . . . . . trina contigerint nomini Romano: una, quæ Romulus de Acrone; altera, quæ consul Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quæ M. Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro [18], fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse, etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium. . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . .

non sint. Ad ædem Jovis Feretri poni testimonio esse libros Pontificum, in quibus sit: Pro primis spoliis bovem [19], pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere; esse etiam compelli reges [20] legem opimorum spoliorum talem: Cujus
D auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Jovi Feretrio darier oporteat, et bovem cædito, qui cepit æris CC. Secunda spolia in Martis aram in Campo, solitaurilia utra voluerit, cædito. Tertia spolia Janui [21] Quirino agnum marem cædito, C. qui ceperit ex ære, dato; cujus auspicio capta, Dis piaculum dato. Hujus ædis lex nulla extat, neque templum habeat neque [22], scitur. Ut qui optima lege fuerint [23] adici solet, cum quidam magistratus creantur. . . . . . . . . . . . . . .
¶ Obscum duas diversas et contrarias significationes habet. Nam Cloatius putat eo vocabulo si-

*Pag.* 175.

gnificari sacrum, quo etiam leges sacræ obscatæ [24] dicuntur, et in omnibus fere antiquis commentariis

[1] panis. [2] Manii. [3] *al.* per. [4] Sticho. [5] *al.* fungar. [6] Saliaribus. [7] Metelli. [8] metellique. [9] superposita. [10] ea. [11] posteriore. [12] Popillium et Mathonem. [13] (Hæc cum fine pag. 32. conjungenda sunt.) [14] *al.* in conviviis solus. [15] scilicet. [16] item. [17] *al.* exorditæ. [18] Virdumaro. [19] bove. [20] Pompeli regis. [21] Jano. [22] necne. [23] fuant [24] *al.* sacratæ obscæ, *al.* obscitæ.

Digitized by Google

A scribitur Opicum pro Obsco, ut in Titini fabula quinta : Qui Obsce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt. A quo etiam verba impudentia et elata appellantur obscena, quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum. Sed eodem etiam nomine appellatur locus in agro Veienti, quo frui soliti produntur Augures * [1] Romani. ¶ Obigitat antiqui dicebant pro ante agitat, ut obambulare.

¶ Obinunt, obeunt. ¶ Objurare antiqui pro adito ponebant, ut est in . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Penthesilea. Formidabant objurare. . . . . . . . . . . . . . .

¶ Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro vos obsecro, ut sub vos placo, pro supplico. ¶ Opportune dicitur ab eo quod navigantibus maxime utiles, optatique sunt portus. ¶ Obherbescere, herbam increscere.

¶ Oboritur, nascitur : nam præpositionem ob, pro ad, solitam poni, testis hic versus : Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo ; et Ennius : Ob Romam noctu legiones ducere cœpit. ¶ Obnectere, obligare, maxime in nuptiis frequens est. ¶ Observasse dicitur, qui observat quid cujusque causa facere debet. Itaque bis [2] observat, coluisse aliquem dicitur. ¶ Ommentans, Livius in Odyssea quom ait : In Pylum advenies, aut ibi ommentans ; significat obmanens, sed ea significatione, qua sæpe fieri dicitur ; id enim est mantare. ¶ Ops antiqui dicebant quem nunc opulentum, ut testimonio est, non solum ei contrarium inops. . . . .

*Pag.* 176.

concedit ; ego egens exortus sum. ¶ Obsidionalis corona est, quæ datur imperatori ei, qui obsidione liberavit ab hostibus obsessos. Ea fit ex gramine viridi fere ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. Herbam autem victoriæ signum fuisse apud antiquos alii quod [3] exemplis docuimus. Quæ corona magnæ auctoritatis fuit. Nam et P. Decio datæ duæ sunt : una, ab exercitu universo, altera, ab his qui fuerunt in præsidio obsessi ; et L. Sergio [4] Dentato, qui Achilles Romæ existimatus est, ac fertur centies et vicies pro rep. depugnasse, coronis donatus XXVI. in his, aureis VIII. civicis XIIII. muralibus tribus, obsidionali una. Inter obsidionalem, et civicam hoc interesse* : Altera singularis salutis signū est ; altera, diversorum [5] civium servatorū. ¶ Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt violatum attactumq. de cælo. Cincius quō [6], qui deo deeque [7] obstiterit, id est, qui viderit quod videri [8] nefas esset. ¶ Obstinato, obfirmato, perseveranti, ut tenere possit, ut Pacuvius : Obstinati exortus. Ut Accius in Amphitryone : Ut tam obstinato animo cōfisus tuo. Cato in Q. Thermum de x. hominibus : Rumorem, famam flocci fecit, capitas [9] stupris, obstinatus insignibus flagitiis. Nævius in Lycurgo : Vos qui asiatis obstinati. ¶ Obstrudāt, obsaturent, ab avide truendo [10] cyngilam [11], non sumendo cibum ; unde et ¶ Obstrudulentum. . . . . . . . . . . . . . . . . dixit Titinius : Obstrudulenti aliquid, quod pectam sedens ; aut luculentaster [12] aut formaster frigidus. ¶ Obsidium, tanquā præsidium, subsidium, recte dicitur ; cujus etiam auctor C. Lælius Pro se apud populum : Ut in [13] nobis terra mariq. simul obsidium

*Pag.* 177.

facerent ; et Sallustius Historiarum I : Magnis operibus [14] perfectis [15] obsidium cœpit per L. Catilinam legatum. ¶ Obstitum, obliquum. Ennius. L. XVI : Montibus obstitis, obstantibus, unde oritur nox ; et in L. VIII : Amplius exaugere obstipo lumine [16] solis. Cæcilius in Imbros [17] : Resupina obstito capitulo sibi ventum facere cunicula [18]. Lucretius : Omnia mendose fieri, atq. obstita necesse est. ¶ Obsalutare, offerre salutandi gratia dicebant antiqui, ut consalutare, persalutare. ¶ Obvaricator dicebatur, qui cuipiam occurrebat, quo minus rectū iter cōficeret. ¶ Oufentinæ tribus initio causa fuit nomē fluminis Oufens, quod est in agro Privernate, mare intra [19] et Taracinam. Lucretius [20] : Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente. Postea deinde a Censoribus alii quoq. diversarum civitatum eidē tribui sunt ascripti. ¶ Oscillum Santra dici ait, quod oscillent, id est inclinent, præcipitesq. afferantur [21]. Oscillantes ait Cornificius, ab eo quod os cælare sint soliti personis propter verecundiā, qui eo genere lusus utebantur. Causa autem ejus jactationis proditur Latinus rex, qui prælio, quod eis [22] fuit adversus Mezentium, Cæritum regem, nusquam apparuerit, judicatusq. sit Jupiter factus Latiaris. Itaque scit ejus [23] dies feriatos liberos, servosque requirere eum non solum B in terris, sed etiam qua videretur cælum posse adiri per oscillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altissima ad infimum interdum, infima ad summum efferuntur ; atq. ideo memoriam quoq. redintegrari initio acceptæ vitæ per motus cunarum, lactisque alimentum, quia per eos dies feriarum, et oscillis moveantur, et lactata potione

*Pag.* 178.

utantur. Nec desunt qui exemplum Græcorum secutos putent Italos, quod illi quoq. injuria interfecto Icaro, Erigone filia ejus dolore impulsa suspendio periisset, per simulationem . . . .

¶ Ostentum non solum pro portento poni solere, sed etiam participialiter . . . . . . .
testimonio est Pacuvius in Medo : Atq. eccum in ipso tempore ostentum senem ; et Accius in Bacchis : Præsens præsto irridetis nobis stipe . .
ultro ostentum obtulit. ¶ Oscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi ; cum ceci- C nit corvus, cornix, noctua, parra, picus. ¶ Obstinet dicebant antiqui, quod nunc ostendit ; ut in veteribus carminibus : Sed jam se cælo cedens [24] aurora obstinet suum patrem. ¶ Oscines aves Ap. Claudi (an) us esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut corvos, cornix, noctua, aut [25] quæ alis ac volatu ; ut buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius ; picum aut [26] Martius, Feroniusque, et parra, et in oscinibus, et in alitibus habentur. ¶ Ostiam urbem ad exitum Tiberis in mare fluentis Ancus Martius rex condidisse, et feminino appellasse vocabulo fertur ; quod sive ad urbem, sive ad coloniam, quæ postea condita est, refertur. Quod neutrum certe plura[liter pro]ferri non debet. ¶ Osculana pugna in proverbio, quo significabatur victos vincere, quia in eadē et Valerius Lævinus imperator Ro. a Pyrrho erat victus, et brevi eundem regem devicerat Sulpicius. . . . . . . . item imperator noster. Ejus rei meminit Titinius hoc modo : D Hæc quidem quasi Osculana pugna est. . . .
secus, quia in fugere polsi hinc spolia colligāt. ¶* Signi-

*Pag.* 179.

ficatur etiam osculo savium, ut Plautus in Nervolaria. Osculum sat est mihi . . . . . . .
qui ambo [27], mi pater. Quod inter cognatos, propinquosq. institutum ab antiquis est, maximeque feminas . . . . . . . . . . . . . . .

¶ Optima lex[cum dicebatur] in Magistro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam plenissimum posset jus ejus esse significabatur, ut fuit Mani Valerii, M. F., Volusuinæ [28] gentis, qui primus Magister a populo [29] creatus est; propter [30] quam vero pro-

[1] publici populi. [2] is, qui. [3] aliquot. [4] Sicinio. [5] universorum. [6] eum. [7] qui deo, qui deæ. [8] *al.* videre. [9] *al.* cupitus. [10] *al.* trudendo. [11] gingivam. [12] *al.* hic lætaster. [13] Uti. [14] *al.* opib. [15] *al.* profectis. [16] obstipo lumine. [17] *al.* C. Licinius Imbrex. [18] tunicula. [19] *al.* inter mare, et. [20] *al.* Lucilius. [21] efferantur. [22] *al.* ei. [23] *al.* per sex cos. f. scilicet eos. [24] *Al.* caudens. [25] alites. [26] picus autem. [27] amabo. [28] Volusinæ. [29] populi. [30] post.

Digitized by Google

vocatio ab eo magistratu ad populum dicta [1] est, quæ ante non erat, desitum est adici : ut optima lege, utpote imminuto jure priorum Magistrorum. ¶ Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando prægravant ea, quæ sunt rerū gestarū P. R. ¶ Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. his [2], adjutor dabatur centurioni a Trib. Militum, qui ex eo tempore, quem velint, centurionibus permissum est optare ; etiam nomen ex facto sortitus est. Plautus in Asinaria : Qua me, qua uxorem, qua tu servum Sauream potes, circūduce, aufer, promitto tibi non obfuturum si id effeceris tibi, optionem sumito Leonidam. ¶ Obsidionem potius dicendum esse, quam obsidium, adjuvat nos testimonio suo Ennius in Telamone, quom ait : Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obsidionem paras. Item alio loco : Hector, qui haud cessat obsidionem obducere. ¶ Orare antiquos dixisse pro agere, testimonio sunt, quod et oratores, et hi qui nunc quidem legati, tunc vero oratores, qui reip. mandatas partis agebant ; Ennius quoque, quom dixit in L. I. Annalium : Facere vero,

*Pag.* 180.

quod tecum precibus pater orat. ¶ Oscos quos dicamus, ait Verrius Opscos āntea dictos, teste Ennio, quom dicat : De muris rem gerit Opscus. Adicit etiam, quod stuprum inconcessæ libidinis obscena dicantur, ab ejus gentis consuetudine inducta; quod verum esse non satis adducor, quom apud antiquos omnes fere obscena dicta sint, quæ mali ominis habebantur. Ut illa Virgilii testimonio sunt, ut superiorum auctorum exempla referre non sit necesse, quom ait : Harpyias obscenas volucres ; et : Obscenamque famem. ¶ Ob præpositione antiquos usos esse pro ad, testis est Ennius, quom ait L. XIIII : Omnes occisi obcensique in nocte serena ; id est, accensi [3]. Et in Iphigenia : Acherontem adibo [4], ubi mortis thesauri adjacent [5]. Ejusdem autem generis esse ait obferre, obtulit, obcurrit, oblatus, objectus, mihi non satis persuadet. ¶ Ostentum, quo nunc utimur interdum prodigii vice, quin participialiter quoque dici solitum sit, non dubium facit etiam C. Gracchus de Legibus a se promulgatis, quom ait : Quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum adportatur. ¶ Occisitantur, sæpe occiduntur ; sic C. Gracchus pro rostris in P. Popillium : Homines liberi nunc in oppido occisitantur. ¶ Osi sunt, ab odio declinasse antiquos testis est C. Gracchus in ea, quæ est de lege Minucia, quom ait : Mirum si quid his injuriæ sit, semper eos osi sunt. Quod nunc quoque cum præpositione elatum frequens est, quom dicimus semper perosi. ¶ Ostende, ostendam, ut permultis aliis exemplis ejus generis manifestum est. ¶ Optionatus, ut Decurionatus, Pontificatus dicitur, ut Cato in ea, quam habuit apud equites : Majores seorsum atque diversum pretium

*Pag.* 181.

paravere bonis, atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosque honores.

¶ Ob os, ad os significat . . . Item ut superioribus quoq. exemplis testatus [6] est. ¶ Obsonitavere, sæpe obsonavere. Cato in suasione de lege Orchia derogaretur [7] : Qui antea obsonitavere, postea centenis obsonitavere. Significat autem convivari, ¶ Ostentas, sæpe ostendis gloriandi causa. Sed et participialiter id et dici debet, et dictum est, feminino genere. ¶ Ovibus duabus multabantur apud antiquos in minoribus delictis, ut in majoribus amb. [8]; nec hunc ultra numerū excedebat multatio; quæ posteaquā aere signato uti civitas cœpit, pecoraq. multaticia incuria corrumpebātur, ūde etiā peculatus crimē usurpari cœptum est, facta æstimatio pecuralis multæ, et boves cētenis assibus, oves denis æstimatæ. Inde suprema multa, id est, maxima appellatur tria millia æris. Item vincesis [9] minoribus delictis. ¶ Olivitam antiqui dicebant, quom olea cogebatur [10] ; ut messem, cum frumenta, aut vindemiam, quom uvas. Quod vocabulum potius frequentari debebat, quam nullum [11] ejus significationis causa [12] haberemus, quamvis quidam oblivitatem meam [13] dicant. ¶ Oppidorum originem optime refert (Cato) Cicero lib. I. de Gloria, eamque appellatione usurpationē appellatam esse existimat, quod opem darent, adiciens, ut imitetur inertias [14] Stoicorum. ¶ Orcum, quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictū Uragū [15], quod et u. litteræ sonum per o. efferebant : per c. litteræ formam nihilominus g. usurpabant. Sed nihil affert exemplorū, ut ita esse credamus; nisi quod his [16] deus maxime nos urgeat. ¶ Obinoveto pro admoveto di-

*Pag.* 182.

cebatur apud antiquos, ut alia, quæ relata sunt. ¶ Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur. At Veranius coriola existimat, quæ sint in loris apicis, quibus apex retineatur, et remittatur, quæ ab offendendo dicantur, nam quom ad mentum perventū sit, offendit mentum. ¶ Olvatum [17] Antistius Labeo ait esse mensuræ genus. ¶ Occultū offerre, significat sub terram fere ponere. ¶ Objacuisse antea jacuisse. ¶ Præceptat in Saliari carmine est, sæpe præcipit. ¶ Pa, pro parte ; et ¶ Po, pro potissimum [18], positum est in Saliari carmine. ¶ Promenervat item, pro monet. ¶ Prædotiōt præoptāt. ¶ Prospices, prospice. ¶ Pesnis [19], pennis [20], ut Casmenas dicebant, pro Camenis, et Cesnas pro cœnis. ¶ Polteo, pro ulteriore. ¶ Polet, pollet : quia nondum geminabant antiqui consonantis. ¶ Plisima [21], plurima. ¶ Pretet tremonti prætemunt, pe. ¶ Perfines, perfringas [22]. ¶ Promerion [23], præcipuum, præter cæteros meritum : aut pro medium [24] hoc est participat ; aut [25] pro indiviso dicimus. ¶ Priviclioes [26], privis id est, singulis. ¶ Petilā suram, siccam et substrictam vulgo interpretātur. Scævola ait ungulam albam equi ita dici. ¶ Pilumnœ poplœ, in carmine Saliari, Romani, velut pilis uti assueti : vel quia præcipue pellant hostis. ¶ Prapetes aves quidam dici aiunt, quia secundum auspicium faciant prætervolantes ; alii, quod (aut) ea, quæ præpetamus, indicēt; aut quod prætervolent, aut ex Græco tractum putant, quod ante conspectum volent nostrū; ineptes, ex præpositione Latina componentes et Græco vocabulo. Ceterum poetæ promiscue omnis aves ita appellant. ¶ Pilare compilare. Sunt qui Græcæ originis . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Pag.* 183.

¶ Picati appellantur quidam, quorum pedes formati, sunt in speciem sphingum, quod eas Dori ficas vocant. ¶ Petulantes et petulci etiam appellantur, qui protervo impetu et crebro petunt, lædendi alterius gratia. Ver. in IV. Geor. : Neq. oves hœdiq. petulci Floribus insultent ; et : Cornigeras norunt matres . . . . agnique petulci. Et Afranius in Ida : Nostrum in conventum aut consessum, ludum lapsumq. petulcum. Interdum pro veloce usi videntur antiqui, ut hoc versu intelligi potest : Exiluit quasi petulcus quidam, pedibus [27] convibravit. ¶ Petrarum genera sunt duo, quorum alterum naturale saxum prominens in mare, cujus Ennius meminit L. XI : Alte delata, celerisque [28] ingentibus tecta ; et Levius [29] in Centauris : Ubi ego sæpe petris ; alterum manu factum, ut docet Aelius Gallus, petra est, qui locus [30] dextra ac sinistra fornicem expleturusque [31] ad libramentum summi fornicis. ¶ Petissere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt lacessere, et incessere : sed, ut mihi videtur, quom significabant sæpius petere,

[1] *al.* data. [2] is. [3] *al.* lucenti. [4] *al.* obibo. [5] objacent. [6] testatum. [7] ne legi Orchiæ derogaretur. [8] xxx bob. [9] vicessis. [10] *al.* colligebatur. [11] *al.* nullam. [12] *al.* causam. [13] *al.* olivitatem eam. [14] *al.* ineptias. [15] Urgum. [16] is. [17] *al.* Olvatium. [18] *al.* populo. [19] *al.* Pœsnis. [20] *al.* Pœnis. [21] *al.* Plusima. [22] *al.* perstringas. [23] *al.* promorion. [24] *al.* medio. [25] *al.* ut. [26] priviclœs. [27] *al.* pedicus. [28] petris pæc. [29] Lævius. [30] *al.* quæ Jovis [31] *al.* expletura est.

ut petessant, sæpius petant. ¶ Petrones rustici fere dicuntur propter vetustatem, et quod deterrima quæq. ac præruptus. . . jam agri petræ vocantur, ut rupices idē a rupicis [1]. ¶ Petauristas Lucilius a petauro appellatos existimare videtur, quom ait : Sicuti mechanici, cū alto exiluere petauro. At Aelius Stilo quod ī aere volent, cum ait : Petaurista proprie Græce, ideo quod his [2] πρὸς ἀέρα πέτανται. ¶ Petoritū, et Gallicū vehiculū esse, et nomē ejus dictum esse existimant a numero IIII rotarum; alii Osce, quod hi quoque petora quattuor vocent; alii Græce, sed αἰολικῶς dictum. ¶ Petimina in his [3] jumentorum ulcera, et vulgo appellant, et Lucilius

*Pag.* 184.

meminit, quom ait : Ut petimen naso, aut lumbos cervicibus tangat. Eo nomine autem, et inter duos armos suis quod est, aut nectos [4], solitum appellari testatur Nævius, in descriptione sullæ [5], quom ait : Petimine piscino qui meruerat. ¶ Pennas antiquos fertur appellasse pennas ex Græco, quod illi πετηνὰ ea, quæ sunt volucriora [6], dicant. Item easdem pesnas, ut cæsnas. ¶ Pictor Zeuxis risui [7] mortuus, dum ridet effuse pictam a se (anum) γραῦν, cur hoc loco relatum sit a Verrio, cum de significatu verborum scribere propositum habuerit, equidem non video, cum versiculos quoque adhæreret tulerit et ineptos pati, sed nullius prætoris [8] prætexto nomine; qui tamen sunt hi : Nam quid modi facturus risu denique? nisi pictor fieri vult, qui risu mortuus est. ¶ Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura in æde Vertumni et Consi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera T [9]. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt. Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur. ¶ (Impetum, industrium, indulgentem perinde composita esse ait Verrius, atque impune et immunis. Mihi non satis persuadet.)

¶ Pietati ædem consecratam ab Acillo [10] aiunt eo loco, quo quondam mulier habitaverit, quæ patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit : ob hoc factum, impunitus [11] ei concessa est. ¶ Picum avem quidam dictum putant à Pico rege Aboriginum, quo dissolutus sit [12] * . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

¶ Piscatorium æs vetusto more appellatur, quod in

*Pag.* 185.

monte Albano datur pro piscibus. ¶ Pedam vestigium humani præcipue pedis appellasse antiquos, in commentariis quibusdam inveniri solet. ¶ Pescia in Saliari carmine Aelius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Græci pelles vocent pesce neutro genere pluraliter. ¶ Pestiferum fulgur dicitur, quo mors exiliumvè significari solet. ¶ Pisalitem appellat Nævius Pantaleontem, id est, Pisis oriūdum tyrannum, cum alioqui inde profecti nunc Pisani dicantur. ¶ Pedibus obsitum, id est, pediculis, Titinius pedicosum appellat hoc modo : Rus detrudetur pedicosus, squalidus. Pedes autem pro pediculis, sic Plautus refert in Curculione : Item genus * [13] inter homines, meo quidem animo, ut muscæ, culices, cimices, pedesq., pulicesq.; et Livius in Gladiolo : Pulicesne, an cimices, an pedes, responde mihi. Et Lucilius : Ubi me vidit, caput scabit, pedes legit. ¶ Pesestas inter alia, quæ (si) inter precationem dicuntur[14], cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam, ut intelligi ex ceteris possunt, quom dicitur : Avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem. ¶ Pedum baculi genus incuvum, ut Vir. in Buc., quom ait : At tu sume pedum, quod me cum sæpe rogaret. ¶ Pedem struit in XII. significat fugit,

A ut ait Ser. Sulpicius. ¶ Pistum, pisendo, perpolitum[15], antiqui frequentius usurpabant, quam nunc nos dicimus ¶ Pedarium Senatorem significat Lucilius, quom ait : Agipes vocem mittere cœpit; qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum, cujus sententiam probat, quid sentiat, indicat. ¶ Piscatorii ludi vocantur, qui mense Junio trans Tiberim fieri solent pro quæstu piscantium. ¶ Piscinæ publicæ ho-

*Pag.* 186.

dieq. nomen manet, ipsa non extat; ad quam et natatum et exercitationis alioqui causa veniebat populus; unde Lucilius ait : Pro obtuso ore pugil, piscinensis reses. ¶ Pectenatum tectum dicitur a similitudine pectinis in duas partes divisum, ut testudinatum in quattuor. ¶ Piari eos velut proprio verbo ait Verrius, qui parum sint animati, cum mentis suæ non sunt, per quædam verba liberantur incommodo.

¶ Pignosa, pignora, eo modo, quo Valesii Auselii, Pinosi, Pa̤isi [16] dicebantur.

B ¶ Pectuscum Palati dicta est ea regio Urbis, quam Romulus obversam posuit, ea parte, inqua plurimum erat agri Romani ad mare versus, et quia [17] mollissime adibatur urbs; cum Etruscorum agrum a Romano Tiberis discluderet, ceteræ vicinæ civitates colles aliquos [18] haberent oppositos. ¶ Peculatus est nunc quidem qualecunq. publicum furtum, sed inductum est a pecore, ut pecunia quoque ipsa. Jam [19] etiam noxii [20] pecore multabantur, quia neque æris adhuc, neque argenti erat copia. Itaque suprema multa etiam nunc appellatur. ¶ Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita; quam quidem simulatricem, alii sagam, alii expiatricem vocāt; et piamenta, quibus utitur expiando, alii purgamenta. ¶ Piacularis porta appellatur propter aliqua piacula, quæ ibidem fiebant; vel, ut ait Cloatius, cum ex sacro [21] per aliquem piaculo solvitur, ut aliqua piandi propitiandique causa immolatur. ¶ Pigere interdum pro tardari, interdum pro pœnitere poni solet. ¶ Pangere, figere; unde plantæ pangi dicuntur, cum in ter-C ram demittuntur. . . . . . . . . . ¶ Permutatur, id proprie dici videtur, quod ex alio loco

## P.-T.

*Pag.* 187.

in alium transfertur; at commutatur, quō aliud pro alio substituitur. Sed ea jam confuse in usu sunt. ¶ Pierides Musæ propter amœnitatem ac solitudinē Pierii montis dictæ videntur, quo[22] esse[23] secretis locis propter studia liberalia delectentur. ¶ Percontatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico usu, quia conto pertentant, cognoscuntq. navigantes aquæ altitudinem; ob quam causam ait Verrius etiam secundam syllabam per o. solere scribi. Mihi id falsum videtur : nam est illa percunctatio, quod is, qui curiose quid interrogat, percunctari sit[24], ut recte per u. literam scribatur. ¶ Perfugam Gallus Aelius ait, qui liber, aut servus, aut hostis sui [25] voluntate ad hostes transierit; qui idem dicitur transfuga, D quanquam sunt, qui credant perfugam esse, non tam qui alios fugat, quam qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat. ¶ Perfacul antiqui et per se facul dicebant, quod nunc facile dicimus, inde permansit in consuetudine facultas. ¶ Peremptalia fulgura Graccus [26] ait vocari, quæ superiora fulgura, ut[27] portenta vi sua peremant duobus modis, prioribus tollendis; aut majore manubia, ut tertia secundæ, secunda primæ cedat. Nam ut omnia [28] superentur fulgure, sic ictum fulgur manubiis vinci. ¶ Perediam et bibesiam Plautus finxit sua consuetudine, cum intelligi voluit cupiditatem edendi et bibendi. ¶ Peremere Cincius in lib. de Verbis

[1] a rupibus. [2] is. [3] *al.* humeris. [4] *al.* pectus. [5] *al.* sulliæ. [6] *al.* volucria. [7] risu. [8] ea de re retulerit, et ineptos satis, et nullius auctoris. [9] L. [10] Acilio. [11] impunitas. [12] quod is solitus eo uti. [13] *al.* est lenonum. [14] *al.* imprecatores dicunt imprecatores. [15] *al.* a pisendo propolitum. [16] Pinasii, Papisii. [17] qua. [18] aliquot. [19] Nam. [20] noxiæ. [21] cum facto. [22] quod. [23] *al.* eæ. [24] per cunctas res it. [25] sua. [26] Granius. [27] aut. [28] omina.

Digitized by Google

priscis ait significare idem, quod prohibere; at Cato in li., qui est de Re militari, pro viciare usus [1].

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

¶ Tabem eam; quæ faceret tabescere, apud antiquos

*Pag.* 188.

usurpatum. Sallustius quoque frequenter, ut in Catilina, cum ait : Uti tabes plerosque civium animos invaserat; et in Li. IV. Historiarum : Qui quidem mos, ut tabes in urbem coierit [2]; et Corvinius [3] pro Liburnia : Propter hanc tabem atque perniciem domus totius. ¶ Tabellis pro chartis utebantur antiqui, quibus ultro citro [4], sive privatim, sive publice opus erat, certiores absentes faciebant; unde adhuc tabellarii dicuntur, et tabellæ missæ ab imperatoribus. ¶ Tagax furunculus, a tangendo [5], cujus vocabuli Lucilius meminit : Et mutonis manum perscribere [6] posse tagē [7]. ¶ Tages nomine, Genii filius, nepos Jovis, puer dicitur disciplinam dedisse aruspicii duodecim populis Etruriæ. ¶ Taminia, uvæ silvestris genus, videtur Verrio dicta, quod tam mira sit quam minium. ¶ Talus in Sabinorum nominibus prænominis loco videtur fuisse. ¶ Talentorum non unum genus. Atticum est sex millium denarium; Rhodium et [8]; Cistophorum quatuor millium et quingentorum denarium; Alexandrinum XII. * [9] denarium; Neapolitanum sex * [10] denarium; Syracusanum trium [11] denarium; Rheginum victoriati *. ¶ Tāne, eo usque, ut Aelius Stilo et Opillus [12] Aurelius interpretantur. Itaque Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum. ¶ Thaleæ [13] nomen dictum est [14] alii ab ætatis flore aiunt, alii quod carmina semper floreant. ¶ Talipedare antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi qui trahit pedes, ut talis videatur insistere, aut identidem tollere pedes. ¶ Tam significationem habet, cū ponimus præpositivam quandam, cui subjungimus quam, ut cum dicimus, tam egregium opus tam parvo pretio venisse,

*Pag.* 189.

id est, sic; ut apud Græcos quoque οὕτως ἀγαθόν. Item ex contrario ei dicimus, quam malus Homerus, tam bonus Cherylus [15] poeta est. At antiqui tam etiam pro tamen usi sunt, ut Nævius : Quid [16] si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit. Ennius : Illæ meæ tam potis pacis potiri. Titinius : Bene cum facimus, tam male subimus, ut quidam perhibent viri. Item : Quanquam estis nihili, tam escator [17] simul vobis consului. ¶ Tandem quom significat aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur, ut apud Ter. in Phormione, quom ait : Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? Non enim hic tempus ullum significat. At Cicero etiam duplicat temporalem significationem, cum ait : Tandem aliquando. ¶ Tauri verbenæque in commentario Sacrorum significat ficta farinacea. ¶ Tama dicitur, cum labore viæ sanguis in crura descendit, et tumorem facit. Lucilius [18]: Inguemne existat, papulæ, tama ne boa noxit. ¶ Tænias, Græcam vocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati, ut sit apud Cæcilium in Androgyno : Sepulchrum plenum tæniarum, ita ut solet; et alias : Dum tæniam, qui [19] volnus vinciret. Ennius in Alexandro : Volans de cælo cum corona et tæniis. Accius in Neoptolemo : Decorare est satius, quam urbem exeneis [20]. ¶ Tædulum antiqui interdum pro fastidioso (interdū), quod omnibus tædio esset, ponere soliti sunt. ¶ Tatium occisum ait Lanivii [21] ab amicis eorum legatorum, quos interfecerant Tinini [22] latrones, sed sepultum in Aventiniensi laureto. Quod

A ad significationem verborum non magis pertinet. quam plurima alia, et præterita jam, et deinceps

*Pag.* 190.

quæ referentur. ¶ Taurorum specie simulacra fluminum, id est, cum cornibus formantur; quod sunt atrocia, ut tauri. ¶ Talionis mentionem fieri in XII. ait Verrius hoc modo : Si membrum rapit [23], ni cum eo pacit, talio esto; neq. id, quid significet, indicat, puto quia notum est : permittit enim lex parem vindictā. ¶ Tarquitias scalas, quas rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi ejus nominis gratia ita appellatas esse ait volgo existimari. ¶ Tarpeiæ esse [24] effigiem ita appellari putant quidam, in æde Jovis Metellina, ejus videlicet in memoriā virginis, quæ pacta a Sabinis hostibus ea, quæ in sinistris manibus haberent, ut sibi darent, intromiserit eos cum rege Tatio, qui postea in pace facienda caverit a Romulo, ut ei Sabinis semper pateret. ¶ Tam perit, quam extrema fa- B ba, in proverbio est, quod ea plerumq. aut proteritur, aut decerpitur a prætereuntibus. ¶ Tappulam legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus m. Lucilius hoc modo : Tappulam rident legem concere [25] opimi. ¶ Termonem Ennius Græca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum hoc modo : Ingenti vadit cursu, qua redditus termo est; et : Hortatore bono p ius, quam finibus termo. ¶ Trientem tertium po do coronam auream dedisse se Jovi donum scripsit, T. Quintius Dict. . . . . . quom per novem dies totidem urbes et decimam [26] Præneste cepisset. id significare ait Cincius in Mystagogicon L. II. duas libras pondo et trientem, qua consuetudine hodieq. utimur, quom lignum bes alterum dicimus, id est, pedem et bessem latitudinis habens, et sestertium, id est, duos asses et semissem tertium. Item si

*Pag.* 191.

C tres asses sunt et * [27] quadrans quartus [28]. . . . ¶ Tersum diem pro sereno dictū ab antiquis, nec se habere rei auctorem ait. ¶ Teretinatibus a flumine . . . . . ¶ Tripudium . . . . . . . . ciis, in exultatione tripudiat . . . . . a terra pavienda : nam pavire, est ferire, a quo et pavimenta. Id ex Græco, quod illi παίειν, quod nos ferire . . . . mum intactus usur . . . . . . .

¶ Taminare, violare. . . . . . . et contaminare, dictum videlicet . . . . . . illintate. ¶ Teres est in longitudine rotundatū, quales asseres natura ministrat. ¶ Temetum, vinum. Plautus in Aulularia : Cererin' Strobile has facturi nuptias? — Qui? — Quia temeti nihil allatū video. Pomponius in Decima : Non multi temeti, sed plurimi. Novius in Duobus Dossenis : Sequimini preminate; sequere temeti timor. Idem in Funere : Agite, exite, temulentum [29] tollite; et in Surdo : Filias habeo temulentas, sed eccas video incedere. Afranius in Conso- D brinis : Pol magis istius temulentæ, futilis. ¶ Tintinnare [30] est apud Nævium hoc modo : Tantum ibi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes; et apud Afranium : Ostiarii impedimenta tintinnire audio. ¶ Tributorum conlationem, quom sit alia in capite, illud [31] ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut post Urbem a Gallis captam conlatum est, quia proximis XV. annis census alius [32] non erat. Item bello Punico secundo, M. Valerio Lævino, M. Claudio Marcello cos., quom et Senatus, et Populus in ærarium, quod habuit [33], detulit. ¶ Tentipellium Artorius putat esse calciamentū ferratum, quo pelles extenduntur, indeque Afranium

[1] quæ sequi debent, habes supra p. 33. [2] *al.* conjectus. [3] Cornificius. [4] citroque. [5] tagendo. [6] manu perscabere. [7] tagacem. [8] septem. M. [9] M. [10] M. [11] M. [12] Opilius. [13] Thaliæ. [14] esse. [15] Choerilus. [16] *al.* Qui. [17] tamen ecastor. [18] *al.* Lucretius. [19] qua. [20] *al.* e tæniis. [21] *al.* Lavinii. [22] *al.* Tatiani. [23] rapsit, *al.* rapit. [24] *al.* etiam. [25] congere. [26] deditione. [27] quadrans. [28] dicitur. [29] *al.* temulentiamq. [30] *al.* Titinnire. [31] *al.* aliud. [32] populus. [33] *al.* potuit.

Digitized by Google

T-V

*Pag.* 192.

dixisse in Promo [1]: Pro manibus credo habere ego illos tentipellium. Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugæ extendantur, quom dicat: Tentipellium inducitur, rugæ in ore extenduntur; quom ille τροπικῶς dixerit. ¶ Tignum non solum in ædificiis, quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis, ut est in XII: Tignum junctũ ædibus, vineave, et concapit [2] ne solvito. ¶ Tela proprie dici videntur ea, quæ missilia sunt, ex Græco videlicet translato eorum nomine, quoniam illi τηλόθεν missa dicunt, quæ nos eminus; sicut arma ea, quæ ab humeris dependentia retinentur manibus, quoniam quidem non minus in nobis eam partem corporis armum vocari existimandum est, quam . . . . ¶ Tigillum Sororium *. ¶ Vici appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas non habent, ut Marsi, aut Peligni. Sed ex vicis partim habent remp. et jus dicitur, partim nihil eorum, et tamen ibi nundinæ aguntur [3] negotii gerendi causa, et magistri vici, item magistri paci quotannis fiunt. Altero, cum id genus ædificiorum definitur, quæ continentia sunt his oppidis, quæ itineribus regionibusque distributa inter se distant, nominibusque dissimilibus discriminis causa sunt dispartita. Tertio, cum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido privo, id est, in suo quisque loco proprio ita ædificat, ut in eo ædificio pervium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum, qui non dicuntur vicani, sicut hi, qui aut in oppidi vicis, aut hi, qui in agris sunt, vicani appellantur.

¶ Viget dictum videtur a vi agendo, sed non vi

*Pag.* 193.

agendis, hostilibusque rebus, verum his, quæ celer [4] . . . concitato animo ad bonam frugem tendunt. . . . . . . . . . . . . . . .

¶ Voisgram avem, quæ se vellit. Augures hãc eandem fucillautem [5] appellant. . . . . . . . . . .

¶ Vigintiquinq. pœnas in XII. significat vigintiquinque asses. ¶ Victimam Aelius Stilo ait esse vitulum, ob ejus vigorem; alii autem, quæ vincta ducatur ad altare, aut quæ ad [6] hostis victos immoletur. ¶ Vectigal, æs appellatur, quod ob tributum, et stipendium, et equestre, et ordinarium populo debetur.

¶ Viæ sunt et publicæ, per[quas . . ir]e omnibus licet; privatæ, quibus veltum uti . . . præter eorum, quorum sunt privatæ . . . . vias muniunto; dionisam lapides sunt, qua volet jumenta agito. ¶ Viatores appellantur, qui magistratib. apparent: eo quia initio omnium tribuum, cũ agri in propinquo erant Urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorũ erat in via, quã Urbe, quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratib. ¶ Verticulas cũ ait Lucilius, ita appellavit vertebras. ¶ Vernæ, qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura, feturæ est, et tunc rem divinam instituerit Marti Numa Pompilius, pacis concordiæve obtinendæ gratia inter Sabinos Romanosque, ut vernæ viverent, ne vincerent. Romanos enim vernas appellabant, id est, ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitrum Sabinis, qui conjuncti erant cum P. R. ¶ Vergiliæ dictæ, quod eorum ortu ver finitur, æstas incipit. ¶ Vastum pro magnum. Ponitur tamen et pro inani. Accius: Jam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus; et Pacuvius:

*Pag.* 194.

Quales, scabres quod [7] inculta vastitudine. ¶ Ve victis, in proverbium venisse existimatur, cum, Roma capta a Senonibus Gallis, aurum ex conventione et pacto adpenderetur, ut recederent, quod iniquis ponderibus exigi a barbaris querente Ap. Claudio,

A Brennus rex Gallorum ad pondera adjecit gladium, et dixit: Ve victis. Quem postea persecutus Furius Camillus, cum insidiis circumventum concideret, et quereretur contra fœdus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. ¶ Vegrande significare alii aiunt male grande, ut vecors, vesanus, mali cordis, maleque sanus; alii, parvum, minutum, ut quom dicimus, vegrande frumentum; et Plautus in Cistellaria: Qui nisi iuresnimium is vegrandi gradu. ¶ Vecors est turbati, et mali cordis. Pacuvius in Iliona: Qui veloci superstitione cum vecordi conjuge; et Novius in . . . Coactus tristimonium ex animo deturbat et vecordiam. ¶ Vapula Papiria, in proverbio fuit antiquis, de quo Sinnius Capito sic refert, tum dici solitum esse, cum vellent minantibus ibi [8] significare se eos negligere et non curare, fretos jure libertatis. Plautus in Feneratrice: Heus tu, in barbaria quod fecisse dicitur libertus suæ patronæ, ideo dico . . . liberta salve, vapula Papiria. In barbaria est, in Italia. Aelius hoc loco, vapula positum

B esse ait pro dole. Varro, pro peri, teste Terentio in Phormione: Num tu . . . resipis verbero; et Plauto in Curculione: Reddin', an non, mulierem prius, quam te huic meæ machæræ obicio — mastigia? Vapula ergo te [9] vehementer jubeo, ne me territes. ¶ Vacerram Aelius et alii complures vocari aiunt stipitem, ad quem equos solent religare. Ateius ve-

V-U

*Pag.* 195.

ro Philologus hoc nomine significari maledictum magnæ acerbitatis, ut sit vecors et vesanus, teste Livio, qui dicit: Vecorde et malefica vecordia [10]. ¶ Vagorem pro vagitu, Ennius Li. XVI.: Qui clamor oppugnantis vagore volanti. Lucretius Li. II: Et superãtur, itẽ miscetur funere vagor. ¶ Valvoli fabæ folliculi appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo facti [11] excutiantur ¶ Vagulato in L. XII. significat quæstio cum convicio. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum

C obvagulatum ito. ¶ Valgos Opillus [12] Aurelius, aliique complures aiunt dici, qui diversas suras habeãt. Plautus in Milite glorioso: Qui talos vitiosos majorem partem videas vagi salis; et in Silitergo: Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut boccham filium. ¶ Viere alligare significat, ut hic versus demonstrat: Ibant malaci viere veneriam corollam. Unde vimina, et vasa viminea, quæ vinciuntur, ligata. ¶ Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindantur. Hic dolor Græce στρόφος dicitur. ¶ Veruta pila dicuntur, quod *[13] habeant prælixa. Ennius L. X. . . . . cursus quingentos sæpe veruti. ¶ Uruat, Ennius in Andromeda; significat, circundat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quæ sit forma simillima uncini, a curvatione buris et dentis, cui præfigitur vomer; ait autem: Circum sese uruat ad pedes a terra quadringentos caput. ¶ Ungulus Oscorum lingua

D anulus, ut . . . . . . si quid monumenti nacta est, qui eorum requireret, est ungulus, quem ei detraxit ebrio. Pacuvius in Iliona: Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum; et in Atalanta: Su-

*Pag.* 196.

spensum lævo brachio ostendo ungulum. ¶ Unciaria lex appellari cœpta est, quam L. Sulla et Pompeius Rufus tulerunt, qua sanctum est, ut debitores decimam partem . . . . . [¶ Venenum . . dicebant antiqui, cujus color inficiendo mutatur, ut Ennius cum ait: Cum illud, quo jam semel est imbuta veneno. ¶ Ventabant dixisse antiquos verisimile est, cum et propositione adjecta . . . . . . adventabant. U.ntupum est, vel . . . . . . . . quod Græci ὕειν dicunt. ¶ Venditiones dicebantur olĩ Censorũ locationes, quod velut fructus publicorum locorũ venibãt. ¶ Viminalis et porta et col-

[1] *al.* Primo. [2] capulo. [3] habentur. [4] celeriter. [5] *al.* fecilitram. [6] ob. [7] squale, scabre atq. [8] sibi. [9] Vapulare ego. [10] malefice, vacerra. [11] fracta. [12] Opilius. [13] *al.* verua.

lis appellantur, quob ibi viminū fuisse videtur silva, ubi est et ara Jovi Viminio consecrata. ¶ Vindex ab eo quod vindicat, quominus is, qui prensus est, ab alio teneatur. ¶ Vineæ, ut Verrius præcipit, quod vino feraces sint; etiam militares quædam machinationes a similitudine appellantur. ¶ Vivatus et vividus a poetis dicuntur a vi magna. ¶ Vindiciæ appellantur res eæ, de quibus controversia; quod potius dicitur jus, quia fit inter eos, qui contendunt[1]. Cato in ea, quam scribit L. Furio de Aqua : . . . . . . . . . s.

A Prætores secundum populum vindicias dicunt. . . Lucilius : Nemo hic vindicias, neque sacra, neq. numen veretur. De quo verbo Cincius sic ait : Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumptæ in jus adlatæ erant. At Ser. Sulpicius . . . . . jam singulariter formato vindiciam esse sit, qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur. . . . . . . . . . . et in XII : Si vindiciam falsam tulit, si velit is[2], [præ]tor arbitros tres dato, eorum arbitrio . . . fructus duplione damnum decedito [a].

[a] Fragmenti principium fuit vox *Manubiæ*, usque ad *Malo cruce*. Hæc habentur in Schedis, p. 167-172. Post *Malo cruce* sequebatur *Mutum*, etc., quod in pag. 1 Fragmenti positum est usque *Ordinarium hominem*, p. 32. Post *Ordinarium* sequuntur ea quæ in Schedis habentur p. 172-182. Reliqua integra sunt in Fragmento usque ad *Tablinum*, p. 164. Post *Tablinum* sequuntur quæ habentur a verbo *Tabem*, p. 187, usque ad vocem *Vindiciæ* quæ finis Fragmenti fuit. B URSINUS. — [*Fragmenti finis*, recte inquit vir doctus, non Codicis Farnesiani, quem et in fine mutilum esse testantur, præter ultima verba glossæ *Vindiciæ*, voces *Vehere* et *Veredos* infra notandæ; clarius etiam significat Epitomæ Pauli extrema pars glossis *Vindicius* et *Vindicia* auctior in eximio codice Parisino, n. 7661, quem editorum nemo hactenus videtur consuluisse, Lindemannus sane tam ignorat, quam cæteros Pauli codices in Regia nostra bibliotheca asservatos. Sed de his alias. E. E.]

[1] aut potius dicuntur vindiciæ inter eos qui contendunt. [2] rei sive litis.

## [a] NOTULÆ AD SCRIPTURAM FARNESIANI CODICIS PERTINENTES.

P. 4, s. v. *Mundus*. Post verbum *Volcanalia* addendum ex Pauli Epitoma : *A. d.* III *Non. Oct.* (*Urs.* Lacunam jam indicaverant editores ante Augustinum notula consueta *Def.* aut *Frag.* Cf. s. v. *Redarguisse*, p. 81)

P. 7, s. v. *Manumitti* : Hanc manumissionis formulam verbis quibus erat concepta, in editione Augustiniana, omissis aliis, aliis luxatis, male acceptam suæ nos integritati, nisi fallimur, restituimus.

P. 10, s. v. *Mater Matuta*. Ex Pauli verbis sarcienda sunt quæ sequuntur Festi verba. Una tamen littera diversa est : *manis* enim pro *manes* est scriptum, librarii, ut opinor, errore. A. AUG.

C P. 10, s. v. *Nænia*. Glossarium : *Nænia* ἐπιτάφιος ᾠδή. Quæ in fine Græca verba addita sunt, ea in Exemplari ita plane leguntur. Notum autem νάτη quid sit.

P. 12, s. v. *Nec*. *Nec escit* scribendum pro *nec esit*. Nam *escit* pro *erit* antiqui dicebant, et *superescit* pro *supererit*.

P. 17, s. v. *Navalis*. Quid si *remi eminent*. Scribamus, pro *remi emicant?* Certe ad veterem scripturam propius accedemus, quæ est *rem geminent*.

P. 18, s. v. *Nævia*. Quod post *Næviam* sequitur fragmentum . . . . . . . . *turs cœlum ca*. . . . . . quo pertineat ignoro. Varro, lib. I de L. L. (v, 19) ait cavum a chao, unde omnia orta, et a cavo cœlum dictum.

P. 20, s. v. *Nuptias*. Videtur legendum *legem quoque funestam*, pro corrupto verbo *parenstam*.

P. 21, s. v. *Nucupata*. Ita in exemplari, pro *Nuncupata*, antiqua scribendi consuetudine, cui contraria *formonsus* et *gnefonsus*. Reliqua ita legenda, ut in ora paginæ notavimus : *Nominata cerca* et c. *cum nexum faciet*, *mancipiumque uti lingua nuncupasit; ita jus esto*, *id est*, *uti nominaret*.

D P. 23, s. v. *Noverca*. Cum in Fragmento sit *veterannia*, non, ut alii descripserunt, *ecterannia* ex ea scriptura fecimus *veteres Annia*. Cui autem nupserit. hæc Annia, quærendum.

Ad p. 23. Codex Farnesianus duobus columnis exaratus, charta in latitudinem ampliori, sed cujus partem fere tertiam ignis absumpsit. Cujusque folii prima et quarta columna integræ sunt; secundæ sinistra pars, tertiæ dextra, dimidiatis plus minus versibus, supersunt. Deperditæ scripturæ finis nulla certa linea est, sed prout ignis grassatus est. Hic quidem fol. VI, col. 3. Si damna damnis compenses, desunt dimidii circiter versus, id est, in singulis 16-19 litteræ. Initio autem hujus glossæ 15 litteris vacat locus, quia duæ ad superiorem glossam pertinent. His expositis glossam infra cum supplementis meis describo :

— Novem adversarii] T. Sicini Volsci Cos. cum conjurationem] inissent adversus eum. a pop. R. ni in cir]co combusti feruntur. et sepulti in ea regione] quæ est proxime circum, ubi locus est la]pide albo constratus. Eorum nomina fuerunt : ] Opiter Verginius Tricostus, . . . Valerius] Lævinus Postumus Cominius Auruncus,. ] . . . llius Tolerinus, L. Vetusius Geminus. ]Sempr]onius Atratinus, Verginius Tricostus, Mu]tius Sævola. Sex. Fusius Fusus.

(*Niebuhr.*, *Hist. Rom.* Tom. II, p. 143, qui, quomodo conjecturas suas tueatur, alias videbimus E. E.)

P. 24, s. v. *Nixi di*. Post verbum mensæ in exemplari additum est : *Tripedi*, sed alia manu, quod puto adjectum esse σχολιαστικῶς.

P. 27, s. v. *Oculissimum*. In editione Augustiniana locus hic mendosus adeo luxatusque habetur, ut Festi sententia vix in eo appareat.

P. 31, s. v. *Ortygia*. Cum in exemplari adverbium *nunc* a librario duabus litteris (*nc*) superimposita linea scriptum fuisset, error inde fluxit ut pro *nunc* in libro Augustiniano *non* editum sit, atque unius sententiæ lapsa tota sententia immutata sit.

P. 32, s. v. *Oræ*. Pro *quam expediam* in ora paginæ emendavimus *qua me expediam*, et veram eam emendationem existimamus.

P. 33, s. v. *Persicus*. Plauti versus in exemplari habet *persibus*, pro *persicus;* et ita Varro lib. VI (VII, 107) de Ling. Lat.

P. 35, s. v. *Porriciam*. Varro, lib. V (VI, 54) de L. L. : « Profanatum, inquit, quod in sacris polluctum ; itaque olim in fanis omne consumebatur quod profanatum erat. . . . . » Hæc ad verbum profanata, quod fecimus ex duobus *profana ea*. Reliqua in editione Augustiniana cum sint suo loco mota, nos ad fidem exemplaris reposuimus et mutila multa restituimus.

P. 37, s. v. *Oratores*. Multa hic restituimus exemplari diligentius inspecto, quæ desiderantur in editione Augustiniana. Præterea corruptam vocem

[a] Quæ nullo nomine signata sunt Fulvio Ursino ascribas.

Digitized by Google

*propte* mutavimus in *propterea*, et *decretoribus* in *deprecatoribus*.

P. 40, s. v. *Plorare*. *Est od* in lege Numæ habet exemplar.

P. 43, s. v. *Parare*. *Acere*, pro *agere*, in exemplari scriptum est antiqua illa consuetudine, quo *c* pro *g* ponebant.

P. 43, s. v. *Peregrinos*. Ex verbis Digest., lib. I, tit. 11, locum Festi resarcivimus qui in editione Augustiniana cum verbo *parare* male conjunctus est.

P. 44, s. v. *Primanus*. Ita plane est in exemplari. Reliqua fortasse vel Paulus addidit, vel alius, qui locum exemplo et explicatione illustrare voluit.

P. 45, s. v. *Potitum*. In exemplari est *decimam bovum*, antiqua scriptura, ut *foro bovario* infra P.

P. 49, s. v. *Prætor*. Totus hic locus in cæteris libris deerat. A. Aug.

P. 49, s. v. *Potestur*. In exemplari plane est : *in e i qua vocis cum*, ut fortasse emendandum sit : *in ea, quæ est. Cum*, Nam verbum *est* alia manu videtur adjectum.

P. 51, s. v. *Pascales*. In exemplari erat prius *Tarentino*; deinde in litura scriptum fuit *Terentino*.

P. 55, s. v. *Publica Pondera*. *Oetier* an *oivier* in exemplari scriptum sit, difficile est affirmare, propterea quod litteræ fugientes sunt.

P. 57, s. v. *Præclamitatores*. In exemplari plane est : *ut homines ab opere se abstineant*.

P. 63, s. v. *Quirites*. In exemplari ita plane est. . . . . . . *o est preco, qui in funeris*. . . . . . ut videatur esse legendum : *indicio est præco, qui in funeribus indictiv s*.

P. 79, s. v. *Rumentum*. In exemplari est . . . . *erim vis canerit*, non, ut habet editio Augustiniana *crimen aris canerit*. Hic sane locum antiquitatis subobscurum reddidit obscuriorem.

P. 81, s. v. *Redarguisse*. Post vocem *genus* edd. Anteaugustinianæ Frag. ponunt, ut quidem solent ubicunque deficit scriptura veteris fragmenti. Et reipsa hic videtur aliquid excidisse. Cf. p. 4, s. v. *Mundus*.

P. 85, s. v, *Refriva*. Vox *tevirfico* mendosa est, pro qua alii reposuerunt *e tritico*. Forte scribendum *rererlantur*.

P. 87, s. v. *Procul Patricium*. Opinor vocem *patricium* adjectam esse.

P. 88, s. v. *Relegati*. — Cum in exemplari sit *Senatui q. Consulto*, pro *Senatus c.*, placet ut pro *magistratus* legatur *magistratuus*.

P. 92, s. v. *Rideo*. Hoc loco in antiquo libro est *Sex. Pomp. Festi, lib.* xviii. A. Aug.

P. 94, s. v. *Religionis*. F. . . . . Festi fragmentum habet plane *in ara*.

P. 96, s. v. *Recipie*. In exemplari est *recipiem*.

P. 104, s. v. *Satur*. Desunt quædam in fine; puto *obliqua pro portione*. Dicendum enim erat *saturis, viris, caronis*, non *saturi, viri, carnis*. Vid. Charis., lib. ii. A. Aug.

P. 109, s. v. *S latum*. In exemplari est *arquato*, ut videatur ictericos dixisse arquatos a colore auri, quia rusticis dicuntur solati a colore solis; nam illud. . . . . *rigine*, *aurigine* plane est.

P. 110, s. v. *Sospes*. In editione Augustiniana hoc fragmentum adeo luxatum est, ut sanus ex eo sensus elici non possit.

P. 110, s. v. *Sucula*. Hic quoque locus in editione Augustiniana male nimis est acceptus. Nos ad fidem exemplaris edidimus, et ex corrupta voce *ruintque* fecimus *quinque*, et pro *loquenti* emendavimus *loquendi*; quæ scribendi consuetudo invenitur tum in veteribus monumentis, tum in hoc ipso fragmento persæpe, in quo *set* pro *sed*, *adque* pro *atque*, *quodannis* pro *quotannis*, et alia hujusmodi reperiuntur infinita. Cf. ad p. 155.

P. 112, s. v. *Sulci*. Vide num melius sit *dictum* pro eo quod est in exemplari *fictum*.

P. 112, s. v. *Suasum*. Scribendum fortasse *persuadeatur* pro *persuadetur*; nam in Epitoma manuscripta est *persuadentur*, ut ibi quoque *persuadeatur* fuisse scriptum appareat.

P. 114, s. v. *Suppernata*. Politianus in Miscellaneis, cap. 73, Festi scripturam agnoscit et *suppernata* exscripsit; ut mirer Antonium Augustinum scripsisse, Politianum a Marullo irrisum, quod *expernata* pro *suppernata* apud Catullum reposuerit.

P. 118, s. v. *Sub vitem*. Lucilius in exemplari habet *subsit*, ut nos edidimus, non autem *subit*; pro quo Paulus *submisit* in Epitoma.

P. 120, s. v. *Struere*. *Adicere* pro *adjicere*, antiqua scribendi consuetudine, in exemplari exaratum est.

P. 123, s. v. *Stipes*. Ostium sine nota aspirationis scribendum, licet in exemplari sit *hostium*, ut *hostreis* supra in *Scrupi*, pro *ostreis*.

P. 126, s. v. *Sterilem*. Verbum *cipit*, quod est in exemplari, potest ferri, si id mavis quam *concipit*.

P. 126 - 127, s. v. *Sycomorus Saccor*. . . . *Saccorum* fortasse; quid enim aliud dici possit, mihi in mentem non venit. A. A. — Isidorus, xvii, 7 : « Sycomorus; ficus et morus sunt Græca nomina. » In vulgatis tamen *sicut* pro *ficus* corrupte scriptum est. Urs. — Legebat ergo Ursinus, saltem in margine, *Sycomorus*, quod nos reposuimus. In Augustini et Scaligeri edd. lacera glossæ hujus fragmenta, de suo loco mota, vix agnoscuntur; Dacerius eam ex editione Romana complevit quidem, sed, contra rationem alphabeti, quam sequi se profitentur edd. omnes post Augustinum, initio litteræ S inseruit. E. E.

P. 127, s. v. *Sacrem*. . . . . In exemplari plane est *ine* (?), ex quo fecimus *·anguine*.

P. 127, s. v. *Sacrificulus*. Opinor extremis illis litteris, quæ sunt in exemplari. . . . . *ulus*, indicari nomen Sicini, qui dictus est Bellutus. Fieri enim potest ut Verrius non eos quos Livius et Dionysius, qui M. Papirium primum Sacrificulum produnt, sed alios historicos fuerit secutus.

P. 129, s. v. *Sagmina*. Versum Nævii, qui deest in exemplari, in margine addidimus, ex Epitoma. [Ennius ap.] Cicero[nem, Offic. iii, 29] : O fides alma, apta pinnis, et jusjurandum Jovis. Urs. — Sed nec ita Festi scripturam recte constare video, et alteri glossæ hujus fragmento Paulus non medetur. Errat profecto Lindemannus, qui verba *Jus sacratum Jovis sagmine* nobis pro versu Næviano exhibet. Sed de his cæterisque hujusmodi alias. E. E.

P. 137, s. v. *Salentinos*. In exemplari est *quam d* . . . . quod operarum vitio non ita plane expressum est. Ex eo fragmento nos fecimus *quam dicunt*. Urs. — Nos alibi, Ursino monente, correximus, ut p. 126, s. v. *Sycomorus*; p. 152, s. v. *Sacramento*. Sæpe tamen e conjectura divisionis signum] reposuimus, ubi plane deerat, ante vel post Græcum vocabulum, incerto id ad scripturam codicis, an ad supplementa pertineret. E. E.

P. 140, s. v. *Spicit*. Ennii versum Pomponius Lætus ita legebat :

Quos ubi rex ultro spexit de montibus celsis.

In exemplari certe est : *Quos ubi rex*. . . . . *ulo spexit de contibus celsis*, ut *sedulo* vel *paulo* legendum sit.

P. 140, v. *Spintyrnix*. Desideratur nomen poetæ cujus verba referuntur A. Aug. — Nos lacunæ signum addidimus, ut sæpe alibi, tacente Ursino E. E.

P. 142, s. v. *Scrutillus*. De *sullus* fecimus *suillus*, et pro corrupto verbo *ivillum* emendavimus *scrutillum*. De verbo *suillus* non est dubitandum, quia in hoc exemplari *l* littera loco *i* posita sæpe reperitur. De scrutillo memini me legisse; sed apud quem, non vacat quærere.

P. 142, s. v. *Scrupi*. Ennii versus, quem hic citat Festus, ex Andromacha, exstat apud Nonium in *Scapres*. In Exemplari est : *Ennius in An*. . . non



Digitized by Google

Ar . . . . . . Unde error fluxit, ut alii scripserint, *in Arnorum judicio*, cum tamen versus sit ex Andromacha. *Asperi* item non *aspera* est in eodem exemplari.

P. 143, s. v. *Scelerata*. In exemplari plane est..... *s. i. Carmentalis dicitur*. (*sic ?*).

P. 144, s. v. *Sexus*. In veteri libro est *secus* initio, tamen in exemplis *sexus*. A. Aug.

P. 147, s. v. *Sifus*. Verbum cujus extrema tantum littera in exemplari reliqua est, putamus fuisse *prætoris*: tantum enim spatii relictum est; vel si magis placet, *curatoris*. Utrumque in veteribus legum fragmentis reperitur.

P. 147, s. v. *Seplasia*. In exemplari est. . . . *ex M. Cicero*, quod puto fuisse *in Pison. meminit Cicero*.

P. 147, s. v. *Saticula*. In exemplari plane est... *iam*, ex quo fecimus *coloniam*.

P. 148, s. v. *Segesta*. Hermolaus in Plinium, III, 8, legit *obsceno omine*, pro eo quod est in exemplari *nomine*.

P. 149, s. v. *Servorum*. Exemplar habet *cervos*, pro eo quod alii *servos* ediderunt. Nos antiquam scripturam retinemus.

P. 149, s. v. *Sispitem*. Verum est, quod ait Festus, Junonem ab antiquis dictam Sispitem, nisi quod in numismatibus est IVNO SISPITA, ut hic quoque videatur legendum *Sispitam* et *Sospitam*.

P. 151, s. v. *Sontica*. Catonem de re Floria citat Agellius [IX, 12 et] X. 13. Cum autem in exemplari sit.... *ibi causam sonticam*.... satis apparet *A. Atili* vocandi casum esse.

P. 151, s. v. *Spicinat*. Cato de Decem hominibus contra Thermum citatur a Festo sæpe et ab Agellio, XIII, 24. *De septem hominibus* non inveni, ut fortasse pro *septem* hic quoque *decem* scribendum sit.

P. 154, s. v. *Silatum*. *Jantaculum* et *jajuni* est in exemplari. Glossarium item habet: *Juntat ἀκρατίζει, Jantaculum ἄκρατον*, quam quidem scripturam in aliis etiam manuscriptis libris vidimus.

P. 155, s. v. *Secespitam*. *Rediculo* pro *reticulo* in exemplari exaratum est, antiqua illa consuetudine ponendi *d* pro *t*, de qua supra (ad p. 110). *Tubæ* etiam, non, ut in aliis editionibus, *nubæ*, in eodem exemplari scriptum est. *Tubæ* autem pro *tubis* positum est. *Cancella* in supplementum hujus fragmenti nescio quo modo amanuensis culpa irrepsit. [Pro *repagula*, quod in *Erratis* est, et nos reposuimus. E. E.]

P. 159, s. v. *Tullios*. Paulus in Epitoma manuscripta: « Tullios alii dixerunt esse Silanos, alii rivos, alii vehementes projectiones sanguinis arcuatim fluentis, » cætera ut Festus. In antiquo lexico Latino-Græco *Siluanus* exponitur Κρουνός; et ita fortasse legendum tum hic, tum apud Cornelium Celsum. Quid si pro *sanguinis*, legamus *amnis?* quia sequitur, *quales sunt Tiburi*. Sed nihil temere mutandum.

P. 160, s. v. *Topper*. *Mature* pro *temere* in margine posuimus, quia ita est infra. *Homonem* autem pro *humanum*, ex Ennii versu: *Miserum mandebat homonem*; et supra in [Epitoma, s. v. ] *Hemona* ita habetur: *Homonem hominem dicebant*. Versus Attii in lo fortasse ita legendus: *Topper, ut fit, patris tem' eicit ira?* vel, *Pater istum eiecit foras*. Verbum *inferiuntur* omissum est in editione Augustiniana, quo antiqui usi sunt pro *inferuntur*.

P. 161, s. v. *Tutulum*. In exemplari ita plane est: *formâ e tali*, unde in editione Augustiniana, *forma e tali* impressum est, cum *forma metuli* scribendum fuisset.

P. 162, s. v. *Monstrum*. Sub finem hujus glossæ lacunam significavimus, qua certe vox *Monitores*, sequentibus versibus explicata, evanuit. A. Augustinus ad h. v.: Verba Festi dimidiata intelliges ex illis Pauli: *Monstra dicuntur*, etc. Scaliger, Gothofredus et Dacerius h. s. v., et alias, ut duplicem glossam exhibent duplicem unius glossæ scripturam. Cæterum glossa *monitores* prorsus deest in edd. Anteaugust. E. E.

P. 173, s. v. *Opima*. *Pompili regis* in margine scripsimus, pro *Pompili*, quia ita antiqui dicebant, ut *Dueli* pro *Duili*; et Schedæ habent *Pompeli*.

P. 179, s. v. *Optima lex*. In Schedis tantum spatii relictum est quantum ad reponenda duo verba, quæ in margine notavimus satis est. *Magister populi pro a populo*; item *magistrorum* pro *magistratuum*, ut est in Schedis, legendum putamus.

P. 182, s. v. *Prædotiam*. Ita in Schedis et recte, etc.

P. 183, s. v. *Petrarum*. In Schedis *Levius* est pro *Livius*; unde suspicor *Lævium* significari, etc.

P. 184, s. v. *Pictor Zeuxis*. In Schedis ita sunt hæc verba depravata, ut tamen ad veram lectionem eliciendam quasi manu ducant, cum in eis ita sit: *cum versiculos quoque adhæreret tnlerit et septos pati. Sed nullius præteris prætexti nomine*; nos emendavimus: *cum versiculos quoque ea de re retulerit, et ineptos satis et nullius pret i, prætexto nomine*. [An recte? Equidem facilius correxisse mihi videor. E. E.]

P. 181, s. v. *Impetum*. Est mera glossa epitomatoris Pauli quam inter fragmenta Verriana retulimus sup. p. 21, n. 39. Quomodo in textum recepta sit, incertum. Ea sane interpolatione carent Augustinianæ et Anteaugustinianæ edd. E. E.

P. 185, s. v. *Pisalitem*. Ita est in Schedis pro *Pisatilem*, et ita videtur legendum.

P. 190. s. v. *Talionis*. Liber manuscriptus (*sic*) habet *rapit* pro *rupit*, ut fortasse *rapsit* sit legendum.

P. 191, s. v. *Tripudium*. Desiderantur hæc in aliis editionibus; v. supra in *Puls*.;... *Tripudium dicebatur in auspiciis* videtur fuisse in exemplari. Deinde Festus afferebat exemplum ex antiquo scriptore disciplinæ auguralis.

P. 191, s. v. *Tintianare*. Pro *molle*, vel, ut alii emendarunt, *mollem*, in Schedis est *molæ*, eaque vera lectio est.

P. 191, s. v. *Tributorum*. Opinor in exemplari fuisse *census populus*, et deinde verbum *poplus* in *alius* mutatum. Exstant lectionis antiquæ vestigia in Schedis.

P. 191, s. v. *Tentipellium*. *Indeq*. pro *idem*, melius in Schedis.

P. 192, s. v. *Vici*. Integra lectio in Schedis habetur et emendata. Nam *paci* antiqua scribendi consuetudine dictum est pro *pagi*. — Reliqua etiam emendatiora in Schedis: *Altero, cum id genus ædificiorum definitur, quæ continentia sunt his oppidis, quæ itineribus regionibusque discriminis causa sunt dispartita*. Et in hac *in oppidi vicis* et *vicani* utroque loco habent Schedæ.

P. 193, s. v. *Victimam*. In Schedis est *ob hostes victos* pro *ad hostes victos*, parva mutatione; nam Augustiniana emendatio [*hostibus victis*] nimis abest ab antiqua scriptura. Pro *vincta* in Schedis est *victa*, ut fortasse *vitta* scribendum sit.

P. 193, s. v. *Viæ*. Desideratur hæc vox in cæteris editionibus.

P. 194, s. v. *Vecors*. Exempla Pacuvii et Novii desiderantur in aliis editionibus.

P. 194, s. v. *Ve victis*. In Schedis est *Brennus rex*, pro quo in margine, alia manu, ejus forte qui Schedas illas cum exemplari antiquo contulit, *dux* pro *rex* notatum est, et *pensum* pro *appenderetur*.

P. 195, s. v. *Viere*. Hæc quoque in aliis editionibus desiderantur. Ennii versus exstat apud Varronem l. IV de Ling. Lat. [V, 62], apud quem *malaci* est, ut in Schedis.

P. 195, s. v. *Urvat*. Placidus in glossis: *Oburbas, circumscribis, dictum ab urbe*. Versus Ennii emendatior in Schedis.

P. 195, s. v. *Ungulus*. *Nacta* legendum, et *si quis requiret*. Pro corrupto autem verbo *elirio*, in Schedis est *ebrio*, quæ vera lectio est.

P. 196, s. v. *Unciaria*. Quæ sequuntur, quo pr-

Digitized by Google

tinerant, quærendum. Incerta item sunt, quæ post verbum *ventubant* habentur.

P. 196, s. v. *Vindiciæ*. In exemplo XII tabularum quod in fine adducit Festus. Schedæ ante *arbitros* habent amplius dimidiatum verbum *tor*, ut integrum fortasse fuerit: *Prætor arbitros tres dato*.

---

# INDEX AUCTORUM ET MONUMENTORUM
## QUÆ IN FESTI FRAGMENTO CITANTUR.

*Numeri paginam editionis Romanæ quam recudimus, indicant.*


A

Accius, 68, 89, 110, 169, 193. — In Amphitryone, 80, 154, 176. — In Andromacha, 107 (?). — In Bacchis, 125, 178. — In Chrysippo, 75, 112. — In Diomede, 24, 28. — In Hellenibus, 37, 171. — In Io, 160. — In Menalippa, 24, 38, 73, 84. — In Neoptolemo, 82, 164. — In Oenomao, 20. — In Philocteta, 165. — In Phinidis, 103. — In Annalibus (?), 171.

Aelius, 20, 85, 106, 162, 194. — Lib. XII Significationum verborum (?), 159.

Aelius Gallus l. II (Significationum) quæ ad jus pertinent, 160. — De Significatione verborum (?), 12, 25, 30, 31, 34, 41, 76, 81, 8., 85, 88, 106, 112, 122, 123, 125, 145, 146, 165.

Aelius Stilo, 16, 21, 14, 117, 126, 127, 137, 163, 67, 168, 169 (?), 171, 172, 176, 185, 188, 193. — In explanatione XII Tabularum 100 (et alibi omisso libri titulo, ut 126?). — In explanatione carminum Saliarium (v. h. v.), 169 (et alibi omisso libri titulo, ut 185).

Aestimatio censoria, 75.

Afranius, 72, 86, 110, 162, 188, 191. — In Abducta, 145. — In Brundisina, 129. — In Consobrinis, 32, 85. — In Epistola, 65, 82, 110, 161. — In Ida, 185. — In Materteris, 10. — In Privigno, 38, 114. — In Prodito, 85. — In Prosno, 191, 192. — In Repudiato, 89, 144. — In Rosa, 90. — In Simulante, 20. — In Suspecta, 20. — In Virgine, 115, 162, 169.

Agathocles, Cyzicenorum rerum scriptor, 77.

Alcimius, 77.

Altius, lib. I de Bello Carthaginiensi, 8.

Annius Luscus (T.), in ea, qua dixit adversus Gracchum, 124.

Antigonus, Italicæ historiæ scriptor, 77.

Antistius Labeo (Q.), 59, 61, 155, 156, 182. — In commentario Juris pontificalis. — Lib. incert. 58. — Lib. x, 157. — Lib. XI, 61. — Lib XV, 156. — De Officio auguris, 99.

Apollodorus, in Euxenide, 76.

Apollonius (?), 14.

Appius (Claudius Cæcus?), in Sententiis, 175.

Appius Claudius Pulcher, in Augurali disciplina, 99 (?), 106, 108, 175.

Aristarchus (?), interpres Homeri, 14.

Aristophanes grammaticus, 158.

Artorius, 160, 191.

Ateius Capito, 11, 48, 81, 93, 145, 175. — Libro VII Pontificali, 4.

Ateius Philologus, 16, 21, 35, 121. — Lib. Glossematorum, 29.

Atta (togatarum scriptor), 47.

Augurales libri, 59, 61, 79, 97 (?), 99, 114 (?), 120, 131, 141, 193 (?).

Auguralis precatio. *Vide* Precationes.

Aurelius Opilius, 12, 14, 21, 66, 83, 126, 140, 119, 165, 169, 188, 195.

C

Cæcilius 38, 65. — In Aethrione, 20, 32, 145. — In Andrognorizomene, 107. — In Androgyno, 125 (?), 189. — In Carine, 89, 125. — In Davo, 37. — In Epistola, 167. — In Gamo, 162. — In Hymnide, 25, 37, 145. — In Hypobolimæo Chærestrato, 24, 85, 125, 162. — In Imbros (?), 177. — In Obolostate, 103. — In Pugile, 25. — In Triumpho, 116.

Cæsar (L.), 9.

Cæsar (?), in Commentariis, 22.

Calidius, in orat. in Q. Cæcilium, 118.

Callias, Agathoclis Siculi rerum gestarum scriptor, 77.

Carmen Saliare. *V.* Saliare.

Cato (M. Porcius, Censorius), 5, 7, 11, 14, 15, 18, 26, 51, 52, 58, 96, 114, 115, 121. — In Originibus, lib. I (cf.). 179, de inscriptione hujus operis, 12, 32; lib. II, 116; lib III, 32; lib IV, 171; lib. V, 45; lib. VII, 72, 75, 102, 150. — In Commentariis Juris civilis, 5. — In Epistola, 5, 52. — In libro de Re militari, 61, 116, 152, 187. — In oratione de Aqua (L. Furio), 196. — De Agna musta pascenda (?), 51. — De Auguribus, 49. — De Conjuratione, 52. — De Fundo oleario, 51, 52. — De Indigitibus, 146. — De re Histriæ militari, 52. — De Signis et tabulis, 96. — De Spoliis, ne figerentur, 89. — De Potestate tribunicia, 11. — De Magistratibus, 11. — Aediles sacrosanctos esse, 128. — Ne quis consul bis fieret, 52. — Cum Hispaniam proficisceretur, 18. — (Numantiæ) apud equites, 180. — Quam habuit in Consulatu, 5. — Dissertatione consulatus, 96. — De Feneratione legis Juniæ, 44. — Dissuasione de rege Attalo, 44. — Dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur, 92. — Dissuasione legis, quæ postea relicta est, 151. — Dissuasione de lege Orchia 52, 181. — Suasione legis Voconiæ, 92. — Oratione pro L. Cæsetio, 109. — Pro Cæsare, *vel* Cæsetio (?), 151. — Ad Lites censorias, 52. — Contra M. Acilium quarta, 45. — Contra M. Cælium, 18, 44, 52, 151, 152 (variante codicis scriptura). — In Q. Minucium Thermum, 96, 128. — In Q. M. Thermum, de x hominibus, 2, 26, 131, 176. — Contra Thermum, de suis virtutibus, 32, 89, 172. — Contra Annium (Luscum), 113. — Contra Cornelium, apud populum, 96. — Contra Oppium, 68. — In Q. Sulpicium, 17. — De L. Veturio de Sacrilegio commisso, 44, 152 (?). — Cum edissertavit M. Fulvii Nobilioris censuram, 92. — De re Floria (?), 151.

Cato nepos (M. Porcius), in oratione... 5.

Catullus (M. Valerius) (XVII, 19), 114 (LXIII, 58) 82. (XCV, 6) 40.

Censoria lex. *V.* Lex.

Cephalon Gergithius, de adventu Aeneæ in Italiam, 78.

Cicero (M. Tullius), 1 (? 63 — Philipp., II, 28)? 71. — De Oratore, (I, 28, 89. — In Pisonem, (II) 147. — In Verrem, (I, 56) 81; (IV, 43) 89. — In Catilinam, (II, init.) 189. — Pro domo sua, (15) 17, 50. — Timæi Plat. fragm, (11?) 14. — Cato major, (15) 26.

Cincius (L.), 15, 16, 20, 23, 55, 85, 137, 145, 159, 196. — De Comitiis, 49. — De Consulum potestate, 49. — Fastorum (?), 87. — Mystagogicon II, 190. — In libro de Officio jurisconsulti, 154. — Lib. II, 21, 130. — De priscis verbis, 85, 140, 187.

Cloatius, 106, 117, 127, 169, 174, 176, 186.

Cœlius, Historiarum libro (?), 29. Libro VII, 164. — Pro se apud populum, 32.

Commentarii quidam, 185.

Commentarii sacrorum, *V.* Libri Pontificii.

Cornificius, 16, 20, 31, 34, 91, 177. — Or. pro Liburnia. *V.* Messala.

Critolaus, 156.

Cumanæ historiæ compositor, 76.

Curiatius, 16, 20, 161.

D

Diocles Peparethius (?), 78.

Dionysius (?), 79.

E

Ennius (Q.), I, 16, 51, 57, 83, 84, 86, 87, 92, 93, 96, 100, 106, 109, 110, 112, 117, 122, 125, 137, 140, 145, 146, 149, 158, 160, 164, 169, 175, 180, 189, 190, 196. — In Annalibus, lib. incerto, 114, 122. — L. I, 51, 67, 92, 109, 118, 125, 153, 179; II, 9, 18, 25, 68, 95, 118, 141, 159, 164, 198; III, 37, 109; IV, 153; V, 18; VI, 16, 107, 139, 140; VII, 16, 65, 109, 163, 164; VIII, 18, 177; X, 25, 195; XI, 65, 86, 95, 109, 183; XIV, 22, 133; XVI, 16, 37, 65, 67, 88, 141, 177, 195. — In Achille Aristarchi (?), 52, 113. — In Ajace, 160. — In Alexandro, 34, 189. — In Andromacha, 142. — In Andromeda, 68, 195. — In Asota, 164. — In Cresphonte, 68, 80. — In Erechtheo, 11. — In Hectoris Lytris, 80. — In Iphigenia, 57, 180. — In Telamone, 179. — In Telepho, 138, 170. — In Thyeste, 116.

Evhemerus, 120.

F

Fabius Pictor, 60.

Fasti, 67, 87, 98, 117, 159.

Fasti Prænestini. Fragm., p. 13 sqq. nostræ ed.

Flaccus, 71.

Fœdus Latinum, 16.

G

Galitus, 77.

Gracchus (Caius), oratione in Popilium posteriore, 172, 180. — De legibus a se promulgatis, 180. — In lege Minucia, 180. — Cum circum conciliabula iret, 49. — De lege Penni, 96.

Granius, 13, 187 (?).

H

Historiarum scriptor quidam, 158.

Historici, 155.

Homerus, 11, 23.

Hostius de bello Histrico, 133. — Lib. I, 165.

J

Julius in Ad asto, 37.

Julius de Feriis, 97.


Digitized by Google

L

Lælius (C.), Pro se apud populum, 124, 176.
Lævius In Centauris, 183.
Leges, 116, 128. — Romuli et Tatii, 40. — Numæ, 85. Cf. 193. — xu Tabularum, 8, 12, 16, 41, 62, 68, 73, 82, 84, 100, 130, 156, 182, 192, 133, 196.
Lex Bæbia, 92. — Censoria, 87. — Dedic tionis aræ Dianæ. — Aventinensis, 14. — Flaminis minus solvendi, 154. — De Forctis et Sanatibus, 130, 131, cf. 156 — Gracchi, 100. — Junia, 44. — Militaris, 171. — Orchia, 152, 181. — Oviuia de Senatoribus legendis, 56, Cf 64. — De Peculatu, 45, Cf. 115. — De provinciis parandis, 45. — De publicis ponderibus, 53, 56. — Rivalicia, 147. — De Sacramento, 153. — Tappula convivalis, 190. — Tarpeia de Peculatum æstimatione, 43. — Tribunicia, 128. — De Viis publicis et privatis (?), 196. — De virginis Vestalis probro, 49. — Incerta, 51.
Libri Augurales V. Augurales. — Pontificii. V. Pontificii.
Licinius Imbrex, 177.
Lingua Faliscorum, 65, 121. — Formianorum, 102. — Græcorum. Vide voces Græcas in indice Rerum ac Verborum. — Aeol., 183. — Dor., 125, 183. — Lanuvinorum, 11. — Latinorum, 93. — Oscorum, 8, 101, 108, 118, 167, 170, 174, 175, 180, 183, 195. — Pœnorum, 118, 171. — Prænestinorum, 11, (Cf. 22), 163. — Sabinorum, 188. — Samnitium, 135 — Tusculanorum, 65, 121. — Tuscorum, 117. — Umbrorum, 47 (?), 121 — Volscorum, 102.
Livius (Andronicus), 141, 29, 38, 65, 80, 106, 108, 122, 193. — In Odyssea veteri, 11 (?), 12, 24, 160, 175. — In Gladiolo, 185. — In Lydio, 140. — In Virgine, 24. — In Centauris. V. Lævius.
Lucilius (C.), Satiræ, 13, 60, 68, 73, 79, 80, 81, 86, 91, 109, 103, 108, 119, 124, 138, 139, 163, 188, 193, 196. — Lib. II, 23.
Lucretius (T. Carus, de Rerum natura, I, 633), 69, (II, 576) 193. (II, 838) 129. (II, 847) 13. (II, 1150) 159. (IV, 1226) 117. (VI, 800) 139. (VI, 835) 25.

M

Manilius, 113.
Marcius vates, 25, cf. 136.
M. Valerius Messala (Corvinus). — De Dictis involute, 130. — In Explanatione augurioruin, 9, 137. — In explanatione XII Tabularum, 62, 130, 162. — In oratione pro Liburnia, 188.
Mimi, 121.

N

Nævius, 20, 33, 52, 71, 72, 79, 100, 107, 120, 134, 160, 184, 185, 189, 191. — De Bello Punico, 63, 102, 119, 131, 133. — In Hariolo, 32. — In Lycurgo, 178. — In Nautis, 119. — In Phœnissis, 140. — In Satyra (sic), 65. — In Tunicularia, 16, 40.
Nelei carmen, 20, 123, 125, 160.
Nonius, 194. — In duobus Dossenis, 191. — In Funere, 194. — In Lupo, 80. — In Maccho Copone, 23. — In Pico, 72. — In Sanio, 191. — In Togularia, 63.

O

Oppius, 32.

P

Pacuvius (M.), 12, 49, 80, 89, 109, 135, 140, 160, 167, 176, 193. — In Antiopa, 160. — In Armorum judicio, 88, 90, 91, 161. — In Atalanta, 144, 195 — In Chryse, 149. — In Dulorestе, 140. — In Hermione, 88, 164. — In Iliona, 33, 89, 194, 195 — In Medo, 38, 115, 163, 178. — In Niptris, 115, 149. — In Periboea, 38. — In Teucro, 33, 58, 80, 84, 133, 164.
Plato, 134.
Plautus, 10, 16, 17, 33, 34, 38, 51, 112, 114, 117, 158, 112. — In Asinaria, (I, 1, 85) 179. — In Aulularia, (II, 4, 45) 22. (II, 5, 10) 83, 91. (II, 5, 6) 191. (IV, 1, 9) 16, 140. (IV, 7, 4) 91. — In Bacchidibus (?), 17. (IV, 8, 48) 10. — In Casina, (II, 5, 1) 71, 161. (III, 1, 9) 120. (V fin.) 13. — In Cistellaria, vid. Clitellaria. — Curculione, (I, 1, 5) 124. (I, 2, 5) 15. (I, 2, 15) 68. (I, 2, 28) 27. (IV, 2, 11) 185 (IV, 4, 13) 194. — In Epidico, (IV, 2, 22) 39. (V, 1, 14), 83. — In Menæchmis, (I, 1, 2) 67. (I, 1, 26) 120. (II, 2, 16) 127. (II, 3, 44) 82. (III, 3, 4) 112. — In Mercatore, (I, 3, 36) 146. — In Milite glorioso, (II, 6, 98) 17. (III, 1, 98) 140. (II, 1, 16) 195. — In Mostellaria, seu, Phasmate (V, 1, 1) 16 (I, 3, 83) 12. (II, 2, 39) 113. — In Persa, (III, 1, 20) 105. (III, 1, 64) 106. — In Pœnulo, (I, 2, 53) 138. — In Pseudolo, (I, 1, 14) 114 (I, 1, 108) 161. (I, 3, 51) 35. (I, 3, 66) 27. (II, 1, 18) 24. — In Rudente, (IV, 6, 4) 127. — In Sticho, seu, Nervolaria? (I, 2, 34) 179. (II, 2, 27) 17 — In Truculento, (II, 2, 16) 112. (II, 7, 50) 16. — In Artemone, 14, 83, 113. — In Astraba, 84, 116. — In Carbonaria, 140 — In Clitellaria, 194. — In Condalio, 38. — In Fasmate, v. Mostellaria. — In Dyscolo, 20. — In Feneratrice, 194. — In Frivolaria, 17, 66, 103, 106, 109, 115, 122. — In Hortulo, 116. — In Nervolaria, 37, 104, 171. v. Stichus. — In Parasito pigro, 16. — In Patina, 83. — In Satyrione, 12. 83, 116. — In Sitilergo, 193. — In Syro, 110, 159.
Poeta incertus, 77, 141, 175, 178, 183, 193.
Poetæ, 120.
Polemon, 137.
Pompeius Sextus, 19.
Pomponius, 127. — In Adelpis, 126. — In Decima, 191. — In Fullonia, 119.
Pontificii, vel Pontificales, vel Pontificum Libri, 9, 13, 17, 96. 103 (?), 162, 163, 169, 174, 189, 190
Prætoris formulæ, 41, cf. 164. — Precationes, 9, cf. 157, 175, 185. — Preces, 103, 117.

S

Saliare carmen, 86 (?), 99, 103, 127 (?), 153, 182, 183. Fragm. Collect. n. 8. Cf. Aelius Stilo.
Sallustius, in Catilina (56), 188. — In Historia. Lib. I, 177; lib. IV, 102, 188.
Santra, 20, 63, 66, 77. — L. II de Verborum antiquitate, 21, 83.
Saturnium carmen, 11, cf. 133.
Scævola, 11, 182.
Scipio Africanus (Æmilianus), 81. — Orat. de imperio D. Bruti, 49. — Postquam ex Africa rediit, 68. — Cum pro æde Castoris dixit, 96.
Scriptores glossematorum, 16.
Sinnius Capito, 2 (?), 13, 15, 19, 26, 40, 69, 92, 134, 136, 144, 145, 147 (?), 150, 168, 170, 194. — De Reo (?), 98.
Sisenna (Cornelius), Histor. lib. IV, 142.
Servius Sulpicius, 23, 31, 11, 132, 183, 196. — Pro Aulida, 2.

T

Tabulæ XII. V. Leges.
Tarquitius, 83.
Terentius, (P.). — In Heautontimorumeno, (IV, 3, 16) 139. — In Hecyra (prol. 2) 32. — In Phormione, (I, 2, 60) 139. — (II, 1, 8) 189. (V, 6, 10) 194.
Titinius, 98, 110, 176, 178, 183, 189, 193. — In Fabula quinta, 175. — In Barbato, 109. — In Setina, 80, 170
Titius, 182.
Turpilius, in Demetrio, 12, 138.

V

Valerius Valentinus, 190.
Valgius, 105.
Varro, 48, 78, 79, 120, 134, 150, 158, 162, 174, 194. — In Lib. Antiquitatum, 83; I, 8 — In Quæst. Epist. I, 170; V, 143. — In lib. Rerum humanarum, VI, 57, 76; VII, 154.
Veranius, 8, 60, 182. — In Auspicia de comitiis (?), 97. — In libro priscarum Vocum, 7.
Vergilius, Ecl. (IV, 49) 117; Ecl. (IV, 88) 57; Georg. (I, 242) 116; (IV, 10), 163; (IV, 164) 13. — Aen. (III, 85) 164. (III, 241) 180. (VIII, 470) 116.
Verrius, 1, 2, 4, 6, 7, 16, 18, 26, 27, 29, 33, 48, 57, 62, 66, 69, 71, 72, 78, 80, 83, 86, 87, 89, 91, 92, 98, 101, 102, 103, 108, 109, 110, 114, 117, 127, 133, 136, 137, 138, 141, 145, 147, 148, 154, 157, 158, 159, 161, 162, 163, 169, 184, 186, 187, 189, 190. — L. V (?), littera P. 136.


# INDEX

## GLOSSARUM, VERBORUM ET RERUM MEMORABILIUM.

(*Numeri paginum editionis Romanæ quam recudimus indicant.*)


A

Aborigenes, 76.
Acation, 147.
Acerra, 41. Cf. 170.
Actiones legitimæ, 41.
Adrudus, 73.
Adscitor, 148.
Aedis Apollinis, 73. — Bellonæ, 153. — Bonæ Deæ, 83. — Castoris, 56. — Concordiæ, 153. — Consi, 184. — Dianæ, in Aventino, 149. — Fidei. V. h. v. — Fortunæ, 52. — Herculis, 52. — Honoris et Virtutis, 152. — Jovis Feretrii, 174. — Jovis Metellina, 187. — Melitis, 157. — Minervæ in Aventino, 63, 141. — Pietatis, 184. — Punicæ Fortunæ, 17. — Salutis, 155 — Saturni, 133. — Veneris, 98. — Vertumni, 184. — Vestæ, 9, 153.
Ἀήρ, 183.
Æs imperfectum, 73. — Resignatum, 93. — Signatum, 73.
Ἀγαθός, 189.
Agnus (feminine), 96.
Agonalia, 147.
Agonus, 64.
Agrippa (M.), 100.
Αἰολικός, 183.
Αἰγυπτός, 19.
Ἀκρος, 171.
Allitæ, 41.
Ἀμαξα, 146.
Amnis (*feminine*), 141 Cf. 60
Anguis, 41.


Digitized by Google

Ancilia, 79.
Arcus Martius, 64.
Ἀνδρικὰ (verba), 1.
Ἀνήρ, 19.
Antiochus Syriæ rex, 25.
Ἀντιάτειρον (sic?), 124.
Amas quod vult somniat, (proverb.) 174.
Ἀντιάτειρος, 148.
Ἄπος, 19.
Ἀράφιον, 31.
Ἀργεῖος, 31.
Argæi, 143, 144. Cf. 162.
Arpinum, 41.
Atellani antiqui, 139. Cf. 41, 170.
Athenæ, 68, 78.
Atrium Libertatis, 49, 164 (?).
Attus Navius, 17.
Augures publici P. R., 85, 90, 99, 178.
Auspicia, 53, 54. 55, 59, 88, 97, 145, 152, 156, 157.
Αὐτός, 11.
Aventinus mons, 23, 48, 58, 86, 141.

B

Basilica Julia, 100.
Βαθύς, 23.
Bene sponsis beneque volueris, 157.
Bibesia, 187.
Bos Ægyptius, 80.
Bonus, pro scitus, 159.
Brauron, 68.

C

Cære, 41.
Cæsullæ, 84.
Caia Cæcilia, 48.
Caipor, 65.
Calatium, 41.
Cameriui, 44.
Campus Martius, 60.
Canicula, 93.
Candelas, 29.
Capitrcensi, 66.
Capitolium, 72, 84, 94, 132, 153.
Capua, 41.
Carcer, 66.
Casilinum, 41.
Censoriæ severitatis exempla, 94 sq.
Centuriæ, 25, 93, 116, cf. 144.
Ceres, 43.
Χεῖλος, 171.
Χιλιάς, 7.
Circus, 26, 107, 151.
Circus Flaminius, 158.
Classis (exercitus), 58, 172
Classis Juniorum, 56. Cf. D scriptio. — Quintana, 66.
Claudia gens, 48.
Collatio (gradus comparationis). 29, 96.
Collatio tributorum, 101.
Coloniæ, 49. 117.
Comitia centuriata, 42. — Justa, 76. — Tributa, 42.
Comitia prohibere, 44.
Comitialis morbus, 14.
Comitium, 23. 87, 100.
Commeatus, 85.
Conlucare, 156.
Compitalia, 40, 47, 65.
Conscripti (Patres), 64.
Consobrina, consobrinus, 105.
Consultum et decretum senatus, 145.
Corinthus, 23.
Cremera. 93, 145.
Cumæ, 41 Cf. 76.
Cures, 65, 64.

D

D in L mutatum, 148.
Δαίμων. 11.
Decumatrus, 65.
Decurio natus, 180.
Denecales feriæ, 52.
Decretum et (consultum) senatus, 145.
Descriptio classium a Servio Tullio, 56, 57, cf. 25, 66.
Diem referre, 97.
Dies atri, 88. — Alieni, 27. — Festus, 121, 126, 133, cf. v. sacra. — Servorum, 149. — Tibicinum, 171. — Opis, 178. — Natales 52. — Nefasti, 88, 14. — Operationis, 52. — Religiosi, 88, 121. — Stati, 124.
Dius Fidius, 49.
Dolabra pontificalis, 128, cf. 139, 140.
Duplicare litteras apud antiquos inusitatum, 101, cf. 41.
Δύσμολος, 162
Duumviri (capitales), 105, cf. 67.

E

Ἑκάς, 103.
Egesta (Segesta), 118.
Εἶδος, 154.
Εἷνα, 11.
Eleusine, 68.
Ἐμβάλλειν, 11.
Emere (pro accipere), 80.
Ἥμισυ, 102.
Ἐνόπλιος saltatio, 137.
Epidamnus, 148.
Epidaurus. 45.
Epistylium, 72.
Ἐπί, 103, 102, 155.
Equestres ludi, 71.
Equi pro hostiis, 28, 29.
Ἔρ (sic), 124.
Ἑρπετά, 155.
Escit, 12.
Ἕσπερος, 14
Etruscæ civitates, 71.
Euboicum mare, 33.
Ἐξ, 100, 155.
Ἕξις, 144.
Exsequium, 105.
Exta regalia, 97.
Exultationes Saliorum, 80.

F

Fabiani, 66.
Fabii Sex et Trecenti, 93.
Fabius (Q.) Eburnus, 53.
Facul, 187.
Feriæ novendiales, 28. — Regiæ, 87.
Fermentatus panis, 61
Festinare et properare, 44.
Festus, V. (Sex.) Pompeius Festus.
Ficus Ruminalis, 76.
Fidei templum in Palatio, 77.
Fidicinæ, rasores, 85.
Figulina ars, 84
Figulus cum suis concremàtus, 152.
Flaminica, 9, 85, 98, 155, 161
Flamen, 4, 53, 55, 57, 58, 155.
Fluor aquæ, 81.
Forcti et Sanates, 130, 131, 156.
Formulæ, 41.
Forma a judicibus locandi, 57. — Mancipationis, 73. Cf. 85.
Formulæ, 41.
Fornacalia, 61, 64.
Forum boarium, 52. — Romanum, 125, 153.
Frusino, 41.
Fulgur renovativum, 97.
Fundi, 41.
Funera, 144. — Indictiva, 65, 144.

G

Gabini, 117 (ubi Codex gavini; contra Fribolaria pro Frivolaria, 106.
Galli Senones, 144, 145, 194.
Gallicus tumultus, 162, 165.
Γάμμα, 106.
Γέρας, 20.
Γλαυκῶπις, 23.
Gnobilis (nobilis), 24.
Græca lingua. V. Indicem auctorum, s. v. Lingua.
Græcia (major), 168.
Γραῦς, 184.
Γυναικεῖα (verba), 1.

H

Hannibal, 30, 94.
Hercules aut Sancus, 37.
Herculis sacra, 61.
Histrica navigia, 148.
Histriones, 30, 33.
Homo sacer, 128.
Horatii et Curiatii, 105.
Horrea Sempronia, 100.
Hostiæ, 101, 111, 138, 109, cf. 28, 29, 60, 175, 174.
Hostire, pro æquare, 80, 124.
Hostis (peregrinus), 124.
Hydræ effigies, 100.
Hylæ (ὕλαι), 100.
Hypocoristicos (ὑποκοριστικός), 52.

I

Idea, 154.
Ἰκέλος, 25.
Illico, 106.
Impuber, 34, 47.
Indictiva funera, 144.
Industrius (ab endo et struere?), 121.
Ingenui (patricii), 49.
Interemptus, 33.
Ipsulices, 115.

J

Janus Curiatius, 105.
Janucula, 60. Cf. 134.
Juno Sororia, 105. — Sispes (sispita), 149.
Jupiter Latiaris, 177. — Menzana, 29.

K

Κάμμαρον, 66.
Κέγχρος, 5.
Κιλί, 171.
Κόλον, 111.

L

L pro D, 148.
Lana sucida, 98. — Lana solox, 169.
Laralia, 61
Lares, 40, 47, 85.
Latinæ coloniæ, 49.
Latrones (stipatores), 123.
Leges sacratæ, 128. Cf. 175.
Legi imæ (actiones), 41.
Lex et rogatio, 76.
Lex curiata, 139 — Obsra, 175. — Optima, 179. Cf. 174. — Per saturam, 124. — Scripta, 139.
Liber Pater, 32. Cf. 127.
Liberalia, 127.
Librarii (scribæ), 50, 141.
Libri rituales Etruscorum, 93.
Liburnica navigia, 148.
Λίς, 11.
Literum, 41.
Litteræ apud antiquos nunquam geminatæ, 36, 41, 101, 161, 182. — Litteræ mutæ, 170.
Livius Andronicus, 141.
Locationes censorum, 196.
Locus sacer, 129.
Ludi puerorum, 153. — Ludi Apollinares, 135. — Capitolini, 131. — Equestres, 71. — Funebres, 144. — Megalesia, 135. — Piscatorii, 185 — Sæculares, 134, 158. — Scænici, 135. — Taurii, 158.

M

Macellum, 48.
Mæniana, 168.
Magisterare, 2.
Magisteri, 3.
Magistri pagi, 192. — Vici, 192.
Magnificior, 3.
Maius mensis, 168.
Majestas censoria, 93.
Major consul, 9
Major Græcia, 168.
Major prætor, 9.
Maledictores, 3.
Malevolentum, 118.
Malevoli Mercurii signum, 9.
Malluvium, 9
Malo cruce, 172.
Mamercus, 167.
Mamers, 8.
Mamertini, 7.
Maniliorum familia, 167
Mamphula, 169.
Manalis fons, 5.
Manare (de sole), 7.
Mancipatio, 49.
Mancipatus, 2.
Mane, 10.
Manes di, 5.
Manii, 167.
Manius, 170.
Manuues, 3.
Manutare, 167.
Maniculorum usus, 167.
Manubiæ, 167.
Manus, 171.
Manum et mentum (proverb.), 171.
Manumissio sacrorum causa, 60.
Manumitti, 7.
Mapalia, 171.
Marcipor, 65.
Mars, bellicus deus, 29.
Marspedis, 9.
Martius, 172.
Masculina et feminina vocabula, 1.
Mater (et quæ ab hoc vocabulo derivantur), 10.
Mater Magna (deum), 43, 47, 71. — Matuta, 7, 10. — Stata, 125.
Matronæ a magistratibus non submovebantur, 4.
Matronis aurum redditum, 2.

Digitized by Google

Maximæ dignationis flamen Dialis, 2.
Maximus minorum pontificum, 9. — Prætor, 9.
Me (pro mihi), 9.
Mediastuticus (Oscum voc.), 118.
Mediocriculus, 3.
Μελίνη, 3.
Mensæ in ædibus sacris, 6. — In triviis,
Mente captus, 7.
Μηρία, 122.
Meritavere, 3.
Metaphora, 1.
Metaplasticos (μεταπλαστικῶς), 1.
Μετοχή, 171.
Metelis, 171.
Metonymia, 1.
Mezentius, 75.
Migrare necessa, 7.
Mihipte, 3.
Milium 5.
Mille (singulari er), 2.
Mille urbium poculum, 7.
Minora et majora auspicia, 6.
Minora templa, 5
Minuitur luctus, 4.
Minusculæ quinquatrus, 171.
Μνηστήρ, 57.
Modo quodam, 10.
Mœne, mœnia, 170
Mœson, 168.
Mola, 169.
Molucrum, 169.
Monile, 168.
Monstra, 6, 168.
Morbus comitialis, 11. — Sonticus, 100.
Mortis causa stipulatio, 9.
Mortuæ pecudis corium, 9.
Morum (μόρον), 127.
Mos, 5.
Mosculus, 7.
Muger, 8.
Muli Mariani, 171.
Μύλακρον (?), 169.
Mulleus, 170.
Multa, 170, 186.
Multifacere, 2
Multifariam, 170.
Mulus, 172.
Mundus, 4, 5, 109.
Municare, 2.
Municeps 109.
Municipalia. V. Sacra.
Munitior, 3.
Munus, 6.
Muries, 8.
Murrata potio, 8.
Murrinæ, 171.
Murtiæ deæ. V. Sacellum.
Muscerda, 171.
Muta exta, 6.
Mutæ litteræ, 7 et 170.
Mutini Titini. V. Sacellum.
Mutire, 170.
Mysteria (μυστήρια), 128.

N

Naccæ, 16.
Nænia, 10.
Næniæ deæ. V. Sacellum.
Nænia silva, 18.
Nat. 16.
Nancitor, 16.
Nanus, 26.
Napuras nectito 15, 17.
Nare, 16.
Nares, 16.
Narita, 16
Nassa 17.
Nassiterna, 17.
Natinari, 16.
Natinatio, 15
Natinatores, 15.
Natio, 15
Naucum, 16.
Ναῦς, 124.
Nauscit, 18.
Naustibulum, 17.
Nautea, 14.
Nautia Minerva, 15.
Nauti consulatu (?), 25. Cf. not. ad h. l.
Nautiorum familia, 15.
Navalis corona, 11. — Porta, 27.
Navia, 17.
Navis, 26.
Navita, 18.
Navus, 16.
Νέα νύμφη 20.
Νέατον, 10.
Nebrundines, 11. Cf. 84.
Nebulo, 15.
Nec, 12
Nec mulieri, nec gremio credi (proverb.), 13.
Necerim, 11.
Necessari (sic), 13.
Necessarium, 12.
Necidatus, 12.
Neclegens, 12.
Nectar, 13.
Nectere, 13.
Necunquam, u cumquem, 12.
Nefrendes, 11.
Negibundus, 14.
Negotium, 26.
Negumate, 18.
Νειός, 23.
Nemo, 12.
Nemora, 11.
Νέφρος, 11.
Nemut, 11.
Nepa, 14.
Nep. (nota), 14.
Νέποδες, 14.
Nephasti dies, 14.
Νεφρός, 11, 85.
Nepos, 14.
Nepus, 14.
Nequalia, 12
Nequam aurum, 13.
Nequinates, 26.
Nequinont, 12.
Nequiquam, 12.
Nequitum, 12.
Nervus, 13.
Nesi, 14.
Νῆσος, 10.
Neuiquam, 14.
Nexum, 13
Nexum æs, 13.
Nictare, 25.
Nictere, 25.
Niger lapis, 25.
Ningulus, 25.
Ni quis scivit (centuria), 25.
Nix, 20.
Nixi di (signa), 24.
Noblis, 24
Noctiluca 23.
Noctua, 23.
Noegeus (?), 24.
Νωρίδες, 22
Nomen, 22.
Non, 13.
Non omnibus dormio (proverb.), 21.
Nonæ, 21, 27.
Nonarum postridie, 27.
Noneolæ, 23.
Nonuncium, 22.
Nota, 24.
Nothus (νόθος). 24.
Κόθορνος, 22.
Novæ curiæ, 24.
Novalis ager, 23.
Novendiales. V. Feriæ.
Noverca, 23.
Nova, 23.
Nuces flagitantur nuptiis, etc., 22. — Nuces Cerialibus mitti solitæ, 26.
Νυκτίκορον (sic), 124.
Nuculæ, 22.
Nucupata. V. Nuncupata.
Nudius tertius, 19.
Numa Pompilius Janiculum habitavit, 22.
Numella, 22.
Numen, 22
Numera senatum 20.
Numere et numero, 10.
Numerus, 20.
Numidæ, 22, 26.
Nummi ultramarini, 23.
Nummus 22.
Nuncupata pecunia, 21.
Nundinalis cocus, 21.
Nundinæ, 21.
Nuntius, 22.
Nuper, 22.
Nupta verba, 22.
Nuptiæ, 20.
Nursia, 11.

O

Ob, 27 (pro ad), 180, 181.
Ob vos sacro, 175.
Obherbescere, 175.
Obigitare, 175.
Obinunt, 175.
Objacuisse, 182.
Objurare, 175.
Obmoveto, 181.
Obnectere, 75.
Oboritur, 175.
Obsalutare, 175
Obscus, 174, cf. 180.
Observare, 175
Obsidio et obsidium, 179.
Obsidionalis corona, 176.
Obsidium (pro subsidium), 176.
Obsonitare, 181.
Obstinatus, 176.
Obstitum, 177.
Obstrudere, 176.
Obstrudulentum, 176.
Obvagulatum, 41. cf. 105.
Occare, 29.
Occasio, 18.
Occasus, 18.
Occentare, 29.
Occisitare, 180.
Occisus, 28.
Occultum offerre, 182.
Occupaticius ager, 30.
Ὠκέως, 29.
Ocimus, 30.
Ocius, 29.
Ocris, 29.
Octaviæ porticus, 28.
October equus, 28.
Oculatus, 27.
Oculissimus, 27.
Oculitus, 27.
Ὠκύπτερος (sic), 124.
Olefacio, 27
Offendices, 182.
Ogygia mœnia, 28.
Ὁλκός, 112.
Olivita, 181.
Olvatum, 182.
Ommentans, 175.
Ὄνομα, 22
Opaca, 173.
Opalia, 173.
Operationis. V. Dies.
Opicerda, 111.
Opima spolia 173.
Oppidorum origo, 181.
Opportune, 176.
Ops, 173.
Ops Consiva, 58.
Optata hostia, 173.
Optima lex, 179.
Optio, 179.
Optionatus, 180.
Oræ, 32.
Orare, 179.
Orata, 32.
Oratores, 31.
Orba, 31.
Orbius clivus, 31
Orca, 30.
Orchestra, 30.
Ὄρχις, 30.
Orchitis, 30.
Orcus, 65, 181.
Ordinarius homo, 32. 172
Ordiri, 173.
Ordo sacerdotum, 173.
Oreæ, 32.
Oreos, 32.
Orestiades, 173. Cf. 32
Originum libri (Catonis), 179.
Oriri, 31.
Ornatus, 172.
Ὄρνιν (sic) 124.
Ortygia, 31.
Osci, 180.
Oscillantes, 177.
Oscillum, 177.
Oscines, 177.
O cinum, 178.
Osculana pugna (prov.), 178
Osculum, 179.
Osi sunt, 180.
Ὀσμή, 23.
Ostendere, 180
Ostentare, 181.
Ostentum, 178.
Ostia, 178.
Otiens, 177
Ὀθόνη, 107.
Ὄζος, 180.
Ovibus duabus multati, 181.
Ovis (masculini genere), 96.

P

Pa, 182.
Paceo, 60. Cf. 40.
Pacio, 60.
Παιών, 191.
Palatium, 69, 76, 77.
Palatualis, 53.
Palilia, 71.
Paludati, 61.
Pangere, 186.
Panices, 55.
Papiria tribus, 42.
Parare, 43.
Parasiti Apollinis, 136.
Parilia festa, 54, 46. — Sacra, 61.
Parmulæ, 48.
Parret, 41.
Parsi, 52.
Parum, 48.
Pascales oves, 51.
Patellæ, 58.
Patera, 60.
Pater patrimus 44.
Patres, 53.
Patri li, 35.
Patrimi, 53.
Patrocinia, 41.
Patronus, 63.
Patrum commune cum plebe suffragium, 42
Paveri (de frumento), 60, 61.
Pavimentum, 52.
Pax, 40. Cf. 60.
Pectenatum tectum, 186.
Pectus ulum, 186.


Digitized by Google

Peculatus, 45, 180.
Peculium, 57.
Pecunia, 62.
Pecus, 53, 56.
Pedarius senator, 185.
Pedem struit, 185. Cf. 120.
Pedes, 185.
Pedestria auspicia, 34.
Pedibus obitus, 185.
πέδον, 40.
Pedulla, 40.
Pedum, 57, 181.
Pegasus, 33.
Pelliculatio, 51.
Pelvis, 53.
πέλλα, 171.
Penatis (singulariter), 61.
Penatores, 45.
Penetrale, 60.
Penis, 40.
Penita offa, 52.
Pennæ, 184.
πεντάδιον. 65.
Penus, 59.
Percunctatio, 187.
Percunctari patrisfamiliæ nomen, 52.
Peredra, 187.
Peregrina. V. Sacra.
Peregrinos inter (Prætor). 43.
Peregrinus ager, 53.
Peremere, 187.
Peremptalia fulgura, 53, 187.
Peremptus, 53.
Perfacul, 187.
Perenne (sic), 53.
Perfines, 182.
Perfuga, 187.
Perimere, 58.
Περιφραστικῶς, 149.
Periculatus sum, 51.
Permutare, 186.
Perpes perpetuus, 33.
Perpetrare, 33.
Perpluvere (perpluere), 60.
Persicus, 33.
Persicus portus, 33.
Persillum, 33.
Personata fabula, 33
Persuasit (?), 34.
Pertusum dolium, 51.
Pes, 51.
Pesce (sic), 185.
Pescia, 185.
Pesestas, 185.
Pesnis, 182.
Pestifera fulgura, 53.
Pestifera auspicia, 54.
Pestiferum fulgur, 185.
Petaloton, 185.
Petaurista, 185.
Petiqui, 184
Petila sura, 182.
Petimina, 182.
Petissere, 185.
Petoritum, 185.
Petrarum genera, 185.
Petreia, 51.
Petrones, 185.
Petronia, 60.
Petulantes, 185.
Philargyros, 50.
Piacularia auspicia, 51.
Piacularis. V. Porta.
Piae porticulæ origo incerta, 64.
Piare, 186.
Piatrix, 186.
Picati, 185.
Picta toga, 184.
Pictor Zeuxis, 184.
Picus, 184.
Pietati, 185.
Pierides, 187.
Pigere, 186.
Pilæ, 182.
Pilates, 45.
Pileatis matronæ vectæ, 53.
Pilum, 182.
Pinaria tribus, 42.
Pinarius, 45.
Pipulum, 62.
Piræeus, 68.
Pisatites, 185.
Piscatorii. V. Ludi.
Piscator um æs, 184.
Piscina publica, 185.
Pistus, 185.
Placenta, 55.
Plancus, 50.
Planta, 59, 60.
Plaustrum perculi (proverb.), 39.
Plebei ædiles, 39.
Plebeia Pudicitia. V. Sacellum.
Plebeius magistratus, 39.
Plebi scitum, 42, 15.
Plena sus, 47.
Plentur, 40.
Plexa, 40.
Plorare, 40.
Ploti, 47.
Ploximum, 40.
Plurima, 182.
Plutei, 40.
Pœnas pendere, 51.
Pœni, 50, 57.
Polit, 51, 182.
Polimenta, 43.
πόλις, 171.
Polteo (?), 182.
Polubrum, 53.
Pollucere, 61.
Pomœrium, 59.
Pomonal, 60.
Πομπιλος (sic?), 124.
Pompeius Bithynicus, 72.
Pompeius Festus (S.) de se, 188 Cf. Præf. init.
Pondera publica, 58.
Pone, 57.
Pontificale pomœrium, 59.
Pontificatus, 180.
Pontifices, 2, 9, 161, 173.
Pontina tribus, 42.
Popularia. V. Sacra.
Populi commune cum plebe suffragium, 42.
Populiscitum, 45, 159
Porca, 35, 36, 48, 60.
Porci effigies, 43.
Porcus (fœminine), 95.
Porriciam, 35.
Porta Capena, 91, 155.— Carmentalis, 95, 143 —Collina, 63, 50, 152. — Navalis, 27. — Piacularis, 186. — Querquetulana, 69. — Quirinalis, 65. — Ratumena, 84. — Raduscula na, 83. — Romana, 72. 78. — Salutaris, 135. — Sanqualis, 150. —Scelerata, 145.—Stercoraria, 152.
Portenta, 53, 54.
Portiscnlus, 44.
Portorium, 46.
Portunnus, 51.
Portus, 41.
Possessio, 41.
Possessiones, 49.
Postica linea, 41.
Postliminium, 56.
Postularia fulgura, 53.
Potamus, 48.
Poteus viri femina, 60.
Potestur, 49.
Potitius, 45.
Potitus ho tium (?), servitute, 59.
Præbia, 48.
Præceptare, 182.
Præclamitatores, 57.
Prædonuli, 52.
Prædotiunt, 182.
Præfecturæ, 41.
Præfericulum, 58.
Præmetium, 43.
Præmiosus, 51.
Præpetes, 54, 182.
Prærogativa centuria, 57.
Præsagitio, 63.
Præter, 182.
Præteriti senatores, 56.
Prætexta pulla, 46.
Prætextatus sermo, 53.
Prætor ad portam salutatus, 49.
Prandiculum, 60.
Prandium, 146.
Precem (singulariter), 52.
Presentanea hostia, 60.
Prima aut secunda hora in sponsalibus, 53.
Primanus tribunus, 44.
Primigenius, 46.
Prisci Latinæ coloniæ, 49.
Pristinus, 62.
Privatæ feriæ, 52.
Privato sumptu ædiles Rom. se alebant, 43.
Priveræ mulieres, 62
Privernum, 41.
Privicloes (?), 182.
Privilegium, 49.
Pro, 58.
Pro censu, 56.
Pro scapulis, 44.
Proædificatum, 52.
Probrum, 37. Cf. 49.
Procare, 57. Cf. 84.
Procedere, 51.
Procilli sive præcilli, 5.
Procincta classis, 58.
Procubitores, 61.
Proculato, 58.
Proculiunt, 61.
Procus, 57.
Prodegeris, 37.
Prodicit, 37.
Prodit memoriæ, 37.
Prodicere, 62.
Prodidisse, 52.
Prodigia, 37.
Prodigiatores, 37.
Prodiguæ (sic) hostiæ, 60.
Prodinunt, 37.
Produit, 37.
Profanum, 61.
Profesti dies, 58.
Profestum facere, 61.
Profundum, 58.
Profusus, 58.
Progener, 58.
Prohibere, 44.
Projecta. V. Sacra.
Prolato ære (clypeo), 52.
Promellere, 62.
Promerueral, 182
Promorion, 182.
Promptum, 59.
Pronuba, 52.
Propatulum, 37.
Properam, 61.
Properare et festinare, 44.
Properus, 37.
Prophetæ, 37.
Propilia, 43.
Propriassit, 57.
Proprius, 40.
Propter, 37.
Protervia auguria, 54.
Propudianus, 43.
Propudium, 58.
Prorsi limites, 43.
Prorsus, 44.
πρόσω, 44.
Prospera, 45.
Prospices, 182.
Prosimurium (?), 58.
Pro...sta (?), 61.
Protelare, 43.
Provorsum, 37.
Prox, 61.
Pube præsente, 62.
Pubes, 34, 60.
Publica. V. Sacra.
Publici augures, 55.
Publicus ager, 62.
Publicius clivus, 48.
Pudicitiæ signum, 52.
Puelli, 57.
Pueri, 60.
Pueri impuberis signum æreum, 47.
Pugio, 43.
Pugnus, 57.
Pullia saxa, 60.
Pulcher bos, 48.
Pullaria, 51.
Pullus Jovis, 53.
Puls, 53. — Fabata, 85.
Punctatoriola (pugna), 52.
Punica fortuna. V. Ædes.
Punici, 50.
Punicum, 37, 58.
Pupinia tribus, 42.
Pura vestimenta, 58.
Pure lautum, 58.
Purimenstrio, 61.
Purime tetinero. 62.
Puteoli, 55, 41.
Puteus, 34.
Putitius, 34.
Putus, 34.

Q

Quadrantal, 65.
Quadrata Roma, 68.
Quadrurbs, 68.
Quæso, 63.
Quæstores, 67.
Quærere nodum in scirpo (proverb.), 140.
Quam mox, 69.
Quande, 67.
Quando, 67.
Quando stercus, etc., 67.
Quartarius, 68.
Quatenus, 68.
Quatere, 69.
Quaxare, 68.
Querquera febris, 66.
Querquetulanæ viræ, 69.
Ques, 69.
Quianam, 65.
Quid hoc, 65.
Quid nisi, 65.
Quid patres, 64.
Quietalus, 65.
Quincentum, 64.
Quinquatrus, 64. Cf. 171.
Quinque, 70.
Quinquennales censores, 70.
Quinquertium, 65.
Quintana classis, 66.
Quintiliani, 66.
Quintipor, 65.
Quippe, 65.
Quirina tribus, 64.
Quirinalia, 64.
Quirinalis collis, 64. — Porta. V. Porta.
Quirites, 65.
Quiritium fossæ, 64.
Quispiam, 64.
Quisquiliæ, 65.

Digitized by Google

Quod, 70.
Quoniam, 70.
Quot servi, tot hostes (proverb.), 69.

R

Rabidus, 82.
Rabula, 82.
Radere, 82.
Rapi (de face, de virgine), 97.
Rasores, 83.
Rates, 82.
Ratissima, 96.
Ratitus quadrans, 83.
Ratumena. V. Porta.
Ratus sum, 83, 84.
Rava vox, 91.
Raucus, 98.
Ravilliæ, 84.
Ravis, 83, 91.
Reapse, 88.
Reate, 41.
Recellere, 84.
Receptitius servus, 92.
Receptus mos, 97.
Recinium, 84.
Reciperatio, 84.
Recipie, 96.
Reciprocare, 84.
Reconducte, 83.
Rectæ, 83.
Recto fronte, 96.
Redantruare, 80.
Redarguesse, 81
Redemptitare, 98.
Redemptores, 80.
Redhibitum, 80.
Redhostire, 80. Cf. hostire.
Rediculi, 91.
Redimiculum, 81.
Rediuit, 95.
Redivium, 80.
Redivivus, 81.
Referre diem, 97.
Refert, 92.
Refrigere, 83.
Refriva faba, 85.
Refutare, 86.
Regalia exta, 97.
Regia, 87.
Regiæ feriæ, 87.
Regifugium, 87.
Regillæ, 96.
Regimen, 88.
Regius, 95.
Regiescit, 87.
Relegati, 88.
Religioni est egredi porta Carmentali, 93.
Religionis, præcipuæ habetur censoria majestas, 93
Religiosæ censuræ, 94.
Religiosi, 97.
Religiosus, 88, 97.
Reluere, 89.
Remanant, 91.
Remancipata, 85.
Remeare, 85.
Remeligines, 85.
Remillum, 86.
Remisso exercitu, augur discedere jubetur, 98.
Remora, 86.
Remorbescere, 86.
Remores, 86.
Remulco, 86, 87.
Remurinus ager, 85.
Renancisci, 86.
Renovativum fulgur, 97.
Reor, 86.
Repagula, 89.
Repanda flumina, 81.
Repastinari, 89.
Repedare, 89.
Repertum, 90.
Repotia, 89.
Repudium, 89.
Repulsior, 96.
Reque apse, 96.
Res comperendinata, 91.
Resecrare, 90
Reserari, 91.
Reses et residuus, 90.
Resignare, 89.
Resignatum æs, 95.
Respersum vinum, 71.
Respicere, 97.
Respici, 98.
Respublicæ, 96.
Restat, pro distat, 92, 93.
Restibilis, 90.
Resultare, 90.
Retiario pugnanti cantatur, 93.
Retractare, 82.
Retrices, 92.
Retæ, 81.
Rete, 93.
Reus, 81, 98. — Promittendo, 81. — Stipulando, 81.
Rhegium, 79.
Ῥῆξαι, 80.
Rhinoceros, 80.
Rhodii, 29.
Rica, 28.
Ricæ et riculæ, 85.
Rictus, 99.
Rideo, inquit Galba canterio (proverb.), 92.
Ridiculus, 92.
Rienes, 85.
Rigido suro, 87, 95.
Rimari, 86.
Rite, 82.
Rituales libri, 93.
Ritus, 82, 97.
Rivus, 81.
Rodus, 73.
Rodusculana. V. Porta.
Rogate, 92.
Rogatio, 76.
Roma, 76. — Quadrata, 68.
Romæ nomen, 78.
Romana. V. Porta.
Romulia tribus, 79.
Romulus, 76.
Roscii, 98.
Rosea, 91.
Rubidus panis, 71.
Ructare, 71.
Rudentes, 73.
Rudiarii, 73.
Rufuli, 70.
Rumare, 79.
Rumen, 79.
Rumentum, 79.
Rumex, 79.
Ruminalis ficus, 79.
Rumitare, 79.
Runa, 83.
Rupices, 183.
Rupitiæ, 73.
Ruri esse, 93.
Rursus, 90.
Ruscus, 72.
Ruspari, 73.
Rustica vinalia, 73, 98.
Rustum, 73.
Rustabulum, 72.
Ruta cæsa, 72.
Rutilæ canes, 93.
Rutilius, 72.
Rutrum tenens juvenis, 72.
Rutunda ædes Vestæ, 72.

S

S, pro aspiratione Græcorum, 100, 102, 155.
Sabini, 150.
Sabini quod volunt somniant (proverb.), 134.
Sacella, 125, 142.
Sacellum Carmentæ, 113. — Murciæ, 151, 172. — Mutini Titini, 4. — Nemæ deæ, 10. — Plebeiæ Pudicitiæ, 45. — Streniæ, 101.
Saccomorum (sycomorum), 126.
Sacer mons, 128.
Sacra. V. Via.
Sacra ad arbores fulguritas, 103. — Familiæ purgandæ, 35, 60. — Fornacalia, 126. — Gentis Claudiæ, 48, Cf. 150. — Herculis, 61. — Idulia. 100. — Pro malis avertendis, 138. — Mercurii, 106. Cf. 61. — Municipalia, 5. — Necessaria, 155. — Novendialia, 71. — Parilia, 61 — Penetralia, 60. — Peregrina, 45. — Pontificalia, 96. — Popularia, 61. — Privata, 129. — Projecta, 54. — Propria, 52. — Publica, 53, 85, 155. — Propter viam, 134, Cf. 54. — Quirinalia, 64 — Saturni, 153, 150. — Seclusa. 128. — Semonæ deæ, 118. — Solemnia, 152. — Stata, 152.
Sacrem porcum, 127.
Sacriticulus, 127.
Sacrima, 127.
Sacrosanctum, 128.
Sacrum (a sancto et religioso differt), 88, 97, 128.
Sæculares ludi, 138.
Saga, 130.
Sagax, 129.
Sagmen, 129.
Sal, 152, 168.
Salacia, 135.
Salaria. V. Via.
Saliæ virgines, 137
Salii, 136.
Salina, 152.
Salinum, 137.
Salmacis, 137.
Saltus, 112.
Salutaris. V. Porta.
Salva res est dum cantat senex (proverb.), 135.
Sambuca, 134.
Samnitium nomen, 135.
Sanates, 130, 154.
Sanctum, 88, 126.
Sancus, 49, 126.
Sanderaca, 134.
Sane sarteque, 52.
Sanqualis. V. Porta
Saperda, 134.
Sarcito, 132.
Sartare, 131.
Sardi venales, alius alio nequior (proverb.), 131.
Sardanapalus, 132.
Sargus, 132.
Sarissa, 128.
Sarpere, 131, 156.
Sarra, 131.
Sarte, 131.
Sas, 133
Saticula, 147.
Satis, 157.
Satur, 104.
Satura, 124.
Saturnia (regio), 132.
Saturnia (urbs), 41.
Saturnii versus, 135.
Saturni. V. Sacra.
Σπονδή, 135.
Saxum Tarpeium, 150.
Scævus, 128, Cf. 130.
Scæva, 133.
Scandulaca, 139.
Σκάπτειν, 139.
Scaptensula, 139.
Scaptia tribus, 158.
Scapulæ, 44.
Scelerata. V. Porta.
Sceleratus campus, 112.
Sceleratus vicus, 112.
Scena. V. Scæna.
Sceusa, 146.
Schedia.
Schœniculæ, 138.
Schola, 153.
Σκαιός, 11.
Scirpus, 140.
Σκορπίζειν, 104
Scita facies, 130.
Scitum Plebei, 101, 139. — Populi, 43, 139.
Scorta, 139.
Scorteum. 142.
Scraptæ, 141.
Scribæ, et librarii et poetæ, 141.
Scribonianum, 142.
Scrilitus (sic) labiis, 156.
Scripturarius ager, 141.
Scrupi. 142.
Scrutilus, 142.
Scurra, 101.
Scutilum, 138, Cf. 142.
Σκύτος, 150.
Secespita, 155.
Secius, 155.
Secordia. 101.
Secus, 105.
— pro sexu, 144.
Seclusa. V. Sacra.
Sedum, 149.
Seges, 148.
Segesta, 143.
Segnitia, 146.
Seliquastra, 148.
Sellæ, 131.
Semis, 102.
Semonia dea, 118
Sempronia horrea, 100.
Senacula, 153.
Senatores, 115.
Senatus decretum, 115.
Senis crinibus nubentes ornantur, 145.
Senium, 145.
Senones Galli, 148.
Sentes, sentinare, 145.
Seplasia, 147.
Septimatrus, 63.
Septentriones, 146.
Septimontium, 147, 150.
Sepulchrum, 146.
Sepultum, 147.
Sequamque, 156.
Sequester, 146.
Serilla, 148.
Serra præliari, 152.
Serius, 149.
Sero sapiunt Phryges (proverb.), 149.
Serpsit, 155, Cf. 157.
Serpula, 153, 157.
Sertor, 148.
Servilius lacus, 100.
Servorum dies festus 149.
Secespita, 153.
Sospita, 99.
Sesterti nota, 151.
Sestertius, 144.
Sestius (P.) Capitolinus, 45.
Sex Vestæ sacerdotes, 152.
Sex suffragia, 144.
Sexagenarii de ponte dejecti, 143.
Sexatrus, 63.
Sextantarii asses, 153.
Sexus, 144.
Sifus, 147.
Signa, 116.

Digitized by Google

Signare, 117.
Silatum, 154.
Silentium, 155, 157.
Silicernium, 105.
Silvii, 148.
Silus, 148.
Simpludiarea funera, 144.
Sine sacris hereditas (proverb.), 99.
Sinistræ aves, 145.
Sinistrum auspicium, 157.
Sipare, 119.
Siparium, 147.
Σίφων, 147.
Sirempse, 151.
Sispes Juno, 119.
Sistere fana, 157.
Σκίρος (?), 107.
Σκίπος, 152.
Sobrinus, 105.
Sobrius. V. Vicus.
Sodalis, 106.
Sodes, 106.
Solari, 103.
Solatum (morbus), 109.
Solea, 109.
Solemnia. V. Sacra.
Solia, 108.
Solipunga, 100.
Solida sella, 154.
Solino, 157.
Solitaurilia, 101.
Sollers, 108.
Sollicitare, 157.
Sollicuria, 108.
Solliferreum, 108.
Sollistimum, 108.
Sollox, 109.
Sollum, 101, 108.
Solonius ager, 60.
Solum, 109.
Sonivium, 101, 105.
Sons, 100, 108.
Sontica, 151.
Sonticus morbus, 100.
Soracum, 106.
Sororiant mammæ, 105.
Sororium tigillum, 105.
Sors, 106.
Sortus, 106.
Sos, 109.
Sospes, 110, Cf. 149.
Σώζειν, 149.
Spara, 139.
Spatiator, 151.
Species, 154.
Spectio, 141.
Spectu, 140.
Specus (feminino genere), 149.
Speres, 141.
Spetile, 140.
Spicere, 141, 151.
Spicus (masculine), 141.
Σπινθαρίς, 141.
Spinther, 142.
Spintyrnix, 140.
Spira, 140.
Spirillum, 140.
Σπονδή, 137.
Spondere, 137, 149.
Sporeum, 156.
Squalidum, 138.
Squarrosus, 138.
St. in verbis priscis, 122, 123.
Stalagmium, 123.
Stata sacrificia. V. Sacra.
Statuliber, 124.
Statua ludionis, 10) Mercurii, 9. — Pueri impuberis, 47. — Statuæ incisæ, 72.
Status. V. Dies.
Στατήρ, 124.
Στέφω, 126.
Stella, 175.
Stellio, 122.
Stellatina tribus, 150.
Stercus, 152.
Sterilis, 126.
Stipatores, 123, 157.
Stipes (masculino genere), 105, 122, 123.
Stricidium, 151.
Stirps, 141, (masculine), 122, 119.
Stlata, 122.
Stlembus, 122.
Stolidus, 125.
Strebula, 122.
Strena, 121.
Striges, 123.
Strigores, 125.
Στρεπτοπόλιον (sic), 124.
Strittavus (sic ?) 123.
Στρόφιον, 121.
Στρόφος, 195.
Stropus, 121.
Struere, 120, Cf. 185.
Strues, 120.
Struices, 120.
Struferctarii, 103.
Struppi, 134.
Strutheum, 121.
Stultorum feriæ, 126, Cf. 64.
Stuppa, 125.
Stupre, 125.
Stuprum, 125.
Stura, 125.
Suadled (sic ?), 157.
Suasum, 112.
Sub corona venire, 116.
Sub vineas, 119. — Virga, 113. — Vitis, 118. — Vos, 117.
Subacti, 118.
Subcenturiare, 116.
Subditus, 150.
Suberies, 105.
Subices, 115.
Sub gere arietem, 154, 157.
Subiectus, 105.
Sublicius pons, 102.
Sublimare, 118.
Sublime, 116.
Sublucare, 136.
Suboles, 117.
Subrumari, 116.
Subrumii (hœdi), 79.
Subscudes, 115.
Subsidium, 115.
Subsilles, 115.
Subsolaneæ res, 115.
Substillum, 113.
Subucula, 117, 119.
Subulo, 117.
Subura, 117.
Suburana tribus, 111.
Suburanenses, 28.
Subverbusta, 117.
Succenturiare, 116.
Succerdæ, 111.
Succidanea, 111.
Succingulum, 111.
Succrotilla, 110.
Succusani, 111, 117.
Sucula, 110.
Sudum, 105.
Suessula, 41.
Sufes, 118.
Suffibulum, 153.
Suffiscus, 117.
Suffragia, 144.
Suffragatores, 154.
Suffuerat, 155.
Sugillatum, 111.
Suillum genus, 120.
Sulci, 112.
Sultis, 109, 149.
Sum, 118.
Summanalia, 156.
Summanus, 57.
Summissior ædes Honoris et Virtutis, 153.
Summussi, 107.
Συμβόλαιον, 162.
Sunium, 68.
Suopte, 110.
Supellectilis, 104.
Supercilium, 113, 114.
Superescit, 112.
Superstites, 113.
Supervacaneum, 102.
Supervaganea avis, 114.
Supparum, 117.
Supparus, 119.
Suppernati, 114.
Supplicium, 118.
Supra, 119.
Supremum, 114.
Suppus, 100.
Surregit, 106.
Suri, Surculi, 96, 106.
Surius (?), 107.
Surum, 106.
Sus, 120.
Sus Minervam (proverb.), 120.
Suspectus, 119.
Sutelæ, 119.
Sutrium, 119.
Sycon (σῦκον), 127.
Sycophantæ, 111.
Syrula (Σύριγξ), 125.
Σύρμα (sic), 124.

T

Tabellæ, 188.
Tabes, 187.
Tabernacula, 164.
Tabernarium, 159.
Taliiinum, 164.
Tædulus, 189.
Tænia, 189.
Tagax, 188.
Tages, 188.
Tagit, 164.
Τάλαρος, 158.
Talassio, 158.
Talassius, 158.
Talentum, 188.
Talio, 190.
Talipedare, 188.
Talus, 188.
Tam, 189.
Taminare, 191.
Taminia, 188.
Tamne, 188.
Tam perit, quam extrema faba (proverb.), 190.
Tandem, 189.
Tania, 189.
Tappete, 158.
Tappula. V. Lex in ind. 1.
Tarpeiæ effigies, 188.
Tarquitiæ scalæ, 190.
Tatius occisus, 189.
Ταῦρος, 159.
Tauræ, 159.
Taurii. V. Ludi.
Tauri verbenæque, 189.
Taurorum specie fluminum simulacra, 190.
Taxat, 164.
Taxatio, 164.
Taxatores, 164.
Tela, 192.
Τῆλε, 43.
Τηλόθεν, 192.
Τέλους, 23.
Temetum, 191.
Templum, 163.
Tentipellium, 161.
Τεός, 14.
Terentum, 158.
Teres, 191.
Teretinatibus, 191.
Teraio, 190.
Tersus dies, 191.
Tesca, 163.
Testa, 56.
Thaliæ nomen, 188.
Thebæ, 28, 35.
Θηλυκά (verba), 2.
Thomices, 163.
Thurreni, 161.
Thymbræus Apollo, 164.
Θυόσκοοι, 162.
Tibicines, 160, 171.
Tigillum Sororium, 192.
Tignum, 192.
Tintinnare, 191.
Todi et todilli, 159.
Togatarum duplex genus, 159.
Tolerare, 164.
Toles, 164.
Tolleno, 164.
Tongere, 163.
Tonsa, 163.
Tonsilla, 163, Cf. 164.
Topper, 160.
Torreus, 160.
Torreri, 161.
Torvitas, 161.
Torus, 161.
Toxicum, 162.
Transfuga, 187.
Tribunicia rogatio, 158, 159.
Tribus, 12, 61, 79, 111, 117, 150, 177.
Tributorum conlatio, 191.
Triens tertius, 190.
Triones, 146.
Tripudium, 191.
Τρωικός, 192.
Tuindu-tria, 159.
Tubi, 159.
Tuditantes, 159.
Tudites, 169.
Tueor, 162.
Tuguria, 162.
Tullianum, 164.
Tullii, 159.
Tullus Hostilius, 26.
Tumultuarii milites, 162
Tumulus, 1 2.
Tunica palmata, 184.
Tuor, 163.
Turbelæ, 161.
Turma, 161.
Tusci, 162.
Tusculum, 191.
Tuscus. V. Vicus.
Tutulus, 161.
Tyria maria, 161.

U

Ὕδωρ, 111.
Ὗς, 111.
Ὕλη, 102.
Unciaria. V. Lex in ind. auctorum.
Ungulus, 195.
Ὕπνος, 113.
Urvat, 195.

V

Vacerra, 194.
Vagor, 193.
Vagulatio, 193, Cf. 41.
Valgus, 195.
Valvoli, 193.
Vapula Papiria (prov.), 194.
Vasium, 193.
Ve (sic) victis, 194.
Vecors, 194.
Vectigal, 193.
Vegrande, 194.
Vediovi. V. Feriæ.

Digitized by Google

Vehere, p. 293, h. ed.
Velites, 61.
Venafrum, 41.
Ventare, 196.
Ver sacrum, 8, 129, 135.
Vergiliæ, 193.
Vermina, 195.
Verruæ, 193.
Verticulæ, 193.
Veruta pila, 193.
Vesperuæ, 145.
Via Appia, 101. — Ardeatina, 92. — Asinaria, 92. — Flaminia, 101. — Latina, 52, 92, 101. — Nova, 101. — Ostiensis, 60. — Sacra, 100, Cf. 28. — Salaria, 135.
Viæ publicæ, privatæ, 163.
Viatores, 193.
Vicltima, 193.
Vici magistri, 192.
Vicus Jugarius, 100. — Longus, 45. — Patricius, 137. — Sceleratus, 112. — Sobrius, 106. — Tuscus, 147, 162.
Viere, 195.
Viget, 192.
Viginti quinque pœnæ, 195.
Viminalis, et porta et collis, 196.
Vindex, 196.
Vindiciæ, 196.
Vineæ, 194.
Viræ, 69.
Viragines, 69.
Vitiare, vitium facere, 44.
Vividus, 196.
Voisgra avis, 195.
Volaticæ, 124.
Vulturnus, 41.

X

ξένος, 116.

# INDEX RERUM.

## IN * HISTORIAM ECCLESIASTICAM BEDÆ.

*Numeri romani librum, arabici caput vel paginam Historiæ ecclesiasticæ designant.*

A

Aaron et Julius martyres, I, 7.
Acca, cum Uilfrido Romam vadit, narrat miracula S. Osualdi, III, 13, IV, 14, et Uilfridi visionem, V, 19. In episcopatu Hagustald. Uilfrido succedit. Ejus laudes, gesta, educatio, V, 20. Episcopus fuit Hagustald. cum Beda Historiam clauderet, V, 23. Casula ejus, 357. Ejus reliquiæ et de sudario et casula ejusdem, 358.
Acha, soror Aeduini, mater Osualdi regis, III, 6.
Adamnanus abbas, legatus ad Aldfridum catholicum Pascha suscipit, et plurimos Scottorum ab errore corrigit, scribit ab Arculfo librum de Locis Sanctis, eum Alchfrido porrigit, obit, V, 15 et 21.
Adamnanus monachus, ejus pœnitentia, visio de incendio monasterii Coludani, IV, 25.
Adbarum. V. Barum.
Ad Candidam Casam. V. Candida Casa.
Ad Capræ Caput. V. Capræ Caput.
Adda frater Uttæ, unus e quatuor presbyteris ad mediterraneos Anglos convertendos missis, III, 21.
Addi comes, cujus puerum Joannes episcopus orando a morte revocavit, V, 5.
Adgefrin. V. Gefrin.
Adlapidem, locus in prov. Jut., ubi fratres regis Arvaldi sunt martyrio coronati, IV, 16.
Ad murum, vicus regis Osuiu, quo Peada et Sigberct cum suis baptizati, III, 21 et 22.
Aduisfyrdi juxta fl. Alnæ. Syn. ibid. sub Theodoro qua Cudberct elect. episc., IV, 28.
Adulvald. V. Eadbald.
Aebba amita regis Ecgfridi, abbatissa monasterii in Coludi urbe, IV, 19. Ejus devotio super incendio monasterii, obitus, IV, 25.
Aebercurnig monasterium, ejus situs, I, 12. Trumuini episcopi ab eo recessus, IV, 26.
Aecci unus ex episcopis Orientalium Anglor. pro Bisi substitutis, IV, 5.
Aedan rex Scottor. ab Aedilfrido prælio victus, I, 34.
Aedanus episc. tres dentes ejus, 358. Crux, 358, caput 360.
Aedanus episcopus ad Anglos venit, ejus indoles, opinio de Paschate; sedem in insula Lindisfarnensi recipit, III, 3. Ejus vita, eleemosynæ, devotio, humilitas, occasio missionis, III, 5. Equum a rege Oswino datum pauperi donat, regis mortem præsagit, ipse moritur, III, 14. Tria ejus miracula, III, 15, 16, 17. Sepultura, conversatio, judicium de Paschate, III, 17. Patienter toleratum, 25. Quot annis episcopatum tenuit, III, 26. Hildam a Cale revocat, Heiu consecrat, IV, 23. Qualem vitam inter monachos instituit, IV, 27. Pars ossium ejus a Colmanno in Scotiam revecta, III, 26.
Aeddi Stephanus cantandi magister, IV, 2.
Aedgils presbyter a quo Beda historiam incendii Coludani habuit, IV, 25.
Aedilbald rex Merciorum cui omnes provinciæ australes ad Humbram subditæ, V, 23. Ejus charta, 590.
Aedilbaldi, seu Eadbaldi regis charta de Northbourne, 580.
Aedilberct rex Cantiæ, quomodo Augustinum et socios recipit, I, 25. Ejus zelum per litteras pont. Rom. Gregorius I excitat, eique dona mittit, I, 32. Ecclesiam Petri et Pauli Doruberniæ construit et donis ditat, in qua episcoporum et regum corpora poni possint, I, 33. Omnibus Anglorum gentibus ad terminum Humbræ fluminis imperat. Ecclesiam S. Pauli Londoniæ, ecclesiam S. Andreæ Rhofcestriæ facit. Utrique ecclesiæ, sicut et Doruberniensi, possessiones adjicit, II, 3. Epistolas a pont. Rom. Bonifacio recipit, II, 4. Ejus obitus, imperium, leges, stemma, sepultura. Status fidei Christianæ post ejus mortem, II, 5.
Aedilberct filius et hæres Uictred, regis Cantiæ, V, 23.
Aedilberg filia naturalis Annæ regis Orient. Angl. monasterii Brigensis abbatissa. Ejus corpus incorruptum in ecclesiam S. Stephani ibidem translatum, III, 8.
Aedilberge, alias Tate, filia regis Aedilbercti, Aeduino nupta, fidem Christianam regno Nordanhymbror. infert, II, 9. Litteras a pont. Rom. Bonifacio et dona recipit, II, 11. Occiso Aeduino Cantiam redit, II, 20.
Aedilberge, monasterii in Bereciugum a fratre Earconualdo episcopo constructi abbatissa, IV, 6. Ejus sanctitas, miracula in morte, post mortem, IV, 9.
Aedilfrid, rex Nordanhymb. Ejus Gesta. Aedan regem Scottor. prælio vincit, I, 34. Brittones, eorumque monachos ad Legionum urbem sternit, II, 2. Aeduinum vi et insidiis persequitur. A Raedualdo in causa Aeduini occiditur, II, 12. E provincia Berniciorum originem duxit, III, 1.
Aedilheri, frater Annæ regis, interemptus, III, 24.
Aedilhild abbatissa pulvere quo S. Osualdi ossa lota sunt dæmoniacum sanat, III, 11.
Aedilhun, filius regis Aeduini de Aedilberga uxore, baptizatus, et Eboraci sepultus, II, 14.
Aedilhun, frater Aediluini. Ejus visio de sodale Ecgbercto. Mors, III, 27.
Aedilred, rex Mercior., maritus Osthrydæ. Devotio in S. Osualdum, III, 11. Cantiam vastat, provinciam Lindissi recipit, IV, 12. Illo regnante synodus Hæthfeld, IV, 17. Prælium cum Ecgfrido et fœdus, IV, 21. Tandem abbas Uilfrido successorem regem Coenredum conciliat, V, 19.
Aedilthryd, filia regis Aeduini de Aedilberga uxore. Baptizata et Eboraci sepulta, II, 14.
Aedilthryde, regina filia Annæ, regis Orient. Angl., IV, 3. Ejus vita, mors, incorruptio, etc., 31, 37; IV, 19. Hymnus de illa, IV, 20.
Aediluualch, rex Merciorum baptizatus donat Uilfrido Selaeseu, IV, 13.
Aediluald, rex Orient. Angl. frater Annæ Suidhelmum de fonte sancto suscipit, III, 22.
Aediluald, episc. Lindisf., V, 13.
Aediluini, episcopus in provincia Lindissi, III, 11; IV, 12. In Hibernia instructus, III, 27.
Aediluini, præfectus regis Osuiu Osuinum interficit, III, 14.
Aeduin, rex Nordanhymbr., ortus e provincia Derorum, II, 1. Eorum qui imperium majus in Brittania tenuerunt Quintus, II, 5, 9. A Sicario vulneratur. Regem Occident. Sax. vincit, II, 9. Litteras et dona a pont. Rom. Bonifacio recipit, II, 10. Aedilfrido persequente, per visionem de adipiscendo regno ad credendum provocatus, II, 12. A Reduualdo adjutus rex efficitur. Quibus consiliis fidem amplectitur, II, 13. Baptizatus Eboraci, ecclesiam S. Petri ibidem inchoat, sed occisus est, II, 14. Earpualdo suadet idola relinquere, II, 15. Paulino baptizanti adest juxta Tiouulfingacaester, II, 16. Pax, felicitas et excellentia regni ejus, II, 16. Litteras exhortatorias a pont. Rom. Honorio, cum decreto de jure metropolitico inter Doruvernum et Eboracum recipit, II, 17. Occisus est, II, 20. Ejus caput Eboraci sepultum, *ibid*. Corpus apud Streaneshalc., III, 24. Ejus vasa, crux et calix a Paulino in Cantiam feruntur, II, 20.
Aegyptiorum mos de Pascha, III, 25.
Aelfleda alias Aedilfled, filia regis Osuiu, victo Peada, Deo dicata, III, 24. Intrat monasterium de Herutan, fit abbatissa de Streaneshalch, III, 24; IV, 26.
Aelfuini, frater regis Ecgfridi, occisus, IV, 21.
Aella, rex provinciæ Derorum, ad cujus Nomen pont. Rom. Gregorius I alludit, II, 1.
Aelli, primus imperium Anglorum ad Austrum Humbræ tenuit, II, 5.

* Recusa est initio hujusce voluminis.

Digitized by Google

Aeodbaldus. *V*. Eadbald.
Aesica, puer in monasterio in Berecingum moriens virginem morituram invocat, iv, 8.
Aethelredi ducis Merciorum charta, 376.
Aetherius, episcopus ad quem pont. Rom. Gregorius scripsit de Augustino benigne suscipiendo, i, 24. Ab eo Augustinus ordinatus, i, 27.
Aethilredi regis Merc. charta, 370.
Aetius, consul ad quem Brittones gemitus mittunt, i, 13. A Valentiniano imperatore occisus, i, 21.
Aetla, episcopus Dorciccæstræ, e monasterio de Streaneshalch, iv, 23.
Agatha, iv, 20.
Agatho, pont. Rom. Biscopum et Ceolfridum Romæ suscipit; Johannem Cantatorem cum eis ad exquirendam Brittanorum fidem mittit, iv, 18. Synodum contra Monothelitas Romæ tenet, qua Uilfridum absolvit, v, 20.
Agatho, Agilbercti presbyter, iii, 25.
Agilberctus, Gallus, de Hibernia veniens, fit episcopus Occident. Sax., qua occasione in Galliam redit; Parisiacæ civitatis fit episcopus; a rege Occident. Sax. revocatus, alium pro se mittit, iii, 7. Alcfridum in provincia Nordanhymb. invisit; synodo Streanaeshalch de Pascha interest; Uilfridum presbyterum a se factum ad colloquium substituit, iii, 25. Domum redit, iii, 26. Uilfridum consecrat, iii, 28. Theodorum suscipit, iv, 1. *Vid*. Iterum de eodem, v, 19.
Agnes, iv, 20.
Agricola, Severiani episc. filius, hæresin Pelagii in Brittaniam intulit, i, 17.
Aidanus. *V*. Aedan.
Alani, per Gallias sæviunt, i, 11.
Alaricus, rex Gothorum, in imperium Romanum irrumpit, i, 11.
Albani martyrii tempus, 297. Hic non ante nonum decimum Diocletiani annum martyrio coronatur, *ibid*. Sub Constantio patre Constantini, 298.
Albanus. Conversionis et martyrii ejus historia, i, 7. In ejus sepulcrum reliquiæ quædam aliorum sanctorum a Germano et Lupo impositæ, et massa pulveris sepulcralis ablata, i, 18.
Albinus, abbas, a Theodoro archiepisc. et Hadriano abbate institutus; auctor Bedæ de Gestis in Cantuariorum provincia, *præf*. II. Hadriani successor. Ejus in scripturis et linguis peritia, v, 21.
Alchfrid, filius regis Osuiu, iv, 16. Patrem impugnat, iii, 14. Peadæ regi Merciorum receptionem fidei suadet, iii, 21. Patrem contra Pendan comitatur, iii, 24. Ejus de Pascha judicium, iii, 25. Scottis primum, postea Uilfrido monasterium in Rhypum donat, iii, 25; v, 20. Uilfridum in Galliam ordinandum mittit, iii, 28; v, 19. Anglorum regnum recuperat, iv, 26. Drithelmum visionem suam narrantem audit, v, 13. Librum Arculfi de Locis sanctis ab Adamnano porrectum recipit, v, 16. Defunctus est, v, 19.
Alcluith, civitas Brittonum. Ejus situs, i, 1, 12.
Aldberct, unus e duobus episc. Orient. Angl. cum Beda Historiam suam finiret, v, 24.
Aldfrid, post Egfridum rex Nordanhymbr., v, 1. Defunctus, v, 19.
Aldhelm, abbas monasterii ad Maildufi urbem. Episcop. Occident. Sax. scripsit lib. de Paschate et de Virginitate. Ejus laudes, v, 19.
Aldredi subreguli Huicciorum charta, 371.
Alduini, episc. Liccitfelth, consecrationi Tatuini archiepisc. interest, v, 23.
Alduinus frater Aediluini, abb. monasterii de Peartaneu, iii, 11.
Alduulf, rex Orient. Angl., ii, 15. Illo regnante synodus Hethfeld, iv, 17.
Alduulf post Tobiam episcopus Rhofi. Interest consecrationi Tatuini archiepisc. Cant., v, 23.
Alectus. Brittaniam insulam tenet, i, 6.
Alexandri I, regis Scot., chartæ, 367.
Alhwini episcopi Huicciorum charta, 374.
Alne, fl. juxta quem ad Tuifyrdi, iv, 28.
Alric, frater et hæres Uictredi regis Cant., v, 23.
Ambrosius Aurelianus dux Brittonum, i, 16.
Amfleat, sinus maris in quo Petrus primus Doruverniæ abbas demersus, i, 33.
Amphibali mart. pulvis, 357.
Anatolius, cujus scripta de tempore Paschæ Scotti et Picti secuti sunt, iii, 3, 25.
Andhun, dux regis Austr. Sax. Caeduallam provincia expulit, iv, 15.
Andilegum, monasterium Galliarum, in quod virgines Anglorum missæ, iii, 8.
Andreas, apostolus; secretarium ejus in civitate Hrofi, iii, 14.
Andreas monachus Italus in archiepiscopatum Doruvern. Ab Hadriano pont. Rom. abb. oblatus, iv, 1.
Androgius dux Trinobantum se Julio Cæsari dedit, i, 2.
Angli invitati in Brittaniam, i, 15, 16. Fidem suscipiunt, i, 23. Orientales, i, 15. Fidem suscipiunt, ii, 15. Eorum reges Vuffingæ appellantur, ii, 15. Mediterranei, i, 15. Christiani facti, iii, 21.
Anna, rex Orient. Angl., filius Eni, successor Egrici, iii, 18. Coinualchum rex Occident. Sax. exsulem recipit, et ad fidem convertit. Ejus character, iii, 7. Cnobheresburg ædificiis et donariis ornat, iii, 19. A rege Penda occisus est, iii, 18. Filias habuit Aedilthrydam, et Sexburgam, iv, 19.
Annorum differentia inter Hebræam et LXXII interpretum auctoritatem, iii, 24.
Appilby (Thomæ) episc. Carliol. indulgentia, 387.
Arcuulfus. Auctor libri de Locis sanctis. Excerpta de libro, v, 16. 17, 18.
Arelas, ubi Constantius comes Constantinum II occidit, i, 11. Ejus civitatis episcopo apostolos suos in Brittaniam proficiscentes commendant, i, 24, 28; iv, 1.
Armoricanus Tractus, patria (ut fertur) Brittonum, i, 1.
Arius; hæresis ejus Brittaniam inficit, i, 8.
Aruald, rex Vectæ insulæ. Ejus fratres martyrio coronati, iv, 16.
Asclepiodotus, Brittanniam recipit, i, 6.
Asserius Menevensis nihil de Oxoniensi academia loquitur, 316. Istius libro de rege Aluredo clausula mala fide inseritur, 317.
Asserius Menevensis et Scireburnensis idem sunt, 352.
Asterius; episc. Genuensis Birinum episc. consecrat, iii, 7.
Attila, rex Hunnorum Aetium consulem bellis occupatum tenet, i, 13.
Audubald. *Vid*. Eadbald, ii, 11.
Augustinus, episc. Hippon. Respondet Pelagio, i, 10.
Augustinus aliique monachi litteris pont. Rom. Greg. I persuasi proficiscuntur, i, 23. Eorum in Brittaniam adventus, i, 25. Conversatio, successus ibid., i, 26. Augustinus Arelate ordinatur episcopus. Quæstiones ejus ad Gregorium cum responsis, i, 27. Pallium, etc., a Gregorio recipit, i, 29. Instruitur quid agat circa fana, solemnitates et sacrificia idolorum, i, 30. Recipit litteras exhortatorias ne de virtutibus suis glorietur, i, 31. Ecclesiam Salvatoris in regia civitate instaurat, et monasterium ad Orientem facit, i, 33. Convocat episc. Brittonum ad colloquium in loco Augustines dicto. Miraculum ibidem in cæco. In synodo secundo facta pacis conditiones proponit. Spernentibus Anglorum ultionem minitans prædicit, ii, 2. Mellitum Lundoniæ et Justum Rhofescriæ episcopos facit. Ejus obitus. Epitaphium, ii, 3.
Augustinus plura millia non in finitimis Eburacæ, sed in Cautio baptizavit, 316.
Aurelianus, Ambrosius, dux Brittonum, i, 16.
Autisiodorensis civitas, sedes Germani episc., i, 17.

B

Badonicus mons. Ejus obsessio, i, 16.
Badudegn frater in mon. Lindisf. ad tumulum S. Cuthberti sanatus, iv, 30.
Baduini unus ex episc. Orient. Angl. pro Bisi substitutus, iv, 5.
Baeda Historiam suam regi Ceoluulfo dedicat. Auctores suos prodit. *præf*. Ejus Candor in controversia paschali, iii, 17. Ejus tunica, 358.
Baldhild Galliæ regina Dalfinum episcopum jubet interfici, v, 19.
Bancornaburg, monasterium Brittonum. Monachorum ejus numerus. Conversatio, cædes ad Legacaestir, ii, 2.
Bartholomæi eremitæ Farn. capilli, 357.
Barue, monasterium in prov. Lindissi Ceaddæ a rege Uulfheri donatum, iv, 3. De eo Uynfridi exiit, et in obiit, iv, 6.
Bassianus imp. Severi filius, i, 5.
Bassus miles regis Aeduini, dux Paulino, et Aedilberge Cantiam redeuntibus, ii, 20.
Beardaneu monasterium in prov. Lindissi, in quod ossa regis Osualdi, licet ægre illata sunt, iii, 2.
Bebba regina a qua Bebbanburg, iii, 6, 16.
Bebbanburg urbs Berniciorum regia unde, iii, 6, 16. In ecclesia S. Petri ibidem reliquiæ s. regis Osualdi positæ, iii, 6, 12. A Penda obsessa, precibus Aidani ab igne admoto liberata, iii, 16.
Begu sanctimonialis de Hacanos. Ejus visio de obitu Hildæ, iv, 23.
Benedictus, *V*. Biscop.
Bercta regina Aedilbercti. Ejus gens, religio, i, 25.

Digitized by Google

Bercigils cognomento Bonifacius ep. Orient. Angl., III, 20.
Berrthun dux regem Aust. Sax. Caeduallam provincia expulit. Ab eo postea occisus est, IV, 15.
Berethun abb. mon. In Ierauuda narrat miracula Johannis episcopi, V, 2, 3, 4.
Berctuald abb. Racuulfe, post Theodorum archiepisc. Cant., V, 8, 12. Uilfridum recipit, V, 19. Alduulfum episc. Hroff consecrat. Obiit, V, 23. In ecclesia app. Petri et Pauli sepultus, II, 3.
Berctus, quo duce rex Egfrid Hiberniam vastavit, IV, 26.
Berecingum mon. in prov. Orient. Sax., ab Earconualdo episcopo Sorori Aedilberge constructum, IV, 6. Miracula ibidem, IV, 8, 9, 10.
Berniciі. De his vide, III, 4, 6; V, 3, 15. De hac provincia ortus Aedilfrid, III, 1. Prima crux ibi erecta, II, 2.
Bernuini, Uilfridi clericus et consanguineus cui partem Uectæ insulæ commendavit, IV, 16.
Bethleem, ejus situs, descriptio, loca sancta, V, 17.
Betti, unus e quatuor presbyteris ad Med. Anglos convertendos missis, III, 21.
Birinus episcopus quomodo Brittaniam venit. Fidem prædicat Geuissis. Sedem accipit in civitate Dorcic. Ibi sepultus. In Uentam translatus, III, 7.
Biscop, Benedict construit mon. ad ostium fl. Uiuri. Romam venit. Epistolam privilegii recipit. Johannem cantatorem Brittaniam perducit, IV, 18. Cum eo Uilfrid Romam adit, V, 20.
Bisi, ep. Orient. Angl., Bonifacii successor, adest synodo Herutford. Infirmo duo episc. substituti, IV, 5.
Blecca, præfectus Lindocolinæ civitatis a Paulino conversus, II, 16.
Bledia rex Hunnorum, I, 13.
Blithryde, conjux Pipini, insulam in littore Suidbercto obtinet, V, 12.
Boisil, præpositus de Mailros, V, 10. Cudbercti magister, IV, 27. Illum episcopum fore prædicit, IV, 28. In visione ad discipulum vetat Ecgbertum Germaniam adire, V, 10.
Boisili liber, 356. Vestes et capilli, 358. Caput, 360. Cilicium, *ibid.* Pecten, *ibid.*
Bonifacius, pont. Rom., successor Deusdedit, II, 6. Cogit synodum episc. Italiæ. Ejus decreta cum epistola ad Laurentium archiepisc., et Aedilberctum regem per Mellitum mittit, II, 4. Impetrat Panth on a Phocate, II, 4. Pallium Justo et epistolam mittit, II, 8. Litteras Aeduino et dona mittit, II, 10. Litteras Aedilbergæ reginæ et dona mittit, II, 11.
Bonifacius, *V.* Bercgils.
Bonifacius, archidiaconus Romæ Uilfridi magister, V, 19.
Bononia, Galliæ civitas, ubi Petrus ab. Doruv. sepultus, I, 33.
Boructuarii, V, 10. A Suidbercto ad fidem perducti. Ab antiquis Saxonibus expugnati, V, 12.
Bosa, episc. Derorum Eboraci, IV, 12. E mon. de Streanaeshalch, IV, 23 Defunctus, V, 3.
Bosanham, monast. in prov. Aust. Sax., IV, 13.
Bos I, primus episc. Huicciorum, IV, 23.
Bothelm, fr. Ecclesiæ Hagustald, brachio contrito, crucis S. Osualdi ligno sanatus, III, 2.
Bregusuid, mater Hildæ. Ejus somnium de illa, IV, 23.
Bridius, fil. Meilochon regis Pictorum, III, 4.
Brige, mon. Galliarum in quod virgines Anglorum missæ, III, 8.
Brittannia. Ejus descriptio, etc., I, 1. Ejus status, post persecutiones usque ad Arianam vesaniam, I, 8. Post Romanorum discessum, I, 12, 14. Post Saxonum victorias, I, 15. Post Pelagianam hæresin, I, 22. Pestilentia, III, 27.
Brittones, fame coacti hostes repellunt. Copia luxuriantes pereunt. Saxones in auxilium vocant, I, 14. Ab iis in miseriam redacti sunt, I, 15. Vincunt Saxones Pictosque duce Germano episcopo, I, 20. Genti Saxonum fidem prædicare renuunt, I, 22. Eorum episc. Augustini auctoritatem rejiciunt. Ab Aedilfrido Anglorum rege cæduntur, II, 2. Religionem Anglorum pro nihilo habent, II, 20. Eorum episc. consecrationi Ceaddæ intersunt, III, 28 Pars eorum libertatem recuperat, IV, 26. Aliqui sub Occident. Sax. imperio verum Pascha recipiunt, V, 18. Maxima pars respuunt, V, 22. Status gentis cum Beda Historiam clauderet, V, 23.
Briudun mon. e quo Tatuini archiepisc. Cant., V, 23.
Brocmail, defensor monachorum Bancorensium, in prælio Legionensi terga vertit, II, 2.
Buchananus errat Severi murum inter Glottam et Bodotriam ductum scribens, 303.
Burghelm, unus e presbyteris qui gentem Aust. Sax. baptizabant, IV, 13.
Burgred rex Merciorum. Compositio inter eum et Wulferdum, 375.
Buscfrea, *V.* Uuscfrea.

C

Caecilia, V, 19. Ejus Ecclesia, V, 11.
Caedmon. Ejus donum canendi. Revelatio de morte sua, IV, 24.
Caedualla, rex Brittonum Ejus character. Aeduin. occidit, II, 20. Osricum et Eanfridum occidit. Ipse ab Osualdo interemptus est, III, 1.
Caedualla, de regio genere Geuissorum. Exsul. Ipse postea rex Geuissorum regem Aedilualch interficit. Provinciam Aust. Sax. subigit, IV, 15. Quartam Vectæ insulæ partem Uilfrido donat, IV, 16. Regno relicto, Romam vadit. Baptizatur. Moritur, IV, 12; V, 7.
Caelin, fr. Cedd. episc. regi Derorum Oidiluualdo verbum et sacramenta ministrat, III, 23.
Cair Guorthigirn, 293. Municip., *ibid.* Meguaid, *ibid.* Ebrauc, *ibid.* Caratauc. *ibid.* Mauuguid, 294. Ceint, *ibid.* Peris, *ibid.* Legion, *ibid.* Segeint, *ibid.* Guent, *ibid.* Lerion, *ibid.* Pensauelkoit, *ibid.* Celemion, *ibid.* Guintguic, 295. Ligualid, *ibid.* Colun, *ibid.* Custeint, *ibid.* Graut, *ibid.* Lunden, *ibid.* Guiragon, *ibid.* Daun, 296. Guricon, *ibid.* Legion guarusic, *ibid.* Brithon, *ibid.* Daribon, *ibid.* Urnach, *ibid.* Luitcoyt, *ibid.* Glou, *ibid.* Cei, *ibid.* Ceri, *ibid.* Dorm. *ibid.* Dauri, *ibid.* Merdin, *ibid.*
Cair, quid significat, 296, 297.
Calcaria, *V.* Kalcacæstir, IV, 23.
Calcedon concilium in synodo Hethfelth susceptum, IV, 17.
Cale mon. Galliarum in quod virgines Angl. missæ, III, 8; IV, 23.
Campodono, ubi villa regia, et basilica a Paulino facta, sed a paganis succensa, II, 14.
Candida casa, sedes Niniæ episc. Loci situs, religio, III, 4.
Candidus, presbyter, a pont. Rom. Gregorio, Etherio episc. commendatus, I, 24.
Cantuarii; unde hausit Beda quæ de eorum provincia tradidit, *præf.* Soli Aeduini imperio exempti, II, 5. Status regni Hlotheri ac Ine, IV, 26.
Capræ caput mon. Uttan presbyteri in regno Nordh, III, 21.
Carausius Imp. Quomodo Brittanias occupat, I, 6. Falso restituisse dicitur Severi murum, 309.
Carlegion, civitas juxta quam Aedilfrid rex Angl. Brittones stravit, et monachos de Bancor interfecit, II, 2.
Cassibellaunus, dux Brittonum, Thamesis vadum sudibus contra Romanos frustra præstruit. Ejus oppidum captum, I, 2.
Cataractam vicus juxta ubi Paulinus baptizavit, II, 14.
Ceadda fr. Cedd. episc., abb. Læstingaeu, III, 23, 28. Eboracensis episc. ordinatur. Ejus mores, magister, doctrina, III, 28. Reordinatio, recessus ad Læstingaeu, IV, 2, 3. Mercis et Lindisf. episc. (tertius, III, 24) datur, IV, 3. Mon. Adbaruæ instituit. In Licitfelth sede sua episcopali defunctus et sepultus est. Revelatio de morte sua. Exhortatio ad fratres. Timor Domini in ventis. Sanitatum miracula ad sepulcrum, IV, 3.
Ceaddæ mansio, quam sibi fecit, 362.
Cearl, rex Merciorum, pater Quoenburgæ, II, 14.
Ceaulin (Cælin), rex Occident. Sax. secundus Angl. Austr. imperator, II, 5.
Cedd, unus e quatuor presbyteris ad Mediterr. Angl. convertendos missis, III, 21. Idem ad Orient. Angl. convertendos missus domum redit. Gradum episcopatus a Finano accipit. Cœptum opus explet. Necem Sigbercti prædicit. Suidhelm successorem baptizat, III, 22. Nordh. provinciam revisit Monasterium Læstingaeu facit. Ejus obitus. Sepultura Fratres. Historia de puero non baptizato, III, 23 Synodo de Streanaeshalch interest. Ad catholicum Pascha convertitur, III, 26. Historia de anima ejus fratris Ceaddæ animam in cœlum assumente, IV, 3.
Ceolfrid, post Benedictum ab. Uiuri, et Ingyruum. Ad regem Naiton architectos et litteras de Pascha et tonsura mittit, IV, 18. Catholicam observantiam Adamnano suadet, V, 21.
Ceollach, Scotus post Diumam episc. M. A. episcopatum relinquit, III, 21, 24.
Ceolred, filius Aedilredi, post Coinred rex Merc., V, 19.
Ceoluulf, post Osric. rex Nordh, cui Beda Historiam suam dedicat, *præf.* Frater Coenredi. Status regni ejus, V, 24. Ejus caput, 360.

Digitized by Google

Cerdic, rex Brittonum sub quo Hereric, pater Hildæ, exsul., iv, 23.
Cerotesei, locus in regione Sudergeona, quo Earconuald episc. sibi monasterium construxit, iv, 6.
Chebron, v, 17.
Civitates xxviii Brittaniæ, 293.
Claudii in Brittaniam transvectio, i, 3.
Clemens, pont. Rom., a S. Petro in adjutorem et successorem consecratus, ii, 4.
Clemens, V. Uilbrord.
Cloteshoch, synodus ibi annuatim ordinata, iv, 5. Synodus sub Bioruwulfo rege Merc., 373.
Cluith, fluvius juxta vallum Severi, i, 12.
Cnobheresburgh, castrum in quo Furseï monasterium, iii, 19.
Coelestinus, pont. Rom., Palladium ad Scottos episc. mittit, i, 13.
Coenred, pater Aedilred, rex Mercior., 365. Desperanti militi frustra pœnitentiam suadet, v, 13. Uilfrido amicus factus. Regno relicto, obit monachus Romæ, v, 19. Ejus tempore Hiienses Cath. Pascha recipiunt, v, 22. Illuic Osric succedit, v, 24.
Coifi, pontifex Regis Aeduini paganus. Quibus argumentis fidem Christianam suadet. Idolorum destruit aras, ii, 13.
Coinual h, rex Occident. Sax. fidem renuit, uxorem repudiat. Regnum perdit. Exsul fidem recipit. In regnum restituitur. Agilberctum in episc. recipit. Alium subintroducit. Agilberctum revocat. Alium ab eo missum recipit, iii, 7.
Coldingham. Chartæ quædam de villa de Coldingham, 366.
Colmanus, episc. Lindisf., ejus de Pascha conflictus, iii, 25 Ad Scottiam redit. Eatan ab. Lindisf. a rege Osuiu fieri impetrat. Partem ossium Aedani secum sumit. Ejus parcimonia, continentia, etc. Sæculi illius devotio, iii, 26. Quos secum abstulit, iv, 4.
Colonia, ubi Heuualdorum corpora sunt condita, v, 10.
Coludi urbs, ubi mon. Aebbæ. Aedilthryda vela a, iv, 19 Incendio consumptum, iv, 25.
Columba. Quis, v, 10. Quando Brittaniam venit. fidem Septentrionalibus Pictis prædicat. Monasteria de Hii et Dearmach facit. In priore requiescit, iii, 4. Auctor Scottis paschalis consuetudinis, iii, 25. Ejus monasteria ab Ecgbercto reformata, v, 10. Ossa, 357, 358.
Columbanus ab. Brittonum more Pascha in Galliis observat, ii, 4. Ad eum in er alios pont. Rom. Joannes epistolam de Pascha, etc., mittit, ii, 19.
Compendium, vicus regius in Gallia, in quo Uilfrid consecratus est, iii, 28.
Constans, filius Constantini II, a monacho Cæsar, apud Viennam interfectus, i, 11.
Constantinopolis, fame, peste, ruinis oppressa, i, 13. Eutychetis hæresi turbata. Synodus ibidem suscepta in concilio Heth'elth, iv, 1.
Constantinus I, in Britt. imp. creatus, i, 8.
Constantinus II. Occisus, i. 11.
Constantinus fil. Heraclii, ii, 18.
Constantinus pont. Rom. Ejus tempore rex Coenred Romæ fit monachus, v, 20
Constantius I imp. in Brittania moritur, i, 8.
Constantius Comes, Constantinum II apud Arelatem occidit, i, 11.
Cromanus, unus ex episc. cui pont. Rom. Johannes epistolam de Pascha, etc., mittit, ii, 19.
Cromanus, unus e presbyteris cui pont. Rom. Johannes epistolam de Pascha, etc., mittit, ii, 19.
Cudberct, episc. Lindisf. Unde hausit Beda quæ de Vita ejus scripsit, *præf.* Regem Ecgfridum ne Pictos aggrederetur monet, iv, 26. Ejus in religionem ingressus, mores, episcopatus, miracula, mors, incorruptio, reliquiæ, tumba, iv, 27, 28, 29, 30, 31, 32.
Cudbercti (S.) vexillum, 358. Imago argentea, *ibid.* Cappa in qua jacebat in terra per xi annos, *ibid.* Vestimentum tassillatum, *ibid.* Particula panni in quo jacuit per ccccxviii annos et v menses, et pars casulæ in qua jacuit per xi annos, 357. Chirothecæ, 358. Liber cum textu Evangeliorum, 359. Vita S. Cudbercti, 360. Pannus cera infusus qui hujus sancti corpus circumdederat in sepulcro, et vestimentum ejusdem, 361. Lodex duplicis texturæ qui corpus hujus circumdederat in sepulcro, *ibid.* Pannus quo sutum fuit ejus corpus, *ibid.* Visitantibus corpus ejus indulgentia Dumblanensis episc., 387.
Cuduald, ab. sub cujus regimine Uilfrid, in mon. Inundalum obiit, v, 19.
Cuichelm, rex Occident. Sax. sicarium ad Aeduinum interficiendum mittit, ii, 9.
Cuichelm, post Puttam epi c. Hrofi, iv, 12.
Cuniberct, auctor Bedæ de Gestis in provincia Lindissi, *præf.*
Cy.... quartus Lindisf. episc., iv, 12. Præest cum Beda Historiam clauderet, v, 23.
Cyniberct, ab. de Hreutford, fratribus regis Arvaldi baptismum ante mortem impetrat, iv, 16.
Cynibil, frater Ce ld episc., iii. 23.
Cyniburga, filia Pendan, uxor Alchfridi regis Nordh.
Cynifrid, medicus, incorruptionem corporis Aedilthrydæ testatur, iv, 19.
Cynigilsus, rex Occident. Sax. Baptizatus. Donat Ecclesiæ civitatem Dorcic. Successorem habet Coinualchum, iii, 7.
Cynimund, presbyter, miraculum Aidani Bedæ narrat, iii, 15.
Cynuise, regina Mercior., apud quam Ecgfrid regis Osuiu filius obses tenebatur, iii, 24.
Cyrillus, Theodori et Theodoriti dogmata, et illæ epistolæ contra illum in synodo Hethfeld damnatæ, iv, 17.

D

Dacore, amnis juxta quem monasterium Suidbercti, iv, 32.
Daegberect, rex Galliæ, ad quem Uuscfrea, et Yffi a matre Aedilberge nutriendi mittebantur, ii, 20.
Daganus, episc. cum Romanis cibum sumere noluit, ii, 4.
Dalfinus, episc. Lugd., Uilfridum in Gallia retinere frustra tentat. Ejus mors, v, 19.
Dalreudini, unde, i, 1.
Damianus post Ithamar episc. Hrofi. A Deusdedit consecratus, iii, 20. Huic succedit Putta, iv, 2.
Danai, v. 9.
Danih l, post Hæddi, et cum Aldhelmo, et Fortheri Occident. Sax. episcopus, v, 18, 23. Nonnulla de suæ et Australium S. provinciæ, simul et Vectæ insulæ Historia ecclesiastica, litteris ad Bedam mandavit. *præ*. Vectam insulam ad sedem episc. addidit, iv, 16. Tatuini archiepisc. Cant. consecrationi interest, v, 23.
Davidis comitis, postea rex Scot. chartæ, 368.
Dearmach Ratio nominis. Fundatio monasterii, iii, 4.
Deda, ab. de Peartaneu. A Paulino baptizatus, ii, 16.
Degsastan, ubi Aedilfrid Aedanum regem Scottorum prælio vicit, i, 34.
Deniseshurna, ubi Osuald Cædualllam interemit, iii, 1, 334.
Deraunda, V. Inderauuda, v, 2, 6.
Deri, alias Deiri. Pont. Rom. Gregorii allusio ad nomen, ii, 1. Gens unius e duab. Nordh. pro inciis. Patria regis Aeduini, iii, 1 In pacem cum altera per regem Osuald compaginata, iii, 6. Proprius illi provinciæ episcopus a rege Ecgfrido datus, iv, 12.
Deruuentio, amnis juxta quem Eumer Sicarius regem Aeduinum interficere tentavit, ii, 9. Ultra quem Godmunddingaham situs, ii, 13.
Deruuentio, fluvius ad cujus primordia Herebercet Anachoreta, iv, 29.
Deusdedit, Pont. Rom., Bonifacii prædecessor, ii, 7, 8.
Deusdedit, archiepisc. Cant. Honorii successor. De qua gente. A quo ordinatus. Damianum episc. Hrofi consecrat, iii, 20. Obit, iii, 28; iv, 1.
Dicul, presb., cui Furseus monasterium suum reliquit iii, 19.
Dicul, monachus Scottus, habens monasterium Bosanhamm, iv, 13.
Dimaus, unus ex episc. Scott. cui pont. Rom. Johannes litteras de Pascha mittit, ii, 19.
Dinoot, ab. monasterii Bancornaburg, ii, 2.
Diocletianus imp., ad cujus tempora Brittani fidem Christianam in pace servabant, i, 4, 6.
Diuma, unus e quatuor presb. ad Mediterr Angl. convertendos missus. Eorum et Merciorum fit episcopus. A Finano ordinatus. Defunctus, iii, 21, 24.
Domnoc, sedes Fælicis episc. Orient. Angl., ii, 15.
Dorcic, sedes prima epor. Occident. Sax., iii, 7.
Dorubrevis, Rhofcestre, sedes Justi episcopi. Situs urbis erga Doruvernum. Fundatio et dotatio ecclesiæ ibidem, ii, 3.
Doruvernensis civitas, metropolis imperii regis Ædilbercti. In qua mansionem dedit Augustino. Sedem et possessiones, i, 25, 26; ii, 3. Ecclesia S. Martini ibidem ante adventum Augustini, i, 26. In nomine S. Salvatoris ab Augustino sacrata. Monasterium, in quo ecclesia Petri et Pauli ab Aedilbercto fundatur. Sepulchrum epor. et regum, i, 33. Civitas igni correpta. Miraculo servata, i, 6.
Drictheim, a mortuis resurgens, quæ viderat narrat. Ejus restituti vita, v, 12.
Duncani regis Scotorum charta, 366.
Dunelmensis Ecclesiæ reliquiarum index, 356.

Digitized by Google

Dunnchad, ab., sub quo Hienses catholicum Pascha, etc., recipiunt, v, 22.

E

Eabae, regina Aust. S., Aedilvachi uxor de Huicciorum provincia. Qua prosapia. Baptizata, iv, 13.
Eadbald. V. Adaluald, et Audubald, et Aedbaldus, f. regis Aedilbercti. Infidelis. Incestus, ii, 5. Quomodo ad fidem conversus. Ejus pietas. Ecclesiam B. Dei Genitricis in mon. S. Petri facit, ii, 6. Testimonium fidei a Pont. Rom. Bonifacio recipit, 2, 8, 10, 11. Sororem Aedilbergem regi Nord. Aeduino in conjugem dat, ii, 9. Paulinum cum Aedilberge redeuntem suscipit, ii, 20. Regnum Earconbercto filio relinquit, iii, 8.
Eadberct, dux gentis Mercior. Uulfhere contra Osuium elevat, iii, 24.
Eadberct, episc. Lindisf. Cudbercti successor in sede et in sepulcro, iv, 29. Ecclesiam plumbo tegit, iii, 24, 25.
Eadberct ab. de Selaeseu, primus Angl. Sax. episc., v, 18.
Eadberct, filius et hæres Uictred regis Cant., v, 23.
Eadfrid, filius regis Aeduini, de Quoenburga. A Paulino bapt., ii, 14. A Penda rege Merc. peremptus, ii, 19.
Eadgar, tertius Lindisf. episcopus, iv, 12.
Eadgari regis Angl. chartæ, 379.
Eadgari regis Scottorum chartæ, 566.
Eadgyd, virgo in mon. In Bereciugum moritura a puero moriente invocata, iv, 8.
Eadhed, presb. regis Osuiu. Rhypensis Ecclesiæ præsul. Cum Uilfrido Cantiam missus, iii, 28. Primus in prov. Lindisf. ordinatur episcopus, iv, 12.
Eadredi regis Angl. charta, 377.
Eafa, dux Merc., Uulfhere contra Osuium elevat, iii, 24.
Eanfleda, regi Aeduino nata, ii, 9. Prima de gente Nord. bapt. Cantiam cum matre redit, ii, 20. Regi Osuio conjux revertitur, iii, 15. In Getlingum ab eo postulat in memoriam regis Osuini. Apud Streaneshalch sepulta, iii, 24. Verum Pascha observat, iii, 25. Uilfridum Romam mittendum regi Ercoubercto commendat, v, 19.
Eanfrid, f. Aedilfrid, exsul apud Scottos ibique ad fidem conversus. Aeduino succedit in regno Berniciorum. Ad idola revertit. Peremptus est, iii, 1.
Eanfrid, pater Eabae, iv, 13.
Eanheri, fr. Eanfrid, iv, 13.
Eappa, unus e presb. qui gentem Angl. Sax. baptizabant, iv, 13. Præest mon. de Selaeseu, iv, 14.
Earcongota, filia Earconbercti regis Cant. Ad mon. In Brige missa. Miraculum in obitu ejus. Aliud in sepulcro, iii, 8.
Earconberct, rex Cant., f. Eadbaldi. Idola destruit. Jejunium Quadragesimale præcipit. Sexburgam filiam Annæ regis Orient. Angl. uxorem ducit, iii, 8. Defunctus, iv, 1. Uilfrid. et Benedict. Romam mittit, v, 19.
Earconuald, episc. Orient. Sax. Ejus sanctitas. Feretri miracula. Quæ mon. construxit, iv, 6.
Earpuald, rex Orient. Angl., filius Redualdi, fidem suscipit. Occisus est, ii, 15.
Eata, unus e xii pueris Aedani, episc. Berniciorum, in Hagustald. et Lindisf., iii, 26. Demum in Hagustald. sola, sedit, iv, 12, 27, 28.
Ebba, V. Aebba.
Eboraca. Ubi Severus imp. obiit, i, 5. Ejus episc. constitutione Gregorii metropolitanus, i, 29. Constitutione Honorii Doruvernensi æqualis, ii, 17, 18. Rex Aeduin ibi baptizatus, ii, 14. Caput ejus ibi sepultum, ii, 20.
Ebroinus, major domus regiæ in Gallia. Theodoro et sociis copiam transitus in Brittaniam concedit. Hadrianum in Gallia retinet, iv, 1.
Ecgberct, rex Cant., Ercoubercti filius. Consulto Osuiu Uighardum Doruv. episc. ordinandum mittit, iii, 29. Præfectum in Gallias ad assumendum Theodorum mittit, iv, 1. Obit, iv, 5.
Ecgberct, sacerdos Anglus, monachos Hienses ad verum Paschæ diem transfert, iii, 4; v, 22. Moribundi pietas, votum, convalescentia, iii, 27. Narrat visionem de anima Ceaddæ, iv, 3. Regi Ecgfrido ne Scottos aggrediatur suadet, iv, 26. Germanis prædicare volens, ad Columbæ monasteria per visionem mittitur, v, 9. Die Paschæ obit, v, 22, 23.
Ecgfrid, filius Osuiu. Obses apud Mercios, iii, 24. Patri succedit, iv, 5. Anno ejus regni octavo cometa. Uilfridum odit, 564. Pellit. Duos episcopos substituit. Provinciam Lindisf., fugato Uulfheri, obtinet, iv, 12. Illo regnante synodus Haethfelda, iv, 17. Illo præsente synodus Ad. Tuifyrdi, iv, 28. Conjugem habuit Aedilthrydam, iv, 19. Cum Aedilredo prælium conserit, iv, 21. Hiberniam vastat. In Pictos exercitum ducens exstinctus, iv, 26.
Ecgfridus rex S. Cuthberto donat villam Creec, et Lugubaliam, 387.
Ecgrice, cognatus, et successor Sigbercti regis Orient. Angl. In prælio contra Pendan occisus, iii, 18.
Ecgulni episc. charta, 371.
Edmundi confessoris cappa, 357.
Edric, filius Ecgbercti, Angl. Sax. contra Hlotheri aggregat; eumque interimit, iv, 26.
Eduin, V. Aeduin.
Edwardi regis et mart. costa, 358
Edwini archiepisc. lorica, 359.
El. fius. Occurrit S. Germano, qui filium ejus sanitati restituit, i, 21.
Eleuther., pont. Rom., ad quem Lucius rex Brittonum epistolam mittit de fide suscipienda, i, 4.
Eleutherius, Occident. Sax. episc. V. Leutherius.
Elge, regio in prov. Orient. Angl. Ejus descriptio. Monasterium ibi Aedilthrydæ, iv, 19.
Elli. V. Aelli.
Elmete, silva, in qua mon. Tryduu'll, ii, 14.
Elphegi feretrum argenteum et cuculla, 360.
Emme, Senonum episc. Hadrianum in Brittaniam venientem recipit, iv, 1.
Eolla, secundus Angl. Sax. episc., v, 18
Ephesi concilium in synodo Haethfelth susceptum, iv, 17.
Ercenualdus, patricius Francorum, Furseum suscipit, ejusque corpus servat, iii, 19.
Esus, ab., auctor Bedæ de Gestis in prov. Orient. Angl., *præf.*
Etherius. V. Aetherius.
Etheldreda. Stola quam illa dedit S Alfrido, 360.
Eudoxii Vesania in synodo Haethfelth damnata, iv, 17.
Eufemia, iv, 20.
Eulalia, iv, 20.
Eumer, sicarius ad occidendum Aeduinum missus, ii, 9.
Eutyches, ejus hæresis in synodo Haethfelth damnata, iv, 17.
Eutychius, episcopus Constantinop. Ejus hæresis a pont. Rom. Gregorio I confutatur, ii, 1.

F

Fara, abbatissa, mon. In Brige construxit, iii, 8.
Farn, insula. Ejus situs. Secessus Aedani episc., iii, 16. Cudbercti episc. Ubi etiam obiit, iv, 27, 29. Oidiluaidi. Qui ibidem etiam obiit, v, 1.
Faro, Meldorum episc., Hadrianum recipit, iv, 1.
Felix pont. Rom. Gregorii M. Atavus, ii, 1.
Felix, episc. Burgund., fidem Orient. Angl. prædicat, ii, 15; iii, 15. Sedem in Domnoc recipit. Moritur, i, 15; iii, 20.
Feppingum. V. Infeppingum.
Finan, episc. Lindisf., Aedani successor, iii, 17. Pendam, regem Mercior, cum suis baptizat. Diuma Mediterr. Angl. et Merc. episc. ordinat, iii, 21. Sigberct regem Orient. Angl. cum suis baptizat. Cedd. Orient. Angl. episc. ordinat, iii, 22. Ecclesiam de Robore in ins. Lindisf. facit, iii, 24. Sententiæ de Pascha tenax, iii, 25. Quot annos episcopatum tenuit, iii, 26.
Fortheri, episc. Occident. Sax., v, 19. Sed in parte tantum, v, 24.
Franci. Littora infestant, i, 6. A barbaris protriti, i, 11. Interpretes Augustino in Britt., i, 25. In eorum mon. virgines Angl. missæ, iii, 18.
Fresia, Fresones. Illis Uitberct fidem frustra prædicat, v, 9. Citerior a Pipino capta, v, 10.
Fresus. Cui captivus illigabilis vinculis, iv, 22.
Frigyd. Præfuit mon. de Hacanos, iv, 23.
Frodheri. Miles sica Eumeri peremptus, ii, 9.
Fullanus, frater Fursæi, cui mon. suum relinquit, iii, 19.
Furseus, ex Hibernia, apud Orient. Angl. mon. facit. Ejus visio. Navigatio in Galliam. Mon. In Latiniaco construit. Mortui corpus Perronæ incorruptum servatur. Ejus libellus, iii, 19.

G

Galliæ. Earum mon. multæ virgines Angl. adeunt, iii, 8. Metropolitanus archiepisc. Cant. ordinat, v, 8 A Saracenis vastatæ, v, 23.
Garmani, a Brittonib., corrupte, v, 9.
Gebmundus, episc. Rhofi, iv, 12.
Gefrin, villa in prov. Bernicior., ubi Paulinus baptizavit, ii, 14.
Germania, ejus Nationes, v, 9. Quæ ex eis in Britt. venerunt, i, 15.
Germanus episc. Autissiodor. cum Lupo primum contra hæresin Pelagii in Britt. missus, i, 17. Utriusque transitus, mora, disputatio, miracula, prælium, i, 17, 18, 19, 20.

Digitized by Google

Germani reditus cum Severo, adventus Ravennam, mors, i, 21. Ejus os unum, 357.
Gerontius comes Constantem interficit, i, 11.
Gessoriacum, littus Morinorum, i, 1.
Geta, imp. Severi filius, interit, i, 5.
Gethlingum, ubi rex Osuini occisus. Mon. ibi, iii, 14, 24.
Geuissæ, gens Occident. Sax., iii, 7. Regem Eadbald prælio sternunt, ii, 5. Fidem recipiunt, iii, 7. Eorum episcopo in Venta civitate gens Angl. Sax. subjecta, iv, 15.
Gildas Britt. Historicus a Beda citatus, i, 22.
Gleni, fl. in prov. Bernicior. quo Paulinus baptizavit, ii, 14.
Gobbanus, presb. cui Furseus mon. suum reliquit, iii, 19
Godmunddingaham, locus idolorum, a suo pontifice pollutus. Ejus situs, ii, 13.
Godrici barna, 357, 359. Cingulum, 360. Lorica, 361.
Goduine, metropolitanus Gallarum, Berctualdum archiepisc. Cant. ordinat, v, 8.
Gordianus, pater pont. Rom. Gregorii I, ii, 1.
Gospatricii comitis de Dunbar chartæ, 369.
Gothi, frangunt Romam, i, 11.
Grantacæstir, ubi loculus corpori Aedilthrydæ inventus, iv, 19.
Gratianus, a Maximo interfectus, i, 9.
Gratianus, municeps, tyrannus, apud Britt. creatur et occiditur, i, 11.
Gregorius I, pont. Rom. Epistolarum ejus et discipulorum mentio *præf.* Auctor cantus ecclesiastici, 353. Timore perculsis exhortatorias litteras mittit, i, 23, ut et Arelat. Episc. ad Augustinum suscipiendum, i, 24. Et ad eum in disciplina adjuvandum, i, 28. Respondet interrogationibus Augustini, i, 27. Pallium eidem, vasa, indumenta, reliquias, Codices mittit, i, 29. Certiorem eum facit per Mellitum quid agat circa fana, solemnitates et sacrificia idolorum, i, 30. Hortatur eum ne de miraculis glorietur, i, 31. Aedilbercti regis zelum per epistolam excitat, et eidem dona mittit, i, 31. Colloquium cum mercatoribus unde Anglorum conversionem suscepit. Fecit ut super corpora apostolorum missæ celebrarentur. Fecit ut verba *Diesque nostros* missæ adderentur. Ejus pater, atavus, devotio, cura pastoralis. Officium apocrisiarii, scripta, ægritudo, obitus, sepultura, epitaphium, ii, 1. In honore ejus altare in ecclesia app. Petri et Pauli Doruverni dedicatum, ii, 3.
Gregorius II, pont. Rom. cujus tempore rex Ini Romam proficiscitur, v, 7. Cujus permissu Nothelmus pontificales epistolas Roma ad Bedam attulit, *præf.*
Gregorius III, pont. Rom. cujus tempore Beda Hist. dedicavit, *præf.*
Grymi fossa, 303.
Gudfrid, ab. Lindisf. Odiluualdi precibus a tempestate liberatus, v, 1.
Gyrvii De eorum prov. Thomas Orient. Angl. episc., iii, 20. In eorum regione mon. Medeshamstedi situm, iv, 6. Australes, iv, 19.
Gyruum, mon. juxta amnem Tinam, v, 22. *V.* Ingyruum. Sic dict. quia aqua de tina ibid. in parte girit (*Ms. Wessington., de Origine ordinis Monachor., etc.*, p. 26).

H

Hacanos mon. ab Hild constructum. Ejus situs. [illegible] ibidem de morte Hild, iv, 23.
Hadrianus, ab. Hiridani. Ejus laudes. In archiepisc. Doruv. a pont. Rom. designatus, Andream primum, deinde Theodorum offert. Hunc in Brit. comitatur. Ab Ebroino paululum in Gallia retentus. Mon. B. Petri a Theodoro recipit, iv, 1. Defunctus, v, 20.
Haduiac, alter episc. Orient. Angl., Beda Hist. claudente, v, 23.
Haede, episc. Occid. Sax. in Venta civitate, iii, 7. A Theodoro consecratus, iv, 12. Eo præsule rex Cædualla regnum reliquit, iv, 12. Ejus laudes. Obitus, v, 18.
Haenigils, Dricthelmi visionem testatur, v, 12.
Haethfelda, synodus ibidem. Confessio fidei, iv, 17.
Haethfelth, campus, ubi rex Aeduini occisus, ii, 20.
Hagustald. Ecclesia, episc. Bernicior. in sedem data, iv, 12. B. Andreæ dedicata, v, 20. Fratrum devotio in vigilia et mane occisionis regis Osualdi, iii, 2.
Hearnius (Thomas), 302.
Hebron. *V.* Chebron.
Hefenfelth, ubi Osuald cruce erecta Cædualiam vicit, iii, 2, 354.
Hein, sanctimonialis, Nord. prima. Mon. Heruteu fundatrix, iv, 23.
Helena concubina Constantii, i, 8.
Hengist, dux Angl. Ejus prosapia, i, 15; progenies, ii, 5.
Henrici comitis, filii Davidis I regis Scot. chartæ, 368.
Hep a chiæ provinciarum limites, 291.
Heraclius, imp., ii, 18.
Heraclius, Cæsar, *ibid.*
Hereba d, Johannis episcopi Ebor. clericus. Casu contritus precib. ejus a morte revocatus. Tandem ab. mon. ad ostium Tini fl., v, 6.
Hereberct, presbyter. Indulgentia iis datur, qui ad ejus insulam devotionis causa sunt profecti, 387.
Hereric, nepos Aeduini regis, pater Hildæ. Quomodo fidem susceperit. Exsul, veneno perit, iv, 23.
Heresuid, mater Alduulfi regis Orient. Angl., soror Hild, et exemplum vitæ regularis in mon. Cale, iv, 23.
Heriburg, abbatissa de Vetadun v, 3.
Hermianus, unus e presb. quibus pont. Rom. Joan, etc., litteras de Pasch., etc., mittit, ii, 19.
Heruteu, mon. ab Hein factum. Cujus Hild abbatissa, iv, 23. Quod Aelfleda Deo dicata intravit, iii, 24.
Herutford, concilium ibidem, iv, 5.
Heuuald, duo, iidem in Saxonibus prædicantes, interempti. Eorum corpora Coloniæ condita, v, 10.
Hibernia. Ejus descriptio. Patria Scottor., i, 1; iii, 19. Resonat miraculis S. Osualdi, iii, 13. Pestilentia ibidem. Multi ex Anglia ibi eruditionis gratia secedunt. Plaga correpti, iii, 27. A rege Egfrido vastata, iv, 26. Inde prædicatores in Germaniam, v, 9, 10. Verum Pascha plurima ex parte suscipit, v, 15.
Hiddila presb. Ministrat verbum Vectæ insulæ, iv, 16.
Hierosolyma, v. 15, 16.
Hii, insula. Ejus monasterium, iii, 3, 21. Abbatum Dominium. Observantia paschalis, iii, 4. Inde Aedanus venit, iii, 3. Eo Colmannus reversus est, iv, 4. Ejus monachi catholicum Pascha ab Adamnano recipere renuunt, v. 15, 21. Eo Ecgberct per visionem missus, v, 9. A quo illud recipiunt, v, 22.
Hilarius, archipresb. Rom., cum Johanne pont. Rom. electo, etc., litteras episc., etc., Scottis, de Pascha. etc., mittit, ii, 19.
Hild, abbatissa, primo de Heruteu, postea Streanaeshalch, iii, 24. Synodo ibi de Pascha in parte Scottorum est, iii, 25. Vita et obitus ejus, iv, 23.
Hildilid, post Aedilburgam abbatissa in Berecingum, iv, 10.
Hiridanum, mon. Campaniæ, cujus ab. erat Hadrianus, iv, 1.
Hloduius, rex Franc. Furseum suscipit, iii, 19.
Hlothar us. Illo regnante synodus Haethfelth, iv, 17.
Hlothere, rex Cant., fr. Egbercti, et successor, iv, 5. Captivum illigabilem redimit, iv, 22. Vulneratus, defunctus, iv, 26.
Homelea, fl. in regione Geuissorum. Æstus ultra ejus ostium, iv, 16.
Honorius, imp., i, 9, 10, 11.
Honorius pont. Rom. Bonifacii successor. Paulino Pallium, Aeduino litteras, mittit, ii, 17. Scottis de Pascha, ii, 19. Ejus consilio Birinus Brittaniam venit, iii, 7. Aida uni honore habet. iii, 25.
Honorius archiepisc. Cant. A Paulino consecratus, ii, 16, 18. Felicem ad prædicandum Orient. Angl. mittit, ii, 15. A pont. Rom. Honorio pallium, et litteras de jure metrop. inter Doruvern. et Eborac. antistites recipit, ii, 18. Paulinum cum Aedilberge Cantiam redeuntem suscipit, ii, 20. Ithamar episc. Rhofi. Thomam episc. Orient. Angl. ordinat, iii, 14. Berctgilsum loco ejus substituit. Moritur, iii, 20.
Horsa, dux Angl. Ejus monumentum i, 15.
Hreuus, fl. a barbaris transitus, i, 11. In eum Heuualdi corpora projecta, 5, 10. In insula ejus, Suidbercti mon., v, 11
Hreutford, mon. ab. Cyniberctii in prov. Jutorum, iv, 16.
Hrof, a quo.
Hrofæscæstræ, sedes Justi episc. Ecclesia S. Andreæ, ii, 3. Paulinus ejus fit episc., 2, 10 Ibi sepultus, iii, 14. Series episcoporum a Paulino ad Tobiam, iii, 20; iv, 12; v, 8. Castellum Cantuarior., iv, 5. Depopulata ab Aedilred rege Mercior., iv, 12.
Hrypum. *V.* In Rhypum.
Huiccii. In eorum confinio Augustinus ac, ii, 2. Eorum episc., iv, 23.
Humbra flumen, ii, 16; v, 23.
Hunni Gothos suis sedibus expellunt, v, 19.
Hunuuald, comes, regem Osuinum prodit, iii, 14.
Hygbald, ab., in prov. Lindi f. Recitat ab Ecgbercto visionem de anima Ceaddæ, iv, 3.

I

Ibas. Ejus epistolæ in syn. Hæthfelth damnatæ, iv, 17.
Idle, amnis in finibus gentis Merc., ad quem Aedilfrid occisus ii, 12.
Illi. *V.* Ylli.

Digitized by Google

Iiudi, urbs in Orient. sinu maris, juxta Vallum, i, 12.
Imma, captivus cui vincula missis cantatis soluta, iv, 22.
Immin, dux Merc. Uulfhere contra Osuium elevat, iii, 24.
Incompendio. *V.* Compendium.
Incuneningum, regio in prov. Nord. In ea visio Dricthelmi, v, 12.
Inderauuda, mon. Joannis episc. Ebor., v, 2, 6.
Infeppingum, regio mediterr. Angl. in qua Diuma defunctus, iii, 21.
Ingualdi, episc. Orient. Sax. Lundon. Consecrationi Tatuini archiep. interest, v, 23.
Ingyrvum, mon. juxta amnem Tinam, v, 21.
Inhrypum, mon. Scottis primum, deinde Uilfrido a rege Alchfrido datum, iii, 25. Eadhedum episcopum habet, iv, 12. Sepultura Wilfridi, v, 10.
Ini, post Cædualiam regem Occident. Sax. Romam proficiscitur, v, 7.
Inisbofinde, insula, mon. Colmanni, etc., iv, 4.
In littore, insula Hreni qua Suidberct mon. sibi construxit, v, 11.
Irmenricus pater regis Aedilbercti, ii, 5.
Ithamar episc. Hroft, iii, 40. Deusdedit archiepisc. Cant. ordinat. Moritur, iii, 20.
Ithancæstir. *V.* Ythancæstir, iii, 22.

Jacobus, diaconus, Paulini minister, ii, 16. Eboraci relictus. Ejus zelus, mors, ii, 20. Verum Pascha observat. Synodo de Strenaeshalch interest, iii, 25. Cantandi more Romano magister primus, ii, 20; iv, 2.
Jareth, ii, 45.
Jaruman, episc. Merc., iii, 24. Oc. S. ad fidem reducit, iii, 30.
Johannis de Bridlillington. os, 360.
Johannes evangelista, a Scottis pro Pascha sua citatus, iii, 25.
Johannes martyr; reliquiæ ejus a pont. Rom. ad regem Osuiu missæ, iii, 29.
Johannes post Severinum pont. Rom. electus, litteras ad Scotos de Pascha, et Pelag. hæresi mittit, ii, 19.
Johannes, primicerius Rom., in eisdem litteris cum Johanne elect. jungitur ii, 19.
Johannes consiliarius Rom. in eisdem, *ibid.*
Johannes archiepisc. Arelat. Theodorum a pont. Rom. commendatum recipit, iv, 1.
Johannes cantator. Synodo Hæthfelt interest. In reditu moriens Turonis sepultus, iv, 18.
Johannes, post Eatam episc. Hagustald. Post Bosam episc. Eboracæ. Ejus Historia, v, 2, 3, 4, 5, 6.
Johannes post Agathonem pont. Rom. Uilfridum absolvit. Regibus litteras de illo mittit, v, 19.
Julianus de Campania, cooperator Pelagii, i, 10.
Julius Cæsar. Adventus ejus in Britt., i, 2.
Julius et Aaron martyres, i, 7.
Justinus Minor, imp., i, 4.
Justus, a pont. Rom. Greg. I ad Augustinum in Britt. missus, i, 29. Hroft episc. ab Augustino constitutus, ii, 3. Epistolam ad Scottos de Pascha mittit, ii, 4. Brittania cum Mellito discedit. Redit, ii, 5. In archiepisc. succedit. Pallium et epistolam cum potestate episcopos ordinandi a pont. Rom. recipit. Paulinum ordinat, ii, 7. Moritur, ii, 17, 18.
Jutæ, in qua parte Britt. sederunt, i, 15; iv, 16.

K

Kaelcacaestir, Hildæ secessus, iv, 23.

L

Labienus, tribunus occisus, i, 2.
Laestingaeu, mon. Fratres ejus auctores Bædæ de Gestis in prov. Merc. et Orient. Angl. Et de vita et obitu Ceddi et Ceaddæ *præf.* Descriptio loci, consecratio mon., etc., iii, 23. Ejus ab. Ceadda, iii, 28. Recessus Ceaddæ Ouini, iv, 3.
Laistranus, unus ex episc. Scott. quib. pont. Rom. Joh. epistolam de Pascha, etc., mittit, ii, 19.
Latiniacum, locus Galliæ, quo Furseus mon. construxit, iii, 16.
Laurentius martyr. Ejus reliquiæ a pont. Rom. ad regem Osuiu missæ, iii, 29.
Laurentius presb. ab Augustino ad pont. Rom. Greg. missus, i, 27. Successor Augustini. Ecclesiam Pet. et Paul. Doruv. consecrat, i, 23; ii, 4. Ejus epistola ad Britt. et Scott. de Pascha, ii, 4. Britt. relinquens ab apostolo Petro flagellis correptus redit. Eadbald. regem ad fidem convertit. Ejus mors, sepultura, ii, 5.
Legacaestir, ad quam Brittones ab Aedilfrido rege fusi, ii, 2.
Legationes tres quo tempore a Brittonibus ad Romanos mittuntur, 311.
Legionum urbs, cujus incolæ Aaron et Julius mart., i, 7.
Leofsini episc. charta, 383.
Leptis, oppidum Africæ, a quo Severus imp., i, 5.
Leutherius, nepos Agilberctí, pro se in episcopatum Occident. Sax. missus, iii, 7. Concilio Herutford adest, iv, 5. Defunctus, iv, 12.
Libri quos Gregorius Magnus misit in Brittaniam, 313, 315.
Lilla, minister regis Aeduini. Pro Domino occisus, ii, 9.
Lindisfaronensis insula sedes episc. Scott., iii, 3. In ejus ecclesiæ cœmeterio caput S. Osualdi, iii, 12. Aedanus sepultus, iii, 17. Ad ejus Ecclesiæ ritus mon. Læstingaeu institutum, iii, 23. Basilica ibid. de robore facta, S. Petro dicata, arundine primum, postea plumbo tecta. In eam ossa Aedani translata, iii, 17, 25.
Lindisfarorum prov., iii, 24. Lindissis. Unde hausit Bæda quæ de hac prov. scripsit, *præf.* Ejus situs, conversio, ii, 16. Episcopi, iv, 12.
Lindocolina civitas, ii, 16, 18.
Littus. *V.* In littore.
Loidis, regio in qua villa olim regia, ii, 14. In eadem Osuiu Pendan vicit, iii, 24.
Lothere. *V.* Hlothere.
Lucius, rex Brittonum. Christianus, i, 4.
Luguballia, civitas, qua frater Hereberct S. Cudbercto occurrit, iv, 29.
Luidhard, episc. Berctæ reginæ, i, 25.
Lundonia, metrop. Orient. Sax., ii, 3. Ejus episc. secundum ordinationem Gregorii pallium percipere debuit, i, 29. Incolæ ad idololatriam proni episc. rejiciunt, ii, 5.
Lupus, episc. Trecas. cum Germano in Britt. contra hæresim Pelagii missus, i, 17.
Lyccidfelth, sedes, sepultura, translatio, sepulcrum Ceaddæ, iv, 3.
Lyfingi Wigorn. episcopi chartæ, 384.

M

Maban, cantator, v, 20.
Macedonius. Ejus hæresis in syn. Hæthfelth damnata, iv, 17.
Maelmin, locus villæ regiæ in prov. Bernic., ii, 14.
Mageo. *V.* Muigeo.
Magistri Ecclesiæ, 362.
Maildufi urbs, mon. Aldhelmi, v, 18.
Mailros, mon. Eata ab., iii, 26. Cudberct præpositus, iv, 27. Dricthelmi recessus, v, 12.
Malachiæ archiepiscopi pecten, 360.
Mambre, v, 17.
Marcianus, imp., i, 15.
Margaretæ reginæ Scociæ crux, 356. Dens, 357.
Mariæ virgini ecclesia Lichfeldiæ dicata, iv, 3.
Martinus, episc. Ei ecclesia Doruverni dedicata, i, 26. Et Ad Candidam Casam, iii, 4.
Martinus pont. Rom. Ejus tempore synod. Romæ a synod. Hæthfelth suscepta, iv, 17.
Maserfelth, locus in quo rex Osuald occisus, iii, 9.
Massilia, per eam Theodorus in Britt. venit, iv, 1.
Mauritius, imp., i, 23.
Maximianus, Herculeus, decimam persecutionem in Occidente orditur, i, 6.
Maximus, imp. Aquileiæ occisus, i, 9.
Meanvarorum prov., in Occident. Sax. A rege Uulfhere Aedilualcho donata, iv, 13.
Medeshamstedi, mon. in regione Gyrvior. a Sexuulfo constructum, iv, 6.
Mediterranei Angli, i, 15; iii, 21.
Meilochon, pater Bridii, regis Pictorum, iii, 4.
Meldorum episc. Hadrianum recipit, iv, 1. Uilfrid ibi moribundus, v, 19.
Mellitus, a pont. Rom. Greg. I ad Augustinum in Britt. missus, i, 29. Lundoniæ episcopus ab Aug. constitutus, ii, 3, 4. Epistolam ad Britt. et Scott. de Pascha mittit. Romam de negotiis Ecclesiæ Angl. venit. In synodo episc. Italiæ sedet. Ejus decreta in Brittaniam defert, ii, 4. Panem Euch. filiis Sabereсti negans ejicitur. Cantiam venit. Brittania discedit. Revocatus a rege Eadbaldo, rejicitur a populo. Archiepisc. factus, ii, 6. Ecclesiam S. Dei Genitricis in mon. S. Petri ab Eadbaldo factam consecrat, ii, 5. Scripta exhortatoria a pont. Rom. Bonifacio suscipit. Flammas ardentis suæ civitatis orando restinguit. Ejus mors, sepultura, ii, 6.
Merci. Unde hausit Bæda quæ de hac prov. scripsit, *præf.* In qua parte Britt. sederunt, i, 15. Gens eorum pagana regiones Nord. impugnat, iii, 11. Australes, et Aquilonales. Victi ab Osuiu. Fidem recipiunt. Libertatem re-

Digitized by Google

superant, III, 24. Series episcoporum ad Uynfridum. Eorum sedes, IV, 3. Eorum regi prov. Austr. ad Humbram subditæ, V, 23.
Mevaniæ insulæ, Anglor. imperio ab Aeduino subditæ. Earum situs. Descriptio, II, 5, 9.
Middilangli, scilicet Mediter. Angl. Fidem recipiunt, III, 21. Eorum episcopi, IV, 12.
Morini, I, 1.
Muigeo, al., Mageo, mon. Anglor. in Hibernia a Colmanno fundatum, IV, 4.
Murum. V. Admurum.
Murus Picticus, seu vallum, I, 5, 12. Hadriani vallum, 302. Lollii Urbici sub Antonino Pio, *ibid*. Severi, 303. Quo loco positum est, *ibid*. Cespititium fuit, 306. Murum inter et Vallum distinctio, *ibid*. Murus in Scotia cespititius a Romanis jam Britanniam relinquentibus in lapideum non conversus est, sed ille in Northumbria, 307. Severi murus a Carausio non restitutus, 309. Sub Valentiniano I Antonini vallum renovatur, 310.

N

Naitan, ton, rex Pict. Septentr. cum suis ad verum de Pasch. et tonsura judicium perductus. Litteras ab ab. Ceolfrido de eisdem recipit, v, 21
Nero imp. pene amisit Britt., I, 3.
Nestorii hæresis in syn. Hæthfelth damnata, IV, 17.
Nicæna syn. de Ar. hær. 23, 34; I, 8. De Pascha, III, 25. In syn. Hæthfelth suscepta, IV, 17.
Nid, fl. Juxta hunc syn. qua Uilfrid in episcopatum restitutus, V, 19.
Niridanum. V. Hiridanum.
Nordanhymbri, unde hausit Beda quæ de hac prov. scripsit, *præf*. Qui sint, I, 15: II, 7. Gentis status post Aeduinum, II, 20. Ejus Ecclesiæ status tempore Osuiu, III, 26. Pestilentia, III, 27. Gentis status Beda Historiam claudente, V, 23.
Nothelm, presb. Ecclesiæ Lundon. Epistolas pontificum Historiæ Bedæ inserendas attulit, *præf*.

O

Occidentales Sax., IV, 13.
Octa, avus regis Aedilbercti, II, 5.
Offæ regis Merciorum et Aldredi subreg. Huicciorum charta, 372.
Offæ regis charta, 373.
Offa, f. regis Sigheri, fit monachus Romæ, V, 91.
Oftfor, episc. Uiccior. E mon. Hildæ. Ejus Vita, IV, 23.
Oiddi, unus e presb. qui Aust. Sax. baptizabant, IV, 13.
Oidiluald, rex Deror., filius Osua'di, fratruus regis Osuiu, patruum impugnat, III, 14, 24. Læstingaeu mon. Cedd. episcopo donat, III, 23.
Oidiluald, presb. Inhrypum. Tempestatem orationibus sedat. In insula defunctus, V, 1.
Oiscingæ regis Cant. Unde, II, 5.
Olivarum mons. Ecclesia Ascensionis, V, 17.
Orientales Angli. V. Angli, I, 15.
Orientales Sax. V. Saxones, I, 15.
Orric, cognomento Oisc, proavus regis Aedilbercti, II, 5.
Osfrid, filius regis Aeduini, de Quoenburga, a Paulino bapt., II, 14. Bello cecidit, II, 20.
Osfred, filius Aldfridi, et successor, rex Nord., V, 18. Illo regnante Uilfrid in Ecclesiam suam receptus, V, 19, occiso Coinred regnum suscipit, V, 22.
Osric, filius Aelfrici. Exsul apud Pictos. Ad fidem conversus. Aeduino in regno Derorum succedit. Ad idola revertit. Peremptus est, III, 1.
Osric, rex prov. Huicciorum præest, IV, 23.
Osric, post Coenred rex Nord. Vita decedit, decreto successore Ceoluulfo, V, 23.
Osthryda, regis Ecgfridi soror, Aedilredi uxor, IV, 21. Regina Merc. Devota S. Osualdi, III, 11.
Osuald, Sextus in Britt. imp., II, 5. Aeduini successor, Ecclesiam S. Petri Ebor. perficit, II, 14, 20. Caeduallam interficit. Cruce ante pugnam erecta orat, III, 1, 2. Aedanum a Scottis antistitem accipit. Insulam illi Lindisfarnensem pro sede episcopatus tribuit. Verba episcopi populo interpretatur. Ecclesiæ constructæ. Monasteria instituta, III, 3. Ejus imperium, prosapia, eleemosynæ, miraculum in manu et brachio, III, 6. Cynigilsum, regem Occident. Sax. de baptismo, et filiam postea ejus in uxorem, suscipit. Eidem se in dono Dorcic civitatis jungit, III, 7. Occisus est. Miracula loci et reliquiarum, III, 9, 10, 11, 12, 13. Dies ejus anniversaria, IV, 14.
Oswaldi sceptrum eburneum, 356. Vexillum, 357. Lorica et crux, 358. Cornu eburneum, 359.
Osuini rex Derorum. Ejus stirps. Dotes. Cædes. Exemplum humilitatis, III, 14. Caro ejus, 357.
Osuiu, fr. Osualdi, et successor, III, 14. Pictor. et Scott. gentes tributarias facit, II, 5. Ab inimicis, Merciis, Aedilfrido, Oidiluaido impugnatus. Osuini occidit, III, 14. Eanfledam regis Aeduini filiam uxorem ducit, III, 15. Filiam Alchfledam Peadæ regi Merc. locat. Regnum Merc. accipit, III, 21. Ejus instantia Orient. Sax. fidem recipiunt, III, 22. Ejus vota et victoria contra Pendan. Sepultura in Streanaeshalch. Imperium. Traditio regni Austr. Merc. Peadæ, III, 24. Ejus judicium de Pascha in syn. Strenæshalch, III, 25. Ceaddan Cantiam ordinandum mittit, III, 28. V, 19. Ille et rex Ecgbertus Uighardum Romam in episcopatum Doruv. ordinand. mittunt. Epistolam, etc., a pont. Rom. recepit, III, 29; IV, 1. Ceaddan Theodoro postulante Merc. s episcopum dat. Uilfridi episcopatum ad sui imperii limites extendit, IV, 2. Mors, IV, 5.
Oswoldi episc. Wigorn. Chartæ, 378. Ejusdem archiep. Ebor., 382.
Ouini, monachus reginæ Aedilthrydæ intrat mon. Læstingaeu. Testis revelationis de morte Ceaddæ, IV, 3.
Oxoniensis academia non certissimis rationibus Aluredum fundatorem suum vendicat, 346. De illa nihil invenitur in Malmsburiensis libello de Glastoniensis cœnobii antiquitate, 349. Neque in ejus libello de regibus, 350. Neque in Constantii Vita S. Germani, *ibid*. Neque in Vita S. Gildæ, *ibid*. Rationes omnes quibus Aluredus istius Academiæ fundator fuisse ostenditur, evertuntur, *ibid*. Tres aulæ Universitatis ab Aluredo non fundatæ, 353. In hoc studio educatus Ingulphus, 356.

P

Padda, unus e presb. qui gentem Angl. Sax. baptizabant, IV, 13.
Palladius, ad Scottos primus mittitur episc., I, 13.
Pancratii reliquiæ, a pont. Rom. ad regem Osuiu missæ, III, 29.
Pascha, controversiæ quæ omni ævo in Ecclesia acciderunt de ejus celebratione, 317.
Patricii ossa, 357.
Paulinus, a pont. Rom. Greg. I ad Augustinum in Britt. missus, I, 29. A Justo ordinatus episc., cum Aedilberga ad Aeduinum venit, regem et gentem Nord. ad fidem convertit. Filiam se regi precibus impetrasse astruit, II, 9. Regis Aeduini visionem spiritu discit, II, 12. Sedem episcopatus Eboracæ accipit. Prædicat. Baptizat. Basilicam in Campodono facit. Miraculum altaris ignem evadentis, II, 14. Provinciæ Lindissi fidem prædicat. Ecclesiam in civitate Lindocol. facit. Honorium archiepisc. in ea consecrat. In fl. Treenta baptizat. Ejus Effigies, II, 16. Cum Aedilberge regina Cantiam redit. Fit episc. Hrofi. In qua Ecclesia moriens pallium reliquit, II, 20. Quo anno moritur et ubi sepultus, III, 14. Illo prædicante Hereric fidem suscepit, IV, 23.
Pauli apost. ecclesia Lundoniæ facta, II, 3. Tonsura, IV, 1.
Peada, filius Pendan regis Mediterr. Angl. Alchfledam regis Osuiu filiam petit. Fidem recipit, III, 21. Regnum Angl. Mediterr. dono regis Osuiu accipit. Peremptus est, III, 24.
Peanfahel, al. Penneltun, I, 12.
Peartaneu, mon. in prov. Lindissi, II, 16; III, 11.
Pecthelm desperan is visionem Bedæ narrat, V, 13. Testis miraculorum Hæddi, V, 18. Primus Candidæ Casæ episc. cum Beda Historiam clauderet, V, 23.
Pegualech, mon. in quo Tuda sepultus, III, 27.
Pelagius, Britto. Ejus hæresis, I, 10, 17, 21. Epistola Johannis pont. Rom. elect. contra eam, II, 19.
Penda, rex Merc., paganus, auxiliatur Cæduallæ contra Aeduinum, II, 20. Coinualchum regem Occident. Sax. ob filiæ repudium regno privat, III, 7. Regiones Nord. vastat, III, 15. Urbem Bebbanb. exercitu et igne frustra adoritur. Vicum quo Aedanus obit flammis absumit, destina una intacta, III, 17. Sigberctum, Ecgricem, Anna, reges Orient. occidit, III, 18. Ipse ab Osuiu occisus, III, 24.
Pente, amnis Orient. Angl. ad cujus ripam Ythancæstir, III, 22.
Perrona, Galliæ villa, in qua Fursei corpus servabatur, III, 19.
Petrus, apost. Corripit Laurentium archiepiscopum, II, 6. Ejus ecclesia Eburaci, II, 14. Alia apud Bebbanburch, III, 6. Alia Lichfeldiæ, IV, 3. Monasterium huic dicatum Uuiremuthæ, IV, 18.
Petri et Pauli apost. Ecclesia et monasterium Cantuariæ, I, 33; II, 3. Reliquiæ, III, 29. Eorum monasterium ad Uiuraemuda et Ingyruum, V, 24.
Petrus, pont. Rom. Greg. I diaconus, II, 1.
Petrus, monachus, ab Augustino ad Greg. missus, I, 27. Presb., ab mon. Pet. et Paul. Doruv. Legatus in Galliam.



Digitized by Google

Demersus. Bononiæ sepultus, I, 33.
Phocas, imp. Romanam sedem statuit supremam, I, 34.
Pantheon ecclesiam B. Mariæ et omnium martyrum facit, I, 32.
Picti, unde, I, 1, 12. Ubi sederunt, I, 1, III, 4. Mos eorum de feminea regum prosapia, I, 1. In Brittones irrumpunt, I, 12. Tributarii Osuio, II, 4. Fidem a Scottis recipiunt. Eorum ritus de Pascha, III, 4. Septentrionales et Australes Picti, III, 4 Eboræ. Ecclesiæ in eos jurisdictio tempore Uilfridi, IV, 3. Pictor. prov. Anglor. imperio subjecta, IV, 12. Ab Ecgfrido impugnata. Libertatem recuperat, IV, 26. Status gentis cum Bæda Historiam clauderet, V, 23.
Pipinus, dux Franc. Fresiæ captæ fidem infert. Hewaldorum corpora Coloniæ condidit, V, 10. Suidbercto, insulam in littore. Uilbrordo sedem in Uiltaburg donat, V, 11.
Puch, Comes, prope Inderaunda, cujus conjugem Johannes episc. aqua benedicta sanavit, V, 4.
Putta episc. Hrofi. Modulationis Romanæ peritus, IV, 2. Conc. Herutford adest, IV, 5. Ecclesia sua ab Aedilredo depopulata, aliam a Sexuulfo accipit. Ecclesiæ carmina docuit. In pace vitam finivit, IV, 12.

Q

Quentauic, portus Galliæ, unde Theodorus in Britt. navigavit, IV, 1.
Quoenburga, filia Cearli regis Merc., uxor Aeduini, II, 14.
Quoenburg, virgo mon. Vetadun. a Johanne episc. sanata, V, 3.

R

Racuulf, mon., ejus situs Inde Berctuald, V, 8.
Radagundis reliquiæ, 360, 361.
Raedfrid, præfectus regis Ecgbercti, ad Theodorum suscipiendum in Galliam missus, IV, 1.
Rathbed, rex Fresiæ, cui Uictberct verbum frustra prædicat, V, 9. A Pipino expulsus, V, 10.
Rathmelsigi, mon. Hiberniæ, in quo Ecgberct vixit, III, 27.
Reduald, rex Orient. Angl. Quartus Austr. Angl. imp., II, 5. Aedilfridum occidit. Aeduinum in regnum elevat, II, 12. Pater Earpualdi. Sacramentis Christianæ fidei imbutus. Tamen idolis serviebat. Ejus prosapia, II, 15.
Regenheri, filius regis Redualdi, in prælio occisus, II, 12.
Reliquiarum Dunelmensis ecclesiæ index, 356.
Reliquiæ a S. Greg. ad Augustinum missæ, 315.
Rendlesham, vicus regius Orient. Angl., ubi Cedd Suidhelmum baptizavit III, 22.
Reuda, dux Scottorum, I, 1.
Rhenus. V. Hrenus.
Rhof., Rhofcestre. V. Hrof.
Rhripensis ecclesia. V. Inhrypum.
Ricberct, a quo Earpuald occisus, II, 15.
Ricula, soror Aedilbercti, II, 3.
Roberti de Stanhope capilli et cilicium, 357.
Roberti episc. S. Andreæ chartæ, 370.
Roma, a Gothis fracta, I, 11.
Romani, in Britt. regnare cessarunt, I. 11. In Britt. auxilium revertuntur. Murum de lapide loco valli Severiani collocant, III, 2. Brittanis valedicunt, I, 12.
Romanus, Hrofescæstriæ post Justum episc., II, 8. Fluctibus absorptus, II, 20.
Romanus, Eanfledæ presb., synodo Streneshalch interest, III, 25.
Ronan, Scottus, veri Paschæ defensor, III, 25.
Rufinianus, a pont. Rom. Greg. I ad Augustinum in Britt. missus, I, 29.
Rugini, V, 9.
Rutubi portus, I, 1.

S

Saberct, rex Orient. Sax., Aedilbercti nepos, II, 3. Saba a filiis dictus. Illo mortuo, filii ejus pagani idolis licentiam dant. Oblatione sancta interdicti. Pontificem expellunt. In prælium egressi corruunt, II, 5.
Sabrina amnis. Quis populorum ultra eam episc., V, 23.
Saethrid, filius Anna, rex Orient. Angl., mon. Brige abbatissa, III, 8.
Saraceni Gallias vastant, V, 23.
Saranus, doctor, seu ab. Scott., cui inter cæteros pont. Rom. Johannes, etc., litteras de Pascha mittit, II, 19.
Saxones, Austr. seu Meridiani, I, 15. Ad Christum conversi, IV, 13 Occidentalibus Sax. subjecti, IV, 15. Proprium habent episcopum, V, 17.
Saxones, Occident. seu Geuissæ fidem suscipiunt, III, 7. Eorum reges Caedualla et Ini Romam adierunt, V, 7.
Saxones, Orient. Eorum metropolis Lundonia, II, 3. A fide deficiunt, II, 5. Fidem recipiunt, III, 22. Iterum deficientes ab errore revocantur, III, 30.
Scellanus, unus e presb. Scottis quib. pont. Rom. Johannes epist. de Pascha, etc., mittit, II, 19.
Scholæ in Galliis sub Romanis impp., 336.
Scholæ in Gallicanis episcopiis, 337, et monasteriis, 338. Item aliis in locis, 339.
Schola Cantuariorum liberalioribus scientiis florentissima. *ibid.*
Scholæ pluribus in Angliæ locis præter Cantiam, 340.
Schola Cantiana celeberrima sub Theodoro archiepisc., 340, 341.
Scholæ apud Gallos liberalibus studiis excellebant, 341, et Cantuariæ sub Theodoro, 343.
Scholæ Sigberctinæ pueri, 344, 346, et pædagogi, 345.
Scholam Sigberctinam fuisse Cantabrigiæ æque validis rationibus probari potest, ac Aluredianam Oxoniis, 346.
Schola Oxoniensis an habuit fundatorem Aluredum merito dubitatur, 350.
Schola Alurediana non Oxoniis posita, sed in aula regia, 353.
Schola Sigberctina an Cantabrigiæ fuerit, 354. Si non Cantabrigiæ, quo in loco, 356.
Scottorum patria Hibernia, I, 1.
Scotti in Brittania, I, 1, 34; V, 22. Abeuntibus Romanis Brittaniam vastant, I, 12.
Scottorum septentrionalium erroneus ritus de Pascha, II, 4, 19; III, 3, 25.
Scotti Austrini tonsuram et Pascha Catholicum observant, III, 26.
Scottorum episcoporum conversatio, III, 26. Cum Scottis seu Hibernis Ecgfridi bellum, IV, 26.
Scotti catholicos ritus suscipiunt, V, 14. 21.
Scottiæ crux nigra, 353.
Sebbi, rex Orient. Sax. Fidelis, III, 30; IV, 6. Ejus pietas. Visio. Mors. Miraculum in sarcofago, IV, 2.
Sedulius, ad cujus exemplum Aldhelm lib. de Virginitate versu et prosa composuit, V, 18.
Segeni, unus e presb. Scott. quib. pont. Rom. Johannes epistolam de Pascha misit, II, 19.
Selaelseu, ejus descriptio. Uilfrido donata, IV, 13. Pueri ibidem visio, IV, 14.
Senonum episc. Emme, apud quem Hadrianus Britt. veniens hiemavit, IV, 1.
Sergius, pont. Rom. Cujus tempore rex Caedual a Roma baptizatus, V, 7. Suidberct et Uilbrod in Fresiam ordinati episc., V, 11.
Severianus episc., pater Agricolæ, qui Pelag. hæres. in Britt. intulit, I, 17.
Severinus, pont. Rom. successor Honorii, II, 19.
Severus, imp., in Britt. trahitur. Vallum ducit. Eboraci obit. I, 5. Romani juxta vallum habitabant, sed ulterius jure dominandi possidebant, I, 11.
Severus, episc. Treveris, discipulus Lupi, Germano contra Pelag. hær. in Britt. redeunti jungitur, I, 21.
Sexburg, filia Anna regis Orient. Angl., uxor Earconbercti, III, 8. Post sororem Aedilthrydam abbatissa de Elge, IV, 19.
Sexuulf, ab. Medeshamstedi, episc. Merc. pro Uynfrido ordinatus, IV, 6. Puttæ Hrof. episc. Ecclesiam rec sui donat. Merc. simul et Mediterr. Angl. episc. De Lindissi expulsus, IV, 12.
Sigberct, fr. Eorpuald, exsul in Gallia, Christianus accipit regnum. Orient. Angl. prov. ad fidem reducit, scholam instituit, II, 15; III, 18. Locum mon. Furseo donat, III, 19. Mon. intrat. Inde in prælium eductus occisus est, III, 18.
Sigberct, rex Orient. Sax. bapt. Doctores petit, a suis interfectus, cædis occasio, III, 22.
Sigbercti schola, quo in loco posita, 355.
Sighar, filius Sebbi, et successor, IV, 11.
Sigheri, rex Orient Sax., apostata, III, 30; IV, 6.
Sigillum antiquum Dunelmensis conventus, 331.
Solvente, pelagus, Vectæ et Brittaniæ interpositum, ejus latitudo, æstus, IV, 16.
Sprot (Thomas), 313.
Stanford, terra ibidem Uilfrido donata, V, 19.
Stilico legionem Romanam ad Brittaniæ limitem constituit, 311.
Stillingfletus errat de tempore trium legationum ad Romanos a Brittonibus missarum, *ibid.*
Streanaeshalch, mon. Hildæ. Cui post eam Aelfleda præfuit. In quo ipsa, et Osuiu, Eanfled, Aeduini, etc., sepulti sunt, III, 25. Ratio nominis. Synodus ibi de Pascha, III, 25. Ex eo quinque episc., IV, 23. Recessus Trumuini, IV, 26.
Sualua fl. in prov. Deror., in quo Paulinus baptizavit, II, 14.
Sudergeona, regio juxta fl. Tamensem, in qua Cerotaesei, IV, 6.
Suefred, fr. Sighardi, et regni socius, IV, 11
Suevi, per Gallias sæviunt, I, 11.

Digitized by Google

Ceadda ad mon. Adbaruæ donat. Regni ejus limites, iv, 3. A rege Egfrido fugatus, iv, 12. Aediluulch rex Angl. Sax., de fonte baptismi susceptum Vecta ins. et Meanuarorum prov. donat, iv, 13. De ejus filiis Uulfado et Ruffina, 362.
Uulfstanus. Compositio inter Wulfstanum archiepisc. Ebor. et Wulfricum, 383.
Uuscfrea, filius regis Aeduini de Aedilberga. A Paulino bapt., ii, 14. Cantiam cum matre redit. Metu Eadbaldi et Osualdi regum in Galliam missus. Et in infantia ibidem defunctus, ii, 20.
Wynfrid, episc. Merc. et Mediterr. Angl. et Lindisf., iii, 24. A Theodoro ordinatus, iv, 3. Adest conc. Herutford, iv, 5. A Theodoro depositus, in mon. Adbaruæ vitam finit, iv, 6.

V

Valens, imp., i, 9.
Valentinianus, imp., i, 9, 21.
Vandali, per Gallias sæviunt, i, 11.
Vantsumu, fl. Tanaton ins. a continente secernens, i, 25.
De Vasis aureis et argenteis a S. Greg. Augustino datis, 315.
Vecta, ins. Ejus situs, magnitudo. A Vespasiano subjugata, i, 3; iv, 16. A rege Uulfheri Aedilualcho baptizato donata, iv, 13. A rege Caedualla capta. Quarta ejus pars Uilfrido donata. Quomodo fidem recipit, iv, 16. Ejus jurisdictio ad Danihelem Ventanum episc. pertinet, v, 23.
Vecta, proavus Hengist et Horsa, i, 15.
Venta, Sax. Uintancæstir, sedes secunda episc. Occident. Sax. Ecclesia apost. Petri et Pauli ibidem, iii, 7.
Verlamacaestir, civitas juxta quam S. Albanus passus est, i, 7.
Vespasianus imp. Vectam insulam subjugavit, i, 3.
Vestimenta, quæ Gregorius Magnus in Angliam misit, 314.
Vetadun, mon. quo Johannes episc. virginem de phlebotomia moribundam sanavit, v, 3.
Victbert, quis in Fresia frustra prædicat, v, 9.
Virgilius, episc. Arelat. Cui Greg. epist. mittit, de Augustino in societatem disciplinæ suscipiendo, i, 28.
Vitalianus, pont. Rom. Ejus epistola ad regem Osuiu, de episc. pro Uighardo mittendo, iii, 29. Theodorum mittit, iv, 1.
Vitra, Avus Hengist et Horsa, i, 15.
Vortigernus, rex Britt., i, 14.

W

Wood (Antonius) in suis Antiq. Oxon. scholam Sigberetinam grammaticalem tantum falso affirmat, 341. Perperam negat Theodorum Cantuariæ scholam aperuisse, 343. Ingratus erga Aluredum qui ab Oxoniensibus istius Academiæ funda or d citur, 345. Linguam Saxonicam vel non omnino vel pessime intellexit, *ibid.* Infeliciter negat pueros, imo et infantes, in Aluredianа schola suisse, 346. Omnia quæ scribit de Aluredianis professoribus, Omnis artes et theologiam prælegentibus refutantur, 349, 352.
Werfrithi episc. Wigorn. charta, 376.

Y

Yffi, filius Osfridi, filii Aeduini de Quoenburga, a Paulino bap., ii, 14. Cantiam cum matre redit, ii, 20.
Ythancastir, civitas Orient. Angl. Ejus situs. Ecclesiæ a Cedd in ea constitutæ, iii, 22.

# ORDO RERUM
## QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

DISSERTATIO Chiffletii de auctore Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum. 9
CAPUT PRIMUM. — De Bedæ presbyteri ætate, adeoque vero die obitus, veroque anno. *Ibid.*
CAP. II. — De transitu Bedæ et ejus conversatione. 15
Ejusdem Chiffletii monitum. 17
Smith monitum. *Ibid.*
Bedæ epistola præfatoria ad regem Ceolulphum. 21
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER PRIMUS. 23
CAPUT PRIMUM. — De situ Brittaniæ vel Hiberniæ, et priscis earum incolis. *Ibid.*
CAP. II. — Ut Brittaniam primus Romanorum Gaius Julius Cæsar adierit. 27
CAP. III. — Ut eamdem secundus Romanorum Claudius adiens, Orcadas etiam insulas Romano adjecerit imperio. Sed et Vespasianus ab eo missus, Vectam quoque insulam Romanis subdiderit. 29
CAP. IV. — Ut Lucius, Brittanorum rex, missis ad Eleutherum papam litteris, Christianum se fieri petierit. 30
CAP. V. — Ut Severus receptam Brittaniæ partem vallo a cætero distinxerit. *Ibid.*
CAP. VI. — De imperio Diocletiani, et ut Christianos persecutus sit. 31
CAP. VII. — Passio S. Albani et sociorum ejus, qui eodem tempore pro Domino sanguinem fuderunt. 32
CAP. VIII. — Ut, hac cessante persecutione, Ecclesia in Brittaniis aliquantulum usque ad tempora Arianæ vesaniæ pacem habuerit. 35
CAP. IX. — Ut, regnante Gratiano, Maximus in Brittania imperator creatus cum magno exercitu in Galliam redierit. 36
CAP. X. — Ut, Arcadio regnante, Pelagius Britto contra gratiam Dei superba bella susceperit. *Ibid.*
CAP. XI. — Ut, regnante Honorio, Gratianus et Constantinus in Brittania tyranni creati; et mox prior in Brittania, secundus in Gallia sint interempti. 37
CAP. XII. — Ut Brittones a Scottis vastati Pictisque, Romanorum auxilia quæsierint, qui, secundo venientes, murum trans insulam fecerunt, sed, hoc confestim a præfatis hostibus interrupto, majore sunt calamitate depressi. 38
CAP. XIII. — Ut, regnante Theodosio minore, cujus tempore Palladius ad Scottos in Christum credentes missus est, Brittones ab Aetio consule auxilium flagitantes non impetraverint. 40
CAP. XIV. — Ut Brittones fame famosa coacti barbaros suis e finibus pepulerint; nec mora, frugum copia, luxuria, pestilentia, et exterminium gentis secutum sit. 41
CAP. XV. — Ut invitata in Brittaniam gens Anglorum, primo quidem adversarios longius ejecerit; sed non multo post, juncto cum eis fœdere, in socios arma verterit. 42
CAP. XVI. — Ut Brittones primam de gente Anglorum victoriam, duce Ambrosio Romano homine, sumpserint. 44
CAP. XVII. — Ut Germanus episcopus cum Lupo in Brittaniam navigans, primo maris, deinde Pelagianorum tempestatem divina virtute sedaverit. 45
CAP. XVIII. — Ut idem filiam tribuni cæcam illuminaverit, ac deinde ad sanctum Albanum perveniens, reliquias ibidem et ipsius acceperit, et beatorum apostolorum sive aliorum martyrum posuerit. 47
CAP. XIX. — Ut idem causa infirmitatis ibidem detentus, et incendia domorum orando restinxerit; et ipse per visionem sit a languore suo curatus. 48
CAP. XX. — Ut iidem episcopi Brittonibus in pugna auxilium cœleste tulerint, sicque domum reversi sint. 49
CAP. XXI. — Ut, renascentibus virgultis Pelagianæ pestis, Germanus cum Severo Brittaniam reversus, prius claudo juveni incessum, deinde et populo Dei, condemnatis sive emendatis hæreticis, gressum recuperarit fidei. 50
CAP. XXII. — Ut Brittones, quiescentibus ad tempus exteris, civilibus sese bellis contriverint, simul et majoribus flagitiis submerserint. 52
CAP. XXIII. — Ut sanctus papa Gregorius Augustinum cum monachis ad prædicandum genti Anglorum mittens, epistola quoque illos exhortatoria ne a laborando cessarent, confortaverit. *Ibid.*
CAP. XXIV. — Ut Arelatensi episcopo epistolam pro eorum susceptione miserit. 54
CAP. XXV. — Ut veniens Brittaniam Augustinus, primo in insula Tanato, regi Cantuariorum prædicarit, et sic, accepta ab eo licentia, Cantiam prædicaturus intraverit. 55
CAP. XXVI. — Ut idem in Cantia primitivæ Ecclesiæ et doctrinam sit imitatus et vitam, atque in urbe regis sedem episcopatus acceperit. 56
CAP. XXVII. — Ut idem episcopus factus Gregorio papæ, quæ sint Brittaniæ gesta mandarit, et simul de necessariis ejus responsa petens acceperit. 57
CAP. XXVIII. — Ut papa Gregorius epistolam Arelatensi episcopo, pro adjuvando in opere Dei Augustino, miserit. 68
CAP. XXIX. — Ut idem Augustino pallium et epistolam, et plures verbi ministros miserit. 69

Digitized by Google

Cap. XXX. — Exemplar epistolæ quam Mellito abbati Brittaniam pergenti misit. 70
Cap. XXXI. — Ut Augustinum per litteras, ne de virtutibus suis gloriaretur, hortatus sit. 71
Cap. XXXII. — Ut Ædilberecto regi litteras et dona miserit. 72
Cap. XXXIII. — Ut Augustinus ecclesiam Salvatoris instauraverit, et monasterium beati Petri apostoli fecerit, et de primo ejus abbate Petro. 74
Cap. XXXIV. — Ut Ædilfrid rex Nordanhymbrorum, Scottorum gentes prælio conterens, ab Anglorum finibus expulerit. 75

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER SECUNDUS. *Ibid.*

Caput primum. — De obitu beati papæ Gregorii. *Ibid.*
Cap. II. — Ut Augustinus Brittonum episcopos pro pace catholica, etiam miraculo cœlesti coram eis facto, monuerit, quæve illos spernentes ultio secuta sit. 81
Cap. III. — Ut idem Mellitum ac Justum episcopos fecerit, et de obitu ejus. 85
Cap. IV. — Ut Laurentius cum coepiscopis suis Scottos unitatem Ecclesiæ, maxime in Pascha celebrando, sequi monuerit, et ut Mellitus Romam venerit. 86
Cap. V. — Ut, defunctis Ædilberecto et Saberecto regibus, successores eorum idololatriam resuscitarint, ob quod Mellitus et Justus Brittania decesserint. 88
Cap. VI. — Ut correptus ab apostolo Petro Laurentius Æodbaldum regem ad Christum converterit, qui mox Mellitum et Justum ad prædicandum revocaverit. 91
Cap. VII. — Ut Mellitus episcopus flammas ardentis suæ civitatis orando restinxerit. 92
Cap. VIII. — Ut Bonifacius papa Justo successori ejus pallium et epistolam miserit. 93
Cap. IX. — De imperio regis Æduini, et ut veniens ad evangelizandum ei Paulinus, primo filiam ejus cum aliis, fidei Christianæ sacramentis imbuerit. 94
Cap. X. — Ut papa Bonifacius eumdem regem missis litteris sit hortatus ad fidem. 96
Cap. XI. — Ut conjugem ipsius, per epistolam, salutis illius sedulam agere curam monuerit. 99
Cap. XII. — Ut Æduini per visionem quondam sibi exsuli ostensam, sit ad credendum provocatus. 100
Cap. XIII. — Quale consilium idem cum primatibus suis de percipienda fide Christi habuerit; et ut pontifex ejus suas aras profanaverit. 103
Cap. XIV. — Ut idem Æduini cum sua gente fidelis sit factus, et ubi Paulinus baptizaverit. 105
Cap. XV. — Ut provincia Orientalium Anglorum fidem Christi susceperit. 107
Cap. XVI. — Ut Paulinus in provincia Lindissi prædicaverit, et de qualitate regni Æduini. 108
Cap. XVII. — Ut idem ab Honorio papa exhortatorias litteras acceperit, qui etiam Paulino pallium miserit. 109
Cap. XVIII. — Ut Honorius, qui Justo in episcopatum Dorovernensem successit, ab Honorio papa pallium et litteras acceperit. 111
Cap. XIX. — Ut primo idem Honorius, et post Johannes litteras genti Scottorum pro Pascha simul et pro Pelagiana hæresi miserit. 113
Cap. XX. — Ut occiso Æduino Paulinus Cantiam rediens Hrofensis Ecclesiæ præsulatum susceperit. 114

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER TERTIUS. 115

Caput primum. — Ut primi successores Æduini regis et fidem suæ gentis prodiderunt et regnum; porro Osualdus Christianissimus rex utrumque restauravit. *Ibid.*
Cap. II. — Ut de ligno crucis quod idem rex contra barbaros pugnaturus erexerat, inter innumera sanitatum miracula, quidam a dolentis brachii sit languore sanatus. 117
Cap. III. — Ut idem rex postulans de gente Scottorum antistitem, acceperit Aedanum eidemque in insula Lindisfarnensi sedem episcopatus donaverit. 119
Cap. IV. — Quando gens Pictorum fidem Christi susceperit. 121
Cap. V. — De vita Aedani episcopi. 123
Cap. VI. — De religione ac pietate miranda Osualdi regis. 125
Cap. VII. — Ut provincia Occidentalium Saxonum verbum Dei, prædicante Birino, susceperit, et de successoribus ejus Agilbercto et Leutherio. 126
Cap. VIII. — Ut rex Cantuariorum Earconberct idola destrui præceperit; et de filia ejus Earcongota, et propinqua Aedilbergæ, sacratis Deo virginibus. 128
Cap. IX. — Ut in loco in quo occisus est rex Osuald, crebra sanitatum miracula facta; atque ibi primo jumentum cujusdam viantis, ac deinde puella paralytica sit curata. 132
Cap. X. — Ut pulvis loci illius contra ignem valuerit. 133
Cap. XI. — Ut super reliquias ejus lux cœlestis tota nocte steterit; et ut per eas sint dæmoniaci curati. 134
Cap. XII. — Ut ad tumbam ejus sit puerulus a febre sanatus. 136
Cap. XIII. — Ut in Hibernia sit quidam per reliquias ejus a mortis articulo revocatus. *Ibid.*
Cap. XIV. — Ut, defuncto Paulino, Ithamar pro eo Hrofensis Ecclesiæ præsulatum susceperit; et de humilitate mirabili regis Osuini, qui ab Osuiu peremptus est. 138
Cap. XV. — Ut episcopus Aidan nautis et tempestatem futuram prædixerit, et oleum sanctum quo hanc sedarent, dederit. 141
Cap. XVI. — Ut idem admotum ab hostibus urbi regiæ ignem orando amoverit. *Ibid.*
Cap. XVII. — Ut apposita ecclesiæ cui idem accumbens obierat, ardente cætera domo, flammis absumi nequiverit, et de interna vita ejus. 142
Cap. XVIII. — De vita vel morte regis Sigberti. 144
Cap. XIX. — Ut Furseus apud Orientales Anglos monasterium fecerit, et de visionibus vel sanctitate ejus, cui etiam caro post mortem incorrupta testimonium perhibuerit. 145
Cap. XX. — Ut, defuncto Honorio, pontificatu sit functus Deusdedit, et qui in tempore illo Orientalium Anglorum, qui Hrofensis Ecclesiæ fuerint antistites. 149
Cap. XXI. — Ut provincia mediterraneorum Anglorum sub rege Peada Christiana sit facta. 150
Cap. XXII. — Ut Orientales Saxones fidem quam dudum abjecerant, sub rege Sigberto, prædicante Ceddo, receperint. 151
Cap. XXIII. — Ut idem episcopus Cedd locum monasterii construendi ab Oidilvaldo rege accipiens, orationibus ac jejuniis Domino consecraverit, et de obitu ipsius. 153
Cap. XXIV. — Ut provincia Merciorum, occiso rege Peada, fidem Christi susceperit, et Osuiu, pro adepta victoria, possessiones et territoria ad construenda monasteria dederit. 155
Cap. XXV. — Ut quæstio sit mota de tempore Paschæ, adversus eos qui de Scottia venerant. 158
Cap. XXVI. — Ut Colman victus domum redierit; et Tuda pro illo episcopatu sit functus; qualisque illis doctoribus fuerit habitus Ecclesiæ. 163
Cap. XXVII. — Ut Ecgberct, vir sanctus de natione Anglorum, monachicam vitam in Hibernia duxerit. 165
Cap. XXVIII. — Ut defuncto Tuda, Uilfrid in Gallia, Ceadda apud Occidentales Saxones, in provincia Nordanhymbrorum sint ordinati episcopi. 167
Cap. XXIX. — Ut Uighardus presbyter ordinandus in archiepiscopum, Romam de Brittania sit missus: quem remissa mox scripta papæ apostolici ibidem obiisse narraverint. 168
Cap. XXX. — Ut Orientales Saxones tempore mortalitatis ad idololatriam reversi, sed per instantiam Jarumanni episcopi mox sint ab errore correcti. 170

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER QUARTUS. 171

Caput primum. — Ut, defuncto Deusdedit, Uighard ad suscipiendum episcopatum, Romam sit missus; sed illo ibidem defuncto, Theodorus archiepiscopus ordinatus, et cum Hadriano abbate sit Brittaniam missus. *Ibid.*
Cap. II. — Ut Theodoro cuncta peragrante, Anglorum Ecclesiæ cum catholica veritate, litterarum quoque sanctarum cœperint studiis imbui; et ut Putta pro Damiano Hrofensis Ecclesiæ sit factus antistes. 173
Cap. III. — Ut Ceadda provinciæ Merciorum sit episcopus datus; et de vita, obitu et sepultura ejus. 175
Cap. IV. — Ut Colman episcopus, relicta Brittania, duo monasteria in Scottia, unum Scottis, alterum Anglis, quos secum adduxerat, fecerit. 178
Cap. V. — De morte Osuiu et Ecgbercti regum, et de synodo facta ad locum Herutforda, cui præsidebat archiepiscopus Theodorus. 180
Cap. VI. — Ut deposito Uinfrido, Saexuulf episcopatum ejus acceperit et Earconuald Orientalibus Saxonibus sit episcopus datus. 183
Cap. VII. — Ut in monasterio Bericinensi, ubi corpora sanctimonialium feminarum poni deberent, cœlesti sit luce monstratum. 185
Cap. VIII. — Ut in eodem monasterio puerulus moriens virginem quæ se erat secutura vocaverit; utque alia de corpore egressura jam particulam futuræ lucis aspexerit. *Ibid.*
Cap. IX. — Quæ sint ostensa cœlitus signa cum et ipsa mater congregationis illius e mundo transiret. 186
Cap. X. — Ut ad cœmeterium ejusdem monasterii orans cæca lumen receperit. 187
Cap. XI. — Ut rex Orientalium Saxonum nomine Sebbi vitam in monachica conversatione finierit. 188
Cap. XII. — Ut episcopatum Occidentalium Saxonum

pro Leutherio Haeddi, episcopatum Hrofensis Ecclesiæ pro Putta Cuichelm, et pro ipso Gulmund acceperit; et qui tunc Nordanhymbrorum fuerint episcopi. 190
Cap. XIII. — Ut Uilfrid episcopus provinciam Australium Saxonum ad Christum converterit. 191
Cap. XIV. — Ut intercessione Osualdi regis pestifera mortalitas sit sublata. 195
Cap. XV. — Ut Caedualla rex, interfecto rege Geuissorum Aedilualch, provinciam illam depopulatus sit. 196
Cap. XVI. — Ut Vecta insula Christianos incolas susceperit, cujus regii duo pueri statim post acceptum baptisma sint interempti. *Ibid.*
Cap. XVII. — De synodo facta in campo Haethfelda, præsidente archiepiscopo Theodoro. 198
Cap. XVIII. — De Joanne cantatore sedis apostolicæ qui propter docendum Britanniam venerit. 199
Cap. XIX. — Ut Aedilthryd regina virgo perpetua permanserit, cujus nec corpus in monumento corrumpi potuerit. 201
Cap. XX. — Hymnus de eadem. 204
Cap. XXI. — Ut Theodorus episcopus inter Ecgfridum et Aedilredum reges pacem fecerit. 205
Cap. XXII. — Ut vincula cujusdam captivi, cum pro eo missæ cantarentur, soluta sint. *Ibid.*
Cap. XXIII. — De vita et obitu Hilde abbatissæ. 208
Cap. XXIV. — Quod in monasterio ejus fuerit frater cui donum canendi sit divinitus concessum. 212
Cap. XXV. — Qualis visio cuidam viro Dei apparuerit, priusquam monasterium Coludanæ urbis esset incendio consumptum. 215
Cap. XXVI. — De morte Ecgfridi et Hloteri regum. 218
Cap. XXVII. — Ut vir Domini Cudberctus sit episcopus factus, utque in monachica adhuc vita positus vixerit vel docuerit. 220
Cap. XXVIII. — Ut idem in vita anachoretica et fontem de arente terra orando produxerit, et segetem de labore manuum ultra tempus serendi acceperit. 222
Cap. XXIX. — Ut idem jam episcopus obitum suum proxime futurum Hereberecto anachoretæ prædixerit. 224
Cap. XXX. — Ut corpus illius, post undecim annos sepulturæ, sit corruptionis immune repertum; nec multo post successor episcopatus ejus de mundo transierit. 225
Cap. XXXI. — Ut quidam ad tumbam ejus sit a paralysi sanatus. 226
Cap. XXXII. — Ut alter ad reliquias ejus nuper fuerit a languore curatus. 227
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER QUINTUS. 229
Caput primum. — Ut Oidiluald successor Cudbercti, in anachoretica vita, laborantibus in mari fratribus tempestatem orando sedaverit. *Ibid.*
Cap. II. — Ut episcopus Joannes mutum et scabiosum benedicendo curaverit. 230
Cap. III. — Ut idem puellam languentem orando sanaverit. 231
Cap. IV. — Ut conjugem comitis infirmam aqua benedicta curaverit. 232
Cap. V. — Ut idem puerum comitis orando a morte revocaverit. 233
Cap. VI. — Ut clericum suum cadendo contritum orando ac benedicendo etiam a morte revocaverit. 234
Cap. VII. — Ut Caedualla, rex Occidentalium Saxonum, baptizandus Romam venerit; sed et successor ejus Ini eadem beatorum apostolorum limina devotus adierit. 236
Cap. VIII. — Ut, Theodoro defuncto, archiepiscopatus gradum Berctuald susceperit; et inter plurimos quos ordinavit, etiam Tobiam, virum doctissimum, Hrofensi Ecclesiæ fecerit antistitem. 238
Cap. IX. — Ut Ecgbertus, vir sanctus, ad prædicandum in Germaniam venire voluerit, nec valuerit; porro Uictberct advenerit quidem, sed quia nec ipse aliquid profecisset, rursum in Hiberniam, unde venerat, redierit. 241
Cap. X. — Ut Uilbrord in Fresia prædicans, multos ad Christum converterit; et ut socii ejus Hewaldi sint martyrium passi. 243
Cap. XI. — Ut viri venerabiles Suidberct in Brittania, Uilbrord Romæ sint in Fresiam ordinati episcopi. 245
Cap. XII. — Ut quidam in provincia Nordanhymbrorum a mortuis resurgens, multa et tremenda et desideranda quæ viderat narraverit. 247
Cap. XIII. — Ut e contra alter ad mortem veniens, oblatum sibi a dæmonibus codicem suorum viderit peccatorum. 252
Cap. XIV. — Ut item alius moriturus deputatum sibi apud inferos locum viderit. 254
Cap. XV. — Ut plurimæ Sanctorum Ecclesiæ, instante Adamnano, catholicum Pascha susceperint; utque idem librum de Locis sanctis scripserit. 255
Cap. XVI. — Quæ in eodem libro de loco Dominicæ nativitatis, passionis, et resurrectionis commemoraverit. 256
Cap. XVII. — Quæ item de loco Ascensionis Dominicæ, et sepulcris patriarcharum. 257
Cap. XVIII. — Ut Australes Saxones episcopos acceperint Eadberctum et Eollam, Occidentales Danihelem et Aldhelmum; et de scriptis ejusdem Aldhelmi. 258
Cap. XIX. — Ut Coinred Merciorum et Offa Orientalium Saxonum reges in monachico habitu Romæ vitam finierint; et de vita vel obitu Uilfridi episcopi. 261
Cap. XX. — Ut religioso abbati Hadriano Albinus, Uilfrido in episcopatum Acca successerit. 269
Cap. XXI. — Ut Ceolfrid abbas regi Pictorum architectos ecclesiæ simul et epistolam de catholico Pascha et tonsura miserit. 271
Cap. XXII. — Ut Hienses monachi, cum subjectis sibi monasteriis canonicum, prædicante Ecgberto, celebrare pascha cœperint. 280
Cap. XXIII. — Quis sit in præsenti status gentis Anglorum, vel Brittaniæ totius. 282
Cap. XXIV. — Recapitulatio chronica totius operis et de persona auctoris. 286
Bedæ chronologia continuata, auctore anonymo. 289
*APPENDIX AD VENERABILIS BEDÆ OPERA, complectens elucidationes in illa opera, præsertim vero in* Historiam ecclesiasticam. 291
*PAULUS WINFRIDUS DIACONUS.*
Notitia historica. 415
PAULI WINFRIDI DIACONI OPERA HISTORICA, SIVE OPERUM EJUS OMNIUM PARS PRIMA. 419
Ad Pauli Winfridi Diaconi Langobardicam Historiam Præfatio Muratorii. *Ibid.*
Horatii Blanci Romani ad lectorem Monitum. 421
Langobardorum regum Catalogus. 427
Epitaphium Pauli Winfridi Diaconi. 429
Epistola dedicatoria. *Ibid.*
Lindenbrogii Præfatio. 431
HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER PRIMUS. 433
Caput primum. — De Germania, quod plures nutriat populos, ideoque ex ea multæ gentes egrediantur. *Ibid.*
Cap. II. — De Scandinavia insula, et quia ex ea Winilorum, hic est, Langobardorum gens est egressa. 437
Cap. III. — Quod Ibor et Ayo, primi duces Winilorum, cum matre sua Gambara fuerunt. 441
Cap. IV. — De septem viris apud Germaniam dormientibus. *Ibid.*
Cap. V. — De gente Scrito-Winorum. 442
Cap. VI. — De duobus umbilicis Oceani maris, qui sunt ex utraque parte Britanniæ. 444
Cap. VII. — Quod Winili in Scoringam venerunt; et quia Ambri et Assi Wandalorum duces eis tributa persolvere mandaverunt. 446
Cap. VIII. — De Wodan et Frea ridicula fabula. 447
Cap. IX. — Quare Winili Langobardi appellati sint, et quod Wotan ipse sit qui apud Romanos Mercurius dicitur. 448
Cap. X. — Quomodo Langobardi Wandalos vicerunt, et de fame Langobardorum. 449
Cap. XI. — Quia Langobardi in Mauringam transire volentes, ab Assipittis sunt impediti. *Ibid.*
Cap. XII. — De monomachia duorum virorum fortium, quorum unus e Langobardis, alter ex Assipittis fuit. 450
Cap. XIII. — Quod Langobardi in Mauringam transierunt, ac deinde ad ulteriora loca progressi sunt. *Ibid.*
Cap. XIV. — Quia, mortuis Ibor et Ayone, Langobardi primum regem Agelmundum habuerunt. 452
Cap. XV. — De meretrice quæ septem infantulos peperit, ex quibus Lamissio unus fuit, et de monomachia ejus cum Amazone. 453
Cap. XVI. — Quomodo Bulgares noctu super castra Langobardorum irruentes, Agelmundum regem interfecerunt, et filiam ejus captivam duxerunt. 454
Cap. XVII. — Quomodo Lamissio rex effectus est, et qualiter Bulgares superavit. *Ibid.*
Cap. XVIII. — Quod mortuo Lamissione regnum Lethu susceperit, et post hunc filius ejus Hildehoc, post quem quoque Godeoc regnavit. 455
Cap. XIX. — Bellum inter Odoacar regem Torcilingorum, et Felecheum regem Rugorum, et quomodo Langobardi, superatis ab Odoacre Rugis, eorum provinciam possederunt. 457
Cap. XX. — Mortuo Godehoc, regnavit Claffo, et post hunc Tato, qui delevit regnum Herulorum. 458
Cap. XXI. — De morte Tatonis, et regno Wachonis, et quomodo Wacho Suevos superavit, et de uxoribus ejus et filiabus, et de regno Waltari filii ejus. 461
Cap. XXII. — Mortuo Waltari regnavit Audoin, qui Langobardos in Pannoniam adduxit. 464

Digitized by Google

Cap. XXIII. — Bellum Gepidorum cum Langobardis, in quo Alboin filium regis Gepidorum exstinxit. 465
Cap. XXIV. — Quomodo Alboin cum quadraginta viris ad Turisendum regem, cujus filium interemerat, profectus est, arma ab eo petens, ut cum suo patre possit in convivio residere, et quomodo a Turisendo arma accepit. Ibid.
Cap. XXV. — De regno Justiniani et victoriis ejus. 467
Cap. XXVI. — De beato Benedicto, et miraculis, et laudibus ejus. 466
Cap. XXVII. — De morte Audoin et regno Alboin, et quomodo Alboin Cunimundum, regem Gepidorum, superavit, et filiam ejus Rosemundam in matrimonium duxit. 474

HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER SECUNDUS. 477
Caput primum. — Quomodo Langobardi conducti a Narsete chartulario, eidem contra Gothos auxilium præstiterunt. Ibid.
Cap. II. — Quomodo Narsis Buccellinum et Amingum Francorum duces superavit, et de morte Leutharii tertii ducis. 478
Cap. III. — Quomodo Narsis Sinduald, Herulorum regulum, sibi rebellantem exstinxit. 479
Cap. IV. — De signis pestilentiæ et mortalitate, quæ tempore Narsetis Italiam vastavit. 480
Cap. V. — De invidia Romanorum adversus Narsetem. 481
Cap. VI. — Qualiter Alboin ad suum auxilium Saxones ascivit. 483
Cap. VII. — Quomodo Alboin cum Langobardis, relicta Pannonia, ad Italiam venit. Ibid.
Cap. VIII. — Quomodo Alboin ad Italiæ fines veniens, montem Regis ascendit, et de bisontibus feris. 484
Cap. IX. — Quomodo Alboin Venetiarum fines ingressus in Foro Julii Gisulfum suum nepotem ducem constituit. 485
Cap. X. — Qui reges eo tempore Francis imperabant, et de Benedicto papa. 486
Cap. XI. — De morte Narsetis. 488
Cap. XII. — De Felice episcopo Tarvisiano. 489
Cap. XIII. — De eodem Felice, et Fortunato sapientissimo viro. Ibid.
Cap. XIV. — Quomodo Alboin Venetiarum provinciam cepit. 491
Cap. XV. — De Liguria secunda Italiæ provincia. 492
Cap. XVI. — De quinta Italiæ provincia, quæ Alpes Cottiæ appellantur, et de sexta, quæ Thuscia dicitur. Ibid.
Cap. XVII. — De Campania Italiæ septima provincia, et de Lucania sive Britia, quæ est octava. Ibid.
Cap. XVIII. — De Appenninis Alpibus, quæ nona est Italiæ provincia, et de Æmilia, quæ est decima. 493
Cap. XIX. — De Flaminia, undecima Italiæ provincia, et de Piceno, quæ duodecima computatur. 494
Cap. XX. — De Valeria et Nursia quæ pro decima tertia ponitur, et Samnio, quæ est decima quarta. Ibid.
Cap. XXI. — De Calabria, et Apulia, et Salento, quæ decima quarta provincia appellatur. 495
Cap. XXII. — Sexta decima provincia Italiæ Sicilia est; septima decima Corsica, octava decima Sardinia. Ibid.
Cap. XXIII. — Ob quam causam aliqua pars Italiæ Cisalpinæ vocatur Gallia. Ibid.
Cap. XXIV. — Quare Italia sic vocitatur; ut quid etiam Ausonia vel Latium dicitur. 496
Cap. XXV. — Quomodo Alboin Mediolanum ingressus est. Ibid.
Cap. XXVI. — Quomodo Ticinensis civitas tribus annis obsessa est, et quia Langobardi Tusciam invaserunt. 497
Cap. XXVII. — Quomodo Alboin Ticinum ingressus est. Ibid.
Cap. XXVIII. — Quomodo Alboin, postquam tribus regnavit annis, consilio suæ conjugis, ab Helmichis interfectus est. 498
Cap. XXIX. — Quia Helmichis regnare voluit, sed non potuit. 500
Cap. XXX. — Quomodo Longinus post eorum mortem Albsuindam cum Langobardorum thesauro imperatori direxit; et de Peredeo, quomodo in Constantinopolim Leonem occidit. Ibid.
Cap. XXXI. — De regno Cleph, qui secundus regnavit. 501
Cap. XXXII. — Quomodo duces Langobardorum per decem annos sine rege fuerunt, per quos Italia subjugata est. 502

HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER TERTIUS. Ibid.
Caput primum. — Quia duces Langobardorum ad prædandum in Gallia directi sunt. Ibid.
Cap. II. — De Langobardo qui B. Hospitium exstinguere voluit. 503
Cap. III. — Quomodo Langobardorum exercitui Amatus patricius bellum intulit, et quomodo ab eisdem victus est et occisus. 504
Cap. IV. — Quomodo Langobardi Galliam ingressi a Mummulo patricio sunt devicti. Ibid.
Cap. V. — Quomodo Saxones cum Langobardis in Italiam venerunt. Ibid.
Cap. VI. — Quomodo Saxones cum uxoribus, et parvulis suis iterum Galliam ingressi sunt. 505
Cap. VII. — Quomodo Saxones de patria sua Suevos, et alias gentes, quæ ibi residebant, expulere. 506
Cap. VIII. — Quomodo tres duces Langobardorum, hoc est, Amo, Zaban, et Rhodanus, a Mummulo devicti sunt. Ibid.
Cap. IX. — Quomodo Franci Anagnis castrum Langobardorum ceperunt, et quomodo Ragilo comes a Francorum duce Chramniche occisus est. 507
Cap. X. — De morte Sigisberti Francorum regis, et de nuptiis Evin ducis. 508
Cap. XI. — De morte Justini minoris. Ibid.
Cap. XII. — De principatu Tib. Constantini, et de bonis actibus ejus. 509
Cap. XIII. — De aureis quos imperator direxit, et de beato Gregorio. 513
Cap. XIV. — De morte Probini patriarchæ. 515
Cap. XV. — De morte Tiberii Constantini Augusti, et de imperio Mauricii. 516
Cap. XVI. — De regno Authari, et quanta securitas ejus tempore fuit. 517
Cap. XVII. — Quomodo Childebertus Italiam introivit, sed facta pace discessit. 518
Cap. XVIII. — De expugnatione Brexelli, et de fuga Droctulfi ducis. 519
Cap. XIX. — De morte Droctulfi, et quali epitaphio honoratus est. 520
Cap. XX. — De sacerdotio Pelagii papæ, et errore Eliæ patriarchæ. 522
Cap. XXI. — De bello Childeberti contra Hispanos. 523
Cap. XXII. — De Francorum exercitu qui in Italiam venit. 524
Cap. XXIII. — De aquæ diluvio, et miraculo quod factum est in basilica sancti Zenonis. 525
Cap. XXIV. — De pontificatu B. Gregorii, et clade quæ tunc Romæ facta est. 526
Cap. XXV. — Quomodo B. Gregorius Anglos convertit. Ibid.
Cap. XXVI. — De morte Eliæ patriarchæ, et sacerdotio Severi. 527
Cap. XXVII. — Quomodo rex Authari sororem Childeberti in matrimonium accepit. 529
Cap. XXVIII. — Quomodo Franci in Italiam introierunt, et a Langobardis devicti sunt. Ibid.
Cap. XXIX. — Quomodo rex Authari in Bajoariam perrexit, ut suam sponsam videret. Ibid.
Cap. XXX. — Quomodo iterum Francorum exercitus in Italiam venit. 532
Cap. XXXI. — Quomodo rex Authari Beneventum perrexit. 534
Cap. XXXII. — De Zottone primo Beneventorum duce. 536
Cap. XXXIII. — Quomodo Anthari rex legatos ad Guntramnum misit, et de ejus mirabili visione. Ibid.
Cap. XXXIV. — De morte Authari regis et de regno Agilulfi. 537

HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER QUARTUS. 537
Caput primum. — Quod Agilulfus rex pro captivis legatos in Galliam misit. 537
Cap. II. — De siccitate quæ eodem anno fuit, et de locustis. 538
Cap. III. — Quod rex Agilulfus Menulfum occidit, et de rebellatione Gaidulfi et Ulfari. 539
Cap. IV. — De peste apud Ravennam, et de bello Childeberti cum filio Hilperici. 540
Cap. V. — Quod codicem dialogorum B. Gregorius Theudelindæ reginæ direxit. Ibid.
Cap. VI. — De bonis actibus Theudelindæ reginæ. 541
Cap. VII. — Quod Tassilo a Childeberto Francorum rege rex ordinatus est. Ibid.
Cap. VIII. — Quod Romanus patricius civitates quas Langobardi tenebant invasit, et quia rex Agilulfus Maurisionem ducem occidit, et quia cum B. Gregorio et Romanis pacem fecit. 541
Cap. IX. — Epistola B. Gregorii ad Theudelindam. 542
Cap. X. — Item ejusdem epistola ad Agilulfum regem. 543
Cap. XI. — De stella comete et morte Joannis episcopi et Evin ducis, et de Bajoariis. 544
Cap. XII. — De morte Childeberti Francorum regis, et

Digitized by Google

de bello Avarorum cum Francis, et de transitu Guntramni regis. 544
Cap. XIII. — Quia Cacanus legatos ad Agilulfum misit et de pace cum Gallicino patricio. 545
Cap. XIV. — De pace Agilulfi cum Francis, et de morte Zangrulfi et Warnecautii. Ibid.
Cap. XV. — De peste apud Ravennam et mortalitate apud Veronam. Ibid.
Cap. XVI. — De signo sanguineo in cœlo, et bello Francorum inter se. 546
Cap. XVII. — De morte Ariulfi ducis Spoletani, et de ducatu Thudelapii. Ibid.
Cap. XVIII. — De prædicatione facta a Langobardis in cœnobio sancti Benedicti. 547
Cap. XIX. — De morte Zottonis et ducatu Arichis. 548
Cap. XX. — Epistola B. Gregorii papæ ad eumdem Arichis. 549
Cap. XXI. — De captivitate filiæ regis Agilulfi, et quia rex Agilulfus Cacano artificem direxit. 550
Cap. XXII. — De basilica B. Joannis in Modicia, quam Theudelinda regina ædificavit. Ibid.
Cap. XXIII. — De palatio quod construxit. 551
Cap. XXIV. — De subversione Patavinæ urbis. 551
Cap. XXV. — De pace facta cum avaribus, et quod Langobardi Istriam sunt ingressi. Ibid.
Cap. XXVI. — De nativitate Adaloaldi filii Agilulfi et invasione montis Silicis. Ibid.
Cap. XXVII. — De morte Mauricii imperatoris. 562
Cap. XXVIII. — De Gaidoaldo et Gisulfo ducibus, et de baptismo Adaloaldi. Ibid.
Cap. XXIX. — De captu Cremonæ et Mantuæ; et de morte filiæ regis, et de bello Francorum. 563
Cap. XXX. — De transitu B. Gregorii papæ, et ejus sanctitate. 564
Cap. XXXI. — De regno Adaloaldi, et de pace facta cum Francis. 566
Cap. XXXII. — Bellum Francorum cum Saxonibus. Ibid.
Cap. XXXIII. — De pace facta cum Smaragdo patricio, et de captis Tusciæ civitatibus. 567
Cap. XXXIV. — De morte Severi patriarchæ, et de sacerdotio Joannis et Candidiani. Ibid.
Cap. XXXV. — De invasione Neapolitanæ civitatis, et de morte Eleutherii falsi imperatoris. 568
Cap. XXXVI. — De pace facta cum imperatore. 569
Cap. XXXVII. — De Foca, Augusto et ejus nece, et imperio Eraclii. Ibid.
Cap. XXXVIII. — De morte Gisulfi ducis, et de prædatione Forojulianæ urbis, et cæteris malis, quæ Langobardi ab Hunnis sunt perpessi. 571
Cap. XXXIX. — De genealogia Pauli Arnefridi. 574
Cap. XL. — De ducatu et de morte Tasonis et Saconis. 576
Cap. XLI. — De Grasulfo duce Forojuliano, et de adventu Radoaldi et Grimoaldi in Beneventum. 577
Cap. XLII. — De facta pace cum imperatore et Francis, et depopulatione Histriæ, et morte Gundualdi. Ibid.
Cap. XLIII. — De morte Agilulfi, et de regno Adaloaldi, et ejus expulsione, et regno Arioldi. 578
Cap. XLIV. — De morte Arioldi, et regno Rothari, et quia dux Arichis filium suum Aionem ad regem direxit. 581
Cap. XLV. — De morte Arichis Beneventani ducis, et ducatu Aionis. 582
Cap. XLVI. — De morte Aionis et ducatu Radoaldi. 583
Cap. XLVII. — De civitatibus quas Rothari cepit. 584
Cap. XLVIII. — De morte Rodoaldi ducis (*qui etiam* Radoaldus *dicitur*), et quia ei in ducatu Grimoaldus ejus germanus successit. 585
Cap. XLIX. — De morte Rothari regis et regno Rodoaldi. 586
Cap. L. — De morte Rodoaldi et regno Ariperti. 587
Cap. LI. — De morte Heraclii Augusti, et Constantini, qui ei successit, et regno alterius Constantini. 588
Cap. LII. — De Cesara regina Persarum. 589
Cap. LIII. — De morte Ariperti, et Godeberti filii ejus, qui ei successit, et regno Grimoaldi, et interitu Garibaldi ducis. 590
HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER QUINTUS. 591
Caput primum. — Quomodo Grimoaldus, confirmato regno, uxorem duxit filiam Ariperti regis. Ibid.
Cap. II. — De fuga Bertaridi, et quomodo ad Grimoaldum reversus est, et iterum in Franciam fugit. 592
Cap. III. — De clementia Grimoaldi regis in Hunulfo et vestiario Bertaridi. 593
Cap. IV. — Quomodo Grimoaldus Hunulfum et vestiarium Bertaridi ad eumdem Bertarium remisit. 596
Cap. V. — Bellum Grimoaldi adversus Francos, et victoria ejus. 597
Cap. VI. — Quomodo Constans Augustus Italiam veniens Beneventum obsedit. 598
Cap. VII. — Quomodo Grimoaldus invitatus a filio suo Romoaldo Beneventum advenit. 599
Cap. VIII. — Quomodo imperator, accepta obside Romoaldi sorore, a Benevento discessit. 600
Cap. IX. — Quomodo imperatoris exercitum Mirola, Capuanus comes, afflixit. 601
Cap. X. — Quomodo Romoaldus Saburrum ab imperatore missum, cum viginti millibus vicit. Ibid.
Cap. XI. — De malis quæ Constans Augustus Romanis intulit, et de prædationibus quas singulis regionibus fecit: et quomodo exstinctus est. 602
Cap. XII. — De imperio Mecetii, et de morte ipsius. 605
Cap. XIII. — Quomodo Saraceni ab Alexandria venientes Siciliam depopulati sunt, et quidquid Constans Augustus de Roma abstulerat deprædati sunt. Ibid.
Cap. XIV. — De morte Gisæ sororis Romoaldi. 604
Cap. XV. — De pluviis et tonitruis quæ eo tempore nimia facta sunt. Ibid.
Cap. XVI. — Quomodo rex Grimoaldus Trasemundum ducem apud Spoletum ordinavit eique suam filiam in matrimonium tradidit. Ibid.
Cap. XVII. — Quod in Foro-Julii post Grasulfum Ago ducatum tenuit, et post hunc eorum ductor Lupus effectus est. 605
Cap. XVIII. — Quomodo Lupus dux contra Grimoaldum rebellavit. Ibid.
Cap. XIX. — Quomodo ipse dux bellum contra Avares gessit. Ibid.
Cap. XX. — De morte Lupi ducis, et quomodo Avares Forojulianorum fines deprædati sunt. 606
Cap. XXI. — Quomodo Avares nolentes de Foro-Julii exire, Grimoaldi astutia expulsi sunt. Ibid.
Cap. XXII. — De Warnefrido filio Lupi. Ibid.
Cap. XXIII. — De Wectari Forojulianorum duce, et de ejus victoria. 607
Cap. XXIV. — De morte Wectari, et quomodo ei Landaris successit, et de Rodoaldo qui post eum ducatum tenuit. 608
Cap. XXV. — Quomodo Grimoaldus filiam Lupi ducis Romoaldo filio suo sociavit. Ibid.
Cap. XXVI. — Quomodo Grimoaldus de suis contemptoribus se ultus est. Ibid.
Cap. XXVII. — Quomodo Grimoaldus Forum-Popilii expugnans delevit. Ibid.
Cap. XXVIII. — De odio quod Grimoaldus adversus Romanos habuit. 609
Cap. XXIX. — De Bulgarum duce Alzecone, et quomodo in Benevento cum suis ordinatus est. Ibid.
Cap. XXX. — Quia, exstincto tyranno Mecetio, Constantinus in locum Constantis Augusti Romanorum princeps effectus est. 610
Cap. XXXI. — De stella comete, et de operibus papæ Doni. 611
Cap. XXXII. — Quomodo Bertaridus ad regnum Saxonum in Brittania ire disposuit. Ibid.
Cap. XXXIII. — De morte Grimoaldi regis, et de reversione Bertaridi et regno ejus. 612
Cap. XXXIV. — De monasterio quod construxit, vel quod regina ejus ædificavit. 613
Cap. XXXV. — De Bertarido et regno Cuniberti filii ejus. 614
Cap. XXXVI. — De rebellatione Alachis prima, et quomodo in gratiam rediit. Ibid.
Cap. XXXVII. — De morte Bertaridi et regno Cuniberti. 615
Cap. XXXVIII. — Quomodo Alachis palatium Cuniberti invasit. 616
Cap. XXXIX. — Quomodo Cunibertus rursus suum palatium ingressus est. 617
Cap. XL. — Bellum Alachis adversus Cunibertum. 619
Cap. XLI. — Item bellum Cuniberti et Alachis, et de victoria Cuniberti, et quomodo triumphans Ticinum ingressus est. 620
HISTORIÆ LANGOBARDICÆ LIBER SEXTUS. 621
Caput primum. — Quomodo Romoaldus Tarentum cepit, et quomodo Theuderada monasterium sancti Petri ædificavit. Ibid.
Cap. II. — De morte Romoaldi, et quomodo corpus beati Benedicti ad Gallias delatum est. Ibid.
Cap. III. — De Rodoaldo duce Forojuliano, et de Ansfrit qui ejus ducatum invasit. 623
Cap. IV. — De synodo quæ apud Constantinopolim facta

Digitized by Google

est, et de epistola Damiani episcopi. 625
Cap. V. — De eclipsi lunæ et solis, et de pestilentia quæ Romæ et Ticini facta est. 627
Cap. VI. — Quomodo per antiquum hostem Aldoni et Grausoni nuntiatum est quod eos Cunibertus occidere vellet. 628
Cap. VII. — De Felice diacono grammatico. 629
Cap. VIII. — De Joanne Bergomensi episcopo. *Ibid.*
Cap. IX. — De stella obscura quæ tunc apparuit, et de eructatione Vesuvii montis. 630
Cap. X. — Quomodo gens Saracenorum Africam cepit, et Carthaginem diruit. *Ibid.*
Cap. XI. — De morte Constantini, et regno Justiniani, et victoria ejus de Saracenis. *Ibid.*
Cap. XII. — Quomodo Leo Justiniani in exsilium trusi regnum invasit. 631
Cap. XIII. — Quomodo Tiberius Leonem superans, et in carcerem conjiciens, imperator effectus est. *Ibid.*
Cap. XIV. — Quomodo papa Sergius Aquileiensem synodum, nolentem sanctam quintam synodum suscipere, correxit. *Ibid.*
Cap. XV. — De Theodaldo rege Anglorum, quomodo Romam veniens baptizatus est, statimque obiit. 632
Cap. XVI. — Quomodo regnum Francorum apud Gallias sub majoribus domus regiæ esse cœperit. 634
Cap. XVII. — De morte Cuniberti regis, et regno filii ejus Liutberti. 636
Cap. XVIII. — De Ragunberto duce Taurinensium, quomodo superato Liutberto regnum invasit, et eo anno occubuit. 637
Cap. XIX. — Quomodo Aripertus regnum invasit, et Liutbertum vivum comprehendit, et postea exstinxit. *Ibid.*
Cap. XX. — Quomodo Rotharit apud Bergamum regnans, ab Ariperto captus, vitaque privatus est. 638
Cap. XXI. — Quomodo Ansprandus in Bojoariam fugiens, cum Theudeberto eorum duce permansit. *Ibid.*
Cap. XXII. — Quomodo Aripertus Ansprandi uxorem filiumque ejus et filiam diversis modis deturpavit, et quomodo Liutprandum ad patrem suum in Bojoariam ire permisit. 639
Cap. XXIII. — Quomodo apud Gallias major domus Anschis Arnulfi filius tunc erat. *Ibid.*
Cap. XXIV. — De morte Aldonis apud Forum-Julii, et ducatu Ferdulfi, qui a Sclavis occisus est. *Ibid.*
Cap. XXV. — De ducatu Corvuli apud Forum-Julii, qui a rege excæcatus est. 641
Cap. XXVI. — De Pemmone Forojulianorum duce, et de nativitate trium filiorum ejus. *Ibid.*
Cap. XXVII. — De Gisulfo Beneventanorum duce, quomodo Suram et alia castra invasit. 642
Cap. XXVIII. — De donatione quam Aripertus Romanæ Ecclesiæ fecit, et de duobus Anglorum regibus. *Ibid.*
Cap. XXIX. — De Benedicto Mediolanensi archiepiscopo. *Ibid.*
Cap. XXX. — De morte Trasemundi Spoletani ducis, et ducatu filii ejus Faroaldi. 643
Cap. XXXI. — De Justiniano imperatore, quomodo iterum regnum invasit, et suos rebelles occidit. *Ibid.*
Cap. XXXII. — Quomodo Philippicus Justinianum peremit, et Augustale decus invasit. 644
Cap. XXXIII. — De obitu Petri architæ, et sacerdotio Sereni. 645
Cap. XXXIV. — Quomodo Philippicum Anastasius superavit. *Ibid.*
Cap. XXXV. — Quomodo Ansprandus, auxiliante sibi Theudeberto, cum Bojoariis Aripertum superavit, et de morte Ariperti in flumine; et de fuga germani ejus Cuniberti, et regno Ansprandi, et Luitprandi filii ejus. 646
Cap. XXXVI. — Quomodo Theodosius Anastasium superavit, et regnum invasit, et de inundatione Tiberis. 648
Cap. XXXVII. — De gente Anglorum, et rege Francorum Pippino, et bellis ejus, et quia ei Karolus suus filius successit. *Ibid.*
Cap. XXXVIII. — Quomodo Liutprandus rex Rothharit suum rebellem occidit, et de audacia ejusdem regis. 649
Cap. XXXIX. — De morte Gisulfi ducis Beneventani, et ducatu filii ejus Romoaldi. 650
Cap. XL. — Quomodo beatus Petronax monasterium sancti Patris Benedicti apud Cassinum reparavit, et de monasterio sancti Vincentii. *Ibid.*
Cap. XLI. — Quomodo defuncto imperatore Theodosio, Leo ei successit in regno. 651
Cap. XLII. — Quomodo Carolus Francorum princeps Reginfridum superavit. 652
Cap. XLIII. — Quomodo Liutprandus rex donationem Ecclesiæ confirmavit, et quomodo filiam Theudeberti in conjugium accepit. *Ibid.*
Cap. XLIV. — Quomodo Faroaldus classem invasit, et quia Theudo Bojoariorum dux ad apostolorum limina Romam venit. 653
Cap. XLV. — Quod defuncto Sereno patriarcha, Calistus regimen Ecclesiæ suscepit; et de bello Pemmonis adversus Slavos. *Ibid.*
Cap. XLVI. — De adventu Saracenorum in Hispaniam, et quomodo eos Carolus et Eudo in Gallia superaverunt. 654
Cap. XLVII. — Quomodo Saraceni Constantinopolim obsederunt, et a Bulgaribus devicti sunt. *Ibid.*
Cap. XLVIII. — Quomodo Liutprandus rex corpus beati Augustini Ticinum advexit. 655
Cap. XLIX. — Quas civitates Romanorum Liutprandus rex invasit, et de deterioribus factis Leonis Augusti. 656
Cap. L. — De Romoaldo Beneventano duce, et Gisulfo filio ejus. 657
Cap. LI. — De inimicitiis Pemmonis contra Calistum patriarcham. *Ibid.*
Cap. LII. — Bellum Ratchis contra Sclavos. 659
Cap. LIII. — Quomodo rex Liutprandus Pippino Caroli regis filio capillum totondit. *Ibid.*
Cap. LIV. — Saraceni rursum Gallias repetentes a Francis superantur, et quomodo Liutprandus in solatium Francorum ivit. *Ibid.*
Cap. LV. — De Trasemundo duce Spoletano, et Gisulfo Beneventano, et Gregorio et regno Hilprandi. 660
Cap. LVI. — Quia mortuo Gregorio Gothschalcus in Benevento dux factus est; et quomodo rex Liutprandus bellum in Pentapoli gessit. 667
Cap. LVII. — Liutprandus quid Spoleti egerit. Godeschalcus, audiens adventum ejus Beneventum, fugiens a Beneventanis extinctus est. 668
Cap. LVIII. — Idem quid Beneventi egerit. De Baodolino miræ sanctitatis viro. Huic par Theudelapius, et Petrus Ticinensis episcopus. *Ibid.*
VITA S. GREGORII MAGNI, auctore Paulo eodem (*hic tantum memorata, edita autem Patrol., tom. LXXV, coll. 42-62*). 673
LIBELLUS de ordine et gestis episcoporum Metensium. *Ibid.*
*Prolegomena*, sive, *Dissertation sur l'origine apostolique de l'Eglise de Metz, par M. Chaussier, supérieur du petit séminaire de cette ville.* *Ibid.*
Incipit libellus. 699
*Appendix*, id est, *Catalogue des évêques de Metz.* 723
PASSIO S. CYPRIANI Paulo nostro attributa. 725
VITA S. ARNOLFI secundum Surium a Paulo nostro scripta. 731
HISTORIA MISCELLA quam Paulus Diaconus multis additamentis auxit, atque a Valentiniani imperio usque ad tempora Justiniani deduxit, et Landulphus Sagax, seu quisquam alius continuavit usque ad annum Christi 816. 739
PAULI WINFRIDI DIACONI OPERA ASCETICA, SIVE OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA. — HOMILIARIUS. 1159
Caroli Magni ad religiosos lectores epistola. *Ibid.*
Pauli Diaconi versus nuncupatorii. *Ibid.*
*Incipiunt homiliæ de tempore.* *Ibid.*
Homilia prima. — In Dominica prima adventus Domini. *Ibid.*
Hom. II. — De eadem Dominica. 1160
Hom. III. — In Dominica secunda Adventus. 1161
Hom. IV. — De eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. V. — In Dominica tertia Adventus. *Ibid.*
Hom. VI. — De eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. VII. — In feria quarta quatuor temporum. *Ibid.*
Hom. VIII. — De eadem feria. *Ibid.*
Hom. IX. — In feria sexta quatuor temporum. *Ibid.*
Hom. X. — De eadem feria. 1162
Hom. XI. — In Sabbato quatuor temporum. *Ibid.*
Hom. XII. — De eodem sabbato. *Ibid.*
Hom. XIII. — In Dominica quarta Adventus. *Ibid.*
Hom. XIV. — De eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. XV. — De eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. XVI. — In Dominica ante Natalem Christi. *Ibid.*
Hom. XVII. — In vigilia Nativitatis Domini. *Ibid.*
Hom. XVIII. — In nocte Nativitatis Domini. 1167
Hom. XIX. — De eadem nocte. *Ibid.*
Hom. XX. — In eadem sancta nocte vel aurora. *Ibid.*
Hom. XXI. — In die sancto. *Ibid.*
Hom. XXII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXIII. — De eodem festo. 1168
Hom. XXIV. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXV. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXVI. — De eodem festo. *Ibid.*

Digitized by Google

Hom. XXVII. — De eodem festo. 1168
Hom. XXVIII. — De eodem festo. 1169
Hom. XXIX. — De sancto Stephano. Ibid.
Hom. XXX. — De eodem festo. Ibid.
Hom. XXXI. — In natali sancti Stephani. 1173
Hom. XXXII. — De eodem sancto Stephano. Ibid.
Hom. XXXIII. — In festivitate sancti Stephani. Ibid.
Hom. XXXIV. — De miraculis sancti Stephani. Ibid.
Hom. XXXV. — De sancto Joanne apostolo et evangelista. Ibid.
Hom. XXXVI. — In die natali ejusdem sancti Joannis. 1174
Hom. XXXVII. — De Innocentibus. Ibid.
Hom. XXXVIII. — In festo sanctorum Innocentium. Ibid.
Hom. XXXIX. — In natali Innocentium. 1176
Hom. XL. — In natali sanctorum Innocentium. 1177
Hom. XLI. — Sermo de silentio. Ibid.
Hom. XLII. — In Dominica intra octavam Natalis Christi. 1179
Hom. XLIII. — In Circumcisione Domini. 1185
Hom. XLIV. — De eodem festo. 1186
Hom. XLV. — De eodem festo. Ibid.
Hom. XLVI. — In vigilia Epiphaniæ. Ibid.
Hom. XLVII. — In Epiphania Domini. 1188
Hom. XLVIII. — De eodem festo. Ibid.
Hom. XLIX. — De eodem festo. Ibid.
Hom. L. — Infra octavam Epiphaniæ. Ibid.
Hom. LI. — In octava Epiphaniæ. Ibid.
Hom. LII. — Dominica prima post Epiphaniam, id est infra octavam. Ibid.
Hom. LIII. — In Dominica secunda post Epiphaniam. 1189
Hom. LIV. — In Dominica tertia post Epiphaniam. Ibid.
Hom. LV. — In Dominica quarta post Epiphaniam. 1198
Hom. LVI. — In festo Purificationis beatæ Mariæ. 1200
Hom. LVII. — In Purificatione sanctæ Mariæ. Ibid.
Hom. LVIII. — In Dominica quinta post Epiphaniam. 1205
Hom. LIX. — Dominica in Septuagesima. Ibid.
Hom. LX. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXI. — Dominica in Sexagesima. 1208
Hom. LXII. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXIII. — In eadem Dominica. De cupiditate. 1210
Hom. LXIV. — In Dominica Quinquagesimæ. Ibid.
Hom. LXV. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXVI. — In die Cinerum. 1213
Hom. LXVII. — In eodem die. Ibid.
Hom. LXVIII. — In feria quinta post diem Cinerum. Ibid.
Hom. LXIX. — In feria sexta post diem Cinerum. 1214
Hom. LXX. — In Sabbato post diem Cinerum. Ibid.
Hom. LXXI. — Dominica prima in Quadragesima. Ibid.
Hom. LXXII. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXXIII. — In feria secunda post *Invocavit*. Ibid.
Hom. LXXIV. — In feria tertia post *Invocavit*. 1219
Hom. LXXV. — In feria quarta post *Invocavit*. 1223
Hom. LXXVI. — In feria quinta post *Invocavit*. Ibid.
Hom. LXXVII. — In feria sexta post *Invocavit*. 1228
Hom. LXXVIII. — In Sabbato post *Invocavit*. 1233
Hom. LXXIX. — In Dominica secunda Quadragesimæ. Ibid.
Hom. LXXX. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXXXI. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. LXXXII. — In feria secunda post *Reminiscere*. 1241
Hom. LXXXIII. — In feria tertia post *Reminiscere*. 1245
Hom. LXXXIV. — In feria quarta post *Reminiscere*. 1248
Hom. LXXXV. — In feria quinta post *Reminiscere*. 1251
Hom. LXXXVI. — In feria sexta post *Reminiscere*. Ibid.
Hom. LXXXVII. — In Sabbato post *Reminiscere*. 1257
Hom. LXXXVIII. — In Dominica tertia Quadragesimæ. 1263
Hom. LXXXIX. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. XC. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. XCI. — In feria secunda post *Oculi*. Ibid.
Hom. XCII. — In feria tertia post *Oculi*. 1264
Hom. XCIII. — In feria quarta post *Oculi*. 1267
Hom. XCIV. — In feria quinta post *Oculi*. 1272
Hom. XCV. — In feria sexta post *Oculi*. Ibid.
Hom. XCV *bis*. — In Sabbato post *Oculi*. 1279
Hom. XCVI. — In Dominica *Lætare*. 1282
Hom. XCVII. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. XCVIII. — In feria secunda post *Lætare*. Ibid.
Hom. XCIX. — In feria tertia post *Lætare*. 1287
Hom. C. — In feria quarta post *Lætare*. 1293
Hom. CI. — In feria quinta post *Lætare*. 1299
Hom. CII. — In feria sexta post *Lætare*. Ibid.
Hom. CIII. — In Sabbato post *Lætare*. 1307
Hom. CIV. — Dominica in Passione. 1311
Hom. CV. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. CVI. — In feria secunda post *Judica*. Ibid.
Hom. CVII. — In feria tertia post *Judica*. 1314
Hom. CVIII. — In feria quarta post *Judica*. 1317
Hom. CIX. — In feria quinta post *Judica*. 1322
Hom. CX. — In feria sexta post *Judica*. Ibid.
Hom. CXI. — In vigilia Palmarum. 1324
Hom. CXII. — In die Palmarum. 1325
Hom. CXIII. — De eadem Dominica. Ibid.
Hom. CXIV. — In feria secunda post diem Palmarum. Ibid.
Hom. CXV. — In feria tertia post diem Palmarum. Ibid.
Hom. CXVI. — In feria quarta post diem Palmarum. Ibid.
Hom. CXVII. — In Cœna Domini. Ibid.
Hom. CXVIII. — In Cœna Domini. Ibid.
Hom. CXIX. — In feria sexta Parasceves. Ibid.
Hom. CXX. — In eadem feria. 1326
Hom. CXXI. — In vigilia Paschæ. Ibid.
Hom. CXXII. — In vigilia Paschæ. Ibid.
Hom. CXXIII. — In die sancto Paschæ. Ibid.
Hom. CXXIV. — In die sancto Paschæ. Ibid.
Hom. CXXV. — In feria secunda Paschæ. 1329
Hom. CXXVI. — In eadem feria. Ibid.
Hom. CXXVII. — In feria tertia Paschæ. Ibid.
Hom. CXXVIII. — In eadem feria. Ibid.
Hom. CXXIX. — In feria quarta Paschæ. 1331
Hom. CXXX. — In eadem feria. Ibid.
Hom. CXXXI. — In feria quinta Paschæ. 1333
Hom. CXXXII. — In feria sexta Paschæ. Ibid.
Hom. CXXXIII. — In Sabbato post Pascha. Ibid.
Hom. CXXXIV. — In octava Paschæ. Ibid.
Hom. CXXXV. — In die sancti Thomæ. Ibid.
Hom. CXXXVI. — In octava Paschæ. 1338
Hom. CXXXVII. — In Dominica secunda post Pascha. Ibid.
Hom. CXXXVIII. — In Dominica tertia post Pascha. 1339
Hom. CXXXIX. — In Dominica quarta post Pascha. Ibid.
Hom. CXL. — In Dominica quinta post Pascha. Ibid.
Hom. CXLI. — In Litania majori. Ibid.
Hom. CXLII. — In vigilia Ascensionis. Ibid.
Hom. CXLIII. — In die Ascensionis Domini. Ibid.
Hom. CXLIV. — De eodem festo. 1340
Hom. CXLV. — In Dominica post Ascensionem. Ibid.
Hom. CXLVI. — In vigilia Pentecostes. Ibid.
Hom. CXLVII. — In die sancto Pentecostes. Ibid.
Hom. CXLVIII. — De eodem festo. Ibid.
Hom. CXLIX. — Infra hebdomadam Pentecostes. Ibid.
Hom. CL. — In feria secunda Pentecostes. 1344
Hom. CLI. — In feria tertia Pentecostes. Ibid.
Hom. CLII. — In feria quarta Pentecostes. Ibid.
Hom. CLIII. — In feria quinta Pentecostes. Ibid.
Hom. CLIV. — In feria sexta Pentecostes. 1348
Hom. CLV. — In Sabbato post Pentecosten. 1354
Hom. CLVI. — De eodem Sabbato. Ibid.
Hom. CLVII. — In octava Pentecostes. 1358
Hom. CLVIII. — In festo sanctæ Trinitatis. Ibid.
Hom. CLIX. — In Dominica secunda post Pentecosten. 1363
Hom. CLX. — In Dominica tertia post Pentecosten. 1363
Hom. CLXI. — In Dominica quarta post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXII. — In Dominica quinta post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXIII. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. CLXIV. — In Dominica sexta post Pentecosten. 1368
Hom. CLXV. — In Dominica septima post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXVI. — In Dominica octava post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXVII. — In Dominica nona post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXVIII. — In Dominica decima post Pentecosten. 1370
Hom. CLXIX. — In Dominica undecima post Pentecosten. 1375
Hom. CLXX. — In Dominica duodecima post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXXI. — In eadem Dominica. Ibid.
Hom. CLXXII. — In Dominica decima tertia post Pen-

Digitized by Google

tecosten. 1380
Hom. CLXXIII. — In Dominica decima quarta post Pentecosten. Ibid.
Hom. CLXXIV. — In eadem Dominica. 1383
Hom. CLXXV. — In Dominica decima quinta post Pentecosten. 1391
Hom. CLXXVI. — In eadem Dominica. 1396
Hom. CLXXVI *bis*. — In Dominica decima sexta post Pentecosten. 1403
Hom. CLXXVII. — In eadem Dominica. 1407
Hom. CLXXVIII. — In Dominica decima septima post Pentecosten. 1415
Hom. CLXXIX. — In eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. CLXXX. — In Dominica decima octava post Pentecosten. 1422
Hom. CLXXXI. — In eadem Dominica. 1423
Hom. CLXXXII. — In feria quarta quatuor temporum. 1429
Hom. CLXXXIII. — In feria sexta quatuor temporum. *Ibid.*
Hom. CLXXXIV.—In Sabbato quatuor temporum. *Ibid.*
Hom. CLXXXV. — In Dominica decima nona post Pentecosten. *Ibid.*
Hom. CLXXXVI. — In Dominica vigesima post Pentecosten. 1430
Hom. CLXXXVII. — De eadem Dominica. 1432
Hom. CLXXXVIII. — In Dominica vigesima prima post Pentecosten. 1438
Hom. CLXXXIX. — In Dominica vigesima secunda post Pentecosten. *Ibid.*
Hom. CXC. — In eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. CXCI. — In Dominica vigesima tertia post Pentecosten. 1442
Hom. CXCII. — In eadem Dominica. 1445
Hom. CXCIII. — In Dominica vigesima quarta post Pentecosten. 1448
Hom. CXCIV. — In eadem Dominica. 1449
Hom. CXCV. — In Dominica vigesima quinta post Pentecosten. 1453
Hom. CXCVI. — In eadem Dominica. *Ibid.*
Hom. CXCVII. — In Dominica vigesima sexta post Pentecosten. *Ibid.*
Hom. CXCVIII. — In dedicatione ecclesiæ vel altaris. 1457
Hom. CXCIX. — In dedicatione ecclesiæ vel altaris consecratione. *Ibid.*
Hom. CC. — In dedicatione altarium. *Ibid.*
Hom. CCI. — In dedicatione ecclesiæ. 1458
Hom. CCII. — In dedicatione ecclesiæ. *Ibid.*
*Incipiunt homiliæ de sanctis.* 1457
Homilia prima.—In vigilia sancti Andreæ apostoli. *Ibid.*
Hom. II. — In die sancti Andreæ. *Ibid.*
Hom. III. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. IV. — In octava sancti Andreæ. *Ibid.*
Hom. V. — In natali sanctæ Agnetis. 1461
Hom. VI. — In Conversione sancti Pauli. *Ibid.*
Hom. VII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. VIII. — In Purificatione sanctæ Mariæ. *Ibid.*
Hom. IX. — De eodem festo. 1463
Hom. X. — In Cathedra sancti Petri. *Ibid.*
Hom. XI. — In eodem festo. 1465
Hom. XII. — In Annuntiatione beatæ Mariæ, vel potius in adventu Domini. 1470
Hom. XIII. — In Annuntiatione beatæ Mariæ. 1473
Hom. XIV. — Item de eodem festo. *Ibid.*
Hom. XV. — In festo Philippi et Jacobi. *Ibid.*
Hom. XVI. — In festo Inventionis sanctæ crucis. *Ibid.*
Hom. XVII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XVIII. — De sanctis infra Pascha et Pentecosten. 1476
Hom. XIX. — In vigilia beati Joannis Baptistæ. *Ibid.*
Hom. XX. — In nativitate sancti Joannis Baptistæ. *Ibid.*
Hom. XXI. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXIII. — In vigilia apostolorum Petri et Pauli. *Ibid.*
Hom. XXIV. — In die apostolorum Petri et Pauli. *Ibid.*
Hom. XXV. — De eodem festo. 1477
Hom. XXVI. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXVII. — In Commemoratione sancti Pauli. 1483
Hom. XXVIII. — De eodem festo. 1484
Hom. XXIX. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXX. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXXI. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXXII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXXIII. — In octava apostolorum Petri et Pauli. *Ibid.*
Hom. XXXIV. — In natali sanctæ Felicitatis. *Ibid.*
Hom. XXXV. — In natali beatæ Mariæ Magdalenæ. 1485
Hom. XXXVI. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. XXXVII. — In natali sancti Jacobi apostoli. *Ibid.*
Hom. XXXVIII. — In vinculis beati Petri. *Ibid.*
Hom. XXXIX. — De eodem festo. 1489
Hom. XL. — De sancto Laurentio martyre. 1490
Hom. XLI. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XLII. — De eodem festo. *Ibid.*
Hom. XLIII. — In vigilia Assumptionis beatæ Mariæ. *Ibid.*
Hom. XLIV.—De Assumptione Virginis gloriosæ. *Ibid.*
Hom. XLV. — In Assumptione sanctæ Mariæ. *Ibid.*
Hom. XLVI. — De eodem festo. 1497
Hom. XLVII. — De eodem festo. 1505
Hom. XLVIII. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. XLIX.—In festo sancti Bartholomæi apostoli. 1508
Hom. L.—In Decollatione beati Joannis Baptistæ. *Ibid.*
Hom. LI. — De eodem festo. 1514
Hom. LII. — In Nativitate beatæ Mariæ virginis. *Ibid.*
Hom. LIII. — De eodem festo. 1519
Hom. LIV. — In vigilia Matthæi apostoli. 1522
Hom. LV. — In die sancti Matthæi. *Ibid.*
Hom. LVI. — In festo sancti Michaelis archangeli. *Ibid.*
Hom. LVII. — De eodem festo. 1525
Hom. LVIII. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. LIX. — In natali sancti Lucæ evangelistæ. 1530
Hom. LX. — In eodem festo. 1533
Hom. LXI. — In vigilia omnium sanctorum. *Ibid.*
Hom. LXII. — In festo omnium sanctorum. *Ibid.*
Hom. LXIII. — In eodem festo. 1536
Hom. LXIV. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. LXV. — In die animarum. *Ibid.*
Hom. LXVI. — In eodem festo. *Ibid.*
Hom. LXVII. — In eodem festo. *Ibid.*
*Incipit commune sanctorum.* *Ibid.*
Hom. LXVIII. — De apostolis. *Ibid.*
Hom. LXIX. — In vigilia apostolorum. *Ibid.*
Hom. LXX. — Item de apostolis. 1537
Hom. LXXI. — Item de apostolis. *Ibid.*
Hom. LXXII. — Item de apostolis. *Ibid.*
Hom. LXXIII. — In natali unius martyris. *Ibid.*
Hom. LXXIV. — De uno martyre. 1539
Hom. LXXV. — Item de uno martyre. 1543
Hom. LXXVI. — Item de uno martyre. *Ibid.*
Hom. LXXVII. — Item de uno martyre. *Ibid.*
Hom. LXXVIII. — Item de martyribus. *Ibid.*
Hom. LXXIX. — Item de martyribus. 1548
Hom. LXXX. — Item de martyribus. 1550
Hom. LXXXI. — Item de martyribus. *Ibid.*
Hom. LXXXII. — Item de martyribus. 1551
Hom. LXXXIII. — Item de martyribus. *Ibid.*
Hom. LXXXIV. — De confessoribus. *Ibid.*
Hom. LXXXV. — Item de confessoribus. *Ibid.*
Hom. LXXXVI. — Item de confessoribus. *Ibid.*
Hom. LXXXVII. — Item de confessoribus. 1555
Hom. LXXXVIII. — Item de confessoribus. *Ibid.*
Hom. LXXXIX. — Item de confessoribus. *Ibid.*
Hom. XC. — Item de confessoribus. 1560
Hom. XCI. — Item de confessoribus. 1561
Hom. XCII. — Item de confessoribus. *Ibid.*
Hom. XCIII. — De virginibus. *Ibid.*
Hom. XCIV. — Item de virginibus. 1566
Hom. XCV. — Item de virginibus. *Ibid.*
Hom. XCVI. — Item de virginibus. *Ibid.*
PAULI WINFRIDI DIACONI HOMILIÆ. *Ibid.*
Homilia prima. — In Assumptione beatæ Mariæ virginis. 1568
Hom. II. — In Evangelium : « Intravit Jesus in quoddam castellum, etc. »
Hom. III. — De sancto Patre Benedicto. 1574
Homilia eadem, de sententia evangelica, et de sancto Benedicto. 1576
Expositio prologi regulæ sancti Benedicti. 1581
PAULI WINFRIDI DIACONI OPERUM PARS TERTIA. — EPISTOLÆ ET CARMINA. 1583
Sectio prima. — Epistolæ. *Ibid.*
Epistola prima. Ad Carolum regem. *Ibid.*
Epist. II. Ad Carolum Magnum. — Illi Vocabularium suum nuncupat. 1589
Epist. III. Ad Adhalardum abbatem Corbeiensem. 1590
Epist. IV. Ad Theudemarum abbatem. *Ibid.*
Sectio secunda. — Carmina. 1591
Carmen primum. — Vita sancti Benedicti abbatis. *Ibid.*
Carm. II. — Hymnus de miraculis sancti Benedicti. *Ibid.*
Carm. III. — De sancta Scholastica. 1593
Carm. IV. — Vita sancti Mauri abbatis. 1594
Carm. V. — De sancto Joanne Baptista. 1597

Digitized by Google

CARM. VI. — Ad Petrum Pisanum. 1598
CARM. VII. — Ad regem. 1599
CARM. VIII. — Item ad regem precando. *Ibid.*
CARM. IX. — Hymnus Pauli Diaconi in translationem Beneventum corporis beati Mercurii martyris. 1600
CARM. X. *Ibid.*
CARM. XI. — Epitaphium Rothaidis filiæ Pippini regis. 1601
CARM. XII. — Epitaphium alterius filiæ Adhelaidis. *Ibid.*
CARM. XIII. — Epitaphium Hildegardis reginæ Caroli Magni uxoris. *Ibid.*
CARM. XIV. — Epitaphium Hildegardis Caroli et Hildegardis filiæ. 1602
CARM. XV. — Epitaphium alterius filiæ Adhelaidis. 1603
APPENDIX AD OPERA PAULI DIACONI, *complectens* Pauli Problemata de ænigmatibus ex tomis canonicis, et *Sexti Pompei Festi de verborum Significatione fragmentum.* *Ibid.*

FINIS TOMI NONAGESIMI QUINTI.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

Digitized by Google